PATROLOGIÆ
CURSUS COMPLETUS,

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA CONCILII TRIDENTINI (ANNO 1545) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. LATINA, JAM PENITUS EXARATA, QUOAD PRIMAM SERIEM VIGINTI-QUINQUE ET DUCENTIS VOLUMINIBUS MOLE SUA STAT, MOXVE POST PERACTOS INDICES STABIT, AC QUINQUE-VIGINTI-CENTUM ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM UNA CUM VERSIONE LATINA LATERALIS AMPLECTITUR, ET AD NOVEM ET CENTUM VOLUMINA PERVENIT, SED SINE INDICIBUS; POSTERIOR AUTEM HANC VERSIONEM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA QUINQUE ET QUINQUAGINTA VOLUMINA RETINETUR; UTRAQUE VIGESIMA QUARTA DIE DECEMBRIS 1860 OMNINO APPARUERAT, UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR : UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUJUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR, COLLECTIONEM INTEGRAM, SIVE GRÆCAM SIVE LATINAM, 326 VOLUMINIBUS PRO AMPLIORI EDITIONE ET 272 PRO MINORI ABSQUE INDICIBUS CONSTANTEM, COMPARET NECESSE ERIT; SECUS ENIM CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT. ATTAMEN, SI QUIS EMAT INTEGRE ET SEORSIM COLLECTIONEM GRÆCO-LATINAM, VEL EAMDEM EX GRÆCO LATINE VERSAM, TUM QUODQUE VOLUMEN PRO NOVEM VEL PRO SEX FRANCIS OBTINEBIT. ISTÆ CONDITIONES SERIEBUS PATROLOGIÆ NONDUM EXCUSIS APPLICANTUR.

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS XXXVI.

S. AURELIUS AUGUSTINUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1861

SANCTI AURELII

AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI,

OPERA OMNIA,

POST LOVANIENSIUM THEOLOGORUM RECENSIONEM,

CASTIGATA DENUO AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICANOS, VATICANOS, BELGICOS, ETC.

NECNON AD EDITIONES ANTIQUIORES ET CASTIGATIORES,

OPERA ET STUDIO

MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

E CONGREGATIONE S. MAURI.

EDITIO NOVISSIMA, EMENDATA ET AUCTIOR,

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS QUARTUS.

PARS PRIOR.

VENEUNT 16 VOL. 86 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1861

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO XXXVI CONTINENTUR.

S. AUGUSTINUS HIPPONENSIS EPISCOPUS.

HARVARD COLLEGE LIBRARY
GIFT OF
DR. JOHN RATHBONE OLIVER
AUGUST 4, 1941

Parisiis. — Ex Typis J.-P. MIGNE.

IN QUARTUM TOMUM
Præfatio.

Si postremos illos Retractationum libros nobis Augustinus reliquisset, quibus habitos ad populum Tractatus recensere se velle epistola sua ad Quodvultdeum testabatur (*Epist.* 224, n. 2); immensum hoc in Psalmos Davidicos opus ibi haud dubie illustrasset iis observationibus, quæ præfationis loco, nostra multo utilioris, esse potuissent. At cum propositum exsequi beato Viro per mortem non licuerit, arbitramur officii nostri hoc loco paucis exponere, primo quibus momentis ad suscipiendam Psalmorum enarrationem impulsus sit, postea quem in ea ordinem servaverit, deinde quam secutus fuerit in exponendo rationem, tum quas leges sibi præstituerit, denique cuinam institerit Versionum.

Psalmis Davidicis mirum in modum capiebatur Augustinus. Eorum cantus, quo tempore illum in Ecclesia Mediolanensi audire cœpit, adeo suaviter ipsius afficiebat animum, ut piis hisce motibus ad maturandam conversionem suam vehementius stimularetur (*Confessionum lib.* 9, *c.* 6 *et* 7). Tradit etiam Vir sanctus in suo secessu apud Cassisiacum, ubi se ad Baptismum comparabat, tantopere divinum in se amorem exarsisse legendis iisdem sacris Canticis, ut ardentissimo flagraret desiderio illos per orbem universum, si qua fieri potuisset, recitandi; simulque amarissimo doloris cum indignatione ac commiseratione conjuncti sensu pungeretur, quod quæ mysteria remediaque illic continentur, Manichæi lugenda cæcitate non viderent, atque adeo antidotum, quo sanitas eis restitui potuisset, respuerent (*Ibid.*, *c.* 4).

Atqui licet e Psalmis tantum luminis duci, tam uberem pietatis succum exprimi posse intelligeret, proprio nimirum experimento; attamen privata sua meditatione contentus, nunquam fortassis ad eos publice exponendos animum appulisset, nisi ipsum petitæ aliunde causæ permovissent. Enimvero tam magnificam imbiberat de Psalmorum præstantia opinionem, ut quotquot ex illis apertissimi videbantur, iidem habendi essent ipsius judicio reconditissimi. Nec sane aliud causæ fuisse cur ad psalmum centesimum decimum octavum, cujus expositionem ab eo tantum non conviciis flagitabant, explanandum, post tantas moras et procrastinationes accesserit, ipse satis declarat istis verbis, *Quanto enim videtur apertior, tanto mihi profundior videri solet* (*Prolog. in Psal.* CXVIII). Veruntamen cum dignitatis quam gerebat ratio exigeret ut plebem curæ suæ creditam præceptis institueret, objurgationibus corrigeret, informaret ad pietatem, in bonorum operum virtutumque christianarum studio et usu confirmaret; quanquam Scriptura omnis, Apostolo teste, ad id conducit (II *Tim.* III, 16); cum tamen oportuit in primis Psalmos adhibere, utpote quos passim populi manibus teri ac in ore versari cerneret, eoque ad illud assequendum judicaret efficaciores, quod mysteria atque præcepta in sacris omnibus paginis, quarum illi quoddam veluti compendium exhibent, dispersa, in se complectantur. Desudavit igitur in hoc labore summa cura et sedulitate, et si quando molestis improbisque precibus eorum qui commentationes in Psalmos, quos ipse nimis difficiles existimabat, postulabant, nonnisi ægre morem gessit: contra videmus aliquando nolle ipsum Psalmis, quos in manibus habebat, relictis, ad alia calamum transferre; eo quod quæ multis essent conducibilia, eadem putaret semper anteponenda. *Magis urgent*, inquit, *quæ pluribus utilia fore speramus* (*Epist.* 169, *ad Evodium*, *n.* 1).

Cum primum ad illud opus aggressus est Augustinus, quemadmodum ipsius consilium non erat Davidicum omne Psalterium commentari, ita rationem ordinis haud magnopere habendam existimavit. Et quidem epistolæ ad Paulinum anno circiter 414 scriptæ locus ille, quo strictiorem psalmi decimi sexti enarrationem dudum abs se factam testatur, *Recensui*, inquiens, *brevissimam quamdam ejusdem psalmi expositionem*, *quam jam olim dictaveram* (*Epist.* 149, *n.* 5), eo cogitationem nostram impellit, ut, cum eamdem illam expositionem, tum omnes alias eadem brevitate ac stylo concinnatas, totius operis primas exiisse arbitremur. Statuerat etiam Graduales quos vocant Psalmos ex ordine enucleare, quod in centesimum vigesimum secundum disserens significat his verbis, *Ascendentis Cantica ex ordine cum Sanctitate Vestra consideranda suscepi.* Similiter in centesimum vigesimum quintum ac centesimum trigesimum primum dicit ita se ad psalmos illos venisse, ut cujusque ordo postulabat: cum tamen vigesimum sextum in festo B. Crispinæ, cujus agonem nonis decembris referunt Martyrologia, psalmum vero trigesimum septimum in die natali S. Felicis, cujus martyrium nonis novembris renuntiatur, exposuerit. Sed in reliquis omnibus eum ordini non fuisse addictum, varii loci planum faciunt. Exempli causa, in psalmum sexagesimum sextum explanationes centesimi secundi et centesimi tertii citat; in centesimum secundum enarrationem centesimi tertii, quam etiam in exponendo octogesimum quodam modo videtur indicare. In epistola ad Evodium data exeunte anno 415, tradit proxime dictatas a se psalmorum sexagesimi septimi, septuagesimi primi et septuagesimi septimi enarrationes fuisse; nolle vero se, usum in reliquos psalmos, quos needum explicaverat, laborem interpelli (*Epist.* 169, *n.* 1): unde colligas

tunc non bene multos superfuisse quos tractaret. Loca, tempora, casus, personæ, sæpe sæpius enarrandum psalmum ei suggerebant. Debemus trigesimi quarti et centesimi trigesimi noni commentationes imperio vel precibus episcoporum, quos tunc temporis conventum aliquem habuisse conjicere est. Idem puta de commentatione in trigesimum sextum, quemadmodum in exordio sermonis secundi super eodem psalmo ipsemet narrat. Quinquagesimum secundum *Fratris*, alicujus forsitan episcopi, impulsu se tractandum suscepisse testatur. Nonagesimum quartum populo exposuit *Patris*, ut ait, jussis obsecuturus, nimirum vel Aurelii Carthaginensis, vel senis Valerii, quem in episcopatu Augustinus excepit. De psalmo centesimo tertio idem similiter declaratur in secundo prolixiorum horumce quatuor sermonum, quibus Carthagine Vir sanctus memoratum psalmum edisseruit. Propositum sibi a viro quodam magnæ auctoritatis, quem suum quoque patrem vocitat, psalmum octogesimum sextum excussit ex tempore. Quin etiam videtur in quinquagesimum primum verba fecisse, non ante meditatus quæ diceret: cum ibi vereri se testetur, ut id tanta accuratione præstet, quantam exigit oratio, non attente solum auditorum auribus, sed scriptorum quoque calamo, ut publici juris fiat, excipienda. *Quandoquidem*, inquit, *placuit fratribus, non tantum aure et corde, sed et stylo excipienda quæ dicimus, ut non auditorem tantum, sed et lectorem etiam cogitare debeamus* (*In Psal.* LI, *n.* 1). Psalmo centesimo trigesimo octavo alterius brevioris vice, quem Augustinus paraverat, ac de more ante expositionem legi jusserat, recitato; casum hunc ille in argumentum divinæ voluntatis traxit, atque ex tempore eumdem illum psalmum explanavit. Diebus dominicæ Passioni sacris psalmi vigesimi primi, quod is eidem mysterio conveniret, pronuntiavit fusiorem explanationem; sicut et psalmi centesimi festis Paschalibus, queis ob inscriptionem *Alleluia* congruit. Operæ non est, alios psalmos, quos nata occasione tot variis solemnitatibus ac locis, Hippone-regio, Carthagine, Uticæ atque alibi fuit interpretatus, hic annotare: satis enim est, quod ea suo quæque loco in limine earumdem enarrationum indicamus. Addimus hoc unum, coronidem operi suo sanctum Antistitem posuisse exposito centesimo decimo octavo psalmo, prout in ejusdem prologo significat, quem quidem placuit hoc loci integrum repræsentare.

Psalmos omnes cæteros, ait, *quos codicem Psalmorum novimus continere, quod Ecclesiæ consuetudine Psalterium nuncupatur, partim sermocinando in populis, partim dictando exposui, donante Domino, sicut potui: psalmum vero centesimum octavum decimum, non tam propter ejus notissimam longitudinem, quam propter altitudinem paucis cognoscibilem differebam. Et cum molestissime ferrent fratres mei, ejus solius expositionem, quantum ad ejusdem corporis Psalmos pertinet, deesse opusculis nostris, meque ad hoc solvendum debitum vehementer urgerent; diu petentibus jubentibusque non cessi: quia quotiescumque inde cogitare tentavi, semper vires nostræ intentionis excessit. Quanto enim videtur apertior, tanto mihi profundior videri solet; ita ut etiam quam sit profundus, demonstrare non possim. Aliorum quippe, qui difficile intelliguntur, etiamsi in obscuritate sensus latet, ipsa tamen apparet obscuritas; hujus autem nec ipsa: quoniam talem præbet superficiem, ut lectorem atque auditorem, non expositorem necessarium habere credatur. Et nunc quod tandem ad pertractationem ejus accedo, quid in eo possim, prorsus ignoro: spero tamen ut aliquid possim, affuturum atque adjuturum Deum. Sic enim feci de omnibus, quæcumque sufficienter, cum prius mihi ad intelligendum vel explicandum difficilia ac pene impossibilia viderentur, exposui. Statui autem per sermones id agere, qui proferantur in populis, quos Græci ὁμιλίας vocant. Hoc enim justius esse arbitror, ut conventus ecclesiastici non fraudentur etiam psalmi hujus intelligentia, cujus, ut aliorum, delectari assolent cantilena.*

Fuere igitur hi sermones triginta duo in psalmum centesimum decimum octavum populi quidem causa lucubrati, sed nequaquam ab Augustino pronuntiati. Et hoc ipsum forte significatum voluit Possidius, cum post enumeratas expositiones, quas solummodo Vir sanctus dictavit, ita subdit: *Reliqui omnes Psalmi, excepto centesimo decimo octavo, in populo disputati sunt* (*Possid. in indic. cap.* 6).

Psalmorum autem e sacro suggestu habitorum numerus alios longe superat. Quæ res facile videri posset inde contigisse, quod magnus Præsul tot ac tam variis Ecclesiæ curis districtus, vix aliud tempus nancisceretur, quod isti labori impenderet: sed ex iis quæ supra retulimus ex psalmi centesimi decimi octavi enarratione manifestum est, hancce methodum explicandæ Scripturæ magis illi probatam fuisse propter populum, qui sola hac via divinarum Litterarum sensum in concionibus ecclesiasticis doceri poterat. In illis porro ad plebem Tractatibus, observationes quædam inseruntur, ac certæ Psalmorum sententiæ in schismata, in errores ac in vitia temporum istorum torquentur, quibus eorum lectio multo jucundior evadit. Illic etiam locos ex Evangelio, Actibus atque Epistolis Apostolorum maxime insignes reperias, quos idcirco sanctus Doctor una cum Psalmo enucleavit, quia eodem die recitati fuerant in ecclesia. Denique occurrunt adhortationes vehementes, quæ persuadeant; elocutiones inflammatæ, quæ abripiant; figuræ tot flammis atque ignibus, si fas ita loqui, gravidæ, ut in eas oculos conjicere vix quisquam possit, quin incendatur eodem ardore quem experiri se testabantur ii qui dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas* (*Luc.* XXIV, 32)?

Id expertus est beatus Fulgentius, cum Tractatum in psalmum trigesimum sextum legeret, cujus exordium e consideratione diei extremi judicii ideo sumitur, quod eo die caput XXIV Matthæi fuerat recitatum. Hic siquidem, ut in ejus Vita Ferrandus auctor est, cum apud animum suum jam decrevisset mundo nuntium

remittere, *beati Augustini exponentis trigesimum sextum psalmum disputatione commonitus*, *publicare suum statuit votum, mutare gestiens habitum* (*Cap.* 3).

Quod vero ad plebem, cujus aures implebant sermones illi Pastoris sui fervore incitati et quasi animati, haud ægre adducimur ut credamus eam frequenter illis motibus raptam fuisse, quos nonnunquam suis plausibus significat : cujus quidem plebis aviditati referendæ sunt acceptæ tot egregiæ ad mores informandos digressiones, in quas sanctus Præsul opportunitatem nactus divertitur, quemadmodum in suo prologo ad Psalmos notat Cassiodorus : *Cum nimis avidos populos*, inquit, *ecclesiasticis dapibus explere cupit, necessario fluenta tam magnæ prædicationis emanavit.*

Idem auctor eodem loco totum hoc Augustini commentarium in decadas fuisse distributum innuit hisce verbis : *Quæ ille*, inquit, *in decadas quindecim mirabiliter explicavit.* Cujus partitionis vestigium nullum in manuscriptis reperimus, exceptis tribus, uno Jolyano Ecclesiæ Parisiensis, qui in fronte præfert, *Incipit liber decada domini Augustini a Psalmo* I, *Beatus vir*, *usque* LI, et duobus Colbertinis, quorum alter enarrationi psalmi quadragesimi hæc subdit, *beati Aurelii Augustini episcopi finit decada de libro primo.* Alter vero compendium totius operis complectens, versus quosdam in capite voluminis exhibet, qui cum præfationibus ac elogiis infra edendis locum habeant, non indignos. In his autem isthuc pertinet is versus :

Ter quinis decadis grande peregit opus.

Verumtamen cum Possidius distributionis ejusmodi non meminerit, eam Augustini tempore vel jussu factam credibile non est. Atque idem forte hic acciderit, quod T. Livii libro, *quem,* ut Petrarcha epistola ad Joannem Boccacium observat, *in partes quas decades vocant, non ipse qui scripsit, sed fastidiosa legentium scidit ignavia* (*Epist. variar.* 22 *vel* 24).

Veniamus jam ad præcipuum caput, regulas videlicet quas in interpretando servavit Augustinus. Multa hic essent observatu necessaria, nisi hoc argumentum ipsemet beatus Doctor in libris de Doctrina Christiana pertractasset. Primo siquidem quod ad litteram spectat, ut eam integram atque illibatam habeat, quæ præcepta illic tradit, ea pro sua virili hoc in commentario sequitur. Latinas editiones inter se componit, exemplaria græca consulit, colligit varias lectiones; undenam irrepserit diversitas, ex interpretum vitio, an e textus græci ambiguitate investigat : ejus denique illa sedulitas, qua tot locos tam anxie discussit, huc eum impulit, ut Psalterium multoties ad idioma hellenicum recenseret castigaretque. Hoc intelligas licet ex ejusdem ad Audacem epistola, ubi cum dixisset Psalterium a beato Hieronymo ex hebræo sermone conversum non habere se, prosequitur in hunc modum : *Nos autem non interpretati sumus, sed codicum Latinorum nonnullas mendositates ex græcis exemplaribus emendavimus. Unde fortassis fecerimus aliquid commodius quam erat, non tamen tale quale esse debebat. Nam etiam nunc, quæ forte nos tunc prætererunt, si legentes moverint, collatis codicibus emendamus* (*Epist.* 261, n. 5).

Primus litteræ sensus interdum nihil continet, nisi simplicis ac spiritualis : at idem sæpius relatus et figuratus est. Tuncque vere affirmare possumus, quod est dictio significationi suæ comparata, id est, litteralem sensum esse cum spirituali comparatum : et quemadmodum fieri non potest ut ad sensum illum spiritualem perveniamus, nisi prius litteralem probe perspectum habuerimus; ita litteralis supervacaneam fore cognitionem, si spiritualem assequi negligamus. Hoc fuit in causa cur sanctus Præsul, sensu litterali, quoties eum satis per se apertum cognitumque existimavit, omisso, recta in spiritualem tenderet. Quod quidem ei non solum usu venit in sermonibus ad populum habitis, in quibus ejus potissimum profectui servire cogebatur; verum etiam in expositionibus, quas in quosdam Psalmorum dictavit, ubi ex animi voluntate stylo indulgere ipsi fas erat.

Cum vero in sanctæ Scripturæ vocibus spirituales sensus lateant plurimi, qui omnes peræque pii, peræque veri videri possint, haud semper contentus fuit unicum expromere. Ad tertium usque eruit e psalmo tertio, quem primo quidem Christo Domino in propria sua persona considerato, mox eidem cum Ecclesia, quacum ille unum quasi corpus efficit, conjuncto; denique fidelium singulis accommodat. In tertium vero quarti decimi psalmi versum, exposito primo sensu pulchre sciteque subdit : *Iste simplex intellectus cui sufficit, sufficiat; sed nonnulla verba Scripturarum obscuritate sua hoc profuerunt, quod multas intelligentias pepererunt. Itaque hoc si planum esset, unum aliquid audiretis; quia vero obscure dictum est, multa audituri estis.*

Regulas in habendo variorum sensuum, qui animo occurrunt, delectu, sequitur errori minime obnoxias. Enimvero præterquam quod rationem, ut dicebamus, longe maximam habet litteræ, cui quidem ante omnia sensus ad amussim quadret necesse est; semper ob oculos sibi charitatem constituendam ponit, quam Scripturæ totius finem esse docet in psalmum centesimum quadragesimum : *Quidquid salubriter*, inquit, *mente concipitur, quiquid ore profertur, vel de qualibet pagina exsculpitur, non habet finem nisi charitatem.* Quam doctrinam sumpserat cum ex Evangelio, ubi generaliter a Christo pronuntiatur illud effatum, *In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 40) : tum ex Apostolo, quo judice primæ ad Timotheum capite primo, *Finis præcepti est charitas* (I *Tim.* I, 5). Hujus regulæ beneficio sensus christianis moribus parum congruos, quos nonnulli Psalmorum loci objicere animo possent, procul amandat : verba quæ ab ulciscendi libidine proficisci atque improbis exitium imprecari videantur, docet nihil aliud esse quam malorum quibus illi, nisi

corrigantur, obruendi sunt, prophetias ac prædictiones : Davidis vota adversus inimicos suos meliorem in partem accipienda, ibique preces quibus viri sancti peccatores Deo commendant, intelligendas : locutiones illas, queis adversarios suos confundi, cadere, prosterni petit, obscura quadam ratione peccatorum conversionem ac pœnitentiam indicare : si quando hostes vincere aut ab eisdem liberari cupiat, revera orationes esse, ne in tentationibus succumbat : denique per inimicos Davidis, non dæmones tantum aut peccatores, sed et vitia atque animi affectus, quibus continuo in via salutis impugnamur, designari.

Hac eadem regula adducitur, ut petitiones promissionesque Psalmorum, quæ ad apices expositæ nonnisi temporalia bona significant, æternis accommodet : quæ de exteriori virtutum exercitio præcipiuntur, ad interiorem pietatem transferat : demum ubicumque templi, elevationis oculorum, clamoris, cantici novi, laudis mentio fit, nos inde ad mentis et cordis affectiones ac motus, ad vitam novam, necnon ad operum quæ Deus in suam gloriam cedere jubet, sanctitatem traducat.

Ut expeditiorem nobis aditum ad sensus illos insinuandæ pietati adeo conducibiles pararet, viam non potuit inire majoris compendii, quam si loquentem Davidis ore Dominum Jesum induceret, prout illi cum Veterum usus, tum vel maxime quorumdam locorum e Psalmis in Novo Testamento facta interpretatio præscribebant. Tertullianus in libro adversus Praxeam scribit : *Sed et omnes pene Psalmi Christi personam sustinent, Filium ad Patrem, id est Christum ad Deum verba facientem repræsentant* (*Cap.* 11). Hieronymus epistola ad Paulinum : *David, Simonides noster, Pindarus et Alcæus, Flaccus quoque, Catulus, atque Serenus, Christum lyra personat* (*Epist.* 103). Hilarius vero in prologo suo ad Psalmos id ipsum multis prosequitur, ibique contendit Psalmos universos *allegoricis et typicis contextos esse virtutibus*, quæ ad Christum pertineant ; ejus adventum, incarnationem, passionem, resurrectionem denique ac judicium, materiam omnem sacris hisce Canticis suppeditare; eorumdem mysteriorum fidem *clavis* cujusdam veluti vice fungi, sine cujus opera accessus ad Psalmorum intelligentiam sit interclusus. Id similiter Augustinus in illis explicandis nunquam non inculcat, ut etiam ipse necessum habeat repetitiones suas interdum excusare, hujus regulæ utilitatem necnon illius probe intelligendæ necessitatem in medium proferens. Ejus rei argumenta producit e sacris Codicibus petita : quale est, verbi gratia, illud Christi pronuntiatum, *Necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me* (*Luc.* XXIV, 44). Repetit frequentius Davidem Christi ex ipsius semine nasciturі figuram gerere, ipsius nomen significatione sua Christum designare, sub quo etiam nomine hunc a multis Prophetarum annuntiatum constat; non pauca esse quæ Davidi aptari nequeant : quod ipsum jam ante plurimi scriptores doctissimi animadverterant, maxime in psalmos septuagesimum et octogesimum octavum ; atque adeo ipsemet Apostolorum Princeps in Actuum c. 2, ℣. 25, ubi locum unum e psalmo quinto decimo refert. Observat tandem Christum e cruce pendentem ipsis Psalmorum vocibus usum, quasi illud nos docere voluisset, eosdem causa sua fuisse scriptos. Verum cum non pauca, quæ ab ipsius sanctitate abhorreant, ibi legantur, monet subinde beatus Doctor ne Christum tanquam separatum a membris suis, hoc est Christianis, consideremus; sed tanquam universo Ecclesiæ corpori, cujus caput est, vinculo nunquam dissolvendo conjunctum : unde fit, ut infirmitates nostras, mala atque peccata sibi adscribat; quemadmodum in psalmo vigesimo primo, cujus verbis in passione sua loquitur, advertimus.

Vias Augustino mire ingeniosas, quibus Christum sub variis rationibus in Psalmis adumbratum deprehenderet detegeretque, ejusdem Christi charitas suggerebat. Non tamen iverimus inficias, quin Veteres, a quibus excussum jam fuerat idem argumentum, plurimos ac præclaros sensus, qui sub figurarum involucris latebant, in lucem extulissent. At si hujus illorumque commentationes inter se conferantur, tum intelligetur eum sæpissime vel majorem lucem afferre iisdem mysteriis, vel etiam nova, quæ illi quanquam non diversam methodum secuti prætermiserant, evolvere. Neque vero Hieronymum in epistola sua 92, quæ inter Augustinianas 72 numeratur, aliud sibi voluisse crediderimus, ubi postquam testatus est, si dixerit non defuturos forte qui libris ejus notam illinant censoriam, cum ipsum quoque Evangelium impio perditorum dente mordeatur, illud *non* eo se dixisse, *quod in operibus tuis*, inquit, *quædam reprehendenda jam censeam :* subjungit de commentariis ejus in Psalmos, esse nonnullos apud se (erant ii forsitan breviores Tractatus super primis triginta duobus psalmis diu ante annum 414, uti jam observatum nobis est, compositi, imo etiam fortassis ante 404, quo circiter anno scripta fuit eadem illa epistola), *quos*, pergit Hieronymus, *si vellem discutere, non dicam, a me, qui nihil sum, sed a veterum Græcorum interpretationibus docerem discrepare.* Quidam recentior asserit hoc loco Hieronymum improbare eam rationem, qua Augustinus, relicta aliorum Patrum methodo, Psalmos est interpretatus. At Hieronymus, epistola sua 75 inter Augustinianas, non multo post superiorem data, se ipse commodius explicat : satis quippe innuit non alio spectasse memorata verba, quam ut Augustinianum argumentum, quo post Septuaginta interpretum Versionem, ea quam ediderat inutilis esse arguebatur, dilueret. Igitur propositum dilemma retorquet in hunc modum : *Respondeat mihi prudentia tua, quare tu post tantos et tales interpretes in explanatione Psalmorum diversa senseris? Si enim obscuri sunt Psalmi, te quoque in eis falli potuisse credendum est : si manifesti, illos in eis falli potuisse non creditur : ac per hoc utroque modo superflua erit interpretatio tua : et hac lege post priores nemo loqui audebit; et quodcumque alius occupaverit, alius de eo scribendi non habebit licentiam.* Et certe in neutra epistolarum de consueta ratione exponendi Psalmos,

ac verbum quidem. Quod si laborem Augustini ad examen revocare Hieronymo libuisset, huic sine dubio occurrissent ii sensus, quos apud antiquiores non reperisset : nequaquam vero alia methodus; quando eidem adhæsit sanctus Antistes, quam Hilarius, Ambrosius et cæteri quos laudat Hieronymus, erant secuti. Sin agitur de modo sermonis divini allegorice ac moraliter edisserendi, quis potest eum universim vituperare; cum eodem et cæteri Patres cum Augustino, et ipsemet Hieronymus non raro usus fuerit, secundum Apostolorum exemplum atque doctrinam? Testis est beatus Paulus, quæcumque in Veteri Testamento gesta memorantur, ea figuras esse, fuisseque ad nostram institutionem scripta (I *Cor.* x, 11) : atqui facta illa pleraque Psalmis materiam suppeditant, ipsique adeo Psalmi metaphorarum, ænigmatum, necnon propheticarum descriptionum pleni sunt : ac proinde qui nos intra simplicis litteræ angustias coercere vellet, is quidem nos deprimeret ad conditionem Judæorum, quos suæ ipsorum cæcitati Deus permisit, *ut videntes non videant* (*Luc.* VIII, 10).

Atque hæc a nobis dicta sint, ut generatim Augustini methodum defendamus : tametsi nostri consilii non sit extorquere ab omnibus, ut vel levissimas ejusdem allusiones eadem, qua nos ipsi, veneratione prosequantur : satis erit, si non indignas materia quæ tractatur, æqui rerum æstimatores judicent. Imo vero si temporis ingenio servire ac sese plebis captui accommodare non novisset beatus Præsul, ab ea ratione agendi descivisset, quam ipsemet Deus adhibet in sacris Litteris; ubi Spiritus sanctus humani sermonis morem usurpat, humillimas quasque dicendi formas non repudians; ubi etiam, quo veritates ad salutem necessarias hominibus instillet, historicam varietatem ac poeticam amœnitatem cum instrumentorum musicorum suavitate Psalmorumque cantu conjungit. Patiamur itaque Augustinum allegoriis atque aliis observationibus uti, quibus non imparem arbitratur populum suum; et hæc nostra cura sit, admirabilibus præceptis, quæ inde capta occasione eidem tradit, adhærescere : quod ipsum similiter observare nos conveniet, si quando nonnihil a vera significatione deflectentem, optima tamen præcipere atque ad pietatem maxime accommoda reperiemus.

Cæterum de commentariorum horumce merito non est pronuntiandum comparate ad hebræum textum hodiernum, neque etiam ad Hieronymianum; quando Augustinus LXX Interpretes, qui forte hebræum exemplar atque vel etiam magis emendatum habuere, sequendos sibi proposuit. Nescius est nemo quantum auctoritatis eorum traductioni jam inde a primis temporibus Deus voluerit esse in Ecclesia; quantum existimationis ei pepererint Apostoli, illam in Novi Testamenti paginis consignantes; quantum denique testimoniorum ipsi protulerint eisdem verbis, quibus in eorumdem Interpretum leguntur Psalterio : ex quo quidem Psalterio Versiones omnes quæ hactenus in Ecclesia valuere, traductæ sunt.

Sed quando nos huc adduxit oratio, extra propositum non fuerit de variis illis Versionibus pauca subjicere. Hieronymus in epistola 135, ad Sunniam et Fretelam, occasione quorumdam locorum Psalterii, de quo eum consulebant, græcam LXX Interpretum Versionem monet in duabus circumferri editionibus; quarum altera, et ea quidem ipsius judicio minus castigata, dicebatur Communis, Vulgata, et Luciani editio : altera autem erat, quæ, ut ejus verba usurpemus, *habetur in Hexaplis*, et *quæ in eruditorum libris incorrupta et immaculata reservatur.* De qua etiam paulo ante dixerat, *Et a nobis in latinum sermonem fideliter versa est, et Hierosolymæ atque in Orientis Ecclesiis decantatur.* Hanc postremam orationis partem videtur Hincmarus, epistola sua ad Ludovicum Germaniæ regem, intellexisse de ipsa Hieronymi traductione, cum rectius de græca editione Hexaplorum intelligatur. Petri Pithœi vero fuit opinio, eamdem esse versionem illam Hieronymi, atque Psalterium quod Romanum vocant; Vulgatam porro nostram non aliam habendam, quam veterem Versionem ex ea editione quæ Luciani dicebatur (*De Latin. Biblior. interpretibus*, *pag.* 6). Verum non fit admodum verisimile tam levi negotio Psalterium suum mutasse Ecclesiam Romanam : præter quam quod in eodem illo Psalterio lectiones quædam desiderantur meliores ac emendatiores, quas in græco Hexaplorum se reperisse testatur Hieronymus. Ad Vulgatam editionem quod attinet, bona fide nostras de illa conjecturas hic proponemus. Idem ipse Hieronymus epistola sua ad Paulam et Eustochium significat se semel atque iterum Psalterio latino ad LXX Interpretum editionem castigando operam navasse; primo *cursim et magna ex parte*, cum adhuc in urbe versaretur : secundo *diligenter*, jamque in secessu abditus Bethlehemitico. Ultimæ hujus correctionis exemplaria optat ut cum cura et diligentia transcribantur; necnon eidem additæ abs se notæ appingantur, obeli videlicet, a quibus usque ad sequentia duo puncta, quæ legebantur apud LXX cum in hebræo deessent, includebantur; et asterisci, quibus similiter quæ ad proxima duo puncta sequebantur, ex hebræo juxta Theodotionis editionem LXX Interpretibus accessisse notum fieret. Atqui hujusmodi signa etiamnum in veteribus quibusdam Vulgatæ manuscriptis, non autem in alio ullo Psalteriorum latinorum invenire est. Hæc ipsa in compluribus codicibus sibi observata Jacobus Faber Stapulensis affirmat (*Prolog. in Psalterium quincuplex*) : ipsique habemus præ manibus antiquissimum tripartitum Psalterium abbatiæ Sancti Petri Carnutensis, quod in prima columna Psalterium Hieronymi ex hebræo continet, in tertia vetus Psalterium a Romano atque ab eo quo usus est Augustinus, parum discrepans; in secunda vero editionem Vulgatam exhibet cum supra memoratis Hieronymi obelis et asteriscis. Hinc facile persuademur Vulgatam esse ipsam illam Versionem ab Hieronymo secundis curis emendatam : quæ nostra sententia insuper auctoritate manuscripti bibliothecæ Colbertinæ ante septingentos annos exarati confirmatur, qui Vulgatam cum iisdem Hieronymianis notis, et sub hac inscriptione comprehendit, *Liber Psalmorum de translatione Septuaginta interpretum, emendatum a sancto Hieronymo in novo*

(forte, *de novo*). Comprobatur denique testimonio Valafridi Strabonis, cujus nos infra locum sumus exhibituri.

Verum illud forsan minus exploratum est, sed nostro judicio sua non caret verisimilitudine, nimirum eamdem hanc nostram Vulgatam potuisse ab Hieronymo epistola 135 dici Traductionem ex Hexaplis a se editam, quod illam eisdem exemplaribus consentientem effecisset; epistola vero Paulæ et Eustochio scripta Versionem tantummodo correctam, quod antiquæ verba, quantum in ipso fuerat, retinuisset. Inter alias rationes, quæ nos eo impellunt, hæc est, quod videlicet ii loci, quos Hieronymus post factam mentionem versionis suæ ex Hexaplis defendere aggreditur, in manuscriptis Vulgatæ codicibus reperiuntur. Nam etsi eadem Vulgata in Bibliis excusis habeat, verbi gratia, hanc in psalmo quinto, ỷ. 9, lectionem, *Dirige in conspectu tuo viam meam*, quæ Hieronymo non probatur : attamen in MSS. illam ostendit, quam secundum LXX Interpretes legendam astruit idem Doctor, nempe, *Dirige in conspectu meo viam tuam*. Haud secus existima de voce *terræ*, quam idcirco e ỷ. 5 psalmi XLVII et e ỷ. II psal. LXXI abs se deletam scribit, quia neque in hebræo legitur neque in LXX, quæ vox pariter in Vulgatæ manu exaratis codicibus non reperitur. Et contra exstat in iis vox *suam*, quam in Hexaplis sub veru additam cum Hieronymus reperisset in ỷ. 6 psalmi XVIII, servandam existimavit.

Forte etiam contigerit ut ea Versio, cujus certi loci Sunniæ et Fretelæ, qui degebant in Germania, negotium facessebant, jam inde ab his temporibus in Gallias pervenerit : quamvis, si quibusdam habeatur fides, eo non nisi post annos amplius 150 ex Urbe perlata sit. Illud testatur Valafridus Strabo de rebus Ecclesiasticis cap. 25 in hæc verba : *Psalmos autem cum secundum LXX Interpretes Romani adhuc habeant, Galli et Germanorum aliqui secundum emendationem, quam Hieronymus pater de LXX editione composuit, Psalterium cantant; quam Gregorius Turonensis episcopus a partibus Romanis mutuatam, in Galliarum dicitur Ecclesias transtulisse.* Hocce Psalterium, quod, quia illo primi omnium Galli usi sunt, Gallicanum vocatur, sensim in omnes occidentales Ecclesias fuit receptum. Vir eximiæ eruditionis ac piæ memoriæ, Cardinalis Bona, de rebus Liturgicis lib. 2, cap. 3, censet ejus usum ante annos abhinc sexcentos admissum in Italia fuisse, præterquam in Mediolanensi Ecclesia, quæ antiquum suum Psalterium hodieque retinet; præterquam etiam in Urbis Ecclesiis in quibus proprium suum obtinuit ad ætatem usque [illegible], cujus jussu illæ Vulgatam editionem amplexæ sunt, excepta una Vaticana, ubi etiam nunc Romanum canitur Psalterium.

His ad eum modum expositis erit forsitan qui nosse cupiat quem locum inter alia Psalteria Augustinianum sibi vindicet; an variæ illæ lectiones, in quibus a Vulgata nostra dissidet, aliorum suffragio innitantur; utrum tandem cum græco LXX Interpretum, quod nostra hac memoria exstat, plus minusve censentiat. Ea sunt quæ nobis induxere in animum, ut exemplaria diversa, tum prelo, tum calamo edita conferremus, ac varietates maxime insignes, quas deprehendimus, lectori proponeremus. Eas igitur infra habituri estis, cum locum unum præmiserimus e libro 17 de Civitate Dei, ubi Augustinus, quæ sua sit de Psalterio Davidico sententia, expromit.

EX LIBRO XVII DE CIVITATE DEI, CAP. XIV,

DE PSALMORUM AUCTORE.

Erat David vir in canticis eruditus, qui harmoniam musicam non vulgari voluptate, sed fideli voluntate dilexerit; eaque Deo suo, qui verus est Deus, mystica rei magnæ figuratione servierit. Diversorum enim sonorum rationabilis moderatusque concentus, concordi varietate compactam bene ordinatæ civitatis insinuat unitatem. Denique omnis fere prophetia ejus in Psalmis est : quos centum quinquaginta liber continet, quem Psalmorum vocamus : in quibus nonnulli volunt, eos solos factos esse a David, qui ejus nomine inscripti sunt : sunt etiam qui putant non ab eo factos, nisi qui prænotantur, Ipsius David; *qui vero habent in titulis,* Ipsi David, *ab aliis factos, personæ ipsius fuisse coaptatos. Quæ opinio voce evangelica Salvatoris ipsius refutatur, ubi ait, quod ipse David in Spiritu Christum dixerit esse suum Dominum* (*Matth.* XXII, 43) : *quoniam psalmus centesimus nonus sic incipit :* Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *Et certe idem psalmus non habet in titulo,* Ipsius David; *sed* Ipsi David, *sicut plurimi. Mihi autem credibilius videntur existimare, qui omnes illos centum quinquaginta Psalmos ejus operi tribuunt, eumque aliquos prænotasse etiam nominibus aliorum, aliquid quod ad rem pertineat figurantibus : cæteros autem nullius hominis nomen in titulis habere voluisse; sicut ei varietatis hujus dispositionem, quamvis latebrosam, non tamen inanem, Dominus inspiravit. Nec movere debet ad hoc non credendum, quod nonnullorum nomina Prophetarum, qui longe post David regis tempora fuerunt, quibusdam psalmis in eo libro leguntur inscripta, et quæ ibi dicuntur, velut ab eis dici videntur. Neque enim non potuit propheticus Spiritus prophetanti regi David hæc etiam futurorum Prophetarum nomina revelare, ut aliquid quod eorum personæ conveniret, prophetice cantaretur : sicut rex Josias exorturus et regnaturus post annos amplius quam trecentos, cuidam prophetæ, qui etiam facta ejus futura prædixit, cum suo nomine revelatus est.*

LOCA EX PSALMIS.

In quibus ab editione Vulgata distant Augustinus in subsequenti opere, et Latina quædam, quæ cum Augustino passim græcæ interpretationi LXX pressius insistunt, Psalteria vetera, ea præsertim quæ in celeberrimis Ecclesiis decantantur a primis temporibus : scilicet Romanum, pro usu Cleri basilicæ Vaticanæ, excusum Romæ an. 1663; Romanum item in Quincuplici Psalterio cura Jac. Fabri Stapulensis impressum in Parisiensi S. Germani cœnobio an. 1509; Mediolanense, juxta morem Ambrosianæ Mediolanensis Ecclesiæ, typis editum Mediolani an 1555; Germanense manu descriptum, quo codice B. ipse Germanus Parisiorum episcopus, dum viveret, usus fuisse traditur; Hilarianum et Ambrosianum, id est Psalterium quod in suis Commentariis sequitur Hilarius et Ambrosius; Vetus denique versio quæ sub hacce inscriptione, *Secundum Græcum*, tertiam columnam occupat in S. Petri Carnutensis Psalterio tripartito, ubi columnam primam tenet interpretatio secundum hebræum, mediam Vulgata.

Quibus ex libris varietates insigniores, imo eas omnes, e quarum notatione aut Augustiniano Psalterio robur accessurum, aut nonnihil demum emolumenti emersurum esse videbatur, edendas curavimus.

Ad hæc annotantur quædam in ipsamet Vulgata editione lectiones variantes, excerptæ ex prædicto Carnutensi libro ante annos 700 *descripto, et ex ejusdem ætatis MS. Colbertino Vulgatam continente sub hoc titulo,* Liber Psalmorum de translatione Septuaginta interpretum, emendatum a sancto Hieronymo presbytero in novo; *item ex Germanensi altero annos prope septingentos præferente, necnon ex Gallicano Quincuplicis Psalterii impressi an.* 1509, *ubi sub istius Gallicani Psalterii nomine repræsentatur editio Vulgata.*

CHARACTERES LIBRORUM.

Gr. designat Psalterium Græcum secundum LXX, ad Romanæ editionis exemplar excusum Parisiis an. 1628.
A. notat Augustini Psalterium.
R. Romanum usitatum, seu excusum an. 1663.
Rom. Romanum in Quincuplici Psalterio editum an. 1508.
M. Mediolanense Psalterium.
Amb Psalterium a B. Ambrosio expositum.
G. Germanense primum, id est, S. Germano, ut fertur, usitatum.
H. Psalterium illustratum ab Hilario.
C Carnutense, cui inscriptio *Secundum Græcum*.
Hebr. Hieronymi Psalterium ex hebræo, præferendum hic in iis ad minus locis in quibus favet antiquæ Versioni.
Vulg. Editionem Vulgatam indicat, quæ nunc in Bibliis Sixti V, sive Clementis VIII, auctoritate castigatis legitur. Hujus Editionis textus primo hic loco semper exhibetur.
Car. signat Carnutense Psalterium juxta Vulgatam.
Colb. Colbertinum.
Ger. Germanense alterum.
Gal. Gallicanum in Quincuplici Psalterio editum an. 1509.

EX PSALMO I.

℣. 2. Vulgata in editis Bibliis, *voluntas ejus*. Psalteria A. R. Rom. M. H. C. *fuit voluntas ejus*.

℣. 5. *non resurgent*. A. Rom. Amb. H. C. *non resurgunt*. Et sic habebat Vulgata in MSS. Car. Colb. Ger. Gal.

EX PSALMO II.

Psalmus in Vulg. titulo caret. At in Rom. C. Car. Colb. inscribitur, *Psalmus David*. In G. et Gal. *In finem Psalmus ipsi David*.

℣. 10. *qui judicatis terram*. A. R. Rom. M. juxta Gr. *omnes qui judicatis terram*.

EX PSALMO III.

In Gr. Rom. G. C. et Car. proxime ad ℣. 4, et rursum ad ℣. 6, præfigitur, *Diapsalma :* in Gal. utroque loco, *Semper :* neutrum habetur in Vulg. Porro idem verbum in aliis itidem Psalmis toties MSS. codices exhibent, quoties Græca editio Romana impressa Parisiis an. 1628.

℣. 6. *et soporatus sum*. A. R. Rom. C. *et somnum cepi*. Gr., καὶ ὕπνωσα. Psalterium M. *et quievi*.

Item ℣. 6. *suscepit me*. A. C. *suscipiet me :* juxta Gr., ἀντιλήψεταί μου. G. *suscipit me*.

EX PSALMO IV.

℣. 2. *Cum invocarem, exaudivit me*. R. Rom. M. G. C. *Cum invocarem te, exaudisti me*.

℣. 4. *mirificavit*. A. *admirabilem fecit*. R. G. C. *magnificavit*.

℣. 5. *quæ dicitis in cordibus vestris*. G. C. *dicite in cordibus vestris :* omisso, *quæ*.

Item ℣. 5. *in cubilibus vestris*. R. Rom. G. C. Colb. Gal. *et in cubilibus vestris*.

Item ℣. 5. *compungimini*. Notat Aug. nonnullis videri legendum *aperimini*, quia in Gr. legebant, κατανοίγατε, pro κατανύγητε.

℣. 8. *A fructu frumenti*. A. R. Rom. M. G. C. *A tempore frumenti*. Hebr. *In tempore frumentum et vinum eorum multiplicata sunt*.

℣. 9. *et requiescam*. A. *et somnum capiam*. Gr., καὶ ὑπνώσω.

℣. 10. *constituisti me*. A. *habitare fecisti me*.

EX PSALMO V.

℣. 1. *pro ea, quæ hæreditatem consequitur*. G. *Pro his qui hæreditabunt*. Gr., ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης. C. *pro hæreditate*.

℣. 2. *auribus percipe Domine*. A. *exaudi Domine*.

℣. 9. *dirige in conspectu tuo viam meam*. At in MSS. Car. Colb. Ger. habebat Vulgata, *dirige in conspectu meo viam tuam*. Hanc lectionem veriorem esse, alteram autem nec in Septuaginta nec in Hebræo haberi docet Hieronymus in epist. 135, ad Sunniam.

℣. 11. *a cogitationibus suis*. M. *a consiliis suis*. Et sic Hebr. In Gr. vox est, διαβουλιῶν.

Item ℣. 11. *irritaverunt te*. A. *inamaricaverunt te*. R. Rom. M. C. *exacerbaverunt te*. Gr., παρεπίκρανάν σε.

℣. 13. *benedices justo*. R. Rom. M. G. C. *benedicis justum*.

EX PSALMO VI.

℣. 2. *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua*. A. R. Rom. M. G. C. *ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo*. Gr. priori loco habet τῷ θυμῷ, posteriori, τῇ ὀργῇ. Eadem est varietas in Psal. XXXVII, ℣. 2.

℣. 4. *sed tu Domine*. A. R. Rom. M. G. C. Car. Colb. Ger. Gal. juxta Gr. *et tu Domine*. Sic etiam Hebr.

℣. 8. *a furore*. A. *ab ira*. R. Rom. M. G. C. *præ ira*. Gr., ἀπὸ θυμοῦ.

Item ℣. 11. *convertantur*. R. Rom. M. C. *avertantur retrorsum*.

EX PSALMO VII.

℣. 5. *accidam merito*. A. *decidam ergo* : juxta Gr. ἄρα.
℣. 6. *Persequatur inimicus*. A. juxta Gr. *Persequatur ergo inimicus*.
℣. 8. *in altum regredere*. G. *in altum convertere*. Gr. ἐπίστρεψον.
℣. 9. *Dominus judicat populos*. R. Rom. C. *Domine, judica populos*. Gr. κρινεῖ.
Item ℣. 9. *Judica me*. G. *Salvum fac me*.
Item ℣. 9. *et secundum innocentiam meam*. R. Rom. M. *et secundum innocentiam manuum mearum*.
℣. 10. *Consumetur nequitia*. A. *Consummetur autem nequitia*. M. G. *Consummetur vero nequitia*. R. C. *Consummetur nequitia*. Gr. συντελεσθήτω δὴ πονηρία.
Item ℣. 10. *et diriges justum*. R. Rom. *et dirige justum*.
℣. 12. *numquid irascitur*. G. C. Car. Ger. *numquid irascetur*. A. M. *non iram adducens*. Gr. μὴ ὀργὴν ἐπάγων.
℣. 13. *gladium suum vibrabit*. Observat Augustinus esse in aliis exemplaribus, *frameam suam splendificabit*.
℣. 14. *ardentibus effecit*. A. *ardentibus operatus est*. C. *ardentes operatus est* : et hoc Latina pleraque habere dicit Augustinus. Hebr. *ad comburendum operatus est*.
℣. 15. *concepit dolorem*. A. *concepit laborem*. Gr. πόνον.
℣. 16. *et incidit*. A. *incidet ergo*. R. *et incidet*. Gr. καὶ ἐμπεσεῖται.
℣. 17. *dolor ejus*. A. *labor ejus*. Gr. πόνος.

EX PSALMO VIII.

℣. 2. *nomen tuum*. G. *regnum tuum*.
℣. 3. *et ultorem*. A. R. Rom. M. G. C. *et defensorem*. Augustinus in Psal. CII, n. 14, dicit verius esse quod legitur in aliis codicibus, *vindicatorem*, id est eum qui se voluit vindicare.
℣. 4. *cœlos tuos*. Vox *tuos* abest a R. Rom. M. G. C. Gr. et ab A. in MSS.

EX PSALMO IX.

℣. 4. *In convertendo inimicum meum*. M. *Dum avertatur inimicus meus*.
℣. 5. *sedisti*. C. *sedens*. R. Rom. G. *sedes*.
℣. 7. *et civitates eorum destruxisti*. Abest *eorum* ab A. G. Gr. et a Vulgata in MSS. Car. Colb. Ger.
℣. 9. *judicabit populos in justitia*. A. R. Rom. G. C. *judicabit populos cum justitia*. Gr. ἐν εὐθύτητι, *in rectitudine*.
℣. 11. *non dereliquisti*. R. Rom. Ger. *non derelinquis*. C. *non derelinques*.
℣. 12. *studia ejus*. A. R. Rom. C. *mirabilia ejus*. G. *voluntates ejus*. Hebr. *cogitationes ejus*.
℣. 13. *clamorem pauperum*. R. *orationis pauperum*. Rom. *orationes*, etc. G. C. *orationem*, etc. Gr. τῆς δεήσεως.
℣. 16. *in interitu quem*, etc. A. *in corruptione quam*, etc.
℣. 17. *Cognoscetur Dominus*. A. M. G. C. *Cognoscitur Dominus*. Gr. γινώσκεται.
Ad ℣. 18, præfigitur apud A. G. C. juxta Gr. *Canticum diapsalmatis* : quod Vulgata non habet in editis, sed habet in MS. Car.
℣. 20. *non confortetur*. A. R. Rom. C. *non prævaleat*. Gr. μὴ κραταιούσθω.
℣. 21. *Ut sciant gentes*. Particula *ut* abest ab A. G. C. Gal. et a Gr.

EX PSALMO ALTERO IX.

℣. 4. *Exacerbavit Dominum*. A. R. Rom. M. G. C. *Irritavit Dominum*. Gr. παρώξυνε : quod verbum habetur rursus infra in ℣. 13, ubi Latina omnia, *Irritavit*.
℣. 5. *inquinatæ sunt*. A. M. *contaminantur*. R. Rom. C. *polluuntur*. Gr. βεβηλοῦνται.
℣. 10. *humiliabit eum*. G. *affligtabit eum*.
Item ℣. 10. *inclinabit se*. A. *inclinabitur*.
Item ℣. 10. *cum dominatus fuerit*. A. R. Rom. M. G. C. *dum dominabitur*.
℣. 12. *ne obliviscaris pauperum*. A. R. Rom. M. G. C. *ne obliviscaris pauperum in finem*.
℣. 14. *laborem et dolorem consideras*. A. *laborem et iram consideras*. Gr. καὶ θυμόν.
℣. 15. *Contere brachium*. R. Rom. *Conteres brachium*.
℣. 17. *exaudivit Dominus*. M. *exaudisti, Domine*.
Item ℣. 17. *præparationem cordis*. R. Rom. *desideria cordis*. G. C. *desiderium cordis*. M. *præparationes cordis*.

EX PSALMO X.

℣. 2. *quomodo dicitis*. G. *quomodo dicetis*. Gr. ἐρεῖτε.
Item ℣. 2. *Transmigra in montem*. A. *Transmigra in montes*. Gr. ἐπὶ τὰ ὄρη.
℣. 3. *ut sagittent in obscuro*. A. *ut sagittent in obscura luna*. Gr. ἐν σκοτομήνῃ.

EX PSALMO XI.

℣. 3. *locuti sunt*. A. R. Rom. M. G. C. *locuti sunt mala*.
℣. 6. *in salutari*. M. *in salutari tuo*. G. C. *super salutare*. R. *super salutare meum*. Rom. *in salutare meum*.
℣. 7. *probatum terræ*. Vox *probatum* deest in A. R. Rom. C. At ejus loco in Gr. est, δοκίμιον. In Hebr. *separatum a terra*.
℣. 8. *In æternum*. M. G. juxta Gr. *et in æternum*.

EX PSALMO XII.

℣. 4. *respice*. G. *convertere*. In Gr. est ἐπίβλεψον : forte pro ἐπίστρεψον. Nam Hebr. habet, *Convertere*.
Item ℣. 4. *in morte*. G. C. *in mortem*. Gr. εἰς θάνατον.
℣. 6. *speravi*. R. Rom. M. C. *sperabo*. G. *spero*. Hebr. *confido*.
Item ℣. 6. *in salutari tuo*. G. *in salute tua*.
Item ℣. 6. *nomini Domini altissimi*. Rom. G. C. *nomini tuo, Altissime*.

EX PSALMO XIII.

℣. 1. *corrupti sunt*. Gr. διέφθειραν, *corruperunt*.
Item ℣. 1. *in studiis suis*. R. Rom. M. G. C. *in voluntatibus suis*. A. *in affectionibus suis*. Vox *suis* a Gr. abest.
℣. 4. *sicut escam panis* in plerisque MSS. A. *in cibo panis*. Gr. βρώσει ἄρτου, absque præpositione *in*.
℣. 7. *cum averterit*. M. *in convertendo*.
Item ℣. 7. *exsultabit Jacob, et lætabitur Israel*. R. Rom. M. G. C. *lætetur Jacob, et exsultet Israel*. Favet Gr.

EX PSALMO XIV

℣. 1. *quis habitabit*. A. *quis peregrinabitur*. Et sic Hebr.
℣. 3. *adversus proximos suos*. A. R. Rom. M. G. *adversus proximum suum*. Hebr. *super vicino suo*.

EX PSALMO XV.

℣. 5. *qui restitues*. R. Rom. M. G. C. *qui restituisti*. Gr. ὁ ἀποκαθιστῶν.
℣. 7. *increpuerunt me*. A. *emendaverunt me*. Gr. ἐπαίδευσάν με. Hebr. *erudierunt me*.
℣. 10. *in inferno*. A. G. C. *in infernum*. Gr. εἰς ᾅδην.

EX PSALMO XVI.

℣. 2. *oculi tui videant æquitates*. A. R. Rom. M. G. juxta Gr. *oculi mei videant*. A. R. Rom. M. *æquitatem*.
℣. 5. *Perfice gressus meos*. A. *Ad perficiendos gressus meos*. Varietas orta ex ambiguo Græco κατάρτισαι, vel mutato accentu καταρτίσαι. Hebr. *Sustenta gressus meos*.
℣. 7. *sperantes in te*. G. *rectos corde*.
℣. 8. *Sub umbra*. A. *In tegmine*. Gr. ἐν σκέπῃ.
℣. 13. *præveni eum et supplanta eum*. A. R. Rom. M. G. *præveni eos et subverte eos*.
Item ℣. 13. *ab impio*. A. *ab impiis*.
Item ℣. 13 et 14. *frameam tuam ab inimicis manus tuæ*. R. Rom. *frameam inimicorum de manu tua*. G. *frameam tuam de manu inimicorum*.
Item ℣. 14. *Domine a paucis de terra divide eos*. A. *Domine perdens* (juxta Gr. ἀπολύων) *de terra dispertire eos*. R. Rom. G. C. *Domine a paucis a terra dispertire eos, et supplanta eos*.
Item ℣. 14. *Saturati sunt filiis*. A. R. Rom. C. *Satu-*

rati sunt porcina. G. *Saturati sunt suilla.* M *Saturati sunt filii eorum.* Diversam interpretationem ex Græco evenisse notat Augustinus, cum in aliis libris esset υἱῶν *filiis :* in aliis ὑείων *porcina*, uti hodie in Gr. legitur. Hebr. habet, *filiis.*

℣. 15. *in justitia apparebo conspectui tuo.* R. Rom. M. G. C. *cum justitia apparebo in conspectu tuo.*

Item ℣. 15. *cum apparuerit.* A. R. Rom. G. C. *dum manifestabitur.* M. *dum manifestabitur mihi.*

EX PSALMO XVII.

℣. 1. *qui locutus est.* A. Rom. G. C. juxta Gr. *quæ locutus est.* Et sic vulgata in Car. Ger.

℣. 3. *et susceptor meus.* R. Rom. G. C. *adjutor meus :* omisso *et.* A. *et redemptor meus.*

℣. 5. *dolores mortis.* R. Rom. M. G. C. *gemitus mortis.*

℣. 6. *præoccupaverunt me.* A. R. Rom. M. G. C. *prævenerunt me.* Gr. προέφθασάν με, ut rursus postea in ℣. 19.

℣. 9. *exarsit.* A. R. Rom. M. G. *exardescit.* C. *exardescet.*

℣. 13. *in conspectu ejus nubes transierunt.* A. *in conspectu ejus nubes ipsius transierunt.*

℣. 14. *grando et carbones ignis.* Isthæc verba absunt hoc loco ab A. R. Rom. M. G. C. et a Gr.

℣. 18. *confortati sunt.* G. *confirmati sunt.* Gr. ἐστερεώθησαν.

℣. 19. *protector meus.* A. *firmamentum meum.* Et sic Hebr. Gr. ἀντιστήριγμά μου.

℣. 20. *salvum me fecit.* G. C. *salvum me faciet.* Gr. ῥύσεταί με.

Item ℣. 20. post *quoniam voluit me*, additur in codice quidem G. *Liberavit me de inimicis meis potentissimis et ab his qui oderunt me gratis.* In libro autem C. *Et eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me.* Simile additamentum habuisse credas Psalterium A. Vide infra, col. 150, n. 20.

℣. 23. *in conspectu meo.* R. Rom. M. *in conspectu meo sunt semper.*

Item ℣. 23. *et justitias ejus non repuli a me.* Gr. *et justitiæ ejus* (οὐκ ἀπέστησαν) *non recesserunt a me.*

℣. 27. *perverteris.* A. *perversus eris.* R. Rom. M. G. *subverteris.*

℣. 29. *tu illuminas.* A. *tu illuminabis.*

Item ℣. 29. *illumina.* A. *illuminabis.* Gr. hoc et præcedenti loco, φωτιεῖς.

℣. 30. *Quoniam in te eripiar.* A. *Quoniam a te eruar.*

℣. 34. *tanquam cervorum.* A. R. Rom. M. G. C. juxta Gr. *tanquam cervi.*

Item. ℣. 34. *statuit me.* A. *statuet me.*

℣. 36. *protectionem salutis tuæ.* A. juxta Gr. *protectionem salutis meæ.*

Item ℣. 36. *Et disciplina tua correxit me in finem.* Ista pars ℣. 36 omittitur in R. Rom. G. C. At apud A. legitur, *Et disciplina tua me direxit in finem.* Gr. ἀνώρθωσέ με. M. *stabilivit me.*

℣. 39. *Confringam illos.* R. Rom. et C. antiqua manu correctum, *Affligam illos.* G. *Confligam.* Gr ἐκθλίψω

℣. 40. *et supplantasti.* R. Rom. M. C. juxta Gr. *supplantasti omnes :* omissa particula *et*, quæ abest quoque ab A. G. Car. Ger. et Hebr.

℣. 41. *Et inimicos meos.* R. Rom. G. *Et inimicorum meorum.*

℣. 43. *ante faciem venti.* A. *juxta faciem venti.* Gr. κατά.

℣. 48. *qui das vindictas mihi, et subdis.* R. Rom. M. G. C. *qui das vindictam mihi, et subdidisti.* Gr. ὑποτάξας.

Item ℣. 48. *liberator meus de inimicis meis iracundis.* R. Rom. G. C. *liberator meus Dominus de gentibus iracundis.* Sic etiam M. omisso tantum *Dominus.*

℣. 51. *Magnificans salutes.* R. Rom. *Magnificans salutare.* G. *salutarem.* M. *salutaria.* C. *salutem.*

EX PSALMO XVIII.

℣. 6. *ad currendam viam.* Vulgata in Car. Colb. Ger. addit *suam.* Vide Hieron. epist. 135.

℣. 8. *Lex Domini immaculata.* R. Rom. M. G. C. *Lex Domini irreprehensibilis.*

℣. 10. *Timor Domini sanctus.* A. *timor Domini castus.* Gr. ἁγνός. Hebr. *mundus.*

Item ℣. 10. *permanens.* R. Rom. M. *permanet.*

Item ℣. 10. *in semetipsa.* A. *in idipsum.* Gr. ἐπὶ τὸ αὐτό.

℣. 14. *Si mei non fuerint dominati.* A. *Si mei non fuerint dominata.*

EX PSALMO XIX.

℣. 3. *tueatur te.* M. C. *suscipiat te.* Gr. ἀντιλάβοιτό σου. Hebr. *roboret te.*

℣. 5. *Tribuat tibi.* A. R. Rom. M. G. *tribuat tibi Dominus.*

Item ℣. 5. *consilium tuum confirmet.* A. *consilium tuum compleat.* Gr. πληρώσαι, ut postea in ℣. 7. Hebr. *voluntatem tuam impleat.*

℣. 6. *et in nomine Dei nostri.* A. R. *et in nomine Domini Dei nostri.*

℣. 7. *salvum fecit.* R. Rom. G. C. *salvum faciet.* Et sic A. in melioribus MSS.

℣. 8. *Dei nostri invocabimus.* A. *Dei nostri exsultabimus.* R Rom. G. C. *magnificabimur*, juxta Gr. μεγαλυνθησόμεθα, ut supra in ℣. 6.

℣. 10. *in die qua.* M. G. *in quacumque die.*

EX PSALMO XX.

℣. 3. *Desiderium cordis ejus.* A. R. Rom. C. *Desiderium animæ ejus.*

Item ℣. 3. *et voluntate.* Gr. δέησιν, *petitione ;* pro θελήσειν, *voluntate.*

Item ℣. 3. *non fraudasti eum.* A. *non privasti eum.*

℣. 6. *in salutari tuo.* A. G. C. *in salute tua.*

℣. 7. *Dabis eum in benedictionem.* A. juxta Gr. *dabis ei benedictionem.*

Item ℣. 7. *in gaudio cum vultu tuo.* G. *cum gaudio vultus tui.*

℣. 10. *In tempore vultus tui.* G. *In tempore vultus tui consummabis eos.*

℣. 13. *præparabis.* R. *præparare.*

EX PSALMO XXI.

℣. 1. *verba delictorum meorum.* G. *verba labiorum meorum.* Hebr. *verba rugitus mei.*

℣. 11. *In te projectus sum.* A. primo habet, *In te confirmatus sum :* et post cum R. Rom. C. *jactatus sum.*

℣. 15. *Sicut aqua effusus sum.* R. Rom. M. Amb G. *Sicut aqua effusa sunt.*

℣. 16. *et in pulverem.* C. *et in limum.*

Item ℣. 16. *deduxisti me.* Rom. G. C. *deduxerunt me.*

℣. 20. *auxilium tuum a me.* C. Colb. Ger. non habent, *a me :* pro quo Hieron. in epist. 135, legi vult, *mecum.* Gr. habet, *auxilium meum.*

℣. 21. *Erue a framea Deus.* Vox *Deus* abest ab A. R. Rom. M. G. C. Car. Colb. Ger. Gal. et a Gr.

℣. 26. *Apud te laus mea.* R. Rom. M. *Apud te laus mihi.* Amb. *a te.* Gr. παρὰ σοῦ.

Item ℣. 26. *in Ecclesia magna, vota*, etc. A. Amb. *in Ecclesia magna confitebor tibi, vota*, etc.

℣. 28. *universæ familiæ gentium.* A. R. Rom. M. G. C. *omnes patriæ gentium.*

℣. 30 *pingues terræ.* A. R. Rom. M. G. C. *divites terræ.*

Item ℣. 30. *cadent.* A. R. Rom. M. G. C. *procident.*

℣. 32. *et annuntiabunt cœli.* Vox *cœli* abest a Gr. G. Car. Ger. Gal. necnon ab Amb. in quo legitur, *annuntiabit.*

EX PSALMO XXII.

℣. 1. *Dominus regit me.* A. *Dominus pascit me :* juxta Gr. ποιμαίνει με. Sic etiam Hebr.

℣. 3. *super semitas.* A. *in semitis.* Hebr. *per semitas.*

℣. 5. *et calix meus.* A. R. Rom. M. G. C. juxta Gr. *et poculum tuum.* Hanc lectionem improbat, et ex Communi seu Luciani Græca editione manasse docet Hieron. in epist. 135.

℣. 6. *subsequetur me.* R. M. *subsequatur me.* Rom. *subsequitur me.*

EX PSALMO XXIII.

℣. 1. *prima sabbati*. Gr. τῆς μιᾶς, *una sabbati*.

Item ℣. 1. *qui habitant in eo* A. R. Rom. G. *qui habitant in ea*. Interpres Græcum secutus est, ἐν αὐτῇ, quod genere concordat cum nomine præcedente οἰκουμένη.

℣. 2. *Quia ipse*. Vox *Quia* abest ab A. R. Rom. M. G. C. et a Gr.

℣. 7 et 9. *principes vestras*. A. G. *principes vestri*. Gr. ὑμῶν.

EX PSALMO XXIV.

℣. 1. *In finem*. Id abest a C. Car. Gal. Gr. et ab Hebr.

℣. 3. *qui sustinent te*. A. R. Rom. M. G. C. *qui te exspectant*. Hebr. *qui sperant in te*.

℣. 4. *omnes iniqua agentes supervacue*. A. *inique facientes vana*. R. *iniqua facientes vane*. Rom. C. *iniqui facientes vana*. M. *iniqua gerentes supervacue*. Et abest vox *omnes* ab A. R. Rom. M. G. C. Gr. Hebr.

℣. 5. *Dirige me in veritate tua*. Gr. sonat, *Deduc me in veritatem tuam*.

℣. 6. *et misericordiarum tuarum quæ a sæculo sunt*. A. G. juxta Gr. *et quia misericordiæ tuæ a sæculo sunt*.

℣. 7. *et ignorantias meas*. A. R. Rom. G. C. *et ignorantiæ meæ*.

Item ℣. 7. *secundum misericordiam tuam*. R. Rom. *secundum magnam misericordiam tuam*.

℣. 8. *legem dabit*. A. M. *legem statuet*. R. Rom. G. C. *statuit*.

℣. 12. *qui timet Dominum*. A. R. Rom. M. G. *qui timeat Dominum*.

Item ℣. 12. *legem statuit*. A. M. juxta Gr. *legem statuet*.

℣. 17. *multiplicatæ sunt*. R. Rom. G. *dilatatæ sunt*.

℣. 20. *speravi in te*. R. Rom. *invocavi te*.

℣. 21. *sustinui te*. A. R. Rom. M. C. juxta Gr. *sustinui te, Domine*. G. *custodivi te*.

℣. 22. *Libera Deus Israel*. A. M. et Hebr. *Redime Deus Israel*. Gr. λύτρωσαι. At R. Rom. G. C. *Redime me Deus Israel*.

Item ℣. 22. *tribulationibus suis*. R. Rom. G. C. *angustiis meis*. M. *angustiis ejus*.

EX PSALMO XXV.

℣. 1. et 11. *ingressus sum*. A. *ambulavi*. Gr. ἐπορεύθην.

Item ℣. 1. *sperans non infirmabor*. A. *sperans non movebor*. G. *confidens non erubescam*. Gr. οὐ μὴ σαλευθῶ. Hebr. *non deficiam*.

℣. 5. *ecclesiam malignantium*. A. R. Rom. C. *congregationem malignorum*.

℣. 7. *vocem laudis*. A. R. Rom. M. C. *vocem laudis tuæ*.

℣. 8. *et locum habitationis*. R. Rom. *et locum tabernaculi*. Et sic Hebr. In Gr. est σκηνώματος.

℣. 12. *stetit in directo*. A. juxta Gr. *stetit in rectitudine*. R. Rom. M. G. C. *in via recta*.

EX PSALMO XXVI.

℣. 1. *et salus mea*. A. *et salutaris meus*.

℣. 3. *in hoc ego sperabo*. A. C. juxta Gr. *in hac ego sperabo*.

℣. 4. *Ut videam voluptatem Domini*. A. *Ut contempler delectationem Domini*. R. Rom. G. C. *voluntatem*. Hebr. *pulchritudinem*. Gr. τὴν τερπνότητα.

Item ℣. 4. *et visitem templum ejus*. A. *et protegar templum ejus*. R. Rom. *et protegar a templo sancto ejus*. G. C. *et protegi templum ejus*. Gr. καὶ ἐπισκέπτεσθαι τὸν ναὸν αὐτοῦ. Hieron. ex Hebr. *et attendam templum ejus*.

℣. 5. *in die malorum*. A. M. juxta Gr. addunt, *meorum*.

℣. 6. *et nunc exaltavit*. A. M. juxta Gr. *et nunc ecce exaltavit*. R. Rom. G. *nunc autem exaltavit*.

Item ℣. 6. *Circuivi et immolavi*. R. Rom. *Circuibo, et immolabo*.

Item ℣. 6. *hostiam vociferationis*. A. R. Rom. M. G. C. *hostiam jubilationis*. Hebr. *hostias jubili*. Gr. ἀλαλαγμοῦ.

℣. 8. *Exquisivit te facies mea*. A. R. Rom. C. juxta Gr. *Quæsivi vultum tuum*. G. *Quæsivi faciem tuam*. M. *Dominum requiram, exquisivit te vultus meus*.

℣. 11. *in semitam rectam* A. G. C. juxta Gr. *in semita recta*. Sic habebat Vulgata in Car. Colb. Ger. Gal.

℣. 12. *in animas*. G. *in manus*. C. *in manibus*.

EX PSALMO XXVII.

℣. 1. *Psalmus ipsi David*. A. juxta Gr. *Ipsius David*. Car. Gal. *Huic David*.

Item ℣. 1. *clamabo*. A. G. C. juxta Gr. *clamavi*.

Item ℣. 1. *ne sileas a me*. Gr. sonat, *super me*.

Item ℣. 1. *nequando taceas a me*. Id omittitur in R. Rom. G. C.

℣. 2. *Exaudi Domine*. Abest *Domine* a R. Rom. Gr. Hebr. et ab A. in MSS.

℣. 3. *Ne simul trahas me cum peccatoribus*. A. juxta Gr. *Ne simul trahas cum peccatoribus animam meam*. R. Rom. M. C. *tradas me*. Et sic Vulgata in Car. Colb. Ger. Gal. mendose.

℣. 4. *et secundum nequitiam adinventionum ipsorum*. A. in melioribus MSS. *et secundum malignitatem affectationum ipsorum*. M. G. C. *studiorum ipsorum*. Sic etiam R. Rom. sed hi duo libri proxime subjungunt *retribue illis*, omisso *secundum opera manuum eorum*.

℣. 5. *opera Domini*. A. Rom. C. juxta Gr. *in opera Domini*. G. *in operam*.

Item ℣. 5. *manuum ejus*. R. Rom. G. C. addunt, *non consideraverunt*.

Item ℣. 5. *destrues illos*. R. Rom. G. *destrue illos*.

Item ℣. 5. *et non ædificabis*. G. *et ne ædifices*.

℣. 7. *et adjutus sum*. M. *et adjutum est*.

℣. 8. *salvationum*. A. R. Rom. M. G. C. et Hebr. *salutarium*.

℣. 9. *et rege* Gr. καὶ ποίμανον, *et pasce*. Et sic Hebr.

EX PSALMO XXVIII.

℣. 2. *in atrio sancto ejus*. A. R. Rom. G. C. *in aula sancta ejus*. Gr. ἐν αὐλῇ.

℣. 9. *præparantis cervos*. A. M *perficientis cervos*. Gr. καταρτιζομένου. Hebr. *obstetricans cervis*.

Item ℣. 9. *condensa*. A. *silvas*. Gr. δρυμούς. Hebr. *saltus*.

Item ℣. 9. *omnes dicent*. A. *unusquisque dicit*.

℣. 10. *inhabitare facit*. A. R. Rom. M. G. C. *inhabitat*. Gr. κατοικιεῖ, futuri temporis.

EX PSALMO XXIX.

℣. 1. *Psalmus cantici*. A. G. C. juxta Gr. *In finem Psalmus cantici*.

Item. ℣. 1. *domus David*. A. *domus ipsi David*. Gr. τῷ Δαυίδ.

℣. 4. *eduxisti ab inferno*. A. *reduxisti ab inferis*. Gr. ἀνήγαγες. R. Rom. C. *abstraxisti ab inferis*. M. *abstraxisti ab inferno*.

℣. 6. *Ad vesperum demorabitur*. A. *Vespere*. Gr. τὸ ἑσπέρας αὐλισθήσεται, *Vespere dominabitur*.

℣. 8. *in voluntate tua*. R. Rom. *in bona voluntate tua*.

℣. 12. *et circumdedisti me lætitia*. A. Hebr. *et accinxisti me lætitia*. R. Rom. M. G. *præcinxisti*. Gr. περιέζωσάς με. C. *induisti*.

EX PSALMO XXX.

℣. 1. *pro ecstasi*. Id abest a plerisque libris. At in A. et Gr. habetur tantum, *Ecstasis*.

℣. 2. *libera me*. A. juxta Gr. *erue me et exime me*. R. Rom. M. *libera me et eripe me*.

℣. 4. *deduces me*. A. R. Rom. G. C. *dux mihi eris*. M. *educabis me*.

℣. 6. *commendo*. Gr. παραθήσομαι. *commendabo*.

℣. 12. *Super omnes inimicos meos*. M. *Præ omnibus inimicis meis*.

℣. 13. *oblivioni datus sum*. R. Rom. G. C. *excidi*. M. *exivi*.

℣. 16. *sortes meæ*. R. Rom. G. C. *tempora mea*. Et sic Hebr. At Gr. nunc habet κλῆροι, *sortes* : forte pro καιροί, tempora.

Item ℣. 16. *Eripe me.* R. Rom. *Libera me et eripe me.*

℣. 19. *et in abusione.* A. R. Rom. M. G. C. *et contemptu.* Gr. καὶ ἐξουδενώσει. Hebr. *et despectione.*

℣. 22. *mihi in civitate munita.* A. R. Rom. M. G. C. *in civitate circumstantiæ.* Gr. περιοχῆς. nec habent *mihi.*

℣. 23. *in excessu mentis meæ.* Aug. juxta Gr. *in ecstasi mea.* R. Rom. M. G. C. *in pavore meo.*

℣. 24. *veritatem requiret.* G. *veritatem requirit.* Gr. *veritates requirit.*

Item ℣. 24. *et retribuet abundanter facientibus.* A. R. Rom. M. G. C. *et retribuet his qui abundanter faciunt.*

EX PSALMO XXXI.

℣. 2. *non imputavit.* C. Colb. Ger. *non imputabit.* Gr. hic et in Epist. ad Rom. IV, 8. λογίσηται, *imputaverit.*

Item. ℣. 2. *nec est in spiritu ejus.* A. R. Rom. M. G. C. juxta Gr. *nec est in ore ejus.*

℣. 4. *in ærumna mea.* Rom. juxta Gr. *in ærumnam.* Et sic plerumque A. in MSS. At M. G. C. *in ærumna,* omisso *mea.*

Item ℣. 4. *dum configitur spina.* A. *dum configeretur.* Rom. G. *dum confringitur.* M. *mihi spina :* juxta Gr.

℣. 5. *cognitum tibi feci.* A. *cognovi.* C. *ego cognosco.* Gr. ἐγνώρισα. Hebr. *notum facio tibi.*

Item ℣. 5. *peccati mei.* A. R. Rom. M. G. C. juxta Gr. *cordis mei.*

EX PSALMO XXXII.

Tit. *Psalmus David.* Rom. G. Gal. *In finem Psalmus David.*

℣. 1. *collaudatio.* A. G. C. Car. Colb. Gal. juxta Gr. *laudatio.*

℣. 3. *bene psallite ei in vociferatione.* G. *benedicite ei.* A. R. Rom. M. G. C. *in jubilatione :* juxta Hebr. At Gr. ἐν ἀλαλαγμῷ.

℣. 7. *sicut in utre.* A. G. C. *sicut in utrem.* Gr. *sicut utrem.*

℣. 11. *in generatione et generationem.* A. *in sæcula sæculorum.* R. Rom. G. C. *in sæculum sæculi.* M. *a generatione et progenie.* Gr. *a generationibus in generationes.*

℣. 20. *sustinet Dominum* A. *patiens erit Domino.* G. C. *patiens est in Domino.* Gr. ὑπομένει τῷ κυρίῳ. Hebr. *exspectabit Dominum.*

EX PSALMO XXXIII.

℣. 1. *coram Achimelech.* A. Rom. C. Car. Gal. Gr. *coram Abimelech.* Et sic Hebr.

℣. 4. *in idipsum.* R. Rom. M. G. *in invicem.* Multi codices, teste Augustino, habebant, *in unum.* In Hebr. est *pariter.*

℣. 19. *qui tribulato sunt corde.* A. *qui obtriverunt cor.* Gr. συντετριμμένοις τὴν καρδίαν. Hebr. *contritis corde.*

EX PSALMO XXXIV.

℣. 5. *coarctans eos.* A. juxta Gr. *tribulans eos.* R. Rom. M. G. *affligens eos.* C. *confligens eos.*

℣. 7. *interitum laquei sui.* A. *muscipulæ suæ corruptionem.* Gr. διαφθοράν. Hebr. *insidias retis sui.*

℣. 8. *Veniat illi laqueus, quem ignorat,* etc. A. *Veniat illis muscipula, quam ignorant, et captio quam occultaverunt, comprehendat illos, et in muscipulam incidant in ipsa.* Sic R. Rom. M. G. C. juxta Gr. habent plurali numero, *Veniat illis laqueus, quem ignorant,* etc. Item R. Rom. *et in laqueum incidant in idipsum.*

℣. 9. *super salutari suo.* A. R. Rom. M. G. *super salutare ejus.* Favet Gr. in quo est αὐτοῦ, non αὐτῆς.

℣. 13. *in sinu meo convertetur.* A. Rom. M. juxta Gr. *in sinum meum* R. *convertebatur.*

℣. 15. *congregata sunt super me flagella, et ignoravi.* R. Rom. *congregaverunt in me flagella.* C. *congregati sunt in me.* A. R. Rom. G. C. *et ignoraverunt.*

℣. 16. *Dissipati sunt.* A. *Discissi sunt.* R. Rom. M. G. C. *Dissoluti sunt.*

℣. 17. *a malignitate eorum.* A. *ab astutiis eorum.* R. Rom. M. G. C. *a malefactis eorum.* Gr. ἀπὸ τῆς κακουργίας αὐτῶν.

℣. 18. *in Ecclesia magna.* A. *in Ecclesia multa.* Gr. πολλῇ.

℣. 19 et 24. *Non supergaudeant mihi* A. *Non insultent mihi.* R. Rom. M. G. C *Non insultent in me.* Et sic fere variant in Psal. XXXVII, ℣. 17.

Item ℣. 19. *et annuunt.* A. *et annuentes.* R. Rom. M. *et annuebant.* G. C. *et annuerunt.*

℣. 20. *et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant.* A. R. Rom. M. C. *et super iram dolose cogitabant.* G. *et super iram dolose agebant.*

℣. 24. *secundum justitiam tuam.* A. *secundum justitiam meam.* Et sic Hebr. At R. Rom. *secundum magnam misericordiam tuam.* G. C. *secundum misericordiam tuam.*

℣. 26. *qui magna loquuntur.* A. C. *qui maligna loquuntur.* Et sic habuit Vulgata in Car. Colb. Ger. Gal. Attamen in Gr. est μεγαλοῤῥημονοῦντες : in Hebr. *qui magnificantur.*

EX PSALMO XXXV.

℣. 2. *delinquat in semetipso.* M. G. C. *delinquat sibi.*

℣. 3. *ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.* A. R. Rom. Amb. G. *ut inveniret iniquitatem suam.* A. *et odisset.* R. Rom. Amb. M. G. C. *et odium.*

℣. 7. *abyssus multa.* A. Amb. G. juxta Gr. *sicut abyssus multa.* C. *tanquam.*

EX PSALMO XXXVI.

℣. 2. *olera herbarum.* A. *olera prati.*

℣. 8. *ut maligneris.* A. *ut maligne facias.* R. Rom. M. Amb. G. C. *ut nequiter facias.*

℣. 9. *qui malignantur.* A. *qui maligne agunt.* R. Rom. M. Amb. C. *qui nequiter agunt.* G. *qui inique agunt.*

℣. 17. *confirmat.* G. *suffulcit.* Hebr. *sublevat.*

℣. 18. *dies immaculatorum.* A. R. Rom. M. Amb. G. C. *vias immaculatorum.* Gr. τὰς ὁδούς. Hebr. in manuscriptis, *viam*

℣. 20. *deficient.* In Gr. est *defecerunt.*

℣. 21. *Mutuabitur peccator, et non solvet.* A. *Feneratur peccator.* R. Rom. Amb. G. *Mutuatur,* etc. R. Rom. Amb. *et non solvit.*

Item ℣. 21. *et tribuet.* A. R. Rom. G. C. *et commodat.* Amb *et tribuit.*

℣. 23. *dirigentur* R. Rom. juxta Gr. *diriguntur.*

Item ℣. 23. *volet.* M. *cupiet valde.*

℣. 24. *non collidetur.* A. R. Rom. M. Amb. G. C. *non conturbabitur,* scilicet mutato καταραχθήσεται in κατασπαραχθήσεται.

Item ℣. 24. *supponit manum suam.* A. Amb. C. juxta Gr. *confirmat manum ejus.* R. Rom. M. G. *firmat manum ejus.* Hebr. *sustentat manum ejus.*

℣. 26. *et commodat.* A. Amb. G. *et fenerat.*

℣. 28. *Injusti punientur.* Gr. sonat, *Immaculati vindicabuntur.*

℣. 29. *et inhabitabunt in sæculum,* etc. Amb. *et honorificabunt Deum in sæcula sæculorum.*

℣. 32. *mortificare eum.* R. Rom. Amb. G. C. *perdere eum.* M. *occidere eum.*

℣. 33. *nec damnabit eum, cum judicabitur illi.* Exemplaria quædam teste Augustino habebant, *et cum judicabit eum, judicabitur illi.*

℣. 35. *sicut cedros.* A. R. Rom. Amb. M. *super cedros.*

℣. 37. *Custodi innocentiam.* R. Rom. G. C. *Custodi veritatem* Gr. ἀκακίαν. Hebr. habet, *simplicitatem.*

Item ℣. 37. *et vide æquitatem.* A. *et vide directionem.* Hebr. *rectum.*

℣. 38. *disperibunt simul.* A. *disperient in idipsum.* Gr. ἐπὶ τὸ αὐτό. C. *punientur simul.*

EX PSALMO XXXVII.

℣. 5. *supergressæ sunt.* A. *sustulerunt.* R. Rom. M. Amb. G. C. *superposuerunt.*

℣. 6. *et corruptæ sunt cicatrices meæ.* A. *et putruerunt,* etc. R. Rom. M. G. C. *et deterioraverunt.* Hebr. *et tabuerunt.* A. M. *livores mei.*

℣. 7. *Miser factus sum.* A. R. Rom. M. Amb. G. C. *Miseriis afflictus sum.*

℣. 8. *lumbi mei impleti sunt.* A. R. Rom. M. Amb.

G. C. juxta Gr. *anima mea completa est.*

℣. 9. *Afflictus sum.* A. *Infirmatus sum.* R. Rom. M. Amb. G. C. *Incurvatus sum.*

℣. 12. *et qui juxta me erant.* A. R. Rom. M. G. C. *et proximi mei.* Hebr. *et vicini mei.*

℣. 15. *redargutiones.* R. Rom. M. G. C. *increpationes.*

℣. 19. *annuntiabo.* A. R. Rom. C. *ego pronuntio.*

Item ℣. 19. *et cogitabo.* A. *et curam geram.* Gr. καὶ μεριμνήσω. Hebr. *sollicitus ero.*

℣. 21. *sequebar bonitatem.* A. juxta Gr. *persecutus sum justitiam.* R. Rom. Amb. G. C. *subsecutus sum justitiam.* M. *subsequebar justitiam.*

EX PSALMO XXXVIII.

℣. 1. *ipsi Idithun.* A. Amb. C. Car. Gal. *pro Idithun.*

℣. 3. et 10. *Obmutui* A. *Obsurdui.*

℣. 4. *exardescet ignis* R. Rom. G. *exardescit ignis.*

℣. 5. *quis est* A. Amb. *qui est.*

℣. 6. *Ecce mensurabiles.* A. R. Rom. M. Amb. G. C. *Ecce veteres.* Gr. ἰδοὺ παλαιάς. Hebr., *Ecce breves.*

Item ℣. 6. *et substantia mea.* G. *et habitatio mea.* C. *et habitudo mea.* Hebr. *et vita mea.*

℣. 7. *in imagine pertransit homo.* R. Rom. Amb. C. *in imagine Dei ambulet homo.*

Item ℣. 7. *conturbatur.* R. Rom. *conturbabitur.*

℣. 8. *apud te est.* A. *ante te est semper.* Amb. G. C. *ante te est :* omisso *semper.* At R. Rom. *tanquam nihil ante te est.*

℣. 10. *quoniam tu fecisti.* A. juxta Gr. *quoniam tu es qui fecisti me.* R. Rom. Amb. G. C. *quoniam tu fecisti me.*

℣. 11. *amove a me plagas tuas.* A. *amove a me flagella tua.*

℣. 12. *corripuisti hominem.* A. M. Amb. G. C. *erudisti hominem.* Gr. ἐπαίδευσας.

Item ℣. 12. *animam ejus.* A. *animam meam.*

Item ℣. 12. *verumtamen vane conturbatur omnis homo.* A. G. C. addunt, *vivens.* At R. Rom. habent sic, *verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.* Hebr. *verumtamen vanitas omnis homo.*

℣. 13. *et deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas : ne sileas.* M. *et deprecationem meam auribus percipe : lacrymis meis ne sileas.* Favet Hebr. *ad lacrymam meam ne obsurdescas.* At A. R. Rom. Amb. G. *Ne sileas a me.*

Item ℣. 13. *ego sum apud te.* Gr. *ego sum in terra.* R. Rom. Amb. G. C. *ego sum apud te in terra.*

EX PSALMO XXXIX.

℣. 2. *Exspectans exspectavi Dominum.* A. *sustinens sustinui Dominum.*

℣. 4. *Videbunt multi.* A. *Videbunt justi.*

℣. 7. *aures autem perfecisti mihi.* A. R. Rom. M. Amb. *corpus autem perfecisti mihi :* juxta Gr. hic et in Epist. ad Hebr. x, 5.

℣. 9. *in medio cordis mei.* M. *in medio ventris mei.* Et sic Hebr.

℣. 10. *Annuntiavi.* A. R. Rom. M. G. C. *Bene nuntiavi.* Favet Gr.

℣. 11. *justitiam tuam.* A. Amb. G. juxta. Gr. *justitiam meam.*

℣. 12. *semper susceperunt me.* M. *semper suscipiant me.* Hebr. *jugiter servabunt me.*

℣. 18. *sollicitus est mei.* A juxta Gr. *curam habebit mei.* Hebr. *sollicitus erit pro me.*

EX PSALMO XL.

℣. 3. *et beatum faciat eum in terra.* R. Rom. *et beatum faciat eum, et emundet in terra animam ejus.* Sic etiam G. et C. nisi quod G. habet, *emundet de terra.* C. autem post *faciat eum*, addit *in terra.*

Item ℣. 3. *in animam inimicorum ejus.* A. R. Rom. G. C. juxta Gr. *in manus inimici ejus.* M. *in manibus inimicorum ejus.*

℣. 7. *Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit,* etc. *Egrediebatur foras, et loquebatur,* etc. A. R. Rom. G. C. *Et ingrediebantur ut viderent, vana locutum est cor eorum, congregaverunt,* etc. *Egrediebantur foras, et loquebantur,* etc.

℣. 8 *in idipsum.* R. Rom. G. C. *simul.*

Item ℣. 8. *Adversum me susurrabant.* R. Rom. G. C. *In unum susurrabant.*

℣. 9. *constituerunt.* A. *disposuerunt.* R. Rom. *mandaverunt.*

℣. 10. *magnificavit super me supplantationem* A. R. Rom. Amb. G. C. *ampliavit.* M. *adampliavit.* A. *super me calcaneum.* R. Rom. M. G. *adversus me supplantationem.*

℣. 14. *Fiat, fiat.* A. *et dicet omnis populus, Fiat, fiat.*

EX PSALMO XLI.

℣. 1. *intellectus filiis Core.* A. juxta Gr. *in intellectum filiis Core.*

℣. 3. *ad Deum fortem vivum.* Vox *fortem* abest ab A. R. Rom. M. G. C. et a Gr. At Amb. habet *fontem.*

℣. 4. *panes.* A. M. Amb. C. *panis.* Sic etiam Gr. et Hebr.

℣. 5. *sonus epulantis.* A. Amb. *soni festivitatem celebrantis.* Gr. ἤχου ἑορτάζόντων. *soni festa celebrantium.* Hebr. *multitudinis festa celebrantis.*

℣. 6. *quoniam adhuc confitebor illi.* A. R. Rom. M. G. C. et Gr. carent voce *adhuc :* quæ etiam deest in plerisque libris ℣. 12, et in subsequenti Psal. ℣. 5.

℣. 7. *et Deus meus.* Particula *et* abest ab A. C. et Gr.

Item ℣. 7. *Ad meipsum* R. Rom. *A meipso.*

Item ℣. 7. *memor ero tui.... a monte modico.* A. *memoratus sum tui, Domine.... a monte parvo.* Gr. μικροῦ.

℣. 8. *Omnia excelsa tua* A. *Omnes suspensiones tuæ.* Gr. μετεωρισμοί σου. Hebr. *gurgites tui.*

Item ℣. 8. *transierunt.* A. G. *ingressi sunt.* Gr. διῆλθον.

℣. 9 *et nocte canticum ejus.* A. R. Rom. G. C. *et nocte declaravit.* Gr. δηλώσει, *declarabit.*

℣. 10. Post *oblitus es mei*, additur in A. R. Rom. Amb. G. C. *quare me repulisti?*

℣. 11. *dum confringuntur.* A. C. favente Gr. *dum confringit.*

Item ℣. 11. *inimici mei.* Hæ voces absunt ab A. R. Rom. G. C. et a Gr. Habet illa M., sed istis caret, *qui tribulant me.*

℣. 12. *salutare.* A. et Gr. *salus.*

EX PSALMO XLII.

℣. 1. *et discerne causam meam.* G. *et discerne justitiam meam.*

℣. 2. *Deus fortitudo mea.* A. R. Rom. Amb. G. C. *Deus meus fortitudo mea.*

EX PSALMO XLIII.

℣. 3. *afflixisti populos.* A. *infirmasti populos.*

℣. 10. *et non egredieris Deus.* G. C. *et non progredieris.* Vox autem *Deus* a Gr. et Hebr. abest, et a G. Colb. Ger.

℣. 11. *post inimicos nostros.* A. R. Rom. M. Amb. G. juxta Gr. *præ inimicis nostris.*

℣. 15. *in commutationibus eorum.* A. *in jubilationibus eorum.* Favet Gr. ἐν τοῖς ἀλαλάγμασιν αὐτῶν. Sed quidam veteres libri, ἀλλάγμασιν.

℣. 22. *mortificamur* R. Rom. Amb. G. *morte afficimur.* M. *morte affligimur.*

EX PSALMO XLIV.

℣. 1. *qui commutabuntur.* A. G. C. *quæ commutabuntur.*

℣. 6. *Sagittæ tuæ acutæ.* A. *sagittæ tuæ acutæ potentissimæ.* R. Rom. M. G. C. juxta Gr *potentissime.*

Item ℣. 6. *in corda.* A. R. Rom. G. Colb. juxta Gr. *in corde.* Et sic Hebr.

℣. 7. *virga directionis.* R. Rom. M. G. C. *virga recta est.*

℣. 9. *a domibus eburneis.* G. C. *a gravibus eburneis.* R. M. *a gradibus*, etc. Erratum ex errato. Nam Græce est ἀπὸ βάρεων : quod Latinus interpres verbi ambiguitate deceptus verterat, *a gravibus :* cum βάρεις apud Palæstinos dicerentur domus magnæ, in modum turrium ædificatæ, teste Hieron. in epist. 140.

et in Jeremiæ xvii. et Oseæ viii. Eadem vox habetur in Psal. xlvii, 4, 14.

℣. 10. *circumdata*. A. R. Rom. M. G. C. *circumamicta*.

℣. 12 *Et concupiscet*. A. R. Rom. M. G. C. juxta Gr. *Quoniam concupivit*.

℣. 13. *omnes divites plebis*. Vox *omnes* abest ab A. M. G. C. Car. Colb. Gal. a Gr. et ab Hebr.

℣. 14. *filiæ regis*. R. Rom. *filiæ regum*.

℣. 18. *Memores erunt*. Car. Ger. Gal. juxta Hebr. *Memor ero*. Et sic Hieron. in epist. 140.

EX PSALMO XLV.

℣. 1. *filiis Core*. A. G. C. juxta Gr. *pro filiis Core*.

℣. 4. *aquæ eorum*. A. R. Rom. Amb. G. C. *aquæ ejus*.

℣. 5. *Fluminis impetus lætificat*. A. juxta Gr. *Fluminis impetus lætificant*. Hebr. *Fluminis divisiones lætificant*.

℣. 6. *Deus mane diluculo*. A. R. Rom. C. *Deus vultu suo*. G. *Deus de vultu*. Gr. τῷ προσώπῳ, nec addit *suo*. M. *Deus a matutino in matutinum*.

℣. 7. *dedit vocem suam, mota est*, etc. A. R. Rom. M. Amb. C. *dedit vocem suam Altissimus, et mota est*, etc. G. *Excelsus, et mota est*, etc.

℣. 10. *usque ad finem terræ*. A. R. Rom. M. Amb. G. C. juxta Gr. *usque ad fines terræ*.

EX PSALMO XLVI.

℣. 1. *pro Core*. A. G. C. Car. juxta Gr. *pro filiis Core*.

℣. 3. *Dominus excelsus*. R. Rom. *Deus summus*.

Item ℣. 3. *super omnem terram*. R. Rom. *super omnes deos*.

℣. 6. *in jubilatione*. G. C. *in strepitu*.

℣. 8. *psallite sapienter*. A. *psallite intelligenter*. Gr. συνετῶς. Hebr. *erudite*.

℣. 9. *Regnabit Deus super gentes*. R. Rom. M. G. C. Colb. *Regnavit*. A. R. Rom. M. C. *Dominus super omnes gentes*.

EX PSALMO XLVII.

℣. 3. *Fundatur exsultatione*. A. R. Rom. M. C. *Dilatans exsultationes*. Amb. *dilatans exsultationem*. Gr. *Bene radicans exsultatione*.

Item ℣. 3. *mons Sion*. A. G. C. juxta Gr. *montes Sion*.

℣. 4 *in domibus ejus*. R. M. *in gradibus ejus*. Rom. G. C. *in gravibus ejus*. Sic Amb. ut ex interpretandi ratione patet. Gr. ἐν ταῖς βάρεσιν. Vide supra in Psal. xliv, 9.

Item ℣. 4. *cognoscetur*. G. C. et A. in aliquot MSS. *cognoscitur*, sive *dignoscitur*, tempore præsenti, juxta Gr.

℣. 5. *reges terræ*. Vox *terræ* abest a Vulgata in MSS. Colb. et Gr. Confer Hieron. epist. 135.

℣. 10. *in medio templi tui*. A. juxta Gr. *in medio populi tui*. M. G. *in medio plebis tuæ*. C. *in templo sancto tuo*. Varietas ex affinitate vocum ναοῦ et λαοῦ.

℣. 12. *filiæ Judæ*. A. in MSS. et Amb. C. juxta Gr. *filiæ Judææ*.

℣. 14. *domos ejus*. R. Rom. M. Amb. C. *gradus ejus*. G. *turrem ejus*. Gr. τὰς βάρεις: id est excelsas et turritas domos, ait Ambrosius. Vide Psal. xliv, 9.

℣. 15. *Deus, Deus noster*. Vox *Deus* non repetitur in A. R. Rom. M. G. C. neque in Gr.

EX PSALMO XLVIII.

℣. 4. *prudentiam*. A. *intelligentiam* Gr. σύνεσιν.

℣. 9. *et laborabit*. A. R. Rom. G. C. juxta Gr. *et laboravit*.

℣. 10. *et vivet adhuc in finem*. Vox *adhuc* abest ab A. R. Rom. M. G. C. et a Gr.

℣. 12. *vocaverunt nomina sua in terris suis*. A. R. Rom. M. *Invocabunt*. M. Amb. *Invocaverunt*. G. C. *invocavit*. A. R. Rom. M. Amb. G. C. *nomina eorum in terris ipsorum*. Hebr. *vocaverunt nominibus suis terras suas*.

℣. 14. *complacebunt*. A. R. Rom. G. C. *benedicent*. M. *bene prosperabuntur*. Gr. εὐδοκήσουσιν.

℣. 15. *mors depascet eos*. A. *mors pastor est eis*. Gr. ποιμανεῖ αὐτούς, *pascet eos*.

Item ℣. 15. *Et dominabuntur eorum*. R. Rom. G. C. *Et obtinebunt eos*.

Item ℣. 15. *in inferno a gloria eorum*. R. Rom. M. *in inferno, et a gloria sua expulsi sunt*. G. *in inferno a gloria eorum, et a gloria sua expulsi sunt*.

℣. 18. *cum interierit, non sumet omnia*. A. R. Rom. Amb. G. C. juxta Gr. *non cum morietur, accipiet omnia*. M. *nondum morietur, recipiet omnia*.

Item ℣. 18. *gloria ejus*. R. Rom. M. Amb. G. C. *gloria domus ejus*.

EX PSALMO XLIX.

℣. 5. *sanctos ejus*. G. *filios ejus*.

Item ℣. 5. *qui ordinant*. R. Rom. *qui ordinaverunt*. A. *qui disponunt*.

℣. 7. *et loquar*. A. juxta Gr. *et loquar tibi*.

℣. 17. *odisti disciplinam*. A. *odisti eruditionem*. Gr. παιδείαν.

℣. 19. *concinnabat dolos*. A. *amplexa est dolositatem*. R. Rom. M. C. Hebr. *concinnavit dolum*.

℣. 21. *Existimasti inique*. A. juxta Gr. *Suspicatus es iniquitatem*. R. Rom. M. G. *Existimasti iniquitatem*.

Item ℣. 21. *et statuam contra faciem tuam*. A. *constituam te*, etc. R. Rom. *et statuam illam*, etc. G. C. *et statuam illa*, etc. M. *et statuam contra faciem tuam peccata tua*.

℣. 22. *nequando rapiat*. A. G. *nequando rapiat sicut leo*.

EX PSALMO L.

℣. 5. *contra me est semper*. A. R. Rom. *coram me est semper*, ἐνώπιόν μου: eadem vox quæ in subsequenti ℣.

℣. 7. *concepit me mater mea*. A. *mater mea me in utero aluit*. R. Rom. M. Amb. *peperit me mater mea*. Et sic Hebr. In Gr. est ἐκίσσησέ με.

℣. 10. *Auditui meo dabis gaudium*. Gr. sonat, *Audire me facies exsultationem*.

℣. 15. *Docebo*. A. Rom. G. C. *Doceam*.

℣. 19. *Deus non despicies*. A. R. Rom. M. Amb. C. *non spernit*. G. *non spernet*. Gr. ἐξουδενώσει.

EX PSALMO LI.

℣. 3. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tota die*, etc. A. *Quid gloriatur in malitia, qui potens est? In iniquitate tota die*, etc. H. *Quid gloriatur in malitia, potens iniquitate tota die?*

℣. 6. *verba præcipitationis*. A. *verba submersionis*.

Item ℣. 6. *lingua dolosa*. A. G. H. juxta Gr. et Hebr. *linguam dolosam*. R. Rom. *in lingua dolosa* C *in linguam dolosam*.

℣. 7. *destruet te*. Gr. sonat, *destruat te*.

Item ℣. 7. *evellet te et emigrabit te*. G. H. *evellat te et emigret te*: juxta Gr.

℣. 11. *bonum est*. A. *jucundum est*. Gr. χρηστόν.

EX PSALMO LII.

℣. 2. *Corrupti sunt*. Gr. sonat, *Corruperunt*.

Item ℣. 2. *in iniquitatibus*. R. Rom. G. C. *in voluntatibus suis*.

℣. 5. *ut cibum panis*. A. *in cibo panis*. Gr. *cibo panis*.

℣. 6. *ossa eorum qui hominibus placent*. R. Rom. M. G. *ossa hominum sibi placentium*. G. *consilia hominum sibi placentium*.

℣. 7. *cum converterit*. A. C. juxta Gr. *in avertendo*. M. *in convertendo*. R. Rom. G. *dum avertet*. H. *dum avertit*.

Item ℣. 7. *exsultabit Jacob, et lætabitur*, etc. M. G. C. *exsultet Jacob, et lætetur*, etc.

EX PSALMO LIII.

℣. 3. *judica me*. R. Rom. M. G. C. *libera me*. Hebr. *ulciscere me*.

℣. 7. *Averte mala*. G. *Avertit mala*. Gr. ἀποστρέψει. H. *Converte mala*. Hebr. *Redde mala*.

℣. 9. *despexit*. A. R. Rom. M. G. C. *respexit*.

EX PSALMO LIV.

℣. 2. *Exaudi*. H. *Inauri*. Sic etiam in Psal. cxxxix, ℣. 7.

℣. 4. *declinaverunt in me iniquitates*. A. G. C. juxta Gr. *declinaverunt in me iniquitatem*. Hebr. *projecerunt super me iniquitatem*.

Item ℣. 4. *molesti erant mihi*. A. *adumbrabant me*: mutato videlicet ἐνέκοτουν in ἐπεσκίαζον.

℣. 9. *qui salvum me fecit.* A. R. Rom. juxta Gr. *qui me salvum faceret.* C. *faciat.*
℣. 10. *Præcipita.* A. *Submerge.*
℣. 13. *maledixisset mihi.* A. *exprobrasset mihi.* H. *improperasset mihi.* Gr. ὠνείδισέ με.
Item ℣. 13. *Abscondissem me forsitan.* A. R. Rom. M. G. C. *absconderem me utique :* juxta Gr.
℣. 16. *Veniat mors super illos.* G. *Posuit mortem super illos.*
Item ℣. 16. *nequitiæ in habitaculis eorum.* A. R. Rom. M. G. H. C. juxta Gr. *nequitia in hospitiis eorum.*
℣. 17. *salvabit me.* A. R. Rom. M. G. C. juxta Gr. *exaudivit me.*
℣. 19. *inter multos erant mecum.* A. M. juxta Gr. *in multis erant mecum.*
℣. 20. *Exaudiet Deus.* A. H. *Exaudiet me Deus.*
Item ℣. 20. *qui est ante sæcula.* R. Rom. *qui est ante sæcula, et manet in æternum.*
℣. 22. *ab ira.* A. *præ ira.*
Item ℣. 22. *Molliti sunt sermones ejus.* R. Rom. M. *Mollierunt sermones suos.* G. H. C. *Mollierunt sermones ejus.*
℣. 23. *curam tuam.* R. Rom. M. G. C. *cogitatum tuum.* H. *cogitationem tuam.*
℣. 24. *in puteum interitus.* A. *in puteum corruptionis.* Gr. διαφθορᾶς.

EX PSALMO LV.

℣. 3 et 4. *tota die : quoniam multi bellantes adversum me. Ab altitudine diei timebo, ego vero,* etc. A. R. Rom. G. juxta Gr. *tota die, ab altitudine diei : quoniam multi qui debellant me timebunt : ego vero,* etc. Sic etiam C. nisi quod omittit *ab altitudine diei.* At M. habet sic, *tota die : ab altitudine diei non timebo, quoniam multi qui debellant me, ab altitudine Dei non timebo, quia ego in te sperabo.* H. *tota die. Ab altitudine dierum non timebo, quia multi qui debellant me, timebunt.*
℣. 5. *sermones meos.* R. Rom. G. H. *sermones meos tota die.*
℣. 7. *Inhabitabunt.* A. *Incolent.* Gr. παροικήσουσιν.
Item ℣. 7. *Sicut sustinuerunt animam meam.* A. *Sicut sustinuit anima mea.* R. Rom. G. C. *Sicut exspectavit anima mea.* M. *Sicut exspectaverunt animam meam.* Gr. sonat, *Sicut sustinui anima mea.*
℣. 8. *populos confringes.* A. H. *populos deduces.* Gr. κατάξεις.
℣. 9. *posuisti.* R. Rom. G. *posui.*
℣. 10. *Tunc convertentur.* A. R. Rom. *Convertantur :* omissa particula *Tunc,* quæ abest etiam a G. C. Gr.
℣. 12. *laudationes tibi.* A. *laudis tibi.* R. Rom. M. G. C. *laudationis tibi :* juxta Gr.
℣. 13. *et pedes meos a lapsu.* A. R. Rom. C. *oculos meos a lacrymis, et pedes meos a lapsu.*

EX PSALMO LVI.

℣. 2. *sperabo.* Rom. G. *spero.*

EX PSALMO LVII.

℣. 3. *concinnant.* A. *connectunt.* Gr. συμπλέκουσιν. H. *complectuntur.*
℣. 6. *et venefici incantantis sapienter.* A. juxta Gr. *et medicamenti medicati a sapiente :* et sic fere H. At R. *et veneficia quæ incantantur a sapiente.* G. C. *et venefici qui incantantur a sapiente.* Sic etiam M. omisso *et.*
℣. 7. *conteret.* A. G. H. C. juxta Gr. *contrivit.*
Item ℣. 7. *confringet.* A. G. H. juxta Gr. *confregit.*
℣. 8. *ad nihilum devenient.* A. H. *Spernentur.* Gr. ἐξουδενωθήσονται.
℣. 9. *cera quæ fluit.* A. R. Rom. G. H. C. juxta Gr. *cera liquefacta.*
℣. 10. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum.* A. R. Rom. H. C. *Priusquam producat.* A. H. *spinas vestras rhamnus.* R. *spinas vestra rhamnus.* Rom. *spinas vester rhamnus.* C. *spinæ vestræ rhamnum.* M. G. *Prius quam producant.* M. *spinæ vestræ rhamnum.* G. *spinas vestras rinus.* Gr. πρὸ τοῦ συνιέναι τὰς ἀκάνθας ὑμῶν τὴν ῥάμνον. Hebr. *Antequam crescant spinæ vestræ in rhamnum.*
Item ℣. 10. *sic in ira absorbet eos.* A. *tanquam in ira combibet eos.* Gr. καταπίεται ὑμᾶς. H. *absorbebit vos.*
℣. 11. *cum viderit vindictam.* R. Rom. G. C. juxta Gr. *cum viderit vindictam impiorum,* etc.
℣. 12. *utique est Deus.* G. *et vere est Deus.*

EX PSALMO LVIII.

℣. 4. *ceperunt animam meam.* A. *venati sunt animam meam.* Gr. ἐθήρευσαν. R. *aucupaverunt.* Rom. G. C *occupaverunt.* M. *captaverunt.* Hebr. *insidiati sunt animæ meæ.*
℣. 5. *et direxi.* A. in editis, et R. Rom. *et dirigebar.* A. in MSS. et G. C. *et dirigebam.*
℣. 7. *Convertentur. . . . patientur.* A. *Convertantur. . . . patiantur.* Favet Hebr.
℣. 9. *ad nihilum deduces.* A. R. Rom. M. G. H. *pro nihilo habebis.* Gr. ἐξουδενώσεις. Hebr. *subsannabis.*
℣. 10. *quia Deus.* R. Rom. M. juxta Gr. *quia tu Deus.*
℣. 12. *Deus ostendet mihi super inimicos meos.* A. *Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis.* R. Rom. *Deus meus, ostende mihi bona inter inimicos meos.* M. *Deus meus, ostende me inter inimicos meos.* G. *Deus meus ostendit mihi inter inimicos meos.*
Item ℣. 12. *nequando obliviscantur populi mei.* A. R. Rom. M. G. H. C. juxta Gr. *nequando obliviscantur legis tuæ.*
Item ℣. 12. *et depone.* A. *et deduc.* R. Rom. M. G. H. *et destrue.* Et sic. Hebr. At Gr. καὶ κατάγαγε.
℣. 13. *sermonem labiorum,* etc. R. Rom. *sermo labiorum,* etc.
Item ℣. 13. *Et de exsecratione.* A. *Et de maledicto.*
Item ℣. 13 et 14. *annuntiabuntur in consummatione : in ira consummationis.* A. juxta Gr. *annuntiabuntur consummationes, in ira consummationis.* R. Rom. *compellantur in ira consummationis.* M. *compellentur in consummatione, in ira consummationis.* G. *convellentur : consumantur in ira consummationis.* H. *convellentur in consummatione : consummatio in ira consummationis.*
Item ℣. 14. *quia Deus dominabitur Jacob, et finium terræ.* H. juxta Gr. *quia Deus Jacob dominatur finium terræ.*

EX PSALMO LIX.

℣. 2. *et Sobal.* A. R. M. G. H. C. juxta Gr. *et Syriam Sobal.*
Item ℣. 2. *et percussit Idumæam in valle.* A. Rom. et Hebr. *et percussit Edom in valle.* G. C. juxta Gr. *et percussit vallem.* Car. *et percussit in valle.*
℣. 5. *vino compunctionis.* A. *vino stimulationis.* Hebr. *vino consopiente.*
℣. 7. *dilecti tui.* R. Rom. *electi tui.*
℣. 11. *in civitatem munitam.* A. M. G. H. C. juxta Gr. *in civitatem circumstantiæ.*
℣. 13. *quia vana.* A. R. Rom. M. G. H. C. Car. Colb. Ger. juxta Gr. *et vana.*

EX PSALMO LX.

℣. 5. *Inhabitabo.* A. *Inquilinus ero.* Gr. παροικήσω.
℣. 7. *usque in diem generationis et generationis.* R. Rom. G. C. *usque in diem sæculi et sæcula.*
℣. 8. *Permanet.* A. R. Rom. G. *Permanebit :* juxta Gr.
Item ℣. 8. *quis requiret.* A. *quis requiret ei.* R. Rom. H. juxta Gr. *quis requiret eorum.* G. *quis requiret eum.*

EX PSALMO LXI.

℣. 2. *salutare meum.* C. *patientia mea.*
℣. 4. *irruitis in hominem.* A. juxta Gr. *apponitis super hominem.*
Item ℣. 4. *interficitis universi vos.* A. *interficite omnes.* R. Rom. G. C. *interficitis universos.* M. *interficitis omnes vos.* Amb. *interficientes universos.* Gr. φονεύετε πάντες.
℣. 5. *pretium meum.* A. R. Rom. M. G. H. C. *honorem meum.* Gr. τιμήν μου.
℣. 10. *in idipsum.* A. *in unum.*
℣. 11. *si affluant.* A. Amb. G. *si fluant.* Gr. ἐὰν ῥέῃ.

EX PSALMO LXII.

℣. 2. *Sitivit in te.* A. H. juxta Gr. *Sitivit tibi.*
Item ℣. 2. *quam multipliciter.* H. *quam simpliciter.*
℣. 6. *et labiis exsultationis laudabit os meum.* A. R

Rom. M. G. H. C. juxta Gr. *et labia exsultationis laudabunt nomen tuum.*

℣. 7. *meditabor.* A. *Meditabar.*

℣. 12. *obstructum est.* A. *oppilatum est.* G. *obtusum est.*

EX PSALMO LXIII.

℣. 2. *cum deprecor.* A. Rom. G. H. C. *dum tribulor.*

℣. 3. *a conventu.* M. *a conversatione.*

℣. 6. *Narraverunt.* R. Rom. G. H. C. *Disputaverunt.* M. *Disposuerunt.*

℣. 7. *defecerunt scrutantes scrutinio.* A. *defecerunt scrutantes scrutationes.* R. Rom. M. *defecerunt scrutantes scrutinium.*

Item ℣. 7. *ad cor altum.* A. G. C. juxta Gr. *et cor altum.* Et sic habebat Vulgata in Car. Colb. Gal. Ger. Favet Hebr. in quo legitur, *et corde profundo.* Glossa in Psalteriis Colb. et Ger. id interpretatur de divinitate occulta in Christo. Denique Hilarii expositio est, *accedente homine cordis alti.*

℣. 9. *et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.* R. Rom. C. *et pro nihilo habuerunt contra eos linguæ ipsorum.* G. *et pro nihilo habuerunt eum, et infirmatæ sunt super ipsos linguæ eorum.* Gr. sonat, *Pro nihilo habuerunt eum linguæ eorum.*

EX PSALMO LXIV.

℣. 1. *Jeremiæ et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.* Id totum a Gr. abest. At ejus loco A. præfert, *Jeremiæ et Ezechielis ex populo,* etc. C. *Jeremiæ et Ezechiel de verbo peregrinationis, quando incipiebant proficisci.* G. *Jeremiæ et Ezechiel profectionis.*

℣. 2. *in Jerusalem.* Id abest a Gr. et Hebr.

℣. 7. *in virtute tua.* A. *in fortitudine sua.*

Item. ℣. 7. *accinctus potentia.* A. *circumcinctus in potentatu.*

℣. 8. *profundum maris.* A. R. Rom. M. G. H. C. *fundum maris.* Gr. κύτος.

Item ℣. 8. *sonum fluctuum ejus.* Ad hæc verba addit A. *quis sufferet.* R. Rom. M. G. C. *quis sustinebit.*

℣. 9. *terminos.* A. R. Rom. M. G. H. C. *fines terræ.*

℣. 10. *præparatio ejus.* A. R. Rom. M. G. H. *præparatio tua.*

℣. 11. *Rivos ejus.* A. juxta Hebr. *Sulcos ejus.* In Gr. est τοὺς αὔλακας.

Item ℣. 11. *in stillicidiis ejus.* A. R. Rom. M. C. *in stillicidiis suis.*

Item ℣. 11. *lætabitur germinans.* A. R. Rom. M. G. H. C. *lætabitur cum exorietur.*

℣. 13. *speciosa deserti.* A. R. Rom. M. G. H. C. *fines deserti.* Gr. ὄρη, *montes.*

EX PSALMO LXV.

℣. 4. *nomini tuo.* A. R. Rom. M. H. G. C. addunt *Altissime.*

℣. 6. *in flumine pertransibunt pede.* R. Rom. M. G. C. *et flumina* G. *pertransiet pede.* C. *pertransit pede.*

℣. 7. *Qui dominatur.·.·. in æternum.* Gr. sonat, *Qui dominatur.·.·. sæculo.* Et sic Hebr.

Item ℣. 7. *qui exasperant.* A. *amaricant.* R. Rom. M. H. C. *qui in iram provocant.* G. *qui exacerbant.* Sic variant ad idem verbum in Psal. LXVII, ℣. 7, et aliis locis.

℣. 10. *igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.* A. juxta Gr. *ignisti nos, sicut ignitur argentum.*

℣. 11. *in dorso nostro.* C. *in conspectu nostro.*

℣. 15. *cum incenso arietum.* A. R. Rom. M. G. H. C. juxta Gr. *cum incenso et arietibus.*

℣. 18. *non exaudiet.* A. G. C. *non exaudiat:* juxta Gr.

EX PSALMO LXVI.

℣. 2. *et misereatur nostri.* Hoc abest ab A. Gr. et Hebr.

℣. 5. *judicas.·.·. dirigis.* M. juxta Gr. *judicabis.·.·. diriges.* G. H. *judicabit.·.·. diriget.*

EX PSALMO LXVII.

℣. 3. *sicut fluit cera.* Gr. sonat, *sicut liquefit cera.*

℣. 4. *Et justi epulentur.* A. juxta Gr. *Et justi jucundentur.* Hebr. *lætentur.*

℣. 7. *Deus qui inhabitare facit.* Hic notat Aug. in Gr. haberi tantum, *Deus habitare facit.*

Item ℣. 7. *unius moris in domo.* A. *unius modi in domo.* R. Rom. G. C. *unanimes in domo.*

℣. 9. *a facie Dei Sinai, a facie,* etc. A. R. Rom. G. H. C. *a facie Dei. Mons Sina a facie,* etc. M. *a facie Dei qui est in Sina, a facie,* etc.

℣. 10. *segregabis.* A. R. Rom. M. *segregans.* G. *segrega.*

℣. 11. *pauperi.* R. Rom. *pauperes.*

℣. 13. *dilecti, dilecti.* R. Rom. M. G. H. C. *dilecti,* semel tantum.

℣. 14. *inter medios cleros.* G. *in medio sortium.*

Item ℣. 14. *et posteriora dorsi ejus in pallore auri.* A. *et inter scapulas ejus in viriditate auri.*

℣. 15. *cœlestis.* A. juxta Gr. *supercœlestis.*

℣. 16. *mons Dei, mons pinguis.* A. R. Rom. M. G. C. *montem Dei, montem uberem.*

Item ℣. 16. *mons coagulatus, mons pinguis.* A. G. *montem incaseatum, montem uberem.* H. *mons consecratus,* etc.

℣. 17. *utquid suspicamini.* R. Rom. M. G. *utquid suspicitis.* C. *utquid æstimatis.*

Item ℣. 17. *mons in quo.* A. G. *montem in quo.*

℣. 19. *Ascendisti.* R. Rom. juxta Gr. *Ascendens.* G. H. *Ascendit.*

Item ℣. 19. *cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* R. Rom. C. *captivam duxit captivitatem.* G. H. *cepit captivitatem.* R. Rom. H. C. *dedit dona hominibus.* G. *accepit dona in hominem.* M. *in homines.* Gr. ἐν ἀνθρώπῳ.

Item ℣. 19 et 20. *inhabitare Dominum Deum. Benedictus Dominus,* etc. A. R. Rom. M. C. *inhabitare Dominus Deus benedictus, benedictus Dominus,* etc.

Item ℣. 20. *salutarium nostrorum.* A. *sanitatum nostrarum.* R. Rom. M. *salutaris noster.*

℣. 21. *Et Domini Domini exitus mortis.* A. R. Rom. C. H. et Gr. nonnisi semel habent *Domini.* At G. *et Domini exitus Domini mortis.*

℣. 23. *convertam, convertam in,* etc. A. R. Rom. G. H. C. *convertar, convertar in,* etc.

℣. 24. *ut intinguatur.* R. Rom. *donec intinguatur.*

℣. 25. *Viderunt ingressus tuos.* A. R. Rom. M. *Visi sunt gressus tui.* G. H. *Visa sunt itinera tua.* Vulgata in Car. Colb. Ger. *viderunt ingressus tui.*

Item ℣. 25. *ingressus Dei mei.* A. M. *gressus Dei mei.* G. H. *itinera Dei mei.*

Item ℣. 25. *regis mei.* Vox *mei* abest ab A. R. Rom. M. G. H. C. et a Gr.

Item ℣. 25. *qui est in sancto.* R. Rom. addunt *ipsius.* G. addit *eis.*

Item ℣. 25. *juvencularum.* G. *virginum.*

℣. 28. *adolescentulus in mentis excessu.* A. *adolescentior in ecstasi.* R. Rom. M. C. *adolescentior in pavore.* G. *de adolescentia in pavore.* H. *junior in pavore.*

℣. 29. *virtuti tuæ.* A. R. Rom. M. G. C. Car. Colb. Ger. *virtutem tuam.*

℣. 31. *feras arundinis.* A. juxta Gr. *feras calami.* Hebr. *bestiam calami.* R. Rom. C. *feras silvarum.* M. H. *feras silvæ.* G. *bestias silvæ.*

Item ℣. 31. *in vaccis.* A. R. Rom. M. G. H. C. *inter vaccas.*

Item ℣. 31. *ut excludant eos.* A. R. Rom. M. *ut excludantur ii.* G. H. C. *ut non excludantur.* Gr. *non excludantur,* omisso *ut.*

℣. 32. *manus ejus.* M. *manus suas.* Gr. *manum suam.*

℣. 34. *voci suæ.* A. R. Rom. G. H. C. *vocem suam.*

Item ℣. 34. post *vocem virtutis,* in G. additur, *Audiam vocem ejus, vocem virtutis.*

EX PSALMO LXVIII.

℣. 5. *tunc exsolvebam.* H. *tunc exsolvere repetebar.*

℣. 8. *operuit confusio.* A. *operuit irreverentia.* A. R. Rom. M. G. H. C. *operuit reverentia.*

℣. 9. *Extraneus*. A. juxta Gr. *Alienatus*. H. Hebr. *Alienus*. R. Rom. M. G. C. *Exter*.

Item ℣. 9. *et peregrinus*. A. R. Rom. M. G. H. C. *et hospes*.

℣. 13. *loquebantur*. A. *insultabant*. R. Rom. M. *exercebantur*. G. H. *detrahebant*.

℣. 14. *orationem meam*. A. juxta Gr. *oratione mea*.

℣. 15. *ut non infigar*. A. R. Rom. M. H. *ut non inhæream*.

℣. 16. *neque urgeat*. A. juxta Gr. *neque coarctet*. G. H. *neque contineat*. C. *neque aperiat*. Hebr. *et non coronet*.

℣. 17. *respice in me*. C. *convertere in me*.

℣. 21. *improperium exspectavit*. C. *improperium sustinuit*.

℣. 28. *in justitiam tuam*. A. G. C. Colb. Ger. Gal. juxta Gr. *in justitia tua*.

℣. 30. *salus tua Deus suscepit me*. A. R. Rom. G. H. C. *et salus vultus tui, Deus, suscepit me*.

℣. 31. *nomen Dei*. R. Rom. juxta G. addunt, *mei*.

℣. 34. *non despexit*. M. *non annullavit*. Gr. ἐξουδένωσεν.

℣. 35. *et omnia reptilia in eis*. R. Rom. M. G. C. *et omnia quæ in eis sunt*. H. *et omnia repentia in eo*. Hebr. *et omnia quæ moventur in eis*.

℣. 36. *civitates Juda*. R. Rom. M. C. Car. Colb. Ger. Gal. *civitates Judæ*. G. juxta Gr. *civitates Judææ*. Et sic A. in MSS.

EX PSALMO LXIX.

℣. 1. *quod salvum fecerit eum Dominus*. Rom. C. Car. Gal. juxta Gr. *eo quod salvum me fecit Dominus*.

℣. 2. *Deus*. Rom. G. *Domine Deus*. C. *Domine Deus meus*.

Item ℣. 2. *Domine, ad adjuvandum me festina*. Hanc partem omittunt A. G. C. et Gr.

EX PSALMO LXX.

℣. 1. *In te, Domine, speravi*. A. R. Rom. M. C. *Deus, in te speravi, Domine*. G. *Domine Deus, in te speravi*.

℣. 8. *os meum laude*. R. Rom. M. G. C. addunt *tua*. Et sic Hebr.

Item ℣. 8. *ut cantem*. A. *ut hymnodicam*. R. Rom. M. C. *ut possim cantare*. G. *ut benedicam*.

Item ℣. 8. *magnitudinem tuam*. A. G. juxta Gr. *magnificentiam tuam*.

℣. 10. *inimici mei mihi*. R. Rom. *inimici mei mala mihi*.

℣. 13. *detrahentes animæ meæ*. A. *committentes animam meam*.

℣. 14. *sperabo*. A. R. Rom. M. C. *in te sperabo*.

℣. 15. *litteraturam*. A. R. Rom. G. M. C. *negotiationem*, sive *negotiationes*. Gr. πραγματείας.

Item ℣. 15. *in potentias Domini*. G. *in potentia tua, Domine*. Gr. ἐν δυναστείᾳ. Hebr. *in fortitudine*. Car. Colb. Ger. Gal. *in potentiam Domini*.

℣. 21. *magnificentiam tuam*. A. R. Rom. M. G. C. juxta Gr. *justitiam tuam*. M. addit, *super me*.

Item ℣. 21. *consolatus es me*. R. Rom. M. C. *exhortatus es me*. in Gr. est παρεκάλεσας, verbum ambiguum, quod aliis itidem locis varietatem parit. Hic porro M. addit, *et de abyssis terræ iterum reduxisti me*. Simile additamentum exstat apud G. C.

℣. 24. *mala mihi*. G. C. *animam meam*.

EX PSALMO LXXI.

℣. 2. *in justitia*. R. Rom. G. *in tua justitia*.

℣. 3. *pacem populo*. R. Rom. M. G. C. et Gr. addunt, *tuo*.

Item ℣. 3 et 4. *et colles justitiam. Judicabit*, etc. R. Rom. C. *et colles justitiam. In sua justitia judicabit*, etc. G. juxta Gr. *et colles. In justitia judicabit*, etc. Hujus lectionis meminit Aug. Enarr. in Psal. LXXI, n. 6.

℣. 5. *in generatione et generationem*. A. juxta Gr. *generationes generationum*: omissa præpositione *in*. Et sic habebat Vulgata in Car. Colb. Ger. At R. Rom. G. *in sæculum sæculi*.

℣. 7. *auferatur luna*. A. R. Rom. M. G. C. *extollatur luna*.

℣. 11. *reges terræ*. Gr. nunc, et Vulgata in libris Car. Colb. Ger. Gal. caret voce *terræ*, quam ut superfluam deleverat Hieronymus, juxta Epist. 135.

℣. 14. *et honorabile nomen eorum coram illo*. M. *et præclarum nomen ejus coram ipsis*.

℣. 15. *et adorabunt de ipso*. A. R. Rom. M. C. Car. Ger. juxta Gr. et Hebr. *et orabunt*. M. *pro ipso*. G. *pro eo*.

℣. 16. *et florebunt*. G. *et floriet*. C. *et florent*.

℣. 17. *nomen ejus* R. Rom. G. addunt, *et ante lunam sedes ejus*. M. *et ante lunam in sæcula sæculorum sedes ejus*.

Item ℣. 17. *magnificabunt eum*. M. *beatificabunt eum*.

℣. 19. *majestatis*. A. G. juxta Gr. *gloriæ*: et sic infra loco *majestate*, habent gloria.

Item ℣. 19. *in æternum*. A. R. Rom. M. G. C. Gr. addunt, *et in sæculum sæculi*.

EX PSALMO LXXII.

℣. 4. *non est respectus morti eorum*. A. in MSS. et R. Rom. M. C. *non est declinatio morti eorum*. G. *non est requies morti eorum*. Hebr. *non cogitaverunt de morte sua*. Amb. *non est reclinatio*, etc.

Item ℣. 4. *in plaga*. A. *in flagello*. G. *in pœna*.

℣. 6. *superbia*. M. *superbia eorum in finem*.

℣. 7. *Prodiit*. A. juxta Gr. *Prodiet*. G. *Exiet*.

Item. ℣. 7. *in affectum*. A. R. Rom. M. Amb. *in dispositionem*. G. C. *in dispositione*. Gr. εἰς διάθεσιν.

℣. 8. *nequitiam*. Gr. sonat, *in nequitia*.

Item ℣. 8. *in excelso*. A. juxta Gr. *in altum*. Rom. G. *in excelsum*.

℣. 9. *in terra*. A. R. Rom. M. G. C. *super terram*.

℣. 10. *Ideo convertetur populus meus hic*. A. R. Rom. M. Amb. G. C. juxta Gr. *Ideo revertetur huc populus meus*.

℣. 11. *scit Deus*. A. R. Rom. G. C. juxta Gr. *scivit Deus*.

℣. 14. *et castigatio mea*. A. *et argutio mea*. Rom. M. *et judex meus*. R. *et index meus*. Amb. *et vindex meus*. Hebr. *et increpatio mea*.

℣. 15. *Ecce nationem reprobavi*. R. Rom. *ecce natio*. G. *ecce progenies*. R. Rom. *quibus disposui*. M. G. C. *cui disposui*. Amb. *ecce generationi filiorum tuorum sic disposui*. Augustinus testatur exemplaria quædam habere, *Ecce generationi.·.·. cui concinui*.

℣. 16. *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est*, etc. A. juxta Gr. *Et suscepi cognoscere, hoc labor est*, etc. Porro particula *Et* initio ℣. reperitur in omnibus MSS. Vulgatæ et in Hebr.

℣. 17. *in novissimis eorum*. A. G. juxta Gr. *in novissima*: omisso *eorum*. At R. Rom. C. *in novissima eorum*.

℣. 18. *posuisti eis*. R. Rom. *disposuisti eis mala* M. C. *posuisti illis mala*. Amb. *posuisti eis bona*.

Item ℣. 18 *dum allevarentur*. A. M. *dum extollerentur*.

℣. 20. *Velut somnium surgentium*. A. R. Rom. M. Amb. C. *Velut somnium exsurgentis*. G. *velut a somnio exsurgentes*.

℣. 21. *inflammatum est*. A. R. Rom. Amb. C. juxta Gr. *delectatum est*. G. *lætatum est*. M. *exarsit*. Hebr. *contractum est*.

Item ℣. 21. *commutati sunt*. R. Rom. C. *resoluti sunt*. G. *alienati sunt*. Amb. *requieverunt*.

℣. 22. *ad nihilum redactus sum*. G. *spretus sum*. Hebr. *insipiens*.

℣ 23. *apud te*. A. *ad te*.

℣ 24. *dexteram meam*. A. M. *dexteræ meæ*. G. *dextera mea*.

℣. 25. *est in cœlo*. R. Rom. M. Amb. *restat in cœlo*. G. *superest in cœlo*.

℣. 28. *in Domino Deo*. A. M. C. *in Deo*. G. *in Domino Deo salutis meæ*.

Item ℣. 28. *prædicationes tuas*. A. R. Rom. M. G. C. *laudes*, sive *laudationes tuas*.

Item ℣. 28. *in portis.* A. *in atriis.*

EX PSALMO LXXIII.

℣. 1. *furor tuus.* A. M. C. *animus tuus.*

Item ℣. 1. *pascuæ tuæ.* A. R. Rom. M. C. *gregis tui.*

℣. 2. *quam possedisti.* G. *quam acquisisti.* R. Rom. M. C. *quam creasti :* quia interpres pro ἐκτήσω accepit ἔκτισω.

Item ℣. 2. *mons Sion, in quo habitasti in eo.* A. *montem Sion, istum quem inhabitasti in ipso :* favet Gr. At R. *mons Sion, in quo habitas in idipsum.*

℣. 3. *Leva manus tuas.* A. R. Rom. *Eleva manum tuam.*

Item ℣. 3. *malignatus est.* A. *maligne operatus est.*

Item ℣. 3. *in sancto.* A. R. Rom. M. G. C. juxta Gr. *in sanctis tuis.*

℣. 4. *in medio solemnitatis tuæ.* R. Rom. G. C. *in medio atrio tuo.* Hebr. *in medio pacti tui.*

℣. 5. *sicut in exitu super summum.* A. *sicut in egressum desuper.* R. Rom. *sicut in via supra summum.* M. *sicut in exitu de insuper.* Gr. *sicut in ingressu desuper.* G. *sicut in introitum eorum desuper.*

℣. 6. *in securi et ascia.* A. *in dolabro et fractorio.*

℣. 8. *Quiescere faciamus.* A. R. Rom. M. G. C. *Venite, comprimamus.*

℣. 9. *non cognoscet amplius.* A. *non cognoscet adhuc.* G. *nesciet adhuc.*

℣. 11. *manum tuam.* R. Rom. *faciem tuam.* G. *faciem tuam a nobis.*

Item ℣. 11. *et dexteram tuam.* G. *et dextera tua.*

℣. 13. *in aquis.* A. juxta Gr. *in aqua.* R. Rom. M. *super aquas.* G. *super aquam.*

℣. 14. *capita draconis.* A. M. G. *caput draconis.* R. Rom. C. *caput draconis magni.*

℣. 16. *tu fabricatus es auroram et solem.* A. G. juxta Gr. *tu perfecisti solem et lunam.* R. Rom. C. *tu fecisti solem et lunam.* M. *tu præparasti lumen et solem.* Hebr. *tu ordinasti luminaria et solem.*

℣. 18. *Memor esto hujus.* A. R. Rom. M. G. C. et Gr. addunt, *creaturæ tuæ.*

Item ℣. 18. *incitavit.* A. R. Rom. M. G. C. *exacerbavit* Gr. παρώξυνε. Hebr. *blasphemavit.*

℣. 20. *quia repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.* A. *quia repleti sunt, qui,* etc *domorum iniquarum.* R. Rom. M. *domorum iniquitatum.* G. *quia repleti* (forte *repletæ*) *sunt obscuritate terræ domus iniquitatum.* Favet Hebr. *quia repletæ sunt tenebris terræ habitationes iniquæ.*

℣. 23. *voces inimicorum tuorum.* A. G. juxta Gr. *vocem deprecantium te.* M. *vocem supplicum tuorum.* R. Rom. *voces quærentium te.* C. *vocem quærentium te.*

Item ℣. 23. *ascendit semper.* A. R. M. juxta Gr. *ascendat semper ad te.* Rom. *ascendit semper ad te.* G. *ascendit in æternum.* C. *ascendit in sempiternum.*

EX PSALMO LXXIV.

℣. 2. *Narrabimus.* A. juxta Gr. *Enarrabo.* R. Rom. M. G. C. *Narrabo.*

℣. 4. *Liquefacta est,* A. G. *Defluxit.*

℣. 6. *Nolite extollere in altum cornu vestrum.* A. *Nolite ergo efferri :* nisi forte id versiculum exponendo dixit Augustinus.

℣. 9. *ex hoc in hoc.* A. *ex hoc in hunc.*

℣. 10. *annuntiabo in sæculum.* A. juxta Gr. *in sæculum gaudebo.* R. Rom. M. *in sæcula gaudebo.* G. *in Domino gaudebo.*

EX PSALMO LXXV.

℣. 1. *ad Assyrios.* Id a Rom. abest. At. Gal. juxta Gr. *ad Assyrium.* G. *pro Assyrio.*

℣. 4. *potentias arcuum.* R. Rom. G. C. *cornua arcuum.* M. *potestates : arcum.*

℣. 5. *Illuminans tu.* Gr. sonat, *Illuminas tu.* Hebr. *Lumen tu es.*

℣. 6. *in manibus suis.* Particula *in* abest a Gr. eamque expungi vult Hieron. in Epist. 135.

℣. 8. *resistet tibi.* M. addit, *contra faciem tuam.*

Item. ℣. 8. *ex tunc ira tua.* A. G. C. *tunc ab ira tua.* R. *ex tunc ab ira tua.* Gr. *ab ira tua :* omisso *ex tunc.*

℣. 9. *auditum fecisti.* A. C. *jaculatus es.* G. *jactasti.* R. Rom. *jaculatum est.* Gr. ἠκούτισας : pro quo nonnulli codices, ἠκόντισας.

℣. 10. *mansuetos terræ.* R. Rom. M. C. *quietos terræ.*

℣. 11. *diem festum agent tibi.* A. *solemnia celebrabunt tibi.*

℣. 12. *qui in circuitu ejus.* In A. M. et Hebr. additur, *sunt.*

Item ℣. 12. *offertis.* A. M. cum Hebr. *offerent.* C. *offerunt.* G. juxta Gr. *afferent.* Et sic Vulgata in Car. Col. Ger. Gal.

EX PSALMO LXXVI.

℣. 2. *voce mea ad Deum.* A. Rom. G. C. juxta Gr. *et vox mea ad Deum.* R. M. *vox mea,* etc. omisso *et.*

℣. 3. *contra eum.* A. R. Rom. M. G. *coram eo.* C. *contra eum semper.*

Item ℣. 3. *Renuit,* etc. A. M. *Negavit.* G. *Recusavit.* R. Rom. C. *Negavi consolari animam meam.*

℣. 4. *et exercitatus sum.* A. juxta Gr. *garrivi,* omisso *et.* Hebr. *loquebar in memetipso.* G. *alienatus sum.*

Item ℣. 4. *et defecit.* R. Rom. M. C. *et defecit paulisper.*

℣. 5. *Anticipaverunt vigilias oculi mei.* A. C. *Anticipaverunt vigilias omnes inimici mei.* G. *Præoccupaverunt custodias omnes inimici mei :* favet Gr.

℣. 6. *Cogitavi.* G. *Recordatus sum.*

Item ℣. 6. *et annos æternos in mente habui.* A. *et annorum æternorum memor fui.* G. *et annos æternos memoratus sum.*

℣. 7. *et exercitabar.* A. juxta Gr. *garriebam.* G. *cogitabam.* M. *exercitabam :* omisso *et,* quod etiam ab aliis libris abest.

Item ℣. 7. *et scopebam.* A. *et perscrutabar.* M. G. C. *et ventilabam.* R. Rom. *et ventilabam in me.* Gr. καὶ ἔσκαλλον.

℣. 8. *Numquid.* A. *Non.* R. Rom. G. *Et dixi, Numquid.* C. *Et dixi, Non.*

Item ℣. 8. *projiciet.* A. *repellet.*

Item ℣. 8. *ut complacitior sit adhuc.* A. *ultra, ut beneplaceat ei adhuc.* M. *ut beneplacitum sit adhuc.* G. *benefacere adhuc.*

℣. 9. *abscindet a generatione in generationem.* R. Rom. C. *abscidet a sæculo et generatione.* G. *amputabit a sæculo et generatione usque in sæculum.* M. *abscindet, et complebit verbum a generatione in generationem*

℣. 13. *et in adinventionibus tuis exercebor.* A. *et in affectionibus tuis garriam.* R. Rom. M. C. *et in observationibus tuis exercebor.* G. *et in obsecrationibus,* etc.

℣. 14. *sicut Deus noster.* G. *præter Deum nostrum.*

℣. 15. *qui facis mirabilia.* A. R. Rom. M. G. addunt, *solus.*

℣. 18. *multitudo.* M. *a multitudine.*

℣. 19. *transeunt.* A. R. Rom. G. C. *pertransierunt.* M. *transierunt.* Hebr. *discurrebant.*

Item ℣. 19. *Illuxerunt coruscationes tuæ.* A. *Apparuerunt fulgura tua.*

Item ℣. 19. *commota est.* R. Rom. *vidit.*

℣. 21. *et Aaron.* G. addit, *sacerdotum tuorum.*

EX PSALMO LXXVII.

℣. 2. *propositiones.* G. *propositionem meam.*

Item ℣. 2. *ab initio.* R. Rom. G. C. *ab initio sæculi.*

℣. 4. *in generatione altera.* G. C. juxta Gr. *in generationem alteram.*

℣. 5. *Quanta mandavit. . . . nota facere ea.* R. Rom. G. C. juxta. Gr. *Quam mandavit.* R. Rom. *ut notam facerent eam.* G. C. *notam facere eam.*

℣. 6. *et narrabunt.* A. *et narrent.* R. Rom. *et narrabunt eam.*

℣. 8. *generatio prava et exasperans.* A. *generatio prava et amaricans.* G. *natio prava et exacerbans.* R. Rom. M. *genus pravum et peramarum.* Et sic fere C.

℣. 9. *intendentes et mittentes arcum.* R. Rom. *intendentes arcum, et mittentes sagittas suas.* Sic etiam

G. omisso tantum *suas*. At. C. *intendentes et mittentes sagittas*.
℣. 12. *fecit mirabilia*. A. juxta Gr. *quæ fecit mirabilia*.
℣. 13. *et perduxit eos*. A. G. *et trajecit eos*. Hebr. *et transduxit eos*.
Item ℣. 13. *quasi in utre*. A. *quasi in utres*. R. Rom. G. C. Car. Colb. *quasi in utrem*. Gr. *quasi utrem*. Hebr. *quasi acervum*.
℣. 14. *in nube diei*. G. cum Hebr. *in nube per diem*. In Gr. est ἡμέρας, quod ibi sonat *die*.
℣. 17. *in iram excitaverunt*.·.·. *in inaquoso*. A. M. G. *et exacerbaverunt*. A. R. Rom. M. G. C. *in siccitate*.
℣. 21. *et distulit*. R. Rom. G. C. *et distulit, et superposuit*.
℣. 25. *cibaria misit*, etc. R. Rom. M. C. *frumentationem misit*, etc. Gr. ἐπισιτισμόν. G. *escas misit eis in satietate*.
℣. 26. *Transtulit Austrum de cœlo*. R. Rom. M. *Et excitavit Austrum de cœlo*. Sic etiam G. C. omisso tantum *et*.
Item ℣. 26. *et induxit*. G. *et superduxit*.
℣. 30. *fraudati*. A. *privati*.
℣. 31. *pingues eorum*. A. *in plurimis eorum* R. Rom. M. G. *plurimos eorum*. Gr. sonat *in pinguibus*.
Item ℣. 31. *impedivit*. Gr. sonat *compedivit*. Hebr. *incurvavit*.
℣. 34. *et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum*. R. *et convertebantur, et ante lucem*, etc. Rom. M. C. *et convertebantur ante lucem*, etc. G. *et convertebantur, et vigilabant diluculo ad eum*. A. R. Car. Ger. juxta Gr. *veniebant ad Deum*. Hebr. *consurgebant ad Deum*.
℣. 37. *nec fideles habiti sunt*, etc. R. Rom. M. *nec fides habita est illis*, etc. G. *neque crediderunt in testamentum ejus*.
℣. 38. *et abundavit ut averteret*.·.·. *et non accendit*. A. juxta Gr. *et abundabit ut avertat*.·.·. *et non accendet*.
℣. 42. *die qua*. R. Rom. M. G. C. *qua die*.
℣. 44. *et imbres eorum*. R. Rom. M. G. *et pluviales aquas eorum*. C. *fluviales aquas*, etc.
℣. 45. *cœnomyiam*. R. Rom. M. C. *muscam caninam*: juxta Gr. κυνόμυιαν: quod enarrando sequitur Augustinus. At Hieron. in Epist. 135 scribi vult non *cynomoyam*, sed *cœnomyiam*, græce κοινόμυιαν: ipseque interpretatur ex Hebr. *omne genus muscarum*.
Item ℣. 45. *et disperdidit eos*. R. Rom. M. G. *et exterminavit eos*. G. *et corrupit eos*.
℣. 46. *ærugini*. A. *rubigini*. G. *caniculæ*. Hebr. *brucho*.
℣. 47. *in pruina*. G. *in gelicidia*.
℣. 50. *animabus eorum*. A. Car. Colb. Ger. juxta Gr. *animarum eorum*.
℣. 52. *et abstulit*. G. *et promovit*.
℣. 54. *montem, quem*. R. Rom. M. C. juxta Gr. *montem hunc, quem*. G. et Hebr. *montem istum, quem*.
Item ℣. 54. *distributionis*. G. *hæreditatis*.
℣. 55. *Et habitare fecit*. R. G. C. *Et habitavit*.
℣. 57. *et non servaverunt pactum*. Rom. *et non observaverunt*. G. *et repulerunt*. Nec habetur *pactum* in Rom. C. G. At Hebr. *et prævaricati sunt*.
℣. 69. *in terra quam fundavit in sæcula*. R. Rom. C. juxta Gr. *in terra fundavit eam in sæcula*. G. *et in terra fundavit eam in æternum*.
℣. 72. *et in intellectibus*. A. *et in intellectu*. R. Rom. M. G. C. *et in sensu*. Hebr. *et in prudentia*.

EX PSALMO LXXVIII.

℣. 1. *in pomorum custodiam*. R. *velut pomorum custodiarium*. G. *velut casam pomarii*. Hebr. *in acervos lapidum*.
℣. 2. *morticina*. R. Rom. M. G. C. *mortalia*. Hebr. *cadavera*.
℣. 10 *et innotescat*. R. Rom. G. *et innotescant*.
Item ℣. 10. *Ultio sanguinis* R. Rom. M. G. C. *Vindica sanguinem*.
℣. 11. *posside filios mortificatorum*. A. *recipe in adoptionem filios mortificatorum*. R. Rom. M. C. *posside filios morte punitorum*. G. *posside filios in adoptione morte punitorum*.
℣. 13. *pascuæ tuæ*. G. R. Rom. M. C. *gregis tui*.

EX PSALMO LXXIX.

℣. 1. *testimonium Asaph*. A. addit, *pro Assyriis*. G. C. *pro Assyrio*: juxta Gr.
℣. 2. *velut ovem*. A. G. C. Car. Colb. Ger. Gal. juxta Gr. *velut oves*. Hebr. *quasi gregem*.
Item ℣. 2. *manifestare*. A. R. Rom. M. G. C. *appare*.
℣. 4. *et ostende*. A. *et illumina*.
℣. 10. *Dux itineris fuisti*. A. R Rom. M. G. C. *Viam fecisti*. Hebr. *Præparasti*: nec addit *viam*.
Item ℣. 10. *et implevit terram*. R. Rom. C. juxta Gr. *et repleta est terra*. G. *et replesti terminos terræ*.
℣. 13. *destruxisti*. R. Rom. M. *deposuisti*.
℣. 15. *convertere*. A. juxta Gr. *convertere vero*. R. Rom. M. *converte nunc*.
℣. 16. *Et perfice eam*. R. Rom. M. G. C. *et dirige eam*: accepto nimirum κατόρθωσαι, pro καταρτισαι.
Item ℣. 16. *filium hominis*. Vox *hominis* abest a Car. Colb. Gal. et Hebr.
℣. 17. *et suffossa*. R. Rom. M. G. C. *et effossa manu*.

EX PSALMO LXXX.

℣. 1. *pro torcularibus*. A. Rom. Gal. addunt, *quinta sabbati*. G. autem addit, *Domini*.
℣. 4. *Buccinate in Neomenia tuba*. A. *Tuba canite in initio mensis tubæ*. R. Rom. M. *Canite in initio mensis tuba*.
℣. 6. *posuit illud*. R. M. G. C. *posuit eum*. Gr. αὐτόν. Et sic Hebr.
℣. 9. *et contestabor te*. A. *et loquar, et testificabor tibi*. Sic fere R. Rom. C.
℣. 13. *secundum desideria*. A. *secundum affectiones*.
Item. ℣. 13. *in adinventionibus suis*. A. juxta Gr. *in affectionibus suis*. R. Rom. M. G. C. *in voluntatibus suis*. Hebr. *in consiliis suis*.
℣. 15. *Pro nihilo*. A. *In nihilum*. R. Rom. M. G. C. *Ad nihilum*. Gr. *In nihilo*. Hebr. *Quasi nihilum*.

EX PSALMO LXXXI.

℣. 1. *dijudicat*. A. *discernere*. R. Rom. M. G. C. *discernit*.
℣. 2. *et facies*. M. *et personas*.
℣. 8. *hæreditabis*. A. G. C. *disperdes*. Cyprianus in 2. Testim. *exterminabis*.

EX PSALMO LXXXII.

℣. 4. *malignaverunt consilium*. R. Rom. *astute cogitaverunt consilium*. M. *dolose cogitaverunt*, etc.
℣. 6. *cogitaverunt unanimiter*. R. Rom. M. C. *cogitaverunt consensum in unum*: forte pro *consensu*, juxta Gr.
℣. 9. *in adjutorium*. R. Rom. M. G. C. Gr. *in susceptionem*.
℣. 13. *sanctuarium Dei*. Gr. *altare Dei*.

EX PSALMO LXXXIII.

℣. 2. *dilecta*. A. *dilectissima*. R. Rom. M. G. C. *amabilia*.
℣. 6. *auxilium abs te*. A. juxta Gr. *susceptio ejus abs te*.
Item ℣. 6. *in corde suo disposuit*. A. R. Rom. M. G. C. *in corde ejus*, etc. Verbum *disposuit* omittitur in C.
℣. 7. *in loco, quem posuit*. A. R. Rom. M. G. C. *in locum*. A. *quem disposuit*. R. *quem disposuisti ei*. Rom. *quem disposuisti eis*. G. C. *quem disposuit eis*.
℣. 8. *de virtute in virtutem*. A. *a virtutibus in virtutem*.

EX PSALMO LXXXIV.

℣. 4. *iram tuam*. G. C. addunt, *in finem*.
℣. 5. *Deus salutaris noster*. A. *Domine sanitatum nostrarum*. G. *Deus salutarium nostrorum*.
℣. 6. *Numquid in æternum*, etc. A. M. G. *Non in æternum irascaris nobis, vel extendas*. Concordan-

R. Rom. nisi quod præmittunt particulam *ut*. Hebr. *Noli in æternum irasci*, etc.

℣. 7. *Deus tu conversus*. A. R. Rom. M. G. C. *Deus tu convertens*. Hebr. *Nonne tu revertens*.

℣. 9. *qui convertuntur ad cor*. A. juxta Gr. *qui convertunt cor ad ipsum*. R. *qui convertentur ad ipsum*, Rom. *qui convertuntur ad ipsum*. Sic etiam G.; sed addit, *ex corde suo*. M. *qui convertuntur coram ipso*.

℣. 11. *osculatæ sunt*. R. Rom. M. G. C. *complexæ sunt se*.

℣. 13. *dabit benignitatem*. A. *dabit suavitatem*. Gr. χρηστότητα. C. *benedictionem*.

EX PSALMO LXXXV.

℣. 2. *sanctus sum*. M. *sanctus es*.

℣. 3. *clamavi* G. C. Gr. et Hebr. *clamabo*.

℣. 6. *Auribus percipe*. A. *Auribus infige*.

℣. 10. *tu es Deus solus*. G. et Gr. addunt, *magnus*.

℣. 11. *et ingrediar*. A. R. Rom. C. *et ambulabo*. Hebr. *ut ambulem*.

℣. 16. *da imperium tuum*. R. Rom. M. G. C. *da potestatem*. Solus codex C. cum Gr. addit, *tuam*. Hebr. habet, *da fortitudinem tuam*.

℣. 17. *in bonum*. A. Rom. G. C. *in bono*.

Item ℣. 17. *consolatus es*. C. *exhortatus es*.

EX PSALMO LXXXVI.

℣. 5. *Numquid Sion*. A. R. Rom. M. G. C. *Mater Sion*. Gr. μήτηρ Σιών : pro quo a LXX μήτι Σιὼν scriptum fuisse contendit auctor commentarii in Psalmos Hieronymo tributi. At Hebr. habet, *Ad Sion autem dicetur*.

Item ℣. 5. *natus est*. A. R. Rom. M. G. C. *factus est*.

℣. 6. *narrabit*. R. Rom. G. C. *narravit*.

Item. ℣. 6. *in scripturis*. A. juxta Gr. *in scriptura*.

℣. 7. *lætantium omnium*. R. Rom. addunt, *nostrum*. M. G. habent, *lætantibus omnibus nobis*.

EX PSALMO LXXXVII.

℣. 1. *pro Maheleth*. A. *pro Melech*. G. *pro Maleleth*.

Item ℣. 1. *Ezrahitæ*. A. Rom. G. Gal. Gr. *Israelitæ*. Sic etiam in titulo Psal. 88, n. 1.

℣. 6. *vulnerati dormientes*. R. Rom. G. *vulnerati dormientes projecti*. Gr. *vulnerati projecti dormientes*.

℣. 8. *fluctus tuos*. A. *suspensiones tuas*. R. Rom. M. G. *elationes tuas*. Hujus lectionis meminit Aug. At C. *elevationes tuas*. Gr. μετεωρισμούς σου.

℣. 10. *languerunt*. A. R. Rom. M. G. C. *infirmati sunt*.

℣. 13. *in terra oblivionis*. A. C. *in terra oblita*. M. *in terra obliterata*.

℣. 15. *repellis orationem meam*. M. G. *repulisti animam meam*. Hebr. *abjicis animam meam*.

EX PSALMO LXXXVIII.

℣. 2. *Misericordias Domini*. A. R. Rom. M. G. C. juxta Gr. *Misericordias tuas, Domine*.

℣. 3. *in eis*. Hoc abest ab A. R. Rom. M. G. C. et a Gr.

℣. 11. *et in brachio virtutis tuæ*. R. Rom. M. G. C. *et in virtute brachii tui*.

℣. 18. *et in beneplacito tuo*. M. *et in tua justitia*. G. *et in bona voluntate tua*. C. *et in nomine tuo*. Hebr. *et in misericordia tua*.

℣. 20. *in visione sanctis tuis*. A. R. Rom. M. G. C. *in aspectu filiis tuis*. Favet Gr.

℣. 21. *in oleo sancto meo*. Gr. sonat *in misericordia sancta*. Et sic Hieron. in Isai. LV.

℣. 28. *præ regibus terræ*. A. G. C. *apud reges terræ*.

℣. 31. *ab eo*. M. C. *ab eis*.

Item ℣. 34. *neque nocebo*. M. addit, *eis*. C. habet, *neque decipiam*.

℣. 35. *non faciam irrita*. A. *non reprobabo*.

℣. 39. *et despexisti*. A. *et ad nihilum deduxisti*. G. *et pro nihilo duxisti, et neglexisti nos*. Gr. καὶ ἐξουδένωσας.

℣. 40. *Evertisti*. R. Rom. M. C. Car. Colb. Gal. *Avertisti*.

Item ℣. 40. *sanctuarium ejus*. A. R. Rom. M. G. C. juxta Gr. *sanctitatem ejus*. Hebr. *diadema ejus*.

℣. 41. *firmamentum ejus*. A. R. Rom. M. G. C. Gr. *munitiones ejus*. Et sic Hebr.

℣. 43. *deprimentium eum*. A. R. Rom. M. G. C. Gr. *inimicorum ejus*. Hebr. *hostium eius*.

℣. 45. *Destruxisti eum ab emundatione*. A. R. Rom. M. G. C. Gr. *Dissolvisti eum*, etc. G. *a destructione*.

℣. 46. *dies temporis ejus*. A. G. C. juxta Gr. *dies sedis ejus*.

℣. 47. *avertis*. A. M. *averteris*. R. Rom. *irasceris*. G. C. *avertis te*.

EX PSALMO LXXXIX.

℣. 2. *tu es Deus*. Vox *Deus* abest ab A. Rom. M. G. C. et Gr.

℣. 4. *et custodia*. A. *et sicut vigilia*. R. Rom. M. G. C. *et sicut custodia*.

℣. 9. *meditabuntur*. A. *meditabantur*. Favet Gr.

℣. 12. *sic notam fac*. A. *notam fac mihi* : omisso *sic* R. Rom. G. *notam fac nobis*.

Item ℣. 12. *et eruditos*. Nonnulli codices teste Augustino, *et compeditos*, quod in Gr. pro πεπαιδευμένους, quidam legerent πεπεδημένους.

℣. 13. *usque quo*. R. Rom. M. G. *aliquantulum*.

℣. 17. *et opus manuum nostrarum dirige*. Id abest a R. Rom. G. C. et a Gr. Vide infra Enarr. in Psal. 89, n. 17.

EX PSALMO XC.

℣. 3. *liberavit*. A. *eruet*. M. *liberabit* : juxta Gr.

℣. 4. *Scapulis suis*. A. juxta Gr. *Inter scapulas suas*. G. C. Car. Ger. Gal. *In scapulis suis*.

℣. 6. *ab incursu*. A. R. Rom. M. G. C. juxta Gr. *a ruina*.

℣. 10. *Non accedet ad te malum*. A. R. Rom. M. G. C. Gr. *Non accedent ad te mala*.

℣. 12. *portabunt te*. A. juxta Gr. *tollent te*.

Item ℣. 12. *ne forte*. A. M. G. C. Gr. *nequando*. R. Rom. *ne unquam*.

EX PSALMO XCI.

℣. 8. *et apparuerint omnes*. A. M. *prospexerint omnes*. G. *et proscultati sunt eum*. C. *et proscultata sunt omnes*.

℣. 10. *Quoniam ecce inimici tui*. Id secundo loco abest ab A. R. Rom. G. C. et a Gr.

℣. 11. *in misericordia uberi*. A. G. *in misericordia pingui*.

℣. 12. *Et despexit oculus meus inimicos meos*. A. R. Rom. M. G. C. Gr. *Et respexit*, etc. Hebr. *Et respiciet*, etc. A. juxta Gr. *in inimicis meis*. G. *oculus tuus* : et infra, *audient aures tuæ*.

℣. 15. *Adhuc multiplicabuntur*. G. *Supermultiplicabuntur*. Gr. *Tunc multiplicabuntur*.

Item. ℣. 15. *et bene patientes*. A. juxta Gr. *et tranquilli*.

EX PSALMO XCII.

Tit. *in die ante sabbatum*. G. *in die sabbati*.

Ibid. *quando fundata est*. Rom. G. C. Car. Gal. *quando inhabitata est*.

℣. 1. *et præcinxit se*. A. *et præcinctus est*. R. Rom. M. G. C. *et præcinxit se virtutem*.

℣. 3. *elevaverunt flumina fluctus suos*. Id abest ab A. R. Rom. M. G. C. et a Gr.

℣. 4. *elationes maris*. A. *suspensuræ maris*.

℣. 5. *credibilia*. A. *credita*. Favet Gr.

EX PSALMO XCIII.

℣. 1. *libere egit*. A. juxta Gr. *fidenter egit*.

℣. 4. *Effabuntur*. A. *Respondent*. R. Rom. M. G. C. *Pronuntiabunt*.

℣. 9. *non audiet*. G. juxta Gr. *non audit*.

℣. 15. *et qui juxta illam*. A. *et qui habent eam*. R. Rom. G. C. *et qui tenent eam*. M. *et continent eam*. Hebr. *et sequentur illud* : subaud. *judicium*.

Item. ℣. 15. *omnes qui*. Pronomen *qui* abest ab A. G.

℣. 19. *consolationes tuæ*. A. M. G. *exhortationes tuæ*.

Item ℣. 19. *lætificaverunt*. Gr. sonat, *dilexerunt*.

℣. 20. *laborem*. A. R. Rom. M. G. C. *dolorem*.

℣. 23. *iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum*. A. *se-*

cundum opera eorum, et secundum malitiam eorum. Favet M.

Item ℣. 23. *disperdet illos*. Id non repetitur in A. R. Rom. M. G. C. nec in Gr.

EX PSALMO XCIV.

℣. 2. *præoccupemus*. A. M. G. C. *præveniamus*.

℣. 3. *super omnes Deos*. Ad isthæc verba apud A. R. Rom. G. C. Gr. subsequitur, *Quoniam non repellet Dominus plebem suam* : quod a Vulgata in excusis Bibliis et in MSS. abest.

℣. 4. *et altitudines montium ipsius sunt*. R. Rom. *et altitudines montium ipse conspicit*.

℣. 5. *et siccam*. . . *formaverunt*. A. R. Rom. M. G. *et aridam*. A. *finxerunt*. R. Rom. M. G. *fundaverunt*. Hebr. *plasmaverunt*.

℣. 7. *populus pascuæ ejus, et oves manus ejus*. R. Rom. *populus ejus, et oves pascuæ ejus* : qui versiculus est Psal. XCIX, 3.

℣. 9. *in irritatione*. A. *in amaricatione*. R. Rom. M. G. C. *in exacerbatione*.

Item ℣. 9. *probaverunt me*. Particula *me* deest in R. Rom. M. G. et Gr.

℣. 10. *offensus fui*, etc. A. R. Rom. M. *proximus fui*, etc. C. *adhæsi*. G. *odio fui in gentibus, et conversatus sum generationi isti*. Hebr. *displicuit mihi generatio illa*.

Item ℣. 10. *Hi errant corde*. His verbis apud C. subjicitur, *Propter quod odio habui hanc generationem*. Hinc sequitur, *Et ipsi non cognoverunt*, etc.

℣. 11. *ut juravi*. A. R. Rom. M. C. *quibus juravi*.

EX PSALMO XCV.

℣. 2. *annuntiate de die in diem*. A. R. Rom. M. G. C. *bene nuntiate*, etc. G. *diem ex die* : ad verbum ex Gr.

℣. 10. *quia Dominus regnavit*. A. R. Rom. G. C. *Dominus regnavit a ligno*.

Item ℣. 10. *populos in æquitate*. R. Rom. G. C. addunt, *et gentes in ira sua*.

EX PSALMO XCVI.

℣. 1. *restituta est*. Rom. C. Car. *restaurata est*.

℣. 2. *correctio*. A. *directio*. C. *correptio*. Hebr. *firmamentum*.

℣. 5. *a facie Domini omnis terra*. A. juxta Gr. *a facie Domini omnis terræ*. Hebr. *a facie Dominatoris omnis terræ*. R. Rom. C. *a facie Domini tremuit omnis terra*.

℣. 8. *filiæ Judæ*. A. G. juxta Gr. *filiæ Judææ*.

℣. 10. *sanctorum suorum*. A. R. Rom. M. G. *servorum suorum*.

EX PSALMO XCVII.

℣. 1. *Salvavit sibi*. A. *Sanavit ei*. R. Rom. M. *Salvavit eum*. G. C. *Liberavit eum*.

℣. 3. *misericordiæ suæ*. A. R. Rom. M. G. juxta Gr. addunt, *Jacob*.

℣. 6. *in tubis ductilibus*. M. G. *in tubis abietum*. Gr. ἐλαταῖς : quo ex verbo varietas profecta est; quia adjectivo ἐλατός ductilis, et substantivo ἐλάτη abies significatur.

℣. 8. *plaudent manu, simul montes*, etc. A. R. Rom. M. C. *plaudent manibus in idipsum : montes, etc.*

℣. 9. *quoniam venit*. Isthæc verba iterato ponuntur in A. R. Rom. M.

EX PSALMO XCVIII.

℣. 1. *qui sedet*. R. Rom. M. C. Car. Colb. Ger. Gal. *qui sedes*.

℣. 3. *quoniam terribile et sanctum est*. R. Rom. C. *et terribili, quoniam sanctum est*.

℣. 4. *directiones*. A. R. Rom. M. *æquitatem*. G. C. *æquitates*. Et sic Hebr. In Gr. est εὐθύτητας.

℣. 5. *quoniam sanctum est*. A. C. juxta Gr. *quoniam sanctus est*. Et sic Hebr.

℣. 8. *et ulciscens in omnes adinventiones eorum*. A. *et vindicans in omnes affectiones eorum*. R. Rom. M. G. C. *et vindicans in omnia studia eorum*.

EX PSALMO XCIX.

℣. 1. *in confessione*. G. juxta Gr. *in confessionem*.

℣. 4. *in hymnis : confitemini illi*. R. Rom. *in hymnis confessionum*. G. *in hymnis confessionis* : nec addunt, *confitemini illi*.

EX PSALMO C.

℣. 2. et 6. *in via immaculata*. G. C. *in via irreprehensibili*.

Item ℣. 2. *domus meæ*. R. Rom. G. C. *domus tuæ*.

℣. 7. *Non habitabit*. A. juxta Gr. *Non habitavit*. G. *Non inhabitabat*.

EX PSALMO CI.

℣. 1. *cum anxius fuerit et*. . . *effuderit*. A. *cum angeretur, et*. . . *effudit*. G. *cum acediaretur, et*. . . *effunderet*.

℣. 4. *sicut cremium aruerunt*. A. R. Rom. *sicut in frixorio confrixa sunt*. Sic fere G. At M. *sicut frixorio confrixa sunt*. C. *sicut frixorium confrixa sunt*. Favet Gr.

℣. 5. *Percussus sum*. A. G. C. *Percussum est*. Et sic Hebr.

℣. 6. *adhæsit os meum*. A. R. Rom. G. C. *adhæserunt ossa mea*.

℣. 7. *in domicilio*. A. *in parietinis*.

℣. 8. *solitarius in tecto*. A. M. G. *singularis*, etc. R. Rom. C. *unicus*. R. Rom. M. G. C. *in ædificio*.

℣. 10. *cum fletu*. G. *cum felle*.

℣. 15. *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus*. A. juxta Gr. *Quoniam beneplacitum habuerunt servi tui in lapides ejus*. Sic etiam R. Rom. M. C. omissa tantum particula *in*. At G. *Quoniam bene senserunt servi tui lapides ejus*.

Item ℣. 15. *et terræ ejus*. A. M. G. *et pulveris ejus*. Favet Gr. et Hebr.

℣. 17. *ædificavit*. A. R. Car. *ædificabit*. Et sic Gr. et Hebr.

℣. 21. *filios interemptorum*. A. *filios mortificatorum*. M. *filios morte afflictorum*. Hebr. *filios mortis*.

℣. 23. *et reges*. A. R. Rom. G. *et regna*. Et sic Hebr.

℣. 25. *in generationem et generationem*. A. juxta Gr. *in generatione generationum*.

EX PSALMO CII.

℣. 2. *retributiones ejus*. Gr. sonat, *laudationes ejus*.

℣. 4. *de interitu*. A. *de corruptione*. Et sic Hebr.

℣. 9. *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur*. A. R. Rom. M. G. C. Gr. *Non in finem irascetur, neque in æternum indignabitur*.

℣. 14. *Recordatus est quoniam pulvis sumus*. A. juxta Gr. *Memento quia pulvis sumus*. R. Rom. G. C. *Memento, Domine, quia pulvis sumus*.

℣. 19. *omnibus dominabitur*. G. juxta Gr. *omnium dominatur*.

EX PSALMO CIII.

℣. 3. et seq. *tegis aquis*. . . *ponis*, etc. A. *protegit in aquis*. R. Rom. M. G. C. *tegit in aquis*. A. R. Rom. M. G. C. *ponit*. . . *ambulat*. . . *facit angelos suos*. . . *fundavit terram*, etc.

℣. 11. *exspectabunt onagri in siti sua*. A. juxta Gr. *suscipient onagri in sitim suam*.

℣. 14. *ut educas*. A. R. Rom. M. G. C. juxta Gr. et Hebr. *ut educat*.

℣. 15. *lætificet*. A. M. G. C. juxta Gr. et Hebr. *lætificat*.

Item ℣. 15. *confirmet*. A. M. G. C. Gr. *confirmat*. Hebr. *roborat*.

℣. 18. *Herodii domus*, etc. A. R. Rom. M. G. C. *Fulicæ domus*. M. *Sturni domus ducatum eis præbet*. Hebr. *Milvo abies domus ejus*.

Item ℣. 18. *herinaciis*. A. *hericiis et leporibus*.

℣. 24. *possessione tua*. A. R. Rom. M. G. C. *creatura tua*. Et sic Gr. nunc habens κτίσεως, *creatura*, pro κτήσεως, *possessione*.

℣. 25. *et spatiosum manibus*. Vox *manibus* abest ab A. R. Rom. M. G. C. et a Gr.

℣. 27. *in tempore*. A. M. addunt, *opportuno*.

℣. 34. *Jucundum sit ei eloquium meum*. A. R. Rom. M. G. C. *suavis sit ei*. A. M. *disputatio mea*. R. Rom. G. C. *laudatio mea*.

EX PSALMO CIV.

℣. 14. *Non reliquit*. A. Hebr. *dimisit*. R. Rom. M. G. C. *Non permisit*.

℣. 18. *pertransiit animam ejus*. G. C. Car. juxta Gr. *pertransiit anima ejus*. Hebr. *in ferrum venit anima ejus*.

℣. 22. *et senes ejus prudentiam doceret*. Gr. interprete Augustino sonat, *et seniores ejus sapientiam doceret*.

℣. 28. *et non exacerbavit sermones suos*. Lectiones duas adducit Augustinus, unam in plurimis codicibus a se inventam, scilicet, *et exacerbaverunt sermones ejus*. Alteram in duobus tantum libris, *et non exacerbaverunt sermones ejus*. Priorem lectionem habent G. et Gr. At R. Rom. M. ferunt, *quia exacerbaverunt sermones ejus*. C. *et non præteriit sermones suos*. Hebr. *et non fuerunt increduli verbis ejus*.

℣. 30. *Edidit terra eorum ranas*. A. *Dedit terram eorum ranas*. R. M. *Misit terra*, etc. Rom. *Misit in terra*, etc. C. *Et misit*, etc. Hebr. *Ebullivit terra*, etc.

℣. 31. *et venit cynomyia*. M. *et venit musca canina*.

Item ℣. 31. *et scyniphes*. G. *et vermes*.

℣. 38. *quia incubuit*. R. Rom. M. C. *quia cecidit*. Hebr. *quia irruerat*.

℣. 40. *Petierunt*. R. Rom. *Petierunt carnes*. C. *Petierunt carnem*.

℣. 41. *in sicco*. M. *in siccis*. Suffragantur. C. Gr. et Hebr.

℣. 44. *et labores*. C. *et civitates*.

EX PSALMO CV.

℣. 1. *quoniam bonus*. Gr. χρηστός, quod verbum hic, et in subsequente psalmo, nonnulli, teste Augustino, interpretati sunt, *suavis*. Hinc ipse in ℣. 5 pro χρηστότητι, habet *suavitate*, ubi vulgata *bonitate*. Sic in Psal. CXVIII, ℣. 65 et aliis locis varietas contingit.

℣. 5. *Ad videndum*.·.·. *ad lætandum*.·.·. *ut lauderis*. Observat Augustinus Græcam locutionem primum, hic unam esse, ut dici deberet, *ad laudandum*; deinde aliis duobus modis verti potuisse, nimirum, *Ut videas, ut læteris, ut lauderis* : vel, *Ut videamus, ut lætemur, ut laudemur*. Hebr. habet, *Ut videam, et læter, et exsultem*.

℣. 7. *Et irritaverunt*. C. *Et exacerbaverunt*. Quidam codices, teste Augustino, *Et amaricaverunt*.

Item ℣. 7. *in mare, mare Rubrum*. Vox *mare* non repetitur apud R. Rom. M. G. C. Gr. Enarr. in Psal. 105, n. 7.

℣. 9. *et deduxit eos in abyssis*. A. R. Rom. M. *et eduxit eos*, etc. R. Rom. M. G. *in aquis multis*.

℣. 12. *et laudaverunt laudem ejus*. R. Rom. M. *et cantaverunt laudes ejus*.

℣. 13. *Cito fecerunt, obliti sunt*. G. *Festinaverunt, et obliti sunt*. C. *Cito obliti sunt*. Et sic Hebr.

℣. 17. *super congregationem Abiron*. C. *tabernaculum*. A. *biron* : omisso, *et operuit super*.

℣. 20. *in similitudinem*. A. *in similitudine*.

℣. 28. *Et initiati sunt Beelphegor*. R. Rom. M. C. *Et consecrati sunt*, etc. G. *et consummati sunt vehementer*.

℣. 29. *in adinventionibus suis*. R. Rom. G. C. Hebr. *in studiis suis*. M. *in observationibus suis*. Et sic postea R. Rom. in ℣. 39, quo loco M. habet *studiis*.

℣. 30. *et placavit*. R. Rom. M. G. C. *et exoravit*.

℣. 38. *Et infecta est*. A. M. G. C. *Et interfecta est* : juxta Gr. ἐφονοκτονήθη. Et sic habet Vulgata in Car. Ger.

℣. 40. *furore*. R. Rom. G. *animo*.

℣. 44. *et audivit*. A. et Hebr. *cum audiret*. R. Rom. M. G. C. *cum exaudiret*.

EX PSALMO CVI.

℣. 8. *misericordiæ ejus*. G. *misericordias ejus*, constanter quoties repetitur iste versiculus : et plerumque suffragatur C.

℣. 11. *exacerbaverunt* .·.·. *irritaverunt*. A. *inamaricaverunt* .·.·. *exacerbaverunt*.

℣. 20. *de interitionibus*. A. G. *de corruptela*. R. Rom. Hebr. *de interitu*. M. *de corruptionibus*. Gr. ἐκ τῶν διαφθορῶν.

℣. 29. *Et statuit procellam ejus in auram*. A. G. juxta Gr. *et imperavit procellæ, et stetit in auram*. M. *et percussit procellam, et stetit in auram*.

℣. 36. *civitatem*. G. C. juxta Gr. *civitates*.

℣. 37. *fructum nativitatis*. A. *fructum frumenti*. Gr. *fructum geniminis*. Hebr. *fruges genimina*.

℣. 39. *et dolore*. R. Rom. *et dolorum*. M. *et dolore improperiorum*.

℣. 40. *et errare fecit eos*. A. M. G. *et seduxit eos*. R. Rom. *et seduxerunt eos*.

℣. 43. *et custodiet hæc*. M. G. C. *et intelliget hæc*.

EX PSALMO CVII.

℣. 3. *Exsurge gloria mea*. Id abest a Vulgata in Car. Colb. Gal. et ab A. G. C. et recte, uti docet Hieronymus in epist. 135, quia nec in Hebr. nec in Gr. habetur.

℣. 8. *Exsultabo*. A. G. C. juxta Gr. *Exaltabor*.

℣. 9. *susceptio capitis mei*. R. Rom. G. C. *fortitudo capitis mei*. Hebr. *hæreditas capitis mei*.

℣. 10. *extendam*. G. *immittam*. Gr. ἐπιβαλῶ. Hebr. *projiciam*.

Item ℣. 10. *amici facti sunt*. R. Rom. M. G. C. Gr. *subditi sunt*.

℣. 11. *in civitatem munitam*. G. C. *in civitatem circumstantiæ*.

℣. 13. *quia vana*. R. Rom. M. G. C. *et vana*.

EX PSALMO CVIII.

℣. 17. *mortificare*. R. Rom. M. *morti tradidit*.

℣. 21. *fac mecum propter*, etc. A. R. Rom. M. G. C. *fac mecum misericordiam propter*, etc.

℣. 24. *propter oleum*. G. C. *propter misericordiam* : et G. addit, *tuam*. Hebr. habet, *absque oleo*. Theodoretus ex Symmacho ἀπὸ ἀνηλειψίας, *ab omissione unctionis*.

℣. 28. *confundantur*. G. C. Ger. *confundentur*.

EX PSALMO CIX.

℣. 2. *dominare*. R. Rom. M. G. C. *et dominaberis*.

℣. 6. *conquassabit capita in terra multorum*. A. G. C. *conquassavit*. A. *capita super terram multa*. R. Rom. G. C. *capita multa in terra copiosa*.

℣. 7. *bibet*. A. G. *bibit*.

Item ℣. 7. *exaltabit*. A. *exaltavit*.

EX PSALMO CX.

℣. 10. *facientibus eum*. R. G. C. *facientibus ea*. Et sic Hebr. in MSS.

EX PSALMO CXI.

℣. 1. *volet nimis*. R. Rom. *cupit nimis*.

℣. 4. *lumen rectis*. A. R. Rom. M. G. C. addunt, *corde*.

℣. 5. *Jucundus*. A. *Suavis*. Gr. χρηστός.

℣. 8. *donec despiciat*, etc. A. R. Rom. M. G. C. *donec videat*, etc. A. juxta Gr. *super inimicos suos*. Hebr. *donec aspiciat in hostibus suis*.

℣. 10. *fremet*. A. *frendet*.

EX PSALMO CXII.

℣. 3. *laudabile nomen Domini*. A. R. Rom. M. G. C. *laudate nomen Domini*.

EX PSALMO CXIII.

℣. 2. *Israel potestas ejus*. R. Rom. G addunt, *Israel regnavit in ea*.

℣. 4. *exsultaverunt*. A. *gestierunt*. Et in ℣. 6, loco *exsultastis*, habet *gestiistis*.

℣. 8. *petram in stagna*, etc. R. Rom. G. C. *solidam petram*. R. Rom. *in stagnum aquæ*.

EX PSALMO ALTERO CXIII.

℣. 3. *in cœlo : omnia quæcumque*, etc. A. R. Rom. M. G. C. *in cœlo sursum, in cœlo* (sive *in cœlis*) *et in terra omnia quæcumque voluit fecit*.

℣. 7. *in gutture suo*. R. Rom. M. addunt, *neque enim est spiritus in ore ipsorum* : quod ascitum est ex

Psal. cxxxiv. 17.

℣. 14. *super vos*. Id hic nonnisi semel exstat in R. Rom. C.

℣. 15. *a Domino*. Particulam *a* non habent A. G. C. Car. Gr. Hebr.

℣. 18. *benedicimus*. G. *benedicamus*. Gr. sonat, *benedicemus*. Et sic Hebr.

EX PSALMO CXIV.

℣. 1. *exaudiet*. R. Rom. *exaudivit*.

℣. 4. *invocavi*. M. *invocabo*.

℣. 9. *Placebo Domino*. A. juxta Gr. *Placebo in conspectu Domini*. Hebr. *Deambulabo coram Domino*.

EX PSALMO CXV.

℣. 11. *in excessu meo*. A. juxta Gr. *in ecstasi mea*. R. Rom. M. G. C. *in excessu mentis meæ*. Hebr. *in stupore meo*.

℣. 14. *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus*. Iste versiculus abest ab A. R. Rom. M. G. C.

℣. 17. *et nomen Domini invocabo*. Id apud. A. R. Rom. M. G. C. non habetur.

EX PSALMO CXVI.

℣. 1. *laudate eum*. R. Rom. M. G. *et collaudate eum*.

EX PSALMO CXVII.

℣. 2. *Dicat nunc Israel*. A. *Dicat autem*. A. M. C. juxta Gr. *domus Israel*.

℣. 3. *domus Aaron*. A. R. Rom. M. G. addunt, *quoniam bonus*: quod itidem, uno excepto. A. repetunt in medio ℣. 4.

℣. 7. *despiciam inimicos meos*. R. Rom. G. C. *videbo inimicos meos*. M. *videbo super inimicos meos*.

℣. 10. et proxime subsequentibus, *quia ultus sum in eos*. A. R. Rom. M. G. juxta Gr. *ultus sum eos*, omissis *quia* et *in*: nisi quod R. Rom. in ℣. 12 variant habentque, *vindicabor in eis*.

℣. 12. *sicut apes*. A juxta Gr. *sicut apes favum*.

℣. 13. *Impulsus eversus sum*. A. *Tanquam cumulus arenæ impulsus sum*. R. Rom. M. G. C. *Impulsus versatus sum*. Hebr. *Impulsus pellebar*.

℣. 16. *dextera Domini fecit virtutem*. In secundo loco non repetitur apud R. Rom.

℣. 19. *in eas*. A. juxta Gr. *in eis*. Neutrum est in G.

Item ℣. 19. *confitebor*. G. *confitear*. Et sic Hebr.

℣. 20. *hæc porta* .·.·. *in eam*. A. *hæ portæ* .·.·. *in eas*.

℣. 23. *factum est istud, et est mirabile*. A. *factus est ei, et est mirabilis*. G. C. *factus est, hic est mirabilis*. Gr. *facta est hæc, et est mirabilis*.

℣. 25. *bene prosperare*. A. *bene prospera iter vero*. Gr. εὐόδωσον δή. M. *bene prospera nunc*.

℣. 26. *qui venit*. At in Car. Colb. Ger. Gal. Vulgata habet, *qui venturus*; et solus codex Gr. addit *est*.

℣. 27. *diem solemnem in condensis*. A. *diem festum*. M. *solemnitatem*. A. R. Rom. M. C. *in confrequentationibus*. G. *in confrequentantibus*.

Item ℣. 27. *ad cornu*. A. G. juxta Gr. *ad cornua*.

EX PSALMO CXVIII.

℣. 8. *usquequaque*. A. juxta Gr. *usque valde*. H. *usque nimis*. Sic ad eamdem vocem variant codices in ℣℣. 13, 43, 51 et 107.

℣. 9. *corrigit adolescentior*. G. Gr. *corriget*. R. Rom. Amb. G. C. *juvenior*.

℣. 15. *exercebor*. A. *garriam*. R. Rom. M. *meditabor*. G. *exercitabor*. Gr. ἀδολεσχήσω; quod frequens in hoc psalmo redditur per verbum *exerceri*.

℣. 17. *vivifica me*. A. R. Rom. Amb. G. H. C. juxta Gr. et Hebr. *vivam*. M. *ut vivam*.

℣. 20. *justificationes tuas*. M. Amb. H. juxta Gr. et Hebr. *judicia tua*.

℣. 24. *et consilium meum*. R. Rom. G. C. *et consolatio mea*.

℣. 27. *instrue me* A. R. Rom. Amb. C. *insinua mihi*. G. *erudi me*. M. H. *fac ut intelligam*. Notat Aug. de Græco expressius dici, *fac me intelligere*. Et sic habet Hebr.

℣. 28. *Dormitavit*. ·.·. *præ tædio*. Amb. *Stillavit*, etc. G. *Ingemuit*. ·.·. *a vexatione*.

℣. 35. *in semitam*. A. H. Car. juxta Gr. *in semita*. C. *in lege*. G. *in legem*.

℣. 36. *et non in avaritiam*. H. G. C. *et non in utilitatem*.

℣. 38. *in timore tuo*. A. juxta Gr. et Hebr. *in timorem tuum*.

℣. 39. *Amputa*. H. *Circumcide*.

Item ℣. 39. *jucunda*. A. *suavia*. Amb. *dulcia*.

℣. 40. *vivifica me*. G. *sanctifica me*.

℣. 43. *usquequaque*. G. *usque in finem*.

℣. 46. *in testimoniis tuis*. R. Rom. M. H. *de testimoniis tuis*.

℣. 47. *quæ dilexi*. R. Rom. Amb. et Gr. addunt, *nimis*. M. H. *vehementer*. G. *valde*. At in subsequenti ℣. R. Rom. addunt, *vehementer*. Amb. G. C. *nimis*.

℣. 52. *et consolatus sum*. H. *et exhortatus sum*.

℣. 53. *Defectio tenuit me*. A. M. *Tædium tenuit me*. R. Rom. G. *Defectio animi tenuit me*. Amb. *Pusillanimitas detinuit me*. Gr. ἀθυμία.

℣. 57. *Portio mea, Domine*. A. Amb. H. C. *Pars* (vel *portio*) *mea Dominus*.

℣. 59. *vias meas*. Rom. M. G. C. juxta Gr. *vias tuas*.

℣. 65. *Bonitatem*. A. *Suavitatem*. Amb. *Jucunditatem*. Gr. χρηστότητα. Eadem vox habetur in ℣. 66 et 68.

℣. 66. *et disciplinam*. A. *et eruditionem*.

℣. 68. *Bonus es tu*, etc. A. *Suavis es Domine*, *et in suavitate tua doce me*, etc.

℣. 69. *corde meo*. Abest *meo* a G. H. C. Car. Ger. Gal. et superfluum esse dicit Hieron. in epist. 135.

℣. 73. *et plasmaverunt me*. A. *et finxerunt me*. G. H. *et præparaverunt me*. Favet Amb.

℣. 75. *et in veritate tua*. A. juxta Gr. *et veritate*, omisso *tua*. H. et Hebr. *et vere*.

℣. 76. *Fiat*. R. Rom. Amb. C. addunt, *nunc*. M. addit, *vero*. Quia scilicet in Gr. est particula δή.

Item ℣. 76. *ut consoletur me*. M. Amb. G. H. C. *ut exhortetur me*.

℣. 78. *exercebor*. M. *meditabor*. G. *permanebo*.

℣. 82. *consolaberis me*. G. H. C. *exhortaberis me*.

℣. 83. *in pruina*. Amb. *in gelicidio*.

℣. 85. *fabulationes*. A. *delectationes*. Amb. G. H. C. *exercitationes*. Gr. ἀδολεσχίας.

℣. 86. *inique*. R. Rom. M. G. C. *iniqui*.

℣. 92. *in humilitate mea*. G. *in humiliatione mea*. Hebr. *in pressura mea*.

℣. 95. *intellexi*. G. *non intellexerunt*.

℣. 96. *Omnis consummationis*. R. Rom. G. C. Car. Colb. et Hebr. *Omni consummationi*.

℣. 98. *prudentem me fecisti mandato tuo*, etc. A. M. *sapere me fecisti mandatum tuum*. Gr. ἐσόφισάς με τὴν ἐντολήν σου. Amb. *intelligere me fecisti mandata, quia tu es*.

℣. 100. *Super senes*. ·.·. *quæsivi*. A. R. Rom. M. Amb. G. H. C. juxta Gr. *Super seniores*. ·.·. *exquisivi*. Hebr. *servavi*.

℣. 101. *prohibui*. M. *prohibe*. G. *prohibuisti*.

℣. 103. *super mel*. A. R. Rom. M. Amb. G. C. addunt, *et favum*.

℣. 108. *beneplacita fac*. M. *bene prospera nunc*. G. *proba*. Amb. *comproba*. C. *comproba nunc*. Gr. εὐδόκησον δή. Hebr. *complaceant tibi*.

℣. 109. *in manibus meis*. A. R. Rom. M. Amb. G. H. C. juxta Gr. *in manibus tuis*.

℣. 118. *Sprevisti*. Gr. ἐξουδένωσας: quod Augustinus dicit diligentius expressum hoc modo, *Ad nihilum deduxisti*. Hebr. habet, *Abjecisti*.

℣. 119. *testimonia tua*. A. M. Amb. G. C. addunt, *semper*.

℣. 120. *Confige timore tuo*, etc. A. Amb. *Confige clavis a timore tuo*. Gr. καθήλωσον; quod verbum sine clavis, inquit Augustinus, intelligi non potest.

℣. 121. *calumniantibus me*. A. M. Amb. H. C. *nocentibus me*. R. Rom. G. *persequentibus me*.

ỳ. 122. *Suscipe*, etc. A. *Excipe*. R. Rom. M. G. C. *Elige*. Hebr. *Sponde pro servo tuo in bonum*.
Item ỳ. 122. *non calumnientur*. R. Rom. M. G. *ut non calumnientur*.
ỳ. 126. *faciendi Domine*. A. G. H. juxta Gr. *faciendi Domino*. Favet Amb. in ratione interpretandi.
ỳ. 128. *dirigebar*. A. Amb. *corrigebar*.
ỳ. 136. *Exitus aquarum deduxerunt*, etc. C. *Per exitus aquarum*, etc. R. Rom. M. G. H. C. *transierunt*. A. *descenderunt*. Amb. *In decursus aquarum descenderunt*. Hebr. *Rivi aquarum fluebant de oculis meis*.
Item ỳ. 136. *non custodierunt*. Amb. et. Gr. *non custodiri*.
ỳ. 139. *Tabescere me fecit zelus meus*. A. M. *Tabefecit me*, etc. Amb. G. *Exquisivit me*, etc. M. H. *zelus tuus*. R. Rom. Amb. G. C. *zelus domus tuæ*. Vide Enarr. in Psal. 118, serm. 28, n. 2.
ỳ. 143. *et angustia*. A. M. Amb. *et necessitas*. Gr. ἀνάγκαι.
ỳ. 144. *et vivam*. M. G. *et vivifica me*. H. *eorum, et vivificer*.
ỳ. 147. *in maturitate*. A. *in intempesta nocte*. Gr. ἐν ἀωρίᾳ, *in immaturitate* : quæ lectio probatur Augustino. Hebr. habet, *Surgebam adhuc in tenebris*.
ỳ. 148. *ad te diluculo*. A. juxta Gr. *ad matutinum*.
ỳ. 150. *iniquitati*. A. *iniquitate*. Amb. G. C. *inique*. R. Rom. *iniqui*.
ỳ. 156. *multæ*. R. Rom. Amb. addunt, *nimis*. H. *valde*.
ỳ. 158. *Vidi prævaricantes*. A. *Vidi insensatos*. Gr. ἀσυνθετοῦντας. R. Rom. M. Amb. G. H. C. *non servantes pactum*.
ỳ. 166. *dilexi*. Amb. G. *feci*.
ỳ. 167. *et dilexit*. A. R. Rom. G. C. Car. Hebr. *et dilexi*.
ỳ. 172. *mandata tua æquitas*. A. *mandata tua judicia* : forte, *justitia*, ut Amb. At C. *mandata tua veritas*.
ỳ. 176. *quære*. Amb. G. H. *vivifica*. Hanc discrepantiam notat Augustinus, ortam ab exemplaribus græcis, quorum aliqui ζῆσον habebant, pro ζήτησον.

EX PSALMO CXIX.

ỳ. 1. *Canticum graduum*. G. *Canticum ascensuum*.
Item ỳ. 1. *Ad Dominum*. . . . *et exaudivit me*. A. G. H. *Ad te, Domine*. . . . *et exaudisti me*.
ỳ. 5. *prolongatus est*. A. *longinquus factus est*.
Item ỳ. 5. *cum habitantibus Cedar*. A. juxta Gr. et Hebr. *cum tabernaculis Cedar*. Sic etiam Hilarium legisse ex interpretandi ratione cognoscitur.
ỳ. 6. *multum incola fuit*. A. *multum peregrinata est*. Et sic Hebr.

EX PSALMO CXX.

ỳ. 3. *Non det*. A. juxta Gr. *Non des*.
ỳ. 5. *custodit te*. A. H. juxta Gr. *custodiet te*.
Item ỳ. 5. *protectio tua*. A. *tegumentum tuum*.
Item ỳ. 5. *dexteram tuam*. A. R. Rom. M. G. H. C. *dexteræ tuæ*.

EX PSALMO CXXI.

ỳ. 1. *quæ dicta sunt mihi*. A. juxta Gr. *qui dixerunt mihi*.
ỳ. 2. *in atriis tuis*. Vox *tuis* abest ab A. G. H. C.
ỳ. 4. *nomini Domini*. A. R. Rom. G. C. *nomini tuo, Domine*.
ỳ. 5. *in judicio*. A. juxta Gr. *in judicium*.
ỳ. 6. *Rogate*. A. M. juxta Gr. *Interrogate*.
ỳ. 7. *in turribus tuis*. H. *in turribus tuis gravibus*. Gr. ἐν ταῖς πυργοβάρεσί σου.
ỳ. 8. *loquebar*. A. G. juxta Gr. *loquebar autem*.

EX PSALMO CXXII.

ỳ. 2. *in manibus*. Gr. utroque loco sonat, *in manus*.
ỳ. 4. *Quia multum repleta est*. A. G. juxta Gr. *In plurimum*, etc.

EX PSALMO CXXIII.

ỳ. 3. *furor eorum*. R. Rom. M. H. C. *animus eorum*.
ỳ. 4. *aqua absorbuisset nos*. A. *aqua demersisset nos*. R. Rom. *velut aqua absorbuissent nos*. M. *ut aquam absorbuissent nos*.
ỳ. 5. *Forsitan pertransisset*. A. juxta Gr. *Forsitan pertransiit*.
Item ỳ. 5. *aquam intolerabilem*. A. *aquam sine substantia*. Gr. τὸ ὕδωρ τὸ ἀνυπόστατον. M. G. H. *aquam immensam*.
ỳ. 6. *in captionem*. A. G. juxta Gr. *in venationem*. M. *in capturam*.

EX PSALMO CXXIV.

ỳ. 1. *non commovebitur* . . . *qui habitat*. A. *non commovebuntur* . . . *qui inhabitant*.
ỳ. 5. *in obligationes, adducet*. A. *in strangulationem, abducet*. Favet Gr. εἰς τὰς στραγγαλιὰς ἀπάξει. G. *ad suffocationes*. C. *in pravitatibus*. Hebr. *ad pravitates suas*. Sunt qui in Vulgata pro *obligationes*, scribendum putant *obliquationes*, id est *tortuositates*.

EX PSALMO CXXV.

ỳ. 1. *In convertendo*. A. cum Hebr. *Cum converteret* G. *Cum averteret*. Gr. ἐν τῷ ἐπιστρέψαι Κύριον.

EX PSALMO CXXVI.

ỳ. 1. *frustra vigilat*. A. G. *in vanum laboravit*.
ỳ. 5. *qui implevit*. M. juxta Gr. et Hebr. *qui implebit*. Et sic habebat Vulgata in Colb. Ger. Gal.
Item ỳ. 5. *non confundetur cum loquetur*. A. Rom. G. H. C. juxta Gr. *non confundentur cum loquentur*.

EX PSALMO CXXVII.

ỳ. 2. *Labores manuum tuarum quia manducabis*. A. R. Rom. M. G. H. C. *Labores fructuum tuorum manducabis*. Erratum ex ambigua voce græca, τῶν καρπῶν : καρποὶ enim dicuntur et fructus, et palmæ seu manus, ex Hieron. in Epist. 141.
ỳ. 3. *sicut novellæ*. A. *velut novellatio*. H. *sicut novella*. Et sic Vulgata in Car. Colb. Ger.
ỳ. 5. *bona Jerusalem*. A. M. G. C. *quæ bona sunt Jerusalem*. R. Rom. *quæ bona sunt in Jerusalem*.
ỳ. 6. *pacem*. A. R. Rom. M. G. C. juxta Gr. *pax*.

EX PSALMO CXXVIII.

ỳ. 1. *dicat nunc*. A. *dicat vero*. Gr. δή.
ỳ. 3. *prolongaverunt*. A. *longe fecerunt*.
ỳ. 4. *concidit*. A. R. Rom. M. G. H. C. juxta Gr. et Hebr. *concidet*. Et sic Vulgata in Car. Colb. Ger. Gal.
ỳ. 5. *et convertantur retrorsum*. R. Rom. *et revereantur*.
ỳ. 6. *fenum tectorum*. R. Rom. M. G. H. C. *fenum ædificiorum*.
ỳ. 7. *implevit* . . . *metit* . . . *colligit*. R. Rom. C. *implebit* . . . *metet* . . . *colliget*. Sic etiam Vulgata in Car. Colb. Ger. Gal. et favet Hebr.

EX PSALMO CXXIX.

ỳ. 2. *in vocem deprecationis meæ*. R. Rom. C. *in orationem servi tui*.
ỳ. 3. *Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis*, etc. G. *Si iniquitas assistit, quis*, etc.
ỳ. 4. *propter legem tuam*. M. juxta Gr. *propter nomen tuum*.
Item ỳ. 4. *in verbo ejus*. A. R. H. C. juxta Gr. *in verbum tuum*.
ỳ. 6. A. *A custodia*. A. Rom. M. *A vigilia*.

EX PSALMO CXXX.

ỳ. 2. *Sicut ablactatus est super*, etc. H. *Sicut ablactato*. G. C. Car. Colb. Ger. juxta Gr. *Sicut ablactatum*. R. Rom. G. H. C. *super matrem suam, ita retribues*. Et sic Gr.

EX PSALMO CXXXI.

ỳ. 1. *mansuetudinis ejus*. G. *modestiæ ejus*. Hebr. *afflictionis ejus*.
ỳ. 6. *in campis silvæ*. A. *in campis saltuum*.
ỳ. 7. *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus*, etc. Gr. sonat, *Intremus in tabernacula ejus, adoremus*, etc. Et sic Hebr.
ỳ. 9. *induantur* . . . *exsultent*. Gr. *induentur* . . . *exsultabunt*.
ỳ. 11. *et non frustrabitur eam*. A. *et non pœnitebit eum*. R. Rom. M. G. H. C. *et non frustrabitur eum*. Hebr. *et non avertetur ab ea*.
ỳ. 13. *elegit eam*. A. R. Rom. M. G. H. C. juxta Gr. *prælegit eam*. Hebr. *desideravit eam*.

℣. 14. *elegi eam.* A. R. Rom. M. G. H. C. Gr. *præelegi eam.* Hebr. *desideravi eam.*

℣. 15. *Viduam ejus.* Quidam interpres, *Captionem ejus*, teste Hilario, qui alteram lectionem antiquiorem esse et omnino sequendam dicit. Gr. habet θήραν, *venationem :* sed in multis codicibus habuit χήραν, *viduam*, uti observat Hieron. quæst. in Gen., c. 45, quo loco docet verbum Hebræum significare *cibaria :* licet in Psalterio transtulerit ipse *venationem.*

℣. 17. *Illuc producam.* A. *Ibi suscitabo.* Gr. ἐκεῖ ἐξανατελῶ. Hebr. *Ibi oriri faciam.* R. Rom. G. H. C. *Illic producam.*

℣. 18. *efflorebit.* G. *floriet.* In quod Aug. de Doctrina Christiana, l. 2, c. 13. *Illud*, ait, *quod jam auferre non possumus de ore cantantium populorum*, *Super ipsum autem floriet sanctificatio mea; nihil profecto sententiæ detrahit : auditor tamen peritior mallet hoc corrigi, ut non* floriet, *sed* florebit *diceretur.*

EX PSALMO CXXXII.

℣. 3. *in montem Sion.* A. juxta Gr. *super montes Sion.*

EX PSALMO CXXXIV.

℣. 3. *quia bonus Dominus.* R. Rom. G. H. *quoniam benignus est Dominus.* C. *quoniam suavis Dominus.*

Item ℣. 3. *quoniam suave.* A. R. Rom. G. *quoniam suavis est.* M. *quoniam bonus.* Gr. ὅτι καλὸν, *quoniam decens;* et sic Hebr.

℣. 5. *præ omnibus diis.* A. *super omnes deos.*

℣. 7. *Educens.* A. *Suscitans.* Hebr. *Levans.*

℣. 10. *reges fortes.* G. *reges mirabiles.*

℣. 12. *populo suo.* A. M. C. *servo suo.*

℣. 14. *judicabit.* A. *judicavit.*

Item ℣. 14. *deprecabitur.* A. *advocabitur.* Gr. παρακληθήσεται. R. Rom. M. H. C. *consolabitur.* Hebr. *erit placabilis.*

℣. 17. *et non audient.* His verbis subjicitur apud A. *nares habent, et non odorabunt; os habent, et non loquentur; manus habent, et non operabuntur; pedes habent, et non ambulabunt.* Apud R. Rom. M. G. H. C. *nares habent, et non odorabunt; manus habent, et non palpabunt; pedes habent, et non ambulabunt; non clamabunt in gutture suo.*

Idem ℣. 17. *neque enim est spiritus in ore ipsorum.* Hæc verba præterit A.

℣. 21. *ex Sion.* Gr. sonat, *in Sion.*

EX PSALMO CXXXV.

℣. 1. *in æternum.* R. Rom. M. G. C. *in sæculum.*

℣. 2. *quoniam in æternum misericordia ejus.* Apud M. loco istius clausulæ, per omnes versus repetitur tantum, *quoniam bonus.*

℣. 7. *luminaria magna.* Additur *solus* in A. R. Rom. M. G. H. C. et Gr.

℣. 15. *et virtutem ejus.* R. Rom. G. C. *et exercitum ejus.* Et sic Hebr. At M. *et omnem potentiam ejus.*

℣. 17. *Qui percussit*, etc. Huic versiculo in R. Rom. G. C. alius iste præmittitur : *Qui eduxit aquam de petra rupis, quoniam in sæculum*, etc.

℣. 18. *reges fortes.* R. Rom. G. C. *reges mirabiles.* Hebr. *reges magnificos.*

EX PSALMO CXXXVI.

℣. 5. *oblivioni detur dextera mea.* A. R. Rom. M. G. H. C. *obliviscatur me dextera mea.*

℣. 6. *proposuero.* A. G. C. Car. Gr. *præposuero.*

℣. 7. *usque ad fundamentum.* A. *usque dum fundamentum.* G. H. C. *quoadusque fundamentum.*

EX PSALMO CXXXVII.

℣. 1. *Ipsi David.* Gr. addit, *Aggæi et Zachariæ.*

Item ℣. 1. *quoniam audisti verba oris mei.* Id abest a G. et Hebr.

℣. 2. *et veritate tua.* G. *et pietate tua.*

Item ℣. 2. *super omne.* R. Rom. *super nos.* M. G. H. C. *super omnia.*

℣. 3. *exaudi me.* A. M. Gr. *cito exaudi me.* C. *velociter*, etc.

Item ℣. 3. *multiplicabis in anima mea virtutem.* R. Rom. addunt. *tuam.* At A. habet, *multiplicabis me in anima mea virtute.* G. C. *multiplicasti me in anima mea in virtute tua.* H. et Gr. concordant cum A. cui tantum addunt, *tua.*

℣. 5. *in viis Domini.* R. Rom. G. C. *in canticis*, etc., quia pro ὁδοῖς, legebatur ᾠδαῖς. R. Rom. C. *Domino.*

℣. 8. *Dominus retribuet.* A. G. juxta Gr. *Domine retribues.* R. Rom. *Domine retribue.*

Item ℣. 8. *in sæculum.* A. *in æternum.*

Item ℣. 8. *ne despicias.* G. H. *non omittas.* Hebr. *ne dimittas.* Gr. μὴ παρίδῃς.

EX PSALMO CXXXVIII.

℣. 2. *sessionem meam.* G. *passionem meam.*

℣. 3. *et funiculum meum*, etc. A. *et limitem meum.* R. Rom. G. H. C. *et directionem meam.* M. *et funem meum.* Hebr. *et accubitionem meam.*

℣. 4. *non est sermo.* A. R. Rom M. G. H. C. *non est dolus.* In Gr. λόγος ἄδικος.

℣. 9. *diluculo.* A. *in directum.* R. Rom. G. H. C. *ante lucem.* G. *ante lucem in directum.* M. *a matutino.* Gr. κατ' ὀρθὸν : pro quo in aliis libris, κατ' ὄρθρον.

℣. 11. *illuminatio mea.* Vox *mea* abest ab A. Car. Ger. Gr.

℣. 14. *magnificatus es.* A. R. Rom. M. juxta Gr. *mirificatus es.* G. H. *mirificatus sum.* Hebr. *magnificasti me.*

℣. 15. *Non, est occultatum os meum a te, quod fecisti in abscondito.* G. *Non occultum ossum meum ad ea quæ fecisti in occulto.*

℣. 16. *Imperfectum meum*, etc. M. juxta Gr. *Inoperatum meum.* G. *Imperfectum tuum viderunt oculi mei.* Hebr. *informem adhuc me*, etc.

Item ℣. 16. *dies formabuntur.* A M. C. *per diem*, etc. A. *errabunt. :* quasi in Gr. legerit πλαγχθήσονται, pro πλασθήσονται. H. *die replebuntur.*

℣. 17. *honorificati sunt.* M. *honorandi sunt.*

Item ℣. 17. *confortatus est.* A. juxta Gr. *confortati sunt.* G. C. *confirmati sunt.*

℣. 20. *dicitis in cogitatione.* A. H. C. Gr. *dices in cogitatione.* G. *dicis*, etc. M. *contentiosi estis in cogitationibus.* Hebr. *contradicent tibi scelerate.*

Item ℣. 20. *civitates tuas.* A. R. Rom. M. G. Car. Colb. Ger. Gal. *civitates suas.*

℣. 23. *interroga me, et cognosce semitas meas.* A. *Scrutare me*, etc. M. *Afflige me, et scito vias meas.*

℣. 24. *in via æterna.* R. Rom. H. *in viam æternam.*

EX PSALMO CXXXIX.

℣. 4. *sicut serpentis.* A. R. Rom. M. G. H. C. *sicut serpentes.* Et sic Vulgata in Car. Colb. Ger. Gal.

℣. 6. *extenderunt in laqueum.* A. R. Rom. M. G. H. C. juxta Gr. addunt, *pedibus meis.*

℣. 8. *obumbrasti super caput*, etc. R. *obumbra caput*, etc.

℣. 9. *Ne tradas me, Domine, a desiderio meo.* G. *Non tradas, Domine, desiderium meum peccatori.* Car. Colb. C. Gal. *Non tradas, Domine, desiderio meo peccatori.* Hebr. *Ne des, Domine, desideria impii.*

℣. 11. *carbones in ignem dejicies eos.* A. juxta Gr. *carbones ignis in terra, et dejicies* (vel. *dejicient*) *eos.* G. *carbones ignis, et dejiciet eos.* H. *carbones ignis, super terram dejicies eos.*

℣. 12. *capient in interitu.* A. juxta Gr. *venabuntur in interitum.*

℣. 13. *Et vindictam.* A. juxta Gr. *et causam.*

EX PSALMO CXL.

℣. 3. *et ostium circumstantiæ labiis meis.* A. *et ostium continentiæ circum labia mea.*

℣. 4. *et non communicabo.* A. G. *et non combinabo*, R. H. *et non combinabor.*

℣. 5. *oleum autem peccatoris*. G. *misericordia peccatoris*.
℣ 6. *juncti petræ*. A. cum. Hebr. *juxta petram*. R. Rom. M. G. H C. *continuati petræ*.
Item. ℣. 6. *potuerunt*. A. *prævaluerunt*. Gr. ἡδύνθησαν. *dulcuerunt*. Hebr. *decora sunt*.
℣. 7. *erupta est*. A. *disrupta est*. G. C. *eruptum est*. R. Rom. M. *eructuat*, sive *eructat*.
℣. 10. *singulariter*. A. *singularis*.

EX PSALMO CXLI.

℣. 3. *Effundo*.·.·. *pronuntio*. A. R. M. juxta Gr. et Hebr. *Effundam*. A. C. *annuntiabo*. R. *pronuntiem*.
℣. 4. *In deficendo ex me*. R. Rom. M. C. *In deficiendo in me*. A. *Dum defecit a me spiritus meus*.
Item ℣. 4. *absconderunt laqueum*. R. M. *absconderunt superbi laqueos*.
℣. 8. *me exspectant justi*. A. juxta Gr. *me sustinebunt justi*. Hebr. *in me coronabuntur justi*.

EX PSALMO CXLII.

℣. 4. *et anxiatus est super me*. A. *Tædium passus est in me*.
℣. 10. *in terram rectam*. Gr. sonat, *in recta :* nec addit, *terra*. R. Rom. habent, *in viam rectam*.

EX PSALMO CXLIII.

℣. 3. *reputas*. A. *æstimas*. M. *visitas*.
℣ 8. *dextera iniquitatis*. C. *dextera mendacii*. Et sic Hebr.
℣. 10. *Qui das*.·.·. *redemisti*. A. juxta Gr. et Hebr. *Qui dat*.·.·. *redimit*. R. M. G. H. C. *Qui das*.·.·. *liberas*.
℣. 12. *novellæ plantationes in juventute sua*. A. *novellæ constabilitæ in juventute sua*. R. M. *novellæ plantationes stabilitæ a juventute sua*, G. C. *novella plantationis stabilita a juventute sua*. H. *novella plantatio stabilita in*, etc.
℣. 13. *in egressibus suis*. R. M. G. C. *in itineribus suis*. Hebr. *in compitis nostris*.

EX PSALMO CXLIV.

℣. 1. *Deus meus rex*. A. H. juxta Gr. addunt, *meus*.
℣. 5. *gloriæ sanctitatis tuæ loquentur*. R. Rom. H. C. *Majestatis tuæ et sanctitatem tuam loquentur*. Gr. *majestatis tuæ et honorem tuum loquentur, et sanctitatem tuam dicent*.
℣. 9. *universis*. Gr. sonat, *sustinentibus*.
℣. 12. *magnificentiæ regni tui*. A. *magnitudinis decoris regni tui*.
℣. 16. *omne animal*. H. *omnem animam*.
℣. 18. *omnibus invocantibus eum*. Id apud R. Rom. G. C. nonnisi semel habetur.

EX PSALMO CXLV.

℣. 4. *cogitationes eorum*. A. *cogitationes ejus*. Et sic Hebr.
℣. 8. *illuminat cæcos*. A. juxta Gr. *sapientes facit cæcos*. H. *sapientificat cæcos*.

EX PSALMO CXLVI.

℣. 1. *Halleluia*. G. C. Car. et Gr. addunt, *Aggæi et Zachariæ*. Sic etiam Gr. cum aliquot libris initio Psal. CXLVII et CXLVIII.
Item ℣. 1. *decoraque*. Abest ab A. R. Rom. M. G. H. C. Gr.
℣. 2. *congregabit*. A. *colligens*. R. Rom. G. H. C. *congregans*.
℣. 5. *Et sapientiæ ejus*. A. juxta Gr. *et intelligentiæ ejus*. Hebr. *prudentiæ ejus*.
℣. 7. *Præcinite*. A. R. M. G. C. Gr. *Incipite*. H. *Inchoate*.
℣. 10. *nec in tibiis*. M. *neque in tibialibus*. A. R. Rom. G. H. C. *nec in tabernaculis :* quia forte in Gr. pro ταῖς κνήμαις, legebatur ταῖς σκηναῖς.
Item ℣. 10. *beneplacitum erit ei*. A. *bene sentiet*. Gr. *bene sentit*.

EX PSALMO CXLVII.

Tit. *Halleluia* H. C. Car. Gr. addunt, *Aggæi et Zachariæ*.
℣. 13. *seras*. A. juxta Gr. et Hebr. *vectes*.
℣. 15. *velociter*. A. juxta Gr. *usque in velocitatem*.
℣. 17. *sicut buccellas*. A. R.Rom. M. G. C. *sicut frusta panis*.
Item ℣. 17. *quis sustinebit*. A. M. G. C. *quis subsistet*,
℣. 18. *et liquefaciet*. A. *et tabefaciet*.

EX PSALMO CXLVIII.

℣. 4. *et aquæ omnes*. Abest *omnes* ab R. Rom. C. Car. Gal. Gr et Hebr.
℣. 14. *et exaltavit*. A. juxta Gr. *exaltabit*.

EX PSALMO CXLIX.

℣. 4. *beneplacitum est Domino*. A. *bene facit Dominus*.
Item ℣. 4. *in salutem*. G. C. Gr. *in salute*. Hebr, *in Jesu*.

EX PSALMO CL.

℣. 2. *virtutibus*. R. Rom. M. G. C. Gr. *potentatibus*.
℣. 5. *jubilationis*. R. Rom. C. *bene tinnientibus*.

Pauca restant in superiorem collectionem observanda. Ac primum quidem discrepantiarum genus illud, in vocum interpunctione situm, unde variatur interdum sensus, prætermissum hic necessario fuit, quod nimis late pateat, neque alia facile ratione, quam relatis integris Psalteriis ostendi valeat. Præterea, ne quis psalterium quod appellant *Vetus*, hic a nobis neglectum putet, admonere juvat nihil ipsum ab Augustiniano dissidere. Et jam nulli dubitamus quin illud totum ex Augustini Commentariis exscripserit ejusdem in quincuplici Psalterio editor Jac. Faber, qui Psalmorum verba, rei subjectæ quandoque a concionante aptata, non alio quam expressa ibi erant modo retulit, ut videre est in Psal. CXX, *Levent*, etc. Quod non satis advertentunt ii, qui *Vetus* istud et Augustinianum in suis ad LXX Interpretes scholiis et notis, non pro uno eodemque, sed pro duobus habent Psalteriis. Postremo observatione dignum est, Vulgatam in quibusdam, tametsi rarissimis locis, minus cum Hebræo, quam veterem versionem convenire, ob varietatem, credimus, contextus græci Hexaplorum, ad quem Hieronymus Psalterium latinum emendavit. Exempli gratia, in Psal. IV, 8, habet Vulgata, *A fructu ;* quia græcum exemplar ferebat, ἀπὸ καρποῦ, pro ἀπὸ καιροῦ, *A tempore*, quæ erat lectio veteris versionis magis Hebræo consentanea.

DE SUBSEQUENTE AUGUSTINI OPERE,

CASSIODORUS SENATOR

IN PROLOGO AD SUUM COMMENTARIUM IN PSALMOS.

Cum Psalterii cœlestis animarum mella gustassem, id quod solent desiderantes efficere, avidus me perscrutator immersi, ut dicta salutaria suaviter imbiberem post amarissimas actiones : sed familiaris inchoantibus occurrit obscuritas, quæ variis est intexta personis et velata parabolis. Hæc in dictis vitalibus noxia dissimulatione præteritur, dum sæpe illud reperiri solet ambiguum, quod magni sacramenti gestat arcanum. Tunc ad Augustini facundissimi patris confugi opinatissimam (a) lectionem, in qua tanta erat copia congesta dictorum, ut retineri vix possit relectum, quod abunde videtur expositum. Credo, cum nimis avidos populos ecclesiasticis dapibus explere cupit, necessario fluenta tam magnæ prædicationis

(a) Ms Germ., *discrtissimam*.

emanavit. Quocirca memor infirmitatis meæ, mare ipsius quorumdam psalmorum fontibus profusum, divina misericordia largiente, in rivulos vadosos compendiosa brevitate deduxi, uno codice tam diffusa complectens, quæ ille in decadas quindecim mirabiliter explicavit. Sed, ut quidam de Homero ait, tale est de ejus sensu aliquid subripere, quale Herculi clavam de manu tollere (a). Est enim litterarum omnium magister egregius, et quod in ubertate rarum est, cautissimus disputator. Decurrit quippe tanquam fons purissimus nulla fæce pollutus; sed in integritate fidei perseverans, nescit hæreticis dare unde se possint aliqua colluctatione defendere. Totus catholicus, totus orthodoxus invenitur, et in Ecclesia Domini suavissimo nitore resplendens, superni luminis claritate radiatur.

(a) Macrobius, lib. 3 Saturnal. c. 3.

VERSUS

AD EPITOMEN COMMENTARIORUM AUGUSTINI IN PSALMOS,

CONTENTAM IN VETERE CODICE COLBERTINO,

Cui codici propylæum, cameræ forma, ad Davidis complectendam imaginem appictum conspicitur, et inscriptum his ad fornicem verbis : Landulfus ovans hunc libellum fieri jussit, pro quo funde preces carmina qui legis, *etc. At vero ad imaginis pedes :* Orate pro Annone, hoc supplico.

Cantica Davidico Christum modulantia plectro,
Explanata tenet floridus iste liber;
Maxima succinctis reserans mysteria verbis,
Et profluos sensus sub brevitate loquens.
Hunc Augustinus, toto venerabilis orbe,
Egregius præsul, doctor apostolicus
In populis largo diffundens flumine linguæ,
Ter quinis decadis grande peregit opus;
Dum cupit et tenues rerum comprendere formas,
Et mentem plebis voce movere pia.
Sed quia rem miram atque omni ratione salubrem,
Non omnes avido cordis amore petunt;
Immo etiam plures censu sensuque minores,
Haudquaquam tantas quimus habere gazas:
Uno cuncta simul libuit perstringere libro,
Et modicas undas sumere de pelago;
Sæpius ut breviter possit res tanta revolvi,
Nec nimio sumptu sive labore gravet.
Hunc igitur, Lector, sensu percurre sagaci,
Et cape sidereum nectar ab ore sacro:
Quod recreat mentes, quod mores format et ornat;
Unde trahunt vires spes, amor atque fides.
Nam Deus hic clemens reverendæ præsidet arcæ,
Quæ duplici tabula jura superna tenet:
Austeram virgam mannæ dulcedine sedans,
Propitioque super numine cuncta tegens:
Atque duos inter Cherubinos voce tremenda
Intonat, et rapidi fulguris igne micat.

FRANCISCUS PETRARCHA, JOAN. BOCCACIO,

DE AUGUSTINI IN PSALMOS OPERE SIBI TRANSMISSO (a).

Beasti me munere magnifico et insigni. Jam Davidicum pelagus securior navigabo : vitabo scopulos; neque verborum fluctibus, neque fractarum sententiarum collisione terrebor. Solebam ipsis meis viribus in altum niti, et nunc altius brachia jactando, nunc assere fortuito subnixus, per obstantes fluctus fesso ingenio laborare : ita quidem ut sæpe cum Petro mergi incipiens exclamarem, *Domine, salvum me fac* (*Matth.* XIV, 30) : et sæpe cum Christo manum supplicibus porrigente consurgerem. Hos inter æstus, puppim tu mihi prævalidam et nauclerum industrium destinasti, divini ingenii Augustinum : cujus opus immensum, quod vulgo tres in partes, apud quosdam plurifariam divisum, multis et magnis voluminibus continetur, totum uno volumine comprehensum (b), et a te mihi transmissum lætus stupensque suscepi. Et dixi mecum, Non est inertiæ locus : si quid otii supererit, iste discutiet. Magnus adest hospes et magno curandus impendio. Dormire totis noctibus non sinet. Frustra jacetis adhuc conjunctis oculis : vigilandum est, lucubrandum est. Frustra quietem meditamini : laborandum est. Verum dicam : Nemo ex amicis illum sine admiratione respexit, cunctis una voce testantibus, nunquam se librum tanti corporis vidisse. Quod de me ipse profiteor, rerum talium haud ultimus inquisitor : nec mole litterarum, quam sensuum ubertate, majus opus. Monstrum est cogitare, quantus ille Vir ingenio, quantus studio fuit; unde ille fervor impetusque scribendi sancto Viro, illa rerum divinarum notitia terrenis diu primum illecebris capto, illa demum laborum patientia seni, illud otium episcopo, illa Romani eloquii facultas Afro homini; de quo proprie dictum putes, quod ipse de Marco Varrone dixit, Terentianum secutus : *Vir, inquit, doctissimus undecumque Varro, qui tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacavisse miremur; et tam multa scripsit, quam multa vix quemquam legere posse credamus* (a). Sed ut alia omittam ejusdem ingenii monumenta, seu quæ multa sunt mihi, seu quibus adhuc careo; et rursum, seu quæ Retractationum suarum libris ipse idem commemorat seu quæ ibi vel oblita forte, vel neglecta, vel nondum scripta præteriit, atque omnia relegendum vita humana vix sufficit : quis eum, si nihil aliud egisset, unum hoc scribere potuisse non stupeat? Nullum unum et unius opus hominis latinis editum litteris, huic magnitudini conferendum scio, nisi forte sit alter ejusdem liber in Epistolas Pauli, quod, nisi fallit existimatio, frustraturque memoria, prope ad eamdem litterarum congeriem videtur accedere : vel Titi Livii Romanarum rerum liber ingens, quem in partes, quas Decades vocant, non ipse qui scripsit, sed fastidiosa legentium scidit ignavia. Huic tali amicitiæ tuæ dono, præter eam quam loquor magnitudinem, et libri decor, et vetustioris litteræ majestas, et omnis sobrius accedit ornatus; ut cum oculos ibi figere cœperim, siticulosæ hirundinis in morem nequeam nisi plenos avellere. Ita mihi sæpe dies impransus præterlabitur, nox insomnis : in quo quidem delectationi meæ, quam jam fere unicam, nec nisi ex litterarum lectione percipio, quantum hac tua liberalitate sit additum, non facile vulgus existimet, cui extra corporeos sensus nulla voluptas est : tu vero perfacile; neque mirabere libri hujus adventum me sitienter atque anxie exspectasse. Scis ut cupiditati longa brevitas, festinatio tarda est. Quod si apud Nasonem amantis insani verbum est,

« Septima nox agitur, spatium mihi longius anno. »

quod mihi visum putas, cui inter exspectandum, ut ex persona alterius ait idem,

« Luna quater latuit, toto quater orbe recrevit? »
(*Ovid. Heroid., epist.* 2.)

Solet honesta cupientium flamma serenior esse, non

(a) Epist. Variar. 22 vel 24.
(b) Istud ipsum nunc in duo divisum asservatur in bibliotheca Regia. Inspice Mss. Syllabum infra, col. 65-66.

(a) Lib. VI de Civit. Dei, cap. 2.

senior. Consulto tamen actum rear, non quidem abs te, qui in mittendo multam sollicitudinem habuisti; sed ad formam (*a*) potius, ut ipsa dilatio desiderio meo calcar, munerique tuo gratiam cumularet. Pro quo tibi grates meritas agendi ne forte putet quod hujus epistolæ contextus, aut dies unus modum statuat; non alium scio quam legendi vivendique finem fore. Vale nostri memor.

(*a*) Forte, *ab alio*, vel quid simile.

PRÆFATIO CUJUSDAM RECENTIORIS

IN COMMENTARIOS AUGUSTINI, QUOS SCRIPSIT IN PSALMOS.

Cum non solum divinæ, verum etiam humanæ philosophiæ veritas doceat, nihil frustra, et sine causa, sive in Dei, sive in naturæ operibus esse factum; non parum eorum animos, qui singulorum rationem factorum conati sunt reddere, quæstio pulsavit, cujus rei causa et ad quid homo conditus sit. Ad quam dissolvendam etsi multorum philosophorum ingenia sollicite ac plurimum laboraverint, nullus eorum tamen veram integramque rationem reddere potuit. Quo factum est, ut a recto veritatis tramite deviantes, in varios inexcusabilesque errores inciderint. Nec mirum: qui enim rationem sui ignorabant, quo pacto cujusvis alterius rationem scire poterant? Divina autem Scriptura ab hominis Conditore inspirata, sola summam perfectamque factionis ipsius causam in lucem produxit; non modo generalem, qua Dominus omnium universa propter se operatus est (*Prov.* XVI, 4), sed et in specie officii sui rationem, dignitatem finemque demonstrans. Ita enim scriptum est: *Deus de terra creavit hominem, et secundum imaginem suam fecit illum.* Et paulo post: *Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent, et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus* (*Eccli.* XVII, 1, 7 *et* 8). Quorum omnium hæc summa est, Deum idcirco hominem, talemque condidisse, ut esset qui opera ejus intelligeret, qui providentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consummandi, potentiam conservandi, sapientiam gubernandi, clementiam benefaciendi, et sensu admirari, et voce enarrare atque collaudare posset, hoc est, ut Deum factorem coleret. Quemadmodum itaque factus est mundus propter hominem, ut ei serviret: ita homo factus est propter Deum, ut ei serviret. Sic ergo mundus idcirco factus est, ut fieret homo: homo vero ideo factus est, ut Deum factorem suum agnosceret; ideo agnosceret, ut amaret et coleret; ideo amaret et coleret, ut beatam immortalitatem pro mercede laboris caperet; ideo autem præmio beatæ immortalitatis afficeretur, ut similis effectus Angelis, summo et immortali Deo in perpetuum serviret, et esset regnum æternum ipsi Deo. Hæc est summa rerum, hoc arcanum Dei, hoc constitutionis mundi mysterium, hæc conditi hominis ratio, hic universorum cardo. Hoc qui nescit, si ipse homo sit nescitur. Hoc si philosophi tenuissent, in tot tam varios tamque perniciosos errores prolapsi non fuissent. Hanc denique conditionis suæ rationem ut homo jugiter teneret, in præceptum sibi posita est, sancto legislatore Moyse attestante, et Judaicum populum ita commonente: *Et nunc*, inquit, *quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, et in tota anima tua, custodiasque mandata Domini, et ceremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi?* Et post pauca: *Dominum Deum tuum*, inquit, *timebis, et ei soli servies* (*Deut.* X, 12, 13, 20). Neque istud prætereundum est, quod eadem quoque de causa, non solum conditus est homo, sed et hominis Conditor factus est homo, Zacharia parente præcursoris Domini Spiritu sancto repleto, ita inter cætera vaticinante et dicente: *Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis; ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris* (*Luc.* I, 73-75). Ecce testimonio tanti prophetæ idcirco etiam Deum propter hominem, hominem factum, imo et homini servivisse, ut et homo dignam sibi servitutem rependeret. Indicta autem homini servitus, licet multifarie interpretari, multis variisque modis Deo creatori exhiberi possit; nihil tamen aliud est quam debitus Deo cultus, et hic non aliud quam devota ipsius laudatio. « *Summus enim, Lactantio Firmiano teste, colendi Dei ritus est, ex ore justi hominis ad Deum directa laudatio. Quæ tamen ipsa, inquit, ut Deo sit accepta, et humilitate, et timore, et devotione maxima opus est; ne quis forte integritatis et innocentiæ fiduciam gerens, tumoris et arrogantiæ crimen incurrat, eoque facto gratiam virtutis amittat* (*a*). » Unde et sanctus Moyses postquam præmemoratum expressit præceptum, subjecit, *Ipsi adhærebis, ipse est laus tua* (*Deut.* X, 20 *et* 21): hoc est, quem solum laudare debes. Hæc est vera religio, hæc recta pietas, hæc debita Deo servitus. Hoc est acceptabile jugeque sacrificium, quo coli, placari, honorificari et glorificari vult Deus, ipso per Prophetam contestante, et dicente: *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* Et in calce ejusdem vaticinii: *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei* (*Psal.* XLIX, 14, 23).

Verum quamvis ad hanc servitutem omnes homines teneantur; quosdam tamen Dominus elegit, a quibus præcipue et specialius coli atque laudari voluit, ut in Veteri Testamento populum Israeliticum, ad quem Moyses ita locutus est: *Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram* (*Deut.* VII, 6). Et iterum post multa: *En Dominus*, inquit, *elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius, et faciet te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem et gloriam suam, ut sis populus sanctus Domini Dei tui* (*Id.* XXVI, 18 *et* 19). Sic et in Novo Testamento populum christianum ad sui laudem et gloriam singulariter elegit, Apostolo Ephesiis hoc scribente, et ob id Deum benedicente et laudante: *Benedictus*, inquit, *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ* (*Ephes.* I, 3-6). Item quemadmodum in Veteri Testamento ex electo populo subelegit sibi Dominus filios Levi, qui specialiter sibi in ministeriis tabernaculi servirent, secundum quod ad Aaron locutus est: *Ego*, inquit, *dedi vobis fratres vestros Levitas de medio filiorum Israel, et tradidi donum Domino, ut serviant in ministeriis tabernaculi ejus* (*Num.* XVIII, 6). Quos postea rex David instituit ut starent mane ad confitendum et canendum Domino (I *Par.* XXVI, 4), similiterque ad vesperam, etc. Sic simili modo in Novo Testamento ex populo christiano subelecti sunt clerici et sacerdotes, ut illi specialiter Domino serviant, et virtutes ejus enarrando, eum laudent et colant. Quod Petri Apostolorum principis auctoritate comprobatur, ad eos sic scribentis: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum* (I *Petr.* II, 9). Et sicut filii Levi certis temporibus et horis, laudibus divinis devotius insistebant, ita et clerici debent. Nam et clerici a sorte dicti sunt, eo quod sint de sorte Domini; ipsum

(*a*) Lactant. in libro VI, de Vero Cultu, c. 25.

pro sorte et hæreditate sua cum filiis Levi in perpetuum possessuri, dummodo hic debito cultu et digna laudatione ei servierint.

Illud præterea consideratione dignum est, nec mysterio caret, quod cum tota Scriptura divinitus inspirata, ad Dei laudem et gloriam ordinata et conscripta sit, tota etiam homini ad ejus doctrinam et consolationem tradita, tota denique divinis laudibus plena, universa a quibus debita Dei laudatio sumi potest inducens, omnemque laudandi formam atque rationem exponens; sancta tamen Ecclesia quibusdam Scripturis specialius atque frequentius in divino cultu uti voluit. Nam sicut ex utriusque Testamenti populis Dominus quosdam specialiter elegit, ut superius expositum est; ita et ex utriusque Testamenti Scripturis quasdam specialiter in cultu suo voluit frequentari, utpote ex Veteri Testamento librum Psalmorum, hac præsertim ratione, ut docto Dionysio placet, quia Psalmi per modum laudis comprehendunt quidquid in sacra Scriptura continetur (*a*). Unde et hic Psalmorum liber registrum est totius sacræ Scripturæ, et consummatio totius theologicæ paginæ. Quem et subsequens divi Augustini nostri prologus innumeris pene præconiis commendat et extollit. Hunc librum sacer canon, inter cætera quæ sacerdotibus ad sciendum necessaria sunt, discendum commonet. Cum enim intelligenter Deo psallendum sit, quomodo debite Deo psallere potest, qui quid psallat ignorat? Jubet namque sanctus Psalmista noster ut psallentes Deo intelligenter psallant. *Quoniam rex*, inquit, *omnis terræ Deus, psallite sapienter* (*Psal.* XLVI, 8), hoc est *intelligenter*, ut alia littera habet. Quia vero hic liber tot et tam profundis mysteriis plenus est, ut a nemine sine revelatione vel docto interprete possit intelligi; ea de re magnus ille doctor Augustinus noster, devotissimus Dei cultor, animarumque salutis zelator ardentissimus, illius explanationi vigilanti studio insudavit, clausa quæque reserans, abscondita revelans, mysteria pandens, obscura dilucidans, dubia definiens, vitia detestans, virtutes extollens, supplicia comminans, præmia promittens, pusillanimes confortans, præsumentes deterrens, perseverantes coronans; ita ut nemo qui diligenter legerit, absque fructu discedat. Huic igitur operi studium impendant, illud frequenter legant, illius sensum teneant omnes qui in sortem Domini, ut illum debita servitute laudent et glorificent, electi sunt: ne negligentes et ignari, illam divinæ comminationis ultionem experiantur: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (*Oseæ* IV, 6). Et istam adhuc terribilem: *Dixi, semper hi errant corde: ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si intrabunt in requiem meam* (*Psal.* XCIV, 10, 11): et ita partem suam habituri sint cum hypocritis. Quin potius intelligentes et tenentes rationem qua conditi sunt, Conditorem pro sorte hæreditatis suæ possideant, laudent et glorificent in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Dionys. de eccl. Hierarchia, c. 3.

IN LIBRUM PSALMORUM PROLOGUS,

Augustino in editis olim tributus, sed non in omnibus manuscriptis repertus. Ipsa est Basilii ad ejus Commentarium in Psalmos prælatio ex interpretatione Rufini.

Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum (II *Tim.* III, 16). Hac ipsa de causa a Spiritu sancto conscripta est, id est, ut veluti ex communi quodam sanitatis fonte, omnes nobis ex hac remedia propriis passionibus assumamus. *Sanitas enim*, inquit, *compescit peccata magna*. Alia namque sunt quæ Prophetæ tradunt, alia quæ historici (*a*), lex quoque alia, proverbiorum etiam admonitio alia: Psalmorum vero liber quæcumque utilia sunt ex omnibus continet. Futura prædicit, veterum gesta commemorat, legem viventibus tribuit, gerendorum statuit modum: et ut breviter dicam, communis quidam bonæ doctrinæ thesaurus est, apte singulis necessaria subministrans. Veteribus namque animarum vulneribus novit mederi, sed et recentibus velocissimum scit adhibere remedium, atque intactis perseverantiam salutis adhibere; sed et universis pariter passionibus subvenire, quæ dominationibus variis humanas animas angunt. Et hoc sub modulatione quadam et delectabili canore, humanum animum (*b*) ad pudicitiam provocante. Quoniam quidem Spiritus sanctus videns obluctantem ac resistentem a virtutis via humani generis animum, et ad delectationes vitæ magis inclinari, quam ad virtutis rectum iter erigi, delectabilibus modulis cantilenæ vim suæ doctrinæ permiscuit (*c*); ut dum suavitate carminis mulcetur auditus, divini sermonis pariter utilitas inseratur: secundum sapientes medicos, qui si quando usus poposcerit ut austeriora medicamenta ægris offerant mortalibus; ne æger utilitatem præ austeritate refugiat, ora ac summitates poculi quo remedium porrigunt, melle circumlinunt. Propterea ergo Psalmorum nobis per modulos apta sunt carmina, ut qui vel ætate puerili, vel adolescentes sunt moribus, quasi cantilena quadam psallentes delectari videantur. Revera enim animas illuminant ac mentem. Plurimi enim ex his qui in Ecclesiam commeant, neque apostolica præcepta facile possunt, neque prophetica vel liquido discere, vel cum didicerint retinere; Psalmorum vero responsa et intra domos, interdum etiam in publico canunt: et sicubi quis quamvis fero ac rabidissimo furore rapietur, si forte fuerit Psalmi, ut ita dixerim, carminibus incantatus, continuo omnis rabies ferocitatis ejus abscedit.

Psalmus tranquillitas animorum est, signifer pacis, perturbationes vel fluctus cogitationum cohibens, iracundiam reprimens, luxum repellens, sobrietatem suggerens, amicitiam congregans, adducens in concordiam discrepantes, reconcilians inimicos. Quis enim ultra inimicum dicat eum, cum quo unam ad Deum Psalmi emiserit vocem? Ex quo intelligitur, quia, quod omnium bonorum maximum est, charitatem Psalmus instaurat, conjunctionem quamdam per consonantiam vocis efficiens, et diversum populum unius chori per concordiam consona modulatione consocians. Psalmus dæmones fugat, Angelos ad adjutorium invitat. Scutum enim in nocturnis terroribus, diurnorumque requies est laborum, tutela pueris, juvenibus ornamentum, solamen senibus, mulieribus aptissimus decor. Desertas habitare facit urbes, sobrietatem docet: incipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamentum, totius Ecclesiæ vox una. Psalmus solemnitates decorat: Psalmus tristitiam quæ propter Deum est, mollit: Psalmus etiam ex corde lapideo lacrymas movet. Psalmus Angelorum opus est, exercituum cœlestium spirituale thymiama. O vere admirandi magistri sapiens institutum, ut simul et cantare videamur, et quod ad utilitatem animæ pertinet, doceamur! Per quod magis necessaria doctrina nostris mentibus informatur: pro eo quod si qua per vim et difficultatem aliquam animis nostris fuerint inserta, continuo dilabuntur; ea vero quæ cum gratia et dilectione suscepimus, nescio quo pacto magis residere in mentibus, ac memoriæ videntur inhærere. Quid autem est, quod non discatur

(*a*) Alias, *historia*.
(*b*) Alias, *sensum*.
(*c*) Alias, *dirigi, delectabiles modulos cantilenæ cum sexta doctrina permiscuit*.

in Psalmis? Non omnis magnitudo virtutis, non norma justitiæ, non pudicitiæ decor, non prudentiæ consummatio, non patientiæ regula, non omne quidquid potest dici bonum? Procedit ex ipsis Dei scientia perfecta, prænuntiatio Christi in carne venturi, et communis resurrectionis spes, suppliciorum metus, gloriæ pollicitatio, mysteriorum revelatio: omnia prorsus in his velut magno quodam et communi thesauro, recondita atque conferta sunt bona.

Quem librum Propheta, cum multa sint organa musicorum, huic tamen organo quod Psalterium appellatur, aptavit; de superioribus, ut mihi videtur, inspiratam Dei (a) gratiam per Spiritum sanctum docens. Quoniam quidem hoc solum organum musicorum sonos de superioribus habere fertur. Cithara namque, vel lyra, ex inferiori parte æs vel tympanum habens, resultat ac resonat ad plectrum: psalterium vero harmonias de superioribus habere refertur aptatas, et sonorum causas desuper dare. Quo scilicet etiam per hoc nos doceamur, quæ sursum sunt et quæ superiora attendere; et quæ infima, id est, vitia carnalia declinare. Sed illud arbitror profundius nobis prophetica hac indicari ratione, ac per formam nos organi istius edoceri, quod hi qui diligentes et apti, moderatique sunt moribus, facile pervium ad superiora iter habeant. Sed videamus tandem, quid etiam ipsa Psalmorum indicent initia.

(a) Alias, *ei*.

IN PRIMUM PSALMUM ANNOTATIO,

In editis quidem antiquioribus Augustino tributa, sed non in omnibus Mss. reperta, neque de Psalmorum auctore consentiens cum Augustini opinione in lib. 17 de Civitate Dei, c. 14.

Diversa sunt genera prophetiæ: et proinde cujus hæc vox, vel in qua persona proprie dictum sit, aut cur titulum non habeat, requiramus. Centum itaque et quinquaginta Psalmos esse, nulla dubitatio est, et qui Psalmus quotus sit, vel a quo recitatus sit, titulorum inscriptione ostenditur. Non enim omnes Psalmi a David editi sunt. Ipse enim David ex omni populo quatuor principes Spiritu sancto mundatos elegit, quorum nomina sunt Asaph, Eman, Ethan, et Idithun, ut in quemcumque divinus Spiritus intrasset, hymnum Deo caneret. David ergo solus novem psalmos ore proprio cecinit: reliqui autem ab illis quatuor principibus, juxta titulorum inscriptionem, sunt dicti. Hic autem quia titulum, sicut jam dixi, non habet; requirendum nobis est, qua ratione inter cæteros solus non habeat tituli inscriptionem, vel a quo fuerit recitatus. Nam si Psalmographus secundum et tertium et quartum et omnes vel in numero redigere, vel causas singulorum ostendere potuit; cur non et huic titulum imposuit, et utrum primus esset, ostendit? Sed quia hic psalmus propriam vocem Dei loquentis inducit, ideo titulum non habet, ne quid divino eloquio præponeretur, aut primus diceretur, qui non primus, sed unus est appellatus: et ideo prætitulationem habere non potuit, nec debuit, ne si habuisset ut primus esset, melior tantum in ordine numeri, non auctoritate judicaretur: aut ne, ut jam relatum est, aliquid præponeret divino eloquio Psalmographus, prætitulatione præposita. Nam et præ cæteris potuisset intelligi, si primus dictus fuisset. Et ideo solus titulum non habet, ut perspicuum esset quantum inter cæteros emineret. Unde jam animadvertere debet Prudentia Vestra, quanta vis, quanta auctoritas, quanta ratio in hoc psalmo versetur, cui nec titulum ausus est scriba præponere, nec numerum indicare; ut solum eum et unum, potius quam primum ostenderet. Igitur quia favente Deo, et vocis auctoritas jam ostensa est, et tituli ratio demonstrata; superest, ut de ipso psalmo tractemus.

SYLLABUS CODICUM

AD QUOS RECOGNITUM EST AUGUSTINI OPUS IN PSALMOS.

MANUSCRIPTI CODICES.

Abbatiæ S. Audoeni Rotomagensis, qui annos fere 700 præferunt.
Beccensis Abbatiæ Mss. ejusdem ætatis.
Belgici codices, id est, Variantes lectiones per Lovanienses theologos collectæ.
S. Benigni Divionensis Mss.
Bellovacensis Ecclesiæ antiquissimus codex in postremos 50 psalmos.
Christinæ serenissimæ Suecorum Reginæ unus, septemdecim ex prioribus psalmis, id est a 34 ad 50 continens; et alter posteriores triginta duos, a 119 scilicet ad 150.
Colbertini codices optimæ notæ.
Corbeienses per totum hoc opus duo, et interdum plures in eosdem tractatus, plerique ante annos 800 scripti.
Abbatiæ de Cultura apud Cenomanos perantiquus codex in priores 30 psalmos.
Ferrariensis Abbatiæ codex viginti sex Psalmos complectens, a 65 ad 98.
Floriacenses Mss. annorum circiter 700.
S. Mauri Fossatensis perantiquus Ms. in psalmos Graduales.
FF. PP. Fuliensium S. Bernardi Parisiensis Mss. duo: alter psalmos sexdecim, a 35 ad 50; alter octodecim continet, nempe a 101 ad 118.
Ecclesiæ S. Gatiani Turonensis optimæ notæ codex in priores centum psalmos.
Gemmeticensis Abbatiæ Mss. annorum fere 700.
Mss. S. Germani a pratis in suburbio Parisiensi.
Lyrensis Abbatiæ codices.
S. Michaelis in periculo maris.
Noviomensis Ecclesiæ Mss. qui 600 ad minus annos referunt.
Pratellensis Abbatiæ codices ante annos item 600 scripti.
Regius miræ magnitudinis et in duos nunc tomos divisus liber, qui in prima pagella vacua præfert: « Hoc immensum opus donavit mihi vir egregius dominus Joannes Boccacii de Certaldo, poeta nostri temporis, quod « de Florentia Mediolanum ad me pervenit 1355, april. « 10. » Quod Francisci Petrarchæ manu inscriptum intelliges ex data ab ipso ad Boccacium epistola, quæ Variarum in Veneta editione est 24, in Basileensi autem 22, incipiens: « Beasti me munere magnifico, » etc. Ubi Augustini in Psalmos opus« immensum totum uno volu« mine comprehensum,» Boccacii beneficio sibi transmissum testatur, scribens « Mediolani V idus maii. » Epistolam ex integro relatam habes supra inter præfationes in hunc tomum, col. 59-60.
Ex Abbatia S. Remigii Remensis plures in eosdem Psalmos, quidam ante annos 500, alii ante 800 descripti.
S. Theoderici prope Remos libri aliquanto recentioris ætatis.
Vaticanæ Bibliothecæ codex in priores quadraginta novem psalmos.
Vindocinensis Abbatiæ Mss.

EDITI CODICES.

Am. Id est, liber Basileæ excusus per Joannem de Amerbach, anno Domini 1489.
Er. Desiderii Erasmi cura castigatus, et Frobeniano prelo editus Basileæ, anno 1529.
Lov. Juxta Lovaniensium Theologorum recognitionem impressus Antuerpiæ, Plantinianis typis, an. 1576.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. *et* Confess., *t.* 1, *memoratas*. M.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

ENARRATIONES IN PSALMOS.

PSALMI PRIMI ENARRATIO.

1. [*vers.* 1.] *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum :* de Domino nostro Jesu Christo, hoc est homine Dominico (*a*), accipiendum est. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum :* sicut homo terrenus qui uxori consensit deceptæ a serpente, ut Dei præcepta præteriret. *Et in via peccatorum non stetit :* quia venit quidem in via peccatorum, nascendo sicut peccatores; sed non stetit, quia eum non tenuit illecebra sæcularis. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit :* noluit regnum terrenum cum superbia; quæ ideo cathedra pestilentiæ recte intelligitur, quia non fere quisquam est qui careat amore dominandi et humanam non appetat gloriam; pestilentia est enim morbus late pervagatus, et omnes aut pene omnes involvens. Quanquam accommodatius accipiatur cathedra pestilentiæ, perniciosa doctrina, cujus sermo ut cancer serpit (II *Tim.* II, 17). Deinde considerandus est ordo verborum, *abiit, stetit, sedit :* abiit enim ille, cum recessit a Deo; stetit, cum delectatus est peccato; sedit, cum in sua superbia confirmatus, redire non potuit, nisi per eum liberatus, qui neque abiit in consilio impiorum, nec in via peccatorum stetit, nec in cathedra pestilentiæ sedit.

2. [*vers.* 2.] *Sed in lege Domini fuit voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Justo non est lex posita*, ut dicit Apostolus (I *Tim.* I, 9); sed aliud est esse in lege, aliud sub lege: qui est in lege, secundum legem agit; qui est sub lege, secundum legem agitur. Ille ergo liber est, iste servus. Deinde aliud est lex quæ scribitur, et imponitur servienti; aliud lex quæ mente conspicitur, ab eo qui non indiget litteris. *Meditabitur die ac nocte :* aut sine intermissione intelligendum est; aut *die* in lætitia, *nocte* in tribulationibus; dicitur enim : *Abraham diem meum vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII, 56); et de tribulatione dicitur : *Insuper et usque ad noctem emendaverunt* [1] *me renes mei* (*Psal.* XV, 7).

3. [*vers.* 3.] *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secundum decursus aquarum :* id est, aut secundum ipsam Sapientiam, quæ dignata est hominem suscipere ad salutem nostram; ut ipse homo sit lignum plantatum secundum decursus aquarum : potest enim et hoc intellectu accipi, quod in alio psalmo dicitur : *Fluvius Dei repletus est aqua* (*Psal.* LXIV, 10). Aut secundum Spiritum sanctum, secundum quem dicitur : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto* (*Matth.* III, 11); et illud : *Qui sitit, veniat, et bibat* (*Joan.* VII, 37); et illud : *Si scires donum Dei, et quis est qui a te aquam petit; petisses ab eo, et daret tibi aquam vivam, unde qui biberit non sitiet in æternum; sed efficietur in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Id.*, IV, 10, 13, 14). Aut *secundum decursus aquarum*, secundum populorum peccata, quia et aquæ populi interpretantur in Apocalypsi (*Apoc.* XVII, 15); et decursus non absurde intelligitur lapsus, quod pertinet ad delictum. Lignum ergo illud, id est Dominus noster, de aquis decurrentibus, id est populis peccatoribus, trahens eos in via in radices disciplinæ suæ, *fructum dabit*, hoc est, constituet Ecclesias; *in tempore suo*, id est, postquam clarificatus est resurrectione et ascensione in cœlum. Tunc enim Spiritu sancto misso Apostolis, et eis in fiducia sui confirmatis et directis in populos, fructificavit Ecclesias[1]. *Et folium ejus non decidet :* id est, verbum ejus non erit irritum; quia *omnis caro fœnum, et claritas hominis ut flos fœni : fœnum aruit, et flos decidit, verbum autem Domini manet in æternum* (*Isai.* XL, 6-8). *Et omnia quæcumque fecerit prosperabuntur :* id est, quæcumque illud lignum attulerit; quæ omnia videlicet accipienda sunt fructus et folia, id est facta et dicta.

4. [*vers.* 4.] *Non sic impii, non sic: sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ.* Terra hic accipienda est ipsa stabilitas in Deo, secundum quam dicitur : *Dominus pars hæreditatis meæ, etenim hæreditas mea præclara est mihi* (*Psal.* XV, 5, 6); secundum hanc dicitur : *Sustine Dominum, et observa vias ejus, et exaltabit te, ut possideas terram* (*Psal.* XXXVI, 34); secundum hanc dicitur : *Beati mites, quia ipsi hæreditate possidebunt terram* (*Matth.* V, 4). Similitudo autem hinc ducta est; quia ut hæc terra visibilis exteriorem hominem nutrit et continet, ita illa terra invisibilis interiorem hominem. A cujus terræ facie projicit ventus impium, id est superbia, quia [2] inflat. Quam cavens ille qui inebriabatur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus potabatur, dicit : *Non veniat mihi pes superbiæ* (*Psal.* XXXV, 9, 12). Ab hac terra projecit superbia eum qui dixit : *Ponam sedem*

[1] Novem Mss., *increpuerunt.* Alii, quatuor, *increpaverunt.* Attamen infra in Psalmo 15, omnes, præter unum, habent, *emendaverunt.*

(*a*) Hoc in I Retract. XIX Augustinus improbat, quod Christum *hominem Dominicum*, post quosdam licet catholicos scriptores, dixerit.

[1] Decem Mss., *Ecclesia.*

[2] Aliquot Mss., *quæ.*

meum ad Aquilonem, et ero similis Altissimo (*Isai.* XIV, 13, 14). Ab hujus terræ facie projecit etiam eum qui, cum consensisset et gustasset de prohibito ligno, ut esset sicut Deus, abscondit se a facie Dei (*Gen.* III, 6, 8). Hanc terram ad interiorem hominem pertinere, et inde superbia hominem projici, maxime intelligi potest in eo quod scriptum est : *Quid superbit terra et cinis? quoniam in vita sua projecit intima sua* (*Eccli.* X, 9, 10); unde enim projectus est, non absurde se dicitur projecisse.

5. [*vers.* 5.] *Ideo non resurgunt impii in judicio :* ideo scilicet, quia tanquam pulvis projiciuntur a facie terræ. Et bene hoc eis dixit auferri quod superbi ambiunt, id est ut judicent, ut hoc ipsum planius dictum intelligatur sequenti sententia : *Neque peccatores in consilio justorum.* Solet enim hoc modo repeti planius quod superius dicitur, ut peccatores intelligantur impii; et quod supra dictum est *in judicio*, hic dictum sit *in consilio justorum.* Aut certe si aliud sunt impii, aliud peccatores; ut quanquam omnis impius peccator sit, non tamen omnis peccator sit impius. *Impii non resurgunt in judicio :* id est, resurgent quidem, sed non ut judicentur, quia jam pœnis certissimis destinati sunt; *peccatores* autem non resurgunt *in consilio justorum*, id est ut judicent, sed forte ut judicentur, ut de his dictum sit : *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit : si cujus opus manserit, mercedem accipiet : si cujus autem opus exustum fuerit, detrimentum patietur ; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* III, 13-15).

6 [*vers.* 6.] *Quoniam novit Dominus viam justorum* (*a*). Quemadmodum dicitur, Novit salutem medicina, morbos autem non novit; et tamen etiam morbi arte medicinæ agnoscuntur; sic dici potest, nosse Dominum viam justorum, viam vero impiorum non nosse; non quia aliquid Dominus nescit, et tamen dicit peccatoribus : *Non novi vos* (*Matth.* VII, 23). *Iter* autem *impiorum peribit*, pro eo positum est, ac si diceretur : Iter autem impiorum non novit Dominus. Sed planius dictum est, ut hoc sit nesciri a Domino, quod est perire, et hoc sit sciri a Domino, quod est manere : ut ad scientiam Dei esse pertineat, ad ignorantiam vero non esse; quia Dominus dicit : *Ego sum qui sum*; et : *Qui est, misit me* (*Exod.* III, 14).

(*a*) Idem vers. 6 tractatur infra in I Enarr. Psal. XXXVI, n. 9; et CXLI, n. 6

IN PSALMUM II
ENARRATIO.

1. [*vers.* 1, 2.] *Utquid fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus.* Pro eo dictum est *utquid*, ac si diceretur, frustra : non enim impleverunt quod voluerunt, ut Christus exstingueretur ; dicitur hoc enim de persecutoribus Domini, qui et in Actibus Apostolorum commemorantur (*Act.* IV, 26).

2. [*vers.* 3.] *Disrumpamus vincula eorum, et abjiciamus a nobis jugum ipsorum.* Quanquam et possit aliter intelligi, tamen aptius ex eorum persona accipitur, quos dixit inania meditatos ; ut hoc sit, *Disrumpamus vincula eorum, et abjiciamus a nobis jugum ipsorum*, demus operam ut non nos alliget, neque imponatur nobis christiana religio.

3. [*vers.* 4.] *Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.* Repetita sententia est : nam pro eo quod est, *Qui habitat in cœlis*, subsequenter positum est, *Dominus;* et pro eo quod est, *irridebit*, subsequenter positum est, *subsannabit.* Nihil horum tamen sapere oportet carnaliter, quasi aut buccis Deus irrideat, aut naso subsannet : sed ea vis accipienda est, quam dat sanctis suis, ut futura cernentes, id est nomen Christi et dominationem pervagaturam in posteros et universas gentes obtenturam, illos inania meditatos esse intelligant; hæc enim vis qua ista præscita sunt, irrisio Dei est et subsannatio. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos :* cœlos si animas sanctas accipiamus, per has eos, utique præsciens quid futurum sit, deridebit Deus et subsannabit.

4. [*vers.* 5.] *Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos :* planius enim ostendens quomodo ad eos loquetur, dixit, *conturbabit eos ;* ut *in ira sua*, hoc sit, *in furore suo.* Iram autem et furorem Domini Dei non perturbationem mentis oportet intelligi, sed vim qua justissime vindicat, subjecta sibi ad ministerium universa creatura [1]. Præcipue namque pervidendum est et tenendum illud quod scriptum est in Salomone: *Tu autem, Domine virtutis, cum tranquillitate judicas, et cum magna reverentia disponis nos* (*Sap.* XII, 18). Ira ergo Dei est motus qui fit in anima quæ legem Dei novit, cum eamdem legem videt a peccatore præteriri; per hunc enim motum justarum animarum multa vindicantur. Quanquam possit ira Dei recte intelligi etiam ipsa mentis obscuratio, quæ consequitur eos qui legem Dei transgrediuntur.

5. [*vers.* 6.] *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum Domini* [2] (*a*) : ex persona ipsius Domini nostri Jesu Christi ista manifesta sunt. Sion autem, si speculationem, ut quidam interpretantur, significat, nihil magis quam Ecclesiam debemus accipere, ubi quotidie intentio erigitur speculandæ claritatis Dei, sicut Apostolus dicit : *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes* (II *Cor.* III, 18). Ergo iste sensus est : Ego autem constitutus sum rex ab eo super Ecclesiam sanctam ejus, quam montem appellat propter eminentiam et firmitatem. *Ego autem constitutus sum rex ab eo :* ego scilicet, cujus vincula illi disrumpere et jugum meditabantur abjicere. *Prædicans præceptum ipsius :* quis hoc non sentiat, cum quotidie factitetur?

6. [*vers.* 7.] *Dominus dixit ad me : Filius meus es*

[1] Sic Mss. At edd., *subjectam universam creaturam.*
[2] Sic, hoc primo loco, melioris notæ Mss. juxta LXX, [*ipsius.*]
(*a*) De eodem vers. 6 et seq. vide Enar. in Psal. XLVII, n. 5.

tu, ego hodie genui te (*a*). Quanquam etiam possit ille dies in prophetia dictus videri, quo Jesus Christus secundum hominem natus est; tamen *hodie* quia præsentiam significat, atque in æternitate nec præteritum quidquam est, quasi esse desierit; nec futurum, quasi nondum sit; sed præsens tantum, quia quidquid æternum est, semper est; divinitus accipitur secundum id dictum, *Ego hodie genui te*, quo sempiternam generationem virtutis et sapientiæ Dei, qui est unigenitus Filius, fides sincerissima et catholica prædicat.

7. [*vers.* 8.] *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*b*). Hoc jam temporaliter secundum susceptum hominem, qui sacrificium sese obtulit pro omnibus sacrificiis, qui etiam interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34); ut ad totam ipsam dispensationem temporalem, quæ pro genere humano facta est, referatur quod dictum est, *Postula a me;* ut scilicet gentes nomini christiano copulentur, atque ita a morte redimantur, et possideantur a Deo. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, quas possideas ad earum salutem, et quæ tibi fructificent spiritualia. *Et possessionem tuam terminos terræ.* Idem repetitum est: *terminos terræ*, pro eo positum quod dictum est, *gentes;* sed hoc planius, ut omnes gentes intelligamus: *possessionem* autem *tuam*, pro eo quod dictum est, *hæreditatem tuam.*

8. [*vers.* 9, 10.] *Reges eos in virga ferrea:* in inflexibili justitia. *Et tanquam vas figuli conteres eos* (*c*); id est, conteres in eis terrenas cupiditates, et veteris hominis lutulenta negotia, et quidquid de peccatore limo[1] contractum atque inolitum est. *Et nunc, reges, intelligite: et nunc*, id est jam innovati, jam contritis luteis tegumentis, id est carnalibus vasis erroris quæ ad præteritam vitam pertinent: *nunc intelligite* jam reges, id est, jam valentes regere quidquid in vobis servile atque bestiale est; et jam valentes pugnare, non quasi aerem cædentes, sed castigantes vestra corpora, et servituti subjicientes (I *Cor.* IX, 26, 27). *Erudimini, omnes qui judicatis terram.* Hoc idem repetitum est: *erudimini*, pro eo quod dictum est, *intelligite; qui judicatis* autem *terram*, pro eo quod dictum est, *reges.* Spirituales enim significat qui judicant terram: inferius enim nobis est, quidquid judicamus; quidquid autem infra spiritualem hominem est, merito terra nominatur, quia terrena labe sauciatum est.

9. [*vers.* 11.] *Servite Domino in timore* (*d*)*:* ne in superbiam vertat[2] quod dictum est, *reges qui judicatis terram. Et exsultate ei cum tremore:* optime subjectum est *exsultate*, ne ad miseriam valere videretur quod dictum est, *servite Domino in timore.* Sed rursus ne idipsum pergeret in effusionem temeritatis, additum est, *cum tremore;* ut ad cautionem valeret circumspectamque sanctificationis custodiam. Etiam sic potest accipi, *Et nunc reges intelligite*, id est, Et jam nunc me rege constituto, nolite tristes esse, reges terræ, quasi bonum vestrum vobis ablatum sit; sed intelligite potius, et erudimini. Id enim vobis expedit ut sub illo sitis, a quo intellectus et eruditio vobis datur. Et hoc vobis expedit, ut non temere dominemini; sed Domino omnium cum timore serviatis, et exsultetis in beatitudine certissima et sincerissima, cauti et circumspicientes ne ab ea per superbiam decidatis.

10. [*vers.* 12.] *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa:* hoc est quod ait, *intelligite, et erudimini;* nam intelligere et erudiri, hoc est apprehendere disciplinam. Veruntamen in eo quod dicitur, *apprehendite*, satis significatur præsidium quoddam atque munimentum esse adversus omnia quæ obesse possent, nisi tanta cura apprehenderetur. *Nequando* autem *irascatur Dominus*, cum dubitatione positum est; non secundum visionem Prophetæ, cui certum est, sed secundum eos ipsos qui monentur; quia cum dubitatione solent cogitare iram Dei, quibus non aperte revelatur. Hoc ergo sibi ipsi debent dicere: Apprehendamus disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereamus de via justa. Jam vero, *irascatur Dominus*, quomodo accipiendum sit supra dictum est (*a*). *Et pereatis de via justa:* hæc magna pœna est, quæ ab iis formidatur qui aliquid dulcedinis justitiæ perceperunt; qui enim perit de via justitiæ, cum magna miseria per vias iniquitatis errabit.

11. [*vers.* 13.] *Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes qui confidunt in eo:* id est, cum vindicta venerit, quæ impiis et peccatoribus præparatur, non solum eos non attinget qui confidunt in Domino, sed etiam ad regnum illis instruendum et sublimandum proficiet. Non enim dixit: *Cum exarserit in brevi ira ejus*, securi *omnes qui confidunt in eo*, tanquam hoc solum inde habeant, quod non puniantur; sed *beati* dixit, ubi est bonorum omnium summa et cumulus. Quod autem positum est, *in brevi*, hoc significare arbitror, quia repentinum aliquid erit, dum hoc remotum et longe futurum peccatores existimabunt.

IN PSALMUM III
ENARRATIO.

Psalmus David, cum fugeret a facie Abessalon[1] *filii sui.*

1. [*vers.* 1.] Hunc psalmum ex persona Christi accipiendum persuadet quod dictum est: *Ego dormivi, et somnum cepi: et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me.* Magis enim hoc ad passionem et resurrectionem Domini congruenter sonat, quam ad illam historiam in qua David scribitur fugisse a facie bellantis adversum se filii sui (II *Reg.* XV, 17). Et quoniam scriptum est de discipulis Christi: *Quamdiu cum eis est sponsus, non jejunant*[2] *filii sponsi* (*Matth.* IX,

[1] Tres Mss., *de peccati limo.*
[2] Edd., *vertunt.* Tredecim Mss., *vertat.* Unus, *vertatur.*
(*a*) Idem vers. 7 tractatur in Enar. Psal. LX, n. 8.
(*b*) Vers. 8 tractatur item in Enar. Psal. XXI, n. 30.
(*c*) Idem vers. 9 explicatur in Enar. Psal. XLIV, n. 18; et Psal. LVIII, n. 1.
(*d*) De eodem vers. 11 vide Enar. in Psal. LXV, n. 5.

[1] In ante excusis, *Absalon.* At in melioris notæ Mss. ubique est, *Abessalon.* In Græco LXX, *Abessalôm.*
[2] Edd., *jejunabunt.* At Mss., *jejunant.*
(*a*) Supra, n. 4.

15), non mirum si filius ejus impius, significatur discipulus impius qui eum tradidit. A cujus facie fugisse quanquam historice possit accipi, quando illo discedente secessit cum cæteris in montem; tamen spiritualiter, quando mentem Judæ Filius Dei, id est virtus et sapientia Dei, deseruit, cum eum diabolus penitus invasit, in eo quod scriptum est, *Et intravit diabolus in cor ejus* (*Joan.* XIII, 2), bene accipitur a facie ejus Christum fugisse; non quia Christus diabolo cessit, sed Christo discedente diabolus possedit. Quem discessum fugam esse in hoc psalmo appellatum celeritatis causa arbitror; quod verbo etiam Domini significatur dicentis: *Quod facis, cito fac* (*Ibid.*, 27). Loquimur etiam sic in consuetudine, ut dicamus: Fugit me, quod in mentem non venit; et de homine doctissimo dicimus: Nihil eum fugit. Propterea veritas fugit mentem Judæ, cum eum illustrare destitit. Abessalon autem, sicut quidam interpretantur, in latina lingua dicitur Patris pax: quod mirum videri potest, sive in historia Regnorum, cum bellum adversus patrem Abessalon gesserit; sive in historia Novi Testamenti, cum traditor Domini Judas fuerit, quemadmodum Patris pax possit intelligi. Sed et ibi qui diligenter legunt, vident in illo bello David pacatum fuisse filio, qui etiam magno cum dolore planxit exstinctum, dicens: *Abessalon filius meus, quis dabit mihi mori pro te* (II *Reg.* XVIII, 33)? et in historia Novi Testamenti, ipsa Domini nostri tanta et tam miranda patientia, quod eum tamdiu pertulit tanquam bonum, cum ejus cogitationes non ignoraret, cum adhibuit ad convivium in quo corporis et sanguinis sui figuram[1] discipulis commendavit et tradidit (*Joan.* XIII), quod denique in ipsa traditione osculum accepit (*Matth.* XXVI, 49), bene intelligitur pacem Christum exhibuisse traditori suo; quamvis ille tam sceleratæ cogitationis interno bello vastaretur. Et ideo Abessalon Patris pax dicitur, quia pater habuit pacem, quam ille non habuit.

2. [*vers.* 2, 3.] *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me?* tam scilicet multiplicati sunt, ut etiam de numero discipulorum non defuerit qui numero accesserit persequentium. *Multi insurgunt super me: multi dicunt animæ meæ: Non est salus illi in Deo ejus.* Manifestum est quod nisi desperarent resurrecturum, non utique occiderent. Ad hoc valent illæ voces: *Descendat de cruce, si Filius Dei est;* et: *Alios salvavit, seipsum non potest* (*Id.* XXVII, 42). Ergo nec Judas eum tradidisset, nisi ex eorum esset numero qui Christum contemnerent, dicentes: *Non est salus illi in Deo ejus.*

3. [*vers.* 4.] *Tu autem, Domine, susceptor meus es:* secundum hominem dicitur Deo; quia hominis susceptio est Verbum caro factum. *Gloria mea:* gloriam suam Deum dicit etiam ille, quem sic suscepit Dei Verbum, ut simul cum eo Deus fieret. Discant superbi, qui non libenter audiunt cum eis dicitur: *Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7)? *Et exaltans caput meum:* mentem ipsam humanam hic accipiendam puto, quod caput animæ non absurde appellatur, quæ ita inhæsit et quodammodo coaluit excellenti supereminentiæ Verbi hominem suscipientis, ut tanta passionis humilitate non deponeretur.

4. [*vers.* 5.] *Voce mea ad Dominum clamavi:* id est, non corporis voce, quæ cum strepitu verberati aeris promitur; sed voce cordis, quæ hominibus silet, Deo autem sicut clamor sonat. Qua voce Suzanna exaudita est (*Dan.* XIII, 44): et de qua voce ipse Dominus præcipit, ut in cubiculis clausis, id est, in secretis cordis sine strepitu oretur (*Matth.* VI, 6). Nec facile quisquam dixerit hac voce minus orari, si nullus verborum sonus reddatur ex corpore; quoniam et silentes cum in cordibus oramus, si alienæ ab affectu orantis cogitationes intercurrant, nondum dici potest: *Voce mea ad Dominum clamavi.* Neque hoc recte dicitur, nisi cum sola anima, nihil carnis nihilque carnalium intentionum in oratione[1] attrahens, loquitur Domino, ubi solus audit; clamor autem etiam iste dicitur, propter vim ipsius intentionis. *Et exaudivit me de monte sancto suo* (*a*): montem quidem ipsum Dominum per Prophetam dictum habemus, ut scriptum est, lapidem præcisum sine manibus crevisse in magnitudinem montis (*Dan.* II, 35). Sed hoc ab ipsius persona[2] non potest accipi, nisi forte ita dicere voluit: De memetipso, tanquam de monte sancto suo, me exaudivit, cum habitaret in me, id est, in ipso monte. Planius autem est et expeditius, si accipiamus exaudisse Deum de justitia sua: justum enim erat ut innocentem occisum, et cui retributa sunt mala pro bonis, resuscitaret a mortuis, et digna persequentibus retribueret; legimus enim: *Justitia tua sicut montes Dei* (*Psal.* XXXV, 7).

5. [*vers.* 6.] *Ego dormivi, et somnum cepi* (*b*). Non inconvenienter animadverti potest quod positum est: *Ego*, ad significandum quod sua voluntate mortem sustinuit, secundum illud: *Propterea me Pater diligit, quoniam ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo eam tollit a meipso: potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* X, 17, 18): non ergo, inquit, vos me tanquam invitum cepistis et occidistis, sed *ego dormivi, et somnum cepi; et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me.* Somnum autem pro morte positum innumerabiliter Scripturæ continent, sicut Apostolus dicit: *Nolo vos ignorare, fratres, de iis qui dormitionem acceperunt* (I *Thess.* IV, 12). Nec quærendum est cur additum sit, *somnum cepi*, cum jam dictum esset, *dormivi*; usitatas enim habent Scripturæ hujuscemodi repetitiones, sicut in secundo psalmo multas ostendimus. Nonnulli autem codices habent, *dormivi, et soporatus sum*, et alii aliter; quomodo interpretari potuerunt quod græce positum est, ἐγὼ δὲ ἐκοιμήθην καὶ ὕπνωσα. Nisi forte dormitio morientis, somnus autem mortui accipi potest; ut dormitio sit qua transitur ad somnum, ve-

[1] Quatuor Mss., scilicet Benignianus, Theodericensis ac recentioris ætatis ex Corbeiensibus unus et alius ex Remigiensibus, *mysterium*.

[1] Aliquot Mss., *orationem*.
[2] Quinque Mss.: *Sed hoc ad ipsius personam.*

(*a*) De eodem vers. 5 vide Enar. Psal. XLIV, n. 33; et XLVII, n. 2.
(*b*) Idem vers. 6 tractatur in Enar. Psal. XL, n. 10; LVI, n. 11; CI, n. 8; et CXXXVIII, n. 2.

luti est expergefactio qua transitur ad vigilationem. Ne pro inanibus sermonis ornamentis, repetitiones istas in divinis libris esse arbitremur. Bene ergo accipitur, *Ego dormivi, et somnum cepi;* Ego me passioni permisi, et mors consecuta est. *Et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me.* Hoc magis animadvertendum est, quemadmodum in una sententia et præteriti temporis verbum posuit, et futuri: et *exsurrexi* enim dixit, quod est de præterito; et *suscipiet*, quod est de futuro; cum resurgere utique nisi illa susceptione non posset. Sed in prophetia bene miscentur futura præteritis, quo utrumque significetur: quia ea quæ ventura prophetantur, secundum tempus futura sunt; secundum scientiam vero prophetantium, jam pro factis habenda. Miscentur quoque præsentis temporis verba, quæ suo loco, cum occurrerint, tractabuntur.

6. [*vers.* 7.] *Non timebo millia populi circumdantis me:* scriptum est in Evangelio, quanta eum multitudo patientem et crucifixum circumsteterit (*Matth.* XXVII, 39, *etc.*). *Exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus:* non dormienti aut jacenti dicitur Deo, *exsurge;* sed moris est divinarum Scripturarum personæ Dei tribuere quod in nobis facit; non quidem ubique, sed ubi congruenter dici potest, veluti cum ipse loqui dicitur, quando ejus dono loquuntur Prophetæ vel Apostoli, vel quique nuntii veritatis. Unde illud est: *An vultis experimentum accipere ejus qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? non enim ait, ejus quo illuminante aut jubente loquor; sed prorsus ipsam locutionem illi tribuit cujus munere loquebatur.

7. [*vers.* 8.] *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa:* non ita distinguendum est, quasi una sententia sit, *Exsurge, Domine; salvum me fac, Deus meus, quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa:* non enim propterea salvum facit, quia percussit inimicos ejus; sed potius ipso salvo facto, illos percussit. Ergo ad id quod sequitur pertinet; ut iste sit sensus, *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti;* id est, inde contrivisti dentes peccatorum, quoniam percussisti omnes adversantes mihi. Pœna quippe adversantium est, qua dentes eorum contriti sunt, id est, in irritum quasi in pulverem perducta verba peccatorum dilacerantium maledictis Filium Dei; ut sic accipiamus dentes, verba maledica, quibus dentibus dicit Apostolus: *Si autem mordetis invicem, videte ne consumamini ab invicem* (*Gal.* v, 15). Possunt et dentes peccatorum accipi principes peccatorum, quorum auctoritate quisque de societate recte viventium præciditur, et quasi incorporatur male viventibus. His dentibus contrarii sunt dentes Ecclesiæ, quorum auctoritate ab errore gentilium variorumque dogmatum præciduntur credentes, et in eam quæ Christi corpus est transferuntur: his dentibus dictum est Petro ut manducaret mactata animalia (*Act.* x, 13); id est, occidendo in Gentibus quod erant, et transmutando in id quod ipse esset. Et de his dentibus Ecclesiæ dicitur: *Dentes tui sicut grex detonsarum ascendens de lavacro, quæ omnes geminos pariunt, et sterilis non est in illis* (*Cant.* IV, 2, *et* VI, 5). Hi sunt qui recte præcipiunt, et quemadmodum præcipiunt ita vivunt; qui faciunt quod dictum est: *Luceant opera vestra coram hominibus, ut benedicant Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16): horum enim auctoritate commoti, Deo per illos loquenti et operanti homines credunt, et separati a sæculo cui conformati erant, in Ecclesiæ membra transeunt. Et ideo recte isti, per quos hæc fiunt, dentes dicuntur detonsis ovibus similes, quia terrenarum curarum onera deposuerunt, et ascendentes de lavacro, de sordium sæculi ablutione [1] per sacramentum baptismatis, omnes geminos pariunt. Operantur enim duo præcepta, de quibus dictum est: *In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Id.* XXII, 40), diligentes Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente; et proximum tanquam seipsos. In quibus sterilis non est, quoniam tales fructus reddunt Deo. Secundum ergo istum intellectum sic accipiendum est, *dentes peccatorum contrivisti;* id est, in irritum adduxisti principes peccatorum, percutiendo omnes adversantes mihi sine causa: principes enim eum secundum evangelicam historiam persecuti sunt, cum multitudo inferior honoraret.

8. [*vers.* 9.] *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua* (*a*). In una sententia et præcepit hominibus quid crederent, et pro credentibus oravit: nam, *Domini est salus* cum dicitur, ad homines sermo dirigitur; nec ita sequitur, Et super populum suum benedictio ejus, ut totum hominibus dictum sit; sed ad ipsum Deum oratio convertitur, pro ipso populo cui dictum est: *Domini est salus.* Quid ergo ait, nisi hoc? Nemo de se præsumat, quoniam Domini est salvos facere de morte peccati; nam *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 24, 25); tu autem, Domine, benedic populum tuum de te salutem sperantem.

9. Potest et iste psalmus accipi ad personam Christi alio modo, id est, ut totus loquatur. Totus dico, cum corpore suo cui caput est, secundum Apostolum qui dicit: *Vos autem estis corpus Christi et membra* (I *Cor.* XII, 27); ergo ille caput est hujus corporis. Propter quod alio loco dicit: *Veritatem autem facientes in charitate, augeamur in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus connexum et compactum est* (*Ephes.* IV, 15, 16). Loquitur ergo apud Prophetam simul Ecclesia et caput ejus, inter procellas persecutionum constituta per universum orbem terrarum, quod jam contigisse scimus: *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me*, christianum nomen exterminare cupientes. *Multi dicunt animæ meæ: Non est salus illi in Deo ejus:* non enim aliter sperarent posse se perdere Ecclesiam latissime pullulantem, nisi ad Dei

[1] Quinque Mss., *de sordibus sæculi abluti.*

(*a*) De hoc eodem vers. 9 vide Enar. in Psal. LXX, n. 16, et CXLV, n. 9.

curam pertinere non crederent. *Tu autem, Domine, susceptor meus es:* in Christo utique; nam in illo homine et Ecclesia suscepta est a Verbo, quod caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14); quia et in cœlestibus nos sedere fecit una cum illo (*Ephes.* II, 6): præcedente enim capite, membra cætera consequentur; quis enim nos separabit a charitate Christi (*Rom.* VIII, 35)? Recte ergo dicit etiam Ecclesia: *Susceptor meus es, gloria mea;* non enim sibi tribuit quod excellit, cum intelligit cujus gratia et misericordia talis est. *Et exaltans caput meum,* ipsum scilicet qui primogenitus a mortuis ascendit in cœlum. *Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.* Hæc est oratio omnium sanctorum, odor suavitatis qui ascendit in conspectu Domini: jam enim exauditur Ecclesia de ipso monte, quod etiam caput ejus est; vel de illa justitia Dei, qua et liberantur electi ejus, et persecutores eorum puniuntur. Dicat populus Dei etiam illud: *Ego dormivi, et somnum cepi; et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me,* ut adjungatur et cohæreat capiti suo; huic enim populo dictum est: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et continget* [1] *te Christus* (*Ephes.* V, 14); quoniam de peccatoribus assumptus est, de quibus generaliter dictum est: *Qui autem dormiunt, nocte dormiunt* (I *Thess.* V, 7). Dicat etiam: *Non timebo millia populi circumdantis me;* circumvallantium scilicet gentium, ad exstinguendum nomen, si possent, ubicumque christianum. Sed quomodo timerentur, cum tanquam oleo sanguine martyrum in Christo ardor charitatis inflammaretur? *Exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus:* potest hoc ipsi capiti suo corpus dicere; illo enim exsurgente salvum factum est, qui ascendit in altum, captivam egit captivitatem, dedit dona hominibus (*Psal.* LXVII, 19): hoc enim in prædestinatione a Propheta dicitur, quo usque ad terras Dominum nostrum, illa de qua in Evangelio dicitur, messis matura (*Matth.* IX, 37) deposuit, cujus salus est in ejus resurrectione, qui pro nobis dignatus est mori. *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti:* jam regnante Ecclesia, inimici nominis christiani confusione percussi sunt, et sive maledica verba eorum, sive principatus, in irritum deducti. Credite ergo, homines, quod *Domini est salus: et,* tu, Domine, sit *super populum tuum benedictio tua.*

10. Potest etiam unusquisque nostrum dicere, cum vitiorum et cupiditatum multitudo resistentem mentem ducit in lege peccati: *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me, multi insurgunt adversum me?* Et quoniam plerumque coacervatione vitiorum subrepit desperatio sanitatis, tanquam ipsis vitiis insultantibus animæ, vel etiam diabolo et angelis ejus per noxias suggestiones ut desperemus operantibus, verissime dicitur: *Multi dicunt animæ meæ: Non est salus illi in Deo ejus. Tu autem, Domine, susceptor meus es;* hæc enim spes est, quod naturam humanam in Christo [1] suscipere dignatus est. *Gloria mea:* ex illa regula, ne quis sibi aliquid tribuat. *Et exaltans caput meum:* sive ipsum qui omnium nostrum caput est, sive uniuscujusque nostrum spiritum, quod caput est animæ et carnis; *caput* enim *mulieris vir, et caput viri Christus* (I *Cor.* XI, 3). Exaltatur autem mens, cum jam dici potest, *Mente servio legi Dei* (*Rom.* VII, 25); ut cætera hominis pacata [2] subdantur, cum jam carnis resurrectione absorbetur mors in victoriam (I *Cor.* XV, 54). *Voce mea ad Dominum clamavi:* voce illa intima et intentissima. *Et exaudivit me de monte sancto suo:* de ipso per quem nobis subvenit, et quo mediatore nos exaudit. *Ego dormivi, et somnum cepi; et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me:* quis hoc non potest fidelium dicere, recolens mortem peccatorum suorum, et donum regenerationis? *Non timebo millia populi circumdantis me.* Exceptis his quæ universaliter Ecclesia sustinuit et sustinet, habet etiam unusquisque tentationes quibus circumvallatus hæc dicat: *Exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus;* hoc est, Fac me exsurgere. *Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa:* recte in prædestinatione dicitur de diabolo et angelis ejus, qui non solum in totum Christi corpus, sed etiam in singulos quosque privatim sæviunt. *Dentes peccatorum contrivisti:* habet unusquisque maledicentes sibi; habet etiam vitiorum auctores conantes eum a Christi corpore præcidere. Sed *Domini est salus;* cavenda superbia est, et dicendum: *Adhæsit anima mea post te* (*Psal.* LXII, 9). *Et super populum tuum benedictio tua,* hoc est super unumquemque nostrum.

IN PSALMUM IV
ENARRATIO.

In finem, Psalmus Canticum David.

1. [*vers.* 1.] *Finis Legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4): hic enim finis perfectionem significat, non consumptionem. Utrum autem omne canticum psalmus sit, an potius omnis psalmus canticum; an sint quædam cantica quæ non possint dici psalmi, et quidam psalmi qui non possint dici cantica, quæri potest. Sed animadvertendæ Scripturæ sunt, ne forte Canticum lætitiam indicet: Psalmi autem dicuntur, qui cantantur ad psalterium; quo usum esse David prophetam in magno mysterio, prodit historia (I *Par.* XIII, 8, *et* XVI, 5). De qua re non est hic disserendi locus; quia diuturnam inquisitionem et longam disputationem desiderat. Nunc interim aut verba Dominici hominis post resurrectionem exspectare debemus, aut hominis in Ecclesia credentis et sperantis in eum.

2. [*vers.* 2.] *Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ:* cum invocarem, exaudivit me Deus, inquit, a quo est justitia mea. *In tribulatione dilatasti mihi:* ab angustiis tristitiæ, in latitudinem gaudiorum me duxisti; tribulatio enim et angustia in omnem

[1] Pro *epiphausei, illuminabit,* legebat, *ephapsetai, continget.*

[1] Edd., *in Christum.* At nonnulli Mss., *in Christo.*
[2] Ita Colbertinus codex. Alii vero Mss. et edd. ferunt, *peccata.*

animam hominis operantis malum (*Rom.* II, 9). Qui autem dicit : *Gaudemus in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur*, usque ad illud ubi ait : *Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Id.* V, 3, 5), non habet cordis angustias, quamvis extrinsecus a persequentibus ingerantur. Mutatio autem personæ, quod a tertia, ubi ait, *exaudivit*, statim transiit ad secundam, ubi ait, *dilatasti mihi*, si non varietatis ac suavitatis causa facta est, mirum cur primum tanquam indicare voluit hominibus exauditum se esse, et postea compellare exauditorem suum. Nisi forte cum indicasset quemadmodum exauditus sit in ipsa dilatatione cordis, maluit cum Deo loqui; ut etiam hoc modo ostenderet quid sit corde dilatari, id est, jam cordi habere infusum Deum, cum quo intrinsecus colloquatur. Quod in persona ejus qui credens in Christum illuminatus est, recte accipitur : in ipsius autem Dominici hominis, quem suscepit Dei Sapientia, non video quemadmodum hoc possit congruere; non enim ab ea aliquando desertus est. Sed quemadmodum ipsa ejus deprecatio, nostræ potius infirmitatis indicium est; sic etiam de ista repentina dilatatione cordis potest idem Dominus pro fidelibus suis loqui, quorum personam sibi imposuit etiam cum ait : *Esurivi, et non cibastis me; sitivi, et potum non dedistis mihi* (*Matth.* XXV, 35), et cætera. Quare hic quoque potest dicere, *dilatasti mihi*, pro uno ex minimis suis colloquente cum Deo, cujus charitatem diffusam habet in corde per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. *Miserere mei, et exaudi orationem meam :* cur iterum rogat, cum jam se exauditum et dilatatum indicaverit? An propter nos, de quibus dicitur : *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 25); aut ut in illo qui credidit perficiatur quod inchoatum est?

3. [*vers.* 3.] *Filii hominum, usquequo graves corde?* saltem usque in adventum, inquit, Filii Dei vester error duraverit; quid ergo ultra graves corde estis? Quando habituri finem fallaciarum, si veritate præsente [1] non habetis? *Utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* utquid vultis beati esse de infimis? Sola veritas facit beatos, ex qua vera sunt omnia. Nam vanitas est vanitantium [2], et omnia vanitas. Quæ abundantia homini in omni labore suo, quo ipse laborat sub sole (*Eccle.* I, 2, 3)? Utquid ergo temporalium rerum amore detinemini? utquid tanquam prima, extrema sectamini; quod est vanitas et mendacium? Cupitis enim permanere vobiscum, quæ omnia transeunt tanquam umbra.

4. [*vers.* 4.] *Et scitote quoniam admirabilem fecit Dominus sanctum suum :* quem, nisi eum quem suscitavit ab inferis, et in cœlo ad dexteram collocavit? Increpatur ergo genus humanum, ut ad eum se tandem ab hujus mundi amore convertat. Sed si quem movet conjunctio superaddita, quod ait, *Et scitote*, facile est ut in Scripturis animadvertat hujus locutionis genus familiare esse illi linguæ qua Prophetæ locuti sunt. Nam sæpe invenis ita cœptum : Et dixit Dominus ad illum, Et factum est verbum Domini ad illum. Quæ junctura conjunctionis, cum sententia non præcesserit cui sequens annectatur, mirabiliter fortassis insinuat prolationem veritatis in voce cum ea visione quæ fit in corde esse conjunctam. Quanquam hic dici possit, quod superior sententia, *Utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* ita posita est ac si diceretur, Nolite diligere vanitatem, et quærere mendacium; quo ita posito, rectissima locutione sequitur : *Et scitote quoniam admirabilem fecit Dominus sanctum suum.* Sed interpositum *diapsalma* vetat istam cum superiore conjungi : sive enim hebræum verbum sit, sicut quidam volunt, quo significatur Fiat; sive græcum, quo significatur intervallum psallendi, ut psalma sit quod psallitur, diapsalma vero interpositum in psallendo silentium; ut quemadmodum sympsalma dicitur vocum copulatio in cantando, ita diapsalma disjunctio earum, ubi quædam requies disjunctæ continuationis ostenditur : sive ergo illud, sive hoc, sive aliud aliquid sit, certe illud probabile est, non recte continuari et conjungi sensum, ubi diapsalma interponitur.

5. *Dominus exaudiet me, dum clamavero ad eum :* hic nos admoneri credo, ut magna intentione cordis, id est, interno et incorporeo clamore auxilium imploremus Dei; quoniam sicut gratulandum est de illuminatione in hac vita, ita orandum pro requie post hanc vitam. Quapropter aut ex persona fidelis evangelizantis, aut ex ipsius Domini, sic accipiendum est ac si dictum sit : Dominus exaudiet vos, dum clamaveritis ad eum.

6. [*vers.* 5.] *Irascimini, et nolite peccare* (*a*) : occurrebat enim : Quis est dignus exaudiri, aut quomodo non frustra clamat peccator ad Dominum? Ergo *Irascimini*, inquit, *et nolite peccare*; quod duobus modis intelligi potest : aut, Etiam si irascimini, nolite peccare; id est, Etiam si surgit motus animi, qui jam propter pœnam peccati non est in potestate, saltem ei non consentiat ratio et mens, quæ intus regenerata est secundum Deum, ut mente serviamus legi Dei, si adhuc carne servimus legi peccati (*Rom.* VII, 25) : aut, Agite pœnitentiam; id est, irascimini vobis ipsis de præteritis peccatis, et ulterius peccare desinite. *Quæ dicitis in cordibus vestris :* subauditur, dicite; ut sit plena sententia : Quæ dicitis, in cordibus vestris dicite; id est, nolite esse populus de quo dictum est : *Labiis me honorant, cor autem eorum longe est a me* (*Isai.* XXIX, 13). *In cubilibus vestris compungimini :* hoc est quod jam dictum est, *in cordibus;* hæc enim sunt cubilia de quibus et Dominus monet, ut intus oremus clausis ostiis (*Matth.* VI, 6). *Compungimini* autem, aut ad pœnitentiæ dolorem refertur, ut se ipsam anima puniens compungat, ne in Dei judicio damnata torqueatur; aut ad excitationem, ut evigilemus ad videndam lucem Christi, tanquam stimulis adhibitis. Nonnulli autem non *compungimini*, sed

[1] Duodecim Mss., *si veritatis præsentia.*
[2] Sic legimus cum sanioribus Mss. De hac lectione vide Retract. lib. 1, cap. 7, n. 3. M.

(*a*) De eodem vers. 5 vide II Enar. in Psal. XXV n. 3.

aperimini, dicunt melius legi; quoniam in græco Psalterio est κατανύγητε, quod refertur ad illam dilatationem cordis, ut excipiatur diffusio charitatis per Spiritum sanctum.

7. [*vers.* 6, 7.] *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino.* Idem dicit in alio psalmo: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* L, 19). Quare non absurde hic accipitur ipsum esse sacrificium justitiæ, quod fit per pœnitentiam: quid enim justius, quam ut suis unusquisque peccatis, quam alienis potius irascatur, seque ipsum puniens mactet Deo? An sacrificium justitiæ opera justa sunt post pœnitentiam? Nam et interpositum *diapsalma*, non absurde fortassis insinuat etiam transitum de vita veteri ad vitam novam: ut exstincto vel infirmato per pœnitentiam vetere homine, sacrificium justitiæ secundum regenerationem novi hominis offeratur Deo, cum se offert ipsa anima jam abluta, et imponit in altare fidei, divino igne, id est, Spiritu sancto comprehendenda; ut iste sit sensus, *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino*, id est, Recte vivite, et sperate donum Spiritus sancti, ut vos veritas, cui credidistis, illustret.

8. Sed tamen *Sperate in Domino*, clause adhuc dictum est. Sperantur autem quæ, nisi bona? Sed quia unusquisque id bonum vult a Deo impetrare quod diligit, nec facile inveniuntur qui diligant bona interiora, id est, ad interiorem hominem pertinentia, quæ sola diligenda sunt, cæteris autem ad necessitatem utendum, non ad gaudium perfruendum; admirabiliter cum dixisset, *Sperate in Domino*, subjecit: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?* Qui sermo, et quæ interrogatio quotidiana est omnium stultorum et iniquorum; sive pacem et tranquillitatem vitæ sæcularis desiderantium, et propter perversitatem generis humani non invenientium, qui etiam cæci accusare audent ordinem rerum, cum involuti meritis suis putant tempora esse pejora quam præterita fuerunt; sive de ipsa futura vita, quæ nobis promittitur, dubitantium vel desperantium, qui sæpe dicunt: Quis novit si vera sunt, aut quis venit ab inferis ut ista nuntiaret? Magnifice igitur et breviter, sed intrinsecus videntibus, ostendit quæ bona quærenda sint, respondens illorum interrogationi qui dicunt: *Quis ostendit nobis bona? Signatum est*, inquit, *in nobis lumen vultus tui, Domine.* Hoc lumen est totum hominis et verum bonum, quod non oculis, sed mente conspicitur. *Signatum* autem dixit *in nobis*, tanquam denarius signatur regis imagine: homo enim factus est ad imaginem et similitudinem Dei (*Gen.* I, 26), quam peccando corrupit: bonum ergo ejus est verum atque æternum, si renascendo signetur. Et ad hoc credo pertinere, quod quidam prudenter intelligunt, illud quod Dominus viso Cæsaris nummo ait: *Reddite Cæsari quod Cæsaris est, et Deo quod Dei est* (*Matth.* XXII, 21); tanquam si diceret: Quemadmodum Cæsar a vobis exigit impressionem imaginis suæ, sic et Deus; ut quemadmodum illi redditur nummus, sic Deo anima lumine vultus ejus illustrata atque signata. *Dedisti lætitiam in cor meum.* Non ergo foris quærenda est lætitia, ab his qui adhuc graves corde diligunt vanitatem et quærunt mendacium, sed intus ubi signatum est lumen vultus Dei: in interiore enim homine habitat Christus (*Ephes.* III, 17), ut ait Apostolus; ad ipsum enim pertinet videre veritatem, cum ille dixerit: *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). Et cum loquebatur in Apostolo dicente: *An vultis experimentum ejus accipere qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? non ei foris utique; sed in ipso corde, id est, in illo cubili ubi orandum est (*Matth.* VI, 6), loquebatur.

9. [*vers.* 8, 9.] Sed homines temporalia sectantes, qui certe multi sunt, nihil aliud noverunt dicere, nisi *Quis ostendit nobis bona?* cum vera et certa bona intra semetipsos videre non possint. Itaque consequenter de his rectissime dicitur, quod adjungit: *A tempore* [1] *frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt.* Non enim vacat, quod additum est, *sui*: est enim et frumentum Dei, siquidem est panis vivus qui de cœlo descendit (*Joan.* VI, 51); est et vinum Dei, nam *Inebriabuntur*, inquit, *ab ubertate domus tuæ* (*Psal.* XXXV, 9) est et oleum Dei, de quo dictum est: *Impinguasti in oleo caput meum* (*Psal.* XXII, 5). Isti autem multi qui dicunt, *Quis ostendit nobis bona?* et regnum cœlorum intra se esse non vident (*Luc.* XVII, 21), *a tempore frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt.* Non enim multiplicatio semper ubertatem significat, et non plerumque exiguitatem: cum dedita temporalibus voluptatibus anima semper exardescit cupiditate, nec satiari potest, et multiplici atque ærumnosa cogitatione distenta, simplex bonum videre non sinitur; qualis est illa de qua dicitur: *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Talis anima temporalium bonorum decessione et successione, id est, a tempore frumenti, vini et olei sui, innumerabilibus completa phantasmatibus sic multiplicata est, ut non possit agere quod præceptum est: *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum* (*Id.* I, 1); ista enim multiplicitas illi simplicitati vehementer adversa est. Et ideo istis relictis qui multi sunt, multiplicati scilicet temporalium cupiditate et dicunt, *Quis ostendit nobis bona?* quæ non oculis foris, sed intus cordis simplicitate quærenda sunt, vir fidelis exsultat et dicit: *In pace, in idipsum obdormiam, et somnum capiam.* Recte enim speratur a talibus omnimoda mentis abalienatio a mortalibus rebus et miseriarum sæculi hujus oblivio, quæ nomine obdormitionis et somni decenter et prophetice significatur, ubi summa pax nullo tumultu interpellari potest. Sed hoc jam non tenetur in hac vita, sed post hanc vitam sperandum est. Hoc etiam ipsa verba ostendunt, quæ futuri sunt temporis: non enim dictum est, aut, Obdormivi et somnum cepi; aut, Obdormio et somnum capio; sed, *Obdormiam et somnum capiam.* Tunc

[1] Pro *apò karpoû*, *a fructu*, legebat, *apò kairoû*, *a tempore*: sic etiam Cassiodorus.

corruptibile hoc induetur incorruptione, et mortale hoc induetur immortalitate; tunc absorbebitur mors in victoriam (I *Cor.* xv, 54). Hoc est unde dicitur : *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* viii, 25).

10. [*vers.* 10.] Quapropter congruenter ultimum annectit, et dicit : *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe habitare fecisti me.* Hic non dixit, Facies; sed, *Fecisti.* In quo ergo jam ista spes est, erit profecto etiam quod speratur. Et bene ait, *singulariter :* potest enim referri adversus illos multos qui, multiplicati a tempore frumenti vini et olei sui, dicunt : *Quis ostendit nobis bona?* perit enim hæc multiplicitas, et singularitas tenetur in sanctis, de quibus dicitur in Actibus Apostolorum : *Multitudinis autem credentium erat anima una et cor unum* (*Act.* iv, 32). Singulares ergo et simplices, id est, secreti a multitudine ac turba nascentium rerum ac morientium, amatores æternitatis et unitatis esse debemus, si uni Deo et Domino nostro cupimus inhærere.

IN PSALMUM V
ENARRATIO.

1. [*vers.* 1.] Titulus Psalmi est : *Pro ea quæ hæreditatem accipit.* Intelligitur ergo Ecclesia, quæ accipit hæreditatem vitam æternam per Dominum nostrum Jesum Christum, ut possideat ipsum Deum, cui adhærens beata sit secundum illud : *Beati mites, quia ipsi hæreditate possidebunt terram* (*Matth.* v, 4); quam terram? nisi de qua dicitur : *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium* (*Psal.* cxli, 6); et illud manifestius : *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei* (*Psal.* xv, 5). Dicitur et hæreditas Dei vicissim Ecclesia secundum illud : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* ii, 8). Ergo hæreditas nostra Deus dicitur, quia ipse nos pascit et continet : et hæreditas Dei dicimur, quia ipse nos administrat et regit. Quapropter vox Ecclesiæ est in hoc psalmo vocatæ ad hæreditatem, ut et ipsa fiat hæreditas Domini.

2. [*vers.* 2]. *Verba mea exaudi, Domine :* vocata invocat Dominum, ut eodem opitulante pertranseat nequitiam sæculi hujus, et ad eum perveniat. *Intellige clamorem meum :* bene ostendit quis iste sit clamor, quam interior de cordis cubili sine strepitu corporis perveniat ad Deum; quandoquidem vox corporalis auditur, spiritualis autem intelligitur. Quanquam hoc sit etiam exaudire Dei, non aure carnali, sed majestatis præsentia.

3. [*vers.* 3.] *Intende voci obsecrationis meæ :* id est, illi voci, quam ut Deus intelligat petit; quæ qualis sit jam insinuavit, cum dixit : *Intellige clamorem meum. Intende voci obsecrationis meæ, Rex meus et Deus meus.* Quamvis et Filius Deus, et Pater Deus, et simul Pater et Filius unus Deus; et si interrogemur de Spiritu sancto, nihil aliud respondendum est, nisi quod Deus sit; et cum simul dicuntur Pater et Filius et Spiritus sanctus, nihil aliud intelligendum est quam unus Deus; tamen regem Filium solent appellare Scripturæ. Secundum ergo illud quod dictum est, *Per me itur ad Patrem* (*Joan.* xiv, 6), recte primo, *Rex meus,* et deinde, *Deus meus.* Nec tamen dixit, Intendite; sed, *Intende :* non enim duos aut tres deos fides catholica prædicat, sed ipsam Trinitatem unum Deum : non ut eadem Trinitas simul possit aliquando Pater, aliquando Filius, aliquando Spiritus sanctus dici, sicut Sabellius credidit; sed ut Pater nonnisi Pater, et Filius nonnisi Filius, et Spiritus sanctus nonnisi Spiritus sanctus, et hæc Trinitas nonnisi unus Deus. Quia et cum dixisset Apostolus : *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia* (*Rom.* xi, 36), Trinitatem ipsam insinuasse creditur; nec tamen subjecit, Ipsis gloria; sed, *Ipsi gloria.*

4. [*vers.* 4.] *Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam :* quid sibi vult quod superius dixit, *exaudi*, quasi in præsenti se exaudiri cuperet, nunc vero dicit, *mane exaudies*, non, exaudi; et, *ad te orabo*, non, ad te oro; et deinceps, *mane astabo tibi et videbo*, non, asto et video? Nisi forte superior ejus oratio ipsam invocationem [1] ostendit : caligans autem inter procellas hujus sæculi, sentit se non videre quod cupit, et tamen sperare non desinit : spes enim quæ videtur, non est spes (*Rom.* viii, 24). Intelligit tamen quare non videat, quia nondum nox peracta est, id est tenebræ quas peccata meruerunt. Dicit ergo, *Quoniam ad te orabo, Domine*, id est, quoniam tantus es ad quem orabo, *mane exaudies vocem meam.* Non ille es, inquit, qui possis videri ab eis quorum ab oculis nox peccatorum nondum recessit : peracta ergo erroris mei nocte, et discedentibus tenebris quas mihi peccatis meis feci, exaudies vocem meam. Cur ergo superius non ait, exaudies; sed, *exaudi?* An postquam clamavit, *exaudi*, et non exaudita est, sensit quid [2] oporteat transire ut possit exaudiri? An et superius exaudita est, sed nondum se intelligit exauditam, quia nondum videt a quo exaudita est; et quod nunc ait, *mane exaudies*, hoc intelligi voluit, mane intelligam me esse exauditam? qualis est ista locutio, Exsurge, Domine (*Psal.* iii, 7), id est, fac me exsurgere; sed hoc de resurrectione [3] Christi accipitur. Illud certe non potest recte aliter accipi, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (*Deut.* xiii, 3), nisi ut vos per illum sciatis, et vobismetipsis manifestetur quantum in ejus amore profeceritis.

5. [*vers.* 5-8.] *Mane astabo tibi, et videbo* (*a*) *: astabo* quid est, nisi non jacebo? quid est autem aliud jacere, nisi in terra quiescere, quod est in terrenis voluptatibus beatitudinem quærere? *Astabo*, inquit, *et videbo:* non est ergo inhærendum terrenis, si volumus Deum videre, qui mundo corde conspicitur. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Non habitabit juxta te*

[1] Edd., *vocationem.* At Colbertinus codex aliique melioris notæ Mss., *invocationem.*
[2] Plures Mss., *quod.*
[3] Edd., *sed si hoc de resurrectione.* Particula *si* abest a Mss.
(*a*) Idem vers. 5 tractatur in II Enar. Psal. xxvi, n. 8.

malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus: iniquitas, malignitas, mendacium, homicidium, dolus, et quidquid hujusmodi est, ipsa nox est, qua transeunte fit mane ut videatur Deus. Causam ergo exposuit quare mane astabit, et videbit, *quoniam non Deus volens iniquitatem*, inquit, *tu es.* Si enim Deus esset qui vellet iniquitatem, posset etiam ab iniquis videri; ut non mane videretur, id est, cum iniquitatis nox pertransierit.

6. *Non habitabit juxta te malignus:* id est, non sic videbit ut hæreat. Ideo sequitur, *neque permanebunt injusti ante oculos tuos;* quia oculi eorum, id est mens eorum reverberatur luce veritatis propter tenebras peccatorum, quorum consuetudine fulgorem rectæ intelligentiæ sustinere non possunt. Ergo et qui vident aliquando, id est, qui verum intelligunt, tamen adhuc injusti sunt, non ibi permanent amando ea quæ avertunt a vero; gerunt enim secum suam noctem, id est, non solum consuetudinem, sed etiam amorem peccandi. Quæ nox si transierit, id est, si peccare destiterint, et ipse amor atque consuetudo fugata fuerit, fit mane; ita ut non solum intelligant, sed etiam inhæreant veritati.

7. *Odisti* [1] *omnes qui operantur iniquitatem:* odium Dei ex illa locutione intelligendum est, qua odit peccator quisque veritatem. Videtur enim quod et illa odit quos in se manere non sinit: non autem manent, qui eam sustinere non valent. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*: hoc enim est veritati contrarium. Sed ne quis putet aliquam substantiam vel naturam veritati esse contrariam, intelligat ad id quod non est pertinere mendacium, non ad id quod est. Si enim hoc dicitur quod est, verum dicitur; si autem hoc dicitur quod non est, mendacium est. Ideo, inquit, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*; quia recedentes ab eo quod est, ad id quod non est declinantur [2]. Multa quidem videntur pro salute aut commodo alicujus, non malitia, sed benignitate mendacia, quale illarum in Exodo obstetricum quæ Pharaoni falsum renuntiaverunt (*Exod.* I, 19), ut infantes filiorum Israel non necarentur. Sed etiam ista non re, sed indole [4] laudantur; quoniam qui tantum hoc modo mentiuntur, merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari. Nam in iis qui perfecti sunt, nec ista mendacia inveniuntur; quibus dictum est: *Sit in ore vestro, Est, est; non, non: quidquid amplius est, a malo est* (*Matth.* V, 37). Nec immerito alio loco scriptum est: *Os quod mentitur occidit animam* (*Sap.* I, 11); ne quis arbitretur perfectum et spiritualem hominem pro ista temporali vita, in cujus morte non occiditur anima, sive sua, sive alterius, debere mentiri. Sed quoniam aliud est mentiri, aliud verum occultare; siquidem aliud est falsum dicere, aliud verum tacere; si quis forte vel ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere; ut neque prodat neque mentiatur, ne occidat animam suam pro corpore alterius. Si autem hoc nondum potest; vel sola hujus necessitatis habeat mendacia, ut etiam ab istis, si sola remanserint, liberari mereatur, et Spiritus sancti robur accipere, quo quidquid perpetiendum est pro veritate contemnat. Duo sunt omnino genera mendaciorum in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa, cum aut jocamur, aut ut prosimus mentimur. Illud primum in jocando, ideo non est perniciosissimum quia non fallit; novit enim ille cui dicitur, joci causa esse dictum. Secundum autem ideo mitius est, quia retinet nonnullam benevolentiam. Illud vero quod non habet duplex cor, nec mendacium quidem dicendum est: tanquam, verbi gratia, si cui gladius commendetur, et promittat se redditurum cum ille qui commendavit poposcerit; si forte gladium suum repetat furens, manifestum est tunc non esse reddendum, ne vel se occidat vel alios, donec ei sanitas restituatur. Hic ideo non habet duplex cor, quia ille cui commendatus est gladius, cum promittebat se redditurum poscenti, non cogitabat furentem posse repetere. Verum autem occultavit et Dominus, cum discipulis nondum idoneis dixit: *Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare illa* (*Joan.* XVI, 12); et apostolus Paulus cum ait: *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus* (I *Cor.* III, 1). Unde manifestum est non esse culpandum, aliquando verum tacere. Falsum autem dicere, non invenitur concessum esse perfectis.

8. *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.* Potest hic recte videri repetitum quod ait superius: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*, *perdes omnes qui loquuntur mendacium;* ut *virum sanguinum* ad operantem iniquitatem referas, *dolosum* autem ad mendacium: dolus enim est, cum aliud agitur, aliud simulatur. Et apto verbo usus est quod ait, *abominabitur;* solent enim abominati dici, exhæredati: hic autem psalmus *pro ea* est *quæ hæreditatem accipit*, quæ subjicit exsultationem spei suæ, dicens: *Ego autem in multitudine miserationis tuæ*, *introibo in domum tuam. In multitudine miserationis*, fortasse in multitudine hominum perfectorum et beatorum dicit, quibus civitas illa constabit, quam nunc parturit et paulatim parit Ecclesia. Homines autem multos regeneratos atque perfectos, recte dici multitudinem miserationis Dei quis negat, cum verissime dictum sit: *Quid est homo, quod memor es ejus; aut filius hominis, quia visitas eum* (*Psal.* VIII, 5)? *Introibo in domum tuam*: tanquam lapis, credo, in ædificium, dictum est. Quid enim aliud domus Dei quam templum Dei est, de quo dictum est: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I *Cor.* III, 17)? cujus ædificii lapis angularis est ille (*Ephes.* II, 20), quem suscepit coæterna Patri Virtus et sapientia Dei.

9. *Adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo: ad templum* sicut prope templum intelligimus;

[1] In editis: *Odisti, Domine.* At a Mss. abest vox, *Domine*,

[2] Editi, *declinant.* At Mss., *declinantur.*

[4] Editi, *in dolo.* Verius aliquot Mss., *indole.* Confer lib. de Mendacio, cc. 5 et 17.

non enim ait, Adorabo in templo sancto tuo, sed, *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Intelligendum etiam est non de perfectione, sed de progressu ad perfectionem dictum esse; ut illud perfectionem significet, *Introibo in domum tuam.* Sed ut hoc proveniat, prius *adorabo*, inquit, *ad templum sanctum tuum;* et fortasse ob hoc addidit, *in timore tuo*, quod magnum est præsidium procedentibus ad salutem. Cum autem quisque pervenerit, fiet in eo quod dictum est: *Consummata dilectio foras mittit timorem* (I *Joan.* IV, 18), non enim timent jam amicum [1], quibus dictum est: *Jam non dicam vos servos, sed amicos* (*Joan.* XV, 15), cum ad id quod promissum est perducti fuerint.

10. [*vers.* 9, 10.] *Domine, deduc me in tua justitia propter inimicos meos:* satis hic declaravit in profectione se esse, id est in provectu ad perfectionem, nondum in ipsa perfectione, quando ut deducatur exoptat. *In tua justitia* autem, non in ea quæ videtur hominibus. Nam et malum pro malo reddere, justitia videtur, sed non est ejus de quo dictum est: *Qui facit oriri solem suum super bonos et malos* (*Matth.* V, 45); quia et cum punit Deus peccatores, non malum suum eis infert, sed malis eorum eos dimittit: *Ecce, inquit, parturiit injustitiam, concepit laborem, et peperit iniquitatem: lacum aperuit et effodit eum, et incidit in foveam quam operatus est: convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ejus iniquitas ejus descendet* (*Psal.* VII, 15-17). Cum ergo punit Deus, ut judex punit eos qui legem prætereunt, non eis inferens de seipso malum, sed in id quod elegerunt eos expellens ad complendam summam miseriarum. Homo autem cum malum pro malo reddit, malo voto id facit; et ob hoc prior ipse malus est, dum punire vult malum.

11. *Dirige in conspectu tuo iter meum.* Nihil manifestius est, quam in tempus eum commendare quo proficit; hoc est enim iter quod non terrarum locis peragitur, sed affectibus animorum. *In conspectu*, inquit, *tuo dirige iter meum:* id est, ubi nullus hominum videt, quibus credendum non est laudantibus, aut vituperantibus; non enim ullo modo possunt de aliena conscientia judicare, in qua iter dirigitur ad Deum. Ideo subjecit, *Quoniam non est in ore eorum veritas*, quibus utique judicantibus non est credendum, et ideo intro ad conscientiam et ad Dei conspectum confugiendum est. *Cor eorum vanum est*: quomodo ergo potest esse in ore eorum veritas, quorum cor fallitur de peccato et pœna peccati? Unde revocantur homines illa voce: *Utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium* (*Psal.* IV, 3)?

12. [*vers.* 11.] *Sepulcrum patens est guttur eorum:* ad voracitatis significationem referri potest, propter quam plerumque homines adulatione mentiuntur. Et mirabiliter dixit, *patens sepulcrum;* quoniam semper inhiat illa voracitas, non ut sepulcra quæ receptis cadaveribus muniuntur. Potest et illud intelligi, quod mendacio et blanda adulatione trahunt in se quos ad peccata illectant, et eos tanquam devorant cum in suam vitam convertunt. Quod quibus contingit quoniam peccato moriuntur [2], recte illi a quibus inducuntur, sepulcra patentia dicti sunt; quia et ipsi quodammodo exanimes sunt vitam non habendo veritatis, et mortuos in se recipiunt quos verbis mendacibus et vano corde interemptos in se convertunt. *Linguis suis dolose agebant*, id est linguis malis: nam hoc videtur significare, cum dicit *suis*, mali enim malas habent linguas; id est, mala loquuntur, cum loquuntur dolum. Quibus Dominus dicit: *Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali* (*Matth.* XII, 34)?

13. *Judica illos, Deus: decidant a cogitationibus suis.* Prophetia est, non maledictio: non enim optat ut eveniat, sed cernit quid eventurum sit: contingit namque illis, non quia videtur optasse, sed quia tales sunt ut merito contingat. Sic enim et quod postea dicit, *Lætentur omnes qui sperant in te*, per prophetiam dicit; quoniam cernit esse lætaturos. Sic per prophetiam dictum est, *Excita potentiam tuam et veni* (*Psal.* LXXIX, 3); quoniam videbat esse venturum. Quanquam possit etiam hoc modo accipi quod dictum est, *decidant a cogitationibus suis*, ut magis bene ab eo optatum credatur, dum cadunt a cogitationibus suis malis, id est, ut jam non cogitent mala. Sed vetat sic intelligi quod sequitur, *expelle eos;* nullo enim modo potest in bonam partem accipi, cum quisque expellitur a Deo. Quapropter per prophetiam dictum, non per malevolentiam intelligitur; cum hoc dictum sit, quod necessario talibus eventurum est, qui in peccatis quæ memorata sunt perseverare voluerint. *Decidant* ergo *a cogitationibus suis*, dictum est; decidant accusantibus se cogitationibus suis, testimonium perhibente conscientia sua, sicut Apostolus dicit: *Et cogitationum accusantium seu defendentium, in revelatione justi judicii Dei* (*Rom.* II, 15, 16).

14. *Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos:* id est, longe eos expelle; hoc est enim *secundum multitudinem impietatum eorum*, ut multum expellantur. Expelluntur ergo impii ab illa hæreditate quæ intelligendo et videndo Deum possidetur; sicut expelluntur morbidi oculi fulgore lucis, cum illis ea pœna est quæ aliis lætitia. Non ergo ipsi mane astabunt, et videbunt. Et tam magna pœna est ista expulsio, quam magnum præmium est illud quod dicitur: *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII, 28). Huic pœnæ contrarium est: *Intra in gaudium Domini tui.* Quia huic expulsioni simile est: *Projicite illum in tenebras exteriores* (*Matth.* XXV, 21, 30).

15. *Quoniam inamaricaverunt te, Domine. Ego sum*, inquit, *panis qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 51): et, *Operamini escam quæ non corrumpitur* (*Ibid.*, 27): et, *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). Peccatoribus autem panis veritatis amarus est; unde os vera dicentis oderunt. Ipsi ergo inamaricaverunt Deum, qui peccando in eam ægri-

[1] Gatianensis codex, *amici.*

[2] Quatuor MSS., *peccato suo consummato moriuntur.*

tudinem devenerunt, ut cibum veritatis, quo sanæ animæ gaudent, tanquam felleum sustinere non possint.

16. [*vers.* 12.] *Et lætentur omnes qui sperant in te*: utique illi quibus gustantibus suavis est Dominus. *In æternum exsultabunt, et inhabitabis in eis*: ipsa ergo erit æterna exsultatio, cum templum Dei fiunt justi; et erit gaudium ipsorum, ipse incola [1] eorum. *Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum*: tanquam cum adest eis ad fruendum quod diligunt. Et bene *in te*, tanquam possidentes hæreditatem de qua titulus psalmi est, cum et ipsi sint ejus hæreditas, quod significat, *inhabitabis in eis*. A quo bono prohibentur quos secundum multitudinem impietatum eorum expellit Deus.

17. [*vers.* 13.] *Quoniam tu benedices justum*: hæc est benedictio, gloriari in Deo, et inhabitari a Deo. Ista sanctificatio conceditur justis; sed ut justificentur, præcedit vocatio, quæ non est meritorum, sed gratiæ Dei: omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei (*Rom.* III, 23). Quos enim vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, hos et glorificavit (*Id.* VIII, 30). Quia ergo vocatio non meritorum nostrorum, sed benevolentiæ et misericordiæ Dei est, subjecit dicens: *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*; bona enim voluntas Dei præcedit bonam voluntatem nostram, ut peccatores vocet in pœnitentiam. Et ipsa sunt arma quibus expugnatur inimicus, contra quem dicitur: *Quis accusabit adversus electos Dei?* et, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui unico Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Ibid.*, 31, 33). *Si enim adhuc cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo magis reconciliati, salvi erimus ab ira per ipsum* (*Id.* V, 9, 10). Hoc est invictissimum scutum, quo repellitur inimicus desperationem salutis suggerens multitudine tribulationum et tentationum.

18. Totus ergo textus Psalmi est oratio ut exaudiatur; ab eo quod scriptum est, *Verba mea exaudi, Domine*, usque ad, *Rex meus et Deus meus*. Deinde intellectus eorum quæ impediunt ad videndum Deum, id est, ut se exauditam esse cognoscat; ab eo quod scriptum est, *Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam*, usque ad, *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus*. Tertio, sperat se domum Dei futuram, et nunc ei appropinquare in timore ante consummationem quæ expellit timorem; ab eo quod scriptum est, *Ego autem in multitudine miserationis tuæ*, usque ad, *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo*. Quarto, proficientem se atque promoventem inter illa ipsa quibus impediri se sentit, orat ut adjuvetur intrinsecus, ubi nemo hominum videt, ne avertatur malis linguis; ab eo quod scriptum est, *Domine, deduc me in tua justitia propter inimicos meos*, usque ad, *Linguis suis dolose agebant*. Quinto, prophetia est quæ pœna maneat impios, quando justus vix salvus erit, et quod præmium justi adepturi sint, qui vocati venerunt et donec perducerentur viriliter omnia sustinuerunt; ab eo quod scriptum est, *Judica illos, Deus*, usque in finem Psalmi.

[1] Sic præstantiores Mss. At editi, *incolatus*.

IN PSALMUM VI
ENARRATIO.

In finem, in hymnis de octavo, Psalmus David.

1. [*vers.* 1.] *De octavo*, hic videtur obscurum; nam cætera in hoc titulo manifestiora sunt. Visum est autem nonnullis diem judicii significare, id est tempus adventus Domini nostri, quo venturus est judicare vivos et mortuos. Qui adventus, computatis annis ab Adam, post septem annorum millia futurus creditur; ut septem annorum millia tanquam septem dies transeant, deinde illud tempus tanquam dies octavus adveniat. Sed quoniam dictum est a Domino: *Non est vestrum scire tempora quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I, 7), et: *De die vero et illa hora nemo scit, neque angelus, neque virtus, neque Filius, nisi solus Pater* (*Matth.* XXIV, 36), et illud quod scriptum est, tanquam furem venire diem Domini (I *Thess.* V, 2), satis aperte ostendit neminem sibi oportere arrogare scientiam illius temporis, computatione aliqua annorum. Si enim post septem millia annorum ille dies venturus est, omnis homo potest annis computatis adventum ejus addiscere: ubi erit ergo, quod nec Filius hoc novit? Quod utique ideo dictum est, quia per Filium homines hoc non discunt, non quod apud se ipse non noverit, secundum illam locutionem, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat* (*Deut.* XIII, 3), id est, scire faciat vos; et, *Exsurge, Domine* (*Psal.* III, 7), id est, fac nos exsurgere. Cum ergo ita dicatur nescire Filius hunc diem, non quod nesciat, sed quod nescire faciat eos quibus hoc non expedit scire, id est, non eis hoc ostendat; quid sibi vult nescio quæ præsumptio, quæ annis computatis certissimum sperat post septem annorum millia diem Domini?

2. Nos igitur, quod nescire nos Dominus voluit, libenter nesciamus, et quæramus quid velit sibi iste titulus, qui scribitur *De octavo*. Potest quidem, etiam nulla annorum temeraria supputatione, dies judicii octavus intelligi, quod jam post finem hujus sæculi accepta æterna vita, tunc non erunt animæ justorum obnoxiæ temporibus: et quoniam omnia tempora septem dierum istorum repetitione volvuntur, octavus forte ille dictus est, qui varietatem istam non habebit. Est aliud quod hic non absurde accipi potest, cur octavum dicatur judicium, quod post duas generationes futurum est, unam quæ ad corpus, alteram quæ ad animam pertinet. Ab Adam enim usque ad Moysen genus humanum vixit ex corpore, id est secundum carnem: qui etiam exterior et vetus homo dicitur (*Ephes.* IV, 22), et cui Vetus Testamentum datum est, ut quamvis religiosis, tamen carnalibus adhuc operationibus futura spiritualia præsignaret. Hoc toto tempore quo secundum corpus vivebatur, *regnavit mors*, sicut Apostolus ait, *etiam in eos qui*

non peccaverunt. Regnavit autem *ex similitudine prævaricationis Adæ,* sicut idem dicit; quoniam *usque ad Moysen* (*Rom.* v, 14) accipiendum est, quo usque Legis opera, id est carnaliter observata illa sacramenta, etiam eos obstrictos tenuerunt certi mysterii gratia, qui uni Deo subditi erant. Ab adventu autem Domini, ex quo ad circumcisionem cordis a carnis circumcisione transitum est, facta vocatio est, ut secundum animam viveretur, id est secundum interiorem hominem, qui etiam novus homo (*Coloss.* III, 10) propter regenerationem dicitur morumque spiritualium innovationem. Manifestum est autem ad corpus quaternarium numerum pertinere, propter notissima elementa quatuor quibus constat, et quatuor qualitates, siccam, humidam, calidam, frigidam. Unde quatuor etiam temporibus administratur, verno, æstate, autumno, hieme. Hæc sunt notissima. Nam de quaternario numero corporis tractatur etiam alibi subtilius, sed obscurius : quod in hoc sermone vitandum est, quem etiam minus eruditis accommodatum esse volumus. Ad animum vero ternarium numerum pertinere potest intelligi, ex eo quod tripliciter Deum diligere jubemur, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente (*Deut.* VI, 5 ; *Matth.* XXII, 37) : de quibus singulis non in Psalterio, sed in Evangelio disputandum est. Nunc ad testimonium ternarii numeri ad animum pertinentis, satis puto esse quod dictum est. Peractis igitur numeris corporis ad veterem hominem et ad Vetus Testamentum pertinentibus, peractis etiam numeris animi ad novum hominem et ad Novum Testamentum relatis, sicut septenario numero transacto, quia unumquodque temporaliter agitur, quaternario in corpus, ternario in animum distributo, veniet octavus judicii dies, qui meritis tribuens quod debetur, jam non ad opera temporalia, sed ad vitam æternam sanctos transferet, impios vero damnabit in æternum.

3. [*vers.* 2.] Quam damnationem metuens, orat Ecclesia in hoc psalmo, dicens : *Domine, ne in ira tua arguas me.* Dicit etiam Apostolus iram judicii : *Thesaurizas tibi,* inquit, *iram in die iræ justi judicii Dei* (*Rom.* II, 5); in qua se non vult argui, quisquis in hac vita sanari desiderat. *Nec in furore tuo corripias me : corripias,* mitius videtur ; ad emendationem enim valet. Nam qui arguitur, id est accusatur, metuendum est ne [1] finem habeat damnationem. Sed quoniam furor plus videtur esse quam ira, potest movere cur illud quod est mitius, id est correptio, cum eo positum est quod est durius, id est cum furore. Sed ego puto unam rem duobus verbis significatam : nam in græco θυμός, quod est in primo versu, hoc significat quod ὀργή, quod est in secundo versu ; sed cum Latini vellent etiam ipsi [2] duo verba ponere, quæsitum est quid esset vicinum iræ, et positum est furor. Ideo varie codices habent : nam in aliis prius invenitur ira, deinde furor; in aliis, prius furor, deinde ira; in aliis pro furore indignatio ponitur, aut bilis. Sed quidquid illud est, motus est animi provocans ad pœnam inferendam : qui tamen motus, non tanquam animæ Deo tribuendus est, de quo dictum est : *Tu autem, Domine virtutum, cum tranquillitate judicas* (*Sap.* XII, 18); quod autem tranquillum est, non est perturbatum. Non ergo cadit in Deum judicem perturbatio ; sed quod in ejus ministris fit, quia per leges ejus fit, ira ejus dicitur. In qua ira, non solum argui se non vult anima quæ nunc orat, sed nec corripi, id est emendari vel erudiri : nam in græco παιδεύσῃς positum est, id est, erudias. Arguuntur autem in die judicii omnes qui non habent fundamentum quod est Christus : emendantur autem, id est purgantur, qui huic fundamento superædificant lignum, fœnum, stipulam; detrimentum enim patientur, sed salvi erunt tanquam per ignem (I *Cor.* III, 11). Quid ergo iste orat, qui non vult in ira Domini vel argui vel emendari? Quid, nisi ut sanetur? ubi enim sanitas est, nec mors metuenda est, nec urentis aut secantis medici manus.

4. [*vers.* 3, 4.] Sequitur itaque, et dicit : *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum : sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea,* id est firmamentum animæ meæ, vel fortitudo; hoc enim ossa significant. Dicit ergo anima fortitudinem suam esse turbatam, cum ossa nominat : neque enim credendum est, quod habeat ossa quæ videmus in corpore. Quapropter ad expositionem pertinet quod subjicitur, *Et anima mea turbata est valde ;* ne quod ossa appellavit, corporis intelligerentur. *Et tu, Domine, usquequo?* quis non intelligat significari animam luctantem cum morbis suis, diu autem dilatam a medico [1], ut ei persuaderetur in quæ mala se peccando præcipitaverit? Quod enim facile sanatur, non multum cavetur; ex difficultate autem sanationis, erit diligentior custodia receptæ sanitatis. Non ergo tanquam crudelis Deus æstimandus est, cui dicitur : *Et tu, Domine, usquequo?* sed tanquam bonus persuasor animæ, quid mali sibi ipsa pepererit; nondum enim tam perfecte [2] orat hæc anima, ut ei dici possit : *Adhuc loquente te dicam, Ecce adsum* (*Isai.* LXV, 24). Simul ut etiam illud agnoscat, quanta pœna impiis præparatur, qui se nolunt convertere ad Deum, si tantam difficultatem convertentes patiuntur; sicut alio loco scriptum est : *Si justus vix salvus erit, peccator et impius ubi parebunt* (I *Petr.* IV, 18)?

5. [*vers.* 5.] *Convertere, Domine, et erue animam meam.* Convertens se, orat ut ad eam convertatur et Deus, sicut dictum est : *Convertimini ad me, et convertar ad vos, dicit Dominus* (*Zach.* I, 3). An ex illa locutione intelligendum est, *Convertere, Domine,* id est, fac me converti, cum in ipsa sua conversione difficultatem laboremque sentiret? Nam perfecta nostra conversio paratum invenit Deum, sicut Propheta dicit : *Tanquam diluculum paratum inveniemus eum* (*Osee.* VI, 3, *sec.* LXX). Quoniam ut eum amitteremus, non ejus absentia qui ubique adest, sed nostra fecit aver-

[1] Edd., *ne in finem.* Præpositio *in* abest a melioribus Mss.
[2] Mss , *vellent etiam ipsa.*

[1] Quinque Mss., *diu autem dilatam medicinam a medico,*
[2] Plures Mss., *perfecta.*

sio: *In hoc mundo erat*, inquit, *et mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 10). Si ergo in hoc mundo erat, et mundus eum non cognovit, nostra immunditia non fert ejus aspectum. Dum autem nos convertimus, id est, mutatione veteris vitæ resculpimus spiritum nostrum, durum sentimus et laboriosum ad serenitatem et tranquillitatem divinæ lucis a terrenarum cupiditatum caligine retorqueri. Et in tali difficultate dicimus, *Convertere, Domine*, id est, adjuva nos, ut perficiatur in nobis conversio, quæ te paratum invenit, et fruendum te præbentem dilectoribus tuis. Et ideo postquam dixit, *Convertere, Domine*, addidit, *et erue animam meam*, tanquam inhærentem perplexitatibus hujus sæculi, et spinas quasdam dilacerantium desideriorum in ipsa conversione patientem. *Salvum me fac*, inquit, *propter misericordiam tuam*. Intelligit non suorum meritorum esse quod sanatur, quandoquidem peccanti et datum præceptum prætereunti, justa damnatio debebatur; sana me ergo, inquit, non propter meritum meum, sed propter misericordiam tuam.

6. [*vers.* 6.] *Quoniam non est in morte qui memor sit tui.* Intelligit quoque nunc esse tempus conversionis, quia cum ista vita transierit, non restat nisi retributio meritorum. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Confessus est in inferno ille dives, de quo Dominus dicit, qui Lazarum vidit in requie, se autem in tormentis dolebat: usque adeo confessus, ut etiam moneri suos vellet ut se a peccatis cohiberent, propter pœnas quas apud inferos esse non creditur (*Luc.* XVI, 23-31). Quamvis ergo frustra, confessus est tamen sibi merito illa accidisse tormenta; quando etiam suos, ne in hæc inciderent, doceri cupiebat. Quid ergo est, *In inferno autem quis confitebitur tibi?* an infernum vult intelligi, quo post judicium præcipitabuntur impii, ubi jam propter profundiores tenebras nullam Dei lucem videbunt, cui aliquid confiteantur? Nam iste adhuc elevatis oculis, quamvis immani profundo interposito, potuit tamen videre Lazarum in requie constitutum, ex cujus comparatione ad confessionem coactus est meritorum suorum. Potest etiam illud intelligi, ut mortem vocet peccatum, quod contempta divina lege committitur: ut aculeum mortis mortem appellemus, quod mortem comparet; aculeus enim mortis, peccatum (I *Cor.* XV, 56). In qua morte hoc est esse immemorem Dei, legem ejus et præcepta contemnere: ut infernum dixerit, cæcitatem animi, quæ peccantem, id est, morientem excipit et involvit; *Sicut non probaverunt*, inquit, *habere Deum in notitia, dedit illos Deus in reprobum sensum* (*Rom.* I, 28). Ab ista morte et ab isto inferno tutam se præberi anima deprecatur, dum molitur conversionem ad Deum, et sentit difficultates.

7. [*vers.* 7.] Quapropter contexit dicens: *Laboravi in gemitu meo.* Et tanquam parum profuerit, addit et dicit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum.* Lectus est hoc loco appellatus ubi requiescit animus æger et infirmus, id est in voluptate corporis et in omni delectatione sæculari; quam delectationem lacrymis lavat qui sese ab illa conatur extrahere. Videt enim jam se damnare carnales concupiscentias; et tamen delectatione tenetur infirmitas [1], et in ea libenter jacet, unde surgere nisi sanatus animus non potest. Quod autem ait, *per singulas noctes*, hoc fortasse accipi voluit, quod ille qui spiritu promptus sentit aliquam lucem veritatis, et tamen in delectatione hujus sæculi per carnis infirmitatem aliquando requiescit, tanquam dies et noctes alterno affectu cogitur pati: ut cum dicit, *Mente servio legi Dei*, tanquam diem sentiat; rursus cum dicit, *Carne autem legi peccati* (*Rom.* VII, 25), inclinetur in noctem, donec omnis nox transeat, et veniat unus dies de quo dicitur: *Mane astabo tibi, et videbo* (*Psal.* V, 5). Tunc enim astabit; nunc autem jacet, quando in lecto est quem lavabit per singulas noctes, ut tantis lacrymis impetret efficacissimam de Dei misericordia medicinam. *In lacrymis stratum meum rigabo*, repetitio est: cum enim dicit *in lacrymis*, ostendit quemadmodum superius *lavabo* dixerit; hoc autem accipimus *stratum*, quod superius *lectum*: quanquam *rigabo* amplius sit aliquid quam *lavabo*; quoniam potest aliquid in superficie lavari; rigatio vero ad interiora permeat [2], quod significat fletum usque ad cordis intima. Temporum vero varietas, quod præteritum posuit, cum diceret, *Laboravi in gemitu meo*; et futurum, cum diceret, *Lavabo per singulas noctes lectum meum*; rursus futurum, *In lacrymis stratum meum rigabo*, illud ostendit quid sibi dicere debeat, cum quisque in gemitu frustra laboraverit; tanquam diceret: Non profuit cum hoc feci, ergo illud faciam.

8. [*vers.* 8, 9.] *Turbatus est ab ira oculus meus* (*a*): utrum sua, an Dei, in qua petit ne argueretur, aut corriperetur? Sed si illa diem judicii significat, quomodo nunc potest intelligi? An inchoatio ejus est, quod hic homines dolores et tormenta patiuntur, et maxime damnum intelligentiæ veritatis, sicut jam commemoravi quod dictum est: *Dedit illos Deus in reprobum sensum* (*Rom.* I, 28)? Nam ea est cæcitas mentis; in eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur, sed nondum penitus cum in hac vita est. Sunt enim tenebræ exteriores (*Matth.* XXV, 30), quæ magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit; penitus enim [3] esse extra Deum quid est, nisi esse in summa cæcitate? siquidem Deus habitat lucem inaccessibilem (I *Tim.* VI, 16), quo ingrediuntur quibus dicitur: *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 21, 23). Hujus igitur iræ inchoatio est quam in hac vita patitur quisque peccator: timens itaque judicii diem, laborat et plangit, ne ad illud perducatur, cujus initium tam perniciosum nunc experitur; et ideo non dixit, Exstinctus est, sed,

[1] Lov., *infirmitatis*. At Er. et plerique Mss., *infirmitas*.
[2] Editi: *permanat*. At Mss. aliqui, *permeat*; alii, *pertinet*.
[3] Nonnulli probæ notæ Mss.: *Penitus autem esse extra Deum*. Alii vero cum editis, *Penitus enim*. [*autem*]
(*a*) De hac parte vers. 8 consule I Enar. Psal. XXXVI, n. 9. De altera parte ejusdem vers. 8 vide Enar. Psal. CII, n. 9.

Turbatus est ab ira oculus meus. Si autem sua ira dicit oculum suum esse turbatum, neque hoc mirum est: nam hinc forsitan dictum est, *Non occidat sol super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV, 26), quod interiorem solem, id est sapientiam Dei, tanquam occasum in se pati arbitratur mens, quæ sua perturbatione illum videre non sinitur.

9. *Inveteravi in omnibus inimicis meis.* De ira tantum dixerat, si tamen de sua ira dixerat: consideratis autem reliquis vitiis, invenit se omnibus esse vallatum. Quæ vitia quoniam veteris vitæ sunt et veteris hominis quo exuendi sumus ut induamur novo (*Coloss.* III, 9, 10), recte dictum est, *Inveteravi. In omnibus* autem *inimicis meis*, vel inter ipsa vitia dicit, vel inter homines qui nolunt ad Deum converti: nam et hi, etiam si nesciunt [1], etiam si parcunt, etiam si iisdem conviviis et domibus et civitatibus nulla lite interposita, et crebris colloquiis quasi concorditer utuntur, nihilominus tamen intentione contraria, inimici sunt eis qui se ad Deum convertunt. Nam cum alii amant et appetunt istum mundum, alii se optant ab isto mundo liberari, quis non videat illos inimicos esse istis? nam si possint, eos secum ad pœnas trahunt. Et magnum donum est, inter eorum verba versari quotidie, et non excedere de itinere præceptorum Dei: sæpe enim mens nitens pergere in Deum, concussa in ipso itinere trepidat: et plerumque propterea non implet bonum propositum, ne offendat eos cum quibus vivit, alia bona peritura et transeuntia diligentes atque sectantes. Ab his separatus est omnis sanus, non locis, sed animo; nam locis corpora continentur, animo autem locus est affectio sua.

10. Quapropter post laborem et gemitum et imbres creberrimos lacrymarum, quia inane non potest esse quod tam vehementer rogatur ab eo qui fons est omnium misericordiarum, verissimeque dictum est, *Prope est Dominus attritis corde* (*Psal.* XXXIII, 19), post tantas difficultates exauditam se anima pia significans, quam licet etiam Ecclesiam intelligere, vide quid adjungit: *Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem; quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Vel in prophetia dictum est, quoniam discessuri sunt, id est, separabuntur a justis impii, cum judicii dies venerit; vel nunc, quia etiamsi pariter atque iisdem conventiculis continentur, tamen in area nuda, jam grana separata sunt a paleis, quamvis inter paleas lateant: simul itaque versari possunt, sed simul vento auferri non possunt.

11. [*vers.* 10.] *Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei; exaudivit Dominus deprecationem meam; Dominus orationem meam assumpsit.* Crebra ejusdem sententiæ repetitio, non quasi narrantis necessitatem, sed affectum exsultantis ostendit; sic enim loqui gaudentes solent, ut non eis sufficiat semel enuntiare quod gaudent. Iste fructus est illius gemitus in quo laboratur, et illarum lacrymarum quibus lavatur lectus, et stratus rigatur; quoniam qui seminat in lacrymis, in gaudio metet (*Psal.* CXXV, 5), et beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V, 5).

12. [*vers.* 11.] *Erubescant et conturbentur omnes inimici mei.* Discedite a me, omnes, dixit superius; quod etiam in hac vita, sicut expositum est, fieri potest: quod autem dicit, *Erubescant et conturbentur*, non video quemadmodum evenire possit, nisi illo die cum manifesta fuerint justorum præmia et supplicia peccatorum. Nam nunc usque adeo non erubescunt impii, ut nobis insultare non desinant: et plerumque tantum valent irrisionibus suis, ut infirmos homines de Christi nomine erubescere faciant, unde dictum est: *Quisquis me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo* (*Luc.* IX, 26). Jam vero quisquis sublimia illa præcepta implere voluerit, ut dispergat, det pauperibus, quo justitia ejus maneat in æternum (*Psal.* CXI, 9), omnibusque suis rebus terrenis venditis et indigentibus erogatis, Christum sequi voluerit, dicens: *Nihil intulimus in hunc mundum, verum nec auferre quid possumus; victum et tegumentum habentes, his contenti simus* (I *Tim.* VI, 7, 8); incidit in istorum sacrilegam dicacitatem, et ab eis qui sanari nolunt vocatur insanus; et sæpe ne hoc vocetur a desperatis hominibus, trepidat facere et differt quod omnium fidelissimus et potentissimus medicus imperavit. Non ergo nunc isti possunt erubescere, quibus ne nos erubescamus optandum est, et a proposito itinere vel revocemur, vel impediamur, vel retardemur. Sed veniet tempus ut illi erubescant, dicentes ut scriptum est: *Hi sunt quos aliquando habuimus in risum et in similitudinem improperii: nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore: quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est? Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non est ortus nobis: repleti sumus iniquitatis via et perditionis, et ambulavimus solitudines difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactatio contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra* (*Sap.* V, 3-9).

13. Quod autem ait, *Convertantur, et confundantur*, quis non judicet esse justissimam pœnam, ut conversionem ad confusionem habeant, qui ad salutem habere noluerunt? Deinde addidit, *valde velociter;* cum enim jam desperari cœperit judicii dies, cum dixerint, Pax, tunc eis repentinus veniet interitus (I *Thess.* V, 3). Quandocumque autem venerit, celerrime venit quod desperatur esse venturum: et longitudinem vitæ hujus non facit sentiri, nisi spes vivendi; nam nihil videtur esse celerius, quam quidquid in ea jam præteritum est. Cum ergo judicii dies venerit, tunc sentient peccatores quam non sit longa omnis vita quæ transit; nec omnino eis videri poterit tarde venisse, quod non desiderantibus, sed potius non credentibus venerit. Quanquam et illud hic accipi potest, ut quia tanquam gementem et tam sæpe diuque flentem Deus exaudivit, intelligatur liberata a peccatis, et omnes perversos motus carnalis affectionis domuisse, sicut dicit: *Discedite a me, omnes qui operamini iniquita-*

[1] Sic Mss. Editi vero, *nesciuntur*.

tem, *quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei*, quod cum ei provenerit, non mirum est si jam ita perfecta est ut oret pro inimicis suis. Potest ergo ad hoc pertinere quod dixit, *Erubescant, et conturbentur omnes inimici mei*, ut de peccatis suis agant pœnitentiam, quod sine confusione [1] et conturbatione fieri non potest. Nihil itaque impedit sic accipere et illud quod sequitur, *Convertantur et erubescant*, id est, convertantur ad Deum, et erubescant se in prioribus tenebris peccatorum aliquando gloriatos; sicut Apostolus dicit: *Quam enim gloriam habuistis aliquando in his, in quibus nunc erubescitis* (*Rom.* VI, 21)? Quod autem addidit, *valde velociter*, aut ad optantis affectum, aut ad Christi potentiam referendum est, qui gentes quæ pro idolis suis persequebantur Ecclesiam, ad Evangelii fidem tanta temporum celeritate convertit.

IN PSALMUM VII ENARRATIO.

Psalmus ipsi David, quem cantavit Domino, pro verbis Chusi filii Jemini.

1. [*vers.* 1.] Historia quidem unde occasionem ista prophetia sumpsit, in Regnorum secundo libro (II *Reg.* XVI) cognoscere facile est. Ibi enim Chusi, amicus regis David, transitum fecit in partes Abessalon filii ejus qui adversus patrem bellum gerebat, ad exploranda consilia et renuntianda quæ adversus patrem ille moliebatur auctore Achitophel, qui defecerat ab amicitia David, et filium ejus adversus patrem consiliis quibus posset instruebat. Sed quoniam non ipsa historia in hoc psalmo consideranda est de qua Propheta mysteriorum velamen assumpsit, si transitum ad Christum fecimus, auferatur velamen (II *Cor.* III, 16). Et primo ipsorum nominum significationem interrogemus quid sibi velit. Non enim defuerunt interpretes qui hæc ipsa non carnaliter ad litteram, sed spiritualiter investigantes, edicerent nobis quod Chusi interpretetur Silentium; Jemini autem, Dexter; Achitophel, Fratris ruina. Quibus interpretationibus rursum nobis traditor ille Judas occurrit, ut Abessalon ejus imaginem gestet, secundum quod Patris pax interpretatur; quia pacatus erga illum exstitit pater, quamvis ipse dolis suis bellum haberet in corde, sicut in psalmo tertio tractatum est (*a*). Quemadmodum autem invenitur in Evangelio filios Domini nostri Jesu Christi dictos esse discipulos (*Matth.* IX, 14), sic in eodem Evangelio invenitur etiam fratres esse appellatos; resurgens enim Dominus ait: *Vade, et dic fratribus meis* (*Joan.* XX, 17), et Apostolus eum dicit primogenitum in multis fratribus (*Rom.* VIII, 29): discipuli ergo ejus ruina qui eum tradidit, recte intelligitur Fratris ruina, quod Achitophel interpretari diximus. Chusi autem, quod interpretatur Silentium, recte accipitur adversus illos dolos Dominum nostrum silentio dimicasse, id est altissimo secreto quo cæcitas ex parte Israel [1] facta est, cum Dominum persequebantur, ut plenitudo Gentium subintraret, et sic omnis Israel salvus fieret. Ad hoc profundum secretum altumque silentium cum venisset Apostolus, exclamavit quasi quodam ipsius altitudinis horrore perculsus: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ipsius! Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis consiliarius illius fuit* (*Rom.* XI, 33, 34))? ita magnum illud silentium non expositione magis aperit, quam admiratione commendat. Hoc silentio Dominus sacramentum venerabilis passionis occultans, voluntariam ruinam fratris, id est, nefarium scelus traditoris sui, in suæ misericordiæ atque providentiæ ordinem vertit; ut quod ille ad perniciem unius hominis perversa mente faciebat, iste ad salutem omnium hominum provida gubernatione conferret. Cantat ergo Psalmum Domino anima perfecta, quæ jam digna est nosse secretum Dei; cantat *pro verbis Chusi*, quia meruit nosse verba illius silentii. Apud infideles enim et persecutores, silentium est illud atque secretum: apud suos autem, quibus dictum est, *Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus; vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV, 15): apud amicos ergo ejus non est silentium, sed verba silentii, id est, ratio exposita et manifesta illius silentii. Quod silentium, id est Chusi, dicitur filius Jemini, id est dextri: non enim abscondendum erat sanctis quod pro illis gestum est. Et tamen *Nesciat*, inquit, *sinistra quid faciat dextra* (*Matth.* VI, 3). Canit ergo anima perfecta in prophetia, cui secretum illud innotuit, *pro verbis Chusi*, id est pro cognitione ejusdem secreti; quod secretum dexter Deus, id est favens atque propitius ei, operatus est: quare hoc silentium Filius dextri appellatur, quod est *Chusi, filii Jemini?*

2. [*vers.* 2, 3.] *Domine Deus meus, in te speravi; salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et eripe me.* Tanquam cui non restat jam perfecto [2] nisi invidus diabolus, superato omni bello atque adversitate vitiorum, dicit: *Salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et eripe me: nequando rapiat ut leo animam meam.* Dicit Apostolus: *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (I *Petr.* V, 8). Itaque cum diceret per pluralem numerum: *Salvum me fac ex omnibus persequentibus me*, singularem postea intulit dicens, *nequando rapiat ut leo animam meam:* non enim ait, nequando rapiant, sciens quis restiterit inimicus, et perfectæ animæ vehementer adversus. *Dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat:* id est, ne ille rapiat, dum tu non redimis neque salvum facis; si enim Deus non redimat neque salvum faciat, ille rapit.

3. [*vers.* 4, 5.] Et ut manifestum sit jam perfectam animam hoc dicere, cui solius diaboli fraudulentissimæ insidiæ cavendæ sunt, vide quid sequatur: *Do-*

[1] Lov., *confessione.* At Er. et nostri prope omnes Mss., *confusione.*
(*a*) Enarr. in Psal. III, n. 1.

[1] In editis, *cæcitas in Israel.* Abest in Mss.
[2] Tres Mss., *persecutor.*

mine Deus meus, si feci istud. Quid est quod vocat *istud?* an quia non dicit nomen peccati, universale peccatum intelligendum est? Qui intellectus si displicet, illud accipiamus dici quod sequitur : tanquam si interrogassemus, Quid est hoc quod dicis, *istud?* respondet : *Si est iniquitas in manibus meis.* Jam ergo manifestum est de omni peccato dici, *Si reddidi retribuentibus mihi mala;* quod non potest vere dicere, nisi perfectus. Ait quippe Dominus : *Estote perfecti, sicut Pater vester qui est in cœlis, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* v, 48, 45); qui ergo non reddit retribuentibus mala, perfectus est. Cum itaque oret anima perfecta *pro verbis Chusi, filii Jemini,* id est pro cognitione illius secreti atque silentii, quod pro salute nostra operatus est propitius nobis et misericors Dominus, ut toleraret et patientissime sustineret dolos traditoris sui : tanquam huic perfectæ animæ dicat, exponens rationem ipsius secreti : Ego pro te impio et peccatore, ut tuæ iniquitates mei sanguinis effusione lavarentur, magno silentio et magna patientia traditorem meum pertuli, nonne imitaberis me, ut et tu non reddas mala pro malis? animadvertens igitur et intelligens quid pro illo fecerit Dominus, et ejus exemplo ad perfectionem proficiens, dicit: *Si reddidi retribuentibus mihi mala,* id est, si non feci quod tu faciendo docuisti, *decidam ergo ab inimicis meis inanis.* Et bene non ait, Si reddidi tribuentibus mihi mala, sed, *retribuentibus :* qui enim retribuit, jam aliquid acceperat; majoris autem patientiæ est, nec ei mala rependere qui acceptis beneficiis reddit mala pro bonis, quam si nullo ante accepto beneficio nocere voluisset, *Si reddidi* ergo, inquit, *retribuentibus mihi mala,* id est, si te non imitatus sum in illo silentio, hoc est patientia tua quam pro me operatus es, *decidam ab inimicis meis inanis.* Inaniter enim se jactat, qui cum et ipse homo sit, cupit se de homine vindicare : et cum superare hominem palam quærit, occulte a diabolo superatur, inanis effectus vana et superba lætitia, quod quasi vinci non potuit. Intelligit ergo iste ubi major fiat victoria, et ubi Pater reddat qui videt in occulto. Ne reddat itaque retribuentibus mala, iram potius quam hominem vincit, illis etiam litteris eruditus, in quibus scriptum est : *Melior est qui vincit iram, quam qui capit civitatem* (*Prov.* xvi, 32. *sec.* LXX). *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam ergo ab inimicis meis inanis.* Jurare videtur per exsecrationem, quod est gravissimum jurisjurandi genus, cum homo dicit : Si illud feci, illud patiar. Sed aliud est juratio in ore jurantis, aliud in significatione prophetantis : hic enim dicit quid vere contingat hominibus qui reddunt retribuentibus mala; non quod sibi, aut alicui, quasi jurejurando imprecetur.

4. [*vers.* 6.] *Persequatur ergo inimicus animam meam, et comprehendat.* Iterum inimicum singulari numero nominans, illum magis magisque manifestat quem superius velut leonem appellavit. Ipse enim animam persequitur; et si deceperit, comprehendet. Nam homines usque ad interfectionem corporis sæviunt, animam vero post istam visibilem mortem in potestate habere non possunt; diabolus autem quas animas persecutus comprehenderit, possidebit. *Et conculcet in terram*[1] *vitam meam :* id est conculcando, terram faciat vitam meam, cibum scilicet suum; non enim tantum leo, sed etiam serpens appellatus est, cui dictum est : *Terram manducabis;* et peccatori homini dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* iii, 14, 19). *Et gloriam meam in pulverem deducat.* Hic est ille pulvis, quem projicit ventus a facie terræ, superborum scilicet vana et inepta jactantia, et inflata non solidata[2], tanquam vento elatus pulveris globus. Recte itaque hic posuit gloriam, quam non vult in pulverem deduci. Vult enim eam solidam habere in conscientia coram Deo, ubi nulla jactantia est; *Qui gloriatur,* inquit, *in Domino glorietur* (I *Cor.* i, 31). Ista soliditas in pulverem deducitur, si per superbiam quisque contemnens secreta conscientiæ, ubi solus Deus hominem probat, velit apud homines gloriari; hinc est quod alibi dicit : *Deus conteret ossa placentium hominibus* (*Psal.* lii, 6). Qui autem bene didicit vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit hoc vitium inanis gloriæ, vel solum, vel maxime cavendum esse perfectis : quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc ultimum vincit. *Initium autem omnis peccati superbia;* et, *Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo* (*Eccli.* x, 15, 14).

5. [*vers.* 7.] *Exsurge, Domine, in ira tua.* Quid adhuc iste quem perfectum dicimus, ad iram provocat Deum? Nonne videndum est ne potius ille perfectus sit, qui cum lapidaretur, dixit : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* vii, 59)? An et iste, non adversus homines hæc precatur, sed adversus diabolum et angelos ejus, quorum possessio peccatores atque impii homines sunt? Non ergo sæviens, sed misericors adversus eum orat, quisquis orat ut ei auferatur ista possessio ab illo Domino qui justificat impium (*Rom.* iv, 5) : cum enim justificatur impius, ex impio fit justus, et ex possessione diaboli migrat in templum Dei; et quoniam pœna est, ut cuique auferatur possessio in qua dominari desiderat, hanc pœnam dicit iram Dei adversus diabolum, ut desinat possidere quos possidet. *Exsurge, Domine, in ira tua : Exsurge,* hic appare dixit, humanis videlicet et latentibus verbis, quasi Deus dormiat, cum in secretis suis incognitus latet. *Exaltare in finibus inimicorum meorum.* Fines dixit ipsam possessionem, ubi vult Deum exaltari potius, id est honorari et glorificari, quam diabolum, dum impii justificantur et laudant Deum. *Et exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti :* id est, quia humilitatem præcepisti, humilis appare; et tu prior imple quod præcepisti, ut exemplo tuo vincentes superbiam, non possideantur a diabolo, qui adversus tua præcepta superbiam persuasit,

[1] Vaticanus codex, *in terra.* Cæteri Mss. et editi, *in terram :* juxta LXX, *eis gên.*
[2] Editi, *solida.* Novem Mss., *solidata.*

dicens : *Manducate, et aperientur vobis oculi, et eritis tanquam dii* (*Gen.* III, 5).

6. [*vers.* 8.] *Et congregatio populorum circumdabit te.* Duplex intellectus est. Congregatio enim populorum, sive credentium, sive persequentium potest accipi, quorum utrumque eadem Domini nostri humilitate factum est : quam contemnens persequentium multitudo, circumdedit eum, de qua dictum est, *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania* (*Psal.* II, 1) ? credentium autem per ejus humilitatem multitudo ita eum circumdedit, ut verissime diceretur, *Cæcitas ex parte Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret* (*Rom.* XI, 25); et illud, *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8). *Et propter hanc in altum regredere :* id est, propter hanc congregationem regredere in altum; quod resurgendo et in cœlum ascendendo fecisse intelligitur. Ita enim glorificatus dedit Spiritum sanctum, qui ante glorificationem ejus dari non posset, sicut in Evangelio positum est : *Spiritus autem nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus* (*Joan.* VII, 39). Regressus ergo in altum propter congregationem populorum, misit Spiritum sanctum ; quo impleti prædicatores Evangelii orbem terrarum Ecclesiis impleverunt.

7 Potest et sic iste sensus intelligi : *Exsurge, Domine, in ira tua*[1], *exaltare in finibus inimicorum meorum :* id est, exsurge in ira tua, et non te intelligant inimici mei; ut hoc sit *exaltare*, id est, altus efficere ne intelligaris, quod refertur ad illud silentium. Sic enim de hac exaltatione in alio psalmo dicitur : *Et ascendit super Cherubim, et volavit. Et posuit tenebras latibulum suum* (*Psal.* XVII, 11, 12) : qua exaltatione, id est occultatione, cum te merito peccatorum suorum non intellexerint qui te crucifigent, congregatio credentium circumdabit tè. Ipsa enim humilitate exaltatus est, id est, non est intellectus; ut ad hoc referatur, *Et exsurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti ;* id est, cum appares humilis, altus esto, ut non te intelligant inimici mei : justo autem sunt peccatores inimici, et pio impii. *Et congregatio populorum circumdabit te :* id est, per hoc ipsum quod non te intelligunt qui te crucifigunt, credent in te Gentes, atque ita congregatio populorum circumdabit te. Sed quod sequitur si vere hoc significat, plus doloris habet quia jam incipit sentiri, quam lætitiæ quia intelligitur. Sequitur enim, *Et propter hanc in altum regredere :* id est, et propter hanc congregationem generis humani, qua Ecclesiæ refertæ sunt, in altum regredere, id est, rursus desine intelligi. Quid est ergo, *Et propter hanc,* nisi quia et ista te offensura est; ita ut verissime prænunties, dicens : *Putas cum venerit Filius hominis, inveniet fidem super terram* (*Luc.* XVIII, 8) ? item dicit de pseudoprophetis, qui intelliguntur hæretici : *Propter eorum iniquitatem refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). Cum ergo et in Ecclesiis, hoc est in illa congregatione populorum atque gentium, ubi nomen christianum latissime pervagatum est, tanta erit abundantia peccatorum quæ jam ex magna parte sentitur, nonne illa hic prædicitur, quæ per alium quoque prophetam denuntiata est, fames verbi (*Amos* VIII, 11) ? Nonne et propter hanc congregationem peccatis suis a se lumen veritatis abalienantem, Deus in altum regreditur, id est, ut aut non, aut a perpaucis, de quibus dictum est, *Beatus qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22), teneatur et percipiatur sincera fides[1], et ab omnium pravarum opinionum labe purgata? Non ergo immerito dicitur, *Et propter hanc* congregationem *in altum regredere ;* id est, secede rursus in altitudinem secretorum tuorum, etiam propter hanc congregationem populorum quæ habet nomen tuum et facta tua non facit.

8. Sed sive superior, sive ista sit congruentior hujus loci expositio, sine præjudicio alterius alicujus melioris aut paris, convenientissime sequitur, *Dominus judicat populos.* Sive enim in altum regressus est, cum post resurrectionem ascendit in cœlum, bene sequitur, *Dominus judicat populos ;* quia inde venturus est judicare vivos et mortuos : sive in altum regrediatur cum peccatores christianos deserit intelligentia veritatis ; quia de ipso adventu dictum est : *Putas veniens Filius hominis inveniet fidem super terram* (*Luc.* XVIII, 8) ? *Dominus* ergo *judicat populos.* Quis Dominus, nisi Jesus Christus? *Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V, 22). Quapropter hæc anima quæ perfecte orat, vide quemadmodum non timeat judicii diem, et vere securo desiderio dicat in oratione, *Veniat regnum tuum* (*Matth.* VI, 10) : *Judica,* inquit, *me*, *Domine*, *secundum justitiam meam.* In superiori psalmo infirmus deprecabatur, misericordiam potius implorans Dei, quam commemorans ullum meritum suum ; quoniam Filius Dei peccatores venit vocare in pœnitentiam (*Luc.* V, 32). Itaque ibi dixerat, *Salvum me fac, Domine*, *propter misericordiam tuam,* id est non propter meritum meum ; nunc autem quoniam vocatus tenuit et servavit præcepta quæ accepit, audet dicere: *Judica me*, *Domine*, *secundum justitiam meam*, *et secundum innocentiam meam super me.* Ista est vera innocentia, quæ nec inimico nocet ; itaque bene se judicari postulat secundum innocentiam suam, qui vere dicere potuit : *Si reddidi retribuentibus mihi mala* (*Psal.* VII, 5). Quod autem addidit, *super me,* non ad innocentiam tantum, sed ad justitiam quoque subaudiri potest; ut iste sit sensus : Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam, quæ justitia et innocentia super me est. Quo additamento demonstrat id ipsum quod anima justa est et innocens, non per se habere, sed per illustrantem et illuminantem Deum ; de hac enim dicit in alio Psalmo, *Tu illuminabis lucernam meam, Domine* (*Psal.* XVII, 29) ; et de Joanne dicitur, quia *non erat ille lumen, sed testimonium perhibebat de lumine* (*Joan.* I, 8). *Ille erat lucerna ardens et lucens* (*Joan.* V, 35). Lumen

[1] Sic aliquot ex præcipuis Mss. omissa post verbum, *tua,* particula, *et,* quæ a LXX abest. [*ira tua, et exaltare*]

[1] Aliquot Mss., *sincera fide.*

ergo illud unde animæ tanquam lucernæ accenduntur, non alieno, sed proprio splendore præfulget, quod est ipsa veritas. Ita ergo dicitur, *secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me*, tanquam si lucerna ardens et lucens diceret : Judica me secundum flammam quæ super me est, id est, non qua sum ego [1], sed qua fulgeo accensa de te.

9. [*vers.* 10.] *Consummetur autem nequitia peccatorum. Consummetur*, inquit, perficiatur, secundum illud quod est in Apocalypsi : *Justus justior fiat, et sordidus sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII, 11). Videtur enim consummata nequitia hominum qui crucifixerunt Filium Dei; sed eorum major est qui nolunt recte vivere, et oderunt præcepta veritatis pro quibus crucifixus est Filius Dei. *Consummetur ergo*, inquit, *nequitia peccatorum ;* id est, perveniatur ad summam nequitiam, ut possit justum jam venire judicium. Sed quoniam non solum dictum est, *Sordidus sordescat adhuc*, sed etiam dictum est, *Justus justior fiat*, annectit et dicit : *Et diriges justum, scrutans corda et renes Deus.* Quomodo ergo justus dirigi potest, nisi in occulto; quando etiam per illa [2] quæ initio temporum christianorum, cum adhuc persecutione sæcularium hominum sancti premerentur, miranda videbantur hominibus, nunc postquam in tanto culmine nomen cœpit esse christianum, crevit hypocrisis, id est simulatio, eorum scilicet qui nomine christiano malunt hominibus placere quam Deo? Quomodo ergo dirigitur justus in tanta confusione simulationis, nisi dum scrutatur corda et renes Deus, videns omnium cogitationes, quæ nomine cordis significatæ sunt, et delectationes, quæ nomine renum intelliguntur? Recte quippe temporalium et terrenarum rerum delectatio renibus tribuitur; quia et ipsa pars est inferior hominis, et ea regio est ubi carnalis generationis voluptas habitat, per quam in hanc ærumnosam et fallacis lætitiæ vitam, per successionem prolis natura humana transfunditur. Scrutans ergo cor nostrum Deus, et perspiciens ibi esse ubi est thesaurus noster (*Matth.* VI, 21), id est in cœlis; scrutans etiam renes, et perspiciens non nos acquiescere carni et sanguini (*Gal.* I, 16), sed delectari in Domino, dirigit justum in ipsa conscientia coram se, ubi nullus hominum videt, sed solus ille qui perspicit quid quisque cogitet, et quid quemque delectet. Finis enim curæ delectatio est; quia eo quisque curis et cogitationibus nititur, ut ad suam delectationem perveniat. Videt igitur curas nostras, qui scrutatur cor : videt autem fines curarum, id est delectationes, qui perscrutatur renes; ut cum invenerit, non ad concupiscentiam carnis, neque ad concupiscentiam oculorum, neque ad ambitionem sæculi, quæ omnia transeunt tanquam umbra (I *Joan.* II, 16, 17), inclinari curas nostras, sed ad gaudia rerum æternarum sustolli, quæ nulla commutatione violantur, dirigat justum, scrutans corda et renes Deus. Opera enim nostra, quæ factis et dictis operamur, possunt esse nota hominibus; sed quo animo fiant, et quo per illa pervenire cupiamus, solus ille novit, qui scrutatur corda et renes Deus.

10. [*vers.* 11.] *Justum auxilium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.* Duo sunt officia medicinæ; unum quo sanatur infirmitas, alterum quo sanitas custoditur. Juxta illud primum, dictum est in superiore psalmo, *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum :* juxta hoc alterum, in hoc psalmo dicitur, *Si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam ergo ab inimicis meis inanis;* ibi enim infirmus ut liberetur, hic jam sanus ne corrumpatur, orat. Juxta illud ibi dicitur, *Salvum me fac propter misericordiam tuam :* juxta istud hic dicitur, *Judica me, Domine, secundum justitiam meam;* ibi enim ut a morbo evadat, remedium, hic autem ne in morbum recidat, tuitionem petit. Juxta illud dicitur, *Salvum me fac, Domine, secundum misericordiam tuam*; juxta hoc dicitur, *Justum auxilium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.* Et illa enim et ista salvos facit; sed illa ex ægritudine ad salutem transfert, hæc in ipsa salute conservat. Itaque ibi misericors auxilium est, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc justificari desiderat, credens in eum qui justificat impium (*Rom.* IV, 5); hic autem justum auxilium est, quia jam justo tribuitur. Dicat ergo ibi peccator qui dixit, *Infirmus sum, Salvum me fac, Domine, propter misericordiam tuam ;* et dicat hic justus, qui dixit, *Si reddidi retribuentibus mihi mala, Justum auxilium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.* Si enim medicinam exhibet, qua sanemur infirmi, quanto magis eam qua custodiamur sani? Quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, quanto magis nunc justificati, salvi erimus ab ira per ipsum (*Rom.* V, 8, 9)?

11. *Justum auxilium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.* Dirigit justum, scrutans corda et renes Deus : justo autem auxilio salvos facit rectos corde. Non sicut scrutatur corda et renes, ita salvos facit rectos corde et renibus : quia cogitationes et malæ sunt in pravo corde, et bonæ in recto corde; delectationes autem non bonæ ad renes pertinent, quia inferiores atque terrenæ sunt, bonæ vero non ad renes, sed ad ipsum cor. Propterea non ita dici possunt recti renibus, sicut dicuntur recti corde, cum jam ubi cogitatio, ibi et delectatio est : quod fieri non potest, nisi cum divina atque æterna cogitantur. *Dedisti*, inquit, *lætitiam in corde meo*, cum dixisset, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV, 7). Nam phantasmata rerum temporalium, quæ sibi animus fingit, cum spe vana mortalique jactatur, quamvis inanibus imaginationibus afferant sæpe deliram insanamque lætitiam, non tamen cordi hæc delectatio, sed renibus tribuenda est; quia illæ omnes imaginationes de inferioribus, hoc est terrenis carnalibusque rebus, attractæ sunt. Ita fit, ut scrutans corda et renes Deus, et perspiciens in corde rectas cogitationes, in

[1] Quinque Mss., *non quæ sum ego.*
[2] Lov., *quando etiam illa.* At Am. et Er., *quando etiam Ecclesia illa*, etc. Pauloque post, *miranda videbatur hominibus.* Forte leg., *etiam in Ecclesia illa :* sed maluimus sequi Colbertinum codicem, qui a secunda manu, sed antiqua præfert, *per illa.*

renibus nullas delectationes, justum auxilium præbeat rectis corde, ubi mundis cogitationibus supernæ delectationes sociantur. Et ideo in alio psalmo cum dixisset, *Insuper et usque ad noctem increpaverunt me renes mei*, subjecit de auxilio, dicens : *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear* (*Psal.* xv, 7, 8). Ubi ostendit suggestiones tantum se a renibus passum, non etiam delectationes, quas si pateretur, utique commoveretur. Dixit autem, *A dextris est mihi Dominus, ne commovear;* deinde subjungit, *Propter hoc delectatum est cor meum* (*Ibid.*, 9) : ut renes cum increpare potuerint, non delectare. Non itaque in renibus, sed ibi facta est delectatio, ubi adversus renum increpationem provisus est Deus a dextris esse, id est, in corde.

12. [*vers.* 12.] *Deus judex justus, fortis et longanimis.* Quis Deus judex, nisi Dominus, qui judicat populos? Ipse justus, qui reddet unicuique juxta opera sua (*Matth.* xvi, 27). Ipse fortis, qui etiam persecutores impios, cum sit potentissimus, pro nostra salute toleravit. Ipse longanimis, qui etiam ipsos qui persecuti sunt, non statim post resurrectionem ad supplicium rapuit, sed sustinuit, ut se aliquando ad salutem ab illa impietate converterent : et adhuc sustinet, servans ultimo judicio ultimam pœnam, et nunc usque invitans peccatores ad pœnitentiam. *Non iram adducens per singulos dies.* Significantius fortasse dicitur, *iram adducens*, quam irascens et ita in exemplaribus græcis invenimus (*a*) : ut non sit in ipso ira qua punit, sed in animis eorum ministrorum qui præceptis veritatis obtemperant; per quos jubetur etiam inferioribus ministeriis [1] qui vocantur angeli iracundiæ, ad punienda peccata, quos jam non propter justitiam, qua non gaudent, sed propter malitiam pœna humana delectat. *Non* ergo Deus *iram adducit per singulos dies*, id est, non per singulos dies ad vindictam congregat ministros suos : nunc enim patientia Dei ad pœnitentiam invitat; ultimo vero tempore, cum sibi homines propter duritiam suam et cor impœnitens, thesaurizaverint iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* ii, 5), gladium suum vibrabit.

13. [*vers.* 13.] *Nisi convertimini*, inquit, *gladium suum vibrabit.* Potest ipse homo Dominicus (*b*) gladius Dei intelligi bis acutus, id est framea, quam non vibravit primo adventu, sed tanquam in vagina humilitatis abscondit : vibrabit autem, cum in secundo adventu veniens judicare vivos et mortuos, in manifesto splendore claritatis suæ, justis suis lumen, et terrores [2] impiis coruscabit. Nam in aliis exemplaribus, pro eo quod est *gladium suum vibrabit*, *frameam suam splendificabit* positum est : quo verbo convenientissime significari arbitror ultimum Dominicæ claritatis adventum; quandoquidem ex ipsius persona intelligitur quod alius psalmus habet : *Libera, Domine, ab impiis animam meam, frameam tuam ab inimicis manus tuæ* (*Psal.* xvi, 13). *Arcum suum tetendit, et paravit illum.* Non passim verborum tempora prætereunda sunt, quod gladium de futuro dixit, *vibrabit; arcum* de præterito, *tetendit :* deinde præteriti temporis consequuntur verba.

14. [*vers.* 14.] *Et in ipso paravit vasa mortis : sagittas suas ardentibus operatus est.* Arcum ergo istum, Scripturas sanctas libenter acceperim, ubi fortitudine Novi Testamenti, quasi nervo quodam, duritia Veteris flexa et edomita est. Hinc tanquam sagittæ emittuntur Apostoli, vel divina præconia jaculantur. Quas sagittas *ardentibus operatus est*, id est, quibus percussi divino amore flagrarent. Qua enim alia sagitta percussa est, quæ dicit : *Inducite me in domum vini, constituite me inter unguenta, constipate me inter mella* [1]; *quoniam vulnerata charitate ego sum* (*Cant.* ii, 4. *sec.* LXX)? Quibus aliis sagittis accenditur, qui redire ad Deum cupiens et ab ista peregrinatione remeare, adversus dolosas linguas petit auxilium, et ei dicitur : *Quid detur tibi, aut quid adjiciatur tibi adversus linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus vastatoribus* (*Psal.* cxix, 3, 4) : id est, quibus percussus atque inflammatus tanto amore ardeas regni cœlorum, ut omnium resistentium et a proposito revocare volentium linguas contemnas, et persecutiones eorum derideas, dicens : *Quis me separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus sum enim*, inquit, *quia neque mors, neque vita, neque angelus, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* viii, 35, 38, 39). Sic ardentibus sagittas suas operatus est : nam in græcis exemplaribus ita invenitur, *Sagittas suas ardentibus operatus est;* latina autem *ardentes* pleraque habent. Sed, sive ipsæ sagittæ ardeant, sive ardere faciant, quod utique non possunt nisi et ipsæ ardeant, integer sensus est.

15. Sed quia non sagittas tantum, sed etiam *vasa mortis* dixit in arcu Dominum parasse, quæri potest quæ sint vasa mortis. An forte hæretici? Nam et ipsi ex eodem arcu, id est, ex eisdem Scripturis in animas non charitate inflammandas, sed venenis perimendas insiliunt, quod non contingit nisi pro meritis. Propterea divinæ Providentiæ etiam ista dispositio tribuenda est, non quia ipsa peccatores facit, sed quia ipsa ordinat cum peccaverint : malo enim voto per peccatum legentes, male coguntur intelligere, ut ipsa sit pœna peccati; quorum tamen morte filii catholicæ Ecclesiæ, tanquam quibusdam spinis, a somno excitantur, e ad intelligentiam divinarum Scripturarum proficiunt. *Oportet enim et hæreses esse, ut probati*, inquit, *manifesti fiant inter vos* (I *Cor.* xi, 19), hoc est inter homines, cum manifesti sint Deo. An forte easdem sagittas et vasa mortis disposuit ad perniciem infidelium,

[1] Lov, *ministris*. At Er. et Mss., *ministeriis*. Sic etiam in lib. de vera Religione, c. 40, angeli mali infima ministeria vocantur.
[2] Editi., *lumine et terrore*. At Mss., *lumen et terrores*.
(*a*) Græc., *mē orgēn epagōn*.
(*b*) I Retract., cap. 19.

[1] Forte, *mala*.

et ardentes vel ardentibus operatus est ad exercitationem fidelium? Non enim falsum est quod Apostolus dicit : *Aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem, et ad hæc quis idoneus* (II *Cor*. II, 16)? Non ergo mirum si iidem Apostoli et vasa mortis sunt in eis a quibus persecutionem passi sunt, et igneæ sagittæ ad inflammanda corda credentium.

16. [*vers*. 15.] Post hanc autem dispensationem justum veniet judicium : de quo ita dicit, ut intelligamus unicuique homini supplicium fieri de peccato suo, et ejus iniquitatem in pœnam converti; ne putemus illam tranquillitatem, et ineffabile lumen Dei de se proferre unde peccata puniantur, sed ipsa peccata sic ordinare, ut quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti. *Ecce*, inquit, *parturivit injustitiam*. Quid enim conceperat, ut injustitiam parturiret? *Concepit*, inquit, *laborem* (*Gen*. III, 17). Hinc est ergo illud, *In labore manducabis panem tuum*; hinc etiam illud, *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis. Jugum enim meum lene est, et onus meum leve* (*Matth*. XI, 28, 30). Non enim poterit labor finiri, nisi hoc quisque diligat quod invito non possit auferri. Nam cum ea diliguntur quæ possumus contra voluntatem amittere, necesse est ut pro his miserrime laboremus; et ut hæc adipiscamur, in angustiis terrenarum ærumnarum, cum sibi quisque illa rapere et prævenire alterum, aut extorquere alteri cupit, injustitias machinemur. Recte ergo et prorsus ex ordine parturivit injustitiam, qui concepit laborem. Parit autem quid, nisi quod parturivit, quamvis non hoc parturierit quod concepit? non enim hoc nascitur quod concipitur; sed concipitur semen, nascitur quod formatur ex semine. Labor est igitur semen iniquitatis; peccatum autem conceptio laboris, id est, illud primum peccatum, apostatare a Deo (*Eccli*. X, 14): parturivit ergo injustitiam qui concepit laborem. *Et peperit iniquitatem*: iniquitas, hoc est quod injustitia; hoc ergo peperit quod parturivit. Quid deinde sequitur?

17. [*vers*. 16.] *Lacum aperuit et effodit illum*. Lacum aperire, est in terrenis rebus, id est, tanquam in terra fraudem parare, quo alius cadat quem vult decipere injustus : aperitur autem hic lacus, cum consentitur malæ suggestioni terrenarum cupiditatum; effoditur vero, cum post consensionem operationi fraudis instatur. Sed unde fieri potest, ut iniquitas prius lædat hominem justum in quem procedit, quam cor injustum unde procedit? Itaque fraudator pecuniæ, verbi gratia, dum cupit alium damno lacerare, ipse avaritiæ vulnere sauciatur : quis autem vel demens non videat quantum inter hos distet, cum ille patiatur damnum pecuniæ, ille innocentiæ? *Incidet* ergo *in foveam quam fecit*; quod in alio psalmo dicitur : *Cognoscitur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator* (*Psal*. IX, 17).

18. [*vers*. 17.] *Convertetur labor ejus in caput ejus, et iniquitas ejus in verticem ejus descendet*. Non enim voluit ipse peccatum evadere; sed factus est sub peccato tanquam servus, dicente Domino : *Omnis qui peccat, servus est* (*Joan*. VIII, 34). Erit ergo iniquitas ejus super ipsum, cum ipse iniquitati suæ subditur : quia non potuit dicere Domino, quod innocentes et recti dicunt : *Gloria mea et exaltans caput meum* (*Psal*. III, 4). Ita ergo ipse inferior erit, ut ejus iniquitas sit superior, et in illum descendat; quia gravat illum, et onerat, et ad requiem sanctorum revolare non sinit. Hoc fit, cum in homine perverso servit ratio, et libido dominatur.

19. [*vers*. 18.) *Confitebor Domino secundum justitiam ejus*. Non ista confessio peccatorum est : ille enim hoc dicit, qui superius verissime dicebat, *Si est iniquitas in manibus meis*; sed confessio justitiæ Dei, qua ita loquimur : Vere, Domine, justus es, quando et justos sic protegis, ut per te ipsum eos illumines, et peccatores sic ordinas, ut non tua, sed sua malitia puniantur. Ista confessio ita Dominum laudat, ut nihil possint impiorum valere blasphemiæ, qui volentes excusare facinora sua, nolunt suæ culpæ tribuere quod peccant, hoc est, nolunt suæ culpæ tribuere culpam suam. Itaque aut fortunam, aut fatum inveniunt quod accusent; aut diabolum, cui non consentire in potestate nostra esse voluit qui nos fecit; aut aliam naturam inducunt, quæ non sit ex Deo, fluctuantes miseri et errantes, potius quam confitentes Deo, ut eis ignoscat. Non enim oportet ignosci, nisi dicenti : Peccavi. Qui ergo videt merita animarum sic ordinari a Deo, ut dum sua cuique tribuuntur, pulchritudo universitatis nulla ex parte violetur, in omnibus laudat Deum : et ista est non peccatorum, sed justorum confessio. Non enim peccatorum confessio est, dum dicit Dominus : *Confiteor tibi, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth*. XI, 25). Item in Ecclesiastico dicitur : *Confitemini Domino in omnibus operibus ejus. Et hæc dicetis in confessione, opera Domini universa quoniam*[1] *bona valde* (*Eccli*. XXXIX, 19-21). Quod in isto psalmo intelligi potest, si quisque pia mente, Domino adjuvante, distinguat inter justorum præmia et supplicia peccatorum, quemadmodum his duobus universa creatura, quam Deus a se conditam regit, mirifica et paucis cognita pulchritudine decoratur. Ita ergo ait, *Confitebor Domino secundum justitiam ejus*, tanquam ille qui viderit non factas tenebras a Deo, sed ordinatas tamen. Deus enim dixit : *Fiat lux, et facta est lux* (*Gen*. I, 3). Non dixit : Fiant tenebræ, et factæ sunt tenebræ; et tamen ipsas ordinavit. Et ideo dicitur : *Divisit Deus inter lucem et tenebras, et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem* (*Ibid*., 4, 5). Ista distinctio : aliud fecit, et ordinavit; aliud autem non fecit, sed tamen etiam hoc ordinavit. Jam vero tenebris significari peccata, et in propheta invenitur, qui dixit, *Et tenebræ tuæ tanquam meridies erunt* (*Isai*. LVIII, 10), et in apostolo dicente, *Qui odit fratrem suum, in tenebris est* (I *Joan*. II, 11), et illud præcipue : *Abjiciamus opera tenebra-*

[1] Particula, *quoniam*, ab editis aberat, et a Vulgata; sed reperitur hic in Mss. estque, *oti*, apud LXX.

rum, *et induamur arma lucis* (*Rom.* XIII, 12). Non quod aliqua sit natura tenebrarum : omnis enim natura in quantum natura est, esse cogitur; esse autem, ad lucem pertinet; non esse, ad tenebras. Qui ergo deserit eum a quo factus est, et inclinatur in id unde factus est, id est in nihilum, in hoc peccato tenebratur; et tamen non penitus perit, sed in infimis ordinatur. Itaque postquam dixit, *Confitebor Domino*, ne peccatorum confessionem intelligeremus, subjicit ultimum : *Et psallam nomini Domini altissimi*. Psallere autem ad gaudium pertinet, pœnitentia vero peccatorum, ad tristitiam.

20. Potest iste psalmus etiam in persona Dominici hominis intelligi; si modo ea quæ ibi humiliter dicta sunt, ad nostram infirmitatem referantur, quam ille gestabat.

IN PSALMUM VIII
ENARRATIO.

In finem pro torcularibus, Psalmus ipsi David (*a*).

1. [*vers.* 1.] Nihil de torcularibus in textu ejus psalmi, cujus iste titulus est, dicere videtur. In quo apparet multis et variis similitudinibus unam eamdemque rem in Scripturis sæpe insinuari. Torcularia ergo possumus accipere Ecclesias, eadem ratione qua et aream intelligimus Ecclesiam. Quia sive in area, sive in torculari, nihil aliud agitur, nisi ut fructus ab integumentis purgentur, quæ necessaria erant et ut nascerentur et ut crescerent, atque ad maturitatem vel messis vel vindemiæ pervenirent. His ergo vel integumentis vel sustentaculis, id est paleis in area frumenta, et vinaciis in torcularibus vina exuuntur : sicut in Ecclesiis a multitudine sæcularium hominum, quæ simul cum bonis congregatur, quibus ut nascerentur et apti fierent verbo divino, necessaria erat illa multitudo, id agitur, ut spirituali amore per operationem ministrorum Dei separentur. Agitur enim nunc, ut non loco, sed affectu interim separentur boni a malis : quamvis simul in Ecclesiis, quantum attinet ad corporalem præsentiam, conversentur. Aliud autem erit tempus, quo vel frumenta in horrea, vel vina in cellas segregentur. *Frumenta*, inquit, *recondet in horreis, paleas autem comburet igni inexstinguibili* (*Luc.* III, 17). Eadem res in alia similitudine sic intelligi potest : Vina recondet in apothecis, vinacia vero pecoribus projiciet : ut ventres pecorum pro pœnis gehennarum per similitudinem intelligere liceat.

2. Est alius intellectus de torcularibus, dum tamen ab Ecclesiarum significatione non recedatur. Nam et Verbum divinum potest uva intelligi : dictus est enim et Dominus botrus uvæ, quem ligno suspensum, de terra promissionis, qui præmissi erant a populo Israel, tanquam crucifixum attulerunt (*Num.* XIII, 24). Verbum itaque divinum, cum enuntiationis necessitate usurpat vocis sonum, quo in aures pervehatur audientium, eodem sono vocis tanquam vinaciis, intellectus tanquam vinum includitur : et sic uva ista in aures venit, quasi in calcatoria torculariorum[1]. Ibi enim discernitur, ut sonus usque ad aures valeat; intellectus autem memoria eorum qui audiunt, velut quodam lacu excipiatur, inde transeat in morum disciplinam et habitum mentis, tanquam de lacu in cellas in quibus, si negligentia non acuerit, vetustate firmabitur. Acuit namque in Judæis, et hoc aceto (*Joan.* XIX, 29) Dominum potaverunt. Nam illud vinum quod de generatione vitis Novi Testamenti bibiturus est cum sanctis suis Dominus in regno Patris sui (*Luc.* XXII, 18), suavissimum atque firmissimum sit necesse est.

3. Solent accipi torcularia etiam martyria, tanquam afflictione persecutionum calcatis eis qui Christi nomen confessi sunt, mortalia eorum tanquam vinacia in terra remanserint, animæ autem in requiem cœlestis habitationis emanaverint. Sed neque isto intellectu ab Ecclesiarum fructificatione disceditur. Psallitur ergo *pro torcularibus*, pro Ecclesiæ constitutione, cum Dominus noster postquam resurrexit, ascendit in cœlos. Tunc enim misit Spiritum sanctum, quo impleti discipuli, cum fiducia prædicaverunt verbum Dei, ut Ecclesiæ congregarentur.

4. [*vers.* 2.] Itaque dicitur : *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Quæro unde sit admirabile nomen ejus in universa terra? Respondetur : *Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos;* ut iste sit sensus : Domine, qui es Dominus noster, quam te admirantur omnes qui incolunt terram! quoniam tua magnificentia de terrena humilitate super cœlos elevata est. Hinc enim apparuit quis descenderis, cum a quibusdam visum est et a cæteris creditum quo ascenderis.

5. [*vers.* 3.] *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, propter inimicos tuos.* Non possum accipere alios infantes atque lactentes, quam eos quibus dicit Apostolus : *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non cibum* (I *Cor.* III, 1, 2). Quos significabant illi qui Dominum præcedebant laudantes; in quos ipse Dominus hoc testimonio usus est, cum dicentibus Judæis ut eos corriperet, respondit : *Non legistis, Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Matth.* XXI, 16)? Bene autem non ait, Fecisti; sed, *perfecisti laudem*. Sunt enim in Ecclesiis etiam hi qui non jam lacte potantur, sed vescuntur cibo, quos idem Apostolus significat, dicens. *Sapientiam loquimur inter perfectos* (I *Cor.* II, 6) : sed non ex his solis[2] perficiuntur Ecclesiæ, quia si soli essent, non consuleretur generi humano. Consulitur autem cum illi quoque nondum capaces cognitionis rerum spiritualium atque æternarum, nutriuntur fide temporalis historiæ, quæ pro salute nostra post Patriarchas et Prophetas ab excellentissima Dei Virtute atque Sapientia etiam suscepti hominis sacramento administra-

(*a*) De hoc 1 vers. consule Enar. in Psal. LXXXIII, n. 1 seqq.

[1] In Mss. aliquot, sed paucioribus, nec antiquioribus, *torcularium*.

[2] Plures Mss.: *Sed non ex his perficiuntur*, etc., omissa voce, *solis*.

ta est, in qua salus est omni credenti : ut auctoritate commotus [1] præceptis inserviat, quibus purgatus unusquisque et in charitate radicatus atque fundatus possit currere cum sanctis, non jam parvulus in lacte, sed juvenis in cibo, comprehendere latitudinem, longitudinem, altitudinem et profundum, scire etiam supereminentem scientiam charitatis Christi (*Ephes.* III, 18, 19).

6. *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, propter inimicos tuos.* Inimicos huic dispensationi quæ facta est per Jesum Christum, et hunc crucifixum, generaliter accipere debemus omnes qui vetant credere incognita, et certam scientiam pollicentur; sicut faciunt hæretici universi, et illi qui in superstitione gentilium philosophi nominantur. Non quod scientiæ pollicitatio reprehendenda sit; sed quod gradum saluberrimum et necessarium fidei negligendum putant, per quem in aliquid certum, quod esse nisi æternum non potest, oportet ascendi. Hinc eos apparet nec ipsam scientiam habere, quam contempta fide pollicentur; quia tam utilem ac necessarium gradum ejus ignorant. *Ex ore* ergo *infantium et lactentium* perfecit [2] *laudem* Dominus noster, mandans primo per Prophetam, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *sec.* LXX), et ipse præsens dicens, *Beati qui non viderunt et credituri sunt* (*Joan.* XX, 19). *Propter inimicos:* contra quos etiam illud dicitur : *Confiteor tibi, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI, 25). A sapientibus enim dixit, non qui sapientes sunt, sed qui esse se putant. *Ut destruas inimicum et defensorem* (*a*). Quem, nisi hæreticum? Nam et ipse est inimicus et defensor, qui fidem christianam cum oppugnet, videtur defendere. Quanquam etiam philosophi hujus mundi bene intelligantur inimici et defensores : quandoquidem Filius Dei Virtus et Sapientia Dei est, qua illustratur omnis quisquis veritate sapiens efficitur. Hujus illi se amatores esse profitentur, unde etiam philosophi nominantur : et propterea illam videntur defendere, cum inimici sint ejus ; quoniam superstitiones noxias, ut colantur et venerentur hujus mundi elementa, suadere non cessant.

7. [*vers.* 4]. *Quoniam videbo cœlos tuos* [3], *opera digitorum tuorum.* Legimus digito Dei scriptam Legem, et datam per Moysen sanctum servum ejus (*Exod.* XXXI, 18; *Deut.* IX, 10) : quem digitum Dei multi intelligunt Spiritum sanctum. Quapropter si digitos Dei, eosdem ipsos ministros Spiritu sancto repletos, propter ipsum Spiritum qui in eis operatur, recte accipimus, quoniam per eosdem nobis omnis divina Scriptura confecta est; convenienter intelligimus hoc loco cœlos dictos libros utriusque Testamenti. Dictum est autem etiam de ipso Moyse a magis regis Pharaonis, cum ab eo superati essent, *Digitus Dei est hic* (*Exod.* VIII, 19); et quod scriptum est, *Cœlum plicabitur sicut liber* (*Isai.* XXXIV, 4), etiam si de isto æthereo cœlo dictum est, congrue tamen ex hac eadem similitudine in allegoria librorum cœli nominantur. *Quoniam videbo*, inquit, *cœlos, opera digitorum tuorum :* id est, cernam et intelligam Scripturas, quas operante Spiritu sancto per ministros tuos conscripsisti.

8. Possunt itaque etiam superius cœli nominati, iidem libri accipi, ubi ait, *Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos ;* ut totus iste sit sensus, Quoniam magnificentia tua elevata est super cœlos : Excedit enim magnificentia tua omnium Scripturarum eloquia ; ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, ut a fide Scripturarum inciperent, qui cupiunt ad tuæ magnificentiæ notitiam pervenire, quæ super Scripturas elevata est, quia transit et superat omnium verborum linguarumque præconia. Inclinavit ergo Scripturas Deus usque ad infantium et lactentium capacitatem, sicut in alio psalmo canitur : *Et inclinavit cœlum, et descendit* (*Psal.* XVII, 10). Et hoc fecit propter inimicos, qui per superbiam loquacitatis [1] inimici crucis Christi, etiam cum aliqua vera dicunt, parvulis tamen et lactentibus prodesse non possunt. Ita destruitur inimicus et defensor, qui sive sapientiam, sive etiam Christi nomen defendere videatur, ab hujus tamen gradu fidei oppugnat eam veritatem quam promptissime pollicetur. Propterea etiam illam non habere convincitur; quia oppugnando gradum ejus, quod est fides, quemadmodum in eam conscendatur, ignorat. Hinc ergo destruitur temerarius et cæcus pollicitator veritatis, qui est inimicus et defensor, cum videntur cœli opera digitorum Dei, id est, intelliguntur Scripturæ perductæ usque ad infantium tarditatem, et eos per humilitatem historicæ fidei, quæ temporaliter gesta est, ad sublimitatem intelligentiæ rerum æternarum bene nutritos et roboratos erigunt in ea quæ confirmant. Isti quippe cœli, id est, isti libri, opera sunt digitorum Dei; sancto etenim Spiritu in sanctis operante, confecti sunt : nam qui gloriam suam potius quam salutem hominum attenderunt, sine Spiritu sancto locuti sunt, in quo sunt viscera misericordiæ Dei.

9. *Quoniam videbo cœlos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas quas tu fundasti.* Luna et stellæ in cœlis sunt fundatæ : quia et universalis Ecclesia in cujus sæpe significatione luna ponitur, et particulatim per loca singula Ecclesiæ quas nomine stellarum insinuatas arbitror, in eisdem Scripturis collocatæ sunt, quas cœlorum vocabulo positas credimus. Cur autem luna recte significet Ecclesiam, opportunius in alio psalmo considerabitur, ubi dictum est : *Peccatores intenderunt arcum, ut sagittent in obscura luna rectos corde* (*Psal.* X, 3).

10. [*vers.* 5.] *Quid est homo, quia memor es ejus,*

[1] Am. Er. et plures Mss., *conmonitus.*

[2] Sic Am. Er. et aliquot Mss. Et paulo infra, plerique Mss., *et ipse præsens dicens*, etc. [*perfecisti... ipse per se*, etc.]

[3] Undecim Mss. omittunt, *tuos :* quæ quidem particula a LXX interpretatione aberat; sed post ex Theodotionis editione fuit addita sub asterisco, sicuti docet Hieronymus, in Epist. 135, ad Suniam.

(*a*) Hanc partem vers. 3 tractat item Augustinus in Enar. Psal. CII, ibique pro, *et defensorem*, dicit nonnullis in codicibus verius haberi, *et ultorem.*

[1] Lov., *qui superba loquacitate.* At editi alii et Mss., *qui per superbiam loquacitatis.*

aut filius hominis, quoniam tu visitas eum? Quid inter hominem et filium hominis distet, quæri potest; si enim nihil distaret, non ita poneretur, *homo, aut filius hominis*, per disjunctionem. Nam si ita scriptum esset: Quid est homo quia memor es ejus, et filius hominis quoniam visitas eum: repetitum videretur quod dictum est, *homo;* nunc vero cum sonat, *homo, aut filius hominis,* manifestior insinuatur distantia. Hoc sane retinendum est, quia omnis filius hominis homo, quamvis non omnis homo filius hominis possit intelligi: Adam quippe homo, sed non filius hominis. Quapropter hinc jam licet attendere atque discernere, quid hoc in loco inter hominem et filium hominis distet: ut qui portant imaginem terreni hominis, qui non est filius hominis, hominum nomine significentur; qui autem portant imaginem cœlestis hominis (I *Cor.* xv, 49), filii hominum potius appellentur. Ille enim et vetus homo dicitur, iste autem novus (*Ephes.* iv, 22, 24): sed novus ex vetere nascitur, quoniam spiritualis regeneratio mutatione vitæ terrenæ atque sæcularis inchoatur; et ideo iste filius hominis nuncupatur. Homo igitur hoc loco est terrenus, filius autem hominis cœlestis: et ille longe sejunctus a Deo, hic autem præsens Deo: et propterea illius memor est, tanquam in longinquo positi; hunc vero visitat, quem præsens illustrat vultu suo: *Longe est* enim *a peccatoribus salus* (*Psal.* cxviii, 155), et, *Signatum est in nobis lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* iv, 7). Sic in alio psalmo homines jumentis associatos, non per præsentem interiorem illuminationem, sed per multiplicationem misericordiæ Dei qua ejus bonitas usque ad infima intenditur, salvos fieri dicit cum ipsis jumentis; quoniam carnalium hominum salus carnalis est, tanquam pecorum. Filios autem hominum sejungens ab eis quos homines pecudibus junxit, longe sublimiori modo, ipsius veritatis illustratione, et quadam vitalis fontis inundatione, beatos fieri prædicat. Sic enim dicit: *Homines et jumenta salvos facies, Domine; sicut multiplicata est misericordia tua, Deus. Filii autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab uberate domus tuæ, et torrente deliciarum tuarum potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Prætende misericordiam tuam scientibus te* (*Psal.* xxxv, 7-11). Memor est igitur hominis per multiplicationem misericordiæ, sicut jumentorum; quia multiplicata misericordia etiam ad longe positos pervenit: visitat vero filium hominis, cui sub protectione alarum suarum posito prætendit misericordiam, et in lumine suo lumen præbet, et eum deliciis suis potat, et inebriat ubertate domus suæ, ad obliviscendas ærumnas et errores præteritæ conversationis. Hunc filium hominis, id est hominem novum, pœnitentia veteris parturit cum dolore et gemitu. Iste quamvis novus, tamen adhuc carnalis dicitur, cum lacte nutritur, *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus,* inquit Apostolus; et ut ostenderet jam regeneratos, *Tanquam parvulis*, ait, *in Christo, lac vobis potum dedi, non cibum.* Iste cum relabitur, quod sæpe accidit, ad veterem vitam, cum exprobratione audit quod homo sit: *Nonne homines estis*, inquit, *et secundum hominem ambulatis* (I *Cor.* iii, 1-3).

11. [*vers.* 6, 7.] Filius igitur hominis primo[1] visitatus est in ipso homine Dominico (*a*), nato ex Maria virgine. De quo propter ipsam infirmitatem carnis, quam Sapientia Dei gestare dignata est, et passionis humilitatem recte dicitur: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Sed additur illa clarificatio qua resurgens ascendit in cœlum: *Gloria*, inquit, *et honore coronasti eum; et constituisti eum super opera manuum tuarum.* Quandoquidem et Angeli sunt opera manuum Dei, etiam super Angelos constitutum accipimus unigenitum Filium, quem minutum paulo minus ab Angelis per humilitatem carnalis generationis atque passionis audimus et credimus.

12. [*vers.* 8, 9.] *Omnia*, inquit, *subjecisti sub pedibus ejus.* Nihil excipit, cum dicit *omnia.* Et ne aliter liceret intelligi, sic Apostolus credi jubet, cum dicit, *excepto eo qui ei subjecit omnia* (*Id.* xv, 27); et hoc ipso hujus psalmi testimonio utitur ad Hebræos (*Hebr.* ii, 8), cum ita vult omnia intelligi esse subjecta Domino nostro Jesu Christo, ut nihil exceptum sit. Nec tamen quasi aliquid magnum videtur adjungere, cum dicit: *Oves et boves universas, insuper et pecora campi; volucres cœli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Videtur enim relictis cœlestibus Virtutibus et Potestatibus et omnibus exercitibus Angelorum, relictis etiam ipsis hominibus, tantum ei pecora subjecisse; nisi oves et boves intelligamus animas sanctas, vel innocentiæ fructum dantes, vel etiam operantes ut terra fructificet, id est, ut terreni homines ad spiritualem ubertatem regenerentur. Has ergo animas sanctas, non hominum tantum, sed etiam omnium Angelorum oportet accipere, si volumus hinc intelligere omnia esse subjecta Domino nostro Jesu Christo; nulla enim creatura subjecta non erit, cui primates, ut ita dicam, spiritus subjiciuntur. Sed unde probabimus oves posse accipi etiam sublimiter beatos, non homines, sed angelicæ creaturæ spiritus? An ex eo quod Dominus dicit reliquisse se nonaginta novem oves in montibus, id est in sublimioribus locis, et descendisse propter unam (*Matth.* xviii, 12)? Si enim unam ovem lapsam humanam animam accipiamus in Adam, quia etiam Eva de illius latere facta est (*Gen.* ii. 22), quorum omnium spiritualiter tractandorum et considerandorum nunc tempus non est, restat ut nonaginta novem relictæ in montibus, non humani, sed angelici spiritus intelligantur. Nam de bobus facilis expeditio[2] est hujus sententiæ; quoniam ipsi homines non ob aliud boves dicti sunt, nisi quod evangelizando verbum Dei Angelos imitantur, ubi dictum est: *Bovi trituranti os non infrenabis* (*Deut.* xxv, 4). Quanto igitur facilius ipsos Angelos nuntios veritatis, boves accipimus; quando Evangelistæ par-

[1] Ita in Mss. At in editis, *primus.*
[2] Am. Er. et aliquot Mss., *expositio.*
(*a*) I Retract., cap. 19.

ticipatione nominis eorum, boves vocati sunt (I *Cor.* IX, 9; I *Tim.* V, 18)? *Subjecisti* ergo, inquit, *oves et boves universas*, id est, omnem sanctam spiritualem creaturam: in qua etiam sanctorum hominum[1] accipimus qui sunt in Ecclesia, in illis videlicet torcularibus quæ sub alia similitudine lunæ ac stellarum insinuata sunt.

13. *Insuper*, ait, *et pecora campi.* Nullo modo vacat quod additum est, *insuper.* Primo, quia pecora campi possunt intelligi et oves et boves; ut si rupium et arduorum locorum pecora capræ sunt, bene intelligantur oves pecora campi. Itaque etiamsi ita positum esset, Oves et boves universas et pecora campi, recte quæreretur quid sibi vellent pecora campi, cum etiam oves et boves hoc possint intelligi; quod vero additum est etiam, *insuper*, cogit omnino ad nescio quam differentiam cognoscendam. Sed sub hoc verbo quod positum est, *insuper*, non solum pecora campi, sed etiam volucres cœli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris, accipiendi sunt. Quæ est igitur ista distantia? Veniant in mentem torcularia, habentia vinacia et vinum; et area, continens paleas et frumentum (*Marc.* III, 12); et retia, quibus inclusi sunt pisces boni et mali (*Matth.* XIII, 47); et arca Noe, in qua et immunda et munda erant animalia (*Gen.* VII, 8): et videbis Ecclesias interim hoc tempore usque ad ultimum judicii tempus, non solum oves et boves continere, id est sanctos laicos et sanctos ministros, sed *insuper et pecora campi, volucres cœli, et pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Pecora enim campi congruentissime accipiuntur homines in carnis voluptate gaudentes, ubi nihil arduum, nihil laboriosum ascendunt. Campus est enim etiam lata via, quæ ducit ad interitum (*Matth.* VII, 13); et in campo Abel occiditur (*Gen.* IV, 8). Quare metuendum est, ne quisque descendens a montibus justitiæ Dei, *Justitia enim*, inquit, *tua velut montes Dei* (*Psal.* XXXV, 7), latitudines et facilitates voluptatis carnalis eligens, a diabolo trucidetur. Vide nunc etiam volucres cœli, superbos, de quibus dicitur: *Posuerunt in cœlum os suum* (*Psal.* LXXII, 9). Vide quam in altum vento portentur, qui dicunt: *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra apud nos*[2] *sunt, quis noster Dominus est* (*Psal.* XI, 5)? Intuere etiam pisces maris, hoc est curiosos qui perambulant semitas maris, id est, inquirunt in profundo hujus sæculi temporalia, quæ tanquam semitæ in mari tam cito evanescunt et intereunt, quam rursus aqua confunditur, postquam transeuntibus locum dederit vel navibus, vel quibuscumque ambulantibus aut natantibus. Non enim ait tantum, Ambulant semitas maris; sed, *perambulant* dixit; ostendens pertinacissimum studium inania et præterfluentia requirentium. Hæc autem tria genera vitiorum, id est voluptas carnis, et superbia, et curiositas, omnia peccata concludunt. Quæ mihi videntur a Joanne apostolo enumerata, cum dicit: *Nolite diligere mundum, quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi* (I *Joan.* II, 15, 16). Per oculos enim maxime curiositas prævalet; reliqua vero quo pertineant, manifestum est. Et illa Dominici hominis (*a*) tentatio tripartita est: per cibum, id est per concupiscentiam carnis, ubi suggeritur, *Dic lapidibus istis ut panes fiant* (*Matth.* IV, 3): per inanem jactantiam, ubi in monte constituto ostenduntur omnia regna hujus terræ, et promittuntur si adoraverit: per curiositatem, ubi de pinna templi admonetur ut se deorsum mittat, tentandi gratia utrum ab Angelis suscipiatur. Itaque postea quam nullo istorum tentamento valere apud eum potuit inimicus, hoc de illo dicitur. *Postquam complevit omnem tentationem diabolus* (*Luc.* IV, 13). Propter torculariorum itaque significationem, subjecta sunt pedibus ejus non solum vina, sed etiam vinacia: non solum scilicet oves et boves, id est sanctæ animæ fidelium, vel in plebe, vel in ministris; sed in super et pecora voluptatis, et volucres superbiæ, et pisces curiositatis: quæ omnia genera peccatorum nunc bonis et sanctis mixta esse in Ecclesiis videmus. Operetur igitur in Ecclesiis suis, et a vinaciis vinum separet: nos demus operam ut vinum simus et oves aut boves; non vinacia, aut pecora campi, aut volucres cœli, aut pisces maris qui perambulant semitas maris. Non quia ista nomina isto solo modo intelligi et explicari possunt, sed pro locis; namque alibi aliud significant. Et hæc regula in omni allegoria retinenda est, ut pro sententia præsentis loci consideretur quod per similitudinem dicitur; hæc est enim dominica et apostolica disciplina. Repetamus ergo ultimum versum qui etiam in principio Psalmi ponitur, et laudemus Deum dicentes: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Decenter quippe post textum sermonis ad caput reditur, quo totus idem sermo referendus est.

IN PSALMUM IX
ENARRATIO.

1. [*vers.* 1.] Psalmi hujus inscriptio est: *In finem pro occultis Filii, Psalmus ipsi David.* De occultis Filii quæri potest: sed quia non addidit cujus, ipsum unigenitum Dei Filium oportet intelligi. Ubi enim de filio David Psalmus inscriptus est, *Cum fugeret*, inquit, *a facie Abessalon filii sui* (*Psal.* III, 1); cum et nomen ejus dictum esset, et ob hoc latere non posset de quo diceretur, non tamen dictum est tantum, *a facie Abessalon filii*, sed additum est, *sui.* Hic vero, et quod non additum est, *sui*, et quod de Gentibus multa dicit, non potest recte accipi Abessalon: neque enim bellum quod cum patre ille perditus gessit, ullo modo ad Gentes pertinet, cum populus tantum Israel adversus se ibi divisus sit. Canitur itaque iste psalmus pro occultis unigeniti Filii Dei. Nam et ipse Dominus cum sine additamento ponit Filium, seipsum unigenitum vult intelligi, ubi ait: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 36). Non

[1] Editi, *sanctos homines.* Mss., *sanctorum hominum.*
[2] Editi, *nobiscum.* At Mss., *apud nos.*

(*a*) I Retract., cap. 19.

enim dixit, Filius Dei; sed tantum dicendo *Filius*, dat intelligi cujus sit filius. Quam locutionem non recipit nisi excellentia ejus de quo ita loquimur, ut etiamsi non eum nominemus, possit intelligi: ita enim dicimus, Pluit, serenat, tonat, et si qua sunt talia, nec addimus quis id faciat; quia omnium mentibus sponte sese offert excellentia facientis, nec verba desiderat. Quæ sunt igitur occulta Filii? In quo verbo primum intelligendum est esse aliqua Filii manifesta, a quibus distinguuntur hæc quæ appellantur occulta. Quamobrem, quoniam duos adventus Domini credimus, unum præteritum, quem Judæi non intellexerunt, alterum futurum, quem utrique speramus; et quoniam iste quem Judæi non intellexerunt, Gentibus profuit, non inconvenienter accipitur de hoc adventu dici, *pro occultis Filii*, ubi cæcitas ex parte Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret (*Rom.* XI, 25). Duo etiam judicia insinuantur per Scripturas, si quis advertat; unum occultum, alterum manifestum. Occultum nunc agitur, de quo apostolus Petrus dicit: *Tempus est ut judicium incipiat a domo Domini* (I *Petr.* IV, 17). Occultum itaque judicium est pœna, qua nunc unusquisque hominum aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad conversionem, aut si contempserit vocationem et disciplinam Dei, excæcatur ad damnationem. Judicium autem manifestum est, quo venturus Dominus judicabit vivos et mortuos, omnibus fatentibus eum esse a quo et bonis præmia, et malis supplicia tribuentur. Sed tunc illa confessio, non ad remedium malorum, sed ad cumulum damnationis valebit. De his duobus judiciis, uno occulto, alio manifesto, videtur mihi Dominus dixisse, ubi ait: *Qui in me credit, transiit de morte ad vitam, nec in judicium veniet* (*Joan.* V, 24), in judicium scilicet manifestum: nam hoc quod transit de morte ad vitam per nonnullam afflictionem, qua flagellat omnem filium quem recipit, judicium occultum est; *Qui autem non credit*, inquit, *jam judicatus est* (*Id.* III, 18); id est, isto occulto judicio jam præparatus est ad illud manifestum. Hæc duo judicia etiam in Sapientia legimus, ubi scriptum est: *Propter hoc tanquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti; hi autem hoc judicio non correcti, dignum Dei judicium experti sunt* (*Sap.* XII, 25, 26). Qui ergo non corriguntur isto occulto Dei judicio, dignissime illo manifesto punientur. Quocirca in hoc psalmo observanda sunt occulta Filii, id est, et humilis ejus adventus quo profuit Gentibus cum cæcitate Judæorum, et pœna quæ nunc occulte agitur, nondum damnatione peccantium, sed aut exercitatione conversorum, aut admonitione ut convertantur, aut cæcitate ut damnationi præparentur qui converti noluerint.

2. [*vers.* 2.] *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Non in toto corde confitetur Deo, qui de providentia ejus in aliquo dubitat: sed qui jam cernit occulta sapientiæ Dei, quantum sit invisibile præmium ejus, qui dicit, *Gaudemus in tribulationibus* (*Rom.* V, 3); et quemadmodum omnes cruciatus, qui corporaliter inferuntur aut exerceant conversos ad Deum, aut ut convertantur admoneant, aut justæ damnationi ultime præparent obduratos, et sic omnia ad divinæ providentiæ regimen referantur, quæ stulti quasi casu et temere et nulla divina administratione fieri putant. *Narrabo omnia mirabilia tua.* Narrat omnia mirabilia Dei, qui ea non solum in corporibus palam, sed in animis invisibiliter quidem, sed longe sublimius et excellentius fieri videt. Nam terreni homines et occultis dediti, magis mirantur resurrexisse in corpore mortuum Lazarum, quam resurrexisse in anima persecutorem Paulum. Sed quoniam visibile miraculum ad illuminationem animam vocat, invisibile autem eam quæ vocata venit illuminat; omnia narrat mirabilia Dei, qui credens visibilibus ad intelligenda invisibilia transitum facit.

3. [*vers.* 3.] *Lætabor, et exsultabo in te.* Non jam in hoc sæculo; non in voluptate contrectationis corporum, nec in palati et linguæ saporibus, nec in suavitate odorum, nec in jucunditate sonorum transeuntium, nec in formis corporum varie coloratis, nec in vanitatibus laudis humanæ, nec in conjugio et prole moritura, nec in superfluis temporalium divitiarum, nec in conquisitione hujus sæculi, sive quæ locorum spatiis tenditur, sive quæ successione temporis volvitur: sed *lætabor et exsultabo in te*, videlicet in occultis Filii, ubi signatum est in nobis lumen vultus tui, Domine (*Psal.* IV, 7); etenim *Abscondes eos*, inquit, *in abscondito vultus tui* (*Psal.* XXX, 21). Lætabitur ergo et exsultabit in te, qui narrat omnia mirabilia tua. Narrabit autem omnia mirabilia tua, siquidem nunc per prophetiam dictum est [1], ille qui non venit voluntatem suam facere, sed voluntatem ejus qui eum misit (*Joan.* VI, 38).

4. [*vers.* 4.] Jam enim incipit apparere persona Domini in hoc psalmo loquens. Nam sequitur: *Psallam nomini tuo, Altissime, in convertendo inimicum meum retrorsum.* Hujus ergo inimicus quando retro conversus est? An quando ei dictum est: *Redi retro, Satanas* (*Matth.* IV, 10)? tunc enim qui tentando se præponere cupiebat retro factus est, non decipiendo tentatum et in eum nihil valendo. Retro enim sunt terreni homines; cœlestis autem homo prior factus est, quamvis post venerit: primus enim homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis (I *Cor.* XV, 47). Sed de ipsa stirpe veniebat, a quo dictum est: *Qui post me venit, ante me factus est* (*Joan.* I, 15). Et Apostolus ea quæ retro sunt obliviscitur, et in ea quæ ante sunt se extendit (*Philip.* III, 13). Conversus est igitur inimicus retro, postquam non valuit hominem cœlestem decipere tentatum, et se ad terrenos convertit ubi dominari potest. Quapropter nullus hominum eum præcedit et retro eum esse facit, nisi qui deponens imaginem terreni hominis portaverit imaginem cœlestis (I *Cor.* XV, 49). Jam vero si quod dictum est, *inimicum meum*, generaliter vel peccatorem vel gentilem hominem magis

[1] Editi, *dictus est ille qui*, etc. Mss., *dictum est*.

velimus accipere, non erit absurdum. Nec pœna erit quod dictum est, *In convertendo inimicum meum retrorsum;* sed beneficium, et tale beneficium, ut huic comparari nihil possit. Quid enim beatius quam deponere superbiam, et non velle Christum præcedere, veluti sanus sit cui medicus non sit necessarius; sed malle retro ire post Christum, qui discipulum vocans ut perficiatur, dicit: *Sequere me* (*Matth.* XIX, 21)? Sed tamen accommodatius de diabolo dictum intelligitur: *In convertendo inimicum meum retrorsum.* Diabolus quippe retrorsum conversus est etiam in persecutione justorum, et multo utilius persecutor est, quam si dux et princeps præiret. Psallendum est igitur nomini Altissimi in convertendo inimicum retrorsum; quoniam malle debemus eum persequentem fugere, quam ducentem sequi: habemus enim quo fugiamus et abscondamur in occultis Filii, quia Dominus factus est refugium nobis (*Psal.* LXXXIX, 1).

5. [*vers.* 5.] *Infirmabuntur, et peribunt a facie tua.* Qui infirmabuntur et peribunt, nisi iniqui et impii? *Infirmabuntur*, dum nihil valebunt; *et peribunt*, quia non erunt impii; *a facie* Dei, id est a cognitione Dei, sicut periit ille qui dixit: *Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus* (*Gal.* II, 20). Sed quare *infirmabuntur, et peribunt* impii *a facie tua? Quoniam fecisti judicium meum*, inquit, *et causam meam:* id est, judicium illud in quo judicari visus sum, meum fecisti; et causam illam in qua me justum et innocentem homines damnaverunt, meam fecisti. Hæc enim ei militaverunt ad nostram liberationem: sicut et nautæ dicunt ventum suum, quo utuntur ad bene navigandum.

6. *Sedisti super thronum, qui judicas æquitatem.* Sive Filius Patri dicat, qui etiam illud dixit, *Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum fuisset desuper* (*Joan.* XIX, 11), idipsum ad æquitatem Patris et ad occulta sua referens, quod judex hominum ad utilitatem hominum judicatus est: sive homo dicat Deo, *Sedisti super thronum, qui judicas æquitatem*, animam suam thronum ejus appellans, ut corpus sit fortasse terra, quæ scabellum pedum ejus dicta est (*Isai.* LXVI, 1); Deus enim erat in Christo mundum reconcilians sibi (II *Cor.* V, 19): sive anima Ecclesiæ[1] jam perfecta et sine macula et ruga (*Ephes.* V, 27), digna scilicet occultis Filii, quia introduxit eam rex in cubiculum suum (*Cant.* I, 3), dicat sponso suo, *Sedisti super thronum, qui judicas æquitatem*, quia resurrexisti a mortuis, et ascendisti in cœlum, et sedes ad dexteram Patris: quælibet ergo harum sententia placeat, quo iste versus referatur, regulam fidei non excedit.

7. [*vers.* 6.] *Increpasti gentes, et periit impius.* Convenientius hoc Domino Jesu Christo dici, quam ipsum dicere, accipimus. Quis enim alius increpavit gentes, et periit impius, nisi qui postea quam ascendit in cœlum, misit Spiritum sanctum, quo completi Apostoli, cum fiducia prædicarent verbum Dei, et peccata hominum libere arguerent? qua increpatione periit impius; quia justificatus est impius, et factus est pius. *Nomen eorum delesti in sæculum, et in sæculum sæculi.* Deletum est nomen impiorum: non enim appellantur impii, qui Deo vero credunt. Deletur autem nomen eorum *in sæculum*, id est, quamdiu temporale sæculum volvitur. *Et in sæculum sæculi.* Quid est *sæculum sæculi*, nisi cujus effigiem et tanquam umbram habet hoc sæculum? Vicissitudo enim temporum sibi succedentium, dum luna minuitur et rursus impletur, dum sol omni anno locum suum repetit, dum ver, vel æstas, vel autumnus, vel hiems sic transit ut redeat, æternitatis quædam imitatio est. Sed hujus sæculi sæculum est quod incommutabili æternitate consistit. Sicut versus in animo, et versus in voce: ille intelligitur, iste auditur; et ille istum modificat: et ideo ille in arte operatur et manet, iste in aere sonat et transit. Sic hujus mutabilis sæculi modus ab illo incommutabili sæculo definitur, quod dicitur sæculum sæculi: et ideo illud in arte Dei, hoc est in Sapientia et Virtute permanet; hoc autem in creaturæ administratione peragitur. Si tamen non repetitio est; ut postea quam dictum est *in sæculum*, ne hoc acciperetur quod transit, subjiceretur *in sæculum sæculi.* Nam in græcis exemplaribus sic est: εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος; quod Latini plerique interpretati sunt, non *in sæculum, et in sæculum sæculi*, sed, *in æternum, et in sæculum sæculi:* ut in eo quod dictum est *in sæculum sæculi*, illud exponeretur quod dictum est *in æternum. Nomen* ergo *impiorum delesti in æternum*, quia deinceps nunquam erunt impii. Et si in hoc sæculum non tenditur nomen eorum, multo minus in sæculum sæculi.

8. [*vers.* 7.] *Inimici defecerunt frameæ in finem.* Non pluraliter inimici, sed singulariter hujus inimici. Cujus autem inimici, nisi diaboli frameæ defecerunt? Hæ autem intelliguntur diversæ opiniones erroris, quibus ille animas tanquam gladiis perimit. His gladiis vincendis et ad defectum perducendis instat ille gladius, de quo in septimo psalmo dicitur: *Nisi convertamini, gladium suum vibrabit* (*Psal.* VII, 13). Et forte iste est finis in quem frameæ deficiunt inimici, quia usque ad ipsum aliquid valent; ipse nunc operatur occulte, ultimo autem judicio palam vibrabitur. Hoc destruuntur civitates; nam ita sequitur, *Inimici defecerunt frameæ in finem; et civitates destruxisti:* civitates autem in quibus diabolus regnat, ubi dolosa et fraudulenta consilia tanquam curiæ locum obtinent, cui principatui quasi satellites et ministri adsunt officia quorumque membrorum, oculi ad curiositatem, aures ad lasciviam, vel si quid est aliud quod in malam partem libenter auditur, manus ad rapinam vel quodlibet aliud facinus aut flagitium, et membra cætera in hunc modum tyrannico principatui, id est perversis consiliis militantia. Hujus civitatis quasi plebs est omnes delicatæ affectiones et turbulenti motus animi, quotidianas seditiones in homine agitantes. Ergo ubi rex, ubi curia, ubi ministri, ubi plebs invenitur, civitas est: neque enim talia essent in malis civitati-

[1] Sic in Mss. At apud Lov., *sive enim Ecclesia.*

bus, nisi prius essent in singulis hominibus, qui sunt tanquam elementa et semina civitatum. Has civitates destruit, cum excluso inde principe, de quo dictum est, *Princeps hujus sæculi missus est foras* (*Joan.* XII, 31), vastantur hæc regna verbo veritatis, sopiuntur maligna consilia, turpes affectiones edomantur, membrorum et sensuum ministeria captivantur, et ad justitiæ et bonorum operum militiam transferuntur : ut jam, sicut Apostolus dicit, *non regnet peccatum in nostro mortali corpore* (*Rom.* VI, 12), et cætera hujus loci. Tunc pacatur anima, et ordinatur homo ad quietem et ad beatitudinem capessendam. *Periit memoria eorum cum strepitu* : impiorum scilicet. Sed *cum strepitu*, sive quia fit strepitus, dictum est, cum impietas evertitur; non enim transit ad summam pacem, ubi summum silentium est, nisi qui magno strepitu prius cum suis vitiis belligeraverit : sive *cum strepitu* dictum est, ut pereat memoria impiorum etiam ipso strepitu pereunte, in quo tumultuatur impietas.

9. [*vers.* 8, 9.] *Et Dominus in æternum permanet.* Utquid ergo fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania, adversus Dominum et adversus Christum ejus (*Psal.* II, 1)? nam *Dominus in æternum permanet. Paravit in judicio sedem suam, et ipse judicabit orbem terrarum in æquitate.* Paravit, cum judicatus est, sedem suam : per illam enim patientiam homo cœlum acquisivit, et Deus in homine [1] credentibus profuit; et hoc est occultum Filii judicium. Sed quia etiam palam manifesteque venturus est ad vivos et mortuos judicandos, paravit in occulto judicio sedem suam; *et ipse* item palam *judicabit orbem terrarum in æquitate*, id est, meritis digna distribuet, agnos ad dexteram ponens, hædos ad sinistram (*Matth.* XXV, 33). *Judicabit populos cum justitia.* Hoc est quod superius dictum est, *Judicabit orbem terrarum in æquitate* : non quemadmodum judicant homines, qui corda non vident, a quibus plerumque deteriores absolvuntur quam condemnantur; sed in æquitate et cum justitia Dominus judicabit, testimonium perhibente conscientia, et cogitationibus accusantibus seu defendentibus (*Rom.* II, 15).

10. [*vers.* 10.] *Et factus est Dominus refugium pauperi* (*a*). Quantumlibet persequatur inimicus ille, qui conversus est retro, quid nocebit eis quorum refugium factus est Dominus? Sed hoc fiet, si in sæculo hoc, cujus ille magistratus est, pauperes esse delegerint, nihil amando quod vel hic viventem aut amantem deserit, vel a moriente deseritur; tali enim pauperi refugium factus est Dominus, *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Sic pauperes facit, quoniam flagellat omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 6). Nam quid sit *adjutor in opportunitatibus*, exposuit cum addidit, *in tribulatione* : non enim convertitur anima ad Deum, nisi dum ab hoc sæculo avertitur; nec opportunius ab hoc sæculo avertitur, nisi nugatoriis ejus et noxiis et perniciosis voluptatibus labores doloresque misceantur.

11. [*vers.* 11.] *Et sperent in te* [1] *qui cognoscunt nomen tuum* : cum destiterint sperare in divitiis et in aliis hujus sæculi blandimentis. Quærentem quippe animam ubi figat spem, cum ab hoc mundo avellitur, opportune excipit cognitio nominis Dei [2] : nam nomen ipsum Dei nunc usquequaque vulgatum est; sed cognitio nominis est, cum ille cognoscitur cujus est nomen : non enim nomen propter se nomen est, sed propter id quod significat. Dictum est autem, *Dominus nomen est illi* (*Jerem.* XXXIII, 2). Quapropter qui se libenter Deo famulum subdit, cognovit hoc nomen. *Et sperent in te qui cognoscunt nomen tuum.* Item Dominus dicit ad Moysen : *Ego sum qui sum; et dices filiis Israel : Misit me qui est* (*Exod.* III, 14). *Sperent* ergo *in te qui cognoscunt nomen tuum* : ne sperent in his rebus quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes nisi, erit, et fuit; quoniam quod in illis futurum est, cum venerit, fit statim præteritum; exspectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore. In Dei autem natura non erit aliquid, quasi nondum sit; aut fuit, quasi jam non sit : sed est tantum id quod est, et ipsa est æternitas. Desinant igitur sperare et diligere temporalia, et se ad æternam spem conferant, qui cognoscunt nomen ejus qui dixit : *Ego sum qui sum*, et de quo dictum est : *Misit me qui est. Quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.* Qui eum quærunt, jam transeuntia et moritura non quærunt : nemo enim potest duobus dominis servire (*Matth.* VI, 24).

12. [*vers.* 12.] *Psallite Domino, qui habitat in Sion* : his dicitur, quos non derelinquit quærentes se Dominus. Ipse habitat in Sion, quod interpretatur Speculatio, et gestat imaginem Ecclesiæ quæ nunc est : sicut Jerusalem gestat imaginem Ecclesiæ quæ futura est, id est civitatis sanctorum jam angelica vita fruentium; quia Jerusalem interpretatur Visio pacis. Præcedit autem speculatio visionem, sicut ista Ecclesia præcedit eam quæ promittitur, civitatem immortalem et æternam. Sed præcedit tempore, non dignitate : quia honorabilius est quo pervenire nitimur, quam id quod agimus, ut pervenire mereamur; agimus autem speculationem, ut perveniamus ad visionem. Sed etiam ipsam, quæ nunc est, Ecclesiam nisi Dominus inhabitaret, iret in errorem quamlibet studiosissima speculatio : et huic Ecclesiæ dictum est, *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I *Cor.* III, 17); et, *In interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (*Ephes.* III, 16). Præcipitur ergo nobis ut psallamus Domino, qui habitat in Sion, ut concorditer Dominum Ecclesiæ inhabitatorem laudemus. *Annuntiate inter gentes mirabilia ejus* : et factum est, et non desinet fieri.

13. [*vers.* 13.] *Quoniam requirens sanguinem eorum memoratus est.* Quasi responderetur ab his qui missi sunt evangelizare, illi præcepto [3] quod dictum est,

[1] Sic Mss. Editi vero, *et Deus hominibus.*
(*a*) Idem vers. 10 exponitur in Enar. Psal. LXXXIII, n. 3.

[1] Editi : *Et sperent in te omnes.* Abest, *omnes* a Mss.
[2] Ita in plerisque Mss. At in editis : *Quærente quippe anima* : pauloque post, *excipit cognitionem nominis Dei.*
[3] Editi, *illud præceptum.* Mss., *illi præcepto.*

Annuntiate inter gentes mirabilia ejus; et diceretur, *Domine, quis credidit auditui nostro* (*Isai.* LIII, 1)? et, *Propter te occidimur tota die* (*Psal.* XLIII, 22), convenienter sequitur, dicens, non sine magno fructu æternitatis morituros in persecutione Christianos : *Quoniam requirens sanguinem eorum memoratus est.* Sed cur *sanguinem eorum* maluit dicere? An quasi alius imperitior et minoris fidei quæreret dicens, Quomodo annuntiabunt, cum in eos infidelitas gentium sævitura sit; huic responderetur, *Quoniam requirens sanguinem eorum memoratus est*; id est, veniet ultimum judicium, ubi et interfectorum gloria, et interficientium pœna manifesta sit? *Memoratus est* autem, nemo ita positum putet, quasi oblivio cadat in Deum; sed quia post longum tempus futurum est judicium, secundum affectum infirmorum hominum positum est, qui quasi oblitum Deum putant, quia non tam cito facit quam ipsi volunt. His dicitur etiam quod sequitur, *Non est oblitus clamorem pauperum;* id est, non ut putatis oblitus est : quasi dicerent postea quam audierunt, *Memoratus est*, Ergo oblitus erat; *Non est oblitus*, inquit, *clamorem pauperum.*

14. [*vers.* 14, 15.] Sed quæro quis clamor pauperum sit quem Deus non obliviscitur. An iste clamor est, cujus hæc verba sunt : *Miserere mei, Domine, vide humilitatem meam ab inimicis meis?* Quare ergo non dixit, Miserere nostri, Domine, vide humilitatem nostram ab inimicis nostris, tanquam multi pauperes clament; sed tanquam unus, *Miserere mei, Domine?* An quia unus interpellat pro sanctis, qui primus pauper pro nobis factus est, cum esset dives (II *Cor.* VIII, 9), et ipse dicit : *Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem universas laudes tuas in portis filiæ Sion?* Exaltatur enim homo in illo non solum quem gestat, quod caput Ecclesiæ est, sed etiam quisquis nostrum est in cæteris membris; et exaltatur ab omnibus pravis cupiditatibus, quæ sunt portæ mortis, quia per illas itur in mortem. Mors autem est jam ipsa lætitia in perfruendo, cum quisque adipiscitur quod perdite concupivit : radix est enim omnium malorum cupiditas (I *Tim.* VI, 10); et propterea porta mortis est, quia mortua est vidua quæ in deliciis vivit (*Id.* V, 6) : ad quas delicias per cupiditates tanquam per portas mortis pervenitur. Sunt autem portæ filiæ Sion, omnia optima studia, per quæ venitur ad visionem pacis in sancta Ecclesia. In his igitur portis bene annuntiantur universæ laudes Dei, ut non detur sanctum canibus, neque projiciantur margaritæ ante porcos (*Matth.* VII, 6); qui malunt pertinaciter latrare, quam studiose quærere, aut qui nec latrare nec quærere, sed in suarum voluptatum cœno volutari. Cum autem in bonis studiis laudes Dei annuntiantur, petentibus datur, et quærentibus manifestatur, et pulsantibus aperitur. An forte portæ mortis sunt corporales sensus et oculi, qui aperti sunt homini cum de ligno vetito gustasset (*Genes.* III, 7), a quibus exaltantur, quibus dicitur ut quærant non quæ videntur, sed quæ non videntur; quia quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt (II *Cor.* IV, 18) : et portæ sunt filiæ Sion, sacramenta et initia fidei, quæ pulsantibus aperiuntur, ut perveniatur ad occulta Filii? Non enim oculus vidit, aut auris audivit, aut in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (I *Cor.* II, 9). Huc usque est clamor pauperum, quem non oblitus est Dominus.

15. [*vers.* 16.] Deinde sequitur, *Exsultabo super salutare tuum :* id est, cum beatitudine continebor a salutari tuo, quod est Dominus noster Jesus Christus, Virtus et Sapientia Dei (*Id.* I, 24). Ergo Ecclesia dicit quæ hic affligitur, et spe salva est : quamdiu occultum est Filii judicium, ipsa spe dicit, *Exsultabo super salutare tuum;* quia nunc circumstrepente seu vi, seu errore Gentilium atteritur. *Infixæ sunt gentes in corruptione, quam fecerunt :* animadverte quemadmodum servetur pœna peccatori de operibus suis; et quemadmodum qui voluerunt persequi Ecclesiam, in ea corruptione sint fixi, quam se inferre arbitrabantur : nam interficere corpora cupiebant, cum ipsi in anima morerentur. *In muscipula ista, quam occultaverunt, comprehensus est pes eorum.* Muscipula occulta, est dolosa cogitatio. Pes animæ recte intelligitur amor : qui cum pravus est, vocatur cupiditas aut libido; cum autem rectus, dilectio vel charitas. Amore enim movetur tanquam ad locum quo tendit. Locus autem animæ non in spatio aliquo est, quod forma occupat corporis, sed in delectatione, quo se pervenisse per amorem lætatur : delectatio autem perniciosa sequitur cupiditatem, fructuosa charitatem. Unde et radix dicta est cupiditas. (I *Tim.* VI, 10). Radix porro tanquam pes arboris intelligitur. Radix dicta est et charitas, ubi de seminibus Dominus loquitur, quæ in petrosis locis exurente sole [1] arescunt, quia non habent altam radicem (*Matth.* XIII, 5). Unde significat eos qui gaudent excipiendo verbum veritatis, sed cedunt persecutionibus, quibus sola charitate resistitur. Et Apostolus dicit : *Ut in charitate radicati et fundati possitis comprehendere* (*Ephes.* III, 17). Pes ergo peccatorum, id est amor, comprehenditur in muscipula quam occultant; quia cum fraudulentam actionem consecuta fuerit delectatio, cum eos tradiderit Deus in concupiscentiam cordis eorum (*Rom.* I, 24), jam illa delectatio alligat eos, ut inde abrumpere amorem et ad utilia conferre non audeant; quia cum conati fuerint, dolebunt animo, tanquam pedem de compede exuere cupientes; cui dolori succumbentes, a perniciosis delectationibus nolunt abscedere. *In muscipula* ergo *quam occultaverunt*, id est in fraudulento consilio, *comprehensus est pes eorum*, amor scilicet qui per fraudem pervenit ad vanam lætitiam, qua comparatur dolor.

16. [*vers.* 17.] *Cognoscitur* [2] *Dominus judicia fa-*

[1] Editi, *exeunt, et sole vemente arescunt.* Mss. omittunt *veni nte :* sed ex iis aliqui habent, *exeunt et a sole;* alii, *exeunte sole;* alii, *exurente sole.*
[2] Editi, *cognoscetur*. At Mss., *cognoscitur :* juxta LXX, *ginôsketai.*

ciens. Hæc sunt judicia Dei : non ab illa tranquillitate beatitudinis suæ, nec a secretis sapientiæ, quibus recipiuntur beatæ animæ, profertur ferrum, aut ignis, aut bestia, aut aliquid tale quo crucientur peccatores. Sed quomodo crucientur, et quomodo facit Dominus judicium? *In operibus*, inquit, *manuum suarum comprehensus est peccator.*

17. [*vers.* 18-21.] Hic interponitur, *Canticum diapsalmatis* (a) : quasi occulta lætitia, quantum existimare possumus, separationis quæ nunc fit, non locis, sed affectionibus animorum, inter peccatores et justos, sicut granorum a paleis adhuc in area. Et sequitur, *Convertantur peccatores in infernum*; id est, dentur in manus suas, cum eis parcitur, et illaqueentur delectatione mortifera. *Omnes gentes quæ obliviscuntur Deum* : quia cum non probaverunt Deum habere in notitia, dedit illos Deus in reprobum sensum (*Rom.* I, 28).

18. *Quia non in finem oblivio erit pauperis* [1] : qui videtur nunc in oblivione esse, cum peccatores felicitate hujus sæculi florere existimantur, et justi laborare; sed *patientia*, inquit, *pauperum non periet* [2] *in æternum.* Quapropter nunc patientia opus est ad perferendos malos, qui jam voluntatibus separati sunt, donec etiam ultimo judicio separentur.

19. *Exsurge, Domine, non prævaleat homo.* Imploratur futurum judicium : sed antequam veniat, *Judicentur*, inquit, *gentes in conspectu tuo* : hoc est in occulto, quod dicitur coram Deo, paucis sanctis et justis intelligentibus. *Constitue, Domine, legislatorem super eos.* Videtur mihi Antichristum significare, de quo Apostolus dicit : *Cum revelabitur homo peccati* (II *Thes.* II, 3). *Sciant gentes* [3] *quoniam homines sunt* : ut qui nolunt liberari a Filio Dei, et pertinere ad filium hominis, et esse filii hominum, id est novi homines, serviant homini, id est veteri homini peccatori, *quoniam homines sunt.*

IN PSALMUM ALTERUM IX.

20. [*vers.* 1-3.] Et quia ille ad tantum culmen inanis gloriæ venturus creditur, tanta ei licebit facere, et in omnes homines, et in sanctos Dei, ut tunc vere nonnulli infirmi arbitrentur Deum res humanas negligere; interposito diapsalmate, subjicit tanquam vocem gementium ; et quærentium cur judicium differatur : *Utquid, Domine*, inquit, *recessisti longe?* Deinde qui sic quæsivit, tanquam repente intellexerit, aut quasi sciens interrogaverit ut doceret, subjicit dicens, *Despicis in opportunitatibus, in tribulationibus*; id est, opportune despicis, et facis tribulationes ad inflammandos animos desiderio adventus tui : his enim jucundior est fons ille vitæ, qui multum sitierint; itaque insinuat consilium dilationis, dicens : *dum superbit impius, incenditur pauper.* Mirum est et verum, quanto studio bonæ spei parvuli accendantur ad recte vivendum, comparatione peccantium. Quo mysterio agitur, ut etiam hæreses esse permittantur : non quia ipsi hæretici hoc volunt; sed quia hoc de peccatis eorum divina operatur Providentia, quæ lucem et facit et ordinat, tenebras autem tantum ordinat (*Gen.* I, 3, 4), ut sit earum comparatione lux gratior, sicut hæreticorum comparatione jucundior est inventio veritatis : ea quippe comparatione probati manifesti fiunt inter homines qui Deo noti sunt.

21. *Comprehenduntur in cogitationibus suis, quibus cogitant* : id est, malæ cogitationes eorum vincula illis fiunt. Sed quare fiunt vincula? *Quoniam laudatur peccator*, inquit, *in desideriis animæ suæ.* Adulantium linguæ alligant animas in peccatis : delectat enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur. *Et qui iniqua gerit, benedicitur* : hinc comprehenduntur in cogitationibus suis, quibus cogitant.

22. [*vers.* 4.] *Irritavit Dominum peccator.* Nemo gratuletur homini qui prosperatur in via sua, cujus peccatis deest ultor, et adest laudator : major hæc ira Domini est. Irritavit enim Dominum peccator, ut ista patiatur, id est, ut correptionis flagella non patiatur. *Irritavit Dominum peccator : secundum multitudinem iræ suæ non exquiret.* Multum irascitur, dum non exquirit, dum quasi obliviscitur et non attendit peccata, et per fraudes et scelera ad divitias honòresque pervenitur : quod maxime in illo Antichristo eventurum est, qui usque adeo beatus videbitur hominibus, ut etiam Deus putetur. Sed quanta ista ira sit Dei, docent sequentia.

23. [*vers.* 5.] *Non est Deus in conspectu ejus, contaminantur viæ ejus in omni tempore.* Qui novit vel quid gaudeat, vel quid lætetur in anima, novit quantum malum sit luce deseri veritatis [1]; cum magnum malum homines putent oculorum corporalium cæcitatem, qua lux ista retrahitur. Quantam ergo pœnam patitur qui secundis rebus peccatorum suorum eo perducitur, ut non sit Deus in conspectu ejus, et contaminentur viæ ejus in omni tempore, id est, cogitationes et consilia ejus immunda sint! *Auferuntur judicia tua a facie ejus.* Animus enim male sibi conscius, dum sibi videtur nullam pœnam pati, credit quod non judicet Deus, et sic auferuntur judicia Dei a facie ejus, cum hæc ipsa sit magna damnatio. *Et omnium inimicorum suorum dominabitur.* Ita enim traditur, quod reges omnes superaturus sit, et solus regnum obtenturus; quando etiam secundum Apostolum, qui de illo prædicat, *In templo Dei sedebit, extollens se super omne quod colitur et quod dicitur Deus* (II *Thess.* II, 4).

24. [*vers.* 6.] Et quoniam traditus in concupiscentiam cordis sui et damnationi ultimæ destinatus, per nefarias artes ad illud vanum et inane culmen dominationemque venturus est, propterea sequitur, *Dixit enim*

[1] Plerique Mss., *in finem in oblivione erit pauper.*

[2] Quinque Mss., *peribit.* Alii cum editis, *periet* : vitiose, sed corrigi forte prohibebat consuetudo cantantium populorum, uti de verbo *floriet* dicit Augustinus in lib. 2 de Doctr. Christiana, c. 13.

[3] In editis, *ut sciant.* Abest particula *ut* a Mss. et a Græco LXX.

(a) Græc. LXX, *ôdè diapsalmatos.*

[1] Duo Mss., *lucem deserere veritatis.* Alii tres, *lucem deseri.*

in corde suo : Non movebor de generatione in generationem sine malo; id est, fama mea et nomen meum de hac generatione in generationem posterorum non transiet, nisi artibus malis adipiscar tam excelsum principatum, de quo posteri tacere non possint. Animus enim perditus et expers bonarum artium atque a justitiæ lumine alienus, malis artibus sibi aditum molitur ad famam tam diuturnam, ut apud posteros etiam celebretur. Et qui non possunt bene innotescere, cupiunt vel male de se homines loqui, dummodo nomen latissime pervagetur. Quod hic arbitror dictum esse : *Non movebor de generatione in generationem sine malo.* Est et alius intellectus. Si de generatione mortali ad æternitatis generationem se venire non posse vanus et erroris plenus animus arbitratur, nisi artibus malis ; quod quidem etiam de Simone diffamatum est (*Act.* VIII, 9-23), cum sceleratis artibus cœlum se putasset adepturum, et de humana generatione in divinam generationem rebus magicis transiturum : quid ergo mirum, si etiam ille homo peccati, qui totam nequitiam et impietatem, quam omnes pseudoprophetæ inchoaverunt, impleturus est, et tanta signa facturus, ut decipiat, si fieri potest, etiam electos, dicturus est in corde suo : *Non movebor de generatione in generationem sine malo ?*

25. [*vers.* 7.] *Cujus maledictione os ejus*[1] *plenum est, et amaritudine et dolo.* Magnum enim maledictum est, tam nefandis artibus cœlum appetere, et ad capiendam æternam sedem talia merita comparare. Sed hac ejus maledictione os plenum est : non enim habebit effectum ista cupiditas, sed intra os ejus tantum valebit ad eum perdendum, qui hæc sibi ausus est polliceri cum amaritudine et dolo, id est, ira et insidiis quibus in suas partes conversurus est multitudinem. *Sub lingua ejus labor et dolor.* Nihil est laboriosius iniquitate et impietate : quem laborem sequitur dolor; quia non solum sine fructu, sed etiam ad perniciem laboratur. Qui labor et dolor ad illud refertur quod dixit in corde suo, *Non movebor de generatione in generationem sine malo :* et propterea, *sub lingua ejus ;* non, in lingua ; quoniam tacite ista cogitaturus est, hominibus autem alia locuturus, ut bonus et justus et Dei filius videatur.

26. [*vers.* 8.] *Sedet in insidiis cum divitibus.* Quibus divitibus, nisi eis quos hujus sæculi muneribus cumulabit? Et ideo in insidiis cum his sedere dictus est, quoniam falsam felicitatem ipsorum ad decipiendos homines ostentabit. Qui prava voluntate dum tales esse cupiunt, et bona æterna non quærunt, in laqueos ejus incident. *In occultis ut interficiat innocentem. In occultis* puto dictum esse, ubi non facile intelligitur quid appetendum, quidve fugiendum sit : innocentem autem interficere, est ex innocente facere nocentem.

27. [*vers.* 9.] *Oculi ejus in pauperem respiciunt.* Justos enim maxime persecuturus est de quibus dictum est : *Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3). *Insidiatur in occulto, velut leo in cubili suo.* Leonem in cubili dicit eum in quo et vis et dolus operabitur. Prima enim persecutio Ecclesiæ violenta fuit, cum proscriptionibus, tormentis, cædibus, Christiani ad sacrificandum cogerentur : altera persecutio fraudulenta est, quæ nunc per cujuscemodi[1] hæreticos et falsos fratres agitur : tertia superest per Antichristum ventura, qua nihil est periculosius, quoniam et violenta et fraudulenta erit. Vim habebit in imperio, dolum in miraculis : ad vim relatum est, quod dictum est, *leo;* ad dolos, quod dictum est, *in cubili suo.* Et rursum ipsa repetita sunt converso ordine. *Insidiatur,* inquit, *ut rapiat pauperem :* hoc ad dolum pertinet : quod autem sequitur, *Rapere pauperem dum attrahit eum,* violentiæ deputatur; *attrahit* enim significat, quibus potest cruciatibus affligendo ad se adducit.

28. [*vers.* 10.] Item duo quæ sequuntur, ipsa sunt. *In muscipula sua humiliabit eum,* dolus est. *Inclinabitur, et cadet, dum dominabitur pauperum,* vis est : muscipula enim bene significat insidias ; dominatio vero terrorem apertissime insinuat. Et bene ait, *Humiliabit eum in muscipula sua :* cum enim signa illa facere cœperit, quanto mirabiliora videbuntur hominibus, tanto illi sancti, qui tunc erunt, contemnentur, et quasi pro nihilo habebuntur; quos ille cui per justitiam et innocentiam resistent, mirificis factis superare videbitur. Sed *inclinabitur, et cadet, dum dominabitur pauperum,* id est, dum quælibet supplicia irrogabit resistentibus sibi servis Dei.

29. [*vers.* 11, 12.] Unde autem inclinabitur, et cadet ? *Dixit enim in corde suo : Oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat usque in finem.* Hæc est inclinatio et casus miserrimus, dum animus humanus in suis iniquitatibus quasi prosperatur, et parci sibi putat; cum excæcetur, et servetur ad ultimam opportunamque vindictam, de qua nunc jam loquitur, *Exsurge, Domine Deus, exaltetur manus tua ;* id est, manifesta sit potentia tua. Superius autem dixerat, *Exsurge, Domine, non prævaleat homo, judicentur gentes in conspectu tuo ;* id est in occulto, ubi solus Deus videt. Hoc factum est, cum impii ad magnam quæ videtur hominibus felicitatem pervenerunt ; super quos constituitur legislator, qualem habere meruerunt, de quo dicitur : *Constitue, Domine, legislatorem super eos, sciant gentes quoniam homines sunt.* Nunc autem post illam occultam pœnam atque vindictam dicitur, *Exsurge, Domine Deus, exaltetur manus tua :* non utique in occulto, sed jam in manifestissima gloria. *Ne obliviscaris pauperum in finem;* id est, sicut impii putant, qui dicunt : *Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat usque in finem.* Usque in finem autem negant Deum videre, qui dicunt eum res humanas et terrenas non curare ; quoniam terra quasi finis est rerum, quia ultimum elementum est in quo homines ordinatissime laborant, sed laborum suorum ordinem videre non possunt, qui maxime pertinet ad

[1] Sic aliquot probæ notæ Mss., juxta LXX. [o; plenum est.]

[1] Editi, *hujuscemodi.* Sed melius aliquot Mss., *cujuscemodi :* qua voce utitur passim Augustinus, pro *qualiscumque.*

occulta Filii. Laborans ergo Ecclesia illis temporibus, tanquam navis in magnis fluctibus et procellis, quasi dormientem excitat Dominum, ut imperet ventis, et tranquillitas redeat : dicit ergo, *Exsurge, Domine Deus, exaltetur manus tua, ne obliviscaris pauperum in finem.*

30. [*vers.* 13, 14.] Jam itaque manifestum judicium intelligentes, et exsultantes dicunt, *Propter quid irritavit impius Deum?* id est, quid profuit tanta mala facere? *Dixit enim in corde suo : Non requiret.* Deinde sequitur : *Vides quoniam tu laborem et iram* [1] *consideras, ut tradas eos in manus tuas.* Sensus iste pronuntiationem quærit, in qua si erratum fuerit, obscuratur. Sic enim dixit in corde suo impius : Non requiret Deus, quasi Deus laborem et iram consideret, ut tradat eos in manus suas; id est, quasi laborare et irasci timeat, et propterea illis parcat, ne onerosa illi sit pœna eorum, aut ne iracundiæ [2] tempestate turbetur, quomodo plerumque homines faciunt, dissimulantes vindictam, ne laborent, aut irascantur [3].

31. *Tibi derelictus est pauper.* Ideo enim pauper est, id est, omnia hujus mundi temporalia bona contempsit, ut tu sis tantum spes ejus. *Pupillo tu eris adjutor;* id est, ei cui moritur pater hic mundus, per quem carnaliter genitus est, et jam potest dicere : *Mundus mihi crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14). Talibus enim pupillis pater fit Deus. Docet quippe Dominus pupillos fieri discipulos suos, quibus dicit : *Ne vobis dicatis patrem in terris* (*Matth.* XXIII, 9). Cujus rei exemplum præbuit prior ipse dicendo : *Quæ mihi mater, aut qui fratres* (*Id.* XII, 48)? Unde volunt quidam perniciosissimi hæretici (*a*) asserere, non eum habuisse matrem : nec vident esse consequens si hæc verba attendant, ut nec discipuli ejus patres habuerint; quia sicut ipse dixit, *Quæ mihi mater est*, sic illos docuit, cum ait : *Nolite vobis dicere patrem in terris.*

32. [*vers.* 15, 16.] *Contere brachium peccatoris et maligni;* illius scilicet de quo supra dicebatur : *Omnium inimicorum suorum dominabitur.* Brachium ergo ejus, dixit potentiam ejus : cui contraria est Christi potentia, de qua dicitur : *Exsurge, Domine Deus, exaltetur manus tua. Requiretur delictum ejus, nec invenietur.* Propter illud, id est [4], judicabitur de peccato suo, et ipse periet propter peccatum suum. Deinde quid mirum si sequitur, *Dominus regnabit in æternum et in sæculum sæculi, peribitis gentes de terra illius?* Gentes posuit, peccatores et impios.

33. [*vers.* 17.] *Desiderium pauperum exaudivit Dominus :* desiderium illud quo æstuabant, cum in angustiis et tribulationibus hujus sæculi Domini diem concupiscerent. *Præparationem cordis eorum exaudivit auris tua :* hæc est cordis præparatio, de qua in alio psalmo canitur, *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (*Psal.* LVI, 8); de qua dicit Apostolus : *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 25). Jam vero aurem Dei, non membrum corporeum, sed potentiam esse qua exaudit, regulariter debemus accipere; atque ita quibusque nominatis membris ejus, quæ in nobis visibilia et corporea sunt, potentias operationum oportet intelligi, ne sæpe ista repetantur : non enim corporeum fas est putare, quod Dominus Deus non sonantem vocem, sed præparationem cordis exaudit.

34. [*vers.* 18.] *Judicare pupillo et humili :* id est, non ei qui conformatur huic sæculo, neque superbo. Aliud est enim judicare pupillum, aliud judicare pupillo : judicat pupillum etiam qui condemnat; judicat autem pupillo qui pro illo profert sententiam. *Ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.* Homines enim sunt, de quibus dictum est : *Pone, Domine, legislatorem super eos, sciant gentes quoniam homines sunt.* Sed etiam ille qui eodem loco intelligitur poni super eos, homo erit, de quo nunc dicitur, *Ut non apponat ultra magnificare se homo super terram :* cum venerit scilicet Filius hominis judicare pupillo, qui se exuit veterem hominem, atque hoc modo tanquam extulit Patrem.

35. Post occulta ergo Filii, de quibus in hoc psalmo multa dicta sunt, erunt manifesta Filii, de quibus pauca in fine ejusdem psalmi nunc dicta sunt : ex his autem titulus factus est, quæ majorem hic partem tenent. Potest et ipse dies adventus Domini recte numerari inter occulta Filii, quamvis ipsa Domini præsentia manifesta futura sit; de illo enim die dictum est quod nemo eum sciret, neque Angeli, nec Virtutes, neque Filius hominis (*Matth.* XXIV, 36) : quid ergo tam occultum, quam id quod etiam ipsi judici occultum esse dictum est, non ad cognoscendum, sed ad prodendum? De occultis autem Filii, etiam si quisquam non Dei Filium subaudire voluerit, sed ipsius David, cujus nomini totum Psalterium tribuitur, nam Davidici utique Psalmi appellantur, voces illas audiat quibus Domino dicitur, *Miserere nostri, fili David* (*Id.* XX, 30); atque ita etiam hoc modo eumdem Dominum Christum intelligat, de cujus occultis ipse psalmus inscriptus est. Sic enim etiam ab angelo dicitur : *Dabit illi Deus sedem David patris sui* (*Luc.* I, 32). Nec illa sententia huic intellectui contraria est, qua idem Dominus quærit a Judæis, *Si filius David Christus est, quomodo in spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis* (*Matth.* XXII, 44). Dictum est enim imperitis, qui quamvis venturum Christum sperarent, secundum hominem tamen eum exspectarent, non secundum quod Virtus et Sapientia Dei est. Docet ergo ibi fidem verissimam et sincerissimam, ut et Dominus sit regis David, secundum quod est Verbum in principio, Deus apud Deum, per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 1); et filius, secundum quod factus est ei ex semine David secundum carnem (*Rom.* I, 3).

[1] Lov. addit, *et dolorem*; quod a libris aliis et a græco abest.
[2] Editi, *ne iracundia et tempestate* : dissentientibus Mss.
[3] Sic probæ notæ Mss. Editi vero, *qui dissimulata vindicta elaborant ne irascantur.*
[4] Editi : *Propter illud idem.* Mss. aliquot : *Propter illud, id est.*
(*a*) Manichæi.

Non enim dicit, Non est filius David Christus; sed, Si jam tenetis quod filius sit ejus, discite quomodo sit Dominus ejus; nec teneatis in Christo quod filius hominis est, ita enim filius David est; et relinquatis quod Filius Dei est, ita enim Dominus ejus est.

IN PSALMUM X
ENARRATIO.

In finem, Psalmus ipsi David.

1. [*vers.* 1, 2.] Nova tractatione titulus iste non indiget; jam enim satis tractatum est quid sit, *in finem*. Ipsum ergo Psalmi textum videamus, qui mihi videtur adversus hæreticos (*a*) canendus, qui commemorando et exaggerando multorum in Ecclesia peccata, quasi apud ipsos justi aut omnes aut plures sint, ab unius Ecclesiæ veræ matris uberibus nos avertere atque abripere moliuntur, affirmantes quod apud ipsos sit Christus, et quasi pie studioseque admonentes, ut ad eos transeundo transmigremus ad Christum, quem se habere mentiuntur. Notum est autem Christum in prophetia, cum multis nominibus allegorice insinuaretur, etiam montem appellatum. Respondendum est itaque istis, et dicendum : *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montes sicut passer?* unum montem teneo in quo confido, quomodo dicitis ut ad vos transeam, tanquam multi sint Christi? Aut si vos montes esse dicitis per superbiam, oportet quidem esse passerem pennatum virtutibus et præceptis Dei; sed ea ipsa prohibent volare in istos montes, et in superbis hominibus spem collocare. Habeo domum ubi requiescam, quia in Domino confido : nam et passer invenit sibi domum (*Psal.* LXXXIII, 4), et factus est Dominus refugium pauperi (*Psal.* IX, 10). Dicamus ergo tota fiducia, ne dum Christum apud hæreticos quærimus, amittamus : *In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ : Transmigra in montes sicut passer?*

2. [*vers.* 3.] *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscura luna rectos corde.* Terrores isti sunt comminantium nobis de peccatoribus, ut ad se tanquam ad justos transeamus. *Ecce*, inquiunt, *peccatores intenderunt arcum* : credo, Scripturas, quas illi carnaliter interpretando, venenatas inde sententias emittunt. *Paraverunt sagittas suas in pharetra* : eadem verba scilicet, quæ Scripturarum auctoritate jaculaturi sunt, in cordis occulto paraverunt. *Ut sagittent in obscura luna rectos corde* : ut cum senserint, Ecclesiæ lumine propter multitudinem imperitorum et carnalium obscurato, non se posse convinci, corrumpant bonos mores colloquiis malis (I *Cor.* XV, 33). Sed contra omnes istos terrores dicendum est : *In Domino confido.*

3. Luna vero quam congruenter significet Ecclesiam, memini me promisisse in hoc psalmo consideraturum (*b*). Duæ sunt de luna opiniones probabiles : harum autem quæ vera sit, aut non omnino, aut difficillime arbitror posse hominem scire. Cum enim quæritur unde lumen habeat, alii dicunt suum habere, sed globum ejus dimidium lucere, dimidium autem obscurum esse; dum autem movetur in circulo suo, eamdem partem qua lucet, paulatim ad terras converti, ut videri a nobis possit, et ideo prius quasi corniculatam apparere. Nam et si facias pilam ex dimidia parte candidam, et ex dimidia obscuram; si eam partem quæ obscura est ante oculos habeas, nihil candoris vides, et cum cœperis illam candidam partem ad oculos convertere, si paulatim facias, primo cornua candoris videbis, deinde paulatim crescit, donec tota pars candens opponatur oculis, et nihil obscuræ alterius partis videatur : quod si perseveres adhuc paulatim convertere, incipit obscuritas apparere, et candor minui, donec iterum ad cornua redeat, et postremo totus ab oculis avertatur, ac rursus obscura illa pars sola possit videri : quod fieri dicunt, cum lumen lunæ videtur crescere usque ad quintamdecimam lunam, et rursus usque ad tricesimam minui, et redire ad cornua, donec penitus nihil in ea lucis appareat. Secundum hanc opinionem luna in allegoria significat Ecclesiam, quod ex parte spirituali lucet Ecclesia, ex parte autem carnali obscura est : et aliquando spiritualis pars in bonis operibus apparet hominibus; aliquando autem in conscientia latet, ac Deo tantummodo nota est, cum solo corpore apparet hominibus; sicut contingit, cum oramus in corde, et quasi nihil agere videmur, dum non ad terram, sed sursum corda habere jubemur ad Dominum. Alii autem dicunt non habere lunam lumen proprium, sed a sole illustrari; sed quando cum illo est, eam partem ad nos habere qua non illustratur, et ideo nihil in ea lucis videri; cum autem incipit ab illo recedere, illustrari ab ea etiam parte quam habet ad terram, et necessario incipere a cornibus, donec fiat quintadecima contra solem; tunc enim sole occidente oritur, ut quisquis occidentem solem observaverit, cum eum cœperit non videre, conversus ad Orientem, lunam surgere videat; atque inde ex alia parte cum ei cœperit propinquare, illam partem ad nos convertere, qua non illustratur, donec ad cornua redeat atque inde omnino non appareat; quia tunc pars illa quæ illustratur, sursum est ad cœlum, ad terram autem illa quam radiare sol non potest. Ergo et secundum hanc opinionem, luna intelligitur Ecclesia, quod suum lumen non habeat, sed ab unigenito Dei Filio, qui multis locis in sanctis Scripturis allegorice sol appellatus est, illustratur. Quem nescientes et cernere non valentes hæretici (*a*) quidam, ad istum solem corporeum et visibilem, quod commune lumen est carnis hominum atque muscarum, sensus simplicium conantur avertere, et nonnullorum avertunt, qui quamdiu non possunt interiorem lucem veritatis mente contueri, simplici fide catho-

(*a*) Adversus Donatistas.
(*b*) Supra in Enar. Psalm. VIII, n. 9.

(*a*) Manichæi nimirum, qui in lib. I de Genesi contra Manich., c. 3, et in lib. II, c. 23, solem adorare, eique genuflectere in lib. de Moribus Manich., c. 8, n. 13, traduntur. Et orationes demum ad solem, quaquaversum circumit, per diem fundere narrantur in lib. de Hæresibus.

lita contenti esse nolunt, quæ una parvulis salus est, et quo uno lacte ad firmitatem solidioris cibi certo robore pervenitur. Quælibet ergo duarum istarum opinionum vera sit, congruenter accipitur allegorice luna, Ecclesia. Aut si in istis obscuritatibus, magis negotiosis quam fructuosis exercere animum aut non libet, aut non vacat, aut animus ipse non valet, satis est lunam popularibus oculis intueri, et non quærere obscuras causas, sed cum omnibus et incrementa ejus et complementa et detrimenta sentire. Quæ si propterea deficit ut renovetur, etiam ipsi imperitæ multitudini demonstrat Ecclesiæ figuram, in qua creditur resurrectio mortuorum.

4. Deinde quærendum est quid in hoc psalmo accipiatur *obscura luna*, in qua peccatores sagittare paraverunt rectos corde. Non enim uno modo dici obscura luna potest: nam et cum finitur menstruis cursibus, et cum ejus fulgor nubilo interpolatur, et cum plena deficit, dici potest obscura luna. Potest ergo et de persecutoribus martyrum intelligi, quod sagittare voluerint in obscura luna rectos corde: sive adhuc in Ecclesiæ novitate, quia nondum terris major effulserat, et gentilium superstitionum tenebras vicerat: sive linguis blasphemorum et christianum nomen male diffamantium, quasi nebulis cum terra obtegeretur, videri perspicua luna non poterat, id est Ecclesia: sive ipsorum martyrum cædibus et tanta effusione sanguinis, tanquam illo defectu et obscuratione qua cruentam faciem luna videtur ostendere, a nomine christiano deterrebantur infirmi; in quo terrore verba dolosa et sacrilega jaculabantur peccatores, ut etiam rectos corde perverterent. Potest et de his peccatoribus intelligi, quos Ecclesia continet, quod tunc inventa occasione hujus lunæ obscuræ, multa commiserint (*a*), quæ nobis opprobria nunc objiciuntur ab hæreticis, cum eorum auctores ea fecisse dicantur. Sed quoquo modo se habeat quod in obscura luna factum est, nunc catholico nomine toto orbe diffuso atque celebrato, quid mihi est incognitis perturbari? *In Domino* enim *confido;* nec audio dicentes animæ meæ: *Transmigra in montes sicut passer. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, ut sagittent in obscura luna rectos corde.* Aut si et illis nunc luna videtur obscura, quia incertum volunt efficere quæ sit catholica, et eam peccatis carnalium hominum, quos multos continet, conantur arguere; quid ad eum pertinet qui vere dicit: *In Domino confido?* Qua voce se quisque et frumentum esse ostendit, et usque ad ventilationis tempus paleas tolerabiliter sustinet.

5. *In Domino* ergo *confido.* Illi timeant qui confidunt in homine, et de parte hominis se esse negare non possunt, per cujus canos jurant (*a*): et cum in sermone ab eis quæritur, cujus communionis sint, nisi de parte illius se esse dicant, non possunt agnosci. Dic quid isti faciunt, cum illis commemorantur tam innumerabilia et quotidiana peccata et scelera eorum, quibus plena est illa societas? Numquid possunt dicere. *In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montes sicut passer?* Non enim confidunt in Domino, qui tunc esse dicunt sancta sacramenta, si per sanctos homines dentur. Itaque cum ab eis quæritur, qui sint sancti, erubescunt dicere, Nos sumus; quin etiam si illi non erubescant hoc dicere, hi qui audiunt pro ipsis erubescunt. Itaque isti cogunt eos qui accipiunt sacramenta, spem suam in homine ponere, cujus cor videre non possunt. Et maledictus omnis qui spem suam ponit in homine (*Jerem.* XVII, 5). Quid est enim dicere, Ego quod do sanctum est; nisi, Spem tuam in me pone? Quid si non es sanctus? Aut ostende cor tuum. Quod si non potes, ubi videbo quod sanctus es? An forte dices quod scriptum est, *Ex operibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 16)? Video plane mira opera, quotidianas violentias Circumcellionum sub episcopis et presbyteris ducibus circumquaque volitare, et terribiles fustes Israeles vocare [1], quæ homines qui nunc vivunt, quotidie vident et sentiunt. Macariana (*b*) vero tempora, de quibus invidiam faciunt, et plurimi non viderunt, et nemo nunc videt: et quisquis ea vidit catholicus, potuit dicere, si Dei servus esse vellet, *In Domino confido;* quod et nunc dicit, cum multa quæ non vult, in Ecclesia videt, qui se intra illa retia plena piscibus bonis et malis (*Id.* XIII, 47) natare adhuc sentit, donec ad finem maris veniatur, ubi mali segregentur a bonis. Isti autem quid respondent, si alicui illorum dicat ille quem baptizant: Quomodo me jubes præsumere? Nam si et dantis et accipientis est meritum, sit dantis Dei, et accipientis conscientiæ meæ: hæc enim duo non mihi incerta sunt, bonitas illius, et fides mea. Quid te interponis, de quo certum scire nihil possum? Sine me dicere, *In Domino confido.* Nam si in te confido, unde confido si nihil mali ista nocte fecisti? Postremo si vis ut credam tibi, numquid possum amplius quam de te credere? Unde ergo confido in eis quibus heri communicasti, et hodie communicas, et cras communicabis, utrum vel isto triduo nihil mali commiserint? Quod si nec te nec me polluit quod nescimus, quæ causa est ut rebaptizes eos qui tempora traditionis et Macarianæ invidiæ non noverunt? Quæ causa est ut christianos de Mesopotamia venientes, qui Cæciliani et Donati nec nomen audierunt, rebaptizare audeas, et neges esse christianos? Si autem illos polluunt aliena peccata quæ nesciunt,

(*a*) Tangit illud quod versante inter persecutionum procellas Ecclesia commissum est traditionis crimen: quod quidem Catholicis calumniose objectabant Donatistæ, quando potius majores ipsorum quidam Gestis municipalibus probabantur sacros codices et Ecclesiæ instrumenta persecutoribus tradidisse, uti scribit Augustinus in Epistola LXXVI, n. 2. Et in CV, n. 2, « Utique ostenderemus, *ait*, vobis, quia potius illi traditores fuerunt, qui Cæcilianum (*Carthaginensem episcopum*) et socios ejus quasi traditionis crimine damnaverunt. »

[1] Sic aliquot probæ notæ Mss. At edd., *fustes Israelis vocari.*

(*a*) Donatistæ per canos Donati jurant.

(*b*) Macariana tempora, quibus se a Catholicis diram persecutionem passos esse Donatistæ querebantur, pertinent ad annum circiter 348, quo Macarius et Paulus venerunt in Africam, eo a Constante missi, ut egenorum inopiam largitionibus levarent, utque schismaticos revocarent ad unitatem catholicam. De his Optatus in lib. III, Augustinus in epist. XLIV, n. 4, 5, etc.

tenet te reum quidquid per singulos dies in parte vestra te nesciente committitur, imperatorum constitutiones (*a*) frustra objicientem [1] Catholicis, cum in vestris castris privati fustes ignesque sic sæviant. Ecce quo lapsi sunt, qui cum viderent in Catholica peccatores, non potuerunt dicere, *In Domino confido*, et spem suam in homine posuerunt. Quod omnino dicerent, si non aut ipsi, aut et ipsi tales essent, quales illos putabant, a quibus sacrilega superbia separari se velle finxerunt.

6. [*vers.* 4.] Dicat ergo anima catholica: *In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montes sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscura luna rectos corde:* et sermonem ab ipsis convertat ad Dominum, et dicat, *Quoniam quæ perfecisti destruxerunt.* Et hoc dicat, non contra istos solos, sed contra omnes hæreticos. Omnes enim quantum in ipsis est, destruxerunt laudem, quam ex ore infantium et lactentium perfecit Deus (*Psal.* VIII, 3), dum quæstionibus vanis et scrupulosis exagitant parvulos, et eos nutriri fidei lacte non sinunt. Quasi ergo dictum sit huic animæ, Quare isti tibi dicunt, *Transmigra in montes sicut passer?* quare te de peccatoribus terrent, qui intenderunt arcum ad sagittandos in obscura luna rectos corde? Respondet: Ideo utique me terrent, *quoniam quæ perfecisti destruxerunt.* Ubi, nisi in conventiculis suis, ubi parvulos et interioris lucis ignaros, non lacte nutriunt, sed venenis necant? *Justus autem quid fecit?* Si vos Macarius, si vos Cæcilianus offendit; Christus quid fecit vobis, qui dixit, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27): quam vos nefanda dissensione violastis? Christus quid vobis fecit, qui traditorem suum tanta patientia pertulit, ut ei primam Eucharistiam confectam manibus suis et ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis traderet (*Luc.* XXII, 19, 21)? Quid vobis fecit Christus, qui eumdem traditorem suum, quem diabolum nominavit (*Joan.* VI, 71), qui ante traditionem Domini nec loculis dominicis fidem potuit exhibere (*Id.* XII, 6), cum cæteris discipulis ad prædicandum regnum cœlorum misit (*Matth.* X, 5); ut demonstraret dona Dei pervenire ad eos qui cum fide accipiunt, etiamsi talis sit per quem accipiunt, qualis Judas fuit?

7. [*vers.* 5.] *Dominus in templo sancto suo.* Ita vero, sicut Apostolus dicit, *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Quisquis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus* (I *Cor.* III, 17). Templum Dei violat, qui violat unitatem: non enim tenet caput (*Coloss.* II, 19), ex quo totum corpus connexum et compactum per omnem tactum (*b*) subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque partis incrementum corporis facit, in ædificationem sui in charitate (*Ephes.* IV, 16). In hoc templo sancto suo Dominus est; quod constat multis membris suis, sua quæque officia gerentibus, in unam ædificationem charitate [1] constructis; quod violat, quisquis causa principatus sui a catholica societate disjungitur. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes ejus.* Si cœlum acceperis justum, sicut terram accipis peccatorem, cui dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19); quod dictum est, *Dominus in templo sancto suo*, repetitum intelliges dum dictum est, *Dominus in cælo sedes ejus.*

8. *Oculi ejus in pauperem respiciunt.* Quippe cui derelictus est pauper, et qui factus est refugium pauperi (*Psal.* IX, 10). Et ideo seditiones omnes et tumultus intra ista retia, donec perducantur ad littus, de quibus nobis in perniciem suam et ad nostram correctionem insultant hæretici, per eos homines fiunt qui pauperes Christi esse nolunt. Sed numquid ab eis qui hoc esse volunt, avertunt oculos Dei? *Oculi* enim *ejus in pauperem respiciunt.* Numquid metuendum est ne in turba divitum paucos pauperes videre non possit, quos in Ecclesiæ catholicæ gremio custoditos enutriat? *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Hic *filios hominum*, illa regula libenter acceperim, de veteribus regeneratos per fidem. Hi quippe quibusdam Scripturarum locis obscuris, tanquam clausis oculis Dei, exercentur ut quærant: et rursus quibusdam locis manifestis, tanquam apertis oculis Dei, illuminantur ut gaudeant. Et ista in sanctis libris crebra opertio atque adapertio tanquam palpebræ sunt Dei, quæ interrogant, id est, quæ probant filios hominum, qui neque fatigantur rerum obscuritate, sed exercentur, neque inflantur cognitione, sed confirmantur.

9. [*vers.* 6.] *Dominus interrogat justum et impium.* Quid ergo metuimus ne aliquid nobis obsint impii, si forte nobiscum sacramenta non sincero corde communicant, quando ille interrogat justum et impium? *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* (*a*): id est, non ei qui credit Deo et spem suam non ponit in homine, sed tantum animæ suæ nocet dilector iniquitatis.

10. [*vers.* 7, 8.] *Pluet super peccatores laqueos.* Si nubes generaliter Prophetæ intelliguntur, sive boni, sive mali, qui etiam pseudoprophetæ appellantur; sic ordinantur pseudoprophetæ a Domino Deo, ut de his laqueos super peccatores pluat: non enim quisquam in eos sectandos incidit nisi peccator; sive ad præparationem extremi supplicii, si perseverare in peccando maluerit; sive ad desudandam [2] superbiam, si aliquando Deum cura sinceriore quæsiverit. Si autem nubes nonnisi boni et veri Prophetæ intelliguntur; et de his manifestum est super peccatores laqueos pluere Deum, quamvis de his etiam pios ad fructificandum irriget: *Quibusdam*, inquit Apostolus, *sumus odor vitæ in vitam, quibusdam odor mortis in mortem* (II *Cor.* II, 16). Non enim Prophetæ tantum, sed om-

[1] Sic Mss. At editi ferebant: *Tene reum facit, quidquid per singulos dies in parte vestra te nesciente committitur? Imperatorum constitutiones frustra objicitis*, etc.

(*a*) Constitutiones hic tangit editas an. 405.

(*b*) Græc., *aphês*.

[1] Editi, *charitatis*. At Mss, *charitate*.

[2] Plures Mss., *desudandam*: aliqui, *dissuadendam*.

(*a*) Hæc pars vers. 6 tractatur etiam in Enar. Psal. XCIII, n. 1; et C, n. 4.

nes verbo Dei animas irrigantes, nubes dici possunt: qui cum male intelliguntur, pluit Deus super peccatores laqueos; cum autem bene intelliguntur, fœcundat pectora piorum atque fidelium. Sicut exempli gratia, quod scriptum est, *Et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24), si ad libidinem quisque interpretetur, laqueum pluit super peccatorem; sin autem intelligas, sicut ille qui ait, *Ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 32), imbrem pluit super fertilem terram: eadem autem nube, id est divina Scriptura, utrumque factum est. Item Dominus dicit: *Non quod intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed quod exit* (*Matth.* XV, 11). Audit hoc peccator, et gulam parat voracitati: audit hoc justus, et a ciborum discernendorum superstitione munitur. Et hic igitur eadem Scripturarum nube, pro suo cujusque merito, et peccatori pluvia laqueorum, et justo pluvia ubertatis infusa est.

11. *Ignis et sulphur et spiritus procellæ pars calicis eorum.* Hæc pœna eorum est atque exitus, per quos blasphematur nomen Dei, ut primo cupiditatum suarum igne vastentur, deinde malorum operum putore a cœtu beatorum abjiciantur, postremo abrepti atque submersi, ineffabiles pœnas luant. Hæc enim pars est calicis eorum; sicut justorum calix tuus inebrians quam præclarus (*Psal.* XXII, 5)! Inebriabuntur enim ab ubertate domus tuæ (*Psal.* XXXV, 9). Calicem autem propterea puto appellatum, ne quid præter modum atque mensuram, vel in ipsis peccatorum suppliciis, per divinam providentiam fieri arbitremur. Et ideo tanquam rationem reddens quare id fiat, subjecit: *Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit.* Non frustra pluraliter, nisi quia homines dicit, ut pro justis, justitiæ intelligantur positæ; in multis enim justis quasi multæ justitiæ videntur esse, cum sit una Dei, cujus omnes participant: tanquam si una facies intueatur plura specula, quod in illa singulare est, de illis pluribus pluraliter redditur. Propterea rursus ad singularitatem se refert, dicendo, *Æquitatem vidit facies ejus*: fortasse pro eo sit positum, *Æquitatem vidit facies ejus*, ac si diceretur, Æquitas visa est in facie ejus, id est in ejus notitia; facies enim Dei est potentia qua dignis innotescit: aut certe, *Æquitatem vidit facies ejus*, quia non se præbet cognoscendum malis, sed bonis; et ipsa est æquitas.

12. Si quis autem lunam synagogam vult intelligere, ad passionem Domini referat Psalmum, et de Judæis dicat, *Quoniam quæ perfecisti destruxerunt*; ac de ipso Domino, *Justus autem quid fecit?* quem tanquam destructorem Legis arguebant: cujus præcepta, perverse vivendo, et ea contemnendo, ac sua statuendo, destruxerant, ut ipse Dominus secundum hominem loquatur, ut solet, dicens, *In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montes sicut passer?* propter terrores scilicet eorum, qui illum apprehendere et crucifigere cupiebant: cum peccatores sagittare volentes *rectos corde*, id est qui Christo crediderant, *in obscura luna*, id est repleta peccatoribus synagoga, non absurde intelligitur. Cui congruit et quod dicitur, *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus?* id est, Verbum in homine, vel ipse Filius hominis qui in cœlis est. *Oculi ejus in pauperem respiciunt*: aut quem suscepit secundum Deum, aut propter quem passus est secundum hominem. *Palpebræ ejus interrogant filios hominum.* Opertionem atque adapertionem oculorum, quod nomine palpebrarum probabile est positum, mortem resurrectionemque ejus accipere possumus, ubi probavit filios hominum discipulos suos, et territos sua passione, et resurrectione lætificatos. *Dominus interrogat justum et impium*: jam de cœlo gubernans Ecclesiam. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam*: quare hoc ita sit, consequentia docent; *Pluet* enim *super peccatores laqueos*, secundum superiorem expositionem accipiendum, et omnia cætera usque ad finem Psalmi.

IN PSALMUM XI
ENARRATIO.

In finem, pro octavo, Psalmus David.

1. [*vers.* 1.] Octavum diem judicii posse intelligi, in sexto psalmo dictum est: potest et *pro octavo*, intelligi pro æterno sæculo; quia post hoc tempus quod septem diebus volvitur, dabitur sanctis.

2. [*vers.* 2.] *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus*: id est non invenitur; sicut loquimur cum dicimus, Defecit frumentum, aut, Defecit pecunia. *Quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.* Veritas una est, qua illustrantur animæ sanctæ: sed quoniam multæ sunt animæ, in ipsis multæ veritates dici possunt; sicut ab una facie multæ in speculis imagines apparent.

3. [*vers.* 3.] *Vana locutus est unusquisque ad proximum suum.* Proximum omnem hominem oportet intelligi: quia nemo est cum quo sit operandum malum; et dilectio proximi malum non operatur (*Rom.* XIII, 10). *Labia dolosa, in corde et corde locuti sunt mala*[1]. Quod bis ait, *in corde et corde*, duplex cor significat.

4. [*vers.* 4.] *Disperdat Dominus universa labia dolosa. Universa*, dixit, ne quis se exceptum putet, sicut Apostolus dicit: *In omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci* (*Id.* II, 9). *Linguam magniloquam*: linguam superbam.

5. [*vers.* 5.] *Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra apud nos sunt, quis noster Dominus est?* Superbi hypocritæ significantur, in sermone suo spem ponentes ad homines decipiendos, et Deo non subditi.

6. [*vers.* 6.] *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus* (*a*): ita enim populum suum ipse Dominus in Evangelio miseratus est, quod rectorem non haberet, cum bene posset obtemperare. Unde etiam dictum est in Evangelio: *Messis multa, operarii autem pauci* (*Matth.* IX, 37). Hoc autem ex persona Dei Patris accipiendum

[1] Edd., *vana*. At Mss., *mala*.
(*a*) Idem vers. 6 explicatur in Enar. Psal. XCIII, n. 7.

(Cinq.)

est, qui propter inopes [1] et pauperes, id est inopia et paupertate bonorum spiritualium egentes, Filium suum dignatus est mittere; inde autem incipit sermo ejus apud Matthæum in monte, cum dicit : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Id.* v, 3). *Ponam in salutari.* Non dixit quid ponat; sed *in salutari*, in Christo accipiendum est, secundum illud, *Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 30) : et ideo intelligitur in illo posuisse quod ad miseriam inopum auferendam et consolandum gemitum pauperum pertinet. *Fiducialiter agam in eo;* secundum illud in Evangelio : *Erat enim docens eos tanquam potestatem habens, non tanquam Scribæ eorum* (*Matth.* VII, 29).

7. [*vers.* 7.] *Eloquia Domini, eloquia casta.* Hæc persona ipsius Prophetæ est. *Eloquia Domini, eloquia casta : casta* dicit, sine corruptione simulationis. Multi enim prædicant veritatem non caste, quia vendunt illam pretio commoditatum hujus sæculi : de talibus dicit Apostolus, quod Christum annuntiavent non caste (*Philipp.* I, 17). *Argentum igne examinatum terræ.* Ipsa eloquia Domini per tribulationes probata peccatoribus. *Purgatum septuplum :* per timorem Dei, per pietatem, per scientiam, per fortitudinem, per consilium, per intellectum, per sapientiam (*Isai.* XI, 2). Nam septem sunt etiam beatitudinis gradus, quos in eodem sermone quem habuit in monte Dominus exsequitur κατὰ Matthæum : *Beati pauperes spiritu, beati mites, beati lugentes, beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, beati misericordes, beati mundo corde, beati pacifici* (*Matth.* v, 3-9) : de quibus sententiis septem totum illum sermonem prolixum dictum esse animadverti potest; nam octava, ubi dictum est, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, ipsum ignem significat, quo septempliciter probatur argentum. Qui sermo cum terminatus esset, dictum est, *Erat enim docens eos tanquam potestatem habens, non tanquam Scribæ eorum* (*Id.* VII, 29) : quod pertinet ad id quod in hoc psalmo dictum est, *Fiducialiter agam in eo.*

8. [*vers.* 8.] *Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac et* [2] *in æternum :* hic tanquam inopes et pauperes, ibi tanquam opulentos et divites.

9. [*vers.* 9.] *In circuitu impii ambulant* (*a*) : id est, in temporalium rerum cupiditate, quæ septem dierum repetito circuitu, tanquam rota volvitur; et ideo non perveniunt in octavum, id est in æternum, pro quo iste psalmus titulatus est. Ita et per Salomonem dicitur : *Ventilator enim est impiorum rex sapiens, et immittit illis rotam malorum* (*Prov.* XX, 26, sec. LXX). *Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.* Quia est et in temporalibus multiplicatio, quæ avertit ab unitate Dei; unde corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15) : multiplicantur autem justi secundum altitudinem Dei, quando ibunt de virtute in virtutem (*Psal.* LXXXIII, 8).

[1] Octo Mss., *propterea ad inopes.*

[2] Sic potiores Mss. juxta LXX. [*a generatione hac in æternum.*]

(*a*) Idem vers. 9 tractatur in Enar. Psal. CXXXIX, n. 15.

IN PSALMUM XII
ENARRATIO.

In finem, Psalmus David.

1. [*vers.* 1.] *Finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). *Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem?* id est, differs me ad intelligendum Christum spiritualiter, qui est Dei Sapientia, et rectus finis omnis intentionis animæ. *Quo usque avertis faciem tuam a me?* Sicut non obliviscitur Deus, sic nec faciem avertit; sed more nostro Scriptura loquitur : avertere autem Deus faciem dicitur, dum non dat animæ notitiam sui, quæ adhuc purum mentis oculum non habet.

2. [*vers.* 2.] *Quamdiu ponam consilium in anima mea?* Consilio non opus est, nisi in adversis. Ergo, *Quamdiu ponam consilium in anima mea*, ita dictum est, Quamdiu ero in adversis? Aut certe responsio est, ut iste sit sensus, Tamdiu, Domine, obliviseeris me in finem, et tamdiu avertis faciem tuam a me, quamdiu ponam consilium in anima mea : ut nisi quisque posuerit consilium in anima sua ut perfecte operetur misericordiam, non eum dirigat Deus in finem, neque notitiam sui plenam quod est facie ad faciem, præbeat illi. *Dolorem in corde meo per diem?* subauditur, quamdiu ponam? *Per diem* autem, continuationem significat, ut dies pro tempore intelligatur; a quo se quisque desiderans exui, dolorem ponit in corde, deprecans ad æterna conscendere, et humanum diem non pati.

3. [*vers.* 3.] *Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?* vel diabolus, vel consuetudo carnalis.

4. [*vers.* 4.] *Respice et exaudi me, Domine Deus meus. Respice*, refertur ad id quod dictum est, *Usquequo avertis faciem tuam a me? Exaudi*, refertur ad id quod dictum est, *Usquequo oblivisceris me in finem? Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte* [1]. Oculos cordis oportet intelligi, ne delectabili defectu peccati claudantur.

5. [*vers.* 5.] *Nequando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum.* Diaboli insultatio metuenda est. *Qui tribulant me exsultabunt, si motus fuero.* Diabolus et angeli ejus : qui non exsultaverunt de justo viro Job, cum eum tribularent; quia non est motus (*Job* I, 22), id est, de stabilitate fidei non recessit.

6. [*vers.* 6.] *Ego autem in tua misericordia speravi.* Quia idipsum quod non movetur homo et fixus in Domino permanet, non sibi debet tribuere, ne cum se gloriatur non esse motum, ipsa superbia moveatur. *Exsultabit cor meum in salutari tuo :* in Christo, in Sapientia Dei. *Cantabo Domino qui bona tribuit mihi :* bona spiritualia, non ad humanum diem pertinentia.

[1] Corb. vetus codex, juxta LXX : *ne unquam obdormiam in mortem.*

Et psallam nomini Domini altissimi : id est, cum gaudio gratias ago, et ordinatissime utor corpore, qui est cantus animæ spiritualis. Si autem aliqua hic differentia consideranda est. *Cantabo* corde, *Psallam* operibus Domino, quod [1] solus videt : *Nomini* autem *Domini*, quod apud homines innotescit : quod non illi, sed nobis utile est.

IN PSALMUM XIII
ENARRATIO.

In finem, Psalmus ipsi David.

1. [*vers.* 1.] Quid sit *in finem*, non est sæpius repetendum. *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x, 4), sicut Apostolus dicit. Illi credimus, quando incipimus viam bonam ingredi; ipsum videbimus, cum pervenerimus : et ideo ipse finis.

2. *Dixit imprudens in corde suo : Non est Deus.* Nec ipsi enim sacrilegi et detestandi quidam philosophi, qui perversa et falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere, Non est Deus : ideo ergo, *Dixit in corde suo ;* quia hoc nemo audet dicere, etiam si ausus fuerit cogitare. *Corrupti sunt et abominabiles facti sunt in affectionibus suis :* id est, dum amant hoc sæculum, et non amant Deum : ipsæ sunt affectiones quæ corrumpunt animam, et sic excæcant, ut possit etiam dicere imprudens in corde suo : *Non est Deus ;* sicut enim non probaverunt Deum habere in notitia [2], dedit illos Deus in reprobum sensum (*Id.* I, 28). *Non est qui faciat bonitatem, non est usque ad unum. Usque ad unum :* vel cum ipso uno potest intelligi, ut nullus hominum intelligatur : vel præter unum, ut accipiatur Dominus Christus ; sicut dicimus, Iste ager usque ad mare est ; non utique simul computamus et mare. Et iste est melior intellectus ut nemo intelligatur fecisse bonitatem usque ad Christum ; quia non potest quisquam hominum facere bonitatem, nisi ipse monstraverit : et illud verum est ; quia usquequo quisque cognoscat unum Deum, non potest facere bonitatem.

3. [*vers.* 2.] *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum.* Super Judæos potest intelligi, ut honoratius eos appellaverit filios hominum, propter unius Dei cultum, in comparatione Gentilium de quibus arbitror superius dictum : *Dixit imprudens in corde suo, Non est Deus*, et cætera. Prospicit autem Dominus, ut videat per animas sanctas suas : quod significat id quod dictum est, *de cœlo ;* nam per seipsum nihil eum latet.

4. [*vers.* 3.] *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt :* id est, Judæi tales facti sunt, quales et Gentes, de quibus supra dictum est. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum :* similiter ut supra intelligendum est. *Sepulcrum patens est guttur eorum.* Aut voracitas significatur inhiantis gulæ ; aut in allegoria, qui occidunt et quasi devorant interfectos eos, quibus suorum morum perversitatem persuadent. Cui simile est e contrario quod Petro dictum est, *Macta et manduca* (*Act.* x, 13); ut in suam fidem et bonos mores Gentes converteret. *Linguis suis dolose agebant :* comes est voracibus adulatio et omnibus malis. *Venenum aspidum sub labiis eorum : Venenum,* dolum dicit ; *aspidum* autem, quia nolunt audire præcepta legis, sicut aspides nolunt audire verba incantantis (*Psal.* LVII, 5), quod in alio psalmo evidentius dicitur. *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est :* hoc est, *venenum aspidum. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem :* consuetudine [1] malefaciendi. *Contritio et infelicitas in viis eorum :* omnes enim malorum hominum viæ plenæ sunt laboribus et miseria ; ideo Dominus clamat : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum, et discite a me, quoniam mitis sum et humilis corde. Jugum enim meum lene est, et sarcina mea levis est* (*Matth.* XI, 28-30). *Et viam pacis non cognoverunt :* hanc utique quam Dominus, ut dixi, commemorat, in jugo leni et sarcina levi. *Non est timor Dei ante oculos eorum :* isti non dicunt, Non est Deus ; sed tamen non timent Deum.

5. [*vers.* 4.] *Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem?* judicium minatur. *Qui devorant populum meum sicut cibum* [2] *panis :* id est quotidie ; cibus enim panis quotidianus est. Devorant autem populum, qui sua commoda ex illo capiunt, non referentes ministerium suum ad gloriam Dei, et ad eorum quibus præsunt salutem.

6. [*vers.* 5.] *Dominum non invocaverunt :* non enim vere hunc invocat, qui ea desiderat quæ illi displicent. *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor :* id est, in damno rerum temporalium. Dixerunt enim : *Si relinquamus eum sic, credent in eum omnes, et venient Romani, et tollent nobis et locum et gentem* (*Joan.* XI, 48). Timuerunt regnum terrenum amittere, ubi non erat timor ; et amiserunt regnum cœlorum, quod timere debuerant : et hoc de omnibus temporalibus commodis intelligendum est, quorum amissionem cum timent homines, ad æterna non veniunt.

7. [*vers.* 6.] *Quoniam Deus in generatione justa est :* id est, non est in eis qui diligunt sæculum. Injustum est enim relinquere sæculorum conditorem, et diligere sæculum, et servire creaturæ potius quam Creatori (*Rom.* I, 25). *Consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est :* id est, contempsistis humilem adventum Filii Dei, quia in eo non vidistis pompam sæculi : ut hi quos vocabat, in Deo solo spem ponerent, non in rebus transeuntibus.

8. [*vers.* 7.] *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* subauditur, nisi ipse cujus humilitatem contempsistis? Ipse enim in claritate venturus est ad judicium vivorum et mortuorum, regnumque justorum ; ut quoniam isto humili adventu facta est cæcitas ex parte

[1] Lov., *qui*. At Er. et Mss., *quod*.
[2] Plerique Mss. hic et alibi constanter habent, *in notitiam*.

[1] Sic juxta Am. et Mss. [*Hic ostendit consuetudinem.*]
[2] Vatic. codex, et Gallic. septem Mss., *populum meum in cibo panis*. Favet Græc. LXX.

Israel, ut plenitudo Gentium intraret (*Rom.* XI, 25), in illo alio fiat quod sequitur, et sic omnis Israel salvus fieret : pro Judæis enim Apostolus etiam illud Isaiæ testimonium accipit, quod dictum est, *Veniet ex Sion qui avertat impietatem ab Jacob* (*Isai.* LIX, 20); sicut hic positum est, *Quis dabit ex Sion salutare Israel? Cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel :* repetitio est, sicut solet; nam idem puto esse *lætabitur Israel*, quod est *exsultabit Jacob.*

IN PSALMUM XIV

ENARRATIO (*a*).

Psalmus ipsi David.

1. [*vers.* 1.] De hoc titulo nulla quæstio est. *Domine, quis peregrinabitur in tabernaculo tuo?* Quanquam aliquando ponatur tabernaculum etiam pro habitatione sempiterna, tamen cum proprie accipitur tabernaculum, belli res est : unde et contubernales milites dicuntur, tanquam simul habentes tabernacula. Hic sensus adjuvatur ex eo quod dictum est, *quis peregrinabitur :* ad tempus enim cum diabolo dimicamus, et tunc opus est tabernaculo, quo nos reficiamus; quod significat maxime fidem temporalis dispensationis, quæ pro nobis acta est temporaliter per incarnationem Domini. *Et quis requiescet in monte sancto tuo?* hic fortasse jam ipsam æternam habitationem significat, ut montem intelligamus supereminentiam charitatis Christi in vita æterna [1].

2. [*vers.* 2.] *Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam :* hic [2] proposuit, deinceps id exsequitur.

3. [*vers.* 3.] *Qui loquitur veritatem in corde suo :* nonnulli enim in labiis habent veritatem, et in corde non habent : tanquam si aliquis dolose ostendat viam, sciens in ea esse latrones, et dicat, Si hac ieris, a latronibus tutus eris; et contingat ut vere non ibi latrones inveniantur, verum ille locutus est, sed non in corde suo; aliud enim putabat, et nesciens verum dixit : ergo parum est verum loqui, nisi etiam in corde ita sit. *Qui non egit dolum in lingua sua :* lingua agitur dolus, cum aliud ore profertur, aliud pectore tegitur. *Nec fecit proximo suo malum :* proximum omnem hominem accipi oportere notum est. *Et opprobrium non accepit adversus proximum suum :* id est, non libenter aut temere credidit criminatori.

4. [*vers.* 4.] *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* Ista perfectio est, ut nihil in hominem valeat malignus; et ut hoc sit *in conspectu ejus*, id est, certissime noverit malignum non esse, nisi cum animus a specie sui Creatoris æterna et incommutabili, ad creaturæ speciem avertitur, quæ de nihilo facta est. *Timentes autem Dominum glorificat :* utique ipse Dominus. Initium autem sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX, 10; *Eccli.* I, 16) : sicut ergo illa superiora pertinent ad perfectos, ita ea quæ nunc dicturus est pertinent ad incipientes.

5. [*vers.* 5.] *Qui jurat proximo suo, et non decipit : qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentes* [1] *non accepit* (*a*). Ista non sunt magna : sed qui nec ista potest, multo minus potest loqui veritatem in corde suo, et non dolum agere in lingua sua, sed ut est in corde verum ita proferre, et habere in ore, *Est est, Non non* (*Matth.* V, 37); et non facere proximo suo malum, id est nulli homini; et opprobrium non accipere adversus proximum suum : quæ sunt perfectorum, in quorum conspectu ad nihilum deductus est malignus. Tamen etiam ista minora ita concludit : *Qui facit hæc, non commovebitur in æternum :* id est, perveniet ad illa majora, in quibus est magna et inconcussa stabilitas. Nam et ipsa tempora non sine causa fortasse sic variata sunt, ut in superiore conclusione præteritum tempus poneretur, in hac autem futurum : nam ibi dictum est, *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus;* hic autem, *Non commovebitur in æternum.*

IN PSALMUM XV

ENARRATIO.

Tituli inscriptio, ipsi David.

1. Rex noster in hoc psalmo loquitur ex persona susceptionis humanæ, de quo titulus regalis tempore passionis inscriptus eminuit [2].

2. [*vers.* 1, 2.] Dicit autem hæc. *Conserva me, Domine, quoniam in te speravi : dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (*b*) *:* quoniam bonis meis non exspectas tu fieri beatus.

3. [*vers.* 3.] *Sanctis qui sunt in terra ejus :* sanctis qui in terra viventium spem suam posuerunt, civibus Jerusalem cœlestis, quorum conversatio spiritualis per anchoram spei in illa patria figitur, quæ recte Dei terra nominatur; quamvis adhuc et in his terris carne versentur. *Mirificavit* [3] *omnes voluntates meas in illis.* His ergo sanctis miras fecit omnes voluntates meas in provectu eorum, quo senserunt quid eis profuerit et humanitas meæ divinitatis ut morerer, et divinitas humanitatis ut resurgerem.

4. [*vers.* 4.] *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum* (*c*) : non ad perniciem, sed ut medicum desiderarent. *Postea acceleraverunt :* itaque post multiplicatas infirmitates acceleraverunt, ut sanarentur. *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus :* erunt enim conventicula eorum non carnalia, nec de sanguinibus

[1] Sex Mss., *in vitam æternam.*
[2] In Mss., *hic proposuit.* Forte melius.
(*a*) Altera tunc in Psal. Enar. adjicitur ad voluminis calcem.

[1] Quinque Mss. cum Vulgata, *super innocentem.* At cæteri Mss. et edd., *super innocentes,* juxta Græc. LXX.
[2] Edd., *emicuit.* At Mss., *eminuit.*
[3] Edd., *mirificavi,* et consequenter, *miras feci.* Sed alteram, quam hic Mss. auctoritate restituimus, lectionem sequitur Augustinus in Epist. 149, ad Paulinum, ubi Psalmi hujus vers. 3 et 4 exponit.
(*a*) Idem vers. 5 tractatur in Enar. Psal. XXXVI, serm. 3, n. 6.
(*b*) De eodem vers. 2 vide Enar. Psal. LXIX, n. 7.
(*c*) De eodem vers. 4 vide Enar. Psal. LVIII, serm. 2, n. 8.

peccorum propitiatus congregabo eos. *Nec memor ero nominum illorum per labia mea :* sed spirituali mutatione obliviscentur quid fuerint; nec a me jam vel peccatores, vel inimici, vel homines, sed justi et fratres mei et filii Dei vocabuntur per pacem meam.

5. [*vers.* 5.] *Dominus pars hæreditatis meæ, et calicis mei* (*a*). Possidebunt enim mecum hæreditatem, ipsum Dominum. Eligant sibi alii partes quibus fruantur, terrenas et temporales : portio sanctorum Dominus æternus est. Bibant alii mortiferas voluptates : portio calicis mei Dominus est. Quod dico, *mei*, adjungo Ecclesiam; quia ubi caput, ibi et corpus : nam in hæreditatem congregabo conventicula eorum, et per calicis ebrietatem obliviscar nomina vetera eorum. *Tu es qui restitues mihi hæreditatem meam :* ut nota sit et his quos libero, claritas qua eram apud te, prius quam mundus fieret (*Joan.* XVII, 5) : non enim restitues mihi quod non amisi, sed restitues his qui amiserunt ejus claritatis notitiam; in quibus quia ego sum, *mihi restitues.*

6. [*vers.* 6.] *Funes ceciderunt mihi in præclaris :* limites possessionis meæ in tua claritate, tanquam sorte ceciderunt, velut possessio sacerdotum et Levitarum Deus est. *Etenim hæreditas mea præclara est mihi :* etenim hæreditas mea præclara est, non omnibus, sed videntibus; in quibus quia ego sum, *mihi est.*

7. [*vers.* 7.] *Benedicam Dominum, qui mihi tribuit intellectum :* quo ista hæreditas videri et possideri potest. *Insuper autem et usque ad noctem emendaverunt me renes mei :* super intellectum autem usque ad mortem me erudivit inferior pars mea, carnis assumptio; ut experirer tenebras mortalitatis, quas ille intellectus non habet.

8. [*vers.* 8.] *Providebam Dominum in conspectu meo semper* (*b*) *:* sed veniens in ea quæ transeunt, non abstuli oculum ab eo qui semper manet, hoc providens ut in eum post temporalia peracta recurrerem. *Quoniam a dextris est mihi, ne commovear :* quoniam favet mihi, ut stabiliter in eo permaneam.

9. [*vers.* 9.] *Propter hoc jucundatum est cor meum, et exsultavit lingua mea :* propter hoc et in cogitationibus meis jucunditas, et in verbis exsultatio. *Insuper et caro mea requiescet in spe :* insuper et caro mea non deficiet in interitum, sed in spe resurrectionis obdormiet.

10. [*vers.* 10.] *Quoniam non derelinques animam meam in inferno* [1] : quoniam neque animam meam inferis possidendam dabis. *Neque dabis sanctum tuum videre corruptionem :* neque sanctificatum corpus, per quod et alii sanctificandi sunt, corrumpi patieris. *Notas mihi fecisti vias vitæ :* notas fecisti per me humilitatis vias, ut ad vitam redirent homines, unde per superbiam ceciderant; in quibus quia ego sum, *mihi fecisti. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo :* adimplebis eos lætitia, ut non ultra quærant aliquid, cum facie ad faciem te viderint; in quibus quia ego sum, *me adimplebis. Delectatio in dextera tua usque in finem :* delectatio est in favore et in propitiatione tua in hujus vitæ itinere, perducens usque ad finem gloriæ conspectus tui.

[1] Tres Mss., *in infernum.* Græc. LXX, *eis aden.*
(*a*) Id. vers. 5 tractatur in Enar. Ps. XXXIV, serm. 1, n. 12.
(*b*) De eodem vers. 8 supra, col. 105, n. 11, circa finem.

IN PSALMUM XVI
ENARRATIO.
Oratio ipsi David.

1. [*vers.* 1, 2.] Hæc est personæ Domini tribuenda, adjuncta Ecclesia, quæ corpus ejus est.

2. *Exaudi, Deus, justitiam meam, intende deprecationi meæ. Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis :* non ad te in labiis dolosis procedentem. *A vultu tuo judicium meum prodeat :* ex illuminatione notitiæ tuæ verum judicem; aut certe, non in labiis dolosis a vulto tuo judicium meum prodeat, ut scilicet non proferam judicans aliud quam in te intelligo. *Oculi mei videant æquitatem :* cordis utique oculi.

3. [*vers.* 3.] *Probasti cor meum et visitasti nocte :* quia ipsum cor meum visitatione tribulationis probatum est. *Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas :* non autem nox tantum, quia perturbare assolet, sed etiam ignis quia urit, vocanda est ipsa tribulatio, qua examinatus, justus inventus sum.

4. [*vers.* 4.] *Ut non loquatur os meum opera hominum :* ut aliud non procedat ex ore meo, quam id quod pertinet ad gloriam et laudem tuam; non ad opera hominum, quæ faciunt præter voluntatem tuam. *Propter verba labiorum tuorum :* propter verba pacis tuæ, vel Prophetarum tuorum. *Ego custodivi vias duras :* ego custodivi vias laboriosas mortalitatis humanæ atque passionis.

5. [*vers.* 5.] *Ad perficiendos gressus meos in semitis tuis :* ut perficeretur charitas Ecclesiæ in itineribus angustis, quibus venitur ad requiem tuam. *Ut non moveantur vestigia mea :* ut non moveantur signa itineris mei, quæ tanquam vestigia sacramentis et Scripturis apostolicis impressa sunt, quæ intueantur et observent qui me sequi volunt; aut certe, ut etiam stabiliter in æternitate permaneam, postea quam peregi vias duras, et in angustiis semitarum tuarum gressus perfeci.

6. [*vers.* 6.] *Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus :* ego libera et valida intentione preces ad te direxi; quoniam ut hanc habere possem, exaudisti me infirmius orantem. *Inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea :* non deserat exauditio tua humilitatem meam.

7. [*vers.* 7.] *Mirifica misericordias tuas :* non vilescant misericordiæ tuæ, ne minus amentur.

8. [*vers.* 8.] *Qui salvos facis sperantes in te, a resistentibus dexteræ tuæ :* a resistentibus favori quo mihi faves. *Custodi me, Domine, ut pupillam oculi :* quæ apparet perparva et exigua; per eam tamen dirigitur acies luminis quo lux et tenebræ dijudicantur, sicut per Christi humanitatem divinitas judicii discernens inter justos et peccatores. *In tegmine alarum tuarum protege* [1] *me :* in munimento charitatis et misericordiæ tuæ protege me *A facie impiorum qui me*

[1] Edd., *proteges.* At Mss., *protege.*

afflixerunt.

9. [vers. 9, 10.] *Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt :* lætitia sua pingui cooperti sunt, postea quam cupiditas eorum de scelere satiata est. *Os eorum locutum est superbiam :* et propterea os eorum locutum est superbiam, dicendo : *Ave, rex Judæorum* (*Matth.* XXVII, 29). et cætera talia.

10. [vers. 11.] *Projicientes me nunc circumdederunt me :* projicientes me extra civitatem, nunc circumdederunt me in cruce. *Oculos suos statuerunt declinare in terram :* intentionem cordis sui statuerunt declinare in ista terrena; putantes magnum malum perpeti eum qui occidebatur, et se nullum qui occidebant.

11. [vers. 12.] *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam :* susceperunt me sicut ille adversarius circumiens, quærens quem devoret (I *Petr.* v, 8). *Et sicut catulus leonis habitans in occultis.* Et sicut catulus ejus, populus cui dictum est : *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII, 44), cogitans de insidiis quibus justum circumveniret et perderet.

12. [vers. 13.] *Exsurge, Domine, præveni eos, et subverte eos :* exsurge, Domine, quem dormire arbitrantur et iniquitates hominum non curare; ante excæcentur malitia sua, ut factum eorum vindicta præveniat, et ita subverte eos.

13. [vers. 14.] *Erue animam meam ab impiis :* erue animam meam resuscitando me a morte, quæ mihi ab impiis irrogata est. *Frameam tuam* (a) *ab inimicis manus tuæ* : anima enim mea framea tua est, quam assumpsit manus tua, id est, æterna virtus tua, ut per ipsam regna debellet iniquitatis et dividat justos ab impiis; hanc ergo *erue ab inimicis manus tuæ*, hoc est virtutis tuæ, hoc est ab inimicis meis. *Domine, perdens de terra, dispertire eos in vita eorum :* Domine, perdens eos de terra quam inhabitant, dispertire eos per orbem terrarum in ista vita, quam solam suam vitam putant qui æternam desperant. *Et de absconditis tuis adimpletus est venter eorum :* non solum autem ista pœna eos consequetur visibilis; sed etiam de peccatis, quæ tanquam tenebræ absconduntur a lumine veritatis tuæ, adimpleta est memoria eorum, ut obliviscantur Deum. *Saturati sunt porcina :* saturati sunt immunditia, conculcantes margaritas sermonum Dei. *Et reliquerunt reliquias parvulis suis :* clamantes, *Peccatum hoc super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25).

14. [vers. 15.] *Ego autem in tua justitia apparebo in conspectu tuo :* ego autem qui non apparui eis qui corde sordido et tenebroso lucem sapientiæ videre non possunt, in tua justitia apparebo in conspectu tuo. *Satiabor dum manifestabitur gloria tua :* et cum illi saturati sunt immunditia sua, ut me intelligere non possint, ego satiabor dum manifestabitur gloria tua, in his qui me [1] intelligunt. Sane in illo versu ubi dictum est *Saturati sunt porcina*, nonnulla exemplaria *Saturati sunt filiis* habent. Ex ambiguo enim græco (a) interpretatio duplex evenit. Filios autem, opera intelligimus; et sicut bona opera bonos filios, ita malos mala.

[1] Apud Lov., *te*. Apud Er. et Mss., *me*.
(a) Hæc pars vers. 13 tractatur etiam in Enar. Psal. XXXIV, serm. 1, n. 4.

IN PSALMUM XVII
ENARRATIO.

1. [vers. 1.] *In finem, puero Domini, ipsi David*, hoc est, manu forti Christo secundum hominem. *Quæ locutus est Domino verba cantici hujus, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saül, et dixit* (II *Reg.* XXII, 1). *In die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saül*, hoc est, regis Judæorum, quem sibi ipsi petiverant. Nam sicut David, Manu fortis, ita Saül, Petitio interpretari dicitur : notum est autem, quomodo ille populus regem sibi petiverit (I *Reg.* VIII, 5) et acceperit, non secundum Dei, sed secundum suam voluntatem.

2. [vers. 2.] Dicit ergo hic Christus et Ecclesia, id est, totus Christus, caput et corpus : *Diligam te, Domine, virtus mea :* diligam te, Domine, per quem fortis sum.

3. [vers. 3.] *Domine, firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus :* Domine, qui me firmasti, quia refugi ad te; refugi autem quia liberasti me. *Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum :* Deus meus, qui mihi adjutorium prius vocationis tuæ præstitisti, ut sperare in te possim. *Protector meus et cornu salutis meæ, et redemptor meus :* protector meus, quia non de me præsumpsi, quasi erigens adversum te cornu superbiæ; sed te [1] ipsum cornu, hoc est firmam celsitudinem salutis inveni; quod ut invenirem, redemisti me.

4. [vers. 4.] *Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero :* non meam gloriam, sed Domini quærens, invocabo eum, et non erit unde mihi noceant impietatis errores.

5. [vers. 5.] *Circumdederunt me dolores mortis :* id est carnis. *Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me :* turbæ iniquæ ad tempus commotæ, veluti flumina pluvialia cito desitura, egerunt ut conturbarent me.

6. [vers. 6.] *Dolores inferni circumdederunt me :* in his qui me circumdederunt ut perderent me, erant dolores invidentiæ, qui mortem operantur perducuntque ad infernum peccati. *Prævenerunt me laquei mortis :* prævenerunt me, ut priores nocere vellent, quod eis postea redderetur. Tales autem homines capiunt in perditionem quibus male [2] persuaserunt jactatione justitiæ; cujus non re, sed nomine, adversus Gentes gloriantur.

7. [vers. 7.] *Et in pressura mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi. Et exaudivit de templo*

[1] Plerique Mss., *sed ipsum cornu :* nec habent, *te*.
[2] Plures Mss., *mala*.
(a) Scilicet in codicibus quibusdam est *uiôn, filiis;* in aliis *uôn, porcis;* aut *ueiôn, porcinis*, sive *porcina*. De eodem vers. 14 tractat Augustinus in epistola 149 ad Paulinum, data circiter an. 414, ibique, n. 3, scribit : « Recensui brevissimam quamdam ejusdem psalmi expositionem, quam « jam olim dictaveram. » Hæc igitur expositio dictata fuit longe ante annum 414.

sancto suo vocem meam : exaudivit de corde meo, in quo habitat, vocem meam. *Et clamor meus in conspectu ejus* : et clamor meus, quem non in auribus hominum, sed coram ipso intus habeo, *introibit*[1] *in aures ejus*.

8. [*vers.* 8.] *Et commota est et contremuit terra* : ita clarificato filio hominis, commoti sunt et contremuerunt peccatores. *Et fundamenta montium conturbata sunt* : et spes superborum, quæ[2] in hoc sæculo fuerunt, conturbatæ sunt. *Et commota sunt, quoniam iratus est eis Deus* : ut scilicet jam firmamentum non haberet in cordibus hominum spes temporalium bonorum.

9. [*vers.* 9.] *Ascendit fumus in ira ejus* : ascendit lacrymosa deprecatio pœnitentium, cum cognovissent quid minetur Deus impiis. *Et ignis a facie ejus exardescit* : et flagrantia charitatis post pœnitentiam de notitia ejus inardescit. *Carbones succensi sunt ab eo* : qui jam mortui erant deserti ab igne boni desiderii ac luce justitiæ, et frigidi tenebrosique remanserant, rursus accensi et illuminati revixerunt.

10. [*vers.* 10.] *Et inclinavit cœlum, et descendit* : et humiliavit justum, ut descenderet ad hominum infirmitatem. *Et caligo sub pedibus ejus*. Et impii qui terrena sapiunt, caligine malitiæ suæ non eum cognoverunt; terra enim sub pedibus ejus, tanquam scabellum pedum ejus.

11. [*vers.* 11.] *Et ascendit super Cherubim, et volavit*. Et exaltatus est super plenitudinem scientiæ, ut nemo ad eum perveniret, nisi per charitatem : plenitudo enim legis charitas (*Rom.* XIII, 10). Et cito se incomprehensibilem esse demonstravit dilectoribus suis, ne illum corporeis imaginationibus[3] comprehendi arbitrarentur. *Volavit super pennas ventorum*. Illa autem celeritas, qua se incomprehensibilem esse monstravit, super virtutes animarum est, quibus se velut pennis a terrenis timoribus in auras libertatis attollunt.

12. [*vers.* 12.] *Et posuit tenebras latibulum suum* : et posuit obscuritatem sacramentorum, et occultam spem in corde credentium, ubi lateret ipse, non eos deserens; in his etiam tenebris (II *Cor.* V, 7) ubi per fidem adhuc ambulamus, non per speciem, quamdiu quod non videmus speramus et per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 25). *In circuitu ejus tabernaculum ejus* : conversi tamen ad ipsum ambiunt qui credunt ei; quia in medio eorum est, cum omnibus æqualiter favet, in quibus tanquam in tabernaculo habitat hoc tempore. *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* : nec propterea quisquam in illa luce, quæ futura est cum ex fide ad speciem venerimus, jam se esse arbitretur, si Scripturas recte intelligit; in Prophetis enim atque in omnibus divini verbi prædicatoribus obscura doctrina est.

13. [*vers.* 13]. *Præ fulgore in conspectu ejus* : in comparatione fulgoris, qui est in conspectu manifestationis ejus. *Nubes ipsius transierunt* : prædicatores verbi ejus non jam in Judææ finibus continentur, sed transierunt ad Gentes. *Grando et carbones ignis*. Objurgationes figuratæ[1], quibus velut grandine corda dura tunduntur : si autem terra culta et mitis, id est, pius animus exceperit, duritia grandinis in aquam, id est terror fulguratæ et quasi congelatæ objurgationis[2] in doctrinam satiantem resolvitur : igne autem charitatis accensa corda reviviscunt. Hæc omnia in nubibus ipsius ad Gentes transierunt.

14. [*vers.* 14.] *Et intonuit de cœlo Dominus* : et Evangelica fiducia de corde justi sonuit Dominus. *Et Altissimus dedit vocem suam* : ut haberemus eam, et in profundo rerum humanarum audiremus cœlestia.

15. [*vers.* 15.] *Et emisit sagittas suas, et dispersit eos* : et emisit Evangelistas pennis virtutum recta itinera[3] transvolantes, non suis, sed ejus a quo missi sunt viribus : et dispersit eos ad quos missi sunt, ut aliis eorum essent odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem (II *Cor.* II, 16). *Et coruscationes multiplicavit, et conturbavit eos* : et miracula multiplicavit, et conturbavit eos.

16. [*vers.* 16.] *Et apparuerunt fontes aquarum* : et apparuerunt qui facti erant in prædicantibus fontes aquarum salientium in vitam æternam (*Joan.* IV, 14). *Et revelata sunt fundamenta orbis terrarum* : et revelati sunt Prophetæ, qui non intelligebantur, super quos ædificaretur orbis terrarum credens Domino[4]. *Ab increpatione tua, Domine* : clamantis, Appropinquavit super vos regnum Dei (*Luc.* X, 9). *Ab inspiratione spiritus iræ tuæ* : dicentis, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter moriemini* (*Id.* XIII, 5).

17. [*vers.* 17.] *Misit de summo, et accepit me* : vocando ex Gentibus in hæreditatem, gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam (*Ephes.* V, 27). *Assumpsit me de multitudine aquarum* : assumpsit me de multitudine populorum.

18. [*vers.* 18.] *Eruit me de inimicis meis fortissimis* : eruit me de inimicis meis, qui prævaluerunt ad affligendum et pervertendam[5] temporalem istam vitam meam. *Et ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me* : quamdiu sub ipsis sum ignorans Deum[6].

19. [*vers.* 19.] *Prævenerunt me in die afflictionis meæ* : priores mihi nocuerunt, in tempore quo mortale et laboriosum corpus gero. *Et factus est Dominus firmamentum meum* : et quoniam amaritudine miseriarum firmamentum terrenæ voluptatis conturbatum atque convulsum est, factus est Dominus firmamentum meum.

20. [*vers.* 20.] *Et eduxit me in latitudinem* : et quia

[1] Sic nonnulli probæ notæ Mss. juxta LXX. [*introivit.*]
[2] Ita in septem Mss. At in edd., *qui*.
[3] Lov., *imaginibus*. Cæteri edd., *imaginationibus*.

[1] Aliquot Mss., *figurat*.
[2] Edd., *exceperit duritiam grandinis, in aquam eadem terra fulguratæ et quasi congelatæ objurgationis, id est in doctrinam*, etc. Locum emendamus ad Mss. e quibus tamen aliqui pro *fulguratæ*, habent, *figuratæ*; et quidam *conligatæ*, pro *congelatæ*.
[3] Quatuor Mss., *recto itinere*.
[4] Am. Er. et plerique Mss., *Dominum*. Colb. Ms., *in Domino*.
[5] Sic Mss. At edd., *ad perdendam*.
[6] Septem Mss., *qui ignorant Deum*.

carnales patiebar angustias, eduxit me in spiritualem latitudinem fidei. *Eruit me, quoniam voluit me :* antequam illum ego vellem, eruit me ab inimicis meis potentissimis, qui mihi invidebant jam volenti eum, et ab his qui oderunt me, quia volo eum.

21. [*vers.* 21.] *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam :* et retribuet mihi Dominus secundum justitiam bonæ voluntatis, qui prior præbuit misericordiam, antequam haberem bonam voluntatem. *Et secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi :* et secundum puritatem factorum meorum retribuet mihi, qui tribuit mihi ut bene facerem, educendo me in latitudine fidei.

22. [*vers.* 22.] *Quia custodivi vias Domini :* ut latitudo [1] bonorum operum, quæ per fidem sunt, et longanimitas perseverandi consequatur.

23. [*vers.* 23.] *Nec impie gessi a Deo meo. Quoniam* [2] *omnia judicia ejus in conspectu meo sunt. Quoniam omnia judicia ejus :* id est, et præmia justorum, et pœnas impiorum, et flagella corrigendorum, et tentationes probandorum, perseveranti contemplatione considero. *Et justitias ejus non repuli a me :* quod faciunt deficientes sub sarcina earum, et revertuntur ad vomitum suum.

24. *Et era immaculatus cum eo , et observabo me ab iniquitate mea.*

25. [*vers.* 25.] *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam :* itaque non solum propter latitudinem fidei, quæ per dilectionem operatur (*Gal.* v, 6), sed etiam propter longitudinem perseverantiæ, retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam. *Et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus :* non quod [3] homines vident, sed in conspectu oculorum ejus. Quoniam quæ videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna (II *Cor.* IV, 18) : quo pertinet altitudo spei.

26. [*vers.* 26.] *Cum sancto sanctus eris :* est etiam occulta profunditas, qua intelligeris cum sancto sanctus, quia tu sanctificas. *Et cum viro innocente innocens eris :* quia tu nulli noces, sed criniculis peccatorum suorum unusquisque constringitur (*Prov.* v, 22).

27. [*vers.* 27.] *Et cum electo electus eris :* et ab eo quem eligis, eligeris. *Et cum perverso perversus eris* (*a*) [4] : et cum perverso videris perversus : quoniam dicunt, *Non est recta via Domini* (*Ezech.* XVIII, 25) : et ipsorum via non est recta.

28. [*vers.* 28.] *Quoniam tu populum humilem salvum facies.* Hoc autem perversum videtur perversis, quod confitentes peccata sua salvos facies. *Et oculos superborum humiliabis :* ignorantes autem Dei justitiam, et suam volentes constituere (*Rom.* x, 3), humiliabis.

29. [*vers.* 29.] *Quoniam tu illuminabis lucernam meam, Domine :* quoniam non est lumen nostrum ex nobis; sed tu illuminabis lucernam meam, Domine. *Deus meus, illuminabis tenebras meas :* nos enim peccatis nostris tenebræ sumus; sed, Deus meus, illuminabis tenebras meas.

30. [*vers.* 30.] *Quoniam a te eruar a tentatione :* quoniam non a me, sed a te eruar a tentatione. *Et in Deo meo transgrediar murum :* et non in me, sed in Deo meo transgrediar murum, quem inter homines et cœlestem Jerusalem peccata crexerunt.

31. [*vers.* 31.] *Deus meus, immaculata est via ejus :* Deus meus non venit in homines, nisi mundaverint viam fidei qua veniat ad eos; quia immaculata est via ejus. *Eloquia Domini igne examinata :* eloquia Domini igne tribulationis probantur. *Protector est omnium sperantium in se :* et omnes qui non in seipsis, sed in illo sperant, eadem tribulatione non consumuntur; spes enim sequitur fidem.

32. [*vers.* 32.] *Quoniam quis Deus, præter Dominum?* cui servimus. *Et quis Deus præter Deum nostrum ?* et quis Deus præter Dominum, quem post bonam servitutem, tanquam hæreditatem speratam filii possidebimus?

33. [*vers.* 33.] *Deus qui præcinxit me virtute :* Deus qui me præcinxit ut fortis sim, ne diffluentes sinus cupiditatis impediant opera et gressus meos. *Et posuit immaculatam viam meam :* et posuit immaculatam viam charitatis, qua ad illum veniam, sicut immaculata est fidei, qua venit ad me.

34. [*vers.* 34.] *Qui perfecit pedes meos tanquam cervi :* qui perfecit amorem meum, ad transcendenda spinosa et umbrosa implicamenta hujus sæculi. *Et super excelsa statuet me :* et super cœlestem habitationem figet intentionem meam, ut implear in omnem plenitudinem Dei (*Ephes.* III, 19).

35. [*vers.* 35.] *Qui docet manus meas ad prælium* [1] : qui docet me operari ad superandos inimicos, qui nobis intercludere cœlestia regna conantur. *Et posuisti ut arcum æreum brachia mea :* et posuisti infatigabilem intentionem bonorum operum meorum.

36. [*vers.* 36.] *Et dedisti mihi protectionem salutis meæ* [2], *et dextera tua suscepit me :* et favor gratiæ tuæ suscepit me. *Et disciplina tua me direxit in finem :* et correptio tua me deviare non sinens direxit, ut quidquid ago, in eum finem referam, quo cohæretur tibi. *Et disciplina tua ipsa me docebit :* et eadem correptio tua me docebit pervenire quo direxit.

37. [*vers.* 37.] *Dilatasti gressus meos subter me :* nec impedient carnales angustiæ; quoniam latam fecisti charitatem meam operantem hilariter, etiam de ipsis quæ subter me sunt mortalibus rebus et membris. *Et non sunt infirmata vestigia mea :* et non sunt infirmata, sive itinera mea, sive signa quæ impressi ad imitandum sequentibus.

38. [*vers.* 38.] *Persequar inimicos meos, et com-*

[1] Tredecim Mss., *Ut latitudinem.*
[2] In edd., *Quoniam.... sunt semper :* quæ vox, *semper*, a melioris notæ Mss. et a Græco abest.
[3] Lov., *Non quo.* Cæteri libri, *Non quod.*
[4] Præcipui Mss., *Et cum perverso subverteris.*
(*a*) Idem vers. 27 explicatur in Enar. Psal. XLIV, n. 17, et Psal. LXVII, n. 7.

[1] Mss. duo, *in prælium.* Alii plerique, *in prælio.* Apud LXX est *eis polemon.*
[2] Sic editio Lov. et melioris notæ Mss. At Er. et octo Mss., *salutis tuæ :* quam lectionem Hebræo respondere testatur Hieronymus, in Epist. 135, ad Suniam.

prehendam illos : persequar affectus carnales meos, nec ab eis comprehendar; comprehendam illos, ut absumantur. *Et non convertar donec deficiant :* et ab ista intentione non convertar ad quietem, donec deficiant qui obstrepunt mihi.

39. [*vers.* 39.] *Confringam illos, nec poterunt stare :* nec durabunt adversum me. *Cadent subtus pedes meos :* dejectis illis, præponam amores quibus ambulo in æternum.

40. [*vers.* 40.] *Et præcinxisti me virtute ad bellum :* et constrinxisti fluentia desideria carnis meæ virtute, ne in tali pugna præpedirer. *Supplantasti insurgentes in me subter me :* decipi fecisti eos qui me insequebantur, ut subter me fierent qui super me esse cupiebant.

41. [*vers.* 41.] *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum :* et inimicos meos convertisti, et dorsum mihi eos esse fecisti, id est, ut sequerentur me. *Et odio habentes me disperdidisti :* alios autem eorum qui in odio perduraverunt, disperdidisti.

42. [*vers.* 42.] *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret :* quis enim salvos faceret, quos tu non faceres? *Ad Dominum, nec exaudivit eos :* nec ad quemlibet, sed ad Dominum clamaverunt; nec exauditione dignos judicavit non recedentes a malitia sua.

43. [*vers.* 43.] *Et comminuam illos ut pulverem ante* [1] *faciem venti :* et comminuam illos; aridi enim sunt, non recipientes imbrem misericordiæ Dei : ut elati atque inflati superbia, a spe firma et inconcussa, et tanquam a terræ soliditate et stabilitate rapiantur. *Ut lutum platearum delebo eos :* per latas quas multi ambulant perditionis vias, luxuriantes et lubricos delebo eos.

44. [*vers.* 44.] *Erues me de contradictionibus populi :* erues me de contradictionibus eorum qui dixerunt : *Si dimiserimus eum* [2], *omne sæculum post illum ibit* (*Joan.* XI, 48).

45. [*vers.* 45.] *Constitues me in caput Gentium. Populus quem non cognovi servivit mihi :* populus Gentium quem corporali præsentia non visitavi, servivit mihi. *In obauditu auris obedivit mihi :* neque oculis me vidit; sed recipiens prædicatores meos, in obauditu auris obedivit mihi.

46. [*vers.* 46.] *Filii alieni mentiti sunt mihi :* filii non mei dicendi, sed potius alieni, quibus recte dicitur, *Vos ex patre diabolo estis* (*Id.* VIII, 44), mentiti sunt mihi. *Filii alieni inveteraverunt :* filii alieni, quibus ut renovarentur Novum Testamentum attuli, in vetere homine remanserunt. *Et claudicaverunt a semitis suis :* et tanquam uno pede debiles, quia Vetus tenentes, Novum Testamentum respuerunt, claudi effecti sunt, etiam in ipsa vetere Lege potius traditiones suas sequentes, quam Dei; calumniabantur enim de manibus non lotis (*Matth.* XV, 2), quia tales erant semitæ quas ipsi fecerant et consuetudine triverant, aberrando ab itineribus præceptorum Dei.

[1] Codex in Mss., *juxta faciem venti.*
[2] In plerisque Mss., *si dimiserimus eum vivum, sæculum,* etc.

47. [*vers.* 47.] *Vivit Dominus, et benedictus Deus meus :* secundum carnem autem sapere, mors est (*Rom.* VIII, 6); vivit enim Dominus, et benedictus Deus meus. *Et exaltetur Deus salutis meæ :* et non terrena consuetudine de Deo salutis meæ sentiam; nec terrenam ipsam salutem, sed in excelso de illo sperem.

48. [*vers.* 48.] *Deus qui das vindictas mihi, et subdis populos sub me :* Deus qui vindicas me, subdendo populos sub me. *Liberator meus de inimicis* [1] *iracundis :* clamantibus, *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX, 6), Judæis.

49. [*vers.* 49.] *Ab insurgentibus in me exaltabis me :* a Judæis insurgentibus in me patientem, exaltabis me resurgentem. *A viro iniquo erues me :* a regno eorum iniquo erues me.

50. [*vers.* 50] *Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine :* propterea tibi per me confitebuntur Gentes, Domine. *Et nomini tuo psallam :* et latius innotesces bonis operibus meis.

51. [*vers.* 51.] *Magnificans salutes regis ipsius :* Deus qui magnificat, ut admirabiles faciat salutes quas ejus Filius dat credentibus. *Et faciens misericordiam Christo suo :* Deus qui facit misericordiam Christo suo. *David et semini ejus usque in sæculum :* ipsi liberatori manu potenti qui vicit hunc mundum, et eis quos credentes Evangelio genuit in æternum. Quæcumque in hoc psalmo dicta sunt, quæ ipsi Domino proprie, id est capiti Ecclesiæ congruere non possunt, ad Ecclesiam referenda sunt. Totus enim Christus hic loquitur, in quo sunt omnia membra ejus.

IN PSALMUM XVIII

ENARRATIO I.

In finem, Psalmus ipsi David.

1. [*vers.* 1.] Titulus notus est : nec Dominus Jesus Christus hæc dicit, sed de illo hæc dicuntur.

2. [*vers.* 2.] *Cœli enarrant gloriam Dei :* justi Evangelistæ, in quibus Deus tanquam in cœlis habitat, exponunt gloriam Domini nostri Jesu Christi, sive gloriam qua glorificavit Patrem Filius super terram. *Et opera manuum ejus annuntiat firmamentum :* et facta virtutum Domini annuntiat firmamentum, fiducia Spiritus sancti et cœlum factum, quod antea timore terra erat.

3. [*vers.* 3.] *Dies diei eructat verbum :* Spiritus spiritualibus profert plenitudinem incommutabilis Sapientiæ Dei, quod Verbum in principio Deus apud Deum est (*Joan.* I, 1). *Et nox nocti annuntiat scientiam :* et mortalitas carnis tanquam longe positis carnalibus, fidem insinuando, annuntiat futuram scientiam.

4. [*vers.* 4.] *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum :* per quos non auditæ sint voces Evangelistarum, cum omnibus linguis Evangelium prædicaretur.

[1] Sic aliquot melioris notæ Mss. omissa voce, *meis,* quæ nunc est apud LXX. [*inimicis meis,* etc.]

5. *In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

6. [*vers.* 6.] *In sole posuit tabernaculum suum* (*a*) : Dominus autem ut adversus regna temporalium errorum belligeraret, non pacem, sed gladium missurus in terram (*Matth.* x, 34), in tempore vel in manifestatione posuit tanquam militare habitaculum suum, hoc est dispensationem incarnationis suæ. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo :* et ipse procedens de utero virginali, ubi Deus naturæ humanæ tanquam sponsus sponsæ copulatus est. *Exsultavit sicut gigas ad currendam viam :* exsultavit sicut fortissimus, et cæteros homines incomparabili virtute præcedens, non ad habitandam, sed ad currendam viam. Non enim in via peccatorum stetit (*Psal.* I, 1).

7. [*vers.* 7.] *A summo cœlo egressio ejus* (*b*) : a Patre egressio ejus, non temporalis, sed æterna, qua de Patre natus est. *Et occursus ejus usque ad summum cœli*[1] Et occurrit plenitudine divinitatis usque ad æqualitatem Patris. *Et non est qui se abscondat a calore ejus :* cum autem Verbum etiam caro factum est et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14) mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis; et ipsam enim penetravit Verbi calor.

8. [*vers.* 8.] *Lex Domini immaculata convertens animas.* Lex ergo Domini ipse est, qui venit legem implere, non solvere (*Matth.* v, 17) : et immaculata lex, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (I *Petr.* II, 22); non premens animas servitutis jugo, sed ad se imitandum libertate convertens. *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis : Testimonium Domini fidele*, quia nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare (*Matth.* XI, 27) : quæ abscondita sunt a sapientibus, et revelata parvulis; quoniam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jacobi* IV, 6).

9. [*vers.* 9.] *Justitiæ Domini rectæ, lætificantes cor*[2] : omnes justitiæ Domini in illo rectæ, qui non docuit quod ipse non fecit; ut qui imitarentur, corde gauderent, in eis quæ libere cum charitate facerent, non serviliter cum timore. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos :* præceptum Domini lucidum, sine velamento carnalium observationum, illuminans hominis interioris aspectum.

10. [*vers.* 10.] *Timor Domini castus permanens in sæculum sæculi :* timor Domini, non ille sub lege pœnalis, temporalia bona sibi subtrahi perhorrescens, quorum dilectione anima fornicatur; sed castus, quo Ecclesia sponsum suum quanto ardentius diligit, tanto diligentius cavet offendere : et ideo non foras mittit consummata dilectio timorem hunc (I *Joan.* IV, 18), sed permanet in sæculum sæculi.

11. [*vers.* 11.] *Judicia Domini vera, justificata in idipsum :* judicia ejus qui non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* v, 22), vere justificata incommutabiliter; neque enim vel minatus vel pollicitus Deus quemquam fallit, aut quisquam vel impiis supplicium, vel piis præmium ejus potest eripere. *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum :* sive multum ipsum aurum et lapidem, sive multum pretiosum, sive multum desiderabilia; tamen desiderabilia judicia Dei super pompas hujus sæculi, quarum desiderio fit ut non desiderentur, sed timeantur, aut contemnantur, aut non credantur judicia Dei. Quod si quisque ipse sit aurum lapisque pretiosus, ut igne non consumatur, sed assumatur in thesaurum Dei, plus quam seipsum desiderat judicia Dei, cujus voluntatem præponit suæ. *Et dulciora super mel et favum :* et sive quisque jam sit mel, qui jam solutus vitæ hujus vinculis exspectat diem quo veniat in epulas Dei; sive adhuc sit favus, ut quasi cera circumplicetur hac vita, non huic concretus, sed implens eam, cui opus sit aliqua pressura non opprimentis, sed exprimentis manus Dei, qua de temporali vita in æternam eliquetur; dulciora illi sunt judicia Dei, quam sibi ipse est, quia super mel et favum illi dulciora sunt.

12. [*vers.* 12.] *Etenim servus tuus custodit ea :* nam non custodienti amara dies Domini. *In custodiendo illa retributio multa :* non in aliquo extra posito commodo, sed in eo ipso quo judicia Dei custodiuntur, multa retributio : multa est, quia gaudetur in eis.

13. [*vers.* 13.] *Delicta quis intelligit?* In delictis autem qualis suavitas potest esse, ubi non est intellectus? quoniam delicta quis intelligit, quæ ipsum oculum claudunt, cui suavis est veritas, cui desiderabilia et dulcia sunt judicia Dei; et sicut tenebræ oculos, ita delicta mentem claudunt, nec lucem sinunt videre, nec se?

14. [*vers.* 14.] *Ab occultis meis munda me, Domine :* a cupiditatibus in me latentibus munda me, Domine. *Et ab alienis parce servo tuo* (*a*) : ne seducar ab aliis, neque enim alienis capitur qui est mundus a suis. Parce itaque ab alienis cupiditatibus, non superbo et in sua potestate esse cupienti, sed servo tuo. *Si mei non fuerint dominata, tunc immaculatus ero :* si mei non fuerint dominata occulta mea, et aliena peccata, tunc immaculatus ero; non enim est tertia[1] origo peccati, præter occultum suum quo cecidit diabolus, et alienum quo seductus est homo, ut consentiendo suum faceret. *Et mundabor a delicto magno :* quo alio, nisi superbiæ? Non enim est majus delictum, quam apostatare a Deo, quod est initium superbiæ hominis (*Eccli.* x, 14) : et vere ille immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret; quia hoc est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit.

15. [*vers.* 15.] *Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper :* meditatio cordis mei non ad jactantiam placendi hominibus, quia jam nulla superbia est; sed in conspe-

[1] Sic Mss. juxta LXX. At editi, *ad summum ejus.*
[2] Edd., *corda.* At Mss., *cor*, singulari numero, juxta Græc. LXX.
(*a*) De eodem vers. 6 vide Enar. Psal. XLIV, n. 3.
(*b*) Idem vers. 7 exponitur in Enar. Psal. LVIII, serm. 1, n. 10.

[1] Edd., *certior origo.* Sed verius Mss., *tertia origo.*
(*a*) Idem vers. 14 explicatur in Enar. Psal. XXXIX, n. 20.

ctu tuo semper, qui conscientiam puram inspicis. *Domine adjutor meus, et redemptor meus :* Domine adjutor meus, tendentis ad te; quoniam redemptor meus es tu, ut tenderem ad te : ne quisquam vel sapientiæ suæ tribuens quod ad te convertitur, vel viribus quod ad te pervenit, magis repellatur abs te qui superbis resistis; quia mundatus non est a delicto magno, nec complacuit in conspectu tuo, qui redimis ut convertamur, et adjuvas ut perveniamus ad te.

ENARRATIO II.

SERMO AD PLEBEM.

1. Deprecati Dominum, ut ab occultis nostris mundet nos, et ab alienis parcat servis suis, quid hoc sit intelligere debemus, ut humana ratione, non quasi avium voce cantemus. Nam et meruli et psittaci et corvi et picæ et hujusmodi volucres, sæpe ab hominibus docentur sonare quod nesciunt. Scienter autem cantare, naturæ hominis divina voluntate concessum est. Et quam multi mali et luxuriosi sic cantant digna auribus suis et cordibus, novimus et dolemus. Eo enim pejores sunt, quo non possunt ignorare quod cantant. Sciunt enim se cantare flagitia, et tamen cantant tanto libentius, quanto immundius : quoniam tanto se putant lætiores, quanto fuerint turpiores. Nos autem qui in Ecclesia divina eloquia cantare didicimus, simul etiam instare debemus esse quod scriptum est, *Beatus populus qui intelligit jubilationem* (*Psal.* LXXXVIII, 16). Proinde, carissimi, quod consona voce cantavimus, sereno etiam corde nosse ac videre debemus. Rogavit enim Dominum unusquisque nostrum in hoc cantico, et dixit Deo : *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. Si mei non fuerint dominata, tunc immaculatus ero, et mundabor a delicto magno.* Quod ut bene sciamus quid sit, et quale hoc sit, ipsius psalmi textum, quantum donat Dominus, breviter percurramus.

2. Cantatur enim de Christo; quod evidenter ibi apparet, quia illic scriptum est : *ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Quis est enim sponsus, nisi cui desponsata est illa virgo ab Apostolo, cui timet caste castus sponsi amicus, ne sicut serpens Evam fefellit astutia sua, sic et hujus virginis sponsæ Christi sensus corrumpantur a castitate quæ est in Christo (II *Cor.* XI, 3)? In hoc ergo Domino et Salvatore nostro Jesu Christo posita est magna et plena gratia, de qua dicit apostolus Joannes : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam tanquam Unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate* (*Joan.* I, 14). Hanc *gloriam cæli enarrant : cæli*, sancti sunt; elevati a terra, portantes Dominum. Quanquam gloriam Christi cœlum etiam quodammodo narravit : quando narravit? quando nato eodem Domino stella nova quæ nunquam videbatur apparuit. Sed tamen sunt veriores et sublimiores [1] cœli, de quibus consequenter ibi dicitur : *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Quorum, nisi cœlorum? quorum ergo, nisi Apostolorum? Ipsi enarrant nobis gloriam Dei, positam in Christo Jesu, per gratiam in remissionem [1] peccatorum. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per sanguinem ipsius (*Rom.* III, 23). Quia gratis, ideo gratia; non est enim gratia, si non gratuita. Quia nihil boni ante feceramus, unde talia dona mereremur; magis quia [2] non gratis inferretur supplicium, ideo gratis præstitum est beneficium : nihil præcesserat in meritis nostris, nisi unde damnari deberemus. Ille autem non propter nostram justitiam, sed propter suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis (*Tit.* III, 5). Hæc est, inquam, gloria Dei : hanc cœli enarraverunt. Hæc est, inquam, gloria Dei, non tua : nihil enim boni fecisti, et tamen tantum bonum accepisti. Si ergo pertines ad gloriam quam cœli enarraverunt, dic Domino Deo tuo : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII, 11) : prævenit enim te; utique prævenit, quia nihil in te boni invenit. Prævenisti supplicium [3] ejus superbiendo : ille prævenit supplicium tuum peccata delendo. Tanquam enim ex peccatore justificatus, ex impio pius factus, ex damnato in regnum [4] assumptus, dic Domino Deo tuo : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII *secund.* 1). Dicamus, *Non nobis :* quibus enim *si quasi nobis?* Dicamus, inquam, *Non nobis*, quia si ita faceret sicut nobis, nonnisi pœnas infligeret nobis. Non nobis, sed nomini suo det gloriam : quia non secundum iniquitates nostras fecit nobis (*Psal.* CII, 10). *Non* ergo *nobis, Domine, non nobis :* repetitio confirmatio est. *Non nobis, Domine, sed nomini tuo da gloriam :* hoc illi noverant cœli, qui enarraverunt gloriam Dei.

3. [*vers.* 2.] *Et opera manuum ejus annuntiat firmamentum :* quod dictum est, *gloriam Dei*, hoc repetitum est, *opera manuum ejus.* Quæ opera manuum ejus? Non sicut quidam sentiunt, Deus verbo fecit omnia, et tanquam præstantiorem cæteris hominem suis manibus fecit. Non ita sentiendum est : infirma est ista, et non satis climata sententia; omnia enim verbo fecit. Nam licet opera Dei diversa narrentur, in quibus hominem ad imaginem suam fecit (*Gen.* I); tamen omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). Quod autem ad manus Dei attinet, et de cœlis dictum est, *Et opera manuum tuarum sunt cœli* (*Psal.* CI, 26); et ne putes etiam ibi cœlos sanctos dictos subjecit : *Ipsi peribunt, tu autem permanes* (*Ibid.*, 27). Ergo non solum homines, sed etiam cœlos qui peribunt, Deus manibus suis fecit, cui dictum est, *Opera manuum tuarum sunt cœli;* et de terra hoc idem dictum est : *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam manus ejus fundaverunt* (*Psal.* XCIV, 5)? Ergo si et cœlos manibus et terram manibus, non solum hominem fecit manibus : et si cœlos verbo, et terram verbo, ergo et hominem verbo. Quod verbo,

[1] Mss. carent his verbis, *sunt veriores et sublimiores.*

[1] Gatian. codex : *gratiam remissionis peccatorum.* Alii quidam Mss., *gratiam et remissionem peccatorum.*
[2] Lov., *quia ne non gratis.* Abest, *ne*, ab Fr. et a Mss.
[3] Gatian. codex, *beneficium.*
[4] Fr. et plerique Mss., *ex damnato regno assumptus.*

hoc manu; et quod manu, hoc verbo : non enim humanis membris statura Dei distincta est, qui ubique totus est, et nullo continetur loco ; quod ergo verbo fecit, sapientia fecit, et quod manu fecit, virtute fecit. Christus est autem Dei Virtus et Dei Sapientia (I *Cor.* I, 24) : Omnia autem per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Enarrarunt, enarrant, enarrabunt cœli gloriam Dei : enarrabunt, inquam, cœli, hoc est sancti, gloriam Dei, a terra suspensi. Deum portantes, præceptis tonantes, sapientia coruscantes ; illam, ut dixi, gloriam Dei, qua salvi facti sumus indigni. Hanc indignitatem, id est, qua digni non fuimus, agnoscit filius minor egestate constrictus : agnoscit, inquam, hanc indignitatem filius minor a patre longe peregrinus, dæmonum cultor, tanquam porcorum pastor; agnoscit gloriam Dei, sed egestate constrictus. Et quia illa gloria Dei facti sumus quod digni non fuimus, dicit ad Patrem suum : *Non sum dignus vocari filius tuus* (*Luc.* XV, 21) : infelix, per humilitatem impetrat felicitatem; et eo se ostendit dignum, quo confitetur indignum. Hanc *gloriam Dei cœli enarrant, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum :* cœlum firmamentum, firmum cor, non timidum cor. Annuntiata enim sunt ista inter impios, inter adversos Deo, inter amatores mundi persecutoresque justorum : inter sævientem mundum annuntiata sunt ista. Sed sæviens mundus quid poterat facere, quando firmamentum ista annuntiabat? *Annuntiat firmamentum :* quid? *Opera manuum ejus.* Quæ sunt opera manuum ejus? Gloria Dei illa, qua salvi facti sumus, qua creati in bonis operibus sumus : ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis (*Ephes.* II, 10) ; non solum quippe homines, sed etiam justos, si tamen sumus, ipse fecit nos, et non ipsi nos (*Psal.* XCIX, 3).

4. [*vers.* 3.] *Dies diei eructat verbum, et nox nocti annuntiat scientiam :* quid est? Forte planum et apertum est, *Dies diei eructat verbum;* apertum et planum, tanquam per diem : quod autem *nox nocti annuntiat scientiam*, obscurum est, tanquam per noctem. *Dies diei*, sancti sanctis, Apostoli fidelibus, ipse Christus Apostolis, quibus dixit : *Vos estis lumen mundi* (*Matth.* V, 14). Apertum hoc videtur et cognitu facile. Quomodo autem *nox nocti annuntiat scientiam?* Nonnulli hæc verba simpliciter intellexerunt, et forte hoc sit verum; æstimantes hac sententia significatum esse, quod tempore Domini nostri Jesu Christi, cum in terra versaretur, Apostoli audierunt, hoc in posteros esse trajectum, tanquam de tempore in tempus : *dies diei, nox nocti*, prior dies posteriori diei, et prior nox posteriori nocti ; quia hæc doctrina diebus et noctibus prædicatur. Iste simplex intellectus cui sufficit sufficiat. Sed nonnulla verba Scripturarum obscuritate sua hoc profuerunt, quod multas intelligentias pepererunt : itaque hoc si planum esset, unum aliquid audiretis ; quia vero obscure dictum est, multa audituri estis. Est et alius intellectus : *dies diei, nox nocti*, hoc est, spiritus spiritui, caro carni. Est alius : *dies diei*, spirituales spiritualibus ; *et nox nocti*, carnales carnalibus. Utrique enim audiunt, etsi non utrique similiter sapiunt : illi enim audiunt tanquam verbum eructatum ; illi tanquam scientiam annuntiatam : quod enim ructatur, præsentibus ructatur ; quod autem annuntiatur, longe positis annuntiatur. Possunt cœli sensus plures inveniri, sed adhibendus est modus propter angustias præsentis temporis. Dicamus autem et unum aliquid, quod quidam velut conjicientes [1] aperuerunt : quando Dominus, inquiunt, Christus loquebatur Apostolis, dies diei eructabat verbum ; quando Judas Dominum Christum prodidit Judæis, nox nocti annuntiabat scientiam.

5. [*vers.* 3, 4.] *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum :* quorum, nisi cœlorum illorum qui enarrant gloriam Dei? *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Legite Actus Apostolorum, quomodo veniente super eos Spiritu sancto, omnes impleti sunt illo ; et loquebantur linguis omnium gentium, sicut Spiritus dabat eis pronuntiare (*Act.* II, 4). Ecce *non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum :* sed non ibi tantum ubi impleti sunt sonuerunt ; *In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Ideo et nos hic loquimur : sonus enim ille ad nos usque pervenit, sonus qui in omnem terram exiit, et hæreticus Ecclesiam non intrat. Ideo sonus in omnem terram exiit, ut tu in cœlum intres. O pestilentiose, litigiose, pessime, et adhuc errare volens ; o superbe fili, audi testamentum patris tui. Ecce, quid planius, quid apertius? *In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Numquid expositore opus est? Quid contra te conaris? Partem vis in lite retinere, qui potes totum in concordia retinere?

6. [*vers.* 6.] *In sole posuit tabernaculum suum :* in manifestatione Ecclesiam suam, non in occulto, non quæ lateat, non velut opertam [2]; ne forte fiat sicut operta super greges hæreticorum. Dictum est et cuidam in Scriptura sancta, *Quoniam tu in occulto fecisti, patieris in sole* (II *Reg.* XII, 12) : hoc est, occulte malum fecisti, pœnas patieris in omnium manifestatione. *In sole ergo posuit tabernaculum suum.* Quid tu, hæretice, fugis in tenebras? Christianus es? audi Christum. Servus es? audi dominum. Filius es? audi patrem : emendare, revivisce. Dicamus et de te : *Mortuus erat, et revixit ; perierat, et inventus est* (*Luc.* XV, 32). Non mihi dicas, Utquid me quæris, si perii? Ideo enim te quæro, quia periisti. Noli, inquit, me quærere : hoc sane vult iniquitas, qua divisi sumus ; sed non vult charitas, qua fratres sumus. Improbus non essem, si quærerem servum meum ; et improbus dicor, quia quæro fratrem meum? Sic sapiat in quo fraterna charitas non est, ego tamen quæro fratrem meum. Irascatur, dum tamen quæratur, qui inventus placatur. Quæro, inquam, fratrem meum, et interpello non contra illum, sed pro illo Dominum meum : nec dicam interpellans, Domine, dic fratri meo ut di-

[1] Aliquot Mss., *concinens.*
[2] Sic Mss. At Lov. omissa negatione, *velut opertam.*

vidat mecum hæreditatem (*Luc.* XII, 13); sed, dic fratri meo ut teneat mecum hæreditatem. Quid ergo erras, frater? quid per angulos fugis? quid latitare conaris? *In sole posuit tabernaculum suum. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Puto quod agnoscas eum. Ille tanquam sponsus procedens de thalamo suo, *exsultavit ut gigas ad currendam viam; ipse in sole posuit tabernaculum suum :* hoc est, ille tanquam sponsus, cum Verbum caro factum est, in utero virginali thalamum invenit; atque inde naturæ conjunctus humanæ, tanquam de castissimo procedens cubili, humilis misericordia infra omnes, fortis majestate super omnes. Hoc est enim, *gigas exsultavit ad currendam viam :* natus est, crevit, docuit, passus est, resurrexit, ascendit; cucurrit viam, non hæsit in via. Idem ipse ergo sponsus qui hæc fecit, ipse posuit *in sole,* hoc est in manifestatione, *tabernaculum suum,* hoc est sanctam Ecclesiam suam.

7. [*vers.* 7.] Quam autem viam cito cucurrit vis audire? *A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus.* Postea vero quam excurrit inde, et recurrendo remeavit, misit Spiritum suum. Visæ sunt illis super quos venit, linguæ divisæ velut ignis (*Act.* II, 3). Sicut ignis venit Spiritus sanctus, fœnum carnis consumpturus, aurum cocturus et purgaturus; sicut ignis venit, et ideo sequitur, *Et non est qui se abscondat a calore ejus.*

8. [*vers.* 8.] *Lex Domini immaculata convertens animas.* Hoc est Spiritus sanctus. *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis :* non superbis. Hoc est Spiritus sanctus.

9. [*vers.* 9.] *Justitiæ Domini rectæ :* non terrentes, sed *lætificantes corda.* Hoc est Spiritus sanctus. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos,* non hebetans : non carnis oculos, sed cordis; non exterioris hominis, sed interioris. Hoc est Spiritus sanctus.

10. [*vers.* 10.] *Timor Domini :* non servilis, sed *castus;* gratis amans, non puniri timens ab eo quem tremit, sed separari ab eo quem diligit. Iste est timor castus, non quem consummata charitas foras mittit (I *Joan.* IV, 18); sed *permanens in sæculum sæculi.* Hic est Spiritus sanctus; id est, hunc donat, hunc confert, hunc inserit Spiritus sanctus. *Judicia Domini vera, justificata in idipsum :* non ad rixas divisionis, sed ad congregationem unitatis; hoc est enim, *in idipsum.* Hoc est Spiritus sanctus. Ideo linguis omnium loqui fecit, in quos primo venit; quia linguas omnium gentium in unitatem se congregaturum esse nuntiavit. Quod tunc faciebat unus homo accepto Spiritu sancto, ut unus homo linguis omnium loqueretur; hoc modo ipsa unitas facit, linguis omnibus loquitur. Et modo unus homo in omnibus gentibus linguis omnibus loquitur, unus homo caput et corpus, unus homo Christus et Ecclesia, vir perfectus, ille sponsus, illa sponsa : sed *erunt,* inquit, *duo in carne una* (*Gen.* II, 24). *Judicia Dei vera justificata in idipsum :* propter unitatem.

11. [*vers.* 11.] *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum :* aut multum aurum, aut multum pretiosum, aut multum desiderabilia; tamen multum, hæretico parum. Non nobiscum amant idipsum, et nobiscum confitentur Christum. Ipsum quem mecum confiteris Christum, ipsum ama mecum. Et qui idipsum non vult, recusat, recalcitrat, respuit : non illi est desiderabile hoc super aurum et lapidem pretiosum multum. Audi aliud : *Et dulciora,* inquit, *super mel et favum.* Sed hoc adversum est erranti : mel amarum est febrienti, dulce tamen et acceptabile sanato, quia carum est sanitati. *Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum.*

12. [*vers.* 12.] *Nam et servus tuus custodit ea :* quam dulcia ista sunt, custodiendo probat servus tuus, non loquendo. Custodit ea servus tuus, quia et nunc dulcia sunt, et in posterum salubria sunt; nam *in custodiendo ea retributio multa :* sed amans animositatem suam, nec videt hunc splendorem hæreticus, nec sentit dulcedinem.

13. [*vers.* 13, 14.] *Delicta* enim *quis intelligit?* Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII, 34). Ideo, inquit, iste est servus qui custodit hanc dulcedinem, suavitatem charitatis, amorem [1] unitatis. Ego, inquit, ipse qui custodio, rogo te, quoniam *delicta quis intelligit?* ne mihi ut homini quædam subrepant, et quibusdam ut homo præoccuper, *Ab occultis meis munda me, Domine.* Hoc ergo cantavimus, ecce ad hoc loquendo pervenimus. Dicamus, et cum intellectu cantemus, et cantando oremus, et orando impetremus : dicamus, *Ab occultis meis munda me, Domine.* Quis enim delicta intelligit? Si videntur tenebræ, intelliguntur delicta. Denique quando nos delicti pœnitet, in luce sumus. Nam quando quisque ipso delicto involutus est, quasi obtenebratis opertisque oculis non videt delictum : quia si tibi tegatur et carnis oculus, nec aliud vides, nec hoc unde tegitur vides. Ergo Deo dicamus, qui novit videre quod purget, novit inspicere quod sanet; illi dicamus : *Ab occultis meis munda me, Domine; et ab alienis parce servo tuo.* Delicta, inquit, mea inquinant me, delicta aliena affligunt me : ab his munda me, ab illis parce. Tolle mihi ex corde malam cogitationem, repelle a me malum suasorem : hoc est, *Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo.* Nam ista duo genera delictorum, propria simul et aliena, etiam primitus in exordio claruerunt : diabolus suo delicto cecidit, Adam alieno dejecit. Hic ipse Dei servus custodiens judicia Dei, in quibus retributio multa, et in alio psalmo sic orat : *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatorum non moveant me* (*Psal.* XXXV, 12). Non veniat, inquit, mihi pes superbiæ, hoc est, *Ab occultis meis munda me, Domine;* et manus peccatorum non moveant me, hoc est, *Ab alienis parce servo tuo.*

14. *Si mei non fuerint dominata :* occulta mea et delicta aliena. *Tunc immaculatus ero :* hoc non suis viribus audet, sed Dominum deprecatur ut impleat,

[1] In plerisque Mss., *amore.*

cui dicitur in psalmo : *Itinera mea dirige secundum verbum tuum, et non dominetur mihi omnis iniquitas* (*Psal.* CXVIII, 133). Noli timere, si christianus es, dominum foris hominem : Dominum Deum tuum semper time. Malum in te time, hoc est cupiditatem tuam, non quod in te Deus fecit, sed quod tibi ipse fecisti : te Dominus bonum servum fecit; tu tibi in corde tuo malum dominum creasti. Merito subderis iniquitati, merito subderis domino quem tu tibi ipsi fecisti; quia ei qui te fecit subditus esse noluisti.

15. Sed *si mei*, inquit, *non fuerint dominata, tunc immaculatus ero; et mundabor a delicto magno :* quo putamus delicto? quod illud est delictum magnum? Forte aliud sit quam dicturus sum, non tamen celabo quod sentio. Delictum magnum arbitror esse superbiam. Hoc fortasse et aliter significatum est in eo quod ait, *Et mundabor a delicto magno.* Quæritis quam magnum sit hoc delictum, quod dejecit Angelum, quod ex Angelo fecit diabolum, eique in æternum interclusit regnum cœlorum? Magnum hoc delictum est, et caput atque causa omnium delictorum; scriptum est enim : *Initium peccati omnis superbia.* Et ne quasi leve aliquid contemnas, *Initium*, inquit, *superbiæ hominis apostatare a Deo* (*Eccli.* X, 15, 14). Non leve malum est hoc vitium, fratres mei : huic vitio in his personis, quas videtis amplas, displicet humilitas christiana. Propter hoc vitium dedignantur colla subdere jugo Christi, obligati arctius jugo peccati. Non enim servire non eis continget : nam nolunt servire, sed eis expedit servire. Nolendo servire nihil aliud agunt, quam ut bono Domino non serviant; non ut omnino non serviant : quia qui noluerit servire charitati, necesse est ut serviat iniquitati. Ab hoc vitio, quod est caput omnium vitiorum, quia inde cætera vitia nata sunt, facta est apostasia a Deo, eunte anima in tenebras, et male utente libero arbitrio, peccatis etiam cæteris consecutis : ut et substantiam suam dissiparet cum meretricibus vivens prodige, et per egestatem fieret pastor porcorum (*Luc.* XV, 13), qui erat socius Angelorum. Propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum, Deus humilis venit : hæc causa, hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum, omnipotentem medicum de cœlo deduxit, usque ad formam servi humiliavit, contumeliis egit, ligno suspendit; ut per salutem tantæ medicinæ curetur hic tumor. Jam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus. Ita, inquit, *mundabor a delicto magno*, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jacobi* IV, 6. I *Petr.* V, 5).

16. [*vers.* 15.] *Et per hoc ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper :* nam si ab hoc magno delicto non mundabor, in conspectu hominum placebunt eloquia mea, non in conspectu tuo. Superba anima in conspectu hominum vult placere : humilis anima in occulto, ubi Deus videt, vult placere; ut si placuerit hominibus de bono opere, illis gratuletur quibus placet bonum opus, non sibi cui sufficere debet quia fecit bonum opus : *Gloria nostra*, inquit, *hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (II *Cor.* I, 12). Ideoque dicamus etiam quod sequitur, *Domine, adjutor meus et redemptor meus :* adjutor in bonis, redemptor a malis; adjutor ut habitem in charitate tua, redemptor ut liberes me ab iniquitate mea.

IN PSALMUM XIX

ENARRATIO.

In finem, Psalmus David.

1. [*vers.* 1.] Notus est iste titulus, nec Christus dicit, sed Christo dicit Propheta, figura optandi quæ ventura sunt canens.

2. [*vers.* 2.] *Exaudiat te Dominus in die tribulationis :* exaudiat te Dominus in die qua dixisti, *Pater, clarifica Filium tuum* (*Joan.* XVII, 1). *Protegat te nomen Dei Jacob :* ad te enim pertinet populus posterior natu, quia major serviet minori (*Gen.* XXV, 23).

3. [*vers.* 3.] *Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te*, faciens tibi sanctificatum corpus, Ecclesiam, de speculatione tutam, quæ exspectat quando venias a nuptiis [1].

4. [*vers.* 4.] *Memor sit omnis sacrificii tui :* memores nos faciat omnium injuriarum tuarum et contumeliarum, quas pro nobis pertulisti. *Et holocaustum tuum pingue fiat :* et crucem, qua totus oblatus es Deo, in lætitiam resurrectionis convertat.

5. [*vers.* 5.] (*a*) *Tribuat tibi Dominus secundum cor tuum :* tribuat tibi Dominus, non secundum cor eorum qui putaverunt persequendo delere te posse; sed secundum cor tuum, quo scisti quid utilitatis haberet passio tua. *Et omne consilium tuum compleat :* et compleat omne consilium tuum, non solum quo animam tuam posuisti pro amicis tuis (*Joan.* XV, 13), ut mortificatum granum copiosius resurgeret (*Id.* XII, 25); sed etiam quo cæcitas ex parte Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret (*Rom.* XI, 25).

6. [*vers.* 6.] *Exsultabimus in salutari tuo :* exsultabimus quod tibi mors nihil nocebit; ita enim nec nobis eam nocere posse monstrabis. *Et in nomine* [2] *Dei nostri magnificabimur :* et confessio tui nominis non solum non perdet, sed etiam magnificabit nos.

7. [*vers.* 7.] *Impleat Dominus omnes petitiones tuas :* impleat Dominus non solum petitiones quas habuisti in terra, sed etiam quibus in cœlo interpellas pro nobis. *Nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum :* nunc mihi per prophetiam demonstratum est, quoniam resuscitabit Dominus Christum suum. *Exaudiet illum de cœlo sancto suo :* exaudiet illum, non de terra tantum, ubi se petiit clarificari (*Joan.* XVII, 1); verum etiam de cœlo, ubi jam ad dexteram Patris interpellans pro nobis (*Rom.* VIII, 34), diffudit inde Spiritum sanctum super credentes

[1] Edd., *ad nuptias*. At Mss., *a nuptiis*.
[2] Sic ex melioribus Mss. juxta LXX. [*nomine Domini Dei*, etc.]
(*a*) Diapsalma.

in se. *In potentatibus salus dexteræ ejus* : potentatus nostri sunt salus favoris ejus, cum etiam de tribulatione dat auxilium, ut quando infirmamur, tunc potentes simus (II *Cor.* XII, 10). Nam vana salus hominum (*Psal.* LIX, 13), quæ non dexteræ, sed sinistræ ejus est : hac enim extolluntur in magnam superbiam, quicumque peccantes temporaliter salvi facti sunt.

8. [*vers.* 8.] *Hi in curribus et hi in equis* (*a*) : hi volubili successione temporalium bonorum trahuntur, et hi superbis præferuntur [1] honoribus, atque in his exsultant. *Nos autem in nomine Domini Dei nostri exsultabimus* : nos autem spem figentes in æternis, neque gloriam nostram quærentes, in nomine Domini Dei nostri exsultabimus.

9. [*vers.* 9.] *Ipsi obligati sunt, et ceciderunt* : et ideo ipsi temporalium rerum cupiditate obligati sunt, timentes parcere Domino, ne a Romanis perderent locum (*Joan.* XI, 48); et irruentes in lapidem offensionis (*Rom.* IX, 32) et petram scandali, de spe cœlesti ceciderunt : quibus cæcitas ex parte Israel facta est, ignorantibus Dei justitiam, et suam volentibus constituere (*Id.* X, 3). *Nos vero surreximus* [2], *et erecti sumus* : nos vero ut populus Gentium intraret, de lapidibus excitati filii Abraham (*Matth.* III, 9) qui non sectabamur justitiam, apprehendimus eam (*Rom.* IX, 30), et surreximus; nec viribus nostris, sed per fidem justificati erecti sumus.

10. [*vers.* 10.] *Domine, salvum fac regem* : ut ipse qui nobis præliandi exemplum passione monstravit, offerat etiam sacrificia nostra, sacerdos excitatus a mortuis, et in cœlo constitutus. *Et exaudi nos in die qua invocaverimus te* : quo jam pro nobis offerente [3], exaudi nos in die qua invocaverimus te.

IN PSALMUM XX
ENARRATIO.

In finem, Psalmus ipsi David.

1. [*vers.* 1.] Titulus notus est; de Christo canitur.

2. [*vers.* 2.] *Domine, in virtute tua lætabitur rex* : Domine, in virtute tua, qua [4] Verbum caro factum est, lætabitur homo Christus Jesus. *Et super salutari tuo exsultabit vehementer* : et super hoc, quo vivificas omnia, exsultabit vehementer.

3. [*vers.* 3.] *Desiderium animæ ejus dedisti ei* : desideravit manducare Pascha (*Luc.* XXII, 15), et ponere cum vellet, atque iterum cum vellet sumere animam suam (*Joan.* X, 18); et dedisti ei. *Et voluntate labiorum ejus non privasti* [5] *eum. Pacem meam*, inquit, *relinquo vobis* (*Id.* XIV, 27) : et factum est.

4. [*vers.* 4.] *Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis* : quoniam prius hauserat benedictionem dulcedinis tuæ, fel peccatorum nostrorum non nocuit ei (*a*). *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso* : in principio sermonis ejus accedentes ambierunt eum lapides pretiosi, discipuli sui, a quibus exordium annuntiationis ejus fieret.

5. [*vers.* 5.] *Vitam petiit, et dedisti ei* : resurrectionem petiit, dicens, *Pater, clarifica Filium tuum* (*Joan.* XVII, 1); et dedisti ei. *Longitudinem dierum in sæculum sæculi* : longa tempora sæculi hujus, quæ haberet Ecclesia, et deinceps æternitatem in sæculum sæculi.

6. [*vers.* 6.] *Magna est gloria ejus in salute tua* : magna est quidem gloria ejus in salute, qua eum resuscitasti. *Gloriam et magnum decorem impones super eum* : sed adhuc gloriam et magnum decorem addes ei, cum in cœlo collocabis ad dexteram tuam.

7. [*vers.* 7.] *Quoniam dabis ei benedictionem in sæculum sæculi* : hæc est benedictio, quam ei dabis in sæculum sæculi : *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo* : secundum hominem lætificabis eum cum vultu tuo, quem levavit ad te.

8. [*vers.* 8.] *Quoniam rex sperat in Domino* : quoniam rex non superbit, sed humilis corde sperat in Domino. *Et in Altissimi misericordia non commovebitur* : et in Altissimi misericordia non conturbabit humilitatem ejus obedientia [1] usque ad mortem crucis.

9. [*vers.* 9.] *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis* : inveniatur, o rex, potestas tua, cum ad judicandum veneris, omnibus inimicis tuis, qui eam in humilitate tua non intellexerunt. *Dextera tua inveniat omnes qui te oderunt* : claritas qua regnas ad dexteram Patris, inveniat in die judicii puniendos omnes qui te oderunt; quia nunc ipsi non invenerunt eam.

10. [*vers.* 10.] *Pones eos ut clibanum ignis* : constitues eos ardentes intrinsecus, conscientia impietatis suæ. *In tempore vultus tui* : in tempore manifestationis tuæ. *Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis* : deinde conturbati vindicta Domini, post accusationem conscientiæ, dabuntur igni æterno devorandi.

11. [*vers.* 11.] *Fructum illorum de terra perdes* : fructum illorum, quia terrenus est, perdes de terra. *Et semen eorum a filiis hominum* : et opera illorum, vel quoscumque seduxerunt, non deputabis inter filios hominum, quos in hæreditatem sempiternam vocasti.

12. [*vers.* 12.] *Quoniam declinaverunt in te mala* : hæc autem pœna retribuetur eis, quoniam mala quæ sibi imminere te regnante arbitrabantur, in te occidendum detorserunt. *Cogitaverunt consilium, quod non potuerunt stabilire* : cogitaverunt consilium, dicentes, *Expedit unum pro omnibus mori* (*Id.* XI, 50); quod non potuerunt stabilire, nescientes quid dixerint.

[1] Colb. Ms., *feruntur*.
[2] Potiores Mss., *resurreximus*.
[3] Sic Mss. At edd., *Quoniam pro nobis offers te*.
[4] Edd., *quod* : et paulo post, *quod vivificas*. At aliquot Mss. hic habent, *qua*, et infra, *quo vivificas*.
[5] Edd., *fraudasti*. Mss. vero, *privasti*. In Græco est, *esterêsas*.
(*a*) Idem vers. 8 tractatur in Enar. Psal. CXLVI, n. 19

[1] Sic optimæ notæ Mss. At edd., *atque obedientiam*.
(*a*) Dial. salma.

13. [*vers.* 13.] *Quoniam pones eos dorsum:* quoniam ordinatis eos in his, a quibus postpositis et contemptis averteris. *In reliquiis tuis præparabis vultum eorum:* et in his quæ relinquis, id est in cupiditatibus regni terreni, præparabis tibi ad passionem impudentiam eorum.

14. [*vers.* 14.] *Exaltare, Domine, in virtute tua:* quem humilem non cognoverunt, exaltare, Domine, in virtute tua, quam infirmitatem putaverunt. *Cantabimus et psallemus virtutes tuas:* corde et opere celebrabimus et nota faciemus mirabilia tua.

IN PSALMUM XXI (*a*)

ENARRATIO I.

In finem, pro susceptione matutina, Psalmus David.

1. [*vers.* 1.] In finem, pro resurrectione sua ipse Dominus Jesus Christus loquitur. Matutina enim fuit prima sabbati resurrectio ejus, qua susceptus est in æternam vitam, cui mors ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9). Dicuntur autem ista ex persona crucifixi: nam de capite psalmi hujus sunt verba quæ ipse clamavit cum in cruce penderet, personam etiam servans veteris hominis, cujus mortalitatem portavit. Nam vetus homo noster confixus est cruci cum illo (*Ibid.*, 6).

2. [*vers.* 2.] *Deus, Deus meus, respice me, quare me dereliquisti longe a salute mea* (*b*)? longe factus a salute mea; quoniam longe est a peccatoribus salus (*Psal.* CXVIII, 155). *Verba delictorum meorum:* nam hæc verba sunt non justitiæ, sed delictorum meorum. Vetus enim homo confixus cruci loquitur; etiam causam ignorans quare eum dereliquerit Deus: aut certe, *Longe a salute mea sunt verba delictorum meorum.*

3. [*vers.* 3.] *Deus meus, clamabo ad te per diem, nec exaudies* (*c*): Deus meus, clamabo ad te in rebus prosperis hujus vitæ, ut non mutentur; nec exaudies, quia verbis delictorum meorum ad te clamabo. *Et nocte, et non ad insipientiam mihi:* et in adversis utique hujus vitæ clamabo ut prosperentur, et similiter non exaudies. Neque hoc facis ad insipientiam mihi, sed potius ut sapiam quid clamare me velis; non verbis delictorum ex desiderio temporalis vitæ, sed verbis conversionis ad te in vitam æternam.

4. [*vers.* 4.] *Tu autem in sancto habitas, laus Israel:* tu autem in sancto habitas, et ideo immunda delictorum verba non exaudies. Laus videntis te, non ejus qui laudem suam quæsivit in gustando vetito cibo, ut apertis corporeis oculis abscondere se conaretur a conspectu tuo (*Gen.* III).

5. [*vers.* 5.] *In te speraverunt patres nostri:* omnes justi scilicet, non quærentes suam laudem, sed tuam; *speraverunt, et eruisti eos.*

6. [*vers.* 6.] *Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt:* ad te clamaverunt, non verbis delictorum a quibus longe est salus, et ideo salvi facti sunt. *In te speraverunt, et non sunt confusi:* in te speraverunt, nec eos fefellit spes; non enim in se illam posuerunt.

7. [*vers.* 7.] *Ego autem sum vermis, et non homo:* ego autem jam non ex persona Adam loquens, sed ego proprie Jesus Christus sine semine in carne natus sum[1], ut essem in homine ultra homines; ut vel sic dignaretur imitari humana superbia humilitatem meam. *Opprobrium hominum et abjectio plebis:* in qua factus sum opprobrium hominum, ita ut pro convicioso maledicto diceretur; *Tu sis discipulus ejus* (*Joan.* IX, 28), et plebs me contemneret.

8. [*vers.* 8.] *Omnes qui conspiciebant me, subsannabant me:* omnes qui conspiciebant me, irridebant me, *Et locuti sunt labiis, et moverunt caput:* et locuti sunt non in corde, sed in labiis.

9. [*vers.* 9.] Nam irridenter moverunt caput, dicentes: *Speravit in Dominum, eruat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Hæc verba erant, sed in labiis dicebantur.

10. [*vers* 10.] *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre:* quoniam tu es qui extraxisti me, non solum de illo ventre virginali, nam omnibus hominibus lex ista nascendi est ut de ventre extrahantur, sed etiam de ventre Judaicæ gentis; cujus tenebris obtegitur, et nondum in lucem Christi natus est, quisquis in carnali observatione sabbati et circumcisionis cæterorumque talium salutem ponit. *Spes mea ab uberibus matris meæ:* spes mea Deus, non ex quo uberibus virginis lactari cœpi, nam et ante utique; sed ab uberibus Synagogæ, sicut de ventre dixi, extraxisti me, ne carnalem consuetudinem sugerem.

11. [*vers.* 11.] *In te confirmatus sum ex utero:* ipse est uterus Synagogæ, qui me non pertulit, sed jactavit me: non autem cecidi, quia continuisti me. *De ventre matris meæ Deus meus es tu. De ventre matris meæ:* non effecit venter matris meæ ut tanquam parvulus oblitus essem tui.

12. [*vers.* 12.] *Deus meus es tu, ne discedas a me: quoniam tribulatio proxima est.* Deus meus ergo es tu, ne discedas a me: quoniam tribulatio juxta me est; nam est in corpore meo. *Quoniam non est qui adjuvet:* quis enim adjuvat, si tu non adjuvas?

13. [*vers.* 13.] *Circumdederunt me vituli multi:* circumdedit me multitudo luxuriantis plebis. *Tauri pingues obsederunt me:* et principes ejus de oppressione mea læti, obsederunt me.

14. [*vers.* 14.] *Aperuerunt in me os suum:* aperuerunt in me os, non de Scripturis tuis, sed de cupiditatibus suis. *Sicut leo rapiens et rugiens:* sicut leo cujus rapina est, quod apprehensus adductus[2] sum; et rugitus, *Crucifige, Crucifige* (*Id.* XIX, 6)!

15. [*vers.* 15.] *Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea:* sicut aqua effusus sum, ubi lapsi sunt persecutores mei; et timore dispersa sunt a me firmamenta corporis, hoc est Ecclesiæ, discipuli mei. *Factum est cor meum sicut cera liquescens, in medio*

(*a*) Hunc ipsum Psalmum XXI exponit Augustinus in Epistola 140 ad Honoratum.

(*b*) De eodem vers. 2 agitur in Enar. Psal. XXXVII, n. 6; XLIII, n. 2; LVIII, serm. 1, n. 2; LXXXVII, n. 14.

(*c*) Idem vers. 3 tractatur in Enar. Psal. LIII, n. 5.

[1] Aliquot Mss., *sine semine incarnatus sum.*

[2] Sic Mss. At Edd., *abductus.*

ventris mei : sapientia mea, quæ in sanctis libris de me conscripta est, tanquam dura et clausa non intelligebatur; sed postquam ignis meæ passionis accessit, tanquam liquefacta, manifestata est, et excepta est in memoria Ecclesiæ meæ.

16. [*vers.* 16.] *Exaruit velut testa virtus mea :* exaruit passione virtus mea; non velut fenum, sed velut testa, quæ fit igne firmior. *Et lingua mea adhæsit faucibus meis :* et servaverunt apud se præcepta mea illi, per quos locuturus eram. *Et in pulverem mortis deduxisti me :* et in impios morti destinatos, quos tanquam pulverem projicit ventus a facie terræ, deduxisti me.

17. [*vers.* 17.] *Quoniam circumdederunt me canes multi :* quoniam circumdederunt me, non pro veritate, sed pro consuetudine, latrantes multi. *Concilium malignantium circumdedit me. Foderunt manus meas et pedes* (*a*) *:* foderunt clavis manus meas et pedes.

18. [*vers.* 18.] *Dinumeraverunt omnia ossa mea :* dinumeraverunt in ligno crucis extenta omnia ossa mea. *Ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me :* ipsi vero, id est non mutati, consideraverunt et conspexerunt me.

19. [*vers.* 19.] *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.*

20. [*vers.* 20.] *Tu autem, Domine, ne longe feceris auxilium tuum a me :* tu autem, Domine, non in fine sæculi, sicut cæteros; sed statim resuscita me. *In defensionem meam aspice :* aspice, ne quid mihi noceant.

21. [*vers.* 21.] *Erue a framea animam meam :* erue animam meam a lingua dissensionis. *Et de manu canis unicam meam :* et de potestate populi ex consuetudine latrantis Ecclesiam meam.

22. [*vers.* 22.] *Salvum me fac de ore leonis :* salvum me fac de ore regni sæcularis. *Et a cornibus unicornuorum humilitatem meam :* et a sublimitatibus superborum se singulariter erigentium, consortesque non ferentium, salvam fac humilitatem meam.

23. *vers.* 23.] *Narrabo nomen tuum fratribus meis :* narrabo nomen tuum humilibus, et se invicem diligentibus sicut a me dilecti sunt fratribus meis. *In medio Ecclesiæ cantabo te :* in medio Ecclesiæ gaudens prædicabo te.

24. [*vers.* 24.] *Qui timetis Dominum, laudate eum :* qui timetis Dominum, nolite quærere laudem vestram, sed ipsum laudate. *Universum semen Jacob, magnificate eum :* universum semen ejus cui major serviet, magnificate eum.

25. [*vers.* 25.] *Timeat eum omne semen Israel :* timeant eum omnes ad novam vitam nati, et ad visionem Dei reparati. *Quoniam non sprevit neque despexit precem pauperis :* quoniam non sprevit precem, non illius qui verbis delictorum clamans ad Deum vitam vanam transire nolebat, sed precem pauperis non tumentis in pompis transeuntibus. *Neque avertit faciem suam a me :* sicut ab illo qui dicebat, Clamabo ad te, nec exaudies. *Et cum clamarem ad eum, exaudivit me.*

26. [*vers.* 26.] *Apud te laus mea :* non enim laudem meam quæro, quia tu mihi es laus, qui in sancto habitas, et jam sanctum te deprecantem exaudis, laus Israel. *In Ecclesia magna confitebor tibi :* in Ecclesia orbis terrarum confitebor tibi. *Vota mea reddam coram timentibus eum :* sacramenta corporis et sanguinis mei reddam coram timentibus eum.

27. [*vers.* 27.] *Edent pauperes, et saturabuntur* (*a*) *:* edent humiles et contemptores sæculi, et imitabuntur; ita enim nec copiam hujus sæculi concupiscent, nec timebunt inopiam. *Et laudabunt Dominum qui requirunt eum :* nam laus Domini est eructatio saturitatis illius. *Vivent corda eorum in sæculum sæculi :* nam cibus ille cordis est.

28. [*vers.* 28.] *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ :* commemorabuntur, exciderat enim Deus Gentibus mortaliter natis et in exteriora tendentibus; et tunc convertentur ad Dominum universi fines terræ. *Et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium :* et adorabunt in conscientiis suis universæ patriæ gentium.

29 [*vers.* 29.] *Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium :* quoniam Domini est regnum, non superborum hominum; et ipse dominabitur gentium.

30. [*vers.* 30.] *Manducaverunt et adoraverunt omnes divites terræ :* manducaverunt corpus humilitatis Domini sui etiam divites terræ, nec sicut pauperes saturati sunt usque ad imitationem, sed tamen adoraverunt. *In conspectu ejus procident universi qui descendunt in terram :* solus enim videt quomodo procidant universi, qui cœlestem conversationem deserentes, in terra eligunt beati apparere hominibus, non videntibus ruinam eorum.

31. [*vers.* 31.] *Et anima mea ipsi vivet :* et anima mea quæ in contemptu sæculi hujus quasi mori videtur hominibus, non sibi, sed ipsi vivet. *Et semen meum serviet illi :* et opera mea, vel per me credentes in eum, servient illi.

32. [*vers.* 32.] *Annuntiabitur Domino generatio ventura :* annuntiabitur in honorem Domini generatio Novi Testamenti. *Et annuntiabunt cœli*[1] *justitiam ejus :* et annuntiabunt Evangelistæ justitiam ejus. *Populo qui nascetur quem fecit Dominus :* populo qui nascetur ex fide Domino.

ENARRATIO II.

Concio habita in solemnitate Passionis Domini.

1. Quod taceri Deus noluit per Scripturas suas, nec a nobis tacendum est, et a vobis audiendum. Passio Domini, sicut scimus, semel facta est; semel enim Christus mortuus est, justus pro injustis (I *Petr.* III, 18). Et scimus, et certum habemus, et fide immobili retinemus, quia *Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur*

(*a*) De vers. 17, 18, etc., vide Enar. Psal. LXXXIV, n. 3.

[1] Nonnulli Mss., *Et annuntiabunt justitiam ejus :* omisso, *cœli*, quod a LXX abest.

(*a*) Explicatur idem vers. 27 in 1 Enar. Psal. XLVIII, serm. 1, n. 3.

(*Rom.* VI, 9); verba ista Apostoli sunt: tamen ne obliviscamur quod factum est semel, in memoria nostra omni anno fit. Quoties Pascha celebratur, numquid toties Christus moritur? Sed tamen anniversaria recordatio quasi repræsentat quod olim factum est, et sic nos facit moveri tanquam videamus in cruce pendentem Dominum; non tamen irridentes, sed credentes. Pendens enim in ligno irrisus est, sedens in cœlo adoratur. An forte adhuc irridetur, et jam non est irascendum Judæis, qui vel morientem deriserunt, non regnantem? Et quis est qui Christum adhuc irrideat? Utinam unus esset, utinam duo, utinam numerari possent! Tota palea areæ ipsius irridet eum, et gemit triticum irrideri Dominum: hoc volo gemere vobiscum; tempus est enim lugendi. Passio Domini celebratur: tempus gemendi est, tempus flendi, tempus confitendi et deprecandi. Et quis nostrum est idoneus ad effundendas lacrymas pro dignitate doloris tanti? Sed quid modo[1] ait propheta? *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum* (*Jerem.* IX, 1)? si vere fons lacrymarum esset in oculis nostris, nec ipse sufficeret. Irrideri Christum in re aperta, in ea re ubi nemo potest dicere, Non intellexi! Possidenti enim universum orbem terrarum, pars offertur; et dicitur sedenti ad dexteram Patris, Ecce quid hic habes: et pro tota terra ostenditur illi sola Africa (*a*)!

2. Verba quæ modo audivimus, fratres, ubi ponimus? Si possent de lacrymis describi[2]! Quæ fuit mulier quæ intravit cum unguento (*Matth.* XXVI, 7)? Cujus typum portabat? nonne Ecclesiæ? Cujus figura erat illud unguentum? nonne odoris boni, de quo dicit Apostolus: *Christi bonus odor sumus in omni loco* (II *Cor.* II, 14, 15)? Ipsius enim Ecclesiæ insinuabat personam et Apostolus: et quod dixit, *sumus*, fidelibus dixit. Et quid dixit? Christi bonus odor sumus in omni loco. In omni loco dixit Paulus Christi bonum odorem esse omnes fideles, et contradicitur, et dicitur: Africa sola bene olet, totus mundus putet. Christi bonus odor sumus in omni loco, quis dicit? Ecclesia. Hunc bonum odorem significabat illud vas unguenti, quo perfusus est Dominus. Videamus si non coattestatur ipse Dominus. Dum quidam sua quærentes, avari, fures, id est Judas ille diceret de illo unguento: *Utquid ista perditio? poterat res pretiosa venumdari, et proficere*[3] *pauperibus*, odorem enim bonum Christi vendere volebat, quid respondit Dominus? *Utquid molesti estis mulieri? Bonum opus operata est in me.* Et quid amplius dicam, quando ipse dixit: *Ubicumque autem prædicabitur hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod fecit mulier ista* (*Matth.* XXVI, 8-10, 13? Est quod addere? est quod detrahere? est quare aurem calumniatoribus accommodare? Aut mentitus est Dominus, aut fefellit illum? Eligant quid dicant: aut mentitam dicant veritatem, aut deceptam dicant veritatem. *Ubicumque prædicabitur hoc Evangelium.* Et quasi quæreres ab eo: Ubi enim prædicabitur? *In toto mundo*, inquit. Psalmum audiamus, videamus si hoc dicit. Audiamus quod plangendo cantatur, et vere digna res planctu quando cantatur surdis. Miror, fratres, si hodie psalmus iste legitur et in parte Donati. Rogo vos, fratres mei, confiteor vobis, novit Christi misericordia, quia sic miror quasi lapidei ibi sint, et non audiant. Quid apertius surdis[1] dicitur? Passio Christi tam evidenter quasi Evangelium recitatur, et dictum est ante nescio quot annos quam Dominus de Maria virgine nasceretur: præco erat nuntians judicem futurum. Legamus illum quantum angustia temporis patitur, non pro affectu doloris nostri, sed, ut dixi, quantum angustia temporis patitur.

3. [*vers.* 2.] *Deus, Deus meus, respice me: quare me dereliquisti?* Istum versum primum in cruce audivimus, ubi Dominus dixit: *Eli, Eli;* quod est, *Deus, meus, Deus meus: Lama sabachthani?* quod est, *quare me dereliquisti* (*Matth.* XXVII, 46)? Interpretatus est illud Evangelista, et dixit eum hebraice dixisse: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Quid voluit dicere Dominus? Non enim dereliquerat illum Deus, cum ipse esset Deus; utique Filius Dei Deus, utique Verbum Dei Deus. Audi a capite illum evangelistam, qui ructabat quod biberat de pectore Domini (*Joan.* XIII, 23), videamus si Deus est Christus: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Ipsum ergo Verbum quod Deus erat, *caro factum est, et habitavit in nobis* (*Id.* I, 1). Et cum Verbum Deus factum esset caro, pendebat in cruce, et dicebat: *Deus meus, Deus meus, respice me: quare me dereliquisti?* Quare dicitur, nisi quia nos ibi eramus, nisi quia corpus Christi Ecclesia (*Ephes.* I, 23)? Utquid dixit, *Deus meus, Deus meus, respice me: quare me dereliquisti?* nisi quodammodo intentos nos faciens et dicens, Psalmus iste de me scriptus est? *Longe a salute mea, verba delictorum meorum.* Quorum delictorum, de quo dictum est: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (I *Pet.* II, 22)? Quomodo ergo dicit *delictorum meorum;* nisi quia pro delictis nostris ipse precatur, et delicta nostra sua delicta fecit, ut justitiam suam nostram justitiam faceret?

4. [*vers.* 3.] *Deus meus, clamabo ad te per diem, et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi:* dixit utique de me, de te, de illo; corpus enim suum gerebat, id est Ecclesiam. Nisi forte putatis, fratres, quia quando dixit Dominus, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39), mori timebat. Non est fortior miles, quam imperator. Sufficit servo ut sit sicut dominus ejus (*Id.* X, 25). Paulus dicit, miles regis Christi: *Compellor e duobus, concupiscentiam habens dissolvi, et esse cum Christo* (*Philipp.* I, 23). Ille optat mortem, ut sit cum Christo, et ipse Christus timet mortem? Sed quid nisi infirmitatem nostram portabat, et pro his qui adhuc timent mor-

[1] Regius Ms. et Vatic., *Si quomodo ait.* Forte melius.
[2] In Edd. additur, *deberent*, quod a Mss. abest.
[3] Lov. *venundari magno, et proficeret pauperibus.* Nos cum Am. et Mss., *venundari et proficere.*
(*a*) In Donatistas.

[1] Plures Mss. loco, *surdis*, habent, *Fratres.*

tem in corpore suo constitutis[1], ista dicebat? Inde erat illa vox, membrorum ipsius vox erat, non capitis; sic et hic, *Per diem et noctem clamavi, et non exaudies.* Multi enim clamant in tribulatione, et non exaudiuntur: sed ad salutem, non ad insipientiam. Clamavit Paulus ut auferretur ab eo stimulus carnis, et non est exauditus ut auferretur; et dictum est ei: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 9). Ergo non est exauditus; sed non ad insipientiam, sed ad sapientiam: ut intelligat homo medicum esse Deum, et tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.

5. [*vers.* 4.] *Tu autem in sancto habitas, laus Israel.* In illis habitas, quos sanctificasti, et quos facis intelligere quia ad utilitatem quosdam non exaudis, et ad damnationem quosdam exaudis. Ad utilitatem non est exauditus Paulus, ad damnationem exauditus est diabolus. Petiit Job ad tentandum, et concessum est (*Job* I, 11). Dæmones petierunt se ire in porcos, et exauditi sunt (*Matth.* VIII, 31). Dæmones exaudiuntur, Apostolus non exauditur: sed illi exaudiuntur ad damnationem, Apostolus non exauditur ad salutem: *quia non ad insipientiam mihi. Tu autem in sancto habitas, laus Israel.* Quare non exaudis et nos? Quare dico ista? Mementote semper dici, Deo gratias. Et magna est hic multitudo, et qui non solent venire, venerunt: omnibus dico, quia in tribulatione positus christianus probatur, si non dereliquit Deum suum. Nam quando bene est homini, desertus est sibi christianus. Ignis intrat in fornacem, et fornax aurificis magni sacramenti res est. Ibi est aurum, ibi est palea, ibi ignis in angusto operatur. Ignis ille non est diversus, et diversa agit; paleam in cinerem vertit, auro sordes tollit. In quibus autem habitat Deus, utique in tribulatione meliores fiunt, tanquam aurum probati. Et si forte (*a*) petierit inimicus diabolus, et concessum illi fuerit: sive aliquo dolore corporis, sive aliquo damno, sive amissione suorum, fixum cor habeat in illo qui se non subtrahit; et si quasi subtrahit aurem ploranti, sed apponit misericordiam deprecanti. Novit quid agat qui nos fecit, novit et reficere nos. Bonus est structor qui ædificavit domum; et si aliquid ibi ceciderit, novit resarcire.

6. [*vers.* 5.] Et vide quid dicat: *In te speraverunt patres nostri: speraverunt, et eruisti eos.* Et novimus, et legimus quam multos patres nostros sperantes in se eruit Deus. Eruit ipsum populum Israel de terra Ægypti (*Exod.* XII, 51); eruit tres pueros de camino ignis (*Dan.* III); eruit Danielem de lacu leonum (*Id.* XIV); eruit Susannam de falso crimine (*Id.* XIII). Omnes invocaverunt, et eruti sunt. Numquid defecit ad Filium suum, ut in cruce pendentem non exaudiret? Quare autem ipse non eruitur modo, qui dixit: *In te speraverunt patres nostri, et eruisti eos?*

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *constitutus*.
(*a*) Subaud. *quempiam probandum*.

7. [*vers.* 7.] *Ego autem sum vermis, et non homo. Vermis, et non homo:* nam est et homo vermis; sed ille, *Vermis, et non homo.* Unde non homo? Quia Deus. Quare ergo sic se abjecit ut diceret, *Vermis?* An quia vermis de carne sine concubitu nascitur, sicut Christus de Maria virgine? Et vermis, et tamen non homo. Quare vermis? Quia mortalis, quia de carne natus, quia sine concubitu natus. Quare non homo? Quia in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

8. *Opprobrium hominum et abjectio plebis:* videte quanta passus est! Jam ut dicamus passionem, et ad illam majori gemitu[1] veniamus, videte quanta modo patitur, et deinde videte quare! Quis enim fructus? Ecce speraverunt patres nostri, et eruti sunt de terra Ægypti. Et sicut dixi, tam multi invocaverunt, et statim ad tempus, non in futura vita, sed continuo liberati sunt. Ipse Job diabolo petenti concessus est, putrescens vermibus: tamen in hac vita recuperavit salutem, duplo accepit quæ perdiderat (*Job* XLII, 10): Dominus autem flagellabatur, et nemo subveniebat; sputis deturpabatur, et nemo subveniebat; colaphis cædebatur, et nemo subveniebat; spinis coronabatur, nemo subveniebat; levabatur in ligno, nemo eruit; clamat, *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti?* non subvenitur (*Matth.* XXVII). Quare, fratres mei? quare? qua mercede tanta passus est? Omnia ista quæ passus est, pretium est. Cujus rei pretio tanta passus est, recitemus, videamus quæ dicat. Primum quæramus quæ passus sit, deinde quare: et videamus quam sint hostes Christi, qui confitentur quia tanta passus est, et tollunt quare. Hinc audiamus totum in isto psalmo, et quæ passus sit, et quare. Tenete ista duo, quid et quare. Modo ipsum quid explicem. Non ibi immoremur, et melius ad vos perveniunt ipsa verba Psalmi. Videte quæ patitur Dominus, attendite Christiani: *Opprobrium hominum et abjectio plebis.*

9. [*vers.* 8, 9.] *Omnes qui videbant me, subsannabant me, locuti sunt labiis, et moverunt caput. Speravit in Dominum, eruat eum; salvum faciat eum, quoniam vult eum:* sed quare dicebant ista? Quia homo factus erat, dicebant tanquam in hominem.

10. [*vers.* 10.] *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre:* numquid dicerent talia in illud quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum? Verbum enim illud per quod facta sunt omnia, non extractum est de ventre, nisi quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. *Quoniam tu extraxisti me de ventre: Deus meus*[2], *ab uberibus matris meæ:* nam ante sæcula Pater meus, ab uberibus matris meæ Deus meus.

11. [*vers.* 11]. *In te jactatus sum ex utero:* id est, ut mihi tu solus esses spes, jam tanquam homo, jam tanquam infirmus, jam Verbum caro factum. *De ventre matris meæ Deus meus es tu:* non de te Deus meus;

[1] Mss. Regius et Vatic., *ut ad illum majorem gemitum.*
[2] Non sic in superiore Enarr., sed juxta Vulgatam interpretationem legebat: *Spes mea ab uberibus*, etc.

nam de te Pater meus : sed de ventre matris meæ, Deus meus.

12. [*vers.* 12.] *Ne discedas a me: quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet:* videte desertum; et væ nobis, si ipse nos deserat, *quoniam non est qui adjuvet.*

13. [*vers.* 13.] *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me:* populus et principes; populus, vituli multi; principes, tauri pingues.

14. [*vers.* 14.] *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens:* audiamus rugitum ipsorum in Evangelio, *Crucifige, Crucifige* (*Joan.* XIX, 6)!

15. [*vers.* 15.] *Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea:* ossa sua, firmos suos dicit; ossa enim firma sunt in corpore. Quando dispersit ossa sua? Quando dixit illis : *Ecce ego mitto vos velut agnos in medio luporum* (*Matth.* X, 16; *Luc.* X, 3). Firmos suos dispersit, et sicut aqua effusus est : aqua enim quando effunditur, aut abluit, aut irrigat; effusus est Christus sicut aqua, abluti sunt sordentes, rigatæ sunt mentes [1]. *Factum est cor meum tanquam cera liquescens, in medio ventris mei :* ventrem suum dicit infirmos in Ecclesia sua. Quomodo cor ipsius factum est sicut cera? Cor ipsius Scriptura ipsius, id est, sapientia ipsius quæ erat in Scripturis. Clausa enim erat Scriptura; nemo illam intelligebat : crucifixus est Dominus, et liquefacta est sicut cera, ut omnes infirmi intelligerent Scripturam; nam inde et velum templi scissum est, quia quod velabatur revelatum est.

16. [*vers.* 16.] *Exaruit velut testa virtus mea :* magnifice quod dixit, Firmius factum est nomen meum de tribulatione. Quomodo enim testa ante ignem mollis est, post ignem fortis; sic Domini nomen ante passionem contemnebatur, post passionem honorificatur. *Et lingua mea adhæsit faucibus meis :* quomodo membrum illud in nobis non valet nisi ad loquendum; sic prædicatores suos, linguam suam, dixit adhæsisse faucibus suis, ut de interioribus ejus caperent sapientiam. *Et in pulverem mortis deduxisti me.*

17. [*vers.* 17.] *Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium circumdedit me :* etiam videte Evangelium. *Foderunt manus meas et pedes meos.* Tunc facta sunt vulnera, quorum vulnerum cicatrices dubitans discipulus contrectavit, ille qui dixit : *Nisi misero digitos meos in cicatrices vulnerum ejus, non credam.* Quando ei dixit, *Veni, mitte manum tuam, incredule;* et misit manum suam, et clamavit : *Dominus meus et Deus meus!* Et ille : *Quia vidisti me, credidisti; beati qui non vident et credunt* (*Joan.* XX, 25, 27, 28). *Foderunt manus meas et pedes meos.*

18. [*vers.* 18.] *Dinumeraverunt omnia ossa mea:* quando pendens extentus erat in ligno. Non potuit melius describi extensio corporis in ligno, quam ut diceret : *Dinumeraverunt omnia ossa mea.*

19. [*vers.* 19.] *Ipsi vero consideraverunt, et conspexerunt me :* consideraverunt, et non intellexerunt; conspexerunt, et non viderunt. Usque ad carnem oculos, non usque ad Verbum cor habuerunt. *Diviserunt sibi vestimenta mea :* vestimenta sua, sacramenta ipsius. Attendite, fratres. Vestimenta ipsius, sacramenta ipsius potuerunt dividi per hæreses : sed erat ibi vestimentum quod nemo divisit. *Et super vestimentum meum miserunt sortem. Erat ibi tunica,* dicit evangelista, *desuper texta* (*Joan.* XIX, 23). Ergo de cœlo, ergo a Patre, ergo a Spiritu sancto. Quæ est ista tunica, nisi charitas, quam nemo potest dividere? Quæ est ista tunica, nisi unitas? In ipsam sors mittitur, nemo illam dividit. Sacramenta sibi hæretici dividere potuerunt, charitatem non diviserunt. Et quia dividere non potuerunt, recesserunt : illa autem manet integra. Sorte obvenit quibusdam : qui habet hanc, securus est; nemo illum movet de Ecclesia catholica, et si foris illam incipiat habere, intromittitur, quomodo ramus olivæ a columba (*Gen.* VIII, 11).

20. [*vers.* 20.] *Tu autem, Domine, ne longe feceris auxilium tuum.* Et factum est : post triduum resurrexit. *In defensionem meam aspice.*

21. [*vers.* 21.] *Erue a framea animam meam :* id est a morte; framea enim gladius est, et per gladium mortem intelligi voluit. *Et de manu canis unicam meam. Animam meam, unicam meam,* caput et corpus : *Unicam* dixit, Ecclesiam : *de manu,* id est de potestate canis. Qui sunt canes? Qui canino more [1] latrant, nec intelligunt contra quos. Nihil illis fit, et latrant. Quid fecit cani transiens viam suam? Tamen ille latrat. Qui latrant cæcis oculis, non discernentes contra quos aut pro quibus, canes sunt.

22. [*vers.* 22.] *Salvum me fac de ore leonis :* leo rugiens nostis quis sit, circumiens et quærens quem devoret (I *Petr.* V, 8). *Et a cornibus unicornium humilitatem meam :* unicornes non diceret, nisi superbos; ideo subjecit, *humilitatem meam.*

23. [*vers.* 23.] Audistis quæ passus est, et quid oravit, ut eruatur ab istis : attendamus modo quare passus est. Modo jam videte, fratres, qui non est in ea sorte, propter quam passus est Christus, quare christianus est? Ecce, intelligimus quæ passus est : dinumerata sunt ossa ejus, irrisus est, divisa sunt vestimenta ejus, insuper missa est sors super vestem ipsius, circumdederunt illum furentes et sævientes, et dispersa sunt omnia ossa ejus, et hic audimus et in Evangelio legimus. Videamus quare. O Christe Fili Dei, si nolles, non patereris, ostende nobis fructum passionis tuæ. Audi, inquit, fructum : ego non taceo, sed surdi sunt homines. Audi, inquit, fructum quare passus sum ista omnia. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Videamus si in parte narrat nomen Dei fratribus suis. *Narrabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ cantabo te.* Fit hoc modo. Sed videamus ipsa Ecclesia quæ est. Nam dixit : *In medio*

[1] Regius Ms. et Vatic., *rigati sitientes.*

[1] In Mss. *qui cæco more.*

Ecclesiæ cantabo te. Ecclesiam videamus, propter quam passus est.

24. [*vers.* 24.] *Qui timetis Dominum, laudate eum :* ubicumque timetur Deus et laudatur, ibi est Ecclesia Christi. Videte, fratres mei, si his diebus per totum orbem terrarum sine causa dicitur, Amen et Alleluia. Non ibi timetur Deus? Non ibi laudatur Deus? Exivit Donatus, et ait : Prorsus non timetur, totus mundus periit. Sine causa dicis : Totus mundus periit. Ergo modica pars remansit in Africa? Ergo non dicit aliquid Christus, unde obturet ista ora? non dicit aliquid, unde eradicet linguas ista dicentium? Videamus, ne forte inveniamus. Adhuc nobis dicitur, *In medio Ecclesiæ :* de Ecclesia nostra dicit. *Qui timetis Dominum, laudate eum :* videamus si illi laudant Dominum, et intelligamus si de ipsis dicit, et si in medio Ecclesiæ ipsorum laudatur. Quomodo laudant Christum, qui dicunt : Perdidit totum orbem terrarum, diabolus illi totum abstulit, et in parte ipse remansit? Sed adhuc videamus, apertius dicat, apertius loquatur : non sit quod interpretari, non sit quod suspicari. *Universum semen Jacob, magnificate eum.* Forte adhuc dicunt : Nos sumus semen Jacob. Si sint ipsi, videamus.

25. [*vers.* 25.] *Timeat eum omne semen Israel.* Adhuc dicant, Nos sumus semen Israel; permittamus, dicant. *Quoniam non sprevit neque despexit precem pauperum :* quorum pauperum? Non de se præsumentium. Videamus si pauperes sunt, qui dicunt : Nos sumus justi. Christus clamat, *Longe a salute mea verba delictorum meorum.* Sed adhuc dicant quod volunt. *Neque avertit faciem suam a me, et cum clamarem ad eum, exaudivit me.* Utquid exaudivit? ad quam rem?

26. [*vers.* 26.] *Apud te est laus mea :* apud Deum posuit laudem suam; docuit non præsumi in homine. Adhuc dicant quod volunt. Jam quidem cœperunt uri, cœpit propinquare ignis; non est qui se abscondat a calore ejus (*Psal.* XVIII, 7). Sed adhuc dicant, Et nos apud illum laudem nostram posuimus, et nos in nobis non præsumimus; dicant adhuc. *In Ecclesia magna confitebor tibi :* jam hic puto, quia cœpit interiora tangere. Ecclesia magna quid est, fratres? Numquid exigua pars orbis terrarum Ecclesia magna est? Ecclesia magna totus orbis est. Modo si quis velit Christo contradicere : Dic nobis, tu dixisti, *In Ecclesia magna confitebor tibi :* quæ Ecclesia magna? Ad frustum Africæ remansisti [1], totum mundum perdidisti : effudisti sanguinem pro toto, sed invasorem passus es. Ista nos diximus Domino tanquam quærentes, scientes tamen quid dicturi. Ponamus nos nescire quid dicat : nonne nobis respondet? Quiescite, adhuc dico unde nemo dubitet. Exspectemus ergo quid dicturus est. Jam ego volebam pronuntiare, et non admittere homines aliud aliquid interpretari, cum dicat Christus : *In Ecclesia magna.* Et tu dicis quia in extrema parte remansit. Et adhuc audent dicere, Et nostra Ecclesia magna est, quid tibi videtur Bagai et Tamugade? Si non dicit aliquid [1] unde obmutescant, adhuc dicant quia magna est Ecclesia sola Numidia.

27. [*vers.* 27, 28.] Videamus, audiamus adhuc Dominum : *Vota mea reddam coram timentibus eum.* Quæ sunt vota sua? Sacrificium quod obtulit Deo. Nostis quale sacrificium? Norunt fideles vota quæ reddidit coram timentibus eum : nam sequitur, *Edent pauperes, et saturabuntur.* Beati pauperes, quia ideo edunt ut saturentur : edunt enim pauperes; qui autem divites sunt, non satiantur, quia non esuriunt. Comedent pauperes : inde erat piscator ille Petrus, inde erat alius piscator Joannes et Jacobus frater ipsius, inde erat etiam publicanus Matthæus. De pauperibus ipsi erant, qui comederunt et saturati sunt, talia passi qualia manducaverunt. Cœnam suam dedit, passionem suam dedit : ille saturatur, qui imitatur. Imitati sunt pauperes : ipsi enim sic passi sunt, ut Christi vestigia sequerentur. *Edent pauperes.* Sed quare pauperes? *Et laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Divites se laudant, pauperes Dominum laudant. Quare sunt pauperes? Quia Dominum laudant, et Dominum quærunt. Dominus est divitiæ pauperum : ideo inanis est domus, ut cor plenum divitiis sit. Divites quærant unde arcam impleant, pauperes quærunt unde cor impleant : et cum impleverint, laudant Dominum qui requirunt eum. Et videte, fratres, qui vere pauperes sunt, cujus rei divites sint : quia non in arca, non in horreo, non in apotheca, *Vivent corda eorum in sæculum sæculi.*

28. Ergo attendite. Passus est Dominus; omnia quæ audistis passus est Dominus. Quærimus quare passus est, et cœpit narrare : *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ cantabo te.* Sed adhuc dicunt, Ista est Ecclesia. *Timeat eum omne semen Israel.* Dicunt, Nos sumus semen Israel. *Quoniam non sprevit, neque despexit precem pauperis.* Adhuc dicunt, Nos sumus. *Neque avertit faciem suam a me :* ipse Christus Dominus a se, id est ab Ecclesia sua, quæ est corpus ipsius. *Apud te laus mea.* Vos ipsos vultis laudare. Sed respondent, Prorsus et nos ipsum laudamus. *Vota mea Domino reddam coram timentibus eum.* Sacrificium pacis, sacrificium charitatis, sacrificium corporis sui norunt fideles : disputari inde modo non potest. *Vota mea reddam coram timentibus eum.* Edant publicani, edant piscatores, manducent, imitentur Dominum, patiantur, saturentur. Mortuus est ipse Dominus, moriuntur et pauperes : additur et mors discipulorum morti magistri. Quare? Da mihi fructum. *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ.* Eia fratres, quid quæritis a nobis quid respondeamus parti Donati? Ecce Psalmus, et hic legitur hodie, et ibi legitur hodie. Scribamus illum in frontibus nostris, cum illo procedamus, non quiescat lingua nostra, ista dicat : Ecce Christus passus est, ecce mercator ostendit mercedem, ecce pretium quod de-

[1] Edd., *ad partem Africæ remansisse, est Ecclesia magna. totum mundum,* etc. Locum ad Mss. castigavimus.

[1] Er., *Quid tibi videtur? jam etiam audio. Si non dicitur,* etc. Lov., *Quid tibi videtur et Bagaiæ et Tamugadæ.* Mss. vero, *Quid tibi videtur Bagai et Tamugadeo.* Forte leg., *Bagai et Tamugade,* vel, *Thamugade.* Hæc nimirum præcipua fuerunt oppida a Donatistis occupata.

dit, sanguis ejus fusus est. In sacco ferebat pretium nostrum: percussus est lancea, fusus est saccus, et manavit pretium orbis terrarum. Quid mihi dicis, o hæretice? Non est pretium orbis terrarum? Africa sola redempta est? Non audes dicere: Totus orbis redemptus est, sed periit. Quem invasorem passus est Christus, ut perderet rem suam? Ecce *commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ.* Adhuc satiet te, et dicat. Si diceret fines terræ, et non diceret *universi fines terræ;* dicere habebant, Ecce habemus fines terræ in Mauritania. *Universi fines terræ* dixit: o hæretice, *universi* dixit; qua exiturus es, ut evadas quæstionem? Non habes qua exeas, sed habes quo intres.

29. [*vers.* 29.] Rogo vos, nolo inde disputare, ne dicatur, quia sermo meus aliquid valet: Psalmum attendite, Psalmum legite. Ecce Christus passus est, sanguis ejus fusus est: ecce redemptor noster, ecce pretium nostrum. Quid emit, dicatur mihi. Quid interrogamus? Quid si mihi aliquis dicat: O stulte, quid interrogas? Codicem portas, ibi habes unde emit, ibi quære quid emit. Ecce ibi habes, *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ.* Fines enim terræ commemorabuntur. Sed hæretici obliti sunt, et ideo audiunt omni anno. Putas ibi ponunt aures, quando lector ipsorum dicit: *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ?* Eia, forte unus versus est: aliunde cogitabas, cum fratre tuo fabulabaris, quando illud dixit: attende, quia repetit, et surdos pulsat: *Et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium.* Adhuc surdus est, non audit, pulsetur iterum: *Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Tres istos versus tenete, fratres. Hodie cantati sunt et ibi, aut forte deleverunt eos. Credite mihi, fratres mei, ita æstuo, ita vim patior, ut mirer nescio quam surditatem et duritiam cordis ipsorum, ut aliquando dubitem utrum habeant illud in codicibus. Hodie currunt omnes ad ecclesiam, hodie omnes intenti audiunt Psalmum, omnes suspenso corde audiunt. Sed fac quia non sunt intenti: numquid unus versus est, *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ?* Evigilas, sed adhuc fricas oculos: *Et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium.* Excute somnum, adhuc gravaris, audi: *Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.*

30. Si est adhuc quod dicant, nescio: litigent cum Scripturis, non nobiscum. Ecce codex ipse, contra illum certent. Ubi est lingua, Nos servavimus Scripturas, ne arderent (*a*)? Servatæ sunt, unde tu ardeas. Quid servasti? Aperi, lege: tu servasti, et tu oppugnas. Quid servasti a flamma, quod delere vis lingua? Non credo, non credo quia servasti: prorsus non credo, non servasti. Verissime dicunt nostri, quia tu tradidisti. Ille probatur traditor, qui lecto testamento non sequitur. Ecce legitur, et sequor; legitur, et recusas. Cujus manus misit in flammam? Qui credit, et sequitur; an qui dolet quia est quod legatur? Nolo scire quis servaverit: undecumque inventus est codex, testamentum patris nostri exiit de qualibet caverna: nescio qui fures tollere volebant, nescio qui persecutores incendere volebant: undecumque prolatum est, legatur. Quare litigas? Fratres sumus, quare litigamus? Non intestatus mortuus est pater. Fecit testamentum, et sic mortuus est: mortuus est, et resurrexit. Tamdiu contenditur de hæreditate mortuorum, quamdiu testamentum proferatur in publicum; et cum testamentum prolatum fuerit in publicum, tacent omnes, ut tabulæ aperiantur et recitentur: judex intentus audit, advocati silent, præcones silentium faciunt, universus populus suspensus est, ut legantur verba mortui, non sentientis in monumento. Ille sine sensu jacet in monumento, et valent verba ipsius: sedet Christus in cœlo, et contradicitur testamento ejus? Aperi, legamus. Fratres sumus, quare contendimus? Placetur animus noster, non sine testamento nos dimisit pater. Qui fecit testamentum, vivit in æternum: audit voces nostras, agnoscit suam. Legamus, quid litigamus? Ubi inventa fuerit ipsa hæreditas, ipsam teneamus. Aperi testamentum, lege in primo capite ipsius Psalterii, *Postula a me* (*Psal.* II, 8). Sed quis dicit? Forte non Christus. Ibi habes, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Ibid.*, 7). Ergo Filius Dei dicit, vel ad Filium suum Pater dicit. Ergo quid dicit ad Filium? *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam fines terræ.* Solet fieri, fratres, ut quando quæritur de possessione, quærantur affines. Inter affines illum et illum, quæritur hæres, aut cui donatur, aut qui emit. Inter quos affines quæritur? Inter illum et illum possidentes [1]. Qui dimisit omnes fines, nullos dimisit affines. Quocumque te verteris, Christus est. Fines terræ habes hæreditatem, huc veni, totam mecum posside. Quare litigando vocas ad partem? Huc veni: bono tuo vinceris, totum habebis. An adhuc calumniaris? Ego jam testamentum legi, et tu calumniaris. An adhuc calumniaris, quia fines terræ dixit, non dixit omnes fines terræ? Legamus ergo. Quomodo lectum est? *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ. Et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Ipsius est, non vestrum. Agnoscite Dominum: agnoscite possessionem Domini.

31. Sed et [2] vos, quia privata vestra vultis possidere, et non communi cum Christo unitate; dominari enim vultis in terra, non cum illo in cœlo regnare, possidetis domos vestras. Et aliquando venimus ad illos dicentes, Quæramus verum, inveniamus verum. Et illi, Vos tenete quod tenetis: oves tuas habes, oves meas habeo; noli molestus esse ovibus meis, quia et ego non sum molestus ovibus tuis. Deo gratias: meæ sunt oves, illius sunt oves: Christus quid

(*a*) Donatistæ sacros codices a se servatos, a nostris vero traditos dicebant.

[1] In plerisque Mss., *possidentis.*

[2] Plures probæ notæ Mss. loco, *Sed et vos,* habent, *Sedat vos, quia privata vestra,* etc. Et quidam, *Sedete vos.*

emit? Imo nec meæ sint, nec tuæ : sed illius sint qui illas emit, illius sint qui illas signavit. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (I *Cor.* III, 7). Quare habeo meas, habes tu tuas? Si ibi est Christus, illo eant meæ, quia non sunt meæ : si hic est Christus, huc eant tuæ, quia non sunt tuæ. Propter possessiones osculentur nobis caput et manus, et pereant [1] filii alieni. Non est mea possessio, inquit. Quid est hoc? Videamus si non est tua possessio, videamus si non illam tibi vindicas. Ego nomini Christi laboro, tu nomini Donati. Nam si Christum attendas, ubique est Christus. Tu dicis, Ecce hic est Christus (*Matth.* XXIV, 23) : ego dico, Per totum est. Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini. Unde laudant? Usquequo laudant? A solis ortu usque ad occasum laudate nomen Domini (*Psal.* CXII, 1). Ecce quam Ecclesiam ostendo, ecce quid emit Christus, ecce quid redemit, ecce pro quo sanguinem dedit. Sed tu quid dicis? Et ego illi colligo. *Qui mecum*, inquit, *non colligit, spargit* (*Matth.* XII, 30). Dividis unitatem, possessiones tuas quæris. Et quare habent nomen Christi? Quia ad defensionem possessionis tuæ titulos Christi posuisti. Nonne hoc faciunt nonnulli in domo sua? Ne domum ipsius invadat aliquis potens, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces. Ipse vult esse possessor, et frontem domus suæ vult de titulo alieno muniri; ut cum titulus lectus fuerit, conterritus quis potentia nominis, abstineat se ab invasione. Fecerunt illud, quando Maximianistas damnaverunt. Egerunt apud judices, et concilium (*a*) suum recitaverunt : tanquam titulos ostendentes, ut episcopi viderentur. Tunc judex interrogavit : Quis hic alter episcopus est de parte Donati? Respondit Officium : Nos non novimus nisi Aurelium catholicum. Timentes illi leges, non responderunt nisi de uno episcopo. Illi autem ut audirentur a judice, nomen Christi imponebant : in possessione sua titulos illius imposuerunt. Bonus est Dominus, qui illis pareat, et ubi invenerit titulos suos, vindicet illud possessioni suæ. Potens est misericordia ipsius, qui illis illud faciat, quoscumque invenerit nomen Christi portare, congreget illos. Et videte, fratres, quando potens aliquis invenerit titulos suos, nonne jure rem sibi vindicat, et dicit, Non poneret titulos meos, nisi res mea esset? Titulos meos posuit, mea res est : ubi nomen meum invenio, meum est. Numquid titulos mutat? Titulus qui erat, ipse est : possessor mutatur, titulus non mutatur. Sic et qui baptismum habent Christi, si veniunt ad unitatem, non mutamus titulos, aut delemus titulos; sed agnoscimus titulos regis nostri, titulos imperatoris nostri. Sed quid diximus? O domus misera, ille te possideat cujus titulos habes; Christi titulos habes, noli esse Donati possessio.

32. Multa diximus, fratres; sed illud de memoria vestra non recedat, quod hodie legitur. Ecce iterum dico, et sæpe dicendum est : per ipsum diem, id est per sacramenta hujus diei constringo vos, ut non vobis exeat de cordibus. *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ. Et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Contra tam apertam et manifeste demonstratam possessionem Christi, non audiatis verba calumniatoris. Quidquid contradicunt, homines dicunt : hoc autem Deus dicit.

[1] Sex Mss., *pergant*.

(*a*) Bagaiense, anni 394.

IN PSALMUM XXII
ENARRATIO.

[1] *Psalmus ipsi David.*

1. [*vers.* 1.] Ecclesia loquitur Christo : *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit*, Dominus Jesus Christus pastor meus est, et nihil mihi deerit.

2. [*vers.* 2.] *In loco pascuæ ibi me collocavit :* in loco pascuæ incipientis ad fidem [2] me perducens, ibi me nutriendum collocavit. *Super aquam refectionis educavit me :* super aquam baptismi, quo reficiuntur qui integritatem viresque amiserant, educavit me.

3. [*vers.* 3.] *Animam meam convertit. Deduxit me in semitis justitiæ, propter nomen suum.* Deduxit me in angustis itineribus, quæ pauci ambulant, justitiæ suæ; non propter meritum meum, sed propter nomen suum.

4. [*vers.* 4.] *Nam et si ambulem in medio umbræ mortis :* nam et si ambulem in medio vitæ hujus, quæ umbra mortis est. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es :* non timebo mala, quoniam tu habitas in corde meo per fidem; et nunc mecum es, ut post umbram mortis etiam ego sim tecum. *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt :* disciplina tua tanquam virga ad gregem ovium, et tanquam baculus jam ad grandiores filios et ab animali vita ad spiritualem crescentes, ipsa me non afflixerunt, magis consolata sunt; quia memor es mei.

5. [*vers.* 5.] *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me :* post virgam autem, qua parvulus et animalis in grege pascuis erudiebar, post illam virgam cum esse cœpi sub baculo, parasti in conspectu meo mensam, ut non jam lacte alar parvulus (I *Cor.* III, 2), sed major cibum [3] sumam, firmatus adversus eos qui tribulant me. *Impinguasti in oleo caput meum :* lætificasti lætitia spirituali mentem meam. *Et poculum tuum inebrians quam præclarum est* (*a*)! et poculum tuum oblivionem præstans priorum vanarum delectationum, quam præclarum est!

6. [*vers.* 6.] *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ :* id est, quamdiu vivo in hac mortali vita, non tua, sed mea. *Ut inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum :* subsequetur autem me non hic tantum, sed etiam ut inhabitem in domo Domini in æternum.

[1] Edd., *In finem, Psalmus*, etc. Abest, *In finem*, a Mss. et a sacris Bibliis.

[2] Vetus codex Corb., *a fide*.

[3] Edd., *sed majorem cibum sumam*. Aliquot Mss., *majores cibos*. Alii plures : *major cibum*.

(*a*) De hac parte vers. 5 vide Enarr. Psal. XXXV, n. 14.

IN PSALMUM XXIII ENARRATIO.

Psalmus ipsi David, prima sabbati.

1. [*vers.* 1.] Psalmus ipsi David, de clarificatione et resurrectione Domini, quæ matutino primæ sabbati facta est, qui jam dies dominicus dicitur.

2. [*vers.* 2.] *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in ea* [1] : cum clarificatus Dominus annuntiatur in fidem omnium gentium, et universus orbis terrarum fit Ecclesia ejus. *Ipse super maria fundavit eam* : ipse firmissime stabilivit eam super omnes fluctus sæculi hujus, ut ab ea superarentur, nec nocerent ei. *Et super flumina præparavit eam* : flumina in mare fluunt, et cupidi homines labuntur in sæculum ; etiam istos superat Ecclesia quæ devictis per Dei gratiam cupiditatibus sæcularibus ad recipiendam immortalitatem charitate parata est [2].

3. [*vers.* 3.] *Quis ascendet in montem Domini?* quis ascendet in altissimam justitiam Domini ? *Aut quis stabit in loco sancto ejus ?* aut quis permanebit in eo, quo ascendet, super maria fundato et super flumina præparato loco ?

4. [*vers.* 4.] *Innocens manibus et mundus corde :* quis ergo illuc ascendet, et permanebit ibi, nisi innocens in operibus, et mundus in cogitationibus? *Qui non accepit in vano animam suam :* qui non in rebus non permanentibus deputavit animam suam, sed eam immortalem sentiens, æternitatem stabilem atque incommutabilem desideravit. *Et non juravit proximo suo in dolo :* et ideo sine dolo, sicut simplicia et non fallentia sunt æterna, ita se præbuit proximo suo.

5. [*vers.* 5.] *Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.*

6. [*vers.* 6.] *Hæc est generatio quærentium Dominum :* sic enim nascuntur qui quærunt eum. *Quærentium faciem Dei Jacob* (a) : quærunt autem faciem Dei, qui posterius nato primatum dedit.

7. [*vers.* 7.] *Tollite portas principes vestri* [3] : quicumque principatum in hominibus quæritis, auferte, ne impediant, aditus quos vos statuistis cupiditatis et timoris. *Et elevamini portæ æternales :* et elevamini aditus æternæ vitæ, renuntiationis sæculo et conversionis ad Deum. *Et introibit rex gloriæ :* et introibit rex, in quo sine superbia glorienmur ; qui superatis portis mortalitatis, et patefactis sibi cœlestibus, implevit quod ait : *Gaudete, quoniam ego vici sæculum* (*Joan.* XVI, 33).

8. [*vers.* 8.] *Quis est iste rex gloriæ ?* pavet admirans natura mortalis, et quærit, *Quis est iste rex gloriæ ? Dominus fortis et potens :* quem tu infirmum et oppressum putasti. *Dominus potens in bello :* contrecta cicatrices, et senties reparatas, et immortalitati redditam infirmitatem humanam. Persoluta est quæ debebatur terris, ubi cum morte belligerata est, clarificatio Domini.

9. [*vers.* 9.] *Tollite portas principes vestri :* hinc jam pergatur in cœlum. Exclamet iterum prophetica tuba : Tollite portas, etiam cœlestes principes, quas habetis in animis hominum qui adorant militiam cœli (IV *Reg.* XVII, 16). *Et elevamini portæ æternales :* et elevamini portæ æternæ justitiæ, charitatis et castitatis, per quas anima diligit unum verum Deum, et non fornicatur sub multis qui appellantur dii. *Et introibit rex gloriæ :* et introibit rex gloriæ, ut ad dexteram Patris interpellet pro nobis (*Rom.* VIII, 34).

10. [*vers.* 10.] *Quis est iste rex gloriæ?* quid et tu princeps potestatis aeris hujus miraris, et quæris, *Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ :* et jam vivificato corpore, supra te pergit ille tentatus; supra omnes Angelos tendit, ab angelo prævaricatore ille tentatus. Nemo vestrum se objiciat atque intercludat iter nostrum, ut tanquam Deus colatur a nobis : neque principatus, neque angelus, neque virtus nos separat a charitate Christi (*Ibid.*, 39). Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principe (*Psal.* CXVII, 9) : ut qui gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31). Sunt quidem istæ in hujus mundi ordinatione virtutes, sed *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.*

IN PSALMUM XXIV ENARRATIO.

In finem, Psalmus ipsi David.

1. [*vers.* 1.] Christus, sed in Ecclesiæ persona, loquitur : nam magis ad populum christianum conversum ad Deum pertinent quæ dicuntur.

2. [*vers.* 2.] *Ad te, Domine, levavi animam meam :* desiderio spirituali, quæ carnalibus desideriis conculcabatur in terra. *Deus meus, in te confido, non erubescam :* Deus meus, ex eo quod in me confidebam, perductus sum usque ad istam infirmitatem carnis; et qui deserto Deo sicut Deus esse volui, a minutissima bestiola mortem timens, de superbia mea irrisus erubui; jam ergo in te confido, non erubescam.

3. [*vers.* 3.] *Neque irrideant me inimici mei :* neque irrideant me, qui serpentinis atque occultis suggestionibus insidiantes, et suggerentes Euge, Euge, ad hæc dejecerunt. *Etenim universi qui te exspectant non confundentur.*

4. [*vers.* 4.] *Confundantur inique facientes vana :* confundantur inique facientes, ad acquirenda quæ transeunt. *Vias tuas, Domine, notas fac mihi, et semitas tuas edoce me :* quæ non latæ sunt, nec multitudinem ad interitum ducunt (*Matth.* VII, 13); sed angustas et paucis notas semitas tuas edoce me.

5. [*vers.* 5.] *Dirige me in veritate tua :* errores fugientem. *Et doce me :* nam per meipsum non novi, nisi mendacium. *Quoniam tu es Deus salutaris meus,*

[1] Edd., *in eo.* At Mss. constanter ferunt, *in ea.*
[2] Sic Mss. Edd. vero, *immortalitatis claritatem parata est.*
[3] Edd., *vestras.* Mss. vero constanter, *vestri* : sicque etiam Augustinus in epist. 237, n. 8.
(a) Diapsalma.

et te sustinui tota die: neque enim dimissus a te de paradiso (*Gen.* III, 23), et in longinquam regionem peregrinatus (*Luc.* XV, 13), per meipsum redire possum, nisi occurras erranti; nam reditus meus toto tractu temporis sæcularis misericordiam tuam sustinuit.

6. [*vers* 6.] *Reminiscere miserationum tuarum, Domine*: reminiscere operum misericordiæ tuæ, Domine, quia tanquam oblitum te homines putant. *Et quia misericordiæ tuæ a sæculo sunt*: et hoc reminiscere, quia misericordiæ tuæ a sæculo sunt. Nunquam enim sine illis fuisti, qui etiam peccantem hominem vanitati quidem, sed in spe subjecisti, et tot tantisque creaturæ tuæ consolationibus non deseruisti.

7. [*vers.* 7.] *Delicta juventutis meæ et ignorantiæ meæ ne memineris*: delicta confidentis audaciæ meæ et ignorantiæ meæ ne ad vindictam reserves, sed tanquam excidant tibi. *Secundum misericordiam tuam memor esto mei, Deus*: memor esto quidem mei, non secundum iram qua ego dignus sum, sed secundum misericordiam tuam quæ te digna est. *Propter bonitatem tuam, Domine*: non propter meritum meum, sed propter bonitatem tuam, Domine.

8. [*vers.* 8.] *Dulcis et rectus Dominus*: dulcis est Dominus, quandoquidem et peccantes et impios ita miseratus est, ut omnia priora donarit; sed etiam rectus est Dominus, qui post misericordiam vocationis et veniæ, quæ habet gratiam sine meritis, digna ultimo judicio merita requiret. *Propter hoc legem statuet delinquentibus in via*: quia misericordiam prærogavit ut perduceret in viam.

9. [*vers.* 9.] *Diriget mites in judicio*: diriget mites, nec perturbabit in judicio eos qui sequuntur voluntatem ejus, nec ei resistendo præponunt suam. *Docebit mansuetos vias suas*: docebit vias suas, non eos qui præcurrere volunt, quasi seipsos melius regere possint; sed eos qui non erigunt[1] cervicem, neque recalcitrant, cum eis jugum lene imponitur et sarcina levis (*Matth.* XI, 30).

10. [*vers.* 10.] *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*a*). Quas autem vias docebit eos, nisi misericordiam qua placabilis, et veritatem qua incorruptus est? Quorum unum præbuit donando peccata, alterum merita judicando. Et ideo universæ viæ Domini, duo adventus Filii Dei, unus miserantis, alter judicantis. Pervenit ergo ad eum tenens vias ejus, qui nullis meritis suis se liberatum videns, deponit superbiam, et deinceps cavet examinantis severitatem, qui clementiam subvenientis expertus est. *Requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus*: intelligunt enim Dominum misericordem primo adventu, et secundo judicem, qui mites et mansueti requirunt testamentum ejus, cum sanguine suo nos in novam vitam redemit; et in Prophetis atque Evangelistis testimonia ejus.

11. [*vers.* 11.] *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo; multum est enim*: non solum peccata mea donasti, quæ antequam crederem admisi; sed et peccato meo, quod multum est, quia et in via non deest offensio, sacrificio contribulati spiritus propitiaberis.

12. [*vers.* 12.] *Quis est homo, qui timeat Dominum?* unde incipit venire ad sapientiam. *Legem statuet*[1] *ei in via quam elegit*: legem statuet ei in via quam liber apprehendit, ne impune jam peccet.

13. [*vers.* 13.] *Anima ejus in bonis demorabitur, et semen ejus hæreditate possidebit terram*: et opus ejus hæreditatem solidam instaurati corporis possidebit.

14. [*vers.* 14.] *Firmamentum est Dominus timentium eum*: infirmorum videtur esse timor, sed firmamentum est Dominus timentium eum. Et nomen Domini quod glorificatum est per orbem terrarum, firmat timentes eum. *Et testamentum ipsius ut manifestetur illis*: et facit ut testamentum ipsius manifestetur illis, quia hæreditas Christi gentes sunt, et termini terræ.

15. [*vers.* 15.] *Oculi mei semper ad Dominum; quia ipse evellet de laqueo pedes meos* (*a*): nec timeam pericula terrena, dum terram non intueor; quoniam ille quem intueor, evellet de laqueo pedes meos.

16. [*vers.* 16.] *Respice in me, et miserere mei; quoniam unicus et pauper sum ego*: quoniam unicus populus, unicæ Ecclesiæ tuæ servans humilitatem, quam nulla schismata vel hæreses tenent.

17. [*vers.* 17.] *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt*: tribulationes cordis mei abundante iniquitate et refrigescente charitate multiplicatæ sunt. *De necessitatibus meis educ me*: quoniam hæc tolerare mihi necesse est, ut perseverans usque in finem salvus sim (*Matth.* X, 22), de necessitatibus meis educ me.

18. [*vers.* 18.] *Vide humilitatem meam et laborem meum*: vide humilitatem meam, qua nunquam me jactantia justitiæ ab unitate abrumpo; et laborem meum, quo indisciplinatos mihi commixtos suffero. *Et remitte omnia peccata mea*: et his sacrificiis propitiatus remitte peccata mea, non illa tantum juventutis et ignorantiæ meæ antequam crederem, sed etiam ista quæ jam ex fide vivens per infirmitatem vel vitæ hujus caliginem admitto.

19. [*vers.* 19.] *Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt*: non solum enim foris, sed etiam in ipsa intus Ecclesiæ communione non desunt. *Et odio iniquo oderunt me*: et oderunt me diligentem se.

20. [*vers.* 20.] *Custodi animam meam, et erue me*: custodi animam meam, ne decliner[2] ad imitationem eorum; et erue me a perplexitate, qua mihi miscentur. *Non confundar, quoniam speravi in te*: non confundar si forte insurgunt adversum me; quoniam non in me, sed in te speravi.

21. [*vers.* 21.] *Innocentes et recti adhæserunt mihi*,

[1] In omnibus nostris Mss., *rapiunt*.
(*a*) Idem vers. 10 tractatur in Enar. Psal. LX, n. 9; CXVIII, Serm. 2), n. 8.

[1] Edd., *statuit*. At Mss., *statuet*: juxta LXX, *nomothetêsei*.
[2] Edd., *declinem*. Mss., *decliner*.
(*a*) De hoc vers. 15 vide Enar. 2 Psal. XXXI, n. 21.

quoniam sustinui te, Domine : innocentes et recti non præsentia corporali miscentur tantum, sicut mali, sed consensione cordis in ipsa innocentia et rectitudine adhærent mihi; quoniam non defeci, ut imitarer malos; sed sustinui te, exspectans ventilationem ultimæ messis tuæ.

22. [*vers.* 22.] *Redime, Deus, Israel ex omnibus tribulationibus ejus :* redime, Deus, populum tuum, quem præparasti ad visionem tuam, ex tribulationibus ejus, non tantum quas foris, sed etiam quas intus tolerat.

IN PSALMUM XXV

ENARRATIO I.

Ipsi David.

1. [*vers.* 1.] Ipsi David, non mediatori homini Christo Jesu, sed omni Ecclesiæ jam perfecte in Christo stabilitæ [1], attribui potest.

2. *Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ambulavi;* judica me, Domine, quoniam post misericordiam quam tu mihi prærogasti, innocentiæ meæ habeo aliquod meritum, cujus viam custodivi. *Et in Domino sperans non movebor* [2] : nec tamen etiam sic in me, sed in Domino sperans, permanebo in eo.

3. [*vers.* 2, 3.] *Proba me, Domine, et tenta me :* ne quid tamen occultorum meorum me lateat, proba me, Domine, et tenta me; notum me faciens, non tibi quem nihil latet, sed mihi atque hominibus. *Ure renes meos et cor meum :* adhibe medicinale purgatorium, quasi ignem, delectationibus et cogitationibus meis, *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est :* quoniam ne illo igne consumar, non merita mea, sed misericordia tua, qua me ad talem vitam perduxisti, ante oculos meos est. *Et complacui in veritate tua :* et quia displicuit mihi meum mendacium, complacuit autem veritas tua, placui etiam ipse cum illa et in illa.

4. [*vers.* 4.] *Non sedi cum concilio vanitatis :* non elegi apponere cor meum his qui providere conantur, quemadmodum, quod fieri non potest, rerum transeuntium, perfruitione [3] beati sint. *Et cum iniqua gerentibus non introibo :* et quia ipsa causa est omnium iniquitatum, ideo cum iniqua gerentibus absconditam conscientiam non habebo.

5. [*vers.* 5.] *Odio habui congregationem malignorum :* ut autem veniatur ad ipsum concilium vanitatis, congregationes malignorum fiunt, quas odio habui. *Et cum impiis non sedebo :* et ideo cum tali concilio, cum impiis non sedebo, id est, placitum non collocabo. *Et cum impiis non sedebo.*

6. [*vers.* 6.] *Lavabo in innocentibus* [4] *manus meas :* munda faciam inter innocentes opera mea; lavabo inter innocentes manus meas, quibus amplexabor sublimia tua. *Et circumdabo altare tuum, Domine.*

7. [*vers.* 7.] *Ut audiam vocem laudis tuæ :* ut discam quemadmodum te laudem. *Et enarrem universa mirabilia tua :* et cum didicero, exponam omnia mirabilia tua.

8. [*vers.* 8.] *Domine, dilexi decorem domus tuæ :* Ecclesiæ tuæ. *Et locum habitationis gloriæ tuæ*, ubi habitans glorificaris.

9. [*vers.* 9.] *Ne perdas cum impiis animam meam*, ne ergo simul perdas cum his qui te oderunt, animam meam, quæ dilexit decorem domus tuæ. *Et cum viris sanguinum vitam meam :* et cum his qui proximum oderunt. Nam duobus præceptis decoratur domus tua.

10. [*vers.* 10.] *In quorum manibus iniquitates sunt :* ne itaque me perdas cum impiis et cum viris sanguinum, quorum opera iniqua sunt. *Dextera eorum repleta est muneribus :* et quod eis ad obtinendam salutem æternam datum est, ad accipienda hujus sæculi munera converterunt, existimantes quæstum esse pietatem (I *Tim.* VI, 5).

11. [*vers.* 11.] *Ego autem in innocentia mea ambulavi : redime me, et miserere mei :* valeat mihi ad perfectionem liberationis, tantum pretium sanguinis Domini mei; et in periculis hujus vitæ, misericordia tua non deserat me.

12. [*vers.* 12.] *Pes meus stetit in rectitudine :* dilectio mea non recessit a justitia tua. *In Ecclesiis benedicam te, Domine :* non occultabo eis quos vocasti benedictionem tuam, Domine; quoniam dilectioni tuæ subinfero proximi dilectionem.

ENARRATIO II.

SERMO AD PLEBEM.

1. Paulus apostolus cum legeretur, audivit nobiscum Sanctitas Vestra : *Sicut est*, inquit, *veritas in Jesu, deponere* [1] *vos secundum priorem conversationem veterem hominem, eum qui corrumpitur secundum concupiscentias deceptionis; renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (*Ephes.* IV, 21-24). Et ne aliquis arbitraretur deponendam esse aliquam substantiam, quemadmodum se exspoliat tunica; aut aliquid forinsecus accipiendum, quomodo accipit aliquod vestimentum, quasi ponens unam tunicam et sumens alteram; et carnalis iste intellectus non permitteret homines agere in se intus spiritualiter quod præcipiebat Apostolus : secutus est, et exposuit quid esset exui veterem hominem, et indui novum. Cætera enim lectionis ipsius ad eumdem intellectum pertinent. Ait quippe quasi dicenti : Et quomodo me exuturus sum veterem, aut quomodo induturus novum? An ipse tertius homo sum depositurus veterem hominem, quem habui, et accepturus novum, quem non habui; ut tres homines intelligantur, et sit in medio qui deponit veterem hominem, et accipit novum? ne ergo quisquam tali carnali cogitatione impeditus, minus faceret quod [2] jubetur, et non faciens

[1] Mss. prope omnes ferunt, *sed homini... stabilito.*
[2] Sic editio Lov. At Er. et septem Mss., *non infirmabor.*
[3] Edd., *perfunctione.* Sed melius aliquot Mss., *perfructione.*
[4] Edd., *inter innocentes.* Mss., *in innocentibus.* Græc. LXX, *en athôois.*

[1] Er. et Lov., *deponite.* At Am. et Mss., *deponere.*
[2] Edd., *quam.* At Mss., *quod.*

excusaret se de obscuritate lectionis, dicit in consequentibus: *Quapropter deponentes mendacium, loquimini veritatem.* Et ecce hoc est deponere veterem hominem, et induere novum: *Quapropter, deponentes mendacium, loquimini veritatem, unusquisque cum proximo suo: quia sumus invicem membra* (*Ephes.* IV, 25).

2. Ne autem quisquam vestrum ita cogitet, fratres, cum christiano loquendam veritatem et cum pagano mendacium. Cum proximo tuo loquere. Proximus tuus ille est, qui tecum natus est ex Adam et Eva. Omnes proximi sumus conditione terrenæ nativitatis: sed aliter fratres illa spe cœlestis hæreditatis. Proximum tuum debes putare omnem hominem, et antequam sit christianus. Non enim nosti quid sit apud Deum, quomodo illum præsciverit Deus ignoras. Aliquando quem irrides adorantem lapides, convertitur, et adorat Deum, fortasse religiosius quam tu, qui eum paulo ante irridebas. Sunt ergo proximi nostri latentes in his hominibus, qui nondum sunt in Ecclesia; et sunt longe a nobis latentes in Ecclesia. Ideoque qui non scimus futura, unumquemque proximum habeamus, non solum conditione mortalitatis humanæ, qua in hanc terram eadem sorte devenimus; sed etiam spe illius hæreditatis, quia non scimus quid futurus sit qui modo nihil est.

3. Ergo attendite cætera in induendo novum hominem et exuendo veterem. *Deponentes*, inquit, *mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo: quia sumus invicem membra. Irascimini; et nolite peccare.* Si propterea irasceris servo tuo quia peccavit: ne et tu ipse pecces, irascere tibi. *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ibid.*, 26): intelligitur quidem secundum tempus, fratres; quia etsi ex ipsa humana conditione et infirmitate mortalitatis, quam portamus, subrepit ira christiano, non debet diu teneri et fieri pridiana. Ejice illam de corde antequam occidat lux ista visibilis, ne te deserat lux illa invisibilis. Sed et aliter bene intelligitur, quia est noster sol justitiæ veritas Christus: non iste sol qui adoratur a Paganis et Manichæis, et videtur etiam a peccatoribus; sed ille alius cujus veritate humana natura illustratur, ad quem gaudent Angeli, hominum autem infirmatæ [1] acies cordis etsi trepidant sub radiis ejus, ad eum tamen contemplandum per mandata purgantur. Cum cœperit iste sol in homine habitare per fidem, non tantum in te valeat iracundia quæ in te nascitur, ut occidat super iracundiam tuam, id est, deserat Christus mentem tuam; quia non vult habitare Christus cum iracundia tua. Videtur enim quasi ipse a te occidere, cum tu ab ipso occidas: quia ira cum inveteraverit, odium fit; cum factum fuerit odium, jam homicida es. *Omnis enim qui odit fratrem suum, homicida est* (I *Joan.* III, 15), sicut dicit Joannes apostolus. Item ipse dicit, quia *omnis qui odit fratrem suum, in tenebris manet* (*Id.* II, 9): et non mirum si ille in tenebris manet, a quo occidit sol.

4. Ad hoc forte etiam pertinet quod audistis in Evangelio: *Periclitabatur navigium in stagno, et dormiebat Jesus* (*Luc.* VIII, 23). Navigamus enim per quoddam stagnum, et ventus et procellæ non desunt: tentationibus quotidianis hujus sæculi prope oppletur nostrum navigium. Unde autem fit, nisi quia dormit Jesus? Si non dormiret in te Jesus, tempestates istas non patereris; sed tranquillitatem haberes interius, convigilante tecum Jesu. Quid est autem, dormit Jesus? Fides tua quæ est de Jesu, obdormivit. Surgunt procellæ stagni hujus, vides malos florere, bonos laborare; tentatio est, fructus est. Et dicit [1] anima tua: O Deus, ipsa est justitia tua, ut mali floreant, boni laborent? Dicis Deo: Ipsa est justitia tua? Et Deus tibi: Ipsa est fides tua? Hæc enim tibi promisi? ad hoc christianus factus es, ut in sæculo isto floreres? torqueris [2], quia hic mali florent, qui cum diabolo postea torquebuntur? Sed unde hoc dicis? unde fluctibus stagni et tempestate turbaris? Quia dormit Jesus, id est, quia fides tua quæ est de Jesu, sopita est in corde tuo. Quid facis ut libereris? Excita Jesum, et dic, *Magister, perimus* (*Ibid.*, 24). Movent enim incerta stagni: perimus. Evigilabit ille, id est, rediet ad te fides tua; et adjuvante illo, considerabis in anima tua, quia quæ dantur modo malis, non cum illis perseverabunt: aut enim viventes eos deserunt, aut a morientibus deseruntur; tibi autem quod promittitur, manebit in æternum. Illis quod temporaliter conceditur, cito tollitur. Floruit enim ut flos feni. Omnis enim caro fenum: aruit fenum, et flos decidit: verbum autem Domini manet in æternum (*Isai.* XL, 6, 8). Pone ergo dorsum ad id quod cadit, et faciem ad illud quod manet. Evigilante Christo jam tempestas illa non quatiet cor tuum, non opplebunt fluctus navim tuam: quia fides tua imperat ventis et fluctibus, et transiet periculum. Ad hoc enim pertinet, fratres, totum id quod dicit Apostolus, de exuendo veterem hominem. *Irascimini, et nolite peccare: sol non occidat super iracundiam vestram: neque locum detis diabolo:* vetus ergo dabat locum, novus non det. *Qui furabatur, jam non furetur* (*Ephes.* IV, 26-28): vetus ergo furabatur, novus non furetur. Ipse homo est, unus homo est: Adam erat, Christus sit: vetus erat, novus sit; et cætera quæ ibi sequuntur.

5. Sed Psalmum videamus paulo diligentius, quia cum quisque profecerit in Ecclesia, necesse est patiatur malos in Ecclesia. Sed non eos cognoscit qui talis est; quanquam multi mali murmurent adversus malos, quomodo facilius unus sanus fert duos ægrotos, quam duo ægroti se invicem singulos. Itaque hoc præcipimus, fratres, Area est Ecclesia hujus temporis: sæpe diximus, sæpe dicimus, Et paleam habet et frumentum. Nemo quærat exire totam paleam, nisi tempore ventilationis. Nemo ante tempus ventilationis deserat aream, quasi dum non vult pati peccato-

[1] Sic vetus cod. Corb. At Edd., *hominum enim infirmatæ acies*.

[1] Tredecim Mss., *Et dubitat*.
[2] Sic Er. et Mss. At Lov., *ut in sæculo isto floreres, et in futuro postea in inferno miserrime torquereris? Quia hic mali florent*, etc.

res : ne præter aream inventus, prius ab avibus colligatur, quam ingrediatur in horreum. Quomodo autem hoc, fratres, dicamus attendite. Grana cum cœperint triturari, inter paleas jam se non tangunt ; ita quasi se non noverunt, quia intercedit palea. Et quicumque longius attendit aream, paleam solam putat : nisi diligentius intueatur, nisi manum porrigat, nisi spiritu oris, id est, flatu purgante discernat, difficile pervenit ad discretionem granorum. Ergo aliquando et ipsa grana ita sunt, quasi sejuncta ab invicem, et non se tangentia, ut putet unusquisque cum profecerit, quod solus sit. Hæc cogitatio, fratres, Eliam tentavit, tantum virum (III *Reg.* XIX, 10) ; et dixit ad Deum, sicut etiam Apostolus commemorat : *Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et ego remansi solus, et quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal* (*Rom.* XI, 3 *et* 4). Non dixit ei : Habes alios duos aut tres similes tibi. Noli, inquit, putare te solum. Alia, inquit, septem millia sunt, et solum te putas! Itaque hoc breviter præcipimus, ut dicere cœperam. Intendat mecum fraterna Sanctitas Vestra, et adsit misericordia Dei in cordibus nostris, ut sic a vobis intelligatur, ut fructificet, et in vobis operetur. Audite breviter : Quisquis adhuc malus est, non putet neminem bonum esse : quisquis bonus est, non putet se solum bonum esse. Tenetis hoc? Ecce repeto, videte quia dico : Quisquis malus est, interrogans conscientiam suam, et male sibi renuntians, non arbitretur neminem bonum esse : quisquis bonus est, non arbitretur se solum bonum esse; et non timeat bonus in commixtione malorum, quia veniet tempus ut inde segregetur. Ad hoc enim hodie cantavimus, *Ne perdas cum impiis animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.* Quid enim est, *Ne cum impiis perdas?* Ne simul perdas. Quare timet ne simul perdat? Video enim dictum Deo, quia modo simul nos pateris, quos pateris simul, noli perdere simul. Et hoc habet totus psalmus, quem volo breviter cum Sanctitate Vestra considerare, quia brevis est.

6. [*vers.* 1.] *Judica me, Domine :* molesta vota et quasi periculosa optat[1] sibi, ut judicetur. Quid est judicari quod optat? Discerni se optat a malis. Alio loco evidenter dicit de ipso judicio discretionis : *Judica me, Domine, et discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII, 1). Ostendit quid dixerit, *Judica :* ne tanquam sine judicio (quia modo et boni et mali intrant in Ecclesiam) et boni et mali eant in ignem æternum. *Judica me, Domine.* Quare? *Quoniam ego in innocentia mea ambulavi, et in Domino sperans non movebor.* Quid est, *in Domino sperans?* Ille enim titubat inter malos, qui non in Domino sperat; hinc factum est ut schismata fierent (*a*). Trepidaverunt inter malos, cum ipsi pejores essent, et quasi nollent esse boni inter malos. O si frumenta essent, usque ad tempus ventilationis paleam in area tolerarent. Sed quia palea erant, flavit ventus ante ipsam ventilationem, et rapuit de area paleam, et projecit in spinas. Et palea quidem inde projecta est : sed numquid quod remansit frumentum solum est? Non volat ante ventilationem nisi palea, remanet autem et frumentum et palea ; ventilabitur vero palea cum venerit tempus ventilationis. Hoc dixit iste : *In innocentia mea ambulavi, et in Domino sperans non movebor.* Si enim speravero in homine, visurus sum fortasse ipsum hominem aliquando male viventem, nec eas vias tenentem, quas vel didicit vel docet in Ecclesia bonas, sed quas diabolo docente sectatus est ; et quia spes mea in homine erit, titubante homine titubabit spes mea, et cadente homine cadet spes mea : quia vero in Domino spero, non movebor.

7. [*vers.* 2.] Sequitur, *Proba me, Domine, et tenta me ; ure renes meos et cor meum.* Quid est, *ure renes meos et cor meum?* Ure delectationes meas, ure cogitationes meas (cor pro cogitationibus, renes pro delectationibus posuit) ne aliquid mali cogitem, ne aliquid mali me delectet. Unde autem ures renes meos? Igne verbi tui. Unde ures cor meum? Calore spiritus tui. De quo calore alibi dicitur : *Et non est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII, 7) : et de quo igne Dominus dicit : *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII, 49).

8. [*vers.* 3.] Ergo sequitur, *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua :* hoc est, non in homine complacui, sed intus complacui tibi, ubi tu vides ; et non timeo si displiceam ubi homines vident, sicut ait Apostolus, *Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso tantum habebit gloriam, et non in altero* (*Gal.* VI, 4).

9. [*vers.* 4, 5.] *Non sedi*, inquit, *cum concilio vanitatis.* Hoc quid est, *Non sedi*, intendat Sanctitas Vestra. Quomodo videt Deus, dicit *non sedi.* Aliquando non es in concilio, et ibi sedes. Verbi gratia, in theatro non sedes, sed cogitas theatrica, contra quæ dictum est, *Ure renes meos :* ibi sedes corde, quamvis non sis ibi corpore. Contingat autem ut tenearis ab aliquo, et ibi colligeris, aut aliquod officium pium faciat te ibi sedere. Quomodo potest hoc evenire? Contingit ex officio pietatis ut servo Dei sit necessitas in amphitheatro esse ; liberare volebat nescio quem gladiatorem, fieri posset ut sederet, et exspectaret donec ille exiret quem liberare cupiebat. Ecce non sedit in concilio vanitatis, quamvis illic corpore sedere videretur. Quid est sedere? Consentire cum his qui ibi sedent : quod si præsens non feceris, non ibi sedisti : si absens feceris, sedisti ibi. *Et cum iniqua gerentibus non introibo* (*a*). *Odio habui congregationem*

[1] Plerique Mss., *orat.*

(*a*) Contra Donatistas.

(*a*) Non commemorat id quod forte nonnisi post contigit in Carthag. collatione, ubi Donatistæ sedere cum Catholicis noluerunt, dicentes consessum cum impiis prohiberi hoc psalmo. Quibus responsum fuit, ipsos ergo, qui a simul ingressi erant, peccasse in illud, *Et cum iniqua gerentibus non introibo.* Psalmumque de ingressu et consessu spirituali, non de corporali agere monstratum est. Vide lib. ad Donatistas post Collat., c. 5.

malignorum. Videtis quia intus est. *Et cum impiis non sedebo.*

10. [*vers.* 6.] *Lavabo in innocentibus manus meas :* non aqua ista visibili. Lavas manus, quando pie cogitas de operibus tuis, et innocenter [1] coram oculis Dei : quia est et altare coram oculis Dei, quo ingressus est sacerdos, qui pro nobis se primus obtulit. Est cœleste altare, et non amplectitur illud altare, nisi qui lavat manus in innocentibus. Nam multi altare hoc tangunt indigni, et tolerat Deus pati injuriam ad tempus sacramenta sua. Sed numquid, fratres mei, quomodo sunt parietes isti, sic erit Jerusalem cœlestis? Non quomodo reciperis cum malis intra parietes istos ecclesiæ, ita recipieris cum malis in sinum Abrahæ : non ergo timeas, lava manus. *Et circumdabo altare Domini :* ubi offers vota Domino, ubi preces fundis, ubi conscientia tua pura est, ubi dicis Deo qui sis; et si aliquid est in te forte quod displiceat Deo, curat ille cui confiteris. Lava ergo in innocentibus manus tuas, et circumda altare Domini, ut audias vocem laudis.

11. [*vers.* 7.] Hoc enim sequitur, *Ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.* Quid est, *Ut audiam vocem laudis?* Ut intelligam, inquit. Hoc est enim audire coram Deo, non quomodo sonos istos, quos multi audiunt, et multi non audiunt. Quam multi ad nos audientes sunt, et ad Deum surdi sunt! Quam multi habentes aures, non habent illas aures de quibus dicit Jesus : *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XIII, 9)! Ergo quid est audire vocem laudis? Dicam si potero, adjuvante misericordia Domini, et orationibus vestris. Audire vocem laudis, est intelligere intus, quia quidquid in te mali est de peccatis, tuum est; quidquid boni in justificationibus, Dei est. Ita audi vocem laudis, ut non te laudes et quando bonus es : nam laudando te bonum, fis malus; bonum enim te fecerat humilitas, malum te facit superbia. Conversus eras ut illuminareris, et conversione tua factus es luminosus, factus illustratus conversione. Sed quo [2]? numquid ad te? Si ad te conversus posses illuminari, nunquam posses tenebrari, quia tecum semper esses. Quare illuminatus es? Quia convertisti te ad aliud quod tu non eras. Quid est aliud quod tu non eras? Deus lumen est. Non enim tu lumen eras, quia peccator eras. Dicit enim Apostolus eis quos vult audire vocem laudis : *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux* (*Ephes.* V, 8). Quid est, *Fuistis aliquando tenebræ*, nisi veteres homines? *Nunc autem lux :* non sine causa lux estis, qui fuistis jamdudum tenebræ, nisi [3] quia illuminati estis. Noli putare teipsum esse lucem : illa est lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9); tu autem per teipsum, per malam voluntatem, per aversionem tuam tenebratus eras, modo luces. Sed subjecit statim, ne superbirent illi quibus dictum est, *Nunc autem lux*, et addidit, *in Domino.* Sic enim ait, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Ergo si præter Dominum, nec lux : si autem ideo lux, quia in Domino; quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Hoc enim ipse Apostolus dixit alio loco hominibus superbientibus, et volentibus sibi tribuere quod Dei est, et de bono sic gloriari quasi de suo, hoc eis dicit : *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7)? Qui dedit humili, aufert superbo : quia qui dedit, potest auferre. Ad hoc enim pertinet, fratres, si tamen exposui quod volui, exposui autem quantum potui, etsi non quantum volui, ad hoc pertinet quod ait, *Lavabo in innocentibus manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine, ut audiam vocem laudis tuæ :* id est, ex ipso bono meo non de me præsumam, sed de te qui dedisti, ne laudari velim de me in me, sed de te in te. Ideo sequitur, *Ut audiam vocem laudis tuæ, et enarrem universa mirabilia tua :* non mea, sed tua.

12. [*vers.* 8, 9.] Et jam videte, fratres, videte amatorem illum Dei de Deo præsumentem, positum inter malos, rogantem Deum ut non comperdatur cum malis, quia non errat Deus in judicando. Tu enim cum videris homines in unum locum intrasse, putas ejusdem meriti esse : Deus autem non fallitur, noli timere. Tu judicante vento discernis paleam a frumento : ventum vis flare tibi, et tu non es ventus, sed optas tibi flare ventum : et cum ventilabro utrumque excusseris, ventus leve tollit, grave manet. Quæris [1] ergo ventum ad judicandam aream. Numquid Deus quærit alterum qui secum judicet, ne perdat cum malis bonos? Non itaque timeas; securus esto bonus, etiam in medio malorum; et dic quæ audis, *Domine, dilexi decorem domus tuæ.* Domus Dei, Ecclesia est; adhuc habet malos, sed decor domus Dei in bonis est, in sanctis est : ipsum decorem domus tuæ dilexi. *Et locum habitationis gloriæ tuæ.* Quid est hoc? Et hoc dicam, ad illum sensum pertinet subobscurum aliquantum : adjuvet me Dominus, et intentio cordis vestri ab eodem Domino inspirata. Quid ait, *locum habitationis gloriæ tuæ?* Dixit prius, *decorem domus tuæ :* et exponit quid sit decor domus Dei, *Locus*, inquit, *habitationis gloriæ tuæ*. Non sufficit dicere, Locus habitationis Dei, sed, Locus habitationis gloriæ Dei. Quæ est gloria Dei? De qua paulo ante dicebam, ut et qui fit bonus, non in se, sed in Domino glorietur (*Id.* I, 31). Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei (*Rom.* III, 23). In quibus ergo sic habitat Dominus, ut et de bonis suis ipse glorificetur, ut non sibi velint tribuere, et quasi proprium vindicare quod ab illo acceperunt, ipsi pertinent ad decorem domus Dei. Nec discerni illos vellet Scriptura, nisi quia sunt quidam qui donum Dei habent quidem, et nolunt in Deo gloriari, sed in se : habent quidem donum Dei, sed non pertinent ad de-

[1] Er. et quinque Mss., *innocens es.*
[2] Sic Mss. At edd., *sed a quo? numquid a te? Si a te*, etc.
[3] Edd., *quare, nisi quia*, etc. Abest, *quar*

[1] Editio Am. *Quando ergo venitur ad judicandum aream; numquid Deus*, etc. Er. *Quando ergo venit.* At Mss. cum Lov., *Quæris ergo ventum*, etc.

corem domus Dei. Qui enim pertinent ad decorem domus Dei, in quibus habitat gloria Dei, ipsi sunt locus habitationis gloriæ Dei. In quibus autem habitat gloria Dei, nisi qui sic gloriantur, ut non in se, sed in Domino glorientur? Ergo quia dilexi decorem domus tuæ, id est, omnes qui ibi sunt et gloriam tuam quærunt; sed et non præsumpsi in homine, et non consensi impiis, et non introibo, et non sedebo in congregatione eorum; quia ita fui in Ecclesia Dei, quid mihi retribues? Sequitur quid respondeamus : *Ne comperdas cum impiis animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.*

13. [*Vers.* 10-12.] *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus :* munera non solum pecunia est, non solum aurum et argentum, non solum exenia [1] sunt; neque omnes qui accipiunt ea, accipiunt munera. Aliquando enim accipiuntur ab Ecclesia. Quod dico, Petrus accepit, Dominus accepit, loculos habuit, ea quæ mittebantur Judas auferebat. Sed quid est accipere munera? Propter munera laudare [2] hominem, adulari homini, palpare blandiendo, judicare contra veritatem propter munera. Propter quæ munera? Non solum propter aurum et argentum et hujusmodi aliquid, sed etiam propter laudem qui judicat male, munus accipit, et munus quo nihil inanius. Patuit enim illi manus ad accipiendum judicium linguæ alienæ, et perdidit judicium conscientiæ suæ. Ergo *in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* Videtis, fratres, quia coram Deo sunt, et in quorum manibus non sunt iniquitates, nec dextera eorum repleta est muneribus, utique coram Deo, et non possunt nisi Deo dicere, Tu scis : non possunt nisi illi dicere : *Ne comperdas cum impiis animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam;* qui solus potest videre, quia non accipiunt munera. Verbi causa, contingit ut duo homines habeant causam apud servum Dei; nemo nisi suam justam dicit causam; nam si iniquam putaret causam suam, judicem non quæreret. Et ille se putat justam causam habere, et ille. Veniunt ad judicem. Antequam proferatur sententia, ambo dicunt : Amplectimur judicium tuum; quidquid judicaveris, absit ut respuamus. Quid et tu dicis? Judica quidvis, tantum judica : prorsus si in aliquo repugnavero, anathema sim. Ambo amant judicem antequam judicet. Cum autem dicta fuerit sententia, contra unum erit; et neuter eorum scit contra quem futura est. Ille ergo si utrisque placere voluerit, accipit munus laudem hominum. Sed accepto munere isto, videte quod munus amittat. Accipit quod sonat, et transit : perdit quod dicitur, et nunquam transit. Verbum Dei semper dicitur, nunquam transit : verbum hominis mox ut dictum fuerit, transit. Tenet inania, dimittit solida. Si autem Deum intueatur, prolaturus est sententiam contra unum, considerato [3] Deo, sub quo judice illam profert. Ille autem contra quem prolata fuerit, et si jam effringi non potest, quia tenetur jure forte non ecclesiastico, sed principum sæculi, qui tantum (a) detulerunt Ecclesiæ, ut quidquid in ea judicatum fuerit, dissolvi non possit; si ergo effringi non potest, jam non vult intueri se, et [1] cæcos oculos dirigit in judicem, detrahit quantum potest. Placere illi, inquit, voluit, diviti favit, aut aliquid ab illo accepit, aut timuit illum offendere. Accusat quasi accepta sint munera. Si autem pauper habuerit contra divitem, et pro paupere fuerit judicatum; dicit item dives, Accepit munera. Quæ munera a paupere? Vidit, inquit, pauperem, et ne reprehenderetur quod contra pauperem fecerit, oppressit justitiam, et protulit contra veritatem sententiam. Cum ergo necesse sit ut hoc dicatur, videte non posse dici ab his qui munera non accipiunt, nisi coram oculis Dei, qui solus videt quis accipiat, et quis non accipiat : *Ego autem in innocentia mea ambulavi, redime me, et miserere mei : pes meus stetit in rectitudine.* Concussus sum quidem undique scandalis et tentationibus reprehendentium judicium humana temeritate [2] : sed *pes meus stetit in rectitudine.* Quare autem *in rectitudine?* Quia superius dixerat : *Et in Domino sperans non movebor.*

14. Quid ergo concludit? *In Ecclesiis benedicam te, Domine.* Id est, in Ecclesiis non me benedicam, quasi certus de hominibus, sed te benedicam in operibus meis. Hoc est enim benedicere Deum in Ecclesiis, fratres, sic vivere ut per mores cujusque benedicatur Deus. Nam qui benedicit Dominum lingua, et factis maledicit, non in Ecclesiis benedicit Dominum. Lingua prope omnes benedicunt, sed non omnes factis. Quidam voce benedicunt, quidam moribus. In quorum autem moribus non invenitur quod aiunt, faciunt blasphemari Deum, ut illi qui nondum intrant Ecclesiam, quamvis ament peccata sua, et ideo nolint esse christiani, tamen excusent se per malos, ut blandiantur sibi, seducentes seipsos, et dicant : Quid mihi persuades ut Christianus sim? Ego fraudem a christiano passus sum, et nunquam feci; falsum mihi juravit christianus, et ego nunquam. Et cum ista dicunt, impediuntur a salute : ut nihil eis prosit, non quidem quod jam boni sunt, sed quod mediocriter mali. Quomodo enim nihil prodest aperire oculos, si sit quisque in tenebris; ita nihil prodest esse in luce, si clausi sunt oculi. Ita et paganus quidem (ut de illis potius loquamur velut bene viventibus) patentibus oculis est in tenebris; quia non agnoscit lucem suam Dominum : christianus autem male vivens, in

[1] Edd., *xenia*. At omnes Mss., *exenia*.
[2] In Mss., *adulare*.
[3] Nonnulli edd., *considerante*.

[1] Aliquot Mss., *sed*.
[2] Lov., *judicio humanæ temeritatis*. Am. Er. et Mss., *judicium humanæ temeritatis*. Sed haud dubie legendum, *humana temeritate*.

(a) Exstat ea de re Constantini lex in Theodosiano codice, lib. 16, tit. de episcopali judicio, data ad Ablavium præfectum Prætorio, qua sancit Imperator, ut « Sententiæ Episcoporum quolibet genere prolatæ, inviolatæ semper « incorruptæque serventur, utque omnes causæ quæ vel « prætorio jure vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur. »

hæc quidem est nonnisi Dei, sed clausis oculis. Male vivendo enim videre non vult eum, in cujus nomine tanquam cæcus est in lumine constitutus, nulla visione veri luminis animatus.

IN PSALMUM XXVI

ENARRATIO I.

Ipsi David, priusquam liniretur.

1. [*vers.* 1.] Tiro Christi loquitur, cum accedit ad fidem. *Dominus illuminatio mea et salutaris meus, quem timebo?* Dominus mihi et notitiam sui et salutem dabit, quis me auferet ei? *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* Dominus repellet omnes impetus et insidias hostis mei, a nullo trepidabo.

2. [*vers.* 2.] *Dum appropinquant super me nocentes, ut edant carnes meas:* dum accedunt ad cognoscendum me nocentes, et insultandum, ut se mihi præferant mutanti [1] me in melius; ut maledico dente non me consumant, sed potius carnalia desideria mea. *Qui tribulant me inimici mei:* non solum qui me tribulant amico animo reprehendentes, et a proposito revocare volentes, sed etiam inimici mei. *Ipsi infirmati sunt, et ceciderunt:* dum ergo id agunt studio defendendi sententiam suam, infirmi facti sunt ad credenda meliora; et verbum salutis, per quod facio quod eis displicet, odisse cœperunt.

3. [*vers.* 3.] *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum:* adversus me autem si contradicentium conspirans multitudo consistat, non timebit cor meum, ut in eorum partes transfugiam. *Si insurgat in me bellum, in hac ego sperabo:* si exsurgat in me persecutio hujus sæculi, in hac, quam cogito petitionem, figam spem meam.

4. [*vers.* 4.] *Unam petii a Domino, hanc requiram:* unam enim petitionem petii a Domino, hanc requiram. *Ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ:* ut quamdiu in hac vita sum, nullæ adversitates me excludant de numero eorum qui unitatem et veritatem dominicæ fidei per orbem terrarum tenent. *Ut contempler delectationem Domini:* eo fine scilicet, ut in fide perseveranti appareat mihi species delectabilis, quam facie ad faciem contempler. *Et protegar templum ejus:* et absorpta morte in victoriam, immortalitate induar, effectus templum ejus.

5. [*vers.* 5.] *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum meorum:* quoniam abscondit me in dispensatione incarnati Verbi sui in tempore tentationum, quibus mortalis vita mea subjacet. *Protexit me in abscondito tabernaculi sui:* protexit me, corde credentem ad justitiam (*Rom.* x, 10).

6. [*vers.* 6.] *In petra exaltavit me:* et ut manifestum etiam fieret ad salutem, quod credidi, in sua firmitate [2] fecit eminere confessionem meam. *Et nunc ecce exaltavit caput meum super inimicos meos:* quid mihi servat in finem, quando et nunc cum corpus mortuum est propter peccatum (*Rom.* viii, 10), sentio ecce mentem meam servire legi Dei, nec duci captivam sub rebellante lege peccati (*Id.* vii, 22, *etc.*)? *Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam jubilationis:* consideravi orbem credentem in Christum; et in eo quod pro nobis temporaliter Deus humiliatus est, gaudens laudavi eum: tali enim hostia delectatur. *Cantabo et psallam Domino:* corde atque opere lætabor in Domino.

7. [*vers.* 7.] *Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te:* exaudi, Domine, vocem interiorem, quam in aures tuas forti intentione direxi. *Miserere mei, et exaudi me:* miserere mei, et exaudi me in ea.

8. [*vers.* 8.] *Tibi dixit cor meum: Quæsivi vultum tuum.* Non enim hominibus me ostentavi; sed in secreto ubi solus audis, tibi dixit cor meum: Quæsivi non a te aliquod extra te præmium, sed vultum tuum. *Vultum tuum, Domine, requiram:* huic inquisitioni perseveranter instabo; non enim vile aliquid, sed vultum tuum, Domine, requiram, ut gratis te diligam, quia pretiosius aliquid non invenio.

9. [*vers.* 9.] *Ne avertas vultum tuum a me:* ut inveniam quod quæro. *Ne declines in ira a servo tuo:* ne te quærens, in aliud incurram. Quid enim hac pœna gravius amanti et quærenti veritatem vultus tui? *Adjutor meus esto:* quando hanc inveniam, nisi tu adjuves? *Ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus:* neque contemnas quod mortalis æternum audet inquirere; tu enim Deus sanas plagam peccati mei.

10. [*vers.* 10.] *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me:* quoniam regnum sæculi hujus et civitas sæculi hujus, ex quibus temporaliter et mortaliter natus sum, dereliquerunt me quærentem te, et despicientem quæ promittebant, cum id quod quæro dare non possent. *Dominus autem assumpsit me:* Dominus autem, qui potest ipse dare mihi se, assumpsit me.

11. [*vers.* 11.] *Legem mihi constitue, Domine, in via tua:* ad te igitur tendenti, et tantam professionem perveniendi ad sapientiam a timore inchoanti [1], legem mihi constitue, Domine, in via tua, ne aberrantem disciplina tua deserat. *Et dirige me in semita recta propter inimicos meos:* et dirige me in rectitudine angustiarum ejus; non enim inchoare sufficit, cum inimici, donec perveniatur, non quiescant.

12. [*vers.* 12.] *Ne tradideris me in animas tribulantium me:* ne sinas tribulantes me satiari de malis meis. *Quoniam insurrexerunt mihi testes iniqui:* quoniam insurrexerunt in me falsa de me dicentes, ad amovendum et revocandum me abs te, quasi gloriam ab hominibus quæram. *Et mentita est iniquitas sibi.*

[1] Ita Mss. At edd., *mutasti me.*
[2] Sic Er. et Mss. At Lov., *infirmitate.*

[1] Edd. et plerique Mss., *et ad tantam professionem pervenienti, ad sapientiam a timore inchoanti.* Nos juxta Colbert. Ms., *et tantam professionem perveniendi*, etc.

Itaque iniquitas mendacio suo delectata est. Nam me non movit, cui ex hoc promissa est merces major in cœlis.

13. [*vers.* 13.] *Credo videre bona Domini, in terra viventium* : et quoniam hæc prior passus est Dominus meus; si ego quoque linguas morientium [1] contemnam (Os enim quod mentitur occidit animam [*Sap.* I, 11]), *credo videre bona Domini in terra viventium*, ubi nullus est falsitati locus.

14. [*vers.* 14.] *Sustine Dominum, viriliter age : et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* Sed quando istud erit? Arduum est mortali, tardum est amanti : sed audi non fallacem vocem dicentis : *Sustine Dominum.* Tolera ustionem renum viriliter, et ustionem cordis fortiter : non tibi negatum putes, quod nondum accipis. Ne desperatione deficias, vide quia dictum est : *Sustine Dominum.*

ENARRATIO II.

SERMO AD PLEBEM.

1. Dominus Deus noster alloquens et consolans nos, profecto quos respicit ex justo judicio suo in sudore vultus nostri panem manducare (*Gen.* III, 19), ex nobis nobis loqui dignatur, ut ostendat quia non solum est conditor noster, sed et habitator. Voces istæ Psalmi, quas audivimus, et ex parte cantavimus, si dicamus quod nostræ sint, verendum est quemadmodum verum dicamus : sunt enim voces magis Spiritus Dei quam nostræ. Rursum si dicamus nostras non esse, profecto mentimur. Non enim est gemitus nisi laborantium : aut omnis ista vox, quæ hic sonuit, plena doloris et lacrymarum, potest esse ejus qui nunquam potest esse miser. Dominus ergo misericors, nos miseri : misericors loqui dignatus miseris, dignatur etiam uti in ipsis voce miserorum. Ita utrumque verum est, et nostram esse vocem, et nostram non esse; et Spiritus Dei esse vocem, et ipsius non esse. Spiritus Dei vox est, quia ista nisi illo inspirante non diceremus : ipsius autem non est, quia ille nec miser est, nec laborat. Istæ autem voces miserorum et laborantium sunt. Rursus nostræ sunt, quia voces sunt indicantes miseriam nostram : item non sunt nostræ, quia ex dono ejus vel gemere meremur.

2. [*vers.* 1.] *Psalmus David priusquam liniretur.* Hoc habet titulus Psalmi [2] : *Psalmus David priusquam liniretur*, hoc est, priusquam ungeretur. Unctus est enim ille ut rex (1 *Reg.* XVI, 13). Et solus [3] tunc ungebatur rex, et sacerdos : duæ istæ illo tempore unctæ personæ. In duabus personis præfigurabatur futurus unus rex et sacerdos, utroque munere unus Christus, et ideo Christus a chrismate. Non solum autem caput nostrum unctum est, sed et corpus ejus nos ipsi. Rex autem est, quia nos regit et ducit; sacerdos, quia pro nobis interpellat (*Rom.* VIII, 34). E quidem solus ille sacerdos talis extitit, ut ipse esset etiam sacrificium. Sacrificium obtulit Deo non aliud quam seipsum. Non enim inveniret præter se mundissimam rationalem victimam, tanquam agnus immaculatus fuso sanguine suo redimens nos, concorporans nos sibi, faciens nos membra sua, ut in illo et nos Christus essemus. Ideo ad omnes Christianos pertinet unctio : prioribus autem Veteris Testamenti temporibus ad duas solas personas pertinebat. Inde autem apparet Christi corpus nos esse, quia omnes ungimur : et omnes in illo et Christi et Christus sumus, quia quodammodo totus Christus caput et corpus est. Unctio ista perficiet nos spiritualiter in illa vita, quæ nobis promittitur. Est autem hæc vox desiderantis illam vitam; est vox quædam desiderantis gratiam Dei, quæ in nobis in fine perficietur : ideo dictum est, *Priusquam liniretur.* Ungimur enim modo in sacramento, et sacramento ipso præfiguratur quiddam quod futuri sumus. Et illud nescio quid futurum ineffabile desiderare debemus, et in sacramento gemere, ut in ea re gaudeamus quæ sacramento præmonstratur.

3. Ecce quid dicit : *Dominus illuminatio mea, et salutaris meus, quem timebo?* ille me illuminat, recedant tenebræ; ille me salvat, recedat infirmitas; ambulans in lumine firmus, quem timebo? Non enim talem salutem dat Deus, quæ ab aliquo possit extorqueri; aut tale lumen est, quod ab aliquo possit obtenebrari. Dominus illuminans, nos illuminati; Dominus salvans, nos salvati : si ergo ille illuminans, nos illuminati; et ille salvans, nos salvati; præter ipsum nos tenebræ et infirmitas. Habentes autem in ipso spem certam et fixam et veram, quem timebimus? Dominus illuminatio tua, Dominus salutaris tuus. Inveni potentiorem, et time. Ad potentissimum omnium, ad omnipotentem, sic pertineo, ut et illuminet me, et salvet me, nec timeo aliquem præter ipsum. *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?*

4. [*vers.* 2.] *Dum appropinquant super me nocentes, ut edant carnes meas : qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.* Itaque ego quid timebo, aut quem timebo? ego quem trepidabo, aut quid trepidabo? Qui me persequuntur, ipsi infirmantur, ipsi cadunt. Quare autem persequuntur? *Ut edant carnes meas.* Quæ sunt carnes meæ? Carnales affectus mei. Sæviant persequendo, nihil in me moritur nisi mortale. Erit in me aliquid, quo persecutor pervenire non possit, ubi habitat [1] Deus meus. Manducent carnes meas : finitis carnibus spiritus ero, et spiritualis. Et quidem tantam salutem mihi promittit Dominus meus, ut etiam modo ista caro mortalis, quæ videtur per-

[1] Editio Lov., *sic ego quoque* : dissentientibus cæteris libris. Et mox cum editione Fr. habebat, *linguas mentientium.* Sed verius Mss., *morientium*, qua voce per antithesim ad *viventium*, usus fuisse Augustinus intelligitur ex illis verbis : *Os enim quod mentitur occidit animam.*

[2] In Edd. deerant hæc verba, *vel gemere meremur. Psalmus David priusquam liniretur. Hoc habet titulus Psalmi* : quæ undecim Mss. auctoritate restituuntur.

[3] Sic Vatic. codex, et quinque Gallic. Mss. Edd. vero ferebant : *Unctus est enim ille ut rex et sacerdos. Tunc ungebatur*, etc.

[1] Regius et Vatic. Mss., *ibi habitat.*

miti [1] manibus persequentium, non pereat in æternum; sed quod demonstratum est in capite meo resurgente, hoc omnia membra sperent. Quem timeat anima mea, quam inhabitat Deus? Quem timeat caro mea, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem? Vultis nosse quia carnes illi manducant, qui nos persequuntur, nec ipsi autem carni nostræ metuendum est? *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* (I *Cor.* XV, 44). Quanta autem fiducia debet esse in eo qui novit dicere: *Dominus illuminatio mea, et salutaris meus, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* Protegitur imperator scutatis, et non timet; protegitur a mortalibus mortalis, et securus est: protegitur mortalis ab immortali, et timebit et trepidabit?

5. [*Vers.* 3.] Quanta autem fiducia debeat esse in eo qui ista dicit, audite: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Castra munita sunt, sed quid munitius Deo? *Si exsurgat in me bellum.* Quid mihi facit bellum? Potest mihi auferre spem meam? potest mihi auferre quod dat Omnipotens? Sicut non vincitur qui dat, sic non aufertur quod dat. Si auferri potest datum, vincitur dator. Ergo nec ipsa quæ temporaliter accipimus, auferre nobis quisquam potest, fratres mei, nisi solus ille qui dedit. Spiritualia quæ donat, non auferet, nisi tu dimiseris [2]: carnalia vero et temporalia ipse aufert; quia et quisquis alius aufert, ipso donante potestatem, aufert. Novimus hoc, et legimus in libro Job, quia nec ille qui videtur quasi maximam habere potestatem ad tempus diabolus, potest aliquid nisi permissus (*Job* I). Accepit potestatem in infima, et amisit maxima et summa. Et non est ista potestas irati, sed pœna damnati. Nec ipse ergo potest habere aliquam potestatem, nisi permissus. Et in illo libro habes quem commemoravi, et in Evangelio Dominus dicit: *Hac nocte postulavit Satanas, ut vos cribraret* [3] *sicut triticum, et ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua* (*Luc.* XXII, 31). Permittitur autem aut ad pœnam nostram, aut ad probationem. Ergo quia nobis nemo potest auferre quod dat Deus, non timeamus nisi Deum: quidquid aliud fremuerit, quidquid aliud superbierit adversus nos, non timeat cor nostrum.

6. [*Vers.* 4.] *Si exsurgat in me bellum, in hac ego sperabo.* In qua? *Unam,* inquit, *petii a Domino.* Feminino genere appellavit quoddam beneficium, tanquam diceret, Unam petitionem. Et quomodo solemus loquentes dicere, verbi gratia, Duas habes; non dicimus Duo, hoc more loquendi usa est Scriptura: *Unam,* inquit, *petii a Domino, hanc requiram.* Videamus quid petit qui nihil timet. Magna securitas cordis. Vultis nihil timere? Hanc unam petite, quam unam petit qui nihil timet, aut quam petit ut nihil timeat? *Unam,* inquit, *petii a Domino, hanc requiram.* Hoc hic agitur ab eis qui bene ambulant. Quid est hoc? quæ est illa una? *Ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ.* Hæc est una: domus enim ea dicitur ubi semper manebimus. In ista peregrinatione dicitur domus, sed proprie tabernaculum appellatur: tabernaculum peregrinantium, et quodammodo militantium, et adversus hostem pugnantium est. Quando ergo tabernaculum est in hac vita, manifestum est quia est et hostis: nam simul habere tabernacula, hoc est esse contubernales; et nostis hoc nomen esse militantium. Ergo hic tabernaculum, ibi domus. Sed et hoc tabernaculum interdum per abusionem vicinitatis dicitur domus, et domus aliquando secundum eumdem modum dicitur tabernaculum: proprie tamen illa domus, hoc tabernaculum.

7. Quid autem acturi simus in illa domo, habes evidenter expressisse alium psalmum: *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Hac iste, si dicendum est, cupiditate ardens, et amore isto æstuans, desiderat omnes dies vitæ suæ in domo Domini habitare: in domo Domini omnes dies vitæ suæ, non quasi finiendos, sed æternos. Sic enim dicuntur dies, quomodo anni, de quibus dictum est, *et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28). Nam dies vitæ æternæ unus dies est sine occasu. Hoc ergo dixit ad Dominum, Concupivi [1] hanc, Unam petii, Hanc requiram. Et quasi diceremus ei, Et quid ibi facturus es? quæ ibi delectatio tua? quod avocamentum cordis? quæ illæ deliciæ, unde gaudia suppetent? Non enim ibi perdurabis, nisi felix eris. Felicitas autem illa unde succedet? Habemus enim hic felicitates diversas generis humani, et miser quisque dicitur quando illi subtrahitur quod amat. Amant ergo homines diversas res; et quando quisque quod amat habere videtur, felix vocatur. Vere autem felix est, non si id habeat quod amat; sed si id amet quod amandum est. Multi enim miseri magis habendo quod amant, quam carendo: amando enim res noxias miseri, habendo sunt miseriores. Et propitius Deus, cum male amamus, negat quod amamus: iratus autem dat amanti quod male amat. Habes evidenter dicentem Apostolum: *Tradidit illos Deus in concupiscentiam cordis eorum* (*Rom.* I, 24). Dedit ergo quod amabant, sed damnando. Habes rursum negantem petitum: *Propter quod ter Dominum rogavi,* inquit, *ut auferret eum a me* (stimulum videlicet carnis), *et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 8 *et* 9). Ecce illos dedit in concupiscentiam cordis eorum; Paulo apostolo negavit quod oravit: illis dedit ad damnationem, huic negavit ad sanitatem. Cum autem id amamus quod vult Deus ut amemus, procul dubio daturus est nobis. Hæc est illa una, quæ debet amari, ut habitemus in domo Domini per omnes dies vitæ nostræ.

8. Et quia in istis terrenis habitationibus, diversis deliciis et voluptatibus homines oblectantur, et unusquisque in ea vult domo habitare, ubi non habeat quod offendat animum, et habeat multa quæ delectent; si autem subtrahantur ea quæ delectabant, vult homo undecumque migrare: interrogemus quasi

[1] Quinque Mss., *perimi.*
[2] Tres Mss., *nisi tu deserueris.* Alii duo, *nisi tu desines misereri.*
[3] Quatuor Mss., *ut vos vexaret.* Alii decem, *vexare vos.*

[1] Duo Mss. Vatic. et Reg., *a Domino concupivi.*

curiosus, et dicat iste, quid nos ipsi, quid acturus est in illa domo, ubi cupit et optat, desiderat et hoc unum petit a Domino, habitare in ea omnes dies vitæ suæ. Quid ibi agis, quæso te? quid est quod desideras? Audi quid : *Ut contempler delectationem Domini*. Ecce quod amo, ecce quare volo habitare in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Habet ibi magnum spectaculum, delectationem ipsius Domini contemplari. Vult finita nocte sua hærere in luce ipsius. Tunc enim erit mane nostrum nocte transacta : unde alio loco psalmus dicit : *Mane astabo tibi, et contemplabor* (*Psal.* v, 5). Modo ideo non contemplor, quia cecidi : tunc astabo, et contemplabor. Hæc vox humana est. Cecidit enim homo, et non mitteretur qui erigeret, nisi cecidissemus. Nos cecidimus, ille descendit. Ille ascendit, nos levamur : quia nemo ascendit, nisi qui descendit (*Joan.* III, 13). Qui ruit, levatur; qui descendit, ascendit [1]. Et non ideo desperemus, quia ille solus ascendit. Levat enim nos, ad quos cadentes descendit : et stabimus, et contemplabimur, et magna delectatione perfruemur. Ecce dixi hoc, et exclamastis desiderio cujusdam speciei nondum visæ. Excedat cor vestrum omnia usitata, et excedat intentio universas cogitationes vestras solemnes ex carne, eductas a sensibus carnis, et imaginantes nescio quæ phantasmata [2]. Totum ab animo rejicite, quidquid occurrerit negate : cognoscite infirmitatem cordis vestri, et quia vel occurrit [3] quod cogitare possetis, dicite : Non est illud; non enim si illud esset, mihi jam occurrisset. Ita desiderabitis quoddam bonum. Quale bonum? Omnis boni bonum, unde omne bonum, bonum cui non additur quid sit ipsum bonum. Dicitur enim bonus homo, et bonus ager, et bona domus, et bonum animal, et bona arbor, et bonum corpus, et bona anima : adjunxisti, quoties dixisti, Bonum. Est bonum simplex, ipsum bonum quo cuncta sunt bona, ipsum bonum ex quo cuncta sunt bona : ipsa est delectatio Domini; hanc contemplabimur. Jam videte, fratres, si nos delectant bona ista quæ appellantur bona, si nos delectant bona quæ non sunt per se bona (omnia enim mutabilia non sunt per se bona), qualis erit contemplatio incommutabilis boni, æterni, semper eodem modo manentis? Quandoquidem ista quæ dicuntur bona, nullo pacto nos delectarent, nisi essent bona, nec alio pacto essent bona, nisi ab illo essent qui simpliciter bonus est.

9. Ecce quare habitare volo, inquit, in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Dixi vobis quare : *Ut contempler delectationem Domini*. Ut autem semper contempler, et nulla molestia me contingat contemplantem, nulla suggestio avertat, nulla auferat alicujus potentia, nullum inimicum patiar in contemplando, et perfruar deliciis securus, ipso Domino Deo meo, quid fiet mihi? Proteget me. Non solum ergo contemplari volo delectationem Domini, ait, sed etiam *protegi templum ejus*. Ut templum suum me protegat, ero templum ejus, et protegar ab eo. Numquid tale est templum Dei, qualia templa sunt simulacrorum? Simulacra gentium templis suis proteguntur : Dominus Deus noster templum suum proteget, et securus ero. Contemplabor ad delectationem, et protegar ad salutem. Quam erit illa contemplatio perfecta, tam ista perfecta protectio; et quam illud perfectum gaudium contemplandi, tam perfecta etiam incorruptio sanitatis. Ad ista duo verba quæ dixit, *contempler delectationem Domini, et protegar templum ejus*, pertinent illa duo unde Psalmus cœpit, *Dominus illuminatio mea, et salutaris meus, quem timebo?* Quia contemplabor delectationem Domini, illuminatio mea est : quia proteget me templum suum, salutaris meus est.

10. [*vers.* 5.] Quare autem nobis hoc præstat in finem? *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum meorum*. Erit ergo mihi in domo habitatio per omnes dies vitæ meæ, ad hoc ut contempler delectationem Domini, et protegar templum ejus. Ut autem illuc perveniam, unde mihi promitto? *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum meorum*. Tunc non erunt dies malorum meorum, sed vidit me in diebus [1] malorum meorum. Qui ergo me longe positum misericorditer respexit, secum positum quomodo beabit [2]? Propterea ergo non impudenter unam illam petivi; nec mihi dixit cor meum : Quid petis [3], aut a quo petis? Audes enim a Deo aliquid petere, peccator inique? audes sperare aliquam contemplationem Dei te habiturum, infirme, immundo corde? Audeo, inquit, non de me, sed de ipsius delectatione; non de mea præsumptione, sed de illius pignore. Qui tantum pignus dedit peregrinanti, deseret pervenientem? *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum meorum*. Ecce dies malorum nostrorum, vita ista est. Dies malorum aliter habent impii, aliter fideles. Nam etiam credentes, sed adhuc peregrinantes a Domino (*Quamdiu enim sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino* [II *Cor.* v, 6], hoc Apostolus dixit), si dies malorum non agunt, unde vox Dominicæ orationis, *Libera nos a malo* (*Matth.* vi, 13), si non sumus in diebus malorum? sed longe discretius dies malorum agunt qui adhuc non crediderunt : nec ipsos ille despexit. Etenim Christus pro impiis mortuus est (*Rom.* v, 6). Audeat ergo præsumere anima humana, et unam illam petere; secura habebit, secura possidebit. Tantum dilecta est fœda, pulchra quomodo fulgebit! *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum meorum : protexit me in abscondito tabernaculi sui*. Quid est absconditum tabernaculi ipsius? quid est hoc? Multa enim quasi membra tabernaculi forinsecus videntur. Et est quasi adytum, quod dicitur penetrale secretum (*Hebr.* IX, 3), inte-

[1] Hæc verba, *Qui ruit, levatur; qui descendit, ascendit*, omissa fuerunt a Lov. Exhibentur in nostris Mss. et apud Er.

[2] Sic omnes prope Mss. At Edd., *omnia visa* : qui et paulo post habebant, *et imaginatas nescio quo phantasmate*.

[3] Edd., *et quidquid occurrerit*. Mss., *et quia vel occurrit*, etc.

[1] Sic melioris notæ Mss. At edd., *sed videt me nunc in diebus*, etc.

[2] Edd., *quomodo non illuminabit?* Quidam autem Mss., *quomodo beabit?*

[3] Vatic. Ms., *Quid petis, quis petis, a quo petis?*

rius templi[1]. Et quid est hoc? quod solus sacerdos intrabat. Et forte ipse sacerdos est absconditum tabernaculi Dei. Accepit enim de isto tabernaculo carnem, et fecit nobis absconditum tabernaculi[2]: ut tabernaculum ejus alia membra ipsius credentes in eum sint, absconditum autem tabernaculi ipse sit. *Mortui enim estis*, ait Apostolus, *et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III, 3).

11. [*vers.* 6.] An vis nosse quia inde dicit? Petra nempe est Christus (I *Cor.* X, 4). Audite quid sequitur: *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum meorum: protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Quærebas quid sit absconditum tabernaculi, audi quod sequitur: *In petra exaltavit me.* Ergo in Christo exaltavit me. Quia in pulvere humiliasti te, in petra exaltavit te. Sed Christus sursum est, tu autem adhuc deorsum. Audi sequentia: *Et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos. Et nunc*, antequam veniam ad illam domum, ubi volo habitare per omnes dies vitæ meæ, antequam veniam ad illam contemplationem Domini, *Et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.* Adhuc patior inimicos corporis Christi, adhuc non sum exaltatus super inimicos; sed *caput meum exaltavit super inimicos meos.* Jam caput nostrum Christus in cœlo est, adhuc inimici nostri possunt in nos sævire: nondum sumus exaltati super illos; sed caput nostrum jam ibi est. Unde hoc dixit: *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Se dixit in nobis esse hic deorsum: ergo et nos in illo sumus ibi sursum, quia *et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.* Ecce quale pignus habemus, unde et nos fide et spe et charitate cum capite nostro sumus in cœlo in æternum: quia et ipsum divinitate, bonitate, unitate nobiscum est in terra usque in consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20).

12. *Circumivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam jubilationis:* immolamus hostiam jubilationis, immolamus hostiam lætitiæ, hostiam gratulationis, hostiam gratiarum actionis, quæ verbis explicari non potest. Immolamus autem, ubi? In ipso tabernaculo ejus, in sancta Ecclesia. Quid ergo immolamus? Abundantissimum et inenarrabile gaudium, nullis verbis, voce ineffabili[3]. Hæc est hostia jubilationis. Unde quæsita, unde inventa est? Circumeundo, *Circumivi*, inquit, *et immolavi in tabernaculo ejus hostiam jubilationis.* Circumeat animus tuus per universam creaturam: undique tibi clamabit creatura: Deus me fecit. Quidquid te delectarit in arte[4], artificem commendat; magisque si circumeas universa, consideratio concipit artificis laudem. Vides cœlos, magna opera Dei sunt. Vides terram, Deus fecit seminum numeros, diversitates germinum, multitudinem animalium. Circumi adhuc cœlos usque ad terram, nihil relinquas: undique tibi omnia resonant conditorem; et ipsæ species creaturarum, voces sunt quædam creatorem laudantium. Quis autem explicet universam creaturam? quis illam explicet laudibus? quis digne laudet cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt? Et ista quidem visibilia. Quis digne laudet Angelos, Sedes, Dominationes, Principatus, et Potestates? Quis digne laudet hoc ipsum quod in nobis viget, vegetans corpus, movens membra, sensus exserens[1], et memoria tam multa complectens, intellectu tam multa discernens, quis digne laudet? At si in istis creaturis Dei sic laborat humanus sermo, in creatore quid agit, nisi sola restet sermone deficiente jubilatio? *Circumivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam jubilationis.*

13. Est et alius sensus, qui mihi videtur ad contextionem Psalmi magis pertinere. Quia enim dixerat in petra se exaltatum, quod est Christus; et caput suum exaltatum super inimicos suos, quod est Christus: etiam se, qui in petra exaltatus est, in eodem capite suo exaltatum intelligi voluit super inimicos suos, referens hoc ad honorem Ecclesiæ, cui cessit inimicorum persecutio: et quia hoc per fidem orbis terrarum factum est, *Circumivi*, inquit, *et immolavi in tabernaculo ejus hostiam jubilationis:* id est, consideravi fidem orbis terrarum, in qua exaltatum est caput meum, super eos qui me persequebantur; et in ipso tabernaculo ejus, id est in Ecclesia toto orbe diffusa, ineffabiliter laudavi Dominum.

14. [*vers.* 7.] *Cantabo et psallam Domino*: securi erimus, et securi cantabimus, et securi psallemus, cum contemplabimur delectationem Domini, et protegemur templum ejus, in illa incorruptione, quando absorbebitur mors in victoriam (I *Cor.* XV, 54). Modo quid? Quia jam dicta sunt gaudia illa, quæ habebimus, cum acceperimus illam unam petitionem. Modo quid? *Exaudi, Domine, vocem meam:* gemamus modo, oremus modo. Gemitus non est nisi miserorum, oratio non est nisi indigentium. Transiet oratio, succedet laudatio; transiet fletus, succedet gaudium. Interim modo, quando in diebus malorum nostrorum sumus, non cesset oratio nostra ad Deum, a quo unam illam petamus; et ab ipsa petitione non desinamus, donec ad eam illo donante ac perducente perveniamus. *Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te; miserere mei, et exaudi me:* unam illam petit, tam diu rogans, flens, gemens, non petit nisi unam. Finivit omnes cupiditates, remansit illa una quam petit.

15. [*vers.* 8.] Audi quia hanc petit: *Tibi dixit cor meum, Quæsivi vultum tuum.* Hoc est ergo quod paulo ante dixit: *Ut contempler delectationem Domini. Tibi dixit cor meum, Quæsivi vultum tuum.* Si gaudium nostrum in isto sole esset, non cor nostrum diceret, *Quæsivi vultum tuum;* sed oculi corporis nostri. Cor nostrum cui dicit: *Quæsivi vultum tuum*, nisi ei qui pertinet ad oculum cordis? Lucem istam quærunt oculi carnis, lucem illam quærunt oculi cordis. Sed

[1] Edd., *interioris templi.* Plerique autem Mss., *interius templi.*
[2] Ita nonnulli Mss. At Er., *et fecit nos absconditum tabernaculum.* Lov., *et fecit nobis absconditum tabernaculum ejus.*
[3] Sic Er. et Mss. At Lov., *nulla voce effabile.*
[4] Plerique Mss., *in parte;* et paulo post: *magisque si circumeas, universi consideratio*, etc.

[1] Sic in Mss. At in Edd., *sensus exercens.*

vis illam lucem, quæ videtur oculis cordis, videre : quia ipsa lux Deus est. *Deus enim lux est*, ait Joannes, *et tenebræ in eo non sunt ullæ* (I *Joan*. I, 5). Vis ergo videre illam lucem? Munda oculum, unde videtur : *Beati enim mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth*. v, 8).

16. [*vers*. 9.] *Tibi dixit cor meum, Quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram :* unam petii a Domino, hanc requiram, vultum tuum, *Non avertas faciem tuam a me*. Quomodo se fixit in ista una petitione! Vis impetrare? Aliud noli petere : uni suffice, quia una tibi sufficiet. *Tibi dixit cor meum, Quæsivi vultum tuum; vultum tuum, Domine, requiram Ne avertas faciem tuam a me : ne declines in ira a servo tuo*. Magnifice, nihil dici divinius potest. Sentiunt hoc qui vere amant. Alius vellet beatus et immortalis esse in his, quas diligit, terrenarum concupiscentiarum voluptatibus : et forte propterea Deum coleret, et oraret, ut diu hic viveret in deliciis suis, et non ab eo aliquid periret quod terrena possidet cupiditas, nec aurum, nec argentum, nec si quid prædiorum oblectaret oculos ejus, nec amici morerentur, nec filii, nec conjux, nec clientes; in his deliciis vellet semper vivere. Sed quia non potest semper, novit enim se mortalem; forte ad hoc colit Deum, et ad hoc orat Deum, et ad hoc gemit Deo, ut ista illi omnia usque in senectutem[1] suppetant. Et si diceret ei Deus, Ecce facio te in his immortalem; pro magno bono acciperet, et exsultatione gaudiorum gratulatus non se caperet. Non vult hoc iste, qui unam petiit a Domino. Sed quid vult? Contemplari delectationem Domini per omnes dies vitæ suæ. Rursusque alius qui hoc modo et hac causa coleret Deum, si illa sibi temporalia adessent, iratum Deum non timeret, nisi ne illud auferret. Iste non propter hoc timet iratum; quandoquidem et de inimicis suis dixit, Ut edam carnes meas. Unde timet iratum? Ne auferat quod amavit. Quid amavit? Vultum tuum. Ideo hanc putat iram Domini, si avertat ab illo vultum suum. Domine, *ne declines in ira a servo tuo*. Posset illi forte responderi hoc modo : Quid times, ne declinet a te in ira? Magis si a te declinaverit in ira, non in te vindicabit : si incurras in illum iratum, vindicabit in te. Opta ergo potius ut declinet a te in ira Non, inquit. Novit enim quid desiderat[2]. Ira ejus non est nisi aversio vultus ejus. Quid si te faciet in deliciis istis et voluptate gaudiorum terrenorum immortalem? Respondet amator talis Nolo; quidquid mihi præter illum est, dulce non est : quidquid mihi vult dare Dominus meus, auferat totum, et se mihi det. *Ne declines in ira a servo tuo*. Forte ab aliquibus declinat, non in ira; quomodo a quibusdam qui illi dicunt : *Averte faciem tuam a peccatis meis* (*Psal*. L, 11). Quando a peccatis tuis avertit faciem suam, non in ira a te declinat. Avertat ergo faciem suam a peccatis tuis : sed non avertat faciem suam a te.

17. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me*. Ecce enim in via sum; petivi a te unam, habitare in domo tua per omnes dies vitæ meæ, contemplari delectationem tuam, protegi templum tuum[1]; hanc petivi unam : sed ut ad illam perveniam, in via sum. Forte dices mihi : Nitere[2], ambula; liberum arbitrium tibi dedi, voluntatis tuæ es; prosequere viam, quære pacem et sequere eam (*Psal*. XXXIII, 15); noli a via declinare, noli ibi remanere, noli retro respicere; persevera in ambulando, quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth*. x, 22, *et* XXIV, 13). Jam tu accepto libero arbitrio, quasi præsumis unde ambules (*a*) : noli de te præsumere; si te dereliquerit, in ipsa via deficies, cades, aberrabis, remanebis. Dic ergo illi : Voluntatem quidem liberam mihi dedisti, sed sine te nihil est mihi conatus meus : *Adjutor meus esto, ne derelinquas me; neque despicias me, Deus salutaris meus*. Tu enim adjuvas qui condidisti, tu non deseris qui creasti.

18. [*vers*. 10.] *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me*. Fecit se parvulum Deo : ipsum fecit patrem, ipsum fecit matrem. Pater est, quia condidit, quia vocat, quia jubet, quia regit : mater, quia fovet, quia nutrit, quia lactat, quia continet. *Pater meus et mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me*, et regendum et nutriendum. Mortales parentes genuerunt, filii successerunt, mortales mortalibus, et ad hoc nati sunt qui succederent, ut qui genuerunt decederent : non decedet qui me creavit, ego ab illo non recedam. *Pater meus et mater mea dereliquerunt me : Dominus autem assumpsit me*. Exceptis etiam illis duobus parentibus, de quorum carne nati sumus, patre masculo, et matre femina, tanquam Adam et Eva; exceptis illis duobus parentibus, habemus hic alium patrem, et aliam matrem, vel potius habuimus. Pater secundum sæculum diabolus est, et fuit nobis pater cum essemus infideles; nam infidelibus dicit Dominus : *Vos a patre diabolo estis* (*Joan*. VIII, 44). Si ille pater omnium impiorum, qui operatur in filiis diffidentiæ (*Ephes*. II, 2), mater quæ est? Est quædam civitas, quæ Babylonia dicitur : civitas ista, societas est omnium perditorum ab oriente usque in occidentem; ipsa habet regnum terrenum. Secundum hanc civitatem respublica (*b*) quædam dicitur, quam modo videtis senescere et minui : hæc prima fuit mater nostra, in hac nati sumus. Cognovimus alium patrem, Deum; reliquimus diabolum. Quando enim audet accedere ad eos, quos ille suscepit qui superat omnia? Cognovimus aliam matrem, Jerusalem cœlestem, quæ est sancta Ecclesia, cujus portio peregrinatur in terra : reliquimus Babyloniam. *Pater meus et mater mea dereliquerunt me :* non habent jam quod mihi præstent; quia et quando mihi præstare videbantur, tu præstabas, et illis imputabam.

[1] Edd., *usque in finem*. At Mss., *in senectutem*.
[2] Lov., *ut declinet a te in ira, non accedat. Quid novit enim? quid desiderat?* Er., *ut declinet a te in ira, in ira non accedat. Quid novit enim?* Mss. vero quidam : *ut declinet a te in ira, non in ira. Quid novit enim?* Alii demum eam lectionem exhibent, quam in textu damus.

[1] Edd., *protegi a templo tuo*. At Mss., *protegi templum tuum* : concinnius ad superiora.
[2] Sic tres Mss. Alii quinque, *utere*. Edd., vero, *ut irem*.
(*a*) Respicit forte ad Pelagii errorem, invectum in Africam an. 411.
(*b*) Romanam rempublicam notat, senescentem veluti ac deficientem a tempore vastatæ Italiæ an. 406 et captæ Urbis an. 410.

19. A quo enim etiam secundum mundum istum præstatur homini, nisi a Deo? Aut quid aufertur homini, nisi ille jusserit, aut permiserit, qui donavit? Sed putant vani homines, quod hoc dæmones præstent, quos adorant; et aliquando dicunt sibi: Deus ad vitam æternam necessarius est, ad illam vitam spiritualem; potestates autem istæ debent a nobis coli, propter ista temporalia. O inanitas generis humani! Plus amas eas res propter quas istos vis colere: profecto plus habes istos colere, ut non dicam plus, certe vel tantum. Non vult autem Deus coli cum illis, nec si ipse colatur multo amplius, et illi multo minus. Quid ergo, inquies, et isti non sunt necessarii ad hæc? Non. Sed timendum est ne irati noceant. Non nocebunt nisi ille permittat. Isti semper habent voluntatem nocendi, nec si placentur, nec si rogentur, desinunt nocere velle: hoc enim malevolentiæ illorum proprium est. Ergo quid facies eos colendo, nisi ut illum offendas, quo offenso in istorum potestatem daberis[1]: ut qui tibi nihil possent facere illo placato, faciant quidquid volunt illo irato. Et ut noveris quam frustra istos colas, quasi propter temporalia quisquis hæc cogitas: omnes qui colunt Neptunum, non naufragaverunt; aut omnes qui blasphemant Neptunum, ad portum non pervenerunt? omnes mulieres colentes Junonem, bene pepererunt; aut omnes blasphemantes Junonem, male pepererunt? Hinc intelligat Charitas Vestra, inanes esse homines, qui istos volunt colere vel propter ista terrena. Nam si propter ista terrena colendi essent, soli cultores illorum terrenis omnibus abundarent. Quod quidem si esset, fugere nos talia dona et unam petere a Domino deberemus. Huc accedit, quia et ista ille dat, qui offenditur cum isti coluntur. Ergo relinquat nos pater noster, et mater nostra: relinquat diabolus, relinquat Babylon civitas: Dominus nos suscipiat consolandos temporalibus, beatificandos æternis. *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.*

20. [*vers.* 11.] Jam ergo assumptus est a Domino, deserta illa civitate et rectore ejus diabolo, quia rector impiorum diabolus est, rector mundi tenebrarum harum. Quarum tenebrarum? Peccatorum, infidelium. Unde jam credentibus dicit Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v. 8). Ergo jam suscepti ab illo, quid dicamus? *Legem mihi constitue, Domine, in via tua.* Ausus es petere legem? Quid si tibi dicat: Implebis legem? si dedero legem, implebis eam. Non auderet petere, nisi primo diceret: *Dominus autem suscepit me.* Non auderet petere, nisi primo diceret: *Adjutor meus esto.* Ergo si tu adjuvas, si tu suscipis, da legem: *Legem mihi constitue, Domine, in via tua.* Ergo legem mihi constitue in Christo tuo. Ipsa enim via locuta est nobis, et dixit: *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). Lex in Christo, lex cum misericordia est. Ipsa est sapientia, de qua scriptum est: *Legem autem et misericordiam in lingua portat* (*Prov.* XXXI, 26). Et si offenderis aliquid in lege, ille qui pro te fudit sanguinem suum, confitenti ignoscit tibi: tu tantum viam noli deserere; dic illi, Susceptor meus esto, *Et dirige me in semita recta propter inimicos meos.* Legem da, sed ne auferas misericordiam; qui dixit in alio psalmo: *Nam et misericordiam dabit, qui legem dedit* (*Psal.* LXXXIII, 8). Ergo, *Legem mihi constitue, Domine, in via tua*, hoc ad præceptum pertinet: ad misericordiam quid pertinet? *Et dirige me*, inquit, *in semita recta, propter inimicos meos.*

21. [*vers.* 12.] *Ne tradideris me in animas tribulantium me:* id est, ne consentiam tribulantibus me. Si enim consenseris tribulanti te in animam ipsius, quodammodo non devorabit carnem, sed voluntate perversa animam tuam manducabit. *Ne tradideris me in animas tribulantium me.* Trade, si hoc placet, in manus tribulantium. Dixerunt enim hoc illi martyres, et tradidit suos in manus tribulantium. Sed quid tradidit? Carnem. Quod dicitur in libro Job, *Terra tradita est in manus impii* (*Job* IX, 24): caro tradita est in manus persecutoris. *Ne tradideris me*, non carnem meam, sed me. Anima tibi loquor, mens tibi loquor; non dico, Noli tradere carnem meam in manus tribulantium me; sed, *Noli me tradere in animas tribulantium me.* Et quomodo traduntur homines in animas tribulantium se? *Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui.* Jam quia testes iniqui sunt, et multa mala in me dicunt, et in multis mihi detrahunt; si traditus fuero in animas eorum, mentiar et ego, et ero socius eorum, non particeps veritatis tuæ, sed comparticeps mendacii adversus te: *Exsurrexerunt mihi testes iniqui; et mentita est iniquitas sibi.* Sibi, non mihi: sibi semper mentiatur, mihi autem non mentiatur. Si tradideris me in animas tribulantium me, id est, si consensero voluntatibus eorum; jam non sibi mentita erit iniquitas, sed et mihi: si autem sæviant quantum voluerint, et conentur impedire cursus meos, non tamen tu me des in animas eorum; non consentiendo voluntatibus eorum, remanebo ego, et permanebo in veritate tua, et mentietur iniquitas, non mihi, sed sibi.

22. [*vers.* 13.] Redit ad illam unam post ista pericula, post labores, post difficultates, inter manus persequentium et tribulantium æstuans, anhelans, laborans, et firmus et certus illo suscipiente, illo juvante, illo ducente, illo regente. Tamen post illum circuitum et jubilationem, exsultans gaudio, et gemens in laboribus, suspiravit ad extremum, et ait: *Credo videre bona Domini in terra viventium.* O bona Domini dulcia, immortalia, incomparabilia, sempiterna, incommutabilia! Et quando vos videbo, bona Domini? Credo videre, sed non in terra morientium. *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Eruet me Dominus a terra morientium, qui propter me dignatus est suscipere terram morientium, et mori inter manus morientium; eruet me Dominus de terra morientium: *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Suspirans dixit, laborans dixit, periclitans dixit inter magnam turbam tentationum: sed tamen sperans totum

[1] Theoderic. codex, *in istorum potestatem laberis.* Plures alii Mss., *in istorum potestate haberis.*

de misericordia ejus, cui dixit : *Legem mihi constitue, Domine.*

23. [*vers.* 11.] Et quid ille dicit, qui legem illi constituit? Audiamus et vocem Domini desuper exhortantis nos, consolantis nos; illius vocem, quem habemus pro patre et matre qui nos dereliquerunt, illius vocem audiamus. Audivit enim gemitus nostros, vidit suspiria nostra, intuitus est desiderium nostrum, et unam petitionem nostram, unam postulationem per advocatum Christum libenter accepit; et donec peragamus istam peregrinationem, qua dilaturus est, non ablaturus quod promisit, dixit nobis : *Sustine Dominum.* Non sustinebis mendacem, non eum qui poterit falli, non eum qui non est inventurus quod det. Omnipotens promisit, certus promisit, verax promisit, *Sustine Dominum, viriliter age.* Noli dissolvi : ne sis inter eos quibus dicitur, *Væ his qui perdiderunt sustinentiam* (*Eccli.* II, 16)! *Sustine Dominum*, omnibus nobis dicitur, et uni homini dicitur. Unus sumus in Christo, corpus Christi sumus, qui unam illam desideramus, qui unam illam petimus, qui in illis diebus malorum nostrorum ingemiscimus, qui credimus nos videre bona Domini in terra viventium; nobis omnibus, qui unus in uno sumus, dicitur, *Sustine Dominum, viriliter age; et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* Quid aliud tibi dicat, quam ut hoc repetat quod audisti? *Sustine Dominum, viriliter age.* Ergo qui perdidit sustinentiam, effeminatus est, perdidit vigorem. Hoc viri, hoc feminæ audiant, quia in uno viro vir et femina. Talis in Christo nec masculus nec femina est (*Galat.* III, 28). *Sustine Dominum, viriliter age; et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.* Sustinendo Dominum habebis eum, habebis quem sustinebis. Aliud desidera, si majus, si melius, si suavius inveneris.

IN PSALMUM XXVII

ENARRATIO.

Ipsius [1] ***David.***

1. [*vers.* 1, 2.] Ipsius mediatoris vox est, manu fortis in conflictu passionis. Quæ autem videtur optare inimicis, non malevolentiæ votum est, sed enuntiatio pœnæ illorum : sicut in Evangelio civitatibus in quibus miracula cum fecisset, neque credidissent ei, non malevolentia optat quæ dicit, sed quid eis immineat prædicit (*Matth.* XI, 20).

2. *Ad te, Domine, clamavi, Deus meus ne sileas a me :* ad te, Domine, clamavi, Deus meus ne separes unitatem Verbi tui ab eo quod homo sum. *Nequando sileas a me : et ero similis descendentibus in lacum :* ex eo enim quod æternitas Verbi tui non intermittit unire se mihi, fit ut non sim talis homo quales sunt cæteri, qui nascuntur in profundam miseriam sæculi hujus, ubi tanquam sileas, non cognoscitur Verbum tuum. *Exaudi* [2] *vocem deprecationis meæ, dum oro ad te; dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum :* dum crucifigor, ad eorum salutem, qui credentes fiunt templum sanctum tuum.

3. [*vers.* 3.] *Ne simul trahas* [1] *cum peccatoribus animam meam, et cum operantibus iniquitatem ne perdas me : cum his qui loquuntur pacem cum proximo suo.* Cum his qui mihi dicunt : *Scimus quia a Deo venisti magister* (*Joan.* III, 2). *Mala autem in cordibus suis :* mala autem loquuntur in cordibus suis.

4. [*vers.* 4.] *Da illis secundum opera ipsorum :* da illis secundum opera ipsorum, quia hoc justum est. *Et secundum malignitatem affectationum* [2] *ipsorum :* mala enim affectantes, bona invenire non possunt. *Secundum opera manuum eorum da eis :* quamvis aliis ad salutem valeat quod fecerunt, secundum opera tamen voluntatum illorum da eis. *Redde retributionem eorum ipsis :* quia pro veritate quam audiebant, voluerunt fallaciam retribuere; fallacia ipsorum ipsos fallat.

5. [*vers.* 5.] *Quoniam non intellexerunt in opera Domini :* et unde manifestum est hoc eis accidisse? Hinc scilicet, *quoniam non intellexerunt in opera Domini :* hæc ipsa nimirum jam retributio fuit, ut quem malevolo animo hominem tentaverunt, non cognoscerent Deum quo [3] consilio incarnatum Pater misit. *Et in opera manuum ejus :* nec moverentur ipsis visibilibus operibus, quæ porrecta sunt usque ad oculos eorum. *Destrues illos, et non ædificabis eos :* nihil mihi noceant, sed nec conantes rursus adversus Ecclesiam meam erigere machinas aliquid valeant.

6. *Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.*

7. [*vers.* 7.] *Dominus adjutor meus et protector meus :* Dominus adjuvans tanta patientem, et immortalitate protegens resurgentem. *In ipso speravit cor meum, et adjutus sum. Et refloruit caro mea :* id est, et resurrexit caro mea. *Et ex voluntate mea confitebor illi :* unde jam consumpto mortis metu, non timoris necessitate sub Lege, sed libera voluntate cum Lege confitebuntur illi, qui credunt in me; in quibus quia ego sum, ego confitebor.

8. [*vers.* 8.] *Dominus fortitudo plebis suæ :* non illa plebs ignorans justitiam Dei, et suam volens constituere (*Rom.* X, 3). Non enim per se fortem se putavit; quia Dominus fortitudo plebis suæ, in hujus vitæ difficultatibus cum diabolo dimicantis. *Et protector salutarium Christi sui est :* ut eam salvam factam per Christum suum, post fortitudinem bellicam, immortalitate pacis ad ultimum protegat.

9. [*vers.* 9.] *Salvum fac populum tuum* [4], *et benedic hæreditatem tuam.* Interpello igitur, postquam refloruit caro mea, quia dixisti, *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II, 8); *Salvum fac populum tuum, et benedic hæreditatem tuam :* quia omnia mea tua sunt (*Joan.* XVII, 10). *Et rege illos, et extolle*

[1] Sic Mss. juxta LXX. At Lov., *Psalmus ipsi David.*
[2] Sic potiores Mss. omisso post *Exaudi* verbo *Domine*, quod abest a LXX. [*Exaudi, Domine*].

[1] Edd., *tradas*. Melius aliquot Mss., *trahas*.
[2] Sic melioris notæ Mss. [*affectionum*.]
[3] Er. et Lov., *quem*. Nos ex Mss., *quo*.
[4] Edd., *tuum, Domine*. Vox, *Domine*, abest a Mss. et a LXX.

illos usque in sæculum : et rege illos in hac temporali vita, et in æternam hinc tolle illos.

IN PSALMUM XXVIII
ENARRATIO.

Psalmus ipsi David, consummationis tabernaculi.

1. [*vers.* 1, 2.] Psalmus ipsi mediatori manu forti, perfectionis Ecclesiæ in hoc sæculo, ubi adversus diabolum temporaliter militatur.

2. Propheta loquitur : *Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum :* afferte Domino vosmetipsos, quos per Evangelium duces gregum Apostoli genuerunt. *Afferte Domino gloriam et honorem :* per opera vestra Dominus glorificetur et honoretur. *Afferte Domino gloriam nomini ejus :* gloriose per orbem innotescat. *Adorate Dominum in aula sancta ejus :* adorate Dominum in dilatato et sanctificato corde vestro ; vos enim estis regium sanctum habitaculum ejus.

3. [*vers.* 3.] *Vox Domini super aquas :* vox Christi super populos. *Deus majestatis intonuit :* Deus majestatis de nube carnis terribiliter pœnitentiam prædicavit. *Dominus super aquas multas :* ipse Dominus Jesus postea quam vocem emisit super populos, et perterruit eos, convertit in se, et habitavit in eis.

4. [*vers.* 4.] *Vox Domini in virtute :* vox Domini jam in ipsis, potentes faciens eos. *Vox Domini in magnificentia :* vox Domini magna faciens in eis.

5. [*vers.* 5.] *Vox Domini conterens cedros :* vox Domini contritione cordis humilians superbos. *Conteret Dominus cedros Libani :* conteret per pœnitentiam Dominus elatos nitore terrenæ nobilitatis, cum ad eos confundendos ignobilia hujus mundi elegerit (I *Cor.* I, 28), in quibus ostendat divinitatem suam.

6. [*vers.* 6.] *Et comminuet eas tanquam vitulum Libani.* Et amputata superba celsitudine illorum, deponet eos ad imitationem humilitatis suæ, qui tanquam vitulus per ipsam hujus sæculi nobilitatem ad victimam ductus est : *Astiterunt enim reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus* (*Psal.* II, 2). *Et dilectus sicut filius unicornium :* nam et ipse dilectus atque unicus Patri exinanivit se nobilitate sua ; et factus est homo, sicut filius Judæorum ignorantium justitiam Dei (*Rom.* X, 3) et superbe jactantium tanquam singularem justitiam suam.

7. [*vers.* 7.] *Vox Domini præcidentis flammam ignis.* Vox Domini per ardorem concitatissimum persequentium se sine ulla læsione transeuntis, vel dividentis furentem iracundiam persecutorum suorum, ut alii dicerent, Numquid forte ipse est Christus ; alii, Non, sed seducit populum (*Joan.* VII, 12) : atque ita præcidentis insanum tumultum eorum, ut alios in charitatem suam trajiceret, alios in malitia eorum relinqueret.

8. [*vers.* 8.] *Vox Domini commoventis solitudinem :* vox Domini commoventis ad fidem Gentes quondam sine spe et sine Deo in hoc mundo (*Ephes.* II, 12) ; ubi nullus propheta, nullus verbi Dei prædicator, velut nullus homo habitaverat. *Et commovebit Dominus desertum Cades :* et tunc celebrari faciet Dominus sanctum verbum Scripturarum suarum, quod a Judæis non intelligentibus deserebatur.

9. [*vers.* 9.] *Vox Domini perficientis cervos :* vox enim Domini primo perficit superatores et repulsores venenosarum linguarum. *Et revelabit silvas :* et tunc eis revelabit opacitates divinorum librorum et umbracula mysteriorum, ubi cum libertate pascantur. *Et in templo ejus unusquisque dicit gloriam :* et in Ecclesia ejus omnis in spem æternam regeneratus laudat Deum pro suo quisque dono, quod a sancto Spiritu accepit.

10. [*vers.* 10.] *Dominus diluvium inhabitat :* Dominus ergo primum inhabitat diluvium hujus sæculi in sanctis suis, tanquam in arca, ita in Ecclesia custoditis. *Et sedebit Dominus rex in æternum :* et deinde sedebit regnans in eis in æternum.

11. [*vers.* 11.] *Dominus virtutem populo suo dabit :* quia Dominus virtutem populo suo contra hujus mundi procellas et turbines dimicanti dabit, quia pacem illis in hoc mundo non promisit. *Dominus benedicet populum suum in pace :* et idem Dominus benedicet populum suum, in seipso illi pacem præstans ; quoniam, inquit, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV, 27).

IN PSALMUM XXIX
ENARRATIO I.

In finem Psalmus Cantici dedicationis domus ipsi David.

1. [*vers.* 1.] In finem Psalmus lætitiæ resurrectionis atque in immortalem statum mutationis atque innovationis corporis, non tantum Domini, sed etiam totius Ecclesiæ. Nam in superiori psalmo tabernaculum consummatum est, ubi habitamus belli tempore : nunc autem domus dedicatur, quæ in sempiterna pace permanebit.

2. [*vers.* 2.] Christus itaque totus loquitur : *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me :* sublimitatem tuam laudabo, Domine, quoniam suscepisti me. *Nec jucundasti inimicos meos super me :* nec eos qui toties variis per orbem persecutionibus me opprimere conati sunt, jucundasti super me.

3. [*vers.* 3.] *Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me :* Domine Deus meus, clamavi ad te, et corpus mortalitate saucium et ægrum jam non gero.

4. [*vers.* 4.] *Domine, reduxisti ab inferis animam meam, salvum fecisti me a descendentibus in lacum :* salvum fecisti me a conditione profundæ cæcitatis, atque infimi limi corruptibilis carnis.

5. [*vers.* 5.] *Psallite Domino sancti ejus :* exsultat Propheta futura ista cernens, et dicit[1], *Psallite Domino sancti ejus. Et confitemini memoriæ sanctitatis ejus :* et confitemini ei quod sanctitatis, qua vos sanctificavit, non est oblitus, cum totum hoc medium tempus desiderio vestro longum esset.

[1] Mss. magno consensu, *Exsultet... et dicat.*

6. [*vers.* 6.] *Quoniam ira in indignatione ejus :* quoniam vindicavit in vos primum peccatum, quod morte solvistis. *Et vita in voluntate ejus :* et vitam æternam, ad quam redire nullis vestris viribus possetis, quia voluit dedit. *Vespere demorabitur fletus* (a) : vespere cœpit, ubi sapientiæ lumen recessit a peccante homine, quando morte damnatus est; ab ipso vespere moras habebit fletus, quamdiu in laboribus et tentationibus populus Dei exspectat diem Domini. *Et in matutinum exsultatio :* usque in matutinum, quo exsultatio resurrectionis futura est, quæ in matutina Domini resurrectione præfloruit.

7. [*vers.* 7.] *Ego autem dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum :* ego autem ille populus, qui ab initio loquebar, dixi in mea abundantia, jam nullam patiens egestatem : *Non movebor in æternum.*

8. [*vers.* 8.] *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem :* sed hanc abundantiam, Domine, non ex me mihi esse, sed in voluntate tua præstitisse te decori meo virtutem ex eo didici, *Avertisti autem*[1] *faciem tuam a me, et factus sum conturbatus;* quod avertisti aliquando a peccante faciem tuam, et factus sum conturbatus, recedente a me illuminatione notitiæ tuæ.

9. [*vers.* 9.] *Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor :* quod tempus conturbationis et miseriæ meæ recolens, et tanquam in eo constitutus, audio vocem primogeniti tui, capitis mei pro me morituri, et dicentis : *Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor.*

10. [*vers.* 10.] *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* quæ utilitas in effusione sanguinis mei, dum descendo in corruptionem? *Numquid confitebitur tibi pulvis?* Si enim non statim resurrexero, corruptumque fuerit corpus meum, *numquid confitebitur tibi pulvis*, id est turba impiorum, quam mea resurrectione justificabo? *Aut annuntiabit veritatem tuam?* aut annuntiabit ad salutem cæterorum veritatem tuam?

11. [*vers.* 11.] *Audivit Dominus, et misertus est mihi; Dominus factus est adjutor meus :* nec dedit sanctum suum videre corruptionem (*Psal.* xv, 10).

12. [*vers.* 12.] *Convertisti planctum meum in gaudium mihi :* quem primogenitum a mortuis consecuta Ecclesia, nunc in dedicatione domus tuæ dico, *Convertisti planctum meum in gaudium mihi. Conscidisti saccum meum, et præcinxisti me lætitia :* conscidisti velamentum peccatorum meorum, tristitiam mortalitatis meæ; et cinxisti me stola prima, immortali lætitia.

13. [*vers.* 13.] *Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar :* ut jam non plangat, sed cantet tibi, non humilitas, sed gloria mea, quia jam ex humilitate exaltasti me; et non compungar conscientia peccati, timore mortis, timore judicii. *Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi* : et hæc est gloria mea, Domine Deus meus, ut in æternum confitear tibi, quod nihil mihi ex me, sed omnia bona ex te, qui es Deus omnia in omnibus (I *Cor.* xv, 28.)

[1] Sic Mss. plerique juxta LXX. [*Avertisti faciem*].
(a) De hac parte vers. 6 vide Enar. 2 Psal. LVIII, n. 10.

ENARRATIO II.

SERMO AD POPULUM.

1. Hoc certe cantavimus : *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec jucundasti inimicos meos super me.* Si noverimus de Scripturis sanctis qui sint inimici nostri, cognoscimus hujus cantici veritatem : si autem nos fallat carnis prudentia, ut non cognoscamus adversus quos nobis sit colluctatio, in ipso psalmi hujus exordio invenimus quæstionem, quam solvere non possumus. Cujus enim putamus vocem esse laudantis Deum et gratias agentis et exsultantis atque dicentis : *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec jucundasti inimicos meos super me?* Primo ipsum Dominum consideremus, qui secundum id quod homo esse dignatus est, potuit sibi per præcedentem prophetiam non incongrue verba ista coaptare : ex quo enim homo, ex hoc et infirmus; ex quo infirmus, ex hoc et orans. Nam quod modo audivimus, cum Evangelium legeretur, quemadmodum etiam in desertum secesserit a discipulis suis, quo eum sunt consecuti, et invenerunt eum : secedens autem *ibi orabat*, et dictum est a discipulis qui eum invenerunt, *Quærunt te homines;* at ille respondit : *Eamus et in alia loca atque castella prædicare; ad hoc enim veni* (*Marci* I, 35, 37, 38). Si divinitatem Domini nostri Jesu Christi consideres, quis orat? ad quem orat? quare orat? Orat Deus? orat ad æqualem? Causam autem orandi quam habet, semper beatus, semper omnipotens, semper incommutabilis, æternus, et Patri coæternus? Intuentes ergo quod per Joannem, quasi per quamdam nubem suam, ipse intonuit, dicens : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum : omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil : quod factum est in illo vita est*[1], *et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I, 1-5) : huc usque dicentes, non invenimus orationem, nec causam orandi, nec locum orandi, nec affectum orandi. Sed quoniam paulo post dicit, *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.*, 14); habes majestatem ad quam ores, habes humanitatem quæ pro te oret. Nam hoc dictum est ab Apostolo, etiam post resurrectionem Domini nostri Jesu Christi : *Qui sedet*, inquit, *ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis* (*Rom.* VIII, 34). Quare interpellat pro nobis? Quia mediator esse dignatus est. Quid est mediatorem esse inter Deum et homines (I *Tim.* II, 5)? Non inter Patrem et homines, sed inter Deum et homines. Quid est Deus? Pater et Filius et Spiritus sanctus. Quid sunt homines? Peccatores, impii, mortales. Inter illam Trinitatem et hominum infirmitatem et iniquitatem, mediator factus est homo, non iniquus, sed tamen infirmus; ut ex eo quod non iniquus, jungeret te Deo; ex eo quod infirmus, propinquaret tibi : atque ita, ut inter hominem et

[1] Edd., *in illo vita erat.* Antiquiores Mss., *vita est.*

Deum mediator existeret, *Verbum caro factum est*, id est, Verbum homo factum est. Nomine enim carnis appellati sunt homines. Inde est: *Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc.* III, 6). Omnis caro dictum est, omnes homines. Et Apostolus: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem* (id est adversus homines), *sed adversus principes et potestates et rectores mundi tenebrarum harum* (*Ephes.* VI, 12): de quibus in consequentibus, si Dominus adjuverit, loquemur. Pertinet enim ista distinctio ad expositionem Psalmi, quem in nomine Domini suscepimus enodare Sanctitati Vestræ. Tamen ad hoc dixi hæc exempla, ut noveritis carnem appellatos esse homines; ut quod dictum est, *Et Verbum caro factum est*, intelligatis dictum, et Verbum homo factum est.

2. Neque sine causa hoc dixi. Noverit Sanctitas Vestra fuisse quamdam hæresim, vel adhuc fortassis haberi reliquias quorumdam qui dicti sunt Apollinaristæ. Aliqui enim ipsorum dixerunt hominem, quem suscepit Sapientia Dei (et in quo expressit personam suam, non sicut in cæteris[1] hominibus, sed sicut dictum est in psalmo, *Unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis* [*Psal.* XLIV, 8], id est amplius quam participes tuos: ne putetur sic unctus Christus quomodo cæteri homines, quomodo cæteri justi, quomodo Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, et Martyres, et quidquid magnum est in genere humano. Quando quidem nihil majus exstitit in genere humano quam Joannes Baptista; nec in natis mulierum exsurrexit [*Matth.* XI, 11]. Si quæris excellentiam hominis, Joannes Baptista est. Cur autem Joannes se dicit non esse dignum corrigiam calceamenti solvere [*Marci* I, 7], quid erat ille nisi amplius quam cæteri homines? Etiam in ipso homine amplius quam cæteri homines. Non secundum Deum, et secundum divinitatem, et secundum id quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, super omnem creaturam æqualis est Patri: sed agimus de homine. Forte putet quispiam vestrum, fratres, quia homo ille susceptus a Sapientia Dei, æqualis erat cæteris hominibus. Si in tuis membris multum distat inter caput et cætera membra: certe omnia membra faciunt corpus unum, multum tamen interest inter caput et cætera membra. Etenim in cæteris membris non sentis nisi tactu; tangendo sentis in cæteris membris: in capite autem et vides, et audis, et olfacis, et gustas, et tangis. Si tanta excellentia est capitis ad membra cætera, quanta excellentia est capitis universæ Ecclesiæ, id est illius hominis, quem voluit Deus mediatorem esse inter Deum et homines?), ergo illi hæretici dixerunt, hominem illum, quem suscepit Verbum, cum Verbum caro factum est, non habuisse mentem humanam, sed tantum animam sine intelligentia humana fuisse. Homo enim videtis unde constat: ex anima et corpore. Sed ipsa anima humana habet aliquid quod non habent animæ pecorum. Nam et pecora animam habent, et animalia vocantur: non enim vocarentur animalia nisi ab anima; et videmus quia et ipsa vivunt. Sed quid habet amplius homo, unde factus est ad imaginem Dei? Quia intelligit et sapit, quia discernit bonum a malo: in hoc factus est ad imaginem et similitudinem Dei. Habet ergo aliquid quod non habent pecora. Et quia contemnit in se quo melior est pecoribus; perimit in se vel deterit[1], et quodammodo obsolefacit imaginem Dei, ut dicatur talibus: *Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI, 9). Illi igitur hæretici dixerunt Dominum nostrum Jesum Christum non habuisse mentem humanam, et illud quod λογικὸν Græci dicunt, nos dicimus rationale, unde homo ratiocinatur, quod non habent cætera animalia. Sed quid dicunt? Ipsum Verbum Dei, hoc erat in illo homine pro mente. Exclusi sunt isti, respuit illos catholica fides, et hæresim fecerunt. Confirmatum est in catholica fide, hominem illum quem suscepit Sapientia Dei, nihil minus habuisse quam cæteri homines, quantum pertinet ad integritatem naturæ: quantum autem ad excellentiam personæ, aliud quam cæteri homines. Nam cæteri homines possunt dici participes Verbi Dei, habentes Verbum Dei, nullus autem eorum potest dici Verbum Dei, quod dictus est ille, cum dictum est, *Verbum caro factum est*.

3. Non defuerunt etiam alii quidam ex ipso errore venientes, qui non solum mentem dicerent non habuisse illum hominem, mediatorem Christum inter Deum et homines, sed nec animam: sed tantum dixerunt, Verbum et caro erat, et anima ibi non erat humana, mens ibi non erat humana. Hoc dixerunt. Sed quid erat? Verbum et caro. Et istos respuit Ecclesia catholica, et expellit eos ab ovibus, et a simplici et vera fide: et confirmatum est, quemadmodum dixi, hominem illum mediatorem habuisse omnia hominis, præter peccatum. Si enim multa gessit secundum corpus, ex quo intelligamus quia habuit corpus non in mendacio, sed in veritate: ut puta, quomodo intelligimus quia habuit corpus? Ambulavit, sedit, dormivit, comprehensus est, flagellatus est, colaphizatus est, crucifixus est, mortuus est. Tolle corpus, nihil horum fieri potuit. Quomodo ergo ex his indiciis cognoscimus in Evangelio quia verum corpus habuit, sicut et ipse etiam post resurrectionem dixit: *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39): quomodo ex his rebus, ex his operibus credimus et intelligimus et novimus quia corpus habuit Dominus Jesus, sic et ex quibusdam aliis officiis naturalibus quia habuit animam. Esurire, sitire, animæ sunt ista: tolle animam, corpus hæc exanime non poterit. Sed si falsa dicunt ista fuisse, falsa erunt et illa quæ de corpore creduntur: si autem ex eo verum corpus quia vera officia corporis; ex eo vera anima, quia vera officia animæ.

4. Quid ergo? Quoniam Dominus factus est infir-

[1] Ita Gatian. codex. Alii vero Mss., *non sicut cæteris hominibus*. Edd., *non sicut cæteros homines*.

[1] Sic Mss. At edd., *quod melius est pecoribus*, *perimit in se vel deserit*.

mus propter te, o homo qui audis; non tibi compares Deum. Etenim creatura es, ille creator tuus. Nec illum hominem tibi conferas, quia propter te homo Deus tuus, et Verbum Filius Dei: sed illum hominem tibi præferas, tanquam mediatorem, Deum autem supra omnem creaturam: et sic intelligas, quia qui homo factus est propter te, non incongrue orat pro te. Si ergo non incongrue orat pro te, non incongrue potuit et ista verba dicere propter te: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec jucundasti inimicos meos super me.* Sed ista verba, si non intelligamus inimicos, falsa erunt, ipsum Dominum Jesum Christum cogitantes. Quomodo enim verum est, si Christus Dominus loquitur, *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me?* Ex persona hominis, ex persona infirmitatis, ex persona carnis, quomodo verum est: quandoquidem jucundati sunt inimici ejus super eum, quando illum crucifixerunt, tenuerunt eum, et flagellaverunt, et colaphizaverunt, dicentes, *Prophetiza nobis, Christe* (*Matth.* XXVI, 66, etc.)? Ista jucunditas eorum quasi cogit nos putare falsum esse quod dictum est, *Nec jucundasti inimicos meos super me.* Deinde cum in cruce penderet, et transibant vel stabant, et attendebant, et caput movebant, et dicebant, *Ecce Filius Dei, alios salvos fecit, seipsum non potest, descendat de cruce, et credimus in eum* (*Id.* XXVII, 42); dicentes ista nonne jucundabantur super eum? Ubi est ergo ista vox, *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec jucundasti inimicos meos super me?*

5. Fortasse non est ista vox Domini nostri Jesu Christi, sed [1] ipsius hominis, sed universæ Ecclesiæ populi christiani: quia omnis homo in Christo unus homo est, et unitas Christianorum unus homo. Fortasse ipse homo, id est, unitas Christianorum ipsa dicit: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec jucundasti inimicos meos super me.* Quomodo et hoc verum est de illis? Non sunt comprehensi Apostoli, non sunt cæsi, non sunt flagellati, non sunt occisi, non sunt crucifixi, non sunt incensi vivi, non ad bestias pugnaverunt, quorum memorias celebramus? Quando autem ista illis faciebant homines, nonne jucundabantur super eos? Quomodo ergo potest et populus christianus dicere: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec jucundasti inimicos meos super me?*

6. [*vers.* 1.] Intelligemus hoc, si videamus primo titulum Psalmi. Habet enim: *In finem Psalmus Cantici dedicationis domus ipsi David.* In hoc titulo est omnis spes, et universum sacramentum dissolvendæ hujus quæstionis. Dedicabitur domus aliquando, quæ modo fabricatur. Modo enim fabricatur domus, id est Ecclesia, postea dedicabitur. In dedicatione apparebit gloria populi christiani, quæ modo latet. Sæviant modo inimici, humilient, faciant non quidquid volunt, sed quidquid desuper permittuntur. Non enim quidquid passi ab inimicis fuerimus, inimicis deputandum est, et non Domino Deo nostro. Quando quidem in ipso suo exemplo mediator demonstravit, quando nobis desuper permittit [1] homines nocere, non voluntatem nocendi desuper dari, sed potestatem. Unusquisque enim malus apud se habet voluntatem nocendi: ut autem possit nocere, non habet in potestate. Ut velit, jam reus est: ut possit, occulta dispensatione providentiæ Dei in alium permittitur ad pœnam, in alium permittitur ad probationem, in alium permittitur ad coronam. Ad pœnam, quomodo permissi sunt ἀλλόφυλοι, id est alienigenæ, capere populum Israel, quia peccaverunt in Deum (*Judic.* X, 7, *et* XIII, 1, *etc.*). Ad probationem autem permissus est diabolus in Job (*Job* I, 12): probatus est Job, confusus est diabolus. Ad coronam vero permissi sunt persecutores in martyres: occisi sunt martyres, quasi vicisse se arbitrati sunt persecutores; illi in manifesto falso triumpharunt, illi in occulto vere coronati sunt. Ergo in quem permittitur, occultæ dispensationis est providentiæ Dei: ut autem velit nocere, ipsius hominis est; non enim continuo quem vult occidit.

7. Itaque ipse Dominus judex vivorum et mortuorum, stans ante hominem judicem, præbens nobis humilitatis et patientiæ documentum, non victus, sed militi pugnandi exemplum demonstrans, minanti judici, tumenti superbia, et dicenti, *Nescis quia potestatem habeo dimittendi et occidendi te?* abstulit typhum inflantis, et tanquam reddens exsufflationem qua detumesceret, *Non haberes*, inquit, *in me potestatem, nisi data tibi esset desuper* (*Joan.* XIX, 10, 11). Et Job (nempe diabolus occidit filios ipsius, diabolus tulit omnem substantiam ipsius), et ille quid? *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21). Non triumphet inimicus, quia ipse fecit: Novi ego, inquit, a quo sit permissus; diabolo tribuatur nocendi voluntas, Domino meo probandi potestas. In ipso vulnere corporis accedit uxor relicta, sicut Eva, adjutrix diaboli, non consolatrix mariti; tentat, et dicit inter multas increpationes: *Dic aliquod verbum in Deum, et morere* (*Id.* II, 9). Et ille Adam in stercore cautior, quam Adam in paradiso; nam Adam in paradiso consensit mulieri, ut de paradiso emitteretur; Adam in stercore respuit mulierem, ut ad paradisum admitteretur. Quid ergo ille Adam in stercore, parturiens immortalitatem intrinsecus, vermibus fluescens extrinsecus, quid ait mulieri? *Tanquam una ex insipientibus mulieribus locuta es. Si bona percepimus de manu Domini, mala non sustinebimus* (*Ibid.*, 10)? Iterum et ille manum Domini dixit in se, quod eum diabolus percusserat: quia non attendebat quis perculeret, sed quis permitteret. Namque et ipse diabolus eamdem potestatem, quam sibi volebat dari, manum Domini appellavit: nam objiciens crimen justo viro, cui Dominus perhibebat testimonium, ait Deo: *Numquid gratis Job colit Dominum? nonne tu vallasti eum ac domum ejus, universamque substantiam ejus per circuitum? Operibus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit in terra: tanta bona illi dedisti, propterea te colit; sed*

[1] Ita Mss. At edd., *id est ipsius hominis.*

[1] Aliquot Mss., *demonstravit nobis, desuper permittit.*

mitte manum tuam, et tange omnia quæ sunt ejus, nisi in faciem tuam benedixerit tibi (*Job.* I, 9-11). Quid est, *mitte manum tuam*, cum ipse vellet mittere? Sed quia ipse non posset mittere manum suam, ipsam potestatem quam accepit a Deo, manum Dei appellavit.

8. Quid ergo, fratres, quia tanta inimici in Christianos fecerunt; et exsultaverunt, et jucundati sunt super eos? Sed quando apparebit quia non sunt jucundati? Quando illi confundentur, illi exsultabunt in adventu Domini Dei nostri, cum venerit ferens in manu retributiones, damnationem impiis, regnum justis; societatem cum diabolo iniquis, societatem cum Christo fidelibus. Quando ergo hoc ostenderit, quando stabunt justi in magna constantia (de Scripturis dico, recordamini lectionem de libro Sapientiæ: *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustaverunt: illi autem dicent inter se pœnitentes, et præ angustia spiritus gementes: Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt enim omnia illa tanquam umbra*; et quid dicent de justis? *Quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est* [*Sap.* V, 1, *etc.*]?), tunc erit dedicatio domus, quæ modo in tribulationibus fabricatur; tunc recte dicet populus ille: *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec jucundasti inimicos meos super me.* Vera ergo erit vox ista in populo Dei, qui populus modo angustatur, modo tribulatur, tantis tentationibus, tantis scandalis, tantis insecutionibus, tanta pressura. Hæc tormenta animi non sentit in Ecclesia qui non proficit, putat enim quia pax est: sed incipiat proficere, et tunc videbit in qua pressura sit; quia cum crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania (*Matth.* XIII, 26); et qui apponit scientiam, apponit dolorem (*Eccle.* I, 18). Proficiat, et videbit ubi sit: existat fructus, et apparebunt zizania. Vox veridica est per Apostolum, deleri non potest ab initio usque ad finem: *Sed et omnes qui volunt*, inquit, *pie vivere in Christo, persecutionem patiuntur. Maligni autem homines et seductores proficiunt in pejus, ipsi errantes et alios in errorem mittentes* (II *Tim.* III, 12, 13). Et unde sunt verba illa psalmi, *Sustine Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum* (*Psal.* XXVI, 14)? Parum erat semel, *Sustine Dominum*, nisi repeteret: ne forte sustineret biduo, triduo, quatriduo, et maneret pressura et tribulatio; ideo addidit, *viriliter age*; addidit, *et confortetur cor tuum.* Et quia ab initio usque in finem sic erit, quod habet sententia in capite, hoc habet in fine, *et sustine Dominum.* Transeunt ista quæ te premunt, et veniet quem sustines, et exterget sudorem: siccabit lacrymam, ultra non flebis. Modo autem gemamus in tribulationibus, sicut dicit Job, *Nonne tentatio est vita humana super terram* (*Job* VII, 1)?

9. Tamen, fratres, antequam veniat dies dedicationis domus, videamus quia jam dedicatum est caput nostrum: jam facta est dedicatio domus in capite, tanquam dedicatio fundamenti. Caput sursum est, fundamentum deorsum: ne forte propterea male diximus fundamentum esse Christum; culmen est potius, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Sed puto nos non errasse. Apostolus enim dixit: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Jesus Christus: si quis autem superædificaverit supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos.* Qui bene vivunt, qui Deum honorant et laudant, qui patientes sunt in tribulationibus, qui desiderant patriam, ipsi ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos: qui autem amant adhuc sæcularia, et negotiis terrenis implicati sunt, et dediti sunt vinculis quibusdam et affectibus carnis, domibus suis, conjugibus, possessionibus, et tamen christiani sunt, ita ut cor eorum non recedat a Christo, et nihil præponant Christo, quomodo in ædificando nihil præponitur fundamento; ædificant quidem ipsi ligna, fenum, stipulam: sed quid secutus est? *Uniuscujusque opus quale sit ignis probabit*: ignis tribulationis et tentationis. Iste ignis multos martyres hic probavit, omne autem genus humanum probat in fine. Inventi sunt martyres qui haberent ista sæcularia. Quam multi divites et senatores passi sunt! Ædificabant tamen quidam eorum ligna, fenum, stipulam in affectibus carnalium et sæcularium curarum: sed tamen quia Christum fundamentum habebant super quod ædificabant, arsit fenum, et ipsi remanserunt in fundamento. Sic dicit Apostolus: *Si cujus opus manserit, mercedem accipiet*: et nihil perdet; quia quod amavit, hoc inveniet. Quid ergo illis fecit ignis tribulationis? Probavit eos. *Si cujus opus permanserit, mercedem accipiet: si cujus opus arserit, damnum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* III, 11-15). Sed aliud est igne non lædi, aliud per ignem salvari. Et unde? Propter fundamentum. Non recedat ergo de corde fundamentum. Noli super fenum ponere fundamentum, hoc est, noli anteponere fenum fundamento, ut fenum habeat primum locum in corde tuo, et secundum Christus: sed si jam non potest nisi esse ibi fenum, vel primum locum ibi habeat Christus, et fenum secundum.

10. Ergo fundamentum est Christus. Quomodo dixi, dedicatum est caput nostrum, ipsum caput est fundamentum. Sed fundamentum deorsum solet esse, caput autem sursum. Intelligat Sanctitas vestra quid dicam, fortassis explicabo in nomine Christi. Pondera gemina sunt. Pondus enim est impetus quidam cujusque rei, velut conantis ad locum suum: hoc est pondus. Fers lapidem manu, pateris pondus; premit manum tuam, quia locum suum quærit. Et vis videre quid quærat? Subtrahe manum, venit ad terram, quiescit in terra: pervenit quo tendebat, invenit locum suum. Pondus ergo illud motus erat quasi spontaneus, sine anima, sine sensu. Sunt alia quæ sursum versus petunt locum. Namque si aquam mittas super oleum, pondere suo in ima tendit. Locum enim suum quærit, ordinari quærit: quia præter ordinem est aqua super oleum. Donec ergo veniat ad ordinem suum, inquietus motus est, donec teneat locum suum. Contra, oleum funde sub aqua, verbi gratia, quemadmodum si vas olei cadat in aquam, in abyssum, in mare,

et frangatur, non se patitur oleum subter. Quomodo aqua super oleum missa, pondere ad ima locum suum quærit : sic oleum subter aquam fusum, pondere ad summa locum suum quærit. Si ergo ita est, fratres, quo tendit ignis et aqua? Ignis sursum fertur, locum suum quærit; et aqua locum suum quærit pondere suo. Lapis ima petit, et lignum, et columnæ, et terra, unde ædificantur istæ domus : de illo ergo sunt genere rerum, quæ pondere suo deorsum feruntur. Manifestum est ergo ideo deorsum accipere fundamentum, quia pondere suo deorsum versus feruntur; et nisi sit quod sustineat, totum cadit, quia totum ad terram vergit. Rebus ergo ad ima tendentibus in imo ponitur fundamentum : Ecclesia vero Dei in imo posita tendit in cœlum. Fundamentum ergo nostrum ibi positum est, Dominus noster Jesus Christus sedens ad dexteram Patris. Si ergo intellexit Sanctitas vestra, quia jam dedicatum est fundamentum nostrum, audiamus breviter Psalmum, et decurramus.

11. [*vers.* 2.] *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec jucundasti inimicos meos super me.* Quos inimicos? Judæos? In dedicatione fundamenti ipsam dedicationem intelligamus domus futuræ. Quod enim dicitur modo ex persona fundamenti, tunc dicetur ex persona universæ domus. Quos ergo inimicos? Judæos, an potius diabolum et angelos ejus, qui confusi discesserunt, postquam Dominus resurrexit? Præpositus mortis doluit victam mortem. *Et non jucundasti inimicos meos super me :* quia teneri apud inferos non potui.

12. [*vers.* 3.] *Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me :* oravit in monte Dominus ante passionem (*Matth.* XXVI, 39); sanavit eum. Quem sanavit, qui nunquam ægrotavit, Verbum Deum, Verbum divinitatem? Non, sed mortem carnis portabat, vulnus tuum portabat, sanaturus te de vulnere tuo. Sanata est autem caro. Quando? Cum resurrexit. Audi Apostolum, vide veram sanitatem : *Absorpta est,* ait, *mors in victoriam. Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio tua* (I *Cor.* XV, 54)? Ergo exaltatio illa nostræ tunc erit vocis, Christi modo est exaltatio.

13. [*vers.* 4.] *Domine, reduxisti ab inferis animam meam.* Non opus est ut exponatur. *Salvum fecisti me a descendentibus in lacum.* Qui sunt qui descendunt in lacum? Omnes peccatores mergentes in profundum : lacus est enim profunditas sæculi. Quæ est ista profunditas sæculi? Abundantia luxuriæ et nequitiæ : qui ergo libidinibus sese immergunt et terrenis desideriis, descendunt in lacum. Tales Christum persecuti sunt. Sed quid dicit? *Salvum fecisti me a descendentibus in lacum.*

14. [*vers.* 5.] *Psallite Domino, sancti ejus :* quia resurrexit caput vestrum, hoc sperate membra cætera, quod videtis in capite; hoc sperate membra, quod credidistis in capite. Proverbium est antiquum et verum : Ubi caput, et cætera membra. Christus in cœlum ascendit, quo nos secuturi sumus : non remansit apud inferos, resurrexit, jam non moritur; cum resurrexerimus et nos, jam non moriemur. Has ergo promissiones habentes, *Psallite Domino, sancti ejus : et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.* Quid est, *confitemini memoriæ?* Obliti enim eratis eum, sed ipse vos non est oblitus.

15. [*vers.* 6.] *Quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus.* Ira in indignatione peccatori : *Qua die ederitis, morte moriemini* (*Gen.* II, 17). Tetigerunt, mortui sunt, dimissi de paradiso, quia *ira in indignatione ejus :* sed non sine spe, quia *vita in voluntate ejus.* Quid est, *in voluntate ejus?* Non in viribus nostris, non in meritis nostris : sed quia voluit, salvos nos fecit; non quia digni eramus. Quo est enim peccator dignus, nisi supplicio? Vitam dedit. Et si impiis vitam donavit, quid servat fidelibus?

16. *Vespere demorabitur fletus.* Nolite timere, quia dixerat nobis, *Psallite;* et hic gemitus est : in psallendo exsultatio, in orando gemitus. Geme de præsentibus, psalle de futuris : ora de re, psalle de spe. *Vespere demorabitur fletus.* Quid est, *Vespere demorabitur fletus?* Vespera fit quando sol occidit. Occidit sol ab homine, id est lux illa justitiæ, præsentia Dei. Ideo quando expulsus est Adam, quid dictum est in Genesi? Cum deambularet Deus in paradiso; ad vesperam deambulabat Deus : jam ille peccator texerat se intra lignum, nolebat videre faciem Dei (*Id.* III, 8), ad quam gaudere consueverat : occiderat illi Sol justitiæ, non gaudebat ad præsentiam Dei. Inde inchoata est omnis vita ista mortalis. *Vespere demorabitur fletus.* Diu eris in fletu, o genus humanum : nasceris enim de Adam, et sic est factum; et nos ex Adam sumus, et quotquot crearunt filios, et creaturi sunt, ex Adam sunt, ex quo et ipsi creati sunt. *Vespere demorabitur fletus : et in matutinum exsultatio :* quando cœperit oriri fidelibus lux, quæ occiderat peccatoribus. Nam ideo et Dominus Jesus Christus in matutino resurrexit de sepulcro (*Matth.* XXVIII, 1), ut quod dedicavit in fundamento, hoc promitteret domui. In Domino nostro vespera fuit, qua sepultus est; et matutinum, quo resurrexit, tertio die : sepultus es et tu vespere in paradiso, et resurrexisti tertio die. Quomodo tertio die? Si sæculum cogites, unus dies est ante Legem, secundus sub Lege, tertius sub Gratia. Quod triduo illo ostendit caput tuum, hoc triduo sæculi ostenditur in te. Quando? In matutino sperandum est, lætandum est; sed perferendum est modo, et gemendum.

17. [*vers.* 7.] *Ego autem dixi in mea abundantia : Non movebor in æternum.* In qua abundantia dixit homo : *Non movebor in æternum?* Intelligimus, fratres, personam humilis hominis. Quis hic habet abundantiam? Nemo. Abundantia hominis quæ est? Ærumna, calamitas. Sed divites habent abundantiam? Plus egent quanto plus habent : desideriis vastantur, cupiditatibus dissipantur, timoribus cruciantur, tristitia contabescunt : quæ illis abundantia? Abundantia erat, quando constitutus est homo in paradiso, quando nihil deerat illi, quando Deo fruebatur : sed dixit, *Non movebor in æternum.* Quomodo dixit, *Non movebor in æternum?* Quando libenter audivit, *Gustate, et eritis tanquam*

dii: cum Deus diceret, *Qua die ederitis, morte moriemini*; et diabolus, *Non morte moriemini* (*Gen.* III, 4 *et* 5). Credens ergo illi talia suadenti dixit: *Non movebor in æternum.*

18. [*vers.* 8, 9.] Sed quia verum dixerat Dominus, quod ablaturus esset superbo quod dederat humili quando eum creavit; sequitur, et dicit: *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem:* id est, quia non ex me bonus eram et fortis, sed ex te eram et pulcher et fortis, decori meo virtutem præstiteras, ex voluntate tua, qua me feceras. Et ut ostenderes mihi, quia ex voluntate tua hoc eram, *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.* Avertit ergo faciem ab illo quem emisit foras de paradiso (*Ibid.*, 23). Jam hic positus, clamet, et dicat: *Ad te Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor.* In paradiso non clamabas, sed laudabas; non gemebas, sed fruebaris: foris positus geme, et clama. Propinquat tribulanti, qui deseruit superbientem. *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacobi* IV, 6). *Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor.*

19. [*vers.* 10.] Jam ex persona Domini hoc sequitur, ipsius fundamenti nostri: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Quid ergo orat? Ut resurgat. Si enim descendero, inquit, in corruptionem, si sic fuerit corrupta caro mea, quomodo cæterorum hominum ut in fine resurgat, utquid fudi sanguinem? Si enim non modo resurgam, nemini annuntiabo, neminem lucrabor: ut autem alicui annuntiem mirabilia tua, laudes tuas, vitam æternam, exsurgat caro mea, non eat in corruptionem. Nam si ierit quomodo cæterorum hominum, quæ utilitas in sanguine meo? *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Confessio gemina est, aut peccati, aut laudis. Quando nobis male est, in tribulationibus confiteamur peccata nostra; quando nobis bene est, in exsultatione justitiæ confiteamur laudem Deo: sine confessione tamen non simus.

20. [*vers.* 11]. *Audivit Dominus, et misertus est mei.* Quomodo? Attendite[1] ad dedicationem domus. Audivit, et misertus est. *Dominus factus est adjutor meus.*

21. [*vers.* 12]. Audi jam ipsam resurrectionem: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et accinxisti me lætitia.* Quis est saccus? Mortalitas. Saccus de capris conficitur et de hœdis, et capræ et hœdi inter peccatores ponuntur (*Matth.* XXV, 32). Dominus de numero nostro saccum solum accepit, non assumpsit meritum sacci. Meritum sacci, peccatum est: saccus ille[2], mortalitas est. Assumpsit propter te mortalitatem, qui meritum mortis non habebat. Meritum enim mortis ille habet qui peccat: ille autem qui non peccavit, non habuit meritum sacci. Alio loco ipsius est vox dicentis: *Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio* (*Psal.* XXXIV, 13). Quid est hoc, *induebam me cilicio?* Hoc opponebam persequentibus, quod habeo de cilicio. Ut hominem illum putarent, abscondit se ab oculis persequentium; quia indigni erant persecutores qui viderent indutum (*a*) cilicio. Ergo, *conscidisti saccum meum, et cinxisti me lætitia.*

22. [*vers.* 13.] *Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar.* Quod in capite est, hoc in corpore. Quid est, *non compungar?* Jam non moriar. Compunctus est enim cum in cruce penderet, lancea percussus est (*Joan.* XIX, 34). Caput ergo nostrum dicit, *Non compungar*, jam non moriar. Nos autem quid dicimus propter dedicationem domus? Non nos compungat conscientia stimulis peccatorum. Dimittentur enim omnia, et tunc liberi erimus. *Ut cantet tibi*, inquit, *gloria mea*, non humilitas. Si nostra, et Christi: quia corpus Christi nos. Quare? Quia quamvis Christus sedeat in cœlo, dicturus est quibusdam: *Esurivi, et dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV, 35). Et ibi est, et hic: ibi in se, hic in nobis. Quid ergo ait? *Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar.* Gemit tibi humilitas mea, cantabit tibi gloria mea. Jam in fine: *Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi.* Quid est, *in æternum confitebor tibi?* In æternum laudabo te, quia diximus esse confessionem et in laudibus, non tantum in peccatis. Confitere ergo modo quod tu fecisti in Deum, et confiteberis quid tibi fecerit Deus. Quid fecisti? Peccata. Quid Deus? Confitenti iniquitatem tuam dimittit tibi peccata tua, ut ei postea laudes ipsius confitens in æternum, non compungaris peccato.

IN PSALMUM XXX
ENARRATIO I.

In finem, Psalmus ipsi David ecstasis.

1. [*vers.* 1.] In finem Psalmus ipsi David, mediatori manu forti in persecutionibus. Nam et ecstasis, quæ addita est titulo, excessum mentis significat, quæ fit vel pavore, vel aliqua revelatione. Sed in hoc psalmo pavor maxime apparet perturbati populi Dei persecutione omnium gentium, et defectu[1] per orbem fidei. Sed prior loquitur ipse mediator: deinde redemptus sanguine ipsius populus gratias agit: ad extremum perturbatus diu loquitur, quod ad ecstasim pertinet: Prophetæ vero ipsius persona bis interponitur, prope finem, et in fine.

2. [*vers.* 2.] *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum:* in te Domine speravi, nunquam confundar, dum tanquam homini simili cæteris insultabitur. *In justitia tua erue me, et exime me:* et in tua justitia erue me de fovea mortis, et exime me de numero eorum.

3. [*vers.* 3.] *Inclina ad me aurem tuam:* humilem me exaudi, proximus mihi. *Accelera ut eximas me:* ne differas in finem sæculi, sicut omnium credentium

[1] Edd. *Quomodo? attendit ad dedicationem*, etc. At Mss. *attendite.*
[2] Aliquot Mss., *illi.*

[1] Sic Mss. At edd., *et defectus.*
(*a*) Forte, *nisi indutum.*

mihi, segregationem meam a peccatoribus. *Esto mihi in Deum protectorem* : protector Deus mihi esto. *Et in domum refugii, ut salvum me facias* : et tanquam domus, quo refugiens salvus fiam.

4. [*vers.* 4.] *Quia fortitudo mea et refugium meum es tu* : quia fortitudo mea ad tolerandos persecutores meos, et refugium meum ad relinquendos tu mihi es. *Et propter nomen tuum dux mihi eris, et enutries me* : et ut per me innotescas omnibus gentibus, per omnia sequar voluntatem tuam, et paulatim mihi aggregatis sanctis adimplebis corpus meum, et perfectam staturam meam.

5. [*vers.* 5.] *Educes me de muscipula ista, quam occultaverunt mihi* : educes me de insidiis istis, quas occultaverunt mihi. *Quoniam tu es protector meus.*

6. [*vers.* 6.] *In manus tuas commendo spiritum meum* : potestati tuæ commendo spiritum meum, cito recepturus. *Redemisti me, Domine Deus veritatis.* Dicat et populus redemptus passione Domini sui, et lætus clarificatione capitis sui : *Redemisti me, Domine Deus veritatis.*

7. [*vers.* 7.] *Odisti observantes vanitatem supervacue* : odisti observantes [1] falsam beatitudinem sæculi. *Ego autem in Domino speravi.*

8. [*vers.* 8]. *Exsultabo, et jucundabor in tua misericordia* : quæ me non fallit. *Quia respexisti humilitatem meam* : qua me vanitati in spe subjecisti. *Salvam fecisti de necessitatibus animam meam* : salvam fecisti de necessitatibus timoris animam meam, ut tibi charitate libera serviat.

9. [*vers.* 9.] *Nec conclusisti me in manus inimici* : nec conclusisti me, ut non haberem aditum respirandi in libertatem, et darer in sempiternam potestatem diaboli, cupiditate hujus vitæ illaqueantis, et morte terrentis. *Statuisti in loco spatioso pedes meos* : resurrectione cognita Domini mei et mea promissa mihi, spatiatur permanens in latitudinem libertatis ab angustiis timoris educta charitas mea.

10. [*vers.* 10.] *Miserere mei, Domine, quoniam tribulor.* Sed quæ est ista insperata persequentium crudelitas, magnum mihi pavorem incutiens? *Miserere mei, Domine.* Non enim de morte jam terreor, sed de cruciatibus atque tormentis. *Conturbatus est in ira oculus meus* : habebam oculum in te, quo non me desereres; iratus es, et conturbasti eum. *Anima mea et venter meus* : in eadem ira conturbata est anima mea, et memoria qua tenebam quid pro me pertulerit, et quid mihi promiserit Deus meus.

11. [*vers.* 11.] *Quoniam defecit in dolore vita mea* : quoniam vita mea est confiteri te, sed defecit in dolore, cum dixisset inimicus : Torqueantur donec negent. *Et anni mei in gemitibus* : tempora quæ ago in hoc sæculo, non mihi morte auferuntur, sed manent, atque in gemitibus sunt. *Infirmatus est in egestate vigor meus* : egeo sanitate hujus corporis, nec parcitur cruciatibus; egeo resolutione corporis, et parcitur morti : et in hac egestate infirmata est fiducia mea. *Et ossa mea conturbata sunt* . et firmitas mea conturbata est.

12. [*vers.* 12.] *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium.* Inimici mei sunt omnes iniqui; et tamen pro sceleribus suis usque ad confessionem torquentur : superavi ergo opprobrium eorum, cujus confessionem non mors sequitur, sed cruciatus insequitur. *Et vicinis meis nimium* : nimium hoc visum est eis qui jam propinquabant cognoscere te et tenere fidem quam teneo. *Et timor notis meis* : et ipsis notis meis exemplo horribilis tribulationis meæ timorem incussi. *Qui videbant me, foras fugiebant a me* : quoniam non intelligebant interiorem et invisibilem spem meam, in exteriora et visibilia fugerunt a me.

13. [*vers.* 13.] *Oblitus sum, tanquam mortuus a corde* : et obliti sunt me, tanquam mortuus sim a corde ipsorum. *Factus sum tanquam vas perditum* : visus sum mihi periisse usibus Domini, vivens in hoc sæculo, et neminem lucrifaciens, cum omnes timerent aggregari mihi.

14. [*vers.* 14.] *Quoniam audivi vituperationem multorum accolentium in circuitu* : quoniam audivi vituperantes me multos in peregrinatione hujus terræ juxta me, sequentes circuitum temporum, et mecum in patriam æternam redire recusantes. *Dum congregarentur ipsi simul adversum me, ut acciperent animam meam consiliati sunt* : ut consentiret eis anima mea, quæ morte posset de potestate illorum facile exire, excogitaverunt consilium, quo nec mori me sinerent.

15. [*vers.* 15.] *Ego autem in te speravi, Domine; dixi : Tu es Deus meus* : non enim mutatus es, ut non salvum facias qui emendas.

16. [*vers.* 16.] *In manibus tuis sortes meæ* : in potestate tua sunt sortes meæ. Non enim ullum video meritum, quo de universa impietate generis humani me potissimum elegisti ad salutem : et si est apud te justus et occultus ordo electionis meæ, ego tamen quem hoc latet, ad tunicam Domini mei sorte perveni (*Joan.* XIX, 24). *Erue me de manibus inimicorum meorum, et a persequentibus me.*

17. [*vers.* 17.] *Illustra faciem tuam super servum tuum* : notum fac hominibus qui non putant me ad te pertinere, super me esse intendentem faciem tuam, meque tibi servire. *Salvum me fac in tua misericordia.*

18. [*vers.* 18.] *Domine, non confundar, quoniam invocavi te* : Domine, non erubescam insultantibus mihi, ex eo quod te invocavi. *Erubescant impii, et deducantur in infernum* : erubescant potius qui lapides invocant, et umbris socientur.

19. [*vers.* 19.] *Muta efficiantur labia dolosa* : nota faciens populis sacramenta in me tua, fac obstupescere labia fingentium de me falsa. *Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia et contemptu* : quæ loquuntur adversus Christum iniquitatem, superbientes, et contemnentes tanquam hominem crucifixum.

[1] In pluribus Mss., *sperantes*.

20. [vers. 20, 21.] *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine :* exclamat hic Propheta ista cernens, et mirans quam multis modis copiosa est dulcedo tua, Domine. *Quam abscondisti timentibus te :* etiam eos quos emendas, multum amas; sed ne dissoluta securitate negligentius agant, abscondis ab eis dulcedinem amoris tui, quibus utile est timere te. *Perfecisti sperantibus in te :* perfecisti autem hanc dulcedinem sperantibus in te ; non enim subtrahis eis quod[1] usque in finem perseveranter exspectant. *In conspectu filiorum hominum :* non enim latet filios hominum, jam non secundum Adam, sed secundum filium hominis viventes, *Abscondes eos in abscondito vultus tui*, quam sedem perpetuam serves in abscondito notitiæ tuæ sperantibus in te. *A conturbatione hominum :* ut jam nullam humanam conturbationem patiantur.

21. *Proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum :* sed hic interim dum eis maledicæ linguæ obstrepunt dicentes, Quis hoc novit, aut quis inde venit ? proteges eos in tabernaculo fidei earum rerum, quas Dominus pro nobis temporaliter gessit et pertulit.

22. [vers. 22.] *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam in civitate circumstantiæ :* benedictus Dominus, quoniam post emendationem acerrimarum persecutionum, omnibus mirabilem fecit misericordiam suam per orbem terrarum, in circuitu societatis humanæ.

23. [vers. 23.] *Ego dixi in ecstasi mea :* unde ille populus iterum loquens, ait : Ego dixi in pavore meo, cum horribiliter gentes in me sævirent. *Projectus sum a facie oculorum tuorum :* non enim si me respiceres, pati me ista sineres. *Ideo exaudisti, Domine, vocem orationis meæ, cum clamarem ad te :* ideo modum ponens emendationi, et ostendens me pertinere ad curam tuam, exaudisti, Domine, vocem orationis meæ, cum eam ex tribulatione nimis intenderem.

24. [vers. 24.] *Diligite Dominum omnes sancti ejus :* hortatur iterum Propheta ista cernens, et dicit : *Diligite Dominum, omnes sancti ejus : quoniam veritatem requiret Dominus.* Quando si justus vix salvus erit, peccator et impius ubi parebunt (I *Petr.* IV, 18) ? *Et retribuet his qui abundanter faciunt superbiam :* et retribuet his qui nec victi convertuntur, quia multum superbiunt.

25. [vers. 25.] *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum :* bonum sine defectione operantes, ut tempore proprio metatis. *Omnes qui speratis in Domino :* id est, qui eum recte timetis vel colitis, sperate in Domino.

ENARRATIO II.

SERMO I, HABITUS PAULO POST NATALEM APOSTOLORUM DIEM, ex n. 3.

De principio Psalmi.

1. [vers. 1.] Psalmi hujus quem modo cantavimus, quantum possumus secreta rimemur, et inde sermonem exsculptum reddamus auribus et mentibus vestris. Titulus ejus est : *In finem, Psalmus ipsi David ecstasis. In finem* quid sit, novimus, si Christum novimus ; dicit enim Apostolus : *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x, 4). Finis non consumens, sed perficiens : duobus enim modis dicimus finem ; vel quo fit ut non sit quod erat, vel quo fit ut perfectum sit quod inchoatum erat. Ergo *in finem*, in Christum.

2. *Psalmus David ecstasis.* Verbum *ectasis* græcum, latine, quantum datur intelligi, verbo uno exponi potest, si dicatur excessus : excessus autem mentis proprie solet ecstasis dici. In excessu vero mentis duo intelliguntur ; aut pavor, aut intentio ad superna, ita ut quodam modo de memoria labantur inferna : in hac ecstasi fuerunt omnes sancti, quibus arcana Dei mundum istum excedentia revelata sunt. De hoc mentis excessu, id est ecstasi, Paulus cum loqueretur, seipsum insinuans, ait : *Sive enim mente excessimus Deo, sive temperantes sumus vobis, charitas enim Christi compellit nos* (II *Cor.* v, 13). Hoc est, si ea tantum agere vellemus, et ea tantum contemplari quæ mentis excessu intuemur, vobiscum non essemus, sed essemus in supernis, tanquam contemptis vobis : et quando nos ad illa superiora et interiora infirmo[1] passu sequeremini, nisi rursus compellente nos charitate Christi (qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens [*Philipp.* II, 6]), nos consideraremus esse servos, et non ingrati ei a quo accepimus altiora, propter eos qui infirmi sunt non contemneremus inferiora, et temperaremus nos eis qui non possunt nobiscum videre sublimia ? Hoc ergo ait, *Sive mente excessimus Deo :* ille enim videt quod nos videmus in mentis excessu[2], ille solus revelat secreta sua. Quippe ille hoc loquitur, qui se dicit abreptum esse et ablatum in tertium cœlum, et audivisse ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui ; tantus autem fuit ille mentis excessus, ut diceret : *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit* (II *Cor.* XII, 2). Ergo si hunc excessum mentis, id est hanc ecstasim, significat titulus psalmi hujus, magna profecto et alta quædam sperare debemus dicturum eum qui condidit Psalmum, id est Prophetam, imo vero per Prophetam Spiritum sanctum.

3. Si vero hæc ecstasis pavor intelligendus est, neque huic significationi verbi deerit hujus psalmi contextus ; videtur enim de passione locuturus esse, in qua pavor est. Sed cujus pavor est, utrum Christi, quia dixit, *In finem*, et intelligimus finem Christum ? an forte noster pavor ? Numquid enim possumus pavorem bene intelligere in Christo propinquante passione, qui propter eam venerat ? cum venisset ad quod venerat, numquid pavebat moriturus ? Si prorsus ita homo esset, ut Deus non esset, magis gauderet resurrecturus, quam paveret moriturus ? Verumtamen quia dignatus est assumere formam servi, et in ea nos vestire se ; qui non est dedignatus assu-

[1] Aliquot Mss., *eis qui.*

[1] Tres Mss., *firmo.*

[2] Ita Er. cui Mss. suffragantur. At Lov. : *Ille enim videt quid nos videmus, qui fieri hominem in mentis excessum concedit · ille solus*, etc.

mere nos in se, non est dedignatus transfigurare nos in se, et loqui verbis nostris, ut et nos loqueremur verbis ipsius. Hæc enim mira commutatio facta est, et divina sunt peracta commercia, mutatio rerum celebrata in hoc mundo a negotiatore cœlesti : venit accipere contumelias, dare honores ; venit haurire dolorem, dare salutem ; venit subire mortem, dare vitam. Moriturus ergo ex eo quod nostrum habebat, non in se, sed in nobis pavebat ; quia et hoc dixit, tristem esse animam suam usque ad mortem (*Matth.* XXVI, 38), et utique nos ipsi omnes cum illo. Nam sine illo, nos nihil ; in illo autem, ipse Christus et nos. Quare ? Quia totus Christus caput et corpus. Caput ille salvator corporis, qui jam ascendit in cœlum ; corpus autem Ecclesia, quæ laborat in terra (*Ephes.* V, 23). Hoc autem corpus nisi connexione charitatis adhæreret capiti suo, ut unus fieret ex capite et corpore, non de cœlo quemdam persecutorem corripiens diceret, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4) ? quando eum jam in cœlo sedentem nullus homo tangebat, quomodo eum Saulus in terra sæviens adversus Christianos aliquo modo injuria percellebat ? Non ait, Quid sanctos meos, quid servos meos ? sed, *quid me persequeris,* hoc est, quid membra mea ? caput pro membris clamabat, et membra in se caput transfigurabat. Vocem namque pedis suscipit lingua. Quando forte in turba contritus pes dolet, clamat lingua, Calcas me ; non enim ait, Calcas pedem meum, sed se dixit calcari, quam nemo tetigit : sed pes qui calcatus est, a lingua non separatus est. Ergo etiam sic non incongrue intelligitur ecstasis, pavor. Quid enim dicam, fratres ? Si nullus omnino pavor esset passuris, diceretur ipsi Petro quod audivimus natali Apostolorum die, quando ei Dominus prædixit futuram suam passionem : *Cum esses junior, cingebas te, et ibas quo volebas ; cum autem senior factus fueris, alter te cinget, et ducet quo tu non vis ? Hoc autem,* inquit, *dixit significans qua morte moreretur* (*Joan.* XXI, 18) ? Ergo si Petrus apostolus tanta perfectione quo nollet iit nolens (nolens mortuus est, sed volens coronatus est [1]), quid mirum si est aliquis pavor in passione etiam justorum, etiam sanctorum ? Pavor est ex humana infirmitate, spes ex divina promissione. Quod paves tuum est, quod speras donum Dei est in te. Et melius in pavore tuo agnoscis te, ut in liberatione tua glorifices qui fecit te. Paveat humana infirmitas, non in eo pavore deficit divina misericordia. Denique pavens iste inde cœpit : *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.* Videtis quia et pavet, et sperat : videtis quia pavor iste non est sine spe. Etiam si est aliqua in humano corde conturbatio, non recedit divina consolatio.

4. Loquitur hic ergo Christus in Propheta ; audeo dicere, Christus loquitur. Dicturus est quædam in hoc psalmo, quæ quasi Christo videantur non posse congruere, illi excellentiæ capitis nostri, maximeque illi Verbo quod in principio erat Deus apud Deum : nec ei in forma servi fortasse videbuntur quædam hic verba congruere, quam formam servi suscepit ex virgine ; et tamen Christus loquitur, quia in membris Christi Christus. Et ut noveritis, quia unus dicitur Christus caput et corpus suum ; ipse dicit cum de conjugio loqueretur : *Erunt duo in carne una : igitur jam non duo, sed una caro* (*Matth.* XIX, 5, 6). Sed forte hoc dicat de quocumque conjugio ? Audi apostolum Paulum : *Et erunt duo*, inquit, *in carne una : sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 31, 32) ? Fit ergo tanquam ex duobus una quædam persona, ex capite et corpore, ex sponso et sponsa. Nam unitatem personæ hujus miram et excellentem commendat etiam Isaias propheta : nam loquens etiam in eo Christus in prophetia ait : *Sicut sponso alligavit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornamento* (*Isai.* LXI, 10). Se dixit sponsum, se sponsam : quare se sponsum, se sponsam, nisi quia erunt duo in carne una ? Si duo in carne una, cur non duo in voce una ? Loquatur ergo Christus, quia in Christo loquitur Ecclesia, et in Ecclesia loquitur Christus ; et corpus in capite, et caput in corpore. Audi Apostolum hoc ipsum evidentius exprimentem : *Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus, sic et Christus* (I *Cor.* XII, 12). Loquens de membris Christi, hoc est de fidelibus, non ait, sic et membra Christi ; sed totum hoc quod dixit, Christum appellavit. Sicut enim corpus unum, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus ; sic et Christus membra multa, unum corpus. Ergo simul omnes nos cum capite nostro Christo, sine capite nostro nihil valentes. Quare ? Quia nos cum capite nostro vitis : sine capite nostro, quod absit, sarmenta præcisa, non alicui operi agricolarum, sed igni tantummodo destinata. Ideo et ipse in Evangelio : *Ego sum vitis, vos estis palmites, Pater meus agricola est ;* et : *Sine me*, inquit, *nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5). Domine, si sine te nihil, totum in te. Etenim quidquid ille operatur per nos, nos videmur operari. Potest ille multum et totum sine nobis, nos nihil sine ipso.

5. [*vers.* 2.] Ergo in quacumque ecstasi loquatur, sive pavore, sive excessu mentis, congruunt quæ dicuntur. Dicamus in Christi corpore, dicamus omnes quasi unus, quia omnes unitas, dicamus : *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.* Illam, inquit, confusionem perhorresco, quæ est in æternum. Nam est quædam confusio temporalis utilis, perturbatio animi respicientis peccata sua, respectione horrentis, horrore erubescentis, erubescentia corrigentis ; unde dicit et Apostolus : *Quam enim gloriam habuistis tunc in his, in quibus nunc erubescitis* (*Rom.* VI, 21) ? Ergo erubescere illos dicit jam fideles, non de præsentibus donis, sed de præteritis peccatis. Hanc confusionem non formidet christianus : imo si hanc non ha-

[1] Am. et Er. : *Ergo si Petrus apostolus, tanta persecutione quo nollet ductus est, et volens nolens mortuus est.* Lov., *tanta perfectione quo nollet ductus est et volens*, etc. Plerique MSS., *tanta perfectio quo nollet ut volens.* Gatian. codex, *quo nollet iit nolens.* Sed emendandum sic, *quo nollet iit ; volens nolens mortuus est, sed*, etc.

fuerit, æternam habebit. Quæ est æterna confusio? Quando fiet illud quod dictum est, *Et traducent eos ex adverso iniquitates eorum* (*Sap.* IV, 20). Et fiet traducentibus ex adverso iniquitatibus omnis grex malus ad sinistram, tanquam hœdis ab ovibus separatis; et audient, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*. Quærunt quare? *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV, 41). Contemnebant tunc quando esurienti Christo non dabant cibum, quando sitienti non dabant potum, quando nudum non vestiebant, peregrinum non suscipiebant, ægrotantem non visitabant, tunc contemnebant: cum cœperint illis ista enumerari, confundentur, et hæc confusio in æternum erit. Hanc timens iste qui pavet, vel cujus ad Deum est mentis excessus, hoc rogat, *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.*

6. *Et in tua justitia erue me, et exime me:* nam si attendas ad justitiam meam, damnas me. *In tua justitia erue me.* Est enim justitia Dei, quæ et nostra fit, cum donatur nobis. Ideo autem Dei justitia dicitur, ne homo se putet a seipso habere justitiam. Sic enim dicit apostolus Paulus: *Credenti in eum qui justificat impium* (quid est, qui justificat impium? qui ex impio facit justum) *deputatur fides ejus ad justitiam* (*Rom.* IV, 5). Judæi vero quia suis viribus se putabant implere posse justitiam, offenderunt in lapidem offensionis (*Rom.* IX, 32) et petram scandali, et gratiam Christi non agnoverunt. Acceperunt enim Legem qua fierent rei, non qua liberarentur a reatu. Denique quid de illis Apostolus dicit? *Testimonium enim perhibeo illis quod zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.* Quid est quod dixit, *Zelum Dei habent* Judæi, *sed non secundum scientiam?* Audi quid sit, non secundum scientiam: *Ignorantes enim Dei justitiam et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Id.* X, 2, 3). Si ergo ideo non secundum scientiam zelum Dei habent, quia ignorant Dei justitiam et volunt suam constituere, quasi ex seipsis justi fiant; ideo gratiam Dei non cognoverunt, quia gratis salvari noluerunt. Quis est qui salvatur gratis? In quo non invenit Salvator quod coronet, sed quod damnet; non invenit merita bonorum, sed invenit merita suppliciorum. Si agat tanquam veraciter ex regula Legis proposita, damnandus est peccator. Hac regula si ageret, quem liberaret? Omnes peccatores invenit: solus sine peccato venit, qui nos peccatores invenit. Hoc ait Apostolus: *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Id.* III, 23). Quid est, *egent gloria Dei?* Ut ipse liberet, non tu: quia tu te liberare non potes, indiges liberatore. Quid est quod te jactas? Quid est quod de Lege et justitia præsumis? Non vides quid intus confligat in te, de te, adversus te? Non audis pugnantem, et confitentem, et adjutorium in pugna desiderantem? Non audis athletam Domini ab agonotheta petentem adjutorium pugnæ suæ? Non enim sic te exspectat Deus certantem, quomodo te exspectat editor, si forte pugnes in amphitheatro: ille tibi præmium dare potest si viceris, adjuvare te periclitantem non potest. Non sic exspectat Deus. Vide ergo, attende eum qui dicit: *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 22-25). Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei te prævenerunt. Illi ergo gloria qui nos liberat. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. In te* ergo, *Domine, speravi*, non in me: *non confundar in æternum*, quia in eo spero qui non confundit [1]. *In tua justitia erue me, et exime me:* quia non invenisti in me justitiam meam, erue me in tua; hoc est, illud me eruat quod me justificat, quod ex impio pium facit, quod ex iniquo justum, quod ex cæco videntem, quod ex cadente surgentem, quod ex flente gaudentem. Hoc me liberat, non ego. *In justitia tua erue me, et exime me.*

7. [*vers.* 3.] *Inclina ad me aurem tuam:* fecit hoc Deus, quando ipsum Christum ad nos misit. Illum ad nos misit qui inclinato capite digito scribebat in terra (*Joan.* VIII, 6), quando ei adultera mulier offerebatur punienda. Ille autem inclinaverat se ad terram, id est, Deus ad hominem, cui dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Non enim quasi corporalibus locis Deus ad nos inclinat aurem suam, aut membris istis corporeis determinatis finitus est. Omnino nihil horum cogitent humana phantasmata. Veritas est Deus. Veritas nec quadra est, nec rotunda, nec longa. Ubique præsens est, si cordis oculus ad eam pateat. Inclinat tamen aurem suam ad nos Deus misericordiam deponens super nos. Quæ major misericordia, quam ut Unicum suum daret nobis, non vivere nobiscum, sed mori pro nobis? *Inclina ad me aurem tuam.*

8. *Accelera ut eximas me:* exauditur enim in hoc, cum dicit, *Accelera*. Ad hoc enim positum est verbum, ut hoc totum quod nobis diu videtur quamdiu volvitur sæculum, intelligas punctum esse. Non est diu quod habet extremum. Ab Adam usque ad hodiernam diem peractum est, et multo utique plus peractum est quam restat peragendum. Si adhuc viveret Adam, et hodie moreretur; quid ei prodesset tamdiu esse, tamdiu vixisse? Ergo celeritas hæc quare? Quia transvolant tempora: et quod tibi tardum est, in oculis Dei breve est. Jam hanc celeritatem iste intellexerat in ecstasi. *Accelera ut eximas me. Esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii, ut salvum me facias.* Domus refugii tu mihi esto, Deus protector, domus refugii. Aliquando enim periclitor, et volo fugere: quo fugio? ad quem locum tutus fugio? ad quem montem? ad quam speluncam? ad quæ tecta munita? Quam arcem teneam? quibus muris ambiar? Quocumque iero, sequor me. Quidquid enim vis potes fugere, homo, præter conscientiam tuam. Intra in domum tuam, requiesce in lecto tuo, intra in interiora: interius habere nihil potes, quo

[1] Plerique Mss., *quia qui in eo sperat, non confunditur.*

fugias a conscientia tua, si rodunt te peccata tua. Quia vero dixit: Accelera ut eximas me, et in tua justitia erue me, ut dimittas peccata mea, et ædifices in me justitiam tuam: tu mihi eris domus refugii, ad te confugio. Nam a te quo fugiam? Irascitur tibi Deus, quo fugies? Audi quid dicat in alio psalmo, timens iram Dei: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu ibi es: si descendero in infernum, ades* (*Psal.* CXXXVIII, 7, 8). Quocumque iero, ibi te invenio. Et si irasceris, ultorem te invenio; si placatus es, adjutorem. Nihil mihi ergo restat, nisi ad te fugere, non a te. Ut evadas hominem dominum quicumque servus es, fugis in ea loca ubi non est dominus tuus: ut evadas Deum, fuge ad Dominum. Nam non est quo fugias Deum. Præsto sunt omnia et nuda Omnipotentis oculis. Tu ergo mihi, inquit, esto domus refugii. Nam si salvus non fuero, quomodo fugio? Sana me, et fugio ad te. Nam si me non sanas, ambulare non possum, fugere quomodo potero? Quo iret, quo fugeret, si ambulare non posset, semivivus in via, sauciatus vulneribus latronum? Quem transiens sacerdos præteriit, transiens Levita præteriit, transiens Samaritanus miseratus est (*Luc.* x, 30), id est ipse Dominus, qui miseratus est genus humanum. Samarites enim custos interpretatur. Et quis nos custodit, si ille deserit? Merito, cum Judæi conviciantes dicerent, *Nonne verum dicimus, quia Samaritanus es, et dæmonium habes* (*Joan.* VIII, 48)? unum respuit, alterum amplexus est: *Ego*, inquit, *dæmonium non habeo*: non dixit, Non sum Samaritanus: sic intelligi volens nostrum se esse custodem. Miseratus ergo accessit, curavit, ad stabulum perduxit, implevit circa eum misericordiam: ille jam potest ambulare, potest et fugere. Quo fugeret nisi ad Deum, ubi fecit sibi domum refugii?

9. [*vers.* 4.] *Quia fortitudo mea et refugium meum es tu, et propter nomen tuum dux mihi eris, et enutries me*: non propter meritum meum, sed *propter nomen tuum*, ut tu glorificeris, non quia ego dignus sum; *dux mihi eris*, ne aberrem a te; *et enutries me*, ut validus sim ad manducandum escam, qua pascis Angelos. Hic enim lacte nos nutrivit, qui nobis cœlestem cibum promisit; et usus est materna misericordia. Sicut enim mater lactans eamdem escam, cui sumendæ idoneus infans non est, per carnem trajicit, et lac infundit (hoc enim accipit parvulus quod accepturus erat ad mensam, sed quod per carnem trajicitur, congruit parvulo); sic Dominus sapientiam suam ut lac nobis faceret, carne indutus venit ad nos. Ergo corpus Christi loquitur, *Et enutries me*.

10. [*vers.* 5.] *Educes me de muscipula ista, quam occultaverunt mihi*. Jam passio significatur, *Educes me de muscipula ista, quam occultaverunt mihi*. Nec sola illa passio est, qua passus est Dominus noster Jesus Christus: muscipulam suam diabolus tetendit usque in finem. Et væ illi, qui in illam muscipulam cadit: cadit autem omnis qui non sperat in Deum; qui non dicit: *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum: et in tua justitia erue me, et exime me*. Extenta est et parata muscipula inimici. Posuit in muscipula errorem et terrorem: errorem quo illiciat, terrorem quo frangat, et rapiat. Tu claude januam cupiditatis contra errorem; tu claude januam timori contra terrorem, et educeris de muscipula. Hujusmodi pugnæ exemplum ipse tibi Imperator tuus, qui propter te etiam tentari dignatus est, in se demonstravit. Et primo tentatus est illecebris; quia tentata est in illo janua cupiditatis, quando eum tentavit diabolus dicens: *Dic lapidibus istis ut panes fiant. Adora me, et dabo tibi regna ista. Mitte te deorsum, quia scriptum est: Quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne quando offendas ad lapidem pedem tuum* (*Matth.* IV, 4, 9, 6). Omnis hæc illecebra cupiditatem tentat [1]. At ubi clausam januam invenit cupiditatis in eo qui tentabatur pro nobis, convertit se ad tentandam januam timoris, et præparavit illi passionem. Denique hoc dicit Evangelista: *Et consummata tentatione, diabolus recessit ab eo ad tempus* (*Luc.* IV, 13). Quid est, *ad tempus*? Tanquam rediturus et tentaturus januam timoris, quia clausam invenit januam cupiditatis. Totum ergo corpus Christi tentatur usque in finem. Fratres mei, quando jussum est nescio quid contra Christianos mali, simul impingebatur [2] hoc corpus, totum impingebatur: unde dictum erat in psalmo: *Tanquam cumulus arenæ impulsus sum ut caderem, et Dominus suscepit me* (*Psal.* CXVII, 13). At ubi finita sunt illa quæ totum corpus impingebant ut caderet, cœpit tentatio esse per partes. Tentatur corpus Christi, una Ecclesia non patitur persecutionem, alia patitur. Non patitur furorem imperatoris, sed patitur furorem mali populi. Quantæ vastationes a plebibus? Quanta mala ingesta sunt Ecclesiæ a malis christianis, ab eis qui capti in illo retiaculo, tam multiplicati sunt, ut premerent naves (*Luc.* v, 7) in piscatione illa Domini ante passionem? Non ergo desunt pressuræ tentationis. Nemo sibi dicat: Non est tempus tentationis. Qui sibi hoc dicit, pacem sibi promittit: qui sibi pacem promittit, securus invaditur. Totum ergo corpus Christi dicat: *Educes me de muscipula ista, quam occultaverunt mihi*: quia eductum est et caput nostrum de muscipula, quam absconderunt illi, quibus modo dicebatur in Evangelio, quia dicturi erant: *Hic est hæres, venite occidamus eum, et nostra erit hæreditas*. Et in se sententiam dixerunt interrogati: *Quid faciet ille paterfamilias colonis malis? Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis. Quid, et illud non legistis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Quod est enim, *reprobaverunt ædificantes*; hoc ait, *Ejecerunt extra vineam, et occiderunt* (*Matth.* XXI, 38-42). Ergo erutus est et ille. Caput nostrum sursum est, liberum est. Hæreamus illi per dilectionem, ut melius postea conglutinemur ei per immortalitatem; et dicamus omnes:

[1] Sic plures Mss. At Er. *Omnia hæc per illecebram cupiditatem tentant*. Lov. *Omnia hæc per illecebras cupiditatum tentat*.

[2] Edd., *impingebatur in hoc corpus*. Præpositio *in* abest a plerisque Mss.

Educes me de muscipula ista, quam occultaverunt mihi; quoniam tu es protector meus.

11. [*vers.* 6.] Audiamus vocem Domini, quam dixit in cruce : *In manus tuas commendo spiritum meum.* Certe cum verba ejus in Evangelio de isto psalmo cognoscimus, ipsum hic locutum fuisse non dubitemus. Habes hoc in Evangelio, dixit, *In manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII, 46) : *et inclinato capite tradidit spiritum* (*Joan.* XIX, 30). Non sine causa voluit verba hujus psalmi sua esse, nisi ut te admoneret se locutum esse in hoc psalmo. Ipsum hic quære; cogita quomodo in illo psalmo se quæri voluit pro susceptione matutina : *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea; ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Psal.* XXI, 17-19) : ut te admoneret in se hoc esse completum, in voce sua posuit caput ipsius psalmi, *Deus, Deus meus, utquid me dereliquisti* (*Ibid.*, 2)? Et tamen vocem corporis in se transfiguravit; non enim Unicum suum Pater aliquando dereliquit. *Redemisti me, Domine, Deus veritatis :* faciens quod promisisti, non fallens in pollicitatione tua, Deus veritatis.

12. [*vers.* 7.] *Odisti observantes vanitatem supervacue.* Quis observat vanitatem? Qui timendo mori moritur : timendo enim mori mentitur, et moritur antequam moriatur, qui ideo mentiebatur ut viveret. Mentiri vis, ne moriaris : et mentiris, et moreris; et cum vitas unam mortem quam differre poteris, auferre non poteris, incidis in duas, ut prius in anima, postea in corpore moriaris. Unde hoc, nisi observando vanitatem? Quia dulcis est tibi transiens dies, quia dulcia sunt tibi transvolantia tempora, unde nihil tenes, et insuper tu teneris. *Odisti observantes vanitatem supervacue. Ego autem*, qui non observo vanitatem, *in Domino speravi.* Speras in pecunia, observas vanitatem : speras in honore et sublimitate aliqua potestatis humanæ, observas vanitatem : speras in aliquo amico potente, observas vanitatem. In his omnibus cum speras, aut tu exspiras, et ea hic dimittis; aut cum vivis, omnia pereunt, et in spe tua deficis. Hanc vanitatem commemorat Isaias dicens : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni : aruit fenum, et flos ejus decidit; verbum autem Domini manet in æternum* (*Isai.* XL, 68). Ego autem, non quomodo illi qui sperant in vanitate, et qui observant vanitatem; sed in Domino speravi, qui non est vanitas.

13. [*vers.* 8.] *Exsultabo, et jucundabor in tua misericordia :* non in mea justitia. *Quia respexisti humilitatem meam, salvam fecisti de necessitatibus animam meam : nec conclusisti me in manus inimici.* Quæ sunt necessitates, unde volumus salvam fieri animam nostram? Quis eas enumeret? quis digne exaggeret? quis congrue vitandas fugiendasque commendet? Primo in genere humano dura necessitas, nescire cor alterius, male sentire plerumque de amico fideli, bene sentire plerumque de amico infideli. O dura necessitas! Et quid facis ut corda inspicias? quem oculum affers, infirma et plangenda mortalitas? quid facis ut videas hodie cor fratris tui? Non habes quid facias. Alia major necessitas, nec tuum vides quale erit cras. Quid jam dicam de necessitatibus ipsius mortalitatis? Mori necesse est, et nemo vult. Nemo vult quod necesse est. Nemo vult, quod erit velit nolit. Dura necessitas, nolle quod non potest evitari. Nam si fieri posset, nollemus utique mori; et effici quod Angeli vellemus, sed commutatione quadam, non morte, sicut dicit Apostolus : *Ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis. Etenim in hoc ingemiscimus, habitaculum nostrum quod de cœlo est, superindui cupientes; si tamen induti, et non nudi inveniamur. Etenim qui sumus in hac habitatione, ingemiscimus gravati, in quo nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vita* (II *Cor.* v, 1-4). Volumus pervenire ad regnum Dei, sed per mortem nolumus : et tamen dicit tibi necessitas, Hac venies. Hac venire dubitas, homo, cum hac ad te venerit Deus? Quæ sunt etiam necessitates vincendarum vetustissimarum cupiditatum, et annosarum malarum consuetudinum? Vincere consuetudinem, dura pugna, nosti. Vides quam male facias, quam detestabiliter, quam infeliciter; et facis tamen : fecisti heri, facturus es hodie. Si sic tibi displicet cum disputo, quomodo displicet tibi cum cogitas? Et tamen facturus es hoc. Unde raperis? quis te captivum trahit? An illa lex in membris tuis repugnans legi mentis tuæ? Clama ergo : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 23); et impletur in te quod modo diximus, *Ego autem in Domino speravi : exsultabo, et jucundabor in tua misericordia; quia respexisti humilitatem meam, salvam fecisti de necessitatibus animam meam.* Unde enim facta est salva de necessitatibus anima tua, nisi quia respecta est humilitas tua? Nisi prius humiliareris, non te exaudiret, qui te a necessitatibus liberaret. Humiliatus est qui dixit : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Non sunt humiliati, qui *ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Id.* X, 3)?

14. [*vers.* 9.] *Nec conclusisti me in manus inimici* : non vicini tui, non compossessoris tui, non ejus cum quo militasti et eum læsisti, aut forte in tua civitate injuriam ei fecisti; isti enim tales sunt pro quibus orare debemus. Alium habemus inimicum, diabolum, serpentem antiquum. Omnes morientes, si bene moriamur, ab ejus manibus liberamur. Quicumque enim male moriuntur in suis iniquitatibus, in ejus manus concluduntur, ut cum illo in fine damnentur. Liberat ergo nos Dominus Deus noster de manu inimici nostri : ille enim nos per cupiditates nostras vult capere. Cupiditates autem nostræ quando validæ sunt, et quando eis servimus, necessitates vocantur. Liberante autem Deo animam nostram de necessitatibus nostris, quid erit quod in nobis teneat inimicus, ut concludamur in manus ejus?

15. *Statuisti in spatioso pedes meos.* Certe angusta via est (*Matth.* VII, 14) : laboranti angusta est, amanti

lata est. Eadem quæ angusta est, lata fit. *In spatioso*, dicit, *posuisti pedes meos*, ne angustati pedes mei irent in se, et incurrendo in se dejicerent me. Ergo quid ait, *Posuisti in spatioso pedes meos?* Plane fecisti mihi facilem justitiam, quæ mihi erat aliquando difficilis: hoc est, *Posuisti in spatioso pedes meos*.

16. [*vers.* 10, 11.] *Miserere mei, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, et venter meus. Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus*. Sufficiat Charitati Vestræ, adjuvante Domino fortassis implebimus debitum, ut et Psalmo peracto proficiscamur (*a*).

SERMO II.

De medio ejusdem Psalmi.

1. Ad reliqua Psalmi nostra revertatur intentio, et nos ipsos agnoscamus in verbis Prophetæ. Quoniam si nos inspexerimus in tempore tribulationis, gaudebimus in tempore retributionis. Commendaveram Charitati Vestræ, cum primas partes hujus psalmi exponerem (*b*), quod Christus loquatur; et quomodo sit accipiendus Christus totus cum capite et corpore, non tacueram: testimoniis etiam Scripturarum, quantum mihi videtur, satis idoneis luculentisque firmaveram; ita ut omnino dubitari non posset Christum esse caput et corpus, sponsum et sponsam, Filium Dei et Ecclesiam, Filium Dei factum filium hominis propter nos, ut filios hominum faceret filios Dei; atque ita essent duo in carne una in sacramento magno, qui agnoscuntur in Prophetis duo in voce una. Gratulatio superius expressa est ipsius dicentis: *Respexisti humilitatem meam, salvam fecisti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos*: gratulatio est liberati hominis a tribulatione, liberatorum membrorum Christi ab afflictione et insidiis. Et rursus dicit: *Miserere mei, Domine, quoniam tribulor*. In tribulatione utique angustia est: quomodo ergo, *Posuisti in spatioso pedes meos?* Si adhuc tribulatur, quomodo sunt in spatioso pedes? An forte una quidem vox est, quia unum quidem corpus; sed in aliquibus membris spatium sentitur, in aliquibus angustia, id est, alii sentiunt facilitatem justitiæ, alii laborant in tribulatione? Nam si non alia membra illud, alia illud paterentur, non diceret Apostolus: *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; et si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra* (I *Cor.* XII, 26). Aliquæ Ecclesiæ, verbi gratia, pacem habent; aliquæ in tribulatione sunt: in istis quæ pacem habent, in spatioso sunt pedes; illæ quæ in tribulatione sunt, angustias patiuntur: sed et istos contristat illorum tribulatio, et illos pax istorum consolatur. Sic est enim unum corpus, ut non sit discissio; non autem facit discissionem nisi dissensio. Charitas autem compagem facit, compages complectitur unitatem, unitas servat charitatem, charitas pervenit ad claritatem. Dicat ergo ex quibusdam membris: *Miserere mei, Domine, quoniam tribulor; conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus*.

2. Quærimus unde sit ista tribulatio, quoniam liberatus paulo ante gaudere videbatur, justitia quadam infusa sibi largiter dono Dei, et inde facto spatio pedibus suis in latitudine charitatis. Unde ergo et ista existit tribulatio, nisi forte ex illo quod Dominus dicit: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12)? Primo enim commendata paucitate sanctorum, tanquam missis retibus, multiplicata est Ecclesia, et capti sunt innumerabiles, de quibus prædictum erat. *Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum* (*Psal.* XXXIX, 6); qui etiam navigia premerent, et retia rumperent, sicut est positum in illa prima piscatione (*Luc.* V, 6) ante passionem Domini. Ex his igitur multitudinibus exaggerati sunt, quibus per Pascha sic referciuntur ecclesiæ, ut turbas ipsorum parietum recuset angustia. Quomodo autem non tribuletur iste de hac multitudine, quando videt ipsos implere theatra et amphitheatra, qui paulo ante ecclesias impleverunt? ipsos in nequitiis, qui paulo ante in laudibus Dei? ipsos blasphemare Deum, qui respondebant, Amen Deo? Permaneat, duret, non deficiat etiam in multitudine copiosa iniquorum, quia nec granum deficit in multitudine palearum, quo usque post ventilationem mittatur in horreum, et ibi sit in societate sanctorum, ne turbulenti aliquid pulveris patiatur. Perduret ergo, quia et Dominus cum dixisset, *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum*; ne prænuntiata ista abundantia iniquitatis labarent nutarentque pedes nostri, continuo subjecit, quod fideles erigeret, quod consolaretur atque firmaret, dicens: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 13).

3. Attende itaque istum, quantum mihi videtur, in hac tribulatione constitutum. Quando quidem positus in tribulatione quasi dolere deberet (tribulatio enim dolorem habet congruum), iratum se dicit in tribulatione, et ait: *Miserere mei, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est in ira oculus meus*. Si tribularis, quare irasceris? Irascitur iste alienis peccatis. Quis non irascatur, videns homines confitentes ore Deum, negantes moribus? Quis non irascatur, videns homines sæculo verbis, et non factis renuntiantes? Quis est qui non irascatur, videns fratres insidiantes fratribus, fidem non servantes osculo quod infigunt in [1] sacramentis Dei? Et quis enumeret omnia, quibus irascitur corpus Christi, quod intus vivit de [2] spiritu Christi, quod gemit tanquam granum inter paleas? Vix enim apparent isti qui sic gemunt, qui sic irascuntur: quomodo vix apparent grana, quando area trituratur. Qui nescit quantæ spicæ missæ sunt, putat totum paleam esse: et ex hoc quod totum palea putatur, inde magna massa purgabitur. In his ergo

(*a*) Hinc intelligere est primum istum, duosque subsequentes in XXX Psal. tractatus habitos in peregrino loco fuisse extra Hipponensem Ecclesiam.
(*b*) In superiore sermone, n. 3 et seqq.

[1] Sic Er. et quatuordecim Mss. At in Lov. cod. omissa particula, *in*.
[2] Er. et Lov., *in*. Aliquot Mss., *de*.

non apparentibus et gementibus irascitur, qui dicit alio loco : *Zelus domus tuæ comedit me* (*Psal.* LXVIII, 10). Dicit et alibi quando quidem videt multos mala facientes, *Tædium detinuit me a peccatoribus relinquentibus legem tuam* (*Psal.* CXVIII, 53). Dicit et alio loco, *Vidi insensatos, et tabescebam* (*Ibid.*, 158).

4. Hæc autem ira, metuendum est, ne tanta sit, ut in odium vertatur. Ira enim nondum est odium : nam irasceris filio, non odisti filium ; ei servas hæreditatem, qui te sentit iratum ; et ad hoc irasceris, ne perdat quod servaveris, male vivens [1] moribus pravis. Ergo ira nondum est odium : nondum odimus eos quibus irascimur; sed ista ira si manserit, et non cito evulsa fuerit, crescit et fit odium. Ideo ut recens ira evellatur, et in odium non convertatur, hoc nos docet Scriptura, dicens : *Non occidat sol super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV, 26). Invenis autem aliquando fratrem odium habentem, et reprehendit irascentem : in illo est odium, et in alio culpat iram; ipse habet trabem in oculo suo, et reprehendit festucam in oculo fratris sui (*Matth.* VII, 3). Sed festuca ista ci surculus, nisi cito evellatur, trabes futura est. Non ergo ait, Exstinctus est oculus meus præ ira; sed *turbatus :* nam si exstinguitur, jam odium est, non ira. Et vide quia exstinctus est. Hinc ait Joannes : *Qui odit fratrem suum, in tenebris est usque adhuc* (I *Joan.* II, 11). Antequam ergo eatur in tenebras, conturbatur oculus in ira : sed cavendum est, ne ira vertatur in odium, et oculus exstinguatur [2]. Iste ergo dicit : *Turbatus est præ ira oculus meus, anima mea et venter meus* ; hoc est, turbata sunt interiora mea. Ventrem pro interioribus posuit. Aliquando enim iniquis et perversis et a lege deviantibus et male viventibus irasci licet, clamare non licet. Cum irascimur et clamare non possumus, interiora nostra turbantur. Tanta est enim aliquando perversitas, ut nec corripi possit.

5. [*vers.* 11.] *Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus. Defecit*, inquit, *in dolore vita mea.* Dicit Apostolus : *Nunc vivimus, si vos statis in Domino* (I *Thess.* III, 8). Quicumque perfecti sunt ex Evangelio et gratia Dei, non hic vivunt nisi propter alios; nam vita eorum in hoc sæculo, eis jam non est necessaria. Sed quia dispensatio eorum aliis necessaria est, fit in eis quod ait idem Apostolus : *Concupiscentiam habens dissolvi, et esse cum Christo; multo enim magis optimum : manere autem in carne necessarium propter vos* (*Philipp.* I, 23, 24). Quando autem videt homo ex dispensatione sua, ex laboribus suis, ex prædicatione sua, non proficere homines, infirmatur in egestate vita hominis. Vere miserabilis egestas et fames : quandoquidem eos quos Domino lucramur, quodammodo manducat Ecclesia. Quid est manducat? In corpus suum trajicit : quidquid enim manducamus, in corpus nostrum trajicimus. Hoc agit Ecclesia per sanctos : esurit quos lucrari vult, et quos lucrata fuerit aliquo modo, manducat quodammodo. Cujus personam gerebat Petrus, quando ei de cœlo submissus est discus plenus omnibus animalibus quadrupedibus, serpentibus, et volatilibus : quibus generibus omnes gentes significantur. Præfigurabat Dominus Ecclesiam, quod omnes gentes erat transvoratura, et in corpus suum conversura; et ait Petro, *Macta, et manduca* (*Act.* X, 13). O Ecclesia, (hoc est Petre, quia super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam [*Matth.* XVI, 18]), *macta, et manduca :* prius macta, et sic manduca; occide quod sunt, et fac quod es. Cum ergo prædicatur Evangelium, et videt qui prædicat non proficere homines, quare non clamet : *Quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus. Infirmatus est in egestate vigor meus, et ossa mea conturbata sunt?* Anni nostri isti, quos hic ducimus, in gemitibus sunt. Unde? Quia abundavit iniquitas, refrigescit charitas multorum. In gemitibus, non in claris vocibus : quando videt Ecclesia multos in perversum ire, gemitus suos devorat apud se, ut dicat Deo, *Gemitus meus non est absconditus a te* (*Psal.* XXXVII, 10) : in alio psalmo dicitur, sed congruit huic; et hoc est [1] dicere, Gemitus meus etsi absconditus est ab hominibus, a te non est absconditus. *Infirmatus est in egestate vigor meus, et ossa mea conturbata sunt :* de hac egestate supra diximus : ossa vero fortes intelliguntur Ecclesiæ, qui etiam si non conturbantur persecutionibus alienorum, conturbantur tamen iniquitatibus fratrum.

6. [*vers.* 12.] *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis nimium, et timor notis meis. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium :* qui sunt inimici Ecclesiæ? Pagani, Judæi? Omnibus pejus vivunt mali christiani. Vis videre quam omnibus pejus vivant mali christiani? De talibus dicit propheta Ezechiel, quia comparantur sarmentis inutilibus (*Ezech.* XV, 2). Pone Paganos ligna esse silvatica extra Ecclesiam, adhuc potest inde fieri aliquid ; quomodo de lignis fabrilibus est lignum fabro aptum, et si adhuc nodosum et curvum et corticosum, tamen quod doletur, ascietur, deplanetur, et possit venire ad aliquam fabricam usus humani : de sarmentis autem præcisis fabri nihil facere possunt; ignis ea solus exspectat. Attendite, fratres. Cum silvatico ligno ubique præponatur sarmentum manens in vite, quia sarmentum dat fructum, illud lignum non dat fructum : præciso tamen sarmento de vite si comparetur lignum silvaticum, intelligitur esse melius; quia de illo faber aliquid facere potest ; hoc autem non quærit, nisi qui foco ministrat. Attendens itaque multitudinem male viventium in Ecclesia, *Super omnes*, inquit, *inimicos meos factus sum opprobrium.* Pejus, inquit, vivunt mali in sacramentis meis, quam qui ad illa nunquam accesserunt. Latine

[1] In omnibus Mss., *evadens.*

[2] Edd. Er. et Lov. post *exstinguatur*, hæc interponunt : *Hoc autem animadvertat unusquisque qui in pace, hoc est, qui in Christo, qui pacem Dei commendarit, vocatus est, et in cujus nativitate summa pax per Angelum nuntiata est hominibus : si pro aliqua parva vel magna causa in odium proruperit, nullam societatem cum pace, hoc est Christo, habere poterit, nisi per dignam emendationem pœnitentiæ. Sequitur ergo iste, et dicit, Turbatus*, etc. Hinc nos ea verba expungimus, quod absint a nostris omnibus Mss.

[1] Er. et Lov., *sed congruit hic et hoc dicere.* Castigavimus ad Mss.

aperte cur non dicamus, vel quando psalmum exponimus? Et si aliis forte temporibus dicere non audemus, saltem necessitas exponendi habeat libertatem corripiendi. *Super omnes*, inquit, *inimicos meos factus sum opprobrium*. De talibus dicit apostolus Petrus: *Facta sunt illis posteriora deteriora prioribus: melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam cognoscentibus retrorsum reflecti a tradito sibi sancto mandato*. Cum dicit, *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ*; nonne judicavit meliores esse inimicos foris positos, quam intus male viventes, quibus premitur et gravatur Ecclesia? *Melius*, inquit, *illis fuerat non cognoscere viam justitiæ, quam cognoscentibus retrorsum reflecti a tradito sibi sancto mandato*. Denique vide quam horribili rei eos comparavit: *Contingit illis res veri proverbii, Canis reversus ad suum vomitum* (II *Petr*. II, 20-22). Istis itaque talibus cum sint plenæ Ecclesiæ, nonne veraciter illic dicunt pauci, imo ex paucorum voce ipsa Ecclesia: *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis nimium, et timor notis meis?* Vicinis meis nimium opprobrium factus sum, id est, qui mihi jam appropinquabant ut crederent: hoc est, vicini mei nimium deterriti sunt, mala vita malorum et falsorum christianorum. Quam multos enim putatis, fratres mei, velle esse christianos, sed offendi malis moribus christianorum? Ipsi sunt vicini qui jam appropinquabant, et nimium opprobrium illis visi sumus.

7. [*item vers.* 12.] *Timor factus sum notis meis*. Quid tam timendum? *Timor*, inquit, *factus sum notis meis*. Quid tam timendum, quam cum videt homo multos male viventes, et de quibus bene sperabatur in multis malefactis inventos? Timet ne tales sint omnes quos putabat bonos, et veniunt in suspicionem malam prope omnes boni. Qualis vir? quomodo cecidit? quomodo inventus est in illa turpitudine, in illo scelere, in illo facto malo? putas non tales sunt omnes? Hoc est *timor notis meis*, ut et ipsis quibus noti sumus, plerumque in dubium veniamus. Et nisi te consoletur quod es, si aliquid es, non credis esse alterum talem. Consolatur hominem qualiscumque conscientia, ut dicat sibi homo qui bene vivit: O tu qui modo vereris ne tales sint omnes, tu talis es? Respondet conscientia: Non sum. Ergo si talis non es, solus es? Vide ne pejor sit ista superbia, quam illa nequitia. Noli solum te dicere. Nam et Elias aliquando tædio multitudinis impiorum ait: *Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal* (III *Reg*. XIX, 10; *Rom*. XI, 3, 4). Ergo, fratres, inter hæc scandala unum est remedium, ne male sentias de fratre tuo. Humiliter[1] esto quod vis eum esse, et non putabis eum esse quod non es. Sed tamen sit etiam timor notis, etiam expertis.

8. [*vers*. 13.] *Qui videbant me, foras fugerunt a me*. Ignoscendum esset si foras fugissent a me qui non videbant me: etiam qui videbant me, foras fugerunt a me. Sed si qui me non videbant, foras fugerunt a me (nec dicendum est, foras fugerunt; quia intus non fuerunt: si intus enim fuissent, vidissent me, id est, cognovissent corpus Christi, cognovissent membra Christi, cognovissent unitatem Christi): illud est magis gemendum, illud omnino intolerabile, quia multi qui viderunt me, foras fugerunt a me, id est, qui cognoverunt quid esset Ecclesia, exierunt foras, et hæreses et schismata contra Ecclesiam fecerunt. Hodie hominem invenis, verbi gratia, natum in parte Donati, nescit quid sit Ecclesia, ubi natus est tenet: non illi evellis consuetudinem quam suxit cum lacte nutricis. Illum, illum da qui volvitur quotidie in Scripturis, qui legit, qui prædicat: itane tandem non ibi videt, *Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal*. II, 8)? non ibi videt, *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium* (*Psal*. XXI, 28)? Si vides ibi totius orbis unitatem, quid foras fugis, ut non solum ipse patiaris, verum et aliis facias cæcitatem? *Qui videbant me*, id est, qui noverant quid sit Ecclesia, qui eam in Scripturis intuebantur, *foras fugerunt a me*. Putatis enim, fratres mei, quia illi omnes qui fecerunt hæreses per loca et partes, non noverant in Scripturis Dei, quia Ecclesia non est prædicta[1], nisi toto terrarum orbe diffusa? Vere dico Charitati Vestræ: Certe omnes christiani sumus, vel christiani omnes dicimur, et omnes Christi signo signamur: obscurius dixerunt Prophetæ de Christo, quam de Ecclesia; puto propterea quia videbant in Spiritu, contra Ecclesiam homines facturos esse particulas, et de Christo non tantam litem habituros, de Ecclesia magnas contentiones excitaturos. Ideo illud unde majores lites futuræ erant, planius prædictum et apertius prophetatum est, ut ad judicium illis valeat qui viderunt, et foras fugerunt.

9. Exempli gratia unum commemorabo. Abraham pater noster fuit, non propter propaginem carnis, sed propter imitationem fidei: justus et placens Deo, per fidem suscepit filium sibi promissum Isaac de Sara sterili uxore sua in senectute sua (*Gen*. XXI, 2): jussus est immolare Deo eumdem filium, nec dubitavit, nec disceptavit, nec de jussu Dei disputavit, nec malum putavit quod jubere optimus potuit: duxit filium suum ad immolandum, imposuit ei ligna sacrificii, pervenit ad locum, erexit dexteram ut percuteret, eo prohibente deposuit, quo jubente levaverat (*Id*. XXII, 3); qui obtemperaverat ut feriret, obtemperavit ut parceret; ubique obediens, nusquam timidus: ut tamen impleretur sacrificium, et sine sanguine non discederetur, inventus est aries hærens in vepre cornibus, ipse immolatus est, peractum est sacrificium. Quære quid sit: figura est Christi involuta sacramentis. Denique ut videatur discutitur, ut videatur pertractatur, ut quod involutum est evolvatur. Isaac

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *humilis*

[1] Edd., *prædicta*. Mss. nonnulli, *prædicta*.

tanquam filius unicus dilectus figuram habens Filii Dei, portans ligna sibi, quomodo Christus crucem portavit (*Joan.* XIX, 17). Ille postremo ipse aries Christum significavit. Quid est enim hærere cornibus, nisi quodam modo crucifigi? Figura est ista de Christo. Continuo prædicanda erat Ecclesia, prænuntiato capite prænuntiandum erat et corpus : cœpit Spiritus Dei, cœpit Deus ad Abraham prædicare velle Ecclesiam, et tulit figuram. Christum figurate prædicabat, Ecclesiam aperte prædicavit; ait enim ad Abraham : *Quoniam obaudisti vocem meam, et non pepercisti filio tuo dilecto propter me, benedicens benedicam te, et implendo implebo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam maris, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ* (*Gen.* XXII, 16). Et pene ubique Christus aliquo involucro sacramenti prædicatus est a Prophetis, Ecclesia aperte : ut viderent illam et qui futuri erant contra illam, et impleretur in eis ista nequitia quam prædixit Psalmus, *Qui videbant me, foras fugerunt a me.* Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis (I *Joan.* II, 19) : hoc apostolus Joannes de illis dixit.

10. [*vers.* 13.] *Oblitus sum, tanquam mortuus a corde.* Oblitus sum, in oblivionem veni, obliti sunt me illi qui viderunt me : obliti sunt me, et sic me obliti sunt, tanquam mortuus fuerim a corde ipsorum. *Oblitus sum, tanquam mortuus a corde : factus sum tanquam vas perditum.* Quid est hoc, *factus sum tanquam vas perditum?* Laborabat iste, et nulli proderat : vidit se vas esse, et nulli prodesse, et se tanquam vas perditum dicit.

11. [*vers.* 14.] *Quoniam audivi vituperationem multorum in accolentium circuitu :* multi accolunt in circuitu meo, et reprehendunt me quotidie. Quanta mala dicunt in malos christianos, quæ maledicta perveniunt ad omnes Christianos! Numquid enim dicit, qui maledicit, aut qui reprehendit Christianos, Ecce quæ faciunt non boni christiani? Sed, Ecce quæ faciunt Christiani : non separat, non discernit. Illi tamen ista dicunt, qui accolunt in circuitu, id est, circumeunt, et non intrant. Quare circumeunt, et non intrant? Quia rotam temporis amant : non intrant ad veritatem, quia non amant æternitatem; temporalibus dediti tanquam rotæ constricti, de quibus alibi dicitur, *Pone principes eorum ut rotam* (*Psal* LXXXII, 14); et alibi, *In circuitu impii ambulant* (*Psal.* XI, 9). *Dum congregarentur ipsi simul adversum me, ut acciperent animam meam consiliati sunt.* Quid est, *ut acciperent animam meam consiliati sunt?* Ut consentirem pravitatibus eorum. Illis enim qui maledicunt, et non intrant, parum est quia non intrant; et ejicere hinc volunt vituperando. Si ejecerunt te de Ecclesia, acceperunt animam tuam, id est, tenuerunt consensionem tuam; et eris in circuitu, non in mansione.

12. [*vers.* 15.] Ego autem, inter hæc opprobria, inter hæc scandala, inter hæc mala, inter istas seductiones, foris iniquitates, et perversitates intus, cum attenderem homines justos et quærerem, et deessent quos imitarer, quid feci? quod consilium inveni? *Ego autem, in te speravi, Domine.* Nihil salubrius, nihil securius. Volebas imitari nescio quem, invenisti illum non bonum : tolle imitationem hanc. Alium quæsisti, nescio quid displicuit : tertium quæsisti, et ipse non placuit : numquid quia et ille et ille displicuit, et tu peribis? Tolle ab homine spem, quia maledictus omnis qui spem suam ponit in homine (*Jerem.* XVII, 5). Si attendis adhuc hominem, et eum quæris imitari, et ex illo pendere, adhuc lacte vis nutriri; et fies mammothreptus, quales dicuntur pueri qui diu sugunt, quod non decet. Etenim lacte uti, tanquam per carnem velle sibi cibum trajici, hoc idem est per hominem vivere. Idoneus esto ad mensam, inde cape unde ille cepit, aut fortasse non cepit. Forte utiliter et in malum incidisti, quem bonum putasti, ut in ubere quasi materno amaritudinem invenires, et ea offensione repellereris, et ad cibum validiorem invitareris. Faciunt enim hoc nutrices mammothreptis, ut aliqua amara ponant in papillis suis, quibus offensi parvuli ab ubere resiliant, et ad mensam inhient. Ergo dicat : *Ego autem in te speravi, Domine; dixi : Tu es Deus meus.* Tu es Deus meus : recedat Donatus, recedat Cæcilianus; nec ille, nec iste Deus meus est. Non ad hominis nomen ambulo, Christi nomen teneo. Ipsum Paulum audi dicentem : *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis* (I *Cor.* I, 13)? Perirem si essem de parte Pauli; quomodo non perео si fuero de parte Donati? Prorsus recedant humana nomina, humana crimina, humana figmenta. *In te, Domine, speravi : dixi, Tu es Deus meus.* Non homo quisquam, sed tu es Deus meus. Unus deficit, unus proficit : Deus meus non deficit, neque proficit; nec habet quo proficiat perfectus, nec habet unde deficiat æternus. *Dixi Domino : Deus meus es tu.*

13. [*vers.* 16.] *In manibus tuis sortes meæ :* non in manibus hominum, sed in manibus tuis. Quæ sunt istæ sortes? quare sortes? Audito nomine sortium, non debemus sortilegos quærere. Sors enim non aliquid mali est : sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem. Nam et sortes miserunt Apostoli, quando Judas tradito Domino periit, et, sicut de illo scriptum est, *Abiit in locum suum :* cœpit quæri quis in locum ejus ordinaretur, electi sunt duo judicio humano, et electus de duobus unus judicio divino : de duobus consultus est Deus, quemnam ipsorum esse vellet, *et cecidit sors super Mathiam* (*Act.* I, 26). Quid igitur est, *In manibus tuis sortes meæ?* Sortes dixit, quantum ego existimo, gratiam qua salvi facti sumus. Quare sortis nomine appellat gratiam Dei? Quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. Nam ubi dicitur, Iste facit, iste non facit, merita considerantur; et ubi merita considerantur, electio est, non sors : quando autem Deus nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis suæ nos salvos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc est sors. Merito tunica illa Domini desuper texta (*Joan.* XIX, 23), quæ significat charitatis æternitatem, cum dividi a persecutoribus non posset, sors super eam missa est : ad quos pervenit,

eos significavit qui videntur ad sortem pervenire sanctorum. *Gratia salvi facti estis per fidem*, ait apostolus Paulus, *Gratia salvi facti estis per fidem*, *et hoc non ex vobis* (vide sortem), *et hoc non ex vobis; sed Dei donum est. Non ex operibus* (quasi vos benefeceritis, ut ad hoc accedere digni essetis), *non ex operibus*, *ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum*, *creati in Christo Jesu in operibus bonis* (*Ephes.* II, 8-10). Hæc quodam modo sors occulta est voluntas Dei; in humano genere sors est, sors veniens de Dei occulta voluntate, apud quem non est iniquitas (*Rom.* IX, 14): non enim ille personas accipit, sed occulta illius justitia tibi sors est.

14. Attendat itaque Charitas Vestra, videte hoc ipsum quemadmodum firmetur ab apostolo Petro. Cum Simon ille magus baptizatus a Philippo adhæreret ei, credens miraculis divinis factis in conspectu suo; venerunt Apostoli ad Samariam, ubi crediderat etiam et ipse magus, et ubi fuit baptizatus, et imposuerunt Apostoli manus hominibus baptizatis, et acceperunt Spiritum sanctum, et cœperunt linguis loqui. Admiratus est ille, et obstupefactus tanto divino miraculo, quod ad impositionem humanarum manuum venit Spiritus sanctus, et implevit homines; et desideravit istam, non gratiam, sed potentiam; non unde liberaretur, sed unde extolleretur: at ubi desideravit hoc, et implevit superbia cor ejus, et diabolica impietas et celsitudo dejicienda, ait Apostolis: Quantam vultis pecuniam a me accipere, ut et ad mearum impositionem manuum accipiant homines Spiritum sanctum? Qui quærebat sæcularia, qui in circuitu accolebat, pecunia putavit posse se emere donum Dei. Qui se putavit pecunia comparare Spiritum sanctum, etiam Apostolos avaros arbitratus est, sicut erat ipse impius et superbus. Continuo Petrus: *Pecunia tua*, inquit, *tecum sit in perditionem*, *quia existimasti donum Dei pecunia comparari. Non est tibi sors neque pars in fide hac* (*Act.* VIII, 13-21); id est, non pertines ad istam gratiam, quam gratis omnes accipimus, quia pecunia te putas emere quod gratis datur. Ex eo autem quod gratis datur, sors vocatur: *Non est tibi sors neque pars in fide hac*. Ista dixi, ne expavesceremus quod ait, *In manibus tuis sortes meæ*. Quæ sunt enim sortes? Hæreditas Ecclesiæ. Quousque est hæreditas Ecclesiæ? inter quos fines [1]? Usque ad omnes fines: dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam fines terræ (*Psal.* II, 8). Non mihi ergo promittat homo nescio quam particulam: Deus meus, *In manibus tuis sortes meæ*. Jam sufficiat Charitati Vestræ: quod restat, in nomine Domini crastina die ipso adjuvante reddemus.

SERMO III,

HABITUS PROXIMA DIE POST SUPERIOREM SERMONEM.

De fine ejusdem Psalmi.

1. Quod de Psalmo restat, unde duos jam sermones habuimus, aliquanto est amplius quam tertia pars, et videmus nobis hodie debitum esse complendum. Unde peto Charitatem Vestram, ut libenter habeatis nos in verbis ejus planioribus non immorari, ut ea nos teneant, quorum est necessitas exponendi. Multa enim sunt animis fidelium sponte occurrentia, multa quæ brevi admonitione opus habent: quædam vero, et ea rariora, quibus insudandum est, ut possint intelligi. Ut ergo tempus sufficiat viribus et nostris et vestris, videte quam aperta sunt hæc; et nobiscum potius agnoscite, et in his nobiscum Deum laudate: et si orat Psalmus, orate; et si gemit, gemite; et si gratulatur, gaudete; et si sperat, sperate; et si timet, timete. Omnia enim quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt.

2. [*vers.* 16.] *Erue me de manibus inimicorum meorum, et a persequentibus me*: dicamus hoc, et unusquisque de inimicis suis dicat hoc; bonum est enim, et orare debemus ut nos Deus eruat de manibus inimicorum nostrorum. Sed intelligendi sunt inimici, pro quibus orandum sit, et contra quos orandum sit. Inimici homines, qualescumque fuerint, non sunt odio habendi; ne cum odit malus quem patitur malum, sint duo mali. Diligat bonus et quem patitur malum, ut vel unus sit malus. Illi inimici sunt contra quos orandum est, diabolus et angeli ejus: ipsi nobis invident regnum cœlorum, ipsi nolunt ut ascendamus unde illi dejecti sunt: ab his oremus erui animam nostram. Nam et quando adversum nos homines incitantur, vasa ipsorum fiunt. Proinde Paulus apostolus admonens nos quam cauti esse contra inimicos debeamus, ait servis Dei qui tribulationes patiebantur, utique seditionibus, improbitatibus, inimicitiis hominum: *Non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, id est, non adversus homines, *sed adversus principes et potestates et rectores mundi* (*Ephes.* VI, 12). Cujus mundi? cœli et terræ? Absit. Hujus mundi rector non est nisi Creator. Sed quem dicit mundum? Amatores mundi. Denique addit, et exponit, Quod dico mundi, *tenebrarum harum*. Quarum utique tenebrarum, nisi infidelium et impiorum? Nam ex impiis et infidelibus cum essent facti pii et fideles, sic eos alloquitur idem apostolus, *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Id.* V, 8). Adversus spiritualia, inquit, nequitiæ in cœlestibus, adversus diabolum et ejus angelos dimicatis (*Id.* VI, 12): hostes vestros non videtis, et vincitis. *Erue me de manibus inimicorum meorum; et a persequentibus me.*

3. [*vers.* 17.] *Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in tua misericordia.* Superius dicebamus (*a*), si meminit hesternæ disputationis Charitas Vestra, quicumque affuistis, quoniam illi maxime persequuntur Ecclesiam qui christiani nolunt bene vivere. Per hos enim opprobrium habet Ecclesia, et ab his inimicitias sustinet: quando corripiuntur, quando male vivere non permittuntur, quando cum eis vel verbo agitur, ipsi mala in suis cordibus meditantur, et erumpendi occasionem requirunt. Inter hos est gemens iste. et si volumus nos sumus; quoniam plures sunt ipsi, et inter multitudinem eo-

[1] Mss. Reg. et Vatic., *affines*.

(*a*) In superiori sermone, n. 2 et seqq.

rum vix apparent boni, tanquam grana in area, de quibus tamen purgatis horrea replenda sunt Domini (*Matth.* III, 12; *Luc.* III, 17). Ergo inter hos gemens iste ait : *Illustra faciem tuam super servum tuum.* Confusio enim quædam putatur, cum omnes Christiani dicuntur, et qui bene vivunt, et qui male vivunt, omnes uno charactere signantur, omnes ad unum altare accedunt, omnes eodem baptismo abluuntur, omnes eamdem orationem dominicam proferunt, omnes iisdem mysteriis celebrandis intersunt. Quando discernuntur qui gemant, et pro [1] quibus gematur, nisi illustret ille faciem suam super servum suum? Quid est ergo, *Illustra faciem tuam super servum tuum?* Appareat quia pertineo ad te, nec sic dicat et christianus impius quia pertinet ad te, ne sine causa tibi in alio psalmo dixerim : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII, 1). Quod ibi dixit, *Discerne causam meam;* hoc dicit hic, *Illustra faciem tuam super servum tuum.* Et tamen ne et ipse superbiat, et quasi se justificare videatur, adjungit, et ait, *Salvum me fac in tua misericordia:* hoc est, non in mea justitia, non in meis meritis, sed *in tua misericordia;* non quia ego sum dignus, sed quia tu misericors es. Noli me audire secundum judiciariam severitatem, sed secundum misericordissimam bonitatem. *Salvum me fac in tua misericordia.*

4. [*vers.* 18.] *Domine, non confundar, quoniam invocavi te* : magnam causam dixit, *Non confundar, quoniam invocavi te.* Vis ut confundatur qui invocavit te? Vis ut dicatur : Ubi est de quo præsumpsit? Quis autem etiam ipsorum impiorum non invocat Deum? Nisi ergo proprio modo quodam diceret, *Invocavi te*, qui non possit communis esse cum multis, nullo modo de hac invocatione tantam mercedem auderet exigere. Responderet enim illi Deus quodammodo in cogitatione, et diceret : Quid a me petis ut non confundaris? Quare? Quia invocasti me? Nonne quotidie homines, ut impleant forte adulteria quæ concupiscunt, invocant me? nonne quotidie homines, ut moriantur illi a quibus exspectant hæreditatem, invocant me? nonne quotidie homines qui fraudem cogitant, ut eam prospero exitu compleant, invocant me? Quid ergo est quod pro magna mercede exigis, ut dicas : *Non confundar, quoniam invocavi te?* Invocant quidem illi, sed non invocant te. Invocas Deum, quando in te vocas Deum. Hoc est enim illum invocare, illum in te vocare, quodam modo eum in domum cordis tui invitare. Non autem auderes tantum patremfamilias invitare, nisi nosses ei habitaculum præparare. Si enim tibi dicat Deus : Ecce invocasti me, venio ad te, quo intrabo? Tantas sordes conscientiæ tuæ sustinebo? Si servum meum in domum tuam invitares, nonne prius eam mundare curares? Invocas me in cor tuum, et plenum est rapinis. Quo invocatur Deus plenum est blasphemiis, plenum est adulteriis, plenum est fraudibus, plenum est malis concupiscentiis, et invocas me! De talibus denique quid ait alio loco psalmus? *Dominum non invocaverunt* (*Psal.* XIII, 5, *et* LII, 6). Et utique invocaverunt, nec tamen invocaverunt. Breviter dico, quoniam nata est quæstio, ut tantam mercedem exigat homo allegans unum meritum, dicendo, *quia invocavi te;* cum videamus a tam multis malis invocari Deum, nata est quæstio : unde non transeundum est. Dico ergo breviter homini avaro : Invocas Deum? Quare invocas Deum? Ut det mihi lucrum. Lucrum ergo invocas, non Deum. Quia hoc lucrum quod concupiscis, non potes habere per servum tuum, non potes habere per colonum tuum, per clientem tuum, per amicum tuum, per satellitem tuum; invocas Deum, ministrum lucri tui facis Deum: viluit tibi Deus. Vis invocare Deum? Gratis invoca. Avare, an parum est tibi, si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat sine auro et argento, non vis illum? Quid ergo tibi de his quæ fecit Deus sufficit, cui Deus ipse non sufficit? Merito ergo rogat iste, *Non confundar, quoniam invocavi te.* Invocate Dominum, fratres, si non vultis confundi. Confusionem enim quamdam timet iste, de qua in superioribus Psalmi locutus est : *In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.* Nam ut sciatis quia istam confusionem timet, quid addidit, cum dixisset, *Non confundar in æternum, quoniam invocavi te? Erubescant impii, et deducantur in infernum*: confusione utique illa in æternum.

5. [*vers.* 19.] *Muta efficiantur labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia et contemptu.* Justus iste Christus est : multa labia loquuntur adversus eum iniquitatem in superbia et contemptu. Quare in superbia et contemptu? Quia contemptibilis superbis apparuit, qui tam humilis venit. Non vis ut contemnatur ab eis qui honores amant, ille qui tantas contumelias accepit? Non vis ut contemnatur ab his qui pro magno habent istam vitam, ille qui mortuus est? Non vis ut contemnatur ab eis qui quasi damnationis mortem crucis [1] turpem putant, ille qui crucifixus est? Non vis ut contemnatur a divitibus, ille qui pauperem vitam gessit in mundo, cum esset creator mundi? Omnia ista quæ amant homines, quia noluit illa habere Christus, ut non habendo ostenderet contemnenda, non quia in potestate non habuit possidenda; omnes qui amant hæc, contemnunt illum. Et quicumque voluerit servorum ejus sequi vestigia ipsius, ut ambulet et ipse in ea humilitate, in qua didicit ambulasse Dominum suum, contemnitur in Christo quasi membrum Christi : et cum caput et membra contemnuntur, totus ipse Christus contemnitur, quia totus ipse justus est caput et corpus. Et necesse est ut contemnatur totus ipse Christus a superbis et impiis, ut fiat illis quod dicitur : *Muta efficiantur labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia et contemptu.* Quando efficientur muta labia ista? In hoc sæculo? Nunquam [2]. Quotidie clamant contra Christianos, maxime humiles; quotidie blasphemant, quotidie latrant : augent linguis suis pœnas, quibus apud inferos sitiant, et aquæ stil-

[1] Mss., *a quibus.*

[1] Vox, *crucis*, non reperitur in Mss.

[2] Corb. Ms. a secunda manu habet, *in hoc sæculo nequam.*

lam sine causa desiderent. Non ergo nunc muta efficiuntur labia istorum. Sed quando? Quando traducent eos ex adverso iniquitates eorum; sicut dicitur in libro Sapientiæ : *Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustaverunt. Tunc dicent illi : Hi sunt quos aliquando habuimus in risum et in similitudinem improperii. Quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est? Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam* (*Sap.* v, 1-5). Tunc efficientur labia eorum muta, qui loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia et in contemptu. Modo enim dicunt nobis : Ubi est Deus vester? Quid colitis? Quid videtis? Creditis, et laboratis : certum est quod laboratis, incertum est quod speratis. Quando venerit certum quod speramus, muta efficientur labia dolosa.

6. [*vers.* 20.] Proinde vide quid sequitur, quia muta efficientur labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia et contemptu. Attendit iste qui sic gemit, vidit bona Dei intus in spiritu, vidit hæc bona quæ in occulto videntur, sed ab impiis non videntur. Vidit eos propterea loqui adversus justum iniquitatem in superbia et contemptu, quia bona hujus sæculi videre norunt, bona autem futuri sæculi nec cogitare sciunt. Sed ut commendaret ipsa bona futuri sæculi hominibus, quos jubet tolerare, non amare præsentia, exclamavit et addidit : *Quam multa multitudo dulcedinis tuæ, Domine!* Hic homo impius si dicat : Ubi est ista multitudo dulcedinis? respondebo : Quomodo tibi ostendam multitudinem hujus dulcedinis, qui palatum de febre iniquitatis perdidisti? Mel si non nosses, quam bene saperet non clamares, nisi gustasses. Palatum cordis non habes ad hæc bona gustanda; quid tibi faciam? Quomodo ostendam? Non est cui (*a*) dicere : *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* xxxiii, 9). *Quam multa multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Quid est abscondisti illis? Servasti illis, non negasti, ut soli ad eam perveniant (bonum est enim quod justis et impiis non potest esse commune); ut timendo perveniant. Quamdiu enim adhuc timent, nondum et ipsi pervenerunt : sed credunt se perventuros, et a timore incipiunt. Nihil enim dulcius est immortalitate sapientiæ, sed initium sapientiæ timor Domini (*Prov.* i, 7; *Psal.* cx, 10). *Quam abscondisti timentibus te.*

7. *Perfecisti autem sperantibus in te in conspectu filiorum hominum.* Non, Perfecisti in conspectu filiorum hominum; sed, *sperantibus in te in conspectu filiorum hominum :* id est, eis perfecisti dulcedinem tuam, qui sperant in te in conspectu filiorum hominum. Quomodo dicit Dominus : *Qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego illum coram Patre meo* (*Matth.* x, 33). Ergo si speras in Domino, coram hominibus spera : ne forte abscondas ipsam spem tuam in corde tuo, et timeas confiteri, cum tibi pro crimine objiciatur quia christianus es. Cui autem modo objicitur quia christianus est? Tam pauci non christiani remanserunt, ut eis magis objiciatur quia christiani non sunt, quam ipsi audeant aliquibus objicere quia christiani sunt. Tamen dico vobis, fratres mei, incipe, quicumque me audis, vivere quomodo christianus, et vide si non tibi objiciatur et a christianis, sed nomine, non vita, non moribus. Nemo sentit nisi qui expertus est. Ergo intende, intuere quod audis. Vis vivere ut christianus? vis sequi vestigia Domini tui? Objiciatur tibi, erubescis, et erubescendo dimittis. Viam perdidisti. Videris tibi corde credidisse ad justitiam, sed perdidisti; ore confessio fit ad salutem (*Rom.* x, 10). Si ergo vis ambulare viam Domini, etiam in conspectu hominum spera in Deum, id est, noli erubescere de spe tua. Quomodo vivit in corde tuo, sic habitet in ore tuo : quia non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobria christianus erubescat. Hoc ergo in conspectu hominum si feceris, si inde coram hominibus non erubueris, si in conspectu filiorum hominum nec ore nec factis Christum negaveris; spera tibi perfici dulcedinem Dei.

8. [*vers.* 21.] Quid sequitur? *Abscondes eos in abscondito vultus tui.* Qualis est locus iste? Non dixit, Abscondes eos in cœlo tuo : non dixit, Abscondes eos in paradiso : non dixit, Abscondes eos in sinu Abrahæ. Multis enim fidelibus (*a*) loca futura sanctorum in Scripturis sanctis posita sunt. Vilescat totum quidquid præter Deum est. Qui nos tuetur in loco vitæ hujus, ipse post istam vitam sit locus noster : quia et iste psalmus hoc ei ait superius : *Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii.* Ergo erimus in vultu Dei absconditi. Quis sinus est in facie Dei, a me exspectatis audire? Purgate cor, ut ipse illuminet, et quem invocatis intret. Esto domus ejus, et erit domus tua : habitet in te, et tu habitabis in eo. Si eum in hoc sæculo exceperis corde tuo, ille post hoc sæculum excipiet te vultu suo. *Abscondes*, inquit, *eos.* Ubi? *In abscondito vultus tui. A conturbatione hominum :* ibi enim non conturbantur, cum absconduntur; in abscondito vultus tui non conturbantur. Putas est quisquam ita felix in hoc mundo, ut cum cœperit audire opprobria hominum, propterea quod Christo servit, fugiat ad Deum corde, et incipiat spem habere in dulcedine ipsius, et a conturbatione hominum, a quibus audit opprobria, intret in vultum Dei cum conscientia sua? Intrat plane, sed si habeat cum quo intret, id est, si non sit onerosa ipsa conscientia, si non illi faciat sarcinam grandem, ad angustam januam. *Abscondes* ergo *eos in abscondito vultus tui, a conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo, a contradictione linguarum.* Aliquando abscondes eos in abscondito vultus tui, a conturbatione hominum; ut prorsus in eis conturbatio humana deinceps esse non possit : sed interim cum peregrinantur in hoc sæculo, quia multas patiuntur linguas contradicentes qui tibi serviunt, quid eis facis? *Proteges eos in tabernaculo tuo.* Quod est tabernaculum? Ecclesia hujus temporis; tabernaculum ideo dicitur, quia

(*a*) Subaud., possim.

(*a*) Forte, nominibus.

adhuc in hac terra peregrinatur. Tabernaculum enim habitaculum est militum in expeditione positorum. Ipsa dicuntur tabernacula. Domus non est tabernaculum. Pugna in expeditione peregrinus; ut salvus factus in tabernaculo, gloriosus recipiaris in domum. Erit enim in cœlo domus tua æterna, si modo bene in hoc tabernaculo vixeris. Ergo in hoc tabernaculo proteges eos a contradictione linguarum. Contradicunt linguæ multæ; diversæ hæreses, diversa schismata personant; linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ: tu curre ad tabernaculum Dei, Ecclesiam catholicam tene, a regula veritatis noli discedere, et protegeris in tabernaculo a contradictione linguarum.

9. [*vers.* 22.] *Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam in civitate circumstantiæ.* Quæ est civitas circumstantiæ? In una Judæa populus Dei erat positus, quasi in medio mundo, ubi dicebantur laudes Deo, eique sacrificia offerebantur, ubi prophetia non cessabat canendo futura, quæ modo videmus impleri: iste populus quasi in medio gentium erat. Attendit propheta iste, et vidit futuram Ecclesiam Dei in omnibus gentibus: et quia omnes gentes circum undique erant, quæ in medio ponebant unam gentem Judæorum; has undique circumstantes gentes appellavit civitatem circumstantiæ. Mirificasti quidem, Domine, misericordiam tuam in civitate Jerusalem; ibi passus est Christus, ibi resurrexit, ibi ascendit in cœlum, ibi multa mirabilia fecit: sed major laus tua est, quia mirificasti misericordiam tuam in civitate circumstantiæ, id est, in omnibus gentibus diffudisti misericordiam tuam. Nec unguentum tuum in illa Jerusalem, quasi in vase tenuisti; sed tanquam confracto vase, unguentum per mundum diffusum est, ut impleretur quod dicitur in Scripturis sanctis: *Unguentum effusum est nomen tuum* (*Cant.* I, 2). Et ita mirificasti misericordiam tuam in civitate circumstantiæ. Ascendit enim in cœlum, sedet ad dexteram Patris, post decem dies misit Spiritum sanctum (*Act.* I): impleti sunt Spiritu sancto discipuli, cœperunt prædicare magnalia Christi; lapidati, occisi, fugati sunt (*Id.* VIII). Et cum inde tanquam ex uno loco fugarentur, quasi ligna ardentia igne divino, totam silvam mundi accensam fervore Spiritus et lumine veritatis impleverunt: et mirificavit Dominus misericordiam suam in civitate circumstantiæ.

10. [*vers.* 23.] *Ego dixi in ecstasi mea:* recordamini titulum Psalmi, ecce est illa ecstasis. Videte quid dicat: *Ego dixi*, inquit, *in ecstasi mea: Projectus sum a facie oculorum tuorum.* In pavore meo dixi, hoc est, *dixi in ecstasi mea.* Vidit se paventem intus nescio qua tribulatione magna, sicut non desunt: attendit cor suum pavidum et trepidum, et ait: *Projectus sum a facie oculorum tuorum.* Si in facie tua essem, non sic timerem; si me attenderes, non sic trepidarem. Sed quoniam dicit in alio psalmo, *Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuvabat me* (*Psal.* XCIII, 18); continuo et hic ait: *Ideo exaudisti vocem orationis meæ.* Quia confessus sum, quia dixi, *Projectus sum a facie oculorum tuorum;* quia non superbus exstiti, sed cor meum accusavi, et in tribulatione mea titubans ad te exclamavi: exaudisti orationem meam. Impletum est ergo quod commendavi de illo psalmo. Quod enim est, *Ego dixi in ecstasi mea: Projectus sum a facie oculorum tuorum;* hoc est in illo psalmo, *Si dicebam, Motus est pes meus.* Et quod est in illo, *Misericordia tua, Domine, adjuvabat me;* hoc est in isto, *Ideo exaudisti, Domine, vocem orationis meæ.* Attende illud in Petro: videt Dominum ambulantem in aquis, putat phantasma. Exclamat Dominus, Ego sum, noli timere. Confidit Petrus, et dicit, Si tu es, jube me venire ad te super aquas: hinc probo si tu es, si in verbo tuo potuero quod tu potes. Ait ille, Veni. Et[1] verbum jubentis facta est potestas audientis. Veni, inquit. Et descendit: cœpit ire, ibat intrepidus, tanquam in illo sperans: videns autem ventum validum, timuit. *Ego dixi in ecstasi mea: Projectus sum a facie oculorum tuorum.* Et cum cœpisset mergi, clamavit, Domine, pereo. Et Jesus porrigens ei manum, levavit eum dicens, Modicæ fidei, quare dubitasti (*Matth.* XIV, 26 32)? Dixi ergo in pavore meo, *Projectus sum a facie oculorum tuorum:* et tanquam jam perire incipientis in mari, *exaudisti, Domine, vocem orationis meæ. Exaudisti* autem, *cum clamarem ad te.* Clamor ad Deum non est voce, sed corde. Multi silentes labiis, corde clamaverunt: multi ore strepentes, corde averso nihil impetrare potuerunt. Si ergo clamas, clama intus, ubi audit Deus. Cum clamarem, inquit, ad te, exaudisti vocem orationis meæ.

11. [*vers.* 24.] Jam ergo expertus quid nos hortatur? *Diligite Dominum, omnes sancti ejus.* Tanquam diceret, Credite mihi, ego sum expertus; habui tribulationes; invocavi, et non sum deceptus; speravi in Deum, et non sum confusus: cogitationes meas illuminavit, trepidationem meam firmavit. *Diligite Dominum, omnes sancti ejus:* id est, vos[2] diligite Dominum, qui non diligitis mundum, hoc est, *omnes sancti ejus.* Nam cui dico ut diligat Dominum, qui adhuc diligit amphitheatrum? Cui dico ut diligat Dominum, qui adhuc diligit mimum, qui adhuc diligit pantomimum (*a*), qui adhuc diligit vinolentiam, qui adhuc diligit pompas sæculi, et vanitates omnes, et insanias mendaces? Cui dico: Disce non diligere, ut discas diligere; avertere, ut convertaris; funde, ut implearis. *Diligite Dominum, omnes sancti ejus.*

12. *Quoniam veritatem requiret Dominus.* Nostis quia modo multi malefici[3] videntur; nostis quia modo in suis vanitatibus extolluntur: veritatem requiret Dominus. *Et retribuet his qui abundanter faciunt superbiam.* Ferte donec efferatis, tolerate donec careatis: necesse est enim ut Dominus veritatem requirens,

[1] Lov., *Et ad verbum.* At Er. et Mss. carent particula, *ad.*
[2] Mss., *id est, illi diligite*, etc.
[3] Nonnulli ex antiquioribus Mss., *multi malificos videntur.*
(*a*) *Pantomimos*, saltator, qui mores et affectus quoslibet gestu exprimebat. Vide lib. 2 de Doctrina Christ., c. 25.

retribuat his qui abundanter faciunt superbiam. Jam dicturus es : Quando retribuet? Quando vult. Quia retribuet certus sis; de retributione non dubites, de tempore non audeas Deo dare consilium. Prorsus veritatem requiret, et retribuet his qui abundanter faciunt superbiam. Aliquibus et hic retribuet, et vidimus et didicimus quia retribuit. Etenim quando humiliantur qui Deum timent, si forte in aliqua dignitate hujus sæculi refulserant, humiliati non ceciderunt, quia Deum de corde non excluserunt : altitudo ipsorum Deus est. Humiliatus videbatur Job perdita substantia sua, perditis filiis suis, perditis quæ servabat, perditis quibus servabat; remansit sine hæreditate, et, quod est tristius, sine hærede (*Job* I); remansit ad solam uxorem, non suam consolatricem, sed diaboli potius adjutricem (*Id.* II, 9) : humiliatus videbatur; vide si miser factus est, vide si non erat in abscondito vultus Dei. *Nudus*, ait, *exii de utero matris meæ, nudus revertar in terram : Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (*Id.* I, 21). Istæ gemmæ laudis Dei unde sunt? Videte foris pauperem, intus divitem. Istæ gemmæ laudis Dei exirent de ejus ore, nisi thesaurum haberet in corde? Qui divites esse vultis, tales divitias concupiscite, quas nec in naufragio potestis amittere. Ergo tales quando humiliantur, nolite eos putare miseros. Erratis, non scitis quid intus habeant. Ex vobis conjicitis, qui mundum diligitis, quia vos cum talia perditis, miseri remanetis. Prorsus nolite hoc putare; habent intus quo gaudeant. Interior est dominator eorum, interior est pastor et consolator ipsorum. Ipsi sunt qui male cadunt, qui spem suam in hoc sæculo ponunt. Aufertur quod nitebat foris, nihil remanet intus nisi fumus malæ conscientiæ. Unde se consolentur non habent, non habent quo foras exeant, non habent quo intro redeant, deserti pompa sæculari, inanes gratia spirituali, vere humiliantur. Et multis facit Deus ista in isto tempore, sed non omnibus. Si enim nemini faceret, quasi non videretur vigilare divina providentia : si omnibus faceret, non servaretur divina patientia. Tu tamen, christiane, tolerare didicisti, non vindictam retribuere. Vindicari vis, christiane? Nondum vindicatus est Christus. An tu passus es improbum, et ille non passus est? Nonne prior pro te passus est, qui non habebat quare pateretur? Nam in te tribulatio fornax aurificis est (si tamen aurum sis, et non palea), ut sordibus careas, non in cinerem converteris.

13. [*vers.* 25.] *Diligite Dominum, omnes sancti ejus : quoniam veritatem requiret Dominus, et retribuet his qui abundanter faciunt superbiam.* Sed quando retribuet? O si modo retribueret! modo eos volebam videre humiliatos atque prostratos. Audite quid sequitur : *Viriliter agite.* Nolite lassas manus in tribulationibus dimittere, non nutent genua vestra. *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum :* ad perpetienda et toleranda omnia mala hujus sæculi confortetur cor vestrum. Sed qui sunt quibus hæc dicit Propheta : *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum?* numquid his qui diligunt mundum? Non. Sed quibus dicit, audite : *Omnes qui speratis in Domino.*

IN PSALMUM XXXI

ENARRATIO I.

Ipsi David intelligentiæ.

1. [*vers.* 1.] Ipsi David intelligentiæ, qua intelligitur non meritis operum, sed gratia Dei hominem liberari, confitentem peccata sua.

2. [*vers.* 2.] *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata :* et quorum peccata in oblivionem ducta sunt. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in ore ejus dolus :* nec in ore suo habet ostentationem justitiæ, cum conscientia ejus peccatis plena est.

3. [*vers.* 3.] *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea :* quoniam non protuli ore confessionem ad salutem (*Rom.* X, 10), omnis firmitas mea in infirmitate consenuit. *A clamando me tota die :* cum essem impius atque blasphemus, clamando contra Deum, quasi defendens et excusans peccata mea.

4. [*vers.* 4.] *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua :* quoniam continua afflictione flagellorum tuorum, *Conversus sum in ærumna mea* [1], *dum configeretur spina.* Miser factus sum cognoscendo miseriam meam, compunctus mala conscientia.

5. [*vers.* 5.] (*a*) *Peccatum meum cognovi, et injustitiam meam non operui :* id est, injustitiam meam non occultavi. *Dixi : Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino.* Dixi : Pronuntiabo, non adversum Deum, sicut in clamore impietatis quando tacui, sed adversum me injustitiam meam Domino. *Et tu remisisti impietatem cordis mei :* audiens vocem confessionis in corde, antequam voce proferretur.

6. [*vers.* 6.] *Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno :* pro hac impietate cordis ad te orabit omnis sanctus. Non enim meritis suis sancti erunt, sed opportunitate temporis, hoc est in adventu ejus qui nos a peccatis redemit. *Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non appropinquabunt :* verumtamen nemo arbitretur, cum repente finis venerit, sicut in diebus Noe, remanere confessionis locum, per quam propinquetur ad Deum.

7. [*vers.* 7.] *Tu mihi es refugium a pressura quæ circumdedit me :* tu mihi es refugium a pressura peccatorum, quæ circumdedit cor meum. *Exsultatio mea, redime me a circumdantibus me :* in te mihi est gaudium, redime me ab ea tristitia, quam mihi peccata mea faciunt.

8. [*vers.* 8.] (*b*) Responsio Dei : *Intellectum dabo tibi, et statuam te in via hac qua gradieris* [2]. Intellectum dabo tibi post confessionem, ut non recedas a via qua ingrederis, ne tuæ potestatis esse velis. *Ob-*

[1] Plerique Mss. omisso *mea*, constanter habent *in ærumnam*, sec. LXX.
[2] Mss. in hac et in Enarr. seq., *ingredieris.*
(*a*) Diapsalma.
(*b*) Diapsalma.

firmabo super te oculos meos : ita super te faciam firmam dilectionem meam.

9. [*vers.* 9.] *Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Ideo seipsi regere volunt. Et vox Prophetæ : *In freno et camo maxillas eorum constringe.* Ergo fac illis, Deus, quod fit equo et mulo, ut pœnis eos cogas ferre regimen tuum, *qui non propinquant ad te.*

10. [*vers.* 10.] *Multa flagella peccatoris* : multum flagellatur, qui non confitens Deo peccata sua, seipsum sibi rectorem esse vult. *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit* : qui autem sperat in Domino, et ei se subdit regendum, misericordia circumdabit eum.

11. [*vers.* 11.] *Lætamini in Domino, et exsultate, justi* : lætamini, et exsultate, justi, non in vobis, sed in Domino. *Et gloriamini, omnes recti corde* : et in eo gloriamini omnes, qui intellexistis rectum esse illi subdi, ut cæteris præferamini.

ENARRATIO II.

SERMO AD PLEBEM.

1. Psalmus [1] gratiæ Dei et justificationis nostræ nullis præcedentibus meritis nostris, sed præveniente nos misericordia Domini Dei nostri, commendatus maxime ore apostolico, sicut præcedens hunc psalmum lectio omnibus intimavit, a nostra tenuitate susceptus est cum Vestra Charitate tractandus. Unde primum infirmitatem meam orationibus vestris commendo, sicut dicit Apostolus, *ut detur mihi sermo in apertione oris mei* (*Ephes.* VI, 19), sic loqui vobis, quemadmodum et mihi dicere periculosum non sit, et vobis audire salutare sit. Anceps enim animus humanus, et fluctuans inter confessionem infirmitatis et audaciam præsumptionis, plerumque hinc atque inde contunditur, et ita impellitur ut ei in quamlibet partem cadere præcipitium sit. Si enim se infirmitati propriæ omni ex parte donaverit, et in hanc cogitationem se inclinaverit, ut dicat, quia misericordia Dei omnibus peccatoribus, in quibuslibet peccatis perseverantibus, tantum credentibus quia Deus liberat, Deus ignoscit, ita in fine parata est ut nemo pereat fidelium iniquorum ; id est, nemo pereat eorum qui sibi dicunt, Quidvis faciam, quibuslibet facinoribus et flagitiis inquiner, quantumlibet peccem, liberat me Deus misericordia sua, quia credidi in eum. Qui ergo dicit neminem perire talium, cogitatione mala inclinatur in impunitatem peccatorum ; et Deus ille justus, cui cantatur misericordia et judicium (*Psal.* C, 1), non sola misericordia, sed et judicium, invenit hominem male de se præsumentem, et ad interitum suum misericordia Dei abutentem, et necesse est ut damnet. Talis itaque cogitatio præcipitat hominem : qua quisque territus [2], si se in audaciam quamdam præsumptionis erexerit, et de suis viribus justitiaque præsumpserit, et proposuerit animo implere justitiam, et omnia quæ præcipiuntur in Lege ita facere ut in nullo offendat, atque in potestate sua se habere vitam suam, ut omnino nusquam labatur, nusquam deficiat, nusquam titubet, nusquam caliget, sibique hoc tribuat, et potentatui voluntatis suæ : etiam si forte impleverit omnia quæ justa videntur coram oculis hominum, ita ut nihil inveniatur in vita ejus, quod possit reprehendi ab hominibus, ipsam præsumptionem jactationemque superbiæ damnat Deus. Quid igitur fit, si se homo justificaverit, et de justitia sua præsumpserit ? Cadit. Si considerans et cogitans infirmitatem suam et præsumens de misericordia Dei, neglexerit vitam suam mundare a peccatis suis, et se omni gurgite flagitiorum demerserit ; et ipse cadit. Præsumptio de justitia, quasi dextera est : cogitatio impunitatis peccatorum, quasi sinistra est. Audiamus [1] vocem Dei dicentem nobis : *Ne declines in dexteram aut sinistram* (*Prov.* IV, 27). Ne præsumas ad regnum de justitia tua, ne præsumas ad peccandum de misericordia Dei. Ab utroque te revocat præceptum divinum ; et ab illa altitudine, et ab ista profunditate. Illuc si ascenderis, præcipitaberis ; hac si lapsus fueris, demergeris. *Ne*, inquit, *declines in dexteram aut sinistram.* Iterum dico quod breviter fixum omnes animo teneatis : Ne præsumas ad regnum de justitia tua, ne præsumas ad peccandum de misericordia Dei. Respondebis : Quid ergo faciam ? Psalmus iste docet nos : quo perlecto atque tractato, arbitror adjuvante misericordia Domini, visuros nos viam vel ubi jam ambulemus, vel quam tenere debeamus. Unusquisque pro modulo suo audiat ; et sicut sibi conscius fuerit, ita vel doleat corrigendus, vel gaudeat approbandus. Si se deviasse invenerit, redeat ut in via ambulet : si se in via invenerit, ambulet ut perveniat. Nemo sit superbus extra viam, nemo piger in via.

2. Hunc autem psalmum ad eam gratiam pertinere, qua christiani sumus, testatus est apostolus Paulus : unde ipsam lectionem vobis legi voluimus. Hoc dixit Apostolus, cum commendaret justitiam quæ ex fide est, adversus eos qui gloriantur de justitia quæ est ex operibus, hoc ait : *Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem ? Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non ad Deum* (*Rom.* IV, 1, 2). Avertat ipse Deus a nobis talem gloriam, et illud potius audiamus : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 31). Multi enim gloriantur de operibus, et invenis multos paganos propterea nolle fieri christianos, quia quasi sufficiunt sibi de bona vita sua. Bene vivere opus est, ait : quid mihi præcepturus est Christus ? Ut bene vivam ? Jam bene vivo : quid mihi necessarius est Christus ? Nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facio, res alienas non concupisco, nullo adulterio contaminor. Nam inveniatur aliquid in vita mea quod reprehendatur, et qui reprehenderit faciat christianum. Habet gloriam, sed non ad Deum. Non autem sic pater noster Abraham. Hæc enim senten-

[1] Huic sermoni titulus in Reg. Ms. præfixus iste est : *Incipit de psalmo tricesimo I, habitus sermo in quinta feria, in basilica Restituta.*

[2] Edd., *qua quisque terretur.* At plures Mss., *territus.*

[1] Aliquot Mss., *audivimus*

tia Scripturæ ad hoc vult intentionem nostram dirigere. Quia enim fatemur, et ipsa est fides nostra de sancto Patriarcha, qui placuit Deo, ut dicamus eum et noverimus ad Deum habere gloriam, ait Apostolus: Certe notum est nobis et manifestum, quia Abraham ad Deum habet gloriam: at si ex operibus justificatus est Abraham, habet gloriam, sed non ad Deum: ad Deum autem habet gloriam; non ergo ex operibus justificatus est. Si ergo non ex operibus justificatus est Abraham, unde justificatus est? Sequitur, et dicit unde: *Quid enim Scriptura dicit?* id est, Unde dicit Scriptura justificatum Abraham? *Credidit autem Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (*Rom.* IV, 3; *Gen.* XV, 6). Ergo ex fide justificatus est Abraham.

3. Jam qui audit, non ex operibus, sed ex fide; observet illam voraginem, de qua locutus sum: Vides ergo, quia ex fide, non ex operibus justificatus est Abraham; faciam ergo quidquid volo, quia etsi bona opera non habuero, et tantum credidero in Deum, deputatur mihi ad justitiam. Si dixit et decrevit, lapsus demersus est: si adhuc cogitat et fluctuat, periclitatur. Scriptura autem Dei verusque intellectus, non solum periclitantem a periculo liberat, sed et demersum a profundo elevat. Respondeo ergo tanquam contra Apostolum, et dico de ipso Abraham, quod invenimus etiam in Epistola alterius apostoli, qui volebat corrigere homines, qui male intellexerant istum apostolum. Jacobus enim in Epistola sua, contra eos qui nolebant bene operari de sola fide præsumentes, ipsius Abrahæ opera commendavit, cujus Paulus fidem: et non sunt sibi adversi Apostoli. Dicit autem opus omnibus notum, Abraham filium suum immolandum Deo obtulit (*Jacobi* II, 21). Magnum opus, sed ex fide. Laudo superædificationem operis, sed video fidei fundamentum: laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem. Si autem hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodesset qualecumque illud opus esset. Rursum si sic teneret fidem Abraham, ut cum ei Deus imperaret offerre sibi immolandum filium suum, diceret apud semetipsum, Non facio, et tamen credo quia me etiam contemnentem jussa sua liberat Deus; fides sine operibus mortua esset, et tanquam radix sine fructu sterilis atque arida remaneret.

4. Quid ergo? Debemus nulla opera præponere fidei, id est ut ante fidem, quisquam dicatur bene operatus? Ea enim ipsa opera quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, ut magnæ vires et cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem: ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas quid homo faciat, sed quid cum facit aspiciat, quo lacertos optimæ gubernationis dirigat. Fac enim hominem optime gubernare navim, et perdidisse quo tendit; quid valet quia artemonem optime tenet, optime movet, dat proram fluctibus, cavet ne latera ¹ infligantur; tantis est viribus, ut detorqueat navim quo velit, atque unde velit: et dicatur ei, Usquequo is; et dicat, Nescio: aut non dicat, Nescio; sed dicat, Ad illum portum eo, nec in portum, sed in saxa festinet? Nonne iste quanto sibi videtur in navi gubernanda agilior et efficacior, tanto periculosius eam sic gubernat, ut ad naufragium properando perducat? Talis est et qui optime currit præter viam. Nonne ergo erat melius et tolerabilius, ut esset gubernator ille aliquanto invalidior, ut cum labore et aliqua difficultate gubernacula regeret, et tamen rectum debitumque cursum teneret; rursumque ille pigrius etiam et imbecillius, tamen in via ambularet, quam præter viam fortiter curreret? Optimus ergo ille qui et viam tenet, et bene ibi ambulat: sequentis autem spei, qui etsi aliquantum claudicat, non omnino ut erret, aut remaneat ¹, sed progreditur etsi paulatim. Fortasse enim sperandum est, eum quo tendit etiam tardius perventurum.

5. Ergo, fratres, ex fide justificatus est Abraham: sed si fidem opera non præcesserunt, tamen secuta sunt. Numquid enim fides tua sterilis erit? Si sterilis non es, sterilis non est ipsa. Aliquid mali credidisti, et igne malitiæ tuæ radicem tuæ fidei concremasti. Tene ergo fidem operaturus. Sed dicis, Non hoc ait apostolus Paulus. Imo hoc ait Paulus apostolus: *Fides*, inquit, *quæ per dilectionem operatur* (*Gal.* V, 6); et alio loco: *Plenitudo ergo legis, charitas* (*Rom.* XIII, 10); et alio loco: *Omnis enim lex in uno sermone impletur, in eo quod scriptum est: Diliges proximum tuum tanquam teipsum* (*Gal.* V, 14). Vide si non vult te operari qui dicit: *Non adulterabis, Non homicidium facies, Non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur: Diliges proximum tuum tanquam teipsum: dilectio proximi malum non operatur: Plenitudo autem legis, charitas* (*Rom.* XIII, 9, 10). Numquid charitas permittit aliquid mali te facere ei quem diligis? Sed forte tantummodo mali nihil facis, non etiam aliquid boni. Ergone ² charitas permittit te non præstare quidquid potes ei quem diligis? Nonne illa est charitas quæ orat etiam pro inimicis? Ergo deserit amicum, qui bene optat inimico? Itaque si fides sine dilectione sit, sine opere erit. Ne autem multa cogites de opere fidei, adde illi spem et dilectionem, et noli cogitare quid opereris. Ipsa dilectio vacare non potest. Quid enim de quoquam homine etiam male operatur, nisi amor? Da mihi vacantem amorem et nihil operantem. Flagitia, adulteria, facinora, homicidia, luxurias omnes, nonne amor operatur? Purga ergo amorem tuum: aquam fluentem in cloacam, converte ad hortum: quales impetus habebat ad mundum, tales habeat ad artificem mundi. Num vobis dicitur: Nihil ametis? Absit. Pigri, mortui, detestandi, miseri eritis, si nihil ametis. Amate, sed quid ametis videte. Amor Dei, amor proximi, charitas dicitur: amor mundi, amor hujus sæculi, cupiditas dicitur. Cupiditas refrenetur, charitas excitetur.

¹ Plerique Mss, *lateri*.

¹ Sic aliquot Mss. Alii vero, *omnino ut hæreat*. Edd., *omnino erret, aut remaneat*.
² Ita Mss. At edd., *Ergo nec*.

ipsa enim charitas bene operantis dat ei spem bonæ conscientiæ. Spem enim gerit bona conscientia : quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe. Et erunt tria hæc, de quibus dicit Apostolus, *Fides, Spes, Charitas* (I *Cor.* XIII, 13). Et alio loco ipsa tria, sed pro spe bonam conscientiam posuit : *Finis enim præcepti est*, dixit. Quid est finis præcepti? Quo perficiuntur præcepta, non quo consumuntur. Aliter enim dicimus, Finitus est cibus; aliter dicimus, Finita est tunica quæ texebatur : finitur cibus ut non sit; finitur tunica ut perfecta sit : et hic finis dicitur, et ibi. Non ergo hic finem præcepti dixit, quo quasi pereant præcepta; sed quo perficiantur, et consummentur, non consumantur. Finis ergo propter (a) tria illa : *Finis*, inquit, *præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (I *Tim.* I, 5). Pro spe bonam conscientiam posuit. Ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit. Quem vero pungit mala conscientia, retrahit se a spe, et non sibi sperat nisi damnationem. Ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam; et ut habeat bonam conscientiam, credat, et operetur. Quod credit fidei est, quod operatur charitatis est. Illo ergo loco a fide cœpit Apostolus, *Fides, Spes, Charitas* : alio loco ab ipsa charitate cœpit, *Charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Modo nos a medio cœpimus, ab ipsa conscientia et spe. Qui vult, inquam, habere bonam spem, habeat bonam conscientiam; ut autem habeat bonam conscientiam, credat, et operetur. A medio imus ad initium et finem : credat, et operetur. Quod credit, fidei est : quod operatur, charitatis est.

6. Quomodo ergo dicit Apostolus justificari hominem, sine operibus ex fide (*Rom.* III, 28); cum alio loco dicat : *Fides quæ per dilectionem operatur* (*Gal.* V, 6)? Non ergo Jacobum apostolum Paulo, sed ipsum Paulum ipsi Paulo opponamus, et dicamus ei : Hac nos quodammodo permittis impune peccare, cum dicis, *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus* : et hac dicis, *Fides quæ per dilectionem operatur.* Quomodo hac quasi securus fio, si operatus non fuero : hac autem nec spem, nec ipsam fidem videor habere bonam, nisi operatus fuero per dilectionem? Teipsum audio, Apostole. Certe fidem mihi hic sine operibus vis commendare : opus autem fidei dilectio est; quæ dilectio vacare non potest, nisi et mali nihil operetur, et quidquid potest boni operetur. Quid enim facit dilectio? *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI, 37). Hanc ergo fidem sine operibus commendas; et alio loco dicis : *Etsi fidem habeam, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII, 2). Ergo si nihil prodest fides sine charitate, charitas autem ubi fuerit necesse est ut operetur, fides ipsa per dilectionem operatur. Quomodo ergo justificabitur homo per fidem sine operibus? Respondet ipse Apostolus : Propterea hoc tibi dixi, o homo, ne quasi de operibus tuis præsumere videreris, et merito operum tuorum te accepisse fidei gratiam. Noli ergo præsumere de operibus ante fidem. Noveris quia peccatorem te fides invenit, etsi te fides data fecit justum, impium invenit quem faceret justum. *Credenti*, inquit, *in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam* (*Rom.* IV, 5). Si justificatur impius, ex impio fit justus : si ex impio justus fit, quæ sunt opera impiorum? Jactet etiam impius opera sua, et dicat : Do pauperibus, nihil alicui aufero, non uxorem alienam concupisco, non quemquam occido, nulli fraudem facio, depositum apud me nullo teste repræsento; hæc omnia dicat : quæro utrum pius sit, an impius. Et quomodo sum impius, inquit, ista faciens? Quomodo illi, de quibus dictum est : *Et servierunt creaturæ potiusquam Creatori, qui est benedictus in sæcula* (*Id.* I, 25). Quomodo es impius? Quid si de his omnibus[1] bonis operibus, aut illud speras quod sperandum est, sed non ab illo a quo sperandum est; aut hoc speras, quod sperandum non est, etiam ab illo a quo æterna vita speranda est? Pro bonis operibus sperasti terrenam quamdam felicitatem, impius es. Non est ista merces fidei. Cara res est fides, vili illam addixisti[2]. Impius ergo es, et nulla sunt ista opera tua. Moveas licet in bonis operibus lacertos, et videaris navim optime gubernare, in saxa festinas. Quid si quod sperandum est speras, id est vitam æternam, sed non a Domino Deo per Jesum Christum, per quem solum datur vita æterna; sed putas te ad vitam æternam posse pervenire per militiam cœli, per solem et lunam, per potestates aeris, et maris, et terræ, et siderum? Impius es. Crede in eum qui justificat impium, ut possint et bona opera tua esse opera bona. Nam nec bona illa appellaverim, quamdiu non de radice bona procedunt. Quid est hoc? Aut vitam temporalem ab æterno Deo speras, aut vitam æternam a dæmonibus speras : in qualibet parte impius es. Corrige fidem, dirige fidem[3], dirige viam : et si habes bonos pedes, ambula jam securus, curre, viam tenes : quanto melius cucurreris, tanto facilius pervenies. Sed forte claudicas aliquantum. Saltem a via noli recedere; etsi tardius, perventurus es : noli remanere, noli retro converti, noli deviare.

7. Quid ergo? Qui sunt beati? Non in quibus non invenerit Deus peccatum : nam in omnibus invenit. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei (*Id.* III, 23). Si ergo in omnibus peccata inveniuntur, remanet ut non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendavit : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam. Et ei qui operatur* (id est, de operibus præsumit, et eorum merito sibi dicit datam esse gratiam fidei), *merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum* (*Id.* IV, 3, 4). Quid est hoc, nisi quod[4] merces nostra gratia vocatur? Si gratia est, gratis datur. Quid est, gratis datur? Gratis constat. Nihil boni fecisti, et

(a) Forte, *præcepti*.

[1] Edd., *Ecce quomodo es impius.* Abest, *Ecce*, a Mss. sed ex iis duo habent sic : *Quomodo es pius, qui de his omnibus*, etc.

[2] Plerique Mss., *adduxisti*.

[3] In Mss. deest, *dirige fidem*.

[4] Mss. Vatic. Reg. et Colb., *Quid est hoc? Merces nostra*, etc., omisso, *nisi quod*.

datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua, et inveniuntur omnia mala. Si quod debetur illis operibus, Deus redderet, utique damnaret : Stipendium enim peccati mors (*Rom.* VI, 23). Malis operibus quid debetur, nisi damnatio? Bonis quid debetur? Regnum cœlorum. Tu autem in malis operibus inventus es : si reddatur tibi quod debetur, puniendus es. Quid ergo fit? Non tibi Deus reddit debitam pœnam, sed donat indebitam gratiam. Debebat vindictam, dat indulgentiam. Incipis ergo esse in fide per indulgentiam; jam fides illa assumpta spe et dilectione incipit bene operari : sed nec tunc glorieris, et extollas te : memento a quo in via positus sis; memento quia et sanis pedibus et velocibus errabas; memento quia etsi languebas, et in via semivivus jacebas, levatus es in jumentum, et perductus in stabulum (*Luc.* X, 30). *Ei autem*, inquit, *qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Si vis esse alienus a gratia, jacta merita tua. Ille autem videt quid sit in te, et novit quid cui [1] debeat. *Ei vero qui non operatur*, quid? Ecce pone aliquem impium peccatorem, non operatur. Quid autem? Credit autem [2] in eum qui justificat impium. Ex eo enim quia non operatur bene, impius est : etsi bona videatur facere, tamen, quia sine fide, nec bona vocanda sunt. *Credenti autem in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam; sicut et David dicit, beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus* (*Rom.* IV, 5, 6). Justitiam autem quam? Fidei, quam bona opera non præcesserunt, sed quam bona opera consequuntur.

8. Intendite ergo vos : alioquin male intelligendo projicitis vos in illam voraginem impune peccandi : et ego liber sum, sicut ipse Apostolus ab omnibus male intelligentibus liber fuit. Libenter enim male intellexerunt, ne bona opera sequerentur. Nolite esse de numero talium, fratres. Dicitur in quodam psalmo, de quodam homine tali, id est de tali genere, quasi de uno : *Noluit*, inquit, *intelligere ut bene ageret* (*Psal.* XXXV, 4). Non dictum est, Non potuit intelligere. Vos ergo oportet ut velitis intelligere, ut bene agatis. Intellectus enim vobis non deerit manifestus. Quis est manifestus intellectus? Nemo jactet bona opera sua ante fidem, nemo sit piger in bonis operibus accepta fide. Dat Deus ergo indulgentiam omnibus impiis, et eos justificat ex fide.

9. [*vers.* 1, 2.] *Beati* [3] *quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in ore ejus dolus.* Jam Psalmus incipit, et incipit intellectus. Intellectus ergo vel intelligentia ipsa est, ut noveris nec jactare te debere de meritis tuis, nec præsumere de impunitate peccati. Psalmi enim titulus ita est : *Huic David intellectus. Intelligentiæ* [4] vocatur psalmus iste. Prima ergo intelligentia, ut te noveris peccatorem. Consequens intelligentia est, ut cum ex fide per dilectionem bene cœperis operari, ne hoc viribus tuis, sed gratiæ Dei deputaveris. Ita non erit dolus in corde tuo, hoc est in ore interiore tuo; nec aliud in labiis habebis, aliud in cogitatione. Non eris de illis Pharisæis, de quibus dictum est : *Similes estis monumentis dealbatis; a foris quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis dolo et iniquitate* (*Matth.* XXIII, 27). Qui ergo cum sit iniquus justum se prætendit, nonne dolosus est? Non ille Nathanael est, de quo Dominus dicit : *Ecce vere Israelita in quo dolus non est?* Unde autem in illo Nathanaele dolus non erat? *Cum esses*, inquit, *sub arbore fici, vidi te* (*Joan.* I, 47, 48). Sub arbore fici erat, sub conditione carnis erat. Si sub conditione carnis erat, quia impietate propaginis tenebatur; sub illa arbore fici erat, in qua gemitur in alio psalmo : *Ecce enim in iniquitate conceptus sum* (*Psal.* L, 7). Sed vidit eum ille qui venit cum gratia. Quid est, Vidit eum? Misertus est ejus. Ergo hominem sine dolo sic commendat, ut gratiam suam in illo commendet. *Cum esses sub arbore fici, vidi te. Vidi te*, quid magnum est, nisi intelligas aliquo modo dictum? Quid magnum est videre hominem sub arbore fici? Si non vidisset sub ista ficu genus humanum Christus, aut aresceremus omnino, aut, quomodo Pharisæi, in quibus dolus erat, id est, justificabant se verbis, factis autem mali erant, folia sola invenirentur in nobis, non fructus. Nam talem arborem fici quando vidit Christus, maledixit, et aruit. Video, inquit, sola folia, id est sola verba, absque fructu : *Arescat* (*Matth.* XXI, 19), inquit, ut nec folia habeat. Utquid et verba tollit? Arbor arida enim nec folia potest habere. Sic ergo erant Judæi, Pharisæi arbor illa erant : verba habebant, facta non habebant : ex sententia Domini ariditatem meruerunt. Videat ergo nos Christus sub arbore fici : videat in carne nostra etiam fructum boni operis, ne ejus maledictione arescamus. Et quia totum gratiæ ejus imputatur, non meritis nostris, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* : non in quibus non sunt inventa peccata, sed quorum tecta sunt peccata. Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere; si noluit animadvertere, noluit punire; si noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Nec sic intelligatis quod dixit, peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant. Tecta ergo peccata quare dixit? Ut non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, nisi punire peccata? Ut noveris quia hoc est Dei videre peccata, quod punire peccata, quid ei dicitur? *Averte faciem tuam a peccatis meis* (*Psal.* L, 11). Peccata ergo tua non videat, ut te videat. Quomodo te videat? Quomodo Nathanaelem, *Cum esses sub arbore fici, vidi te.* Umbra fici non impedivit oculos misericordiæ Dei.

10. *Nec est in ore ejus dolus.* At vero qui nolunt

[1] Forte, *et cui*, vel, *cuique*. M.
[2] Forte pro, *autem*, legendum, *tamen*. M.
[3] Sic in Mss. superiori præfationi proxime conjungitur altera isthæc Psalmi 31 expositio. At in prius editis ab Er. et Lov. fuerat hoc loco interposita Enarr. 1, quam habes supra, col. 256.
[4] Hæc verba, *Huic David intellectus*, edd. omnes habent; et prosequuntur, *Intelligentiæ vocatur*, etc. At Mss., verbis illis omissis, ferunt, *Intelligentiæ vocatur*.

confiteri peccata, laborant sine causa in defensione peccatorum suorum. Et quanto laborant in defensione peccatorum suorum jactantes merita sua, non videntes iniquitates suas, tanto plus robur eorum et fortitudo deficit. Ille enim fortis est, qui non in se, sed in Deo fortis est. Propter illud, *Ter Dominum rogavi ut auferret eum a me; et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea. Gratia mea*, dixit; non, Virtus tua. *Sufficit*, inquit, *tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Unde alio loco ipse ait : *Quando infirmor, tunc fortis sum* (II *Cor.* XII, 8-10). Ergo qui vult fortis esse, velut præsumens de se, et jactans merita sua, qualiacumque illa sint, erit similis Pharisæo illi, qui quod a Deo se dicebat accepisse, superbe tamen jactabat : *Gratias*, inquit, *tibi*. Attendite, fratres mei, quale genus superbiæ commendet Deus : vere quale potest subintrare justo homini, quale potest subrepere etiam bonæ spei viro. *Gratias tibi*, dicebat. Ergo cum dicebat, *Gratias tibi*, fatebatur ab illo se accepisse quod habebat. Quid enim habes quod non accepisti (I *Cor.* IV, 7)? Ergo, *Gratias tibi ago*, dixit; *Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri, sicut et Publicanus iste.* Unde ergo superbus? Non quia de bonis suis Deo gratias agebat, sed quia super alterum se de ipsis bonis extollebat.

11. Attendite, fratres : nam unde cœperit dicere similitudinem ipsam Dominus, evangelista præmisit. Cum enim Christus dixisset, *Putas veniens Filius hominis inveniet fidem in terra?* et ne existerent quidam hæretici, qui attendentes et putantes quasi lapsum totum mundum, omnes enim hæretici in paucis et in parte sunt, jactarent se, quod in ipsis remansit quod de toto mundo perierit; ibi statim ubi ait Dominus, *Putas veniens Filius hominis inveniet fidem in terra?* subjecit Evangelista et ait : *Dixit autem et ad quosdam, qui sibi justi videbantur, et spernebant cæteros, similitudinem hanc : Quidam Pharisæus et Publicanus venerunt in templum orare*, et cætera quæ nostis. Pharisæus ergo ille dicebat, *Gratias tibi ago*. Sed unde superbus? Quia spernebat cæteros. Unde probas? In ipsis verbis. Quomodo? Pharisæus, inquit, ille [1] contempsit de longe stantem, cui Deus confitenti propinquabat. *Publicanus*, inquit, *de longinquo stabat* : sed Deus ad illum de longinquo non stabat? Quare Deus ab illo de longinquo non stabat? Quia alio loco dicitur : *Prope est Dominus his qui obtriverunt cor* (*Psal.* XXXIII, 19). Videte si Publicanus iste obtriverat cor, et ibi videbitis quia prope est Dominus his qui obtriverunt cor. *Publicanus autem de longinquo stabat, et neque volebat ad cœlum oculos suos levare, sed percutiebat pectus suum.* Tunsio pectoris, obtritio cordis. Quid dicebat tundens pectus? *Deus propitius esto mihi peccatori*. Et quid sententiæ Dominus [2]? *Amen dico vobis, descendit justificatus de templo Publicanus ille, magis quam ille Pharisæus.* Quare? Hoc est judicium Dei. *Non sum sicut Publicanus iste, non sum sicut cæteri homines, injusti, raptores, adulteri : jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* Ille non audet ad cœlum levare oculos suos, attendit conscientiam suam, longe stat, et justificatus est magis quam ille Pharisæus. Quare: Rogo te, Domine, expone nobis hanc justitiam tuam, expone nobis æquitatem juris tui. Exponit Deus regulam legis suæ [1]. Vultis audire quare? *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XVIII, 8-14).

12. Intendat ergo Charitas Vestra. Diximus non ausum fuisse oculos ad cœlum levare Publicanum. Quare cœlum non attendebat? Quia se attendebat. Se attendebat, ut primo sibi displiceret, et sic Deo placeret. Tu autem jactas te, erecta cervice es. Ait Dominus superbo, Non vis ad te attendere? ego attendo. Vis autem ut non attendam? tu attende. Ideo Publicanus non audebat oculos ad cœlum levare; quia seipsum intuebatur, conscientiam suam puniebat : ipse sibi judex erat, ut ille intercederet; ipse puniebat, ut ille liberaret; ipse accusabat, ut ille defenderet. Adeo defendit eum, quia dixit pro ipso sententiam. *Descendit justificatus Publicanus ille magis quam ille Pharisæus: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.* Attendit se, inquit, et nolui ego attendere : audivi dicentem, *Averte oculos tuos a peccatis meis.* Quis est enim qui illud dixit, nisi qui etiam illud dixit, *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco* (*Psal.* L, 5, 11)? Itaque, fratres mei, erat et Pharisæus ille peccator. Non enim quia dicebat, *Non sum sicut cæteri homines, injusti, raptores, adulteri*; neque quia jejunabat bis in sabbato; neque quia decimas dabat, non erat peccator. Quod si sine ullis peccatis esset, ipsa superbia grande crimen erat : et tamen ecce illa omnia dicebat. Quis tandem sine peccato? Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse a peccatis (*Prov.* XX, 9)? Habebat ergo ille peccata; sed perversus, et nesciens quo venisset, erat tanquam in statione medici curandus, et sana membra ostendebat, vulnera tegebat. Deus tegat vulnera; noli tu. Nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit. Medicus tegat, et curet; emplastro enim tegit. Sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus. Cui celas? Qui novit omnia.

13. [*vers.* 5, 6.] Itaque hic, fratres, videte quid dixit : *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, a clamando me tota die.* Quid est hoc? Quasi contrarium videtur, *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea a clamando.* Si a clamando, quomodo tacuit? Tacuit quiddam, non tacuit quiddam : tacuit unde proficeret, non tacuit unde deficeret; tacuit confessionem, clamavit præsumptionem. *Tacui* enim dixit, non sum confessus. Ibi oportebat ut loqueretur; taceret merita sua, clamaret peccata sua : nunc autem perverse tacuit peccata sua, clamavit merita sua. Et quid illi contigit? Inveteraverunt ossa ejus. Intendite quia si clamaret peccata sua, et taceret merita sua, innovarentur ossa ejus, id est virtutes ejus : esset robustus [2]

[1] Aliquot Mss.: *Quomodo et Publicanum iste contempsit*, etc.
[2] Edd.: *Et quæ sententia Domini*. At Mss.: *Et quid sententiæ Dominus.*

[1] Plerique Mss.: *Exponit de regula legis suæ.*
[2] Omnes prope Mss., *id est virtus ejus robusta esset in Domino.*

in Domino, quia inveniretur in se infirmus. Modo autem quia in se voluit esse firmus, factus est infirmus, et inveteraverunt ossa ejus. Remansit in vetustate, qui noluit confitendo amare novitatem. Qui enim fiunt novi, nostis, fratres: quia, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Noluit iste sibi dimitti iniquitates, exaggeravit, defendit illas, jactavit merita sua. Ergo quoniam tacuit a confessione, inveteraverunt ossa ejus. *A clamando me tota die.* Quid est, *A clamando me tota die?* Perseverando in defensione peccatorum suorum. Et tamen videte qualis sit, quia agnoscit se. Erit enim modo intelligentia: nihil præter se respiciet, et displicebit sibi, quia agnoscit se. Modo audietis, ut sanemini.

14. ***Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in ore ejus dolus. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, a clamando me tota die. Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua.*** Quid est, *gravata est super me manus tua?* Magna res, fratres. Respicite illam sententiam rectam [1] inter duos, Pharisæum et Publicanum. Quid dictum est de Pharisæo? Quoniam humiliatur. Quid dictum est de Publicano? Quoniam exaltatur. Quare ille humiliatur? Quia exaltavit se. Quare iste exaltatur? Quia humiliavit se. Ergo ut exaltantem se humiliet Deus, gravat super illum manum. Noluit humiliari confessione iniquitatis suæ, humiliatus est pondere manus Dei. Quando ille perferret manum gravem humiliantis? Quam levis fuit manus sublevantis (a)! Et in illo fortis, et in illo fortis: fortis ad illum premendum, fortis ad illum sublevandum.

15. Ergo, *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in ærumna mea, dum configeretur spina.* Ex ipsa aggravatione manus tuæ, ex ipsa humiliatione conversus sum in ærumna mea, factus sum miser, confixa est mihi spina, compuncta est conscientia mea. Quid factum est cum configeretur spina? Datus est ei sensus doloris, invenit infirmitatem suam. Et ille qui tacuerat confessionem peccati sui, ut clamando in defensione peccati sui inveterasceret virtus ejus, id est, ossa ejus converterentur in vetustatem, modo quid fecit confixa spina? *Peccatum meum cognovi.* Ergo jam cognoscit. Si ille cognoscit, ille ignoscit. Audite quid sequitur: videte si non ipse dicit, *Peccatum meum cognovi, et injustitiam meam non operui.* Hoc jam dudum dicebam: Noli operire tu, et operit Deus. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Qui tegunt peccata, nudantur: iste autem nudavit, ut cooperiretur. *Iniquitatem meam non operui.* Quid est, *non operui?* Jam dudum tacueram: modo quid? *Dixi.* Quiddam contrarium illi taciturnitati. *Dixi.* Quid dixisti? *Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino; et tu dimisisti impietatem cordis mei. Dixi.* Quid dixisti? Non jam pronuntiat, promittit se pronuntiaturum; et ille jam dimittit. Attendite, fratres; magna res: dixit, *Pronuntiabo:* non dixit, Pronuntiavi, et tu dimisisti; dixit, *Pronuntiabo et tu dimisisti:* quia eo ipso quod dixit, *Pronuntiabo,* ostendit quia nondum ore pronuntiaverat, sed corde pronuntiaverat. Hoc ipsum dicere *Pronuntiabo*, pronuntiare est: ideo *et tu dimisisti impietatem cordis mei.* Confessio ergo mea ad os nondum venerat; dixeram enim, *Pronuntiabo adversum me:* verumtamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, sed auris Dei jam in corde erat. *Tu dimisisti impietatem cordis mei;* quia dixi, *Pronuntiabo.*

16. Sed non suffecerat: non [1] dixit, *Pronuntiabo injustitiam meam Domino:* non sine causa dixit, *Pronuntiabo adversum me:* et hoc interest. Multi enim pronuntiant iniquitatem suam, sed adversus ipsum Dominum Deum: quando inveniuntur in peccatis dicunt, Deus hoc voluit. Si enim homo dicat, Non feci; aut, Hoc factum quod arguis non est peccatum: non pronuntiat nec adversum se, nec adversus Deum. Si dicat, Prorsus feci, et peccatum est, sed Deus hoc voluit, quid ego feci? Hoc est pronuntiare adversus Deum. Forte dicatis, Nemo hoc dicit: quis est qui dicat, Deus hoc voluit? Multi et hoc dicunt: sed et qui hoc non dicunt, quid aliud dicunt, qui dicunt, Fatum mihi fecit, stellæ meæ fecerunt? Ita jam per circuitum ad Deum volunt pervenire. Per circuitum volunt pervenire ad Deum accusandum, qui nolunt de compendio venire ad Deum placandum, et dicunt, Fatum mihi fecit. Quid est fatum? Stellæ meæ fecerunt. Quid sunt stellæ? Certe istæ quas in cœlo conspicimus. Et quis eas fecit? Deus. Quis eas ordinavit? Deus. Ergo vides quod voluisti dicere, Deus fecit ut peccarem. Ita ille injustus, tu justus: quia nisi ille fecisset, tu non peccasses. Tolle istas excusationes in peccatis: memento illius psalmi: *Ne declines cor meum in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem.* At enim magni viri sunt, qui defendunt peccata sua; magni sunt et qui numerant sidera, et qui computant stellas et tempora, et dicunt quis quando vel peccet vel bene vivat, et quando Mars faciat homicidam, et Venus adulteram: magni, docti viri, et electi videntur in hoc sæculo. Sed quid ait in psalmo? *Ne declines cor meum in verba mala, cum hominibus operantibus iniquitatem, et non communicabo cum electis eorum* (*Psal.* CXL, 4). Dicant illi electos et doctos numeratores siderum, dicant illi sapientes eos qui quasi digerunt in digitis fata [2] humana, et describunt de stellis mores humanos. Cum libero arbitrio me creavit Deus: si peccavi, ego peccavi: ut non solum pronuntiem iniquitatem meam Domino, sed adversum me, non adversus eum. *Ego dixi, Domine, miserere mei:* clamat æger ad medicum, *Ego dixi.* Quare, *Ego dixi?* Sufficeret, *dixi: Ego* cum emphasi dictum est; *Ego*, ego, non fatum, non fortuna, non diabolus; quia nec ipse coegit, sed ego persuadenti consensi: *Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5). Si

[1] Forte leg., *dictam.*
(a) Forte, *Quam gravis fuit manus humiliantis, tam levis fuit,* etc.

[1] Forte leg.: *Sed non suffecerat quod dixit.*
[2] Aliquot Mss., *facta.*

et hic statuit, et proposuit, *Dixi : Pronuntiabo adversum me iniquitatem meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.*

17. [*vers.* 6.] *Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.* Quo tempore? *Pro hac.* Pro qua hac? Pro impietate. Pro qua? Pro ipsa venia peccatorum. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.* Inde orabit ad te omnis sanctus, quia dimisisti peccata. Nam si non dimitteres peccata, non esset sanctus qui ad te oraret, *Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno :* quando manifestabitur Novum Testamentum, quando manifestabitur gratia Christi, quod est tempus opportunum. *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere*, id est ex femina; indiscrete enim vocabant hoc Antiqui, *factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant, redimeret* (*Gal.* IV, 4, 5). Unde redimeret? A diabolo, a perditione, a peccatis suis, ab eo cui se vendiderant. *Ut eos qui sub Lege erant redimeret.* Sub Lege enim erant, quia premebat eos Lex. Conditio eos premebat, convincendo de reatu, non salvando. Et quidem mala prohibebat : sed quia illi vires non habebant per seipsos justificandi se, clamandum erat ad illum, quomodo clamabat qui captivus ducebatur sub lege peccati : *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 23, 24)? Erant omnes homines sub Lege, non in Lege : jam illa deprimente, illa de reatu convincente. Demonstravit enim peccatum Lex : illa fixit spinam, illa fecit cor compungi; ipsa admonuit ut reum se quisque cognosceret, et pro venia clamaret ad Deum. *Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.* Ergo dicebam de tempore opportuno : *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* Item dicit Apostolus : *Tempore acceptabili et placito exaudivi te, et in die salutis adjuvi te.* Et quia hoc de omnibus Christianis (*a*) prædictum erat a Propheta, subjecit Apostolus : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (II *Cor.* VI, 2). *Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.*

18. *Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non appropinquabunt. Ad eum :* ad quem? Ad Deum. Solet enim personam mutare : quomodo est, *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua* (*Psal.* III, 9). Non dixit, Domini est salus, et super populum ejus benedictio ejus : aut, Domine, tua est salus, et super populum tuum benedictio tua : sed cum inciperet, *Domini est salus*, non ad illum, sed de illo dicens; ibi conversus est ad illum, et ait, *Et super populum tuum benedictio tua.* Sic et hic cum audis primo *ad te*, deinde *ad eum*, ne putes alium esse; *Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno. Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non appropinquabunt.* Quid est, *in diluvio aquarum multarum?* Qui natant in diluvio aquarum multarum, non appropinquant ad Deum. Quid est diluvium aquarum multarum? Multiplicitas variarum doctrinarum. Intendite, fratres. Multæ aquæ sunt variæ doctrinæ. Doctrina Dei una est, non sunt multæ aquæ, sed una aqua, sive sacramenti baptismi, sive doctrinæ salutaris. De ipsa doctrina qua irrigamur per Spiritum sanctum, dicitur : *Bibe aquam de tuis vasis, et de puteorum tuorum fontibus* (*Prov.* V, 15). Ad istos fontes non accedunt impii, sed credentes in eum qui justificat impium (*Rom.* IV, 5), jam justificati accedunt. Aliæ aquæ multæ, multæ doctrinæ inquinant animas hominum, quod paulo ante dicebam. Alia doctrina est, Fatum mihi fecit. Alia doctrina, Casus mihi fecit, fortuna fecit. Si casibus reguntur homines, nulla providentia aliquid geritur : et ipsa doctrina est. Alius dixit, Est gens contraria tenebrarum, quæ rebellavit adversus Deum, ipsa facit peccare homines. In hoc diluvio aquarum multarum ad Deum non appropinquabunt. Quæ est illa aqua, illa vera quæ manat de intimo fonte puræ venæ veritatis? Quæ illa aqua est, fratres, nisi quæ docet confiteri Domino? Quæ est illa aqua, nisi quæ docet, *Bonum est confiteri Domino* (*Psal.* XCI, 2)? Quæ est illa aqua, nisi quæ docet hanc vocem, *Dixi, Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino :* et, *Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi?* Hæc aqua confessionis peccatorum, hæc aqua humiliationis cordis, hæc aqua vitæ [1] salutaris, abjicientis se, nihil de se præsumentis, nihil suæ potentiæ superbe tribuentis. Hæc aqua in nullis alienigenarum libris est, non in epicureis, non in stoicis, non in manichæis, non in platonicis. Ubicumque etiam inveniuntur optima præcepta morum et disciplinæ, humilitas tamen ista non invenitur. Via humilitatis hujus aliunde [2] manat : a Christo venit. Hæc via ab illo est, qui cum esset altus, humilis venit. Quid enim aliud docuit humiliando se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II, 8)? Quid aliud docuit solvendo quod non debebat, ut nos a debito liberaret? Quid aliud docuit baptizatus qui peccatum non fecit, crucifixus qui reatum non habebat? Quid aliud docuit, nisi hanc humilitatem? Non immerito ait : *Ego sum via et veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). In hac ergo humilitate propinquatur ad Deum, quia prope est Dominus his qui obtriverunt cor (*Psal.* XXXIII, 19). In diluvio autem aquarum multarum extollentium se adversus Deum, et docentium superbas impietates, ad Deum non appropinquabunt.

19. [*vers.* 7.] Tu autem quid, qui etiam justificatus es, inter medias illas aquas es? Undique, fratres mei, etiam cum confitemur peccata, perstrepunt circa nos aquæ illæ diluvii. Non sumus in ipso diluvio, sed circumdamur ab ipso diluvio. Premunt nos, sed non opprimunt, urgent nos, sed non demergunt. Quid ergo tu facies, quia in medio diluvio es, ambulans in hoc sæculo? Num enim non audit tales doctores, non audit tales superbos, aut non ex verbis eorum quotidianas patitur in corde suo persecutiones? Quid ergo dicat iste jam justificatus et præsumens de Deo, qui

(*a*) Forte, *temporibus.*

[1] In omnibus prope Mss., *viæ.*
[2] Sic Mss. At Edd. cum negante particula, *aliunde non manat.*

circumdatur diluvio isto? *Tu mihi es refugium a pressura quæ circumdedit me.* Refugiant illi, vel ad deos suos, vel ad dæmones suos, vel ad vires suas, vel ad defensionem peccatorum suorum : mihi in isto diluvio non est refugium nisi tu, a pressura quæ circumdedit me.

20. *Exsultatio mea, redime me.* Si jam exsultas, quid vis redimi? *Exsultatio mea, redime me.* Audio vocem gaudii, *Exsultatio mea :* audio gemitum, *Redime me.* Gaudes, et gemis. Ita, inquit, et gaudeo, et gemo: gaudeo in spe, gemo adhuc in re. *Exsultatio mea, redime me. Spe gaudentes*, ait Apostolus. Ergo recte, *Exsultatio mea, redime me.* Unde *redime me?* Sequitur, *In tribulatione patientes* (*Rom.* XII, 12). *Exsultatio mea, redime me.* Jam justificatus erat et Apostolus: et quid ait? *Non solum*, inquit, *sed etiam nos ipsi primitias habentes Spiritus, et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus.* Unde *redime me?* Quia *ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri.* Ecce ergo unde *redime me;* quia adhuc exspectamus in nobis ingemiscentes redemptionem corporis nostri. Unde ergo *exsultatio mea?* Ibi sequitur idem Apostolus, et dicit, *Spe enim salvi facti sumus : spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Id.* VIII, 23-25). Si speras, gaudes; si per patientiam exspectas, adhuc gemis : non enim opus est patientia, ubi nihil mali perpeteris. Tolerantia quæ dicitur, patientia quæ dicitur, sustinentia quæ dicitur, longanimitas quæ dicitur, non est nisi in malis. Ubi premeris, ibi [1] angustia est. Ergo si per patientiam exspectamus, adhuc dicimus, Redime me a pressura quæ circumdedit me : quia vero spe salvi facti sumus, simul utrumque dicimus, *Exsultatio mea, redime me.*

21. [*vers.* 8.] Respondetur : *Intellectum dabo tibi.* Ipse est psalmus intelligentiæ. *Intellectum dabo tibi, et statuam te in via hac, qua gradieris.* Quid est, *statuam te in via hac, qua gradieris?* Non ut hæreas ibi, sed ut ab ea non aberres. Dabo intellectum, ut cognoscas te semper, et semper gaudeas in spe ad Deum; donec ad illam patriam pervenias, ubi jam non spes, sed res erit. *Obfirmabo super te oculos meos :* non a te auferam oculos meos, quia et tu non auferes a me oculos tuos. Jam justificatus, jam post remissionem peccatorum leva oculos tuos ad Deum. Putruerat enim cor tuum cum esset in terra. Non gratis audis, Sursum cor, ne putreat. Ergo et tu leva jam oculos tuos semper in Deum, ut firmet super te oculos suos. Sed quid times ne cum habes oculos ad Deum, offendas, ne non respicias ante te, et forte incurras in laqueum? Noli timere : ibi enim sunt oculi ipsius, quos obfirmat super te; *Nolite*, inquit, *solliciti esse* (*Matth.* VI, 31); et apostolus Petrus : *Omnem sollicitudinem vestram super illum mittite, quia illi cura est de vobis* (I *Petr.* V, 7). Ergo *obfirmabo super te oculos meos.* Tu ergo oculos tuos in illum erige, et non timebis, ut dixi, ne in laqueum incurras. Audi alium psalmum : *Oculi mei semper ad Dominum.* Et quasi diceretur illi : Quid agis de pedibus tuis, cum non ante te attendis? *Quoniam ipse*, inquit, *evellet de laqueo pedes meos* (*Psal.* XXIV, 15). *Obfirmabo super te oculos meos.*

22. [*vers.* 9.] Promisit huic et intellectum et protectionem suam : convertit se ad superbos defendentes peccata sua, et ostendit nobis quid sit intellectus, *Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Equus et mulus erecta cervice sunt. Non sunt equus et mulus, sicut ille bos qui agnovit possessorem suum, et asinus præsepe domini sui (*Isai.* I, 3). *Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus.* Quid enim patiuntur tales? *In freno et camo maxillas eorum constringe, qui non appropinquant ad te.* Equus et mulus vis esse, vis non habere sessorem? Constringetur os tuum et maxillæ tuæ in freno et camo : ipsum os tuum constringetur, quo jactas merita tua, et taces peccata tua. *Maxillas eorum constringe, qui non appropinquant ad te* humiliando se.

23. [*vers.* 10.] *Multa flagella peccatoris.* Non est mirum si adhibito freno sequuntur flagella. Indomitum enim animal esse cupiebat, domatur freno et flagello : atque utinam perdometur! Verendum est enim ne nimium resistendo, indomitum [1] relinqui mereatur, et ire in suam vagam licentiam, ut dicatur de illo : *Prodiet tanquam ex adipe iniquitas eorum* (*Psal.* LXXII, 7) : sicut de illis, quibus modo sunt impunita peccata. Ergo cum flagellatur, corrigatur, dometur; quia et iste sic se dixit edomitum. Equum et mulum se dixerat, quoniam tacuit : sed unde domitus est? Flagellis. *Conversus sum*, inquit, *in ærumna mea, dum configeretur spina.* Sive flagella dicas, sive stimulos dicas, domat Deus jumentum cui insidet : quia jumento expedit ut insideatur. Non enim defatigatus Deus ambulando pedibus, insidet jumento. Aut vero non plenum mysterii est, quod asellus adductus est Domino (*Matth.* XXI, 7)? Populus mitis et mansuetus portans bene Dominum, asellus est, et tendit in Jerusalem. *Diriget enim mites in judicio*, sicut dicit alius psalmus, *docebit mansuetos vias suas* (*Psal.* XXIV, 9). Quos mansuetos? Non erigentes cervicem adversus domitorem suum, patientes flagella et frenum; postea sic domiti, ut sine flagello ambulent, et sine freno et camo viam teneant. Si carueris isto sessore, tu cades, non ille. *Multa flagella peccatoris : sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Quomodo est refugium a pressura? Quem primo circumdat pressura, postea circumdat misericordia : quoniam misericordiam dabit, qui legem dedit (*Psal.* LXXXIII, 8); legem in flagellis, misericordiam in consolationibus. *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.*

24. [*vers.* 11.] Ergo quid concluditur? *Lætamini in Domino, et exsultate justi.* O qui lætamini in vobis! o impii, o superbi, qui lætamini in vobis : Jam credentes in eum qui justificat impium, deputetur fides vestra ad justitiam (*Rom.* IV, 5). *Lætamini in Domino.*

[1] Reg. et Vatic. Mss., *non est nisi in malis, ubi premeris, ubi angustia est.*

[1] In multis Mss., *resistendo domitori.*

et exsultate justi. Et exsultate, subaudi, in Domino. Quare? Quia jam justi. Unde justi? Non meritis vestris, sed gratia illius. Unde justi? Quia justificati.

25. *Et gloriamini omnes recti corde.* Quid est, *recti corde?* Non resistentes Deo. Intendat Charitas Vestra, et intelligite rectum cor. Breviter dico, sed tamen maxime commendandum: Deo autem gratias, quod in fine est, inhæreat sensibus vestris. Inter rectum cor, et pravum cor hoc interest: quisquis homo quidquid patitur præter voluntatem, afflictiones, mœrores, labores, humiliationes, non tribuit nisi voluntati Dei justæ, non illi dans insipientiam, quod quasi nesciat quid agat, quia talem flagellat, et talibus parcit; ipse est rectus corde: perversi autem corde sunt, et pravi et distorti, qui omnia quæ patiuntur mala, inique se pati dicunt, dantes illi iniquitatem, per cujus voluntatem patiuntur; aut quia non ei audent dare iniquitatem, auferunt ei gubernationem. Quia ipse, inquit, non potest facere iniquum, iniquum autem est ut ego patiar, et ille non patiatur; concedo enim ut sim peccator, certe sunt pejores qui lætantur, et ego tribulor: quia ergo hoc iniquum est, ut etiam pejores me lætentur, et ego tribuler, qui aut justus, aut minus peccator quam illi sum, et certum est apud me hoc esse injustum, et certum est apud me quia Deus non facit injustum; Deus non gubernat res humanas, nec cura est illi de nobis. Ergo pravi corde, id est distorti corde, tres habent sententias. Aut, Non est Deus: dixit enim stultus in corde suo, Non est Deus (*Psal.* XIII, 1). Et fuit dictum de diluvio illo (*a*): non defuit talis doctrina philosophorum, non defuerunt qui dicerent non esse Deum, qui gubernat omnia et condidit omnia; sed esse multos deos vacantes sibi præter mundum, non curantes ista. Ergo aut, Non est Deus: hoc dicit impius, cui displicet quidquid illi accidit præter voluntatem, et alteri non accidit cui se præponit: aut, Injustus Deus est, cui ista placent, et qui hæc facit: aut, Non gubernat Deus res humanas, nec cura est illi de omnibus [1]. In istis tribus sententiis magna impietas, aut negare Deum, aut dicere injustum, aut auferre illi gubernationem rerum. Quare hoc? Quia distortus est corde. Rectus est Deus, et ideo distortum cor [2] illi non acquiescit. Quod in alio psalmo est, *Quam bonus Deus Israel, rectis corde!* Et quia talem habebat ipse aliquando sententiam [3], *Quomodo scivit Deus, aut si est scientia Altissimo?* ideo ibi subjecit: *Mei autem pene moti sunt pedes* (*Psal.* LXXII, 1, 11, 2). Quomodo distortum lignum, etsi ponas in pavimento æquali, non collocatur, non compaginatur, nec adjungitur, semper agitatur et nutat; non quia inæquale est ubi posuisti, sed quia distortum est quod posuisti: ita et cor tuum quamdiu pravum est et distortum, non potest colliniari rectitudini Dei, et non potest in illo collocari ut hæreat illi, et fiat [4] *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (I *Cor.* VI, 17). Ideo *recti corde gloriamini* dixit. Quomodo recti corde gloriantur? Audite gloriationem ipsorum: *Non solum autem,* dicit Apostolus, *sed et gloriamur in tribulationibus.* Nam non est magnum gloriari in gaudiis, gloriari in lætitiis: rectus corde etiam in tribulatione gloriatur. Et audi quomodo gloriatur in tribulatione; quia non frustra quisquam, non supervacue: vide rectum cor, *Scientes,* inquit, *quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 3-5).

26. Sic est ergo rectum cor, fratres. Cuicumque aliquid accidit, dicat: Dominus dedit, Dominus abstulit. Ecce rectum cor: Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum (*Job* I, 21). Quis abstulit? quid abstulit? cui abstulit? quando abstulit? Sit nomen Domini benedictum. Et non dixit, Dominus dedit, diabolus abstulit. Intendat ergo Charitas Vestra, ne forte dicatis: Hæc mihi diabolus fecit. Prorsus ad Deum tuum refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid facit, nisi ille permittat qui desuper habet potestatem, aut ad pœnam, aut ad disciplinam: ad pœnam impii, ad disciplinam filii. Flagellat autem omnem filium quem recipit (*Heb.* XII, 6). Nec te sine flagello speres futurum, nisi forte cogitas exhæredari. Flagellat omnem filium quem recipit. Itane omnem? Ubi te volebas abscondere? Omnem: et nullus exceptus, nullus sine flagello erit. Quid? ad omnem? Vis audire quam omnem? Etiam Unicus sine peccato, non tamen sine flagello. Unde ipse Unicus portans infirmitatem tuam, et præfigurans in se personam tuam, tanquam caput gestans personam etiam corporis sui, cum appropinquaret passioni, ex homine quem gerebat contristatus est, ut te lætificaret; contristatus est, ut te consolaretur. Potuit enim utique sine tristitia esse Dominus, iturus ad passionem. Si potuit miles, non potuit imperator? Quomodo potuit miles? Attende Paulum exsultantem, propinquantem passioni: *Ego autem jam,* inquit, *immolor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de cætero superest mihi corona justitiæ, quam mihi Dominus reddet in illa die justus judex. Non solum autem mihi, sed et omnibus qui diligunt adventum ejus* (II *Tim.* IV, 6-8). Videte quemadmodum exsultat, venturus ad passionem. Ergo gaudet coronandus: contristatur coronaturus. Quid igitur portabat? Infirmitatem quorumdam, qui veniente tribulatione vel morte contristantur. Sed vide quomodo eos ducit in directionem [1] cordis. Ecce tu volebas vivere, non volebas tibi aliquid accidere; sed Deus aliud voluit: duæ voluntates sunt; sed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam. Prava est enim tua, regula est illa: stet regula, ut quod pravum est, ad regulam corrigatur. Videte quomodo hoc do-

[1] Vatic. Ms., *de hominibus.*
[2] Mss. omittunt, *cor*: et plerique habent, *distorto illi.*
[3] Sic Mss. At Edd., *aliquando de se sententiam insipiens.*
[4] Edd., *et fiat rectum.* Abest, *rectum,* a Mss.
(*a*) Supra, n. 18.

[1] Plures Mss., *directione.*

cet Dominus Jesus Christus : *Tristis est anima mea usque ad mortem* : et, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*. Ecce ostendit humanam voluntatem. Sed vide rectum cor : *Verum non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater* (*Matth*. xxvi, 38, 39). Hoc ergo fac, gaudens in his quæ tibi accidunt : et si venerit dies ille ultimus, gaude. Aut si subrepit humanæ cujusdam voluntatis fragilitas, cito dirigatur in Deum ; ut sis in eis quibus dicitur, *Gloriamini omnes recti corde*.

IN PSALMUM XXXII

ENARRATIO I.

1. [*vers*. 1.] *Exsultate justi in Domino* : exsultate justi, non in vobis, non enim hoc tutum [1] est ; sed in Domino. *Rectos decet laudatio* : ipsi laudant Dominum, qui se subdunt Domino ; aliter enim distorti et pravi sunt.

2. [*vers*. 2.] *Confitemini Domino in cithara* : confitemini Domino, exhibentes ei corpora vestra hostiam vivam (*Rom*. xii, 1). *In psalterio decachordo psallite ei* : serviant membra vestra dilectioni Dei et proximi, in quibus tria et septem præcepta servantur.

3. [*vers*. 3.] *Cantate ei canticum novum* : cantate ei canticum gratiæ fidei. *Bene cantate ei in jubilatione* : bene cantate ei in lætitia.

4. [*vers*. 4.] *Quoniam rectus est sermo Domini* : quoniam rectus est sermo Domini, ad faciendos vos quod per vos fieri non potestis. *Et omnia opera ejus in fide* : ne quisquam se meritis operum pervenisse ad fidem putet, cum in ipsa fide sint omnia opera quæ diligit Deus.

5. [*vers*. 5.] *Diligit misericordiam et judicium* : diligit enim misericordiam, quam nunc prærogat ; et judicium, quo id quod prærogaverit exigit. *Misericordia Domini plena est terra* : per orbem peccata dimittuntur hominibus in misericordia Domini.

6. [*vers*. 6.] *Verbo Domini cœli firmati sunt* : non enim a seipsis, sed Verbo Domini justi firmati sunt. *Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* : et sancto ejus Spiritu omnis fides eorum.

7. [*vers*. 7.] *Congregans sicut in utrem aquas maris* : congregat populos sæculi in confessionem mortificati peccati, ne per superbiam libere defluant. *Ponens in thesauris abyssos* : et in [2] eis occulta sua servat ad divitias.

8. [*vers*. 8.] *Timeat Dominum omnis terra* : timeat omnis peccator, ut peccare desinat. *Ab ipso autem commoveantur* : nec terroribus hominum vel cujusquam creaturæ, sed ab ipso commoveantur *omnes qui inhabitant orbem*.

9. [*vers*. 9.] *Quoniam ipse dixit, et facta sunt* : non enim ea quæ timeant, alius aliquis fecit ; sed ipse dixit, et facta sunt. *Ipse mandavit, et creata sunt* : ipse mandavit Verbo suo, et creata sunt.

10. [*vers*. 10.] *Dominus dissipat consilia gentium* : non ejus regnum, sed sua quærentium regna. *Reprobat autem cogitationes populorum* : beatitudinem terrenam concupiscentium. *Et reprobat consilia principum* : talibus populis dominari quærentium.

11. [*vers*. 11.] *Consilium vero Domini manet in æternum* : consilium vero Domini, quo beatum non facit nisi subditum sibi, manet in æternum. *Cogitationes cordis ejus in sæcula sæculorum* : cogitationes sapientiæ ejus non sunt mutabiles, sed manentes in sæculum sæculi.

12. [*vers*. 12.] *Beata gens cujus est Dominus Deus eorum* : una gens beata est, pertinens ad cœlestem civitatem, quæ sibi Dominum nonnisi Deum suum elegit. *Populus quem elegit Dominus in hæreditatem sibi* : neque hæc a seipsa, sed Dei munere electa est, ut possidendo eam, incultam et miseram esse non sinat.

13. [*vers*. 13.] *De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum* : de anima justa misericorditer vidit Dominus omnes qui in novam vitam renasci volunt.

14. [*vers*. 14.] *De præparato habitaculo suo* : de habitaculo susceptionis humanæ, quod præparavit sibi. *Respexit super omnes qui inhabitant terram* [1] : misericorditer vidit omnes qui inhabitant carnem, ut præsit illis in regendo eos.

15. [*vers*. 15.] *Qui finxit singillatim corda eorum* : qui cordibus eorum dona propria spiritualiter tribuit, ut nec totum corpus oculus, nec totum auditus (I *Cor*. xii, 17) ; sed alius sic, alius autem sic incorporentur Christo. *Qui intelligit omnia opera eorum* : apud illum intellecta sunt omnia opera eorum.

16. [*vers*. 16.] *Non salvus fiet rex in multitudine virtutis* : non salvus fiet qui carnem suam regit, si in sua virtute multum præsumpserit. *Nec gigas* [2] *salvus erit in multitudine virtutis suæ* : nec quisquis militat contra consuetudinem concupiscentiæ suæ, vel contra diabolum et angelos ejus, salvus erit, si se suæ fortitudini multum commiserit.

17. [*vers*. 17.] *Mendax equus ad salutem* : fallitur, quisquis putat vel per homines inter homines acceptam se salutem adipisci, vel impetu animositatis suæ defendi a pernicie. *In abundantia autem virtutis suæ non erit salvus* [3].

18. [*vers*. 18.] *Ecce oculi Domini super metuentes eum* : quia si salutem quæris, ecce dilectio Domini super timentes eum. *Sperantes super misericordiam ejus* : et sperantes non in virtute sua, sed in misericordia ejus.

19. [*vers*. 19.] *Ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame* : ut det eis alimentum verbi et sempiternæ veritatis, quod amiserant dum præsumunt in viribus suis, et ideo nec ipsas vires habent fame justitiæ.

20. [*vers*. 20.] *Anima nostra patiens erit Domino* : ut autem postea saginetur escis incorruptibilibus, interim dum hic est, anima nostra patiens erit Domino.

[1] In aliquot Mss., *justum*.
[2] Mss., *et eis*, absque præpositione, *in*.

[1] Lov., *carnem*, pro voce *terram* ; dissentientibus Mss. et Er.
[2] In Mss. constanter scribitur, *gigans*.
[3] Sic Er. et Mss. At Lov., *non erit salus*.

Quoniam adjutor et protector noster est : adjutor noster est, dum conamur ad eum; et protector, dum resistimus adversario.

21. [*vers.* 21.] *Quia in ipso lætabitur cor nostrum ;* non enim in nobis, ubi magna sine illo inopia est; sed in ipso lætabitur cor nostrum. *Et in nomine sancto ejus speravimus* [1] : et ideo speravimus venturos nos ad Deum, quia nobis absentibus per fidem misit nomen suum.

22. [*vers.* 22.] *Fiat misericordia tua, Domine, super nos, sicut speravimus in te :* fiat misericordia tua, Domine, super nos; spes enim non confundit, quia speravimus in te.

ENARRATIO II.

SERMO I.

De prima parte Psalmi.

1. [*vers.* 1.] Psalmus iste admonet nos exsultare in Domino. Inscribitur autem, *Ipsi David.* Qui ergo pertinent ad sacratissimum semen David, audiant vocem suam, et dicant vocem suam, et exsultent in Domino. Sic autem incipit : *Exsultate justi in Domino.* Injusti exsultent in sæculo : finito sæculo, finitur exsultatio injustorum. Exsultent autem justi in Domino : quia permanente Domino, permanebit justorum exsultatio. Exsultare autem in Domino ita convenit, ut laudemus illum qui solus non habet quod nobis displiceat, et nemo tam multa habet quæ infidelibus displicent. Et breve præceptum est : Ille placet Deo, cui placet Deus. Nec leve putetis hoc, carissimi. Videtis enim quam multi disputent contra Deum, quam multis displiceant opera ejus. Cum enim facere voluerit contra voluntatem hominum, quia Dominus est, et novit quid faciat, nec tam attendit nostram voluntatem quam utilitatem ; illi qui malunt suam voluntatem impleri quam Dei, volunt ad suam voluntatem flectere Deum, non suam corrigere ad Deum. Talibus hominibus infidelibus, impiis, iniquis, quod piget dicere, sed tamen dicam, nostis enim quam verum dicam, facilius placet pantomimus (a) quam Deus.

2. Propterea cum dixisset, *Exsultate justi in Domino ;* quia exsultare in illo nisi laudando non possumus, eum autem laudamus, cui tanto magis placemus quanto magis ipse nobis placuerit; *Rectos*, inquit, *decet laudatio.* Qui sunt recti ? Qui dirigunt cor secundum voluntatem Dei; et si eos perturbat humana fragilitas, divina consolatur æquitas : quamvis enim corde mortali privatim aliquid velint, quod suæ interim causæ vel negotio, vel præsenti necessitati conveniat; ubi intellexerint et cognoverint aliud Deum velle, præponunt voluntatem melioris voluntati suæ, et voluntatem omnipotentis voluntati infirmi, et voluntatem Dei voluntati hominis. Quantum enim Deus distat ab homine, tantum voluntas Dei a voluntate hominis. Unde gerens hominem Christus, et regulam nobis proponens, docens nos vivere, et præstans nobis vivere, ostendit hominis quamdam privatam voluntatem, in qua suam figuravit et nostram, quia caput nostrum est, et ad eum, sicut nostis, tanquam membra utique pertinemus : *Pater*, inquit, *si fieri potest, transeat a me calix iste.* Hæc humana voluntas erat, proprium aliquid et tanquam privatum volens. Sed quia rectum corde voluit esse hominem, ut quidquid in illo aliquantum curvum esset, ad illum dirigeret qui semper est rectus; *Verum non quod ego volo*, ait, *sed quod tu, Pater* (*Matth.* XXVI, 39). Sed quid posset mali velle Christus ? Quid postremo aliud posset velle, quam Pater ? Quorum una est divinitas, non potest esse dispar voluntas. Sed ex persona hominis transfigurans in se suos, quos in se transfiguravit, cum ait, *Esurivi, et dedistis mihi manducare* (*Id.* XXV, 35); quos in se transfiguravit, cum furenti et sanctos persequenti Saulo clamavit desuper, quem nemo tangebat, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4) ? ostendit quamdam hominis propriam voluntatem; ostendit te, et correxit te. Ecce vide, inquit, te in me ; quia potes aliquid proprium velle, ut aliud Deus velit, conceditur hoc humanæ fragilitati, conceditur humanæ infirmitati; aliquid proprium velle, difficile est ut non tibi contingat : sed statim cogita qui sit supra te; illum supra te, te infra illum; illum creatorem, te creaturam; illum dominum, te servum; illum omnipotentem, te infirmum, corrigens te, subjungensque voluntati ejus, ac dicens, *Verum non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater :* quomodo disjunctus es a Deo, qui jam hoc vis quod Deus ? Eris ergo rectus, et te decebit laudatio; quoniam *rectos decet laudatio.*

3. Si autem curvus fueris, laudas Deum quando tibi bene est, blasphemas quando tibi male est : quod quidem male si justum est, non est male; justum est autem, quoniam ab illo fit qui injuste facere nihil potest : et eris insulsus puer in domo patris, amans patrem si tibi blandiatur, et odio habens quando te flagellat; quasi non et blandiens et flagellans hæreditatem paret. Vide autem quemadmodum deceat rectos laudatio, audi vocem recti laudantis ex alio psalmo : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 2). Quod est, *in omni tempore;* hoc est, *semper* : et quod est, *benedicam;* hoc est, *laus ejus in ore meo.* Omni tempore et semper, sive in prosperis sive in adversis. Nam si in prosperis et non in adversis, quomodo omni tempore, quomodo semper ? et audivimus multas multorum tales voces : quando illis provenit aliqua felicitas, exsultant, gaudent, cantant Deo, laudant Deum; non sunt improbandi, imo gaudendum est illis, quia multi nec tunc. Sed isti qui jam Deum laudare ex prosperitatis parte cœperunt, docendi sunt patrem agnoscere et flagellantem, nec murmurare adversus corrigentis manum; ne semper pravi remanentes exhæredari mereantur, ut facti jam recti, (quid est recti ? Ut nihil illis displiceat quod fecerit Deus.) possint et in adversis Deum laudare, et dicere : Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum (*Job* I, 21). Tales rectos decet laudatio, non primo laudaturos, et postea vituperaturos.

[1] Sic Mss. At Edd. hoc et proximo loco, *sperabimus.*

(a) *Pantomimos*, vide Enar. Psal. XXX, serm. 3, n. 11.

4. Ergo justi recti, exsultate in Domino : quia vos decet laudatio. Nemo dicat : Quis ego justus, aut quando ego [1] justus? Nolite vos abjicere et desperare de vobis. Homines estis, ad imaginem Dei facti estis : qui vos homines fecit, pro vobis et homo factus est : ut multi filii ad hæreditatem sempiternam adoptaremini, sanguis Unici pro vobis effusus est. Si vos vobis terrena fragilitate viluistis, ex pretio vestro vos appendite : quid manducetis, quid bibatis, quo subscribatis Amen [2], digne cogitate. Numquid hoc vos monemus, ut superbi sitis, et vobis aliquam perfectionem audeatis arrogare? Sed non iterum ab omni justitia vos putare debetis exules fieri. Nolo enim vos interrogare de justitia vestra; fortassis enim nemo vestrum mihi audeat respondere, Justus sum : sed interrogo vos de fide vestra. Sicut nemo vestrum audet dicere, Justus sum; sic nemo audet dicere, Fidelis non sum. Nondum quæro quid vivas, sed quæro quid credas. Responsurus es credere te in Christum. Non audisti Apostolum : *Justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17)? Fides tua, justitia tua : quia utique si credis, caves; si autem caves, conaris; et conatum tuum novit Deus, et voluntatem tuam inspicit, et luctam cum carne considerat, et hortatur ut pugnes, et adjuvat ut vincas, et certantem exspectat [3], et deficientem sublevat, et vincentem coronat. Ergo, *Exsultate justi in Domino :* hoc dixerim, Exsultate fideles in Domino, quia justus ex fide vivit. *Rectos decet laudatio.* Discite gratias agere Deo et in prosperitatibus, et in tribulationibus. Discite habere in corde quod habet omnis homo in lingua : Quod vult Deus. Ipsa lingua popularis, plerumque est doctrina salutaris. Quis non quotidie dicit : Quod vult Deus hoc agat? Et rectus erit [4] inter eos qui exsultant in Domino, et quos decet laudatio : quales alloquitur consequenter Psalmus, et dicit : *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite ei.* Hoc enim etiam modo cantabamus, hoc ore consono exprimentes, corda vestra [5] docebamus.

5. [*vers.* 2.] Nonne id egit institutio in nomine Christi Vigiliarum istarum (*a*), ut ex isto loco citharæ pellerentur? Et ecce ipsæ jubentur sonare : *Confitemini*, inquit, *Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite ei.* Nemo convertat cor ad organa theatrica. Quod ei jubetur, in se habet, sicut alibi dicitur : *In me sunt, Deus, vota, quæ reddam laudis tibi* (*Psal.* LV, 12). Meminerunt qui pridem affuerunt, quando quid intersit inter psalterium et citharam (*a*), sicut potuimus, sermone discrevimus, et ad intellectum omnium perducere interim conati sumus : quantum autem effecerimus, viderint qui audierunt. Et nunc non importune repetimus, ut in ista diversitate duorum instrumentorum musicorum, diversitatem factorum humanorum inveniamus, significatam per hæc, implendam autem per vitam nostram. Cithara [1] lignum illud concavum tanquam tympanum pendente testudine, cui ligno chordæ innituntur, ut tactæ resonent : non plectrum dico quo tanguntur, sed lignum illud dixi concavum cui superjacent, cui quodammodo incumbunt, ut ex illo cum tanguntur tremefactæ, et ex illa concavitate sonum concipientes, magis canoræ reddantur : hoc ergo lignum cithara in inferiore parte habet, psalterium in superiore. Hæc est distinctio. Jubemur autem modo confiteri in cithara, et psallere in psalterio decem chordarum. Non dixit in cithara decem chordarum, neque in hoc psalmo, neque, si non fallor, alicubi. Legant, et considerent melius et otiosius filii nostri Lectores : tamen quantum mihi videor meminisse, multis locis invenimus psalterium decem chordarum, citharam decem chordarum nusquam mihi lectum occurrit. Mementote citharam ex inferiore parte habere quo sonat, psalterium ex superiore. Ex inferiore vita, id est terrena, habemus prosperitatem et adversitatem, unde Deum laudemus [2] in utroque, ut semper sit laus ejus in ore nostro, et benedicamus Dominum in omni tempore (*Psal.* XXXIII, 2). Est enim quædam terrena prosperitas, est quædam terrena adversitas : ex utroque laudandus est Deus, ut citharizemus. Quæ est terrena prosperitas? Cum sani sumus secundum carnem, cum abundant omnia quibus vivimus, cum incolumitas nostra servatur, cum fructus large proveniunt, cum solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V, 45). Hæc omnia ad vitam terrenam valent. Quisquis inde non laudat Deum, ingratus est. Numquid quia terrena, ideo non Dei sunt? Aut ideo alter ea dare cogitandus est, quia dantur et malis? Multiplex est enim misericordia Dei, patiens est, longanimis. Inde magis significat quid servet bonis, cum ostendit quanta donet et malis. Adversitates autem, ex inferiore utique parte, de fragilitate generis humani, in doloribus, in languoribus, in pressuris, in tribulationibus, in tentationibus. Ubique laudet Deum qui citharizat. Non attendat quia inferiora sunt, sed quia et regi et gubernari non possunt, nisi ab illa Sapientia, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1). Non enim cœlestia regit, et terrena deserit : aut non illi dicitur, *Quo abibo a spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu ibi es; si descendero in infernum, ades* (*Psal.* CXXXVIII, 7, 8)? Ubi ergo deest qui nusquam non est? Ergo con-

[1] Ita Mss. At Edd.: *Quis ergo justus, aut quando ero justus.*

[2] Edd., *subscribamini tamen.* Nonnulli ex Mss., *subscribatis tantum :* sed ex iis magna pars, *subscribatis tamen.*

[3] Edd., *inspectat.* Mss. vero, *exspectat :* quod eodem sensu passim ab Augustino usurpatur, pro *observat.*

[4] Aliquot Mss.: *Hoc agat, et rectus est : et erit inter eos,* etc.

[5] Plerique Mss., *nostra :* forte non minus bene cum hacce verborum interpunctione : *hoc, ore consono exprimentes corda nostra, docebamus.*

(*a*) Consule sermonem 311, cap. 5, ubi hæc ipsa res luculentius refertur; eoque ex loco, uti et ex proxime subsequenti Enarratione n. 9 intelliges hos de XXXII psalmo tractatus habitos fuisse in ecclesia ubi Cypriani martyris corpus jacebat.

[1] Edd.: *Cithara est lignum.* Expunge, *est :* quia sensum tollit, nec habetur in Mss.

[2] Plerique Mss.: *Ex inferiore vita, ex ista terra habemus unde Deum laudemus, et in utroque, ut semper,* etc.

(*a*) Psalterii et citharæ discrimen. Vid. Enar. in Psal. XLII, et Psal. LXX, serm. 11, n. 11.

fitere Domino in cithara. Sive tibi abundet terrenum aliquid, gratias age illi qui dedit; sive tibi desit, vel forte damno tibi auferatur, cithariza securus. Non est enim ille tibi ablatus qui dedit, quamvis tibi ablatum fuerit quod dedit. Etiam sic, inquam, cithariza securus; certus in Deo tuo, tange chordas in corde, et dic tanquam in cithara in inferiore parte bene sonante: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum (*Job* I, 21).

6. Jam vero cum attendis superiora dona Dei, quid tibi contulerit præceptorum, qua doctrina cœlesti te imbuerit, quid tibi desuper ex illius veritatis fonte præceperit [1], convertere et ad psalterium, psalle Domino in psalterio decem chordarum. Præcepta enim legis decem sunt: in decem præceptis Legis habes psalterium. Perfecta res est. Habes ibi dilectionem Dei in tribus, et dilectionem proximi in septem. Et utique nosti, Domino dicente, quia *in his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 40). Dicit tibi Deus desuper, quia *Dominus Deus tuus, Deus unus est*: habes unam chordam. *Non accipias in vanum nomen Domini Dei tui*: habes alteram chordam. *Observa diem sabbati*, non carnaliter, non judaicis deliciis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim utique tota die foderent, quam tota die saltarent. Sed tu cogitans requiem in Deo tuo et propter ipsam requiem omnia faciens, abstine ab opere servili. Omnis enim qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34): et utinam hominis, et non peccati! Hæc tria pertinent ad dilectionem Dei, cujus cogita unitatem, veritatem et voluptatem [2]. Est enim quædam voluptas in Domino, ubi verum sabbatum, vera requies. Unde dicitur: *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui* (*Psal.* XXXVI, 4). Quis enim sic delectat, quam ille qui fecit omnia quæ delectant? In his tribus charitas Dei, in septem aliis charitas proximi, ne facias alii quod pati non vis. *Honores patrem et matrem*: quia vis te honorari a filiis tuis. *Non mæcheris*: quia nec mœchari uxorem tuam post te vis. *Non occidas*: quia et occidi non vis. *Non fureris*: quia furtum pati non vis. *Non falsum testimonium dicas*: quia odisti adversum te falsum testimonium dicentem. *Non concupiscas uxorem proximi tui*: quia et tuam non vis ab alio concupisci. *Non concupiscas rem aliquam proximi tui* (*Exod.* XX, 1-17; *Deut.* V, 6-21): quia si quis tuam concupiscit, displicet tibi. Converte et in te linguam, quando tibi displicet qui tibi nocet. Hæc omnia præcepta Dei sunt, sapientia donante data sunt, desuper sonant. Tange psalterium, imple Legem, quam Dominus Deus tuus non venit solvere, sed adimplere (*Matth.* V, 17). Implebis enim amore, quod timore non poteras. Qui enim timendo non facit male, mallet facere, si liceret. Itaque etsi facultas non datur, voluntas [3] tenetur. Non facio, inquit. Quare? Quia timeo. Nondum amas justitiam, adhuc servus es: esto filius. Sed ex bono servo fit bonus filius. Interim timendo noli facere, disces et amando non facere. Est enim quædam pulchritudo justitiæ. Pœna te deterreat. Habet justitia formam suam, oculos quærit, accendit amatores suos. Pro hac Martyres sæculum calcantes, sanguinem fuderunt. Quid amabant, quando istis omnibus renuntiabant? Num enim illi non erant amatores? aut hoc vobis dicimus, ut non ametis? Qui non amat, friguit, obriguit. Ametur, sed illa pulchritudo quæ cordis oculos quærit. Ametur, sed illa pulchritudo quæ laudata justitia incendit animos. Promunt verba, edunt voces, undique dicunt, Bene, Optime. Quid viderunt? Justitiam viderunt, in qua [1] pulcher est curvus senex. Non enim si procedat senex justus, est aliquid in ejus corpore quod ametur, et tamen amatur ab omnibus. Ibi amatur, ubi non videtur; imo ibi amatur, ubi corde videtur. Delectet vos ergo, et rogate Dominum ut delectet. Dominus enim dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum (*Psal.* LXXXIV, 13): ut per charitatem impleatis quod per timorem implere difficile est. Quid dico [2] difficile est? Non potest adhuc animus: mallet non esse quod præcipitur, si ad faciendum amore non ducitur, sed timore coarctatur. Noli furtum facere, time gehennas: mallet non esse gehennas, in quas mitteretur. Quando incipit amare justitiam, nisi quando mallet furta non esse, etsi gehennæ non essent, in quas fures mitterentur? Hoc est amare justitiam.

7. Et ipsa justitia qualis est? quis illam pingit? Sapientia Dei quam pulchritudinem habet? Per illam pulchra sunt omnia, quæ oculis placent: ei videndæ, complectendæ, corda mundanda sunt. Hujus nos amatores profitemur: ipsa nos componit, ut ei non displiceamus. Et quando nos reprehendunt homines in his rebus, in quibus ei quam diligimus placemus, quomodo parvi habemus reprehensores nostros, quomodo illos contemnimus et omnino nihili pendimus [3]? Amatores lubrici et damnabiles feminarum, quando amatæ ipsorum componunt illos secundum oculos suos, si ipsis placeant, non curant eos quibus displicent, putantes sibi sufficere quod earum oculis placent, ad quas affectant: et plerumque gravibus displicent, imo semper gravibus displicent, et meliore judicio reprehenduntur. Non bene tonsus es, dicit vir gravis lascivo adolescenti, non te decet cum talibus cincinnis incedere. Novit autem ille capillos illos placere nescio cui: odit te reprehendentem vero judicio, et servat in se quod placet perverso consilio. Inimicum te putat, quia turpitudinem demis [4]. Fugit oculos tuos, et omnino non curat qua regula justitiæ reprehendatur. Si ergo illi non curant reprehensores ve-

[1] Mss. Reg. et Vatic., *præ cæteris dederit.*
[2] Sic melioris notæ Mss. At Edd., *et voluntatem.* Moxque, *quædam voluntas.*
[3] Vatic. et Reg. Mss., *voluntas rea tenetur.*

[1] Sic plerique ac melioris notæ Mss. edd. vero, *sed illa pulchritudo quæ laudatur. Justitia incendit animos: justitia accensi promunt verba, edunt voces, undique dicunt, Bene, optime. Quid viderunt? In quo pulcher est curvus senex?*
[2] Edd.: *Quod dico.* Mss. vero: *Quid dico?*
[3] Ita in Mss. At in Edd., *quomodo pravi habemur apud reprehensores nostros, quomodo ab illis contemnimur, et omnino nihili pendimus.*
[4] Duo Mss., *diligit.* Benign. codex, *damnas.*

races, ut sint formosi fallaces; nos in his rebus in quibus placemus sapientiæ Dei, debemus curare irrisores injustos, non habentes oculos unde videant quod amamus? Hæc cogitantes recti corde, *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite ei.*

8. [*vers.* 3.] *Cantate ei canticum novum.* Exuite vetustatem: nostis canticum novum. Novus homo, Novum Testamentum, novum canticum. Non pertinet novum canticum ad homines veteres: non illud discunt nisi homines novi, renovati per gratiam ex vetustate, et pertinentes jam ad Testamentum novum, quod est regnum cœlorum. Ei suspirat omnis amor noster, et cantat canticum novum. Cantet canticum novum, non lingua, sed vita. *Cantate ei canticum novum: bene cantate ei.* Quærit unusquisque quomodo cantet Deo. Canta illi, sed noli male. Non vult offendi aures suas. Bene canta, frater. Si alicui bono auditori musico, quando tibi dicitur, Canta ut placeas ei, sine aliqua instructione musicæ artis cantare trepidas [1], ne displiceas artifici; quia quod in te imperitus non agnoscit, artifex reprehendit: quis offerat [2]: Deo bene cantare, sic judicanti de cantore, sic examinanti omnia, sic audienti? Quando potes afferre tam elegans artificium cantandi, ut tam perfectis auribus in nullo displiceas? Ecce veluti modum cantandi dat tibi: noli quærere verba, quasi explicare possis unde Deus delectatur. *In jubilatione* cane: hoc est enim bene canere Deo, in jubilatione cantare. Quid est in jubilatione canere? Intelligere, verbis explicare non posse quod canitur corde [3]. Etenim illi qui cantant, sive in messe, sive in vinea, sive in aliquo opere ferventi, cum cœperint in verbis canticorum exsultare lætitia, veluti impleti tanta lætitia, ut eam verbis explicare non possint, avertunt se a syllabis verborum, et eunt in sonum jubilationis. Jubilum [4] sonus quidam est significans cor parturire quod dicere non potest. Et quem decet ista jubilatio, nisi ineffabilem Deum? Ineffabilis enim est, quem fari non potes: et si eum fari non potes, et tacere non debes, quid restat nisi ut jubiles; ut gaudeat cor sine verbis, et immensa latitudo gaudiorum metas non habeat syllabarum? *Bene cantate ei in jubilatione.*

9. [*vers.* 4.] *Quoniam rectus est sermo Domini, et omnia opera ejus in fide.* In quo etiam displicet non rectis, rectus est ille. *Et omnia opera ejus in fide.* Tua sint opera in fide, quia justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17), et fides per dilectionem operatur (*Gal.* v, 6): tua sint opera in fide, quia in Deum credendo fidelis efficeris. Opera Dei quomodo possunt esse in fide, quasi et Deus ex fide vivat? Invenimus et Deum fidelem, et hoc non verbis nostris dicitur, Apostolum audi: *Fidelis, inquit, Deus qui vos non permittat tentari supra quam potestis ferre, sed faciat cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere* (I *Cor.* x, 13). Audistis fidelem Deum, audite et alibi: *Si tolerabimus, et conregnabimus; si negaverimus, et ipse nos negabit; si non credimus, ille fidelis permanet, negare semetipsum non potest* (II *Tim.* II, 12, 13). Habemus ergo et fidelem Deum: distinguamus potius fidelem Deum a fideli homine. Fidelis homo est credens promittenti Deo; fidelis Deus est exhibens quod promisit homini. Teneamus fidelissimum debitorem, quia tenemus misericordissimum promissorem. Neque enim aliquid ei mutuum commodavimus, ut debitorem teneamus; cum ab illo habeamus quidquid illi offerimus, et ex illo sit quidquid boni sumus. Omnia bona [1] quibus gaudemus, ab illo sunt. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit; aut quis prior dedit ei, et retribuetur illi? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (*Rom.* XI, 34-36). Ergo non ei aliquid dedimus; et tenemus debitorem. Unde debitorem? Quia promissor est. Non dicimus Deo, Domine, redde quod accepisti; sed, Redde quod promisisti. *Quoniam rectus est sermo Domini.* Quid est, *rectus est sermo Domini?* Non te fallit, tu eum noli fallere: imo tu te noli fallere. Quis enim fallit omnia scientem? Sed mentita est iniquitas sibi (*Psal.* XXVI, 12). *Quoniam rectus est sermo Domini, et omnia opera ejus in fide.*

10. [*vers.* 5.] *Diligit misericordiam et judicium.* Fac ista, quia facit. Intendite ipsam misericordiam et judicium. Misericordiæ tempus modo est, judicii tempus post erit. Unde est misericordiæ tempus? Vocat modo aversos, donat peccata conversis: patiens est super peccatores, donec convertantur: quandocumque conversi fuerint, præterita obliviscitur, futura promittit: hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adjuvat dimicantes: neminem deserit laborantem et exclamantem [2] ad se: donat unde sibi sacrificetur, ipse tribuit unde placetur. Magnum misericordiæ tempus non transeat, fratres, non nos transeat. Venturum est judicium: erit et tunc pœnitentia, sed jam infructuosa. *Dicent intra se pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes*, certe ista scripta sunt in libro Sapientiæ, *Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam umbra* (*Sap.* v, 3, 8, 9). Modo dicamus, Transeunt omnia tanquam umbra. Modo fructuose dicamus, Transeunt: ne tunc dicamus infructuose, *Transierunt.* Hoc est ergo tempus misericordiæ, erit et judicii.

11. Ne putetis autem, fratres, quia ista a se possunt in Deo aliquo modo separari. Videntur enim sibi aliquando contraria, ut qui misericors est, non servet judicium; et qui judicii tenax est, obliviscatur misericordiam. Omnipotens est Deus, nec in misericordia amittit judicium, nec in judicio misericordiam. Mise-

[1] Sic aliquot Mss. Alii, *si vis aliquam instructionem musicæ*, etc. Edd. vero: *si vis aliqua instructione musicæ artis cantare, trepidas ne*, etc.
[2] In plerisque Mss., *afferat Deo.*
[3] Edd., *quod canitur ore Deo.* At Mss. aliqui, *quod canitur Deo*, prætermissa voce, *ore.* Alii autem, *quod canitur ore*, vel, *quod canitur corde*, non addito, *Deo.* Nonnulli etiam loco verbi, *explicare*, habent, *explicari.*
[4] Vox, *jubilum*, abest ab omnibus Mss.

[1] Omnes prope Mss., *dona.*
[2] Vatic. MS., *et inhiantem ad se.*

retur enim, considerat imaginem suam, fragilitatem nostram, errorem nostrum, cæcitatem nostram, et vocat: et conversis ad se donat peccata, non conversis non donat. Misericors est injustis? Numquid et [1] judicium amisit, aut non debuit judicare inter conversos et non conversos? An vobis justum videtur, ut conversus et non conversus æqualiter habeantur; ut eo modo suscipiatur confitens et mentiens, humilis et superbus? Ergo habet et judicium in ipsa misericordia. Rursus in illo judicio habebit et misericordiam, in eos utique quibus dicturus est: *Esurivi, et dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV, 35). Etenim dicitur in quadam Epistola apostolica: *Judicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam* (*Jacobi* II, 13). *Beati*, inquit, *misericordes, quoniam ipsorum miserebitur* (*Matth.* V, 7). Ergo in illo judicio erit et misericordia, sed non sine judicio. Si enim non in quemlibet, sed in eum erit misericordia, qui prærogavit misericordiam; et ipsa misericordia justa erit, quia confusa non erit. Misericordia est certe ut dimittantur peccata, misericordia est ut tribuatur vita æterna: vide ibi judicium, *Dimittite, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis* (*Luc.* VI, 37, 38). Certe, *dabitur vobis*, et *dimittetur vobis*, misericordia est. Si inde recessisset judicium [2], non diceret: *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis* (*Matth.* VII, 2).

12. Audisti quemadmodum exhibeat Deus misericordiam et judicium; exhibe et tu misericordiam et judicium. An forte ad Deum pertinent ista, ad hominem non pertinent? Si ad hominem non pertinerent, non diceret Dominus Pharisæis: *Reliquistis graviora Legis, misericordiam et judicium* (*Id.* XXIII, 23). Ergo pertinent ad te misericordia et judicium. Ne putes quod ad te misericordia pertineat, judicium autem non ad te pertineat. Aliquando audis causam inter duos, quorum duorum unus est dives, et alius pauper; et contingit ut pauper habeat causam malam, dives autem bonam: jam si tu non es eruditus in regno Dei, videris tibi bene facere, si quasi pauperem miseratus, abscondas et contegas iniquitatem illius, et velis eum justificare, ut quasi causam bonam habere videatur: et si reprehensus fueris quod male judicasti, quasi de misericordia respondes: Novi, et ego scio; sed pauper erat, misericordia ei debebatur. Quomodo tenuisti misericordiam, et perdidisti judicium? Et quomodo, inquis, si tenerem judicium, non amitterem misericordiam? Pronuntiarem adversus pauperem, qui unde redderet non haberet; aut si haberet, cum reddidisset unde postea viveret non inveniret? Ait tibi Deus tuus: *Ne accipias personam pauperis in judicio* (*Exod.* XXIII, 3). Cæterum facile est ut admoneamur personam divitis non accipere; hoc omnis homo videt, atque utinam sic omnis homo faceret! illud est ubi fallitur, veluti qui vult placere Deo, si personam pauperis in judicio accipiat, et dicat Deo: Favi pauperi. Imo teneres utrumque, et misericordiam et judicium. Primo, qualem misericordiam fecisti in eum, cujus iniquitati favisti? Ecce sacculo pepercisti, cor percussisti: pauper iste iniquus remansit; et tanto iniquior, quanto te quasi hominem justum favere vidit iniquitati suæ. A te recessit injuste adjutus, Deo remansit [1] juste damnandus. Qualem misericordiam præbuisti ei, quem injustum fecisti? Ecce crudelior inveniris quam misericordior. Quid ergo, inquis, facerem? Judicares primo secundum causam, argueres pauperem, flecteres divitem. Alius est judicandi, alius petendi locus. Quando te ille dives videret tenuisse justitiam, non erexisse iniqui pauperis cervicem, sed pro merito peccati sui objurgasse te juste, nonne flecteretur ille ad misericordiam petente te, qui lætus redditus erat judicante te? Quamvis ergo, fratres, Psalmi plura restent, consulendum est tamen viribus et animæ et corporis propter varietatem audientium: quia et cum reficimur [2] ex eodem tritico velut multi sapores nobis fiunt, ad detergenda fastidia: hæc vobis sufficiant.

SERMO II.

De altera parte Psalmi.

1. Et in annuntiando et in audiendo verbo veritatis, labor est. Quem laborem, fratres, æquo animo toleramus, si sententiæ dominicæ et conditionis nostræ meminerimus. Ab ipso enim nostri generis exordio audivit homo, non ab homine fallace, nec a diabolo seductore, sed ab ipsa veritate ex ore Dei, *In sudore vultus tui edes panem tuum* (*Genes.* III, 19). Proinde si panis noster est verbum Dei, sudemus in audiendo, ne moriamur in jejunando. Psalmi hujus primarum partium pauci versus Vigiliarum nuper actarum (*a*) solemnitate tractati sunt: quod restat audiamus.

2. [*vers.* 5, 6.] Hinc autem incipit pars quæ restat, quod modo cantavimus. *Misericordia Domini plena est terra. Verbo Domini cœli firmati sunt.* Idipsum est enim, Sermone Domini cœli solidati sunt. Dixerat superius, *Bene canite ei in jubilatione*, id est, ineffabiliter canite: *Quoniam rectus est sermo Domini, et omnia opera ejus in fide.* Nihil promittit et non reddit: fidelis ille factus est debitor, esto tu avarus exactor. Deinde cum dixisset, *Omnia opera ejus in fide*; adjunxit quare: *Diligit misericordiam et judicium.* Qui ergo misericordiam diligit, miseretur. Qui autem miseretur, potest promittere et non dare, qui [3] posset dare etiamsi non promitteret? Ergo quia diligit misericordiam, oportet ut exhibeat quod promittit: et quia diligit judicium, oportet ut exigat quod dedit. Unde ipse Dominus dicit cuidam servo: *Dares tu pecuniam meam, et ego veniens cum usuris exigerem* (*Luc.*

[1] Ita plerique Mss. Alii vero pauciores: *Misericors est in istos? Numquid aut judicium.* At Edd.: *Misericors est et justus. Numquid autem judicium.*

[2] Edd., *si inde recessisset a judicio.* Mss., *recessisset judicium.*

[1] Sic Mss. Edd. vero: *A te remansit injuste adjutus, a Deo recessit juste damnandus.*

[2] Plures Mss., *propter varietatem audiendi, qua reficimur, cum ex eodem tritico*, etc. Præterea sermonem finiunt addita clausula, *Conversi ad Dominum.*

[3] Edd. Fr. et Lov.: *Qui autem miseretur, non potest promittere et non dare; quia posset dare etiamsi non promitteret.* Nos hic sequimur Mss.

(*a*) In ecclesia S. Cypriani.

xix, 23). Quod ideo monemus, ut sciamus quod modo audivimus. Ipse enim dicit alio loco in Evangelio: *Ego non judico quemquam: sermo quem locutus sum eis, ipse judicabit eos in novissimo die* (*Joan*. viii, 15; xii, 48). Nec se excuset, qui audire non vult ne quasi [1] sit quod ab illo exigatur. Idipsum enim exigitur, quia noluit accipere cum daretur. Aliud est enim non posse accipere, aliud nolle: illic excusatio necessitatis est, hic reatus voluntatis. Ergo, *omnia opera ejus in fide: diligit misericordiam et judicium*. Accipite misericordiam, et timete judicium; ne ille cum venerit ut exigat nos, sic nos exigat ut inanes dimittat. Exigit enim rationem; reddita ratione, donat æternitatem. Accipite ergo misericordiam, fratres, accipiamus omnes. Nemo nostrum in accipiendo dormiat, ne ad reddendum male [2] excitetur. Accipite misericordiam: sic ad nos clamat Deus, tanquam si tempore famis diceretur, Accipite frumentum. Quod cum audires tempore famis, profecto ipso stimulo necessitatis concitus curreres, versans te hac atque illac, quæreres unde acciperes quod dictum est, Accipite. Et cum invenires [3], quando te teneres? quam moram interponeres? Sic et nunc dictum est, Accipite misericordiam. *Diligit* enim *misericordiam et judicium*. Cum acceperis, bene utere; ut bonam rationem reddas, cum judicium venerit ejus qui tibi modo prærogat in ista fame misericordiam.

3. [*vers*. 5.] Nolo ergo mihi dicas, Unde accipio? quo eo? Recordare quod cantasti, *Misericordia Domini plena est terra*. Ubi jam non Evangelium prædicatur? ubi sermo Domini tacet? ubi salus cessat? Opus est ut velis accipere: plena sunt horrea. Hæc ipsa plenitudo et abundantia non te venientem exspectaverunt, sed ad dormientem ipsa venerunt. Non dictum est, Surgant gentes, et eant ad unum locum: sed annuntiata sunt ista gentibus ubi erant, ut adimpleretur exinde prophetia dicens: *Adorabit eum unusquisque de loco suo* (*Soph*. ii, 11).

4. [*vers*. 6.] *Misericordia Domini plena est terra*. Quid cœli? Audi quid cœli. Non enim indigent misericordia, ubi nulla est miseria. In terra abundat hominis miseria, superabundat Domini misericordia: miseria hominis plena est terra, et misericordia Domini plena est terra. Cœli ergo, ubi nulla est miseria, numquid quia non indigent misericordia, non indigent Domino? Omnia indigent Domino, et misera et felicia. Sine illo miser non sublevatur, sine illo felix non regitur [4]. Ergo, ne forte de cœlis quæreres, cum audires, *Misericordia Domini plena est terra*, audi quia Domino et cœli indigent; *Sermone Domini cœli solidati sunt*. Nam non a se sibi solidamentum fuerunt, nec ipsi cœli firmitatem sibi propriam præstiterunt. *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Non habuerunt aliquid ex se, et tanquam supplementum a Domino perceperunt. *Spiritu* enim *oris ejus* non pars, sed *omnis virtus eorum*.

5. Sane, fratres, videte eadem opera Filii et Spiritus sancti. Non enim negligenter prætereundum est, propter quosdam iniquos discretores et turbulentos confusores. Utrumque enim male fit. Confundunt illi, male discernendo, creaturam cum Creatore; et cum sit creator Spiritus Dei, inter creaturas eum numerant. Illi discernunt, et confundunt: confundantur, ut convertantur. Audi modo unum opus Filii et Spiritus sancti. Verbum certe Dei Filius est, et Spiritus oris ejus Spiritus sanctus est. *Verbo Domini cœli solidati sunt*. Quid est autem solidatos esse, nisi habere stabilem et firmam virtutem? *Et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*. Posset et sic dici, Spiritu oris ejus cœli solidati sunt, et Verbo Domini omnis virtus eorum. Quod est enim *omnis virtus eorum*, hoc est *solidati sunt*. Hoc ergo facit Filius et Spiritus sanctus. Numquid sine Patre? Quis ergo facit per Verbum suum et Spiritum suum, nisi cujus Verbum est, et cujus Spiritus? Trinitas ergo hæc unus Deus. Hunc adorat qui novit adorare, hunc ubique habet qui [1] se converterit. Non enim quæritur ab aversis; sed ipse vocat aversos, ut impleat conversos.

6. Sane, fratres, exceptis illis cœlis superioribus ignotis nobis in terra laborantibus, et per humanas conjecturas utcumque ista quærentibus; exceptis ergo illis cœlis, qui quomodo sint super invicem vel quot sint, vel quibus modis distincti sint, quibus incolis impleti sint, qua dispositione regantur, quomodo ibi unus quidam hymnus indeficiens concinens ab omnibus prædicet Deum [2], multum est ad nos invenire, satagimus tamen pervenire. Ibi est enim patria nostra, quam longa fortasse peregrinatione obliti sumus. Vox enim nostra est in illo psalmo: *Heu me, quoniam peregrinatio mea longinqua facta est* (*Psal*. cxix, 5)! Ergo de illis cœlis et mihi difficile est disputare, si tamen non impossibile, et vobis intelligere. Certe qui me in his rebus intellectu prævenit, fruatur quo præcessit, et oret pro me ut sequar ego. Interim exceptis illis cœlis, habeo de quibus hic utcumque disseram, nobis proximos cœlos sanctos Dei Apostolos, prædicatores verbi veritatis, per quos cœlos compluti sumus, ut per totum mundum seges Ecclesiæ pullularet; etsi cum zizaniis interim communem bibens pluviam, sed tamen horreum non habitura commune.

7. Ergo cum dictum esset, *Misericordia Domini plena est terra*: quasi quæreres, Unde impleta est terra misericordia Domini? Prius missi sunt cœli, qui misericordiam Domini spargerent super terram, et hoc super totam terram. Nam vide quid de ipsis cœlis alibi dicitur: *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*. Quod cœli, hoc firmamentum. *Dies diei eructat verbum, et nox nocti annuntiat scientiam*. Non cessatur, non tacetur. Sed ubi prædicaverunt, et quousque pervenerunt? *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur*

[1] In Edd., *ne quasi non sit*. Abest particula, *non*, a Mss.
[2] Er. et Lov., *malum*. At Am. et Mss., *male*.
[3] Edd.: *Et cum venires*. At plures Mss., *invenires*.
[4] Reg. et Vatic. Mss., *sine illo felix non erigitur*. Alii quinque: *sine illo felix eget*.

[1] Sic Mss. At Edd., *quo se converterit*.
[2] Mss. Reg. et Vatic., *præcinetur Deo*.

voces eorum. Sed hoc pertinet ad id quia omnium linguis locuti sunt in uno loco (*Act.* II, 4). Omnium linguis locuti, impleverunt quod dictum est, *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Sed quæro, ipsa vox in omnibus linguis quousque pervenerit, quæ impleverit. Audi ergo quod sequitur: *In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 2-5). Quorum, nisi cœlorum qui enarrant gloriam Dei? Ergo si in omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum, quid prædicaverint nobis, indicet nobis qui illos misit. Indicat plane, fideliter indicat: quia et antequam fierent prædixit futura, ille cujus omnia opera in fide. Resurrexit enim a mortuis, et contrectatis membris suis agnitus a [1] discipulis suis ait: *Oportebat pati Christum, et resurgere a mortuis tertio die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum.* Unde, et quousque? *Per omnes gentes*, ait, *incipientibus ab Jerusalem* (*Luc.* XXIV, 46, 47). Quam misericordiam vero omnes exspectamus, fratres, uberiorem a Domino, nisi ut peccata nostra dimittantur? Cum ergo ea sit magna misericordia Domini, remissio peccatorum, et hanc remissionem peccatorum prædixit Dominus prædicari per omnes gentes, *Misericordia Domini plena est terra.* Unde plena est terra? Misericordia Domini. Quare? Quia ubique dimittit peccata Deus, quia misit cœlos qui terram compluerent.

8. Et quomodo ausi sunt ipsi cœli ire cum fiducia, ex hominibus infirmis cœli fieri, nisi quia *Verbo Domini cœli solidati sunt?* Unde enim haberent tantam virtutem oves inter lupos, nisi quia *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum? Ecce*, inquit, *mitto vos sicut oves in medio luporum* (*Matth.* X, 16). O Domine misericordissime! Certe hoc facis, ut misericordia tua plena sit terra. Si ergo ita es misericors, ut impleas terram misericordia, vide quos mittis, vide quo mittis. Quo, inquam, mittis, et quos mittis? Oves in medium luporum. Unus lupus si mittatur in medium innumerabilium ovium, quis ei resistit? Quid non conturbat, nisi forte quia cito satiatur? Nam omnia devoraret. Mittis infirmos inter sævos? Mitto, inquit, quia cœli fiunt, ut terram compluant. Unde cœli homines infirmi? Sed *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Ecce lupi tenebunt vos, et tradent vos, et offerent potestatibus propter nomen meum. Jam vos armate vos. Virtute vestra? Absit. *Nolite cogitare quid loquamini: non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Ibid.* 19, 20): quia *Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

9. Facta sunt hæc; missi sunt Apostoli, pertulerunt pressuras. Numquid modo tantas ferimus ut audiamus hæc, quantas illi ut seminarent hæc? Non. Erit ergo, fratres, infructuosus labor noster? Non. Video constipationem vestram, sed et vos videtis sudorem nostrum. Si toleramus, et conregnabimus (II *Tim.* II, 12). Ecce facta sunt illa. Ex illis ovibus missis in medium luporum et memorias martyrum celebramus. Locus iste, quando martyris beati (*a*) corpus percussum est, lupis plenus erat: vicit tot lupos una ovis capta, et implevit locum ovibus ovis occisa. Sæviebat tunc mare ingentibus persequentium fluctibus, ibat in aridam sitientem cœlum Dei. Modo autem per illa quæ illi passi sunt, qui aciem ruperunt, glorificatum est nomen Christi: occupavit etiam ipsas potestates ambulans super capita tumentium gurgitum. Et quia ista facta sunt, modo etiam qui vident, nondum credentes, conventicula nostra, celebrationes, solemnitates, laudes jam manifestas et publicas Dei nostri, putatis eos non dolere, putatis non fremere? Sed nunc impletur quod de illis dictum est: *Peccator videbit, et irascetur.* Quid ergo, quia irascetur? Ne timeas, ovis, lupum. Modo minas eorum et fremitus non timeatis. Irascitur: sed quid sequitur? *Dentibus suis frendet et tabescet* (*Psal.* CXI, 10).

10. [*vers.* 7-9.] Quia ergo modo salsa maris aqua, quæ remansit, in Christianos sævire non audet, occultum autem murmur rodit [1] in se, et intra mortalem pellem fremit conclusa salsugo; videte quid sequitur: *Congregans sicut in utrem aquas maris.* Cum ergo antea mare liberis fluctibus sæviebat, modo autem intra mortalia pectora inclusum amarum est, ille fecit qui in illis vicit, qui posuit tunc mari terminos, ut in se remeantes comminuerentur fluctus ejus. Ipse congregavit velut in utrem aquam maris: mortalis pellis contegit amaram cogitationem. Timentes enim pelli suæ, intus tenent quod non audent emittere. Nam eadem est amaritudo: sic oderunt, sic detestantur. Sed quod tunc aperte sæviebat, nunc occulte; quid aliud dicam quam quod dictum est, *Frendet, et tabescet?* Eat ergo Ecclesia, ambulet: facta est via, strata (*b*) nostra ab imperatore munita est. Ferveamus in itineribus bonorum operum, hoc est enim ambulare nostrum. Et si quando existunt tentationum pressuræ unde non sperabatur, jam congregatis velut in utrem aquis maris, intelligamus Dominum facere hoc ad disciplinam, ut excutiat a nobis male præfidentem [2] de temporalibus securitatem, et dirigat nos in regnum suum composito desiderio. Quod desiderium tribulationibus hinc atque hinc contundentibus producitur, ut simus canori auribus Domini tanquam tubæ ductiles. Dictum est enim et hoc in Psalmis, ut in tubis ductilibus laudemus Deum (*Psal.* XCVII, 6). Tuba ductilis malleo producitur, ita christianum cor in Deum pressurarum plagis extenditur.

11. Meminerimus ergo, fratres, jam his temporibus, quibus congregata est velut in utrem aqua maris, non deesse Deo unde proferat quo nos emendet; cum emendatione nobis opus est. Ideo enim sequitur: *Ponens in thesauris abyssos.* Thesauros Dei dicit secretum Dei. Novit ille omnium corda, quid ad tempus proferat, unde proferat, quantam potestatem tribuat

[1] Mss., *agnitus discipulis suis.*

[1] Edd., *rugit.* At Mss., *rodit.*
[2] Sic aliquot Mss. Edd. vero, *providentem.*
(*a*) Cypriani.
(*b*) Strata dicta est via publica *lapidibus*, seu *silice munita.*

malis in bonos, ad judicandos quidem malos, erudiendos autem bonos. Novit quomodo hæc agat, qui posuit in thesauris abyssos. Fiat ergo quod sequitur: *Timeat Dominum omnis terra.* Non glorietur superba lætitia temeraria exsultatione, dicens: Jam congregata est velut in utrem aqua maris; quis mihi aliquid faciet? quis nocere audebit? Nescis quia posuit ille in thesauris abyssos, nescis unde proferat quod opus est ad flagellandum te pater tuus? Qui quidem in disciplinam tuam habet abyssi thesauros, quibus te erudiat ad thesauros cœlorum. Ergo redi ad timorem, qui jam ibas in securitatem. Exsultet terra, sed et timeat. Exsultet: quare? Quia misericordia Domini plena est terra. Timeat: quare? Quia sic congregavit in utrem aquas maris, ut poneret in thesauris abyssos. Fit ergo in illa quod alibi breviter utrumque dicitur: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11).

12. *Timeat Dominum omnis terra: ab ipso autem commoveantur omnes qui inhabitant orbem terræ.* Non timeant alterum pro illo: *ab ipso commoveantur omnes qui inhabitant orbem terræ.* Fera sævit? Deum time. Serpens insidiatur? Deum time. Homo te odit? Deum time. Diabolus te impugnat? Deum time. Tota enim creatura sub illo est quem juberis timere. *Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.* Hoc in Psalmo sequitur. Cum enim dixisset, *Ab ipso commoveantur omnes qui inhabitant orbem terræ:* ne converteret se homo ad timendum aliquid aliud, et aversus a timore Dei, timeret pro illo aliquam creaturam, et adoraret quod factum est, dimisso qui fecit; confirmavit nos in timore Dei tanquam dicens nobis, et alloquens nos: Quid formidaturus es aliquid de cœlo, aliquid de terra, aliquid de mari? *Ipse dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt.* Qui dixit et facta sunt, mandavit et creata sunt, cum jubet moventur, cum jubet quiescunt. Et malitia hominum [1] cupiditatem nocendi potest habere propriam: potestatem autem si ille non dat, non habet. *Non est enim potestas nisi a Deo* (*Rom.* XIII, 1): definitiva sententia Apostoli est. Non dixit, Non est cupiditas nisi a Deo. Est enim mala cupiditas, quæ non est a Deo: sed quia ipsa mala cupiditas nulli nocet, si ille non permittat, *Non est*, inquit, *potestas nisi a Deo.* Unde Deus homo stans ante hominem, *Non haberes*, inquit, *in me potestatem, nisi data fuisset tibi desuper* (*Joan.* XIX, 11). Ille judicabat, ille docebat: cum judicabatur, docebat, ut judicaret quos docuerat: *Non haberes*, inquit, *in me potestatem, nisi esset data tibi desuper.* Quid hoc? Homo tantum non habet potestatem, nisi cum acceperit desuper? Quid ipse diabolus, ausus est vel unam oviculam tollere viro sancto Job, nisi prius diceret, *Mitte manum tuam*, hoc est, da potestatem? Ille volebat, sed ille non sinebat; quando ille permisit, ille potuit: non ergo ille potuit, sed qui permisit. Ideo bene eruditus ipse Job, non ait, sicut jam commemorare vobis solemus, Dominus dedit et diabolus abstulit; sed, *Dominus dedit, et Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est* (*Job* I. 11, 21); non, sicut diabolo placuit. Videte ergo, fratres mei, cum tanto labore manducantes salubrem et utilem panem, videte ne quemquam timeatis nisi Dominum. Præter eum ne timeas alium, Scriptura tibi dicit. Proinde timeat Dominum omnis terra, qui posuit in thesauris suis abyssos. Ab ipso autem commoveantur omnes qui habitant orbem terræ. *Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.*

13. [*vers.* 10.] Sed jam cessaverunt reges mali, facti sunt boni: crediderunt [1] et ipsi, signum crucis Christi in fronte jam portant pretiosius signum qualibet gemma diadematis: illi qui sævierunt, destructi sunt. Sed quis fecit hoc? Forte tu, ut extollas te? *Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.* Quando dixerunt: Tollamus eos de terra, non erit nomen christianum si hoc fecerimus: sic occidantur, sic torqueantur, talia et talia illis infligantur. Dicta sunt hæc, et inter hæc crevit Ecclesia. *Reprobat cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.*

14. [*vers.* 11.] *Consilium vero Domini manet in æternum, cogitationes cordis ejus in sæcula sæculorum.* Repetitio sententiæ est. Quod ante ait *consilium*, hoc ait postea *cogitationes cordis:* et quod supra ait *manet in æternum*, hoc ait postea *in sæcula sæculorum.* Repetitio, confirmatio est. Ne autem putetis, fratres, quia dixit *cogitationes cordis*, quasi sedere Deum, et cogitare quid agat, et exquirere consilium faciendi aliquid vel non faciendi. Tuæ sunt istæ, o homo, tarditates: usque in velocitatem currit verbum ejus. Quando potest mora esse cogitationis in illo verbo, quod unum est, et omnia complectitur? Sed dicuntur cogitationes Dei, ut tu intelligas, ut secundum te audeas erigere cor vel ad verba tuæ infirmitati similia: quia res ipsa multum est ad te. *Cogitationes cordis ejus in sæcula sæculorum.* Quæ sunt cogitationes cordis ejus, et quod est consilium Domini quod manet in æternum? Contra quod consilium utquid fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania (*Psal.* II, 1)? Quando quidem Dominus reprobat cogitationes populorum, et reprobat consilia principum. Unde igitur consilium Domini manet in æternum, nisi de nobis ante præscivit et prædestinavit (*Ephes.* I, 4)? Quis tollit prædestinationem Dei? Ante mundi constitutionem vidit nos, fecit nos, emendavit nos, misit ad nos, redemit nos: hoc ejus consilium manet in æternum, hæc ejus cogitatio manet in sæcula sæculorum. Fremuerunt gentes tunc aperte fluctuantes et sævientes, contabescant nunc tanquam inclusæ et congregatæ in utrem: habuerunt liberas audacias, habeant truces et amaras cogitationes. Quando possunt destruere quod ille cogitavit, et manet in æternum?

15. [*vers.* 12.] Quid est autem hoc? *Beata gens*

[1] Er. et Lov.: *Conquiescit et malitia hominum, cupiditas hominum. Cupiditatem nocendi potest homo habere propriam.* Nos hic Mss. lectionem substituimus.

[1] In Mss., *cesserunt.*

Quis est qui non hoc audito erigat se? Amant enim omnes beatitudinem: et ideo perversi sunt homines quia mali volunt esse, miseri nolunt: et cum sit malitiæ individua comes miseria, isti perversi non solum mali esse volunt, et miseri nolunt quod fieri non potest; sed ideo volunt mali esse, ne miseri sint. Quid est hoc quod dixi: Ideo volunt mali esse, ne miseri sint? Considerate hoc paululum in omnibus hominibus qui mala faciunt, beati semper esse volunt. Furtum facit: quæris, quare? Propter famem, propter necessitatem. Ergo ne miser sit, malus est; et ideo miserior est, quia malus est. Depellendæ ergo miseriæ causa, et acquirendæ beatitudinis causa, faciunt omnes homines quidquid vel boni faciunt vel mali: semper ergo beati esse volunt. Sive male viventes, sive bene viventes, beati esse volunt: et non contingit omnibus quod omnes esse volunt. Omnes enim beati esse volunt, non autem erunt nisi illi qui justi esse voluerint. Et ecce nescio quis ut male faciat beatus vult esse. Unde? Ex pecunia, ex argento et auro, ex prædiis, fundis, domibus, mancipiis, pompa sæculi, honore volatico et perituro. Habendo aliquid volunt beati esse: quære ergo quid habeas, ut beatus sis. Cum enim beatus fueris, melior utique eris, quam cum miser es. Fieri autem non potest ut res deterior te faciat meliorem. Homo es, deterius te est quidquid cupis, quo beatus esse desideras. Aurum, argentum, quælibet corpora, quibus inhias acquirendis, possidendis, fruendis, inferiora sunt te. Tu melior, es tu potior [1] es: et utique vis melior esse quam es, cum beatus esse vis, quia miser es. Melius est enim utique beatum esse, quam miserum. Vis esse melior te: et quæris, perquiris per quæ id fiat, deteriora te. Quidquid quæsieris in terra, deterius est quam tu. Hoc omnis homo optat amico suo, sic cum adjurat: Sic melior sis, sic meliorem te videamus, sic de te meliore gaudeamus. Quod amico optat, hoc et ipse vult. Accipe ergo fidele consilium. Melior te vis esse, novi, omnes novimus, omnes volumus: quære quod est melius te, ut inde efficiaris melior te.

16. Intuere nunc cœlum et terram: non tibi sic pulchra corpora placeant, ut eis fieri beatus velis. In animo est quod quæris. Beatus enim esse vis: ipso animo tuo quære quid sit melius. Cum enim duo sint quædam, hoc est, animus et corpus, eo quod istis duobus illud melius sit quod animus dicitur, potest corpus tuum melius fieri per meliorem, quia subjectum est corpus animo. Potest ergo melius fieri corpus tuum per animum tuum: ut cum fuerit justus animus tuus, sit postea immortale etiam corpus tuum. Per animi enim illuminationem meretur corpus incorruptionem, ut fiat inferioris reparatio per meliorem. Si ergo corporis tui bonum animus tuus est, quia corpore tuo melior est; cum quæris bonum tuum, illud quære quod melius est animo tuo. Quid est autem animus tuus? Attende, ne forte contemnens animum tuum, et putans nescio quid esse vile et abjectum, viliora quæras quibus beatificetur animus tuus. In animo tuo est imago Dei, mens hominis capit eam. Accepit eam, et inclinando se ad peccatum decoloravit [1] eam. Ipse ad eam venit reformator, qui erat ejus ante formator; quia per verbum facta sunt omnia, et per Verbum impressa est hæc imago. Venit ipsum Verbum, ut audiremus ab Apostolo, *Reformamini in novitate mentis vestræ* (*Rom.* XII, 2). Jam ergo superest, ut quæras quid sit melius quam animus tuus. Quid erit, obsecro, nisi Deus tuus? Non invenis aliud melius animo tuo; quia cum fuerit perfecta natura tua, Angelis æquabitur. Jam supra non est nisi Creator. Erige te ad illum, noli desperare, noli dicere, Multum est ad me. Magis multum est ad te habere forte aurum quod quæris. Aurum etsi volueris, forte non habebis; Deum cum volueris, habebis: quia et antequam velles venit ad te, et cum aversa voluntate esses vocavit te, et cum conversus esses terruit te, et cum territus confitereris [2] consolatus est te. Iste qui tibi præstitit omnia, iste qui fecit ut esses, qui cum his qui tecum sunt etiam malis præstat solem, præstat pluviam, præstat fructus, fontes, vitam, salutem, tantas consolationes, servat tibi aliquid quod non det nisi tibi. Quid est autem quod tibi servat, nisi se? Pete aliud, si melius inveneris: se tibi servat Deus. Avare, quid inhias cœlo et terræ? Melior est qui fecit cœlum et terram: ipsum visurus, ipsum habiturus [3] es. Quid quæris ut tua sit illa villa, et transiens per illam dicis: Beatus cujus est possessio ista? Hoc dicunt quam multi qui transeunt per illam: et tamen cum dixerint, et transeunt per illam, possunt caput agitare et suspirare, numquid et possidere? Sonat cupiditas, sonat iniquitas: sed non concupiscas rem proximi tui (*Deut.* v, 21). Beatus cujus est illa villa, cujus est domus ista, cujus est ager iste. Compesce iniquitatem, audi veritatem: *Beata gens cujus est*. Quid? Jam nostis quid dicturus sum. Ergo desiderate ut habeatis, tunc demum beati eritis. Hoc solo beati eritis: re meliore quam vos estis, meliores eritis. Deus est, inquam, melior te, qui fecit te. *Beata gens cujus est Dominus Deus eorum.* Hoc ama, hoc posside, hoc cum vis habebis, hoc gratis habebis.

17. *Beata gens cujus est Dominus Deus eorum.* Noster Deus! Cujus enim non est Deus? Non plane omnium eodem modo. Noster magis, noster qui vivimus de illo tanquam de pane nostro. Ipse sit hæreditas nostra, possessio nostra. An forte temere dicimus faciendo nobis Deum possessionem, cum sit Dominus, cum sit Creator? Non est ista temeritas: affectus est desiderii, et dulcedo spei. Dicat anima, omnino secura dicat: Deus meus es tu; qui dicit animæ nostræ: *Salus tua ego sum* (*Psal.* XXXIV, 3). Dicat, secura dicat: non faciet injuriam cum hoc dixerit; imo faciet si non dixerit. Arbores volebas habere quibus beatus esses? Audi Scripturam dicentem de sapientia: *Lignum vitæ est omnibus possidentibus eam.* Ecce possessionem nostram dixit esse sapientiam. Sed ne putes

[1] Sic novem Mss. Alii octo, *potentior.* At Edd., *fortior.*

[1] Aliquot Mss., *dedecoravit.*
[2] Quinque Mss., *contereretis.*
[3] Octodecim Mss., *bibiturus.*

ipsam sapientiam, quia possessionem tuam dixit Scriptura, aliquid esse quod sit te inferius, sequitur et adjungit : *Et incumbentibus in eam velut in Dominum, tuta*[1] (*Prov.* III, 18). Ecce Dominus tuus factus est tibi quasi baculus : securus homo incumbit, quia ille non succumbit. Dic ergo securus, possessio tua est, *possidentibus eam*. Scriptura dixit, implevit fiducia dubitationem[2] tuam : dic securus, ama securus, spera securus. Tua etiam illa verba sint in Psalmo, *Dominus pars hæreditatis meæ* (*Psal.* XV, 5).

18. Ergo inde beati erimus, Deum possidendo. Quid ergo? Nos possidebimus eum, et ille non nos possidebit? Unde ergo Isaias : *Domine, posside nos* (*Isai.* XXVI, 13, *sec.* LXX)? Possidet ergo, et possidetur, et totum propter nos. Non enim quomodo, ut nos ex illo beati simus, possidetur a nobis, ita et ille, ut beatus sit, possidet nos. Et possidet, et possidetur[3], non ob aliud nisi ut nos beati simus. Possidemus eum, et possidet nos; quia colimus eum et colit nos. Colimus eum tanquam Dominum Deum, colit nos tanquam terram suam. Quia colimus eum, nemo dubitat; quia colit nos, quis nobis indicat? Ille qui ait : *Ego sum vitis, vos estis sarmenta, Pater meus agricola est* (*Joan.* XV, 1, 5). Ecce et in isto psalmo utrumque nobis dicitur, utrumque nobis indicatur. Jam dixit quia possidemus eum : *Beata gens cujus est Dominus Deus eorum.* Cujus est fundus iste? Illius. Cujus ille? Illius[4]. Cujus est iste? Dicamus de Deo, dicamus cujus est. Et quomodo nobis solet responderi, quando de fundis et de prædiis aliquibus amplis atque amœnissimis quærimus : Est quidam senator, et illud aut illud vocatur, cujus est ista possessio : et dicimus, Beatus ille homo. Sic si quæramus, Cujus est Deus iste? Est quædam beata gens cujus est : nam Dominus Deus eorum est. Et non sicut senator ille possidet fundum suum, non autem possidetur a fundo suo, sic et Deus gentis hujus. Unde ut ejus simus, laborare debemus : sed alterutrum se possident. Audistis quia gens possidet eum : *Beata gens, cujus est Dominus Deus eorum.* Audite quia et ille possidet illam : *Populus quem elegit Dominus in hæreditatem sibi.* Beata gens possessione sua, beata hæreditas possessore suo, *populus quem elegit Dominus in hæreditatem sibi.*

19. [*vers.* 13.] *De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum.* Omnes hic ita accipe, ut gentis[5] illius omnes intelligas illam hæreditatem tenentes, vel illam hæreditatem existentes. Hæreditas est enim Dei ipsi omnes. Et ipsos[6] omnes de cœlo respexit Dominus, et vidit eos ille qui ait : *Cum esses sub arbore fici, vidi te* (*Id.* I, 48). Vidit enim eum quia miseratus est eum. Unde plerumque rogantes misericordiam[1], dicimus homini, Vide me. Et de illo qui te contemnit quid dicis? Non me videt. Est ergo quædam visio miserantis[2], non visio punientis. Illa visio ad peccata animadversio est : quæ ille peccata non vult videri, qui dicit : *Averte faciem tuam a peccatis meis* (*Psal.* L, 11). Quod vult ignosci, non vult agnosci : *Averte*, inquit, *faciem tuam a peccatis meis.* Cum ergo averterit faciem suam a peccatis tuis, non videbit te? Et unde alibi dicit : *Ne avertas faciem tuam a me* (*Psal.* XXVI, 9)? Ergo avertat a peccatis tuis, non avertat a te : videat te, misereatur tui, subveniat tibi. *De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum* : pertinentes ad Filium hominis.

20. [*vers.* 14.] *De præparato habitaculo suo :* quod sibi præparavit. Vidit nos de Apostolis, vidit nos de prædicatoribus veritatis, vidit nos de Angelis, quos ad nos misit. Hæc omnia domus ejus, hæc omnia habitaculum ejus : quia hæc omnia cœli qui enarrant gloriam Dei. *Vidit omnes filios hominum; de præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram.* Ipsi sunt, sui sunt[3], gens illa est beata, cujus est Dominus Deus eorum; populus ille est, quem elegit Dominus in hæreditatem sibi : quia per omnes terras est, et non est in parte. *Respexit super omnes qui habitant terram.*

21. [*vers.* 15.] *Qui finxit singillatim corda eorum.* Manu gratiæ suæ, manu misericordiæ suæ finxit corda, plasmavit corda nostra, finxit singillatim, singula quædam corda dans nobis, quæ tamen non dirimant unitatem. Quomodo singillatim membra formata sunt omnia, singillatim habent opera sua, et tamen in unitate corporis vivunt; manus facit quod oculus non facit, auris id valet quod nec oculus nec manus valet; omnia tamen in unitate operantur, et manus et oculus et auris diversa faciunt, nec sibi adversantur : sic et in Christi corpore singuli homines, tanquam membra singula donis suis gaudent, quia ille qui elegit populum in hæreditatem sibi, finxit singillatim corda eorum. *Numquid enim omnes apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes doctores? numquid omnes dona habent sanitatum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides secundum eumdem Spiritum, alteri dona curationum* (I *Cor.* XII, 8, 9, 29, 30). Quare? Quia finxit singillatim corda eorum. Quomodo autem in membris nostris diversa sunt opera, sed sanitas una : sic in omnibus membris Christi diversa munera, sed charitas una. *Qui finxit singillatim corda eorum.*

22. *Qui intelligit omnia opera eorum. Intelligit* quid est? Secretius et interius videt. Habes in psalmo : *Intellige clamorem meum* (*Psal.* V, 2). Non enim quasi vocibus opus est, ut perveniat aliquid ad aures Dei. Occultus visus intellectus vocatur. Expressius dixit, quam si diceret, Videt omnia opera eorum : ne tunc

[1] Edd., *in domo tuta*. Sed verius aliquot Mss., *in Domino tuta*, vel ut alii, *in Dominum tuta*, juxta Græc. LXX, *epi Kurion asphalès.*

[2] Sic omnes Mss., Edd. vero, *implevit fiduciam, removit dubitationem.*

[3] Edd., *et totum propter nos. Ut enim nos ex illo beati simus, possidetur a nobis : ut autem ille beatus sit non possidet nos. Et possidet et nos possidetur a nobis, non ob aliud*, etc.

[4] Mss. : *Cujus ille? Illius cujus est iste.*

[5] Edd., *gentes*. Melius Mss., *gentis.*

[6] Plures Mss., *ipsi omnes, et ipsius omnes.*

[1] Ita in Mss. At in Edd., *egentes misericordia.*

[2] Edd., *miserantis cordis*. Vox, *cordis*, abest a Mss.

[3] Sic Mss. At Edd. : *Ipsi sunt sui, sunt gens illa beata.*

putares videri opera ista, quando et tu vides opus hominis. Homo factum hominis moto ejus [1] corpore videt, Deus autem in corde videt. Quia ergo intus videt, dictum est, *intelligit omnia opera eorum*. Dant duo pauperibus; unus sibi mercedem quærit cœlestem, alius humanam laudem : tu in duobus unam rem vides, Deus duas intelligit; intus enim intelligit et intus agnoscit, fines ipsorum videt, intentiones ipsas videt. *Qui intelligit omnia opera eorum*.

23. [*vers*. 16.] *Non salvus fiet rex per multitudinem virtutis suæ*. Ad Dominum omnes, in Deo omnes. Spes tua [2] Deus sit, fortitudo tua Deus sit, firmitas tua Deus sit, exoratio [3] tua ipse sit, laus tua ipse sit, finis in quo requiescas ipse sit, adjutorium cum laboras ipse sit. Audi veritatem : *Non salvus fiet rex per multitudinem virtutis suæ : nec gigas salvus erit in multitudine fortitudinis suæ*. Gigas superbus aliquis est, extollens se adversus Deum, velut quia [4] est ipse aliquid in se et per se. Non fit iste salvus in multitudine virtutis suæ.

24. [*vers*. 17, 18.] Sed equum habet magnum, fortem, validum, velocem; potest si aliquid ingruerit, cito illum de periculo liberare? Non fallatur, audiat quod sequitur : *Mendax equus ad salutem*. Intellexistis quid dictum sit : *Mendax equus ad salutem?* Non tibi promittat equus tuus salutem : si tibi promiserit, mentietur. Si enim Deus voluerit, liberaberis : si Deus noluerit, cadente equo altius cades. Non ergo putetis dictum, *Mendax equus ad salutem*, quasi mendax justus ad salutem, quod velut justi ad salutem mentiantur. Non est enim scriptum *æquus*, quod ab æquitate dicitur; sed *equus*, animal quadrupes. Hoc græcus codex indicat (*a*). Et redarguuntur mala jumenta, homines qui sibi quærunt occasiones mendaciorum : cum Scriptura dicat, *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap*. I, 11); et; *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal*. v, 7). Quid est ergo, *Mendax equus ad salutem?* Mentitur tibi equus quando promittit salutem. Numquid equus alicui loquitur, et promittit salutem? Sed cum tu vides equum bene formatum, bonis viribus, magno cursu præditum, ista omnia velut promittunt tibi de illo salutem : sed fallunt, si Deus non tuetur, quia *Mendax equus ad salutem*. Equum accipe etiam figurate quamlibet amplitudinem sæculi hujus, quemlibet honorem in quem superbus ascendis : quo altius ingrederis, eo te non tantum celsiorem, sed etiam tutiorem falso putas. Quomodo enim te dejiciat nescis, tanto elisum gravius, quanto sublimius ferebaris. *Mendax equus ad salutem : in abundantia autem virtutis suæ non erit salvus*. Et unde erit salvus? Non de virtute, non de viribus, non de honore, non de gloria, non de equo. Et unde? Quo ibo? Ubi inveniam unde salvus sim? Noli diu quærere, noli longe. *Ecce oculi Domini super timentes eum*. Videtis quia ipsi sunt quos prospexit de habitaculo suo. *Ecce oculi Domini super timentes eum, sperantes super misericordiam ejus* : non de meritis suis, non de virtute, non de fortitudine, non de equo, sed de misericordia ejus.

25. [*vers*. 19.] *Ut eruat a morte animas eorum*. Vitam æternam promittit. Quid in ista peregrinatione? numquid deserit? Vide quid sequitur : *Et alat eos in fame*. Tempus famis est modo, tempus saturitatis post erit. Qui nos in fame hujus corruptionis non deserit, immortales factos quomodo satiabit? Sed quamdiu tempus est famis, tolerandum est, durandum est, perseverandum est usque in finem. Jam currenda sunt omnia, quia et via est plana, et cogitandum est quid portemus. Adhuc quidem spectatores in amphitheatro forte insaniunt, et in sole sedent : et nos si stamus, tamen in umbraculo sumus, et utiliora et pulchriora sunt quæ spectamus [1]. Spectemus pulchra, et a pulchro spectemur. Spectemus nos mente ea quæ dicuntur in sensibus divinarum Scripturarum, et gaudeamus tali spectaculo. Spectator autem noster quis est? *Ecce oculi Domini super timentes eum, sperantes in misericordia ejus : ut eruat a morte animas eorum, et alat eos in fame*.

26. [*vers*. 20.] Sed propter peregrinationis tolerantiam quamdiu fames est, et exspectamus in via refici [2], ne deficiamus; quid nobis imponitur [3], vel quid profiteri debemus? *Anima nostra patiens erit Domino*. Secura exspectabit misericorditer promittentem, misericorditer [4] et veraciter exhibentem : et donec exhibeat, quid agamus? *Anima nostra patiens erit Domino*. Sed quid, si in ipsa patientia non durabimus? Imo plane durabimus : *Quoniam adjutor et protector noster est*. Adjuvat in pugna, protegit ab æstu, non te deserit, tolera, dura. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth*. XXIV, 13).

27. [*vers*. 21.] Et quid cum perduraveris, cum patiens fueris, cum usque ad finem perveneris, quid tibi erit? Qua mercede toleras? utquid tanta dura tamdiu pateris? *Quoniam in ipso lætabitur cor nostrum, et in nomine sancto ejus speravimus*. Spera hic, ut læteris ibi : esuri et siti hic, ut epuleris ibi.

28. [*vers*. 22.] Hortatus est ad omnia, implevit nos gaudio spei, proposuit nobis quid amemus, in quo solo et de quo solo præsumamus : post hæc fit oratio brevis et salubris : *Fiat misericordia tua, Domine, super nos*. Et quo merito? *Sicut speravimus in te*. Fui quibusdam onerosus; sentio : quibusdam autem etiam cito terminavi sermonem; et hoc sentio : ignoscant infirmi fortioribus, et pro infirmis deprecentur fortiores. In uno corpore omnia membra simus, a capite nostro vegetemur : et in illo spes nostra est, et in illo fortitudo nostra est. Non dubi-

[1] Edd., *factum hominis motu ejus in corpore videt*. Aliquot Mss., *moto ejus corpore*.
[2] Vetus codex Colb. : *Ad Dominum omnis, in Deo omnis spes tua, Deus sit fortitudo tua*.
[3] In pluribus Mss., *exhortatio*.
[4] Aliquot Mss., *qui*.
(*a*) *Ippos*.

[1] Omnes prope Mss. constanter habent, *exspectemus* : necnon postea, *exspectemur*, *exspectaculo*, *exspectator*; loco, *spectemur*, *spectaculo*, *spectator*.
[2] Aliquot Mss., *reficientes*.
[3] Sic in Mss. At in Edd., *quamdiu fames est, exspectemus in via refici, ne deficiamus. Quid nobis imponit, vel quid*, etc.
[4] In pluribus Mss. deest hic, *misericorditer*.

(Dix.)

temus exigere de Domino Deo nostro misericordiam; vult omnino exigi se. Non enim turbabitur dum exigitur, aut omnino angustabitur, quomodo ille a quo petis quod non habet, aut quod parum habet, et timet dare ne minus habeat. Vis nosse quomodo tibi eroget Deus misericordiam? Tu eroga charitatem: videamus si finis, dum erogas. Quanta est ergo opulentia in ipsa summitate, si potest tanta esse in imagine?

29. Ergo, fratres, ad hanc maxime exhortamur vos charitatem, non solum in vos ipsos, sed in eos etiam qui foris sunt, sive adhuc pagani, nondum credentes in Christum, sive divisi a nobis, nobiscum caput confitentes et a corpore separati (a). Doleamus illos, fratres, tanquam fratres nostros. Velint nolint, fratres nostri sunt. Tunc esse desinent fratres nostri, si desierint dicere, *Pater noster* (*Matth.* VI, 9). Dixit de quibusdam propheta: *His qui dicunt vobis, Non estis fratres nostri; dicite, Fratres nostri estis* (*Isai.* LXVI, 5, *sec.* LXX). Circumspicite de quibus hoc dicere potuerit: numquid de Paganis? Non, neque enim dicimus eos fratres nostros secundum Scripturas et ecclesiasticum loquendi morem. Numquid de Judæis qui in Christum non crediderunt? Legite Apostolum, et videte quia fratres quando dicit Apostolus sine aliquo additamento, non vult intelligi nisi Christianos: *Non est autem subjectus*, inquit, *frater aut soror in hujusmodi* (I *Cor.* VII, 15): cum diceret de conjugio, fratrem et sororem dixit christianum vel christianam. Item dicit: *Tu autem quid judicas fratrem tuum, aut tu quid spernis fratrem tuum* (*Rom.* XIV, 10)? Et alio loco, *Vos*, inquit, *iniquitatem facitis et fraudatis, et hoc fratribus* (I *Cor.* VI, 8). Isti ergo qui dicunt, Non estis fratres nostri, paganos nos dicunt. Ideo enim et rebaptizare nos volunt, dicentes nos non habere quod dant. Unde consequens est error ipsorum, ut negent nos fratres suos esse. Sed quare nobis dixit propheta: *Vos dicite illis, Fratres nostri estis:* nisi quia nos in eis agnoscimus quod non repetimus? Illi ergo non agnoscendo baptismum nostrum, negant nos esse fratres: nos autem non repetendo ipsorum, sed agnoscendo nostrum, dicimus eis: *Fratres nostri estis.* Dicant illi: Quid nos quæritis, quid nos vultis? Respondeamus: *Fratres nostri estis.* Dicant: Ite a nobis, non vobiscum habemus rationem. Nos prorsus vobiscum rationem habemus: unum Christum confitemur, in uno corpore, sub uno capite esse debemus. Quid ergo me quæris, ait, si perii? Magna absurditas, magna vesania. Quid me quæris, si perii? Quare quærerem, nisi quia periisti? Si ergo perii, inquit, quomodo sum frater tuus? Ut dicatur mihi de te: *Frater tuus mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est* (*Luc.* XV, 32). Adjuramus ergo vos, fratres, per ipsa viscera charitatis, cujus lacte nutrimur, cujus pane solidamur, per Christum Dominum nostrum, per mansuetudinem ejus, adjuramus vos (tempus est enim ut impendamus in eos magnam charitatem, abundantem misericordiam in deprecando Deum pro illis, ut aliquando det illis sensum sobrium, ut resipiscant[1], et videant se, quia non habent omnino quod dicant contra veritatem: non eis remansit nisi sola infirmitas animositatis, quæ tanto est languidior, quanto se majores vires habere existimat) pro infirmis, pro carnaliter sapientibus, pro animalibus et carnalibus, tamen pro fratribus nostris, eadem sacramenta celebrantibus, etsi non nobiscum, eadem tamen; unum Amen respondentibus, etsi non nobiscum, unum tamen; medullas charitatis vestræ fundatis Deo pro eis[2]. Aliquid enim pro salute ipsorum egimus[3] in concilio, quod explicari vobis hodie jam tempus non sufficit. Unde exhortamur vos ut alacriores et numerosiores (audient enim a vobis fratres nostri qui nunc non adsunt) conveniatis crastino die ad basilicam Tricliarum[4].

(a) Donatistæ.

IN PSALMUM XXXIII
ENARRATIO.

SERMO I, HABITUS DIE SABBATI.

De titulo Psalmi.

1. Psalmus iste nihil quidem obscurum et quod expositore indigeat, videtur habere in textu suo: titulus autem ejus intentos facit, et pulsantes desiderat. Sed quemadmodum hic scriptum est, quia beatus vir qui sperat in eum: speremus omnes quod pulsantibus aperturus est. Non enim hortaretur nos ut pulsaremus, si nollet aperire pulsantibus (*Matth.* VII, 7). Si enim aliquando contingit, ut qui disponebat[5] semper claudere, tædio compulsus ad manum pulsantis contra dispositionem suam surgat et aperiat, ne diu pulsantem patiatur (*Luc.* XI, 8): quanto magis sperare debemus citius aperturum illum qui ait: *Pulsate, et aperietur vobis?* Pulso ego nunc intentione cordis ad Dominum Deum, ut dignetur nobis hoc mysterium revelare: pulset mecum et Charitas Vestra intentione audiendi, et humilitate orandi pro nobis. Est enim, quod fatendum est, arcanum et grande mysterium.

2. Sic enim se habet titulus Psalmi: *Psalmus David, cum mutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit.* Quærimus in Scripturis secundum res gestas, quæ nobis de David conscriptæ sunt, quando sit factum: quemadmodum invenimus titulum psalmi: *Cum fugeret David a facie Abessalon filii sui* (*Psal.* III, 1). Legimus enim in Regnorum libris[6] et invenimus quando David fugeret a facie filii sui Abessalon (II *Reg.* XV, 14): et verissimum est, quia contigit, et quod contigit scriptum est; et quamvis titulus psalmi in mysterio sic scriptus sit, tamen ductus est de re quæ gesta est. Sic credo et quod hic scriptum

[1] Plerique Mss., *respiciant.*

[2] Hæc lectio aut nihilo fere diversa exhibetur in plerisque Mss. At in Edd. legitur sic: *etsi non nobiscum eadem, tamen unum Amen respondentibus, etsi non nobiscum unum Amen, hortamur medullas charitatis vestræ fundatis ad Deum preces pro eis.*

[3] Quindecim Mss., *agimus in concilio.* Alii numero pauciores cum Edd. habent, *egimus.* Loquitur forte de collatione cum Donatistis, habita Carthagine an. 411.

[4] Aliquot Mss., *Triciliarum.* Alii, *Tricillarum.*

[5] Sex Mss., *dispondebat.* Et iidem postea, *contra disponsionem suam.*

[6] Mss., *Legimus enim in Regnorum.* Nec solent addere, *libris.*

est, *Cum mutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit*, scriptum esse in Regnorum libris, ubi omnia nobis scripta sunt quæ pertinent ad res gestas David : sed non invenimus hoc, et tamen aliquid invenimus unde appareat hoc esse tractum. Nam scriptum est quia cum fugeret David persecutorem Saül, contulit se ad Achis regem Geth, id est ad regem cujusdam gentis vicinæ regno Judæorum : ibi latitabat, ut persecutionem Saülis evitaret. Recens autem erat gloria ejus, unde pro benefacto meruit invidiam, quando Goliam interfecit, et in una pugna gloriam securitatemque regni et regi et populo comparavit. Saül autem cum provocante Golia æstuaret, prostrato Golia hostis esse cœpit ei, per cujus manum hostem necaverat, et invidit gloriæ David : maxime quia populus in exsultatione constitutus, et choro jam facto mulieres cantaverunt gloriam David, quod Saül percussisset in millibus, et David in denis millibus. Hinc ille commotus, quod cœperat habere majorem gloriam per unam pugnam puer, et jam in laudibus omnium regi præponebatur, ut se habet pestilentia livoris et superbia sæculi, invidere cœperat, et persequi. Tunc ille se, ut dixi, contulerat ad regem Geth, qui vocabatur Achis. Suggestum est autem regi ipsi, quod illum apud se haberet, qui magnam gloriam habere cœperat in populo Judæorum, et dictum est illi. *Nonne iste est David, cui chorum fecerunt mulieres Israelitæ, dicentes : Saül percussit in millibus, et David in denis millibus?* Si autem propter hanc gloriam invidere illi cœperat Saül, nonne metuendum erat David, ne et ille rex ad quem confugerat, vellet opprimere eum, quem posset de vicino hostem habere, si salvum servaret? *Timuit et illum*, *et*, sicut scriptum est, *mutavit vultum suum coram ipsis, et affectabat, et tympanizabat ad ostia civitatis, et ferebatur in manibus suis, et procidebat ad ostia portæ, et salivæ discurrebant super barbam ejus.* Vidit eum rex ille apud quem latebat, et ait suis : *Utquid mihi arreptitium istum adduxistis? numquidnam intraturus est in domum meam?* Et sic illum dimisit projiciens illum : et recessit inde David incolumis per istam figurationem furoris (I *Reg.* XVII, XVIII, XIX, XXI, 10-15; XXII, 1). Pro ista ergo figuratione furoris videtur[1] ad ipsam historiam pertinere quod hic scriptum est : *Psalmus David, cum mutavit vultum suum coram Abimelech et dimisit eum, et abiit.* Sed ille Achis erat, non Abimelech. Nomen enim solum non videtur convenire : nam res gesta prope ipsis verbis pariter designata est in Psalmis, quibus scripta est in Regnorum libro. Ideo magis movere nos debet ad quærendum sacramentum, quia nomen mutatum est. Nam neque illud sine causa factum est, quamvis sit factum; sed quia aliquid figurabat : neque hoc sine causa scriptum est, et nomine commutato.

3. Videtis certe, fratres, profunditatem sacramentorum. Si non est in mysterio, quod a puero Golias occisus est; non est in mysterio, quia immutavit vultum suum, et affectabat, et tympanizabat, et cadebat ad ostia civitatis et ad ostia portæ, et salivæ decurrebant super barbam ejus. Unde fieri potest ut non hoc aliquid significaret? quando quidem aperte dicit Apostolus : *Hæc autem in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum obvenit.* Si nihil significat manna, de quo dicit Apostolus : *Et cibum spiritualem manducaverunt* : si nihil significat quod divisum est mare, et per medium ductus est populus, ut evaderent persecutionem Pharaonis, cum dicat Apostolus : *Nolo enim vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes in Moysen baptizati sunt in nube et in mari* : si nihil significat quod percussa petra aqua profluxit, cum dicat Apostolus : *Petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 11, 1-4) : si ergo illa nihil significant, quamvis sint gesta : si nihil denique significant duo filii Abrahæ nati secundum ordinem nascendi hominum, et tamen ipsos duos filios duo Testamenta appellat Apostolus, Vetus et Novum, et dicit : *Hæc sunt duo Testamenta, quæ sunt in allegoria* (*Gal.* IV, 24) : si ergo illa nihil significant, quæ videtis auctoritate apostolica in mysterio futurarum rerum gesta esse; debemus arbitrari nihil significare etiam hoc quod vobis ex libro Regnorum de David paulo ante narravi. Non ergo nihil significat, et quod nomen mutatum est, et dictum est *coram Abimelech*[1].

4. Intendite mecum. Omnia enim quæ dixi modo, quasi ad manum pertinent pulsantis, nondum apertum est. Pulsavimus, cum ista diceremus; pulsastis et vos, cum ista audiretis : adhuc pulsemus orando, ut Dominus aperiat nobis[2]. Nominum hebræorum habemus interpretationem : non defuerunt docti viri, qui nobis nomina ex hebræo in græcam linguam, et inde in latinam transferrent. Consulentes ergo nomina ista, invenimus interpretari Abimelech, Patris mei regnum; et interpretari Achis, Quomodo est. Hæc nomina attendamus, inde incipit nobis aperiri pulsantibus. Si quæris, Quid est Achis? respondetur, Quomodo est. Quomodo est, verbum est admirantis, et non intelligentis. Abimelech, Patris mei regnum : David, Manu fortis. In figura Christi David, sicut Golias in figura diaboli : et quod David prostravit Goliam, Christus est qui occidit diabolum. Quid est autem Christus qui diabolum occidit? Humilitas occidit superbiam. Cum ergo Christum nomino, fratres mei, maxime nobis humilitas commendatur. Viam enim nobis fecit per humilitatem : quia per superbiam recesseramus a Deo, redire ad eum nisi per humilitatem non poteramus, et quem nobis proponeremus ad imitandum, non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbia tumuerat. Et si existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant Prophetæ, Patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei.

5. Erat autem, ut nostis, sacrificium Judæorum antea secundum ordinem Aaron in victimis pecorum,

[1] Hæc verba, *Pro ista ergo figuratione*, omittunt plerique Mss. et habent : *Videtur ergo ad ipsam*, etc.

[1] Er. et Lov., *Et quod hic dictum est coram Abimelech*, (et addunt), *ibi coram Achis* : quod a Mss. abest.

[2] Mss., *orando ut aperiat* : omisso, *Dominus nobis*.

et hoc in mysterio : nondum erat sacrificium corporis et sanguinis Domini, quod fideles norunt, et qui Evangelium legerunt, quod sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum. Proponite ergo vobis ante oculos duo sacrificia, et illud secundum ordinem Aaron, et hoc secundum ordinem Melchisedech. Scriptum est enim : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec* (*Psal.* CIX, 4). De quo dicitur : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec?* De Domino nostro Jesu Christo. Quis erat Melchisedec? Rex Salem. Salem civitas fuit antea, illa quæ postea, sicut docti prodiderunt, Jerusalem dicta est. Ergo antequam ibi regnarent Judæi, ibi erat ille sacerdos Melchisedec, qui scribitur in Genesi Sacerdos Dei excelsi (*Gen.* XIV, 18). Ipse occurrit Abrahæ, quando liberavit Lot de manu persequentium, et prostravit eos a quibus ille tenebatur, et liberavit fratrem : post liberationem fratris occurrit ei Melchisedec. Et tantus erat Melchisedec, a quo benediceretur Abraham. Protulit panem et vinum, et benedixit Abraham, et dedit ei decimas Abraham. Videte quid protulit, et[1] quem benedixit. Et dictum est postea : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* David hoc in Spiritu dixit longe post Abraham : temporibus autem Abrahæ fuit Melchisedec. De quo alio dicit, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec,* nisi de illo cujus nostis sacrificium?

6. Sublatum est ergo sacrificium Aaron, et cœpit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedec. Ergo *mutavit* nescio quis *vultum suum.* Quis est iste nescio quis? Non sit nescio quis : notus est enim[2] Dominus noster Jesus Christus. In corpore et sanguine suo voluit esse salutem nostram. Unde autem commendavit corpus et sanguinem suum (*Matth.* XXVI, 26)? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Ecce cibus sempiternus : sed manducant Angeli, manducant supernæ Virtutes, manducant cœlestes Spiritus, et manducantes saginantur, et integrum manet quod eos satiat et lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo ut mensa illa lactesceret, et ad parvulos perveniret. Unde autem fit cibus lac? unde cibus in lac convertitur, nisi per carnem trajiciatur? Nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans : sed quia minus idoneus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, et per humilitatem mammillæ et lactis succum, de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pavit nos Sapientia Dei? *Quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Ibid.* 14). Videte ergo humilitatem : quia panem Angelorum manducavit homo, ut scriptum est, *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo* (*Psal.* LXXVII, 24) : id est, Verbum illud quo pascuntur Angeli sempiternum, quod est æquale Patri, manducavit homo : quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Saginantur illo Angeli : *sed semetipsum exinanivit*, ut manducaret panem Angelorum homo, *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo; humiliavit se factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* II, 6-8) : ut jam de cruce commendaretur nobis caro et sanguis Domini novum sacrificium. Quia *mutavit vultum suum coram Abimelech*, id est coram regno patris. Regnum enim patris, regnum erat Judæorum. Quomodo regnum patris? Regnum David, regnum Abrahæ. Nam regnum Dei Patris, magis Ecclesia quam populus Judæorum : sed secundum carnem regnum patris populus Israel. Dictum est enim : *Et dabit ei Deus sedem David patris ejus* (*Luc.* I, 32). Demonstratur ergo secundum carnem pater Domini esse David : secundum divinitatem autem Christus non filius, sed Dominus David. Judæi vero Christum secundum carnem norunt, secundum divinitatem non norunt. Ideo fecit illis quæstionem, et dixit : *Cujus filium esse dicitis Christum?* Et responderunt : *Filium David. Et ille : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, ubi ait : Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, donec ponam omnes inimicos tuos sub pedibus tuis? Si ergo David in spiritu vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et non potuerunt illi respondere* (*Matth.* XXII, 42-46) : quia non noverant in Domino Christo, nisi quod videbatur oculis, non quod corde intelligebatur. Si autem intus haberent oculos sicut habebant foris, ex eo quod foris videbant intelligerent filium David; ex eo quod intus intelligebant, intelligerent Dominum David.

7. *Mutavit ergo vultum suum coram Abimelech.* Quid est, *coram Abimelech?* Coram regno patris. Quid est, Coram regno patris? Coram Judæis. *Et dimisit eum, et abiit.* Quem dimisit? Ipsum populum Judæorum dimisit, et abiit. Quæris modo Christum apud Judæos, et non invenis. Unde dimisit et abiit? Quia *mutavit vultum suum.* Hærentes[1] enim illi sacrificio secundum ordinem Aaron, non tenuerunt sacrificium secundum ordinem Melchisedec (*Hebr.* VII, 11); et amiserunt Christum, et cœperunt eum habere Gentes, quo non miserat ante præcones. Nam ad illos præcones miserat, ipsum David, Abraham, Isaac et Jacob, Isaiam, Jeremiam, et cæteros Prophetas miserat, et pauci inde cognoverunt, et ipsi pauci in comparatione pereuntium : nam multi erant. Millia enim legimus fuisse. Scriptum enim est : *Reliquiæ salvæ fient* (*Rom.* IX, 27). Sed quæris modo circumcisos christianos, et non invenis. Erant autem de circumcisione recentibus temporibus fidei multa millia christianorum. Quæris modo, et non invenis. Merito non invenis. *Mutavit* enim *vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit.* Et coram Achis mutavit vultum suum, et dimisit eum, et abiit. Ideo

[1] Sic plures Mss. At Edd. : *Videte quid protulit ei quem benedixit. Et dictum est ei postea.*

[2] Nonnulli probæ notæ Mss., *Quis est iste nescio quis? Nescio quis notus. Est enim*, etc.

[1] Mss., *Habentes enim illi sacrificium.*

enim mutata sunt nomina, ut ad mysterii significationem nos excitaret mutatio nominum: ne putaremus non narrari aut commemorari in Scripturis Psalmorum, nisi quod in libris Regnorum gestum invenitur, et non ibi quæreremus figuras futurorum, sed tanquam res gestas acciperemus. Cum ergo nomina mutantur, quid tibi dicitur? Clausum est hic aliquid; pulsa, noli hærere in littera; quia littera occidit: sed desidera spiritum; spiritus enim vivificat (*II Cor.* III, 6): intellectus spiritualis credentem salvum facit.

8. Quomodo [1] ergo dimisit Achis regem, attendite, fratres. Achis dixi interpretari, Quomodo est. Recordamini Evangelium: quando loquebatur Dominus noster Jesus Christus de corpore suo, ait: *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam: caro enim mea vere esca est, et sanguis meus vere potus est* (*Joan.* VI, 54, 56). Et discipuli ejus qui eum sequebantur, expaverunt, et exhorruerunt sermonem, et non intelligentes putaverunt nescio quid durum dicere Dominum nostrum Jesum Christum, quod carnem ejus quam videbant, manducaturi erant, et sanguinem bibituri: et non potuerunt tolerare, quasi dicentes, Quomodo est? Error enim et ignorantia et stultitia in persona regis Achis. Ubi enim dicitur, Quomodo est, non intelligitur: ubi non intelligitur, tenebræ ignorantiæ sunt. Erat ergo in illis regnum ignorantiæ, quasi rex Achis: id est, regnum erroris eis dominabatur. Ille autem dicebat, *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum.* Quia mutaverat vultum suum, quasi furor iste et insania videbatur, dare carnem suam manducandam hominibus, et bibendum sanguinem. Ideo quasi insanus putatus est David, quando dixit ipse Achis: Arreptitium hunc mihi adduxistis. Nonne videtur insania, Manducate carnem meam, et bibite sanguinem meum? Et dicens, *Quicumque non manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam*, quasi insanire videtur. Sed regi Achis insanire videtur, id est stultis et ignorantibus. Ideo dimisit eos et abiit: fugit de corde eorum intellectus, ne eum possint comprehendere. Et quid dixerunt illi? Quasi, Quomodo est, quod interpretatur Achis. Dixerunt enim: *Quomodo potest hic nobis dare manducare carnem suam* (*Ibid.*, 53)? Arreptitium putabant Dominum, et nescire quid loqueretur, et insanire. Ille autem qui noverat quod dicebat in illa mutatione vultus sui, et quasi furore et insania, sacramenta prædicabat, et affectabat, et tympanizabat ad ostia civitatis.

9. Quærendum est quid sit, et ipsum affectabat, et ad ostia tympanizabat. Non sine causa dictum est, *Procidebat ad ostia portæ*: non sine causa dictum est, *Et salivæ decurrebant super barbam ejus*: non frustra dicta sunt. Mercede intelligentiæ [2] diuturnus sermo onerosus esse non debet. Nostis, fratres, Judæos ipsos, coram quibus ille mutavit vultum suum, et dimisit eos, et abiit, hodie vacare. Si illi qui Christum amiserunt, quos dimisit, et abiit, habent inanem vacationem; nos habemus fructuosam vacationem, ut intelligamus Christum qui illos dimisit, et venit ad nos. Omnia non frustra facta sunt, et in illo furore David, quod dicitur *affectabat, et tympanizabat ad ostia civitatis, et ferebatur in manibus suis, et procidebat ad ostia portæ, et salivæ decurrebant super barbam ejus. Affectabat* ille: quid est, *affectabat?* Affectum habebat. Quid est affectum habere? Quia compassus est infirmitatibus nostris: et ideo voluit ipsam carnem suscipere, in qua mortem occideret. Compassus ergo nobis, affectasse dictus est. Ideo reprehendit Apostolus eos qui duri sunt et sine affectu. Reprehendens enim quosdam, ait: *Sine affectu, sine misericordia* (*Rom.* I, 31). Ubi est affectus, ibi misericordia. Ubi misericordia est? Miseratus est nos desuper. Nam si exinanire se nollet, manens in ea forma in qua æqualis erat Patri sempiternus, semper nos in morte remansissemus: sed ut nos de morte sempiterna liberaret, quo nos peccatum superbiæ perduxerat, humiliavit se, factus subditus usque ad mortem, mortem autem crucis. Ergo affectavit, quia pervenit usque ad mortem crucis. Et quoniam qui crucifigitur, in ligno extenditur; ut autem tympanum fiat, caro, id est corium, in ligno extenditur: dictum est, *et tympanizabat*, id est crucifigebatur, in ligno extendebatur. *Affectabat*, id est, affectum in nos habebat, ut animam suam poneret pro ovibus suis (*Joan.* X, 15). *Tympanizabat.* Quomodo? *Ad ostia civitatis.* Ostium nobis est quod aperitur, ut credamus in Deum. Clauseramus ostia contra Christum, et aperueramus diabolo; contra vitam æternam clausum cor habebamus: ille autem Dominus Deus noster, quia clausum cor habebamus homines adversus vitam æternam, nec poteramus videre Verbum quod vident Angeli, cruce aperiebat corda mortalium, hoc est, tympanizabat ad ostia civitatis.

10. *Et ferebatur in manibus suis.* Hoc vero, fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram, non invenimus; in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI, 26). Ferebat enim illud corpus in manibus suis [1]. Ipsa est humilitas Domini nostri Jesu Christi, ipsa multum commendatur hominibus. Ad ipsam nos hortatur, fratres, ut vivamus, id est humilitatem ejus imitemur: ut percutiamus Goliam, et tenentes Christum vincamus superbiam. *Procidebat enim ad ostia portæ.* Quid est, *Procidebat?* Ad humilitatem se ipse dejiciebat. Quid est, *ad ostia portæ?* Ad initium fidei, quo salvi efficimur. Nemo enim incipit nisi ab initio fidei, sicut dicitur in Canticis canticorum: *Venies, et pertransies ab initio fidei* (*Cant.* IV, 8, *sec.*

[1] Edd., *quo.* At Mss., *quomodo.*
[2] Sic Mss. Edd. vero, *non frustra dicta sunt, sed indigent intelligentia. Diuturnus sermo*, etc.

[1] Nostri omnes Mss., *Ferebat illud in manibus suis, ipsa est humilitas*, etc.

LXX). Venturi sumus facie ad faciem; sicut scriptum est: *Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). *Videbimus*: quando? Cum ista transierint. Audi etiam Paulum apostolum: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (1 *Cor.* XIII, 12). Antequam ergo videamus facie ad faciem Verbum, quod vident Angeli, opus nobis est adhuc ostiis portæ, ad quæ procidit Dominus, humilians se usque ad mortem.

11. Quid est quod *salivæ decurrebant super barbam ejus?* In hoc enim *immutavit vultum suum coram Abimelech*, vel Achis, *et dimisit eum, et abiit.* Non intelligentes dimisit. Ad quos abiit? Ad Gentes. Ergo nos intelligamus quod ipsi non potuerunt. Decurrebant super barbam David salivæ: quid sunt *salivæ?* Quasi verba infantilia: salivæ enim currunt infantibus. Nonne erant tanquam infantilia verba: Manducate carnem meam, et bibite sanguinem meum? Sed ista infantilia verba tegebant virtutem ipsius. Virtus enim in barba intelligitur. Salivæ igitur decurrentes super barbam ejus, quid sunt, nisi verba infirma virtutem ejus tegentia? Intellexit, ut arbitror, Sanctitas Vestra titulum psalmi hujus. Si velimus jam Psalmum exponere, timendum est ne illa quæ audistis labantur de cordibus vestris. Titulum psalmi hujus exposuerimus in nomine Domini nostri Jesu Christi; quoniam crastinus dies dominicus est, et debemus vobis sermonem, differamus in crastinum, ut etiam Psalmi textum libenter audiatis.

SERMO II, HABITUS DIE DOMINICO.

1. Qui hesterno die adfuistis, non dubito quod memineritis pollicitationis nostræ. Tempus enim jam est in nomine Domini debitum solvere. Ipse inspiravit ut promitteremus, ipse dabit ut solvamus, semper existentes debitores charitatis. Ipsa est enim quæ semper redditur, et semper debetur, sicut dicit Apostolus: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem vos diligatis* (*Rom.* XIII, 8). Psalmi hujus titulum heri exposuimus; cujus expositio cum nos diutius retineret, ejusdem psalmi textum exponendum distulimus. Audiamus ergo quid Spiritus sanctus per os Prophetæ sancti sui dicat in isto sermone Psalmi, quod congruat titulo quem hesterno die tractavimus. Qui non adfuerunt, tanquam [1] et hoc debitum petunt: sed ne forte per alias tantas moras [2], fraudemus eos quibus jam reddendum est quod debemus, breviter commemoratum agnoscant, quantum possunt, qui hodie adsunt et heri non adfuerunt. Si quid autem eos movet quod diligentius interrogare debeant, patentes aures nostras invenient in nomine Christi aliis temporibus, ne ista occupentur [3].

2. Diximus scriptum esse in libro Regnorum, quod David cum fugeret Saül, latere voluit apud regem quemdam Geth, nomine Achis. Sed cum gloria ejus ibi fuisset commemorata, ne per livorem idem rex ad quem confugerat, aliquid in eum machinaretur, finxit insaniam, et quasi furore correptus, *mutavit vultum suum, et,* sicut legimus, *affectabat, et tympanizabat ad ostia civitatis, et ferebatur in manibus suis, et procidebat ad ostia portæ. Et dixit rex Achis: Quid huc mihi adduxistis istum? Numquid arreptitium ego opus habeo?* Et sic eum dimisit, ut impleatur quod hic scriptum est, *Mutavit vultum suum, et dimisit eum, et abiit.* Dimisit autem regem Achis: hic vero dictum est quod *mutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit.* Diximus autem nomina mutata esse, ut sacramentum ostenderetur: ne si idem nomen repetitum esset in titulo Psalmi, non nobis prophetasse aliquid in sacramento, sed quasi gesta narrasse videretur. Utrumque ergo nomen magnum continet sacramentum. Nam Achis interpretatur, Quomodo est: Abimelech interpretatur, Patris mei regnum. In illo verbo quod dicitur, Quomodo est, ignorantia significatur, ut verbum mirantis et non agnoscentis intelligas: in isto autem quod dicitur Abimelech, regnum Judæorum significatur. Ex Christi enim persona potest dici, Patris mei regnum; quia pater ipsius secundum carnem, David; et regnum David erat in gente Judæorum. Coram regno ergo patris sui *mutavit vultum suum, et dimisit eum, et abiit;* quia erat ibi sacrificium secundum ordinem Aaron, et postea ipse de corpore et sanguine suo instituit sacrificium secundum ordinem Melchisedec. Mutavit ergo vultum suum in sacerdotio, et dimisit gentem Judæorum, et venit ad Gentes. Quid est ergo, *Affectabat?* Affectu plenus erat. Quid enim tam plenum affectu, quam misericordia Domini nostri Jesu Christi, qui videns infirmitatem nostram, ut nos a sempiterna morte liberaret, temporalem mortem cum tanta injuria contumeliaque suscepit? *Et tympanizabat:* quia tympanum non fit nisi cum corium in ligno extenditur; et tympanizabat David significans quod crucifigendus esset Christus. *Tympanizabat* autem *ad ostia civitatis:* quæ sunt *ostia civitatis*, nisi corda nostra quæ clauseramus contra Christum, qui de tympano crucis aperuit corda mortalium? *Et ferebatur in manibus suis:* quomodo *ferebatur in manibus suis?* Quia cum commendaret ipsum corpus suum et sanguinem suum, accepit in manus suas quod norunt fideles; et ipse se portabat quodam modo, cum diceret: *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI, 26). *Et procidebat ad ostia portæ:* id est, humiliavit se. Hoc est enim procidere usque ad initium fidei nostræ. Ostium enim portæ initium fidei, unde incipit Ecclesia, et pervenit usque ad speciem: ut cum credit ea quæ non videt, mereatur perfrui, cum facie ad faciem videre cœperit. Sic se habet titulus Psalmi; breviter audivimus: audiamus jam ipsa verba affectantis et tympanizantis ad portam civitatis.

3. [*vers.* 2.] *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Dicit Christus, dicat et christianus; quia et christianus in corpore Christi est; et propterea Christus homo, ut posset esse christia.

[1] Edd., *tamen.* Aliquot Mss., *tanquam.*

[2] Edd., *ne forte pro aliis tantas moras facientes fraudemus eos.* Moxque apud Lov., *quibus jam redditum est.* Nos utroque loco sequimur Mss.

[3] Er. et Lov., *ne isti modo occupentur.* At Mss., *ne ista occupentur.* Am., *ne istu modo,* etc.

bus angelus, qui ait [1], *Benedicam Dominum.* Quando *benedicam Dominum?* Quando tibi benefacit? quando abundant sæcularia? quando multum abundat frumenti, olei, vini, auri, argenti, mancipiorum, pecorum, salusque ista mortalis invulnerata et incorrupta persistit, ea quæ nascuntur crescunt omnia, nihil immatura morte subtrahitur, felicitas tota abundat in domo, circumfluunt omnia, tunc benedices Dominum? Non: sed *in omni tempore.* Ergo et tunc, et quando ista secundum tempus et secundum flagella Domini Dei nostri turbantur, auferuntur, minus nascuntur, jam nata dilabuntur. Fiunt enim hæc, et inde sequitur penuria, egestas, labor, dolor et tentatio. Sed tu qui cantasti, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*, et quando ista dat, benedic; et quando ista tollit, benedic. Quia ille dat, ille tollit: sed seipsum a benedicente se non tollit.

4. Quis est autem qui benedicit Dominum in omni tempore, nisi humilis corde? Ipsam enim humilitatem docuit Dominus noster in corpore et sanguine suo: quia cum commendat corpus et sanguinem suum, humilitatem suam commendat, in eo quod in ipsa historia scriptum est, in illo quasi furore David, quod prætermisimus, *Et salivæ decurrebant super barbam ejus.* Cum legeretur Apostolus, audistis ipsas salivas, sed decurrentes super barbam. Dicit aliquis, Quas salivas audivimus? Nonne modo lectus est Apostolus, cum diceret: *Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt? Modo lectum est: Nos autem prædicamus*, inquit, *Christum crucifixum* (tunc enim tympanizabat) *Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis vero vocatis Judæis et Græcis, Christum Dei Virtutem et Dei Sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est quam homines* (I *Cor.* I, 22-26). Salivæ enim significant stultitiam, salivæ significant infirmitatem. Sed si quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est quam homines: non tanquam salivæ offendant, sed attende, quia super barbam decurrunt. Quomodo enim salivis infirmitas, sic barba virtus ostenditur. Texit ergo virtutem suam corpore infirmitatis suæ: et quod forinsecus infirmabatur, tanquam in saliva apparebat; intus autem divina virtus tanquam barba tegebatur. Ergo humilitas nobis commendatur. Esto humilis, si vis benedicere Dominum in omni tempore, et semper laus ejus sit in ore tuo. Quia Job non tantum benedixit Dominum, quando abundabant illi omnia, quibus eum legimus divitem fuisse et felicem, et pecore, et servis, et domo, felicem filiis, et omnibus rebus. Ablata sunt omnia uno tempore, et implevit quod in hoc psalmo scriptum est, dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21). Ecce habes exemplum benedicentis Dominum in omni tempore.

5. [*vers.* 3.] Quare autem benedicit Dominum homo in omni tempore? Quia humilis est. Quid est esse humilem? Nolle in se laudari. Qui in se vult laudari, superbus est. Qui superbus non est, humilis est. Non vis ergo esse superbus? Ut possis esse humilis, dic quod dictum est: *In Domino laudabitur anima mea; audiant mansueti, et lætentur.* Ergo qui non in Domino volunt laudari, non sunt mansueti; sed truces, asperi, elati, superbi. Jumenta mansueta vult habere Dominus: esto jumentum Domini, id est, esto mansuetus. Sedet ille super te, ipse regit te: noli timere ne offendas, et eas in præceps. Infirmitas quidem tua est, sed attende quis tibi præsideat. Pullus asini es, sed Christum portas. Nam et ipse in pullo asini venit ad civitatem, et fuit illud jumentum mansuetum. Numquid laudabatur jumentum illud? Numquid jumento dicebatur: *Hosanna, fili David, benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXI, 9)? Asellus portabat: sed ille qui portabatur, a præcedentibus et consequentibus laudabatur. Et dicebat forte jumentum: *In Domino laudabitur anima mea; audiant mansueti, et lætentur.* Nunquam illud dixit ille asinus, fratres: sed dicat illud populus qui imitatur jumentum illud, si vult portare Dominum suum. Irascitur forte populus, quia comparatur asello in quo sedit Dominus; et dicent mihi aliqui superbi et elati: Ecce asinos nos fecit. Sit asinus Domini quisquis hoc dicit; ne sit equus et mulus, quibus non est intellectus. Nostis enim psalmum ubi dicitur: *Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI, 9). Equus enim et mulus erigunt cervicem aliquando, et sua ferocitate excutiunt a se sessorem. Domantur frenis, camo, verberibus, donec discant subesse, et portare dominum suum. Tu autem antequam freno tundantur ora tua, esto mansuetus, et porta Dominum tuum: noli in te velle laudari, sed laudetur ille qui super te sedet, et dices: *In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, et lætentur.* Nam quando audiunt non mansueti, non lætantur, sed irascuntur: et ipsi sunt qui dicunt quod asinos eos fecerimus. Qui autem mansueti sunt, dignentur audire et esse quod audiunt.

6. [*vers.* 4.] Sequitur, *Magnificate Dominum mecum.* Quis est iste qui exhortatur ut magnificemus cum illo Dominum? Quisquis est, fratres, in corpore Christi, ad hoc debet dare operam, ut magnificetur cum illo Dominus. Amat enim Dominum quisquis est iste. Et quomodo illum amat? Ut non invideat coamatori suo. Quisquis enim amat carnaliter, necesse est ut cum zelo pestifero amet: si forte pro magno nudam videre potuerit, quam pestifero amore desideravit, numquid vult ut videat illam et alius? Necesse est ut zelo et livore sancietur, si et alius eam viderit [1]. Et sic servatur castitas, si aut ille videat cui licet, et alius non videat, aut nec ipse. Non sic est Sapientia Dei: videbimus illam facie ad faciem, et omnes videbimus, et nemo [2] ibi zelabit. Omnibus se exhibet, et integra est, et casta est omnibus. Illi mutantur in eam, et ipsa in eos non mutatur. Ipsa est veritas, ipsa est

[1] Aliquot Mss., *angelus, qui jam dicat.* Alii nonnulli: *angelus. Et quid ait.*

[1] Plerique Mss., *si et alius velit.* Supple, *videre.*
[2] Lov., *Et nemo se ibi zelabit.* Aliquot Mss., *sibi.* Alii, *ibi zelabit*: omissa particula *se.*

Deus. Numquid aliquando audistis, fratres, quod potuerit commutari Deus noster? Supereminens omnibus veritas est, Verbum Dei est, Sapientia Dei est, per quem facta sunt omnia: habet amatores suos. Sed quid dicit amator ipsius? *Magnificate Dominum mecum*. Nolo solus magnificare Dominum, nolo solus amare, nolo solus amplecti. Non enim si ego amplexus fuero, non habet alius ubi manus ponat. Latitudo tanta est in ipsa Sapientia, ut omnes animæ amplectantur et perfruantur. Et quid dicam, fratres? Erubescant qui sic amant Deum, ut invideant aliis? Aurigam perditi homines amant, et quisquis amaverit aurigam aut venatorem, vult ut totus populus cum illo amet; et hortatur, et dicit: Amate mecum illum pantomimum, amate illam mecum et illam turpitudinem. Clamat ille in populo, ut ametur cum illo turpitudo: et christianus non clamat in Ecclesia, ut ametur cum illo veritas Dei! Excitate ergo in vobis amorem, fratres, et clamate unicuique vestrorum, et dicite: *Magnificate Dominum mecum*. Sit in vobis iste fervor. Quare vobis recitantur ista, et exponuntur? Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei qui vobis junguntur, et omnes qui sunt in domo vestra: si amatur a vobis corpus Christi, id est unitas Ecclesiæ, rapite eos ad fruendum, et dicite: *Magnificate Dominum mecum*.

7. [*vers.* 4.] *Et exaltemus nomen ejus in idipsum*. Quid est, *exaltemus nomen ejus in idipsum?* Hoc est, in unum. Nam multi codices sic habent: *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in unum*. Sive *in idipsum* dicatur, sive *in unum*; hoc idem dicitur. Ergo rapite quos potestis, hortando, portando[1], rogando, disputando, rationem reddendo, cum mansuetudine, cum lenitate: rapite ad amorem; ut si magnificant Dominum, in unum magnificent. Et pars Donati videtur sibi magnificare Dominum: quid eos offendit orbis terrarum? Dicamus illis, fratres: *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in unum*. Quare in præcisione vultis magnificare Dominum? Ille unus est, quare duos populos vultis facere Deo? Quare vultis dissipare corpus Christi? Certe enim ipse pendebat in cruce, quando tympanizabat: et cum penderet in cruce, emisit spiritum; et venerunt illi qui eum suspenderant, et invenerunt eum emisisse spiritum, et non illi fregerunt crura: latronibus autem adhuc in cruce viventibus fregerunt (*Joan.* XIX, 32, 33), ut per ipsum dolorem compendio mortis ab illo cruciatu liberarentur, quomodo solebat crucifixis fieri. Ergo venit persecutor, invenit Dominum quiete deposuisse spiritum: quia ipse dixit, *Potestatem habeo ponendi animam meam* (*Id.* X, 18). Pro quibus posuit animam suam? Pro universa plebe sua, pro toto corpore suo. Venit ergo persecutor, et non fregit crura Christi: venit Donatus et disrupit Ecclesiam Christi. Integrum corpus Christi in cruce inter manus persecutorum est, et inter manus Christianorum non est integrum corpus Ecclesiæ. Clamemus ergo, fratres, cum gemitu quantum possumus, dicentes: *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in unum*. Ecclesia enim illis clamat: vox est Ecclesiæ, clamans illis qui se præciderunt[1]. Unde enim disrupti sunt? Per superbiam. Docet autem Christus humilitatem, cum commendat corpus et sanguinem suum: quod diximus Sanctitati Vestræ in hoc Psalmi textu agi et celebrari, ubi commendatur corpus et sanguis Christi, ubi commendatur humilitas Christi, quam pro nobis suscipere dignatus est.

8. [*vers.* 5.] *Inquisivi Dominum, et exaudivit me*. Ubi exaudivit Dominus? Intus. Ubi dat? Intus. Ibi oras, ibi exaudiris, ibi beatificaris. Orasti[2], exauditus es, beatificatus es; et non scit qui juxta te stat: gestum est totum in occulto, sicut Dominus in Evangelio dicit: *Intra in cubiculum tuum, claude ostium tuum, et ora in occulto, et Pater tuus qui videt in occulto, reddet tibi* (*Matth.* VI, 6). Cum ergo intras cubiculum tuum, intras cor tuum. Beati qui gaudent quando intrant ad cor suum, et nihil mali ibi inveniunt. Attendat Sanctitas Vestra: quomodo nolunt intrare domos suas qui habent malas uxores, quomodo exeunt ad forum, et gaudent; cœpit hora esse, qua intrent in domum suam, contristantur: intraturi sunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad eversiones; quia non est domus composita, ubi inter virum et uxorem pax nulla est; et melius illi est foris circumire. Si ergo miseri sunt, qui cum redeunt ad parietes suos, timent ne aliquibus suorum perturbationibus evertantur; quanto sunt miseriores, qui ad conscientiam suam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur! Ergo ut possis libens redire ad cor tuum, munda illud: beati enim mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Id.* V, 8). Aufer inde cupiditatum sordes, aufer labem avaritiæ, aufer tabem superstitionum, aufer sacrilegia et malas cogitationes; odia, non dico adversus amicum, sed etiam adversus inimicum: aufer ista omnia; intra in cor tuum, et gaudebis ibi. Cum ibi cœperis gaudere, ipsa munditia cordis tui delectabit te, et faciet orare: quomodo si venias ad aliquem locum, silentium est ibi, forte quies est ibi, mundus est locus; Oremus hic, dicis: et delectat te compositio loci, et credis quod ibi te exaudiat Deus. Si ergo loci visibilis te delectat munditia, quare te non offendit immunditia cordis tui? Intra, munda omnia, leva oculos tuos ad Deum, et statim te exaudiet. Clama, et dic: *Inquisivi Dominum, et exaudivit me; et ex omnibus tribulationibus meis eruit me*. Quare? Quia cum fueris illuminatus, cum cœperis hic habere bonam conscientiam, restant tribulationes, quia restat aliquid infirmum, donec mors absorbeatur in victoriam, et mortale hoc induat immortalitatem (I *Cor.* XV, 54): necesse est ut in hoc sæculo flagelleris; necesse est ut aliquas tentationes suggestionesque patiaris. Mundabit Deus omnia, eruet te ab omni tribulatione, ipsum quære.

[1] Mss. quidam omittunt, *portando*. Nonnulli ejus loco habent, *operando*.

[1] Sic in Mss. At in Edd., *præcipitaverunt*.

[2] Er. et Lov., *Orasti intus, exauditus es*. Abest, *intus*, ab Am. et Mss.

9. *Inquisivi Dominum, et exaudivit me.* Qui ergo non exaudiuntur, non Dominum quærunt. Intendat Sanctitas Vestra : non dixit, Inquisivi aurum a Domino, et exaudivit me; inquisivi a Domino senectutem, et exaudivit me; inquisivi a Domino hoc aut illud, et exaudivit me. Aliud est aliquid inquirere a Domino, aliud ipsum Dominum inquirere. *Inquisivi*, inquit, *Dominum, et exaudivit me.* Tu autem quando oras, et dicis, Occide illum inimicum meum; non Dominum inquiris, sed quasi facis te judicem super inimicum tuum, et facis (*a*) quæstionarium Deum tuum. Unde scis ne melior te sit cujus mortem quæris? Eo ipso forte, quia ille non quærit tuam. Ergo noli aliquid a Domino extra quærere, sed ipsum Dominum quære, et exaudiet te, et adhuc te loquente dicet, *Ecce adsum* (*Isai.* LXV, 24). Quid est, *Ecce adsum?* Ecce præsens sum, quid vis, quid a me quæris? Quidquid tibi dedero, vilius est quam ego : meipsum habe [1], me fruere, me amplectere : nondum potes totus [2]; ex fide continge me, et inhærebis mihi (hoc tibi Deus dicit), et cætera onera tua ego a te deponam, ut totus mihi inhæreas, cum hoc mortale tuum ad immortalitatem convertero (I *Cor.* XV, 54); ut sis æqualis Angelis meis (*Matth.* XXII, 30), et semper videas faciem meam, et gaudeas, et gaudium tuum nemo auferet a te (*Joan.* XVI, 22); quia inquisisti Dominum, et exaudivit te, et ex omnibus tribulationibus tuis eruit te.

10 [*vers.* 6] Diximus (*b*) quis esset exhortator, amator ille, qui non solus vult amplecti quod amat, et dicit : *Accedite ad eum, et illuminamini.* Dicit enim quod ipse probavit. Spiritualis enim quidam in corpore Christi, vel etiam ipse Dominus noster Jesus Christus secundum carnem, caput exhortans membra cætera, quid dicit? *Accedite ad eum, et illuminamini.* Aut potius christianus aliquis spiritualis ad ipsum Dominum nostrum Jesum Christum invitat ut accedamus. Sed accedamus ad eum, et illuminemur; non quomodo ad eum accesserunt Judæi, ut tenebrarentur. Accesserunt enim ad illum, ut crucifigerent : nos ad eum accedamus, ut corpus et sanguinem ejus accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt : nos manducando crucifixum et bibendo illuminamur. *Accedite ad eum, et illuminamini*, ecce Gentibus dicitur. Crucifixus Christus inter Judæos erat sævientes et videntes, Gentes absentes erant : ecce illi accesserunt qui in tenebris erant, et qui non viderunt illuminati sunt. Unde accedunt Gentes? Fide sectando, corde inhiando, charitate currendo. Pedes tui, charitas tua est. Duos pedes habeto, noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? Duo præcepta dilectionis, Dei et proximi. Istis pedibus curre ad Deum, accede ad illum : quia et ut curreres ipse hortatus est, et ipse suum lumen aspersit sic, ut magnifice et divine se sequi possitis [1]. *Et vultus vestri non erubescent. Accedite*, inquit, *ad eum, et illuminamini : et vultus vestri non erubescent.* Non erubescet vultus nisi superbi. Quare? Quia elatus vult esse, et quando fuerit passus contumeliam, aut ignominiam, aut casum secundum sæculum, aut aliquam afflictionem, erubescit. Sed noli timere, accede ad eum, et non erubesces. Quidquid fecerit tibi inimicus, videtur te superior esse apud homines : sed tu apud Deum superior illo es. Ego cepi, ego ligavi, ego interfeci. Quam superiores sibi videntur qui ista dicunt! Quam superiores videbantur sibi Judæi quando Dominum colaphizabant, quando spuebant in faciem ejus, et de canna percutiebant caput, quando spinis coronabant, quando tunica ignominiosa circumdabant! Quam superiores erant! Et ille videbatur inferior, quia procidebat ad ostia portæ : sed ille non erubescebat. Lumen enim erat verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). Sicut ergo lumen non potest confundi, sic et illuminatum confundi non sinit. *Accedite* ergo *ad eum, et illuminamini; et vultus vestri non erubescent.*

11. [*vers.* 7, 8.] Sed dicit aliquis, Quomodo ad eum accedo? Tantis malis, tantis peccatis oneratus sum, tanta scelera clamant de conscientia mea, quomodo audeo accedere ad Deum? Quomodo? Si humiliaveris te per pœnitentiam. Sed erubesco, ais, pœnitentiam agere. Accede ergo ad eum, et illuminaberis, et vultus tuus non erubescet. Si enim timor erubescendi revocat te a pœnitentia, pœnitentia autem facit te accedere ad Deum : non vides quia pœnam gestas in vultu, quia ideo erubuit vultus tuus, quoniam non accessit ad Deum : ideo non accessit, quia non vult agere pœnitentiam? Sicut attestatur propheta : *Iste inops clamavit, Et Dominus exaudivit eum.* Docet te quomodo exaudiaris. Ideo non exaudiris, quia dives es. Ne (*a*) forte clamabas, et non exaudiebaris, audi quare : *Iste inops clamavit, et Dominus exaudivit eum.* Inops clama, et exaudit Dominus. Et quomodo clamabo inops? Ut etsi habes aliquid, non inde præsumas de viribus tuis : ut intelligas te indigentem, ut intelligas te tamdiu esse pauperem, quamdiu non habes illum qui facit te divitem. Quomodo autem Dominus exaudivit eum? *Et ex omnibus*, inquit, *tribulationibus ejus salvum fecit eum.* Et quomodo salvos facit ab omnibus tribulationibus? *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eruet eos.* Sic scriptum est, fratres; non quomodo habent aliqui mendosi codices, *Immittet Angelum Dominus in circuitu timentium eum, et eruet eos :* sed sic, *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eruet eos.* Quem hic dixit Angelum Domini, qui immittet in circuitu timentium eum, et eruet eos? Ipse Dominus noster Jesus Christus in prophetia dictus est magni consilii Angelus, magni consilii nuntius : sic illum dixerunt Prophetæ (*Isai.* IX, 6, *sec.* LXX.) Ipse ergo

[1] In omnibus prope Mss., *habe*.
[2] Edd., *totum*. Mss. plerique, *totus*.
(*a*) Quæstionarius idem est atque carnifex. Unde vetus scholiastes Juvenal. sat. 6, ad illud, « Sunt quæ tortoribus « annua præstent, » annotat, « salaria quæstionariis sive « carnificibus. » Et in martyris Marcianæ Actis n. 3, legitur, « Iratus judex talibus dictis virginem Deo dicatam, quæ- « stionariorum manibus alapis cæsam, in ludo gladiatorio « jussit includi. »
(*b*) Supra, n. 6.

[1] Mss. magno consensu ferunt : *sicut magnifice et divinus secutus est. Et vultus vestri*, etc.
(*a*) Forte, *Et*. M.

magni consilii Angelus, id est nuntius, immittet in eos qui timent Dominum, et eruet eos. Noli ergo timere ne lateas: ubicumque Dominum timueris, novit te ille Angelus qui immittet in circuitu, et eruet te.

12. [*vers.* 9.] Aperte modo de ipso sacramento vult dicere, quo [1] ferebatur in manibus suis. *Gustate, et videte quoniam* [2] *suavis est Dominus.* Nonne aperit se [3] Psalmus, et ostendit tibi illam quasi insaniam et furorem constantem, sanam insaniam et sobriam ebrietatem illius David, qui in figura nescio quid ostendebat, quando illi ex persona regis [4] Achis dixerunt, Quomodo est? quando dicebat Dominus, *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam?* Et illi in quibus regnabat Achis, id est, error et ignorantia, quid dixerunt? *Quomodo iste poterit nobis dare carnem suam manducare* (*Joan.* VI, 53, 54)? Si ignoras, gusta, et vide quoniam suavis est Dominus: si autem non intelligis, rex es Achis. Immutabit faciem suam David, et recedet a te, et dimittet te, et abibit.

13. *Beatus vir qui sperat in eum.* Hoc quid opus est diu exponi? Quisquis non sperat in Domino, miser est. Quis est qui non sperat in Domino? Qui in se sperat. Aliquando quod pejus est, fratres mei, attendite, aliquando homines nolunt sperare in se, sed in aliis hominibus. Salva salute Gaii Seii, nihil mihi potes facere. Et forte loquitur de homine jam mortuo. In ista civitate dicit, Salva salute illius, et ille in aliis locis forte mortuus est. Et quam cito dicunt homines hoc: et non dicunt, Credo Deo, quia non te permittit nocere mihi. Non dicunt, Credo Deo meo, quia etsi te permiserit ad aliquid meum, ad animam meam non te permittet. Sed cum dicunt, Salva salute illius, nec ipsi volunt habere salutem, et illos gravant per quos putant habere salutem.

14. [*vers.* 10.] *Timete Dominum, omnes sancti ejus, quia nihil deest timentibus eum.* Multi enim propterea nolunt [5] timere Dominum, ne famem patiantur. Dicitur illis: Nolite fraudem facere. Et dicunt: Unde me pasco? Non potest ars sine impostura esse, non potest negotium esse sine fraude. Sed fraudem punit Deus. Time Deum. Sed si timuero Deum, non habebo unde vivam. *Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum.* Copiam promittit trepido, et dubitanti ne si forte timuerit Dominum deserant illum superflua. Pascebat te Dominus contemnentem se, et deseret te timentem se? Attende, et noli dicere: Ille dives est, et ego pauper sum: ego timeo Dominum, ille non timendo quantum acquisivit, et ego timendo nudus sum! Videte quid sequitur: *Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Si ad litteram accipias, videtur te fallere.

[1] Sic Mss. Edd. autem, *quod ferebatur.*
[2] Mss. hic et alibi constanter habent: *et videte quam suavis est Dominus.*
[3] Aliquot Mss., *Nonne aperit ipse Psalmus.* Quidam, *Nonne aperte Psalmus ostendit.*
[4] Ita Mss. At edd., *qui figurate Sacramentum Dominicum ostendebat.* Paulo post Edd. et Mss. ferebant, *quando illi miseri coram rege:* sed in duobus libris merito reposita erat lectio quam sequimur.
[5] Edd., *volunt.* Melius Mss., *nolunt.*

Respicis enim multos divites iniquos mori in divitiis suis, non factos fuisse pauperes, cum vivunt; vides illos senescere, perduci ad ultimum vitæ inter magnas copias divitiarum, celebrari eis pompam funeris in magnis effusionibus, perduci usque ad sepulcrum divitem, qui et exspiravit in lectis eburneis, circumflente [1] familia suorum; et dicis in animo tuo, si forte nosti aliqua et peccata et scelera ipsius: Ego novi quanta fecerit iste homo; ecce senuit, mortuus est in lecto suo, deducunt illum sui, pompa tanta funeris celebratur: ego novi quæ fecerit; decepit me Scriptura, et fefellit, ubi audio et canto: *Divites eguerunt et esurierunt.* Quando iste inops fuit? quando esurivit? *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono* (*Psal.* XXXIII, 11). Quotidie ad basilicam surgo, quotidie genuflecto, quotidie inquiro Dominum, et nihil boni habeo: iste non inquisivit Dominum, et inter tanta bona defunctus est! Sic cogitantem suffocat laqueus scandali. Escam enim mortalem quærit in terra, et veram mercedem non quærit in cœlo, et mittit caput in laqueum diaboli, constringuntur ei fauces, et tenet diabolus ad malefaciendum, ut sic imitetur illum divitem, quem videt in tanta copia defunctum.

15. Noli ergo sic intelligere. Et quomodo intelligam? In bonis spiritualibus. Sed ubi sunt? Non videntur oculis, sed corde. Non video ipsa bona. Videt illa qui amat. Justitiam non video [2]. Non enim aurum est, non enim argentum est. Si aurum esset, videres: quia fides est, non vides. Et si non vides fidem, quare amas servum fidelem? Interroga teipsum, qualem servum diligis. Forte habes servum formosum, staturosum, bene compositum; sed furem, nequam, fraudulentum: habes autem alium forte parvum statura, deformem facie, colore tetro; sed fidelem, parcum, sobrium: attende, rogo te, quem istorum duorum diligis? Si oculos carnis interrogas, vincit apud te pulcher injustus; si oculos cordis, vincit deformis fidelis. Vides ergo, quod vis ut exhibeat tibi alter, id est fidem, exhibe illi et tu. Quare gaudes ad eum qui fidem tibi exhibet, et laudas eum de his bonis quæ non videntur nisi oculo cordis? Cum repletus fueris spiritualibus divitiis, pauper eris [3]? Et ille dives ideo fuit, quia habebat lectum eburneum; et tu pauper es, cujus cubiculum cordis plenum est tantis gemmis virtutum, justitiæ, veritatis, charitatis, fidei, patientiæ et tolerantiæ! Explica divitias tuas, si habes illas, et compara divitiis divitum. At ille in mercatu invenit mulas pretiosas, et emit eas. Si fidem invenires venalem, quantum pro illa dares, quam te voluit Deus gratis habere, et ingratus es? Egent ergo illi divites, egent: et, quod est gravius, pane egent. Ne forte putetis, quia auro egent et argento, quanquam et hoc egeant. Quantum habuit quidam, et quid eum satiavit? Sic mortuus est egens, quia plura volebat acqui-

[1] Sic aliquot Mss. At Edd., *circumfluente.*
[2] In Mss. nonnullis: *Videt ille qui amat justitiam. Non video ego. Non enim aurum est,* etc.
[3] In plerisque Mss., *et laudas eum? His bonis ergo, quæ non videntur nisi oculo cordis, cum repletus fueris, pauper eris?*

rere quam tenebat. Egent et pane. Quare egent et pane? Si non intelligis panem, ille dixit [1] : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41); et : *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6). *Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Sed quo bono jam diximus.

16. [*vers.* 12.] *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Putatis [2], fratres, quia ego dico : putate quia David dicit, putate quia Apostolus dicit : imo putate quia ipse Dominus noster Jesus Christus dicit : *Venite, filii, audite me.* Audiamus illum simul, audite illum per nos : docere enim vult ille humilis, ille tympanizans, ille affectans, docere nos vult. Et quid dicit? *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Doceat ergo, præbeamus aurem, præbeamus cor. Non aperiamus aures carnis, et cordis claudamus; sed sicut ipse dixit in Evangelio, *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Id.* XI, 15). Quis nolit [3] audire docentem Christum per Prophetam?

17. [*vers.* 13.] *Quis est homo qui vult vitam, et diligit dies videre bonos?* Interrogat. Nonne omnis in vobis respondet, Ego? An quisquam est in vobis qui non diligit vitam, id est, qui non vult vitam, et non diligit dies videre bonos? Nonne quotidie hoc murmuratis, et hoc dicitis : Quamdiu ista patimur? Quotidie pejora et pejora : apud parentes nostros fuerunt dies lætiores, fuerunt dies meliores. O si interrogares ipsos parentes tuos, similiter tibi de diebus suis murmurarent. Fuerunt beati patres nostri, nos miseri sumus, malos dies habemus : dominatus est ille, putabamus quia illo mortuo posset aliquod refrigerium dari; deteriora venerunt. O Deus, ostende nobis dies bonos! *Quis est homo, qui vult vitam, et diligit videre dies bonos?* Non hic quærat dies bonos. Bonam rem quærit, sed non in regione ejus illam quærit. Quomodo si aliquem justum quæreres in ea patria, ubi non habitaret, diceretur tibi : Bonum virum quæris, magnum virum quæris, quære illum, sed noli hic, superfluo hic eum quæris, nunquam eum inventurus es. Dies bonos quæris, simul eos quæramus, nolite hic. Sed habuerunt illos patres nostri. Fallimini : omnes hic laboraverunt. Legite Scripturas : ideo voluit Deus ut scriberentur, ut nos consolaremur. Temporibus Eliæ fuit fames, passi sunt eam patres nostri. Capita jumentorum mortuorum auro vendebantur, occiderunt suos, et comederunt eos : et duæ mulieres statuerunt inter se ut occiderent filios suos, et manducarent; occidit una filium suum, et manducaverunt eum ambæ; alia nolebat occidere filium suum, et exigebat illa quæ prior occiderat filium suum; et talis rixa venit ante regem, adduxerunt se ante regem, contendentes de interfectione filiorum (IV *Reg.* VI, 26-30). De talibus cibis avertat Deus ea quæ legimus. Semper dies mali in sæculo, sed semper dies boni in Deo. Habuit dies bonos Abraham, sed intus in corde : habuit dies malos, quando a fame mutavit regionem, et quærebat cibum (*Gen.* XII, 10, *et* XXVI, 1). Sic omnes quæsierunt. Paulus habuit dies bonos, qui dicit : *In fame et siti, in frigore et nuditate* (II *Cor.* XI, 27)? Sed non irascantur servi : ipse Dominus non habuit dies bonos in hoc sæculo; contumelias, injurias, crucem, et tanta mala patiebatur.

18 [*vers.* 14.] Non ergo christianus murmuret, videat cujus vestigia sequatur. Sed si dies bonos amat, audiat docentem et dicentem : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Quid vis? Vitam et dies bonos. Audi, et fac : *Contine linguam tuam a malo.* Fac illud. Nolo, dicit homo miser : et linguam meam nolo continere a malo, et vitam volo, et dies bonos. Si operarius tuus tibi diceret : Et vasto istam vineam, et exigo a te mercedem : adduxisti me ad vineam ut falcitem illam et putem, concido omnia ligna utilia, præcidam ipsa robora vitium, ut non hic habeas quod colligas, et cum fecero ista, redditurus es mihi laborem meum. Nonne insanum illum diceres? nonne illum de domo tua repelleres, antequam mitteret manum ad falcem? Tales sunt homines, qui et facere volunt mala, et jurare mendacium, et blasphemare contra Deum, et murmurare, et fraudem facere, et inebriari, et litigare, et adulterari, et ligaturas adhibere, et ire ad sortilegos, et dies bonos videre. Dicitur illi : Non potes male faciens quærere bonam mercedem. Si tu injustus es, injustus erit et Deus? Ergo quid faciam? Quid vis? Vitam volo, dies bonos volo. *Contine linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum :* id est, nulli fraudem, nulli mendacium.

19. [*vers.* 15.] Sed quid est, *Declina a malo?* Parum est nulli noceas, nullum occidas, non fureris, non adulteres, non fraudem facias, non falsum testimonium dicas. *Declina a malo :* cum declinaveris, dicis : Securus sum, perfeci omnia, habebo vitam, videbo dies bonos. Non solum *declina a malo;* sed, *et fac bonum.* Parum est ut non exspolies : vesti nudum. Si non exspoliaveris, declinasti a malo : sed non facies bonum, nisi cum peregrinum susceperis in domum tuam. Ergo sic declina a malo, ut facias bonum. *Quære pacem, et sequere eam.* Non tibi dixit, habebis hic pacem : quære illam, et sequere eam. Quo illam sequor? Quo præcessit. Dominus enim est pax nostra, resurrexit et ascendit in cœlum. *Quære pacem, et sequere illam :* quia et tu cum surrexeris, hoc mortale mutabitur, et amplecteris pacem, ubi tibi nemo molestus erit. Ibi enim est perfecta pax, ubi non esuries. Nam hic tibi pacem facit panis : subduc panem, et vide quale bellum erit intra viscera tua. Ipsi justi quomodo gemunt hic, fratres? ut sciatis quia quærimus hic pacem, consequemur autem in fine. Sed ex parte hic habeamus, ut ex toto illic habere mereamur. Quid est, ex parte? Concordes simus hic, diligamus proximum quomodo nos. Sic dilige fratrem quomodo teipsum, habe cum illo pacem. Sed non possunt nisi existere rixæ aliquæ, quomodo inter fratres et inter sanctos exstiterunt, inter Barnabam et Paulum (*Act.* XV, 39) : sed non quæ occiderent concordiam, non quæ interimerent charitatem. Nam et tibi ipsi resistis

[1] Mss., *Si intelligis panem. Ille enim dixit,* etc.
[2] Omnes prope Mss., *Putate.*
[3] Edd., *Quis novit audire* Et paulo post, *interroga.* At Mss. Reg. Vatic., etc., *Quis nolit audire?... Interrogat.*

aliquando, et tamen non te odisti. Omnis enim quem pœnitet aliquid, rixatur secum. Peccavit, redit, irascitur sibimetipsi hoc fecisse, illud commisisse [1]. Rixam ergo secum habet, sed ista rixa ad concordiam tendit. Vide quomodo secum rixetur, et dicat quidam justus : *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Dominum, quoniam adhuc confitebor illi* (*Psal.* XLII, 5). Cum dicit animæ suæ, *Quare conturbas me;* utique turbabat illum. Volebat forte ipse pati pro Christo, et anima ipsius contristabatur. Et ille qui sciebat et dicebat, *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me;* pacem adhuc secum non habebat : sed ex mente hærebat Christo, ut sequeretur illum anima ejus, et non illum conturbaret. Ergo quærite pacem, fratres. Dominus dixit : *Hæc loquor vobis, ut in me habeatis pacem. Pacem in terra vobis non promitto* (*Joan.* XVI, 33). In ista vita pax vera non est, nec tranquillitas. Gaudium immortalitatis, societas Angelorum promittitur. Sed quisquis non illam cum hic est quæsierit, non illam habebit cum venerit.

20. [*vers.* 16.] *Oculi Domini super justos.* Noli ergo timere, labora [2] : oculi Domini super te sunt. *Et aures ejus ad preces eorum.* Quid vis amplius? Si murmurantem servum in domo magna non audiret paterfamilias, quereretur, et diceret : Quanta hic patimur, et nemo nos audit! Numquid dicis illud de Deo : Quanta patior, et nemo me audit? Si audiret me, forte dicis, tolleret mihi tribulationem : clamo, et tribulor. Tantum tu tene vias ejus, et quando tribularis audit te. Sed medicus est, adhuc putre habes nescio quid. Clamas : sed adhuc secat; et non tollit manum, nisi secuerit quantum videtur. Etenim medicus crudelis est qui exaudit hominem, et parcit vulneri et putredini. Matres quomodo fricant in balneis ad salutem filios? Nonne parvuli clamant inter manus earum? Illæ ergo crudeles sunt, ut non parcant, non exaudiant lacrymas? Nonne plenæ sunt pietate? Et tamen clamant pueri, et non eis parcitur. Sic et Deus noster plenus est charitate : sed ideo videtur non exaudire, ut sanet et parcat in sempiternum.

21. [*vers.* 17.] *Oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum.* Forte dicunt mali : Ergo securus facio mala, quia non super me sunt oculi Domini : jam Deus ad justos attendit, me non videt, et quidquid fecero, securus facio. Statim subjecit videns cogitationes hominum Spiritus sanctus, et ait : *Oculi Domini super justos, et aures ejus ad preces eorum : vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*

22. [*vers.* 18.] *Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum eruit eos.* Justi erant tres pueri : de camino clamaverunt ad Dominum, et in laudibus eorum ignes friguerunt. Accedere et lædere flamma non potuit laudantes Deum innocentes et justos pueros, et eruit eos de flamma (*Dan.* III, 49). Dicit aliquis, Ecce vere justi qui exauditi sunt, sicut scriptum est, *Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum eruit eos :* ego autem clamavi, et non me eruit; aut ego non sum justus, aut non facio quæ mihi jubet, aut forte me ille non videt. Noli timere, tantum fac quod jubet; et si te non eruit corporaliter, eruet spiritualiter. Ille enim qui tulit de flamma tres pueros, numquid tulit de flamma Machabæos? Nonne illi in ignibus hymnizabant, illi in ignibus exspirabant (II *Mach.* VI, 3)? Deus trium puerorum, nonne ipse est et Machabæorum? Illos eruit, et illos non eruit; imo utrosque eruit : sed tres pueros sic eruit, ut et carnales confunderentur; Machabæos autem ideo non sic eruit, ut illi qui persequebantur in pœnas majores irent, cum putabant se oppressisse martyres Dei. Eruit Petrum, quando venit ad illum angelus, cum esset in vinculis, et ait illi, *Surge, et exi :* et subito soluta sunt vincula, et secutus est angelum, et eruit illum (*Act.* XII, 7). Numquid Petrus perdiderat justitiam, quando non illum eruit de cruce? Non eruit tunc? Et eruit tunc. An ideo diu vixit, ut injustus fieret? Forte plus eum exaudivit postea quam prius, quando illum vere de omnibus pressuris eruit. Nam quando primum illum eruit, quanta ille pertulit postea! Illuc enim misit postea, ubi nihil mali pati potuisset.

23. [*vers.* 19, 20.] *Juxta est Dominus his qui obtriverunt cor, et humiles spiritu salvos faciet.* Altus est Deus, humilis sit christianus. Si vult ut altus Deus vicinetur illi, ille humilis sit. Magna mysteria, fratres. Deus super omnia est : erigis te, et non illum tangis : humilias te, et ipse ad te descendit. *Multæ tribulationes justorum.* Numquid dicit : Ideo sint Christiani justi, ideo audiant verbum meum, ut nihil tribulationis patiantur? Non hoc promittit; sed dicit : *Multæ tribulationes justorum.* Magis si injusti sunt, pauciores habent tribulationes; si justi sunt, multas habent. Sed post paucas tribulationes aut nullas, illi venient ad tribulationem sempiternam, unde nunquam eruantur : justi autem post multas tribulationes venient ad pacem sempiternam, ubi nunquam aliquid mali patientur. *Multæ tribulationes justorum : et de omnibus his eruet eos Dominus.*

24. [*vers.* 21.] *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur* (a). Et hoc, fratres, non accipiamus carnaliter. Ossa sunt firmamenta fidelium. Quomodo enim in carne nostra ossa faciunt firmamentum, sic in corde christiano fides facit firmamentum. Patientia ergo quæ est in fide, ossa sunt interius. Ipsa sunt quæ frangi non possunt. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Si de Domino Deo nostro Jesu Christo dixisset hoc, Custodit Dominus omnia ossa Filii sui, unum ex his non conteretur : sicut etiam alio loco præfigurabatur de illo, quando agnus dictus est mactandus [1], et dictum est de illo, *Os ejus noli frangere* (*Exod.* XII, 46) : imple-

[1] Omnes fere Mss., *me hoc fecisse, me illud commisisse, si non dicitur. Rixam ergo,* etc.

[2] Aliquot Mss., *laboras* Alii, *laborans.* Quidam, *laborem.*

[1] Sic plures Mss. At Edd., *quoniam agnus ductus est mactandus.*

(a) Idem vers. 21 tractatur in serm. I super Psal. XXXIV, n. 11.

tum est in Domino; quia cum penderet in cruce, exspiravit antequam venirent illi ad crucem, et invenerunt jam corpus exanime, et noluerunt crura ejus frangere, ut impleretur quod scriptum est (*Joan.* XIX, 33). Sed promisit illud et cæteris Christianis: *Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Ergo fratres, si viderimus aliquem sanctum tribulationes pati, et forte vel a medico sic secari, vel ab aliquo persecutore sic cædi, ut ejus ossa frangantur; non dicamus, Non erat justus iste, nam Dominus hoc promisit justis suis, de quibus ait: *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Vis videre quia alia ossa dixit, quæ diximus firmamenta fidei, id est patientiam et tolerantiam in omnibus tribulationibus? Ipsa enim sunt ossa quæ non franguntur. Audite, et in ipsa passione Domini inspicite quod dico. Dominus erat in medio crucifixus; juxta illum duo latrones erant: unus insultavit, alter credidit; unus damnatus est, alter justificatus est; unus habuit pœnam suam et hic et in futurum, alteri autem dixit Dominus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43): et tamen illi qui venerant, Domini ossa non fregerunt, latronum autem fregerunt (*Joan.* XIX, 32): sic fracta sunt latronis ossa qui blasphemavit, quomodo latronis qui credidit. Ubi est ergo quod dictum est, *Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur?* Ecce cui dixit, *hodie mecum eris in paradiso*, non potuit omnia ossa ejus custodire? Respondet tibi Dominus: Imo custodivi; nam firmamentum fidei ipsius frangi non potuit illis ictibus quibus crura sunt fracta.

25. [*vers.* 22, 23.] *Mors peccatorum pessima.* Attendite, fratres, propter [1] illa quæ dicebamus. Vere magnus Dominus, et misericordia ejus, vere [2] qui nobis dedit manducare corpus suum in quo tanta perpessus est, et sanguinem bibere. Quomodo respicit mala cogitantes, et dicentes: Ille male mortuus est, a bestiis consumptus est: non erat ille justus, ideo male periit; nam non periret (*a*)? Ergo ille justus est, qui in domo sua et in lecto suo moritur? Hoc est ergo, inquis, quod miror, quia novi peccata et scelera ipsius, et bene mortuus est, in domo sua, intra limina sua, nulla peregrinationis injuria [3], nulla vel in matura ætate. Audi: *Mors peccatorum pessima.* Quæ tibi videtur bona mors, pessima est, si intus videas. Vides foris jacentem in lecto, numquid vides intus raptum ad gehennam? Audite, fratres, et ex Evangelio inspicite, quid sit mors peccatorum pessima. Numquid non duo erant in isto sæculo, dives qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide; alter pauper qui jacebat ad januam ejus ulcerosus, et canes veniebant et linguebant ulcera ejus, et desiderabat saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis? Contigit autem mori inopem illum (justus erat ille inops), et auferri ab Angelis in sinum Abrahæ. Qui viderat corpus illius jacere ad limen divitis, et non esse qui sepeliret, quanta forte diceret? Sic moriatur ille inimicus meus, et ille qui me persequitur, sic illum videam. Exsecratur [1] corpus sputo, patent vulnera; et ille in sinu Abrahæ requiescit. Si christiani sumus, credamus: si non credimus, fratres, nemo se fingat christianum. Fides nos perducit. Quomodo illa dixit Dominus, sic sunt. An vero dicit tibi mathematicus, et verum est; dicit Christus, et falsum est? Quali autem morte mortuus est ille dives? Qualis mors esse potuit in purpura et bysso, quam sumptuosa, quam pomposa? quæ exsequiæ funeris ibi erant? quantis aromatibus sepultum est illud cadaver? Et tamen cum apud inferos in tormentis esset, desideravit ex illius contempti pauperis digito instillari aquæ guttam ardenti linguæ suæ, neque impetravit (*Luc.* XVI, 19-25). Discite ergo quid sit, *Mors peccatorum pessima*, et nolite interrogare stratos pretiosis vestibus lectos, et carnem multis divitiis obvolutam, lamentationis pompam exhibentes, plangentem familiam, turbam obsequentium præcedentem ac sequentem, cum corpus effertur, marmoratas auratasque memorias. Nam si hæc interrogatis, respondent vobis falsum, quod multorum non leviter peccatorum, sed omnino sceleratorum mors optima est, qui sic plangi, sic condiri, sic contegi, sic efferri, sic sepeliri meruerunt. Sed interrogate Evangelium, et ostendet fidei vestræ in pœnis ardentem animam divitis, quam nihil adjuverunt omnes honores et obsequia, quæ mortuo corpori ejus viventium vanitas præbuit.

26. Sed quia multa sunt genera peccatorum, et non esse peccatorem difficile est, aut fortasse in hac vita non possibile, subjecit statim cujus generis peccatorum esset mors pessima. *Et qui oderunt justum*, inquit, *delinquent.* Quem justum, nisi eum qui justificat impium (*Rom.* IV, 5)? quem justum, nisi Dominum Jesum Christum, qui est etiam propitiatio peccatorum nostrorum (I *Joan.* II, 2)? Qui ergo hunc oderunt, mortem pessimam habent; quia in peccatis suis moriuntur, qui per eum Deo nostro non reconciliantur: *Redimet* enim *Dominus animas servorum suorum.* Secundum animam enim intelligenda est mors aut pessima, aut optima; non secundum corporum aut contumelias, aut honores quos homines vident. *Et non delinquent omnes qui sperant in eum.* Iste est modus humanæ justitiæ, ut vita mortalis quantumlibet proficiens, quia sine delicto esse non potest, in hoc non delinquat, dum sperat in eum, in quo est remissio delictorum, Amen.

IN PSALMUM XXXIV
ENARRATIO.
SERMO I (*a*).
De prima parte Psalmi.

1. [*vers.* 1, 2.] Psalmum istum nobis a jubentibus fratribus et coepiscopis meis impositum esse ad tra-

[1] In plurimis Mss., *non propter.*
[2] Am. et Er., *et misericordia ejus vera, qui nobis dedit.* Reg. et Vatic. Mss., *vere quibus dedit.*
[3] Edd., *nulla peregrinationis injuria fuit illi, nulla*, etc. Abest *fuit illi* a Mss.
(*a*) Subaud., *si justus esset.*

[1] Edd., *Excreatur.* Melius Mss., *Exsecratur.*
(*a*) Habitus tempore alicujus concilii.

ctandum, noverit [1] charitas vestra. Voluerunt ut hinc omnes aliquid audiamus. Ab illo enim omnes audimus, a quo pariter discimus, et in cujus schola condiscipuli sumus. Titulus ipsius moram nobis non facit; brevis est enim, et ad intelligendum, maxime nutritis in Ecclesia Dei, non difficilis. Habet enim, *Ipsi David*. Psalmus ergo ipsi David : David interpretatur Fortis manu, vel desiderabilis. Psalmus ergo manu forti et desiderabili, qui nostram mortem vicit, qui nobis vitam promisit : in hoc enim manu fortis, quia mortem nostram vicit; in hoc desiderabilis, quia vitam æternam promisit. Quid enim fortius manu hac, quæ tetigit loculum, et mortuus resurrexit (*Luc.* VII, 14)? quid fortius manu hac, quæ mundum vicit, non ferro armata, sed ligno transfixa? quid autem desiderabilius eo, quem non videntes martyres, mori voluerunt, ut ad illum pervenire mererentur? Ergo Psalmus [2] illi : illi cor nostrum, illi lingua nostra digna cantet : si tamen ipse dignabitur donare quod cantet. Nemo illi cantat digna, nisi qui ab illo acceperit quod cantare possit. Denique hoc quod modo cantamus, Spiritu ejus dictum est per Prophetam ejus, et in eis verbis ubi nos agnoscimus et ipsum. Nec injuriam facimus, quia dicimus nos et ipsum : quoniam cum esset in cœlo, sic clamavit : *Quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? cum eum nemo tangeret, et nos in terra laboraremus. Ergo vocem ejus audiamus, nunc corporis, nunc capitis. Est enim psalmus iste invocans Deum contra inimicos in tribulationibus hujus sæculi : et utique ipse est Christus, tribulato tunc capite, tribulato nunc corpore : tamen per tribulationes omnibus membris suis dans vitam æternam, quam promittendo desiderabilis factus est.

2. *Judica*, inquit, *Domine, nocentes me, expugna impugnantes* [3] *me*. Si Deus pro nobis, quis contra nos (*Rom.* VIII, 31)? Et unde hoc nobis præstat Deus? *Apprehende*, inquit, *arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi*. Magnum spectaculum est, videre Deum armatum pro te. Et quod ejus scutum? quæ arma? *Domine*, inquit alio loco homo iste qui et hic loquitur, *ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos* (*Psal.* V, 13). Arma autem ejus, quibus non solum nos muniat, sed etiam percutiat inimicos, si bene profecerimus, et nos erimus. Sicut enim nos, ut armemur, ab illo habemus, sic ipse armatur de nobis. Sed ipse de his armatur quos fecit, nos de his armamur quæ ab ipso accepimus qui nos fecit. Dicit hæc quodam loco arma nostra Apostolus, scutum fidei, et galeam salutis, et gladium spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* VI, 16, 17). Armavit nos talibus armis, qualibus audistis, laudabilibus et invictis, insuperabilibus et splendidis; spiritualibus sane atque invisibilibus, quia et hostes invisibiles expugnamus. Si vides hostem tuum, videantur arma tua. Armamur earum rerum fide quas non videmus, et sternimus hostes quos non videmus. Verumtamen, carissimi, arma ista ne putetis sic esse, ut quasi quod scutum est, semper scutum sit; aut quod galea est, semper galea sit; aut quod lorica est, semper lorica sit. In istis enim armis corporalibus ita est, quanquam et de ferro quæ fiunt mutari possint, ut ex gladio fiat securis : tamen ipsum Apostolum videmus dixisse quodam loco, loricam fidei (I *Thes.* V, 8), et alio loco dixisse scutum fidei. Ergo ipsa fides, et lorica potest esse et scutum : scutum est, quia tela inimicorum excipit et repellit; lorica est, quia interiora tua transfigi non sinit. Hæc arma nostra : Dei autem quæ [1]? Legimus quodam in loco : *Erue ab impiis animam meam, frameam tuam ab inimicis manus tuæ* (*Psal.* XXI, 21). Quod superius dixit, *ab impiis*; hoc sequenti versu, *ab inimicis manus tuæ* : et quod superius dixit, *animam meam*; hoc sequenti versu, *frameam tuam*, id est, gladium tuum. Ergo frameam Dei dixit animam suam : *Erue*, inquit, *ab impiis animam meam*; id est, *ab inimicis manus tuæ erue frameam tuam*. Apprehendis enim animam meam, et debellas inimicos meos. Et quid est anima nostra, quamvis splendida, quamvis producta, quamvis acuta, quamvis uncta, quamvis luce sapientiæ et coruscatione [2] vibrata? Quid est ipsa anima nostra, aut quid potest, nisi Deus illam teneat et pugnet de illa? Nam quælibet optime facta framea, si non habeat bellatorem, jacet. Dixeramus autem in armis nostris, non quasi aliquid fixum accipi debere, ut quod est res una, ipsa aliud esse non possit : sic et in armis Dei invenimus. Ecce animam justi dixit frameam Dei : iterum dicit animam justi esse sedem Dei; anima justi sedes sapientiæ (*Sap.* VII). Ergo quidquid vult, facit de anima nostra. Cum in manu ejus est, utatur ea quemadmodum vult.

3. Exsurgat ergo (sic enim invocatus est), apprehendat arma, exsurgat in adjutorium nobis. Unde exsurgat, alio loco etiam dicitur illi ipsa voce : *Exsurge, quare obdormis, Domine* (*Psal.* XLIII, 23)? Et quando ille dicitur dormire, nos dormimus : et quando ille dicitur exsurgere, nos excitamur. Nam et Dominus dormiebat in navi; et ideo fluctuabat navis, quia dormiebat Jesus. Nam si illic vigilaret Jesus, non fluctuaret navis. Navis tua, cor tuum : Jesus in navi, fides in corde. Si meministi fidei tuæ, non fluctuat cor tuum : si oblitus es fidem tuam, dormit Christus : observa naufragium. Verumtamen quod restat fac, ut si dormierit excitetur; dicas illi : Domine, exsurge, perimus : ut increpet ventos, et fiat tranquillitas in corde tuo (*Matth.* VIII, 24). Recedent enim omnes tentationes, aut certe nihil valebunt, quando Christus, hoc est fides tua, vigilaverit in corde tuo. *Exsurge* ergo quid est? Innotesce, appare, sentire. *Exsurge* ergo *in adjutorium mihi*.

4. [*vers.* 3.] *Effunde frameam, et conclude adversus eos qui me persequuntur*. Qui sunt qui te persequuntur? Forte vicinus tuus, aut ille quem læsisti,

[1] Omnes fere Mss., *noverit etiam Charitas vestra*.
[2] Er. et Lov., *Ergo psallamus illi*. At Am. et Mss., *Psalmus*.
[3] Potiores Mss., *expugnantes*.

[1] Sic Mss. At Edd. : *Hæc arma nostra sunt Dei, quod legimus*, etc.
[2] Edd., *quamvis luce sapientiæ et coruscationis vibrata*. At Mss., *coruscatione*. Et ex his nonnulli : *quamvis luce sapientiæ splendida, quamvis et coruscatione vibrata*.

aut cui fecisti injuriam, aut qui vult auferre res tuas, aut contra quem prædicas veritatem, aut cujus peccatum objurgas, aut quem male viventem bene vivendo lædis. Sunt quidem et isti inimici nostri, et persequuntur nos : sed alios docemur inimicos nosse, contra quos invisibiliter dimicamus, de quibus nos admonet Apostolus dicens : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, id est adversus homines; non adversus eos quos videtis, sed adversus eos quos non videtis; *adversus principes et potestates et rectores mundi tenebrarum harum* (*Ephes.* VI, 12). Cum diceret enim *rectores mundi* (dicebat quippe de diabolo et angelis ejus), cavendum erat ne male intelligerent homines, et putarent a diabolo et dæmonibus ejus mundum regi. Sed quia mundus dicitur hæc fabrica quam videmus [1], et in peccatoribus dicitur mundus, et in eis qui diligunt mundum, de quibus dictum est, *Et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 10); et de quibus dictum est, *Totus mundus in maligno positus est* (*I Joan.* V, 19); exposuit Apostolus cujus mundi essent rectores, *tenebrarum*, inquit, *harum*. Rectores mundi, dico, rectores tenebrarum harum. Rursus cogit nos intelligere quid dixerit, *tenebrarum harum*. Quarum tenebrarum rectores sunt diabolus et angeli ejus? Omnium infidelium, omnium iniquorum, de quibus dictum est : *Lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I, 5). Denique ex ipsorum numero credentibus multis, quid dicit idem apostolus? *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8). Non vis regi a diabolo? Migra ad lucem. Et unde migrabis ad lucem, nisi effundat ille frameam, et eruat te ab inimicis tuis, et a persequentibus te? Quomodo effundit frameam? (Quoniam jam audivimus quid sit framea ipsius : anima enim justi est.) Abundent justi, et effunditur framea, et concluditur adversus inimicos. Nam de ipsa effusione frameæ monens Apostolus ut juste vivamus, in consequenti ait : *Ut adversarius revereatur, nihil habens de nobis dicere pravum* (*Tit.* II, 8). Conclusum est adversus eum, quia quod loquatur adversus sanctos, non potest invenire.

5. Et unde erunt justi? Aut quid dicunt inimici qui nos persequuntur? invisibiles illi quid dicunt inimici? isti nihil? Maxime suggeritur humano cordi ab invisibiliter expugnantibus inimicis [2], quia Deus nobis non est adjutor : ut requirentes alia adjutoria, inveniamur invalidi, et ab inimicis ipsis capiamur. Hoc ergo suggeritur. Contra istas voces maxime vigilare debemus, quæ in alio psalmo ostenduntur : *Multi insurgunt adversum me, multi dicunt animæ meæ : Non est salus illi in Deo ejus* (*Psal.* III, 2, 3). Contra istas voces quid hic dicitur? *Dic animæ meæ, Salus tua ego sum*. Cum dixeris animæ meæ, *Salus tua ego sum*, juste vivet, ut neminem in adjutorium præter te quæram.

6. [Vers. 4.] Et quid sequitur? *Confundantur et revereantur requirentes animam meam* : ad hoc enim illam requirunt, ut perdant. Nam utinam bene quærant! In alio quippe psalmo hoc reprehendit in hominibus, quia non erat qui requireret animam ipsius : *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam* (*Psal.* CXLI, 5). Quis est ille qui dicit : *Non est qui requirat animam meam* [1]? Numquid forte ille est, de quo tanto ante prædictum est, *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea, ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* (*Psal.* XXI, 17 19)? Jam omnia ista ante oculos eorum fiebant, et nemo erat qui requireret animam ejus. Invocemus ergo, fratres, ut dicat animæ nostræ : *Salus tua ego sum*; et aperiat aures ejus, ut audiat dicentem : *Salus tua ego sum*. Dicit enim, sed quidam obsurdescunt : unde audiunt potius persequentes inimicos in tribulatione constituti. Si aliquid deest, si in angusto est anima, in inopia temporalium, quærit auxilium plerumque a dæmonibus, arreptitios dæmonum vult consulere, sortilegos [2] quærit : persecutores illam hostes invisibiles adierunt, intraverunt, expugnaverunt, captivaverunt, vicerunt dicendo : *Non est salus illi in Deo ejus*. Obsurduit contra vocem dicentem : *Salus tua ego sum. Dic animæ meæ : Salus tua ego sum*, ut *confundantur et revereantur requirentes animam meam*, cui dicis tu : *Salus tua ego sum*. Audiam dicentem mihi : *Salus tua ego sum*. Aliam salutem non requiram, præter Dominum Deum meum. De creatura mihi salus suggeritur; ab ipso est : et si levo oculos meos in montes, unde veniat auxilium mihi; non tamen a montibus, sed auxilium meum a Domino qui fecit cœlum et terram (*Psal.* CXX, 1, 2). In ipsis temporalibus angustiis per hominem subvenit Deus; salus tua ipse est. Per angelum subvenit Deus; salus tua ipse est. Omnia illi subjecta sunt, et ad istam quidem vitam temporalem subvenit, alii inde, alii inde : æternam vitam non dat nisi de se. Ecce in angustiis constituto non subest quod quæris, sed adest quem quæris. Et illum quære qui deesse nunquam potest. Subtrahantur quæ dedit; numquid subtrahitur qui dedit? Reddantur quæ dederat; numquid ipsæ sunt divitiæ cum redditæ fuerint illa, et non ille qui subtraxerat probando, et reddidit consolando? Consolatur enim quando nobis ista non desunt. Consolatur tanquam in via, sed si nos intelligamus viam : quia tota ista vita, et omnia quibus uteris in hac vita, sic tibi debent esse tanquam stabulum viatori, non tanquam domus habitatori. Memento peregisse te aliquid, restare aliquid : divertisse te ad refectionem, non ad defectionem.

7. Sunt qui dicunt : Deus bonus, magnus, summus, invisibilis, æternus, incorruptibilis, vitam æternam nobis daturus est, et illam incorruptionem

[1] Mss. nostri omnes omittunt, *hæc fabrica quam videmus*.
[2] Plerique Mss., *qui nos persequuntur invisibiles illi? quid dicunt inimici isti? Nihil maxime suggeritur humano cordi ab invisibiliter expugnantibus inimicis, nisi quia Deus*, etc.

[1] Omnes prope Mss. carent his verbis, *Quis est ille qui dicit, Non est qui requirat animam meam?* et eorum loco habent, *id est qui quærat, Quis est ille qui crucifigitur? Non est qui dicat, Numquid forte ille est*, etc.
[2] In antiquis codicibus hic et alibi constanter scriptum est, *sortilogos* : mutata vocali *e* in *o*.

quam in resurrectione promisit; ista vero sæcularia et temporalia ad dæmones pertinent, et ad potestates illas harum tenebrarum. Dicendo hæc, quando amore implicantur harum rerum, dimittunt Deum, quasi ad quem ista non pertineant; et quærunt nefandis sacrificiis, ac nescio quibus remediis, aut nescio qua hominum illicita persuasione, providere sibi quod temporale est, veluti pecuniam, uxorem, filios, et si qua sunt quæ humanam vitam aut consolantur transeuntem, aut impediunt ambulantem. Contra istam opinionem divina providentia vigilante, ut ostenderet Deus ad se pertinere ista omnia, et in sua esse potestate, non solum æterna quæ in futurum promisit, verum etiam temporalia quæ in terra dat quibus voluerit, et quando voluerit opportune, sciens cui det, cui non det, tanquam medicus medicamenta, sciens melius morbum ægroti quam ipse ægrotus: ut ergo Deus hoc ostenderet, distribuit tempora Veteris et Novi Testamenti. In Veteri Testamento promissiones sunt rerum terrenarum; in Novo autem, regni cœlorum. Pleraque præcepta Deum colendi et recte vivendi, ipsa sunt et ibi et hic: sed quia promissio ibi alia videtur, alia hic; jubentis imperium et obedientia servientis eadem est, sed merces quasi non est eadem. Etenim illis dictum est, ut accipiatis terram promissionis, ut in illa regnetis, ut inimicos vestros superetis, ut ab eis non subjugemini, ut omnia vobis abundent in hac terra, ut filios procreetis (*Exod.* XXIII, 25-31). Hæc terrena promissa sunt, sed tamen figurata. Fac aliquos sic illa accipere quomodo promissa sunt: et vere multi sic acceperunt. Nam data est terra filiis Israel, datæ sunt divitiæ, dati sunt filii et sterilibus et aniculis rogantibus Deum, et de ipso solo præsumentibus, et alium sibi adjutorem nec ad ista quærentibus. Vocem Domini in corde audierunt: *Salus tua ego sum.* Si ad æterna, quare non ad temporalia? Ostendit hoc Deus in causa viri illius sancti Job: quia et ipse diabolus auferendi hæc non habet potestatem, nisi cum acceperit a summa illa potestate. Invidere potuit sancto, nocere numquid potuit? Accusare potuit, damnare numquid potuit? Numquid valuit aliquid tollere, numquid vel unguem, numquid vel capillum lædere, nisi Deo diceret, *Mitte manum tuam* (*Job* I, 11)? Quid est, *Mitte manum tuam?* Da potestatem. Accepit. Ille tentavit, ille tentatus est. Tentatus tamen vicit, tentator victus est. Deus enim qui diabolo permiserat ut illa tolleret, illum servum suum interius non deseruerat, et ad ipsum diabolum superandum animam servi sui frameam sibi fecerat. Quantum valet hoc? De homine dico[1]. Victus in paradiso (*Gen.* III, 6), victor in stercore. Ibi victus est a diabolo per mulierem, hic vicit diabolum et mulierem. *Locuta es*, inquit, *tanquam una ex insipientibus mulieribus. Si bona percepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus* (*Job* II, 10)? Quam bene audierat: *Salus tua ego sum!*

8. *Confundantur et revereantur requirentes animam meam.* Respice ad homines. *Orate*, inquit, *pro inimicis vestris* (*Matth.* V, 44). Sed hic prophetia est. Et quæ figura optandi dicuntur, animo prophetandi explicantur. Illud fiat et illud fiat, nihil est aliud quam hoc et hoc futurum est. Sic ergo audite prophetiam: *Confundantur et revereantur requirentes animam meam.* Quid est, *confundantur et revereantur?* Confundentur et reverebuntur. Factum est enim: multi salubriter confusi sunt, multi reveriti a persecutione Christi ad societatem membrorum ejus devota pietate transierunt: et non fieret hoc, nisi confunderentur et revererentur. Ergo bene illis optavit. Sed quia duo sunt genera eorum qui vincuntur: duobus enim modis vincuntur; aut ad hoc vincuntur ut convertantur ad Christum; aut ad hoc vincuntur ut damnentur a Christo: explicata sunt et hic duo ipsa genera, obscure quidem, sed intellectorem desiderant. De his qui convertuntur, accipe quod dictum est, *Confundantur et revereantur requirentes animam meam. Avertantur retrorsum.* Non præcedant, sed sequantur; non dent consilium, sed accipiant. Nam Petrus præcedere voluit Dominum, quando Dominus de passione sua futura diceret: consilium illi quasi salutis voluit dare, consilium salutis æger salvatori. Et quid ait Domino de illa futura sua passione confirmanti? *Absit a te, Domine*, propitius tibi esto, *non fiet istud.* Præcedere volebat, ut Dominus sequeretur. Et ille quid? *Redi retro, Satana* (*Id.* XVI, 22, 23). Præcedendo satanas es, sequendo discipulus eris. Hoc ergo et istis, *Avertantur retrorsum, et confundantur, qui cogitant mihi mala.* Cum enim cœperint retrorsum sequi, jam non cogitabunt mala, sed desiderabunt bona.

9. [*vers.* 5, 6.] Quid alii? Non enim omnes sic vincuntur, ut convertantur et credant: multi in pertinacia remanent, multi spiritus præcedendi[1] servant in corde; et si non exserunt, tamen parturiunt, et ubi locum invenerint, pariunt. De talibus quid sequitur? *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti.* Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ (*Psal.* I, 4). Ventus tentatio est, pulvis iniquus. Quando venerit tentatio, tollitur pulvis; nec stat, nec resistit. *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti: et angelus Domini tribulans eos. Fiat via eorum tenebræ et lubricum.* Horrenda via. Tenebras solas quis non horreat? Lubricum solum quis non caveat? In tenebris et lubrico qua is? ubi pedem figis? Sunt ista duo mala magnæ pœnæ hominum: tenebræ, ignorantia; lubricum, luxuria. *Fiat via eorum tenebræ et lubricum: et angelus Domini persequens eos:* ut non possint stare. Nam unusquisque in tenebris et lubrico cum viderit quia si pedem moverit, labitur, et lux illi ante pedes non est; vel hoc forte facit, ut exspectet donec luceat: sed ibi est angelus Domini persequens eos. Hæc eis futura prædixit, non quasi ut evenirent optavit. Quanquam et Propheta in spiritu Dei sic ea dicat, quomodo illa Deus

[1] Hæc verba, *De homine dico*, absunt a Mss. plerisque.

[1] In Mss. pluribus, *renitendi.* In aliis, *retinendi.*

facit, certo judicio, bono, justo, sancto, tranquillo, non perturbatus ira, non amaro zelo, non animo inimicitiarum exercendarum, sed justitia vitiorum puniendorum; verumtamen prophetia est.

10. [*vers.* 7, 8.] Unde autem tanta mala ista? Quo merito? Audi, quo merito: *Quoniam gratis absconderunt mihi muscipulæ suæ corruptionem.* In ipso capite nostro attendite, hoc fecerunt Judæi, absconderunt muscipulæ suæ corruptionem. Cui absconderunt muscipulam? Qui videbat corda abscondentium. Sed tamen erat inter illos ignoranti similis quasi falleretur, cum illi in eo deciperentur, in quo eum falli arbitrabantur. Ideo enim ille tanquam fallebatur inter illos vivens, quia nos inter tales sic victuri eramus, ut sine dubio falleremur. Ille videbat traditorem suum, et elegit illum magis ad opus necessarium. Illius malo magnum bonum operatus est: et tamen inter duodecim electus est, ne ipse duodenarius tam exiguus numerus esset sine malo. Hoc ad exemplum nostræ patientiæ, quoniam necesse erat ut inter malos viveremus; necesse erat ut malos, sive scientes, sive nescientes, toleraremus: exemplum patientiæ præbuit ne deficias, cum cœperis inter malos vivere. Et quia illa schola Christi in duodecim non defecit, quanto magis nos firmi esse debemus, cum implentur in Ecclesia magna, quæ de malorum permixtione prædicta sunt? Neque enim videbat ipsa schola redditum semini Abrahæ quod erat promissum, et ipsam aream unde massa quæ implebit horreum, processura est. Quare igitur non, cum trituratur, in ea digne palea toleratur, donec ultima ventilatione purgetur? Hoc enim futurum est malis quod audistis.

11. Sed tamen quid faciendum est? *Gratis absconderunt mihi corruptionem muscipulæ suæ.* Quid est, *gratis?* Quibus nihil mali feci, quibus nihil nocui. *Vane exprobraverunt animam meam.* Quid est, *vane?* Falsa dicentes, nihil probantes. *Veniat illis muscipula, quam ignorant.* Magnifica retributio, nihil justius. Illi absconderunt muscipulam, ut ego ignorarem: illis veniat muscipula, quam ignorant. Nam ego scio muscipulam ipsorum. Quæ autem muscipula illis ventura est? Illa quam ignorant. Audiamus ne forte dicat illam: *Veniat illis muscipula, quam ignorant.* Forte aliam illi absconderunt, alia illis ventura est? Non: sed quid? Criniculis peccatorum suorum unusquisque constringitur (*Prov.* V, 22). Inde decipiuntur, unde decipere voluerunt. Inde illis nocebitur, unde nocere conati sunt. Sequitur enim: *Et captio quam occultaverunt, comprehendat illos.* Tanquam si quisquam veneni calicem præparet alicui, et oblitus ebibat: et tanquam si foveam fodiat quisquam, in quam quisque inimicus ejus in tenebris incidat; et ille oblitus quod foderat, ambulans ea via prior illuc cadat. Prorsus, fratres mei, ita credite, ita certi estote: ita si est in vobis excellentior[1] prudentiæ ratio, videte atque perspicite: Nemo malus non sibi prius nocet. Sic enim esse putate malitiam, quomodo ignem. Incendere vis aliquid: illud quod admoves, prius ardet, nisi ardeat, non incendit. Facula est, hanc faculam apponis ut aliquid incendat: numquid non ipsa facula quam apponis, prior ardet, ut aliquid possit incendere? Malitia ergo procedit ex te, et quem prius vastat nisi te? Quo profunditur ramum lædit, ubi radicem habet non lædit? Et quidem dico, quod malitia tua ut alteri non noceat fieri potest: ut autem tibi non noceat, fieri non potest. Nam quid nocitum est sancto viro Job, de quo prælocuti sumus? Quomodo in alio psalmo dicitur, *Sicut novacula acuta fecisti dolum* (*Psal.* LI, 4). Quid fit de acuta novacula? Capilli, res superfluæ deciduntur. Quid ergo facis ei quem vis nocere? Si nequam[1] tibi ad malum consentiat cui vis nocere, non malitia tua ei nocitura est, sed sua: si autem intus ipse malitia careat, et cor mundum subdat illi voci dicenti, *Salus tua ego sum,* forinsecus oppugnas, interiorem hominem non expugnas: malitia tamen tua ab interiore tuo procedit, te prius inanem reddit. Tu putris es intus, unde iste vermis processit; intus nihil integrum dereliquit. *Et captio quam occultaverunt, comprehendat eos: et in muscipula incidant in ipsa.* Non quod putabas forte paulo ante cum audires, *Veniat illis muscipula, quam ignorant,* id est, quasi aliquid aliud ex occulto inevitabile. In qua ergo? In ipsa iniquitate[2], quam mihi absconderunt. Nonne hoc factum est Judæis? Dominus eorum iniquitatem vicit, illi iniquitate sua victi sunt. Ille surrexit pro nobis, illi mortui sunt in se.

12. [*vers.* 9.] Hæc ergo malis nocere mihi volentibus: mihi quid? *Anima autem mea exsultabit in Domino:* tanquam in eo a quo audierit, *Salus tua ego sum:* tanquam non quærens alias extrinsecus divitias, tanquam non quærens circumfluere voluptatibus bonisque terrenis; sed conjugem verum gratis amans, non ab illo volens accipere quod delectet, sed ipsum solum sibi proponens a quo delectetur. Quid enim melius Deo dabitur mihi[3]? Amat me Deus: amat te Deus. Ecce proposuit, pete quod vis (*Matth.* VII, 7). Si tibi Imperator diceret, Pete quod vis, quos tribunatus comitivasque[4] ructares! Quanta tibi proponeres et accipienda et aliis largienda! Deo tibi dicente, Pete quod vis, quid petiturus es? Excute mentem tuam, exsere avaritiam tuam, protende quantum potes, et dilata cupiditatem tuam: non quicumque, sed omnipotens Deus dixit, Pete quod vis. Si possessionum es amator, desideraturus es totam terram, ut omnes qui nascuntur, coloni tui aut servi tui sint. Et quid cum totam terram possederis? Mare petiturus es, in quo vivere tamen non poteris. In hac avaritia te pisces superabunt. Sed forte insulas possidebis. Transcende et hæc, pete et aerem, quamvis volare

[1] Vatic. Ms. *excellentioris.*

[1] Edd., *si nequaquam.* Rectius Colb. Codex, *si nequam.*
[2] Mss.: *In ipsa inquam, quam,* etc.
[3] Plures Mss.: *Quid enim melius Deo? Dicit mihi aliquis, Amat me,* etc.
[4] Edd., *comitatusve.* Mss. vero plerique, *comitivasque*: quod vocabulum Comitis dignitatem et gradum sonat, reperiturque non raro in Cod. Theod. et Justin. et apud Cassiodorum in lib. Variar.

non possis : porrige cupiditatem tuam usque ad cœlum, dic tuum esse solem, lunam, stellas, quia ille qui fecit omnia dixit, Pete quod vis : tamen nihil invenies carius, nihil invenies melius, quam ipsum qui fecit omnia. Ipsum pete qui fecit, et in illo et ab illo habebis omnia quæ fecit. Omnia cara sunt, quia omnia pulchra sunt : sed quid illo pulchrius? Fortia sunt : sed quid illo fortius? Et nihil magis vult dare quam se. Si aliquid inveneris melius, pete. Si aliud præpetieris, injuriam facies illi, et damnum tibi, præponendo illi quod fecit, cum velit seipsum tibi dare qui fecit. In hoc amore dixit illi anima quædam : *Numquid ipse es pars mea, Domine* (*Psal.* LXXII, 26)? id est, tu es pars mea. Eligant sibi qui volunt quid possideant, faciant sibi partes de rebus : Pars mea tu es, te mihi elegi. Et iterum : *Dominus pars hæreditatis meæ.* Possideat te, ut possideas illum : eris prædium ipsius, eris domus ipsius. Possidet ut prosit, possidetur ut prosit. Numquid ut aliquid ei tu prosis? Nam *dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal*, XV, 5, 2). *Anima autem mea exsultabit in Domino. Delectabitur super salutare ejus.* Salutare Dei Christus est. Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum (*Luc.* II, 30).

13. [*vers.* 10.] *Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi?* Quis digne de his verbis aliquid dicat? Ego puto tantum pronuntianda esse, non exponenda. Quid quæris illud aut illud? Quid simile Domino tuo? Ipsum habes ante te. *Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi?* Narraverunt mihi injusti delectationes, sed non sicut lex tua, Domine (*Psal.* CXVIII, 85). Fuerunt persecutores qui dicerent : Adora Saturnum, adora Mercurium. Non colo, inquit, idola. *Domine, quis similis tibi?* Illi oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt (*Psal.* CXIII, 5, 6). *Domine, quis similis tibi*, qui fecisti oculum ad videndum, aurem ad audiendum? Sed non colo, inquit, idola, quia faber fecit. Cole arborem et montem : et hoc numquid faber fecit? Et hic : *Domine, quis similis tibi?* Terrena mihi ostenduntur, tu terræ creator es. Et hinc forte advertunt[1] ad superiorem creaturam, et dicunt mihi : Cole lunam, cole istum solem, qui luce sua, tanquam magna lucerna, de cœlo efficit diem. Et hic plane dico : *Domine, quis similis tibi?* Lunam et stellas tu fecisti, solem diei tu accendisti, cœlum tu composuisti. Sunt multa invisibilia meliora. Sed forte et hic dicitur mihi : Angelos cole, Angelos adora. Et hic dicam : *Domine, quis similis tibi?* Et ipsos Angelos tu creasti. Nihil sunt Angeli, nisi videndo te. Melius est cum ipsis possidere te, quam ipsos adorando cadere a te.

14. *Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi?* O corpus Christi sancta Ecclesia, omnia ossa tua dicant : *Domine, quis similis tibi?* Et si carnes persecutioni cesserunt, ossa dicant : *Domine, quis similis tibi?* De justis enim dictum est : *Diligit*[2] *Dominus omnia ossa eorum, unum ex illis non confringetur* (*Psal.* XXXIII, 21). Quam multis justis in persecutione ossa confracta sunt! Postremo, justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17), et Christus justificat impium (*Id.* IV, 5). Quomodo autem justificat, nisi credentem et confitentem? Quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Id.* X, 10). Ergo et ille latro, quamvis ex latrocinio ductus ad judicem, et a judice in crucem, tamen in ipsa cruce justificatus est : corde credidit, ore confessus est. Neque enim injusto et non jam justificato diceret Dominus : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43) : et tamen ossa ejus confracta sunt. Nam quando ventum est ut corpora deponerentur causa imminentis sabbati, inventus est Dominus jam exanimis, et non sunt ossa ejus comminuta (*Joan.* XIX, 33). Illi autem qui vivebant, ut deponerentur, confracta eis sunt crura, ut hoc dolore mortui possent sepeliri. Numquid unius latronis qui perseveravit impius in cruce, confracta sunt ossa, et non etiam illius qui corde credidit ad justitiam, ore confessus est ad salutem? Ubi est ergo hoc quod dictum est, *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur* (*Psal.* XXXIII, 21); nisi quia ossa dicuntur in corpore Domini omnes justi, firmi corde, fortes, nullis persecutionibus et tentationibus cedentes ad consentiendum malo? Et unde possent nullis tentationibus cedere, nisi cum persecutores dixerint, Ecce ille deus, ecce qualis ille deus : veniat ille, liget[1] tibi : ecce est hic nescio quis in monte magnus sacerdos : forte ideo pauper es, quia non te adjuvat ille deus; supplica illi, et adjuvat : forte ideo ægrotas, quia illi non supplicas; supplica illi, et convalesces : forte ideo filios non habes; supplica illi, et habebis. Hic vero si in corpore Domini de ossibus est, repellit omnes istas voces, et dicit : *Domine, quis similis tibi?* Da, si vis dare, et in hac vita, quod quæro : si autem non vis, tu esto vita mea, quem semper quæro. Hinc ad te libera fronte exeam, si alium adoravero, et te offendero? Cras forte moriturus sum, qua fronte te videbo? Magna misericordia ipsius, et monuit ut bene vivamus, et diem nobis novissimum mortis nostræ abscondit, ne nobis de futuro aliquid promittamus. Facio hodie, et vivo : cras non facio. Quid si te non invenit cras? Dic ergo inter ossa Christi : *Domine, quis similis tibi? Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi?*

15. *Eruens inopem de manu fortiorum ejus*[2], *egenum et pauperem a diripientibus eum.* Huc usque Psalmus lectus est hodie, huc usque tractandus est; ne in fastidium veniant quæ dicta sunt, dum volumus et alia dicere. Sufficiant ergo hodie hæc : *Eruens inopem de manu fortiorum ejus.* Quis eruens, nisi qui manu fortis est? Ille David eruet inopem de manu fortiorum ejus. Fortior enim fuerat diabolus ad tenendum te, quia ipse vicit cui consensisti. Sed quid fecit manu fortis? Nemo intrat in domum fortis ut vasa ejus diripiat, nisi prius alligaverit fortem (*Matth.* XII, 29).

[1] Aliqui Mss., *avertunt.*
[2] Plures Mss., *custodit.*

[1] Sic nonnulli Mss. Alii autem, *liget te.* Quidam, *nocet tibi.* Cæteri cum Edd., *neget tibi.*
[2] Meliores Mss. juxta LXX : *fortiorum ejus, et egenum et pauperem,* etc.

Potestate sua sacratissima, magnificentissima, alligavit diabolum, effundendo frameam ad concludendum eum, ut eruat inopem et egenum, cui non erat adjutor (*Psal.* LXXI, 12). Quis enim adjutor tibi, nisi Dominus cui dicis: *Domine, adjutor meus et redemptor meus* (*Psal.* XVIII, 15)? Si de tuis viribus præsumere volueris, inde cades unde præsumpseris: si de alterius, dominari vult, non subvenire. Ille ergo unus quærendus est, qui et redemit, et liberos fecit, et sanguinem suum ut eos emeret dedit, et servos suos fratres fecit.

SERMO II, HABITUS DIE PROXIMO POST SUPERIOREM SERMONEM.

De reliqua parte Psalmi.

1. Ad reliqua Psalmi intendamus animum, Dominumque et Deum nostrum, et de sanitate intelligendi, et de fructu bene agendi deprecemur. Quo usque hesterno die disputatum sit, credo meminisse Charitatem Vestram: ex ipso loco hodie sumamus exordium. Intelligimus enim hic vocem Christi; vocem scilicet capitis et corporis Christi. Christum cum audis, noli sponsum a sponsa separare, et intellige magnum illud sacramentum: *Erunt duo in carne una* (*Ephes.* V, 31). Si duo in carne una, quare non et in voce una? Non enim tentationes caput hic pertulit, et corpus non perfert: aut vero fuit causa patiendi capiti, nisi ut corpori præberet exemplum. Dominus enim voluntate passus est, nos necessitate: ille miseratione, nos conditione. Proinde illius voluntaria passio, nostra est necessaria consolatio; ut quando talia forte perpetimur, intueamur caput nostrum, ut ejus exemplo commoniti dicamus nobis: Si ille, quid nos? Et quemadmodum ille, ita et nos. Quantumlibet enim sævierit inimicus, usque ad mortem corporis accedere potuit: quod corpus nec ipsum exstinguere potuit in Domino, quia tertio die resurrexit. Quod in illo factum est die tertio, hoc in nostro in fine sæculi. Spes resurrectionis nostræ differtur, numquid aufertur? Cognoscamus hic ergo voces Christi, carissimi, et separemus eas a vocibus impiorum. Voces sunt enim corporis persecutionem angustiasque et tentationes in hoc sæculo patientis. Sed quoniam multi hic patiuntur, et pro peccatis et pro sceleribus suis; magna vigilantia discernenda est causa, non pœna. Sceleratus enim potest habere martyris similem pœnam, sed tamen dissimilem causam. Tres erant in cruce (*Luc.* XXIII, 33), unus Salvator, alius salvandus, alius damnandus: omnium par pœna, sed impar causa.

2. [*vers.* 11, 12.] Dicat ergo caput nostrum: *Insurgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.* Nos autem dicamus capiti nostro: Domine, quid ignorabas? Itane tu aliquid ignorabas? Nonne et interrogantium corda noveras? nonne eorum dolos ante prospexeras? nonne in eorum manus te sciens dederas? nonne ut ab eis patereris veneras? Quid ergo ignorabas? Ignorabat peccatum: et hoc peccatum ignorabat, non quasi non judicando, sed non committendo. Sunt hujusmodi locutiones etiam quotidianæ, cum dicis de aliquo, Non novit stare, hoc est, quia non stat: et, Non novit benefacere, quia non benefacit. Non novit malefacere, quia non malefacit. Quod alienum est ab opere, alienum est a conscientia: quod alienum est a conscientia, alienum videtur et a scientia. Ita dicitur Deus nescire, quomodo ars non novit vitia; et tamen per artem cognita dijudicantur [1]. Hoc ergo nobis caput nostrum interrogantibus ex ipsius Evangelii sui veritate respondet, cum dixerimus, Domine, quid ignorabas? quid tu potuisti interrogari quod nesciebas? Respondet: Iniquitates ignorabam, de iniquitatibus interrogabar. Habes in Evangelio, si non me credis ignorare iniquitates, quia et ipsos iniquos ignoro, quibus in fine dicturus sum: *Non novi vos, recedite a me qui operamini iniquitatem* (*Matth.* VII, 23). Numquid non noverat quos damnabat? aut potest juste damnare, nisi bonus cognitor [2]? Et tamen bonus cognitor non est mentitus, dicendo, *Non novi vos*: id est, non coaptamini corpori meo, non hæretis regulis meis: vitia estis [3]; ego autem ars ipsa sum quæ non habet vitium, et in qua quisque non discit nisi non facere vitium. *Insurgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.* Quid sic ignorabat Christus, quam blasphemare? Hinc interrogabatur a persecutoribus, et quia verum dixit, blasphemasse judicatus est (*Id.* XXVI, 65). Sed a quibus? De quibus sequitur, *Retribuebant mihi mala pro bonis, et sterilitatem animæ meæ.* Ego attuli fecunditatem, ipsi retribuebant sterilitatem; ego vitam, ipsi mortem; ego honorem, ipsi contumelias: ego medicinam, ipsi vulnera; et in his omnibus quæ retribuebant, utique sterilitas erat. Hanc sterilitatem in arbore maledixit, ubi fructum cum quæreret non invenit (*Id.* XXI, 19). Folia erant, et fructus non erant: verba erant, et facta non erant. Vide in verbis numerositatem, et in factis sterilitatem: Qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non adulterandum, adulteras (*Rom.* II, 21, 22). Tales erant qui Christum quæ ignorabat interrogabant.

3. [*vers.* 13.] *Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio: et humiliabam in jejunio animam meam: et oratio mea in sinum meum convertetur* (*a*). Docemur quidem, fratres, quia pertinemus ad corpus Christi, quia sumus membra Christi (I *Cor.* XII, 27): et admonemur in omni tribulatione nostra, non cogitare quemadmodum respondeamus inimicis, sed quemadmodum orando Deum propitiemus, et maxime ne tentatione vincamur; deinde, ut etiam illi qui nos persequuntur, ad sanitatem justitiæ convertantur. Nullum majus, nullum melius negotium est in tribulatione, quam recedere ab eo strepitu, qui foris est, et ire in interiora mentis secretaria (*Matth.* VI, 6); ibi Deum invocare, ubi nemo videt gementem et subvenientem; illius cubiculi adversus omnem extrinsecus illatam molestiam ostium claudere, humiliare seipsum in confessione peccati, magnificare et laudare Deum, et corripientem et consolantem [4]: prorsus hoc omni modo tenendum est.

[1] Plerique Mss.: *Et dicitur, Nescivit, quomodo ars non novit vitia, et tamen per artem cognita devitantur.*
[2] Sic Mss. At Edd., *damnari, nisi quia malus cognoscitur.*
[3] Sic Mss. At Edd., *vitiis hæsistis.*
[4] Edd., *consulentem.* Nonnulli vero Mss., *consolantem.*
(*a*) De eodem versu 13 tractatur supra, col. 225, n. 24.

Verumtamen in corpore hoc dixerimus, id est in nobis: in Domino autem nostro Jesu Christo quid tale agnoscimus? Evangelio perspecto et diligentissime perscrutato, non invenimus Dominum in aliqua passione et tribulatione sua induisse se cilicio. Jejunasse quidem eum legimus postea quam baptizatus est: cilicium ibi nullum audivimus, nullum legimus: jejunasse autem nondum Judæis persequentibus, sed diabolo tentante (*Matth.* IV, 1). Non eo tempore dico jejunasse Dominum, quando eum interrogabant quæ ignorat, et quando retribuebant mala pro bonis, insectando, persequendo, tenendo, flagellando, vulnerando, occidendo: sed tamen in his omnibus, fratres, si aliquantulum pia curiositate levemus velum, et interiora hujus Scripturæ oculo cordis intento rimemur, invenimus et hoc fecisse Dominum. Cilicium fortasse appellat carnis suæ mortalitatem. Quare cilicium? Propter similitudinem carnis peccati. Apostolus enim dicit: *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne* (*Rom.* VIII, 3): hoc est, Filium suum induit cilicio, ut de cilicio damnaret hœdos. Non quia peccatum erat, non dico in Verbo Dei, sed nec in ipsa quidem dico anima sancta et mente hominis, quem sibi ad unitatem personæ Verbum Dei et Sapientia coaptaverat; sed nec in ipso corpore peccatum ullum erat, sed similitudo carnis peccati erat in Domino; quia mors non est nisi de peccato (*Id.* V, 12), et utique corpus illud mortale erat. Nam nisi mortale esset, non moreretur; si non moreretur, non resurgeret; si non resurgeret, exemplum vitæ æternæ nobis non demonstraret. Ergo sic dicitur mors peccatum, quæ facta est peccato, quomodo dicitur lingua græca, lingua latina, non ipsum membrum carnis, sed quod fit per membrum carnis. Nam lingua in membris nostris unum est de cæteris, sicut oculi, nasus, aures, et cætera: lingua autem græca, verba græca sunt: non quia verba lingua, sed quia verba per linguam. Dicis de aliquo, Agnovi faciem ipsius, de membro corporis loquens: et dicis etiam, Agnovi manum ipsius absentis, non manum in corpore, sed scripturam quæ facta est per manum quæ erat in corpore. Sic ergo peccatum Domini, quod factum est de peccato, quia inde carnem assumpsit, de massa ipsa quæ mortem meruerat ex peccato. Etenim ut celerius dicam, Maria [1] ex Adam mortua propter peccatum, Adam mortuus propter peccatum, et caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata. Hoc cilicio se induit Dominus: et ideo non est agnitus, quia sub cilicio latitabat. *Cum mihi*, inquit, *molesti essent, induebam me cilicio*: id est, illi sæviebant, ego latebam. Si enim latere nollet, nec mori posset, quandoquidem uno temporis puncto stillam quamdam potestatis suæ, si vel [2] stilla dicenda est, exseruit, quando eum tenere voluerunt, et ad unam ejus interrogationem, Quem quæritis, redierunt omnes retro et ceciderunt (*Joan.* XVIII, 4, 6). Tantam potestatem in passione non humiliaret, nisi sub cilicio lateret.

4. Ergo *induebam me cilicio: et humiliabam in jejunio animam meam.* Iterum si intelleximus cilicium, quomodo intelligimus jejunium? Manducare volebat Christus, quando poma quærebat in arbore, et si inveniret manducaret (*Marc.* XI, 13)? Bibere volebat Christus, quando dixit mulieri Samaritanæ, *Da mihi bibere* (*Joan.* IV, 7), dixit in cruce, *Sitio* (*Id.* XIX, 28)? Quid esurivit, quid sitivit Christus, nisi bona opera nostra? In illis enim crucifigentibus et persequentibus, quia nulla bona opera invenerat, jejunabat: retribuebant enim sterilitatem animæ ipsius. Nam quale jejunium ipsius fuit, qui vix invenit unum latronem, quem in cruce gustaret? Apostoli enim fugerant, et se in turba absconderant. Et ille Petrus qui se usque ad mortem Domini perseveraturum esse promiserat, jam ter negaverat, jam fleverat, et adhuc in turba latebat, adhuc timebat ne agnosceretur. Postremo illo viso mortuo, omnes de salute ipsa desperaverunt: quos desperantes invenit post resurrectionem, et locutus cum eis invenit eos dolentes et lugentes, nihil jam sperantes. Nam et ita sunt quidam eorum eum eo locuti, cum diceret: *Quid loquimini inter vos?* Illi enim de illo loquebantur: *Tu solus*, inquiunt, *peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ fecerunt sacerdotes et principes nostri de Jesu Nazareno, qui erat potens in factis et dictis, quomodo eum crucifixerunt et occiderunt? Nos autem sperabamus, quia ipse erat redempturus Israel* (*Luc.* XXIV, 18-21). In magno jejunio Dominus remanserat, nisi reficeret quos voraret. Nam refecit eos, consolatus est eos, confirmavit eos, et in corpus suum convertit eos. Fuit ergo et hoc modo in jejunio Dominus noster.

5. *Et oratio mea*, inquit, *in sinum meum convertetur.* In hoc plane versu magnus sinus est, et præstet Dominus ut penetrabilis nobis fiat. In sinu enim secretum agnoscitur. Et quidem, fratres, et nos orare sic bene admonemur in sinu nostro, ubi Deus videt, ubi Deus audit, quo nullus oculus humanus penetrat, quo non videt nisi qui subvenit; ubi oravit Susanna, et cum ejus vox ab hominibus non audiretur, a Deo tamen audita est (*Dan.* XIII, 35, 44). Et hoc bene admonemur: sed in Domino nostro aliquid plus debemus intelligere, quia et ipse oravit. Et quidem cilicium ejus non agnoscimus in Evangelio secundum litteram. Nec jejunium ejus tempore passionis secundum litteram: adeoque ea exposuimus in allegoria et similitudine dicta, ut potuimus. Orationem vero ejus et de cruce audivimus: *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti* (*Psal.* XXI, 2; *Matth.* XXVII, 46)? Sed et ibi nos eramus [1]. Quando enim eum dereliquit Pater, a quo nunquam discessit? Legimus etiam in monte orasse solum Jesum, legimus pernoctasse in oratione; etiam sub tempus ipsius passionis (*Id.* XIV, 23; *Luc.* VI, 12).

[1] Ita Lov. et maxima pars Mss. At Er., *Maria ex Adam mortua propter peccatum Adæ, Adam mortuus est propter peccatum*, etc. Duo Mss. Vatic. et Colb., *Maria ex Adam, Adam mortuus propter peccatum*, etc. Flor., denique, *Maria ex Adam primo, Adam secundus ortus ex Maria propter delenda peccata.*

[2] Sic Mss. At Edd., *vera.*

[1] Sic Mss. At Edd., *oramus.*

In sinum ergo *meum convertetur oratio mea.* Nescio quid melius intelligam de Domino : interim nunc quod occurrit, forte melius aliquid postea occurret, vel mihi, vel cuiquam meliori, *in sinum meum convertetur oratio mea,* hoc intelligo dictum, quia in sinu suo habebat Patrem. Deus enim erat in Christo mundum reconcilians sibi (II *Cor.* v, 19). In se habebat quem deprecaretur : non erat ab illo longe, quia ipse dixerat : *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* xiv, 10). Sed quia oratio ad ipsum magis hominem pertinet : secundum enim quod Verbum est Christus, non orat, sed exaudit; et non sibi subveniri quærit, sed cum Patre omnibus subvenit : quid est, *Oratio mea in sinum meum convertetur,* nisi, in meipso humanitas, in meipso interpellat divinitatem?

6. [*vers.* 14.] *Sicut proximum, sicut fratrem nostrum, ita complacebam : tanquam lugens et contristatus, ita humiliabar.* Ad corpus suum respicit : jam nos hic videamus. Quando gaudemus in oratione, quando mens nostra serenatur, non prosperitate sæculi, sed luce veritatis : qui sentit hanc lucem, novit quod dico, et videt hic, agnoscitque quod dictum est, *Sicut proximum, sicut fratrem nostrum, ita complacebam.* Sic enim tunc anima placet Deo, non longe posita; *In illo,* inquit, *movemur et sumus* (*Act.* xvii, 28) : quasi fratri, quasi propinquo, quasi amico. Si autem non est talis, ut possit sic gaudere, sic fulgere [1], sic propinquare, sic adhærere, et videt longe se inde; faciat quod sequitur : *Tanquam lugens et contristatus, ita humiliabar. Ut fratrem nostrum, ita complacebam,* propinquans dixit : *Ut lugens et contristatus, sic humiliabar,* remotus et longe positus dixit. Quid enim luget, nisi quod desiderat et non habet? Et nonnunquam in uno homine utrumque contingit, ut aliquando propinquet, et aliquando longe fiat : propinquat luce veritatis, longe fit nubilo carnis. Neque enim, fratres, Deo qui ubique est, et nullo continetur loco, aut per loca propinquamus, aut ab illo per loca removemur. Propinquare illi, est similem illi fieri; recedere ab illo, dissimilem illi fieri. Nonne cum vides duas res prope similes, dicis, Propinquat hæc illi? Et quando tibi dissimilia demonstrantur, quamvis uno loco et plerumque una manu teneantur, dicis, Longe est hæc species ab illa? Ambas tenes, ambas adjungis, et dicis, Longe est hæc res ab illa : non utique loco, sed dissimilitudine. Si ergo vis appropinquare, similis esto : si non vis esse similis, longinquabis. Sed cum similis es, gaude; cum dissimilis, geme : ut gemitus excitet desiderium, imo desiderium excitet gemitum, et per gemitum propinques, qui cœperas longinquare. Nonne Petrus propinquavit, quando dixit : *Tu es Christus Filius Dei vivi?* Et rursum idem ipse longe factus est dicendo : *Domine, absit a te, non fiet istud.* Denique tanquam proximus quid dixit propinquanti? *Beatus es, Simon Barjona.* Tanquam longinquanti et dissimili quid dixit : *Redi retro, satanas.* Illi propinquanti : *Non tibi revelavit caro et sanguis,* inquit, *sed Pater meus qui in cœlis est :* illius lux te perfudit, illius luce fulges. Quando autem longe factus contradixit passioni Domini futuræ pro salute nostra : *Non sapis,* inquit, *quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum* (*Matth.* xvi, 16, 17, 22, 23). Merito ambas res ponens quidam in psalmo ait : *Ego dixi in ecstasi mea : Projectus sum a facie oculorum tuorum* (*Psal.* xxx, 23). In ecstasi non diceret, nisi propinquaret : ecstasis enim mentis excessus est. Effudit super se animam suam, et propinquavit Deo : et per quamdam nubem, pondusque carnis rursus in terram projectus, recolens ubi fuisset, et videns ubi esset, dixit : *Projectus sum a facie oculorum tuorum.* Ergo, *Sicut proximum, sicut fratrem nostrum, ita complacebam,* præstet ut fiat in nobis. Quando autem non fit, vel hoc fiat, *Tanquam lugens et contristatus, ita humiliabar.*

7. [*vers.* 15.] *Et adversus me lætati sunt et convenerunt* in unum. Illi læti, ego tristis. Sed modo audivimus in Evangelio, *Beati qui lugent* (*Matth.* v, 5). Si beati qui lugent, miseri qui rident. *Adversus me lætati sunt et convenerunt : congregata sunt in me flagella, et ignoraverunt.* Quoniam quæ ignorabam interrogabant me, et ipsi ignoraverunt quem interrogarent.

8. [*vers.* 16.] (*a*) *Tentaverunt me, et subsannaverunt me subsannatione.* Id est, irriserunt me, insultaverunt mihi : hoc capiti, hoc corpori. Attendite, fratres, ad gloriam Ecclesiæ, quæ nunc est; respicite opprobria ejus præterita, respicite aliquando undique fugatos esse Christianos, et ubicumque inventos, illusos, cæsos, occisos, bestiis objectos, incensos, lætatos homines adversus illos. Quod capiti, hoc et corpori. Sicut enim Domino in cruce, sic corpori ipsius in omni illa quæ jam facta est persecutione : nec desinunt etiam nunc persecutiones ipsorum. Ubicumque invenerint christianum, solent insultare, exagitare, irridere, vocare hebetem, insulsum, nullius cordis, nullius peritiæ. Quidquid volunt faciant, Christus in cœlo est : quidquid volunt faciant, honoravit ille pœnam suam, jam crucem suam in omnium frontibus fixit : impius insultare permittitur, sævire non permittitur; sed tamen ex eo quod lingua promit, intelligitur quid gestet in corde. *Striderunt in me dentibus suis.*

9. [*vers.* 17]. *Domine, quando respicies? Restitue animam meam ab astutiis eorum, a leonibus unicam meam.* Nobis enim tardum est, et ex persona nostra hoc dictum est, *Quando respicies?* id est, quando videbimus vindictam de his qui nobis insultant? quando illam viduam judex tædio victus exauditurus est (*Luc.* xviii, 3)? Verumtamen judex noster non tædio, sed amore differt salutem nostram; ratione, non inopia; non quia non potest et modo subvenire, sed ut numerus omnium nostrum usque in finem possit impleri. Et tamen nos ex desiderio quid dicimus? *Domine, quando respicies? Restitue animam meam ab astutiis eorum, a leonibus unicam meam :* id est Ecclesiam meam a sævientibus potestatibus.

[1] Edd., *fugere.* Melius Mss., *fulgere.*

(*a*) Hic omittit priorem partem versiculi 15, quam post attingit in Enarr. Psal. lvii, n. 20.

10. [*vers.* 18.] Denique vis nosse quid sit illa unica? Lege sequentia : *Confitebor tibi, Domine, in Ecclesia multa, in populo gravi laudabo te.* Plane *in Ecclesia multa, confitebor tibi, in populo gravi laudabo te.* Fit enim confessio in omni multitudine, sed non in omnibus Deus laudatur : tota multitudo audit confessionem nostram, sed non in omni multitudine laus Dei est. In ista enim omni multitudine, id est in Ecclesia, quæ toto orbe terrarum diffusa est, palea est et frumentum : palea volat, frumentum manet; ideo *in populo gravi laudabo te.* In gravi populo, quem ventus tentationis non aufert, in his Deus laudatur. Nam in palea blasphematur semper. Quando palea nostra attenditur, quid dicitur? Ecce quomodo vivunt Christiani, ecce quid faciunt Christiani; et fit quod scriptum est : *Quoniam nomen meum per vos blasphematur in Gentibus* (*Isai.* LII, 5; *Rom.* II, 24). Inique, invide, aream inspicis, qui totus in palea es, non tibi facile grana occurrunt : quære, et invenies populum gravem, in quo Dominum laudes. Vis invenire? Esto talis. Nam si non fueris talis, difficile est ut non omnes tales tibi videantur qualis es : *Et comparantes*, ait Apostolus, *semetipsos sibimetipsis* (II *Cor.* x, 12), non intelligunt, *In populo gravi laudabo te.*

11. [*vers.* 19-21.] *Non insultent mihi qui adversantur mihi inique :* insultant enim mihi de palea mea. *Qui oderunt me gratis :* hoc est, quibus nihil nocui. *Et annuentes oculis :* hoc est, hypocritæ simulati. *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur.* Quid est, *annuentes oculis?* Pronuntiantes vultu quod in corde non gestant. *Et annuentes oculis* qui sunt? *Quoniam mihi quidem pacifice* [1] *loquebantur : et super iram dolose cogitabant. Et dilataverunt in me os suum.* Primo annuentes oculis, leones illi quærentes rapere et devorare, primo blandientes pacifica loquebantur, et super iram dolose cogitabant. Quæ pacifica loquebantur? *Magister, scimus quia nullius personam accipis, et in veritate viam Dei doces : Licet dare tributum Cæsari, an non licet?* Mihi quidem pacifica loquebantur. Quid ergo? Eos tu non agnoscebas, et fallebant te oculis annuentes? Imo agnoscebat; ideo ait : *Quid me tentatis, hypocritæ* (*Matth.* XXII, 16-18)? Postea dilataverunt in me os suum, clamantes : *Crucifige, crucifige! Dixerunt : Euge, euge, viderunt oculi nostri.* Hoc jam insultando, *Euge, euge, prophetiza nobis, Christe* (*Id.* XXVI, 68). Quomodo simulata erat pax ipsorum, quando tentabant de nummo, sic jam insultatoria laus eorum. *Dixerunt : Euge, euge, viderunt oculi nostri :* id est, facta tua, mirabilia tua. Hic est Christus [2] *Si ipse est Christus, descendat de cruce, et credimus ei. Alios salvos fecit, seipsum salvum facere non potest* (*Id.* XXVII, 42). *Viderunt oculi nostri.* Hoc est totum quod se jactabat, quod se Filium Dei dicebat (*Joan.* XIX, 7). Dominus autem patiens hærebat in cruce : non potentiam perdiderat, sed sapientiam demonstrabat. Quid enim illi erat magnum de cruce descendere, qui potuit postea de sepulcro resurgere? Sed cessisse videretur insultantibus : et hoc oportebat, ut resurgens suis se ostenderet, et non illis, in magno sacramento; quia resurrectio ipsius vitam novam significabat, vita autem nova amicis nota est, non inimicis.

12. [*vers.* 22.] *Vidisti, Domine, ne sileas.* Quid est, *ne sileas?* Judica. De judicio etenim dicitur quodam loco : *Tacui, numquid semper tacebo* (*Isai* XLII, 14)? Et de dilatione judicii dicitur peccatori : *Hæc fecisti, et tacui; suspicatus es iniquitatem, quod ero tibi similis* (*Psal.* XLIX, 21). Quomodo tacet qui loquitur per Prophetas, qui loquitur ore suo in Evangelio, qui loquitur per Evangelistas, qui loquitur per nos quando verum dicimus? Quid ergo? Silet a judicio, non a præcepto, non a doctrina. Hoc autem judicium ipsius invocat [1] quodam modo Propheta, et prædicit : *Vidisti, Domine, ne tacueris :* id est, quia non silebis, quia necesse est ut judices. *Domine, ne discedas a me.* Donec veniat judicium, ne discedas a me, sicut promisisti : *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20).

13. [*vers.* 23.] *Exsurge Domine, et intende judicio meo.* Cui judicio? Quia tribulatus es, quia laboribus et doloribus cruciatus es? Nonne ista etiam multi mali patiuntur? Cui judicio? Ideo justus, quia ista pateris? Non : sed quid? *Judicio meo.* Quomodo sequitur? *Intende judicio meo, Deus meus et Dominus meus, in causam meam.* Non in pœnam meam, sed in causam meam : non in id quod mecum habet latro commune, sed in illud quod *beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Id.* v, 10). Hæc enim causa discreta est. Nam pœna similis est bonis et malis. Itaque martyres non facit pœna, sed causa. Nam si pœna martyres faceret, omnia metalla martyribus plena essent, omnes catenæ martyres traherent, omnes qui gladio feriuntur coronarentur. Ergo discernatur causa. Nemo dicat : Quia patior justus sum. Quia ipse qui primo passus est, pro justitia passus est : ideo magnam exceptionem addidit : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Nam multi habentes bonam causam faciunt persecutionem; et habentes malam causam patiuntur persecutionem. Si enim persecutio non posset fieri bene, non diceretur in psalmo : *Detrahentem proximo suo occulte, hunc persequebar* (*Psal.* c, 5). Deinde, fratres, pater bonus et justus nonne persequitur filium luxuriosum? Persequitur vitia ejus, non ipsum; non quod genuit, sed quod ille addidit. Medicus nempe qui ad salutem adhibetur, nonne ferro plerumque armatur? Sed contra vulnus, non contra hominem. Secat, ut sanet : et tamen cum secat ægrotum, dolet ille, clamat, resistit, et si forte febre mentem perdiderit, etiam medicum cædit; nec tamen ille desistit a salute ægrotantis [2], quod novit facit, illum maledicentem, conviciantem non curat. Nonne excitantur cuncti lethargici, ne somno gravi premantur in mortem? Et hoc

[1] Aliquot Mss., *pacifica.*
[2] Quatuor Mss., *hoc est Christus.*

[1] Sic nonnulli Mss. At Edd., *vocat.*
[2] Plures Mss., *eroganda.*

patiuntur a filiis suis quos carissimos genuerunt; et non est carus filius, nisi fuerit dormienti patri molestus. Lethargici excitantur, phrenetici ligantur: sed tamen utrique amantur. Nemo ergo dicat, Persecutionem patior: non ventilet pœnam, sed probet causam; ne si causam non probaverit, numeretur cum iniquis. Ideo quam vigilanter, quam optime hic commendavit, *Domine, intende judicio meo*, non pœnis meis: *Deus meus et Dominus meus*, *in causam meam.*

14. [*vers.* 24-26.] *Judica me, Domine, secundum justitiam meam.* Hoc est, in causam meam. Non secundum pœnam meam, sed *secundum justitiam meam*, *Domine Deus meus;* id est, secundum hoc me judica.

15. *Et non insultent in me:* inimici mei. *Non dicant in corde suo: Euge, euge, animæ nostræ;* id est, Fecimus quod potuimus, occidimus, abstulimus. *Non dicant:* Ostende quia nihil fecerunt. *Non dicant: Absorbuimus eum.* Unde illi martyres dicunt: *Nisi quia Dominus erat in nobis, fortasse vivos absorbuissent nos* (*Psal.* CXXIII, 1, 3). Quid est, *absorbuissent nos?* In corpus suum trajecissent nos. Hoc enim absorbes, quod in corpus tuum trajicis. Vult te mundus absorbere: tu absorbe mundum, trajice illum in corpus tuum, macta et manduca. Quod Petro dictum est, *Macta et manduca* (*Act.* X, 13): occide in eis quod sunt, fac eos quod tu es. Illi autem contra si tibi persuaserint impietatem, absorberis ab eis. Non quando persequuntur te, ab his absorberis; sed quando tibi persuadent quod sunt. *Nec dicant: absorbuimus eum.* Tu absorbe corpus Paganorum. Quare corpus Paganorum? Vult te absorbere, fac illi quod vult tibi facere. Ideo fortasse vitulus ille comminutus in aquam missus, et potum datus est, ut absorberetur ab Israel corpus impiorum (*Exod.* XXXII, 20). *Erubescant et revereantur simul, qui gratulantur malis meis: induantur confusione et verecundia:* ut nos illos absorbeamus erubescentes et confusos. *Qui maligna loquuntur adversum me:* illi erubescant, illi confundantur.

16. [*vers.* 27, 28.] Quid tu jam caput cum membris? *Exsultent et lætentur qui volunt justitiam meam:* qui hæserint corpori meo. *Et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus. Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam.* Et cujus lingua durat meditari tota die laudem Dei? Ecce modo paulo longior sermo factus est, fatigamini. Tota die Deum laudare quis durat? Suggero remedium, unde tota die laudes Deum, si vis. Quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum. Quando cantas hymnum, laudas Deum: lingua tua quid agit, nisi laudet et conscientia tua? Cessasti ab hymno cantando, discedis ut reficiaris? Noli inebriari, et laudasti Deum. Discedis ut dormias? Noli surgere ad malefaciendum, et laudasti Deum. Negotium agis? noli fraudem facere, et laudasti Deum. Agrum colis? Noli litem movere, et laudasti Deum. In innocentia operum tuorum præpara te [1] ad laudandum Deum tota die.

[1] Aliquot Mss.: *Innocentia operum tuorum præparat te*, etc.

IN PSALMUM XXXV

ENARRATIO.

SERMO HABITUS FORTE DIE SABBATI, EX N. 19.

1. [*vers.* 2.] Intendat Charitas Vestra paululum textum et mysteria psalmi hujus; et curramus eum, quia in multis locis apertus est: ubi autem obscuritatis necessitas nos immorari coegerit, tolerabitis fructu discendi. *Dixit injustus ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos ejus.* Non unum hominem, sed genus hominum iniquorum dicit, qui sibi adversantur, non intelligendo ut bene vivant; non quia non possunt, sed quia nolunt. Aliud est enim quando quisque conatur aliquid intelligere, et per infirmitatem carnis non potest, sicut dicit quodam loco Scriptura: *Quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15): aliud autem quando perniciosius agit adversum seipsum cor humanum, ut quod possit intelligere, si bona voluntas accederet, non intelligat, non quia difficile est, sed quia voluntas adversa [1] est. Hoc autem fit dum amant peccata sua, et oderunt præcepta Dei. Sermo enim Dei adversarius tuus est, si tu amicus sis iniquitatis tuæ: si autem tu adversarius sis iniquitatis tuæ, sermo Dei amicus tuus est, et adversarius iniquitatis tuæ. Si ergo odisti iniquitatem tuam, jungis te sermoni Dei; et eritis duo adversus illam perimendam, tu et sermo Dei. Tu enim per te ex viribus tuis nihil potes: adjuvat te ille qui tibi sermonem misit, et vincitur iniquitas. Si tu illam odisti; et Deus dimisit, et eris liber: si autem ipsam diligas; contrarium est tibi intelligere quidquid contra illam dicitur. Fac hominem quærere quomodo sit æqualis Filius Patri; credidit, quærit intelligere, nondum potest. Magna enim res est, et vires majores desiderat ut possit capi; et est initium fidei quod custodit animam donec roboretur. Lacte nutritur ut perveniat ad habitudinem et firmitatem cibi solidioris; ut possit intelligere, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Antequam hoc possit, nutritur in fide: et conatur intelligere, ut intelligat quantum Deus dederit. Numquid et hoc cum conatu intelligit: *Quod tibi fieri non vis, alii ne feceris* (*Tob.* IV, 16); ut quia non vis pati iniquitatem, non facias iniquitatem; quia non vis pati dolum et insidias, non insidieris alteri? Hoc autem cum non vis intelligere, voluntati tuæ tribuitur. Ideo *dixit injustus*, *ut delinquat in semetipso:* proposuit delinquere.

2. Sed numquid qui proponit delinquere, publice hoc dicit, et non in semetipso? Quare in semetipso? Quia homo illum non videt. Quid ergo, quia homo non videt, in ipso corde, ubi sibi dicit ut delinquat, Deus ibi non videt? Videt ibi Deus. Sed quid sequitur? *Non est timor Dei ante oculos ejus.* Ante oculos timor hominum est. Non audet enim publice profiteri iniquitatem, ne vel reprehendatur, vel damnetur ab hominibus. Discedit autem a conspectu hominum:

[1] Octo Mss., *aversa.*

quo? Ad semetipsum : ducit se intro, et nemo illum videt : ubi meditatur dolos et insidias et delicta, nemo videt. Posset nec ibi apud se meditari, si cogitaret quia Deus illum videt : sed quia non est timor Dei ante oculos ejus, cum discesserit a conspectu hominum ad cor suum, ibi quem timeat? Numquid non ibi est præsens Deus? Sed non est timor Dei in conspectu ejus.

3. [*vers.* 3.] Meditatur ergo dolos : et sequitur, (Forte latet illum, quia Deus ibi videt? Etiam ostenditur quod dicere cœperam : latet illum, sed volentem; quia contra se fecit nolens intelligere.) *Quoniam dolose egit in conspectu ejus.* In cujus conspectu? Cujus timor non est ante oculos ejus qui dolose egit. *Ut inveniret iniquitatem suam, et odisset.* Iste sic egit ut non inveniret. Sunt enim homines qui quasi conantur quærere iniquitatem suam, et timent illam invenire; quia si illam invenerint, dicitur illis, Recedite ab illa : hæc fecisti antequam scires, iniquitatem fecisti cum esses in ignorantia; dat Deus veniam : modo cognovisti eam; dimitte illam ut possit facile ignorantiæ tuæ venia dari, et libera fronte dicas Deo, *Delicta juventutis meæ et ignorantiæ meæ ne memineris* (*Psal.* XXIV, 7). Hac illam quærit, hac timet ne inveniat illam : dolose enim quærit. Non sciebam quia peccatum est, quando dicit homo? Cum viderit quia peccatum est, et destiterit facere ipsum peccatum, quod ideo faciebat, quia ignorabat; vere sic voluit nosse iniquitatem, ut inveniret, et odisset. Nunc autem multi dolose agunt, ut inveniant iniquitatem suam, id est, non ex animo agunt invenire et odisse. Sed quia in ipsa inquisitione dolus est, in inventione defensio iniquitatis erit. Cum enim invenerit iniquitatem, ecce jam manifestum est illi, quia iniquitas est. Noli illam facere, inquis. Et ille qui dolose agebat ut inveniret, jam invenit, et non odit : quid enim dicit? Quam multi hoc faciunt, et quis hoc non facit? Et numquid omnes perditurus est Deus? Aut certe hoc dicit : Si nollet Deus illa fieri, viverent homines qui ista committunt? Vides quia dolose agebas ad inveniendam iniquitatem tuam? Nam si non dolose, sed sinceriter ageres, jam invenisses et odisses : modo invenisti et defendis : dolose ergo agebas, cum quæreres.

4. [*vers.* 4.] *Verba oris ejus iniquitas et dolus : noluit intelligere, ut bene ageret.* Videtis quia voluntati illud tribuit : quia sunt homines qui volunt intelligere, et non possunt; sunt autem homines qui nolunt intelligere, ideo non intelligunt. *Noluit intelligere ut bene ageret.*

5. [*vers.* 5.] *Iniquitatem meditatus est in cubili suo.* Quid dixit, *in cubili suo? Dixit injustus, ut delinquat in semetipso :* quod dixit superius, *in semetipso*; hoc hic dixit, *in cubili suo.* Cubile nostrum est cor nostrum : ibi tumultum patimur malæ conscientiæ : et ibi requiescimus, quando bona conscientia est. Qui amat cubile cordis sui, aliquid boni ibi agat. Ibi est cubile, ubi nos Dominus Jesus Christus jubet orare : *Intra in cubiculum tuum, et claude ostium tuum.* Quid est, *claude ostium tuum?* Noli talia exspectare de Deo, quæ forinsecus sunt; sed ea quæ intrinsecus sunt; *Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* (*Matth.* VI, 6). Quis est qui non claudit ostium? Qui talia petit a Deo pro magno et ibi constituit omnes preces suas, ut accipiat ea quæ sunt hujus sæculi bona. Patet ostium tuum, turba videt cum oras. Quid est claudere ostium tuum? Ut hoc petas a Deo, quod solus Deus novit quomodo tibi det. Quid est hoc propter quod claudis ostium, et petis? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*Isai.* LXIV, 4; I *Cor.* II, 9). Et forte non ascendit in ipsum cubile tuum, id est in cor tuum. Sed Deus novit quid tibi daturus est. Quando autem erit? Quando revelabitur Dominus, quando apparebit judex. Quid enim manifestius quam quod dicturus est ad dexteram positis? *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34). Audient hæc illi qui ad sinistram erunt, et gement infructuosa pœnitentia (*Sap.* V, 3); quia cum ita viverent, eam fructuose noluerunt agere. Quomodo gement? Quia non est illis locus correctionis. Audient autem et ipsi : *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Iste est auditus malus. Nam justi ad auditum bonum gaudebunt; sic enim scriptum est : *In memoria æterna erit justus, ab auditu malo non timebit* (*Psal.* CXI, 7). A quo auditu malo? Quem audituri sunt illi, *Ite in ignem æternum.* Deus ergo qui potest supra quam petimus aut intelligimus facere (*Ephes.* III, 20), occultum gemitum nostrum quærit, ut in conspectu ejus placeamus, et non nos quasi de justitia nostra ante homines jactemus. Qui enim de justitia sua placere vult hominibus, non eo fine ut homines qui eum vident Deum laudent, sed ea intentione ut ipse laudetur, non claudit ostium contra strepitum : quia patet ostium illo strepitu, et non audit Deus quomodo audire vult. Cubile ergo cor nostrum laboremus mundare, ubi possit nobis bene esse. Novit Charitas Vestra quam multa multi patiuntur in publico, in foro, in jurgiis, in contentionibus, in molestiis negotiorum : quomodo quisque fatigatus negotiis foris, currit ad domum suam ut ibi requiescat, et dat operam cito finire negotia quæ foris sunt, et tollere se ad requiem in domum suam. Ideo enim unusquisque domum suam habet, quia ibi requiescit. Si vero et ibi molestias patiatur, ubi potest requiescere? Quid ergo? Bonum est ut vel in domo sua requiem habeat. Si autem patitur foris inimicos, intus forte malam uxorem; procedit in publicum : cum vult requiescere ab his quæ foris sunt, intrat in domum : quando vero nec ibi requiescit, nec foris requiescit, ubi erit requies? Saltem in cubiculo cordis, ut tollas te ad interiora conscientiæ tuæ. Si ibi invenisti forte conjugem, quæ tibi non faciat amaritudinem, sapientiam Dei; cum ipsa conjungere, quiesce intus in cubiculo tuo, non inde te ejiciat fumus malæ conscientiæ. At ille ut meditaretur dolos, illuc se tollebat, de quo loquitur ista Scriptura, ubi homines

non vident; et talia ibi meditabatur, ut nec in ipso corde requiesceret. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo.*

6. *Astitit omni viæ non bonæ.* Quid est, *astitit?* Perseveranter peccavit. Unde et de quodam pio et bono dicitur: *Et in via peccatorum non stetit* (*Psal.* I, 1). Quomodo ille non stetit, sic iste astitit. *Malitiam autem non odio habuit.* Ibi est finis, ibi fructus: si non potest non habere malitiam, vel oderit illam. Cum enim odisti illam, vix tibi subrepit ut aliquid mali facias. Est enim peccatum in mortali corpore: sed quid dicit Apostolus? *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus* (*Rom.* VI, 12). Quando incipit non esse? Quando complebitur in nobis quod ait: *Cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem* (I *Cor.* XV, 53). Antequam hoc fiat, est delectatio iniquitatis in corpore; sed major est delectatio voluptatis verbi sapientiæ, præcepti Dei. Vince peccatum et voluntatem ejus. Peccatum et iniquitatem oderis, ut jungas te Deo qui tecum illud oderit. Jam conjunctus[1] mente legi Dei, mente servis legi Dei. Et si carne propterea servis legi peccati (*Rom.* VII, 25), quia sunt in te delectationes quædam carnales, tunc nullæ erunt quando jam non pugnabis. Aliud est non pugnare, et esse in pace vera atque perpetua, aliud pugnare et vincere; aliud pugnare et vinci; aliud nec pugnare, sed trahi. Sunt enim homines prorsus qui non pugnant, qualis est iste de quo loquitur: cum enim dicit, *Malitiam non odio habuit*; quomodo pugnat contra eam quam non odit? Iste a malitia trahitur, nec pugnat. Sunt autem qui pugnare incipiunt; sed quia de viribus suis præsumunt, ut ostendat illis Deus quia ipse vincit, si se homo subjungit Deo, et pugnantes vincuntur, et cum quasi cœperint tenere justitiam, fiunt superbi, et eliduntur. Isti pugnant, sed vincuntur. Quis est autem qui pugnat, et non vincitur? Qui dicit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Vide pugnantem[2]: sed non de viribus suis præsumit iste, ideo victor erit. Quid enim sequitur? *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 23-25). Præsumit de eo qui jussit ut pugnet, et vincit hostem adjutus a jubente[3]. Iste autem *malitiam non odio habuit.*

7. [*Vers.* 6.] *Domine, in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes.* Nescio quam misericordiam ipsius dicit, quæ in cœlo est. Est enim misericordia Domini et in terra. Habes scriptum: *Misericordia Domini plena est terra* (*Psal.* XXXII, 5). De qua ergo misericordia loquitur, cum dicit: *Domine, in cœlo misericordia tua?* Munera Dei partim temporalia sunt atque terrena, partim æterna et cœlestia: qui propter hoc colit Deum, ut terrena ista atque temporalia accipiat, quæ omnibus præsto sunt, quasi adhuc ut pecus est; utitur quidem misericordia Dei, sed non illa quæ excepta est[1], quæ non dabitur nisi solis justis, sanctis, bonis. Quæ sunt munera quæ omnibus abundant? Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V, 45). Quis non habet istam misericordiam Dei, primo ut sit, ut[2] discernatur a pecoribus, ut rationale sit animal, qui possit Deum intelligere, deinde frui ista luce, isto aere, pluvia, fructibus, diversitate temporum, solatiis terrenis, salute corporis, affectu amicorum, salute domus suæ? Omnia ista bona sunt, et Dei munera sunt. Ne putetis, fratres, quod aliquis illa poterit dare, nisi unus Deus. Quicumque ergo non exspectant ista, nisi a Domino, multum interest inter hos et eos qui illa quærunt aut a dæmonibus, aut a sortilegis, aut a mathematicis. Isti enim duobus modis miseri sunt, quia et terrena sola bona desiderant, et non ab eo petunt qui dat omnia bona. Qui vero ista bona desiderant, et in his bonis felices esse volunt, et ista sola petunt a Deo, hoc quidem meliores sunt, quia a Deo petunt; sed adhuc periclitantur. Dicit aliquis: Quare periclitantur? Aliquando enim considerant res humanas, et vident ista omnia bona terrena, quæ desiderant, habere atque abundare impios et iniquos, et putant quia perdiderunt mercedem colendi Deum, quia id quod mali habent, et ipsi habent[3], cum ipsi colant Deum, quem non colunt illi; aut aliquando illi qui colunt non habent, et illi habent qui blasphemant: ergo in periculo sunt adhuc.

8. Hic autem vere intellexit quam misericordiam deprecetur a Deo. *Domine, in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes:* id est, misericordia quædam quam donas sanctis tuis, cœlestis est, non terrena; æterna est, temporalis non est. Et quomodo illam potuisti annuntiare hominibus? Quia *veritas tua usque ad nubes.* Nam quis posset nosse cœlestem misericordiam Dei, nisi annuntiaret Deus hominibus? Quomodo illam annuntiavit? Mittendo veritatem suam usque ad nubes. Quæ sunt nubes? Prædicatores verbi Dei. Unde quodam loco Deus iratus est cuidam vineæ. Intelligit enim, quantum puto, Charitas Vestra, audivit Isaiam prophetam, ubi dicit de quadam vinea: *Exspectavi ut faceret uvam, fecit autem spinas.* Et ne quis putaret de vinea ista visibili dicere, sic conclusit: *Vinea* autem *Domini Sabaoth, domus Israel est; et homo Juda, novellum dilectum.* Ergo ipsam vineam increpabat, quam exspectavit ut faceret uvam, fecit autem spinas. Et quid ait? *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam.* Iratus Deus hoc dixit: *Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam* (*Isai.* V, 4, 6, 7); et vere factum est. Missi sunt enim prædicatores Apostoli. Sic habemus in Actibus Apostolorum, quia apostolus

[1] Reg. et Vatic. Mss.: *Jam conjunctus es*, etc.

[2] Post verba, *legi mentis meæ*, apud Am. habetur sic: *Vide repugnantem legem legi mentis suæ, vide repugnantem, sed non*, etc. Apud Er.: *Videt repugnantem legem legi mentis suæ, videt repugnantem.* Apud Lov.: *Vide repugnantem legi mentis suæ, vide repugnantem*, etc. Quo loco Mss. Reg. et Vatic. secuti sumus.

[3] Sic aliquot Mss. At Edd., *et vincat hostem adjutus ab adjutante.*

[1] Edd., *quam exspectaturus est.* Mss. autem magno consensu, *excepta est.*

[2] Ita in Mss. At in Edd., *primo ut sic discernatur.*

[3] Edd., *aut ipsi non habent.* At vero Mss. absque negatione, *et ipsi habent.*

Paulus volebat prædicare Judæis, et invenit ibi non uvam, sed spinas: cœperunt enim pro bonis mala reddere, et persequi. Et ait, tanquam implens quod dictum est, *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam: Ad vos missi eramus, sed quia respuistis verbum Dei, ecce convertimur ad Gentes* (*Act.* XIII, 46). Ergo impletum est, *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam.* Usque ad nubes veritas venit: ideo nobis potuit nuntiari misericordia Dei quæ in cœlo est, et non in terra. Et revera, fratres, nubes sunt prædicatores verbi veritatis. Quando minatur per prædicatores Deus, tonat per nubes. Quando miracula facit per prædicatores Deus, coruscat per nubes, terret per nubes, et irrigat per pluviam. Prædicatores ergo isti, per quos[1] prædicatur Evangelium Dei, nubes Dei sunt. Speremus ergo misericordiam, sed illam quæ in cœlo est.

9. [*vers.* 7.] *Justitia tua sicut montes Dei: judicia tua sicut abyssus multa.* Qui sunt montes Dei? Qui dicti sunt nubes, ipsi sunt et montes Dei: magni prædicatores, montes Dei. Et quomodo, quando oritur sol, prius luce montes vestit, et inde lux ad humillima terrarum descendit: sic quando venit Dominus noster Jesus Christus, prius radiavit in altitudinem Apostolorum, prius illustravit montes, et sic descendit lux ejus ad convallem terrarum. Et ideo quodam loco dicit in psalmo: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Sed noli putare, quia ipsi montes tibi dabunt auxilium: accipiunt enim quod dent, non de suo dant. Et si remanseris in montibus, non erit firma spes tua: sed in illo qui illuminat montes spes tua et præsumptio tua debet esse. Auxilium autem veniet tibi de montibus, quia Scripturæ per montes tibi ministratæ sunt, per magnos prædicatores veritatis: sed noli in illis figere spem tuam. Audi quid dicat consequenter: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Quid ergo? Montes tibi dant auxilium? Non: audi sequentia: *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram* (*Psal.* CXX, 1, 2). De montibus venit auxilium, sed non a montibus. Et a quo? *A Domino qui fecit cœlum et terram.* Erant montes alii, per quos unusquisque cum duceret navim, naufragium faceret. Emerserunt enim principes hæresum, et montes erant. Arius mons erat, Donatus mons erat, Maximianus[2] modo quasi mons factus est. Multi in istos montes attendentes, et terram desiderantes, cum de fluctibus volunt liberari, ad saxa compulsi sunt, et naufragium in terra fecerunt. A talibus montibus non seducebatur ille qui ait: *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montes sicut passer* (*Psal.* X, 2)? Nolo sit spes mea in Ario, nolo in Donato: *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram.* Discite quantum præsumatis de Deo, et quantum tribuatis hominibus; quia maledictus omnis qui spem suam ponit in homine (*Jerem.* XVII, 5). Modestissime et humiliter sanctus apostolus Paulus zelans vere Ecclesiam, sed sponso, non sibi, et horrens illos quando voluerunt dicere, *Ego sum Pauli, ego Apollo* (I *Cor.* III, 4); suam personam potius assumpsit, quam calcaret et contemneret, ut Christum glorificaret: *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis* (*Ibid.* I, 13)? Repellit a se, sed ut mittat ad Christum. Non vult a sponsa amari pro sponso nec amicum sponsi[1]. Amici enim sponsi Apostoli. Huic sponso et ille humilis Joannes, qui putabatur Christus, zelabat. Unde ait: *Non sum ego Christus, sed qui post me venit, major me est, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere* (*Joan.* I, 20; *Marc.* I, 7). Vere quia tantum se humilians, ostendit se non esse sponsum, sed amicum sponsi; et ideo ait: *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi* (*Joan.* III, 29). Et si amicus sponsi mons est, non tamen a se habet lucem mons: sed audit, et gaudio gaudet propter vocem sponsi. *Nos*, inquit, *de plenitudine ejus accepimus.* De cujus plenitudine? Illius qui *erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Id.* I, 16, 9). Huic ergo zelabat Ecclesiam et Apostolus dicens: *Sic nos existimet homo quasi ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei:* hoc est, *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Sic nos existimet homo quasi ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (I *Cor.* IV, 1). Sed ne iterum spes tua figatur in montibus et non sit in Deo, audi: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit*; et: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (*Ibid.* III, 6, 7). Jam ergo dixisti: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi:* sed quia *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*; dic: *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram:* et, *Justitia tua sicut montes Dei*, id est, montes implentur justitia tua[2].

10. *Judicia tua sicut multa abyssus.* Abyssum dicit profunditatem peccatorum, quo quisque pervenit contemnendo Deum; sicut quodam loco dicit: *Dedit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, facere quæ non conveniunt.* Intendat Charitas Vestra. Magna res est, magna res agitur. Quid est hoc? *Dedit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, facere quæ non conveniunt.* Ergo si Deus illos dedit in concupiscentias cordis eorum, facere quæ non conveniunt, ideo faciunt tanta illa mala? Quasi aliquis proponat quæstionem: Si Deus hoc facit, ut faciant quæ non conveniunt, quid ipsi fecerunt? Occultum est quod audisti: *Dedit illos Deus in concupiscentias cordis eorum.* Ergo fuit concupiscentia, quam vincere noluerunt, cui traderentur judicio Dei. Sed ut digni haberentur qui traderentur[3].

[1] Mss. nullo fere excepto: *Carnes ergo istæ per quas*, etc.

[2] Edd., *Maximinianus.* Mss. Reg. et Vatic., *Maximus.* Sed melius alii quindecim Mss., *Maximianus.* Ipse est nimirum de Donatistarum schismate diaconus, qui adversus Primianum factus Carthaginensis episcopus, caput exstitit Maximianistarum. Consule Enarr. in Psal. 36, serm. 2.

[1] Sic Mss. At Edd., *sed pro amico sponsi.*

[2] Quinque Mss., *implent justitiam tuam.* Alii tres, *implet justitia tua.*

[3] Editio Er., *quam vincere noluerunt non cui traderentur, judicio Dei; sed qua digni haberentur, qui traderentur in concupiscentias reliquas. Vide quid*, etc. Refragantur Lov. et nostri Mss.

vide quid de illis superius dixit : *Qui cum cognovissent Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum.* Unde? De superbia. *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Inde jam sequitur, *Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum* (*Rom.* I, 21, 22, 24). Quia ergo fuerunt superbi et ingrati, digni habiti sunt qui traderentur in concupiscentias cordis sui, et facti sunt abyssus multa, ut non solum peccarent, sed etiam dolose agerent, ne intelligerent iniquitatem suam, et odissent. Ista profunditas est malitiæ, ut nollent invenire et odisse. Sed ad istam profunditatem quomodo quisque pervenit, vide[1] : *Judicia Dei abyssus multa.* Sicut montes Dei justitia ejus, qui per gratiam ipsius fiunt magni : sic et per judicia ipsius fiunt in profundo, qui merguntur in ultima. Hac ergo delectent te montes, hac avertere ab abysso, et convertere ad id quod dicitur : *Auxilium meum a Domino.* Sed unde? *Quia levavi oculos meos in montes.* Quid est hoc? Latine dicam : In Ecclesia Christi invenis abyssum, invenis et montes; invenis ibi pauciores bonos, quia montes pauci sunt, abyssus lata est, id est (*a*), multos male viventes ab ira Dei, quia sic egerunt ut traderentur in concupiscentias cordis sui, ut jam defendant peccata sua, et non confiteantur, sed dicant : Quare? quid feci? Et ille illud fecit; et ille hoc fecit. Jam etiam defendere volunt quod arguit sermo divinus : abyssus est. Ideo quodam loco ait Scriptura, audi abyssum : *Peccator*, inquit, *cum venerit in profundum malorum, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3). Ecce *judicia tua sicut abyssus multa.* Sed nondum es mons, nondum es abyssus : fuge abyssum, attende in montes; sed nec remaneas in montibus. Auxilium enim tuum a Domino, qui fecit cœlum et terram.

11. [*vers.* 8.] *Homines et jumenta salvos facies, Domine; sicut multiplicata est misericordia tua, Deus.* Quia dixit, Misericordia tua in cœlo; ut et in terra esse sciatur, ait, *Homines et jumenta salvos facies, Domine; sicut multiplicata est misericordia tua, Deus.* Magna est misericordia tua, et multiplex misericordia tua, Deus : et hanc das et hominibus et jumentis. Salus enim hominum a quo? A Deo. Numquid salus jumentorum a Deo non est? Qui enim fecit hominem, ipse fecit et jumenta; qui utrumque fecit, utrumque salvat : sed salus jumentorum temporalis est. Sunt autem qui pro magno hoc petunt a Deo quod dedit jumentis. *Multiplicata est misericordia tua, Deus*, ut non solum hominibus, sed et jumentis detur, quæ datur hominibus, ista carnalis et temporalis salus.

12. Ergo homines non habent aliquid apud Deum exceptum, quod jumenta non mercantur, et quo jumenta non perveniant? Habent plane. Et ubi est quod habent? *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt.* Attendat Charitas Vestra dulcissimam sententiam : *Homines et jumenta salvos facies.* Jam dixit *homines et jumenta*, deinde autem, *filii hominum :* quasi alii sint homines, alii autem filii hominum. Aliquando in Scripturis filii hominum dicuntur generaliter homines, aliquando proprie quodam modo dicuntur filii hominum, propria quadam significatione, ut non omnes homines intelligantur : maxime quando habet distinctionem. Non enim sine causa ibi positum est, *Homines et jumenta salvos facies, Domine : filii autem hominum :* quasi his sequestratis, custodit sejunctos filios hominum. Sejunctos a quibus? Non solum a jumentis, sed et ab hominibus, qui salutem jumentorum quærunt a Deo, et pro magno hoc desiderant. Qui sunt ergo filii hominum? Qui sub tegmine alarum ejus sperant. Illi enim homines cum jumentis gaudent in re, filii autem hominum gaudent in spe : illi præsentia bona sectantur cum jumentis, isti futura bona sperant cum Angelis. Quare ergo cum distinctione illi vocantur homines, et isti vocantur filii hominum? Nam et quodam loco sic ait Scriptura : *Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum* (*Psal.* VIII, 5)? Quid est homo quod memor es ejus? Memor ejus es, quasi absentis; filium autem hominis visitas præsentem. Quid est, memor es hominis? *Homines et jumenta salvos facies, Domine:* quia et ipsis malis das salutem, et ipsis qui non desiderant regnum cœlorum. Tuetur enim illos, et non illos deserit secundum modum suum, tanquam pecora sua : et non illos deserit; tamen tanquam absentium memor est. At vero quem visitat, filius hominis est; et dicitur ei : *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt.* Et si vultis discernere ista duo genera hominum, duos homines primo attendite, Adam et Christum. Audi Apostolum : *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* XV, 22). Nascimur de Adam, ut moriamur : resurgimus[1] per Christum, ut semper vivamus. Quando portamus imaginem terreni hominis, homines sumus : quando portamus imaginem cœlestis hominis, filii hominum sumus; quia Christus Filius hominis dictus est (*Matth.* VIII, 20, etc.). Etenim Adam homo erat, sed filius hominis non erat : ideo illi pertinent ad Adam qui desiderant carnalia bona, et salutem istam temporalem. Hortamur illos ut filii sint hominum, qui sub tegmine alarum ejus sperent, et misericordiam illam desiderent, quæ in cœlo est, et quæ annuntiata est per nubes. Sed si non possunt adhuc, interim vel temporalia bona non desiderent, nisi ab uno Deo : sic et in Veteri Testamento serviant[2], ut ad Novum perveniant.

13. Nam et populus ille terrena bona desideravit, et regnum Jerusalem, subjectionem inimicorum suorum, abundantiam fructuum, salutem propriam, salutem filiorum suorum. Talia desiderabant, et talia accipiebant, sub Lege[3] custodiebantur. Desiderabant

[1] Plerique Mss., *quomodo quisque pervenit? Unde? judicia Dei*, etc. Et postea nonnulli prosequuntur : *Sicut montes Dei, judicia Dei; qui per gratiam ipsius fiunt magni, per judicia ipsius fiunt in profundo, quia merguntur in ultima.*

(a) Forte, *ibi*.

[1] Sic Mss. At Edd., *resurgemus.*

[2] Aliquot Mss., *sic et Veteri Testamento serviant.* Alii, *sic et in Veteri Testamento servantur.*

[3] Nostri omnes Mss. omittunt, *sub lege.*

a Deo bona, quæ dat et jumentis, quia nondum ad illos venerat Filius hominis, ut essent Filii hominum: tamen jam habebant nubes annuntiantes Filium hominis. Venerunt ad illos Prophetæ, annuntiaverunt Christum: et erant ibi quidam qui intelligebant, et spem futuram habebant, ut acciperent misericordiam, quæ in cœlo est. Erant ibi qui nonnisi carnalia desiderarent et terrenam ac temporalem felicitatem. Ipsis labebantur pedes ad facienda vel adoranda idola. Quando enim illos admonebat, et flagellabat in his omnibus quibus delectabantur, et auferebat ea, patiebantur famem, bella, pestilentias, morbos, et convertebantur ad idola. Talia bona quæ pro magno a Deo desiderare debebant, ab idolis desiderabant, et dimittebant Deum. Attendebant enim ipsa bona, quæ quærebant, abundare impiis et sceleratis, et putabant se frustra Deum colere, quia non dabat mercedem terrenam. O homo! operarius es Dei; postea est tempus mercedem accipiendi: quid jam flagitas mercedem antequam opereris? Si venerit operarius ad domum tuam, numquid dabis mercedem ante, nisi perfecerit opera sua? Nam perversum eum existimabis, si dixerit: Prius accipiam mercedem, et tunc operabor. Irasceris. Quare autem irasceris? Quia non habuit fidem homini mendaci. Quomodo Deus non irascetur, cum tu fidem non habeas ipsi veritati? Quod tibi promisit, daturus est: non fallit, quia veritas est qui promisit. Sed times ne forte non habeat quod det? Omnipotens est. Noli timere, ne non sit qui det; immortalis est. Non timeas, ne succedatur ei; perpetuus est: securus esto. Si vis in te præsumere tota die operarium tuum, crede et tu Deo tota vita tua; quia vita tua momentum temporis est ad Deum. Et eris, quid? *Filii autem hominum* [1] *sub tegmine alarum tuarum sperabunt.*

14. [*vers.* 9.] *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Nescio quid nobis magnum promittit. Vult illud dicere, et non dicit: non potest, an nos [2] non capimus? Audeo dicere, fratres mei, etiam de sanctis linguis et cordibus, per quas nobis veritas nuntiata est, nec dici potest quod annuntiabant, nec cogitari. Res enim magna est et ineffabilis: et ipsi ex parte in ænigmate viderunt, sicut dicit Apostolus: *Videmus nunc ex parte in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*I Cor.* XIII, 12). Ecce in ænigmate videntes sic eructabant. Quales erimus, cum viderimus facie ad faciem quod ipsi parturiebant corde, et lingua parere non poterant ut caperent homines? Quæ enim necessitas fuerat ut diceret: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ?* Quæsivit verbum unde loqueretur de rebus humanis, quod diceret: et quia vidit homines ingurgitantes se in ebrietate, accipere autem vinum immoderate, et mentem perdere; vidit quid diceret, quia cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo humana mens, et fit divina, et inebriatur ab ubertate domus Dei. Unde et in alio psalmo dicitur: *Calix tuus inebrians quam præclarus est* (*Psal.* XXII, 5)! Hoc jam calice inebriati erant Martyres, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant. Quid tam ebrium, quam non agnoscere uxorem flentem, non filios, non parentes? Non agnoscebant, non eos ante oculos esse arbitrabantur. Nolite mirari; ebrii erant. Unde ebrii erant? Videte: acceperunt calicem unde inebriarentur. Unde et ille gratias Deo agit, dicens: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV, 12, 13). Ergo, fratres, simus filii hominum, et speremus sub tegmine alarum ejus, et inebriemur ab ubertate domus ejus. Quomodo potui dixi et quomodo possum video, et quomodo video, dicere non possum. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: et torrentem* [1] *voluptatis tuæ potabis eos.* Torrens dicitur aqua veniens cum impetu. Impetus erit misericordiæ Dei, ad irrigandos et inebriandos qui modo ponunt spem sub umbraculo alarum ejus. Voluptas illa quæ est? Quasi torrens inebrians sitientes. Modo ergo qui sitit, spem ponat: qui sitit, habeat spem, inebriatus habebit rem: antequam habeat rem, sitiat in spe. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* v, 6).

15. [*vers.* 10.] Quo ergo fonte irrigaberis, et unde currit tantus [2] torrens voluptatis ejus? *Quoniam apud te,* inquit, *fons vitæ.* Quis est fons vitæ, nisi Christus? Venit ad te in carne, ut irroraret fauces tuas sitientes: satiabit sperantem, qui irroravit [3] sitientem. *Quoniam apud te fons vitæ* [4], *in lumine tuo videbimus lumen.* Hic aliud est fons, aliud lumen: ibi non ita. Quod enim est fons, hoc est et lumen: et quidquid vis, illud vocas, quia non est quod vocas; quia non potes congruum nomen invenire, non remanet in uno nomine. Si diceres, quia lumen est solum, diceretur tibi: Sine causa ergo mihi dictum est ut esuriam et sitiam: quis enim est, qui manducet lumen? Illud plane recte mihi dictum est: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Ibid.*, 6, 8): si lumen est, oculos meos parem. Para et fauces; quia illud quod lumen est, et fons est: fons, quia satiat sitientes; lumen, quia illuminat cæcos. Hic aliquando alibi lumen, alibi fons. Aliquando enim currunt fontes et in tenebris; et aliquando in eremo pateris solem, non invenis fontem: hic ergo possunt ista duo esse separata: ibi non fatigaberis, quia fons est; non tenebraberis, quia lumen est.

16. [*vers.* 11.] *Prætende misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam his qui recto sunt corde.* Quod sæpe diximus, quia illi sunt recti corde, qui sequuntur in hac vita voluntatem Dei. Voluntas Dei est aliquando ut sanus sis, aliquando ut ægrotes: si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei, et quando ægrotas, amara est voluntas Dei; non recto corde es. Quare?

[1] Duo Mss.: *Ad Deum sit spes tua, et eris filius hominis. Filii autem hominum*, etc.
[2] Edd.: *Non potest ad id animus, non capimus.* Concinnior est Mss. lectio, quam hic restituimus.

[1] Sic melioris notæ Mss. juxta LXX [*torrente*].
[2] Plures Mss., *tanquam.*
[3] Sic plerique Mss. At Edd., *irrigavit.*
[4] Edd.: *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine*, etc. illæ voces, *est, et*, absunt a Mss. et a Græco LXX.

Quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curvare ad tuam. Illa recta est, sed tu curvus: voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curvanda est ad te: et rectum habebis cor. Bene est in hoc sæculo, benedicatur Deus qui consolatur: laboratur in sæculo, benedicatur Deus quia emendat et probat: et eris recto corde dicens, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII. 2).

17. [*vers.* 12.] *Non veniat mihi pes superbiæ.* Certe jam dixit, Sub umbraculo alarum tuarum sperabunt filii hominum, et inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. Cum cœperit quisque isto fonte uberius irrigari, caveat ne superbiat. Non enim deerat [1] Adæ primo homini: sed venit illi pes superbiæ, et movit illum manus peccatoris, id est manus diaboli superba [2]. Quomodo ille qui eum seduxit, dixit, *Ponam sedem meam ad Aquilonem* (*Isai.* XIV, 13): sic illi persuasit, *Gustate, et eritis sicut dii* (*Gen.* III, 5). Superbia ergo lapsi sumus, ut ad istam mortalitatem perveniremus. Et quia nos superbia vulneraverat, humilitas facit sanos. Venit humilis Deus, ut a tanto superbiæ vulnere curaret hominem. Venit, quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14). Comprehensus est a Judæis, insultatum est ei. Audistis cum Evangelium legeretur, quid dixerunt, et cui dixerunt, *Dæmonium habes* (*Id.* VIII, 48): et ille non dixit, Dæmonium habetis vos, quia vos in peccatis vestris estis, et diabolus possidet corda vestra. Non hoc dixit, quod si diceret, verum diceret; sed non erat tempus ut hoc diceret, ne non veritatem prædicare, sed maledictum reddere videretur. Dimisit quod audivit, quasi non audisset. Medicus enim erat, et phreneticum curare venerat. Quomodo medicus non curat quidquid audiat a phrenetico, sed quomodo convalescat et fiat sanus phreneticus; nec si et pugnum ab illo accipiat curat; ille illi facit nova vulnera, ille veterem febrem sanat: sic et Dominus ad ægrotum venit, ad phreneticum venit, ut quidquid audiret, quidquid passus esset contemneret, hoc ipso eos docens humilitatem, ut humilitate docti, sanarentur a superbia; de qua iste liberari deprecatur dicens: *Non veniat mihi pes superbiæ; et manus peccatoris* [3] *non moveat me.* Si enim venerit pes superbiæ, movet manus peccatoris. Quæ est manus peccatoris? Male suadentis operatio. Factus es superbus? Cito te corrumpit, qui male suadet. Humilis figere [4] in Deo, et non valde cures quid tibi dicatur. Hinc est quod alibi dicitur: *Ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo* (*Psal.* XVIII, 13, 14). Quid est, *Ab occultis meis? Non veniat mihi pes superbiæ.* Quid est, *Et ab alienis parce servo tuo? Neque manus peccatoris moveat me.* Serva quod intus est, et non timebis foris.

18. [*vers.* 13.] Quare autem valde hoc times? Quasi diceretur, *Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem;* ut venirent ad illam abyssum, de qua dictum est, *Judicia tua sicut abyssus multa;* ut ad illud profundum pervenirent, ubi peccatores qui contemnunt, ceciderunt [1]. *Ceciderunt:* ubi primo ceciderunt? In pede superbiæ. Audite pedem superbiæ: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Venit ergo illis pes superbiæ, unde venerunt in profundum: *Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, facere quæ non conveniunt* (*Rom.* I, 21, 24). Radicem peccati, et caput peccati timuit qui dixit: *Non veniat mihi pes superbiæ.* Quare illum pedem dixit? Quia superbiendo Deum deseruit, et discessit: pedem ipsius, affectum ipsius dixit. *Non veniat mihi pes superbiæ; et manus peccatoris non moveat me*: id est, opera peccatoris non me dimoveant a te, ut imitari illa velim. Quare autem contra superbiam hoc dicit, *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem?* Quia [2] qui modo iniqui sunt, in superbia ceciderunt. Ideo cum cautam faceret Dominus Ecclesiam, ait: *Illa tuum,* inquit, *observabit caput, et tu ejus calcaneum* (*Gen.* III, 15). Serpens observat quando tibi veniat pes superbiæ, quando labaris, ut dejiciat; tu autem caput ejus observa: initium omnis peccati superbia (*Eccli.* X, 15). *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare:* prior ille qui in veritate non stetit, deinde per eum illi quos dimisit Deus de paradiso. Unde ille humilis qui non se dicit dignum solvere corrigiam calceamenti, non est expulsus, sed stat et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi (*Joan.* I, 27; III, 29), et non propter suam, ne veniat ei pes superbiæ, et expellatur, nec possit stare.

19. Et si cum labore aliquibus vestrum tædio fuerimus, finivimus Psalmum, transivit tædium, et gratulabimur, quia Psalmus totus expositus est. In medio jam timens ne onerarem vos, dimissurus eram: sed cogitavi quia intentio nostra præcideretur, et non sic rediretur ad dimidium, quomodo si excurreremus totum; et malui vobis gravis esse, quam re imperfecta reliquias servare. Debetur enim vobis etiam crastinus sermo: orate pro nobis ut valeamus exhibere, et afferte fauces esurientes et corda devota.

[1] Sic tredecim Mss. At Edd., *inerat.*

[2] Aliquot Mss., *superbi.* Quidam, *superbum.* Nonnulli denum, *per superbiam.*

[3] Plures Mss. juxta LXX, *peccatorum.*

[4] Sic potiores Mss. Alii vero, *humilis fiere.* Edd., *satage humilis fieri.*

[1] Plures Mss., *ubi peccator qui contemnit, cecidit.*

[2] Abest, *quia*, a Mss.

IN PSALMUM XXXVI

ENARRATIO (*a*).

SERMO I (*b*).

De prima parte Psalmi.

1. Novissimus dies terribiliter venturus auditur eis qui securi esse bene vivendo nolunt, et male vivere diu volunt. Utiliter autem Deus latere voluit illum diem, ut semper sit paratum cor ad exspectandum quod esse venturum scit, et quando venturum sit

(*a*) Hic silentio præterire non licet quod in S. Fulgentii Vita narratur, cap. 3, scilicet cum ipse animo jam ante decrevisset renuntiare sæculo, aliquando tandem « Beati Augustini exponentis tricesimum sextum Psalmum disputatione commonitus et compunctus, publicare suum statuit « votum, mutare gestiens habitum. »

(*b*) Habitus Carthagine cum duobus subsequentibus.

nescit : Quia vero Dominus noster Jesus Christus magister nobis missus est, etiam Filium hominis dixit nescire illum diem (*Marc.* XIII, 32), quia in magisterio ejus non erat ut per eum sciretur a nobis. Neque enim aliquid scit Pater quod Filius nescit : cum ipsa scientia Patris illa sit, quæ sapientia ejus est : est autem sapientia ejus Filius ejus, Verbum ejus. Sed quia nobis scire non proderat, quod quidem ille noverat, qui nos docere venerat, non tamen hoc quod nobis nosse non proderat; non solum sicut magister aliquid docuit, sed sicut magister aliquid non [1] docuit. Tanquam enim magister sciebat et docere quod proderat, et non docere quod oberat. Sic autem quodam genere locutionis nescire Filius dicitur quod non docet : id est, nescire dicitur quod nescire nos facit, quomodo quotidie loquimur, modo quodam locutionis, ut dixi. Lætum enim diem dicimus, quia lætos nos facit; et tristem diem, quia tristes nos facit; et frigus pigrum, quia pigros nos facit. Quomodo contra dicitur a Domino : Nunc cognovi. Dictum est Abrahæ : *Nunc cognovi quod timeas tu Deum* (*Gen.* XXII, 12). Hoc Deus noverat et ante illam probationem. Nam illa probatio ideo facta est, ut nos nossemus quod Deus jam noverat, et propter nos docendos conscriberetur, quod ante documentum ille noverat : et fortasse et ipse Abraham nondum noverat quas vires haberet fides ejus : unusquisque enim se tentatione tanquam interrogatus agnoscit : sicut Petrus quas vires haberet fides ejus utique nesciebat, quando dixit Domino : *Tecum* [2] *sum usque ad mortem*. Dominus autem qui noverat eum, prædixit ubi deficeret, prænuntians illi infirmitatem ejus, tanquam tacta vena cordis ejus (*Luc.* XXII, 33, 34). Proinde Petrus, qui ante tentationem præsumpsit de se, in tentatione didicit se. Sic ergo non absurde sentimus et patrem nostrum Abraham cognovisse vires fidei suæ, ubi jussus immolare unicum filium suum, non dubitavit nec trepidavit ei offerre qui dederat; quia quemadmodum nescivit unde daturus erat nondum natum, sic credidit posse reparare immolatum. Dixit ergo Deus, Nunc cognovi : quod intelligimus, Nunc cognoscere te feci : secundum locutiones quas commendavimus, Pigrum frigus, quod pigros faciat; et lætum diem, quod lætos faciat : sic cognoscens, quod cognoscentes faciat. Inde est illud : *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (*Deut.* XIII, 3). Dabis enim profecto Domino Deo nostro, Deo summo, Deo vero magnam ignorantiam, quod utique sacrilegum esse intelliges, si sic acceperis, *Tentat vos Dominus ut sciat*, tanquam ipse de nostra tentatione concipiat scientiam, in quo erat ante ignorantia. Sed quid est, *Tentat vos, ut sciat?* Tentat vos, ut scire vos faciat. Accipite ergo a contrario regulam intelligentiæ; et quemadmodum cum Deum auditis dicere, *Cognovi*, intelligitis, Cognoscere vos feci : sic et cum auditis de Filio hominis, id est de Christo dici quod illum diem nesciat, intelligite dici quod nescire faciat. Quid est autem, nescire faciat? Occultet, ut nesciatur quod nobis prodi non prodest. Hoc est quod dixi, magistrum bonum nosse quid prodat, nosse quid tegat : sicut quædam eum legimus distulisse. Unde intelligimus non omnia promenda esse, quæ capere non possunt hi quibus promuntur. Dicit enim alibi : *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo* (*Joan.* XVI, 12). Dicit et Apostolus : *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam : neque enim poteratis; sed nec adhuc quidem potestis* (I *Cor.* III, 1, 2). Quo proficit iste sermo? Ut quoniam diem novissimum scimus venturum, utiliter autem scimus venturum et utiliter ignoramus quando venturus sit, paratum cor habeamus bene vivendo; et non solum non timeamus venturum illum diem, sed et amemus. Dies quippe ille sicut infidelibus laborem auget, sic fidelibus finit. Quid autem horum duorum esse velis, antequam veniat, nunc est in potestate; cum venerit, non erit. Elige ergo cum tempus est : quia Deus quod misericorditer occultat, misericorditer differt.

2. Jam vero quia in quocumque genere vitæ, quod habet aliquam professionem, non omnes inveniuntur probi, non omnes reprobi, ex hoc apparet, quia de quibusdam hominum generibus, quæ per similitudines in Evangelio modo proposita audivimus, sic concluditur : *Unus assumetur, et unus relinquetur* (*Matth.* XXIV, 40). Assumetur bonus, relinquetur malus. Videntur duo in agro; eadem professio est, sed non idem cor. Professionem vident homines, cor novit Deus. Quodlibet ergo ager significet, *Unus assumetur, et unus relinquetur*. Non quasi dimidia pars assumetur, et dimidia relinquetur : sed genera hominum duo dicit. Et si aliud eorum sit in paucis, aliud in multis, *Unus assumetur, et unus relinquetur :* hoc est, unum genus assumetur, et alterum relinquetur. Sic in lecto, sic in molendino. Exspectatis fortasse quid ista sint : videtis tecta esse, et similitudinibus quibusdam involuta. Potest mihi aliud videri, alteri aliud : sed neque ego eo quod dixero præscribo alteri ad meliorem intellectum, nec ille mihi ad utrumque accipiendum, si utrumque cum fide concordat. Videntur enim mihi in agro laborare qui præsunt Ecclesiis; sicut Apostolus dicit : *Dei agricultura, Dei ædificatio estis*. Nam et architectum se dicit, cum dicit : *Ut sapiens architectus fundamentum posui :* et agricolam, cum dicit, *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit* (I *Cor.* VI, 9, 10). In molendino ergo duas dixit (*Matth.* XXIV, 41), non duos; credo, quod hæc figura ad plebes pertineat : quia præpositi regunt, plebes reguntur. Et molendinum puto dictum mundum istum; quia rota quadam temporum volvitur, et amatores suos conterit. Sunt ergo qui de actionibus mundi non recedunt : sed tamen et ibi alii bene operantur; alii male; alii sibi amicos faciunt de mammona iniquitatis, a quibus recipiantur in tabernacula æterna (*Luc.* XVI, 9), quibus dicitur : *Esurivi, et dedistis mihi manducare :*

[1] Sic Er. et multi Mss. At Lov., *aliquid non totum. Tanquam*, etc.

[2] Edd., *Tecum paratus sum usque ad mortem*. At Mss. plerique omittunt, *paratus sum :* et quidam retinent *sum*, nec tamen, *paratus*.

alii ista negligunt, quibus dicitur [1] ibi : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare* (*Matth.* xxv, 35, 42). Proinde, quia de his qui versantur in negotiis et operibus hujus mundi, alii diligunt benefacere indigentibus, alii negligunt : tanquam de duabus in molendino *una assumetur, et una relinquetur.* Lectum autem positum arbitror pro quiete : quia sunt qui neque actiones mundi pati volunt, sicut sunt conjugati homines habentes domos, familias, filios ; neque aliquid in Ecclesia agunt, sicut præpositi velut in agricultura laborantes ; sed velut ad hæc infirmi, secedunt ad otium, et quieti esse diligunt ; veluti memores infirmitatis suæ, non se committentes magnis actionibus, et quodammodo in strato infirmitatis rogantes Deum. Et ipsa professio habet bonos, habet fictos : proinde etiam ex his *unus assumetur, et unus relinquetur.* Ad quamcumque professionem te converteris, para te pati fictos : alioquin si te non paraveris, invenies quod non sperabas, et deficies aut perturbaberis. Ad omnia ergo te paratum facit qui tibi loquitur, cum tempus est et illi loquendi, nondum judicandi, et tibi audiendi, nondum frustra pœnitendi. Est enim modo pœnitentia non frustra : erit tunc frustra. Non enim tunc non pœnitebit homines male vixisse : sed nullo modo illis justitia Dei revocat quod sua injustitia perdiderunt. Justum enim est apud Deum, ut modo impertiat misericordiam, tunc exerceat judicium. Ideo nunc non tacetur. An tacetur? Arguat quisque, murmuret, si non per totum orbem hæc Scriptura recitatur atque cantatur ; si cessat etiam venalis ferri per publicum.

3. [*vers.* 1, 2.] Sed revera hoc te perturbat hominem christianum, quia vides male viventes felices, rerum istarum copia circumfluere, sanos esse, superbis dignitatibus eminere, incolumem habere domum, gaudia suorum, obsequia clientium, excellentissimas potentias, nihil triste interpellare vitam ipsorum : mores nequissimos vides, facultates copiosissimas perspicis ; et dicit cor tuum nullum esse divinum judicium, omnia casibus ferri et fortuitis motibus ventilari. Nam si Deus, inquis, res humanas respiceret, floreret illius iniquitas, et mea innocentia laboraret ? Omnis morbus animi habet in Scripturis medicamentum suum : qui ergo sic ægrotat, ut ista dicat in corde suo, bibat potionem psalmi hujus. Quid est ? Iterum inspiciamus quid dicebas ? Quid dicebam, inquis, nisi quod vides ? Mali florent, boni laborant : quomodo ista videt Deus ? Accipe, bibe : ipse tibi hanc, de quo ista murmuras, temperavit potionem : tantum ne recuses saluberrimum poculum ; accommoda per aurem os cordis, et bibe quod audis : *Noli æmulari in malignantibus, neque æmuleris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum cito arescent, et sicut olera prati cito cadent.* Quod tibi longum videtur, cito est Deo : subjunge te Deo, et tibi cito erit. Quod ait *fœnum*, hoc intelligimus *olera prati.* Vilia quædam sunt, et superficiem terræ tenentia [1], altam radicem non habent. Proinde per hiemem virent : at ubi sol æstatis fervescere cœperit, arescent. Modo ergo tempus est hiemis, gloria tua nondum apparet : sed si alta radix est charitatis tuæ, sicut multarum arborum per hiemem, transit frigus, veniet æstas, id est judicii dies : tunc arescet viror fœni, tunc apparebit arborum gloria. *Mortui enim estis*, ait Apostolus : quomodo videntur arbores per hiemem, quasi aridæ, quasi mortuæ. Ergo quæ spes, si mortui sumus ? Intus est radix : ubi radix nostra, ibi et vita nostra ; ibi enim charitas nostra. *Et vita vestra*, inquit, *abscondita est cum Christo in Deo.* Quando arescit qui sic habet radicem ? Quando autem erit ver nostrum ? quando æstas nostra ? quando nos circumvestit dignitas foliorum, et ubertas fructuum locupletat ? quando hoc erit ? Audi quod sequitur : *Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria* (*Coloss.* III, 3, 4). Quid ergo modo ? *Noli æmulari in malignantibus, neque æmuleris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum cito arescent, et sicut olera prati cito cadent.*

4. [*vers.* 3, 4.] Quid ergo tu ? *Spera in Dominum.* Illi enim sperant non in Dominum : spes illorum mortalis, spes illorum caduca, fragilis, volatica, transitoria, inanis erit. *Spera in Dominum.* Ecce spero, quid ago ? *Et fac bonitatem.* Noli malitiam, quam respicis in illis male florentibus : *fac bonitatem, et inhabita terram.* Ne forte bonitatem extra inhabitationem terræ facias. Terra enim Domini, Ecclesia ejus est : ipsam rigat, ipsam colit ille agricola Pater (*Joan.* xv, 1). Multi enim quasi exercent bona opera, sed quia non inhabitant terram, non pertinent ad agricolam. Ergo fac bonitatem, non extra terram, sed inhabita terram. Et quid habebo ? *Et pasceris in divitiis ejus.* Quæ sunt divitiæ ejus terræ ? Divitiæ ejus Dominus ejus, divitiæ ejus Deus ejus. Ipse est ille cui dicitur ; *Pars mea, Domine* (*Psal.* LXXII, 26). Ipse est ille de quo dicitur : *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei* (*Psal.* xv, 5). Recenti sermone commendavimus (*a*) Charitati Vestræ, et Deum esse possessionem nostram, et nos esse possessionem Dei. Audi quia divitiæ terræ hujus ipse est : vide quid sequitur, *Delectare in Domino.* Tanquam quæsieris, et dixeris, Ostende mihi divitias terræ illius, in qua me jubes habitare ; *Delectare*, inquit, *in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.*

5. Signanter accipe *petitiones cordis tui.* Discerne petitiones cordis tui a petitionibus carnis, discerne quantum potes. Nec frustra dictum est in quodam psalmo : *Deus cordis mei.* Ibi enim sequitur et dicit : *Et pars mea Deus meus in sæcula* (*Psal.* LXXII, 26). Verbi gratia, cæcus est corpore, rogat ut illuminetur. Ista [2] roget, quia et ista Deus facit, et ista Deus

[1] In Edd., *dicetur ibi.* Sed verius Mss., *dicitur ibi* : id est, in Evangelio quod concioni prælectum fuisse commemoravit superius.

[1] Aliquot Mss., *tegentia.* Alii quidam, *tenent, nam etiam,* etc.

[2] Am. Er. et tres Mss. loco, *ista roget*, habent, *esto roget.* Alii Mss., *iste roget.*

(*a*) Id sane commendavit supra, col. 294 et 295, super psalmum 32 sermone habito apud Carthaginem in basilica

præstat : sed rogant hæc etiam mali. Petitio hæc carnis. Infirmatur, rogat se salvum fieri : salvus fit moriturus. Et ista petitio carnis est : et si qua sunt talia. Petitio cordis quæ est? Sicut petitio carnis est, velle sibi reparari [1] oculos, utique ad videndam istam lucem, quæ talibus oculis videri potest : ita petitio cordis ad aliam lucem pertinet. Beati enim mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v, 8). *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui.*

6. [*vers.* 5, 6.] Ecce desidero, rogo, volo : egone implebo? Non. Quis ergo? *Revela ad Dominum viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet.* Indica illi quid patiaris, indica illi quid velis. Quid enim pateris? *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Gal.* v, 17). Quid ergo vis? *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et quia ipse faciet, cum revelaveris ad eum viam tuam, vide quid sequitur : *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* vii, 24, 25). Quid ergo facturus est, quia dictum est : *Revela ad Dominum viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet :* quid faciet? *Et educet sicut lumen justitiam tuam.* Modo enim abscondita est justitia tua : in fide res est, nondum in specie. Aliquid credis ut facias, nondum vides quod credis. Cum autem cœperis videre quod credidisti, educetur in lumine [2] justitia tua : quia justitia tua erat fides tua (*Habac.* ii, 4). Justus enim ex fide vivit (*Rom.* i, 17).

7. *Et educet velut lumen justitiam tuam, et judicium tuum sicut meridiem :* hoc est clarum lumen. Parum erat dicere, *ut lumen.* Lumen enim jam dicimus et cum albescit, lumen dicimus et cum sol oritur : sed nunquam est clarior lux quam medio die. Non solum ergo educet sicut lumen justitiam tuam, sed erit judicium tuum tanquam meridies. Modo enim judicas sequi Christum, hoc proposuisti, hoc elegisti, hoc est judicium tuum : nemo tibi ostendit quod promisit : promissorem adhuc tenes, exhibitorem autem exspectas : in judicio ergo fidei tuæ elegisti sequi quod non vides. In abscondito est judicium tuum, adhuc reprehenditur et irridetur ab infidelibus : Quid credidisti? Quid tibi Christus promisit? Quia immortalis eris, et dabit tibi vitam æternam? ubi est hoc? quando dabit? quando fieri potest? Judicas tamen tu magis sequi Christum promittentem quod non vides, quam impium reprehendentem credidisse te quod nondum vides. Et hoc est judicium tuum : et quale sit judicium tuum, adhuc non apparet : in isto sæculo quasi nox est. Quando ergo educet judicium tuum velut meridiem? Cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria (*Coloss.* iii, 4). Cum venerit judicii dies, et venerit Christus, et congregaverit omnes gentes judicandas, quid erit tunc? Impius ubi abscondet perfidiam suam, cum videro fidem meam? Ergo modo quid? Angustiæ, tribulationes et tentationes. Et beatus qui perdurat : quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* xxiv, 13). Nec cedat insultatoribus, ne eligat hic florere ut [1] ex arbore fœnum fiat.

8. [*vers.* 7-9.] Quid igitur debeo? Quid debeas audi: *Subditus esto Domino, et obsecra eum.* Hoc sit vita tua, obedire præceptis ejus. Hoc est enim subditum illi esse, et obsecrare, donec det quod promisit. Perseveret bonum opus, perseveret et oratio. Oportet enim semper orare, et non deficere (*Luc.* xviii, 1). In quo appares subditus? Faciendo quod præcepit. Sed mercedem nondum accipis, forte quia capere nondum potes. Jam enim ille potest dare, sed tu non potes accipere. Exercere operibus, labora in vinea : finito die pete mercedem : fidelis est qui te adduxit ad vineam (*Matth.* xx, 8). *Subditus esto Domino, et obsecra eum.*

9. Ecce facio; subditus sum Domino, et obsecro eum: Sed quid tibi videtur? Vicinus ille nequam, male agens et florens est; furta ejus, adulteria ejus, rapinas ejus ego novi; in omnibus elatus, superbus, per iniquitatem exaltatus non me dignatur agnoscere : in his quomodo durabo? Morbus ille est, bibe contra : *Ne subæmuleris eum qui prosperatur in via sua.* Prosperatur, sed in via sua : laboras, sed in via Dei. Illi prosperitas in via est, in perventione infelicitas : tibi labor in via, in perventione felicitas; quoniam iter impiorum peribit. Novit Dominus iras justorum, et iter impiorum peribit (*Psal.* i, 6). Has vias ambulas quas novit Dominus; et si laboras in eis, non te fallunt [2]. Via vero impiorum felicitas transitoria : finita via, peracta est felicitas. Quare? Quia via illa lata est, finis ejus in profundum inferni perducit. Via vero tua angusta est, et pauci ingrediuntur per eam (*Matth.* vii, 13, 14) : sed ad quam latitudinem perveniant [3] debes cogitare. *Ne subæmuleris eum qui prosperatur in via sua. In homine faciente iniquitatem, desine ab ira, et derelinque furorem* [4]. Quid stomacharis? Quid per iracundiam et indignationem istam aut blasphemas, aut prope blasphemas? *In homine faciente iniquitatem, desine ab ira, et derelinque furorem.* Nescis quo te provocet ira ista? Dicturus es Deo quia iniquus est, illuc pergit. Ecce ille quare felix est, et ille infelix est? Vide quid pariat : offoca malam conceptionem. *Desine ab ira, et derelinque indignationem,* ut jam resipiscens dicas : *Turbatus est præ ira oculus meus* (*Psal.* vi, 8). Quis oculus, nisi fidei? Interrogo oculum fidei tuæ : Credidisti in Christum; quare credidisti? Quid tibi promisit? Si felicitatem sæculi hujus tibi promisit Christus, murmura adversus Christum, murmura adversus illum, quando vides infidelem felicem. Quid tibi promisit felicitatis? Quid nisi in resurrectione mortuorum? Quid autem in hac vita? Quod ipse : quod ipse, inquam. An dedignaris, serve, discipule, quod Dominus, quod magister [5]? Nonne ab

[1] Sic Mss. At Edd., *præparari.*
[2] Quinque Mss, *in lumen.*

S. Cypriani : qua in civitate hos quoque super psalmum 36 sermones pronuntiatos fuisse intelliges variis ex locis.

[1] Am. et Mss., *et ex arbore*, etc.
[2] Sic omnes prope Mss. At Edd.: *Has vias ambula, quas novit Dominus; et si ambulas in eis*, etc.
[3] Mss., *perveniat.*
[4] Nonnulli Mss. constanter, *indignationem.*
[5] Sic aliquot Mss. Edd. vero : *Quid autem in hac vita pateris, quod non ipse, in quæ magis dedignaris serve, discipule, quam Dominus, quam magister?*

ipso audis : *Non est servus major domino suo, et non est discipulus super magistrum* (*Joan.* XIII, 16)? Ille pro te dolores flagella, opprobria, crucem, mortem passus est. Et quid horum justo debebatur? quid non tibi peccatori debebatur? Ergo tene directum oculum tuum, ne turbetur præ ira : *Desine ab ira, et derelinque indignationem. Ne subæmuleris ut maligne facias :* quasi imitando eum qui maligne faciendo floret ad tempus. *Ne subæmuleris, ut maligne facias. Quoniam qui maligne agunt, exterminabuntur.* Sed felicitatem eorum video. Crede illi qui dicit : *Exterminabuntur :* quia melius ille videt quam tu, cujus oculum turbare ira non potest. *Quoniam qui maligne agunt, exterminabuntur. Sustinentes autem Dominum.* Non enim aliquem fallacem, sed utique ipsam veritatem : non enim aliquem minus valentem, sed utique omnipotentem. *Sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditate possidebunt terram.* Quam terram, nisi illam Jerusalem, cujus amore qui exardescit, perveniet ad pacem?

10. [*vers.* 10.] Sed quamdiu peccator floret? quamdiu sustinebo? Festinas : cito erit quod tibi diu est. Infirmitas facit diu videri quod cito est. Quomodo inveniuntur desideria ægrotorum? Nihil tamdiu, quam ut calix sitienti temperetur. Utique festinatur a suis, ne forte offendatur infirmus. Quando fiet? quando coquetur? quando dabitur? Celeritas est in illis qui tibi serviunt, sed infirmitas tua diuturnum putat quod cito agitur. Ergo videte medicum nostrum blandientem infirmo dicenti : Quamdiu durabo? quamdiu erit? *Et adhuc pusillum, et non erit peccator.* Inter peccatores certe gemis, de peccatore gemis : pusillum, et non erit. Ne forte, quia tibi dixi, *Sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditate possidebunt terram*, ne sustinentiam istam longissimam putes; modicum sustine, sine fine accipies quod sustines. Adhuc pusillum : modicum. Recole annos ab Adam usque in hodiernum diem, percurre Scripturas : heri pene iste de paradiso lapsus est. Tot sæcula emensa et evoluta sunt. Ubi sunt præterita tempora? Sic pauca quæ restant, utique transibunt. Si toto illo tempore viveres, ex quo Adam de paradiso dimissus est usque in hodiernum diem; certe videres vitam tuam non fuisse diuturnam, quæ sic avolasset. Unius autem cujusque hominis vita quanta est? Adde quantoslibet annos, duc longissimam senectutem, quid est? Nonne aura est matutina? Ergo longe sit dies judicii, quando erit retributio injustorum et justorum : tuus certe dies ultimus longe abesse non potest. Ad hunc te præpara. Qualis enim exieris de hac vita, talis redderis illi vitæ. Post vitam istam parvam nondum eris ubi erunt sancti, quibus dicetur : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi* (*Matth.* XXV, 34). Nondum ibi eris, quis nescit? Sed jam poteris ibi esse, ubi illum quondam ulcerosum pauperem, dives ille superbus et sterilis in mediis suis tormentis vidit a longe requiescentem (*Luc.* XVI, 23). In illa requie positus, certe securus exspectas judicii diem, quando recipias et corpus, quando immuteris ut angelo æqueris. Ergo quantum est quod festinamus, et dicimus : Quando erit? Tardum erit? Hoc dicturi filii nostri, et hoc dicturi nepotes nostri : et cum singuli quique sibi succedentes hæc dicturi sunt, sic transit quod adhuc pusillum futurum est, quemadmodum transiit totum quod jam præteritum est. O infirme! *Adhuc pusillum, et non erit peccator.*

11. *Et quæres locum ejus, et non invenies.* Ostendit, quid dixit, *non erit :* non quia omnino non erit, sed quia ad nullos usus esse poterit. Si enim omnino non erit, nec torquebitur : jam ergo securitas data est peccatori, ut dicat : Faciam quidquid volo quamdiu vivo, postea non ero. Non erit qui doleat, non erit qui torqueatur? Et ubi est, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41)? Sed forte missi in ignem illum non erunt, et consumentur. Non illis diceretur, *Ite in ignem æternum;* quia non futuris non esset æternus. Et tamen quid illic futurum sit eis, utrum omnino consumptio, an dolor et cruciatus, non tacuit Dominus dicens : *Ibi erit ploratus et stridor dentium* (*Id.* VIII, 12). Quomodo ergo plorabunt et stridebunt dentibus, si non erunt? Quomodo ergo hic *Adhuc pusillum, et non erit peccator*, nisi quomodo in sequenti versu exposuit, *Et quæres locum ejus, et non invenies?* Quid est, *locum ejus?* Usum ejus. Habet enim aliquem usum peccator? Habet. Hic utitur illo Deus ad probandum justum, quomodo usus est diabolo ad probandum Job, quomodo usus est Juda ad tradendum Christum. Est ergo in hac vita quod agatur de peccatore. Hic est ergo locus ejus, quomodo est in fornace aurificis locus paleæ. Ardet palea, ut aurum purgetur : sic sævit impius, ut justus probetur. Sed cum transierit tempus probationis nostræ, quando non erunt qui probentur, non erunt per quos probentur. Numquid quia diximus, Non erunt qui probentur, non erunt ipsi? Sed quia jam non opus erit peccatoribus per quos justi probentur : *Et quæres locum ejus, et non invenies.* Modo quære locum peccatoris, invenies. De peccatore fecit Deus flagellum, dedit ei et honorem, dedit ei et potestatem. Aliquando enim facit hoc; dat peccatori potestatem, flagellantur inde res humanæ, emendantur inde pii [1]. Peccatori illi hoc reddetur quod debetur : et tamen factum est de illo unde proficiat pius, unde deficiat impius. *Quæres locum ejus, et non invenies.*

12. [*vers.* 11.] *Mansueti autem hæreditate possidebunt terram.* Terra est illa de qua sæpe locuti sumus, Jerusalem sancta, quæ liberabitur de peregrinatione ista, et in æternum vivet cum Deo et de Deo. Ergo *hæreditate possidebunt terram.* Quæ erunt deliciæ ipsorum? *Et delectabuntur in multitudine pacis.* Delectetur hic impius ille in multitudine auri, in multitudine argenti, in multitudine mancipiorum, in multitudine postremo baiarum, rosarum, vinolentiæ, lautissimorum et luxuriosorum conviviorum [2]. Hæc est poten-

[1] Vox, *pii*, abest a Mss. Paulo post in Edd. erat, *redditur :* cujus loco ex Mss. reponimus, *reddetur.*

[2] Edd., *postremo opum diversarum.* Ex Mss. autem quidam, *odorum, rosarum :* nonnulli, *olivarum, rosarum :* alii, *odoriferarum rosarum :* plures denique, *baiarum, rosa-*

tia cui invides, iste flos est qui te delectat? Nonne etsi semper sic esset plangendus esset? Quæ erunt autem deliciæ tuæ? *Et delectabuntur in multitudine pacis.* Aurum tuum pax, argentum tuum pax, prædia tua pax, vita tua pax, Deus tuus pax. Quidquid desideras, pax tibi erit. Quia hic aurum quod est, non potest tibi esse argentum; quod vinum est, non potest tibi esse panis; quod tibi lux est, non potest esse potus : Deus tuus totum tibi erit. Manducabis eum, ne esurias; bibes eum, ne sitias; illuminaberis ab eo, ne sis cæcus; fulcieris ab eo, ne deficias; possidebit te totum integrum, totus integer. Angustias non ibi patieris cum eo cum quo totum possides : totum habebis, totum et ille habebit; quia tu et ille unum eritis, quod unum totum et ille habebit qui vos possidet. Hæ *sunt reliquiæ homini pacifico.* Hoc cantavimus : qui versus longe quidem est in isto psalmo ab his tractatis versibus. Sed quia ipsum cantavimus, ad ipsum claudere debemus. Tu tantum securus esto; *custodi innocentiam*, pretiosa res est. Furari vis aliquid, credo, ut acquiras : vide quo manum mittis, et unde tollis. Hac vis acquirere, hac perdis : acquiris pecuniam, perdis innocentiam. Evigilet potius cor tuum : qui volebas acquirere pecuniam et perdis innocentiam, perde potius pecuniam : *Custodi innocentiam*, *et vide directionem*, quia diriget te Deus, ut omnia quæcumque vult, velis et tu : ipsa enim est directio. Nam si tu nolis quod Deus vult, curvus eris, et pravitas tua non te permittet planari[1] recto. *Custodi* ergo *innocentiam, vide directionem :* et noli putare quia finita ista vita, finitus est homo; *quia sunt reliquiæ homini pacifico.*

SERMO II.

De secunda parte Psalmi.

1. De psalmo isto loqui Charitati Vestræ, et jussi sumus, et obtemperare debuimus. Voluit enim Dominus propter imbrium nimietatem retardare profectionem nostram; et imperatum est nobis, ne vacaret hic erga vos lingua nostra, cum cordis nostri negotium semper sitis[2], sicut et nos vestri. Commendaveramus autem jam voluntatem Dei in isto psalmo, quid nos velit docere, quid admonere, contra quid cautos esse, et quid tolerare, et quid sperare. Duo enim genera hominum, justorum et iniquorum, in hac terra et in hac vita commixta sunt. Habent singula ista genera proprias intentiones cordis sui. Genus justorum conatur in sublimia per humilitatem : genus iniquorum præponderat ad inferiora per elationem. Hoc enim se deprimit ut surgat, illud se extollit ut cadat. Ex eo fit ut unum genus toleret, alterum toleretur : propositumque sit justis ipsos etiam iniquos in vitam æternam lucrari, propositum autem iniquis reddere mala pro bonis, et eos qui sibi vitam æternam volunt, si fieri potest, etiam vita temporali privare. Ægre enim fert, et injustus justum, et justus injustum : oneri sibi sunt. Nemo dubitat quod isti duo alterutrum sibi oneri sunt, sed diversis intentionibus. Ad hoc enim justus injusto oneri est, quia injustum eum esse non vult, sed eum justum fieri, et optat votis, et conatur factis : injustus autem sic odit justum, ut nolit eum esse, non ut bonum velit esse. Quanto enim bonus est, tanto magis oneri est iniquitati illius. Et laborat quidem, si fieri potest, ut eum injustum faciat; si autem non potest, de medio tollat, et a suo tædio molestiaque removeat. Sed et si eum fecerit injustum, nihilominus oneri illi erit. Non enim justus tantum injusto oneri est, sed et duo injusti vix se patiuntur : et quando se videntur diligere, conscientiam sibi debent, non amicitiam. Tunc autem secum concordant, quando in perniciem justi conspirant, non quia se amant, sed quia eum qui amandus erat simul oderunt. Contra hoc genus hominum indicit nobis Dominus Deus noster tolerantiam et affectum illum charitatis, quem novimus in Evangelio, præcipiente nobis Domino et dicente : *Diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos* (*Matth.* v, 44). Sicut et Apostolus : *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (*Rom.* XII, 21). Contende cum malo, sed de bonitate. Ipsa est enim vera contentio, vel potius certamen salubre, ut sit bonus contra malum, non ut sint duo mali.

2. [*vers.* 12, 13.] Ergo ad Psalmum respicite. Primæ partes jam tractatæ sunt, sequuntur hæc. *Observabit peccator justum, et stridet super eum dentibus suis : Dominus autem irridebit eum.* Quem? Utique peccatorem stridentem super justum dentibus suis. Unde autem *Dominus irridebit eum? Quoniam prospicit quod veniet dies ejus.* Acerbus videtur, cum minatur justo nesciens horam sui crastinam : Dominus autem videt, et prospicit diem ejus. Quem diem? Quo reddet unicuique secundum opera sua (*Matth.* XVI, 27). Thesaurizat enim sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei (*Rom.* II, 5). Sed Dominus prospicit, tu autem non prospicis; indicavit tibi qui prospicit[1]. Tu diem injusti quo pœnas pensurus est ignorabas : sed qui scit, non te celavit. Non parva pars scientiæ est, scienti conjungi. Ille habet oculos cognitionis, tu habeto credulitatis. Quod videt Deus, crede tu. Veniet enim dies injusti, quem prospicit Deus. Qui dies? Cujusque vindictæ. Necesse est enim ut vindicetur in impium, vindicetur in injustum, sive convertat se, sive non se convertat. Si enim se converterit, hoc ipsum in illo vindicatur; quod periit iniquitas. Nonne irrisit Dominus prospiciens dies iniquorum duorum, et Judæ traditoris et Sauli persecutoris (*Act.* I *et* IX)?

rum. Baias forte ex pulcherrimi et celeberrimi Campaniæ oppidi nomine vocabant amœna loca et fructuosa prædia, uti Cicero accipere videtur in Oratione pro Cælio : « Cujus, « ait, in hortos, domum, baias, jure suo libidines omnium « commearent. » Testatur vero Hieronymus in lib. 2 cont. Jovinian., c. 9, palmas seu palmarum folia baias appellari. Quæ porro subsequitur vox, *rosarum*, huc forsitan irrepsit pro altera propinqua voce, veluti, *mensarum.*

[1] Plerique Mss., *pacari.*

[2] Edd. *scitis.* Melius aliquot Mss., *sitis.*

[1] Sic Mss. At Edd., *indicabit tibi quæ prospicit.* Et paulo post : *quo pœnas passurus est ignorabas; sed qui scit, non te celabit.*

Unius diem prospexit ad pœnam, alterius ad justitiam. In utrumque vindicatum est : ille est gehennæ ignibus deputatus, iste cœlesti voce prostratus. Ergo et tu quem pateris iniquum, per oculos fidei prospice cum Deo dies ejus; et cum eum videris in te sævientem, dic tibi : Iste aut correctus, mecum [1] erit; aut perseverans, mecum non erit.

3. [*vers.* 14-16.] Quid enim? Injustitia injusti tibi nocet, et illi non nocet? Unde fieri potest, ut iniquitas ejus, quæ per ejus indignationem et odium procedit ad lædendum te, non prius ipsum vastet intus, quam te tentet foris? Tuum corpus premit adversitas, illius animum putrefacit iniquitas. Nam et quidquid in te profert, in illum redit. Ejus enim persecutio te facit purgatum, illum reum. Cui ergo plus nocet? Ecce sæviendo exspoliavit te : quis damno graviore percutitur, qui amittit pecuniam, an qui amittit fidem? Norunt dolere damna ista, qui habent oculum interiorem. Multis enim fulget aurum, fides non fulget. Habent quippe oculos unde aurum videant : unde fidem videant, non habent. Nam si haberent et viderent, utique plus amarent : et tamen quando eis frangitur fides, clamant, invidiam faciunt, et dicunt : O fides! ubi est fides? Amas eam ut exigas; ama ut exhibeas. Ergo quia omnes qui persequuntur justos, graviore damno feriuntur, et graviore pernicie affliciantur, cum in eis vastatur ipse animus; sequitur, et ostendit hoc Psalmus : *Gladium eduxerunt peccatores, intenderunt arcum suum : ut dejiciant inopem et pauperem, ut trucident rectos corde. Framea eorum intret in cor ipsorum.* Facile est ut framea ejus, id est, gladius ejus perveniat ad corpus tuum, sicut pervenit gladius persecutorum ad corpora martyrum; sed percusso corpore, cor mansit illæsum : illius autem cor qui gladium eduxit in corpus justi, non plane mansit illæsum. Hoc psalmus iste testatur. Framea eorum non intret, dixit, in corpus eorum : sed, *Framea eorum intret in cor ipsorum.* In corpore occidere voluerunt, in anima moriantur. Illos enim quorum corpora interficere voluerunt, securos Dominus fecit, dicens eis : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* x, 28). Quale est autem sævire gladio, nec posse occidere nisi corpus inimici, et posse occidere animam suam? Desipiunt, contra se sæviunt, insaniunt, non se vident : tanquam si vellet aliquis per corpus suum ferrum trajicere, ut conscinderet tunicam alterius. Attendis quo pervenisti, et non attendis qua trajecisti : illius conscidisti vestem, tuam carnem. Constat ergo plus esse quod se lædunt iniqui, et quod sibi nocent, quam quod sibi videntur nocere illis quos oderunt. *Framea ergo eorum intret in cor ipsorum.* Sententia Domini est, aliter fieri non potest. *Et arcus eorum conteratur.* Quid est, *arcus eorum conteratur?* Insidiæ ipsorum frustrentur. Superius enim dixerat : *Gladium eduxerunt peccatores, intenderunt arcum suum.* Gladii eductionem, intelligi voluit apertam oppugnationem : arcus autem intentionem, occultas insidias intelligi voluit. Ecce gladius ejus perimit eum, et dispositio insidiarum ejus frustratur. Quid est, frustratur? Nihil nocet justo. Quomodo ergo nihil ei nocuit, verbi gratia, quem sic exspoliavit, cui tollendo res suas ad angustias perduxit? Habet quod cantet, *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.*

4. [*vers.* 17.] Sed potentes sunt iniqui, et multa faciunt, et suppetit eis rerum effectus; agendi celeritas, jussionem obedientia sequitur. Numquid semper sic? *Quoniam brachia peccatorum conterentur.* Brachia ergo eorum, potentia eorum. Quid facturus est in gehenna? An quod facit ille dives, qui apud superos epulabatur, apud inferos torquebatur (*Luc.* xvi, 19, 24)? *Brachia* ergo *eorum conterentur. Confirmat autem justos Dominus.* Quomodo eos confirmat? quid eis dicit? Quod dicitur in alio psalmo : *Sustine Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum* (*Psal.* xxvi, 14). Quid est hoc, *Sustine Dominum?* Ad tempus laboras, in æternum non laborabis : brevis est molestia tua, æterna erit beatitudo tua : ad modicum doles, sine fine gaudebis. Sed inter molestias incipis labi? Proponitur exemplum et passionum Christi. Vide quid pro te pertulit, qui quare perferret non habebat. Quantacumque patiaris, non pervenies ad illas insultationes, ad illa flagella, ad illam ignominiosam vestem, ad illam spineam coronam, ad illam postremo crucem non pervenies, quia jam et de pœna generis humani sublata est. Cum enim sub antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur. Honorata est, et finita. Finita est in pœna, manet in gloria [1]. A locis suppliciorum fecit transitum ad frontes imperatorum. Qui tantum honorem dedit pœnis suis, quid servat fidelibus suis? His ergo rebus, his verbis, his allocutionibus, hoc tali exemplo *confirmat justos Dominus.* Sæviant quantum voluerint, et quantum permissi fuerint peccatores : *confirmat justos Dominus.* Quidquid acciderit justo, voluntati divinæ deputet, non potestati inimici. Sævire ille potest : ferire, si ille noluerit, non potest. Et si ille voluerit ut feriat, novit suum quemadmodum excipiat : *Quem enim diligit Dominus, corripit : flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* xii, 6). Quid sibi ergo plaudit iniquus, quia flagellum sibi de illo fecit Pater meus? Illum assumit ad ministerium, me erudit ad patrimonium. Nec attendere debemus quantum permittat injustis, sed quantum servet justis.

5. Sed debemus optare etiam illis per quos flagellamur, ut convertantur, et flagellentur. Sic enim suos fideles erudiebat, qui de Saulo flagellum sibi fecerat, sed postea convertit et Saulum. Et cum Ananiæ sancto, a quo baptizatus est Saulus, diceret Dominus, illum suscipiendum esse Saulum, quia vas esset electionis; respondit Ananias, timens et exhorrescens audita fama Sauli persecutoris; *Domine, audivi,* inquit, *ego de viro isto quantas persecutiones sanctis tuis fecerit in Jerosolyma, et nunc acceptis litteris vadit, ut*

[1] Sic Mss. At Edd., *meus.*

[1] Quindecim Mss., *gratia.*

ubicumque invenerit invocantes nomen tuum, trahat et liget, et ad pontifices adducat. Et contra Dominus : *Sine,* inquit, *ego illi ostendam quæ illum oporteat pati pro nomine meo* (*Act.* IX, 13-16). Reddam illi, inquit, vindicabo me de illo; et patietur pro nomine meo, qui sævit in nomen meum. Erudio vel erudivi per eum alios, erudiam et ipsum per alios. Factum est hoc, et novimus quanta sustinuerit Saulus, multo plura quam fecerat, quasi avarus exactor cum usuris recepit quod dederat.

6. Sed vide utrum in illo impletum sit quod modo Psalmus dicit, *Confirmat autem justos Dominus. Non solum,* inquit idem Paulus, cum multa mala pateretur, *sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 3-5). Bene; plane jam justus, jam confirmatus. Quomodo ergo isti jam confirmato nihil nocebant qui illum insectabantur, sic nec ipse illis quos persequebatur. *Confirmat autem,* inquit, *justos Dominus.* Audi alias voces confirmati justi. *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an persecutio* (*Id.* VIII, 35). Quomodo hærebat, qui rebus talibus non separabatur? *Confirmat autem justos Dominus.* Descenderant quidam prophetæ de Jerosolyma, et impleti Spiritu sancto prophetaverunt eidem Paulo quod multa passurus esset in Jerusalem : ita ut quidam eorum, Agabus nomine, soluta zona alligaret se, quemadmodum solet fieri, ut his indiciis rerum futura demonstraret propheta, dicens : *Sicut alligatum me videtis, sic oportet alligari hominem hunc in Jerosolymis.* Fratres autem responso admonitum Saulum, jam Paulum, ne se tantis periculis committeret, cœperunt deterrere, et monendo et rogando revocare ne iret in Jerosolymam. Ille autem qui jam in eorum numero erat de quibus dictum est, *Confirmat autem justos Dominus; Quid,* inquit, *confringitis cor meum?* Non facio animam meam pretiosam mihi. Quia jam dixerat eis quos parturierat in Evangelio : *Et ipse impendar pro animabus vestris* (II *Cor.* XII, 15). *Ego enim,* inquit, *non solum alligari, sed etiam mori paratus sum pro nomine Domini Jesu Christi* (*Act.* XXI, 11-13).

7. [*vers.* 18.] *Confirmat* ergo *justos Dominus.* Quomodo eos confirmat? *Novit Dominus vias immaculatorum.* Quando patiuntur mala, vias malas ambulare creduntur ab ignorantibus, ab his qui non noverunt videre vias immaculatorum. Ille qui eas novit, scit per quam rectum ducat mansuetos suos. Unde dixit in alio psalmo : *Diriget mites in judicio, docebit mansuetos vias suas* (*Psal.* XXIV, 9). Quomodo putatis detestatos homines transeuntes ulcerosum pauperem jacentem ante divitis januam (*Luc.* XVI, 20)? Quomodo forte hunc occlusis naribus conspuebant? Noverat autem Dominus illi servare [1] paradisum. Quomodo autem sibi optabat vitam illius qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide? Dominus autem qui prospiciebat dies illius, noverat ejus futura tormenta, et sine fine tormenta. Ergo, *Novit Dominus vias immaculatorum.*

8. *Et hæreditas eorum in æternum erit.* Hoc in fide habemus : Dominus numquid in fide? Dominus novit illa in tanta manifestatione, in quanta non possumus dicere, cum vel æquati Angelis erimus. Non enim nobis tam manifesta erunt, quæ erunt manifesta, quam sunt manifesta illi qui nec commutari potest. Tamen et de nobis quid dictum est? *Dilectissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quod erimus : scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Servatur ergo nobis nescio quod dulce spectaculum omnino : et si cogitari ex aliqua parte in ænigmate et per speculum potest, dici tamen nullo modo potest pulchritudo illius dulcedinis, quam servat Deus timentibus se, perficit autem sperantibus in se (*Psal.* XXX, 20). Illuc parantur corda nostra in omnibus vitæ hujus tribulationibus et tentationibus. Noli mirari, quia in laboribus pararis : ad magnum aliquid pararis. Unde vox illa justi confirmati : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Quæ erit futura gloria nostra, nisi æquari Angelis, et videre Deum? Quantum præstat cæco, qui illi oculos sanaverit, ut videat hanc lucem? Cum sanus factus fuerit ille, nec invenit quid dignum rependat sanatori suo : quantumlibet enim illi det, quid dabit tale quale ille præstitit? Ut plurimum det, aurum dabit, et multum aurum dabit : ille lucem præstitit. Ut noverit ille quia nihil dat, videat in tenebris quod dat. Quid ergo dabimus nos medico illi, oculos interiores nostros sananti, ad videndam quamdam lucem æternam, quod est ipse? quid illi dabimus? Quæramus, inveniamus, si possumus; et in angustiis inquisitionis nostræ exclamemus : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et quid invenit? *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV, 12, 13). *Potestis,* inquit, *bibere calicem quem ego bibiturus sum* (*Matth.* XX, 22)? Inde Petro : *Amas me? Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17) : pro quibus biberet calicem Domini. *Confirmat autem justos Dominus. Novit Dominus vias immaculatorum, et hæreditas eorum in æternum erit.*

9. [*vers.* 19.] *Non confundentur in tempore malo.* Quid est, *Non confundentur in tempore malo?* In die tribulationis, in die angustiarum non confundentur : sicut confunditur quem fallit spes. Quis est qui confunditur? Qui dicit : Ego quod sperabam non inveni. Non immerito : sperabas enim de te, aut sperabas de homine amico : maledictus autem qui spem suam ponit in homine (*Jerem.* XVII, 5). Confunderis, quia fefellit te spes, fefellit spes posita in mendacio : omnis enim homo mendax (*Psal.* CXV, 11). Si autem ponas spem tuam in Deo tuo, non confunderis; quia ille in quo spem posuisti, falli [1] non potest. Unde et ille quem paulo ante commemoravi, justus confirmatus, positus in tempore malo, in die tribulationis,

[1] In plerisque Mss., *servari.*

[1] Aliquot Mss., *fallere.*

quia non confundebatur, quid ait? *Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit.* Unde spes non confundit? Quia in Deo posita est. Ideo sequitur, *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Jam datus est nobis Spiritus sanctus, quomodo nos fallit cujus tale pignus tenemus? *Non confundentur in tempore malo : et in diebus famis saturabuntur.* Est enim quædam hic saturitas eorum. Nam dies famis, vitæ hujus sunt : aliis esurientibus, illi saturantur. Nam ille unde gloriaretur dicens, *Gloriamur in tribulationibus,* si egestatem intus pateretur? Videbantur foris angustiæ, sed intus latitudo erat.

10. [*vers.* 20.] Quid autem facit malus homo cum cœperit tribulari? Foris nihil habet, ablata sunt omnia, in conscientia nullum solatium est : non est quo exeat, quia dura sunt; non est quo intret, quia mala sunt. Merito ei fit quod sequitur : *Quoniam peccatores peribunt.* Quibus enim locus nusquam est, quomodo non peribunt? Consolatio non est in externis, non est in internis. Extra sunt enim a nobis, de quibus consolatio nulla est. Et universi qui Deum non habent, pecuniæ, amicitiæ, gloriæ, facultatibus mundi serviunt [1], et quæcumque bona sunt corporalia, non possunt consolari intrinsecus, quomodo consolabatur ille plenus sagina interiore, et de ipsa sagina ructans : *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21). Ergo illis peccatoribus non est locus in his quæ foris sunt, quia ibi patiuntur tribulationes [2] : conscientia illos non consolatur; non est bene illis secum, quia bene esse cum malo non potest. Quisquis autem malus est, male secum est : torqueatur necesse est sibi seipso tormento. Ipse est enim pœna sua, quem torquet conscientia sua. Fugit ab inimico quo potuerit, a se quo fugiet?

11. Ita quidam ex parte Donati venerat ad nos, accusatus et excommunicatus a suis, hic quærens quod ibi perdiderat. Sed quia suscipi non potuit, nisi eo loco quo debuit : non enim deseruit illam partem quasi integer apud ipsos, ut appareret eum non necessitate, sed electione fecisse [3] : quia ibi ergo habere non potuit quod quærebat, quærebat autem vanam elationem et falsum honorem, et quia hic non invenit quod ibi perdidit, et ipse periit. Gemebat saucius, et non consolabatur : erant enim in conscientia ejus aculei horribiles taciti. Tentavimus consolari eum de verbo Dei : sed ille non erat de sapientibus formicis, quæ sibi æstate collegerunt unde hieme vivant. Cum enim res sunt tranquillæ, tunc homo sibi colligere debet verbum Dei, et recondere in intimis cordis sui, quemadmodum formica abscondit in cavernosis penetralibus labores æstatis (*Prov.* VI, 6, *et* XXX, 25). Per æstatem enim vacat hoc agere : venit autem hiems, id est, supervenit tribulatio; et nisi intus invenerit quod edat, necesse est ut fame dispereat. Iste ergo sibi non collegerat verbum Dei, supervenit hiems, non hic invenit quod quærebat, consolari nisi inde non poterat, de verbo autem Dei nullo modo. Intus apud se nihil habebat, foris quod quærebat non inveniebat : ardebat indignationum et dolorum facibus, agitabatur mens ejus violenter, et tamdiu occulte, donec etiam erumperet in quosdam gemitus, ita ut inter fratres sonaret, et se audiri nesciret. Videbamus, et dolebamus vehementer, Deus scit, tantam pœnam animæ, tantas cruces, tantas gehennas, tanta tormenta. Quid pluribus? Impatiens loci humilis, cui si saperet, posset esse locus salubris, talis apparuit, ut etiam projiceretur. Neque hinc desperare debemus, fratres, de aliis, qui forte elegerint veritatem, non secuti fuerint necessitatem. Usque adeo enim de cæteris desperandum non est, ut nec de isto desperem, quamdiu vivit. De nullo enim vivente desperandum est. Hoc ergo, fratres, ex occasione hac scire debuit Charitas Vestra, ne quis forte aliud vobis dicat. Nam subdiaconus eorum, qui, cum ei nulla quæstio ibi commoveretur, elegit catholicam pacem et unitatem, et illis dimissis venit, venit revera sicut eligens quod bonum est, non sicut repudiatus a malis : sic acceptus est, ut de ejus conversione gaudeamus, et eum vestris orationibus commendemus. Potens est enim Deus, qui eum faciat etiam atque etiam meliorem. Cæterum de nullo pronuntiandum est in aliquam partem, sive in bonam, sive in malam. Quamdiu enim hic vivitur, crastinus dies semper ignoratur. *Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur : quoniam peccatores peribunt.*

12. *Inimici autem Domini statim ut gloriabuntur et exaltabuntur, deficientes sicut fumus deficient.* Ex ipsa similitudine rem quam insinuavit, agnoscite. Fumus a loco ignis erumpens in altum extollitur, et ipsa elatione in globum magnum intumescit : sed quanto fuerit globus ille grandior, tanto fit vanior; ab illa enim magnitudine non fundata et solidata, sed pendente et inflata, it in auras atque dilabitur, ut videas ipsam ei obfuisse magnitudinem. Quanto enim plus erectus est, quanto extentus, quanto diffusus undique in majorem ambitum, tanto fit exilior, et deficiens, et non apparens. *Inimici autem Domini statim ut gloriabuntur et exaltabuntur, deficientes sicut fumus deficient.* De talibus dictum est : *Sicut Jannes et Mambres restiterunt Moysi, sic et isti resistunt veritati : homines mente corrupti, reprobi circa fidem.* Unde autem resistunt veritati, nisi inflatione tumoris sui, euntes in ventos, extollentes se quasi justos et magnos? Quid autem de illis ait? Tanquam de fumo : *Sed ultra non proficient; dementia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit* (II *Tim.* III, 8, 9). *Inimici autem Domini statim ut gloriabuntur et exaltabuntur, deficientes sicut fumus deficient.*

13. [*vers.* 21.] *Feneratur peccator, et non solvet.*

[1] Tres Mss.: *Pecunia, amicitia, gloria, facultates mundi, servi et quæcumque bona,* etc.

[2] Apud Lov., *ubi conscientia.* Abest vox, *ubi*, a Mss. et ab Er.

[3] Sic melioris notæ Mss. At Er., *eum non delectatione, sed necessitate fecisse.* Lov., *eum non dilectione, sed necessitate fecisse.*

Accipit, et non reddet. Quid non reddet? Gratiarum actionem. Quid enim a te vult Deus, aut quid exigit Deus, nisi quod tibi prosit[1]? Et quanta accepit peccator, pro quibus non solvet? Accepit ut sit, accepit ut homo sit, multumque intersit inter ipsum et pecus; accepit corporis formam, accepit in corpore distinctionem sensuum, ad videndum oculos, ad audiendum aures, ad odorandum nares, ad gustandum palatum, ad contrectandum manus, ad ambulandum pedes, salutemque ipsam corporis. Sed adhuc ista et cum pecore habemus communia: accepit etiam amplius, id est mentem quæ possit intelligere, quæ possit capere veritatem, quæ possit justum ab injusto discernere, quæ possit indagare, desiderare Creatorem, laudare et inhærere illi. Hæc omnia accepit et peccator, sed non bene vivendo non reddit quod debet. Ergo *feneratur peccator, et non solvet*, non reddet ei a quo accepit, non aget gratias: imo vero rependet mala pro bonis, blasphemias, murmur adversus Deum, indignationem. Ergo ille *feneratur, et non solvet: justus autem miseretur, et commodat*. Ille ergo nihil habet, iste habet. Videte egestatem, videte divitias. Ille accipit, et non solvet: iste miseretur, et commodat; abundat illi. Quid si pauper est? Etiam sic dives est. Tu tantum ad divitias ejus pios oculos intende. Respicis enim arcam inanem, conscientiam Deo plenam non respicis. Non habet extrinsecus facultatem, sed habet intrinsecus charitatem. De charitate quanta erogat, et non finitur! Etenim si habet foris facultatem, dat ipsa charitas, sed ex eo quod habet: si autem non invenit foris quod det, dat benevolentiam, præstat consilium, si potest; præstat auxilium, si potest: ad extremum si nec consilio nec auxilio adjuvare potest, vel voto adjuvat, vel orat pro contribulato, et forte magis ipse exauditur quam qui porrigit panem. Habet semper unde det, cui plenum pectus est charitatis. Ipsa est charitas, quæ dicitur et voluntas bona. Plus a te Deus non exigit, quam quod tibi intus dedit. Vacare enim non potest voluntas bona. Non enim habens voluntatem bonam, etsi nummus tibi supersit, non porrigis pauperi: ipsi inter se pauperes præstant sibi de voluntate bona, non sunt inter se infructuosi. Vides cæcum duci a vidente: quia nummos non habuit quos daret egens[2], commodavit oculos non habenti. Unde hoc factum est, ut membra sua commodaret ei qui non habet, nisi quia intus inerat voluntas bona, thesaurus pauperum? In quo thesauro dulcissima requies, et vera securitas. Ad ipsum amittendum nec latro admittitur, nec naufragium metuitur. Servat secum quod intus habet, nudus evadit, et plenus est. *Justus* ergo *miseretur, et commodat*.

14. [*vers.* 22.] *Quoniam benedicentes eum, hæreditate possidebunt terram:* sicut (*a*) illum justum, vere solum justum et justificantem, qui et pauper hic fuit, et divitias magnas attulit, quibus faceret divites eos quos invenit pauperes. Ipse est enim qui Spiritu sancto ditavit corda pauperum, et exinanitas animas confitendo peccata, implevit opulentia justitiæ; qui potuit divitem facere piscatorem, dimittendo retia sua, quod habebat contemnentem, quod non habebat haurientem (*Matth.* IV, 19). Infirma enim mundi elegit Deus, ut confunderet fortia (I *Cor.* I, 27). Et non de oratore piscatorem, sed de piscatore lucratus est oratorem, de piscatore lucratus est senatorem, de piscatore lucratus est imperatorem. *Quoniam benedicentes eum, possidebunt terram hæreditate:* erunt ejus cohæredes, in terra illa viventium, de qua dicitur in alio psalmo: *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium* (*Psal.* CXLI, 6). Tu es ipsa portio mea, inquit Deo, et non dubitavit Deum sibi facere portionem. *Hæreditate possidebunt terram. Maledicentes autem eum, disperient.* Ut autem benedicant[1] qui benedicunt, præstitum est eis. Nam ventum est ad maledicentes, et facti sunt benedicentes: et jam sic disperierunt maledicentes eum, cum ejus munere facti sunt benedicentes, quem malo suo maledicebant, bono autem ipsius benedicunt.

15. [*vers.* 23.] Videte quid sequitur: *A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet.* Ipse homo ut velit viam Domini, ab ipso Domino diriguntur gressus ejus. Nam si Dominus non dirigeret gressus hominis, tam pravi erant, ut semper per prava irent, et semitas curvas sequendo redire non possent. Venit autem ille, et vocavit, et redemit, et sanguinem fudit: hoc pretium dedit, hæc bona fecit, et mala passus est. Attende quæ fecerit; Deus est: attende quæ passus sit; homo est. Quis iste Deus homo? Si tu, o homo, non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo. Parum enim tibi erat ad remunerationem vel ad donum ejus, quia et hominem te fecit, nisi et homo pro te fieret? Ipse est enim qui direxit gressus nostros, ut viam ejus vellemus. *A Domino gressus hominis dirigentur, et viam ejus volet.*

16. Jam cum sequeris viam Christi, non tibi sæculi prosperitates promittas. Per dura ambulavit, sed magna promisit. Sequere. Noli tantum attendere qua iturus, sed et quo venturus sis. Tolerabis dura temporalia, sed ad læta pervenies sempiterna. Si vis sustinere laborem, attende mercedem. Nam et operarius in vinea deficeret, nisi attenderet quid accepturus esset. Cum autem attenderis quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia quæ pateris, nec digna æstimabis pro quibus illud accipias. Miraberis tantum dari pro tantillo labore. Nam utique, fratres, pro æterna requie labor æternus subeundus erat; et æternam felicitatem accepturus, æternas passiones sustinere deberes: sed si æternum sustineres laborem, quando venires ad æternam felicitatem? Ita fit, ut necessario temporalis sit tribulatio tua, qua finita venias ad felicitatem infinitam. Sed tamen, fratres, posset esse longa tribulatio pro æterna felicitate. Verbi gratia, ut quoniam felicitas nostra finem non habebit, mi-

[1] Edd., *promisit*; verius aliquot Mss., *prosit*.
[2] Mss., *egenti*.
(*a*) Forte, *scilicet*.

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *benedicantur*, minus bene.

seria nostra et labor noster et tribulationes nostræ diuturnæ essent. Nam et si mille annorum essent, appende mille annos contra æternitatem : quid appendis cum infinito quantumcumque finitum? Decem millia annorum, decies centena millia, si dicendum est, et millia millium, quæ finem habent, cum æternitate comparari non possunt. Huc accedit, quia non solum temporalem voluit laborem tuum Deus, sed etiam brevem. Paucorum dierum est tota vita hominis, etiamsi læta duris non miscerentur, quæ plura et longiora sunt certe, quam dura; et ideo breviora et pauciora sunt dura, ut durare possimus. Si ergo per totam vitam suam homo in laboribus et in ærumnis esset, in doloribus, in tormentis, in carcere, in plagis, in fame et siti omnibus diebus, horis omnibus, per totam vitam suam usque ad ætatem senectutis, pauci dies sunt tota vita hominis : quo labore transacto, veniet regnum æternum, veniet sine fine felicitas, veniet æqualitas Angelorum, veniet hæreditas Christi, veniet cohæres Christus. Pro quanto labore quantam mercedem accipimus! Veterani homines qui laborant in militia, et versantur inter vulnera tot annos, incipiunt militare a juventute, exeunt senes; et ut habeant paucos dies quietos senectutis suæ, quando eos jam ipsa ætas incipit gravare quos bella non gravant, quanta dura tolerant; quæ itinera, quæ frigora, quos soles, quantas necessitates, quæ vulnera, quæ pericula! Et non attendunt patientes hæc omnia, nisi paucos dies quietos illos senectutis, ad quos utrum perveniant nesciunt. Ergo *a Domino gressus hominis dirigentur*, *et viam ejus volet*. Hinc dicere cœperam : viam Christi si vis, et vere christianus es, ipse est enim christianus qui non aspernatur viam Christi, sed vult viam Christi sequi per passiones ipsius, noli per aliam viam velle ire quam per illam qua ipse ivit. Dura videtur, sed ipsa est tuta via : alia forte delicias habet, sed latronibus plena est. *Et viam ejus volet.*

17. [*vers.* 24.] *Cum ceciderit, non conturbabitur, quoniam Dominus confirmat manum ejus.* Ecce quid est, velle viam Christi. Contingat illi ut aliquam tribulationem patiatur, aliquam exhonorationem, aliquam contumeliam, aliquam afflictionem, aliqua damna, et cætera quæcumque abundant in vita ista generi humano : proponit sibi Dominum suum, quanta genera tentationum passus est : et *non conturbabitur cum ceciderit, quia Dominus confirmat manum ejus;* quia prior passus est. Quid enim timebis, o homo, cujus directi sunt gressus, ut velles viam Domini? Quid timebis? Dolores? Flagellatus est Christus (*Matth.* XXVII, 26). Contumelias timebis? Audivit, *Dæmonium habes*, qui dæmonia excludebat (*Joan.* VIII, 48). Forte factionem et conspirationem malorum? Conspiratum est adversus illum (*Id.* IX, 22). Non potes ostendere forte conscientiam tuam bonam in aliqua accusatione, et vim pateris quod adversus te falsi testes audiuntur. Contra ipsum primum falsum testimonium dixerunt, non solum ante mortem, sed etiam post resurrectionem. Inducti sunt falsi testes, ut a judicibus damnaretur (*Matth.* XXVI, 60) : accesserunt falsi testes custodes ad sepulcrum. Resurrexit ille cum tanto miraculo; commota terra prodidit Dominum resurgentem. Erat illic et terra custodiens terram; sed terra durior mutari non potuit. Nuntiavit vera, sed seducta est a falsa. Dixerunt enim illi custodes Judæis quæ viderint, et quid factum sit : acceperunt pecuniam, et dictum est eis: *Dicite quod vobis dormientibus venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum* (*Id.* XXVIII, 12). Ecce falsi testes, et contra resurgentem. Quanta autem cæcitas in falsis testibus, quanta cæcitas, fratres! Solent hoc enim pati falsi testes, ut excæcentur, et contra se dicant nescientes unde appareat quia falsi sunt testes. Quid enim illi contra se dixerunt? Cum dormiremus, *venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum.* Quid est hoc? Quis est qui dicit testimonium? Qui dormiebat. Talibus ego narrantibus non crederem, nec si somnia sua mihi indicarent. Stulta insania! si vigilabas, quare permisisti? si dormiebas, unde scisti?

18. Sic et isti (*a*) filii eorum [1], sicut meministis, et prætermittendum ex occasione non est. Tanto magis enim debemus commemorare vanitatem eorum, quanto magis quærimus salutem eorum. Ecce corpus Christi patitur falsos testes, sustinet corpus quod præcessit in capite. Non mirum est, et modo non desunt corpori Christi diffuso per totum orbem terrarum qui dicant : Progenies traditorum. Falsum testimonium dicis. Ibi te convinco falsum testem, secutus pauca verba. Tu mihi dicis : Traditor es. Ego tibi dico : Mendax es. Sed tu traditionem meam nusquam et nunquam probas : ego mendacium tuum hic in istis ipsis verbis tuis modo probo. Certe ibi dixisti, quia nos acuimus gladios nostros : recito gesta tuorum Circumcellionum. Certe (*b*) ibi dixisti, quia prætermittis ablata : recito Gesta, ubi procurationem ad exigenda fecisti. Certe ibi dixisti : Nos sola offerimus Evangelia : recito tot jussiones judicum, quibus a te divisos persecutus es : recito Preces ad Apostatam imperatorem, cui dixisti (*c*), quia sola justitia apud eum habet locum. An forte apostasia Juliani, pars Evangelii tibi videtur? Ecce mendacem te teneo. Quid de me dixisti quod credi debeat? Etiamsi non invenirem unde ostenderem falsum te dicere, sufficit ut ostendam te mendacem esse. Quid dicis? Qualis tu, tales et cæteri [2]. Nam merito talia verba omnibus misisti : abundare voluisti socie-

[1] Hic in Edd. additur, *usque huc :* quod a Mss. abest.
[2] Octo Mss.: *Qui dicis, Qualis tu, tales et cæteri.* Forte verius, juxta illud quod hic aliquanto post legitur, n. 20 : *Hoc erat in regula, Quales fuerint cum quibus fuerit communicatum, tales fieri omnes et universam massam.*

(*a*) Donatistæ.
(*b*) Hinc liquet Augustinum hoc sermone refellendum suscepisse Primiani mandatum illud, cujus meminit in Breviculo Collationis cum Donatistis die 3, c. 8; sed expressius in lib. 4 contra Cresconium, cap. 47, in hæc verba : « Cur « ergo Primianus apud Acta magistratus Carthaginensis inter « alia quæ de nobis contumeliose prosequenda manda- « vit, Illi, inquit, auferunt aliena, nos intermittimus ab- « lata. »
(*c*) Id porro in Precibus Juliano Apostatæ oblatis nomine Donatistarum dixerunt Rogatianus et Pontius, ex Epist. 105, ad Donatistas, n. 9, et lib. 2 contra Petilianum, c. 92 et 97.

tate mendacium, ne tu solus erubesceres de mendacio.

19. Sed valeat, inquit, in Cæcilianum judicium patrum nostrorum. Quare valebit? Quia episcopi judicaverunt. Valeat et in te, quod Maximianistæ[1] judicaverunt. Prius, enim quod credo vos nosse, episcopi consentientes cum Maximiano adhuc diacono ipsius, venerunt ad Carthaginem, sicut se habet Tractatoria[2], quam etiam Gestis alligaverunt, cum litigarent (*a*) de domo cum procuratore illius (*b*) qui prætermittit ablata. Ergo primo Tractatoriam de illo miserunt, conquerentes quia noluit ad illos exire : hoc enim maxime conquesti sunt. Vide quomodo illis Deus reddidit quod de Cæciliano dixerunt. Mira similitudo : voluit Deus post tot annos revolvere illis in faciem quod gestum est, ut omnino unde dissimulent et qua effugiant non inveniant. Oblitos se dicerent quæ gesta sunt ante; non eos Deus sinit oblivisci : atque utinam valeat eis ad salutem! Nam misericordia sua fecit hoc Deus, si considerent quid sit factum. Ponite ergo vobis ante oculos, fratres, unitatem tunc orbis terrarum, unde se isti diviserunt adversus Cæcilianum : ponite modo et partem Donati, unde se Maximianistæ diviserunt adversus Primianum. Quod tunc illi Cæciliano, hoc nunc isti fecerunt Primiano. Propterea se et veriores Donatistis dicunt Maximianistæ, quia revera facta majorum suorum ipsi imitati sunt. Sic enim crexerunt Maximianum adversus Primianum, quomodo illi crexerunt Majorinum adversus Cæcilianum; et sic questi sunt isti de Primiano, quomodo illi de Cæciliano. Nam si meministis, hoc dixerunt illi, quod ad eos exire noluerit Cæcilianus, memor conscientiæ suæ; ille autem noverat factionem eorum : sic et isti conqueruntur, quia noluit ad illos exire Primianus. Quare Primiano conceditur, nosse factionem Maximianistarum, et Cæciliano non conceditur nosse factionem Donatistarum? Nondum erat ordinatus Maximianus, crimina dicebantur de Primiano : venerunt episcopi, voluerunt ut ad eos exiret : non est egressus, sicut eorum indicat Tractatoria Actis inserta. Non est egressus : non improbo, imo et laudo. Si aliquam factionem vidisti, non debuisti ad factiosos procedere, sed servare causam tuam meliori judicio partis tuæ. Restabat enim magna pars Donati, ubi se posset purgare Primianus : propterea ad illos qui jam factione conspiraverant, exire noluit. Vides quomodo laudamus consilium tuum adversus Maximianistas, bene attende et causam Cæciliani : non vis ut frater; quomodo extraneus, sic judica. Noluisti exire, quid tibi dicens[3]? Isti factione conspiraverunt contra salutem meam, corrupti sunt adversum me : si me illis commisero, facio præjudicium causæ meæ : non ad eos exibo, servetur causa mea melioribus et auctoritate gravioribus. Bonum consilium. Quid si hoc dixit Cæcilianus? Quanquam laborabis tu, ut ostendas quæ adversus te istos alia Lucilla corruperit, et forte non inventurus; quod ille tunc usque adeo noverat, ut postea (*a*) Gestis aperiretur. Sed vidisti nescio quid occultum, renuntiatum est tibi aliquid metuendum. Concedo timori tuo cautelam istam : recte fecisti, ad tales non procedere; erant enim alii qui de te poterant judicare. Attente nunc Cæcilianum : tu tibi servasti Numidiam, ille orbem terrarum. Sed si valere vis adversus illum sententias tunc Donatistarum, valeant nunc adversus te sententiæ Maximianistarum : episcopi illum damnaverunt; episcopi et te. Quare postea egisti causam tuam, et obtinuisti ibi Maximianistas; sicut ille postea egit causam suam, et obtinuit ibi Donatistas? Quod ergo tunc factum est, videtur ante oculos miro et manifesto exemplo revolutum, talia Maximianistas conqueri de Primiano, qualia omnes isti conquesti sunt de Cæciliano. Mirum est, fratres, quomodo moveor, quomodo Deo gratias ago : quia vere misericordia Dei ad istos, si sapiant, illuminandos formavit exemplum. Proinde si placet paululum, fratres, quia et hoc nobis Deus in manus dedit, audite concilium Maximianistarum (*b*).

20. *Sanctissimis fratribus atque collegis per universam Africam.*— Tota unitas ipsorum per Africam. Sed hic cum illis est Catholica : in aliis autem orbis partibus ipsi non sunt cum Catholica. — *Sanctissimis fratribus atque collegis per universam Africam, hoc est, per provinciam Proconsularem, Numidiam, Mauritaniam, Byzacenam, et Tripolim constitutis; sed et presbyteris et diaconis, universis plebibus, in veritate Evangelii nobiscum militantibus, Victorinus, Fortunatus, Victorianus, Migginus*[1], *Saturninus, Constantius, Candorius, Innocentius, Cresconius, Florentius*[2], *Salvius, alius Salvius, Donatus, Geminius, Prætextatus.* — Ipse est Assuritanus, quem postea receperunt : eum qui in se dixit sententiam, recepit postea. — *Maximianus, Theodorus, Anastasius, Donatianus, Donatus, alius Donatus, Pomponius, Pancratius*[3], *Januarius, Secundinus, Pascasius, Cresconius, Rogatianus, alius Maximianus, Benenatus, Gaianus, Victorinus, Guntasius, Quintasius, Felicianus.* — Iste est Mustitanus[4] qui

[1] Aliquot Mss. constanter hic et postea, *Miggin*.
[2] Edd., *Florentinus*. At omnes prope Mss., *Florentius*.
[3] Quinque Mss, *Prancatius :* nec aliter habent in fine Synodicæ.
[4] Sic Mss. At Edd., *Musticanus*.

(*a*) Gesta indicat apud Zenophilum Consularem confecta anno 320, quorum fragmenta quædam in 3 contra Cresconium lib., c. 29, refert : ubi videlicet nundinarius Silvani Cirtensis episcopi diaconus prodidit, episcopos aliosque Lucillæ præpotentis feminæ pecunia corruptos fuisse, ut Majorinus contra Cæcilianum fieret Carthaginensis episcopus. Vide Augustini ad Glorium, Eleusium, etc., epist. 43, n. 17.

(*b*) Hic Augustinus epistolam Maximianistarum Cabarsussensis concilii recitat breviqne explicat commentariolo. Ad rectam n. 20 intelligentiam, multum interest ut verba Augustini ab epistolæ verbis apprime distinguantur; quod profecto facile obtinebit lector, si attendat priora *romanis*, ut aiunt, characteribus, posteriora vero *italicis* referri. M.

[1] Edd., *Maximinianistæ :* sicque in aliis postea locis eosdem sectarios isthic nominant, et horum principem *Maximinianum*, superaddita nomini syllaba. At omnes prope Mss. constanter appellant *Maximianum* et *Maximianistas :* nec solent editi dissentire in cæteris, ubi iidem nominantur, opusculis.
[2] Colb. Ms., *Tractoria :* dissentientibus cæteris libris, Edd. et Mss.
[3] Sic Mss. At Edd., *dicent*.
(*a*) Maximianistæ.
(*b*) Primiani.

adhuc vivit ; sed forte alius est aliunde. Postea subscribentes dicunt et loca unde quisque erat. — *Salvius, Higginus, Proculus, Latinus, et cæteri qui in concilio apud Cabarsussi*[1] *fuimus, in Domino æternam salutem. Nemo qui nesciat, fratres dilectissimi, de sacerdotibus Dei, non propriæ voluntatis, sed divinæ legis impulsu, tam in reos sententiam dicere, quam innocentibus inflictam, jure ab eis ac merito submovere. Non levi enim periculo subjacebit, quisquis aut reo pepercerit, aut innocentem conficere*[2] *pertentarit : maxime cum scriptum sit : « Innocentem et justum non occides, et purgatione non purgabis reum »* (*Exod.* XXIII, 7). *Hoc igitur Edicto Legis admoniti, necesse nos fuerat Primiani causam, quem plebs sancta Carthaginensis Ecclesiæ episcopum fuerat in ovile Dei sortita, seniorum litteris ejusdem Ecclesiæ postulantibus, audire atque discutere sub eo, ut explanatis omnibus, aut innocentem, quod optabile fuerat, purgaremus ; aut nocentem certe ostenderemus suis meritis esse damnatum. Optatissimum enim nobis fuit, ut plebs sancta Carthaginensis Ecclesiæ eo se lætetur episcopo sublimatam, qui in omnia sanctus et in nullo reprehensibilis haberetur. Propterea utique talem esse oportet Domini sacerdotem, ut quod populus pro se apud Deum non valuerit, ipse pro populo mereatur quod poposcerit impetrare : quia scriptum est, « Si peccaverit populus, orabit pro eo sacerdos ; si autem sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo »* (I *Reg.* II, 25)? — Etiam Apostoli scripserunt plebibus ut orarent pro se, et Apostoli orantes dicebant : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12); et apostolus Joannes dixit : *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, et ipse est exoratio pro peccatis nostris* (I *Joan.* II, 1, 2). Sed illud de illo sacerdote scriptum est, quem isti non intelligunt, ut admoneretur populus in prophetia talem se debere agnoscere sacerdotem, pro quo nullus posset orare. Quis est autem pro quo nullus orat, nisi ille qui pro omnibus interpellat? Quia ergo tunc sacerdotium erat Leviticum, ubi sacerdos intrabat in sancta[1], et offerebat hostias pro populo ; habebat autem imaginem, non veritatem futuri cujusdam sacerdotis ; tunc enim et ipsi sacerdotes peccatores erant, sicut cæteri homines : volens Deus per prophetiam[2] admonere populum, jam talem desiderandum esse sacerdotem, qui interpellaret pro omnibus, et pro eo nullus oraret, designans talem, admonuit et dixit : *Si peccaverit populus, orabit pro eo sacerdos ; si autem sacerdos peccaverit, quis orabit pro eo?* Itaque, o popule, talem elige sacerdotem, pro quo non cogaris orare, sed de cujus oratione pro te securus esse possis. Ipse est Dominus noster Jesus Christus, unus sacerdos, unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5). — *Scandala igitur Primiani, et ipsius nequitia singularis, sic in se cœleste judicium provocavit, ut horum criminum auctorem necesse esset penitus amputare : qui recens ordinatus,* — Jam jam crimina ipsius dicuntur. — *Presbyteros supra dictæ plebis ad conjurationem impiæ conspirationis impellens*[3], *hoc ab eis velut precario jure postulavit, ut ad damnandos quatuor diaconos, viros egregios, ac singularibus meritis approbatos, Maximianum scilicet, Rogatianum, Donatum, itemque Salgamium*[4], — In his quatuor erat ille auctor schismatis, præcidens de frusto frustum, et non se dolens ab integritate præcisum. — *Incunctanter ei promitterent accommodare consensum.* — Hoc cum illis egit : illi noluerunt ei promittere, sed tacuerunt : ille per seipsum cogitatum scelus non dubitavit implere. — *Cujus illi mala præsumptione stupefacti, cum rem silentio refellissent, per se cogitatum scelus non dubitavit implere, usque adeo ut in Maximianum diaconum, virum, sicut omnibus notum est, innocentem, sine causa, sine accusatore, sine teste, absentem ac lecto cubantem, sententiam putaret esse promendam.* — Videte crimen! — *Qui jam pridem clericos non dissimili furore damnaret. Nam cum incestos contra legem decretaque omnium sacerdotum communioni sanctæ adjungeret, cumque obsistente maxima parte plebis, etiam seniorum nobilissimorum litteris conveniretur, ut per se corrigeret quod admiscrat, sua temeritate possessus emendare contempsit. His itaque permoti seniores Ecclesiæ supradictæ, ad universum chorum*[5] *litteras legatosque miserunt, quibus non sine lacrymis deprecati sunt ut ad se ferventius veniremus, quo perpenso libramine, intentationibus*[6] *exploratis, existimatio Ecclesiæ purgaretur. Ad hanc proinde cum secundum memoratorum litteras veniremus, nota sua ille ratione fervescens, adventum nostrum penitus declinavit.* — Quid illi objiciatur scitis, quia pars jam Donati incesta facta est. Hoc erat in regula,

[1] Editio Er., *Cavernam Susis*. Lov., *Cavernas Susis*. Quatuor Mss., *Cavarnasussis*. Tres, *Cabarsus*. Duo, *Cabarsusi*. Regius codex, *Cebursussi*. Octo alii in quibus est Vatic., *Cabarsussi* : forte pro, *Cabarsussim*. Porro cum concilia Maximianensium in Primianum duo Augustinus, primum Carthagine, alterum Cabarsussi habitum commemoret ; sunt qui hanc Synodicam post Baronium assignent priori concilio, adeoque isthic legi velint, non *apud Cabarsussim*, quæ in Byzacio sita erat ; sed *apud Cavernas Susis*, locum, ut ipsi quidem constituere pro sua opinione cœperunt, vicinum Carthagini. At certe prius illud concilium Carthaginense, teste Augustino in 4 cont. Cresconium lib., cc. 6 et 7, ab episcopis, tantummodo « quadraginta tribus factum est : qui « needum ausi sunt ultimum præcipitare judicium, sed quo« dam præjudicio consuluerunt, ut Primiano, si causæ suæ « fideret, sequenti celebriori concilio respondendi seseque « purgandi relinqueretur locus : quo cum venire noluisset, « jam necessario putaverunt esse damnandum sine ulla « suspensione sententiæ. » Scilicet in concilio Cabarsussitano, ubi a « centum vel amplius episcopis perfecte pleniusque damnatus est » Primianus. Hæc autem Synodica perfectam plenioremque, uti patet, Primiani damnationem continet : unde eadem perlecta Augustinus, « Hæc est, ait, « damnatio tua. » Neque ab episcopis quadraginta tribus duntaxat, imo non tantum a quinquaginta tribus qui in fine recensentur, edita est : quandoquidem illam spectare id merito videtur, quod infra legimus, n. 23 : *Centum vel quot fuerunt qui damnaverunt a parte Maximiani Primianum.* Præterquam quod non omnium qui Synodicæ condendæ interfuerunt subscriptiones recitatas fuisse probant *Anastasius, Constantius, Candorius*, et alii quidam episcopi in ejus principio, non in fine nominati.

[2] Er., *confiteri*. Lov., *confutare*. Sed melius Mss., *conficere*.

[1] Mss., *intrabat et offerebat* : nec habent, *in sancta*.

[2] Edd., *per prophetam*. Verius Mss., *per prophetiam*.

[3] Aliquot Mss., *ad communicationem impiæ conjurationis*.

[4] In Edd., *itemque Salgamium consentirent*. At in Mss., *itemque Salgamium* : et a plerisque abest, *consentirent*, quod superfluo additum fuit.

[5] Tres Mss., *ad universum clerum*. Duo alii, *universorum chororum* ; prætermisso, *ad*.

[6] Sic aliquot Mss. Edd. vero habent, *intentionibus*.

Quales fuerint cum quibus fuerit communicatum, tales fieri omnes et universam massam. Itaque si verum isti dicunt, incesta est jam pars tota Donati. Exeant plane Numidæ, et dicant, Ad nos non pertinet si illos incestos [1], nescio quos, ad communionem tuam admisisti : obesse potuit tam longe positis? Si ergo vobis obesse non vultis qui in Numidia estis, quod Carthagini fit; quod in Africa fit, potuit obesse universo orbi terrarum? Semper unde se defendunt, inde se accusant, et nos excusant [2]. — *Adventum nostrum penitus declinavit.* — Quod illi questi sunt de Cæciliano. — *Qui usquequaque rebelli animo calcitrans, in malo permansit, ut conducta multitudine perditorum,* — Jam hoc plus est. Hæc de Cæciliano non dixerunt illi : videte quæ. — *Atque impetratis officialibus, basilicarum januas obsedissent.* — Ne intrarent episcopi. — *qui ingrediendi nobis atque agendi solemnia interdicerent facultatem. Hæc si episcopum convenit facere, si Christianis licet admittere, si hoc Evangelia protestantur, probet aut judicet quisquis amator aut assertor est veritatis. Hoc enim nobis inflixit frater aliquando proprius, quod nunquam faceret alienus.* — Quid pluribus (*a*)? Dicunt multa et damnant hominem : sed damnationem jam ipsam legamus. — *Decrevimus omnes sacerdotes Dei, præsente Spiritu sancto, hunc eumdem Primianum, primo quod super vivos episcopos alios subrogarit; quod incestos cum sanctorum communione miscuerit; quod presbyteros ad conjurationem ineundam constringere pertentarit; quod Fortunatum presbyterum in cloacam fecerit mitti, cum ægrotantibus baptismo succurrisset; quod communionem Demetrio presbytero pernegarit, ut cogeret filium abdicare; quod idem presbyter objurgatus sit, quod episcopos hospitio suscepisset; quod supra dictus Primianus multitudinem miserit, quæ Christianorum domos everteret; quod obsessi sint episcopi simul et clerici, et postea ab ejus satellitibus lapidati; quod in basilica cæsi sint seniores, quod indigne ferrent ad communionem Claudianistas admitti; quod innocentes clericos putaverit esse condemnandos; quod se nobis audiendum noluerit exhibere, cum basilicarum fores ne ingrederemur multitudine et Officio [3] intercluserit; quod legatos a nobis ad se missos injuriose rejecerit; quod loca multa, vi primo, dehinc auctoritate judiciaria usurpaverit.* — Prætermissor ablatorum : cum Paulus apostolus dicat : *Audet quis vestrum adversus alium negotium habens judicari apud injustos, et non apud sanctos* (I *Cor.* VI, 1). Videte quale illi crimen objecerint, quia non apud episcopos agere voluit de locis, sed apud judicem. — *Præter alia illicita* [4] *ejus admissa, quæ præ honestate stili nostri siluimus, a sacerdotali choro perpetuo esse damnatum : ne eo palpato, Dei Ecclesia aut contagione, aut aliquo crimine maculetur. Quod ipsum Paulus apostolus exhortatur, et admonet : « Præcipimus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut discedatis ab omni fratre* [1] *inordinate ambulante »* (II *Thess.* III, 6). *Atque adeo non immemores puritatis Ecclesiæ, conducibile existimavimus, omnes sanctos consacerdotes, et omnes clericos, et omnes populos qui se christianos meminerunt, hac nostra Tractatoria commonere, ut omnes ejus communionem, utpote damnati, diligenti cura horreant. Ipse enim de suo interitu rationem reddet, qui hoc nostrum decretum non audiendo tentaverit violare. Placuit sane nobis et Spiritui sancto, quod tempus tardis ad convertendum reservetur sub eo, ut quicumque consacerdotum vel clericorum suæ salutis immemores, a die damnationis supra dicti Primiani, id est, a die octavo* [2] *Kalendarum Juliarum usque ad diem octavum Kalendarum Januariarum, minus a Primiani damnati communione recesserint, tali sententia constringantur. Laici quoque nisi se a supra dicto die damnationis illius, intra diem Paschæ futuræ ab ejus consortio separaverint, non posse quemquam nisi per pœnitentiam, siquidem meminerint, Ecclesiæ reformari. Victorinus Munatianensis episcopus subscripsi. Fortunatus Dionysianensis* [3] *episcopus subscripsi. Victorianus Carcabianensis* [4] *episcopus subscripsi. Florentius ab Adrumeto episcopus subscripsi. Migginus ab Elephantaria* [5] *episcopus subscripsi. Innocentius Thebaltensis* [6] *episcopus subscripsi. Miggin pro collega meo Salvio Membressitano* [7] *episcopo subscripsi. Salvius Ausafensis* [8] *episcopus subscripsi. Donatus Sabratensis episcopus subscripsi. Gemelius* [9] *a Tanabœis* [10] *episcopus subscripsi.* — Ex ipsis condemnatoribus subscripsit et Prætextatus Assuritanus, et Felicianus Mustitanus. — *Prætextatus Assuritanus episcopus subscripsi. Maximianus Stabatensis* [11] *episcopus subscripsi. Datianus Camicetensis* [12] *episcopus subscripsi. Donatus Fiscianensis episcopus subscripsi. Theodorus Usulensis episcopus subscripsi. Victorianus, jubente collega Agnosio* [13] *episcopo, subscripsi. Donatus Cebresutanus* [14] *episcopus subscripsi. Natalicus Thelensis episcopus subscripsi. Pom-*

[1] Edd. : *Stilus incestus est nescio quos*, etc. Melius aliquot Mss., *si illos incestos*, scilicet de quibus ante in hac synodica dictum est.

[2] In Edd.: *Semper inde se defendunt, inde se excusant, et nos accusant.* Hunc et alios locos ad Mss. emendamus.

[3] Edd., *et Officialibus*. At Mss., *et Officio*.

[4] Plerique Mss., *illecebra ejus*. Nonnulli vero, *illecebrosa ejus*.

(*a*) Subaud., *opus est*.

[1] In Mss. deest, *fratre* : quam vocem non illibenter omiserint Donatistæ.

[2] Ed. Lov. hoc loco præterit, *octavo*. Er. vero id totum omittit, *Calendarum Juliarum usque ad diem octavum* : quæ omnia verba in plerisque Mss. reperiuntur; sed ex iis nonnulli post *Calendarum Juliarum*, sic habent: *si vel mora, ad diem octavum Calendarum Januariarum.* Non assignatur annus, qui forte erat Christi 393. Quippe Bagaitani postea concilii sententia pro Primiano in Maximianum et in Cabarsussitanam synodum dicta fuit die 24 aprilis an. 394, ex lib. 3 cont. Crescon., c. 56.

[3] Duo Mss., *Dionysiacensis*.

[4] Lov., *Carbaniensis*. Er. et novem Mss., *Carcabinensis*. Duo Mss., *Carcabensis*. Alii, *Carcabianensis*. Sic etiam in lib. 3 cont. Crescon., c. 19.

[5] Sic in Mss. At in Edd., *Belephantariæ*.

[6] Quinque Mss., *Thesbalitensis*.

[7] Ita in aliquot Mss. et in lib. 3 cont. Crescon., c. 19. At in Edd. legebatur hic, *Salviano Pressitano*.

[8] Er., *Ausavensis*. Lov., *Ausacensis*. Aliquot Mss. ut in lib. 3 cont. Cresc., c. 19, *Ausafensis*.

[9] Forte, *Geminius*, ut supra, col. 376, sub initio præsentis n. 20.

[10] Er., *Anathabeis*. Nonnulli Mss., *a Tambeis*.

[11] Mss. aliquot, *Sabbatensis*. Quidam, *Sabatensis*.

[12] Quatuor Mss., *Camacetensis*.

[13] Tres Mss., *Agnasio*.

[14] Quinque Mss., *Cebresusitanus*. Nonnulli, *Ceberesitanus*.

ponius Macrianensis episcopus subscripsi. Pancratius Balianensis[1] *episcopus subscripsi. Januarius Aquenensis*[2] *episcopus subscripsi. Secundus Jacondianensis*[3] *episcopus subscripsi. Pascasius a Vico Augusti episcopus subscripsi. Creso Conjustiacensis*[4] *episcopus subscripsi. Rogatianus episcopus subscripsi. Maximianus Erumminensis*[5] *episcopus subscripsi. Benenatus Tugutianensis*[6] *episcopus subscripsi. Ritanus episcopus subscripsi. Gaianus Tigualensis episcopus subscripsi. Victorinus Leptimagnensis*[7] *episcopus subscripsi. Guntasius Benefensis*[8] *episcopus subscripsi. Quintasius Capsensis*[9] *episcopus subscripsi. Felicianus Mustitanus episcopus subscripsi. Victorianus ex delegatione Miggini*[10] *episcopi subscripsi. Miggius episcopus subscripsi. Latinus Mugiensis episcopus subscripsi. Proculus Girbitanus*[11] *episcopus subscripsi. Donatus Sabratensis episcopus pro fratre et collega meo Marratio subscripsi. Proculus Girbitanus pro collega meo Galliono*[12] *subscripsi. Secundianus Prisianensis*[13] *episcopus subscripsi. Helpidius Tusdritanus episcopus subscripsi. Donatus Samurdatensis episcopus subscripsi. Getulicus Victorianensis episcopus subscripsi. Annibonius Robautensis*[14] *episcopus subscripsi. Item Annibonius petitus a collega meo Augendiarensi episcopo*[15] *subscripsi. Tertullus Abitensis episcopus subscripsi. Primulianus*[16] *episcopus subscripsi. Secundinus Arusianensis*[17] *episcopus subscripsi. Maximus Pittanensis*[18] *episcopus subscripsi. Crescentianus Murrensis*[19] *episcopus subscripsi. Donatus Belmensis*[20] *episcopus subscripsi. Perseverantius Tebertinus*[21] *episcopus subscripsi. Faustinus Binensis episcopus subscripsi. Victor Altiburitanus*[1] *episcopus subscripsi. Omnes numero quinquaginta tres.*

21. Paululum dignamini advertere. Hæc est damnatio tua. Dicimus illi : Quid vis? habeat pondus an non habeat? Ego faveo : prorsus dico, quia isti omnes falsa in te dixerunt; et audi unde credam : Quia apud alios judices obtinuisti causam tuam, et isti damnati sunt. Si ergo te propterea credo innocentem, quia non exiens ad factiosos, alibi ostendisti innocentiam tuam, ut illi qui te damnaverunt, damnationem mererentur; dignare acceptare Cæcilianum innocentem, qui noluit exire ad majores tuos, et sic servavit causam suam orbi terrarum, quomodo tu servasti concilio Numidarum. Si innocentem te reddidit sedes Bagaitana[2], quanto potius illum sedes Apostolica? Aut vis ut valeant qui primo damnaverunt? Si valent; contra te valent. Nam illi contra Cæcilianum nec valuerunt, nec valebunt : tamen quid contra te judices, attende.

22. Jam hic audent dicere : Sed nos qui postea damnavimus Maximianistas, plures eramus. Valeat ergo sententia vestra in Felicianum, et valebit illorum in Cæcilianum. Ubi Bagai concilium fecerunt, etiam Felicianum damnaverunt : modo intus est Felicianus : aut nocens receptus est, aut innocens damnatus est. Si ergo nocentem recipis pro pace Donati; cede omnibus gentibus pro pace Christi : si autem per errorem vestrum innocens damnatus es; errare potuerunt trecenti decem damnantes Felicianum, et non potuerunt errare septuaginta damnantes Cæcilianum? Quid ergo dicitis? Cum audieritis vobis dici, Priores vos damnaverunt Maximianistæ, recurritis, et dicitis : Sed nos plures eramus qui damnavimus Maximianistas. Ad utrumque vobis cito respondetur, quia et illi vestri priores damnaverunt Cæcilianum. Si priores valent, cedant Primianistæ concilio Maximianistarum : si plures valent, cedant Donatistæ orbi terrarum : nihil esse arbitror justius. Pauci sunt Maximianistæ : sed priores sunt. Reus reum non facit. Si hoc putas, quomodo damnatus damnare potuisti? quia inter damnatores et ipse scriptus est, nec servaverunt illi locum causam dicentis[3]. Aliter autem Cæcilianus : servatus est illi locus hominis causam dicentis, sicut habet ipsa sententia; quia nec in communionem receptus est nisi purgatus. Iste autem invenitur hic a judicibus damnatus, illic inter judices damnans. Sed fuerit ista æquitas Bagaitani concilii : prorsus totum concedimus. Male te damnaverunt Maximianistæ : male damnaverunt et illi priores vestri Cæcilianum. Tu purgasti te apud Bagai : purgavit se ille in transmarino judicio. Consensit huic judicio universus orbis terrarum. Quid dicturus es? Plures nos sumus quam Maximianistæ. Estote plures : de numero ergo agamus : vide quantum intersit. Absentem te damnaverunt Maximianistæ, cum ad eos exire

[1] Aliquot Mss., *Basilianensis*.
[2] Plures Mss., *Aquensis*.
[3] Mss. aliquot, *Secundinus* : nonnulli, *Secundianus*. Deinde in quibusdam est, *Jocondianensis*, et, *Jaconnianensis*.
[4] Quatuor Mss., *Cresoconius Titianensis*. Nonnulli, *Cresoconius Justicianensis*. Alii duo, *Cresconius Tacianensis*. Regius codex, *Cresconius Titianus*.
[5] Aliquot Mss., *Erumninensis*. Quidam, *Eruminensis*. Item, *Erumniacensis*.
[6] Vatic. et Reg. Mss., *Benenatus Tigurritanus* : qui codices omittunt postea, *Ritanus episcopus subscripsi*.
[7] Nonnulli codices, *Victorianus*. Undecim Mss., *Leptimaginensis*.
[8] Aliquot Mss., *Benesensis*. Item, *Benefensis*.
[9] Ita omnes prope Mss. At Edd., *Capiensis*.
[10] Edd. omittunt, *Miggini*. Id vero habent plerique Mss. e quibus nonnulli post loco *Miggius*, ferunt, *Migginus*. Editio Er., *Magginus*. Quidam autem Mss. istud, *Miggius episcopus subscripsi*, prorsus omittunt.
[11] Mss. nonnulli, *Gurbitanus*. Item, *Curbitanus*.
[12] Er., *Gallono*. Octo Mss., *Gallonio*.
[13] Plerique Mss., *Bissianensis*, aut *Bisianensis*.
[14] Mss. plures, *Rabautensis*. Item, *Sabautensis*.
[15] Aliquot Mss., *collega meo Augendiarensi subscripsi*, omissa voce *episcopo*. An forte legendum, *Augendo*, vel *Secundo Arensi episcopo?* Quippe in Gestis Collat. Carthag., cognit. 1, c. 207, quidam nominatur *Secundus episcopus Arensis*.
[16] Sic Mss. At Edd., *Primilianus*.
[17] Nonnulli Mss., *Secundianus*. Item aliqui, *Arusilianensis*, et, *Aurisilimensis*.
[18] Nonnulli Mss. loco *Maximus Pittanensis*, habent *Maximianus Bittanensis*.
[19] Mss. Reg. et Vat. et alii quidam : *Crescentianus Narensis*. Quatuor : *Crescentianus*, *Nalensis*. Sex alii vocabulis duobus in unum confusis habent, *Crescinarensis*.
[20] Quidam Mss., *Belinensis*. Item sex, *Velimensis*. Nonnulli, *Belimensis*, et *Balmiensis*.
[21] Mss. plerique loco, *Perseverantius*, habent, *Persercntius*. Alii tres : *Theustinus*, pro *Tebertinus*. Et plures : *Thebestinus*, sive *Thevestinus*.

[1] Edd., *Altiburinanus*. At Mss., *Altiburitanus*.
[2] Plures Mss., *Vagaitana* : ac paulo post *Vagai*, loco *Bagai* : et sic constanter mutato *B* in *V*.
[3] Edd., *causam dicendi*. Melius Mss., *dicentis*.

noluisses. Hoc quidem simile, sic et illi damnaverunt absentem Cæcilianum, cum factionem eorum devitasset : sed tu rursus in absentes illos fecisti dici sententias in concilio Bagaitano : at vero Cæcilianus præsens adversario præsente purgatus est. Deinde alia magna differentia : judices Numidas apud quos te purgares, tu ipse adisti, tu constituisti, Maximianistæ illos non petierunt : apud eos autem a Cæciliano Donatus victus est, quos pars Donati judices postulaverat. Respondent tibi modo Maximianistæ, et jure dicunt : Nos primo venimus ad te de provincia tua, de diœcesi ad te pertinente [1] episcopi; et voluimus audire causam tuam : contempsisti nos, non ad nos existi. Si timuisti nostrum judicium, vel simul judices eligeremus, non ires ad quos tu velles. Quantum intersit, videte. Tunc autem ipsi Donatistæ litteris suis Imperatorem petierunt, ut decerneret judices : improbaverunt eos apud quos victi sunt, quos antequam vincerentur postulaverunt : dati sunt alii ad eorum petitum, et ibi victi sunt : appellaverunt ad Imperatorem, et ibi victi sunt. Semel victus est absens Maximianista, et tacet : et ter victus præsens Donatista non tacet?

23. Sed de numero contendis cum Maximianistis. Ut dixi, faveo tibi. Trecenti decem plures sunt quam centum, vel quot fuerunt qui damnaverunt a parte Maximiani Primianum : millia episcoporum per orbem terrarum qui damnaverunt a parte Cæciliani Donatum nihil ponderis apud te habere putas? Sed dicturus es mihi : Numquid Donatistas millia episcoporum damnaverunt de toto orbe terrarum? Optime, non damnarunt. Quare non damnarunt? Quia judicio non interfuerunt. Si judicio non interfuerunt, propterea non damnaverunt, quia causam illam penitus nescierunt. Ab innocentibus quare te separasti? Venit huc ad te de orbe terrarum baptizatus, quem vis rebaptizare : et te jam lethale ministerium [2] exercentem, et volentem iterare quod semel datur et non amittitur, adit cum magna voce et gemitu, et dicit tibi : Quid est quod vis facere? rebaptizare me? ait, nescio quis Mesopotamenus, nescio quis Syrus, nescio quis Ponticus, vel longius constitutus. Respondes : Quia non habes baptismum. Quare? Lege Epistolas Apostoli ad me datas. Venit nescio quis de Galatia, de Ponto, venit nescio quis de Philadelphia, ad quas Ecclesias Joannes scripsit (*Apoc.* I, 4); venit a Colossis, venit a Philippis, a Thessalonica : Ego non habeo baptismum ad quem scripsit Apostolus, per quem tu habes? Audes legere epistolam meam, qui detestaris pacem meam?

SERMO III.

De tertia parte Psalmi.

1. [*vers.* 25.] Pars novissima psalmi hujus indi cussa vobiscum et intractata remanserat. Proinde sicut video, non quidem secundum dispositionem nostram, sed tamen non præter dispositionem suam, ad reddendum debitum nos Dominus revocavit. Intenti ergo estote, fratres, ut si possumus Deo adjuvante, vel modo solvamus quod nos debere cognoscimus. Quis est qui dicit, quod modo cantavimus? *Juvenis fui, et ecce senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Si quasi unus homo loquitur, quam multum tempus est ætas unius hominis; et quid magnum est, ut homo positus in una aliqua parte terrarum per totam vitam suam tam brevem, quam humana vita brevis est, quamvis ad senectutem a juventute pervenerit, non viderit justum derelictum, nec semen ejus quærens panem? Non est mirandum. Potuit enim fieri ut ante vitam ipsius fuisset aliquis justus quærens panem, potuit fieri ut in alia parte terrarum non ubi ipse esset. Deinde aliud quod movet, audite : Ecce unusquisque in vobis, qui forte jam senuit, respiciens cursus ætatis suæ jam peractos sibi, ubi cogitatione versatus fuerit in his quos novit, forte non ei occurrit justus quærens panem, aut filius justi quærens panem : sed tamen respicit ad Scripturas divinas, et invenit angustatum Abraham justum, et famen passum in regione sua, mutasse aliam regionem (*Gen.* XII, 10); invenit et filium ipsius Isaac ejusdem famis causa in alias isse regiones quærentem panem (*Id.* XXVI, 1). Et quomodo erit verum, *Nunquam vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem?* Et si verum hoc invenit in spatio vitæ suæ; aliter tamen invenit in lectione divina, quæ fidelior est quam vita hominum.

2. Quid ergo facimus? Adjuvent nos pia studia vestra, ut inspiciamus in his versibus Psalmi voluntatem Dei, quid nos intelligere velit. Metus est enim ne unusquisque infirmus, non capiens spiritualiter intelligere Scripturas, eat in exempla humana videatque aliquando bonos servos Dei esse in necessitate aliqua et inopia quærendi panis; maxime et Paulum apostolum cogitet, qui dicit, *In fame et siti, in frigore et nuditate* (II *Cor.* XI, 27) : et scandalizetur apud seipsum dicens, Certene verum est quod cantavi? certe verum est quod in ecclesia stans tam devota voce personui, *Nunquam vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem?* Fallunt nos Scripturæ, dicat apud se; et dissolvantur omnia ejus membra ab opere bono; quibus membris intrinsecus, quod est gravius, et in interiore homine resolutis, jam desistat ab opere bono, et dicat sibi : Utquid bene operor? Utquid panem meum frango esurienti, et nudum vestio, et sine tecto induco in domum meam, attendens ad id quod scriptum est, *Nunquam vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem* : cum videam tot homines bene viventes, plerumque fame laborantes? Sed si forte erro ego, ut tam illum qui bene vivit quam illum qui male vivit, putem bene vivere, et aliter illum novit Deus, id est iniquum esse, quem ego justum puto; quid facio de Abraham, quem justum ipsa Scriptura commendat? Quid facio de ipso apostolo Paulo, qui dicit : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* IV, 16)? An ut etiam ego sim

[1] Sic Er. et aliquot Mss. At Lov., *pertinentis*. Nonnulli Mss., *pertinentes*.
[2] Sic Mss. At Edd., *mysterium*.

in malis qualia ille pertulit, *in fame et siti*, *in frigore et nuditate?*

3. Ita cogitantem, et, ut dixi, dissolutis membris omnibus interioribus a facultate operis boni, possumusne, fratres, tanquam paralyticum tollere, et aperire tectum Scripturæ hujus, et eum submittere ad Dominum? Videtis enim quia obscurum est. Porro si obscurum est, tectum est: et paralyticum animo quemdam intueor. Et hoc tectum video, et sub hoc tecto Christum latere agnosco. Faciam, quantum possum, quod laudatum est in illis qui aperto tecto ad Christum paralyticum submiserunt, ut diceret illi: *Constans esto, fili, remissa sunt enim tibi peccata tua.* Sic enim fecit interiorem hominem salvum a paralysi, remittendo peccata, et constringendo fidem. Sed erant illi homines, qui non habebant oculos ad videndum interiorem paralyticum jam esse sanatum, et medicum curantem putaverunt blasphemantem. *Quis est hic*, inquiunt, *qui peccata dimittit? Blasphemat iste. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Et quia ille erat Deus, talia cogitantes audiebat (*Luc.* v, 18-22). Hoc verum [1] de Deo cogitabant, sed Deum præsentem non videbant. Fecit ergo ille medicus aliquid et in corpore paralytici, ut et illorum qui talia dixerunt, interiorem paralysim sanaret. Fecit enim quod viderent, et dedit quod crederent. Eia ergo quisquis es tam infirmus et languens corde, ut attendens humana exempla, velis a bonis operibus desistere, et paralysi quadam interiore dissolutus es, age, si possumus, aperto isto tecto submittere ad Dominum.

4. Dominus enim ipse in corpore suo, quod est Ecclesia, junior fuit primis temporibus, et ecce jam senuit. Nostis, et agnoscitis, et intelligitis, quia in hoc positi estis, et ita credidistis, quia caput nostrum Christus est; corpus capitis illius nos sumus (I *Cor.* xii, 27; *Ephes.* iv, 15). Numquid soli nos, et non etiam illi qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio sæculi fuerunt justi, caput Christum habent. Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus; et in ejus fide et ipsi sanati sunt, in cujus et nos: ut esset et ipse totius caput civitatis Jerusalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque in finem, adjunctis etiam legionibus et exercitibus Angelorum, ut fiat illa una civitas sub uno rege, et una quædam provincia sub uno imperatore, felix in perpetua pace et salute, laudans Deum sine fine, beata sine fine. Corpus autem Christi, quod est Ecclesia (*Coloss.* i, 18, 24), tanquam unus quidam homo, primo junior fuit, et ecce jam in fine sæculi est in senecta pingui; quoniam de illa dictum est: *Adhuc multiplicabitur in senecta pingui* (*Psal.* xci, 15). Multiplicata est per omnes gentes, et ipsius vox est attendentis quasi unius hominis primam ætatem suam, et istam novissimam. respexit per omnia, quia omnes ætates notas habet per Scripturas; et ait exsultans et monens: *Junior fui*, primis temporibus sæculi; *et ecce senui*, sum etiam novissimis temporibus sæculi; *et nunquam vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.*

5. Agnovimus hominem juniorem et senem, et tanquam aperto tecto pervenimus ad Christum. Sed quis est justus, qui non est visus derelictus, nec semen ejus quærens panem? Si intelligis panem, intelligis illum. Panis est enim verbum Dei, quod nunquam ab ore justi discedit. Nam et in capite suo justus iste tentatus, hoc respondit. Quando enim ipsi Domino esurienti et famem patienti diabolus ait: *Dic lapidibus istis ut panes fiant;* respondit: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei* (*Matth.* iv, 3, 4). Deinde, fratres mei, attendite, quando non faciat justus voluntatem Dei. Semper enim facit, et secundum voluntatem ejus vivit. Voluntas Dei de corde ejus non recedit: quia voluntas Dei, ipsa est lex Dei. Et quid dictum est de tali? *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte* (*Psal.* i, 2). Panem istum manducas una hora, et dimittis; panem illum verbi die ac nocte. Quando enim audis, aut quando legis, manducas; quando inde cogitas, ruminas, ut sis animal mundum, non immundum (*Levit.* xi). Quod significat etiam sapientia per Salomonem dicens: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis; vir autem stultus glutit illum* (*Prov.* xxi, 20). Qui enim glutit, ut non in illo appareat quod voravit, oblitus est quod audivit. Qui autem non est oblitus, cogitat, et cogitando ruminat, ruminando delectatur. Unde dicitur: *Cogitatio sancta servabit te* (*Prov.* ii, 11). Et ecce si servat te in ruminatione panis hujus sancta cogitatio, *nunquam vidisti justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.*

6. [*vers.* 26.] *Tota die miseretur, et feneratur. Feneratur* quidem latine dicitur, et qui dat mutuum, et qui accipit: planius hoc autem dicitur, si dicamus *fenerat.* Quid ad nos quid grammatici velint? Melius in barbarismo nostro vos intelligitis, quam in nostra disertitudine vos deserti eritis. Ergo justus iste *tota die miseretur, et fenerat.* Sed non gaudeant feneratores. Invenimus enim quemdam feneratorem, sicut invenimus quemdam panem: ut ubique aperto tecto perveniamus ad Christum. Nolo sitis feneratores, et ideo nolo, quia Deus non vult. Nam si ego nolo, et Deus vult, agite: si autem Deus non vult, etiamsi ego vellem, malo suo ageret qui ageret. Unde apparet Deum hoc nolle? Dictum est alio loco: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram* (*Psal.* xiv, 5). Et quam detestabile sit, quam odiosum, quam exsecrandum, puto quia et ipsi feneratores noverunt. Rursus autem ego ipse, imo Deus noster, qui te prohibet esse feneratorem, jubet te esse feneratorem; et dicitur tibi, Fenera Deo. Si feneras homini, habes spem; et si feneras Deo, spem non habebis? Si feneraveris homini, id est, mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus quam dedisti exspectes accipere: non pecuniam solam, sed aliquid plus quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud; si plus quam dedisti exspectas accipere, fenerator es, et in hoc improbandus, non laudandus.

[1] Sic plerique Mss. At Edd., *verbum.*

Quid ergo, inquis, facio, ut sim utiliter [1] fenerator? Attende quid facit fenerator. Minus vult dare certe, et plus accipere : hoc fac et tu; da modica, accipe magna. Vide quam late crescat fenus tuum. Da temporalia, accipe æterna : da terram, accipe cœlum. Et cui dabo, forte dicis? Ipse Dominus procedit quem feneres, qui tibi jubebat ne fenerares. Audi Scripturam, quomodo feneres Dominum : *Fenerat*, inquit, *Dominum, qui miseretur pauperis* (*Prov*. XIX, 17). Non enim eget a te Dominus, sed habes alium qui a te egeat : illi porrigis, ille accipit. Non enim habet pauper quod tibi retribuat : et tamen ipse vult retribuere, et non invenit quid; sola in illo remanet benevolentia orandi pro te. Cum autem pauper orat pro te, tanquam Deo dicit : Domine, mutuum accepi, fidedic me [2]. Proinde et si non tenes pauperem redditorem, sed idoneum tenes fidejussorem. Ecce Deus tibi de Scriptura sua dicit : Da securus, ego reddo. Quomodo solent dicere fidejussores? quid dicunt [3]? Ego reddo, ego accipio, mihi das. Putamusne et hoc dicit Deus : Ego accipio, mihi das? Plane si Deus Christus, quod non dubitatur, ipse dixit : *Esurivi, et dedistis mihi manducare*. Et cum illi dicerent, *Quando te vidimus esurientem?* ut ostenderet se pauperum fidejussorem, omnium membrorum suorum sponsorem; quia ille caput, illi membra, et cum accipiunt membra, caput accipit : *Cum uni*, inquit, *ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Eia, avare fenerator, vide quid dedisti, vide quid accepturus es! Si dedisses paucam pecuniam, et ille cui dederas pro parva pecunia tua daret tibi magnam villam, incomparabiliter amplius valentem quam dederas tu pecuniam; quantas gratias ageres, quanta lætitia tollereris! Audi quam possessionem det quem fenerasti : *Venite, benedicti Patris mei, percipite*. Quid? quod dedistis? Absit. Terrena dedistis, quæ si non dedissetis, in terra putrescerent. Quid enim inde facturus esses, si non dedisses? Quod periturum erat in terra, servatum est in cœlo. Ergo quod servatum est, hoc accepturi sumus. Servatum est meritum : factus est thesaurus tuus meritum tuum. Nam vide quid sis accepturus : *Percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi*. Contra, illi qui fenerare noluerunt, quid audient? *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus*. Et quid vocatur regnum quod accipimus? Attendite sequentia : *Isti ibunt in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam* (*Matth*. XXV, 34-36). Ad hoc ambite, hoc emite, ad hoc fenerate. Habetis Christum in cœlo sedentem, in terra petentem. Invenimus quomodo feneret justus. *Tota die miseretur, et fenerat*.

7. *Et semen ejus in benedictione erit*. Et hic non occurrat carnalis cogitatio. Videmus multos filios justorum fame morientes : quomodo ergo *semen ejus in benedictione erit?* Semen ejus reliquiæ ejus, unde hic seminat, et postea metet. Namque Apostolus dicit : *Bonum autem facientes non deficiamus : tempore enim suo metemus infatigabiles. Itaque dum tempus habemus*, ait, *operemur bonum ad omnes* (*Gal*. VI, 9). Hoc est semen tuum, quod erit in benedictione. Terræ committis, et tanto amplius colligis : Christo committis, et perdis? Vide ipsum semen expressius nominatum ab Apostolo, cum de eleemosynis diceret. Hoc enim ait : *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (II *Cor*. IX, 6). Sed laboras forte cum seminas, et doles cum misereris, quia miseros vides. Melius enim aliquando non habebimus quibus ista demus. Cum omnes in incorruptionem commutabuntur, nullus esuriet cui porrigas panem, nullus sitiet cui des potum, nullus nudus erit quem vestias, nullus peregrinus quem suscipias : hic autem inter ærumnas, tentationes, dolores, gemitus, mittimus semen. Sed respice ad psalmum alium : *Euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua*. Attende, quia *semen ejus in benedictione erit : Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos* (*Psal*. CXXV, 6).

8. [*vers*. 27.] Vide ergo quod sequitur, et noli esse piger : *Declina a malo, et fac bonum*. Noli tibi putare sufficere, si non exspolias vestitum. Non exspoliando enim vestitum, declinasti a malo : sed noli arescere, et sterilis esse. Sic noli exspoliare vestitum, ut vestias nudum : hoc est enim declinare a malo, et facere bonum. Et quid inde habebo, dicturus es? Jam tibi commendavit ille quem feneras, quid tibi dabit : vitam æternam dabit tibi; da illi securus. Audi et id quod sequitur : *Declina a malo, et fac bonum; et inhabita in sæcula sæculorum*. Et noli putare cum das, quod nemo te videat; aut quia deserit te Deus, quando forte dederis pauperi, et consecutum fuerit aliquod damnum, aut aliqua tristitia rei amissæ, et dicas tibi : Quid profuit bona me fecisse opera? Puto non amat Deus homines qui benefaciunt. Unde ista vestra submurmuratio, unde iste strepitus, nisi quia abundant istæ voces? Unusquisque modo cognoscit has voces, aut in ore suo, aut in ore vicini sui, aut in ore amici sui. Deleat illas Deus, et exstirpet spinas de agro suo : plantet frugem bonam, et arborem fructiferam. Quid enim contristatus es, o homo, quia dedisti pauperi, et alia perdidisti? Nonne vides quia perdidisti quod non dedisti? Quare non respicis ad Deum tuum? Ubi est fides? quare sic dormit? Excita illam in corde tuo. Attende quid tibi dixerit ipse Dominus, quando te ad hujusmodi opera bona exhortabatur : *Facite vobis sacculos non veterascentes, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non accedit* (*Luc*. XII, 33). Hoc ergo commemora, quando plangis in damno. Quid ploras stulte parvi [1] cordis, aut non sani cordis? Quare perdidisti, nisi quia mihi non commodasti [2]? Quare perdidisti? Quis tibi abstulit? Respondebis : Fur. Nonne hoc te præmonueram, ne ibi poneres quo fur posset accedere? Si ergo dolet

[1] Sic Mss. At Edd., *utilis*.
[2] Duo Mss., *fidejussorem do te*. Tres, *fide mea*, omisso *dic*. Corb. Ms., *fide duc me* : melius, *fidedic*; ut infra, col. 599, circa finem n. 24.
[3] Plerique Mss., *dicant*.

[1] Sic Mss. At Edd., *pravi*.
[2] Septem Mss., *commendasti*.

qui perdidit, hoc doleat, quia non ibi posuit unde perire non potuit.

9. [vers. 28.] *Quoniam Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos.* Quando patiuntur labores sancti, nolite putare quia non judicat Deus, aut perverse judicat. Qui te monet ut juste judices, ipse perverse judicaturus est? *Amat* ille *judicium, et non derelinquet sanctos suos.* Sed quo modo sit [1] abscondita apud illum vita sanctorum, ut qui modo laborant in terra, quasi tempore hiemis arbores non habentes fructum et folia, illo apparente tanquam novo sole exorto, illud quod in radice vivebat, in fructibus appareat. *Amat* ergo ille *judicium, et non derelinquet sanctos suos.* Sed laborat sanctus in fame? Non illum derelinquet Deus: flagellat omnem filium, quem recipit (*Hebr.* XII, 6). Contemnis illum quando flagellatur, expavescis quando ditatur. Unde enim flagellatur? Pressuris temporalibus. Quando ditabitur? Quando audiet, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi.* Noli ergo piger esse flagellari, ut sis inter eos qui merentur recipi. Usque adeo ille amat judicium, ut non derelinquat [2] sanctos, quos flagellat ad tempus. Et quoniam flagellat omnem filium, quem recipit, nec Unico pepercit, in quo delictum non invenit. *Quoniam Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos.* Quia ergo non eos derelinquet, forte hoc eis dabit quod hic amas, multos annos vivere, senescere? Non attendis quia si senectutem optas venire, hanc optas de qua cum venerit conquereris. Non tibi ergo dicat anima, vel mala, vel infirma, vel parvula: Quomodo verum est, *Dominus amat judicium, et non derelinquet sanctos suos?* Revera non dereliquit tres pueros in camino laudantes, non eos tetigit ignis (*Dan.* III, 50): numquid sancti ejus Machabæi non erant, qui in ignibus defecerunt carne, non fide (II *Mach.* VII, 7)? Sed hoc, inquis, majorem quæstionem habet, quia cum fide illi non defecerint, ille illos dereliquerit. Audi quod sequitur: *In æternum conservabuntur.* Tu paucos annos eis optabas, quos eis si daret Dominus, non derelinqueret sanctos suos. Visibiliter non dereliquit tres pueros, occulte non dereliquit Machabæos: illis etiam dedit vitam temporalem ad confundendos infideles; illos autem occulte coronavit ad judicandam impietatem persecutoris: nec illos tamen, nec illos dereliquit, qui *non derelinquet sanctos suos.* Et nihil magnum acceperunt tres pueri, si non in æternum conservarentur. *In æternum conservabuntur.*

10. *Injusti autem punientur, et semen impiorum peribit.* Quomodo semen illius in benedictione erit, sic *semen impiorum peribit.* Semen enim impiorum, opera impiorum. Nam invenimus rursum filium impii florere in sæculo, et aliquando fieri justum, et florere in Christo. Vide ergo quomodo accipias, ut tectum aperias, et ad Christum pervenias: noli carnaliter, nam decipieris. Sed semen impiorum, omnia opera impiorum peribunt, fructum non habebunt: ad tempus enim aliquid valent; postea quærent, et non invenient quod operati sunt. Nam perdentium quod operati sunt, vox erit illa: *Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactatio contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra* (*Sap.* V, 8). Ergo *semen impiorum peribit.*

11. [vers. 29.] *Justi hæreditate possidebunt terram.* Rursus avaritia non subrepat, nec tibi aliquam villam magnam promittat, ne quod hic juberis contemnere, ibi speres. Terra est quædam illa vivorum, regnum sanctorum. Unde dicitur, *Spes mea es tu, portio mea in terra vivorum* (*Psal.* CXLI, 6). Nam et si vita tua illa est, intellige qualem terram accepturus sis. Illa est terra viventium: hæc est autem terra morientium, receptura mortuos quos nutrivit vivos. Qualis ergo illa terra, talis et ipsa vita: si æterna vita, æterna terra. Et quomodo æterna terra? *Et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.* Alia ergo terra erit ubi inhabitabimus in sæculum sæculi. Nam de ista dictum est: *Cœlum et terra transibunt* (*Matth.* XXIV, 35).

12. [vers. 30-32.] *Os justi meditabitur sapientiam.* Ecce ille est panis: videte quam libenter manducet justus iste, quomodo verset in ore suo sapientiam. *Et lingua ejus loquetur judicium. Lex Dei ejus in corde ipsius.* Ne forte putares eum in ore habere quod in corde non habet: ne forte computares eum cum illis, de quibus dictum est, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isai.* XXIX, 13): *Et lingua ejus loquetur judicium. Lex Dei ejus in corde ipsius.* Et quid illi prodest? *Et non supplantabuntur gressus ejus.* Liberat a laqueo verbum Dei in corde, liberat a via prava verbum Dei in corde, liberat a labina [1] verbum Dei in corde. Tecum est, cujus verbum a te non recedit. Quid autem mali patitur quem custodit Deus? Custodem ponis in vinea, et contra fures securus es; et potest dormire custos ille, et ipse cadere, et furem admittere: non autem dormit, neque dormitabit, qui custodit Israel (*Psal.* CXX, 4). *Lex Dei ejus in corde ipsius: et non supplantabuntur gressus ejus.* Vivat ergo securus, et inter malos vivat securus, et inter impios vivat securus. Quid enim mali justo potest impius aut injustus facere? Ecce vide quid sequitur: *Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum.* Dicit enim quod in libro Sapientiæ dicere prædictum est: *Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita ipsius* (*Sap.* II, 15). Quærit ergo mortificare. Quid? Dominus qui custodit, qui cum illo habitat, qui de ore ipsius, qui de corde non recedit, dimittit eum? Ubi est quod superius dictum est, *Et non derelinquet sanctos suos?*

13. [vers. 33.] Ergo, *Considerat peccator justum, et quærit mortificare eum: Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus.* Quare ergo dereliquit martyres in manibus impiorum? Quare fecerunt illis quæcumque voluerunt? Alios gladio percusserunt, alios crucifixerunt, alios bestiis tradiderunt [2], alios

[1] Sic Mss. At Edd.: *Sed quomodo? Sic abscondita est apud*, etc.

[2] Mss. *derelinquit.*

[1] Edd., *a lapsu.* At melioris notæ Mss., *a labina;* et quidam, *a lavina.* Hæc vox ab Isidoro illustratur, et significat lubricum locum.

[2] Vatic. codex, *subrexerunt:* sic etiam Gallic. Mss. uno excepto qui habet, *subjecerunt.*

ignibus cremaverunt, alios in catena ducentes tabe diuturna confecerunt. Certe non derelinquet Dominus sanctos suos : *Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus.* Postremo ipsum Filium suum quare dimisit in manibus Judæorum? Et hic tectum aperi (*Luc.* v, 19), si vis omni interiori membro constringi; perveni ad Dominum : audi quid dicat alia Scriptura, Dominum prævidens passurum ab impiis, quid ait? *Terra tradita est in manus impii* (*Job* IX, 24)? Quid est, *Terra tradita est in manus impii?* Caro tradita est in manus persequentium. Non ibi autem dimisit justum suum Deus : de carne capta educit animam invictam. Dimitteret Deus justum suum in manibus impii, si illum fecisset consentire impio : contra quod malum orat in alio psalmo, et dicit : *Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori* (*Psal.* CXXXIX, 9). Opus est ut a desiderio tuo non tradaris peccatori, ne cum desideras vitam præsentem, irruas in illum, et perdas æternam. A quo desiderio non debet tradi peccatori? Ab illo de quo item dicitur : *Et diem hominis non concupivi, tu scis* (*Jerem.* XVII, 16). Qui enim desiderat et concupiscit diem hominis, quando illi minatus fuerit adversarius, quod tollat illi diem humanum, quia occidet eum, et perdet hanc vitam; qui non sperat aliam vitam, deficit, et consentit inimico. Qui autem audit Dominum dicentem, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere;* etsi tradatur terra in manus impii, capta terra spiritus evadit; spiritu evadente, et terra resurget. Spiritus mutatur[1] ad Dominum, terra mutabitur in cœlum. Non enim aliquid de ipsa terra perit, quæ ad tempus traditur in manus impii : *Capilli capitis vestri numerati sunt* (*Matth.* x, 28, 30). Ergo est securitas, sed si intus sit Deus. Si autem expellatur diabolus, admittitur Deus. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus. Nec damnabit eum, cum judicabitur illi.* Habent aliqua exemplaria, *Et cum judicabit eum, judicabitur illi. Illi* autem dictum est, cum judicium fit de illo : possumus enim sic loqui ut dicamus homini, Judica mihi, id est, audi causam meam. Cum ergo cœperit audire causam justi sui Deus ; *quoniam oportet omnes exhiberi ante tribunal Christi, et stare, ut illic recipiat unusquisque quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum* (II *Cor.* v, 10) ; quando ergo ventum fuerit ad illud judicium, non eum damnabit, etsi ad tempus videatur damnari ab homine. Etsi dixit sententiam proconsul in Cyprianum : alia est sella terrena, aliud tribunal cœlorum ; ab inferiore accepit sententiam, a superiore coronam. *Nec damnabit eum, cum judicabitur illi.*

14. [*vers.* 34, 36.] Sed quando erit? Noli modo putare : tempus laboris est, tempus seminis est, tempus frigoris est : etsi inter ventos, etsi inter pluvias, semina ; noli esse piger : æstas veniet quæ te lætificet, in qua te gaudeas seminasse. Quid ergo facio modo? *Exspecta Dominum.* Et cum exspecto, quid ago? *Et custodi vias ejus.* Et si custodiero, quid accipio? *Et exaltabit te, ut hæreditate possideas terram.* Quam terram? Iterum ne aliqua villa occurrat animo : illam de qua dicitur, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi* (*Matth.* XXV, 34). Quid de illis qui nos angustaverunt, inter quos gemuimus, quorum scandala toleravimus, pro quibus sævientibus frustra oravimus ; quid de illis erit? Sequitur, *Cum pereunt*[1] *peccatores, videbis.* Et quam de proximo videbis : tu eris ad dexteram, illi ad sinistram. Hoc autem ad fidei oculos pertinet. Quos fidei oculos qui non habent, dolent felicitatem impiorum[2], et putant se sine causa esse justos, quia vident hic florere impios. Qui autem habet oculum illum fidei, quid dicit? *Vidi impium superexaltari et elevari super cedros Libani.* Et puta quia superexaltatus est, puta quia elevatus est : quid sequitur? *Et transivi, et ecce non erat; et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.* Quare non erat, et non est inventus locus ejus? Quia transisti. Si autem adhuc carnaliter cogitas, et ista terrena felicitas vera felicitas tibi videtur, nondum transisti : aut æqualis illi es, aut infra es : profice, et transi; et cum proficiendo transieris, attendis eum fide, vides novissima ipsius, et dicis tibi, Ecce non est iste qui sic tumuerat; quomodo si transires juxta fumum. Nam et hoc dictum est in isto psalmo superius, *Deficientes velut fumus deficient.* Erigitur in altum fumus, et in globum tumidum pergit : quanto magis attollitur, tanto amplius intumescit. Sed cum transieris, attende post te : post te enim fumus, si est ante te Deus. Noli posteriora ex desiderio attendere, sicut attendit uxor Lot, et remansit in via (*Gen.* XIX, 26) : sed respice ex despectu, et videbis impium nusquam esse, et quæres locum ejus. Quis est locus ejus? Quo modo habet potestatem, habet divitias, habet quemdam ordinem suum in rebus humanis, ut multi ei obsequantur, ut jubeat et audiatur. Iste locus non erit, sed transiet, ut tu[3] possis dicere : *Transivi, et ecce non erat.* Quid est, *transivi?* Profeci, perveni ad spiritualia, intravi in sanctuarium Dei, ut intenderem in novissima (*Psal.* LXXII, 17) : *et ecce non erat, et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus.*

15. [*vers.* 37.] *Custodi innocentiam.* Tene, quomodo cum avarus esses, sacellum tenebas : quomodo tenebas sacellum, ne tibi extorqueretur a fure; sic custodi innocentiam, ne tibi extorqueatur a diabolo. Sit illa certum patrimonium tuum, de qua sunt divites et pauperes. *Custodi innocentiam.* Quid tibi prodest lucrum auri, et damnum innocentiæ? *Custodi innocentiam, et vide directionem.* Habeto oculos directos, ut videas directionem : non pravos, quibus malos vides ; et distortos, ut distortus tibi et pravus videatur Deus, quia favet impiis, et persequitur fideles. Non vides quam distortum videas? Corrige oculos tuos, *et vide directionem.* Quam directionem? Noli ad præsentia[4] attendere. Et quid videbis? *Quoniam sunt reliquiæ*

[1] Sic plerique Mss. At Edd., *mutabitur.*

[1] Unus aut alter Ms., *cum perient.* Porro in Græco LXX est, *en tô exolothreuesthai.*

[2] Er. et plures Mss., *delectantur felicitate impiorum.*

[3] Aliquot Mss., *sed transi et tu, ut possis,* etc.

[4] Plures Mss., *præsentiam.*

homini pacifico. Quid est, *sunt reliquiæ?* Cum mortuus fueris, non eris mortuus : hoc est, *sunt reliquiæ.* Erit illi aliquid et post hanc vitam ; hoc est, illud semen quod in benedictione erit. Unde Dominus, *Qui credit in me*, inquit, *licet moriatur, vivet* (*Joan.* XI, 25) : *Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.*

16. [*vers.* 38.] *Injusti autem disperient in idipsum.* Quid est, *in idipsum?* In sempiternum ; vel, omnes simul in unum. *Reliquiæ impiorum interibunt.* Sunt autem reliquiæ homini pacifico : ergo qui non sunt pacifici, impii sunt. Beati enim pacifici, quia ipsi filii Dei vocabuntur (*Matth.* V, 9).

17. [*vers.* 39, 40.] *Salus autem justorum a Domino, et protector eorum est in tempore tribulationis : et adjuvabit eos Dominus, et eruet eos, et eximet eos a peccatoribus.* Tolerent ergo modo peccatores justi, tolerent frumenta zizania, toleret triticum paleam ; quia veniet tempus separationis, et eximetur semen bonum ab eo quod igni consumetur : illud in horreum mittetur, illud autem in æternam conflagrationem ; quia ideo simul fuerunt primo justus et injustus, ut ille supplantaret [1], ille probaretur; postea autem ille damnaretur, ille coronaretur.

18. Deo gratias, fratres, reddidimus debitum in nomine Christi ; sed nos charitas debitores semper tenet [2]. Illa enim una est, quæ et si quotidie redditur, semper debetur. Multa diximus adversus Donatistas, multa vobis recitavimus, multas chartas, multa præter canonem Scripturarum, illis cogentibus. Nam et si reprehendent hæc, quia vobis talia legimus ; nos reprehendamur, dum vos instruamini. Possumus enim eis et in hac parte sic respondere : *Factus sum insipiens, vos me coegistis* (II *Cor.* XII, 11). Tamen, fratres, ante omnia custodite [3] hæreditatem nostram, de qua securi sumus nos in testamento Patris nostri esse : non in aliqua charta frivola alicujus hominis, sed in testamento Patris nostri. Inde securi sumus ; quia qui fecit testamentum, vivit : qui fecit testamentum hæredi suo, ipse judicabit de testamento suo. In rebus humanis alius est testator, alius judex : et tamen qui tenet testamentum, vincit apud judicem alterum, non apud alterum judicem mortuum. Quam ergo secura est nostra victoria, cum ille judicabit qui testatus est ! etsi enim mortuus est Christus ad tempus, sed jam vivit in æternum [4].

19. Loquantur ergo adversus nos quidquid volunt : nos diligamus illos et nolentes. Novimus enim, fratres, novimus linguas eorum : propter quas eis non irascamur, patienter ferte nobiscum. Vident enim in causa se nihil habere, et linguas convertunt in nos, et incipiunt de nobis dicere mala, multa quæ sciunt, multa quæ nesciunt. Quæ sciunt, præterita nostra sunt : fuimus enim aliquando, sicut dicit Apostolus, stulti et increduli, et ad omne opus bonum reprobi (*Tit.* III, 3). In errore perverso desipientes et insanientes fuimus, non negamus ; et quantum præteritum nostrum non negamus, tanto magis Deum qui nobis ignovit, laudamus. Quid ergo, hæretice, dimittis causam, et is ad hominem ? Quid enim ego sum ? quid sum ? Numquid Catholica ego sum ? numquid hæreditas Christi diffusa per gentes ego sum ? Sufficit mihi ut in ea sim. Vituperas mala mea præterita, quid magnum facis ? Severior sum ego in mala mea quam tu : quod tu vituperasti, ego damnavi. Utinam velles imitari, ut et error tuus fieret aliquando præteritus ! Ista sunt mala præterita, quæ noverunt, maxime in ista civitate. Hic enim male viximus (*a*), quod ego confiteor : et quantum gaudeo de gratia Dei, tantum de meis præteritis [1], quid dicam ? Doleo ? Dolerem, si adhuc essem. Sed quid dicam ? Gaudeo ? Nec hoc possum dicere : utinam enim nunquam fuissem ! Quidquid tamen fui, in nomine Christi præteritum est. Quod autem modo reprehendunt, non norunt. Sunt quæ adhuc in me reprehendant [2] : sed tamen multum est ad illos ut hæc noverint. Multa ago [3] in cogitationibus meis, pugnans adversus malas suggestiones meas, et habens conflictationem [4] diuturnam, et prope continuam [5] cum tentationibus inimici subvertere me volentis. Gemo ad Deum in infirmitate mea ; et novit quid parturit cor meum, ille [6] qui novit partum meum. *Mihi autem minimum est, ut a vobis dijudicer, aut ab humano die*, ait Apostolus ; *sed neque ego meipsum judico* (I *Cor.* IV, 3) ; melius enim me ego novi quam illi, sed melius Deus quam ego. Non ergo vobis insultent de nobis, non faciat Christus. Dicunt enim, Et qui sunt ? et unde sunt ? malos hic illos novimus, ubi baptizati sunt ? Si nos bene noverunt, sciunt quia et navigavimus aliquando ; sciunt quia et peregrinati sumus ; sciunt quia alii ivimus, et alii redivimus. Non hic baptizati sumus : sed ubi baptizati sumus (*b*), Ecclesia est nota universo orbi terrarum. Et multi fratres nostri sunt, qui et norunt quia baptizati sumus, et nobiscum baptizati sunt. Facile est ergo hoc nosse, si quis fratrum est inde sollicitus. Istis autem satisfacturi sumus, et demonstraturi aliquid de testimonio Ecclesiæ, cui non communicant ? Merito non nos norunt trans mare baptizatos in Christo, quia et trans mare non habent Christum. Ille enim Christum et trans mare habet, qui et trans mare communionem [7] universæ Ecclesiæ tenet. Quomodo potest cognoscere ubi sim ego baptizatus, cum communio ipsius vix transit mare ? Verumtamen, fratres mei, quid eis dicam ? Suspicamini quod vultis de nobis. Si boni sumus, in Ecclesia Christi frumenta sumus : si mali sumus, in Ecclesia Christi palea sumus, tamen ab area non re-

[1] In omnibus prope Mss., *supplantaretur.*
[2] Septem Mss., *nos charitatis debitores semper tenete.*
[3] Aliquot Mss., *scitote hæreditatem*, etc.; pauloque post, plerique omisso *nos*, habent sic : *securi sumus in testamento*, etc.
[4] Edd., *vivit in æternum.* Abest, *in æternum*, a Mss.

[1] Edd., *tantum de meis præteritis timeo.* Abest, *timeo*, a Mss.
[2] Plerique Mss., *reprehendam.*
[3] Duo Mss., *Multum enim angor.*
[4] Am. et Mss, *conflictionem.*
[5] Edd., *continuam vim.* Vox *vim* abest a multis Mss.
[6] In pluribus Mss., *illi.*
[7] Lov., *communicationem.* Edd. alii cum Mss, *communionem.*
(*a*) Carthagine. Vid. lib. 3 Confess., c. 1 et seqq.
(*b*) Vid. lib. 9 Confess., c. 6.

cedimus. Tu qui vento tentationis foras volasti, quid es? Triticum non tollit ventus ex area. Ex eo ergo ubi es, agnosce quid es.

20. Sed tu, inquit, quis es qui contra nos dicis tanta? Quicumque sim, quod dicitur attende, non a quo dicitur. Sed peccatori, inquit, dicit Dominus: *Utquid tu assumis testamentum meum per os tuum* (*Psal.* XLIX, 16)? Dicat Dominus hoc peccatori: forte est genus peccatorum cui hoc recte dicat Dominus; sed in quemlibet dicat hoc Dominus, ideo dicit, quia peccatori non prodest quando legem Dei loquitur. Numquid et auditoribus non prodest? Utrumque genus nos habemus in Ecclesia, Domino dicente, et bonorum et malorum. Boni enim cum prædicant, quid dicunt? *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* IV, 16). De bonis quid dicitur? *Sed forma esto fidelium* [1] (I *Tim.* IV, 12). Hoc nos esse elaboramus: quid autem simus, ille novit ad quem gemimus. De malis tamen dictum est aliud: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi; quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII, 2, 3). Vides quia in cathedra Moysi, cui successit cathedra Christi, sedent et mali: et tamen dicendo bona non obsunt auditoribus. Quare tu propter malos ipsam cathedram dimisisti? Redi ad pacem, redi ad concordiam quæ te non offendit. Si bona loquor, et bona facio, imitare me: si autem non facio quod dico, habes consilium Domini; quæ dico, fac; quæ autem facio, noli facere; tamen a cathedra catholica noli discedere. Ecce in nomine Christi ituri sumus, et multa dicturi sunt. Quis finis? Cito contemnite causam nostram. Non illis dicatis nisi, Fratres, ad rem respondete. Augustinus episcopus est in Ecclesia catholica, sarcinam suam portat, rationem redditurus est Deo: in bonis eum novi; si malus est, ipse novit; si bonus est, nec sic spes mea est. Hoc ante omnia didici in Catholica, ut spes mea non sit in homine. Merito ergo vos homines reprehenditis, quia spem vestram in homine posuistis. Certe cum reprehenderint nos, contemnite et vos. Novimus enim qualem habeamus locum in corde vestro, quia scimus qualem locum habeatis in corde nostro. Nolite pro nobis certare adversus illos. Quidquid de nobis dixerint, cito transite: ne laborantes causa [2] defensionis nostræ, dimittatis causam vestram. Hoc enim agunt astute: nolentes et timentes ut de ipsa causa dicamus, ingerunt nobis quo nos avocent; ut cum intendimus purgare nos, sileamus ab ipsis convincendis. Nam prorsus qui me dicis malum, dico et ego alia innumerabilia: cito aufer de medio, fini causam meam, de re age, Ecclesiæ causam attende, ubi sis vide. Veritas tibi undelibet loquatur, esuriens accipe; ne nunquam ad te perveniat panis, dum semper quid reprehendas in vasculo fastidiosus et calumniosus inquiris.

[1] Sic melioris notæ Mss. At Edd., *De nobis quid dicitur? Sed forma estote fidelium.*
[2] Mss., *cura.*

IN PSALMUM XXXVII ENARRATIO.

SERMO AD POPULUM.

1. Opportune ad id quod cantavimus, *Iniquitatem meam ego pronuntio, et curam geram* [1] *pro peccato meo*, respondit hæc mulier de lectione Evangelii. Iniquitates enim ejus intuens Dominus, canem appellavit dicens: *Non est bonum, panem filiorum mittere canibus* (*Matth.* XV, 26). At illa quæ noverat iniquitatem suam pronuntiare, et curam gerere pro peccato suo, non negavit quod veritas dixit; sed miseriam confessa, misericordiam potius impetravit [2], curam gerens pro peccato suo. Nam et curari petiverat filiam suam, fortassis in filia significans vitam suam. Psalmum ergo totum, quantum possumus, dum consideramus et pertractamus, advertite. Adsit Dominus cordibus nostris, ut salubriter hic inveniamus voces nostras, et quomodo invenerimus proferamus, nec difficulter inveniendo, nec imperite proferendo.

2. [*vers.* 1.] Titulus ejus est, *Psalmus ipsi David in recordationem sabbati.* Quærimus quæ nobis scripta sunt de sancto David propheta, ex cujus semine Dominus noster Jesus Christus secundum carnem (*Rom.* I, 3): et inter bona quæ de illo nobis nota sunt per Scripturas, non invenimus eum aliquando recordatum sabbatum. Quid enim ita recordaretur, secundum illam observationem Judæorum qua observabant sabbatum; quid ita recordaretur, quod inter septem dies necessario veniebat? Observandum ergo erat, non sic recordandum. Nemo autem recordatur, nisi quod in præsentia non est positum. Verbi gratia: in hac civitate recordaris Carthaginem, ubi fuisti aliquando; et hodierno die recordaris hesternum diem, vel prioris anni, vel quemlibet anteriorem, et aliquod factum tuum quod jam fecisti, aut aliquid ubi fuisti, vel cui rei interfuisti. Quid sibi vult ista recordatio sabbati, fratres mei? quæ anima sic recordatur sabbatum? quod est hoc sabbatum? Cum gemitu enim recordatur. Et cum Psalmus legeretur, audistis, et modo cum retexerimus, audietis quantus sit mœror, quantus gemitus, quantus fletus, quæ miseria. Sed felix est, qui sic miser est. Unde et Dominus in Evangelio beatos appellavit quosdam lugentes (*Matth.* V, 5). Unde beatus, si lugens? unde beatus, si miser? Imo miser esset si lugens non esset. Talem ergo et hic accipiamus sabbatum recordantem, nescio quem lugentem: et utinam nos simus ipse nescio quis! Est enim quidam dolens, gemens, lugens, recordans sabbatum. Sabbatum, requies est. Sine dubio iste in nescio qua inquietudine erat, qui cum gemitu requiem recordabatur.

3. [*vers.* 2.] Ipse itaque inquietudinem quam patiebatur, narrat et commendat Deo, nescio quid gravius timens quam erat ubi erat. Nam quia in malo est,

[1] Er. et Lov., *gero.* At Am. et plures Mss., *geram.*
[2] omnes prope Mss., *sed misericordiam confessa potius impetravit.*

aperte dicit, nec interprete opus est, nec suspicione, nec conjectura : in quo malo sit, non dubitatur ex ejus verbis, nec opus est ut quæramus, sed ut quod dicit intelligamus. Et nisi pejus aliquid timeret, quam erat illud quo tenebatur, non sic inciperet : *Domine, ne in indignatione tua arguas me, neque in ira tua emendes me.* Futurum est enim ut quidam in ira Dei emendentur, et in indignatione arguantur. Et forte non omnes qui arguuntur emendabuntur : sed tamen futuri sunt in emendatione quidam salvi. Futurum est quidem, quia emendatio nominata est : sic tamen quasi per ignem. Futuri autem quidam qui arguentur, et non emendabuntur. Nam utique arguet eos quibus dicet, *Esurivi, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non potastis me :* et cætera quæ ibi prosequens, quamdam inhumanitatem et sterilitatem increpitat malis ad sinistram constitutis, quibus dicitur, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41, 42). Hæc iste graviora formidans, excepta vita ista, in cujus malis plangit et gemit, rogat et dicit : *Domine, ne in indignatione tua arguas me.* Non sim inter illos quibus dicturus es : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Neque in ira tua emendes me :* ut in hac vita purges me, et talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit, propter illos qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare ; nisi quia hic ædificant supra fundamentum ligna, fenum, stipulam? Ædificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, et de utroque igne securi essent ; non solum de illo æterno qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo qui emendabit eos qui per ignem salvi erunt. Dicitur enim, *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* III, 12, 15). Et quia dicitur, *salvus erit*, contemnitur ille ignis. Ita plane quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita. Et nostis quanta hic passi sunt mali, et possunt pati : tamen tanta passi sunt, quanta potuerunt pati et boni. Quid enim quisque maleficus, latro, adulter, sceleratus, sacrilegus pertulit legibus, quod non pertulit martyr in confessione Christi? Ista ergo quæ hic sunt mala [1], multo faciliora sunt : et tamen videte quemadmodum ea homines ne patiantur, quidquid jusseris faciunt. Quanto melius faciunt quod jubet Deus, ne illa graviora patiantur?

4. [*vers.* 3.] Quare autem petit iste ne in indignatione arguatur, neque in ira emendetur? Tanquam dicens Deo, Quoniam jam ista quæ patior multa sunt, magna sunt, quæso ut sufficiant. Et incipit illa enumerare satisfaciens Deo, offerens illa quæ patitur, ne pejora patiatur : *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam.*

5. [*vers.* 4.] *Non est sanitas in carne mea a vultu iræ tuæ.* Jam hæc dicebat quæ hic patiebatur : et tamen hoc jam de ira Domini, quia et de vindicta Domini. De qua vindicta? Quam excepit de Adam. Non enim in illum non est vindicatum, aut frustra dixerat Deus, *Morte morieris* (*Gen.* II, 17) : aut aliquid patimur in ista vita, nisi ex illa morte quam meruimus primo peccato. Etenim portamus corpus mortale (quod utique non esset mortale [1]), plenum tentationibus, plenum sollicitudinibus, obnoxium doloribus corporalibus, obnoxium indigentiis, mutabile, languidum et cum sanum est, quia utique nondum plene sanum. Nam unde dicebat, *Non est sanitas in carne mea*, nisi quia ista quæ hujus vitæ dicitur sanitas, bene intelligentibus et sabbatum recordantibus non est utique sanitas? Si enim non manducaveritis, inquietat fames. Iste naturalis quidam morbus est : quia natura nobis facta est pœna ex vindicta [2]. Primo homini quod erat pœna, natura nobis est. Unde dicit Apostolus : *Fuimus et nos natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3). *Natura filii iræ*, id est, portantes vindictam. Sed quare dicit, *Fuimus?* Quia spe jam non sumus : nam re adhuc sumus. Sed illud melius dicimus quod spe sumus, quia certi sumus de spe. Non enim incerta est spes nostra, ut de illa dubitemus. Audi ipsam gloriam in spe. *In nobismetipsis*, inquit, *ingemiscimus, adoptionem* [3] *exspectantes, redemptionem corporis nostri.* Quid enim? Nondum redemptus es, o Paule? nondum pro te pretium persolutum est [4]? Nonne sanguis ille jam fusus est? nonne ipsum est pretium omnium nostrum? Plane ipsum. Sed vide quid ait : *Spe enim salvi facti sumus : spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 23-25). Quid autem exspectat per patientiam? Salutem. Cujus rei salutem? Ipsius corporis : quia hoc dixit, *redemptionem corporis nostri.* Si salutem corporis exspectabat, non erat salus illa quam habebat. Esuries, sitis interficit, si subventum non fuerit. Medicamentum enim famis est cibus, et medicamentum sitis est potus, et medicamentum fatigationis est somnus. Detrahe ista medicamenta, vide si non interficiunt illa quæ exsistunt. Si sepositis istis non sunt morbi, est sanitas. Si autem habes aliquid quod te possit interficere, nisi manducaveris; noli gloriari de sanitate, sed gemens exspecta redemptionem corporis tui. Gaude te redemptum ; sed nondum re, spe securus esto [4]. Etenim si non gemueris in spe, non pervenies ad rem. Hoc ergo non est sanitas, ait : *Non est sanitas in carne mea a vultu iræ tuæ.* Unde ergo sagittæ infixæ? Ipsam pœnam, ipsam vindictam, et forte dolores quos hic necesse est pati, et animi et corporis, ipsas dicit sagittas. De his enim sagittis et sanctus Job fecit commemorationem, et cum esset in illis doloribus, dixit sagittas Domini infixas sibi (*Job* VI, 4). Solemus tamen et verba Dei sagittas accipere : sed numquid ab his posset iste sic dolere se percuti? Verba Dei tanquam sagittæ excitant amorem, non dolorem. An quia et ipse amor non potest esse sine dolore? Quidquid enim amamus et

[1] Vox, *mala*, abest a Mss.

[1] In Edd. deerant isthæc verba, *quod utique non esset mortale* : quæ in omnibus nostris Mss. leguntur.
[2] Plerique Mss., *et vindicta.*
[3] Quatuor Mss., *adoptionem filiorum exspectantes.*
[4] Mss., *es.*

non habemus, necesse est ut doleamus. Nam ille et amat et non dolet, qui habet quod amat: qui autem amat, ut dixi, et nondum habet quod amat, necesse est ut in dolore gemat. Inde illud in persona Ecclesiæ sponsa Christi in Cantico canticorum: *Quoniam vulnerata charitate ego sum* (*Cant.* II, 5, *et* V, 8). Vulneratam se dixit charitate: amabat enim quiddam, et nondum tenebat; dolebat, quia nondum habebat. Ergo si dolebat, vulnerata erat: sed hoc vulnus ad veram sanitatem rapiebat[1]. Qui hoc vulnere non fuerit vulneratus, ad veram sanitatem non potest pervenire. Numquid ergo vulneratus semper erit in vulnere? Possumus itaque etiam sic infixas sagittas accipere, id est, verba tua infixa sunt cordi meo, et ex ipsis verbis tuis factum est ut recordarer sabbatum; et ipsa recordatio sabbati, et nondum retentio, facit me nondum gaudere, et agnoscere nec sanitatem esse in ipsa carne, neque dici debere, cum comparo istam sanitatem illi sanitati quam habebo in requie sempiterna, ubi corruptibile hoc induet incorruptionem, et mortale hoc induet immortalitatem (I *Cor.* XV, 53); et video quia in illius sanitatis comparatione, ista sanitas morbus est.

6. *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Quæri solet cujus sit vox; et aliqui accipiunt Christi, propter quædam quæ hic dicuntur de passione Christi, ad quæ paulo post veniemus, et nos agnoscemus quia de passione Christi dicuntur. Sed, *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum*, quomodo diceret qui nullum peccatum habebat (I *Petr.* II, 22)? Coarctat nos ergo intelligendi necessitas ad cognoscendum tanquam plenum et totum Christum, id est caput et corpus. Cum enim Christus loquitur, aliquando ex persona solius capitis loquitur, quod est ipse Salvator, natus ex Maria virgine; aliquando ex persona corporis sui, quod est sancta Ecclesia, diffusa toto orbe terrarum. Et nos in corpore ipsius sumus, si tamen fides nostra sincera sit in illo, et spes certa, et charitas accensa: sumus in corpore ipsius, et membra ipsius, et invenimus nos ibi loqui, Apostolo dicente, *Quoniam membra sumus corporis ejus* (*Ephes.* V, 30); et multis locis dicit hoc Apostolus. Nam si dixerimus verba non esse Christi, non erunt et illa verba Christi: *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti?* Et ibi enim habes, *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum* (*Psal.* XXI, 2): quomodo hic habes, *a facie peccatorum meorum;* sic et ibi habes, *verba delictorum meorum.* Et si Christus utique sine peccato et sine delicto, incipimus non putare verba illa Psalmi illius esse. Et valde durum et contrarium est, ut ille psalmus non pertineat ad Christum, ubi habemus tam apertam passionem ejus, tanquam ex Evangelio recitetur. Ibi enim habemus, *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestimentum meum miserunt sortem* (*Ibid.*, 19). Quid quod ipse Dominus in cruce pendens, primum versum psalmi ipsius ore suo protulit, et dixit: *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti* (*Matth.* XXVII, 46)? Quid voluit intelligi, nisi illum psalmum totum ad se pertinere, quia caput ipsius ipse pronuntiavit? Ubi autem sequitur et dicit, *Verba delictorum meorum*, non est dubium quia vox Christi est. Unde ergo peccata, nisi de corpore quod est Ecclesia? Quia loquitur corpus Christi et caput. Quare tanquam unus loquitur? Quia *erunt*, inquit, *duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est*, ait Apostolus, *ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 31, 32). Unde etiam cum ipse loqueretur in Evangelio, respondens eis qui quæstionem intulerant de uxore dimittenda, ait: *Non legistis quod scriptum est, quod Deus ab initio masculum et feminam fecit eos, et relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una? Igitur jam non duo, sed una est caro* (*Matth.* XIX, 4-6). Si ergo ipse dixit, *Jam non duo, sed una est caro;* quid mirum si una caro, una lingua, eadem verba, tanquam unius carnis, capitis et corporis? Sic audiamus tanquam unum: sed tamen caput tanquam caput, et corpus tanquam corpus. Non dividuntur personæ, sed distinguitur dignitas: quia caput salvat, salvatur corpus. Caput exhibeat misericordiam, corpus defleat miseriam. Caput est ad purganda, corpus ad confitenda peccata: una tamen vox, ubi non scriptum est quando dicat corpus, quando caput; sed nos in audiendo distinguimus; ille autem tanquam unus loquitur. Quare enim non dicat, *peccatorum meorum*, qui dixit, *Esurivi, et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum; hospes fui, et non recepistis me; infirmus fui et in carcere, et non visitastis me?* Certe Dominus non fuit in carcere. Quare non hoc diceret, cui cum dictum esset, *Quando te vidimus esurientem et sitientem, aut in carcere, et non ministravimus tibi?* respondit, sic ex persona corporis sui se dixisse, *Cum uni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis* (*Id.* XXV, 42-45)? Quare non dicat, *a facie peccatorum meorum*, qui dixit Saulo, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Qui utique in cœlo jam neminem persecutorem patiebatur. Sed quomodo ibi caput loquebatur pro corpore, sic et hic caput dicit corporis voces, cum et capitis voces auditis. Sed neque cum corporis voces audieritis, separetis caput; neque cum capitis voces audieritis, separetis corpus: quia jam non duo, sed una caro.

7. *Non est sanitas in carne mea a vultu iræ tuæ.* Sed fortasse injuste tibi Deus iratus est, o Adam, o genus humanum, injuste iratus est Deus! quia dixisti jam agnoscens ipsam pœnam tuam, jam in corpore Christi constitutus homo: *Non est sanitas in carne mea a vultu iræ tuæ.* Expone justitiam iræ Dei: ne te excusare videaris, illum accusare[1]. Sequere, et dic unde ira Domini. *Non est sanitas in carne mea a vultu iræ tuæ: non est pax ossibus meis.* Repetivit id quod dixit, *Non est sanitas in carne mea:* hoc est enim, *non est pax ossibus meis.* Non autem repetivit, *a vultu iræ tuæ*. sed causam dixit iræ Dei, *Non est pax*, inquit, *ossibus meis a facie peccatorum meorum.*

[1] Omnes fere Mss., *ambiebat.*

[1] Plerique Mss., *ne tu debere videaris illum accusare.*

8. [*vers.* 5.] *Quoniam iniquitates meæ sustulerunt caput meum, sicut fascis gravis gravatæ sunt super me.* Et hic causam præmisit, et effectum subjecit; quid unde contigerit dixit: *Iniquitates meæ sustulerunt caput meum.* Nemo enim superbus, nisi iniquus, cui sustollitur caput. Sursum tollitur, qui erigit caput adversus Deum. Audistis cum lectio legeretur libri Ecclesiastici, *Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo* (*Eccli.* x, 14). Ille qui prior noluit audire præceptum, sustulit iniquitas ipsius caput adversus Deum. Et quia iniquitates sustulerunt caput ejus, quid illi fecit Deus? *Sicut fascis gravis gravatæ sunt super me.* Levitatis est erigere caput, quasi nihil portat qui erigit caput. Quia ergo leve est quod potest erigi, accipit pondus unde possit comprimi. Convertitur enim labor ejus in caput ejus, et iniquitas ejus in verticem ejus descendit (*Psal.* VII, 17). *Sicut fascis gravis gravatæ sunt super me.*

9. [*vers.* 6.] *Computruerunt et putuerunt livores mei.* Jam qui livores habet, non est sanus. Adde quia ipsi livores computruerunt et putuerunt. Unde putuerunt? Quia computruerunt. Jam quomodo hoc explicetur in vita humana quis hoc non novit [1]? Habeat aliquis sanum olfactum animæ, sentit quomodo puteant peccata. Cui putori peccatorum contrarius erat odor ille, de quo dicit Apostolus: *Christi bonus odor sumus Deo, in omni loco, iis qui salvi fiunt* (II *Cor.* II, 15). Sed unde, nisi de spe? Unde, nisi de recordatione sabbati? Aliud enim plangimus in hac vita, aliud præsumimus in illa vita. Quod plangitur, putet: quod præsumitur, fragrat. Ergo nisi esset ille talis odor qui nos invitaret, nunquam sabbatum recordaremur. Sed quia habemus per Spiritum [2] ipsum odorem, ut dicamus sponso nostro, *Post odorem unguentorum tuorum curremus* (*Cant.* I, 3); avertimus a putoribus nostris olfactum, et convertentes nos ad ipsum aliquantum respiramus. Sed nisi ad nos oleant et mala nostra, nunquam istis gemitibus confitemur, *Computruerunt et putuerunt livores mei.* Unde? *A facie insipientiæ meæ.* Unde dixit superius, *A facie peccatorum meorum*: inde nunc, *A facie insipientiæ meæ.*

10. [*vers.* 7.] *Miseriis afflictus sum, et curvatus sum usque in finem.* Unde curvatus est? Quia elatus erat. Si fueris humilis, erigeris; si fueris elatus, curvaberis: non enim deerit Deo pondus unde te curvet. Illud erit pondus, fascis peccatorum tuorum: hoc replicabitur in caput tuum, et curvaberis. Quid est autem curvari? Non se posse erigere. Talem invenit Dominus mulierem per decem et octo annos curvam: non se poterat erigere (*Luc.* XIII, 11). Tales sunt qui in terra cor habent. At vero, quia invenit mulier illa Dominum, et sanavit eam, habeat sursum cor. In quantum tamen curvatur, adhuc gemit. Curvatur enim ille qui dicit: *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). In his gemat, ut illud accipiat, recordetur sabbatum, ut ad sabbatum pervenire mereatur. Quod enim celebrabant Judæi, signum erat. Cujus rei signum? Quam iste recordatur, qui dicit: *Miseriis afflictus sum, et curvatus sum usque in finem.* Quid est, *usque in finem?* Usque in mortem. *Tota die contristatus ambulabam. Tota die*, sine intermissione. Hoc dicit *tota die*, tota vita. Sed ex quo cognovit? Ex quo sabbatum recordari cœpit. Quamdiu enim recordatur quod nondum habet, non vis ut contristatus incedat? *Tota die contristatus ambulabam.*

11. [*vers.* 8.] *Quoniam anima mea completa est illusionibus, et non est sanitas in carne mea.* Ubi ergo est totus homo, anima et caro est. Anima completa est illusionibus, caro sanitatem non habet: quid remanet unde sit lætitia? Nonne oportet ut contristetur? *Tota die contristatus ambulabam.* Tristitia nobis sit, donec et anima nostra exuatur illusionibus, et corpus nostrum induatur sanitate. Illa est enim vera sanitas, quæ est immortalitas. Quantæ sint autem illusiones animæ, si voluero dicere, tempus quando sufficit? Cujus enim anima ista non patitur? Breve est quod admoneo, quomodo anima nostra completa est illusionibus. A facie ipsarum illusionum, aliquando vix orare permittimur. De corporibus cogitare non novimus nisi imagines; et sæpe irruunt quas non quærimus, et volumus ex hac in hanc ire, et ab illa in illam transire; et aliquando vis redire ad id quod cogitabas, et dimittere unde cogitas, et aliud tibi occurrit: vis recordari quod oblitus eras; et non tibi venit in mentem, et venit potius aliud quod nolebas. Ubi [1] erat quod oblitus eras? Nam quare postea venit in mentem, cum jam non quæreretur? Cum autem quæreretur, occurrerunt pro illo innumerabilia quæ non quærebantur. Rem dixi brevem, fratres: aspersi nescio quid vobis, quo accepto cætera vos ipsi cogitantes, inveniatis quid sit plangere illusiones animæ nostræ. Accepit ergo pœnam illusionis, amisit veritatem. Sicut enim pœna est animæ illusio, sic præmium animæ veritas. Sed in his illusionibus constituti cum essemus, venit ad nos veritas, et invenit nos coopertos illusionibus, suscepit carnem nostram, vel potius a nobis, id est a génere humano. Apparuit oculis [2] carnis, ut per fidem sanaret eos quibus veritatem fuerat monstraturus: ut sanato oculo veritas patesceret. Ipse enim est veritas, quam nobis promisit, cum caro ejus videretur, ut fides inchoaretur, cujus præmium veritas esset. Non enim se ipse Christus demonstravit in terra, sed demonstravit carnem suam. Nam si seipsum demonstraret, viderent illum Judæi et cognoscerent: sed si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I *Cor.* II, 8). Sed forte discipuli viderunt, quando illi dicebant: *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Et ille ut ab eis se non visum esse monstraret, subjecit: *Tantó tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui me videt, videt et Patrem.* Si ergo Christum videbant, quomodo adhuc Patrem quærebant? Si enim viderent Christum, vide-

[1] Am. Er. et plerique Mss. carent particula, *non*. Quidam: *Quisquis hoc novit.*
[2] Aliquot Mss. omittunt, *per Spiritum.*

[1] Aliquot Mss., *ibi.*
[2] Ita in Mss. At in Edd., *Aperuit oculos.*

tent et Patrem. Nondum itaque Christum videbant, qui Patrem sibi ostendi cupiebant. Audi quia nondum videbant : In præmio illud promisit alio loco, dicens, *Qui diligit me, mandata mea custodit : et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.* Et tanquam diceretur ei, Quid illi dabis, diligens eum? *Et ostendam*, inquit, *meipsum illi* (*Joan.* XIV, 8, 9, 21). Si ergo diligentibus eum hoc in præmio promisit, quia ostendet seipsum illis; manifestum est, quia illa visio veritatis talis nobis promittitur, qua visa jam non dicamus, *Impleta est anima mea illusionibus.*

12. [*vers.* 9.] *Infirmatus sum et humiliatus sum usque nimis.* Qui recordatur altitudinem sabbati, ipse videt quantum sit humiliatus. Nam qui non potest cogitare quæ sit illa quietis altitudo, non videt ubi nunc sit[1]. Propterea alius psalmus dixit, *Ego dixi in ecstasi mea: Projectus sum a facie oculorum tuorum* (*Psal.* XXX, 23). Assumpta enim mente vidit nescio quid sublime, et quod vidit nondum ibi totus erat : et quadam, si dici potest, quasi coruscatione facta luminis æterni, ubi sensit non se ibi esse, quod potuit utcumque intelligere, vidit ubi esset, et quemadmodum malis humanis infirmatus et coarctatus esset : et ait, *Ego dixi in ecstasi mea : Projectus sum a facie oculorum tuorum.* Tale est nescio quid quod vidi in ecstasi, ut inde sentiam quam longe sum, qui nondum ibi sum. Jam ibi erat qui dixit assumptum se in tertium cœlum, et ibi audiebat ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui. Sed revocatus est ad nos, ut gemeret prius perficiendus in infirmitate, et sic postea indueretur virtute : animatus tamen, quia vidit aliquid rerum illarum pro dispensatione officii sui, adjecit dicens, *Audivi ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui* (II *Cor.* XII, 2-10). Jam ergo quid opus est ut a me aut a quoquam quæratis quæ non licet homini loqui : si illi non licuit loqui, cui licuit audire? Plangamus tamen et gemamus in confessione, agnoscamus ubi simus, recordemur sabbatum, et patienter exspectemus quod ille promisit, qui nobis et in se ipso exemplum patientiæ demonstravit. *Infirmatus sum et humiliatus sum usque nimis.*

13. *Rugiebam a gemitu cordis mei.* Attenditis plerumque interpellare gemitibus servos Dei, et quæritur causa : et non apparet nisi gemitus alicujus servi Dei; si tamen ad aures hominis circa illum positi pervenerit. Est enim gemitus occultus qui ab homine non auditur : tamen si tanta occupaverit cor cogitatio desiderii cujusdam, ut voce clariore exprimatur vulnus interioris hominis, quæritur causa; et dicit homo apud semetipsum, Forte illud est unde gemit, et forte illud illi factum est. Quis potest intelligere, nisi ille in cujus oculis et auribus gemit? Propterea *rugiebam*, inquit, *a gemitu cordis mei :* quia homines si quando audiunt gemitum hominis, plerumque gemitum carnis audiunt; gementem a gemitu cordis non audiunt. Abstulit nescio quis res hujus; rugiebat, sed non a gemitu cordis : alius, quia extulit[2] filium; alius, quia uxorem; alius, quia grandinata est vinea, quia cuppa acuit, quia diripuit jumentum ipsius nescio quis; alius, quia damnum aliquod passus est; alius, quia timet hominem inimicum. omnes isti a gemitu carnis rugiunt. At vero servus Dei, quia ex recordatione sabbati rugit, ubi est regnum Dei, quod caro et sanguis non possidebunt (I *Cor.* XV, 50) : *Rugiebam*, inquit, *a gemitu cordis mei.*

14. [*vers.* 10.] Et quis agnoscebat unde rugiebat? Subjecit : *Et ante te est omne desiderium meum.* Non enim ante homines, qui cor videre non possunt : sed *ante te est omne desiderium meum.* Sit desiderium tuum ante illum; et Pater qui videt in occulto, reddet tibi (*Matth.* VI, 6). Ipsum enim desiderium tuum, oratio tua est : et si continuum desiderium, continua oratio. Non enim frustra dixit Apostolus, *Sine intermissione orantes* (I *Thess.* V, 17). Numquid sine intermissione genu flectimus, corpus prosternimus, aut manus levamus, ut dicat, *Sine intermissione orate?* Aut si sic[1] dicimus nos orare, hoc puto sine intermissione non possumus facere. Est alia interior sine intermissione oratio, quæ est desiderium. Quidquid aliud agas, si desideras illud sabbatum, non intermittis orare. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis, si amare destiteris. Qui tacuerunt? De quibus dictum est : *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). Frigus charitatis, silentium cordis est : flagrantia charitatis, clamor cordis est. Si semper manet charitas, semper clamas; si semper clamas, semper desideras; si desideras, requiem recordaris. Et rugitus cordis tui ante quem sit, oportet ut intelligas. Jam quale desiderium debeat esse ante oculos Dei, considera. Numquid ut moriatur inimicus noster, quod quasi juste optant[2] homines? Nam aliquando oramus quod non debemus. Illud quod quasi juste orant homines, videamus. Nam orant ut moriatur aliquis, et ad illos hæreditas veniat. Sed et illi qui orant ut moriantur inimici, audiant Dominum dicentem : *Orate pro inimicis vestris* (*Id.* V, 44, *et Luc.* VI, 27). Non ergo hoc orent, ut moriantur inimici : sed hoc orent, ut corrigantur; et mortui erunt inimici; jam enim correcti, non erunt inimici. *Et ante te omne desiderium meum.* Quid si desiderium ante illum est, et ipse gemitus non est ante illum? Unde fieri potest, quando ipsum desiderium[3] vocem suam habet gemitum? Ideo sequitur, *Et gemitus meus non est absconditus a te.* A te non est absconditus, a multis autem hominibus absconditus est. Videtur aliquando humilis servus Dei dicere : *Et gemitus meus non est absconditus a te.* Videtur aliquando et ridere servus Dei : numquid desiderium illud mortuum est in corde? Si autem inest desiderium, inest et gemitus : non semper pervenit ad aures hominum, sed nunquam recedit ab auribus Dei.

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *non videt ubi non sit.*
[2] Edd., *abstulit filium.* Verius Mss., *extulit* : id est, ad sepulturam.

[1] Lov., *aut si dicimus.* Er. et plures Mss., *Aut sicut dicimus.* Alii, *Aut si sic.*
[2] Plures Mss., *orant.*
[3] Plerique Mss., *desiderium in vocem suam.* Duo, *desiderium in voce sua.*

15. [*vers.* 11.] *Cor meum conturbatum est.* Unde conturbatum est? *Et deseruit me fortitudo mea.* Plerumque irruit nescio quid repentinum; fit conturbatio cordis: contremiscit terra, tonitrus datur de cœlo, horribilis fit impetus vel strepitus, leo forte videtur in via; fit conturbatio: latrones insidiantur; fit conturbatio cordis, pavetur, undique sollicitudo incutitur. Unde hoc? Quia *deseruit me fortitudo mea.* Si enim maneret illa fortitudo, quid timeretur? Quidquid nuntiaretur, quidquid frenderet, quidquid sonaret, quidquid caderet, quidquid horreret, non terreret. Sed unde illa perturbatio? *Deseruit me fortitudo mea.* Unde deseruit fortitudo? *Et lumen oculorum meorum non est mecum.* Latuerat [1] ergo Adam lumen oculorum ipsius. Nam lumen oculorum ipsius ipse Deus erat: quem cum offendisset, fugit ad umbram, et abscondit se inter ligna paradisi (*Gen.* III, 8). Pavebat a facie Dei, et quæsivit umbram arborum. Jam inter arbores lumen oculorum non habebat, ad quod gaudere consueverat. Si ergo ille de origine, et nos de propagine; et redeunt ad illum secundum vel novissimum Adam membra ista, quia novissimus Adam in spiritum vivificantem (I *Cor.* XV, 45); et clamant de corpore ejus in ista confessione, *Et lumen oculorum meorum non est mecum:* jam confitens, jam redemptus, jam in corpore Christi est, et lumen oculorum ipsius non est cum ipso? Plane non est cum ipso: sed est quidem tanquam adhuc recordantium sabbatum [2], tanquam cernentium in spe; sed nondum est illud lumen de quo dicitur, *Ostendam meipsum illi* (*Joan.* XIV, 21). Est quiddam luminis, quia filii Dei sumus, et utique hoc in fide retinemus: sed nondum est illud lumen quod videbimus. *Nondum enim apparuit quod erimus: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Nam modo lumen fidei et lumen spei est. *Quamdiu enim sumus in corpore, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem* (II *Cor.* V, 6, 7). *Et quamdiu quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 25). Voces sunt ergo istæ peregrinantium, nondum in patria constitutorum. Et recte dicit, et vere dicit, et si non sit dolosus, veraciter confitetur: *Et lumen oculorum meorum non est mecum.* Hæc patitur homo intus, ibi secum, in seipso, et seipsum [3], de nemine ad neminem præter se: hæc sibi ipse pœna sua esse meruit, quidquid superius enumeravit.

16. [*vers.* 12, 13.] Sed numquid hoc solum est quod patitur homo? Patitur enim ex se intrinsecus, forinsecus autem ex eis inter quos vivit: patitur mala sua, cogitur pati et aliena. Inde sunt illæ duæ voces: *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo* (*Psal.* XVIII, 13, 14). Jam de occultis suis confessus est, a quibus se cupit mundari: dicat et de alienis a quibus sibi vult parci. *Amici mei.* Quid dicam jam de inimicis? *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.* Hoc quod ait, *adversum me steterunt*, intellige. Si enim adversum me steterunt, adversus se ceciderunt. *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.* Jam intelligamus capitis voces, jam incipiat illucescere caput nostrum in passione. Sed rursum cum cœperit caput dicere, noli inde separare corpus. Si caput noluit se separare a vocibus corporis, corpus se audeat separare a passionibus capitis? Patere in Christo; quia tanquam peccavit in infirmitate tua Christus. Modo enim peccata tua tanquam ex ore suo dicebat, et ea dicebat sua. Dicebat enim, *A facie peccatorum meorum*, quæ non erant ipsius. Quomodo ergo peccata nostra sua esse voluit propter corpus suum, sic et nos passiones ejus nostras esse velimus propter caput nostrum. Non enim ille ex amicis passus est inimicos, et nos non. Imo et nos ad hoc paremus in eodem convivari: talem calicem non respuamus, ut celsitudinis ejus desiderium per humilitatem ejus inveniamus. Respondit enim celsitudini ejus hærere volentibus, qui ejus adhuc humilitatem non cogitabant, et ait illis: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum* (*Matth.* XX, 22)? Ergo et illæ passiones Domini, passiones nostræ sunt: et unusquisque si bene serviat Deo, bene servet fidem, exhibeat quod debet, et versetur inter homines juste, volo videre si non patitur, etiam quod hic enumerat in passione sua Christus.

17. *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt: et proximi a longe steterunt.* Qui proximi appropinquaverunt, et qui proximi a longe steterunt? Proximi erant Judæi, quia cognati erant: appropinquaverunt, et quando crucifixerunt. Proximi et Apostoli: et tamen ipsi a longe steterunt, ne cum illo paterentur. Potest etiam hoc sic intelligi: *Amici mei*, id est, qui se finxerunt amicos meos. Amicos enim se finxerunt, quando dixerunt. *Scimus quia in veritate viam Dei doces* (*Id.* XXII, 16): quando illum tentare voluerunt, utrum solvendum esset tributum Cæsari, quando illos convicit ore ipsorum, amici videri volebant: sed non illi erat opus ut quisquam ei testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine (*Joan.* II, 25): adeo ut cum amica verba dixissent, responderet eis, *Quid me*, inquit, *tentatis hypocritæ* (*Matth.* XXII, 18)? Ergo *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt: et proximi a longe steterunt.* Nostis quid dixi. Proximos dixi qui appropinquaverunt [1], et tamen a longe steterunt. Appropinquaverunt enim corpore, sed longe steterunt corde. Qui tam propinqui corpore, quam qui in crucem levaverunt? Qui tam longe corde, quam qui blasphemaverunt? Audite istam longinquitatem ab Isaia propheta, videte istam propinquitatem et longinquitatem: *Populus hic labiis me honorat:* ecce propinquat corpore: *Cor autem eorum longe est a me* (*Isai.* XXIX, 13). Iidem pro-

[1] Duo Mss., *habuerat.*
[2] *Tanquam adhuc recordantium sabbatum.* Hoc in omnibus fere Mss. et in Am. desideratur.
[3] Fr. et plerique Mss., *siti, secum, in seipso et ad seipsum.*

[1] Duo Mss., *Nostis quia dixi proximos Dei, qui appropinquaverunt.* Sex alii: *Nostis quia dixi proximos, dixi appropinquaverunt.* Alius utroque loco habet, *dixit.* Duo tandem omittunt, *Nostis quid dixi proximos.*

pinqui, iidem longinqui : propinqui labiis, longinqui corde. Veruntamen quia longe steterunt timentes Apostoli, absolutius et planius de illis accipimus, ut alios propinquasse, alios longe stetisse intelligamus : quandoquidem et Petrus qui audacius secutus fuerat, ita adhuc longe erat, ut interrogatus et perturbatus, ter negaret Dominum, cum quo se moriturum esse promiserat (*Matth.* XXVI, 70). Qui postea ex longinquo ut propinquus fieret, audivit post resurrectionem, *Amas me?* et dicebat, *Amo* (*Joan.* XXI, 17). Et dicendo propinquabat, qui negando longe factus erat, donec trina voce amoris, solveret trinam vocem negationis[1]. *Et proximi mei a longe steterunt.*

18. *Et vim faciebant qui quærebant animam meam.* Jam manifestum est qui quærebant animam ipsius: qui non habebant animam ejus, quia non erant in corpore ejus. Qui quærebant animam ejus, longe erant ab anima ejus : sed quærebant ut occiderent eam. Quæritur enim anima ejus et bene. Nam alio loco arguit quosdam dicens : *Et non est qui requirat animam meam* (*Psal.* CXLI, 5). Arguit quosdam non quærentes animam ejus, et rursus arguit alios quærentes animam ejus. Quis est qui quærit bene animam ipsius? Qui ejus passiones imitatur. Qui sunt qui quærebant male animam ejus? Qui ei vim faciebant, et crucifigebant eum.

19. Sequitur, *Qui quærebant mala mea, locuti sunt vanitatem.* Quid est, *Qui quærebant mala mea?* Multa quærebant, et non inveniebant. Forte hoc dixerit, Quærebant crimina mea. Quæsierunt enim quæ in illum dicerent, et non inveniebant (*Matth.* XXVI, 59, 60). Quærebant enim mala de bono, quærebant scelera de innocente : quando invenirent in eo qui nullum peccatum habebat? Sed quia peccata quærebant in eo qui nullum peccatum habebat, restabat ut fingerent quod non inveniebant. Ideo, *Qui quærebant mala mea, locuti sunt vanitatem*, non veritatem. *Et dolum tota die meditabantur :* hoc est, fallaciam sine cessatione meditabantur. Nostis quanta falsa testimonia dicta sunt in Dominum, antequam pateretur. Nostis quanta falsa testimonia dicta sunt, etiam cum resurrexisset. Nam illi milites custodes sepulcri, de quibus Isaias dixit, *Ponam malos pro sepultura ejus* (*Isai.* LIII, 9) (mali enim erant, et veritatem dicere noluerunt, et corrupti mendacium seminaverunt) : attendite qualem vanitatem locuti sunt. Interrogati sunt etiam ipsi, et dixerunt : *Cum dormiremus, venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum* (*Matth.* XXVIII, 13). Hoc est loqui vanitatem. Si enim dormiebant, unde sciebant quod gestum erat?

20. [*vers.* 14, 15.]. Ergo ait, *Ego autem velut surdus non audiebam.* Qui ad ea quæ audiebat non respondebat, tanquam non audiebat. *Ego autem velut surdus non audiebam : et sicut mutus non aperiens os suum.* Et repetit eadem : *Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo argutiones*[2]. Quasi non esset quod illis diceret, quasi non esset unde illos argueret. Nonne jam antea multa increpaverat, multa dixerat, et dixerat, *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, hypocritæ* (*Matth.* XXIII, 13), et multa talia? Tamen quando passus est, nihil horum dixit : non quia non habebat quod diceret, sed exspectabat ut complerent illi omnia, et implerentur omnes prophetiæ de illo, de quo dictum erat : *Et sicut ovis coram tondente se sine voce, non aperuit os suum* (*Isai.* LIII, 7). Oportebat ergo ut taceret in passione, non taciturus in judicio. Judicandus enim venerat, qui postea judicaturus veniret : et ideo cum magna potestate judicaturus, quia cum magna humilitate judicatus.

21. [*vers.* 16.] *Quoniam in te, Domine, speravi, tu exaudies, Domine, Deus meus.* Tanquam si ei diceretur, Quare non aperuisti os tuum? quare non dixisti, Parcite? quare non in cruce pendens iniquos arguisti? Sequitur et dicit : *Quoniam in te, Domine, speravi; tu exaudies, Domine, Deus meus.* Monuit te quid facias, si forte occurrerit tribulatio. Quæris enim te defendere, et forte nemo accipit defensionem tuam. Jam tu perturbaris, quasi perdideris causam tuam, quia nullius habes defensionem aut testimonium. Custodi intus innocentiam tuam, ubi nemo opprimit causam tuam. Prævaluit in te falsum testimonium, sed apud homines : numquid apud Deum valebit, ubi causa tua dicenda est? Quando Deus judex erit, alius testis quam conscientia tua non erit. Inter judicem justum et conscientiam tuam noli timere nisi causam tuam : si causam malam non habueris, nullum accusatorem pertimesces, nullum falsum testem refelles, nullum verum requires. Tu tantum bonam conscientiam affer, ut possis dicere : *Quoniam in te, Domine, speravi; tu exaudies, Domine, Deus meus.*

22. [*vers.* 17.] *Quia dixi : Nequando insultent*[1] *in me inimici mei, et dum commoventur pedes mei, in me magna locuti sunt.* Iterum redit ad infirmitatem corporis sui, et rursus caput illud attendit pedes suos : non sic est in cœlo, ut deserat quod habet in terra : attendit plane, et videt nos. Aliquando enim, ut est ista vita, commoventur pedes nostri, et labuntur in aliquo peccato : ibi exsurgunt linguæ nequissimæ inimicorum. Hinc ergo intelligimus, etiam cum tacebant quid quærebant. Loquuntur tunc aspere immites, gaudentes[2] se invenisse quod dolere debuerunt. Et *dixi : Ne aliquando insultent in me inimici mei.* Dixi hoc, et tamen forte ad emendationem fecisti eos magna loqui de me, *dum moverentur pedes mei*, id est elati sunt, multa mala dixerunt, cum commoverer. Misereri enim debuerunt infirmis, non insultare; quomodo Apostolus dicit : *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis.* Et complectitur quare. *Intendens*, inquit, *teipsum, ne et tu tenteris* (*Gal.* VI, 1). Non erant isti tales, de quibus dicit, *Et dum commoverentur pedes mei, in me magna locuti sunt :* sed erant

[1] Octo Mss., *timoris.*
[2] Ita hic et alibi passim Am. Er. et Mss. [*redargutiones.*]

[1] Colb. Ms. constanter habet *exsultent.*
[2] Sic aliquot Mss. Edd. vero, *Qui erant tunc asperi, immites, gaudent se*, etc. Nonnulli Mss., *aspere in mites.*

tales de quibus alibi dicit, *Qui me premunt, exsultabunt si motus fuero* (*Psal.* XII, 5).

23. [*vers.* 18, 19.] *Quoniam ego in flagella paratus sum.* Omnino magnifice, tanquam diceret : Ad hoc natus sum, ut flagella sufferam. Non enim nasceretur [1] nisi de Adam, cui flagella debentur. Sed aliquando peccatores in hac vita aut non, aut minus flagellantur: quia jam desperata est intentio eorum. At vero illi quibus paratur vita sempiterna, necesse est ut hic flagellentur; quia vera est illa sententia : *Fili, ne deficias in disciplina Domini, neque fatigeris cum ab illo increparis : quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Prov.* III, 11, 12). Ideo ergo non insultent inimici mei, non magna loquantur : et si flagellat me Pater meus, *in flagella paratus sum;* quia mihi hæreditas præparatur. Non vis flagellum, non tibi datur hæreditas. Omnis enim filius necesse est ut flagelletur. Usque adeo omnis flagellatur, ut nec illi pepercerit (*Rom.* VIII, 32) qui peccatum non habuit (I *Petr.* II, 22). *Quoniam ego in flagella paratus sum.*

24. *Et dolor meus ante me est semper.* Quis dolor? Forte de flagello. Et vere, fratres mei, vere dicam vobis, flagella sua dolent homines; quare flagellantur non dolent. Non erat iste sic. Audite, fratres mei : Nescio quis si damnum patitur, proclivior est ut dicat, Indigne passus sum, quam ut consideret quare passus sit; dolens damnum pecuniæ, non dolens justitiæ. Si peccasti, thesaurum tuum interiorem dole : nihil habes in domo, sed forte inanior es [2] corde : si autem plenum est cor bono suo, Deo tuo; quare non dicis : Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum (*Job* I, 21)? Unde ergo iste dolebat? de flagello quo flagellabatur? Absit. *Et dolor meus,* inquit, *ante me est semper.* Et quasi diceremus, quis dolor? unde dolor? *Quoniam iniquitatem meam ego pronuntio, et curam geram pro peccato meo.* Ecce unde dolor. Non de flagello dolor : de vulnere, non de medicina. Nam flagellum medicamentum est contra peccata. Audite, fratres : christiani sumus; et tamen plerumque si filius cujusquam moriatur, plangit illum; si peccet, non illum plangit. Tunc plangeret, tunc doleret, cum peccantem videret; tunc modum imponeret, tunc normam vivendi doceret, disciplinam daret : aut si fecit, et ille non audivit, tunc erat plangendus; tunc pejus mortuus luxuriose vivens, quam moriendo luxuriam finiens : tunc ergo quando ista faciebat in domo tua, non solum mortuus erat, sed et putebat. Hæc dolenda sunt, illa sustinenda : illa ferenda, ista plangenda. Plangenda autem, quomodo audistis plangere istum : *Quoniam iniquitatem meam ego pronuntio, et curam geram pro peccato meo.* Ne securus sis, cum confessus fueris peccatum tuum, tanquam semper præparatus ad confitendum et committendum peccatum. Sic pronuntia iniquitatem tuam, ut curam geras pro peccato tuo. Quid est, curam gerere pro peccato tuo? Curam gerere pro vulnere tuo. Si diceres, Curam geram pro vulnere meo; quid intelligeretur, nisi, Dabo operam ut sanetur? Hoc est enim curam gerere pro delicto, semper niti, semper intendere, semper studiose et sedulo agere ut sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, sed forte lacrymæ currunt, et manus cessant. Fiant eleemosynæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, ut et tu gaudeas de dato Dei. Eget ille, eges et tu : eget ille ad te, eges et tu ad Deum [1]. Tu contemnis egentem tui, Deus non te contemnet egentem sui? Ergo impleto tu egentis inopiam, ut impleat Deus interiora tua. Hoc est, *Curam geram pro peccato meo,* faciam omnia quæcumque facienda sunt, ad abolendum et sanandum peccatum meum. *Et curam geram pro peccato meo.*

25. [*vers.* 20.] *Inimici autem mei vivunt.* Bene est eis, gaudent in sæculi felicitate, ubi ego laboro, et rugio a gemitu cordis mei. Quomodo vivunt inimici illius, quia jam dixit de illis, quoniam locuti sunt vanitatem? Audi et in alio psalmo : *Quorum filii sicut novellæ constabilitæ.* Sed superius dixerat : *Quorum os locutum est vanitatem, filiæ eorum compositæ sicut similitudo templi; cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc; boves eorum crassi; oves eorum fecundæ, multiplicantes in exitibus suis : non est ruina sepis, neque clamor in plateis eorum.* Vivunt ergo inimici mei : hæc vita est, hanc laudant, hanc amant, hanc malo suo habent. Quid enim sequitur? *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Quid autem tu, qui curam geris pro peccato tuo? quid tu, qui pronuntias iniquitatem tuam? *Beatus,* inquit, *populus cujus est Dominus Deus ipsius* (*Psal.* CXLIII, 12-15). *Inimici autem mei vivunt : et confirmati sunt super me, et multiplicati sunt qui me oderunt inique.* Quid est, *qui oderunt inique?* Bona sibi volentem oderunt. Qui si redderent mala pro malis, boni non essent : qui si non redderent bona pro bonis, ingrati essent : reddunt autem mala pro bonis qui oderunt inique. Tales fuerunt Judæi : venit ad illos Christus cum bonis, reddiderunt illi mala pro bonis. Cavete hoc malum, fratres : cito subintrat. Quia diximus, Tales erant Judæi : ne putet unusquisque vestrum longe se exceptum. Corripiat te aliquis frater tuus, bonum tibi volens; oderis illum, et talis es. Et videte quam cito fiat, quam facile : et vitatote [2] tam magnum malum, tam agile peccatum.

26. [*vers.* 21.] *Detrahebant mihi qui retribuunt mala pro bonis, quoniam persecutus sum justitiam.* Ideo mala pro bonis. Quid est, *persecutus sum justitiam?* Non dimisi : ne forte persecutionem semper in malo intelligas, *persecutus* dixit, perfecte secutus : *Quoniam persecutus sum justitiam.* Et audi caput nostrum ejulans [3] in passione : Et projecerunt me dilectum,

[1] Duodecim Mss., *pateretur.*
[2] Pro, *inanior es corde*, plures Mss. habent, *in animo et corde.*

[1] Duo Mss., *eget ille a te, eges tu a Deo.*
[2] Sic plures Mss. At Lov., *quam facile currat tam magnum,* etc.
[3] Edd. et Mss., *evidens :* excepto Fuliensium veteri codice, cujus ope restituimus, *ejulans.*

tanquam mortuum abominatum. Parum erat mortuum, quare abominatum? Quia crucifixum. Etenim hæc mors crucis magna apud eos abominatio erat, non intelligentes in prophetia dictum esse : *Maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI, 23). Non enim ipse attulit mortem, sed hic invenit de maledicto primi hominis propagatam (*Gal.* III, 10) : et eamdem mortem nostram suscipiens in ligno suspendit, quæ venerat de peccato. Ergo ne putarent aliqui, sicut putant quidam hæretici (a), Dominum nostrum Jesum Christum falsam carnem habuisse, et non veram mortem in cruce solvisse; intendit hoc propheta, et ait : *Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Ostendit ergo quia et Filius Dei vera morte mortuus est, quæ mortali carni debebatur : ne non maledictum, putares non vere mortuum. Quia vero illa mors non erat falsa, sed ex illa propagine descenderat, quæ venerat de maledicto, cum diceret Deus, *Morte moriemini* (*Gen.* II, 17) : omnino et ad ipsum quia pervenit vera mors, ut ad nos perveniret vera vita; etiam ad ipsum pervenit mortis maledictio, ut ad nos perveniret vitæ benedictio. Et projecerunt me dilectum, tanquam mortuum abominatum.

27. [*vers.* 22.] *Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me.* Dicamus in illo, dicamus per illum; ipse enim interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34) : et dicamus, *Ne derelinquas me, Domine Deus meus.* Et tamen dixerat, *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti* (*Matth.* XXVII, 46, *et Psal.* XXI, 2)? et dicit, *Deus meus, ne discesseris a me.* Si a corpore non recedit, recessit a capite? Cujus ergo vox erat, nisi primi hominis. Ex illo ergo se ostendens veram carnem portare, dicit : *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti?* Non illum dimisit Deus. Si te non dimittit credentem in se, Christum dimitteret Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Deus? Sed personam in se transfiguraverat primi hominis. Scimus dicente Apostolo, *quia vetus homo noster confixus est cruci cum illo* (*Rom.* VI, 6). Non autem careremus vetustate, nisi crucifigeretur in infirmitate[1]. Ad hoc enim venit, ut renovemur in illo : quia desiderando eum et passionem ejus imitando renovamur. Ergo vox erat infirmitatis, vox erat nostra, qua dictum est, *Quare me dereliquisti?* Inde ibi dictum est, *Verba delictorum meorum* (*Psal.* XXI, 2) : tanquam diceret, Hæc verba ex persona peccatoris in me transfigurata sunt. *Ne discesseris a me.*

28. [*vers.* 23.] *Intende in adjutorium meum, Domine salutis meæ.* Ipsa est salus, fratres, de qua salute exquisierunt Prophetæ, sicut dicit apostolus Petrus : et non acceperunt qui exquisierunt; sed inquisierunt et prænuntiaverunt, et venimus nos et invenimus quod illi exquisierunt (I *Petr.* I, 10-12). Et ecce nos nondum accepimus; et nascentur post nos, et invenient quod nec ipsi accipient et transient : ut omnes simul in fine diei cum Patriarchis, et Prophetis, et Apostolis denarium salutis accipiamus. Etenim nostis mercenarios vel operarios diversis temporibus ductos ad vineam, mercedem tamen pariter acceperunt (*Matth.* XX, 9). Et Prophetæ ergo, et Apostoli, et Martyres, et nos, et qui post nos erunt usque in finem sæculi, in ipso fine accepturi sumus salutem sempiternam; ut contemplantes gloriam Dei, et ejus faciem intuentes, eum laudemus in æternum, sine defectu, sine aliqua pœna iniquitatis, sine aliqua perversitate peccati, laudantes Deum, et non jam suspirantes, sed inhærentes illi, cui usque in finem suspiravimus[1], et in spe lætati sumus. In illa enim civitate erimus, ubi bonum nostrum Deus est, lumen Deus est, panis Deus est, vita Deus est : quidquid est bonum nostrum, a quo peregrinantes laboramus, in illo inveniemus. In illo erit quies, quam modo recordantes necesse est ut doleamus. Illud enim sabbatum recordamur, in cujus recordatione tanta dicta sunt, et nos tanta dicere debemus, et dicentes nunquam tacere, non ore, sed corde : quia sic ore tacemus, ut corde clamare possimus.

IN PSALMUM XXXVIII

ENARRATIO.

SERMO (a).

1. [*vers.* 1.] Psalmi hujus, quemadmodum cantavimus, et tractandum suscepimus, titulus est : *in finem pro Idithun, Canticum ipsi David.* Cujusdam ergo, qui vocatur Idithun, voces exspectandæ et audiendæ sunt : et si esse unusquisque nostrum potuerit Idithun, in eo quod cantat invenit se, et audit se. Videris enim quis vocatus fuerit[2] Idithun secundum hominum priscam nativitatem : nos autem audiamus quid interpretetur hoc nomen, et in ipsa interpretatione nominis quæramus intelligentiam veritatis. Sicut ergo inquirentes reperire potuimus in eis nominibus, quæ nobis a studiosis litterarum divinarum ex hebræo eloquio in latinum interpretata sunt, Idithun interpretatur, Transiliens eos. Quis est ergo iste transiliens? vel quos transilivit? quia, Transiliens, non nude positum est; sed, Transiliens eos. Transiliendo enim cantat, an cantando transilit? Sive transiliendo cantet, sive cantando transiliat, transilientis tamen Canticum paulo ante cantavimus : utrum et nos simus transilientes, viderit Deus cui cantavimus. Sed si quis transiliens cantavit, gaudeat se esse quod cantavit : si quis autem terræ adhuc inhærens cantavit, optet esse quod cantavit. Quosdam enim inhærentes humo curvatos in terram, ea quæ ima sunt cogitantes, in rebus transeuntibus spem ponentes, transili-

[1] Tredecim Mss., *nisi nos crucifigeret in infirmitate.* Alii quinque : *nisi vetus crucifigeretur*, etc.
(a) Manichæi.

[1] Lov., *suspiramus.* Edd. alii et plerique Mss., *suspiravimus.*
[2] Sic nostri omnes Mss. At Edd., *Viderint enim qui tunc fuerunt, quis vocatus*, etc.
(a) Habitus Carthagine ad mensam S. Cypriani. Iste sermo in tribus Mss. prænotatur *habitus Carthagine ad missam S. Cypriani.* Sed verius in aliis, *ad mensam*, erectam videlicet in ipso loco ubi Cyprianus passus fuerat. Vid. Enar. Psal. LXXX, n. 1.

vit iste qui vocatur Transiliens eos. Quos enim transilivit, nisi remanentes?

2. Nostis quosdam psalmos inscribi Canticum graduum: et ibi quidem in græca lingua satis evidens est, quid dicat ἀναβαθμῶν. Anabathmi enim gradus sunt, sed ascendentium, non descendentium. Latinus quia non potuit proprie dicere, generaliter dixit: et quoniam gradus appellavit, ambiguum reliquit utrum ascendentium essent, an descendentium. Sed quia non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum (*Psal.* XVIII, 4), exponit sequentem lingua præcedens; et fit certum in alia, quod ambiguum erat in alia. Quomodo ergo ibi ascendens quidam cantat, sic et hic transiliens. Est autem hæc ascensio et ista transilitio, non pedibus, non scalis, non pennis; et tamen si interiorem hominem attendas, et pedibus, et scalis, et pennis. Nam si non pedibus, quomodo dicit homo interior, *Non veniat mihi pes superbiæ* (*Psal.* XXXV, 12)? Si non scalis, quid sunt quas vidit Jacob, ubi erant ascendentes Angeli et descendentes (*Gen.* XXVIII, 12)? Si non pennis, quis est qui dicit, *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam* (*Psal.* LIV, 7). Sed in rebus corporalibus aliud sunt pedes, aliud scalæ, aliud pennæ. Intus autem et pedes, et scalæ, et pennæ affectus sunt bonæ voluntatis [1]. His ambulemus, his ascendamus, his volemus. Cum ergo audit quisque transilientem hunc, et imitari eligit, non quærat levitate corporis transilire fossas, aut aliqua altiuscula prævolare saliendo: sed quod ad corpora attinet dico: nam fossas etiam transilit. *Succensa igni et effossa, quæ ab increpatione vultus tui peribunt* (*Psal.* LXXIX, 17). Quæ sunt enim *succensa igni et effossa, quæ ab increpatione* Domini *peribunt*, nisi peccata? Succensa igni sunt, quæ facit male ardens cupiditas: et effossa sunt, quæ facit male jacens timiditas. Hinc enim peccata omnia, aut cupiendo, aut timendo. Transiliat ergo iste omnia quibus teneri posset in terra: erigat scalas suas, exserat pennas suas, videat utrum quisquam agnoscat hic se: imo vero in Domini gratia multi se agnoscunt, qui forte jam vilem habentes mundum, et omnia quæ delectant in mundo, eligunt recte vivere, dum hic vivunt in gaudiis quibusdam spiritualibus. Et hæc unde erunt adhuc ambulantibus super terram, nisi ex divinis eloquiis, ex verbo Dei, ex parabola aliqua Scripturarum scrutata et investigata, ex dulcedine inventionis, quam præcessit labor inquisitionis? Sunt quædam deliciæ sanctæ et bonæ in libris. Neque enim sunt in auro et argento, in epulis atque luxuria, in venatibus et piscatibus, in ludo et joco, in theatricis nugis, in affectandis et apprehendendis ruinosis honoribus; neque enim vera sunt gaudia in his omnibus, et in his libris nulla sunt: imo vero anima illa ima transiliens, et in his delectata dicat, quia verum dicit et secura dicit, *Narraverunt mihi injusti delectationes, sed non sicut lex tua Domine* (*Psal.* CXVIII, 85). Veniat adhuc iste Idithun, transiliat eos qui delectantur imis; et delectetur in his, et gaudeat in verbo Domini, in delectatione legis Altissimi. Sed quid dicimus? Et hinc transiliendum est in aliud? An huc usque habet quo transiliat qui transilire desiderat? Voces potius ejus audiamus. Jam enim iste transiliens videtur mihi quod habitabat in eloquiis Dei, et ibi didicit hæc, quæ audituri sumus.

3. [*vers.* 2.] *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Credas quod legendo, disserendo, prædicando, monendo, objurgando, hortando, cum versaretur in opere, cum exerceretur in difficultatibus quibusdam humanis, homo agens inter homines, quamvis jam transiliens eos qui non delectantur his (quia difficile est ut quisque lingua non labatur et peccet, et *qui lingua non peccavit*, ut scriptum est, *hic perfectus est vir* [*Jacobi* III, 2]), aliqua forte pœnitenda dixerat, et lapsa erant ab ore quæ vellet revocare, nec posset. Non enim lingua frustra in udo est, nisi quia facile labitur. Videns ergo quam esset difficile, ut necessitatem loquendi haberet homo, et in loquendo non aliquid diceret, quod se dixisse nollet; et tædio affectus ex his peccatis, quæsivit evitare talia. Patitur hanc difficultatem transiliens. Non me judicet, qui nondum est transiliens: transiliat, et experiatur quod loquor; tunc enim erit et testis et filius veritatis. Cum ergo hæc ei contigissent, statuerat non loqui, ne aliquid diceret quod locutum se esse pœniteret. Hoc indicant prima verba ejus, *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Custodi ergo vias tuas, o Idithun, et noli delinquere in lingua tua: perpende quod dicturus es, examina, consule interiorem veritatem, et sic profer ad exteriorem auditorem. Quæris ista [1] plerumque in perturbatione rerum, in occupatione animorum, dum ipsa infirmitas animæ, quam aggravat corpus quod corrumpitur, et audire vult et dicere, audire intus, dicere foris, aliquando perturbata studio dicendi, deficit indiligentia [2] agnoscendi: et in his dicit aliquid quod forte non esset dicendum. Contra hæc remedium melius est silentium. Stat enim peccator, propria quadam nota peccator, superbus quisquam et invidus; audit loquentem transilientem, captat verba, proponit laqueos; difficile est ut non inveniat aliquid non ita dictum, ut dici debuisset: nec audiendo ignoscit, sed calumniatur invidendo. Contra hos iste Idithun transiliens eos silere delegerat; unde ita cantavit: *Dixi, Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Quamdiu capior a calumniosis, aut captor, et si non capior, *Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Quamvis transilierim delectationes terrenas, quamvis non me capiant temporalium rerum volatici affectus, quamvis jam hæc ima despiciam, et ad meliora consurgam; in ipsis tamen melioribus sufficit mihi delectatio intelligentiæ coram

[1] Ita in undecim Mss. In Edd. autem, *affectus sunt et bonæ voluntates.*

[1] Sic Edd. At omnes Mss., *Quis ista*: forte pro, *Quamvis ista*, etc., ut referatur ad illud, *contra hæc remedium melius*, etc. In Mss. autem perpaucis, *Qui ista conservat plerumque*, etc.

[2] Septemdecim Mss., *indigentia.*

Deo : quid mihi opus est captanda loqui, et dare aditum calumniantibus? *Dixi* ergo, *Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam.* Hoc quare? Propter pios, propter studiosos, propter fideles et sanctos? Absit. Illi sic audiunt, ut quod probant laudent : quod autem improbant inter multa forte quæ laudant, veniam dent potius quam calumniam parent. Propter quos ergo vis custodire vias tuas, ut non delinquas in lingua tua, et ponis ori tuo custodiam? Audi : *Dum consistit adversum me peccator.* Non consistit ad me, sed *consistit adversum me.* Quid dicturus postremo, unde satisfaciam? Carnali de spiritualibus loquor, foris videnti et audienti, intus surdo et cæco. Animalis enim homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei (I *Cor.* II, 14). Nisi autem animalis inveniretur, quando calumniaretur? Beatus qui narrat verbum auri audienti (*Eccli.* XXV, 12), non auri peccatoris astantis adversum se. Tales enim multi circumstabant et circumfremebant, quando ille velut ovis ad immolandum ductus est, et sicut agnus coram tondente sine voce, sic non aperuit os suum (*Isai.* LIII, 7). Quid enim dicas turgidis, turbidis, calumniosis, litigiosis, verbosis? Quid dicas sanctum et pium, et de religione transiliens eos [1] : quando ipsis libenter audientibus, discere cupientibus, veritatis cibo inhiantibus, avide accipientibus, et Dominus ait : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo* (*Joan.* XVI, 12)? Et Apostolus, *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus :* non tamen desperandis, sed nutriendis. Sequitur enim, *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.* Ergo vel nunc dic, *Sed neque adhuc quidem potestis* (I *Cor.* III, 1, 2). Noli ergo festinare audire quod non capis, sed cresce ut capias. Sic parvulum alloquimur, in sinu matris Ecclesiæ pio lacte nutriendum, et ad escam mensæ dominicæ idoneum faciendum. Quid autem vel tale dicam peccatori astanti adversus me, idoneum se putanti aut fingenti, ad ea quæ non capit; ut cum ei dixero, et ille non ceperit, non se putet non cepisse, sed me defecisse? Ergo propter hunc peccatorem astantem adversus me, *posui ori meo custodiam.*

4. [*vers.* 3.] Et quid secutum est? *Obsurdui, et humiliatus sum, et silui a bonis.* Patitur enim difficultatem iste transiliens in quodam gradu, quo jam transilivit; et quærit et inde transilire, ad vitandam hanc difficultatem. Peccare metuebam [2], ut non loquerer, ut silentium mihi imponerem ; hoc enim dixeram, *Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea :* et dum timeo loqui ne peccem, *Obsurdui et humiliatus sum, et silui a bonis.* Dum nimis timeo, ne loquar aliqua mala, tacui omnia bona : *Obsurdui, et humiliatus sum, et silui a bonis.* Unde enim dicebam bona, nisi quia audiebam? Auditui enim meo dabis exsultationem et lætitiam (*Psal.* L, 10). Et amicus sponsi stat, et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem, non suam, sed sponsi (*Joan.* III, 29). Ut vera dicat, audit quæ dicat. Nam qui loquitur mendacium, de suo loquitur (*Id.* VIII, 44). Quiddam ergo triste et molestum passus est iste; et hac sua confessione id quod passus est, cavendum admonet, non imitandum. Timendo enim nimis, ut dixi, ne diceret aliqua non bona, statuit sibi nulla dicere vel bona : et quoniam statuit tacere, cœpit non audire. Stas enim si transiliens es, exspectas a Deo audire quid dicas hominibus : inter divitem Deum, et inopem quærentem quid audiat, intercurris transiliens, qui possis et hinc audire, et hac dicere : si eligis hac non dicere, non mereberis hinc audire : contemnis pauperem, contemneris a divite. Oblitus es servum te esse, quem constituit Dominus super familiam suam dare conservis cibaria (*Matth.* XXIV, 45)? Quid ergo quæris accipere, quod piger es erogare? Merito ergo quoniam quod acceperas dicere noluisti, impediris ne accipias quod accipere cupiebas. Aliquid enim volebas, aliquid habebas: da quod habes, ut merearis accipere quod non habes. Ergo cum quasi posuissem ori meo custodiam, mihique indixissem silentium, quia videbam ubique periculosum eloquium ; factum est, inquit, in me quod nolebam ; *Obsurdui, et humiliatus sum :* non me humiliavi ; sed, *humiliatus sum. Obsurdui, et humiliatus sum, et silui a bonis.* Cœpi non dicere bona, cum timeo ne dicam aliqua mala : et reprehendi consilium meum. *Silui* enim *a bonis. Et dolor meus renovatus est.* A dolore quippe quodam, quem mihi inflixerant calumniatores et reprehensores, tanquam requieveram in silentio, et cessaverat dolor ille qui factus erat a calumniantibus : sed ubi silui a bonis, renovatus est dolor meus. Cœpi plus dolere tacuisse me quæ dicere deberem, quam dolueram dixisse quæ dicere non deberem. *Renovatus est dolor meus.*

5. [*vers.* 4, 5.] (*a*) *Et in meditatione mea exardescet ignis.* Cœpit esse inquietum cor meum. Videbam insensatos, et tabescebam (*Psal.* CXVIII, 158), non arguebam : et me sic tacentem zelus domus tuæ comedebat (*Psal.* LXVIII, 10). Respexi enim ad Dominum meum dicentem : *Serve nequam et piger, dares pecuniam meam nummulariis, et ego veniens cum usuris exigerem.* Et quod sequitur, avertat Deus a dispensatoribus suis : *Projiciatur in tenebras exteriores* ligatis manibus et pedibus, servus, non eversor ad perdendum, sed piger ad erogandum (*Matth.* XXV, 26, 27, 30). Quid exspectare debent, qui cum luxuria consumpserunt, si damnantur qui cum pigritia servaverunt? *In meditatione mea exardescet ignis.* Et positus in hac fluctuatione dicendi et tacendi, inter eos qui calumniari parati sunt, et eos qui affectant instrui, inter abundantes et inopes, factus opprobrium his qui abundabant, et despectio superbis (*Psal.* CXXII, 4), respiciens eos beatos qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* V, 6); laborans in utroque, afflictus in utroque; periclitans ne projiciat margaritas ante porcos,

[1] Er., *Quid dicas sancto et pio et de religione transilienti eos.* Tres Mss., *Quid dicat sanctus et pius et de religionis transiliens eos.*

[2] Plures Mss., *peccatorem metuebam.*

(*a*) Silentio præterit verba illa vers. 4, *Concaluit cor meum intra me.*

periclitans ne non eroget cibaria conservis : in hoc æstu quæsivit alium meliorem locum ab hac dispensatione, in qua sic laborat homo et periclitatur ; et suspirans in finem quemdam, ubi ista non erat passurus, in illum, inquam, finem quo dicturus est bono erogatori Dominus, *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* xxv, 21) : *Locutus sum*, inquit, *in lingua mea.* Inter æstus, inter pericula hæc, inter difficultates, quia ita delectat lex Domini, ut tamen propter abundantiam scandalorum refrigescat charitas multorum (*Id.* xxiv, 12) : inter hos ergo æstus, *Locutus sum*, inquit, *in lingua mea.* Cui ? Non auditori quem volo erudire, sed exauditori a quo volo erudiri. *Locutus sum in lingua mea*, illi a quo intus audio, si quod bonum, si quod verum audio. Quid locutus es ? *Notum*, inquit, *mihi fac, Domine, finem meum.* Transilivi enim quædam, et veni ad quædam ; et ea in quæ veni, meliora sunt eis a quibus transilivi : sed restat adhuc quod transiliendum sit. Non enim hic remanebimus, ubi tentationes, ubi scandala, ubi auditores et calumniatores patimur. *Finem meum notum mihi fac :* finem qui mihi deest, non cursum qui mihi adest.

6. Finem illum dicit, quem currens intuebatur Apostolus, et de sua imperfectione confitebatur, aliud in se intuens, aliud alibi quærens. Ait enim, *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim, fratres, ego meipsum non arbitror apprehendisse.* Et ne diceres, Si non apprehendit Apostolus, ego apprehendi ? si perfectus non est Apostolus, ego perfectus sum ? vide quid agat, attende quid dicat. Quid ergo agis [1], Apostole ? Nondum apprehendisti, nondum perfectus es ? Quid agis ? ad quam actionem me hortaris ? quid mihi imitandum sequendumque proponis ? *Unum autem*, inquit, *quæ retro sunt oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu* (*Philipp.* iii, 12-14) : secundum intentionem, nondum secundum perventionem, nondum secundum apprehensionem. Non relabamur unde jam transilivimus, nec remaneamus in illis in quæ jam venimus. Curramus, intendamus, in via sumus : nec tam sis securus ex eis quæ transisti, quam sollicitus pro eis ad quæ nondum pervenisti. *Quæ retro*, inquit, *oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Ipse est enim finis. Unum autem, hoc est illud unum : *Domine ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (*Joan.* xiv, 9). Unum autem, quæ et una dicitur in alio psalmo : *Unam petii a Domino, hanc requiram. Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ.* Propter quid ? *Ut contempler delectationem Domini* (*Psal.* xxvi, 4). Ibi enim gaudebo de socio, non timebo de adversario : ibi enim contemplator mecum erit amicus, non calumniator inimicus. Hoc desideravit iste Idithun, notum fieri sibi cum hic esset, ut sciret quid sibi deesset ; et non tam gauderet de his ad quæ pervenerat, quam desideraret ea ad quæ nondum pervenerat ; et quibusdam jam transilitis, non remaneret in via, sed desiderio raperetur in superna ; usque quo ille qui quædam transilierat, omnia transiliret, et ab irroratione quadam guttarum dominicarum de Scripturarum nube venientium, veniret sicut cervus ad fontem vitæ (*Psal.* xli, 2), et in illo lumine videret lumen (*Psal.* xxxv, 10), et absconderetur in vultu Dei a conturbatione hominum (*Psal.* xxx, 21) : ubi diceret, Bene est, ultra nihil volo, omnes hic amo, neminem hic timeo. Bonum desiderium, sanctum desiderium. Qui jam hoc habetis, congaudete nobis ; et orate ut perseveranter habeamus, ne inter scandala deficiamus. Nam et nos pro vobis hoc idem rogamus. Non enim et nos digni qui pro vobis oremus, et vos indigni qui pro nobis oretis. Auditoribus suis quibus prædicabat verbum Dei, se commendabat Apostolus (*Coloss.* iv, 3). Orate ergo pro nobis, fratres, ut et quod videndum est bene videamus, et quod dicendum est bene dicamus. Cæterum hoc desiderium, novi, in paucis est : nec me optime intelligunt, nisi qui gustaverint unde loquor. Loquimur tamen omnibus, et habentibus tale desiderium, et nondum habentibus : habentibus, ut nobiscum in illa suspirent ; non habentibus, ut pigritiam excutiant, ima transiliant, ad dulcedinem legis dominicæ veniant, non in delectationibus iniquorum remaneant. Narrant enim multa multi, et laudant multa multi, iniqua iniqui. Et revera et illa iniqua habent delectationem, sed non sicut lex tua, Domine (*Psal.* cxviii, 85). Dicant ergo nobiscum qui credunt hæc dicere et nos. Negotium enim hoc intus est, nullis verbis ostendi potest. Sed qui hoc agit, credat esse et in alio : non solum se putet accepisse quod Dei est. Dicat ergo in his Idithun, *Notum fac mihi, Domine, finem meum.*

7. *Et numerum dierum meorum qui est.* Numerum dierum quæro qui est. Sic possum dicere, sic possum intelligere numerum sine numero, quomodo possunt dici anni sine annis. Ubi enim anni, utique quasi numerus ; sed tamen, Tu idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* ci, 28). Numerum dierum meorum mihi notum fac, sed qui est. Quid ergo ? Iste numerus in quo tu es, non est ? Plane, si attendam bene, non est : si hæream, quasi est ; si transiliam, non est : si ab istis me excutiens superna contempler, si transeuntia manentibus comparem, video quid verum sit : quid autem magis videatur esse, quam sit ? Dicturusne sum esse istos dies meos [1] ? Hos, inquam, dies esse dicturus sum ; et tam magnum hoc verbum, huic cursui rerum labentium temere dabo ? Ita ergo ipse deficiens pene non sum, ut exciderit mihi qui dixit, Ego sum qui sum (*Exod.* iii, 14). Est ergo aliquis numerus dierum ? Vere est, et sine fine est. In his autem diebus dicam aliquid esse, si teneo de quo die me interrogas utrum sit : ut vel interroges me, tene unde me interrogas. Tenes diem istum ? Si tenuisti

[1] Sic Mss. At edd. hic et proximo loco, pro *agis*, habent *ais*.

[1] Sic plerique Mss. At Lov., *quam si dicturus sit te mensum esse istos dies meos ?* Er., *videatur non esse, quam si dicturus sim esse istos dies meos ?*

hesternum, tenes et hodiernum Sed hesternum, inquis, non teneo, quia jam non est: istum autem teneo in quo sum, et qui mecum est. Itane de isto excidit tibi jam quantum a prima luce transierit? Nonne iste dies a prima hora cœpit? Da mihi primam horam ejus? da mihi et secundam ejus; quia forte et ipsa transvolavit. Tertiam, inquis, dabo tibi: forte enim in ipsa nunc sumus. Certe ergo sunt isti dies, et est tertia dies: et si tertiam dabis, non diem, sed horam dabis. Verumtamen ne hoc quidem tibi concedo, si mecum ista utcumque transilisti. Da mihi vel horam tertiam, ipsam mihi da in qua es. Si enim aliquid ejus jam præteriit, et aliquid ejus adhuc restat; nec quod præteriit mihi potes dare, quia jam non est; nec quod restat, quia nondum est. Quid mihi de hora ista, quæ nunc peragitur, dabis? Quid de illa mihi dabis, cui committam hoc verbum ut dicam, Est? Cum dicis ipsum Est, certe una syllaba est, et momentum unum est, et tres litteras syllaba habet: in ipso ictu ad secundam hujus verbi litteram non pervenis, nisi prima finita fuerit; tertia non sonabit, nisi cum et secunda transierit. Quid mihi de hac una syllaba dabis? Et tenes dies, qui unam syllabam non tenes? Momentis transvolantibus cuncta rapiuntur, torrens rerum fluit; de quo torrente ille in via bibit pro nobis, qui jam exaltavit caput (*Psal.* CIX, 7). Isti ergo dies non sunt: ante abeunt pene, quam veniant; et cum venerint, stare non possunt: jungunt se [1], sequuntur se, et non se tenent. Nihil de præterito revocatur: quod futurum est transiturum exspectatur; nondum habetur, dum non venit; non tenetur, dum venerit. *Numerum* ergo *dierum meorum qui est:* non istum qui non est, et quod me difficilius et periculosius perturbat, et est et non est; nec esse possumus dicere quod non stat, nec non esse quod venit et transit. Est illud simplex quæro, Est verum quæro, Est germanum quæro, Est quod est in illa Jerusalem sponsa Domini mei, ubi non erit mors, non erit defectus, non erit dies transiens, sed manens, qui nec hesterno præceditur, nec crastino impellitur. Hunc, inquam, *numerum dierum meorum qui est, notum mihi fac.*

8. *Ut sciam quid desit mihi.* Hoc enim mihi deest hic laboranti; et quamdiu mihi deest, non me dico perfectum: quamdiu hoc non accipio, dico, *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim; sequor autem ad palmam supernæ vocationis Dei* (*Philipp.* III, 12, 14): hanc accipiam pro mercede cursus mei. Mansio quædam erit finis currendi; et in ipsa mansione patria sine peregrinatione, sine seditione, sine tentatione. Ergo, *Notum fac mihi* hunc *numerum dierum meorum qui est, ut sciam quid desit mihi;* quia nondum ibi sum: ne superbiam ex eo in quo jam sum, ut inveniar in illo non habens meam justitiam. In comparatione enim illius quod est, attendens ista quæ non ita sunt, et plus mihi videns deesse quam adesse, ero humilior ex eo quod deest, quam elatior ex eo quod adest. Nam qui putant se aliquid habere cum hic vivunt, superbiendo non accipiunt quod deest; quia magnum putant esse quod adest: qui enim putat se esse aliquid, cum nihil sit, semetipsum seducit (*Gal.* VI, 3). Nec isti ex hoc magni sunt: nam et inflatio et tumor imitatur magnitudinem, sed non habet sanitatem.

9. [*vers.* 6.] Jam ergo iste transiliens agens quiddam in corde occultum, quod non novit nisi qui pariter agit; tanquam noto sibi facto fine suo impetrans quod rogavit, noto sibi facto numero dierum suorum, non qui transit, sed qui est, attendit ad hæc quæ transilivit, et comparavit notitiæ superiori: et tanquam diceres ei, Quare desiderasti numerum dierum tuorum qui est? quid enim de diebus istis dicis? de illo alio [1] attendens hæc ait: *Ecce veteres posuisti dies meos.* Veterascunt enim hi, ego novos volo, novos nunquam veterascentes; ut dicam, Vetera transierunt, ecce facta sunt nova (II *Cor.* V, 17): nunc in spe, tunc in re. Innovati enim fide et spe, quanta adhuc vetera agimus? Non enim sic Christo induti sumus, ut ex Adam jam nihil portemus. Videte veterascentem Adam, et innovari Christum in nobis: *Et si exterior*, inquit, *homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem* (*Id.* IV, 16). Ergo ad peccatum, ad mortalitatem, ad prætervolantia tempora, ad gemitum et laborem et sudorem [2], ad ætates succedentes, non manentes, ab infantia usque ad senectutem sine sensu transeuntes, ad hæc attendentes, videamus hic veterem hominem, veterem diem, vetus canticum, Vetus Testamentum: conversi autem ad interiorem [3], ad ea quæ innovanda sunt, pro his quæ immutabuntur, inveniamus hominem novum, diem novum, canticum novum, Testamentum Novum; et sic amemus istam novitatem, ut non ibi timeamus vetustatem. Nunc ergo in hoc cursu transimus a veteribus ad nova: ipse transitus agitur cum corrumpuntur exteriora, et innovantur interiora; donec etiam hoc ipsum quod exterius corrumpitur, reddat debitum naturæ, veniat in mortem, renovetur et hoc in resurrectione. Tunc fient revera omnia nova, reliqua quæ nunc sunt in spe [4]. Agis ergo aliquid nunc a veteribus te exuendo, et in nova currendo. In nova ergo currens iste, et in ea quæ ante sunt extentus, *Notum*, inquit, *Domine, fac mihi finem meum, et numerum dierum meorum qui est, ut sciam quid desit mihi.* Ecce trahit adhuc Adam, et sic festinat ad Christum. *Ecce*, inquit, *veteres posuisti dies meos.* Veteres dies ex Adam, veteres illos posuisti. veterascunt quotidie; et sic veterascunt, ut aliquando etiam consumantur. *Et substantia mea tanquam nihil ante te.* Ante te, Domine, tanquam nihil substantia mea, ante te qui vides hoc: et ego cum hoc video, ante te video, ante homines non video. Quid enim dicam? quibus verbis ostendam, nihil esse quod sum in comparatione ejus quod est? Sed intus dicitur [5],

[1] Septem Mss., *urgent se.*

[1] Undecim Mss., *De illo alto attendens.* Alii septem, *ille de alto attendens.*
[2] Edd., *et sudorem Adæ:* abest *Adæ* a Mss.
[3] Sic Mss. Edd. vero, *ad interiora.*
[4] Hic in Edd. additur *sunt:* quod a Mss. abest.
[5] Aliquot Mss., *discitur.* Et mox Edd. ferebant, *intus utrumque;* ubi nonnulli Mss., *intus utcumque.*

intus utrumque sentitur. *Ante te*, Domine, ubi oculi tui sunt, non ubi oculi humani sunt : quid ubi oculi tui sunt? *Substantia mea tanquam nihil.*

10. *Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens. Verumtamen :* quid enim dicebat? Jam ecce transilivi mortalia omnia, et ima contempsi, calcavi terrena, ascendi ad delectationem legis Domini, fluctuavi in dispensatione numerorum dierum [1] dominicorum, desideravi etiam finem illum, cujus non est finis; desideravi numerum dierum meorum qui est, quia numerus dierum istorum non est; ecce jam talis sum, tanta transilivi, in ea quæ stant sic inhio : *Verumtamen*, sic quomodo hic sum, quamdiu hic sum, quamdiu in hoc sæculo sum, quamdiu carnem mortalem porto, quamdiu tentatio vita humana est super terram (*Job* VII, 1), quamdiu inter scandala suspiro, quamdiu timeo ne cadam qui sto, quamdiu mihi incerta sunt et mala mea et bona mea, *universa vanitas omnis homo vivens. Omnis*, inquam, et hærens et transiliens, et ipse Idithun ad universam vanitatem adhuc pertinet: quia omnia vanitas, et vanitas vanitantium [2] : quæ abundantia homini in omni labore suo, quo ipse laborat sub sole (*Eccle.* 1, 2 *et* 3)? Numquid et Idithun sub sole adhuc est? Habet aliquid sub sole, habet aliquid ultra solem. Sub sole habet evigilare, dormire, manducare, bibere, esurire, sitire, vigere, fatigari, puerascere, juvenescere, senescere, incerta habere quæ optat et timet : hæc omnia sub sole habet et ipse Idithun, etiam ipse transiliens eos. Unde ergo transiliens? Ex illo desiderio, *Notum fac mihi, Domine, finem meum.* Hoc enim desiderium ultra solem est, non est sub sole. Sub sole omnia visibilia : quidquid visibile non est, sub sole non est. Non est visibilis fides, non est visibilis spes, non est visibilis charitas, non est visibilis benignitas, non est visibilis postremo timor ille castus permanens in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10). In his omnibus dulcedinem habens consolationemque Idithun, et ultra solem conversans, quia conversatio ejus in cœlis est, ex his quæ adhuc habet sub sole, gemit; et ista contemnit et dolet, in illa inardescit quæ desiderat. Locutus est de illis, loquatur et de istis. Audistis concupiscenda, audite contemnenda. *Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens.*

11. [*Vers.* 7.] *Quanquam in imagine ambulat homo.* In qua imagine, nisi illius qui dixit : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* 1, 26)? *Quanquam in imagine ambulat homo.* Ideo enim *Quanquam*, quia magnum aliquid imago hæc. Et hoc *Quanquam*, secutum est *Tamen :* ut illud quod audistis *Quanquam*, ultra solem sit; hoc autem quod sequitur *Tamen*, sub sole sit; et illud pertineat ad veritatem, hoc ad vanitatem. *Quanquam* ergo *in imagine ambulat homo : Tamen vane conturbatur.* Audi conturbationem ejus, et vide si non est vana : ut calces eam, transilias eam, et habites in excelsis, ubi non est ista vanitas. Quæ vanitas? *Thesaurizat, et non cognoscit cui congregabit ea.* O insana vanitas! Beatus cujus est Dominus spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias mendaces (*Psal.* XXXIX, 5). Delirare tibi videor, avare, cum hæc loquor : anicularia tibi videntur hæc verba. Tu enim videlicet homo magni consilii magnæque prudentiæ, excogitas quotidie genera acquirendæ pecuniæ, de negotio, de agricultura, fortassis et de eloquio, de juris consultatione, de militia, addis et de fenore. Homo cordatus nihil prætermittis omnino, unde nummus super nummum, et in occulto diligentius castigetur [1]. Deprædaris hominem, caves deprædatorem ; quod facis times ne patiaris, et in eo quod pateris non te corrigis. Sed non pateris : prudens enim homo es, bene servas, non solum bene colligis : habes ubi ponas, cui committas, quomodo nihil pereat ex eo quod congregasti. Interrogo cor tuum, discutio prudentiam tuam : Ecce collegisti, ecce ita servasti, ut nihil possis amittere eorum quæ servasti; dic mihi cui servas? Non tecum ago, non commemoro, non exaggero quidquid aliud mali habet avaritia vanitatis tuæ : hoc unum propono, hoc discutio, quod mihi dat occasio lectionis hujus psalmi. Prorsus colligis, thesaurizas : non dico, Ne forte dum colligis, colligaris : non dico, Ne forte cum vis esse prædo, sis præda : hoc apertius eloquar; fortassis enim cæcus avaritia non audisti aut intellexisti : non dico, inquam, Ne forte cum vis esse prædo minoris, sis præda majoris. Non enim sentis esse te in mari, nec cernis minores pisces a majoribus devorari. Non dico ista, non dico difficultates et pericula in ipsa conquisitione pecuniæ, quanta patiantur qui eam colligunt, quam in omnibus periclitentur, in omnibus pene mortem videant : transeo hæc omnia. Prorsus colligis nullo contradicente, servas nullo auferente : excute cor tuum, ac prudentiam tantam qua me derides, qua me insipientem putas hæc loquentem; et dic mihi : thesaurizas; cui congregabis ea? Video quid velis dicere, quasi quod vis dicere huic non occurrerit : dicturus es, Filiis meis servo. Hæc est vox pietatis, excusatio iniquitatis : Filiis meis, inquis, servo. Etiam servas filiis tuis. Itane hoc non noverat Idithun? Noverat ea plane, sed in diebus veteribus computabat, et ideo contemnebat; quia ad novos dies festinabat.

12. Nam ecce discutio te cum filiis tuis : servas transiturus transituris, imo vero transiens transeuntibus. Nam transiturum te sic dixi, quasi nunc ma-

[1] Er. et decem Mss, *numerorum Dominicorum :* omissa voce, *dierum.* Item duo Mss, *nummorum Dominicorum.* Quatuor, *numerum Dominicorum.*

[2] Sic meliores Mss. Vulgati, *vanitatum.* M.

[1] Quatuor vel quinque Mss. ad illud, *super nummum*, addunt *ponatur*. Quo omisso Edd. ferebant, *et in occulto diligentius acquiratur.* At loco *acquiratur*, quatuor Mss. habent, *congregetur*. Unus, *collocetur*. Tres, *cartigetur*. In istud verbum annotatiuncula est ad marginem in Mss. Lyrensi et Audoenensi ante annos 600, ipsoque, uti videtur, quo descripti sunt codices, calamo apposita, hunc in modum : « Cartigare est in carta, hoc est in membrana, pro« pter memoriam aliquid scribere, usitatius de usurariis « dicitur. » Alii demum novem Mss., *castigetur*. Id forte vulgi ferente usu adhibitum hoc loco est pro, *recludatur*, quo sensu per metaphoram a Martiali dicitur lib. 1, epigr. 50:

Et cujus laxas arca flagellat opes.

Et a Jurisconsultis, *flagellare annonam :* ut in leg. 6 ff. de Extr. Crim.

neas. Ipsum hodie : ex quo loqui cœpimus usque ad hoc momentum, sentis quia senuimus. Neque enim cernis et incrementa capillorum tuorum ; et nunc cum stas, cum hic es, cum agis aliquid, cum loqueris, in te crescunt capilli tui : neque enim repente creverunt, ut tonsorem quæreres. Agitur ergo ætas transvolans, et in intelligentibus, et non sentientibus, et in aliud male occupatis. Transis tu, et servas transeunti filio tuo. Primo hoc a te quæro, Scis eum possessurum cui servas? aut si nondum natus est, scis nasciturum? Servas filiis, incertum est an futuris, an possessuris : nec reponis thesaurum ubi reponendus est. Non enim Dominus tuus servo suo tale consilium daret, ut peculium suum perderet. Peculiosus servus es cujusdam magni patris familias. Quod amas et quod habes ipse tibi dedit, et non vult ut perdas quod tibi dedit, qui et seipsum tibi dabit. Sed nec hoc, inquam, quod tibi ad tempus dedit, vult ut perdas. Multum est, exuberat, supergreditur vires necessitatis tuæ, jam certe superfluum deputatur : nec hoc volo ut perdas, ait Dominus tuus. Et quid facio? Migra, ubi posuisti non est tutus [1] locus. Certe servire [2] vis avaritiæ : vide ne forte et ipsi avaritiæ congruat consilium meum. Habere enim vis quod habes, et non perdere : ostendo tibi locum ubi ponas. Ne thesaurizes in terra, nesciens cui congreges ea, et postea quemadmodum consumpturus sit qui possidebit, qui tenebit. Forte enim possessus possidebit [3], et quod a te habebit non tenebit. Forte cum ei servas, antequam ille veniat tu perdes. Sollicitudini tuæ consilium do : *Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo* (*Matth.* vi, 20). Hic in terra si velles servare divitias, quæreres horreum : forte non crederes domui tuæ propter domesticos tuos : commendares ad vicum argentarium [4] : difficilis est enim ibi casus, fur non facile accedit, bene omnia servantur. Quare ista cogitas, nisi quia non habes melius ubi serves? Quid si dabo melius? Dicam tibi, Noli commendare huic minus idoneo, sed est quidam idoneus, illi commenda : habet magna horrea, ubi perire non possint divitiæ ; magnus super omnes divites dives est. Jam forte dicturus es, Et quando audeo tali commendare? Quid si ipse te hortatur? Agnosce illum, non solum pater familias est, sed et Dominus tuus est. Nolo, inquit, serve meus, perdas peculium tuum, agnosce ubi ponas : quare ibi ponis ubi possis amittere; ubi etsi non amittas, ibi permanere perpetuo tu non potes? Est alius locus, quo te transferam. Præcedat te quod habes; noli timere ne perdas; dator ego eram, custos ego ero. Dicit tibi hoc Dominus tuus : fidem tuam interroga [5], vide si velis illi credere. Dicturus es, Perditum habeo quod non video, hic illud volo videre. Dum vis hic videre, nec hic videbis, et ibi nihil habebis. Nescio quos thesauros habes absconditos in terra; cum procedis, non eos tecum portas. Venisti ad audiendum sermonem, ad colligendas interiores divitias, cogitas de exterioribus : numquid eas huc tecum adduxisti? Ecce nec nunc eas vides. Credis te habere in domo, quod scis te posuisse : numquid scis te non perdidisse? Quam multi redierunt ad domos suas, et quod posuerant non invenerunt. Hinc fortasse expaverunt corda cupidorum; et quoniam dixi multos sæpe ad domum suam rediisse, et quod posuerant non invenisse, dixit quisque in corde suo : Absit, Episcope; bonum opta, ora pro nobis; absit ut contingat, absit ut ita fiat; credo in Deum, quoniam quod posui salvum invenio. Credis in Deum, et non credis ipsi Deo? Credo in Christum, quia salvum erit quod posui, nemo accedet, nemo auferet. Securus vis esse credendo in Christum, ut nihil perdas de domo tua : securus eris potius credendo Christo, ut ibi ponas, ubi consilium dedit. An securus es de servo tuo, et sollicitus es de Domino tuo? securus es de domo tua, et sollicitus de cœlo? Sed ego, inquis, quomodo pono in cœlo? Dedi tibi consilium : ubi dico, pone : quomodo perveniat ad cœlum, nolo scias. Pone in manibus pauperum, da egentibus : quid ad te quomodo perveniat? Non perducam [1] quod ego accipio? An oblitus es, *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 40)? Si haberet quispiam amicus tuus quosdam lacus vel cisternas, et quæque receptacula fabricarum ad servandum aliquem liquorem vel vini vel olei, quæreres ubi absconderes vel servares fructus tuos, et diceret tibi, Ego tibi servo : haberetque ad illa receptacula occultos canales quosdam transitusque, ut per hos clanculo iret quod palam funderetur : et diceret tibi, Quod habes, hic funde : videres autem tu non esse illum locum ubi ponere cogitabas, et timeres fundere : ille qui sciret machinamenta quædam occulta locorum suorum, non tibi diceret, Funde securus, hinc illuc pervenit; non vides qua, sed crede mihi, qui fabricavi? Fabricavit enim per quem facta sunt omnia, mansiones omnibus nobis : illuc vult præcedere quod habemus, ne hoc in terra perdamus. Cum autem servaveris in terra, dic mihi cui congregabis ea? Filios habes : unum plus numera, et da aliquid et Christo. *Thesaurizat, et non cognoscit cui congregabit ea : vane conturbatur.*

13. [*vers.* 8.] *Et nunc* : quando, inquit iste [2] Idithun respiciens vanitatem quamdam, suspiciens veritatem quamdam, in medio positus quiddam sub se habens, quiddam supra se (sub se habet unde transilivit, supra se habet quo se extendit) : *Et nunc*, ait, quando quiddam transilivi, quando multa calcavi, quando temporalibus jam non teneor; nondum sum perfectus, nondum accepi. Spe enim salvi facti sumus : spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus (*Rom.* viii, 24, 25). Ergo,

[1] Edd., *tuus*. Melius Mss., *tutus*.
[2] Er. et plerique Mss., *servare*.
[3] In Edd., *possidebit te*. Abest *te* a Mss.
[4] Quatuor Mss., *ad vicinum argentarium*.
[5] Tres Mss., *interrogavi*, etc. Unus Ms., *interrogo*.

[1] Sic Mss. At Edd., *perdes*.
[2] In prius Edd. legebatur sic : *Et nunc quoniam inquit iste*, etc. Pauloque post : *supra se habet quo se extendit. Qualis est iste? quam magnus? Et nunc ait, quomodo quiddam transilivi, quomodo multa calcavi, quomodo temporalibus*, etc. Locum ad aliquot probæ notæ Mss emendavimus.

Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus? Ipse est exspectatio mea, qui dedit omnia ista quæ contemnam: ipse mihi dabit et se, qui est super omnia, et per quem facta sunt omnia, et a quo factus sum inter omnia, ipse est exspectatio mea Dominus. Videtis Idithun, fratres, videtis quomodo exspectet. Nemo ergo se dicat perfectum hic: decipit se, fallit se, seducit se, non potest hic habere perfectionem. Et quid prodest, quia perdit humilitatem? *Et nunc quæ est exspectatio mea? nonne Dominus?* Cum venerit, jam non exspectatur; tunc erit illa perfectio: nunc autem quantumcumque transilierit Idithun, adhuc exspectat. *Et substantia mea ante te est semper.* Jam proficiens, jam ad ipsum tendens, et esse aliquantum incipiens: *ante te est semper substantia mea.* Substantia autem ista et ante homines est. Aurum habes, argentum habes, mancipia, prædia, arbores, pecora, servos; hæc videri et ab hominibus possunt: est quædam substantia ante te semper. *Et substantia mea ante te est semper.*

14. [*vers.* 9.] *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me.* Multa transilivi, multa quidem transilivi: sed *si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8). Multa transilivi; sed adhuc tundo pectus, et dico: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Tu ergo exspectatio mea, finis meus: *Finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). *Ab omnibus*, non solum ab eis, ne revolvar in ea quæ transilivi: sed ab omnibus omnino, propter quæ mihi modo pectus tundens dico, *Dimitte nobis debita nostra. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me:* ita sapientem, et tenentem quod ait Apostolus, *Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus.* Cum enim se diceret nondum esse perfectum, ibi continuo secutus ait: *Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus.* Quid est, *Quotquot perfecti sumus?* Jam dudum tu dixeras: *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim.* Sequere ordinem dictorum[1]. *Unum autem, quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor, ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu* (*Philip.* III, 12-15). Ideo nondum perfectus, quia sequitur ad palmam supernæ vocationis Dei, quam nondum invenit, ad quam nondum pervenit. Si autem non est perfectus, quia non illuc pervenit, quis nostrum perfectus est? Tamen sequitur et ait: *Quotquot enim perfecti, hoc sapiamus.* Tu non es perfectus, o Apostole, et nos perfecti? Sed excidit vobis, quia se modo perfectum dixit? Non enim ait, Quotquot perfecti, hoc sapiatis; sed, *Quotquot*, inquit, *perfecti, hoc sapiamus:* cum paulo ante dixisset, *Non quia jam acceperim aut jam perfectus sim.* Aliter ergo hic non potes esse perfectus, nisi scias, hic te non esse posse perfectum. Hæc ergo erit perfectio tua, sic te quædam transilisse, ut ad quædam properes; sic quædam te transilisse, ut restet aliud ad quod omnibus transactis transiliendum est. Hæc tuta[2] fides est. Nam quisquis se jam pervenisse putat, in alto se ponit, ut cadat.

15. Quia ergo ita sapio, quia me et imperfectum dico et perfectum: imperfectum quidem, quia nondum aliquid accepi quod volo; perfectum autem, quia scio hoc ipsum quod mihi desit: quia ergo sic sapio, quia humana contemno, quia lætari in rebus pereuntibus nolo, quia irrideor ab avaro jactante se quod sit prudens, et me irridente quod desipiam, quia sic ago, quia hanc viam carpo: *Opprobrium*, inquit, *insipienti dedisti me.* Inter eos me vivere voluisti, inter eos prædicare veritatem, qui amant vanitatem; et non possum nisi irrideri ab eis: quia spectaculum facti sumus huic mundo, et Angelis, et hominibus (I *Cor.* IV, 9); Angelis laudantibus, hominibus opprobrantibus: imo et Angelis laudantibus et vituperantibus, et hominibus laudantibus et vituperantibus. A dextris et a sinistris habemus arma, in quibus militamus, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces (II *Cor.* VI, 7, 8). Hæc apud Angelos, hæc apud homines: quia et apud Angelos sunt sancti Angeli, quibus bene vivendo placeamus; et sunt prævaricatores angeli, quibus bene vivendo displiceamus: et inter homines sunt sancti viri, quibus placeat vita nostra; sunt nequissimi homines, qui irrideant bonam vitam nostram. Et hæc[1] arma sunt, illa dextra, illa sinistra; utraque tamen arma sunt: utrisque armis, et dextris et sinistris utor, et laudantibus et vituperantibus, et honorem deferentibus et ignominiam irrogantibus: in his utrisque armis confligo cum diabolo, utrisque eum ferio: prosperis, si non corrumpor; adversis, si non frangor.

16. [*vers.* 10, 11.] *Dedisti* ergo *me opprobrium insipienti. Obsurdui, et non aperui os meum.* Sed contra insipientem *obsurdui, et non aperui os meum.* Cui enim dicerem quod agitur in me? Audiam enim quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem populo suo (*Psal.* LXXXIV, 9): sed *non est pax impiis*, dicit Dominus (*Isai.* XLVIII, 22). *Obsurdui et non aperui os meum. Quoniam tu es qui fecisti me.* Ideo non aperuisti os tuum, quia Deus est qui fecit te? Mirum est. Os enim tibi Deus non fecit ad loquendum? Qui plantavit aurem, non audit? qui finxit oculum, non videt (*Psal.* XCIII, 9)? Os tibi Deus ad loquendum dedit: et dicis, *Obsurdui, et non aperui os meum: quoniam tu es qui fecisti me?* An *Quoniam tu es qui fecisti me*, posteriorem versum pertinet? *Quoniam tu es qui fecisti me, amove a me flagella tua.* Quoniam tu es qui fecisti me, noli exterminare me: tantum cæde ut proficiam, non ut deficiam: tantum tunde ut producar, non ut comminuar. *Quoniam tu es qui fecisti me, amove a me flagella tua.*

17. [*vers.* 12.] *A fortitudine manus tuæ ego defeci in argutionibus:* hoc est, cum argueres me, defeci. Et arguere tuum quid est, nisi quod sequitur? *Pro iniquitate erudisti hominem, et contabescere fecisti sicut araneam animam meam.* Multum est quod intelligit iste Idithun: si quis cum illo intelligat, si quis cum illo transiliat. Dicit enim in argutionibus Dei se defecisse, et vult a se amoveri flagella, quoniam ipse est qui fe-

[1] Plerique Mss.: *Sequere, dic totum.*
[2] Edd., *tota.* Melius aliquot Mss., *tuta.*

[1] Sic in Mss. At in Edd., *et hæc* non reperitur.

eit illum. Qui fecit, ipse reficiat; et qui creavit, ipse recreet. Sed tamen quod ita defecit, ut velit se et recreari et reformari [1], sine causa putamus, fratres, factum fuisse? *Pro iniquitate*, inquit, *erudisti hominem*. Totum quod defeci, quod infirmus sum, quod de imo clamo, hoc totum pro iniquitate : et in hoc erudisti, non damnasti : *Pro iniquitate erudisti hominem*. Audi hoc planius ex alio psalmo : *Bonum est mihi, quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas* (*Psal.* CXVIII, 71). Et humiliatus sum, et bonum est mihi : et pœna est, et gratia est. Quid servat post pœnam, qui per gratiam exhibet pœnam? Ipse enim est de quo dictum est, *Humiliatus sum, et salvum me fecit* (*Psal.* CXIV, 6) : et, *Bonum est mihi quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas. Pro iniquitate erudisti hominem*. Et quod scriptum est, *Qui fingis dolorem in præcepto* (*Psal.* XCIII, 20), Deo dici nonnisi a transiliente potuit; quia nonnisi a transiliente videri potuit. *Fingis*, inquit, *dolorem in præcepto*, de dolore præceptum mihi facis. Formas ipsum dolorem meum : non eum relinquis informem, sed formas illum : et formatus dolor meus inflictus a te præceptum mihi erit, ut liberer a te. Fingis enim, dictum est, dolorem, formas dolorem, plasmas dolorem, non simulas dolorem : quomodo fingit artifex, unde et figulus dicitur a fingendo. Ergo, *Pro iniquitate erudisti hominem*. Video me in malis, video me in pœna, et apud te non video iniquitatem. Si ergo ego in pœna sum et apud te iniquitas non est, nonne restat ut pro iniquitate erudieris hominem?

18. Et quomodo, *erudisti?* Dic ipsam eruditionem, o Idithun, quomodo eruditus es? *Et tabescere fecisti sicut araneam animam meam*. Hæc est eruditio. Quid tabidius aranea? Animal ipsum dico. Quanquam et ipsis telis aranearum quid tabidius? Attende et ipsum animal quam tabidum est. Pone supra leviter digitum, ruina est : nihil omnino tabidius. Talem fecisti animam meam, inquit, erudiendo me pro iniquitate. Quando eruditio infirmum fecit, quædam fortitudo erat vitium. Video quosdam prævolasse, et intellexisse : sed a celerioribus non sunt deserendi tardiores, ut pariter viam sermonis carpant. Hoc dixi, hoc intelligite : Si eruditio justi Dei hanc infirmitatem fecit, fortitudo quædam erat vitium. Fortitudine quadam displicuit homo, ut erudiretur infirmitate : quia superbia quadam displicuit, ut erudiretur humilitate. Fortes se esse dicunt omnes superbi [2]. Ideo vicerunt multi ab oriente et occidente venientes, ut recumbant cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum : quare vicerunt? Quia fortes esse noluerunt. Quid est, fortes esse noluerunt? De se præsumere timuerunt : justitiam suam non constituerunt, ut justitiæ Dei subjicerentur (*Rom.* X, 3). Denique quando dixit Dominus hoc, *Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum* [3], *filii autem regni*, id est Judæi ignorantes justitiam Dei, et suam volentes statuere, *ibunt in tenebras exteriores*; recordamini fidem illam Centurionis unius ex populo gentium, ita in se infirmi, ita non fortis ut diceret : *Non sum dignus ut sub tectum meum intres*. Non erat dignus qui Christum domo reciperet, et jam corde receperat. Etenim magister ille humilitatis, Filius hominis jam invenerat in ejus pectore ubi caput reclinaret. Ad hoc verbum Centurionis Dominus respiciens, ad sequentes se dixit : *Amen dico vobis, in nullo inveni tantam fidem in Israel* (*Matth.* VIII, 8-12). Hunc infirmum invenit, Israelitas fortes invenit [1], ut inter utrosque diceret : *Non est opus medicus sanis, sed male habentibus* (*Id.* IX, 12). Propter hoc ergo, id est propter hanc humilitatem, *Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum; filii autem regni ibunt in tenebras exteriores*. Ecce mortales estis, ecce carnem putrescentem portatis, et sicut unus ex principibus cadetis : sicut homines moriemini (*Psal.* LXXXI, 7), et cadetis sicut diabolus. Quid vobis prodest medicina mortalitatis? Superbus diabolus, tanquam angelus non habens [2] carnem mortalem : tu autem qui accepisti mortalem carnem, et nec hoc tibi prodest, ut tanta infirmitate humilieris, sicut unus ex principibus cades. Ipsa est ergo gratia beneficii Dei prima, redigere [3] nos ad confessionem infirmitatis, ut quidquid boni possumus, quidquid potentes sumus, in illo simus : ut qui gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31). *Quando infirmor*, inquit, *tunc potens sum* (II *Cor.* XII, 10). *Pro iniquitate erudisti hominem : et tabescere fecisti sicut araneam animam meam*.

19. *Verumtamen vane conturbatur omnis homo vivens*. Redit ad illud quod paulo ante commemoravit : quamvis hic proficiat, *vane conturbatur omnis homo vivens* : vivens utique in incerto. Quis enim vel de ipso bono suo securus est? *Vane conturbatur*. Jactet in Dominum curam suam (*Psal.* LIV, 23), in illum jactet quidquid sollicitus est, ipse nutriat, ipse custodiat. Quid enim in hac terra certum est, nisi mors? Considerate omnia omnino vel bona vel mala vitæ hujus, vel in ipsa justitia, vel in ipsa iniquitate : quid hic certum est, nisi mors? Profecisti : quid sis hodie, scis; quid futurus sis crastino, nescis. Peccator es : quid sis hodie, scis; quid sis crastino, nescis. Speras pecuniam; incertum est an proveniat. Speras uxorem; incertum est an accipias, vel qualem accipias. Speras filios; incertum est an nascantur : nati sunt; incertum est an vivant : vivunt, incertum est an proficiant, an deficiant. Quocumque te verteris, incerta omnia : sola mors certa. Pauper es; incertum est an ditescas : indoctus; incertum est an erudiaris : imbecillus; incertum est an convalescas. Natus es; certum est quia morieris : et in hoc ipso quia mors ipsa certa est, dies mortis incertus est. Inter hæc incerta, ubi sola mors certa, cujus etiam hora incerta, et sola multum cavetur, quæ nullo modo devitatur, *omnis homo vivens vane conturbatur*.

[1] Ita septem Mss. Alii plures, *quia ita defecit ut velit* : quatuor vero, *quis ita deficit, ut velit se et recreari et reformari?* Edd. autem ferebant, *qui ita defecit ut non velit*, etc.
[2] Ita Mss. At Edd.: *Fortes esse dicuntur omnes superbi, infirmi humiles. Ideo vicerunt*, etc.
[3] Hic in Edd. additum fuerat, *Dixit etiam* : quod a Mss. abest.

[1] Mss.: *Hunc infirmum invenit, Israelitas fortes invenit.*
[2] Sic Er. et Mss. At Lov., *non habet*.
[3] Aliquot Mss., *redire*.

20. [*vers.* 13.] Ergo inter hæc jam transiliens, jam in quibusdam superioribus agens, hæc ima contemnens, inter hæc positus, *Exaudi*, inquit, *orationem meam*. De quibus gaudeam, de quibus gemam? De transactis gaudeo, pro his quæ restant gemo. *Exaudi orationem meam et deprecationem meam : auribus percipe lacrymas meas*. Numquid enim quia tanta transilivi, quia tanta transcendi, jam non fleo? Nonne multo magis fleo? Quia qui apponit scientiam, apponit dolorem (*Eccle.* I, 18). Nonne quanto [1] magis quod abest desidero, tanto magis donec veniat gemo, tanto magis donec veniat fleo? Nonne tanto magis, quanto magis crebrescunt scandala, quanto magis abundat iniquitas, quanto [2] magis refrigescit charitas multorum (*Matth.* XXIV, 12)? Dico, *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum* (*Jerem.* IX, 1)? *Exaudi orationem meam et deprecationem meam : auribus percipe lacrymas meas. Ne sileas a me*. Ne obsurdescam in æternum. *Ne sileas a me :* audiam te. Occulte enim dicit Deus, multis in corde loquitur : et magnus ibi sonus in magno silentio cordis [3], quando magna voce dicit, *Salus tua ego sum. Dic*, inquit, *animæ meæ, Salus tua ego sum* (*Psal.* XXXIV, 3). Ab hac voce, qua dicit Deus animæ, *Salus tua ego sum*, optat ne sileatur ab illo. *Ne sileas a me.*

21. *Quoniam inquilinus ego sum apud te.* Sed apud quem [4] inquilinus? Apud diabolum cum essem, inquilinus eram, sed malum domnædium [5] habebam : nunc autem jam quidem apud te, sed adhuc inquilinus. Quid est, *inquilinus?* Unde migraturus sum, non ubi perpetuo mansurus. Ubi perpetuo sum mansurus, dicatur domus mea : unde migraturus sum, inquilinus sum [6] : sed tamen apud Deum meum sum inquilinus, apud quem domo accepta mansurus sum. Sed quæ domus est, quo migrandum est ex hoc inquilinatu? Recognoscite illam domum, de qua dicit Apostolus : *Habitationem habemus ex Deo, domum non manu factam, æternam in cœlis* (II *Cor.* V, 1). Si domus hæc æterna est in cœlis; cum ad eam venerimus, inquilini non erimus. Quomodo enim eris inquilinus in æterna domo? Hic autem ubi dicturus est Dominus domus, Migra, et quando dicturus est nescis, paratus esto. Desiderando autem domum æternam paratus eris. Nec succenseas ei, quia cum vult dicit, Migra. Non enim cautionem tecum [7] fecit, et placito quodam se obstrinxit, et conductor domus accessisti certa pensione ad certum tempus : quando vult Dominus ejus, migraturus es. Ideo enim gratis manes. *Quia inquilinus ego sum apud te, et peregrinus.* Ergo ibi patria, ibi domus : *inquilinus apud te, et peregrinus.* Et hic subauditur *apud te.* Multi enim peregrini sunt cum diabolo : qui autem jam crediderunt et fideles sunt, peregrini quidem sunt, quia nondum ad illam patriam domumque venerunt, sed tamen apud Deum sunt. *Quamdiu enim sumus in corpore, peregrinamur a Domino : et ambimus, sive hic manentes, sive peregrinantes, placentes illi esse* (II *Cor.* VI, 9). *Et peregrinus et inquilinus : sicut omnes patres mei.* Si ergo sicut omnes patres mei, dicturus sum me non migraturum, cum illi migraverint? Alia conditione mansurus sum, quam illi manserunt?

22. [*vers.* 14.] Quid ergo restat ut petam, quia hinc sine dubio migraturus sum? *Remitte* [1] *mihi ut refrigerer priusquam eam.* Vide, vide Idithun, quos nodos habeas remittendos tibi, quibus remissis refrigerari vis priusquam eas. Habes enim aliquos æstus, a quibus vis refrigerari, et dicis, *Refrigerer;* et dicis, *Remitte mihi.* Quid remittet tibi, nisi forte illum scrupulum ubi dicis, et unde dicis : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12)? *Remitte mihi priusquam eam, et amplius jam non ero.* Immunem me fac a peccatis priusquam eam, ne cum peccatis eam. Remitte mihi, ut requiescam in conscientia mea, ut exonerata sit æstu sollicitudinis : qua sollicitudine curam gero pro peccato meo. *Remitte mihi ut refrigerer*, ante omnia, *priusquam eam, et amplius jam non ero.* Si enim mihi non remiseris ut refrigerer, ibo et non ero. *Priusquam eam :* quo [2] si iero, jam non ero. *Remitte mihi ut refrigerer.* Est quæstio oborta, quomodo jam non erit. Ecce jam non it ad requiem? Quod avertat Deus ab Idithun! Ibit enim plane Idithun, ad requiem ibit. Sed fac aliquem iniquum, non Idithun, non transilientem; hic thesaurizantem, incubatorem, iniquum, superbum, jactantem, elatum, pauperis ante januam jacentis contemptorem : nonne et ipse erit? Quid est ergo, *non ero?* Si enim dives ille non erat, quis est qui ardebat? quis est qui guttam aquæ de digito Lazari stillari in linguam suam desiderabat? quis est qui dicebat : *Pater Abraham, mitte Lazarum* (*Luc.* XVI, 24)? Utique qui loqueretur erat, et qui arderet erat : et qui resurgat in finem, et qui cum diabolo æterno igne damnetur. Quid est ergo, *non ero*, nisi respiciat iste Idithun, quid est esse, et non esse? Videbat enim illum finem, quo corde poterat, qua mentis acie valebat, quem sibi ostendi desideraverat dicens : *Notum fac mihi, Domine, finem meum.* Videbat numerum dierum suorum qui est : attendebat infra omnia quæ sunt, in comparatione illius esse, non esse; et se non esse dicebat. Illa enim permanent; ista mutabilia sunt, mortalia, fragilia : et dolor ipse æternus, plenus corruptionis, ad hoc non finitur, ut sine fine finiatur. Respexit ergo beatam illam regionem, beatam patriam, beatam domum, ubi participes sunt sancti vitæ sempiternæ atque incommuta-

[1] Aliquot Mss.: *Nonne tanto magis quod abest.*

[2] Sic melioris notæ Mss. Edd. vero : *Nonne quanto magis crescunt scandala, quanto magis abundat iniquitas, tanto magis refrigescit*, etc.

[3] Octo Mss., *corporis.*

[4] Sic Mss. At Edd.: *Sed apud te inquilinus.*

[5] Edd., *dominum.* Mss. aliquot, *dominium.* Sed verius Vatic. et Reg., *domnædium.* Nam domnædius sive dominædius dicitur ædium dominus, opponunturque invicem domnædius et inquilinus. Hinc Paulinus Nolanus Felicem martyrem domnædium suum vocitat, et in eumdem Natali 7, canit :

Nam quid potiusve priusve canendum
Suscipiam Felicis opus, quam quod mihi tectis
Ipse meis, quibus est idem dominædius, egit.

[6] Edd.: *Unde migraturus sum, qualis iste, jam magnus inquilinus sum.* At Mss. carent verbis istis, *qualis iste jam magnus.*

[7] Sic Mss. At Edd., *fecit.*

[1] Er., *dimitte me.* Lov., *remitte me.* At Mss, *dimitte mihi*, aut, *remitte mihi.*

[2] Er. et unus Ms., *quia.* Paulo post horum verborum loco : *Est quæstio oborta*, nonnulli Cdd. non habent nisi, *tit.*

bilis veritatis : et timuit extra ire, ubi non est esse ; ibi desiderans esse, ubi est summum esse. Propter hanc ergo comparationem inter utrumque constitutus, adhuc timens dicit : *Remitte mihi, ut refrigerer priusquam eam, et amplius jam non ero.* Si enim mihi non remiseris peccata, ibo in æternum abs te. Et a quo ibo in æternum? Ab illo qui dixit, *Ego sum qui sum* : ab illo qui dixit, *Dic filiis Israel, Qui est misit me ad vos* (*Exod.* III, 14). Ab eo ergo qui vere est qui in contrarium pergit, ad non esse pergit.

23. Itaque fratres mei, etsi onerosus fui labori corporis vestri, ferte [1] ; quia et ego laboravi : et vere dico, quia istum laborem vos vobis facitis. Si enim sentirem vos fastidire quod dicitur, cito tacerem.

IN PSALMUM XXXIX
ENARRATIO.

SERMO AD POPULUM.

1. Omnia quæ prædixit Dominus noster Jesus Christus, partim facta cognoscimus, partim futura speramus : cuncta tamen complebuntur, quia veritas hæc dicit, et quam fideliter dicit, tam fideles requirit. Qui credit, venientibus lætabitur : qui non credit, venientibus confundetur. Venient tamen illa sive volentibus hominibus, sive nolentibus, sive credentibus, sive non credentibus, sicut ait Apostolus : *Si negaverimus, et ipse nos negabit : si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest* (II *Tim.* II, 12, 13). Præ cæteris tamen, fratres, hoc memento te breve, et hoc tenete quod modo ex Evangelio omnes audivimus. *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22 ; *et* XXIV, 13). Jam patres nostri traditi sunt in concilia, dixerunt causas apud inimicos quos diligebant ; præstiterunt eis et quantam potuerunt correptionem, et quantam valuerunt dilectionem : et sparsus est sanguis justus, et illo sanguine, tanquam seminatione per totum mundum facta, seges surrexit Ecclesiæ. Consequens autem tempus est scandalorum et simulationis et tentationum, per eos qui dicunt : *Ecce hic est Christus, ecce illic* (*Id.* XXIV, 23). Hostis ille noster, tunc leo fuit, cum aperte sæviebat : modo draco est, cum occulte insidiatur. Ille autem cui dictum est, *Conculcabis leonem et draconem* (*Psal.* XC, 13), quoniam corpus ejus et membra ejus sumus, sicut conculcavit leonem pedibus patrum nostrorum aperte sævientem, et ad passiones martyres attrahentem, ita modo draconem conculcet [2], ne nobis insidietur. De quo dracone nos cautos faciens Apostolus ait : *Aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo : timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et vestræ mentes corrumpantur a castitate quæ est in Christo Jesu* (II *Cor.* XI, 2). Serpens ergo iste adulter antiquus, virginitatem corrumpendam, non carnis, sed cordis inquirit. Sicut autem adulter homo lætatur in nequitia sua, cum carnem corrumpit ; sic et diabolus lætatur quando mentem corrumpit. Sicut autem patribus nostris adversus leonem opus erat patientia, sic nobis adversus draconem vigilantia. Persecutio tamen sive a leone, sive a dracone, nunquam cessat Ecclesiæ : et magis metuendus est cum fallit, quam cum sævit. Illo tempore cogebat Christianos negare Christum ; isto autem tempore docet Christianos negare Christum : tunc cogebat, nunc docet. Tunc ergo ingerebat violentias, nunc insidias : videbatur tunc fremens, lubricus nunc et oberrans difficile videtur. Quomodo autem tunc cogebat Christianos negare Christum, apertum est. Attrahebantur enim ut negarent Christum, et confitentes Christum coronabantur. Nunc autem docet negare Christum ; et ideo fallit, quia qui docetur negare Christum, quasi non sibi videtur recedere a Christo. Modo enim quid dicitur ab hæreticis hominibus (*a*) christiano catholico? Veni, esto christianus. Ad hoc dicitur, Esto, ut dicat, Non sum? Aliud longe est, Veni, esto christianus ; aliud, Veni, nega Christum. Apertum malum, fremitus leonis a longe auditur, a longe cavetur. Applicat se lubricus draco, occultis lapsibus serpens, leni tractu [1] subrepens, astuto sibilo immurmurans, et non dicit, Nega Christum. Nam cum coronatis martyribus quis audiret? Sed dicit, Esto christianus. Et ille mirabili [2] voce percussus, si nondum veneno penetratus est, respondet, Plane christianus sum. Si autem movetur, et dente draconis captus est [3], respondet, Quare mihi dicis, Esto christianus? quid enim, non sum christianus? Et ille, Non. Ergo non sum? Non. Ergo nunc fac me christianum, si non sum. Veni. Sed cum interrogari cœperis ab episcopo quis [4] sis, noli dicere, Christianus sum, aut Fidelis sum, sed dic non te esse, ut possis esse. Cum enim audierit confessionem christiani fidelis, rebaptizare (*b*) non audet : cum autem audierit quod non sit, dat illi tanquam quod non habebat ; ut quasi ipse sit extra culpam, quia secundum vocem ejus facit. Ubi quæro abs te, hæretice, cur te extra culpam putas? Quid hac voce audio [5] ? quia non tu negas, sed ille negat? Si habet culpam qui negat, quid qui docet [6] negare eum qui negat? Itane vero tu extra culpam es, quia [7] facis docendo christianus, quod faciebat minando paganus? Et quid agis? Numquid tollis quod habet, quia negavit quod habet? Non facis ut non ha-

[1] Sic aliquot Mss. At Lov., *certi sitis quia* : et paulo infra, *laborem vos nobis facitis.*
[2] Edd., *conculcabit.* At omnes fere Mss., *conculcet.* Duo, *conculcat.*

[1] Er. et fere omnes Mss., *leni tactu.*
[2] Septem Mss., *miserabili.*
[3] In Mss. aliquot, *aditus est.* In quibusdam, *adustus est.* In aliis, *attritus est.*
[4] Mss., *quid.*
[5] Sic aliquot probæ notæ Mss. At Edd : *Quid has voces audio*, etc., *quis est qui docet negare*, etc., *qui facis docendo*, etc.
[6] Am., *qui negat, quid est qui docet.* Er. et Lov., *qui negat, quis est qui docet.* At Mss., *quid qui docet.*
[7] Er. et Lov., *extra culpam es, qui facis*, etc. Am. et Mss., *quia.*
(*a*) Donatistis.
(*b*) Quia scilicet, per Imperat. leges constitutis pœnis vetitum erat iterari baptisma. Vide Cod. Th. lib. 16, tit. *Ne sanctum baptisma iteretur.*

beat, sed ut ad pœnam habeat. Quod enim habet, habet. Baptismus ille tanquam character infixus est: ornabat militem, convincit desertorem. Quid enim facis? Christum imponis super Christum. Si simplex esses, Christum non duplicares. Deinde, quæso te, oblitus es quod lapis est Christus, et *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII, 22; *Matth.* XXI, 42, *et* I *Petr.* II, 4, 7)? Si ergo lapis est Christus, et Christum vis imponere super Christum, excidit tibi quod audivisti in Evangelio, quia lapis super lapidem non stabit (*Matth.* XXIV, 2)? Tantum autem valet junctura charitatis, ut quamvis multi lapides vivi in structura templi Dei conveniant, unus lapis ex omnibus fiat. Tu autem discidisti te; ab ædificatione revocas, ad ruinam vocas; et abundant hæ insidiæ, et non quiescunt: et videmus, et toleramus, et quantum possumus reprimere conamur, disputando, convincendo, conveniendo, terrendo, tamen in omnibus [1] diligendo. Et cum hæc nobis agentibus perseverant in malo, et cor nostrum de fraternis mortibus contabescit, cum eos qui foris sunt dolet, his qui intus sunt timet, per angustias multiformes et incessabiles tentationes, quibus abundat hæc vita, quid facturi sumus? Ex abundantia enim iniquitatis fit quidam torpor charitatis: *quoniam abundavit iniquitas, refrigescit charitas multorum.* Et quid sumus facturi, nisi quod sequitur, si tamen ipso adjuvante possimus: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Ibid.*, 12, 13)?

2. [*Vers.* 2, 3.] Ergo dicamus quod iste psalmus: *Sustinens sustinui Dominum. Sustinens sustinui*, non quemlibet hominem promissorem, qui possit fallere et falli; non quemlibet hominem consolatorem, qui potest tristitia sua ante tabescere, quam me reficere. Consoletur me frater homo cum tristis est mecum; simul gemamus, simul fleamus, simul oremus, simul sustineamus; quem, nisi *Dominum* qui promissa non aufert, sed differt? Exhibebit profecto, exhibebit; quia multa jam exhibuit: et nihil de Dei veritate [2] formidare deberemus, etiamsi nihil adhuc exhiberet. Ecce jam putemus ita, omnia promisit, nondum aliquid dedit: idoneus promissor est, fidelis redditor; tu tantum esto pius exactor, etsi parvulus, etsi infirmus, exige misericordiam. Non vides teneros [3] agnos capitibus pulsare ubera matrum, ut lacte satientur? *Sustinens*, inquit, *sustinui Dominum.* Et quid ille? An avertit se a te, an sustinentem contempsit, an forte non vidit? Non plane ita. Sed quid? *Et attendit mihi, et exaudivit deprecationem meam.* Attendit, et exaudivit. Ecce non frustra sustinuisti: super te oculi ejus, ad te aures ejus. *Oculi* enim *Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.* Quid ergo, cum male faceres, cum eum blasphemares, non videbat? non audiebat? Et ubi est quod in ipso psalmo dictum est, *Vultus autem Domini super facientes mala?* Sed utquid? *Ut perdat de terra memoriam eorum* (*Psal.* XXXIII, 16, 17). Ergo et cum malus esses, attendebat te, sed non attendebat tibi. Proinde iste qui sustinens sustinuit Dominum, parum ei fuit dicere, Attendit me: *Attendit mihi*, inquit, id est, consolando [1] attendit, ut mihi prodesset. Quid attendit? *Et exaudivit deprecationem meam.*

3. Et quid tibi præstitit? quid tibi fecit? *Et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto limi: et statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos. Et immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro.* Magna bona præstitit, et adhuc debitor est: sed qui hæc reddita jam tenet, de cæteris credat, qui [2] credere debuit et antequam aliquid sumeret. Rebus etiam ipsis persuasit nobis Dominus noster fidelem se esse promissorem, largum datorem. Quid ergo nunc fecit? *Eduxit me de lacu miseriæ.* Quis est lacus miseriæ? Profunditas iniquitatis, ex carnalibus concupiscentiis. Hoc est enim, *et de luto limi.* Unde te eduxit? De profundo quodam. Unde in alio psalmo clamabas: *De profundis clamavi ad te, Domine* (*Psal.* CXXIX, 1). Et qui jam de profundo clamant, non penitus in profundo sunt: clamor ipse jam levat. Sunt alii profundius in profundo, qui nec sentiunt se esse in profundo. Tales sunt superbi contemptores, non pii deprecatores, non lacrymosi clamatores: sed tales, quales alio loco Scriptura designat: *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3). Cui enim parum est esse peccatorem, nisi etiam non sit peccatorum suorum confessor, sed defensor, altius in profundo est. Ille autem qui de profundo exclamavit, jam ab imo profundi caput ut clamaret levavit: auditus est, eductus est de lacu miseriæ, et de luto limi. Jam habet fidem, quam non habebat; habet spem, sine qua erat; in Christo ambulat, qui in diabolo errabat. Ideo enim, *Posuit*, inquit, *supra petram pedes meos, et direxit gressus meos.* Petra autem erat Christus (I *Cor.* X, 4). Simus super petram, dirigantur gressus nostri: opus est tamen adhuc ut ambulemus, ut ad aliquid perveniamus. Nam Paulus apostolus, jam super petram, jam directis pedibus suis, quid dicebat? *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim: fratres, ego non arbitror me apprehendisse.* Quid ergo tibi præstitum est, si non apprehendisti? Unde gratias agis, cum dicis: *Sed misericordiam consecutus sum* (I *Tim.* I, 13)? Quia directi sunt pedes, quia jam supra petram ambulat. Quid enim ait? *Unum autem quæ retro oblitus.* Quæ retro? Lacus miseriæ. Quid est, retro? Limus luti, concupiscentiæ carnales, tenebræ iniquitatum. *Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus.* Non se diceret extentum, si jam pervenisset. Extenditur enim animus desiderio rei concupitæ, non lætitia consecutæ. *In ea quæ ante sunt*, inquit, *extentus, sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu* (*Philip.* III, 12, 13). Currebat, sequebatur ad palmam. Et alio loco jam proximus palmæ, *Cursum*, inquit, *consummavi.* Quando ergo

[1] Er. et aliquot Mss., *tamen omnes diligendo.*
[2] Vatic. Ms. et nonnulli e Gallic., *de Dei firmitate.*
[3] Er. et plerique Mss., *per breves agnos.* Colb. codex, *per greges agnos.*

[1] Aliquot Mss., *consulendo*: ac paulo post plerique ferunt, *ut mihi prodesset quod attendit: Et exaudivit*, etc.
[2] Editi, *quæ.* At Mss., *qui.*

dicebat, *Sequor ad palmam supernæ vocationis*, quia jam pedes ejus in petra directi erant, jam viam bonam ambulabat: habeat unde gratias ageret, habebat quod peteret, gratias agens de acceptis, petens [1] delita. De quibus acceptis? De indulgentia peccatorum, de illuminatione fidei, de robore spei, de flamma charitatis. Unde autem adhuc Dominum debitorem tenebat? *De cætero*, inquit, *superest mihi corona justitiæ*. Adhuc ergo mihi aliquid debetur. Quid debetur? *Corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex* (II *Tim.* IV, 7, 8). Primo benignus pater, ut erueret de lacu miseriæ, ut donaret peccata, ut liberaret de luto limi: postea justus judex, reddens bene ambulanti quod promisit, cui primo ut bene ambularet donavit. Reddet ergo justus judex: sed quibus? *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22, *et* XXIV, 13).

4. [*vers.* 4.] *Et immisit in os meum canticum novum.* Quod canticum novum? *Hymnum Deo nostro.* Dicebas forte hymnos diis alienis, veteres hymnos; quia vetus homo dicebat, non novus homo fiat: novus homo, dicat canticum novum: innovatus amet nova quibus renovatur. Nam quid antiquius Deo, qui est ante omnia, et sine fine, et sine initio? Tibi fit novus redeunti; quia discedendo factus eras vetus, et dixeras: *Inveteravi in omnibus inimicis meis* (*Psal.* VI, 8). Dicimus [2] ergo hymnum Deo nostro, et ipse hymnus liberat nos. *Laudans* enim *invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero* (*Psal.* XVII, 4). Hymnus est enim canticum laudis. Laudans invoca, non reprehendens. Quando enim invocas Deum, ut premat inimicum tuum, quando de malo alieno gaudere vis, et ad hoc malum invocas Deum, participem eum facis malitiæ tuæ. Si participem eum facis malitiæ, non ergo laudans invocas, sed reprehendens. Talem enim putas Deum, qualis tu es. Unde tibi alio loco dicitur: *Hæc fecisti, et tacui; suspicatus es iniquitatem* [3], *quod ero tibi similis* (*Psal.* XLIX, 21). Laudans ergo invoca Dominum: noli eum putare similem tibi, ut similis fias illi. *Estote enim sicut Pater vester perfecti, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V, 48, 45). Sic ergo lauda Dominum, ut nolis male inimicis tuis. Et quantum eis, inquis, velim bonum? Quantum tibi. Non enim de tuo accepturi sunt ut boni sint, aut quod illis dabitur, tibi minuetur. Inimicus tuus, quia malus est, inimicus est: fit bonus, et amicus erit, et socius erit; ut simul velis possidere quod amabas, jam frater erit. Laudans ergo invoca, hymnum dic Deo tuo. *Sacrificium laudis*, ait, *glorificabit me.* Et quid? major gloria erit Deo, quia glorificas eum? aut addimus gloriam Deo, quando ei dicimus, Glorifico te, Deus meus? aut sanctiorem eum facimus, quando dicimus, Benedico te, Deus meus? Ipse quando nos benedicit, facit nos sanctiores, facit nos feliciores; quando nos glorificat, facit nos gloriosiores, facit nos honoratiores: quando eum glorificamus, nobis prodest, non illi. Quomodo enim eum glorificamus? Gloriosum dicendo, non faciendo. Proinde quid secutus ait, cum diceret, *Sacrificium laudis glorificabit me?* Ne putares te aliquid præstare Deo, offerendo illi sacrificium laudis, *Et ibi est via*, inquit, *ubi ostendam illi salutare meum* (*Psal.* XLIX, 23). Vides quia tibi proderit laudare Deum, non Deo. Laudas Deum? Ambulas viam. Reprehendis Deum? Perdidisti viam.

5. *Et immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro.* Forte quærit aliquis, quæ persona loquatur in hoc psalmo. Breviter dixerim, Christus est. Sed sicut nostis, fratres, et sæpe dicendum est, Christus aliquando loquitur ex se, id est ex capite nostro: est enim ipse Salvator corporis, caput nostrum, Filius Dei natus ex virgine, passus pro nobis, resurgens ad nos justificandos, sedens ad dexteram Dei ad interpellandum pro nobis, retributurus omnia in judicio bona bonis, mala malis. Caput nostrum ille, caput dignatus est corporis fieri, carnem assumendo a nobis, in qua moreretur pro nobis: quam etiam resuscitavit propter nos, ut in illa carne resurrectionis nobis præberet exemplum, ut sperare disceremus quod desperabamus, et haberemus jam pedes in petra, ambularemus in Christo Loquitur ergo aliquando ex capite nostro, loquitur aliquando et ex nobis, id est ex membris suis: quia etiam quando dixit, *Esurivi, et dedistis mihi manducare* (*Matth.* XXV, 35), ex membris suis loquebatur, non ex se. Et quando dixit, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? caput pro membris clamabat: et tamen non dixit, Quid persequeris membra mea? sed, *quid me persequeris?* Si in nobis ipse patitur, et nos in illo coronabimur. Hæc est charitas Christi. Quid huic comparari potest? Hujus rei hymnum immisit in os nostrum, et dicit hoc ex membris suis.

6. *Videbunt justi, et timebunt, et sperabunt in Dominum. Videbunt justi.* Qui justi? Fideles: quia justus ex fide vivit (*Habac.* II, 4, *et Rom.* I, 17). Etenim in Ecclesia iste ordo est: alii præcedunt, alii sequuntur: et qui præcedunt, exemplo se præbent sequentibus; et qui sequuntur, imitantur præcedentes. Sed et illi qui se exemplo præbent sequentibus, numquid neminem sequuntur? Si neminem sequuntur, errabunt. Sequuntur ergo et illi aliquem, ipsum Christum. Meliores quique in Ecclesia, quibus non remansit jam homo quem imitentur, quia omnes proficiendo superaverunt, ipse Christus eis remanet, quem usque in finem sequantur. Et cernitis [1] ordinatos gradus per Paulum apostolum dicentem: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* IV, 16). Ergo qui jam directos gressus habent in petra, forma sint fidelibus: *Sed forma*, inquit, *esto fidelibus* (I *Tim.* IV, 12). Ipsi fideles sunt justi, qui attendentes eos qui se in bono præcedunt, imitando sequuntur. Quomodo sequuntur? *Videbunt justi, et timebunt.* Videbunt, et time-

[1] Lov., *petens dimitti debita.* Verbum, *dimitti*, abest ab Er. et Mss.
[2] Sic Mss. At Lov., *dicamus*: et infra, *liberet nos.*
[3] Edd., *inique* At Mss., *iniquitatem*; sic ipsimet Edd. in Psal. 49.

[1] Maxima pars Mss.: *Et charitas ordinat hos gradus.*

bunt sequi vias malas, cum vident quosque meliores jam elegisse vias bonas; et dicunt in animo suo, quemadmodum solent dicere viatores, attendentes alios cum præsumptione ambulantes in via, ipsi adhuc incerti viæ, et quasi fluctuantes qua eant, dicunt sibi: Non frustra illi hac eunt, quando illo eunt quo nos ire volumus; et quare cum magna fiducia hac eunt, nisi quia illac ire perniciosum est? *Videbunt ergo justi, et timebunt.* Angustam viam vident hac, latam viam vident illac: hac vident paucos, illac multos (*Matth.* VII, 13, 14). Sed si justus es, noli numerare, sed appende; stateram affer æquam, non dolosam, quia justus appellatus es: *Videbunt justi, et timebunt*, dictum est de te. Noli ergo numerare turbas hominum incedentes latas vias, implentes crastinum circum, civitatis Natalem clamando celebrantes, civitatem ipsam male vivendo turpantes. Noli ergo illos attendere; multi sunt, et quis numerat? Pauci autem per viam angustam. Profer, inquam, stateram, appende: vide contra pauca grana quantam paleam leves. Hoc agant fideles justi qui sequuntur. Quid [1] illi qui præcedunt? Non superbiant, non se exaltent, non decipiant sequentes. Quomodo possunt decipere sequentes? Promittendo illis in se salutem. Quid ergo debent illi qui sequuntur? *Videbunt justi, et timebunt, et sperabunt in Dominum:* non in eos a quibus præcedantur: sed attendendo præcedentes se, sequuntur quidem et imitantur, sed quia cogitant a quo acceperint illi ut præcedant, et in eum sperant. Quamvis ergo istos imitentur, spem suam tamen in illo ponunt, a quo et isti acceperunt unde tales sunt. *Videbunt justi, et timebunt, et sperabunt in Dominum:* quemadmodum in alio psalmo, *Levavi oculos meos in montes*, intelligimus montes, claros quosque et magnos Ecclesiæ spirituales viros, magnos soliditate, non tumore. Per ipsos nobis Scriptura omnis dispensata est; Prophetæ sunt, Evangelistæ sunt, doctores boni sunt: illuc *levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Et ne humanum putares auxilium, sequitur, et dicit: *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram* (*Psal.* CXX, 1, 2). *Videbunt justi, et timebunt, et sperabunt in Dominum.*

7. [*Vers.* 5.] Eia qui volunt sperare in Dominum, qui vident et timent, timeant ambulare vias malas, vias latas; eligant viam angustam, ubi jam supra petram quorumdam directi sunt gressus: quid facere debeant, audiant modo. *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias mendaces.* Ecce qua volebas ire, ecce turba viæ latæ: non frustra ipsa ducit ad amphitheatrum, non frustra ipsa ducit ad mortem. Via lata mortifera est: latitudo ejus delectat ad tempus, finis ejus angustus in æternum. Sed turbæ strepunt, turbæ festinant, turbæ collætantur [2], turbæ concurrunt. Noli imitari, noli averti; vanitates sunt, et insaniæ mendaces. Sit Dominus Deus tuus spes tua: non aliud aliquid a Domino Deo tuo speres, sed ipse Dominus tuus sit spes tua. Namque multi de Deo sperant pecuniam, multi de Deo sperant honores caducos et perituros, aliud quodlibet a Deo præter ipsum Deum: sed tu ipsum Deum tuum pete: imo vero contemptis aliis, perge ad illum; obliviscens alia, memento illius; relinquens retro alia, extendere in illum. Ipse certe aversum correxit, ipse ducit rectum [1], ipse perducit: ergo sit ipse spes tua, qui ducit et perducit. Quo ducit et quo perducit terrena avaritia? Fundos quærebas, terram possidere cupiebas, vicinos excludebas; illis exclusis, aliis vicinis inhiabas; et tamdiu tendebas [2] avaritiam, donec ad littora pervenires: perveniens ad littora, insulas concupiscis; possessa terra, cœlum forte vis prendere. Relinque omnes amores: pulchrior est ille qui fecit cœlum et terram.

8. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias mendaces.* Unde enim insaniæ mendaces? Insania mendax, sanitas verax. Quæ vides bona putas [3], falleris: sanus non es, nimia febre phreneticus factus es; verum non est quod amas. Laudas aurigam (*a*), clamas aurigæ, insanis in aurigam. Vanitas est, insania mendax est. Non est, ait: nihil melius, nihil delectabilius. Quid facio febrienti? Si est in vobis misericordia, orate pro talibus. Quia et ipse medicus plerumque in desperatione convertitur ad eos qui circumstant lacrymantes in domo, qui pendent ex ore ejus audire sententiam de ægroto et periclitante: stat anceps medicus, non videt bonum quod promittat, timet malum pronuntiare, ne terreat; modestam plane iste concipit sententiam: Bonus Deus omnia potest, orate pro illo. Quem itaque comprehendam istorum insanorum? Quis me audiat? quis eorum nos non miseros dicat? Quia cum eis non insanimus, amisisse nos putant magnas et varias voluptates, in quibus ipsi insaniunt: nec vident quia mendaces sunt. Quando illi ovum do vel invito, vel calicem salutarem porrigo saucio; et quomodo reficiam, quando invenio? Ne inedia deficiat, et ad sanitatem non perveniat, hortor ut reficiat [4]: pugnos parat, sævire vult in medicum. Et si percusserit, diligatur; et si injuriam fecerit, non relinquatur: rediturus est ad mentem, gratias acturus. Quam multi hic cognoscunt se, vident se invicem, et loquuntur de se in Ecclesia Dei; in Ecclesiæ sanctæ gremio attendunt studia sua jam bona circa ver-

[1] Sic plerique Mss., At Edd.: *Hoc agant fideles justi qui sequuntur, quod illi*, etc.
[2] Sic plures Mss. At Edd., *colluctantur.*

[1] Nonnulli Mss., *aversum corrigit, ipse ducit correctum.*
[2] Lov., *extendebas.* Aliquot Mss., *tendebas.* Alii cum Am. et Er., *tenebas.*
[3] Omnes Mss. carent verbo, *putas.*
[4] Er.: *Quando illi ovum invito, vel calicem salutarem porrigo saucio: et quomodo reficiam? Quid invenio, ne inedia deficiat et ad sanitatem perveniat? Hortor*, etc. Tres. Mss.: *Quando illi ovum do vel invito, calice salutari se sauciat, quomodo reficiam? Quando invenio*, etc. Vatic. et Colb.: *Quando illi do vel invito calicem salutaris succi, et quomodo reficiam*, etc. Alii nonnulli: *Quando illi opto mi invito ut calicem salutaris accipiat.* Quidam, *Quomodo illi vinum do*, etc.

(*a*) *Aurigam* vocabant, qui curules equos in Circo regebat et agitabat. In aurigas, sive (qui iidem sunt) agitatores, exstat Concilii Arelatensis primi, can. 4, et Arelatensis undecimi, can. 20,

bum Dei, circa officia et obsequia charitatis, ad frequentandum gregem Christi non recedere de Ecclesia, vident et loquuntur ad invicem de invicem. Quis est iste circissarius? Quis est iste amator et laudator illius venatoris (*a*), illius histrionis? De alio loquitur, et ille de ipso. Certe ista sunt, certe gaudemus de talibus. Si gaudemus de talibus, non desperemus de talibus. Oremus pro ipsis, fratres carissimi: inde crescit numerus sanctorum, de numero qui erat impiorum. *Et non respexit in vanitates et insanias mendaces.* Ille vicit, talem equum junxit [1], pronuntiat, quasi divinus vult esse: affectat divinitatem amittendo fontem divinitatis: et sæpe pronuntiat, et sæpe fallitur. Quare hoc? Quia insaniæ mendaces sunt. Quare autem aliquando proveniunt quæ dicunt? Ut abducant insanos, ut amando ibi speciem veritatis, incurrant laqueum falsitatis: retro sint, relinquantur, amputentur. Si membra nostra erant, mortificentur: *Mortificate*, inquit, *membra vestra quæ sunt super terram* (*Coloss.* III, 5). Sit spes nostra Deus noster. Qui fecit omnia, melior est omnibus; qui pulchra fecit, pulchrior est omnibus; qui fortia, fortior est; qui magna, major est: quidquid amaveris, ille tibi erit. Disce amare in creatura creatorem, et in factura factorem; ne teneat te quod ab illo factum est, et amittas eum a quo et ipse factus es. Ergo, *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias mendaces.*

9. [*vers.* 6-9.] Forte nobis dicturus est, qui versu isto percussus corrigi voluerit, et quem occupaverit timor ille justitiæ fidei, et volens cœperit ambulare angustam viam; dicturus est nobis: Ambulare non durabo, si nihil spectabo. Quid ergo facimus, fratres? Dimissuri eum sumus sine spectaculo? Morietur, non subsistet, non nos sequetur. Quid ergo facimus? Demus pro spectaculis spectacula. Et quæ spectacula daturi sumus christiano homini, quem volumus ab illis spectaculis revocare? Gratias ago Domino Deo nostro: sequenti versu Psalmi ostendit nobis, quæ spectatoribus spectare volentibus spectacula præbere et ostendere debeamus. Ecce aversus fuerit a circo, a theatro, ab amphitheatro, quærat quod spectet, prorsus quærat; non eum relinquimus sine spectaculo. Quid pro illis dabimus? Audi quid sequitur: *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua.* Miracula hominum intuebatur, intendat mirabilia Dei. Multa fecit Dominus mirabilia sua; hæc respiciat. Quare illi viluerunt? Aurigam laudat regentem quatuor equos, et sine labe atque offensione currentes: forte talia miracula spiritualia non fecit Dominus? Regat luxuriam, regat ignaviam, regat injustitiam, regat imprudentiam, motus istos qui nimium lapsi hæc vitia faciunt, regat et subdat sibi, et teneat habenas, et non rapiatur; ducat quo vult, non trahatur quo non vult. Aurigam laudabat, auriga laudabitur: clamabat ut auriga veste cooperiretur, immortalitate vestietur. Hæc munera, hæc spectacula edit [1] Deus. Clamat de cœlo: Specto vos; luctamini, adjuvabo; vincite, coronabo. *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua; et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.* Nunc specta histrionem. Didicit enim homo magno studio in fune ambulare, et pendens te suspendit. Illum attende editorem majorum spectaculorum. Didicit iste in fune ambulare, numquid fecit in mari ambulare? Obliviscere theatrum tuum, attende Petrum nostrum, non funambulum, sed, ut ita dicam, mariambulum. Ambula et tu non in illis aquis, ubi Petrus aliquid significans ambulavit, sed in aliis; quia hoc sæculum mare est. Habet amaritudinem noxiam, habet fluctus tribulationum, tempestates tentationum; habet homines velut pisces de suo malo gaudentes, et tanquam se invicem devorantes; hic ambula, hoc calca. Spectare vis, esto spectaculum. Ne deficias, vide præcedentem et dicentem: *Spectaculum facti sumus huic mundo, et Angelis, et hominibus* (I *Cor.* IV, 9). Calca mare, ne mergaris in mari. Non ibis, non calcabis, nisi ille jusserit qui prior in mari ambulavit. Sic enim ait Petrus: *Si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Et quia ipse erat, audivit petentem, tribuit desideranti, vocavit ambulantem, erexit mergentem (*Matth.* XIV, 28-31). Hæc mirabilia fecit Dominus, ipsa intuere; oculus spectantis fides sit. Et fac tu talia; quia etsi venti turbaverint, etsi fluctus infremuerint, et te humana fragilitas ad aliquam dubitationem tuæ salutis adduxerit, habes clamare [2]; dicis, Domine, pereo. Non sinit ille perire, qui jussit te ambulare. Quia enim jam in petra ambulas, nec in mare times: si sine petra fueris, in mare mergeris, quia in tali petra ambulandum est, quæ in mari non mersa est.

10. Vide mirabilia Dei. *Annuntiavi, et locutus sum, multiplicati sunt super numerum.* Est numerus, sunt super numerum. Numerus certus est, pertinens ad illam cœlestem Jerusalem. Novit enim Dominus, qui sunt ejus (II *Tim.* II, 19), christianos timentes, christianos fideles, christianos præcepta servantes, Dei vias ambulantes, a peccatis abstinentes, si ceciderint confitentes: ipsi ad numerum pertinent. Sed numquid soli sunt? Sunt et super numerum. Nam etsi modo pauci sunt, pauci in comparatione multitudinis majorum [3] frequentiarum: quantis turbis implentur ecclesiæ, stipantur parietes, pressuris se urgent, prope se suffocant multitudine. Rursus ab eis ipsis, si munus [4] est, curritur ad amphitheatrum: isti super numerum sunt. Sed ideo ista dicimus, ut in numero sint: quia non adsunt, non audiunt a nobis; sed cum exieritis, audiant a vobis. *Annuntiavi*, inquit, *et locutus sum.* Christus dicit: annuntiavit ipse ex capite nostro, ipse annuntiavit ex membris suis, ipse misit annuntiatores, ipse misit Apostolos: in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba

[1] Ita Colb. codex et ad eam lectionem prope accedunt aliquot Mss. At Edd.: *Ille vincit talem, et cum vincit, pronuntiat.*

(*a*) Venator hic loci est, qui cum bestiis in arena congrediebatur.

[1] Edd., *dedit.* At plerique Mss., *edit*, vel, *edidit.*

[2] Plerique Mss., *clamorem.*

[3] Sic Mss. At Edd., *malarum.*

[4] Edd., *si minus est.* At Mss., *si munus est*: hoc est, si ludi edantur.

eorum (*Psal.* XVIII, 5). Quanti fideles agglomerantur, quantæ turbæ concurrunt, multi vere conversi, multi falso conversi; et pauciores sunt vere conversi, plures falso conversi; quia *multiplicati sunt super numerum.*

11. *Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum. Sacrificium et oblationem noluisti.* Hæc miracula Dei sunt, hæ cogitationes Dei sunt, quibus nemo est similis: ut spectator ille abducatur a curiositate [1], et quærat ista nobiscum meliora, fructuosiora, de quibus inventis gaudebit; et sic gaudebit, ut non timeat ne vincatur quem amat: amat enim aurigam, quo victo insultationes ferat. Quando vincit auriga, ipse vestitur. Numquid pauper qui illi clamat? Victor ipse vestitur, pro victo illi insultatur. Quare pro illo percipis reprehensionem, cum quo non dividis vestem? Hac aliud in spectaculis nostris. *Omnes quidem currunt*, Paulus apostolus dixit, in illo stadio, in illo spectaculo, *unus tamen accipit bravium:* cæteri victi discedunt (I *Cor.* IX, 24). Et perseveraverunt in currendo: sed cum acceperit unus, remanent cæteri qui similiter laboraverunt. Hac non est sic. Quotquot currunt, perseveranter currant, omnes accipiunt: et qui prior venerit, exspectat ut cum posteriore coronetur. Agonem quippe istum non cupiditas, sed charitas facit: omnes currentes amant se, et ipse amor cursus est.

12. *Sacrificium et oblationem noluisti*, ait psalmus Deo. Antiqui enim, quando adhuc sacrificium verum quod fideles norunt, in figuris prænuntiabatur, celebrabant figuras futuræ rei: multi scientes, sed plures ignorantes. Nam Prophetæ et sancti Patriarchæ noverant quod celebrabant: cætera autem multitudo iniqua, carnalis sic erat, ut fieret de illa quod significaret posteriora ventura: et venit [2] sublato illo sacrificio primo, sublatis holocaustis arietum, hircorum, vitulorum, cæterarumque victimarum; noluit illa Deus. Quare illa noluit? quare primo voluit? Quia illa omnia quasi verba erant promittentis; et verba promissiva, cum venerit quod promittunt, non jam enuntiantur. Tamdiu quisque promissor est, donec det: cum dederit, mutat verba. Non dicit adhuc, Dabo, quod se daturum dicebat; sed dicit, Dedi: mutavit verbum. Quare illi primo placuit hoc verbum, et quare illud mutavit? Quia temporis sui verbum fuit, et pro tempore suo placuit. Quando promittebatur, tunc dicebatur: cum autem datum est quod promissum est, ablata sunt verba promissiva, data sunt completiva. Sacrificia ergo illa, tanquam verba promissiva, ablata sunt. Quid est quod datum est completivum? Corpus quod nostis, quod non omnes nostis (*a*); quod utinam qui nostis, omnes non ad judicium noveritis. Videte quando dictum est; Christus enim ille est Dominus noster, modo loquens ex membris suis, modo loquens ex persona sua. *Sacrificium*, inquit, *et oblationem noluisti.* Quid ergo? Nos jam hoc tempore sine sacrificio dimissi sumus? Absit. *Corpus autem perfecisti mihi.* Ideo illa noluisti ut hoc perficeres: illa voluisti antequam hoc perficeres. Perfectio promissorum abstulit verba promittentia. Nam si adhuc sunt promittentia, nondum impletum est quod promissum est. Hoc promittebatur quibusdam signis: ablata sunt signa promittentia, quia exhibita est veritas promissa. In hoc corpore sumus, hujus corporis participes sumus, quod accipimus novimus: et qui non nostis noveritis, et cum didiceritis, utinam non ad judicium accipiatis. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit (I *Cor.* X, 29). Perfectum est nobis corpus, perficiamur in corpore.

13. *Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi. Holocausta etiam pro delicto non petisti: tunc dixi, Ecce venio.* Numquid exponendum est, *Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi? Holocausta etiam pro delicto non petisti:* quæ petebat [1] antea. *Tunc dixi, Ecce venio.* Tempus est ut veniant quæ promittebantur, quia auferuntur ea per quæ promittebantur. Et vere, fratres mei, attendite illa ablata, hæc impleta. Det mihi modo gens judaica sacerdotem. Ubi sunt sacrificia illorum? Certe perierunt, certe ablata sunt nunc. Numquid tunc reprobaremus ea? Reprobamus modo: quia si modo velis facere, intemporale est, non est opportunum, non congruit. Adhuc promittis, jam accepi. Remansit illis quiddam quod celebrent, ne omnino sine signo remanerent. Cain enim major frater, qui occidit minorem fratrem, accepit signum, ne quis eum occideret, sicut scriptum est in Genesi: *Posuit Deus Cain signum, ut nemo eum occideret.* Proinde et ipsa gens judæa manet [2]. Omnes gentes subditæ juri romano, in jus romanum confluxerunt, superstitiones communicaverunt; postea inde cœperunt per gratiam Domini nostri Jesu Christi separari: illa vero sic mansit cum signo suo, cum signo circumcisionis, cum signo azymorum sic mansit: non est occisus Cain, non est occisus, habet signum suum. Maledictus est a terra, quæ aperuit os suum excipere sanguinem fratris ejus de manu ejus. Ille enim fudit sanguinem, non excepit: ille fudit, alia terra excepit: et ab ea terra quæ os aperuit et excepit, ille maledictus est: et ipsa terra quæ ore excepit sanguinem, Ecclesia est. Ab hac ergo ille maledictus est. Et ille sanguis clamat de terra ad me. De hac enim terra dixit Dominus, *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* (*Gen.* IV, 15, 10). Clamat, inquit, ad me de terra. Clamat ad Dominum: sed surdus est qui sanguinem fudit, quia non bibit [3]. Illi ergo ita sunt, tanquam Cain cum signo. Sacrificia vero quæ ibi fiebant, ablata sunt; et quod eis remansit ad signum Cain, jam per-

[1] Omnes fere Mss., *adducatur ad curiositatem.*
[2] Tres Mss.: *En venit veritas sublato*, etc.
(*a*) Hac loquendi formula Catechumenos præsentes designat.

[1] Sic nonnulli Mss. Alii, *et quæ petebantur.* Edd., *et quæ petebant.*
[2] Edd., *manet per omnes gentes subdita juri Romano. In jus Romanum*, etc. Locum ad Mss. castigamus.
[3] Apud Lov., *quia non vivit.* At apud Er. et Mss. aliquot, *quia non bibit*: in aliis Mss., *quem non bibit.*

fectum est, et nesciunt. Agnum occidunt, azyma comedunt : *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Ecce agnosco agnum occisum, quia immolatus est Christus. Quid de azymis? *Itaque*, inquit, *diem festum celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et malignitatis :* ostendit quid sit vetus [1], verus farina est, acuit : *sed in azymis sinceritatis et veritatis* (I *Cor.* v, 7, 8). In umbra remanserunt, solem gloriæ ferre non possunt : jam nos in luce sumus, tenemus corpus Christi, tenemus sanguinem Christi. Si habemus novam vitam, cantemus canticum novum, hymnum Deo nostro. *Holocausta pro delicto non petisti : tunc dixi, Ecce venio*

14. *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam : Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Ecce ad membra respexit, ecce et ipse fecit voluntatem Patris. Sed in quo capite libri scriptum est de illo? Fortasse in capite libri hujus Psalmorum. Quid enim longe petamus, aut alios libros inquiramus? Ecce in capite libri hujus Psalmorum, scriptum est, *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiarum non sedit, sed in lege Domini voluntas ejus fuit :* hoc est, *Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei :* hoc est, *et in lege ejus meditabitur die ac nocte* (*Psal.* I, 1, 2).

15. [*vers.* 10.] *Bene nuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna.* Alloquitur membra sua, hortatur quod fecit, ut faciant. Annuntiavit, annuntiemus; passus est, compatiamur; glorificatus est, conglorificabimur. *Annuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna.* Quam magna? Toto orbe terrarum. Quam magna? In omnibus gentibus. Quare in omnibus gentibus? Quia semen est Abrahæ, in quo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XII, 3, *et* XXII, 18). Quare in omnibus gentibus? Quia in omnem terram exivit sonus eorum (*Psal.* XVIII, 5). *In Ecclesia magna. Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu cognovisti.* Labia mea loquuntur, non ea prohibebo loqui. Sonant quidem labia mea ad aures hominum, sed tu cognovisti cor meum. *Labia mea non prohibebo, Domine tu cognovisti.* Aliud audit homo, aliud agnoscit Deus. Ne in labiis solis esset annuntiatio, et diceretur de nobis. *Quæ dicunt vobis, facite, quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII, 3) : aut ipsi populo, laudanti Deum ore, non corde, diceretur, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isai.* XXIX, 13) : sona labiis, propinqua corde. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* x, 10). Qualis ille latro inventus est, pendens in cruce cum Domino, agnoscens in cruce Dominum. Alii non cognoverunt miracula facientem, agnovit ille in ligno pendentem. Erat ille confixus omnibus membris; manus clavis inhærebant, pedes transfixi erant, totum corpus adjungebatur ligno; corpus illud non vacabat cæteris membris, lingua vacabat et cor : corde credidit, ore confessus est. *Memento mei*, inquit, *Domine, cum veneris in regnum tuum.* Salutem suam longe futuram sperabat, et post longum tempus accipere contentus erat : in longum sperabat, dies non est dilatus. Ille dixit, *Memento mei, cum veneris in regnum tuum :* ille respondit : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 42, 43). Paradisus habet ligna felicia : hodie mecum in ligno crucis, hodie mecum in ligno salutis.

16. *Ecce labia mea non prohibebo, Domine, tu cognovisti :* ne credat corde, et præ timore labia prohibeat annuntiare quod credidit. Sunt enim christiani, habent fidem in corde, et [1] inter paganos amaros, misere urbanos, sordidos, infideles, ineptos, insultatores, si exagitari cœperint, quia christiani sunt; habent in corde fidem, et timent confiteri per labia, prohibent labia sua sonare quod norunt, sonare quod intus habent. Sed reprehendit hos Dominus, *Qui me confusus fuerit coram hominibus, confundar de illo coram Patre meo* (*Marc.* VIII, 38), id est, non eum cognoscam : quia erubuit me confiteri coram hominibus, non eum confitebor coram Patre meo. Dicant ergo labia quod habet cor : hoc contra timorem [2]. Habeat cor quod dicunt labia : hoc contra simulationem. Aliquando enim timor est, et non audes dicere quod nosti, quod credis : aliquando simulatio est, dicis, et non habes in corde. Consentiant labia tua cordi tuo. Quærens pacem a Deo, tibi ipse esto pacatus : non sit inter [3] os tuum et cor tuum mala rixa. *Ecce labia mea non prohibebo, Domine, tu cognovisti.* Quomodo ille? quid cognovit Dominus? Intus in corde, ubi non videt homo. Ideo et ille, *Credidi*, inquit. Ecce cor habet, jam habet quod videat Deus : non prohibeat labia sua. Non prohibet. Quid enim dicit? *Propter quod locutus sum.* Et quia locutus est quod credidit, quærens quid retribuat Domino pro omnibus quæ retribuit ei, adjungit : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Non exhorruit Dominum dicentem : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum* (*Matth.* XX, 22)? Confitetur enim per labia quod habebat in corde, pervenit ad passionem. Et quia pervenit ad passionem, hostis quid nocuit? Nempe *pretiosa in conspectu Domini mors justorum ejus* (*Psal.* CXV, 10-15). Mortes in quas Pagani sævierunt, in illis hodie reficimur [4]. Natalem martyrum celebramus, exempla martyrum nobis proponimus, attendimus fidem, quomodo inventi, quomodo attracti, quomodo steterunt ante judices. In Ecclesia catholica nihil habentes simulationis, compaginati junctura unitatis, con-

[1] Edd., *quid sit vetus fermentum*. Abest, *fermentum*, a Mss.

[1] Mss., *et si :* pauloque post, loco *amaros misere*, nonnulli ferunt, *amor est miscere :* et quidam, *amor est se miscere.*

[2] Edd., *hoc contra timorem habeat cor, quod dicunt labia : hoc contra simulationem habeant labia, quod credit cor.* Sententiam labefactabat verborum prava interpunctio, necnon ineptum in fine glossema, quod meliorum Mss. auctoritate removimus.

[3] Particula, *inter*, abest ab omnibus Mss.

[4] Colbert. Ms., *hodie perficimur. Natalem Martyris celebramus exempla Martyrum*, etc.

fessi sunt Christum : caput quod præcesserat, sicut membra, sequi concupierunt. Sed qui concupierunt [1]? In tormentis patientes, in confessione fideles, in sermone veraces. Jaculabantur enim in ora interrogantium se sagittas Dei, et vulnerabant ad iram; multos vulneraverunt et ad salutem. Hæc omnia proponimus nobis, et intuemur illa, et optamus imitari. Hæc sunt spectacula christiana, hæc videt desuper Deus, ad hæc hortatur, ad hæc adjuvat; his certaminibus præmia proponit et donat. *Ecce labia mea non prohibebo.* Vide ne timeas, et prohibeas labia tua. *Domine, tu cognovisti :* quia est et in corde quod sonat et in labiis.

17. [*vers.* 11.] *Justitiam meam non abscondi in corde meo.* Quid est, *justitiam meam?* Fidem meam : quia justus ex fide vivit (*Habac.* II, 4, *et Rom.* I, 17). Ut puta, interrogat sub pœna persecutor, quod eis licuit aliquando, Quid es? paganus, an christianus? Christianus. Ipsa est justitia ejus : credidit, ex fide vivit. Non abscondit in corde suo justitiam suam. Non dixit apud se : Credo quidem in Christum, sed huic persecutori meo sævienti et minanti non dicam quod credidi : novit Deus meus intus in corde meo quia credo, ipse scit quia illi non renuntio. Ecce hoc dicis te intus habere in corde : in labiis quid? Non sum christianus? Contra cor tuum testimonium dicunt labia tua. *Justitiam meam non abscondi in corde meo.*

18. *Veritatem tuam et salutare tuum dixi.* Christum tuum dixi, hoc est, *Veritatem tuam et salutare tuum dixi.* Unde veritas Christus? *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). Unde salutare ipsius Christus? Simeon agnovit infantem in manibus matris in templo, et dixit : *Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 30). Agnovit infantem senex, factus in puero puer, innovatus fide. Acceperat enim responsum, et hoc dixit : dixerat ei Dominus, quia non exiturus erat de hac vita, priusquam videret salutare Dei. Hoc salutare Dei bonum est ut ostendatur hominibus : sed clament, *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis* (*Psal.* LXXXIV, 8). Salutare autem Dei in omnibus gentibus : quia cum dixisset quodam loco, *Deus misereatur nobis, et benedicat nos, illuminet vultum suum super nos, ut cognoscamus in terra viam tuam*, adjecit : *In omnibus gentibus salutare tuum.* Primo dixit, *Ut cognoscamus in terra viam tuam*, et secutus est : *In omnibus gentibus salutare tuum* (*Psal.* LXVI, 2, 3). Quasi diceretur ei, Quæ est via quam cupis agnoscere? Homines ad viam veniunt, numquid via venit ad homines? Via nostra venit ad homines, invenit errantes, vocavit ad se extra ambulantes [2]. In me, inquit, ambulate, et non errabitis : *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Ne diceres, Ubi est via Dei? ad quam regionem ibo? quem montem ascendam? quos campos inquiram? Viam Dei inquiris? Salutare Dei est via Dei, et ubique hæc est : quia in omnibus gentibus salutare tuum. *Veritatem tuam et salutare tuum dixi.*

19. *Non celavi misericordiam tuam et veritatem tuam a congregatione multa.* Ibi simus, in hoc corpore numeremur et nos, non celemus misericordiam Domini et veritatem Domini. Vis audire misericordiam Domini? Recede a peccatis, donabit peccata. Vis audire veritatem Domini? Tene justitiam, coronabitur justitia. Modo enim misericordia tibi prædicatur, postea veritas exhibebitur. Non enim sic est Deus misericors, ut injustus sit; nec sic justus, ut misericors non sit. Parvane misericordia tibi est? Non imputabit [1] priora omnia : male vixisti usque in hodiernum diem, adhuc vivis, bene vive hodie, hanc misericordiam non celabis. Si hæc est misericordia : quæ veritas? Congregabuntur ante eum omnes gentes, et dividet eas sicut pastor dividit oves ab hœdis; oves ponet ad dexteram, hœdos ad sinistram. Ovibus quid? *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est.* Hœdis quid? *Ite in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 32, 34, 41). Ibi pœnitentiæ locus non est. Quia misericordiam Dei contempsisti, veritatem senties : si autem non contempsisti misericordiam, veritate gaudebis.

20. [*vers.* 12-14.] *Tu autem, Domine, ne elonginquaveris misericordias tuas a me.* Respexit ad membra [2] saucia. Quia misericordiam tuam et veritatem tuam non celavi a congregatione multa, ab Ecclesia unitatis orbis terrarum : attende membra saucia, attende delictores et peccatores, et noli removere misericordias tuas. *Misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.* Non auderem converti, nisi securus de remissione : non durarem perseverare, nisi securus de promissione. *Misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.* Attendo quia bonus es, attendo quia justus es : amo bonum, timeo justum. Amor et timor perducunt me : quia, *misericordia et veritas tua semper susceperunt me.* Quare ipsa suscipiunt, et ab eis oculus avertendus non est? *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus.* Quis numerat peccata? quis numerat iniquitates alienas et proprias? Sub quo cumulo gemebat qui dicebat : *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo* (*Psal.* XVIII, 13, 14). Parva erant nostra, imponuntur aliena : timeo mihi, timeo bono fratri, tolero malum fratrem; et sub isto cumulo quid erimus, si cesset misericordia Dei? *Tu autem, Domine, ne elonginquaveris :* prope esto. Cui prope est Dominus? His qui obtriverunt cor (*Psal.* XXXIII, 19). Longe a superbis, prope ad humiles. Excelsus est enim Dominus, et humilia respicit. Sed non se putent latere qui superbi sunt : excelsa enim a longe cognoscit (*Psal.* CXXXVII, 6). Cognoscebat a longe jactantem se Pharisæum, subveniebat de proximo confitenti Publicano (*Luc.* XVIII, 11). Jactabat ille merita sua, et tegebat vulnera sua : non jactabat ille merita, sed offerebat vulnera. Ad medicum venerat, sciebat se languidum,

[1] In nonnullis Mss. deest: *Sed qui concupierunt?*
[2] Aliquot Mss., *vocavit ad se. Extra ambulatis, in me ambulate.*

[1] Plures Mss., *non imputavit* : et infra, *non celavi,* loco *non celabis.*
[2] Edd., *membra sua saucia,* Abest, *sua,* a Mss.

sciebat se sanandum : oculos ad cœlum levare non audebat, pectus percutiebat : sibi non parcebat, ut ille parceret; se agnoscebat, ut ille ignosceret; se puniebat, ut ille liberaret. Tales hic voces sunt; audiamus eas pie, et amemus pie : corde, lingua, omnibus medullis nostris hæc dicamus. Nemo se justum putet : vivit qui loquitur; vivit, et utinam vivat! Adhuc hic vivit, adhuc cum morte vivit : et si spiritus vita est propter justitiam, corpus tamen mortuum est propter peccatum (*Rom.* VIII, 10). Et corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15). Pertinet ergo ad te clamare, pertinet gemere, pertinet confiteri, non te exaltare, non te jactare, non te tuis meritis gloriari : quia et si habes aliquid gaudendum, quid est quod non accepisti (I *Cor.* IV, 7)? *Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus.*

21. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.* Est aliquid quod videamus : quid premit ut non videamus? Nonne iniquitas? Oculum tuum, ne istam lucem videre posses, premebat fortassis humor irruens, premebat fortasse fumus, pulvis, aliquid injectum; et levare oculum saucium non poteras ad istam lucem : quid ergo, cor saucium levabis ad Deum? Nonne prius sanandum est ut videas? Nonne superbus inveniris, cum dicis : Primo videam, et sic credam? Quis dicit? Quis enim visurus dicit : Videam, et sic credam? Lucem ostensurus sum, imo vero ipsa se lux ostendere vult. Cui? Cæce non potest, non videt. Unde non videt? Gravato oculo multis peccatis. Quid enim ait? *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.* Removeantur ergo iniquitates, dimittantur peccata, levetur pondus ab oculo, sanetur quod saucium est, adhibeatur mordax præceptum quasi collyrium. Prius effice quod tibi præcipitur : sana cor, munda cor, dilige inimicum tuum (*Matth.* V, 44, *et Luc.* VI, 27, 35). Et quis diligit inimicum suum? Hoc jubet medicus; amarum est, sed salubre. Quid tibi faciam, inquit? Ita vexatus es, ut inde saneris. Et plus dicit : Sanato non erit onerosum, voluptuose diliges inimicum sanatus; conare tu ut saneris. In tribulationibus, in angustiis, in tentationibus fortis esto, perdura : medici manus est, non latronis. Ecce, inquit, præceptis acceptis, et fide retenta, prius sicut jubes sanabo cor, ut dicis : sanato corde et mundato corde quid videbo? Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8). Hoc modo, inquit, non possum. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.*

22. *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.* Capillos capitis ad numeri multitudinem revocat. Quis numerat capillos capitis sui? Multo minus peccata, quæ excedunt numerum capillorum. Minuta videntur, sed multa sunt. Præcavisti magna; jam non facis adulterium, jam non facis homicidium, non rapis res alienas, non blasphemas, non dicis falsum testimonium : moles istæ sunt peccatorum. Magna præcavisti, de minutis quid agis? An non times minuta? Projecisti molem, vide ne arena obruaris. *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.*

23. [*vers.* 14.] *Et cor meum dereliquit me.* Quid mirum est, si cor tuum desertum est a Deo tuo, quando seipsum deseruit? Quid est, *Cor meum dereliquit me?* Non est idoneum cor meum ad cognoscendum se. Hoc dixit, *Cor meum dereliquit me :* Corde meo Dominum volo videre, et non possum, præ multitudine peccatorum meorum : parum est, nec cor meum se comprehendit. Nemo enim se comprehendit, nemo de se præsumat[1]. Numquid comprehendit corde suo cor suum Petrus, qui dixit, *Tecum usque ad mortem ero* (*Matth.* XXVI, 35)? In corde erat præsumptio falsa, in corde latebat timor verus : et non erat idoneum cor ad comprehendendum cor. Cor ægrotum latebat, sed medico patebat. Quod de illo pronuntiatum est, hoc impletum est. Noverat in illo Deus quod in se ipse non noverat; quia cor ejus dereliquerat eum, cor ejus latebat cor ejus. *Et cor meum dereliquit me.* Quid ergo? quid clamamus? quid dicimus? *Placeat tibi, Domine, eruere me :* tanquam diceret, Si vis, potes me mundare (*Id.* VIII, 2). *Placeat tibi eruere me, Domine, in adjuvandum mihi respice.* Membra pœnitentia[2], membra in doloribus posita, membra sub ferramentis medici clamantia, sed sperantia. *Domine, in adjuvandum mihi respice.*

24. [*vers.* 15-17.] *Confundantur, et revereantur simul, qui quærunt animam meam ut auferant eam.* Quodam enim loco accusat, et dicit, *Aspiciebam in dexteram, et videbam, et non erat qui requireret animam meam.* (*Psal.* CXLI, 5); id est, non erat qui me imitaretur. Christus in passione loquitur : Et attendebam in dexteram, id est, non ad impios Judæos, sed ad ipsam dexteram, ad ipsos Apostolos; *et non erat qui requireret animam meam.* Usque adeo non erat qui requireret animam meam, ut qui præsumpserat negaret animam meam (*Matth.* XXVI, 70). Sed quia duobus modis quæritur homo, aut quo fruaris, aut quem persequaris : ideo hic alios dicit, quos vult confundi et revereri qui quærunt animam suam. Sed ne sic intelligeres, quomodo cum queritur de nonnullis non quærentibus animam suam[3]; *ut auferant eam,* inquit, id est, ad mortem quærunt animam meam : adjecit, *Confundantur et revereantur.* Et vere multi quæsierunt animam ipsius, et confusi et reveriti sunt; quæsierunt animam ipsius, et sicut illis visum est, abstulerunt animam ipsius : sed ille potestatem habuit ponendi animam suam, et potestatem habuit recipiendi animam suam (*Joan.* X, 18). Ergo illi gavisi sunt cum posuit, confusi sunt cum recepit. *Confun-*

[1] Sic aliquot Mss. At Edd.: *Parum est ne cor meum se comprehendat. Nemo enim se comprehendit, nemo de se præsumit.*

[2] Edd., *membra pœnitentiæ.* Mss. aliquot, *pœnitentia :* et alii quidam, *in pœnitentia.*

[3] Edd., *quomodo conqueritur de nonnullis quærentibus animam suam, ut auferant eam : id est,* etc., ubi nos particulam, *non*, et verbum, *inquit*, aliquot Mss. ope reponimus.

dantur, et revereantur simul, qui quærunt animam meam ut auferant eam.

25. *Convertantur retrorsum, et revereantur, qui volunt mihi mala. Convertantur retrorsum:* nec hoc in malum accipiamus. Bene illis optat; et vox illius est qui dixit de cruce: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Quare illis ergo dicit, ut retrorsum redeant? Quia qui ante superbi erant ut caderent retro, humiles facti sunt ut resurgant. Quando enim ante sunt, præcedere volunt Dominum, meliores volunt esse quam Dominus: si autem retro sunt, ipsum agnoscunt meliorem, ipsum priorem, se posteriores, ut ille præcedat, illi sequantur. Proinde Petrum male sibi dantem consilium sic redarguit. Passurus enim Dominus erat pro salute nostra, et de ipsa passione quæ futura erant[1] prædicabat: et ait Petrus, *Absit Domine; propitius tibi esto, non fiet hoc.* Præcedere volebat Dominum, et consilium dare magistro. Dominus autem ut non eum faceret præcedentem, sed sequentem, *Redi*, inquit, *retro satanas* (*Matth.* XVI, 22, 23). Ideo, inquit, satanas, quia vis antecedere eum quem debes sequi: si autem retro fueris, et secutus fueris, jam non satanas. Quid ergo? *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Ibid.*, 18).

26. *Convertantur retrorsum et revereantur, qui volunt mihi mala.* Malevoli sunt, qui etiam cum benedicunt, quantum in corde eorum est maledicunt. Dicis alicui, Esto christianus: Sis christianus, sed tu[2]. Bonam rem dixit, sed non illi imputatur quod dixit, sed quo animo dixit: quomodo imputatum est et Judæis, quando ille ex cæco nato factus est videns: cum eum premerent insultationibus et urgerent, ait illis, *Numquid et vos discipuli ejus vultis esse?* Et illi maledixerunt ei. Hoc ait evangelista: *Maledixerunt ei dicentes, Tu sis discipulus ejus* (*Joan.* IX, 27, 28). Illis maledicentibus, Dominus benedixit: fecit quod illi dixerunt, retribuit autem illis quod maledixerunt. *Convertantur retrorsum, et revereantur, qui volunt mihi mala.* Sunt autem alii non boni qui bona volunt, et ipsi cavendi. Quomodo enim illi maledicunt, et dicunt bona nostra, sed malo animo; sic multi mala nostra bono animo. Hoc dico, Qui dixerit tibi, Tu sis christianus, bonum tuum dicit malo animo: qui autem dixerit tibi ita, Te melior nemo; si in factis[3] malis, quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicitur (*Psal.* X, 3); mala tua dicit laudans. Quomodo ille bona tua dicebat maledicens, sic iste mala tua benedicens: sed utrumque genus hostis fuge, utrumque cave. Ille sævit, iste blanditur; uterque malus: ille iracundus est, et iste in laude subdolus; ille reprehensor est, iste laudator: sed et ille in reprehensione inimicus est, et ille in laude subdolus. Cave utrumque, contra utrumque ora. Qui enim oravit, *Convertantur retrorsum, et confundantur qui volunt mihi mala*, respexit ad aliud genus dolose malevolum, et falso benedicum: *Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi, Euge, euge.* Laudant falso[1]: Magnus vir, bonus vir, litteratus, doctus, sed quare christianus? Ea tua laudant, quæ nolles laudari: illud reprehendunt unde gaudes. Sed si forte dicis: Quid in me laudas, o homo, quia vir bonus, quia vir justus sum? Si hoc putas, Christus me hoc fecit, ipsum lauda. At ille: Absit; noli tibi injuriam facere, tu te ipse talem fecisti. *Confundantur, qui dicunt mihi, Euge, euge.* Et quid sequitur? *Exsultent et jucundentur omnes qui te quærunt, Domine.* Non quærunt me, sed quærunt te: non mihi, Euge, euge dicunt; sed in te me gloriari vident[2], si quid habeo gloriæ. Qui enim gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31). *Exsultent et jucundentur omnes qui te quærunt, Domine, et dicant semper: Magnificetur Dominus.* Quia etsi ex peccatore fit justus, da gloriam illi qui justificat impium (*Rom.* IV, 5). Sive ergo peccator sit, laudetur qui ad indulgentiam vocat: sive quis jam ambulet in via justitiæ, laudetur qui ad coronam vocat. *Semper magnificetur Dominus*, ab his *qui diligunt salutare tuum.*

27. [*vers.* 18.] *Ego autem:* cui quærebant mala. *Ego autem:* cujus animam quærebant, ut auferrent eam. Sed converte te ad aliud genus hominum. *Ego autem*, cui dicebant; Euge, euge, *egenus et pauper sum.* Non est quod in me meum[3] laudetur. Discindat ille saccum meum, cooperiat me stola sua. Vivo enim jam non ego, vivit autem in me Christus (*Gal.* II, 20). Si vivit in te Christus, et totum quod boni habes Christi est, totum quod habebis Christi est: tu per teipsum quid es? *Ego egenus et pauper.* Ego autem non dives, quia non sum superbus. Dives erat ille qui dicebat, *Gratias tibi ago, Domine, quia non sum sicut cæteri homines:* Publicanus autem erat pauper, qui dicebat, *Domine, propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII, 11, 13). Ille de saturitate ructabat, ille de fame plorabat. *Egenus et pauper sum.* Et quid facturus es, o egene et pauper? Mendica[4] ante januam Dei; pulsa, et aperietur tibi. *Ego autem egenus et pauper sum: Dominus curam habebit mei.* Jacta in Dominum curam tuam, et spera in eum, et ipse faciet (*Psal.* LIV, 23). Quid tibi curaturus es? quid tibi provisurus? Habeat tui curam qui fecit te. Qui habuit tui curam antequam esses, quomodo non habebit curam cum jam hoc es quod voluit ut esses? Jam enim fidelis es, jam ambulas in via justitiæ. Curam tui non habebit, qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V, 45)? te jam justum ex fide viventem (*Rom.* I, 17) negliget, deseret, dimittet? Imo vero et hic fovet, et hic adju-

[1] Sic nonnulli Mss. At Edd., *erat.*

[2] Ita Mss. nec male si hic subauditur, *et ille dicit.* Porro edit. Lov. habet sic: *Dicit aliquis alicui, Esto Christianus, sed sis et tu Christianus. Bonam*, etc.

[3] Sic aliquot Mss. Alii vero: *Dixerit tibi, Tanto melior nemo sis in factis*, etc. Quidam: *Tanto melior nemo sic in facti*, etc. Edd., *Tanto melior nemo sit in factis*, etc.

[1] Plerique Mss., *falsa.*

[2] Plerique Mss., *sed in illo, et in te me glorificare vident.* Nonnulli: *sed illi in te me glorificare videntur.* Item quidam: *sed in illo, quia in te me gloriari vident.*

[3] Vox, *meum*, aberat ab editis: sed in melioribus Mss. exstat.

[4] Omnes fere Mss., *pauper, mendice? ante januam*, etc.

vat, et hic necessaria subministrat, et noxia resecat. Dando consolatur ut permaneas, auferendo corripit ne pereas. Dominus curam habet tui, securus esto. Ille portat[1] qui te fecit: ab artificis tui manu noli cadere: si cecideris a manu artificis, frangeris. Ut autem permaneas in manu artificis, bona voluntas facit. Dic, Deus meus voluit, et portabit ipse, et tenebit ipse. Jacta te in illum; noli putare inane esse, ut quasi præcipiteris: non ita tibi videatur. Ille dixit, Cœlum et terram ego impleo (*Jerem.* XXIII, 24). Nusquam tibi deest: tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse, *Dominus curam habet mei.*

28. *Adjutor meus et protector meus tu es: Deus meus, ne tardaveris.* Invocat, implorat, timet ne deficiat: *Ne tardaveris.* Quid est, *Ne tardaveris? Nisi breviati essent dies illi, non fieret salva omnis caro* (*Matth.* XXIV, 22): modo lectum est, de diebus tribulationum. Quasi enim unus homo rogat Deum, membra Christi, corpus Christi ubique diffusum, unus mendicus, unus pauper; quia et ille pauper, qui dives pauper factus est, de quo ait Apostolus: *Cum dives esset, pauper factus est, ut ipsius paupertate vos ditaremini* (II *Cor.* VIII, 9): veros pauperes ditat, falsos divites pauperat. Clamat ad eum: *A finibus terræ ad te clamavi, cum tæderet animam meam* (*Psal.* LX, 3). Venient dies tribulationum et majorum tribulationum[2]: venient, sicut dicit Scriptura; et quantum accedunt dies, augentur tribulationes. Nemo sibi promittat quod Evangelium non promittit. Fratres mei, obsecro vos, attendite Scripturas nostras, si aliquid fefellerunt; si aliquid dixerunt, et aliter accidit quam dixerunt: necesse est, ut usque in finem sic fiant omnia, quemadmodum dixerunt. Non nobis promittunt Scripturæ nostræ in hoc sæculo, nisi tribulationes, pressuras, angustias, augmenta dolorum, abundantiam tentationum. Ad ista nos præcipue paremus, ne imparati deficiamus. *Væ prægnantibus et mammantibus* (*Matth.* XXIV, 19): modo audistis. Prægnantes sunt, qui spe intumescunt: mammantes autem, id est lactantes, qui jam adepti sunt quod concupierant. Etenim mulier prægnans in spe tumet filii, nondum videt filium: quæ autem jam lactat, amplectitur quod sperabat. Ergo similitudinem, verbi gratia, ponamus: Bona est ista villa vicini: o si mea esset[3]; adjungerem illam, et facerem de isto fundo et de illo unitatem. Amat et avaritia unitatem: quod amat bonum est, sed ubi amandum sit, nescit. Ecce concupivit villam proximi; sed iste proximus dives est, non indigens, habens honorem, habens etiam potentiam, a cujus forte etiam potentia tibi metuendum sit, non de illius fundo aliquid sperandum: nihil sperans non concipit, non est prægnans anima. Si vero juxta vicinus sit pauper, qui vel in necessitate positus est, ut possit vendere, vel premi potest, ut cogatur vendere, injicitur oculus, speratur villa: imprægnata est anima, sperat se posse adipisci villulam et possessionem vicini pauperis. Et cum patitur iste pauper necessitatem, venit ad ditiorem vicinum suum, cui forte obsequi solet, cui deferre, cui venienti assurgere, quem inclinato capite salutare: Da mihi, rogo te; patior necessitatem, urgeor a creditore. Et ille: Non habeo modo in manibus. Si vellet vendere, haberet[1]. Agnoscimus hoc: fuerunt in nobis, jam non sint in nobis. Nonne hesterno viximus, et hodie vivimus? Est corrigendi locus, nondum facta est illa disjunctio, aliorum ad dexteram, aliorum ad sinistram (*Matth.* XXV, 33); nondum apud inferos sumus, ubi dives ille fuit, sitiens et stillam desiderans (*Luc.* XVI, 22): audiamus cum vivimus, corrigamur. Non speremus res alienas, et imprægnati tumeamus: nec perveniamus ad illas, et eas adipiscendo tanquam filios osculemur. *Væ enim prægnantibus et mammantibus illis diebus.* Mutandum est cor, levandum est cor, non hic habitandum corde: mala regio est. Sufficiat quod adhuc carne hic esse necesse est; quod non est necesse, non fiat; sufficiat diei malitia sua (*Matth.* VI, 34); sursum corde habitemus. *Si surrexistis cum Christo,* dicit fidelibus, corpus et sanguinem Domini accipientibus dicit, *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III, 1 3). Non enim apparet quod vobis promissum est: et jam paratum est, sed non videtis. Imprægnari vis, hinc imprægnare; ipsa sit spes tua: certus erit partus tuus, non erit abortivus, non temporalis: amplecteris quod pepereris in æternum. Sic enim per Isaiam dicitur: *Concepimus et parturivimus spiritum salutis* (*Isai.* XXVI, 18). Ergo (*a*) retro est, et non datur modo, sed dabitur. Quanta data sunt, fratres mei, quis illa numerat secundum Scripturas? Ibi scriptum est de Ecclesia, et videtur quia est; ibi scriptum est de idolis quia non erunt, et videtur quia non sunt; ibi scriptum est quia perdituri erant Judæi regnum, et videtur; ibi scriptum est de hæreticis, quia futuri erant, et videtur: ibi scriptum est et de die judicii; ibi scriptum est et de præmio bonorum, et de pœna malorum: in omnibus Deum fidelem invenimus; in ultimo deficiet et fallet? *Dominus curam habebit mei. Adjutor meus et protector meus tu es: Deus meus, ne tardaveris. Nisi minorarentur dies illi, nulla caro perduraret: sed propter electos breviabuntur* (*Matth.* XXIV, 22). Dies illi erunt tribulationis, sed non tam longi[2] quam sperantur. Cito illi transibunt; requies veniens non transibit. Quanquam longum, ferri debuit malum pro infinito bono.

IN PSALMUM XL
ENARRATIO.
SERMO AD PLEBEM (*b*).

1. Quoniam solemnis dies Martyrum illuxit; propter gloriam passionis Christi imperatoris martyrum,

[1] Edd., *protegit.* Plures Mss., *proteget.* Quatuor, *portet.* Alii tres, *portat.*
[2] Sic Mss. At Edd., *et malorum, tribulationes venient,* etc.
[3] Mss., *O si mea esset! o si adjungerem illam!*

[1] Sex Mss., *in manibus. Velit nolit vendere habet. Agnoscimus,* etc.
[2] Aliquot Mss., *breviabuntur dies illi. Erunt tribulationes, sed non tam longæ.* Et nonnulli: *sed non tam longe.*
(*a*) Forte, *paratum.*
(*b*) In Martyrum festivitate habitus.

qui sibi non pepercit militibus imperans pugnam, sed prior pugnavit, prior vicit, ut pugnantes exemplo suo hortaretur, et majestate sua adjuvaret, et promissione coronaret, audiamus aliquid in isto psalmo, quod pertineat ad ejus passionem. Commendamus autem sæpius, nec nos piget iterare quod vobis utile est retinere, Dominum nostrum Jesum Christum plerumque loqui ex se, id est ex persona sua, quod est caput nostrum; plerumque ex persona corporis sui, quod sumus nos et Ecclesia ejus; sed ita quasi ex unius hominis ore[1] sonare verba, ut intelligamus caput et corpus in unitate integritatis consistere, nec separari ab invicem; tanquam conjugium illud, de quo dictum est : *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24, et *Ephes.* V, 31). Si ergo agnoscimus duos in carne una, agnoscamus duos in voce una. Primo quod legenti respondentes cantavimus, quanquam de medio Psalmo sit, hinc tamen sermonis ducamus exordium. *Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur, et peribit nomen ejus.* Persona est hæc Domini nostri Jesu Christi : sed videte, si non ibi intelliguntur et membra. Dictum est et hoc, cum ipse Dominus noster hic in terra in carne ambularet. Cum enim viderent multitudinem sequi auctoritatem ejus, et divinitatem et majestatem miraculis præsentatam[2]; cum hoc viderent Judæi, de quibus ipse Dominus similitudinem posuit, quia dixerunt, *Hic est hæres; venite occidamus eum, et nostra erit hæreditas* (*Matth.* XXI, 38), dixerunt apud semetipsos, id est inter se, unde pontificis illius Caiphæ vox est : *Videtis quod turba multa eum sequitur, et sæculum post illum abiit : si dimiserimus eum vivere, venient Romani, et tollent nobis et locum et gentem. Expedit ut unus moriatur homo, quam tota gens pereat.* Evangelista autem verba nescientis quid diceret, exposuit nobis, et ait : *Hoc autem non a se dixit; sed cum esset pontifex prophetavit quia oportebat Jesum mori pro populo et gente* (*Joan.* XI, 47-51). Tamen illi cum viderent populum post illum ire, dixerunt, *Quando morietur, et peribit nomen ejus :* id est, cum occiderimus eum, jam nomen ejus non erit in terra, nec seducet aliquos mortuus; sed ipsa ejus interfectione intelligent homines, quia hominem sequebantur, quia non erat in eo spes salutis; et deserent nomen ejus, et non erit. Mortuus est; et non periit nomen ejus, sed seminatum est nomen ejus : mortuus est : sed granum fuit, quo mortificato seges continuo exsurgeret (*Id.* XII, 25). Glorificato ergo Domino nostro Jesu Christo, cœperunt multo magis multoque numerosius credere in illum; et cœperunt membra ejus audire quod caput audiebat. Jam ergo Domino nostro Jesu Christo in cœlo constituto, et ipso in nobis in terra laborante, dixerunt adhuc inimici ejus : *Quando morietur, et peribit nomen ejus.* Hinc enim persecutiones diabolus in Ecclesia concitavit ad perdendum nomen Christi. Nisi forte putatis, fratres, quia illi Pagani quando sæviebant in Christianos, non hoc sibi dicebant, delere nomen Christi de terra. Ut moreretur iterum Christus non in capite, sed in corpore suo, occisi sunt et martyres. Ad multiplicandam Ecclesiam valuit sanctus sanguis effusus, seminationi[1] accessit et mors martyrum. Pretiosa in conspectu Domini mors justorum ejus (*Psal.* CXV, 15). Multiplicati sunt magis magisque Christiani, et non est impletum quod dixerunt inimici, *Quando morietur, et peribit nomen ejus.* Adhuc et modo dicitur. Sedent Pagani, et computant sibi annos, (*a*) audiunt fanaticos suos dicentes, Aliquando Christiani non erunt, et idola illa coli habent, quemadmodum antea colebantur, adhuc dicunt, *Quando morietur, et peribit nomen ejus.* Bis victi, vel tertio sapite : mortuus est Christus, non periit nomen ejus; mortui sunt martyres, multiplicata est magis Ecclesia, crescit per omnes gentes nomen Christi. Qui de morte sua et de resurrectione sua prædixit, qui de mortibus Martyrum suorum et de corona prædixit, ipse et de Ecclesia sua futura prædixit : si verum dixit bis, tertio mentitus est? Vanum est ergo quod creditis contra illum; melius est ut credatis in illum, ut *intelligatis super egenum et pauperem;* quoniam *pauper factus est, cum dives esset, ut ipsius*, inquit, *paupertate vos ditaremini* (II *Cor.* VIII, 9). Nunc autem quia pauper factus est, contemnitur, et dicitur : Homo erat. Quid erat? Mortuus est, crucifixus est; hominem colitis, in hominem spem habetis, mortuum adoratis. Falleris. Intellige super egenum et pauperem, ut illius paupertate dives efficiaris. Quid est, Intellige super egenum et pauperem? Ut ipsum Christum egenum et pauperem accipias, dicentem in alio psalmo : *Ego autem egenus et pauper sum, Dominus curam habet mei* (*Psal.* XXXIX, 18). Quid est intelligere super egenum et pauperem? Quia *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philip.* II, 7) : dives apud Patrem, et pauper apud nos; dives in cœlo, pauper in terra; dives Deus, pauper homo. Hæc te ergo turbat, quod hominem vides, quod carnem intueris, quod mortem respicis, quod crucem irrides? hoc te turbat? Intellige super egenum et pauperem. Quid est hæc? Intellige, quia ubi tibi exposita est infirmitas, ibi latet divinitas. Dives, quia sic est; pauper, quia jam tu sic eras. Sed tamen paupertas ipsius, divitiæ nostræ sunt : quomodo infirmitas ipsius fortitudo nostra est; quomodo stultum ipsius sapientia nostra est; quomodo mortalitas ipsius, immortalitas nostra est (I *Cor.* I, 30). Quid sit pauper, attende : non eum ex aliorum

[1] In Mss. deest vox *ore :* ut ejus loco subaudiatur, *persona.*

[2] Sex Mss., *præfulgentem.*

[1] Sic Mss. At Edd., *effusus seminatione : accessit et mors*, etc.

(*a*) « Cum viderent » Pagani, inquit Augustinus in lib. 18 de Civitate Dei, c. 53, « nec tot tantisque persecutionibus » christianam religionem « potuisse consumi, sed his potius « mira incrementa sumpsisse, excogitaverunt nescio quos « versus græcos, tanquam consulenti cuidam, divino oraculo effusos, ubi... Petrum maleficiis fecisse subjungunt « ut coleretur Christi nomen per trecentos sexaginta quinque annos, deinde completo memorato numero annorum « sine mora sumeret finem. » Verum anno Christi 399 in quo prædictus annorum numerus, si a Petri in die Pentecostes prædicatione computatur, desinere ostenditur, adeo non defecit cultus nominis Christi, ut inde maxime, eversis, quæ reliqua erant, deorum templis et fractis simulacris increverit, ex eod. lib. de Civit. Dei, c. 54.

paupertate metiaris. Implere venit pauperes, qui pauper effectus est. Propterea aperi sinum fidei; suscipe pauperem [1], ne pauper remaneas.

2. [*vers.* 2.] *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Veniet enim dies mala : velis nolis, veniet; dies judicii aderit, mala dies, si non intellexeris super egenum et pauperem. Quod enim modo non vis credere, manifestum erit in fine. Sed non fugies, cum fuerit manifestum, quia non credis cum est occultum. Invitaris ut quod non vides credas, ne cum videris erubescas. Intellige ergo super egenum et pauperem, id est, super Christum; intellige in eo occultas divitias, quem pauperem vides. In eo sunt enim omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss.* II, 3). Hinc enim te in die mala liberabit, ex eo quod Deus est : ex eo autem quod homo est, et illud quod in illo humanum erat resuscitavit, et in melius convertit, in cœlum levavit. Ille autem qui Deus est, qui unam personam habere in homine et cum homine voluit, nec decrescere nec crescere potuit, nec mori nec resurgere. Mortuus est ex infirmitate hominis, cæterum Deus non moritur. Nam quod Verbum Dei non moritur, ne mireris, quando non moritur anima in martyre. Modo non audiebamus ipsum Dominum dicentem : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* x, 28)? Ergo morientibus martyribus animæ Martyrum mortuæ non sunt, et moriente Christo moriturum erat Verbum? Utique Verbum Dei multo amplius est quam anima hominis : quia anima hominis facta est a Deo; et si facta est a Deo, per Verbum facta est : quia omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I, 3). Ergo nec moritur Verbum, cum non moriatur anima facta per Verbum. Sed quomodo recte dicimus, Mortuus est homo, etsi anima [2] ipsius non moriatur; sic recte dicimus, Mortuus est Christus, etsi divinitas ejus non moriatur. Mortuus unde? Quia egenus et pauper. Non te perstringat mors ipsius, et avertat te a contuenda divinitate. *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* Respice et pauperes, egentes, esurientes et sitientes, peregrinantes, nudos, ægrotos, in carcere constitutos; intellige et super talem pauperem, quia et si super talem intelligis, super illum intelligis qui dixit, *Esurivi, sitivi, nudus, peregrinus, æger, in carcere fui* (*Matth.* xxv, 35, 36). Ita in die maligna eruet te Dominus.

3. [*vers.* 3.] Et vide beatitudinem tuam. *Dominus conservet eum.* Propheta bene optat homini intelligenti super egenum et pauperem. Ista optatio promissio est; securi exspectent qui hoc agunt. *Dominus conservet eum, et vivificet eum.* Quid est, *conservet eum, et vivificet eum?* Quo pertinet, *vivificet eum?* Ad futuram vitam. Vivificatur enim qui mortuus erat. Numquid autem potest mortuus intelligere super egenum et pauperem? Sed vivificationem nobis illam promittit, de qua dicit Apostolus : *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam : si autem qui suscitavit Christum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (*Rom.* VIII, 10, 11). Hæc est ergo vivificatio quæ promittitur intelligenti super egenum et pauperem. Sed quia dicit Apostolus ad Timotheum, *Promissionem habens vitæ præsentis et futuræ* (I *Tim.* IV, 8); ne putarent illi qui intelligunt super egenum et pauperem, recipiendos quidem se esse in cœlum, sed negligi in terra; et non sperarent nisi quod futurum est in æternum, quod autem ad præsens est, putarent Deum non curare in sanctis et fidelibus suis; ubi dixit quod maxime exspectare debemus, *Dominus conservet eum, et vivificet eum;* respexit ad istam vitam, *Et beatum*, inquit, *faciat eum in terra.* Erige ergo oculos in hæc promissa christiana fide : non te deserit Deus in terra, et aliquid promittit in cœlo. Multi enim mali christiani inspectores ephemeridarum [1], et inquisitores atque observatores temporum et dierum, cum cœperint ibi objurgari a nobis, vel a quibusdam bonis melioribusque christianis, quare ista faciant, respondent : Hæc propter tempus hoc necessaria sunt; christiani autem sumus propter vitam æternam; propterea in Christum credidimus, ut det nobis vitam æternam; nam vita ista temporalis in qua versamur, ad curam ipsius non pertinet. Relinquitur, ut hoc breviter dicant, ut propter vitam æternam Deus, et propter vitam præsentem diabolus colatur. Respondet illis ipse Christus : *Non potestis duobus dominis servire* (*Matth.* VI, 24). Et alium colis propter id quod exspectas in cœlo, et alium colis propter id quod exspectas in terra : quanto melius unum colis, qui fecit cœlum et terram? Qui curavit ut esset terra, imaginem suam negligit in terra? Ergo, *Conservet eum Dominus et vivificet eum,* intelligentem super egenum et pauperem. Insuper quamvis in æternum vivificet, *beatum faciat eum in terra.*

4. *Et non tradat eum in manus inimici ejus.* Inimicus ille diabolus est. Nemo attendat inimicum suum hominem, quando audit verba ista. Jam forte de vicino suo cogitabat, de illo qui cum illo litem in foro habebat, de illo qui illi vult auferre possessionem, qui illum vult premere ut vendat illi domum suam. Nolite ista cogitare; sed illum inimicum cogitate, de quo dicit Dominus, *Inimicus homo hoc fecit* (*Id.* XIII, 28). Ipse est enim qui suggerit ut propter res terrenas colatur; quia non potest evertere nomen christianum inimicus iste : vidit enim se victum fama et laudibus Christi, vidit in eo quod occidit martyres Christi, illos coronatos, et se triumphatum; et cœpit non posse hoc persuadere hominibus, quod nihil sit Christus; et quia vituperando Christum, jam difficile decipit; laudando Christum, conatur decipere. Antea quid dicebat? Quem colitis? Judæum mortuum, crucifixum, nullius momenti hominem, qui non potuit a se mortem depellere. Ubi in nomine ejus vidit currere genus huma-

[1] Quinque Mss., *a paupere.*
[2] Omnes Mss., *etsi caro ipsius moriatur :* ubi quidam addunt, *sola.*

[1] Colbert. Ms., *rationum ephemeriarum.*

num, vidit quia in nomine crucifixi templa subvertuntur, idola franguntur, sacrificia exstinguuntur; et hæc omnia prædicta in Prophetis attenduntur ab hominibus, admiratione stupentibus, et claudentibus jam cor adversus vituperationem Christi [1]; induit se laudibus Christi, et cœpit a fide alio modo deterrere. Magna lex est Christiana, potens illa lex, divina, ineffabilis : sed quis illam implet? In nomine Salvatoris nostri conculcate leonem et draconem (*Psal.* xc, 13). Aperte reprehendendo fremebat leo, astute laudando insidiatur draco. Veniant ad fidem qui dubitabant : non dicant, Quis hoc implet? Si de viribus suis præsumunt, non implebunt. Præsumendo de gratia Dei [2] credant. præsumendo veniant, adjuvandi veniant, non judicandi. Vivunt omnes fideles in nomine Christi, quisque pro gradu suo implens præcepta Christi, sive conjuges, sive cælibes et virgines, vivunt quantum donat Dominus eis vivere; neque de suis viribus præsumunt, sed noverunt se in illo debere gloriari. Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis (I *Cor.* iv, 7)? Noli dicere mihi, Quis illud implet? Ille in me implet, qui venit dives ad pauperem : pauper quidem ad pauperem, sed plenus ad inanem. Hæc cogitans, quia intelligit super egenum et pauperem, et non aspernatur paupertatem Christi, intelligit divitias Christi, fit beatus in terra : et non traditur in manus inimici sui, volentis ei persuadere ut Deus colatur propter cœlestia, diabolus colatur propter terrena. *Non tradat eum in manus inimici ejus.*

5. [*Vers.* 4.] *Dominus opem ferat illi.* Sed ubi? Forte in cœlo, forte in vita æterna, ut restet colendum diabolum propter inopiam terrenam, propter necessitates hujus vitæ? Absit. Promissionem habes vitæ præsentis et futuræ (I *Tim.* iv, 8). Ille ad te venit in terram, per quem factum est cœlum et terra. Denique attende quid dicat : *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.* Lectus doloris infirmitas est carnis. Ne dicas, Non possum tenere et portare et frenare carnem meam : adjuvaris ut possis. Dominus opem ferat tibi super lectum doloris tui. Portabat te lectus, non tu portabas lectum; sed paralyticus intus eras : adest qui dicat tibi, *Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam* (*Marc.* ii, 11). *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.* Et ad ipsum Dominum convertit se, tanquam quæreretur, Quare ergo cum opem ferat nobis Deus, tanta mala patimur in ista vita, tanta scandala, tantos labores, tantam inquietudinem carnis et sæculi? convertit se ad Deum, et tanquam consilium medicinæ ejus nobis exponens : *Totum stratum ejus*, inquit, *vertisti in infirmitate ejus.* Quid est : *Totum stratum ejus vertisti in infirmitate ejus?* Per stratum intelligitur aliquid terrenum. Omnis anima infirma in hac vita quærit sibi aliquid terrenum ubi requiescat; quoniam intentionem laboris et mentis extentæ in Deum difficile potest perpetuo tolerare : aliquid sibi in terra conquirit ubi requiescat et quodammodo pausatione quadam recumbat, veluti sunt ista quæ diligunt et innocentes. Neque enim de cupiditatibus malorum nunc loquendum est, quia multi acquiescunt in theatris, multi acquiescunt in circo, in amphitheatro, multi acquiescunt in alea; multi in luxuria popinarum, multi in libidine adulteriorum, multi in violentiis rapinarum, multi in dolo et insidiis fraudium : acquiescunt in his omnibus homines. Quid est, acquiescunt? Delectantur illic. Sed removeamus hæc omnia, ad innocentem hominem veniamus : acquiescit in domo sua, in familia sua, in conjuge, in filiis, in paupertate, in prædiolo suo, in novella manibus suis consita, in ædificio aliquo suo studio fabricato : acquiescunt innocentes in his. Sed tamen Deus volens nos amorem non habere nisi vitæ æternæ, et istis velut innocentibus delectationibus miscet amaritudines; ut et in his patiamur tribulationes, et universum stratum nostrum vertit in infirmitate nostra. *Universum stratum ejus vertisti in infirmitate ejus.* Non ergo conqueratur, quando in his quæ innocenter habet, patitur aliquas tribulationes. Docetur amare meliora per amaritudinem inferiorum : ne viator tendens ad patriam, stabulum amet pro domo sua. *Universum stratum ejus vertisti in infirmitate ejus.*

6. [*Vers.* 5.] Sed quare ista? Quia flagellat omnem filium quem recipit (*Hebr.* xii, 6). Quare ista? Quia peccanti homini dictum est : *In labore vultus tui edes panem tuum* (*Gen.* iii, 19). Ergo quia correptiones istas, in quibus universum stratum nostrum vertitur in infirmitate nostra, agnoscere debet homo propter peccata se pati; convertat se, et dicat quod sequitur : *Ego dixi : Domine, miserere mei; sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* O Domine, in tribulationibus me exerce [1]; flagellandum judicas omnem filium quem recepturus es, qui nec Unico pepercisti. Ille quidem sine peccato flagellatus est : ego autem dico, *Miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* Si secatus est [2] qui putredinem non habebat, si medicina ipsa nostra ignem medicinalem non respuit; impatienter ferre debemus urentem medicum et secantem, id est, omnibus tribulationibus nos exercentem, et a peccato sanantem? Plane committamus nos medici manui; non enim errat, ut sanum pro putri secet : novit quod inspicit, novit vitium, quia ipse fecit naturam; quid ipse condidit, quid de nostra cupiditate accessit, discernit. Scit se sano homini præceptum dedisse, ne languorem incurreret; dixisse in paradiso : Hoc manduca, et hoc noli (*Id.* ii, 16, 17). Non audivit sanus medici præceptum, ut non caderet; audiat vel ægrotus, ut surgat. *Ego dixi : Domine, miserere mei; sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* In factis meis, in peccatis meis non accuso fortunam, non dico, Hoc mihi fecit fatum; non dico, Adulterum me fecit Venus, et latronem me fecit Mars, et avarum

[1] Sic habent plerique Mss. At Edd., *et laudantibus, jam adversus vituperationem Christi cessavit, et induit se*, etc. Pauloque post habebant : *sed quis illam implet? Impletur in nomine Salvatoris nostri calcantis leonem*, etc.

[2] Omnes fere Mss. omittunt, *de gratia Dei* : et paulo post habent : *adjuvandi veniunt*. Edd. vero : *adjuvandi veniant.*

[1] Sic Mss. Edd. vero, *in tribulationibus meis me exerces.*

[2] Lov., *si ustus est*. At Mss., *si secatus est*; aut, *sectus* : et sic Er.

me fecit Saturnus. *Ego dixi : Domine miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* Numquid hoc Christus? numquid hoc caput illud nostrum sine peccato? numquid ille qui ea quæ non rapuit exsolvebat (*Psal.* LXVIII, 5)? numquid ille solus in mortuis liber (*Psal.* LXXXVII, 6)? Liber enim in mortuis, quia sine peccato : quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34). Numquid ergo ipse? Imo ipse ex membris suis, quia vox membrorum ipsius vox ipsius; quia et vox capitis nostri vox nostra. In illo enim eramus, quando dixit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Non enim timebat mori, qui venerat mori; aut recusabat mori, qui potestatem habebat animam suam ponendi, et potestatem habebat iterum sumendi eam (*Joan.* X, 18) : sed loquebantur membra in capite, et loquebatur caput pro membris. In illo ergo vocem nostram invenimus : *Sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* In illo enim eramus, cum dixit : *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti* (*Matth.* XXVII, 46)? In ipso enim psalmo ubi in capite hic versus est, consequenter dicitur : *Verba delictorum meorum* (*Psal.* XXI, 2). Quorum delictorum in illo, nisi quia vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, ut evacuaretur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato (*Rom.* VI, 6)? Ad illum et in illo dicamus : *Ego dixi : Domine, miserere mei; sana animam meam, quoniam peccavi tibi.*

7. [*vers.* 6.] *Inimici mei dixerunt mala mihi : Quando morietur, et peribit nomen ejus.* Jam ista diximus, et hinc cœpimus; et ut alia dicamus, non opus est iterare, quod tam recenti sermone impressum est auribus et cordibus vestris.

8. [*vers.* 7.] *Et ingrediebantur ut viderent.* Quod passus est Christus, patitur et Ecclesia; quod passum est caput, patiuntur et membra. Numquid enim servus est major Domino suo, aut discipulus super magistrum? *Si me*, inquit, *persecuti sunt, et vos persequentur. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus* (*Matth.* X, 24, *et Joan.* XV, 20)? *Ingrediebantur ut viderent.* Judas ille ad caput nostrum[1] erat, ad caput nostrum ingrediebatur ut videret, id est ut exploraret : non ut haberet quod crederet, sed ut inveniret quod proderet. Ecce ingrediebatur ille ut videret, et hoc exemplum in capite nostro propositum est. Quid illa membra post assumptionem capitis nostri? Nonne dicit apostolus Paulus : *Propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt proscultare libertatem nostram* (*Gal.* II, 4)? Ergo et isti ingrediebantur ut viderent, sunt enim hypocritæ, simulatores mali adjungentes se ficta charitate, captantes omnes motus, omnia verba sanctorum, in omnibus laqueos inquirentes. Et quid illis fit? Videte quid sequitur : *Vana locutum est cor eorum* : id est, loquuntur quasi ficta dilectione; vanum est quod loquuntur, verum non est, solidum non est. Et quia captant unde inveniant accusationem, quid ait? *Congregaverunt iniquitatem sibi.* Parantes enim calumnias inimici, quasi magni sibi videntur, quia habent quod accusent. *Sibi congregaverunt iniquitatem. Sibi*, inquit, non mihi. Quomodo Judas sibi, non Christo, sic et simulatores Ecclesiæ sibi, non nobis : quia de illis et alibi dicitur : *Et mentita est iniquitas sibi* (*Psal.* XXVI, 12). *Congregaverunt iniquitatem sibi.* Et quia intraverunt ut viderent, *Egrediebantur foras, et loquebantur.* Ille qui intravit ut videret, egrediebatur foras et loquebatur. Utinam intus esset, et vera loqueretur! non exiret foras ubi falsa loquitur. Traditor et persecutor est, egressus foras loquitur. Si ad membra Christi pertines, veni intro, hære capiti[1]. Tolera zizania si triticum es; tolera paleam, si frumentum es (*Matth.* XIII, 30); tolera pisces malos intra retia, si piscis bonus es. Quare ante tempus ventilationis avolasti? Quare ante tempus messis etiam frumenta eradicasti tecum? Quare antequam ad littus venires, retia disrupisti? *Egrediebantur foras, et loquebantur.*

9. [*vers.* 8.] *In idipsum adversum me susurrabant omnes inimici mei.* Adversum me omnes in idipsum : quanto melius mecum in idipsum? Quid est, *adversum me in idipsum?* Uno consilio, una conspiratione. Christus ergo loquitur eis : Consentitis adversum me, consentite mihi : quid adversum me? quare non mecum? Idipsum si semper haberetis, non vos in schismata divideretis. Apostolus enim dicit : *Obsecro vos, fratres, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata* (I *Cor.* I, 10). *In idipsum adversus me susurrabant omnes inimici mei : adversum me cogitabant mala mihi.* Sibi potius, quia *congregaverunt iniquitatem sibi* : sed ideo mihi, quia ex animo suo pendendi sunt. Non enim quia nihil facere potuerunt, nihil facere voluerunt. Nam et diabolus Christum exstinguere concupivit, et Judas Christum occidere voluit; occiso autem Christo et resurgente, nos vivificati sumus : diabolo tamen et Judæ merces malæ voluntatis redditur, non nostræ salutis. Nam ut noveritis ex animo quemque pendendum ad retributionem vel præmii vel pœnæ, invenimus homines bonum dixisse cuidam, et tale bonum quale nos optamus, et tamen maledicos appellatos. Quando a cæco illo quondam, jam illuminato et corpore et corde, convincebantur Judæi[2], videntes corpore, cæci corde : ait illis idem jam videns : *Numquid et vos discipuli ejus vultis esse?* Et illi, inquit Evangelium, *maledixerunt ei dicentes : Tu sis discipulus ejus* (*Joan.* IX, 27 *et* 28). Hoc nobis omnibus eveniat, quod illi maledicendo dixerunt. Maledictio ista appellata est ex malevolo errore dicentium, non ex aliquo malo verborum : quo animo dixerint, non quid dixerint attendit, qui eos maledixisse narravit. *Adversum me cogitabant mala mihi.* Et quæ mala Christo, quæ mala martyribus? Omnia in bonum vertit Deus.

10. [*vers.* 9.] *Verbum iniquum disposuerunt adversus me.* Quale verbum iniquum? Ipsum caput attende : *Occidamus eum, et nostra erit hæreditas* (*Matth.* XXI,

[1] Mss. hoc loco omittunt, *ad caput nostrum.*

[1] Sic plerique Mss. At Edd., *veni introeas ad caput.*

[2] Sic Mss. At Edd., *invenimus hominem bonum dixisse cuidam, et tale bonum quale nos optamus, et tamen maledictum appellatum, quando cæco illi quondam illuminato et corpore et corde conviciabantur Judæi*, etc.

38). Stulti! quomodo vestra erit hæreditas? quia occidistis eum? Ecce et occidistis eum, et vestra non erit hæreditas. *Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?* Quando vos exsultastis occidisse eum, ille dormivit: dicit enim et in alio psalmo, *Ego dormivi.* Illi sævierunt, et occidere voluerunt: *Ego dormivi.* Nam si noluissem, nec dormissem. *Ego dormivi:* quia *potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* x, 18). *Ego dormivi, et somnum cepi, et exsurrexi* (*Psal.* III, 6). Sæviant ergo Judæi, terra tradatur in manus impii (*Job* IX, 24), caro permittatur manibus persequentium, suspendant in ligno, clavis transfigant, lancea perfodiant: *Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?* Utquid dormivit? Quia Adam forma erat futuri (*Rom.* v, 14): et Adam dormivit, quando de latere ejus Eva facta est (*Gen.* II, 21). Adam in figura Christi, Eva in figura Ecclesiæ: unde est appellata mater vivorum. Quando fabricata est Eva? Dum dormiret Adam. Quando de latere Christi sacramenta Ecclesiæ profluxerunt? Cum dormiret in cruce. *Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?*

11. [*vers.* 10.] Et unde dormivit? Ex illo qui ingressus est ut videret, et congregavit iniquitatem sibi. *Etenim homo pacis meæ, in quem speravi, qui edebat panes meos, ampliavit super me calcaneum.* Erexit super me pedem: conculcare me voluit. Quis est iste homo pacis ipsius? Judas. Et in illum Christus speravit, quia dixit, *In quem speravi?* Nonne illum ab initio noverat? nonne antequam nasceretur futurum sciebat? nonne omnibus discipulis suis dixerat, *Ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est* (*Joan.* VI, 71)? Quomodo ergo in illum speravit, nisi quia in membris suis ipse est, et quod multi fideles de Juda speraverunt, hoc in se transfiguravit Dominus? Quando enim videbant Judam multi qui crediderant in Christum, ambulare inter duodecim discipulos, sperabant in illum aliqui; quia talis erat, quales et cæteri: Christus autem quia in membris suis erat hoc sperantibus, quomodo in illis est esurientibus et sitientibus; quomodo dixit *Esurivi*, sic dixit *Speravi.* Proinde si sic illi dicamus, Domine, quando sperasti? quomodo illi dictum est, Domine, quando esuristi? Quomodo nobis ibi dixit, *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 37, 40); sic potest dicere: Cum unus ex minimis meis speravit, ego speravi. In quem speravi? *Homo pacis meæ, in quem speravi, qui edebat panes meos.* Quomodo ipsum ostendit in passione, de istis verbis prophetiæ? Per buccellam illum designavit (*Joan.* XIII, 26), ut appareret de illo dictum, *Qui edebat panes meos.* Rursus quando venit ut traderet eum, osculum illi dedit (*Matth.* XXVI, 49), ut appareret de illo dictum, *Homo pacis meæ.*

12. [*vers.* 11.] *Tu autem, Domine, miserere mei.* Hoc ex forma servi, hoc ex forma [1] inopis et pauperis. *Beatus* enim *qui intelligit super egenum et pauperem. Miserere mei, et resuscita me, et reddam illis.* Videte quando dictum est, jam factum est. Occiderunt enim Christum Judæi, ne perderent locum (*Joan.* XI, 48): illo occiso perdiderunt locum; eradicati a regno [1], dispersi sunt. Suscitatus reddidit illis tribulationem: reddidit ad admonitionem, nondum ad damnationem. Civitas enim illa in qua fremuit populus, tanquam leo rapiens et rugiens, exclamans, *Crucifige, crucifige* (*Luc.* XXIII, 21, *et Joan.* XIX, 6), eradicatis inde Judæis, Christianos habet, a Judæo nullo inhabitatur. Plantata est ibi Ecclesia Christi, unde eradicatæ sunt spinæ Synagogæ. Proinde vere ignis eorum exarsit, sicut in spinis (*Psal.* CXVII, 12): Dominus autem tanquam lignum viride erat. Hoc ipse ait, quando plangebant quædam mulieres veluti moriturum Christum, *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros:* ex hoc prædicens, *Suscita me, et reddam illis. Si enim in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet* (*Luc.* XXIII, 28, 31)? Quando possit viride lignum consumi ab igne spinarum? Exarserunt enim velut ignis in spinis. Ignis spinas consumit, et cuicumque viridi ligno adhibetur, difficile accenditur, humor enim ligni resistit flammæ lentæ et marcidæ, tamen idoneæ ad consumendas spinas. *Et suscita me, et reddam illis.* Ne forte sane, fratres, minus potentem Filium, quam Patrem putetis, ex eo quia dixit, *Suscita me,* quod ipse se suscitare non possit. Hoc enim suscitavit quod mori poterat: id est, caro mortua est, caro suscitata est. Ne tamen putetis, quia Deus Pater Christi potuit suscitare Christum, id est carnem Filii sui; et ipse Christus, cum Verbum sit Dei æquale Patri, non poterat carnem suam suscitare: audite ex Evangelio, *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud.* Hoc autem Evangelista, ne etiam inde dubitaremus, *dicebat,* inquit, *de templo corporis sui* (*Joan.* II, 19, 21), *et resuscita me, et reddam illis.*

13. [*vers.* 12.] *In hoc cognovi quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.* Quia gavisi sunt Judæi, quando viderunt Christum crucifixum; implesse se arbitrati sunt voluntatem nocendi: effectum fructum sævitiæ suæ viderunt Christum in cruce pendentem; agitaverunt caput, *Si Filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII, 39, 40). Non descendebat qui poterat: non potentiam [2] demonstrabat, sed patientiam docebat. Si enim hæc illis dicentibus de cruce descenderet, quasi insultantibus cessisse videretur, et victus opprobria tolerare non potuisse crederetur: magis mansit in cruce illis insultantibus, fixus illis nutantibus. Ideo enim et caput agitabant, quia vero capiti non inhærebant. Docuit nos plane ille patientiam. Nam quod est fortius fecit, qui noluit facere quod Judæi provocabant. Multo est enim potentius de sepulcro surgere, quam de cruce descendere. *Quoniam non gaudebit inimicus meus super me.* Gavisi sunt ergo tunc: resurrexit Christus, glorificatus est Christus. Vident modo in nomine ipsius converti genus humanum, modo insultent, modo caput agitent: imo jam caput figant; aut si agitant caput, stupendo et mirando agitent. Modo enim di-

[1] Edd., *persona.* MSS., *forma.*

[1] Am. et MSS., *eradicato regno.*
[2] MSS. magno consensu, *non impotentiam demonstrabat.*

cunt : Numquid forte ille est quem dixerunt Moyses et Prophetæ? De illo enim dixerunt : *Sicut ovis ad immolandum ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum : vulneribus ejus sanati sumus* (*Isai.* LIII, 5, 7). Videmus enim, quia crucifixus iste ducit post se genus humanum ; et sine causa dixerunt patres nostri : *Occidamus eum, ne sæculum post illum pergat* (*Joan.* XII, 19). Forte non post eum pergeret, si non esset occisus. *In hoc cognovi quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.*

14. [*vers.* 13, 14.] *Me autem propter innocentiam meam suscepisti.* Vere innocentiam : integritatem sine peccato, redditionem sine debito, flagellum sine merito. *Propter innocentiam meam suscepisti me, et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.* Confirmasti me in æternum, infirmasti ad tempus : confirmasti in conspectu tuo, infirmasti in conspectu hominum. Quid ergo? Laudes illi, gloria illi. *Benedictus Dominus Deus Israel.* Ille est enim Deus Israel, Deus noster, Deus Jacob, Deus minoris filii, Deus minoris populi. Nemo dicat : De Judæis hoc dixit, non sum ego Israel. Magis Judæi non sunt Israel. Major enim filius, ipse est major populus reprobatus ; minor, populus dilectus. *Major serviet minori* (*Gen.* XXV, 23), modo impletum est : modo, fratres, nobis serviunt Judæi, tanquam capsarii nostri sunt, studentibus nobis codices portant. Audite in quo nobis Judæi serviunt, et non sine causa. Cain ille frater major, qui occidit minorem fratrem, accepit signum ne occideretur, id est, ut maneat ipse populus (*Id.* IV, 15). Apud illos sunt Prophetæ et Lex ; in qua Lege et in quibus Prophetis Christus prædicatus est. Quando agimus cum Paganis, et ostendimus hoc evenire modo in Ecclesia Chri ti, quod ante prædictum est de nomine Christi, de capite et corpore Christi, ne putent nos finxisse illas prædictiones, et ex his rebus quæ acciderunt, quasi futuræ essent, nos conscripsisse, proferimus codices Judæorum. Nempe Judæi inimici nostri sunt, de chartis inimici convincitur adversarius. Omnia ergo Dominus distribuit, omnia pro salute nostra ordinavit. Prædixit ante nos, implevit hoc tempore [1] nostro, et quæ nondum implevit, impleturus est. Itaque tenemus redditorem, ut credamus debitorem : quia et illa quæ nondum dedit, dabit ; sicut ea quæ nondum dederat, dedit. Si quis probare vult ubi sint scripta, legat Moysen et Prophetas. Si aliquis perstrepit inimicus, et dicit, Vos vobis prophetias finxistis ; proferantur codices Judæorum, quia major serviet minori. Ibi legant ista prædicta, quæ modo videmus impleta, et dicamus omnes : *Benedictus Dominus Deus Israel, a sæculo et in sæculum : et dicet omnis populus, Fiat, fiat.*

[1] Plerique Mss. : *Prædixit ante annos, implevit hoc tempore, et quæ*, etc. Unus Ms., *ante multos annos.*

IN PSALMUM XLI
ENARRATIO.
SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1-3.] Olim est ut desiderat anima nostra in verbo Dei gaudere vobiscum, et in illo vos salutare, qui est nostrum adjutorium et salutare. Quod ergo Dominus dat, audite per nos, et in illo exsultate nobiscum in sermone ejus, et in veritate et in charitate ejus. Psalmum enim suscepimus, de quo loquendum est vobis, congruum desiderio vestro [1]. Cœpit enim ipse psalmus a sancto quodam desiderio, et ait qui sic cantat : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Quis ergo est qui hoc dicit? Si volumus, nos sumus. Et quid quæras extra quisnam sit, cum in tua potestate sit esse quod quæris? Tamen non unus homo est, sed unum corpus est : corpus autem Christi Ecclesia est (*Coloss.* I, 24). Nec in omnibus qui intrant Ecclesiam, invenitur tale desiderium : sed tamen quicumque suavitatem Domini gustaverunt, et quod eis sapit agnoscunt in Cantico, non putent se solos esse ; sed talia semina sparsa credant in agro dominico, toto orbe terrarum, et cujusdam unitatis christianæ esse vocem hanc : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, sic desiderat anima mea ad te, Deus.* Et quidem non male intelligitur vox esse eorum qui, cum sint catechumeni, ad gratiam sancti lavacri festinant. Unde et solemniter cantatur hic psalmus, ut ita desiderent fontem remissionis peccatorum, *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.* Sit hoc, habeatque locum intellectus iste in Ecclesia et veracem et solemnem. Verumtamen, fratres, videtur mihi etiam in Baptismate fidelibus nondum esse satiatum tale desiderium : sed fortassis, si norunt ubi peregrinentur, et quo eis transeundum sit, etiam ardentius inflammantur.

2. Denique titulus ejus est : *In finem, in intellectum* [2] *filiis Core, Psalmus.* Filios Core invenimus et in aliis Psalmorum titulis (*Psal.* XLIII-XLVIII), et jam tractasse nos meminimus, et locutos esse quid sibi hoc nomen velit : ita tamen nunc commemorandus est iste titulus, ut non nobis quasi præjudicet quod jam diximus, ut deinceps non dicamus : non enim ubicumque diximus, omnes adfuerunt. Core aliquis homo fuerit, sicut fuit, habueritque filios qui appellarentur filii Core (*Num.* XXVI, 11) : nos tamen arcanum sacramenti scrutemur, ut nomen hoc mysterium, quo gravidum est, pariat. Magni enim sacramenti res est, ut Christiani appellentur filii Core. Unde filii Core? Filii sponsi, filii Christi. Dicti sunt enim Christiani, filii sponsi (*Matth.* IX, 15). Quare ergo Core Christus? Quia Core interpretatur Calvaria. Multo remotius est hoc. Quærebam quare Core Christus : intentius quæro quare Christus ad Calvariam pertinere videatur. Nonne jam occurrit in loco Calvariæ crucifixus (*Matth.* XXVII, 33)? Occurrit omnino. Ergo filii

[1] Mss. aliquot, *desiderio nostro.* Multo plures, *desiderium nostrum.*
[2] Sic Mss. juxta Græc. LXX. At Edd., *in finem intellectus.*

sponsi, filii passionis illius, filii redempti sanguine illius, filii crucis illius, portantes in fronte quod inimici in Calvariæ loco fixerunt, appellantur filii Core: illis cantatur iste psalmus in intellectum. Intellectu itaque excitemur [1]; et si nobis cantatur, intelligamus. Quid intellecturi sumus? in quem intellectum psalmus iste cantatur? Audeo dicere : invisibilia enim ejus a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur (*Rom.* I, 20). Eia, fratres, aviditatem meam capite, desiderium hoc mecum [2] communicate: simul amemus, simul in hac siti exardescamus, simul ad fontem intelligendi curramus. Desideremus ergo velut cervus fontem, excepto illo fonte quem propter remissionem peccatorum desiderant baptizandi, et jam baptizati desideremus illum fontem, de quo Scriptura alia dicit : *Quoniam apud te est fons vitæ.* Ipse enim fons et lumen est : quoniam *in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV, 10). Si et fons est, et lumen est; merito et intellectus est, quia et satiat animam avidam sciendi; et omnis qui intelligit, luce quadam non corporali, non carnali, non exteriore, sed interiore illustratur. Est ergo, fratres, quædam lux intus, quam non habent qui non intelligunt. Unde jam eos qui desiderant hunc fontem vitæ, et inde aliquid carpunt, alloquitur Apostolus obsecrans, et dicit : *Ut jam non ambuletis sicut et Gentes ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intelligentia, alienati a vita Dei per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum* (*Ephes.* IV, 17, 18). Si ergo illi obscurati sunt intelligentia, id est, quia non intelligunt, obscurantur; ergo qui intelligunt illuminantur. Curre ad fontes, desidera aquarum fontes. Apud Deum est fons vitæ et insiccabilis fons : in illius luce lumen inobscurabile. Lumen hoc desidera, quemdam fontem, quoddam lumen quale non norunt oculi tui; cui lumini videndo oculus interior præparatur, cui fonti hauriendo sitis interior inardescit. Curre ad fontem, desidera fontem : sed noli utcumque, noli ut qualecumque animal currere; ut cervus curre. Quid est, ut cervus? Non sit tarditas in currendo, impigre curre, impigre desidera fontem. Invenimus enim insigne velocitatis in cervo.

3. Sed forte non hoc Scriptura solum nos in cervo considerare voluit, sed et aliud. Audi quid aliud est in cervo. Serpentes necat, et post serpentium interemptionem majori siti inardescit, peremptis serpentibus ad fontes acrius currit. Serpentes vitia tua sunt : consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis. Avaritia forte in te tenebrosum aliquid sibilat, et sibilat adversus verbum Dei, sibilat adversus præceptum Dei : et quia tibi dicitur, Contemne aliquid, ne facias iniquitatem; si mavis facere iniquitatem, quam aliquod commodum temporale contemnere, morderi eligis a serpente, quam perimere serpentem. Cum ergo adhuc faveas vitio tuo, cupiditati tuæ, avaritiæ tuæ, serpenti tuo; quando in te invenio tale desiderium, quo curras ad fontem aquarum? quando concupiscis fontem sapientiæ, cum adhuc labores in veneno malitiæ? Interfice in te quidquid contrarium est veritati : et cum te videris tanquam vacare a cupiditatibus perversis, noli remanere quasi non sit quod desideres. Est enim aliquid, quo te tollas; si jam egisti in te, ut non sit impeditor contra te. Dicturus enim es forte jam mihi, si cervus es : Deus novit non me jam avarum, non me jam cujusquam rem concupiscere, non adulterii cupiditate flagrare, non cujusquam odio invidiaque tabescere, et cætera hujusmodi; dicturus es, Non habeo hæc : et quæris forte unde delecteris. Desidera unde delecteris; desidera *ad fontes aquarum :* habet Deus unde te reficiat, et impleat venientem ad se, et sitientem post interemptionem serpentium, tanquam velocem cervum.

4. Est aliud quod animadvertas in cervo. Traduntur cervi, et a quibusdam etiam visi sunt; non enim de illis tale aliquid scriberetur, nisi antea videretur : dicuntur ergo cervi vel quando in agmine suo ambulant, vel quando natando alias terrarum partes petunt, onera capitum suorum super se invicem ponere, ita ut unus præcedat, et sequantur qui supra eum capita ponant, et supra illos alii consequentes, et deinde alii, donec agmen finiatur : ille autem unus qui pondus capitis in primatu portabat, fatigatus redit ad posteriora, ut alius ei succedat, qui portet quod ille portabat, atque ille fatigationem suam recreet posito capite, sicut et cæteri ponebant : ita vicissim portando quod grave est, et viam peragunt, et invicem se non deserunt. Nonne quosdam cervos alloquitur Apostolus, dicens : *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI, 2)?

5. Talis ergo cervus in fide constitutus, nondum videns quod credit, cupiens intelligere quod diligit, patitur et contrarios non cervos [1], obscuratos intelligentia, in tenebris interioribus constitutos, vitiorum cupiditate cæcatos; insuper insultantes et dicentes homini credenti, et quod credit non ostendenti : *Ubi est Deus tuus?* Quid ergo iste cervus fecerit contra hæc verba, audiamus, ut et ipsi, si possumus, faciamus. Primo expressit sitim suam : *Quemadmodum,* inquit, *cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.* Quid si cervus ad fontes aquarum lavandi causa desiderat? Utrum ergo bibendi an lavandi causa, nescimus. Audi quid sequitur, et noli quærere : *Sitivit anima mea ad Deum vivum.* Quod dico, *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima ad te, Deus,* hoc dico, *Sitivit anima mea ad Deum vivum.* Quid sitivit? *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei.* Hoc est quod sitio, venire et apparere. Sitio in peregrinatione, sitio in cursu : satiabor in adventu. Sed *quando veniam?* Et quod citius est Deo, tardum est desiderio. *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* Ex illo desiderio est et hoc, ex quo clamatur alibi : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per*

[1] Aliquot Mss.: *intellectum itaque scrutemur*
[2] Plerique Mss., *meum.*

[1] Sic Mss., At Edd., *contrarios cervos, non solum obscuratos,* etc.

omnes dies vitæ meæ. Quare hoc? *Ut contempler*, inquit, *delectationem Domini* (*Psal.* XXVI, 4). *Quando veniam et apparebo ante faciem Domini?*

6. [*vers.* 4.] Interim dum meditor, dum curro, dum in via sum, antequam veniam, antequam appaream, *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte, cum dicitur mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? Fuerunt mihi*, inquit, *lacrymæ meæ*, non amaritudo, sed *panis*. Suaves erant mihi ipsæ lacrymæ: sitiens illum fontem, quia bibere nondum poteram, avidius meas lacrymas manducabam. Non enim dixit, Factæ sunt mihi lacrymæ meæ potus, ne ipsas desiderasse videretur sicut fontes aquarum: sed servata illa siti, qua inardesco, qua rapior ad fontes aquarum, panis mihi factæ sunt lacrymæ meæ, dum differor. Et utique manducando lacrymas suas, sine dubio plus sitit ad fontes. Die quippe ac nocte factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis. Cibum istum qui panis dicitur, die comedunt homines, nocte dormiunt: panis autem lacrymarum et die et nocte comeditur; sive totum tempus accipias diem et noctem; sive diem intelligas pro hujus sæculi prosperitate, noctem vero pro hujus sæculi adversitate. Sive, inquit, in prosperis rebus sæculi, sive in adversis rebus sæculi, ego desiderii mei lacrymas fundo, ego desiderii mei aviditatem non desero: et cum in mundo bene est, mihi male est, antequam apparebo ante faciem Dei. Quid ergo diei [1] quasi gratulari me cogis, si aliqua hujus sæculi prosperitas arriserit? nonne deceptoria est? nonne fluxa, caduca, mortalis? nonne temporalis, volatica, transitoria? nonne plus habet deceptionis quam delectationis? Cur ergo non et in ipsa fiant mihi lacrymæ meæ panis? Siquidem et cum felicitas sæculi circumfulget, quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino (II *Cor.* V, 6); et *dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Quia paganus si hoc mihi dixerit, non illi et ego possum dicere: *Ubi est Deus tuus?* Deum quippe suum digito ostendit. Intendit enim digitum ad aliquem lapidem, et dicit: Ecce est Deus meus. *Ubi est Deus tuus?* Cum lapidem irrisero, et erubuerit qui demonstravit, tollit oculum a lapide, suspicit cœlum, et forte in solem digitum intendens, iterum dicit: Ecce Deus meus. *Ubi est Deus tuus?* Invenit ille quod ostenderet oculis carnis: ego autem non quasi non habeam quem ostendam, sed non habet ille oculos quibus ostendam. Potuit enim ille oculis corporis mei ostendere Deum suum solem: quibus ego oculis ostendam solis creatorem?

7. Verumtamen audiendo quotidie, *Ubi est Deus tuus?* et in lacrymis meis quotidianis pastus, die ac nocte meditatus sum quod audivi, *Ubi est Deus tuus?* quæsivi etiam ego ipse Deum meum, ut si possem, non tantum crederem, sed aliquid et viderem. Video enim quæ fecerit Deus meus, non autem video ipsum Deum meum qui fecit hæc. Sed quoniam sicut cervus desidero ad fontes aquarum, et est apud eum fons vitæ, et in intellectum scriptus est Psalmus filiis Core, et invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; quid agam, ut inveniam Deum meum? Considerabo terram: facta est terra. Est magna pulchritudo terrarum; sed habet artificem. Magna miracula sunt seminum atque gignentium; sed habent ista omnia creatorem. Ostendo magnitudinem circumfusi maris, stupeo, miror; artificem quæro: cœlum suspicio et pulchritudinem siderum; admiror splendorem solis exserendo [1] diei sufficientem, lunam nocturnas tenebras consolantem. Mira sunt hæc, laudanda sunt hæc, vel etiam stupenda sunt hæc; neque enim terrena, sed jam cœlestia sunt hæc. Nondum ibi stat sitis mea: hæc miror, hæc laudo; sed eum qui fecit hæc, sitio. Redeo ad meipsum, et quis sim etiam ipse qui talia quæro, perscrutor: invenio me habere corpus et animam; unum quod regam, aliud quo regar; corpus servire, animam imperare. Discerno animam melius esse aliquid quam corpus, ipsumque inquisitorem talium rerum non corpus, sed animam video: et tamen hæc omnia quæ collustravi, per corpus ea me collustrasse cognosco. Terram laudabam, oculis cognoveram; mare laudabam, oculis cognoveram; cœlum, sidera, solem lunamque laudabam, oculis cognoveram. Oculi membra sunt carnis, fenestræ sunt mentis: interior est qui per has videt; quando cogitatione aliqua absens est, frustra patent. Deus meus qui fecit hæc, quæ oculis video, non istis oculis est inquirendus. Aliquid etiam per seipsum animus ipse conspiciat [2]: utrum sit aliquid quod non per oculos sentiam, quasi colores et lucem; non per aures, quasi cantum et sonum; non per nares, quasi odorum suavitatem; non per palatum et linguam, quasi saporem; non per totum corpus, quasi duritiem et mollitiem, rigorem atque fervorem, asperitatem lenitatemque pertractem; sed utrum sit aliquid intus quod videam. Quid est, intus videam. Quod neque color sit, neque sonus, neque odor, neque sapor, neque calor, aut frigus, aut duritia, aut mollitudo. Dicatur ergo mihi, quem colorem habeat sapientia. Cum cogitamus justitiam, ejusque intus in ipsa cogitatione pulchritudine fruimur, quid sonat ad aures? quid tanquam vaporeum surgit ad nares? quid ori infertur, quid manu tractatur et delectat? Et intus est, et pulchra est, et laudatur, et videtur: et si in tenebris sunt oculi isti, animus illius luce perfruitur. Quid est illud quod Tobias videbat, quando videnti filio cæcus consilium vitæ dabat (*Tob.* IV, 2)? Est ergo aliquid quod animus ipse corporis dominator, rector, habitator videt; quod non per oculos corporis sentit, non per aures, non per nares, non per palatum, non per corporis tactum, sed per seipsum: et utique melius quod per seipsum, quam quod per servum suum. Est prorsus; seipsum enim per seipsum videt, et animus ipse ut norit se, videt se. Nec utique ut videat se, corporalium oculorum quærit auxilium: imo vero ab omnibus corporis sensibus, tanquam impedientibus et perstrepentibus abstrahit se ad [3] se,

[1] Sic Mss. At Edd.: *Quid ergo dicis? quasi gratulari*, etc.

[1] Edd., *exercitio diei*. Aliquot Mss., *exercendo*. Alii, *exserendo*.
[2] Ita in Mss. At in Edd., *conspicit*.
[3] Sic Mss. At Edd., *a se*

ut videat se in se, ut noverit se apud se. Sed numquid aliquid tale Deus ipsius est, qualis est animus? Non quidem videri Deus nisi animo potest, nec tamen ita ut animus videri potest. Aliquid enim quærit animus iste quod Deus est, de quo illi non insultent qui dicunt : *Ubi est Deus tuus?* Aliquam quærit incommutabilem veritatem, sine defectu substantiam. Non est talis ipse animus : deficit, proficit; novit, ignorat; meminit, obliviscitur; modo illud vult, modo non vult. Ista mutabilitas non cadit in Deum. Si dixero, Mutabilis est Deus, insultabunt mihi qui dicunt : *Ubi est Deus tuus?*

8. [*vers.* 5.] Quærens ergo Deum meum in rebus visibilibus et corporalibus, et non inveniens; quærens ejus substantiam in meipso, quasi sit aliquid qualis ego sum, neque hoc inveniens; aliquid super animam esse sentio Deum meum. Ergo, ut eum[1] tangerem, *Hæc meditatus sum, et effudi super me animam meam.* Quando anima mea contingeret quod super animam meam quæritur, nisi anima mea super seipsam effunderetur? Si enim in seipsa remaneret, nihil aliud quam se videret : et cum se videret, non utique Deum suum videret. Dicant jam insultatores mei, *Ubi est Deus tuus?* dicant : ego quamdiu non video, quamdiu differor, manduco die ac nocte lacrymas meas. Dicant illi adhuc, *Ubi est Deus tuus?* quæro ego Deum meum in omni corpore, sive terrestri, sive cœlesti, et non invenio : quæro substantiam ejus in anima mea, et non invenio : meditatus sum tamen inquisitionem Dei mei, et per ea quæ facta sunt, invisibilia Dei mei cupiens intellecta conspicere (*Rom.* I, 20), *effudi super me animam meam;* et non jam restat quem tangam, nisi Deum meum. Ibi enim domus Dei mei, super animam meam : ibi habitat, inde me prospicit, inde me creavit, inde me gubernat, inde mihi consulit, inde me excitat, inde me vocat, inde me dirigit, inde me ducit, inde me perducit.

9. Ille enim qui habet altissimam in secreto domum, habet etiam in terra tabernaculum. Tabernaculum ejus in terra, Ecclesia ejus est adhuc peregrina. Sed hic quærendus est, quia in tabernaculo invenitur via, per quam venitur ad domum. Etenim cum effunderem super me animam meam, ad attingendum Deum meum, quare hoc feci? *Quoniam ingrediar in locum tabernaculi.* Nam extra locum tabernaculi errabo quærens Deum meum. *Quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.* In locum tabernaculi ingrediar, admirabilis tabernaculi, usque ad domum Dei. Jam enim multa admiror in tabernaculo. Ecce quanta admiror in tabernaculo! Tabernaculum enim Dei in terra, homines sunt fideles : admiror in eis ipsorum membrorum obsequium; quia non in eis regnat peccatum ad obediendum desideriis ejus, nec exhibent membra sua arma iniquitatis peccato, sed exhibent Deo vivo in bonis operibus : animæ servienti Deo membra corporalia militare admiror (*Id.* VI, 12, 13). Respicio et ipsam animam obedientem Deo, distribuentem opera actus sui, frenantem cupiditates, pellentem ignorantiam, extendentem se ad omnia aspera et dura toleranda, justitiam et charitatem[1] impendentem cæteris. Miror et istas virtutes in anima : sed adhuc in loco tabernaculi ambulo. Transeo et hæc : et quamvis admirabile sit tabernaculum, stupeo cum pervenio usque ad domum Dei. De qua domo dicit in alio psalmo, cum proposuisset sibi quamdam duram et difficilem quæstionem, quare in hac terra plerumque bene est malis, et male est bonis, et ait : *Suscepi cognoscere, hoc labor est ante me, donec introeam in sanctuarium Dei, et intelligam in novissima* (*Psal.* LXXII, 16, 17). Ibi est enim fons intellectus, in sanctuario Dei, in domo Dei. Ibi intellexit iste in novissima, et solvit quæstionem de felicitate iniquorum, et labore justorum. Quomodo solvit? Quia mali cum hic differuntur, ad pœnas sine fine servantur; et boni cum hic laborant, exercentur, ut in fine hæreditatem consequantur. Et hoc ille in sanctuario Dei cognovit, intellexit in novissima. Ascendens tabernaculum, pervenit ad domum Dei. Tamen dum miratur membra tabernaculi, ita perductus est ad domum Dei[2], quamdam dulcedinem sequendo, interiorem nescio quam et occultam voluptatem, tanquam de domo Dei sonaret suaviter aliquod organum : et cum ille ambularet in tabernaculo, audito quodam interiore sono, ductus dulcedine, sequens quod sonabat, abstrahens se ab omni strepitu carnis et sanguinis, pervenit usque ad domum Dei. Nam viam suam et ductum suum sic ipse commemorat, quasi diceremus ei, Miraris tabernaculum in hac terra; quomodo pervenisti ad secretum domus Dei? *In voce,* inquit, *exsultationis et confessionis, soni festivitatem celebrantis.* Festa cum hic homines celebrant suæ quoque luxuriæ, consuetudinem habent constituere organa ante domos suas, aut ponere symphoniacos[3], vel quæque musica ad luxuriam servientia et illicientia. Et ubi audita fuerint hæc, quid dicimus qui transimus? Quid hic agitur? Et respondetur nobis, aliqua esse festa. Natalitia, inquit, celebrant, nuptiæ hic sunt; ut non videantur inepta illa cantica, sed excusetur festivitate luxuria[4]. In domo Dei festivitas sempiterna est. Non enim aliquid ibi celebratur et transit. Festum sempiternum, chorus Angelorum : vultus præsens Dei, lætitia sine defectu. Dies hic festus ita est, ut nec aperiatur initio, nec fine claudatur. De illa æterna et perpetua festivitate sonat nescio quid canorum et dulce auribus cordis : sed si non perstrepat mundus. Ambulanti in hoc tabernaculo[5] et miracula Dei in redemptionem fidelium consideranti, mulcet aurem sonus festivitatis illius, et rapit cervum ad fontes aquarum.

10. [*vers.* 6, 7.] Sed quia, fratres, quamdiu sumus

[1] Apud Lov. interponitur hic, *animi intellectu* : hoc ab Er. et Mss. abest.

[1] Duo Mss., *justitiam et veritatem impendentem.*
[2] Edd., *percepit quamdam.* Redundat, *percepit*, nec est in Mss.
[3] Edd., *symphoniam.* Mss., *symphoniacos.*
[4] Mss., nullo fere excepto, *lætitia.*
[5] Hic in Edd. additur, *admirabili Dei* : quod a Mss. abest.

in corpore hoc, peregrinamur a Domino (II *Cor.* v, 6), et corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15) : etsi utcumque nebulis diffugatis ambulando per desiderium, ad hunc sonum pervenerimus interdum, ut aliquid de illa domo Dei nitendo capiamus; onere tamen quodam infirmitatis nostræ ad consueta recidimus, et ad solita ista dilabimur. Et quomodo ibi inveneramus unde gauderemus, sic hic non deerit quod gemamus. Etenim cervus iste manducans die ac nocte lacrymas suas, raptus desiderio ad fontes aquarum, interiorem scilicet dulcedinem Dei, effundens super se animam suam, ut tangeret quod est super animam suam, ambulans in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei, et ductus interioris et intelligibilis soni jucunditate, ut omnia exteriora contemneret, et in interiora raperetur; adhuc tamen homo est, adhuc hic gemit, adhuc carnem fragilem portat, adhuc inter scandala hujus mundi periclitatur. Respexit ergo ad se, tanquam inde veniens, et ait sibi constituto inter has tristitias, et comparans hæc illis ad quæ videnda ingressus est, et post quæ visa egressus est : *Quare*, inquit, *tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* Ecce jam quadam interiore dulcedine lætati sumus, ecce acie mentis aliquid incommutabile, etsi perstrictim et raptim, perspicere potuimus : quare adhuc conturbas me, quare adhuc tristis es? Non enim dubitas de Deo tuo. Non enim non est quod tibi dicas, contra illos qui dicunt : *Ubi est Deus tuus?* Jam aliquid incommutabile persensi, quare adhuc conturbas me? *Spera in Deum.* Et quasi responderet illi anima ejus in silentio, Quare conturbo te, nisi quia nondum sum ibi, ubi est dulce illud, quo sic rapta sum quasi per transitum? Numquid jam bibo de fonte illo, nihil metuens? jam nullum scandalum pertimesco? jam de cupiditatibus omnibus tanquam edomitis victisque secura sum? Nonne adversus me diabolus vigilat hostis meus? nonne laqueos mihi quotidie deceptionis intendit? Non vis ut conturbem te posita in sæculo, et peregrina adhuc a domo Dei mei? Sed, *Spera in Deum*, respondet conturbanti se animæ suæ, et quasi rationem reddenti perturbationis suæ, propter mala quibus abundat hic mundus. Interim habita in spe. Spes enim quæ videtur, non est spes : si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 24, 25).

11. *Spera in Deum.* Quare *Spera? Quoniam confitebor illi.* Quid ei confiteberis? *Salutare vultus mei, Deus meus.* A me mihi salus esse non potest; hoc dicam, hoc confitebor : *Salutare vultus mei, Deus meus.* Etenim ut metuat in his, quæ utcumque intellecta cognoscit, respexit iterum sollicitus ne obrepat inimicus : nondum dicit, Salvus sum ex omni parte. Etenim primitias habentes Spiritus, in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes redemptionem corporis nostri (*Ibid.*, 23). Illa perfecta in nobis salute, erimus in domo Dei viventes sine fine, et sine fine laudantes eum cui dictum est : *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Hoc nondum est, quia nondum est salus quæ promittitur : sed confiteor Deo meo in spe, et dico illi, *Salus vultus mei, Deus meus.* Spe enim salvi facti sumus : spes autem quæ videtur, non est spes (*Rom.* VIII, 24). Persevera ergo ut pervenias; persevera donec veniat salus. Audi ipsum Deum tuum de interiore tibi loquentem : *Sustine Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum* (*Psal.* XXVI, 14); quoniam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22, *et* XXIV, 13). *Quare ergo tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deum, quoniam confitebor illi.* Hæc est confessio mea, *Salutare vultus mei, Deus meus.*

12. *Ad meipsum anima mea turbata est.* Numquid ad Deum turbatur? Ad me turbata est. Ad incommutabile reficiebatur, ad mutabile perturbabatur. Novi quia justitia Dei mei manet : utrum mea maneat, nescio. Terret enim me Apostolus dicens : *Qui se putat stare, videat ne cadat* (I *Cor.* x, 12). Ergo quia non est in me firmitas mihi, nec est mihi spes de me, *Ad meipsum turbata est anima mea.* Vis non conturbetur? Non remaneat[1] in teipso, et dic : *Ad te, Domine, levavi animam meam* (*Psal.* XXIV, 1). Hoc planius audi. Noli sperare de te, sed de Deo tuo. Nam si speras de te, anima tua conturbatur ad te; quia nondum invenit unde sit secura de te. Ergo quoniam ad me conturbata est anima mea, quid restat nisi humilitas, ut de seipsa anima non præsumat? Quid restat, nisi ut omnino minimam se faciat, nisi ut se humiliet, ut exaltari mereatur? Nihil sibi tribuat ut ei ab illo quod utile est tribuatur. Ergo quia ad me turbata est anima mea, et hanc perturbationem facit superbia : *Propterea memoratus sum tui, Domine, de terra Jordanis et Hermoniim a monte parvo.* Unde memoratus sum tui? A monte parvo, et de terra Jordanis. Forte de Baptismo, ubi est remissio peccatorum. Etenim nemo currit ad remissionem peccatorum, nisi qui displicet sibi; nemo currit ad remissionem peccatorum, nisi qui se confitetur peccatorem; nemo se confitetur peccatorem, nisi humiliando seipsum Deo. Ergo *de terra Jordanis memoratus sum tui, et de monte parvo :* non de monte magno; ut de monte parvo tu facias magnum : quoniam qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XIV, 11, *et* XVIII, 14). Si autem et interpretationes nominum quæras, Jordanis est Descensio eorum. Descende ergo, ut leveris; noli extolli, ne elidaris, *Et de Hermoniim monte parvo.* Hermoniim Anathematio[2] interpretatur. Anathema teipsum, displicendo tibi : displicebis enim Deo, si placueris tibi. Ergo quia nobis Deus omnia bona præstat, quia ipse bonus est, non quia nos digni sumus; quia ille misericors est, non quia in aliquo promeruimus; *de terra Jordanis et Hermoniim commemoratus sum Dei.* Et quia humiliter commemoratur, exaltatus perfrui merebitur : quia non in se exaltatur qui in Domino gloriatur.

[1] Sic Mss. At Edd., *non remaneas.*
[2] Sic Mss. Edd. vero, *anathematizatio*; et infra, *anathematiza.*

13. [*vers.* 8.] *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.* Peragere Psalmum possum fortasse, adjutus studio vestro, cujus fervorem video. De labore autem vestro non satis curo, ut audiatis; quando et me qui loquor, ita in his laboribus sudare cernatis. Aspicientes me laborantem, profecto collaboratis: non enim mihi laboro, sed vobis. Ergo audite; quia velle vos video. *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum :* Deo dixit ille qui ejus commemoratus est de terra Jordanis et Hermoniim: hoc admirando dixit, *Abyssus Abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.* Quæ abyssus, quam abyssum invocat? Vere quia iste intellectus abyssus est. Abyssus enim est profunditas quædam impenetrabilis, incomprehensibilis: et maxime solet dici in aquarum multitudine. Ibi enim altitudo, ibi profunditas: quæ penetrari usque ad fundum non potest. Denique quodam loco dictum est, *Judicia tua abyssus multa* (*Psal.* xxxv, 7): hoc volente Scriptura commendare, quia judicia Dei non comprehenduntur. Quæ ergo abyssus, quam invocat abyssum? Si profunditas est abyssus, putamus non cor hominis abyssus est? Quid enim est profundius hac abysso? Loqui homines possunt, videri possunt per operationem membrorum, audiri in sermone: sed cujus cogitatio penetratur, cujus cor inspicitur? Quid intus gerat, quid intus possit, quid intus agat, quid intus disponat, quid intus velit, quid intus nolit, quis comprehendet? Puto non absurde intelligi abyssum hominem de quo alibi dictum est: *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* (*Psal.* LXIII, 7, 8). Si ergo homo abyssus est, quomodo abyssus invocat abyssum? Homo invocat hominem? invocat quasi quomodo Deus invocatur? Non. Sed invocat, dicitur ad se vocat. Nam dictum est de quodam, Mortem invocat (*a*): id est, sic vivit, ut mortem ad se vocet. Nam nemo hominum est qui orationem faciat, et invocet mortem: sed male vivendo homines mortem invocant. *Abyssus abyssum invocat,* homo hominem. Sic discitur sapientia, sic discitur fides, cum abyssus abyssum invocat. Abyssum invocant sancti prædicatores verbi Dei. Numquid et ipsi non abyssus? Ut noveris, quia abyssus et ipsi, Apostolus ait: *Minimum est ut a vobis dijudicer, aut ab humano die.* Quanta autem abyssus sit, audite amplius: *Neque enim ego meipsum dijudico* (I *Cor.* IV, 3). Tantamne profunditatem creditis esse in homine, quæ lateat ipsum hominem in quo est? Quanta profunditas infirmitatis latebat in Petro, quando quid in se ageretur intus nesciebat, et se moriturum cum Domino vel pro Domino temere promittebat (*Joan.* XIII, 37)! quanta abyssus erat! Quæ tamen abyssus nuda erat oculis Dei. Nam hoc illi Christus prænuntiabat, quod in se ipse ignorabat. Ergo omnis homo licet sanctus, licet justus, licet in multis proficiens, abyssus est, et abyssum invocat, quando homini aliquid fidei, aliquid veritatis propter vitam æternam prædicat. Sed tunc est utilis abyssus abysso invocatæ, quando fit in voce cataractarum tuarum. *Abyssus abyssum invocat,* homo hominem lucratur: non tamen in voce sua, sed *in voce cataractarum tuarum.*

(*a*) Apud Æsop., fab. 6.

14. Alium accipite intellectum: *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.* Ego qui contremisco, cum ad me perturbata est anima mea, a judiciis tuis timui vehementer: *judicia* enim *tua abyssus multa* (*Psal.* xxxv, 7), et, *abyssus abyssum invocat.* Nam sub hac carne mortali, laboriosa, peccatrice, molestiis et scandalis plena, concupiscentiis obnoxia, damnatio quædam est de judicio tuo: quia tu dixisti peccatori, *Morte morieris,* et, *In sudore vultus tui edes panem tuum* (*Gen.* II, 17, *et* III, 19). Hæc abyssus prima judicii tui. Sed si male hic vixerint homines, *abyssus abyssum invocat :* quia de pœna in pœnam transeunt, et de tenebris ad tenebras, et de profunditate ad profunditatem, et de supplicio ad supplicium, et de ardore cupiditatis in flammas gehennarum. Ergo hoc timuit fortassis homo iste, cum ait: *Ad meipsum anima mea turbata est: propterea memoratus sum tui, Domine, de terra Jordanis et Hermoniim.* Humilis esse debeo. Exhorrui enim judicia tua, vehementer timui judicia tua: ideo *ad me anima mea turbata est.* Et quæ judicia tua timui? Parvane judicia sunt tua ista? Magna sunt, dura sunt, molesta sunt: sed utinam sola essent! *Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.* Quia tu minaris, tu dicis et post illos labores restare alteram damnationem: *In voce cataractarum tuarum, abyssus abyssum invocat.* Quo ergo abibo a facie tua, et a spiritu tuo quo fugiam (*Psal.* CXXXVIII, 7); si abyssus abyssum invocat, si post istos labores timentur graviores?

15. *Omnes suspensiones tuæ et fluctus tui super me ingressi sunt.* Fluctus in his quæ sentio, suspensuræ in his quæ minaris. Omnis perpessio mea, fluctus est tuus: omnis comminatio tua, suspensura tua est. In fluctibus invocat abyssus ista, in suspensuris invocat alteram abyssum. In eo quod laboro, omnes fluctus tui: in eo quod minaris gravius, omnes suspensiones tuæ super me ingressæ sunt. Qui enim minatur, non premit, sed suspendit. Sed quia liberas, hoc dixi animæ meæ: *Spera in Deum, quoniam confitebor illi; salutare vultus mei, Deus meus.* Quia magis crebra sunt mala, dulcior erit misericordia tua.

16. [*vers.* 9.] Ideo sequitur: *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte declarabit.* Nulli vacat audire in tribulatione. Attendite cum vobis bene est; audite cum vobis bene est: discite, cum tranquilli estis, sapientiæ disciplinam, et verbum [1] Dei ut cibum colligite. Quando enim quisque in tribulatione est, prodesse illi debet quod securus audivit. Et enim in rebus prosperis mandat tibi Deus misericordiam suam, si ei fideliter servieris; quia liberat te de tribulatione; sed non tibi declarat ipsam misericordiam, quam tibi per diem mandavit, nisi per noctem. Cum venerit ipsa tribulatio, tunc adjutorio te non deserit: ostendit tibi verum fuisse quod tibi per diem mandavit. Etenim scriptum est quodam

[1] Quatuor Mss., *et verbi Dei cibum.* Tres alii, *et verbum Dei cibum.*

loco : *Speciosa misericordia Domini in tempore tribulationis, sicut nubes pluviæ in tempore siccitatis* (*Eccli.* XXXV, 26). *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte declarabit.* Non tibi ostendit quia subvenit tibi, nisi venerit tibi tribulatio, unde eruaris ab illo qui tibi per diem promisit. Ideo admonemur imitari formicam (*Prov.* VI, 6). Sicut enim prosperitas sæculi significatur die, adversitas sæculi significatur nocte : ita alio modo prosperitas sæculi significatur æstate, adversitas sæculi significatur hieme. Et quid facit formica? Per æstatem colligit, quod ei per hiemem prosit. Ergo cum est æstas, cum bene est vobis, cum tranquilli estis, audite verbum Domini. Unde enim fieri potest ut in hac tempestate sæculi hujus sine tribulatione totum hoc mare transeatis? unde fieri potest? cui hoc hominum contigit? Si contigit alicui, plus metuenda est ipsa tranquillitas. *In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte declarabit.*

17. [*vers.* 10-12.] Quid ergo agas in hac peregrinatione? quid agas? *Apud me oratio Deo vitæ meæ.* Hoc hic ago cervus sitiens et desiderans ad fontes aquarum, recordans dulcedinem vocis [1] illius qua ductus sum per tabernaculum usque ad domum Dei : quamdiu hoc corpus quod corrumpitur aggravat animam (*Sap.* IX, 15), *Apud me oratio Deo vitæ meæ.* Non enim ut supplicem Deo, empturus sum de transmarinis locis ; aut ut exaudiat me Deus meus navigabo, ut de longinquo afferam thura et aromata, aut de grege adducam vitulum vel arietem : *Apud me oratio Deo vitæ meæ.* Intus habeo victimam quam immolem, intus habeo thus quod imponam, intus habeo sacrificium quo flectam Deum meum : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* L, 19). Quod sacrificium contribulati spiritus intus habeam, audi : *Dicam Deo, Susceptor meus es, quare mei oblitus es?* Sic enim hic laboro, quasi tu oblitus sis mei. Tu autem exerces me : et novi quia differs mihi, non mihi aufers, quod promisisti : sed tamen, *quare mei oblitus es?* Tanquam de voce nostra clamavit et caput nostrum, *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (*Psal.* XXI, 2, *et Matth.* XXVII, 46)? *Dicam Deo, Susceptor meus es, quare mei oblitus es?*

18. *Utquid me repulisti* [2]? ex illa altitudine fontis intelligentiæ incommutabilis veritatis, *Utquid me repulisti?* Quare gravedine et pondere iniquitatis meæ, jam illuc inhians, ad ista dejectus sum? Dicit alio loco ista vox : *Ego dixi in ecstasi mea*, ubi vidit nescio quid magnum, excessu [3] mentis, *Ego dixi in ecstasi mea, Projectus sum a facie oculorum tuorum* (*Psal.* XXX, 23). Comparavit enim hæc in quibus esset, illis in quæ erectus [4] erat, et vidit se longe projectum a facie oculorum Dei, sicut et hic : *Utquid me repulisti, et utquid contristatus incedo, dum affligit me inimicus, dum confringit ossa mea*, tentator ille diabolus, scandalis ubique crebrescentibus, quorum abundantia refrigescit charitas multorum (*Matth.* XXIV, 12)? Cum videamus fortes Ecclesiæ plerumque scandalis cedere nonne dicit corpus Christi : *Confringit* inimicus *ossa mea?* Ossa enim fortes sunt, et aliquando ipsi fortes tentationibus cedunt. Hæc cum quisque considerat ex corpore Christi, ex voce corporis Christi, nonne clamat : *Utquid me repulisti, et utquid tristis incedo, dum affligit me inimicus, dum confringit ossa mea?* Non carnes meas tantum, sed etiam ossa mea : ut in quibus putabatur esse aliqua fortitudo, videas cedere in tentationibus, ut cæteri infirmi desperent, quando fortes vident succumbere. Quanta ista pericula, fratres mei!

19. *Exprobraverunt mihi qui tribulant me.* Iterum illa vox : *Dum dicunt mihi per singulos dies, Ubi est Deus tuus?* Et maxime ista dicunt in tentationibus Ecclesiæ, *Ubi est Deus tuus?* Quantum hæc martyres audierunt, pro nomine Christi fortes et patientes, quantum illis dictum est, Ubi est Deus vester? Liberet vos, si potest. Tormenta enim ipsorum extrinsecus homines videbant, coronas intrinsecus non videbant. *Exprobraverunt mihi qui tribulant me, dum dicunt mihi per singulos dies, Ubi est Deus tuus?* Et ego propter hæc, quoniam ad me turbata est anima mea, quid ei aliud quam illud dicam, *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* Et quasi respondenti, Non vis ut conturbem te, hic posita in tantis malis? suspirans ad bona, sitiens et laborans, non vis ut conturbem te? *Spera in Deum, quoniam adhuc confitebor illi.* Dicit ipsam confessionem, repetit spei confirmationem : *Salus* [1] *vultus mei et Deus meus.*

[1] Sic Mss. At Edd., *fontis*
[2] Sacra biblia verbis istis carent, *utquid me repulisti.*
[3] Ita in Mss. At in Edd., *excessum.*
[4] Sic Er. et Mss. At Lov., *rectus.*

IN PSALMUM XLII
ENARRATIO.

SERMO AD POPULUM.

In die jejunii, post meridiem habitus.

1. Psalmus iste brevis est : sic satisfacit mentibus auditorum, ut molestus non sit ventribus jejunorum. Pascatur ex hoc anima nostra, quam tristem esse dicit, qui cantat in hoc psalmo : tristem, credo, ex aliquo jejunio suo, vel potius ex aliqua fame sua. Nam jejunium voluntatis est, fames necessitatis. Esurit Ecclesia, esurit corpus Christi, et homo ille ubique diffusus [2], cujus caput sursum est, membra deorsum : ejus vocem in omnibus Psalmis vel psallentem vel gementem, vel lætantem in spe, vel suspirantem in re, notissimam jam et familiarissimam habere debemus, tanquam nostram. Non ergo diu est immorandum, ut insinuemus vobis quis loquatur : sit unusquisque in Christi corpore, et loquetur hic.

2. [*vers.* 1.] Nostis autem omnes qui proficiunt, et qui cœlesti illi civitati ingemiscunt, qui peregrinationem suam norunt, qui viam tenent, qui in desiderio terræ illius stabilissimæ spem tanquam ancoram præfixerunt : nostis ergo quia hoc genus hominum, hoc semen bonum, hoc frumentum Christi inter zizania gemit ; et hoc donec veniat tempus messis, id est usque in finem sæculi, sicut exponit quæ

[1] Plerique Mss., *salutare :* et quidam in eodem versiculo particulam *et* prætermittunt.
[2] Edd., *diffusus est.* Expungitur, *est*, auctoritate Mss.

non fallitur veritas (*Matth.* XIII, 18). Gemens ergo inter zizania, id est inter malos homines, inter dolosos et seductores, aut ira turbulentos, aut insidiis venenatos; circumspiciens simul cum illis esse se tanquam in uno agro per totum mundum, unam pluviam excipere, pariter perflari, pariterque secum inter adversa nutriri, habere simul ista communia dona Dei, malis bonisque concessa communiter ab illo qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Id.* V, 45): videns ergo semen Abrahæ, semen sanctum, quanta cum malis a quibus quandoque separandum est nunc habeat communia, æqualiter nasci, eamdem conditionem generis humani sortiri, pariter mortalia ferre corpora, simul uti luce, fontibus, fructibus, prosperitatibus atque adversitatibus sæculi, sive fame, sive abundantia, sive pace, sive bello, sive salute, sive peste; videns quanta habeat communia cum malis, cum quibus tamen non habet causam communem, erumpit in hanc vocem: *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta. Judica*, inquit, *me, Deus:* non timeo judicium tuum, quia novi misericordiam tuam. *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta.* Nunc interim in hac peregrinatione nondum discernis locum meum, quia simul cum zizaniis vivo usque ad tempus messis; nondum discernis pluviam meam, nondum discernis lucem meam: discerne causam meam. Distet inter eum qui in te credit, et eum qui in te non credit. Par infirmitas est, sed dispar conscientia: par labor, sed dispar desiderium. Desiderium impiorum peribit: de desiderio autem justorum, nisi certus esset pollicitator, dubitare deberemus. Finis desiderii nostri, ipse promissor. Seipsum dabit, quia seipsum dedit: seipsum dabit immortalibus immortalem, quia seipsum dedit mortalibus mortalem. *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta. Ab homine iniquo et doloso erue me:* hoc est, *de gente non sancta. Ab homine*, a quodam genere hominum, quia quidam homo et quidam homo, et in his duobus unus assumetur, et unus relinquetur (*Id.* XXIV, 40).

3. [*vers.* 2.] Et quoniam patientia opus est ferendi usque ad messem, quamdam, si dici potest, indiscretam discretionem; simul enim sunt, et ideo discreta nondum sunt; zizania autem zizania sunt, et frumenta frumenta sunt, et ideo discreta jam sunt; quia ergo fortitudine opus est, imploranda ab illo qui jussit ut fortes simus, et nisi fortes ipse fecerit, non erimus quod jussit, ab illo [1] qui dixit, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Id.* X, 22, *et* XXIV, 13); ne sibi ipsa anima arrogando fortitudinem debilitetur, continuo adjungit: *Quia tu es, Deus meus, fortitudo mea; utquid me repulisti, et utquid tristis incedo, dum affligit me inimicus?* Causam quærit tristitiæ suæ. *Quare*, inquit, *tristis incedo, dum affligit me inimicus?* Tristis ambulo, inimicus affligit me quotidianis tentationibus, immittens vel quod male amemus, vel quod male timeamus: et contra utrumque pugnans anima, etsi non capta, tamen periclitans, contrahitur tristitia, et dicit Deo, *Utquid?* Quærat ergo ab ipso, et audiat utquid. Quærit enim in Psalmo causam tristitiæ suæ, dicens: *Utquid me repulisti, et utquid tristis incedo?* Audiat ex Isaia, succurrat illi lectio, quæ modo recitata est: *Spiritus*, inquit, *a me prodiet, et omnem flatum ego feci: propter peccatum modicum quid contristavi illum, et averti faciem meam ab illo; et contristatus est, et abiit tristis* [1] *in viis suis* (*Isai.* LVII, 16, 17). Quid ergo quærebas, *Utquid me repulisti, et utquid tristis incedo?* Audisti: *propter peccatum.* Causa tristitiæ tuæ peccatum est, causa lætitiæ tuæ justitia sit. Peccare volebas, et laborare nolebas; ut parum tibi esset quod esses injustus, nisi et eum injustum voluisses, a quo in te vindicari noluisses. Respice vocem meliorem in alio psalmo: *Bonum est mihi quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas* (*Psal.* CXVIII, 71). Didiceram elatus iniquitates meas, discam humiliatus justificationes tuas. *Utquid tristis incedo, dum affligit me inimicus?* De inimico quereris; revera affligit, sed tu ei locum dedisti. Et nunc habes quod agas: elige consilium, regem admitte, tyrannum exclude.

4. [*vers.* 3.] Sed ut hoc faciat, quid dicit, quid supplicat, quid orat attende. Ora quod audis, ora cum audis; omnium nostrum sit ista vox: *Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt et perduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* Quia ipsa [2] lux tua et veritas tua: hæc nomina duo, res una. Quid enim aliud lux Dei, nisi veritas Dei? aut quid veritas Dei, nisi lux Dei? Et hoc utrumque unus Christus. *Ego sum lux mundi: qui credit in me, non ambulabit in tenebris* (*Joan.* VIII, 12). *Ego sum via, veritas et vita* (*Id.* XIV, 6). Ipse lux, ipse veritas. Veniat ergo, et eruat nos, discernens modo causam nostram a gente non sancta; eruat ab homine iniquo et doloso: separet frumentum a zizaniis: quia ipse mittet Angelos suos messis tempore, ut colligant de regno ejus omnia scandala, et mittant in ignem ardentem, frumentum autem ejus congregent in horreum (*Matth.* XIII, 41-43). Emittat lucem suam et veritatem suam; quia ipsa jam nos deduxerunt et perduxerunt in montem sanctum ejus et in tabernacula ejus. Pignus habemus, præmium speramus. Sanctus mons ejus, sancta Ecclesia ejus. Mons ille est, qui crevit ex minimo lapide, secundum visionem Danielis, confringens regna terrarum; et in tantum excrescens, ut impleret universam faciem terræ (*Dan.* II, 35). In hoc monte se exauditum dicit, qui dicit: *Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo* (*Psal.* III, 5). Quisquis præter istum montem orat, non sese speret exaudiri ad vitam æternam. Exaudiuntur enim multi ad multa. Nec sibi plaudant quod exaudiuntur: exauditi sunt dæmones, ut in porcos mitterentur (*Matth.* VIII, 32). Exaudiri ad vitam æternam concupiscamus, propter [3] desiderium quo dici-

[1] Sic Mss. Edd. vero, *non erimus: quod ut simus ab illo erimus qui dixit.*

[1] Apud Lov. deerat, *tristis:* quæ vox ex Er. et Mss. restituitur.
[2] Sic Mss. At Edd.: *Quia ipse est lux tua.*
[3] Tres Mss., *propter quod desiderium dicimus.*

mus : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam.* Illa lux oculum cordis inquirit : *Beati enim*, inquit, *mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Modo in monte ejus sumus, id est in Ecclesia ejus, et in tabernaculo ejus. Tabernaculum peregrinantium est, domus cohabitantium : est et tabernaculum peregrinantium et militantium. Cum audis tabernaculum, bellum intellige, hostem cave. Domus autem quæ erit [1] ? *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5).

5. [*vers.* 4.] Jam ergo perducti ad tabernaculum, et positi in monte sancto ejus, quam spem gerimus? *Et introibo ad altare Dei.* Est enim quoddam sublime altare invisibile, quo non accedit injustus. Ad illud altare ille solus accedit, qui ad istud securus accedit : illic inveniet vitam suam, qui in isto discernit causam suam. *Et introibo ad altare Dei :* de monte sancto ejus, et de tabernaculo ejus, de sancta Ecclesia ejus, introibo ad altare Dei sublime. Quale ibi sacrificium est? Ipse qui intrat, assumitur in holocaustum. *Introibo ad altare Dei.* Quid est quod dicit, *ad altare Dei? Ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Juventus novitatem significat : tanquam diceret, Ad Deum qui lætificat novitatem meam. Lætificat novitatem meam, qui contristavit vetustatem meam. Incedo enim modo tristis in vetustate, tunc autem stabo gaudens in novitate. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.* Quid est in cithara confiteri, et in psalterio confiteri? Non enim semper in cithara, nec semper in psalterio. Duo hæc organa musicorum habent inter se distinctam discretamque rationem, dignam consideratione et commendatione memoriæ. Utrumque hoc manibus portatur et tangitur, et significat opera quædam nostra corporalia. Utrumque bonum, si quis norit psallere, si quis norit citharizare. Sed quia psalterium istud organum dicitur, quod de superiore parte habet testudinem ; illud scilicet tympanum et concavum lignum cui chordæ innitentes resonant : cithara vero idipsum lignum cavum et sonorum ex inferiore parte habet : discernenda sunt opera nostra, quando in psalterio sint, quando in cithara, utraque tamen placita Deo et suavia ejus auditui. Quando ergo ex præceptis Dei aliquid agimus, jussis ejus obtemperantes et obaudientes ad implenda præcepta ejus; ubi facimus et non patimur, psalterium est. Faciunt enim ita et Angeli : non enim aliquid patiuntur. Cum autem aliquid patimur tribulationum, tentationum, scandalorum in hac terra; quia non patimur nisi ex inferiore parte, id est ex eo quod mortales sumus, ex eo quod primæ nostræ causæ quiddam tribulationum debemus [2], et quia patimur multa ab eis qui non sunt desuper, cithara est. Venit enim sonus suavis ex inferiore parte : patimur et psallimus, vel potius cantamus et citharizamus. Quando dicebat Apostolus evangelizare se, et prædicare Evangelium toto orbe terrarum ex præcepto Dei; quia illud Evangelium se non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum accepisse dicebat (*Gal.* I, 12), desuper sonabant chordæ : cum vero dicebat, *Gloriamur in tribulationibus ; scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem* (*Rom.* v, 3 *et* 4); cithara sonabat ex inferiore quidem, sed tamen dulciter. Omnis enim patientia dulcis est Deo. Si autem in ipsis tribulationibus defeceris, citharam fregisti. Quare ergo modo dixit : *Confitebor tibi in cithara?* Propter illud quod dixerat : *Utquid tristis incedo, dum affligit me inimicus?* Patiebatur enim quiddam ex inferiore afflictione, et in eo ipso tamen volebat placere Deo, et gratias gestiebat agere Deo, fortis in tribulationibus : et quia sine tribulatione esse non poterat, patientiam Deo debebat, *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.*

6. [*vers.* 5.] Et rursus ad animam suam, ut ex inferiore illo sonoro ligno capiat sonum : *Utquid tristis es*, inquit, *anima mea, et utquid conturbas me?* In tribulationibus sum, in languoribus [1], in mœroribus, utquid me conturbas, o anima? Quis dicit? cui dicit? Animæ dicit, omnes novimus; planum est enim, ad illam directus est sermo. *Utquid tristis es, anima mea, et utquid conturbas me?* Quæritur persona loquens. Numquid caro animæ loquitur, cum caro sine anima non loquatur? Proprium enim magis est, ut anima carnem alloquatur, quam ut caro alloquatur animam. Sed quia non dixit, Quare tristis es, caro mea, sed ait : *Quare tristis es, anima mea?* (Si enim carnem alloqueretur, fortasse non diceret : *Quare tristis es ;* sed, Quare doles? Dolor enim animæ tristitia dicitur : molestia vero quæ fit in corpore dolor dici potest, tristitia non potest. Sed ex dolore corporis plerumque anima contristatur. Interest tamen quid doleat, et quid contristetur. Dolet enim caro, tristis est anima; et aperta ista vox est, *Utquid tristis es, anima mea?*) Non ergo anima alloquitur carnem ; quia non dixit, Utquid tristis es, caro mea? nec caro, animam; quia absurdum est ut inferior alloquatur superiorem. Ergo intelligimus habere nos aliquid ubi imago Dei est, mentem scilicet atque rationem. Ipsa mens invocabat lucem Dei et veritatem Dei. Ipsa est qua capimus justum et injustum ; ipsa est qua discernimus verum a falso; ipsa est quæ vocatur intellectus, quo intellectu carent bestiæ ; quem intellectum quisquis in se negligit, et postponit cæteris, et ita abjicit quasi non habeat, audit ex psalmo : *Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI, 9). Intellectus ergo noster alloquitur animam nostram. Ista in tribulationibus marcida est, fessa in angoribus [2], contracta in tentationibus, ægra in laboribus. Erigit eam mens desuper capiens veritatem, et dicit *Utquid tristis es, anima mea, et utquid conturbas me?*

7. Videte si non est ista allocutio in illo conflictu Apostoli, in se præfigurantis quosdam, et forte nos, et dicentis, *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis,*

[1] Edd., *domus autem de qua dixit, Beati*, etc. At plerique Mss., *quid erit*. Gatian. codex, *quæ erit*.
[2] Quinque Mss., *debeatur*.

[1] Aliquot Mss., *angoribus*.
[2] Mss. nonnulli, *languoribus*.

id est motus quosdam carnales : et in quadam lucta et quasi desperatione, invocat gratiam Dei, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 22, 25). Tales ita pugnantes etiam ipse Dominus in se præfigurare dignatus est, cum ait : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Ille enim noverat ad quod venerat. Ille passionem pavebat qui dixerat : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam;* nemo tollit illam a me, sed ego ipse pono eam a me, et iterum sumo eam (*Joan.* X, 17, 18)? Sed, *Tristis est anima mea usque ad mortem*, qui dixit, quædam membra sua in se figuravit. Plerumque enim jam mens bene credit et bene novit futurum hominem secundum fidem suam in gremio Abrahæ : credit hoc, et tamen cum venerit aliquis articulus mortis, turbatur ex familiaritate quadam sæculi hujus; erigit auditum in illam vocem Dei internam, audit rationabile carmen intrinsecus. Ita enim desuper in silentio sonat quiddam, non auribus, sed mentibus; ut quicumque audit illud melos, tædio afficiatur ad strepitum corporalem, et tota ista vita humana tumultus ei quidam sit, impediens auditum superni cujusdam soni nimium delectabilis, et incomparabilis, et ineffabilis. Et revera cum ita contingit ex aliqua perturbatione, vim patitur homo, alloquens animam suam : *Utquid tristis es, anima mea, et utquid conturbas me?* An forte ideo quia difficile purgata vita invenitur, cum ille judicat qui novit ad purum et liquidum judicare? Quia etsi probabilis jam vita est inter homines, ita ut homines quid jam reprehendant juste non habeant : procedit examen ab illius oculis, procedit regula exæquans non fallaciter, et invenit in homine quædam quæ reprehendat Deus, quæ homines reprehendenda non videbant, nec ille ipse intus qui judicandus est. Hæc timens anima forte conturbatur : alloquitur eam mens, quasi dicens, Quid times de peccatis, quia non potes omnia devitare? *Spera in Dominum, quoniam confitebor illi.* Quædam sanat præsens allocutio, reliqua purgat fidelis confessio. Plane time, si justum te dicis; si non habes illam vocem ex alio psalmo : *Ne intres in judicium cum servo tuo.* Quare, *Ne intres in judicium cum servo tuo?* Misericordia tua mihi opus est. Nam si judicium exhibueris sine misericordia, quo ibo? *Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit* (*Psal.* CXXIX, 3)? *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII, 2). Ergo si non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens, quia quicumque hic vivit, quantumlibet juste vivat, væ illi si cum illo in judicium intraverit Deus. Nam ex alio propheta arrogantes et superbos identidem sic objurgat : *Utquid vultis mecum judicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus* (*Jerem.* II, 29). Noli ergo judicio contendere : da operam esse justus; et quantumcumque fueris, confitere te peccatorem; semper spera misericordiam : et in ista [1] humili confessione securus alloquere turbantem te, et tumultuantem adversus te animam tuam. *Utquid tristis es, anima mea, et utquid conturbas me?* Forte in te volebas sperare : *Spera in Dominum*, noli in te. Quid enim es in te? quid es de te? Ille sit sanitas in te, qui suscepit vulnera propter te. *Spera*, inquit, *in Dominum, quoniam confitebor illi.* Quid illi confiteberis? *Salutare vultus mei, Deus meus.* Tu es salutare vultus mei, tu sanabis me. Æger ad te loquor : agnosco medicum, non me jacto sanum. Quid est, agnosco medicum, non me jacto sanum? Quod in alio psalmo dicitur : *Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5).

8. Hæc vox, fratres, tuta est [1] : sed vigilate in operibus bonis. Tangite psalterium, obediendo præceptis : tangite citharam, tolerando passiones. *Frange esurienti panem tuum*, audisti ab Isaia : noli jejunium putare sufficere. Jejunium te castigat, non alterum reficit. Fructuosæ erunt angustiæ tuæ, si alteri præstiteris latitudinem. Ecce fraudasti animam tuam : cui dabis quod tibi abstulisti? ubi pones quod tibi denegasti? Quam multos pauperes saginare potest intermissum hodie prandium nostrum! Ita jejuna, ut alio manducante prandisse te gaudeas, propter orationes, ut exaudiaris. Ibi enim ait : *Adhuc loquente te dicam, Ecce adsum; si fregeris ex animo esurienti panem* (*Isai.* LVIII, 7, 9 *et* 10) : quia plerumque fit a tristibus et a murmurantibus, ut careant tædio interpellantis, non ut reficiant viscera indigentis : *Hilarem autem datorem diligit Deus* (II *Cor.* IX, 7). Si panem dederis tristis, et panem et meritum perdidisti. Ergo ex animo fac : ut ille qui intus videt adhuc loquente te, dicat, *Ecce adsum.* Quam celeriter accipiuntur orationes bene operantium : et hæc justitia hominis in hac vita, jejunium, eleemosyna, oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, jejunium et eleemosynam. Tales nos inveniat, ut securos inveniat lux Dei, et veritas Dei, cum venerit liberare nos a morte, qui jam venit subire pro nobis mortem. Amen.

IN PSALMUM XLIII
ENARRATIO.
SERMO AD PLEBEM.

1. Psalmus iste filiis Core dicitur, sicut ejus titulus præfert. Interpretatur autem Core Calvitium vel Calvaria, et invenimus in Evangelio Dominum Jesum Christum in loco Calvariæ crucifixum (*Matth.* XXVII, 33). Ergo clarum est, quod filiis passionis ejus cantetur hic psalmus. Habemus autem hinc evidentissimum et firmissimum testimonium apostoli Pauli : quia tum cum in persecutionibus Gentilium laboraret Ecclesia, hinc sumpsit versum, quem interponeret ad exhortationem et consolationem patientiæ. Hic enim dictum est, quod ille in Epistola sua posuit : *Propter te mortificamur tota die, deputati sumus velut oves occisionis* (*Rom.* VIII, 36). Vocem ergo martyrum audiamus in Psalmo : et vox

[1] Aliquot Mss., *insta*.

[1] Vatic. et Reg. Mss., *vestra est*.

martyrum videte quam bonam causam habeat, cum dicit, *Propter te*. Nam et Dominus ideo addidit, propter justitiam, cum diceret : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth*. v, 10) : ne quisquam persecutionem patiens, ex ipsa pœna quæreret gloriam, non bonam habens causam. Et hinc exhortatus suos ait, Beati eritis cum vobis illa et illa fecerint vel dixerint homines, propter me. Hinc ergo vox [1], *Propter te mortificamur tota die*.

2. [*vers*. 1.] Est autem magnæ considerationis et magnæ profunditatis consilium Dei, quid causæ fuerit ut cum patres nostros Patriarchas, et totum illum populum Israel eduxerit in manu fortissima de Ægypto, et persequentes inimicos eorum in mari demerserit, duxeritque per contradicentes gentes, debellatisque hostibus in terram promissionis posuerit, victoriasque magnas ex paucitate suorum in magna inimicorum multitudine fecerit : postea placuerit ei quasi avertere se a populo suo, ut stragem occisionis et mortis paterentur sancti ejus, et nemo resisteret, nemo defenderet, nemo prohiberet; quasi averterit faciem suam a gemitibus eorum, quasi oblitus sit eos, quasi ipse non sit Deus, qui in manu valida et brachio excelso evidentissima potentia patres nostros, id est illum populum, sicut dixi, ab Ægypto liberatum, victis pulsisque de terra sua gentibus constituerit in regno, mirantibus omnibus quod sæpe a paucis multi victi essent. Hoc ergo in gemitu confessionis incipit cantari in psalmo isto. Non frustra enim ista facta sunt, nisi ut intelligatur quare facta sint. Proinde quia facta sunt, manifestum est : quare sint facta, altius quærendum est. Ideo titulus non habet tantum, *filiis Core*; sed, *In intellectum* [2] *filiis Core*. Hoc et in illo psalmo est, cujus primum versum ipse Dominus de cruce dixit : *Deus meus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti?* Transfigurans enim nos in id quod dicebat, et in corpus suum (quia et nos sumus corpus ejus, ille caput nostrum), vocem de cruce non dixit suam, sed nostram. Non enim unquam eum dereliquit Deus, nec ipse a Patre unquam recessit; sed propter nos dixit hoc : *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti?* Nam sequitur ibi : *Longe a salute mea verba delictorum meorum*. Et ostendit ex quorum persona hoc dixerit; non enim in ipso delictum potuit inveniri. *Clamabo ad te*, inquit in ipso psalmo, *per diem, et non exaudies; et nocte*, subauditur utique, et non exaudies; sed addidit : *et non ad insipientiam mihi* (*Psal*. xxi, 2, 3), id est, hoc ipsum quod non exaudies, non ad insipientiam mihi, sed ad intellectum. Quid est, ad intellectum non exaudies? id est, me non exaudies ad temporalia, ut intelligam a te desideranda sempiterna. Non ergo relinquit Deus, et cum videtur relinquere, tollit quod male desiderasti, et docet quid debeas bene desiderare. Si enim semper Deus in istis prosperitatibus faveret nobis, ut omnia nobis abundarent, nullamque in tempore isto mortalitatis nostræ tribulationem, nullas pressuras angustiasque pateremur; non diceremus nisi ista esse summa bona quæ præstat Deus servis suis, et majora ab illo non desideraremus. Ideo autem huic vitæ male dulci miscet amaritudines tribulationum, ut alia quæ salubriter dulcis est, requiratur; hoc est, *In intellectum filiis Core*. Denique audiamus Psalmum, et ibi potius hoc videamus.

3. [*vers*. 2, 3.] *Deus, auribus nostris audivimus; patres nostri annuntiaverunt nobis, opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis*. Admirantes [1] quare in istis diebus tanquam deseruerit eos quos in passionibus exercere voluerit, recolunt præterita quæ audierunt a patribus, tanquam dicentes : Non ea quæ patimur nobis retulerunt patres nostri. Nam et in illo psalmo hoc dixit : *In te speraverunt patres nostri, speraverunt, et eruisti eos : ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis* (*Psal*. v, 7). Illi speraverunt, et liberasti eos : egone speravi, et dereliquisti me; et sine causa credidi in te, et sine causa nomen meum scriptum est apud te, et nomen tuum scriptum est in me? Hæc ergo nobis indicaverunt patres nostri. *Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos; infirmasti populos, et expulisti eos* : id est, populos expulisti de terra sua, ut istos introduceres atque plantares, eorumque regnum tua misericordia confirmares. Hæc audivimus a patribus nostris.

4. [*vers*. 4.] Sed forte ideo illi ista potuerunt, quia fortes erant, quia præliatores, quia invicti, quia exercitati, quia bellicosi? Absit. Non hoc indicaverunt nobis patres nostri, non hoc habet Scriptura; sed quid habet, nisi quod sequitur? *Non enim in gladio suo hæreditate possederunt terram, et brachium ipsorum non salvos fecit eos; sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui. Dextera tua*, potentia tua; *brachium tuum*, ipse Filius tuus. *Et illuminatio vultus tui* : quid est hoc? Quia talibus signis eis affuisti, ut præsens intelligereris. Numquid enim quando nobis Deus aliquo miraculo adest, faciem ipsius oculis nostris videmus? Sed effectu miraculi suam præsentiam insinuat hominibus. Denique omnes qui mirantur ad hujuscemodi facta, quid dicunt? Vidi Deum præsentem. *Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui : quoniam complacuisti in eis* : hoc est, sic cum eis egisti, ut bene placeres in eis, ut quisquis eos attenderet quomodo cum eis ageretur, diceret quia vere Deus est cum illis, et Deus illos agit.

5. [*vers*. 5.] Quid ergo? Alter erat tunc, et alter est nunc? Absit. Quid enim sequitur? *Tu es ipse rex meus et Deus meus*. Tu es ipse, non enim mutatus es. Tempora mutata video, creator temporum non mutatur. *Tu es ipse rex meus et Deus meus*. Tu me soles ducere, tu me soles regere, tu mihi soles subvenire. *Qui mandas salutem Jacob*. Quid est, *Qui mandas?* Etiamsi tu per tuam prorsus substantiam atque naturam qua es quidquid es, occultus es, nec per hoc

[1] Edd.: *Hinc ergo vox Martyrum*. Abest, *Martyrum*, a Mss.
[2] Sic Mss. juxta LXX. At Edd., *sed intellectus filiis Core*.

[1] Omnes Mss, *admirans* : et infra, *recedit*.

quod es interfuisti atribus, ut facie ad faciem te viderent; tamen per quamlibet creaturam tu mandas salutem Jacob. Etenim illa visio facie ad faciem, liberatis in resurrectione servatur. Et illi patres etiam Novi Testamenti quamvis revelata mysteria tua viderint [1], quamvis revelata secreta annuntiaverint; tamen in speculo se videre dixerunt et in ænigmate: servari autem visionem in futurum facie ad faciem (I *Cor.* XIII, 12), quando venerit quod ipse Apostolus ait: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; cum autem Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III, 3, 4). Tunc ergo nobis servatur visio illa facie ad faciem, de qua et Joannes dicit: *Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Etsi ergo tunc patres nostri non te viderunt facie ad faciem secundum quod tu es, etiamsi ista visio servatur in resurrectione, tamen etsi Angeli affuerunt, tu *mandas salutem Jacob.* Non solum per te ades, sed per quamcumque creaturam tuam affueris, tu mandas hoc propter salutem [2] servorum tuorum quod tu ipse per te facis; hoc autem fit pro salute servorum tuorum quod faciunt quibus mandas. Cum ergo tu ipse sis rex meus et Deus meus, et tu mandes salutem Jacob, quare ista nunc patimur?

6. [*vers.* 6.] Sed forte præterita tantum narrata sunt nobis, de futuro autem non est aliquid tale sperandum. Imo vero sperandum. *In te inimicos nostros ventilabimus.* Ergo patres nostri indicaverunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis: quia manus tua gentes disperdidit, ejecisti populos et plantasti eos. Ista præterita sunt: de futuro vero quid erit? *In te inimicos nostros ventilabimus:* veniet tempus quando omnes inimici Christianorum, sicut palea ventilentur, sicut pulvis ventilentur, et de terra projiciantur. Ergo si et præterita sic sunt nobis narrata, et futura talia prænuntiata; in medio præsentium quare laboramus, nisi *in intellectum filiis Core? In te inimicos nostros ventilabimus: et in nomine tuo spernemus insurgentes in nos.* Hoc de futuro.

7. [*vers.* 7.] *Non enim in arcu meo sperabo:* quomodo nec patres in gladio suo. *Et gladius meus non salvum faciet me.*

8. [*vers.* 8.] *Salvos enim fecisti nos ex affligentibus nos.* Et hoc figura præteriti de futuro dicitur: sed ideo tanquam præteritum dicitur, quia tam certum est quasi factum sit. Intendite quare pleraque Prophetæ ita dicunt tanquam præterita sint, cum prænuntientur futura, non facta. Nam et de ipso Domino futura passio prænuntiabatur, et tamen, *Foderunt*, inquit, *manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea:* non dixit, Fodient, et dinumerabunt. *Ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me:* non dixit, Considerabunt et conspicient. *Diviserunt sibi vestimenta mea* (*Psal.* XXI, 17, 19): non dixit, divident. Omnia ista tanquam præterita dicuntur, cum futura sint; quia Deo et futura tam certa sunt, tanquam præterita sint. Nobis enim ea quæ præterierunt, certa sunt; quæ futura, incerta sunt. Novimus enim aliquid accidisse, et non potest fieri ut non acciderit quod accidit. Da prophetam cui [1] tam certum sit futurum quam tibi præteritum: et quam tibi quod meministi factum, non potest fieri ut non sit factum, tam illi quod novit futurum, non potest fieri ut non fiat. Ideo de securitate dicuntur tanquam præterita, quæ adhuc futura sunt. Hoc ergo speramus. *Salvos enim fecisti nos ex affligentibus nos, et eos qui oderunt nos confudisti.*

9. [*vers.* 9.] *In Deo laudabimur tota die.* Videte quemadmodum miscet etiam verba futuri temporis, ut intelligas et præterita quæ dicta sunt de futuro esse prædicta. *In Deo laudabimur tota die: et in nomine tuo confitebimur in sæcula.* Quid, *laudabimur?* quid, *confitebimur?* Quia ex omnibus affligentibus nos eruisti nos, quia regnum perpetuum dabis nobis, quia complebitur in nobis, *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5).

10. [*vers.* 10.] Hæc ergo futura cum certa sint nobis, et illa præterita cum a patribus nostris audierimus, quid modo? *Nunc autem repulisti et confudisti nos.* Confudisti, non in conscientia nostra, sed in facie hominum. Erat enim tempus quo affligerentur Christiani, cum ubique fugerent, cum ubique diceretur, Christianus est, tanquam ad insultationem et ad opprobrium pertineret. Ubi est ergo ille Deus noster, rex noster, qui mandat salutem Jacob? Ubi est ille qui fecit omnia quæ nobis narraverunt patres nostri? Ubi est qui facturus est omnia quæ nobis revelavit per Spiritum suum? Numquid mutatus est? *Sed in intellectum filiis Core* fiunt hæc. Aliquid enim intelligere debemus, quare nos ista omnia medio tempore pati voluit. Quæ omnia? *Nunc autem repulisti et confudisti nos: et non egredieris Deus in virtutibus nostris.* Procedimus ad inimicos nostros, et tu nobiscum non procedis: videmus eos, prævalent illi, et nos invalidi sumus. Ubi est illa virtus tua? ubi est dextera et potentia tua? ubi mare siccatum? ubi Ægyptii persequentes fluctibus obruti (*Exod.* XIV, 21, 27)? ubi Amalech resistens, in crucis signo superatus (*Id.* XVII, 11)? *Et non egredieris Deus in virtutibus nostris.*

11. [*vers.* 11.] *Avertisti autem nos retrorsum præ inimicis nostris:* ut quasi illi ante sint, nos retro; illi victores, nos victi deputemur. *Et qui nos oderunt, diripiebant sibi:* quid, nisi nos?

12. [*vers.* 12.] *Dedisti nos tanquam oves escarum, et in nationibus dispersisti nos:* a nationibus manducati sumus. Illi significantur qui sic passi sunt, ut in cor-

[1] Plerique Mss., *quamvis revelato mysterio tuo fuerint.* Unus Fuliensium codex, *quamvis relatores mysterii tui fuerint.*

[2] Aliquot Mss., *tu mandas ut hoc fiat pro salute servorum tuorum, quod faciunt quibus mandas.*

[1] Unus Ms., *cui non tam certum sit.*

pus gentium verterentur. Plangit enim eos Ecclesia, tanquam membra sua devorata.

13. [vers. 13.] *Vendidisti populum tuum sine pretio.* Vidimus enim quos [1] dedisti, non vidimus quid accepisti. *Et non fuit multitudo in jubilationibus eorum.* Numquid enim quando fugiebant Christiani persequentibus inimicis idololatris, fiebant congregationes et jubilationes Deo? Numquid concinebantur hymni de ecclesiis Dei, qui solent in pace concini, dulcique concentu fraternitatis Dei auribus personari? *Et non fuit multitudo in jubilationibus eorum.*

14. [vers. 14, 15.] *Posuisti nos in opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his qui in circuitu nostro sunt. Posuisti nos in similitudinem in nationibus.* Quid est, *in similitudinem?* Quando maledicentes homines similitudinem dant de eo quem detestantur: Sic moriaris, sic puniaris. Quanta tunc dicta sunt talia? Sic crucifigaris. Hodieque non desunt hostes Christi, illi ipsi Judæi, contra quos quando defendimus Christum, dicunt nobis: Sic moriaris quomodo ille. Non enim illam mortem intulissent, nisi eo modo mori vehementer exhorruissent; aut quid mysterii haberet, si intelligere potuissent. Cæcus quando inunguitur, collyrium in manu medici non videt. Nam crux ipsa et pro ipsis persequentibus facta est. Inde sunt postea sanati, et in eum crediderunt quem ipsi occiderunt. *Posuisti nos in similitudinem in nationibus, commotionem capitis in populis:* commotionem capitis ad insultandum. *Et locuti sunt labiis, et moverunt caput* (*Psal.* XXI, 8). Hoc Domino, hoc etiam omnibus sanctis ejus, quos persequi, quos tenere, quos illudere, quos tradere, quos affligere, quos occidere potuerunt.

15. [vers. 16, 17.] *Tota die verecundia mea contra me est, et confusio vultus mei operuit me: a voce exprobrantis et obloquentis:* hoc est, a voce insultantium et crimen mihi objicientium, quia colo te, quia confiteor te: et crimen mihi objicientium de illo nomine, unde mea omnia crimina delebuntur. *A voce exprobrantis et obloquentis*, id est, contra me loquentis. *A facie inimici et persequentis.* Et quis hic intellectus? Quæ præterita dicta sunt, non in nobis fient: quæ futura sperantur, non apparent. Præterita: in magna gloria tua eductus est populus de Ægypto, liberatus a persequentibus, ductus per gentes, expulsis gentibus collocatus in regno. Quæ futura? Educendus populus de ista Ægypto sæculi, duce Christo apparente in gloria sua; ponendi sancti ad dexteram, iniqui ad sinistram, damnandi iniqui cum diabolo in æterna pœna; accipiendum regnum a Christo cum sanctis in sempiternum. Hæc sunt futura, illa præterita. In medio quid? Tribulationes. Quare? Ut appareat animus colens Deum, quantum colat Deum; ut videatur utrum gratis colat eum a quo salutem gratis accepit. Si enim tibi dicat Deus, Quid dedisti mihi ut facerem te? Certe si factus promeruisti me, non me promerueras antequam facerem te. Quid dicturi sumus ei, qui primo gratis nos fecit, quia bonus est, non quia aliquid meruimus? Deinde de ipsa reparatione, de secunda nativitate quid dicturi sumus? Merita nostra fecisse ut nobis illa salus perpetua mitteretur a Domino? Absit. Si merita nostra aliquid facerent, ad damnationem nostram veniret. Non venit ille ad inspectionem meritorum, sed ad remissionem peccatorum. Non fuisti, et factus es: quid Deo dedisti? Malus fuisti, et liberatus es: quid Deo dedisti? Quid non ab eo gratis accepisti? Merito et gratia nominatur, quia gratis datur. Exigitur ergo a te, ut et tu gratis eum colas: non quia dat temporalia, sed quia præstat æterna.

16. Sed ipsa æterna vide ne aliter cogites, et cogitando æterna carnaliter, nihilominus Deum gratis non colas. Quid enim? Si ideo colis Deum, quia dat tibi fundum, non eum culturus es, quia tollit tibi fundum? Sed forte tu dicis: Ideo eum colam, quia dabit mihi villam, non tamen temporalem. Nihilominus adhuc corruptam mentem geris: amore enim casto non colis, adhuc mercedem expetis. Ea enim vis habere in futuro sæculo, quæ hic necesse est derelinquas: mutare vis voluptatem carnalem, non amputare. Non laudatur in illo jejunium, qui ad luxuriosam cœnam servat ventrem suum. Invitantur enim aliquando homines ad cœnam magnam, et cum ad eam volunt avidi venire, jejunant: numquid hoc jejunium continentiæ, et non potius luxuriæ deputandum est? Noli ergo talia sperare tibi danda a Deo, qualia hic jubet contemnere. Hæc enim sperabant Judæi, ideo turbabantur in illa quæstione. Nam et ipsi resurrectionem sperant, sed ad tales voluptates corporis se sperant resurrecturos, quales hic amant. Ideo cum eis proponeretur quæstio illa a Sadducæis, qui non credunt resurrectionem, de illa muliere quæ nupsit septem fratribus sibimet succedentibus, cujus eorum in resurrectione erit uxor, deficiebant [1], et respondere non poterant. At vero Domino quando est proposita, quia nobis resurrectio talis promittitur, non qua repetantur hujusmodi [2] voluptates, sed qua æterna de ipso Deo gaudia comparentur, respondit Dominus, et ait: *Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent: non enim incipient mori.* Id est, non ibi quæritur successor, ubi non erit decessor. Et quid erit? *Sed erunt*, inquit, *æquales Angelis Dei* (*Matth.* XXII, 29, 30, *et Luc.* XX, 35, 36). Nisi forte putas, quod Angeli epulis quotidianis, et vino quo te inebrias, gaudeant, aut hoc forte arbitraris, quod Angeli uxores habeant. Nihil eorum est apud Angelos. Unde gaudent Angeli, nisi unde Dominus ait: *Nescitis quia Angeli eorum semper vident faciem Patris* (*Matth.* XVIII, 10)? Si ergo ad faciem Patris gaudent Angeli, ad tale gaudium te præpara: aut si invenis melius quam videre faciem Dei [3]? Væ tali amori tuo, si vel suspicaris aliquid

[1] Plures Mss., *quod.*

[1] Sic Mss. At Edd., *in resurrectione futura erat, vox deficiebat.*
[2] Octo Mss., *hujus mundi.*
[3] Hic in Edd. additur, *illuc te præpara:* quod a Mss. abest.

pulchrius, quam est ille a quo est omne pulchrum, quod te teneat, ne illum cogitare merearis. Dominus in carne erat, et apparebat homo hominibus. Qualis apparebat? Jam dixi, homo hominibus. Quid magnum apparebat? Caro carni. Quid magnum apparebat, de quo dictum est : *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem* (*Isai.* LIII, 2)? Quis non habebat speciem neque decorem? De quo item dicitur : *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV, 3). Ut homo, non habebat speciem neque decorem; sed speciosus forma ex eo quod est præ filiis hominum. Ideo formam illam deformem [1] carnis ostendens oculis intuentium, quid ait? *Qui diligit me, mandata mea custodit; et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et ostendam illi meipsum* (*Joan.* XIV, 21). Quem videbant, ostensurum se illis promittebat. Sed quid est hoc? Quasi diceret, Videtis formam servi, occulta est forma Dei : per hanc vobis blandior, illam vobis servo; hac vos parvulos nutrio, illa grandes pasco. Ergo ut hæc fides nostra qua purgamur, ad invisibilia præparetur, hoc est, quod *in intellectum filiis Core* facta sunt ista omnia, ut detraherentur sanctis ea quæ habebant, detraheretur et ipsa vita temporalis : ut non propter hæc ipsa temporalia colerent ipsum æternum, sed amore illius casto tolerarent hæc omnia quæ pro tempore paterentur.

17. [*vers.* 18, 19.] Denique quia intellexerunt hoc filii Core, quid dicunt? *Hæc omnia venerunt super nos, et obliti non sumus te.* Quid est, *et obliti non sumus te? Et inique non egimus in testamento tuo : et non recessit retro cor nostrum : et declinasti semitas nostras de via tua.* Ecce est intellectus, quia non recessit retro cor nostrum, quia obliti non sumus te, quia inique non egimus in testamento tuo, positi in magnis tribulationibus et persecutionibus gentium. *Declinasti semitas nostras de via tua.* Semitæ enim nostræ erant in voluptatibus sæculi; semitæ nostræ erant in prosperitatibus temporalium rerum : tulisti semitas nostras de via tua, et ostendisti nobis quam arcta et angusta via est quæ ducit ad vitam. *Et declinasti semitas nostras de via tua.* Quid est, *declinasti semitas nostras de via tua?* Tanquam diceret nobis, In tribulatione positi estis, multa patimini, multa quæ amabatis in hoc sæculo, amisistis : sed non vos dimisi in via, quam angustam vos doceo. Latas semitas quærebatis : quid vobis dico? Hac itur ad vitam sempiternam : qua vultis ambulare, ad mortem pergitis. *Quam lata et spatiosa via est quæ ducit ad interitum, et multi sunt qui ambulant per eam! Quam arcta et angusta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui ambulant per illam* (*Matth.* VII, 13, 14)! Qui sunt pauci? Qui tolerant tribulationes, qui tolerant tentationes, qui in istis omnibus molestiis non deficiunt; qui non ad horam gaudent ad verbum, et in tempore tribulationis tanquam orto sole arescunt (*Id.* XIII, 20, 21, 23), sed habent radicem charitatis, sicut audivimus quod modo lectum est in Evangelio (*Marc.* IV, 16, 17, 20, *et Luc.* VIII, 13, 15). Radicem, inquam, charitatis habe, ut cum sol exortus fuerit, non te urat, sed nutriat. *Hæc omnia venerunt super nos, et obliti non sumus te; et inique non egimus in testamento tuo; et non recessit retro cor nostrum.* Sed quia hæc omnia inter tribulationes facimus, jam in angusta via ambulantes, *declinasti semitas nostras de via tua.*

18. [*vers.* 20.] *Quoniam humiliasti nos in loco infirmitatis.* Ergo exaltabis nos in loco fortitudinis. *Et operuit nos umbra mortis.* Hæc enim mortalitas umbra mortis est. Vera mors est damnatio cum diabolo.

19. [*vers.* 21.] *Si obliti sumus nomen Dei nostri.* Iste est intellectus filiorum Core. *Et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.*

20. [*vers.* 22.] *Nonne Deus requiret ista? Ipse enim novit occulta cordis.* Novit, et requirit : si novit occulta cordis, quid ibi facit? *Nonne Deus requiret ista?* Novit in se, requirit propter nos. Etenim ideo requirit Deus aliquando, et dicit sibi innotescere, quod facit tibi innotescere. Opus suum tibi dicit, non cognitionem suam [1]. Dicimus plerumque, Lætus dies, quando serenus est : numquid ipse dies gaudet? Sed gaudentem dicimus, quia gaudentes nos facit. Et dicimus, Triste cœlum. Non enim est ullus talis sensus in nubibus : sed quia homines hujusmodi videntes cœli faciem contristantur, triste dicitur, eo quod tristes facit. Sic et Deus cognoscere dicitur, quando cognoscentes facit. Deus dicit ad Abraham : *Nunc cognovi quia tu times Deum* (*Gen.* XXII, 12). Ante non cognoverat? Sed ipse Abraham se non [2] cognovit : quia in ipsa tentatione ipse sibi innotuit. Plerumque enim homo putat se posse quod non potest, aut putat se non posse quod potest; accedit ad illum interrogatio ex divina dispensatione, et per interrogationem notus fit sibi; et dicitur Deus cognovisse, quod illum fecit nosse. Numquid Petrus noverat se, quando dixit medico : *Tecum sum usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 35)? Medicus noverat, vena inspecta, quid intus ageretur in ægroto; ægrotus non noverat. Venit accessio tentationis; et probavit medicus sententiam suam, perdidit æger præsumptionem suam. Sic ergo et novit Deus, et requirit. Novit. Quomodo ipse requirit? Propter te, ut tu invenias te, et gratias agas ei qui fecit te. *Nonne Deus requiret ista?*

21. *Ipse enim novit occulta cordis.* Quid est, *novit occulta?* quæ occulta? *Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus velut oves occisionis.* Potes enim videre mortificari hominem; quare mortificetur, nescis : Deus hoc novit; res in occulto est. Sed dicit mihi aliquis : Ecce pro nomine Christi detinetur, nomen Christi confitetur. Quare non et hæretici nomen Christi confitentur, et non tamen jam propter ipsum moriuntur [3]? Prorsus in ipsa Ecclesia, dicam,

[1] Sic Mss. nullo fere excepto. At Edd. loco, *deformem*, habent, *de forma*.

[1] Duo Mss., *non cognitioni suæ*.
[2] In plerisque Mss., *se cognovit*, omissa negatione.
[3] Er. et Lov. : *Quare hæretici nomen Christi confitentur, et non tamen jam propter ipsum moriuntur?* Am. et aliquot Mss., *Quare? Non et hæretici nomen Christi confitentur, sed non tamen propter ipsum moriuntur?* Alii Mss., *Quare non et hæretici nomen Christi confitentur*, etc.

catholica, putatis defuisse aut deesse posse, qui causa humanæ gloriæ paterentur? Si deessent hujusmodi homines, non diceret Apostolus : *Si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII, 3). Sciebat ergo esse posse quosdam qui hoc jactatione facerent, non dilectione. Ideo obscurum est; Deus hoc solus videt, nos non possumus. Ipse solus potest judicare, qui novit occulta cordis. *Quoniam propter te mortificamur tota die, deputati sumus velut oves occisionis.* Jam dixi, hinc etiam apostolum Paulum testimonium posuisse ad exhortandos martyres, ne deficerent in tribulationibus pro nomine Christi susceptis.

22. [*vers.* 23.] *Exsurge, quare obdormis, Domine?* Cui dicit? et quis dicit? Nonne magis dicetur ille dormire, et halare [1], qui talia loquitur, *Exsurge, quare dormis, Domine?* Respondet tibi, Novi quid dicam : scio quia non dormit qui custodit Israel (*Psal.* CXX, 4) : sed tamen martyres clamant, *Exsurge, quare obdormis, Domine?* O Domine Jesu! occisus es, dormisti in passione, jam nobis resurrexisti. Novimus enim quia nobis resurrexisti. Quare resurrexisti? Gentes quæ nos persequuntur, mortuum te putant, resurrexisse non credunt. Exsurge ergo et illis. Quare dormis, non nobis, sed illis? Si enim jam te illi crederent resurrexisse, numquid eos qui in te crederent persequi poterant. Sed quare persequuntur? Dele, occide nescio quos [2], qui crediderunt in te nescio quem male mortuum? Adhuc eis dormis : exsurge ut intelligant quia resurrexisti, et quiescant. Denique factum est dum moriuntur martyres, et ista dicunt, dormiunt, et excitant Christum vere mortuum dormitionibus eorum; surrexit Christus quodammodo in gentibus, id est, creditus est resurrexisse : ita paulatim et ipsi credendo conversi ad Christum, fecerunt numerum magnum, quem timerent persecutores, et cessaverunt persecutiones. Unde? Quia resurrexit Christus in gentibus, qui illis ante non credentibus dormiebat. *Exsurge, et ne repellas usque in finem.*

23. [*vers.* 24.] *Quare faciem tuam avertis?* quasi non adsis, quasi oblitus sis nostri. *Oblivisceris inopiam nostram, et tribulationem nostram.*

24. [*vers.* 25.] *Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra.* Ubi humiliata est? In pulvere, id est, pulvis nos persequitur. Illi nos persequuntur, de quibus dixisti : *Non sic impii, non sic; sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal.* I, 4). *Humiliata est in pulvere anima nostra ; hæsit in terra venter noster.* Pœnam nimiæ humiliationis mihi videtur expressisse, qua quisque quando se prosternit, hæret in terra venter ejus. Quisquis enim ita humiliatur ut genua figat, adhuc habet quo humilietur : quisquis autem sic humiliatur ut hæreat in terra venter ejus, ultra quo humilietur non habet. Si enim ultra voluerit, jam non erit humiliare, sed obruere. Hoc ergo forsitan dixerit : Nimium humiliati sumus in hoc pulvere, ultra quo humiliemur non habemus : jam pervenit usque ad summum humiliatio, veniat et miseratio.

25. An forte, fratres, eos plangit Ecclesia voce ista, quibus illi qui persequebantur persuaserunt impietatem : ut illi qui perdurarunt hoc dicant, *Humiliata est in pulvere anima nostra?* Id est, inter manus pulveris hujus, inter manus impiorum et persequentium, *Humiliata est in pulvere anima nostra*, ad hoc ut te invocaremus, ut dares auxilium de tribulatione : *venter* autem *noster hæsit in terra*, id est, consensit impietati pulveris hujus venter noster; hoc est enim dictum, *Hæsit.* Si enim cum diligis et ardes charitate, recte dicis Deo, *Adhæsit anima mea post te* (*Psal.* LXII, 9); et, *Mihi adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII, 28): tunc autem adhæres Deo, quando consentis Deo : non sine causa dictum est, de ventre isto quod adhæsit in terra, nisi quia illi significantur, qui persecutionem non tolerantes, consenserunt iniquis : sic enim hæserunt in terra. Sed quare dicti sunt venter, nisi quia carnales sunt : ut os Ecclesiæ in sanctis sit, in spiritualibus sit; venter Ecclesiæ in carnalibus sit? Itaque os Ecclesiæ eminet; venter absconditus est, tanquam mollior et infirmior. Hoc significat quodam loco Scriptura, ubi quidam dicit se accepisse librum; *et liber ipse dulcis erat*, inquit, *in ore meo, et amarus in ventre meo* (*Apoc.* X, 10). Quid est hoc, nisi quia præcepta summa quæ capiunt [1] spirituales, non capiunt carnales; et de quibus gaudent spirituales, contristantur carnales? Liber iste, fratres, quid habet? *Vende omnia quæ habes, et da pauperibus.* Quam dulcis in ore Ecclesiæ! Ab omnibus spiritualibus factum est. At vero carnali cuicumque dixeris, Fac hoc; facilius a te tristis recedit, sicut ille dives a Domino (*Matth.* XIX, 21, 22), quam facit quod dictum est. Quare autem tristis recessit, nisi quia liber ille dulcis est in ore, et in ventre amarus? Dedisti nescio quid auri et argenti; ventum est ad hunc articulum, ut nisi perdas, forte aliquod peccatum committas, injuriam forte ingeras Ecclesiæ, blasphemare cogaris : posito itaque in angustiis, aut damno pecuniæ, aut damno justitiæ, dicitur tibi, Perde potius pecuniam, ne perdas justitiam : tu autem cui non dulcis est in ore justitia, sed adhuc in illis membris infirmus es, quales in ventre deputat Ecclesia, contristatus eligis aliquando amittere aliquid de justitia, quam vel nummum [2] de pecunia; et percutis te damno graviore, implens saccellum tuum, et exinaniens cor tuum. Fortassis ergo de illis dixerit, *Hæsit in terra venter noster.*

26. [*vers.* 26.] *Exsurge, Domine, adjuva nos.* Et vere, carissimi, exsurrexit et adjuvit. Namque cum exsurgeret, id est, cum resurgeret, et gentibus innotesceret, cessantibus persecutionibus, etiam illi qui hæserant in terra, eruti sunt de terra, et agentes pœnitentiam, redditi sunt corpori Christi, quamvis infirmi, quamvis imperfecti, ut compleretur in eis, *Im-*

[1] Edd., *dormire, balare et ululare.* At Mss. omittunt, *ululare* : et ex iis nonnulli loco, *balare*, habent, *halare* : quidam, *valare*.
[2] Sic omnes fere Mss. Edd. autem ferebant, *Deleverunt, occiderunt eos qui crediderunt in te nescio quem*, etc.

[1] Sic Mss. At Edd. hic et proximo loco, pro, *capiunt*, habent, *accipiunt*.
[2] Aliquot Mss., *minimum*.

perfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur (*Psal.* CXXXVIII, 16). *Exsurge, Domine, adjuva nos : et redime nos propter nomen tuum :* hoc est, gratis; propter nomen tuum, non propter meritum meum; quia tu dignatus es facere, non quia ego dignus sum cui facias. Nam et hoc ipsum quod non sumus obliti te, et non recessit retro cor nostrum, quod non expandimus manus nostras ad Deum alienum, nisi te adjuvante, unde possemus? nisi te intus alloquente et exhortante, non [1] deserente, unde valeremus? Ergo sive patientes in tribulationibus, sive gaudentes in prosperitatibus, redime nos; non propter meritum nostrum, sed propter nomen tuum.

IN PSALMUM XLIV [2]
ENARRATIO.
SERMO (*a*).

1. [*vers.* 1.] Hunc psalmum sicut vobiscum cum exsultatione cantavimus, ita nobiscum cum attentione consideretis peto. Cantatur enim de sanctis nuptiis, de sponso et sponsa, de rege et plebe, de Salvatore et de his qui salvandi sunt. Qui cum veste nuptiali venit ad nuptias, gloriam quærens sponsi, non suam, non solum libenter audit, quod solet esse etiam hominum spectacula quærentium, non facta exhibentium; sed etiam mandat cordi, quod non ibi vacet, sed germinet, erumpat, crescat, perficiatur, assumatur. Oportet enim nos esse, quibus [3] hoc cantetur, filios Core, quod habet titulus Psalmi. Erant enim isti quidam homines : verumtamen omnis inscriptio Litterarum divinarum aliquid innuit intelligentibus, et non tantum auditorem, verum etiam cognitorem desiderat. Interrogamus enim vim hebraici verbi, quid sit Core : et, sicut se interpretationes habent omnium verborum in Scriptura positorum, renuntiatur nobis, filios Core interpretari filios Calvi. Quod nomen non ad irrisionem accipiatis, ne inveniamur in sensu puerili, quales pueros legimus in libro Regnorum, insultantes Elisæo sancto prophetæ, et clamantes post ipsum : *Ascende calve, ascende calve.* Tales enim pueros stulte garrulos, et in suam perniciem maledicentes, exeuntes de silva bestiæ comederunt (IV *Reg.* II, 23, 24). Hoc scriptum est, et ubi sit scriptum commemoravimus : qui meminerunt, recognoscant; qui non meminerunt, legant; qui non legerunt, credant. Quod ergo illud factum figuravit in futurum, non nos debet apprehendere. Significati sunt enim in illis pueris stulti homines, habentes ignorantiæ sensum; quales nos non vult esse Apostolus, ubi dicit : *Nolite pueri esse mentibus* (I *Cor.* XIV, 20). Et quia Dominus invitaverat nos ad imitationem puerorum, quando ante se parvulum posuit, et ait, *Nisi quis fuerit ut puer iste, non intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* XVIII, 2, 3); ibi quoque Apostolus cautus, ubi revocat a mente puerili, vocat rursus ad imitationem puerilem : *Nolite*, inquit, *pueri effici mentibus, sed malitia parvuli estote, ut mentibus perfecti sitis* (I *Cor.* XIV, 20). Quem delectat imitari puerum, non delectet imperitia, sed innocentia. Illi vero ex imperitia insultabant sancto Dei calvo, et clamabant post eum : *Calve, calve.* Factum est ut a bestiis consumerentur : et figuraverunt homines in eadem mente puerili stulte irridentes quemdam calvum; quia in Calvariæ loco crucifixus est. Possessi sunt ergo tales velut a bestiis, hoc est a dæmonibus, a diabolo et angelis ejus, qui operatur in filiis diffidentiæ. Tales pueri erant, qui ante sacratum lignum stantes caput agitabant, et dicebant : *Si filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII, 33, 39, 40). Hujus nos filii sumus, quia filii sponsi sumus : et nobis inscriptus est psalmus iste, cujus titulus dicitur, *Filiis Core, pro his quæ* [1] *commutabuntur.*

2. Quid ego exponam quid sit, *pro his quæ commutabuntur?* Quid ego dicam? Hoc omnis mutatus agnoscit. Qui audit hæc, *Pro his quæ commutabuntur*, videat quid erat, et quid nunc sit. Et primo ipsum mundum videat commutatum; nuper adorantem idola, modo adorantem Deum; nuper servientem iis quæ fecit, modo ei a quo factus est. *Pro his quæ commutabuntur*, videte quando dictum sit. Modo jam residui Pagani mutata expavescunt : et qui nolunt mutari, vident refertas ecclesias, templa deserta; hac celebritatem, ibi solitudinem. Mirantur mutata, legant prædicta : aurem accommodent promissori, credant exhibitori. Sed et unusquisque nostrum, fratres, ex vetere homine in novum mutatur; ex infideli fidelis fit, ex raptore largitor, castus ex adultero, beneficus ex malefico. Ergo cantetur nobis, *Pro his quæ commutabuntur :* et sic incipiat describi, per quem commutata sunt.

3. Sequitur enim : *Pro his quæ commutabuntur, filiis Core, in intellectum, Canticum pro dilecto.* Nam dilectus ille visus est a persecutoribus suis, sed non in intellectum. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I *Cor.* II, 8). Ad hunc intellectum oculos alios quærebat ipse, cum diceret : *Qui me videt, videt et Patrem* (*Joan.* XIV, 9). Sonet eum jam Psalmus : gaudeamus in nuptiis, et nos erimus cum iis qui fiunt nuptiæ [2] qui invitantur ad nuptias; et ipsi invitati sponsa est. Etenim sponsa Ecclesia est, sponsus Christus. Solent dici ab scholasticis [3] carmina quædam uxores ducentibus et nubentibus, quæ vocantur epithalamia; quidquid ibi cantatur, ad

[1] Sic Mss. At Edd., *Nam deserente, unde valeremus?*

[2] In Corb. Ms. et in vetustissimo libro Remig. titulum hunc gerit Psalmus iste : *Incipit de Psal. XLIV, IV nonas septembris, quarta feria, sermo habitus in basilica Restituta.* In hujus basilicæ secretario acta prænotantur Carthag. quædam concilia, inter alia Carthag. generale an. 401, die 13 septemb. celebratum.

[3] Mss. Vatic. et Reg. : *Oportet enim nosse a quibus hoc cantetur filiis Core.*

(*a*) Ad plebem Carthaginensem.

[1] Edd., *pro iis qui commutabuntur :* et aliquanto infra : *per quem commutati sunt.* At potiores Mss. habent *commutata sunt :* et, *pro his quæ commutabuntur.* Apud LXX, Græce ambiguo genere est, *uper tôn alloiôthêsomenôn.*

[2] Plures Mss. omittunt, *qui fiunt nuptiæ.*

[3] Edd., *scholasticis.* At Mss., *scolasticis :* pro quo forte reponendum, *scoliasticis ;* ducto nomine a scolio, quod Græcis est convivale carmen, inter pocula concini solitum.

honorem cantatur sponsi et sponsæ: an forte et in nuptiis istis, quo invitati sumus, thalamus non est? Et unde dicit alius psalmus: *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo* (*Psal.* XVIII, 6)? Conjunctio nuptialis, Verbum et caro: hujus conjunctionis thalamus, virginis uterus. Etenim caro ipsa Verbo est conjuncta: unde etiam dicitur, *Jam non duo, sed una caro* (*Matth.* XIX, 6, *et Ephes.* V, 32). Assumpta est Ecclesia ex genere humano, ut caput esset Ecclesiæ ipsa caro Verbo conjuncta, et cæteri credentes membra essent illius capitis. Nam vis videre quis venerit ad nuptias? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Gaudeat sponsa amata a Deo. Quando amata? Dum adhuc fœda. *Omnes enim peccaverunt*, ait Apostolus, *et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 23). Et iterum: *Etenim Christus pro impiis mortuus est* (*Id.* V, 6). Amata est fœda, ne remaneret fœda. Non enim vere fœda amata est, quia non fœditas amata est: nam si hoc amaret, hoc servaret: evertit fœditatem, formavit pulchritudinem. Ad qualem venit, et qualem fecit? Veniat jam ipse in verbis propheticis; ecce ipse sponsus procedat nobis: amemus illum; aut si invenerimus in eo aliquid fœdi, non amemus. Ecce ipse invenit multa fœda, et amavit nos: si aliquid fœdi invenerimus in eo, non amemus. Quia et hoc ipsum quod carnem indutus est, ut de illo etiam diceretur, *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem* (*Isai.* LIII, 2); si consideres misericordiam qua factus est, et ibi pulcher est. Sed Judæorum personam gerebat propheta, cum diceret: *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem.* Quare? Quia non in intellectum. Intelligentibus autem, *et Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), magna pulchritudo est. *Mihi autem absit gloriari*, dixit unus amicorum sponsi, *nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI, 14). Parum est ut non inde erubescas, nisi etiam et glorieris. Quare ergo non habuit speciem neque decorem? Quia Christus crucifixus, Judæis quidem scandalum, Gentibus stultitia. Quare autem et in cruce habuit decorem? Quia quod stultum est Dei, sapientius est quam homines; et quod infirmum est Dei, fortius est quam homines (I *Cor.* I, 23, 25). Nobis ergo jam credentibus, ubique sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus, Verbum apud Deum: pulcher in utero virginis, ubi non amisit divinitatem, et sumpsit humanitatem: pulcher natus infans Verbum; quia et cum esset infans, cum sugeret, cum manibus portaretur, cœli locuti sunt, Angeli laudes dixerunt, Magos stella direxit, adoratus est in præsepi, cibaria mansuetorum (*Luc.* II, 8-14, *et Matth.* II, 1). Pulcher ergo in cœlo, pulcher in terra; pulcher in utero, pulcher in manibus parentum; pulcher in miraculis, pulcher in flagellis; pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem; pulcher deponens animam, pulcher recipiens; pulcher in ligno, pulcher in sepulcro, pulcher in cœlo. In intellectum [1] audite Canticum, neque oculos vestros a splendore pulchritudinis illius avertat carnis infirmitas. Summa et vera pulchritudo justitia est: ibi illum non videbis pulchrum, ubi deprehendis injustum: si ubique justus, ubique decorus. Veniat ergo nobis inspiciendus oculis mentis, descriptus a quodam laudatore suo propheta: ecce incipit.

4. [*vers.* 2.] *Eructavit cor meum verbum bonum.* Quis dicit, Pater, an Propheta? Intellexerunt enim quidam Patris personam dicentis, *Eructavit cor meum verbum bonum*, commendantis nobis nativitatem quamdam ineffabilem. Ne forte putares aliquid assumptum, unde Filium generaret Deus; quemadmodum homo sibi assumit aliquid unde generet filios, conjugium scilicet, sine quo prolem procreare homo non potest: ne igitur putares aliquo conjugio indiguisse Deum, unde Filium generaret, *Eructavit*, inquit, *cor meum verbum bonum.* Hodie cor tuum, o homo, generat consilium, nec quærit uxorem: per consilium natum ex corde tuo ædificas aliquid; et illa fabrica, antequam stet in opere, stat in consilio [1]; et inest jam quod facturus es, in eo per quod facturus es: et laudas fabricam nondum existentem, nondum in specie ædificii, sed in prolatione consilii; nec laudat alius consilium tuum, nisi aut indicaveris, aut viderit quod fecisti. Ergo si per Verbum omnia, et Verbum de Deo; inspice fabricam factam per Verbum, et ex isto ædificio mirare consilium. Quale Verbum est per quod factum est cœlum et terra, et omnis ornatus cœli, omnis fecunditas terræ, diffusio maris, distentio aeris, fulgor siderum, claritas solis et lunæ? Videntur hæc: transcende et hæc; cogita Angelos, Principatus, Sedes, Dominationes, Potestates: omnia per ipsum facta sunt. Unde ergo ista bona facta sunt? Quia eructatum est per quod fierent, *Verbum bonum.* Ergo Verbum bonum: et ipsi Verbo dictum est, *Magister bone.* Et ipsum Verbum respondit, *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Matth.* XIX, 17, *et Marc.* X, 18). Dictum est, *Magister bone;* et dicit, *Quid me interrogas de bono?* Addidit etiam, *Nemo bonus, nisi unus Deus.* Quomodo ergo et ipse bonus, nisi quia Deus? Non solum autem Deus, sed cum Patre unus Deus. Non enim dicendo, *Nemo bonus, nisi unus Deus*, discrevit se, sed univit. *Eructavit cor meum verbum bonum.* Dixerit hoc Deus Pater de Verbo suo bono atque benefico bono nostro, per quod solum bonum utcumque boni esse possumus.

5. Sequitur, *Dico ego opera mea regi.* Adhuc Pater loquitur? Si adhuc Pater loquitur, quæramus et hoc quomodo secundum fidem veram et catholicam intelligamus, *Dico ego opera mea regi.* Si enim Pater dicit opera sua Filio suo regi nostro; quæ opera Pater dicturus est Filio, cum omnia opera Patris per Filium facta sint? An forte, *Dico ego opera mea regi*, ipsum *Dico*, generationem Filii significat? Vereor ne hoc aliquando a tardioribus non possit intelligi: verumtamen dicam; sequatur qui potest, ne non dicto non

[1] Sic Mss. At Edd., *pulcher in intellectu. Audite Canticum*, etc.

[1] Omnes Mss., *et illa fabrica antequam stet, stat consilium.*

sequatur et qui potest. Legimus in alio psalmo dictum: *Semel locutus est Deus* (*Psal.* LXI, 12). Toties locutus est per Prophetas, toties per Apostolos, hodieque loquitur per sanctos suos, et ait: *Semel locutus est Deus.* Unde semel locutus est, nisi propter[1] Verbum unum? Sicut autem *Eructavit cor meum verbum bonum*, intelleximus ibi generationem Filii; veluti repetitio mihi videtur facta in consequenti sententia, ut illud quod dictum erat, *Eructavit cor meum verbum bonum*, repeteretur in eo quod ait, *Dico*. Quid est enim, *Dico?* Verbum profero. Et unde profert Deus verbum, nisi ex corde suo, ex intimo suo? Tu non dicis nisi quod ex corde tuo profers; verbum tuum quod sonat et transit, aliunde non profertur: et miraris quia ita dicit Deus? Sed dicere Dei æternum est. Tu dicis aliquid modo, quia tacebas paulo ante: vel ecce nunc nondum verbum profers; cum autem proferre cœperis, rumpis silentium quodammodo, et generas verbum quod antea non erat. Non sic Deus genuit Verbum: dicere Dei sine initio est, et sine fine; et tamen unum Verbum dicit. Dicat alterum, si quod dixit transierit. Cum vero et a quo dicitur manet, et quod dicitur manet; et semel dicitur et non finitur; et ipsum semel sine initio dicitur, nec bis dicitur, quia non transit quod semel dicitur. Hoc est ergo, *Eructavit cor meum verbum bonum*, quod est, *Dico ego opera mea regi*. Quare ergo, *Opera mea dico?* Quia in ipso Verbo omnia opera Dei. Quidquid enim facturus erat Deus in creatura, jam in Verbo erat; nec esset in rebus, nisi esset in Verbo: quomodo et in te non esset in[2] fabrica, nisi esset in consilio. Sicut in Evangelio dicitur: *Quod factum est in ipso vita erat* (*Joan.* I, 3, 4). Erat ergo quod factum est, sed in Verbo erat: et omnia opera Dei ibi erant, et opera nondum erant: sed Verbum erat, et Verbum hoc Deus erat, et apud Deum erat, et Filius Dei erat, et cum Patre unus Deus erat. *Dico ego opera mea regi.* Audiat dicentem, qui Verbum intelligit; et videat cum Patre sempiternum Verbum, in quo sunt etiam quæ futura sunt, in quo non abierunt et quæ transierunt. Hæc opera Dei in Verbo, tanquam in Verbo, tanquam in Unigenito, tanquam in Dei Verbo.

6. Quid ergo sequitur? *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.* Quid simile, fratres mei, quid habet simile lingua Dei cum calamo scribæ? Quid habet simile petra cum Christo (I *Cor.* X, 4)? quid habet simile agnus cum Salvatore (*Joan.* I, 29)? quid habet leo cum Unigeniti fortitudine (*Apoc.* V, 5)? Dicta sunt hæc tamen: et nisi dicerentur, non aliquo modo per hæc visibilia ad invisibilem informaremur. Sic ergo humilem similitudinem calami hujus, nec comparemus illi excellentiæ, nec tamen respuamus. Quæro enim quare linguam suam calamum dixit esse scribæ velociter scribentis? At vero quantumvis velociter scribat scriba, non comparatur illi velocitati, de qua dicit alius psalmus: *Usque in velocitatem currit verbum ejus* (*Psal.* CXLVII, 15). Sed mihi videtur, quantum audet humana intelligentia, et hoc posse accipi ex persona Patris dictum, *Lingua mea calamus scribæ*. Quia quod lingua dicitur, sonat et transit; quod scribitur, manet: cum ergo dicat Deus Verbum, et Verbum quod dicitur non sonet et transeat, sed et dicatur et maneat; scriptis hoc maluit Deus comparare, quam sonis. Quod autem addidit, *velociter scribentis*, impulit mentem ad intelligentiam: sed non pigra remaneat, respiciendo antiquarios, aut respiciendo qualeslibet veloces notarios; si autem hoc attenderit, remanebit ibi. Ipsum *velociter*, cogitet velociter; et videat quare dictum sit, *velociter*. Velociter Dei tale est, ut velocius nihil sit. In Scripturis enim scribitur littera post litteram, syllaba post syllabam, verbum post verbum; nec ad secundum transitur, nisi primo perscripto. Ibi autem nihil velocius, ubi non multa sunt verba, nec tamen aliquid prætermissum est, cum in uno sint omnia.

7. [*vers.* 3.] Ecce jam Verbum illud sic prolatum, æternum, ab æterno coæternum, veniet sponsus. *Speciosus forma præ filiis hominum. Præ filiis hominum:* quare non et præ Angelis? Quid voluit dicere, *Præ filiis hominum*, nisi quia homo? Ne hominem Christum quemlibet hominem putares, ait, *Præ filiis hominum speciosus forma.* Etiam homo præ filiis hominum; etiam inter filios hominum, præ filiis hominum; etiam ex filiis hominum, præ filiis hominum. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Lex per Moysen data est; Gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* I, 17). *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Merito mihi subventum est, quia condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Sed alia lex in membris meis repugnat legi mentis meæ, et captivum me ducit in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (*Rom.* VII, 22-25). *Diffusa est* ergo *gratia in labiis tuis.* Venit nobis cum verbo[1] gratiæ, cum osculo gratiæ. Quid ista gratia dulcius? Quo pertinet gratia ista? Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (*Psal.* XXXI, 1). Si severus judex veniret, nec afferret istam gratiam diffusam in labiis suis, quis de salute aliquid speraret? Quis non sibi hoc timeret quod peccatori debebatur? Ille veniens cum gratia, non exegit quod debebatur, solvit quod non debebat. Num enim non peccator debebat mortem? Aut vero tibi peccatori debebatur, nisi supplicium? Debita tua dimisit, et indebita sua exsolvit. Magna gratia. Quare gratia? Quia gratis. Propterea tibi gratias agere licet, referre non licet; non enim potes. Quærebat ille quid retribueret, et dixit: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et invenit quasi aliquid: *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV, 12, 13). Hoc illi rependis, quia calicem salutaris accipis, et nomen Domini invocas? Quis tibi dedit ipsum calicem salutarem? Remansit in actione gratiarum, nam in relatione defecit. Inveni quid Deo des, quod

[1] Sic Mss. At Edd., *nisi per Verbum suum.*

[2] Plures Mss., *non esset fabrica:* absque particula, *in.*

[1] Corb. Ms., *verbum.*

ab illo non acceperis; et retuleris gratiam. Sed cave ne dum quæris quid illi retribuas, quod ab illo non acceperis, invenias, sed peccatum tuum. Hoc plane ab illo non accepisti, sed nec ei dare debes. Hoc dederunt Judæi, retribuerunt mala pro bonis; acceperunt ab eo pluviam, et fructum non dederunt, sed spinas dolorum. Ergo bonum quidquid volueris in te dare Deo, non te invenis accepisse nisi a Deo. Ipsa est gratia Dei diffusa in labiis. Fecit te, gratis te fecit. Non enim erat cui præstaret antequam faceret. Perieras, quæsivit te; et inventum revocavit te. Præterita non imputavit, futura promisit. Vere *diffusa est gratia in labiis tuis.*

8. *Propterea*, inquit, *benedixit te Deus in æternum.* Laboratur, ut hoc possit intelligi adhuc a Deo Patre dici, *Propterea benedixit te Deus in æternum.* Accommodatius videtur hoc accipi ex persona Prophetæ. Et mutationes personarum repentinæ, et omnino ex improviso, inveniuntur in sanctis Scripturarum libris; et si quis advertat, plenæ sunt paginæ divinæ. *Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa;* et statim, *Quid detur tibi, aut quid adjiciatur tibi adversus linguam subdolam?* Alia illic persona erat, alia hic: ibi petentis, hic subvenientis. *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus vastatoriis.* Alia persona est, *Quid detur tibi, aut quid adjiciatur tibi;* et in consequentibus fit alia, *Heu me! quia incolatus meus longinquus factus est* (*Psal.* CXIX, 2-5). In paucis versibus tam crebra mutatio personarum intellectum admonet: non exprimit locum ubi mutatur; non dicitur, Hoc dixit homo, hoc dixit Deus; sed ex ipsis verbis fit nobis intelligere quid ad hominem pertineat, quid ad Deum. Homo autem dicebat, *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.* Homo dicebat, ille dicebat qui scripsit Psalmum; sed ex persona Dei dicebat: incipit dicere et ex sua, *Propterea benedixit te Deus in æternum.* Dixerat enim Deus, *Diffusa est gratia in labiis tuis*, ei quem fecerat speciosum præ filiis hominum, etiam hominem quem Deum [1] ante omnia protulerat, æternus coæternum. Impletus est ergo Propheta gaudio quodam ineffabili, et attendens quid Deus Pater de [2] Filio suo homini revelaverit, qui potuit dicere ista et ex persona Dei, *Propterea*, inquit, *benedixit te Deus in æternum.* Quare? Propter gratiam. Illa enim gratia quo pertinet? Ad regnum cœlorum. Primum enim Testamentum terram promiserat: et aliud præmium fuit vel promissio sub Lege positorum, aliud sub Gratia: terra Chananæorum Judæis sub Lege positis, regnum cœlorum Christianis sub Gratia positis. Itaque quod pertinebat ad eos qui sub Lege positi erant, regnum, terra illa transiit: regnum cœlorum quod pertinet sub Gratia positis, non transit. Propterea hic, *benedixit te Deus*, non ad tempus, sed *in æternum.*

9. Non defuerunt qui omnia etiam superiora verba ex Prophetæ persona accipi mallent: et hoc quod dictum est, *Eructavit cor meum verbum bonum*, ex Propheta voluerint intelligi, veluti dicente hymnum. (Quisquis enim dicit hymnum Deo, eructat cor ejus verbum bonum: quomodo qui blasphemat in Deum, eructat cor ejus verbum malum.) Ut et illud quod adjunctum est, *Dico ego opera mea regi*, significare voluerit summum hominis opus non esse, nisi Deum laudare. Illius est specie sua placere tibi, ad te pertinet eum in gratiarum actione laudare. Opera tua si non fuerint laus Dei, incipis teipsum amare; et pertinebis ad illos de quibus dicit Apostolus: *Erunt enim homines seipsos amantes* (II *Tim.* III, 2). Displice tibi, placeat tibi qui te fecit; quia in eo tibi displices quod in te ipse fecisti. Opus ergo tuum sit laus Dei, eructet cor tuum verbum bonum. *Dic* ergo *opera tua regi:* quia ut diceres, rex fecit, et ipse donavit quod offerres. Redde illi de suo, ne velis accepta parte patrimonii tui ire longius et prodige perdere [1] in meretrices, et porcos pascere. Hoc recordamini ex Evangelio. Sed etiam de nobis dictum est: *Mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est* (*Luc.* XV, 32).

10. *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.* Non defuerunt qui sic intelligerent Prophetam ea dixisse quæ scriberet, et ideo linguam suam calamo scribæ comparasse. *Velociter* autem *scribentis* voluisse dicere, ut significaret ea se scribere, quæ velociter ventura erant, ut velociter scribere, velocia scribere intelligatur, id est scribere non tardatura. Non enim tardavit Deus exhibere Christum. Quam cito evolutum sentitur, quod peractum agnoscitur! Recordare generationes ante te, invenies Adam tanquam hesterno die factum. Ita gesta legimus omnia ab ipso principio: ergo velociter facta sunt. Velociter erit et dies judicii; præveni velocitatem ipsius: velociter veniet, velocius tu mutare. Aderit facies judicis, sed vide quid dicit Propheta: *Præveniamus faciem ejus in confessione* (*Psal.* XCIV, 2). *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.*

11. [*vers.* 4.] *Accingere gladium tuum circa femur, potentissime. Gladium tuum,* quid, nisi verbum tuum? Illo gladio stravit inimicos, illo gladio divisit filium a patre, filiam a matre, nurum a socru. Legimus hæc in Evangelio: *Non veni pacem mittere, sed gladium. Et erunt in una domo quinque divisi adversum se, duo adversus tres, et tres adversus duos erunt divisi*: id est, *filius adversus patrem, filia adversus matrem, nurus adversus socrum suam* (*Matth.* X, 34, 35, *et Luc.* XII, 51-53). Divisio hæc quo gladio facta est, nisi quem Christus attulit [2]? Et revera, fratres, etiam quotidianis exemplis videmus hæc. Placet juveni alicui Deo servire, displicet patri; divisi sunt adversus se: ille promittit terrenam hæreditatem, ille amat cœlestem; aliud iste pollicetur, aliud ille eligit. Non sibi putet pater factam injuriam; Deus solus illi præfertur: et tamen litigat cum filio volente servire Deo. Sed fortior est ille gladius spiritualis separans, quam

[1] Sic Mss. At Lov., *quem Deus ante omnia prætulerat.*
[2] Sic Mss. At apud Lov. hic deest *de*: et paulo post, *qui* omittitur.

[1] Plerique Mss., *ire longius et prodigere in meretrices.*
[2] Omnes Mss., *quo gladio facta est, Christus attulit*: nec habent, *nisi quem.*

copulans natura carnalis. Fit hoc et de filia adversus matrem, multo magis et de nuru adversus socrum. Nam aliquando in una domo nurus et socrus inveniuntur hæretica et catholica. Et ubi fortiter recipitur iste gladius, rebaptizationem non timemus. Potuit dividi filia adversus matrem suam, et non potest nurus adversus socrum suam.

12. Factum est hoc generaliter etiam in genere humano, divisus est filius adversus patrem. Fuimus enim aliquando filii diaboli. Adhuc infidelibus dictum est: *Vos a patre diabolo estis* (*Joan.* VIII, 44). Et omnis infidelitas nostra, unde, nisi a patre diabolo? Non ille creando pater, sed nos illum imitando filii [1]. Jam modo videtis filium adversus patrem divisum. Venit gladius ille; renuntiat diabolo: invenit alium patrem, invenit aliam matrem. Ille ad imitationem se præbens, generabat in exitium: parentes duo quos invenimus, in vitam æternam generant. Divisus est filius adversus patrem. Divisa est filia adversus matrem suam: plebs illa quæ de Judæis credidit, divisa est adversus Synagogam. Divisa est et nurus adversus socrum suam: plebs de Gentibus veniens, nurus dicitur; quia sponsus Christus filius Synagogæ. Unde enim natus est Filius Dei secundum carnem? Ex illa Synagoga. Ille qui dimisit patrem et matrem, et adhæsit uxori suæ, ut essent duo in carne una (*Gen.* II, 24): non conjectura nostra, sed attestante Apostolo, et dicente: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 32). Dimisit enim patrem quodammodo: non omnino dimisit velut ad separationem, sed ad susceptionem humanæ carnis. Quomodo dimisit? Quia cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (*Philipp.* II, 6). Quomodo dimisit et matrem? Gentem Judæorum, Synagogam illam hærentem veteribus sacramentis. Ad ipsam figuram pertinet quod ait, *Quæ est mihi mater, aut qui fratres* (*Matth.* XII, 48)? Ille enim intus docebat, illi foris stabant. Videte si non modo ita sunt Judæi. Docet Christus in Ecclesia, illi foris stant. Socrus ergo quid est? Mater sponsi. Mater sponsi Domini nostri Jesu Christi, Synagoga est. Proinde nurus ejus Ecclesia, quæ veniens de Gentibus non consensit in circumcisionem carnalem, divisa est adversus socrum suam. *Accingere gladium tuum.* De potentia hujus gladii loquebamur, cum ista diceremus.

13. *Accingere gladium tuum*, sermonem tuum: *circa femur, potentissime*, circa femur habens gladium. Quid est, *circa femur?* quid significat de femore? Carnem. Unde illud est: *Non deficiet princeps de Juda, et dux de femoribus ejus* (*Gen.* XLIX, 10). Nonne et ipse Abraham, cui promissum erat semen in quo benedicerentur omnes gentes, quando misit servum suum ad quærendam et ducendam uxorem filio suo, unde veniret illud semen sanctum in quo benedicerentur omnes gentes; fide tenens in illa veluti humilitate seminis esse magnitudinem nominis [1], id est Filium Dei venturum ex filiis hominum per semen Abrahæ, fecit ipsum servum suum, quem mittebat, ita sibi jurare? *Pone*, inquit, *manum tuam sub femore meo, et sic jura* (*Gen.* XII, 3, *et* XXIV, 2, 3, *et* XXVI, 4). Quasi diceret, Pone manum tuam ad altare, aut ad Evangelium, aut ad Prophetam, aut ad aliquid sanctum. Sub femore meo, inquit, pone manum: habens fiduciam, nec reverens turpitudinem, sed intelligens veritatem. Propterea, *Accingere gladium tuum circa femur, potentissime.* Potentissime etiam circa femur: quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (I *Cor.* I, 25). *Potentissime.*

14. [*vers.* 5.] *Specie tua et pulchritudine tua.* Justitiam accipe, qua semper es speciosus et pulcher. *Et intende, et prospere procede, et regna.* Nonne videmus? Certe jam factum est. Attendite orbem terrarum; intendit, prospere processit, et regnat; subditæ sunt omnes gentes. Quid erat illud videre in spiritu? Quod nunc est experiri in veritate. Quando dicebantur hæc, nondum ita regnabat Christus, nondum intenderat, nondum processerat: prædicabantur; exhibita sunt, jam ea tenemus: in multis redditorem habemus Deum, in paucis debitorem. *Intende, et prospere procede, et regna.*

15. *Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam.* Reddita est veritas, quando veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit (*Psal.* LXXXIV, 12). Præsentatus est Christus exspectationi [2] generis humani, ut in semine Abrahæ benedicerentur omnes gentes. Prædicatum est Evangelium; veritas est. Quid mansuetudo? Passi sunt martyres, et inde multum processit, et promovit per omnes gentes regnum Dei: quia patiebantur martyres, nec deficiebant, nec resistebant; dicentes omnia, nihil occultantes; parati ad omnia, nihil recusantes. Magna mansuetudo! Corpus Christi hoc fecit, in capite suo didicit. Ille prior sicut ovis ad occisionem [3] ductus est, et sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum (*Isai.* LIII, 7): usque adeo mansuetus, ut pendens in cruce diceret, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Quid propter justitiam? Veniet etiam, ut judicet, et retribuat unicuique secundum opera sua (*Rom.* II, 6). Dixit veritatem, pertulit iniquitatem [4], allaturus est æquitatem. *Et deducet te mirabiliter dextera tua.* Nos dextera ipsius, ipse dextera sua. Ille enim Deus, nos homines. Dextera sua deductus est, id est potentia sua. Etenim potentiam quam Pater habet, habet et ipse, et immortalitatem Patris habet et ipse; divinitatem Patris habet, æternitatem Patris habet, virtutem Patris habet. Deducet eum mirabiliter dextera ejus, faciens divina, patiens humana, malitias hominum sternens bonitate sua. Adhuc deducitur et ubi nondum est, et dextera ejus deducit eum. Hoc enim cum

[1] In hac sententia Mss. omittunt voces, *pater* et *filii*.

[1] Sic Mss. At Edd., *numinis*.
[2] Sic Mss. At Edd., *exspectatio*.
[3] Edd., *victimam*. Mss., *occisionem*.
[4] Duo Mss., *protulit mansuetudinem*.

ducit, quod ipse donavit sanctis suis. *Deducet te mirabiliter dextera tua.*

16. [*vers.* 6.] *Sagittæ tuæ acutæ, potentissimæ*[1] : verba cor transfigentia, amorem excitantia. Unde dicitur in Canticis canticorum : *Quia vulnerata charitate ego sum* (*Cant.* II, 5, *et* V, 8). Dicit enim vulneratam se esse charitate, id est, amare se dicit, æstuare se dicit, suspirare sponso, unde accepit sagittam verbi. *Sagittæ tuæ acutæ, potentissimæ :* et transfigentes, et efficientes : *acutæ, potentissimæ. Populi sub te cadent.* Qui ceciderunt? Qui percussi sunt, et ceciderunt. Populos videmus subditos Christo, cadentes non videmus. Exponit ubi cadunt : *in corde.* Ibi se erigebant adversus Christum, ibi cadunt ante Christum. Blasphemabat Saulus Christum, erectus erat : supplicat Christo, cecidit, prostratus est : occisus est inimicus Christi, ut vivat discipulus Christi. De cœlo emissa sagitta, corde percussus est Saulus, nondum Paulus, adhuc Saulus, adhuc erectus, nondum prostratus : accepit sagittam, cecidit in corde. Non enim quod prostratus est in facie, ibi cecidit in corde[2]; sed ubi ait : *Domine, quid me jubes facere* (*Act.* IX, 6)? Modo ibas ad Christianos alligandos et perducendos ad pœnam ; et modo dicis Christo : *Quid me jubes facere?* O sagittam acutam, potentissimam, qua accepta cecidit Saulus ut esset Paulus! Ut ille, ita et populi : gentes attendite, videte subditas Christo. Ergo, *Populi sub te cadent, in corde inimicorum regis :* hoc est, in corde inimicorum tuorum. Ipsum enim appellat regem, ipsum novit regem. *Populi sub te cadent, in corde inimicorum regis.* Inimici erant : acceperunt sagittas tuas, ceciderunt ante te. Ex inimicis amici facti sunt : inimici mortui sunt, amici vivunt. Hoc est, *Pro his quæ commutabuntur.* Quærimus intelligere verba singula, versus singulos : ita tamen quærimus, ut de Christo dici nemo dubitet. *Populi sub te cadent, in corde inimicorum regis.*

17. [*vers.* 7.] *Sedes tua, Deus, in sæcula sæculorum.* Quia benedixit te Deus in æternum, propter gratiam diffusam in labiis tuis. Erat autem sedes regni judaici temporalis, pertinens ad eos qui sub Lege erant, non ad eos qui sub Gratia erant : venit ille ut liberaret eos qui sub Lege erant, et sub Gratia constitueret. *Sedes ejus in sæcula sæculorum.* Quare? Quia sedes illa prima regni temporalis fuit. Unde nunc sedes in sæcula sæculorum? Quia Dei. *Sedes tua, Deus, in sæcula sæculorum.* O æternitatis divinitas[3]! Non enim posset Deus sedem habere temporalem. *Sedes tua, Deus, in sæcula sæculorum. Virga directionis, virga regni tui.* Directionis virga est, quæ dirigit homines. Curvi erant, distorti erant : sibi regnare cupiebant, se amabant, facta sua mala diligebant; non voluntatem suam Deo subdebant, sed voluntatem Dei ad suas concupiscentias flectere volebant. Irascitur enim peccator et iniquus plerumque Deo, quia non pluit; et non vult sibi Deum irasci, quia fluit. Et ad hoc propemodum sedent quotidie homines, ut disputent contra Deum : Hoc facere debuit, hoc non bene fecit. Tu videlicet vides quid facias, ille nescit? Distortus tu es, ille rectus est. Distortum ad rectum quando conjungis? Collineari non potest. Tanquam si in pavimento æquali ponas lignum curvum ; non adjungitur, non cohæret, non coaptatur pavimento : pavimentum ubique æquale est; sed illud curvum est, non coaptatur æquali. Ergo Dei voluntas æqualis est, tua curva est : propterea tibi curva[1] videtur illa, quia tu illi coaptari non potes : dirige ad illam te, ne illam velis curvare ad te[2]; quia non potes, frustra conaris : illa semper directa est. Vis illi hærere? Corrigere. Erit virga ipsius qui te regit, virga directionis. Inde et rex a regendo dicitur. Non autem regit qui non corrigit. Ad hoc est rex noster rectorum rex. Quomodo et sacerdos a sanctificando nos, ita et rex a regendo nos[3]. Sed quid ait alio loco? *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perversus eris* (*Psal.* XVII, 26, 27) : non quia perversus Deus, sed quia perversi perversum eum putant. Placet tibi bonum, bonus est Deus : displicet tibi, quasi pravus est Deus. Curvus est ad te Deus, tua curvatura facit hoc : nam illius rectitudo semper manet. Audi in alio psalmo : *Quam bonus Deus Israel rectis corde* (*Psal.* LXXII, 1)!

18. [*vers.* 8.] *Virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem.* Vide virgam directionis, *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem.* Accede ad istam virgam, sit tibi rex Christus : regat te virga ista, ne frangat te. Virga enim ferrea est illa, inflexibilis. Et quid dictum est? *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli conteres eos* (*Psal.* II, 9). Alios regit, alios conterit : regit spirituales, conterit carnales. Ergo accede ad istam virgam. Quid in ea times? Hæc est tota[4] virga : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem.* Quid times? Sed forte iniquus eras : audis enim regem tuum, quia odit iniquitatem, et times. Est quod facias. Quid odit? Iniquitatem : numquid te? Sed in te est iniquitas? Odit illam Deus, oderis et tu : ut unam rem ambo oderitis. Eris enim Deo amicus, si odisti quod odit. Ita et amabis quod amat. Displiceat in teipso tibi iniquitas tua, et placeat tibi creatura ipsius. Homo enim es iniquus. Duo dixi nomina ; duo nomina, homo et iniquus : in istis duobus nominibus unum est naturæ, alterum culpæ : unum tibi Deus fecit, alterum tu fecisti : ama quod Deus fecit, oderis quod tu fecisti, quia et ipse hoc odit. Vide quomodo jam illi incipias conjungi, cum odisti quod odit. Peccatum puniturus est, quia virga

[1] Edd., *potentissime :* et favet Græc. LXX, *dunatc.* Attamen melioris notæ Mss. habent, *potentissimæ :* sicque legisse Augustinum facile ex ipsa interpretandi ratione intelligas.

[2] Mss. hic non habent, *in corde.*

[3] Octo Mss., *divitias.*

[1] Am. et plerique Mss., *prava.*

[2] Edd., *Dirigere ad illam, tene illam. Nam si illam velis curvare ad te.* Quo loco sequimur Mss.

[3] Plerique Mss., *sacerdos ad sanctificandos nos, ita et rex ad regendos nos.*

[4] Ita sex probæ notæ Mss. At Edd., *tuta.*

directionis est virga regni ipsius. Sed non puniat peccatum? Sed non potest. Puniendum est peccatum : si puniendum non esset, nec peccatum esset. Præveni illum : non vis ut ipse puniat, tu puni. Ideo enim adhuc ipse parcit, differt, tenet manum, arcum intendit, hoc est minas [1]. Clamaret tantum feriturum se, si vellet ferire? Differt ergo manum a peccatis tuis : tu noli differre. Converte te ad punienda peccata tua, quia impunita esse peccata non possunt. Puniendum ergo erit, aut a te, aut ab ipso : tu agnosce, ut ille ignoscat. Attende exemplum in illo psalmo pœnitentiæ : *Averte faciem tuam a peccatis meis* (*Psal.* L, 11). Numquid dixit, A me? Alio enim loco aperte dicit : *Ne avertas faciem tuam a me* (*Psal.* XXVI, 9). Ergo, *Averte faciem tuam a peccatis meis :* nolo videas peccata mea. Quia videre Dei, animadvertere est. Ideo et judex quod punit, animadvertere dicitur, id est, animum illuc advertere; intendere utique ad puniendum, quia judex est. Sic est et judex Deus. *Averte faciem tuam a peccatis meis.* Tu ab ipsis faciem noli avertere, si vis ut Deus ab ipsis avertat faciem suam. Vide quomodo hoc offert Deo in ipso psalmo : *Facinus meum ego*, inquit, *agnosco, et peccatum meum ante me est semper* (*Psal.* L, 5). Hoc non vult esse ante Deum, quod vult esse ante se. *Virga directionis, virga regni tui.* Nemo sibi multum de misericordia Dei blandiatur; virga directionis est. Numquid dicimus, non esse misericordem Deum? Quid misericordius eo, qui parcit tantum peccatoribus, eo qui in omnibus conversis ad se non curat præterita? Sic eum dilige misericordem, ut velis esse veracem : non enim misericordia potest illi auferre justitiam, neque justitia misericordiam. Interim quamdiu ille differt, tu noli differre : quoniam virga directionis, virga regni ipsius.

19. *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te, Deus, Deus tuus.* Propterea unxit te, ut diligeres justitiam, et odires iniquitatem. Et vide quomodo ait : *Propterea unxit te, Deus, Deus tuus.* O tu Deus, unxit te Deus tuus. Deus ungitur a Deo. Etenim in latino putatur idem casus nominis repetitus : in græco autem evidentissima distinctio est, quia unum nomen est quod compellatur, et alterum ab eo qui compellat, *Unxit te, Deus.* O tu *Deus*, *unxit te Deus tuus :* quomodo si diceret, Propterea unxit te, o tu Deus, Deus tuus. Sic accipite, sic intelligite, sic in græco evidentissimum est. Ergo quis est Deus unctus a Deo? Dicant nobis Judæi. Scripturæ istæ communes sunt. Unctus est Deus a Deo : unctum audis, Christum intellige. Etenim Christus a chrismate : hoc nomen quod appellatur Christus, unctionis est. Nec in aliquo alibi ungebantur reges et sacerdotes, nisi in illo regno ubi Christus prophetabatur et ungebatur, et unde venturum erat Christi nomen : nusquam est alibi omnino, in nulla gente, in nullo regno. Unctus est ergo Deus a Deo : quo oleo, nisi spirituali? Oleum enim visibile in signo est, oleum invisibile in sacramento est, oleum spirituale intus est [2]. Unctus est nobis Deus, et missus est nobis : et ipse Deus, ut ungeretur, homo erat : sed ita homo erat, ut Deus esset; ita Deus erat, ut homo esse non dedignaretur : verus homo, verus Deus; in nullo fallax, in nullo falsus; quia ubique verax, ubique veritas. Deus ergo homo, et ideo unctus Deus, quia homo Deus, et factus est Christus.

20. Hoc figurabatur in eo quod Jacob lapidem sibi ad caput posuerat, et dormierat (*Gen.* XXVIII, 11). Jacob patriarcha lapidem sibi ad caput posuerat; dormiens autem illo lapide ad caput posito, vidit apertis cœlis scalam a cœlo in terram, et Angelos ascendentes et descendentes : hoc viso evigilavit, unxit lapidem, et discessit. In illo lapide intellexit Christum, ideo unxit. Videte ex quo prædicatur Christus. Quid sibi vult illa unctio lapidis, præsertim apud Patriarchas, qui unum Deum colebant? Factum est autem in figura, et discessum est. Non enim unxit lapidem, et venit illuc semper adorare, et sacrificia ibi facere. Expressum est mysterium, non inchoatum sacrilegium. Et videte lapidem : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII, 22). Et quia caput viri Christus (I *Cor.* XI, 3), propterea lapis ad caput. Attendite magnum sacramentum : lapis Christus. *Lapidem vivum*, ait Petrus, *ab hominibus reprobatum, a Deo autem electum* (I *Petr.* II, 4). Et lapis ad caput, quia caput viri Christus (I *Cor.* XI, 3). Et unctus lapis quia a chrismate dictus est Christus. Et videntur scalæ, revelante Christo, a terra in cœlum, vel a cœlo in terram, et ascendentes et descendentes Angeli (*Gen.* XXVIII, 12, *et Joan.* I, 51). Quid hoc sit, melius videbimus, cum testimonium evangelicum ab ipso Domino commemoraverimus. Nostis quia Jacob ipse est Israel. Illi enim cum Angelo luctanti et prævalenti, et benedicto ab eo cui prævaluit, nomen mutatum est, ut appellaretur Israel (*Gen.* XXXII, 28) : sicut populus Israel prævaluit Christo, ut crucifigeret eum; et tamen in his qui Christo crediderunt, ab ipso cui prævaluit, benedictus est. Sed multi non crediderunt, inde claudicatio Jacob. Benedictio et claudicatio. Benedictio in his qui crediderunt : nam postea novimus ex illo populo multos credidisse. Claudicatio autem in his qui non crediderunt. Et quia plures non crediderunt, et pauci crediderunt, ideo ut fieret claudicatio, tetigit latitudinem femoris ejus. Quid est latitudo femoris ejus? Multitudo generis. Videte ergo scalas illas. Dominus quando vidit Nathanaelem in Evangelio ait : *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I, 47). Sic enim dicitur de ipso Jacob, *Et erat Jacob sine dolo habitans in domo* (*Gen.* XXV, 27) : hoc recolens Dominus videns Nathanaelem sine dolo de gente illa et de populo illo, *Ecce vere*, inquit, *Israelita, in quo dolus non est.* Appellavit Israelitam, in quo dolus non esset, propter Jacob. Et ille Nathanael, *Unde me*

[1] Tres Mss., *hoc est minatur. Non clamaret*, etc.

[2] Duo Mss., *in signum est olei invisibilis : in sacramento enim est; oleum spirituale, intus est.* Edd. vero post, *oleum spirituale intus est*, addunt istæc verba, *oleum visibile exterius est*, quæ a nostris omnibus Mss. absunt.

nosti? Et Dominus, *Cum esses sub arbore fici vidi te :* id est, cum esses in illo populo sub Lege constitutus, quæ carnali umbra illum populum protegebat, ibi te vidi. Quid est, ibi te vidi? Ibi tui misertus sum. Ille autem recordatus quod fuerat etiam sub arbore fici in veritate, admiratus, quia putabat se a nemine visum cum ibi esset, confitetur et dicit : *Tu es Filius Dei, tu es rex Israel.* Quis hoc dixit? Qui audierat quod verus esset Israelita, et dolus in illo non esset. Et Dominus : *Quia dixi tibi, Vidi te sub arbore fici, credidisti; majora horum videbis.* Loquitur cum Israel, cum Jacob, cum illo qui sibi lapidem ad caput posuerat. *Majora horum videbis.* Quæ majora? Quia jam lapis ille ad caput est. *Amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et Angelos Dei ascendentes et descendentes super Filium hominis* (*Joan.* I, 48-51). Angeli Dei ascendant et descendant per scalas illas, fiat hoc in Ecclesia. Angeli Dei annuntiatores sunt veritatis : ascendant et videant, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Descendant, et videant, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Id.* I, 14). Ascendant, ut erigant magnos : descendant, ut nutriant parvos. Vide ascendentem Paulum : *Sive mente excessimus, Deo.* Vide descendentem : *Sive temperantes sumus, vobis* (II *Cor.* V, 13). Vide ascendentem : *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Vide descendentem : *Lac vobis potum dedi, non escam* (I *Cor.* II, 6, *et* III, 2). Hoc fit in Ecclesia : ascendunt et descendunt Angeli Dei super Filium hominis : quia sursum est Filius hominis, ad quem ascendunt corde, id est caput ejus; et deorsum Filius hominis, id est corpus ejus. Membra ejus hic sunt, caput sursum est : ascenditur ad caput, descenditur ad membra. Christus ibi, Christus hic. Nam si ibi tantum, et hic non, unde vox illa : *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Quis enim illi in cœlo molestus fuit? Nemo, nec Judæi, nec Saulus, nec diabolus tentator; nemo ibi molestus illi : sed sicut in compage corporis humani pede calcato lingua clamat.

21. *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te, Deus, Deus tuus.* Locuti sumus de uncto Deo, hoc est de Christo. Non potuit apertius dici nomen Christi, quam ut diceretur unctus Deus. Quomodo *speciosus forma præ filiis hominum*, sic unctus, *oleo exsultationis præ participibus suis.* Qui enim participes ejus? Filii hominum : quoniam et ipse Filius hominis particeps factus est mortalitatis illorum, ut faceret eos participes immortalitatis suæ.

22. [*vers.* 9, 10.] *Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis.* Odores boni a vestimentis tuis. Vestimenta ejus sunt sancti ejus, electi ejus, tota Ecclesia ejus, quam sibi sicut vestem exhibet, sine macula et ruga (*Ephes.* V, 27) : propter maculam, abluens in sanguine; propter rugam, extendens in cruce. Inde bonus odor qui significatur nominatis quibusdam aromatis. Audi Paulum illum minimum, fimbriam de vestimento quod tetigit mulier in fluxu sanguinis, et sanata est (*Matth.* IX, 20); audi illum dicentem : *Christi bonus odor sumus in omni loco, et in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt* (II *Cor.* II, 15). Non dixit, Bonus odor in iis qui salvi fiunt, et malus odor in iis qui pereunt; sed, Quod ad nos attinet, *bonus odor sumus, et in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt.* Salvum fieri hominem bono odore non est improbabile neque incredibile : perire autem hominem bono odore, quæ ratio est? Magna vis, magna veritas : etsi capi non potest, ita est. Nam ut noveritis quia difficile capitur, statim subjecit : *Et ad hæc quis idoneus?* Quis intelligat homines mori bono odore? Tamen aliquid dicam, fratres. Ecce ipse Paulus prædicabat Evangelium; multi illum amabant prædicatorem Evangelii, multi illi invidebant : qui illum amabant, bono odore salvabantur; qui illi invidebant, bono odore peribant. Ideo et pereuntibus non malus odor, sed bonus odor. Ideo enim magis illi invidebant, quia tam bona in illo gratia prævalebat : nemo enim invidet misero. Erat ergo gloriosus in prædicatione verbi Dei, et vivens secundum regulam illius virgæ directionis : et diligebant eum qui in illo diligebant Christum, qui sequebantur bonum odorem; diligebat amicum sponsi sui ipsa sponsa, quæ dicit in Canticis canticorum, *Post odorem unguentorum tuorum curremus* (*Cant.* I, 3). Illi autem quanto magis eum videbant in gloria prædicationis Evangelii et in vita inculpabili, tanto magis invidia torquebantur, et occidebantur bono odore.

23. *Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum.* Domos eburneas, domos magnas, domos regales, quasvis elige, delectaverunt inde Christum filiæ regum. Vis domos eburneas spiritualiter accipere? Magnas domos, et magna tabernacula Dei, corda sanctorum, ipsosque reges regentes carnem, subjugantes sibi turbas humanarum affectionum, castigantes corpus, et servituti subjicientes, accipe : quia inde delectaverunt eum filiæ regum. Etenim omnes animæ quæ illis prædicantibus et evangelizantibus natæ sunt, filiæ regum sunt : et Ecclesiæ filiæ Apostolorum, filiæ regum sunt. Ille est enim Rex regum : illi autem reges de quibus dictum est, *Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Prædicaverunt verbum veritatis, et genuerunt Ecclesias, non sibi, sed illi. Ad hoc sacramentum pertinet quod scriptum est in Lege : *Si mortuus fuerit frater, accipiat uxorem ejus frater ejus, et suscitet semen fratri suo* (*Deut.* XXV, 5). *Accipiat uxorem frater ejus, et suscitet semen*, non sibi, sed *fratri suo.* Dixit Christus, *Dic fratribus meis* (*Matth.* XXVIII, 10). Dixit in psalmo, *Narrabo nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* XXI, 23). Mortuus est Christus, resurrexit, ascendit, absentavit se corpore : susceperunt fratres ejus uxorem ejus, prædicatione Evangelii generaturi filios, non per seipsos, sed per Evangelium, propter nomen fratris. *In Christo enim Jesu*, inquit, *per Evangelium, ego vos genui* (I *Cor.* IV, 15). Itaque suscitantes semen fratri suo, quotquot genuerunt, non Paulianos aut Petrianos, sed Christianos nominaverunt. Videte si non iste sensus vigilat et in his versibus. Cum enim diceret, *a domibus eburneis*, dixit de rega-

libus, amplis, pulchris, lenibus, qualia sunt corda sanctorum : subjecit, *Ex quibus te delectaverunt filiæ regum, in honore tuo. Filiæ* quidem *regum*, filiæ Apostolorum tuorum : sed, *in honore tuo*, quia semen illi suscitaverunt fratri suo. Ideo ipsos quos suscitaverat fratri suo Paulus, cum videret currere ad nomen suum, exclamavit : *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis?* Quid enim ait Lex? Et habeat natus nomen defuncti (a). Defuncto nascatur, defuncti nomine appelletur. Servat hoc legitimum Paulus : volentes appellari ex nomine suo, revocat : *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est?* Ad defunctum aspicite, *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est?* Et quid ergo? Quando illos generasti, quid si nomen tuum illis imposuisti? Non. Ait enim : *Aut in nomine Pauli baptizati estis* (I *Cor.* I, 13)? *Delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.* Tenete, servate, *in honore tuo.* Hoc est habere vestem nuptialem, illius honorem, illius gloriam quærere. Intelligite etiam filias regum, civitates quæ crediderunt in Christum, et a regibus conditæ sunt; et *a domibus eburneis*, divitibus, superbis, elatis. *Filiæ regum delectaverunt te in honore tuo* : quia non quæsierunt honorem patrum suorum, sed quæsierunt honorem tuum. Ostendatur mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis? Sumus enim Christiani, non Petriani. Etsi nati per fratrem defuncti, tamen cognominati nomine defuncti. Per illum nati, sed illi nati. Ecce Roma, ecce Carthago, ecce aliæ et aliæ civitates filiæ regum sunt; et delectaverunt regem suum in honore ipsius; et ex omnibus fit una quædam regina.

24. Quale carmen nuptiale? Ecce inter cantica hilaritatis plena, procedit et ipsa sponsa. Sponsus enim veniebat, ipse describebatur, in illum erat omnis intentio nostra : procedat et ista. *Astitit regina a dextris tuis.* Quæ a sinistris, non regina. Stabit enim quædam et a sinistris, cui dicetur : *Vade in ignem æternum.* A dextris autem stabit, cui dicetur : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi* (*Matth.* XXV, 34, 41). *Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumamicta varietate.* Vestitus reginæ hujus quis est? Et pretiosus est, et varius est : sacramenta doctrinæ in linguis omnibus variis [1]. Alia lingua afra, alia syra, alia græca, alia hebræa, alia illa et illa : faciunt istæ linguæ varietatem vestis reginæ hujus. Quomodo autem omnis varietas vestis in unitate concordat, sic et omnes linguæ ad unam fidem. In veste varietas sit, scissura non sit. Ecce varietatem intelleximus de diversitate linguarum et vestem intelleximus propter unitatem : in ipsa autem varietate aurum quod est? Ipsa sapientia. Quælibet sit varietas linguarum, unum aurum prædicatur : non diversum aurum, sed varietas de auro. Eamdem quippe sapientiam, eamdem doctrinam et disciplinam omnes linguæ prædicant. Varietas in linguis, aurum in sententiis.

[1] Novem Mss., *varians*.
(a) Vid. II Retract., cap. 12, et lib. QQ. in Deuter., q. 46.

25. [*vers.* 11.] Alloquitur Propheta reginam istam (libenter enim illi cantat), et unumquemque nostrum; si tamen noverimus ubi sumus, et ad illud corpus pertinere conemur, et fide et spe pertineamus uniti in membris Christi. Nos enim alloquitur : *Audi, filia, et vide.* Alloquitur eam tanquam unus de patribus, quia filiæ regum sunt : etsi alloquatur propheta, etsi alloquatur apostolus, tanquam filiam (sic enim dicimus, Patres nostri Prophetæ, patres nostri Apostoli : si nos illos ut patres, illi nos ut filios), et vox una paterna alloquitur unicam filiam. *Audi, filia, et vide.* Prius audi, postea vide. Ventum est enim ad nos cum Evangelio, et prædicatum est nobis quod nondum videmus, et audiendo credidimus, credendo videbimus; sicut dicit ipse sponsus apud Prophetam : *Populus quem non cognovi, servivit mihi; in obauditu auris obedivit mihi* (*Psal.* XVII, 45). Quid est, *in obauditu auris?* Quia non vidit. Viderunt Judæi, et crucifixerunt : non viderunt Gentes, et crediderunt. Veniat regina de Gentibus in vestitu deaurato, circumamicta varietate : veniat ex Gentibus, veniat circumamicta omnibus linguis, in unitate sapientiæ; dicatur ei, *Audi filia, et vide.* Si non audieris, non videbis. Audi ut mundes cor fide, sicut Apostolus ait in Actibus Apostolorum : *Fide mundans corda eorum* (*Act.* XV, 9). Ad hoc enim audimus quod credamus, antequam videamus, ut credendo cor mundemus, unde videre possimus. Audi, ut credas, munda cor fide. Et cum cor mundavero, quid videbo? Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8). *Audi, filia, et vide; et inclina aurem tuam.* Parum est audi, humiliter audi : *Inclina aurem tuam. Et obliviscere populum tuum et domum patris tui.* Erat populus quidam, et domus patris quædam, in qua nata es, populus Babyloniæ, habens regem diabolum. Undecumque venerunt Gentes, a patre diabolo venerunt : sed patri diabolo renuntiaverunt. *Obliviscere populum tuum et domum patris tui.* Fœdam te ille genuit, cum peccatricem fecit : pulchram te iste regenerat qui justificat impiam. *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui.*

26. [*vers.* 12, 13.] *Quoniam concupivit rex speciem tuam.* Quam speciem, nisi quam ipse fecit? *Concupivit speciem.* Cujus speciem? Peccatricis, iniquæ, impiæ, qualis erat apud patrem diabolum, et apud populum suum? Non, sed de qua dicitur : *Quæ est ista quæ ascendit dealbata* (*Cant.* VIII, 5)? Antea ergo non erat alba, postea dealbata. Quia si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, tanquam nivem dealbabo (*Isai.* I, 18). *Concupivit rex speciem tuam.* Quis rex? *Quia ipse est Dominus* [1] *Deus tuus.* Jam vide si non debes dimittere patrem tuum illum, et populum tuum illum, et venire ad regem istum, Deum tuum : Deus tuus est, rex tuus est. Rex tuus, et ipse est sponsus tuus. Regi nubis Deo, ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo sanata. Quidquid habes unde illi placeas, ab illo habes.

27. *Et adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus.* Ipsum

[1] Melioris notæ Mss., *Quia ipse est Deus tuus* : omissa voce, *Dominus*.

regem tuum Deum tuum *adorabunt filiæ Tyri in muneribus. Filiæ Tyri*, filiæ Gentium : a parte ad totum. Tyrus vicina huic terræ ubi prophetia erat, significabat Gentes credituras Christo. Inde erat illa Chananæa, quæ primo canis est appellata. Nam ut noveritis quia inde erat, Evangelium sic loquitur : *Secessit in partes Tyri et Sidonis, et ecce mulier Chananæa de finibus illis egressa clamabat*, et cætera quæ ibi narrantur. Quæ primo canis erat apud patrem suum et in populo suo, clamando et veniendo ad istum regem, decora facta credendo in illum [1], quid meruit audire? *O mulier, magna est fides tua* (*Matth.* xv, 21-28). *Concupivit rex speciem tuam. Et adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus.* Quibus muneribus? Sic ad se vult veniri rex iste, et thesauros suos impleri vult : et ipse donavit unde impleantur, et a vobis impleantur [2]. Veniant, inquit, adorent eum in muneribus. Quid est, in muneribus? *Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea et rubigo exterminat, et ubi fures effodiunt et furantur : sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque fur neque tinea corrumpit. Ubi enim fuerit thesaurus tuus, illic erit et cor tuum* (*Id.* vi, 19-21). Venite cum muneribus : *Date eleemosynas, et omnia munda sunt vobis* (*Luc.* xi, 41). Venite cum muneribus ad eum qui dicit : *Misericordiam volo magis quam sacrificium* (*Osee* vi, 6, *et Matth.* ix, 13). Ad illud templum quod erat ante umbra futuri, veniebatur cum tauris et arietibus, cum hircis, cum diversis quibusque animalibus aptis ad sacrificium, ut in illo sanguine aliud fieret, aliud significaretur. Modo jam ipse sanguis, quem figurabant illa omnia, venit : venit Rex ipse, et ipse munera vult. Quæ munera? Eleemosynas. Ipse est enim judicaturus, et ipse munera imputabit quibusdam [3]. *Venite*, inquit, *benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi.* Quare? *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; nudus fui, et vestistis me; hospes, et adduxistis me; infirmus et in carcere, et visitastis me.* Hæc sunt munera in quibus adorant filiæ Tyri regem : quia cum dicerent, *Quando te vidimus?* ille qui et sursum est et deorsum, propter ascendentes et descendentes, *Cum uni*, inquit, *ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 34-40).

28. *Adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus.* Et quæ sunt filiæ Tyri, et quomodo adorabunt eum in muneribus, planius illud voluit dicere : *Vultum tuum deprecabuntur divites plebis.* Hæ filiæ Tyri adorantes in muneribus, divites sunt plebis, quos ille alloquitur amicus sponsi : *Præcipe divitibus hujus mundi, non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum; sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum : divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent.* Adorent in muneribus; sed non perdunt : securi ponant ubi semper inveniant. *Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam* (I *Tim.* vi, 17-19). Adorando in muneribus, *vultum tuum deprecabuntur.* Ad Ecclesiam enim concurrunt, et ibi eleemosynas faciunt. Ne extra fiant, id est, ne extra positi fiant, in Ecclesia faciant. Vultus enim sponsæ hujus et reginæ proderit facientibus. Propterea illi qui res suas vendebant, vultum reginæ hujus deprecantes in muneribus veniebant; et ea quæ portabant, ad pedes Apostolorum ponebant (*Act.* iv, 34). Fervebat dilectio in Ecclesia, vultus erat reginæ Ecclesia, vultus erat reginæ obsequium filiarum Tyri, id est, divitum adorantium in muneribus. *Vultum tuum deprecabuntur divites plebis.* Et qui deprecabuntur vultum, et cujus vultum deprecabuntur, omnes una sponsa, omnes una regina, mater et filii simul totum ad Christum pertinens, ad caput pertinens.

29. Sed quia fiunt ista opera et istæ eleemosynæ ad jactantiam hominum, inde dicit ipse Dominus : *Cavete facere justitiam vestram coram hominibus ut videamini ab eis* (*Matth.* vi, 1). Quomodo autem et publice debent fieri propter vultum sponsæ, ait : *Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Id.* v, 16) : non ut gloriam vestram quæratis in operibus bonis quæ publice facitis, sed ut gloriam Dei. Et quis novit, inquit, utrum gloriam Dei quæro, an gloriam meam? Quia do pauperi, videor : quo animo dem, quis videt? Sufficiat tibi qui videt; ille videt qui retribuet. Intus amat qui intus videt : intus amat, intus ametur qui interiorem facit et ipsam pulchritudinem. Noli quasi oculis exterioribus delectari, quia videris, et quia laudaris; attende quid hic sequatur : *Omnis gloria ejus filiæ regis intrinsecus.* Extrinsecus non solum vestis est aurea et varia, sed intus pulchram novit, qui speciem ejus amavit. Quæ sunt interiora pulchritudinis? Conscientiæ. Ibi videt Christus, ibi amat Christus, ibi alloquitur Christus, ibi punit Christus, ibi coronat Christus. Sit ergo eleemosyna tua in occulto; quia *omnis gloria ejus filiæ regis intrinsecus. In fimbriis aureis, circumamicta varietate.* Pulchritudo intrinsecus : in fimbriis autem aureis varietas linguarum, doctrinæ decus. Ista quid prosunt, si non sit pulchritudo illa intrinsecus?

30. *Afferentur regi virgines post eam.* Vere factum est. Credidit Ecclesia, facta est Ecclesia per omnes gentes. Modo quemadmodum concupiscunt virgines placere illi regi? Unde incitantur? Quia præcessit Ecclesia. *Afferentur regi virgines post eam : proximæ ejus afferentur tibi.* Non enim quæ afferuntur alienæ sunt, sed proximæ ejus, ad eam pertinentes. Et quia dixit, *regi;* ad eum conversus dixit, *tibi : proximæ ejus afferentur tibi.*

31. [*vers.* 16.] *Afferentur in lætitia et exsultatione, adducentur in templum regis.* Templum regis ipsa Ecclesia, intrat in templum ipsa Ecclesia. Unde construitur templum? De hominibus qui intrant in templum. Lapides vivi qui sunt, nisi fideles Dei? *Adducentur in templum*

[1] Mss. nullo fere excepto, *Quia primo canis erat apud patrem suum, sed clamando et veniendo ad istum regem decoram facientem, et credendo in illum*, etc.

[2] Plerique Mss., *et vobis implentur.* Duo, *et nobis implentur.*

[3] Mss., *Et ipsa munera imputabit quibusdam.* Et ex iisdem Mss. duo : *imputabit quibus dicit, Venite, inquit, benedicti*, etc.

regis. Sunt enim virgines extra templum regis, hæreticæ sanctimoniales : sunt quidem virgines, sed quid proderit eis nisi adducantur in templum regis? Templum regis in unitate est : templum regis non est ruinosum, non discissum, non divisum. Junctura lapidum viventium charitas est. *Adducentur in templum regis.*

32. [*vers.* 17.] *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* Nihil evidentius. Attendite jam ipsum templum regis, quia inde loquitur propter unitatem diffusam toto orbe terrarum : quia illæ quæ virgines esse voluerunt, nisi adducantur in templum regis, sponso placere non possunt. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* Genuerunt te Apostoli : ipsi missi sunt, ipsi prædicaverunt, ipsi patres. Sed numquid nobiscum corporaliter semper esse potuerunt? Etsi unus ipsorum dixit ; *Cupio dissolvi, et esse cum Christo multo magis optimum est ; manere in carne necessarium propter vos* (*Philipp.* I, 23, 24). Dixit hoc quidem, sed quamdiu hic manere potuit? Numquid usque ad hoc tempus? numquid usque in posterum? Ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? Absit. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* Quid est, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii?* Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt episcopi. Hodie enim episcopi, qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illos appellat, ipsa illos genuit, et ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es : de prole tua tibi crevit paternitas. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram.* Vide templum regis quam late diffusum est : ut noverint virgines quæ non adducuntur in templum regis, non se ad istas nuptias pertinere. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram.* Hæc est catholica Ecclesia : filii ejus constituti sunt principes super omnem terram, filii ejus constituti sunt pro patribus. Agnoscant qui præcisi sunt, veniant ad unitatem, adducantur in templum regis. Templum suum Deus ubique collocavit, fundamenta Prophetarum et Apostolorum ubique firmavit. Filios genuit Ecclesia, constituit eos pro patribus suis principes super omnem terram.

33. [*vers.* 18.] *Memores erunt nominis tui in omni generatione et generatione. Propterea populi confitebuntur tibi.* Quid ergo prodest confiteri, et extra templum confiteri? Quid prodest precari, et in monte non precari? *Voce mea*, inquit, *ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo* (*Psal.* III, 5). De quo monte? De quo dictum est : *Non potest civitas abscondi supra montem constituta* (*Matth.* V, 14). De quo monte? Quem vidit Daniel ex parvo lapide crevisse, et fregisse omnia regna terrarum, et implevisse omnem faciem terræ (*Dan.* II, 35). Ibi adoret qui vult accipere, ibi petat qui vult exaudiri, ibi confiteatur qui vult sibi ignosci. *Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæculum sæculi.* Quia et in illa vita æterna non erit jam quidem gemitus peccatorum, sed tamen in divinis laudibus supernæ illius ac perpetuæ civitatis non deerit sempiterna confessio tantæ felicitatis. Ipsi enim civitati, cui alius psalmus cantat, *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI, 3); ipsi sponsæ Christi, ipsi reginæ filiæ regis, et conjugi regis; quia principes ejus sunt memores nominis ejus in omni generatione et generatione, id est, quamdiu transeat hoc sæculum, quod multis generationibus agitur, gerentes pro illa charitatis curam, ut de isto sæculo liberata in æternum Deo conregnet; propter hoc eidem ipsi confitebuntur populi in æternum, conspicuis et manifestis illic cordibus omnium perfecta charitate luminosis, ut se universam plenissime noverit, quæ hic in multis suis partibus occulta sibi est. Unde admonemur ab Apostolo nihil ante tempus judicare, donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum, et manifestet cogitationes cordis, et sit laus unicuique a Deo (I *Cor.* IV, 5). Ipsa enim sancta civitas sibi quodammodo confitebitur, cum populi ejus quibus constat, ipsi civitati confitebuntur in æternum ; ut ex nulla parte se lateat, nullo in se existente cujus aliquid lateat.

IN PSALMUM XLV
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Jam Charitati Vestræ quædam sicut notissima loquimur, in quibus immorari non debemus : quia ea quæ scitis, breviter commemorari debent. Filios Core nos esse intelligamus. Commemoro enim vos scientes, Core interpretari Calvitium; Dominumque nostrum, quoniam in Calvariæ loco crucifixus est [1], adduxisse sibi multos, tanquam illud granum, quod nisi mortificatum esset, solum remaneret (*Joan.* XII, 24); et eos qui adducti sunt, appellatos filios Core : hoc in mysterio. Cæterum fuerunt nescio qui filii Core illo tempore, quando ista cantabantur (I *Par.* XXVI, 1) : sed spiritus nos vivificare debet, non littera velare (*a*) (II *Cor.* III, 6). Nos ergo hic intelligamus, et videte si ea quæ sequuntur, id est, quæ habet psalmi ipsius contextus, congruunt nobis : et invenimus hic nos, si tamen inhæreamus membris ejus, cujus corporis caput in cœlo est, ex illa passione ascendens, ut eos qui in humilitate jacebant, secum in ubertate adducat, fructum ferentes in tolerantia. Dictum est autem : *In finem pro filiis Core, pro occultis, Psalmus.* Occultum est ergo; sed ille ipse qui in Calvariæ loco crucifixus est, nostis quia velum discidit, ut templi secreta patescerent (*Matth.* XXVII, 51). Proinde quia crux Domini nostri clavis fuit, qua clausa aperirentur; credamus adfuturum eum nobis, ut ista occulta revelentur. *In finem* quod habet, semper Christum intelligere debemus. *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Finis autem dicitur, non quia consumit, sed quia perficit.

[1] Ita Mss. At Edd., *Dominumque nostrum significare, qui in Calvariæ loco crucifixus adduxit multos.*

(*a*) Forte, *necare.*

Nam et finitum cibum dicimus qui manducabatur, et finitam tunicam quæ texebatur : illud ad consumptionem, hoc ad perfectionem. Quia ergo ultra quo tendamus non habemus, cum ad Christum pervenerimus, ipse cursus nostri finis dicitur. Nec putare debemus, quia cum ad illum pervenerimus, aliquid amplius debemus niti ut et ad Patrem perveniamus. Hoc enim putavit et Philippus, cum ei dixit : *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Cum dicit, *sufficit nobis*, finem quærit satietatis et perfectionis. Et ille, *tanto*, inquit, *tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.* XIV, 8, 9). In illo ergo habemus Patrem, quia ipse in Patre, et Pater in ipso, et ipse et Pater unum sunt (*Id.* X, 30).

2. [*vers.* 2.] Quid igitur hic admonet qui cantat, ubi vocem nostram agnoscere debemus, si tamen hujus vocis affectum habemus? *Deus noster refugium et virtus.* Sunt quædam refugia ubi non est virtus, quo quisque cum fugerit, magis infirmatur quam confirmetur. Confugis, verbi gratia, ad aliquem in sæculo magnum, ut facias tibi potentem amicum; refugium tibi videtur. Tanta tamen hujus sæculi incerta sunt, et ita potentum ruinæ quotidianæ crebrescunt, ut cum ad tale refugium perveneris, plus ibi timere incipias. Antea enim causæ tuæ tantum timebas; cum vero ad talem refugeris, et de illo tibi timebis. Multi enim cum ad talia refugia confugissent, cadentibus illis ad quos confugerant, et ipsi quæsiti sunt : quos nemo quæreret, si non ad talia confugissent. Non est refugium nostrum tale, sed refugium nostrum virtus est. Cum illuc confugerimus, firmi erimus.

3. *Adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.* Multæ sunt tribulationes, et in omni tribulatione ad Deum confugiendum est : sive sit tribulatio in re familiari, sive sit in salute corporis, sive de periculo carissimorum, sive de aliqua re ad hujus vitæ sustentaculum necessaria, omnino aliud refugium non debet esse homini christiano quam Salvator ejus, quam Deus ejus, quo cum confugerit, fortis sit. Non enim ipse in se fortis erit, aut sibi ipse fortitudo erit; sed ille illi fortitudo erit, qui refugium ejus factus est. Verumtamen, carissimi, inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla est major tribulatio quam conscientia delictorum. Namque si ibi vulnus non sit, sanumque sit intus hominis quod conscientia vocatur; ubicumque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, et ibi inveniet Deum. Si autem ibi requies non est propter abundantiam iniquitatis, quoniam et ibi Deus non est; quid facturus est homo? quo confugiet, cum cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad civitatem, a publico ad domum, a domo in cubiculum, et sequitur tribulatio. A cubiculo jam quo fugiat non habet, nisi in interius cubile suum. Porro si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest confugere : pellitur inde; et cum inde pellitur, a seipso pellitur. Et ecce hostem suum invenit, quo confugerat : seipsum quo fugiturus est? Quocumque fugerit, se trahit post se; et quocumque talem traxerit se, cruciat se de se. Ipsæ sunt tribulationes[1] quæ inveniunt hominem nimis : acerbiores enim non sunt : tanto non sunt acerbiores, quanto non sunt interiores. Videte, carissimi, cum ligna dejiciuntur[2] et probantur a fabris; aliquando in superficie videntur quasi læsa et putria : faber autem inspicit tanquam medullam interiorem ligni, et si sana interius ligna cognoverit, promittit ea in ædificio duratura; nec valde erit de superficie læsa sollicitus, quando id quod interius est sanum renuntiat. Porro homini interius conscientia non invenitur : quid igitur prodest, si quod est exterius sanum est, et putrefacta est medulla conscientiæ? Arctæ istæ, et vehementes omnino, et sicut psalmus ipse ait, nimiæ tribulationes sunt : tamen et in his adjutor factus est Dominus dimittendo peccata. Iniquorum enim conscientias non sanat nisi indulgentia. Si enim magnas tribulationes habere se dicit debitor fisci confessus[3], et intuens angustias rei familiaris suæ, cum se videt non posse esse solvendo; propter imminentes omni anno compulsores, tribulationes magnas se pati dicit, nec usquam respirat nisi in spe indulgentiæ rerum terrenarum[4] : quanto magis debitor pœnarum de abundantia delictorum, quando reddet quod debet de mala conscientia, quando si reddiderit ipse perit? Hoc enim debitum reddere, pœnas luere est. Restat ergo ut de ipsius indulgentia securi esse possimus : si tamen accepta indulgentia non rursus ad debita contrahenda redeamus.

4. Isti ergo filii Core fortasse intelliguntur esse illi, quibus locutus est Petrus in Actibus Apostolorum, cum intenti facti essent ad mirabilia adventus Spiritus sancti, cum omnes in quos venerat linguis omnibus loquerentur. Annuntiavit enim illis Christum, cum qui tanta potuisset mittendo Spiritum sanctum. Illi quem ipsi crucifixerant manibus suis, cogitantes quam contemptibilis esset, cum ab eis occideretur, quam altus et excelsus apud Deum factus esset, qui Spiritu sancto[5] idiotas impleret, et linguas infantium faceret disertas, compuncti corde, dixerunt : *Quid faciemus?* Istæ erant nimiæ tribulationes, quæ illos invenerant. Non enim ipsi invenerunt peccata sua, sed inventa in eis sunt commemoratione Apostolorum. Ideo invenerunt illos tribulationes, non ipsi invenerunt tribulationes. Nam quando sine alicujus admonitione ipse homo considerat factum suum, et rogat Deum, quid dicit? *Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi* (*Psal.* CXIV, 3, 4). Alia est ergo tribulatio quam tu invenis, alia quæ te invenit. In utraque tamen sive quæ te invenit, sive quam tu invenis, ut utramque depellat, ille rogandus est qui est adjutor in tribulationibus. Nam et ille cum inveniret, hoc dixit, *Et nomen*

[1] Sic in Mss. At in Edd., *Quocumque fugerit se, talem trahit post se : et quocumque talem traxerit se, cruciat se. Sed a seipso sunt tribulationes*, etc.
[2] Sic Mss. At Edd., *deasciantur*.
[3] Quindecim Mss., *confossus*. Duo, *confusus*. Tres, *compulsus*. Paucissimi vero habent ut in Edd., *confessus* : nec minus bene.
[4] Tredecim Mss., *regum terrenorum*.
[5] Mss., *suo*.

Domini invocari : et hi in tribulationibus, a quibus se inventos esse dixerunt, hoc dixerunt, *Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.* Sed quia adjutor factus est, unde factus est? *Compuncti*, inquit, *corde dixerunt : Quid faciemus ?* Tanquam magna desperatione. Ille tantus est, quem nos occidimus, nos ubi erimus? Et Petrus, *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi, et dimittuntur vobis peccata vestra* (*Act.* II, 4, 37, 38). Nihil enim hoc peccato gravius cogitare potuerunt. Quod gravius peccatum ægri, quam medici interfectio? quid gravius potest æger facere, quam si medicum suum occidat? Cum hoc dimittitur, quid non dimittitur? Ab illo ergo cui dictum est, *Refugium et virtus*, acceperunt magnam securitatem. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi :* in illius nomine quem occidistis, baptizamini, *et dimittuntur vobis peccata vestra.* Medicum vel postea cognovistis, jam securi bibite sanguinem quem fudistis.

5. [*vers.* 3.] Denique accepta tanta securitate, quid dicunt? *Propterea non timebimus, cum conturbabitur terra.* Paulo ante solliciti, subito securi, ex tribulationibus nimiis in magna tranquillitate positi. Dormiebat enim illis Christus, ideo turbabantur: excitatus est Christus, sicut modo audivimus in Evangelio, imperavit ventis, et quieverunt (*Matth.* VIII, 24-26). Quoniam Christus in cujusque corde per fidem est, significatum est nobis, quia ejus cor tanquam navis in hujus sæculi tempestate turbatur[1], qui fidem suam obliviscitur : tanquam Christo dormiente turbatur; excitato autem Christo, fit tranquillitas. Denique et ipse Dominus quid ait? *Ubi est fides vestra* (*Luc.* VIII, 25)? Excitatus Christus excitavit fidem : ut quod in navi factum erat, fieret in cordibus eorum. *Adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis* : id egit ut ibi esset tranquillitas magna.

6. Videte ipsam tranquillitatem : *Propterea non timebimus, cum conturbabitur terra, et transferentur montes in cor maris.* Tunc non timebimus. Quæramus montes translatos; et si invenire potuerimus, manifestum est quia ipsa est securitas nostra. Dominus quippe dixit discipulis : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Tollere et mittere in mare, et fiet* (*Matth.* XVII, 19). Forte, *monti huic*, de seipso dixit; dictus est enim mons : *Erit in novissimis temporibus manifestus mons Domini.* Sed iste mons super alios montes collocatus est : quia et Apostoli montes, portantes montem hunc. Ideo sequitur, *Erit in novissimis temporibus, manifestus mons Domini, paratus in cacumine montium* (*Isai.* II, 2). Transcendit ergo cacumina montium omnium, et in cacumine omnium montium collocatus est; quoniam montes sunt annuntiantes montem. Mare autem significat hoc sæculum, in cujus maris comparatione tanquam terra videbatur gens Judæorum. Non enim idololatriæ amaritudine tegebatur, sed erat tanquam arida amaritudine Gentium tanquam mari circumdata. Futurum erat ut turbaretur terra, id est illa ipsa gens judæa; et transferrentur montes in cor maris, id est primo ipse mons magnus paratus in cacumine montium. Deseruit enim gentem judæam, et factus est in Gentibus; translatus est de terra ad mare. Transferentibus quibus? Apostolis, quibus dixerat, *Si habueritis fidem in vobis tanquam granum sinapis, dicetis monti huic, Tollere et mittere in mare, et fiet :* id est, per fidelissimam vestram prædicationem fiet ut mons iste, hoc est ego ipse prædicer in Gentibus, glorificer in Gentibus, agnoscar in Gentibus, et fiat quod de me prædictum est, *Populus quem non cognovi, servivit mihi* (*Psal.* XVII, 45). Quando autem et illi montes translati sunt? Et hoc indicet nobis Scriptura Dei. Quando Apostolus prædicabat Judæis, respuerunt verbum; et ait apostolus Paulus : *Ad vos missi eramus, sed quia respuistis verbum Dei, imus ad Gentes* (*Act.* XIII, 46). Translati sunt montes in cor maris. Vere enim Gentes crediderunt montibus, ut in corde maris essent montes illi : non sicut Judæi, de quibus dictum est, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isai.* XXIX, 13, *et Matth.* XV, 8). Hoc enim et de Novo Testamento promittit Dominus, per prophetam dicens : *Dabo leges meas in cordibus eorum* (*Jerem.* XXXI, 33, *et Hebr.* VIII, 10). Hæ leges, hæc præcepta per Apostolos indita omnium Gentium fidei et credulitati, montes dicti sunt translati in cor maris. Tunc nos non timebimus. Qui non timebimus? Illi qui compuncti sumus corde, ne fieremus de numero reproborum Judæorum, tanquam ramorum fractorum. Crediderunt enim quidam illorum, et adhæserunt Apostolis prædicantibus[1]. Timeant ergo illi quos deseruerunt montes : nos a montibus non recessimus; et quando translati sunt in cor maris, secuti sumus.

7. [*vers.* 4.] Quid jam sequitur ex eo quod translati sunt montes in cor maris? Attendite et videte veritatem. Hæc enim quando dicebantur, obscura erant, quia nondum contigerant : nunc autem quis jam facta non cognoscat? Liber tibi sit pagina divina, ut hæc audias : liber tibi sit orbis terrarum, ut hæc videas. In istis codicibus non ea legunt, nisi qui litteras noverunt : in toto mundo legat et idiota. Quid ergo factum est, dum translati sunt montes in cor maris? *Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ ejus.* Quando prædicabatur Evangelium (*a*), *Quid est hoc? Peregrinorum dæmoniorum videtur iste annuntiator esse* (*Act.* XVII, 18) : hoc Athenienses. Ephesii autem quo tumultu occidere Apostolos voluerunt, quando in theatro pro Diana sua tantum strepitum fecerunt, ut clamarent : *Magna Diana Ephesia* (*Id.* XIX, 28)? Inter quos fluctus et sonitus maris non timebant, qui ad refugium

[1] Ita Mss. At Edd., *in cujuscumque corde per fidem non est, significatum est nobis quia ejus cor tanquam navis in hujus sæculi tempestate turbatur. Qui fidem suam*, etc.

[1] Quatuor Mss., *Crediderunt enim, et accesserunt Apostoli.* Alii fere omnes, *crediderunt enim et accesserunt Apostolis.* Nec habent, *quidam illorum;* nec verbum, *prædicantibus.*

(*a*) Subaud. *dixerunt.*

illud confugerant. Denique apostolus Paulus volebat intrare in theatrum, et a discipulis revocatus est, quia necessarium erat adhuc ut in carne maneret propter ipsos. Sed tamen *Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ ejus : conturbati sunt montes in fortitudine ejus*. Cujus? Numquidnam maris, an potius Dei, de quo dictum est : *Refugium et virtus, adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis?* Turbati enim sunt montes, id est potestates hujus sæculi. Alii sunt enim montes Dei, alii sunt montes sæculi : montes sæculi, quibus caput diabolus; montes Dei, quibus caput Christus. Sed per istos montes turbati sunt illi montes. Tunc dederunt voces[1] contra Christianos, quando turbati sunt montes sonantibus fluctibus : et montes sunt turbati, et factus est magnus terræ motus cum motu aquæ. Sed cui hæc? Civitati illi fundatæ super petram. Sonant aquæ, turbantur montes, annuntiato Evangelio. Quid tu civitas Dei? Audi quod sequitur.

8. [*vers.* 5.] *Fluminis impetus lætificant civitatem Dei*. Cum turbantur[2] montes, cum sævit mare, non deserit Deus civitatem suam per impetus fluminis. Qui sunt isti impetus fluminis? Inundatio illa Spiritus sancti, de qua Dominus dicebat : *Si quis sitit, veniat et bibat : qui credit in me, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus*. Ergo hæc flumina fluebant de ventre Pauli, Petri, Joannis, aliorum Apostolorum, aliorum Evangelistarum fidelium. Hæc flumina cum fluerent ab uno flumine, multi *impetus fluminis lætificant civitatem Dei*. Nam ut noveritis hoc de Spiritu sancto dictum, in eodem Evangelio consequenter dicit Evangelista : *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant hi qui in eum erant credituri. Spiritus autem nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* (*Joan.* VII, 37-39). Glorificato Jesu post resurrectionem, glorificato post ascensionem, die Pentecostes venit Spiritus sanctus, implevit credentes, locuti sunt linguis (*Act.* II, 4), prædicare Evangelium cœperunt Gentibus. Hinc civitas Dei lætificabatur, dum mare turbaretur sonitu aquarum suarum, dum montes conturbarentur quærentes quid agerent, quomodo novam doctrinam pellerent, quomodo Christianorum genus de terra eradicarent. Contra quem? Contra fluminis impetus lætificantes civitatem Dei. Hinc etiam ostendit de quo flumine diceret, quia spiritum sanctum significabat, *Fluminis impetus lætificant civitatem Dei*. Et quid sequitur? *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*. Si ergo sequitur sanctificationis nomen, manifestum est fluminis illos impetus de Spiritu sancto intelligendos, quo sanctificatur omnis pia anima credens in Christum, ut fiat civis civitatis Dei.

9. [*vers.* 6.] *Deus in medio ejus, et*[3] *non commovebitur*. Sæviat mare, conturbentur montes : *Deus in medio ejus, et non commovebitur*. Quid est, *in medio ejus?* Tanquam Deus in uno loco stet, et circumdent eum qui credunt in eum. Ergo ambitur loco Deus, et lata sunt quæ circumdant, in angusto est qui circumdatur? Absit. Nihil tale cogitetis de Deo, qui nullo capitur loco, cui sedes est conscientia piorum: et ita sedes Dei est in cordibus hominum, ut si homo ceciderit a Deo, Deus in se maneat, non quasi cadat, non inveniendo ubi sit. Magis enim te sublevat, ut in illo sis, quam in te incumbit, ut si te subduxeris, cadat. Ille si se subduxerit, cades tu : tu te si subduxeris, non cadet ille. Quid ergo est, *Deus in medio ejus?* Hoc significat quod æquus est omnibus Deus, et personas non accipit. Quomodo enim illud quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines; ita Deus medius esse dicitur, æqualiter omnibus consulens. *Deus in medio ejus, et non commovebitur*. Unde non commovebitur? Quia in medio ejus Deus. *Adjuvabit eam Deus vultu suo*. Ille est, *adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Adjuvabit eam Deus vultu suo*. Quid est, *vultu suo?* Demonstratione sua. Quomodo se demonstrat Deus, et vultum ejus videamus? Jam commemoro, didicistis præsentem Deum, didicimus per opera. Quando ab illo aliquid adjutorii accipimus, ita ut omnino non dubitemus a Domino nobis esse concessum, vultus Dei nobiscum est. *Adjuvabit eam Deus vultu suo*.

10. [*vers.* 7.] *Conturbatæ sunt gentes*. Et quomodo conturbatæ? utquid conturbatæ? Ut dejicerent civitatem Dei, in cujus medio Deus? ut everterent tabernaculum sanctificatum, quod adjuvat Deus vultu suo? Non. Sed jam salubriter conturbatæ gentes. Quid enim sequitur? *Et inclinata sunt regna. Inclinata*, inquit, *sunt regna :* jam non erecta, ut sævirent[1]; sed inclinata, ut adorarent. Quando inclinata sunt regna? Quando factum est quod prædictum est in alio psalmo: *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei* (*Psal.* LXXI, 11). Quæ res fecit ut inclinarentur regna? Quæ res, audi : *Dedit vocem suam Altissimus, et mota est terra*. Arreptitii idolorum tanquam ranæ de paludibus personabant, tanto tumultuosius, quanto sordidius de luto et cœno. Et quid strepitus ranarum ad tonitrua nubium? Inde enim *dedit vocem suam Altissimus, et mota est terra :* tonuit de nubibus suis. Quæ sunt nubes ejus? Apostoli ejus, prædicatores ejus, de quibus intonabat præceptis, coruscabat miraculis. Ipsi nubes qui et montes : montes propter altitudinem et firmitatem, nubes propter pluviam et ubertatem. Irrigaverunt enim terram nubes istæ, de quibus dictum est, *Dedit vocem suam Altissimus, et mota est terra*. De his enim nubibus minatur cuidam vineæ sterili, unde translati sunt montes in cor maris : *Mandabo*, inquit, *nubibus meis ne pluant super eam imbrem* (*Isai.* v, 6). Hoc impletum est in eo quod commemoravimus, quando translati sunt montes in cor maris: quando dictum est, *Ad vos missi eramus, sed quia respuistis verbum Dei, imus ad gentes* (*Act.* XIII, 46) : impletum est, *Mandabo nubibus meis, ne pluant*

[1] Septem Mss., *leges*.
[2] Sic Mss. quibus in hocce ỳ. 5, consentit Græca interpretatio LXX. At prius Edd. ferunt, *lætificat civitatem Dei. Conturbantur*, etc.
[3] Edd. carent particula *et*. Habent Mss. ac LXX in aliquot Græcis codicibus.

[1] Sic Mss. At edd., *superbirent*.

super eam imbrem. Denique ipsa gens Judæa modo sic remansit, tanquam vellus siccum in area. Nam et hoc nostis contigisse in quodam miraculo. Area sicca erat, vellus solum madebat : sed pluvia in vellere non apparebat (*Judic.* vi, 37, 38). Sic et sacramentum Novi Testamenti non apparebat in gente Judæorum. Quod illic vellus, hic velum : velatum enim erat sacramentum in vellere. In area vero, in omnibus Gentibus patet Evangelium Christi : pluvia manifesta est, nuda est gratia Christi [1]; non enim tegitur velamento. Ut autem exiret inde pluvia, expressum est vellus. Per pressuram enim a se excluserunt Christum, et Dominus jam de nubibus suis compluit aream, vellus siccum remansit. Inde ergo *dedit vocem suam Altissimus*, de istis nubibus, per quam vocem regna inclinarentur, et adorarent.

11. [*vers.* 8.] *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.* Non quicumque homo, non potestas quælibet, non denique angelus, non aliqua creatura, sive terrena, sive cœlestis, sed *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.* Qui misit Angelos, venit post Angelos, venit ut ei servirent Angeli, venit ut homines faceret æquales Angelis. Magna gratia. Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Dominus virtutum nobiscum.* Quis *Dominus virtutum nobiscum.* Si Deus pro nobis, inquam, quis contra nos? Qui Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non et cum illo omnia nobis donavit (*Rom.* viii, 31, 32)? Ergo securi simus, in tranquillitate cordis nutriamus bonam conscientiam de pane Domini. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.* Quantacumque sit infirmitas tua, vide quis te suscipiat. Ægrotat nescio quis, adhibetur medicus ; susceptum suum dicit medicus ægrotum. Quis eum suscepit? Ille. Magna spes salutis, magnus medicus eum suscepit. Quis medicus? Omnis medicus præter illum homo est : omnis medicus qui venit ad infirmum, alia die infirmari potest, præter illum. *Susceptor noster Deus Jacob.* Fac te infantem parvulum omnino, quales a parentibus suscipiuntur. Qui enim non suscipiuntur, exponuntur : qui suscipiuntur, nutriuntur. Putasne sic te suscepit Deus, quomodo infantem te suscepit mater tua? Non sic, sed in æternum. Tua enim vox est in illo psalmo : *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me* (*Psal.* xxvi, 10). *Susceptor noster Deus Jacob.*

12. [*vers.* 9.] *Venite, et videte opera Domini.* Jam de hac susceptione quid fecit Dominus? Animadverte orbem terrarum, veni, et vide. Si enim non venis, non vides; si non vides, non credis; si non credis, longe stas : si credis, venis; si credis, vides. Quomodo enim venitur ad montem istum? Numquid pedibus? numquid navibus? numquid pennis? numquid equis? Quantum attinet ad locorum spatia, ne satagas, ne conturberis, ipse ad te venit. Etenim ex lapide parvo crevit, et factus est mons magnus, ita ut impleret universam faciem terræ. Quid vis ergo ad eum per terras venire, qui terras implevit? Ecce jam venit; evigila : crescendo et dormientes pulsat [1]; si tamen non tantus in eis somnus est, qui etiam contra montem venientem obdurescant, sed audiant : *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* v, 14). Multum enim erat Judæis videre lapidem. Lapis enim ille adhuc parvus erat : merito et parvum contempserunt, contemnendo offenderunt, et offendendo quassati sunt; restat ut et conterantur. Hoc enim de lapide illo dictum est : *Qui offenderit in lapidem illum, conquassabit eum; super quem venerit, conteret eum* (*Luc.* xx, 18). Aliud est conquassari, aliud conteri : conquassari minus est quam conteri : sed neminem conterit excelsus veniens, nisi quem conquassaverit humilis jacens. Modo enim antequam veniat Dominus noster, humiliter jacuit Judæis, et offenderunt in illum, et conquassati sunt : veniet postea in judicio suo clarus atque altus, magnus et potens; non infirmus ut judicetur, sed fortis ut judicet, et conterat eos qui conquassati sunt in eum offendendo. Lapis enim offensionis et petra scandali non credentibus ipse est (I *Petr.* ii, 8). Ergo, carissimi, non est mirum si Judæi non agnoverunt quem tanquam parvulum lapidem ante pedes suos jacentem contempserunt : illi mirandi sunt qui adhuc tam magnum montem nolunt agnoscere. Judæi in lapidem parvum non videndo offenderunt, hæretici in montem offendunt. Jam enim crevit ille lapis; jam dicimus illis, Ecce impleta est prophetia Danielis, *Lapis* ille qui erat parvus, *factus est mons magnus, et implevit universam terram* (*Dan.* ii, 35). Quare in illum offenditis, et non in illum ascenditis? Quis tam cæcus est ut offendat in montem? Quasi ideo ad te venerit ut habeas in quem offendas, et non habeas in quem ascendas. *Venite, ascendamus ad montem Domini* (*Isai.* ii, 3). Isaias hoc dicit : *Venite, ascendamus.* Quid est, *Venite, ascendamus? Venite*, est credite; *ascendamus*, proficiamus. Isti autem nec venire volunt, nec ascendere, nec credere, nec proficere. Latrant contra montem. Jam in illum toties offendendo quassati sunt, et nolunt ascendere, semper eligentes offendere. Dicamus illis, *Venite, et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Prodigia dicuntur, quod aliquid portendant, signa illa miraculorum quæ facta sunt quando mundus credidit. Et quid inde factum est, et quid portendebant?

13. [*vers.* 10.] *Auferens bella usque ad fines terræ.* Hoc nondum videmus esse completum : sunt adhuc bella, sunt inter gentes pro regno ; inter sectas, inter Judæos, Paganos, Christianos, hæreticos, sunt bella, crebrescunt bella ; aliis pro veritate, aliis pro falsitate certanti-

[1] Ita in Mss. At in edd., *eo quod illic vellus erat, ibi hoc velatum erat sacramentum in vellere. In area vero, id est, in omnibus gentibus, ubi patet Evangelium Christi, pluvia manifesta est, nuda est area Christi.*

[1] Edd., *evigila credendo, evigilantes pulsat.* Mss. vero undecim, *et dormientes pulsat* : atque iidem cum cæteris vetustis edd. loco, *credendo*, habent, *crescendo* : quod scilicet refertur ad superiora verba, *ex lapide parvo crevit.*

bus. Nondum ergo completum est, *Auferens bella usque ad fines terræ:* sed fortasse complebitur. An et modo completum est? In quibusdam completum est: in tritico completum est, in zizaniis nondum completum est. Quid est hoc ergo, *Auferens bella usque ad fines terræ?* Bella dicit, quibus bellatur adversus Deum? Quis enim bellat adversus Deum? Impietas. Et quid potest facere Deo impietas? Nihil. Quid facit fictile vas elisum ad petram, quamvis vehementer elidatur? Tanto majore malo suo venit, quanto majore impetu venerit. Hæc bella magna erant, crebra erant. Contra Deum impietas dimicabat, et vasa fictilia conterebantur: præsumendo de se homines, de virtute sua multum prævalendo. Cujus rei scutum etiam Job dixit de quodam impio: *Cucurrit adversus Deum in crassa cervice scuti sui* (*Job* xv, 26). Quid est, *in crassa cervice scuti sui?* Nimium præsumendo de protectione sua. Numquidnam isti tales erant qui dicebant: *Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis?* aut in alio psalmo: *Non enim in arcu meo sperabo, et brachium meum non salvabit me* (*Psal.* XLIII, 7)? Quando quisque cognoscit quia in seipso nihil est, et adjutorium de se nullum habet, arma in illo confracta sunt, bella sedata sunt. Talia ergo bella delevit vox illa Altissimi de nubibus sanctis, qua terra commota est, et inclinata sunt regna: abstulit hæc bella usque ad fines terræ. *Arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.* Arcus, arma, scuta, ignis. Arcus est, insidiæ; arma, publica oppugnatio; scutum, vana præsumptionis protectio[1]. Ignis quo ista comburuntur, est de quo Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram* (*Luc* XII, 49). De quo igne dicit psalmus: *Et non est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII, 7). Fervente igne isto, nulla in nobis impietatis arma remanebunt, necesse est ut omnia confringantur, conterantur, comburantur. Remaneas inermis non habens ullum adjutorium tuum: et quanto magis infirmus es, nulla tua arma habens, tanto magis te suscipit, de quo dictum est: *Susceptor noster Deus Jacob.* Valebas enim quasi per te, conturbaris in te. Perde arma quibus præsumebas: audi Dominum dicentem, *Sufficit tibi gratia mea.* Dic et tu, *Quando infirmor, tunc fortis sum.* Apostoli vox est. Omnia arma sua perdiderat tanquam fortitudinis suæ, qui dicebat, *Ego autem non gloriabor, nisi in infirmitatibus meis* (II *Cor.* XII, 9, 10): velut si diceret, Non curro adversus Deum in crassa cervice scuti mei, *qui prius fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus; sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Jesus omnem longanimitatem in eos qui credituri sunt illi in vitam æternam* (I *Tim.* I, 13, 16). *Auferens bella usque ad fines terræ.* Quando autem nos Dominus suscipit, numquid inermes dimittit? Armat nos, sed aliis armis, evangelicis, veritatis, continentiæ, salutis, spei, fidei, charitatis. Hæc arma habebimus, sed non a nobis. Arma autem quæ a nobis habuimus, arserunt: si tamen igne illo Spiritus sancti accensi sumus, de quo dicitur, *Et scuta comburet igni.* Qui potens[1] in te esse cupiebas, infirmum te fecit Deus, ut fortem te faceret de se, quia infirmabaris de te.

14. [*vers.* 11.] Quid ergo sequitur? *Vacate.* Ad quam rem? *Et videte quoniam ego sum Deus.* Hoc est, Non vos, sed ego sum Deus: ego creavi, ego recreo; ego formavi, ego reformo; ego feci, ego reficio. Si non potuisti facere te, quomodo potes reficere te? Hoc non videt tumultus contentiosus animi humani: cui tumultui contentioso dicitur, *Vacate,* id est, reprimite animos vestros a contradictionibus. Nolite argumentari et tanquam armari contra Deum: alioquin vivunt arma nondum illo igne combusta. Si autem combusta sunt, *Vacate;* quia non habetis unde pugnetis. Si autem vacaveritis in vobis, et a me petieritis omnia, qui[2] primo de vobis præsumebatis, *Vacate, et* videbitis *quoniam ego sum Deus.*

15. [*vers.* 12.] *Exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.* Paulo ante dixeram terræ nomine significari gentem Judæorum, maris nomine cæteras gentes. Translati sunt montes in cor maris: conturbatæ sunt gentes, inclinata sunt regna, dedit vocem suam Altissimus, et mota est terra. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.* Facta sunt miracula in gentibus, impletur fides gentium, ardent arma præsumptionis humanæ: vacatur in tranquillitate cordis, ut cognoscatur auctor Deus omnium munerum suorum. Et post istam clarificationem, numquid deserit et plebem Judæorum, de qua dicit Apostolus: *Dico enim vobis, ut non sitis vobis sapientes, quia cæcitas ex parte Israel facta est, donec plenitudo Gentium intraret?* Id est, donec montes huc transferrentur, nubes hic pluerent, hic Dominus tonitruo suo regna inclinaret, *donec plenitudo Gentium intraret.* Et quid postea? *Et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI, 25, 26). Ideo et hic ipsum ordinem servans, *Exaltabor,* inquit, *in gentibus, et exaltabor in terra:* id est, et in mari et in terra; ut jam[3] omnes dicant quod sequitur, *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.*

IN PSALMUM XLVI

ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. Dominus Deus noster fidem in qua vivimus, et ex qua vivimus, per Libros sanctos, Scripturas sanctas multipliciter nobis varieque diffudit; sacramenta quidem verborum varians, fidem tamen unam commendans. Una enim eademque res ideo multis modis dicitur, ut modo ipso[4] dicendi propter fastidium va-

[1] Sic Mss. At edd., *scuta, vana præsumptio suæ protectionis.*

[1] Ita quinque Mss. Edd. vero, *Quid postea? In te esse cupiebas.*

[2] Gatian. vetus codex, *quæ.*

[3] Sic aliquot Mss. At edd., *utinam omnes dicant,* etc.

[4] Sic Mss. At edd., *ut modus ipse dicendi propter fastidium varietur, sed propter concordiam una fides teneatur.*

rietur, sed propter concordiam una teneatur. Itaque in hoc psalmo quem cantatum audivimus, cui cantando respondimus, ea sumus dicturi quæ nostis : et tamen fortassis aliquam, adjuvante et donante Domino, suavitatem allaturi sumus vobis, quando ea quæ alibi et alibi noveratis, etiam commoniti ruminatis. Nam et ipsa ruminatione, in qua significat Deus munda animalia, hoc voluit insinuare, quia omnis homo quod audit sic debet in cor mittere, ut non piger sit postea inde cogitare : ut quando audit, sit similis manducanti; cum autem audita in memoriam revocat, et cogitatione dulcissima recolit, fiat similis ruminanti. Alio ergo modo eadem dicuntur, et faciunt nos dulciter cogitare quæ novimus, et eadem ipsa libenter audire; quia modus dicendi variatur, et res antiqua ipso modo dicendi renovatur.

2. [*vers.* 1.] Titulus Psalmi sic se habet : *In finem pro filiis Core*, *Psalmus ipsi David*. Filios istos Core habent tituli Psalmorum etiam alii nonnulli, et indicant dulce mysterium, insinuant magnum sacramentum : ubi et nos ipsos libenter intelligamus, et agnoscamus in titulo nos qui audimus et legimus, et tanquam speculo proposito qui sumus intuemur. Filii Core qui sunt? Fuit homo quidam Core nomine (*Num.* XVI, 1), sic enim vocabatur aliquis homo : verumtamen cum leguntur quæ scripta sunt, et invenitur sermo divinus loqui ad quosdam, qui non valde intelliguntur filii esse illius unius hominis qui vocabatur Core; recurrit animus ad mysterium, ut quærat quid significet Core. Quia enim verbum hebræum est, dicitur utique et interpretatur in græcam linguam et in latinam linguam. Et factum est jam; multa nomina hebræa interpretata sunt nobis : et inspicimus, et invenimus Core interpretari Calvum. Multo magis attendistis. Obscurum erat cum dicerentur filii Core, nonne obscurius est cum dicuntur filii calvi? Qui sunt isti filii calvi? An forte filii sponsi? Quia sponsus in loco Calvariæ crucifixus est. Recolite Evangelium, ubi Dominum crucifixerunt, et invenietis eum in loco Calvariæ crucifixum (*Matth.* XXVII, 33). Proinde qui crucem ejus irrident, a dæmonibus tanquam a bestiis devorantur. Nam significavit et hoc quædam Scriptura. Cum ascenderet propheta Dei Elisæus, clamabant post eum pueri irridentes, *Ascende calve, ascende calve* : ille autem non tam crudeliter quam mystice, fecit illos pueros ab ursis exeuntibus devorari (IV *Reg.* II, 23, 24). Si non devorarentur illi pueri, numquid usque adhuc viverent? aut non possent mortales nati etiam febre intercipi? Mysterium in eis tamen non ostenderetur, ubi posteri terrerentur. Nemo ergo irrideat crucem Domini : Judæi sunt possessi a dæmonibus et devorati. Nam in Calvariæ loco crucifigentes Christum, et levantes in cruce, tanquam ipsi dicebant sensu puerili, non intelligentes quid loquerentur, *Ascende calve*. Quid est enim, *Ascende? Crucifige, crucifige* (*Luc.* XXIII, 21). Proponitur enim pueritia ad imitandum humilitatem, et item proponitur pueritia ad cavendum fatuitatem. Proposita pueritia ad imitandum humilitatem a Domino est, quando vocavit ad se pueros, et cum prohiberentur ab illo, dixit : *Sinite eos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum* (*Matth.* XVIII, 2, *et* XIX, 14). Propositum exemplum pueritiæ ad cavendam fatuitatem ab Apostolo est : *Fratres, nolite pueri esse sensibus*. Et rursum proponit ad imitandum : *Sed malitia infantes estote, ut mentibus perfecti sitis* (I *Cor.* XIV, 20). *Pro filiis Core.* Psalmus canitur : ergo pro Christianis cantatus est. Audiamus eum tanquam filii sponsi illius, quem pueri insensati in Calvariæ loco crucifixerunt. Illi enim meruerunt a bestiis devorari, nos ab Angelis coronari. Agnoscimus enim humilitatem Domini nostri, et non de illa erubescimus. Non erubescimus de illo appellato mystice calvo, propter Calvariæ locum. Ipsa enim cruce in qua illi insultatum est, non permisit calvam esse frontem nostram, quia eam suo ligno [1] signavit. Denique ut noveritis, quia nobis dicuntur hæc, videte quid dicitur.

3. [*vers.* 2.] *Omnes gentes, plaudite manibus.* Numquid populus Judæorum omnes gentes erant? Sed cæcitas ex parte Israel facta est, ut pueri insensati clamarent, *Calve, calve;* atque ita Dominus crucifigeretur in Calvariæ loco, ut sanguine fuso gentes redimeret, et impleretur quod ait Apostolus : *Cæcitas ex parte Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret* (*Rom.* XI, 25). Insultent ergo vani et hebetes, et insensati, et dicant, *Calve, calve :* vos autem sanguine illius redempti, qui fusus est in Calvariæ loco, *Omnes gentes plaudite manibus*, pervenisse ad vos gratiam Dei. *Plaudite manibus.* Quid est, *plaudite?* Gaudete. Sed quare *manibus?* Quia bonis operibus. Ne gaudeatis ore, et cessetis manibus. Si gaudetis, *plaudite manibus*. Manus gentium videat, qui gaudia donare dignatus est. Quid est, manus gentium? Facta bene operantium. *Omnes gentes, plaudite manibus : jubilate Deo in voce exsultationis.* Et voce, et manibus. Si tantum voce, non bene; quia pigræ sunt manus : si tantum manibus, nec hoc bene; quia muta est lingua : concordent manus et lingua; illa confiteatur, illæ operentur. *Jubilate Deo in voce exsultationis.*

4. [*vers.* 3.] *Quoniam Dominus excelsus terribilis.* Excelsus ille, quasi irrisibilis descendendo, ascendendo in cœlum factus est terribilis. *Rex magnus super omnem terram.* Non tantum super Judæos : nam et super illos rex. Inde enim et Apostoli crediderunt, inde et multa millia hominum res suas vendiderunt, et pretia ad pedes Apostolorum posuerunt (*Act.* IV, 34) : et impletum est in illis, quod erat in titulo crucis conscriptum, *Rex Judæorum* (*Matth.* XXVIII, 37). Rex est enim et Judæorum. Sed parum est Judæorum. *Omnes gentes plaudite manibus : quoniam rex omnis terræ Deus.* Non enim illi sufficit unam gentem habere sub se : ideo tantum pretium ex latere dedit, ut emeret orbem terrarum. *Rex magnus super omnem terram.*

5. [*vers.* 4.] *Subjecit plebes nobis, et gentes sub pedibus nostris.* Quas subjecit, et quibus? Qui sunt qui loquuntur? Forte Judæi? Plane si Apostoli, plane si sancti. His enim Deus subjecit plebes et gentes, ut

[1] Tres Mss., *signo.*

hodie honorentur in gentibus, qui a suis civibus occidi meruerunt: quomodo Dominus eorum occisus est a civibus, et honoratur a gentibus, crucifixus a suis, adoratur ab alienis, sed pretio [1] factis suis. Ideo enim emit nos, ut alieni ab eo non essemus. Putas ergo voces esse Apostolorum, *Subjecit plebes nobis, et gentes sub pedibus nostris?* Nescio. Mirum si Apostoli tam superbe loquerentur, ut gauderent gentes esse positas sub pedibus suis, id est Christianos sub pedibus Apostolorum. Etenim gaudent nos secum esse sub pedibus illius qui mortuus est pro nobis. Nam sub pedes Pauli currebant, qui volebant esse Pauli; et dicebat eis: *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est* (I *Cor.* I, 13)? Quid ergo hic? quid accepturi sumus? *Subjecit plebes nobis, et gentes sub pedibus nostris.* Omnes pertinentes ad hæreditatem Christi in omnibus gentibus sunt, et omnes non pertinentes ad hæreditatem Christi in omnibus gentibus sunt: et videtis sic exaltari in nomine Christi Ecclesiam Christi, ut omnes nondum credentes in Christo, sub pedibus jaceant Christianorum. Quanti enim modo currunt ad Ecclesiam nondum christiani, rogant auxilium Ecclesiæ; subveniri sibi temporaliter volunt, etiamsi in æternum nobiscum regnare adhuc nolunt. Cum omnes quærunt auxilium Ecclesiæ, et qui nondum sunt in Ecclesia, nonne *subjecit plebes et gentes sub pedibus nostris?*

6. [*vers.* 5.] *Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob quam dilexit.* Pulchritudinem quamdam Jacob elegit nobis hæreditatem suam Jacob. Duo fratres erant Esaü et Jacob; in utero matris ambo confligebant, et de conflictu viscera materna quatiebantur: et ibi cum duo essent, electus est minor, et præpositus est majori, et dictum est, *Duo populi sunt in utero tuo, et major serviet minori* (*Gen.* XXV, 23). Per omnes gentes major, per omnes gentes minor: sed minor in bonis christianis, electis, piis, fidelibus; major in superbis, indignis, peccatoribus, contumacibus, sua peccata defendentibus magis quam confitentibus; qualis etiam ipse populus Judæorum fuit, ignorans Dei justitiam, et suam volens constituere (*Rom.* X, 3). Sed quia dictum est, *Major serviet minori*, manifestum est quia piis subdentur impii, et humilibus subdentur superbi. Prior natus est Esaü, et posterior natus est Jacob: sed qui posterius natus est, prælatus est primo nato, qui per gulam perdidit primogenita sua. Sic habes scriptum: *Desideravit lenticulam, et ait illi frater ejus, Si vis ut dem tibi, da mihi primogenita tua.* Ille plus amavit quod carnaliter concupierat, quam quod spiritualiter prius nascendo meruerat: et deposuit primogenita sua, ut manducaret lenticulam (*Gen.* XXV, 30-34). Lenticulam autem invenimus cibum esse Ægyptiorum; nam ibi abundat in Ægypto. Unde magnificatur lenticula alexandrina, et venit usque ad terras nostras, quasi hic non nascatur lenticula. Ergo desiderando cibum ægyptium, perdidit primatum. Sic et populus Judæorum, de quo dictum est, *Conversi sunt corde in Ægyptum* (*Act.* VII, 39), lenticulam quodammodo desideraverunt, et primatum perdiderunt. *Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob quam dilexit.*

7. [*vers.* 6.] *Ascendit Deus in jubilatione.* Ipse ille Deus noster Dominus Christus *ascendit in jubilatione. Dominus in voce tubæ. Ascendit:* quo, nisi quo scimus? Quo eum Judæi non sunt secuti, nec oculis. In cruce enim exaltatum irriserunt, in cœlum ascendentem non viderunt. *Ascendit Deus in jubilatione.* Quid est jubilatio, nisi admiratio gaudii, quæ verbis non potest explicari? Quomodo admirati sunt gaudentes discipuli, videntes ire in cœlum (*Act.* I, 9) quem planxerunt mortuum: revera gaudio huic verba non sufficiebant, restabat jubilare quod nemo poterat explicare. Ibi erat et vox tubæ, vox illa Angelorum. Dictum est enim, *Sicut tuba exalta vocem tuam* (*Isai.* LVIII, 1). Prædicaverunt Angeli ascensionem Domini: viderunt discipulos ascendente Domino [1] hærentes, admirantes, stupentes, nihil dicentes, sed corde jubilantes: et vox jam tubæ in clara voce Angelorum, *Viri Galilæi, quid statis? Hic est Jesus.* Quasi illi non scirent quia ipse esset Jesus. Ante se paulo ante eum non viderant? secum loquentem non audierant? Nempe non solum speciem viderunt præsentis, sed et membra contrectaverunt (*Luc.* XXIV, 39). Ipsi ergo nesciebant quod ille esset Jesus? Sed admiratione ipsa præ gaudio jubilationis, tanquam mente alienatis, loquuntur Angeli, *Ipse est Jesus.* Quasi, Si creditis illi, ille est quo crucifixo nutaverunt vobis pedes, quo occiso et sepulto spem vobis perdidisse putabitis; ecce ipse est Jesus. Ascendit ante vos; *sic veniet quemadmodum eum vidistis euntem in cœlum* (*Act.* I, 11): tollitur quidem corpus ab oculis vestris, sed non separatur Deus a cordibus vestris: videte ascendentem, credite in absentem, sperate venientem; sed tamen per misericordiam occultam etiam sentite præsentem. Ille enim qui ascendit in cœlum, ut tolleretur ab oculis vestris, promisit vobis dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Merito et Apostolus sic nos alloquebatur: *Dominus in proximo est, nihil solliciti fueritis* (*Philipp.* IV, 5, 6). Sedet super cœlos Christus, et longe sunt cœli, et ipse qui ibi sedet prope est. *Dominus in voce tubæ.* Ergo vos filii Core, jam si intellexistis vos, et inspicitis hic vos, et vos gaudetis, quia videtis hic vos.

8. [*vers.* 7.] *Psallite Deo nostro, psallite.* Quem tanquam hominem irriserunt qui a Deo alienati sunt, *psallite Deo nostro.* Non enim homo tantum, sed et Deus. Homo ex semine David (*Rom.* I, 3), Deus Dominus David, ex Judæis carnem habens: *quorum patres*, ait Apostolus, *et ex quibus Christus secundum carnem.* Ex Judæis ergo Christus, sed secundum carnem. Quis autem iste Christus, qui est ex Judæis secundum carnem? *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Id.* IX, 5). Deus ante carnem, Deus in carne, Deus cum carne. Nec solum ante carnem Deus, sed ante terram Deus, unde facta est caro; nec tantum ante

[1] Sic edit. Er. cui consentiunt plures Mss. At Lov., *sed pretio sanguinis sui.* Duo Mss., *sed pretio sanguinis factis suis.*

[1] Novem Mss., *viderunt discipuli ascendentem Dominum.*

terram Deus, unde caro facta est, sed etiam ante cœlum Deus, quod prius factum est; ante diem Deus qui primus factus est; ante omnes Angelos Deus, ipse Christus Deus : quoniam in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 1-3). Ille est ante omnia, per quem facta sunt omnia. *Psallite* ergo *Deo nostro*, *psallite* (a).

9. [*vers.* 8.] *Quoniam rex omnis terræ Deus.* Quid enim? Et ante, non omnis terræ Deus? Nonne et cœli et terræ Deus, cum utique per illum facta sunt omnia? Quis posset dicere non esse Deum suum? Sed non omnes homines agnoverunt Deum suum; et ubi agnoscebatur, quasi ibi tantum Deus erat. Notus in Judæa Deus (*Psal.* LXXV, 2) : nondum filiis Core dicebatur, *Omnes gentes, plaudite manibus.* Ille enim Deus notus in Judæa, rex omnis terræ Deus est. Jam ab omnibus agnoscitur, quia impletum est quod dicit Isaias, *Ipse Deus tuus qui eruit te, universæ terræ Deus vocabitur* (*Isai.* LIV, 5). *Quoniam rex omnis terræ Deus : psallite intelligenter.* Docet nos et admonet nos ut psallamus intelligenter : non quæramus sonum auris, sed lumen cordis. *Psallite*, inquit, *intelligenter.* Gentes, unde vocati estis ut christiani essetis, adorabant deos manu factos, et psallebant illis; sed non intelligenter. Si intelligenter cantarent, lapides non adorarent. Quando homo sensatus cantabat lapidi insensato, numquid intelligenter cantabat? Modo autem, fratres, non videmus oculis quem adoramus, et tamen correcti [1] adoramus. Multo magis nobis Deus commendatur [2], quia eum oculis non videmus. Si eum oculis videremus, forte contemneremus. Nam et Christum Judæi visum contempserunt, non visum Gentes adoraverunt. Illis enim dictum est, *Psallite intelligenter.* Nolite esse sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus (*Psal.* XXXI, 9).

10. [*vers.* 9.] *Regnabit Dominus super omnes gentes.* Qui regnabat super unam gentem, *regnabit*, inquit, *super omnes gentes.* Quando dicebantur ista, super unam gentem regnabat Deus : prophetia erat, nondum res demonstrabatur. Deo gratias, jam videmus impleri quod ante prophetabatur. Chirographum Deus ante tempus scripsit nobis, impleto tempore reddidit nobis. *Regnabit Deus super omnes gentes*, promissio est. *Deus sedet super sedem sanctam suam.* Quod tunc futurum promittebatur, nunc impletum agnoscitur et tenetur. *Deus sedet super sedem sanctam suam.* Quæ sedes ejus sancta? Forsitan cœli; et bene intelligitur. Ascendit enim Christus, sicut novimus, cum corpore in quo crucifixus est, et sedet ad dexteram Patris (*Act.* I, 2) : inde eum venturum exspectamus ad judicandos vivos et mortuos (II *Tim.* IV). *Sedet super sedem sanctam suam.* Cœli sunt sedes sancta ejus? Vis et tu esse sedes ejus? Noli putare te esse non posse : para illi locum in corde tuo; venit, et libenter sedet. Ipse certe est Dei Virtus et Dei Sapientia (I *Cor.* I, 24). Et quid dicit Scriptura de ipsa Sapientia? Anima justi, sedes sapientiæ (*Sap.* VII). Si ergo anima justi sedes est sapientiæ; sit anima tua justa, et eris regalis sella sapientiæ. Et revera, fratres, omnes homines qui bene vivunt, qui bene agunt, secundum charitatem piam [1] conversantur, nonne Deus in illis sedet, et ipse jubet? Obtemperat anima sedenti in se Deo, et ipsa jubet membris. Anima enim tua jubet membro tuo, quo moveatur pes, quo manus, quo oculus, quo auris, et jubet ipsa membris tanquam famulis suis : sed et ipsa servit interius insidenti sibi Domino suo. Non potest inferiori se bene imperare, nisi superiori se non fuerit dedignata servire. *Deus sedet super sedem sanctam suam.*

11. [*vers.* 10.] *Principes populorum convenerunt cum Deo Abraham.* Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob (*Exod.* III, 6). Verum est, dixit hoc Deus, et superbierunt inde Judæi, et dixerunt : *Nos filii Abrahæ sumus.* Superbientes de nomine paterno, gerentes ejus carnem, non tenentes ejus fidem; semine adhærentes, moribus degenerantes. Denique Dominus quid ait eis ita superbientibus? *Si filii Abrahæ estis, facta Abrahæ facite* (*Joan.* VIII, 33, 39). Item quid dixit illis Joannes venientibus et contremiscentibus quibusdam ipsorum, qui se pœnitendo corrigere voluerunt? *Progenies viperarum.* Erant enim iniqui, erant perditi, erant peccatores, erant impii : venerunt ad baptismum Joannis : et quid eis dicit? *Progenies viperarum.* Illi se dicebant filios Abrahæ, et ipse illos dicebat filios viperarum. Numquid Abraham vipera erat? Sed quia male vivendo dæmones imitati erant, et eorum filii facti erant, quos imitando male vivebant : *Progenies*, inquit, *viperarum, quis vobis ostendit fugere ab ira ventura? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ : et nolite dicere apud vosmetipsos, Patrem habemus Abraham*, et quasi superbire de genere Abrahæ; *potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* III, 7-9). Non enim remansurus est Abraham sine filiis, si vos damnaverit Deus : potens est enim et damnare quos odit, et illi reddere quos promisit. Et unde illi redditurus est filios, si damnat Hebræos de carne ejus progenitos? *De lapidibus istis.* Ostendebat illis lapides in eremo. Qui erant lapides, nisi Gentes, quæ lapides adorabant? Lapides quare? Adorando lapides, dicti erant lapides : quia psalmus prædixerat, *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (*Psal.* CXIII, 8). Tamen de ipsis lapidibus reddidit filios Abrahæ : modo omnes qui lapides adorabamus, conversi ad Dominum filii Abrahæ facti sumus; non ducendo ab illo carnem, sed imitando fidem. *Principes* ergo *populorum convenerunt cum Deo Abraham. Principes populorum :* Gentium principes, non unius populi principes, sed principes populorum omnium, *convenerunt cum Deo Abraham.*

12. Ex ipsis principibus erat et iste Centurio, de quo modo Evangelium cum legeretur audistis. Erat

[1] Vatic. Ms., *corde recti.*
[2] Hic in Edd. additur, *potentior :* in aliquot Mss., *major :* neutrum vero est in melioris notæ libris.
(a) Omittitur altera pars ỳ. 7; *Psallite regi nostro, psallite.*

[1] Gallian. Ms., *secundum charitatem pie conversantur.*

enim Centurio habens honorem et potestatem inter homines, princeps erat de principibus populorum. Venienti ad se Christo obviam misit amicos suos, imo vere transituro Christo misit amicos; et rogavit ut curaret puerum ejus qui periculose infirmabatur : et cum vellet ipse Dominus venire, hoc ei mandavit, *Non sum dignus ut sub tectum meum intres, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites.* Videte quemadmodum tenuit ordinem : prius commemoravit quod sub alio esset, et postea quod alii sub illo essent. Sub potestate sum, et in potestate sum; et sub aliquo sum, et super aliquos sum. *Et dico huic, Vade, et vadit; et alii, Veni, et venit; et servo meo, Fac hoc, et facit.* Tanquam diceret, Si ego sub potestate constitutus jubeo illis qui sub me sunt, tu qui sub nullius potestate positus es, non potes jubere creaturæ tuæ, quando omnia per te facta sunt, et sine te factum est nihil? *Dic* ergo *verbo*, inquit, *et sanabitur puer meus. Nam ut in domum meam intres, non sum dignus.* Trepidavit Christum mittere intra parietes suos, et jam intus erat in corde ejus : jam erat anima ejus sedes illius, jam ibi sedebat ille qui humiles requirebat. *Conversus* denique *Christus, miratus est, et ait sequentibus se : Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel* (*Luc.* VII, 6-9). Et sicut alius evangelista eamdem rem narrat, sequitur Dominus, et dicit : *Ideo dico vobis, quia multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum.* Iste enim Centurio non erat de populo Israel. Nam in populo Israel superbi repellebant a se Deum : in principibus Gentium inventus est humilis, qui ad se invitaret Deum. Admirans Jesus fidem ipsius, reprobat perfidiam Judæorum. Sani enim sibi videbantur, cum periculosius ægrotarent, quando medicum non cognoscentes occidebant. Cum ergo reprobaret et repudiaret illorum superbiam, quid ait? *Ideo vobis dico, quia multi ab Oriente et Occidente venient*, non pertinentes ad cognationem Israel : venient multi quibus dixit, *Omnes gentes, plaudite manibus; et recumbent cum Abraham in regno cœlorum.* Non illos genuit carne sua Abraham; et venientes recumbent cum illo in regno cœlorum, et filii ipsius erunt. Quare filii ipsius? Non nati de carne, sed sequendo fidem ipsius. *Filii autem regni*, id est Judæi, *ibunt in tenebras exteriores : illic erit ploratio et stridor dentium* (*Matth.* VIII, 11, 12). Damnabuntur in tenebras exteriores qui nati sunt de carne Abrahæ, et recumbent cum eo in regno cœlorum qui imitati sunt fidem Abrahæ. Merito ergo et hic, *Principes populorum convenerunt cum Deo Abraham.*

13. Et quid illi qui pertinebant ad Deum Abraham? *Quoniam dii fortes terræ valde elevati sunt.* Qui erant dii, populus ille Dei, vitis illa Dei, de qua dicitur, *Judicate inter me et inter vineam meam* (*Isai.* V, 3), ibunt in tenebras exteriores, non recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob, non conveniunt cum Deo Abraham. Quare? *Quoniam dii fortes terræ.* Illi qui erant dii fortes terræ, præsumentes de terra. De qua terra? de seipsis : quia omnis homo terra. Homini enim dictum est : *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Debet autem homo de Deo præsumere, et inde sperare auxilium, non de se. Non enim terra pluit sibi, aut lucet sibi : quomodo autem terra de cœlo exspectat pluviam et lucem, sic homo de Deo debet exspectare misericordiam et veritatem. Illi ergo *dii fortes terræ valde elevati sunt*, id est, valde superbierunt : non sibi medicum necessarium putaverunt, et ideo in sua ægritudine remanserunt, et ipsa ægritudine ad mortem perducti sunt. Præcisi sunt rami naturales, ut humilis insereretur oleaster (*Rom.* XI, 17). *Quoniam dii fortes terræ valde elevati sunt.* Teneamus ergo, fratres, humilitatem, charitatem, pietatem; quia vocati [1] sumus illis reprobatis, vel illorum exemplo superbire timeamus.

IN PSALMUM XLVII
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Titulus Psalmi est, *Laus Cantici filiis Core, secunda sabbati.* De hoc quod Dominus donare dignatur, excipite tanquam filii firmamenti. Secunda enim sabbati, id est, post diem primum, quem Dominicum dicimus, quæ etiam secunda feria dicitur, factum est firmamentum cœli, imo firmamentum cœlum. Cœlum enim vocavit Deus firmamentum (*Gen.* I, 3-8). Primo autem die lucem fecerat, et a tenebris diviserat; et vocaverat lucem, diem, et tenebras, noctem. Sicut autem indicat psalmi hujus contextio, aliquid etiam prælocutus est Deus in illo opere suo, quod compleretur in nobis [2] : et secundum hujus creaturæ conditionem sæcula cucurrerunt. Non frustra enim Dominus ait de Moyse, *De me enim ille scripsit* (*Joan.* V, 46) : nisi quia omnia quæ scripta sunt, etiam cum Deus conderet creaturam, possunt interpretari ad significationem futurorum; ut intelligas Deum fecisse lucem, cum Christus a mortuis resurrexit. Tunc enim revera illa lux divisa est a tenebris, quando immortalitas a mortalitate discreta est. Quid ergo sequitur, nisi ut capiti etiam corpus fieret, quod est Ecclesia? Denique est etiam psalmus de prima sabbati, in quo apertissime resurrectio Domini declaratur : ibi enim dicitur, *Tollite portas, principes vestri* [3], *et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ* (*Psal.* XXIII, 7, 9). Quid evidentius quam Christum esse Regem gloriæ? de quo dictum est : *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II, 8). Secundam ergo sabbati non debemus intelligere nisi Ecclesiam Christi : sed Ecclesiam Christi in sanctis, Ecclesiam Christi in his qui scripti sunt in cœlo, Ecclesiam Christi in his qui mundi hujus tentationibus non cedunt. Ipsi enim digni sunt nomine firmamenti.

[1] Nonnulli edd., *qua*. Quidam, *qui*. Deinde loco, *vocati*, plerique habent, *revocati*; et sic Er., in qua editione post verbum, *timeamus*, additur, *admoniti*.

[2] Edd., *compleretur in nobis cum gaudio*. Abest, *cum gaudio*, a Mss.

[3] Edd., *principes vestras*. Nonnulli Mss., *principis vestri*. Consule Enarr. in ipsum Psal. 23.

Ergo Ecclesia Christi in his qui firmi sunt, de quibus dicit Apostolus, *Debemus autem nos firmi infirmitates infirmorum sustinere* (*Rom.* xv, 1), appellata est firmamentum. De hoc cantatur in Psalmo : audiamus, agnoscamus, sociemur, gloriemur, regnemus. Namque eam etiam firmamentum apostolicis Litteris appellatam audi, et agnosce : *Quæ est*, inquit, *Ecclesia Dei vivi*, *columna et firmamentum veritatis* (I *Tim.* III, 15). De hoc firmamento cantatur filiis Core, quos nostis esse filios sponsi crucifixi in Calvariæ loco. Core namque Calvitium interpretatur. Sequitur in hoc psalmo, qui inscribitur, *secunda sabbati*.

2. [*vers.* 2.] *Magnus Dominus*, *et laudabilis valde.* Ecce *magnus Dominus*, *et laudabilis valde :* sed numquid infideles laudant Dominum? Numquid etiam qui credunt et male vivunt laudant Dominum, per quos fit ut nomen Dei blasphemetur in Gentibus? numquid laudant Dominum (*Rom.* II, 24)? An vero si etiam laudent, acceptatur laus eorum, cum scriptum sit : *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* xv, 9)? Dixisti ergo, *Magnus Dominus*, *et laudabilis valde :* sed hic ubi. *In civitate Dei nostri*, *in monte sancto ejus*. De hoc alibi dicitur : *Quis ascendet in montem Domini? Innocens manibus et mundo corde* (*Psal.* XXIII, 3, 4). In his *magnus Dominus*, *et laudabilis valde :* hoc est, *in civitate Dei nostri*, *in monte sancto ejus*. Hæc est civitas in monte posita, quæ abscondi non potest : hæc est lucerna quæ sub modio non occultatur, omnibus nota, omnibus diffamata (*Matth.* v, 14, 15). Non autem universi cives ejus sunt, sed illi in quibus *magnus Dominus*, *et laudabilis valde*. Quæ est ergo ista civitas, videamus, ne forte quia dictum est, *In civitate Dei nostri*, *in monte sancto ejus*, debeamus quærere istum montem, ubi etiam exaudiri possimus. Non enim frustra dicitur in alio psalmo : *Voce mea ad Dominum clamavi*, *et exaudivit me de monte sancto suo* (*Psal.* III, 5). Adjuvit ergo te mons iste ut exaudireris. Nam si in eum non ascenderes, infra jacens clamare posses, sed exaudiri non posses. Quis est ergo iste mons, fratres? Magna cura inquirendus, magna sollicitudine investigandus; labore etiam occupandus et ascendendus. Sed si in aliqua parte terrarum est, quid faciemus? Peregrinabimur de terra nostra, ut ad illum montem pervenire possimus? Imo tunc peregrinamur, si in illo non sumus. Ipsa est enim civitas nostra, si membra regis sumus, qui caput est civitatis ipsius. Ubi est ergo iste mons? Si regionem aliquam tenuit, laborandum est, ut dixi, ut ad eum perveniatur. Sed quid satagis? Utinam non sis piger ascendere in montem, quomodo mons non fuit tardus venire ad dormientem. Fuit enim quidam lapis angularis contemptibilis, in quem Judæi offenderunt (*Rom.* IX, 32), præcisus de quodam monte sine manibus, hoc est de regno Judæorum veniens sine manibus, quia humanum opus non accessit ad Mariam, de qua natus Christus (*Matth.* I, 16). Sed si lapis iste ubi in eum offenderunt Judæi, ibi remaneret, tu quo ascenderes non haberes. Quid autem factum est? Quid dicit prophetia Danielis? Quid, nisi quia crevit lapis iste, et factus est mons magnus? Quam magnus? Ita ut impleret universam faciem terræ (*Dan.* II, 34, 35). Ergo crescendo mons iste et implendo universam faciem terræ, venit ad nos. Quid ergo montem quasi absentem quærimus, et non in præsentem jam ascendimus, ut sit in nobis *magnus Dominus*, *et laudabilis valde?*

3. [*vers.* 3.] Denique ne istum montem non agnosceres et in hoc psalmo, et in aliqua parte terrarum quærendum existimares, vide quid sequitur : cum dixisset, *In civitate Dei nostri*, *in monte sancto ejus*, quid addidit? *Dilatans exsultationes universæ terræ*, *montes Sion*. Sion unus mons est : quid ergo *montes?* An quia ad Sion pertinuerunt etiam qui de diverso venerunt, ut sibi occurrerent in lapidem angularem, et fierent illi duo parietes tanquam duo montes, unus ex circumcisione, alter ex præputio; unus ex Judæis, alter ex Gentibus : non jam adversi; etsi diversi [1], quia ex diverso, jam in angulo nec diversi? *Ipse est enim*, inquit, *pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). Ipse ille angularis *lapis*, *quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII, 22). Duos junxit in se mons montes. Una domus, et duæ domus : duæ propter ex diverso venientes, una propter lapidem angularem, in quo sibi ambæ copulantur. Audi et hoc, *Montes Sion; latera aquilonis civitas regis magni*. Intenderas enim tu Sion tanquam unum locum, ubi condita est Jerusalem, et in ea tibi non occurrebat, nisi populus ex circumcisione; qui quidem ex reliquiis a Christo collectus est, ex magna autem parte tanquam palea ventilatus. Etenim scriptum est, *Reliquiæ salvæ fient* (*Rom.* IX, 27). Sed attende et Gentes, vide et oleastrum inseri in pinguedinem olivæ (*Id.* XI, 17). Ecce Gentes, *Latera aquilonis :* adjuncta sunt latera aquilonis civitati regis magni. Contrarius solet esse aquilo Sion : Sion quippe in meridie, aquilo contra meridiem. Quis est iste aquilo, nisi qui dixit, *Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV, 13, 14)? Tenuerat regnum diabolus impiorum, et possederat Gentes servientes simulacris, adorantes dæmonia : et totum quidquid generis humani erat ubique per mundum, inhærendo illi aquilo factum erat. Sed quoniam ille qui alligat fortem, aufert ejus vasa, et facit vasa sua (*Matth.* XII 29), liberati homines ab infidelitate et superstitione dæmoniorum, credentes in Christum colliniati sunt illi civitati, occurrerunt in angulo illi parieti de circumcisione venienti, et facta est civitas regis magni quæ fuerant latera aquilonis. Ideo et in alia Scriptura dicitur : *Ab aquilone nubes coloris aurei; in his est magna gloria et honor Omnipotentis* (*Job*, XXXVII, 22). Magna enim gloria medici est, quando ex desperatione convalescit ægrotus. Ab aquilone nubes, et non nigræ nubes, non caliginosæ, non tetræ, sed coloris aurei. Unde nisi gratia illuminante [2]

[1] Sic aliquot Mss. Quidam vero alii : *non jam diversi; et si diversi*. At edd., *non jam adversi et diversi*.
[2] Er. Lov., *illuminatæ*. Am. et Mss., *illuminante*.

per Christum? Ecce, *Latera aquilonis, civitas regis magni.* Latera utique, quia inhæserant diabolo. Quicumque enim alicui cohærent, latera ipsius dicuntur. Nam et de aliquibus hominibus solemus ita loqui, Bonus homo est, sed mala latera habet: id est, ipse quidem probitate præstat, sed maligni sunt qui ei conjuncti sunt. Latera ergo aquilonis qui diabolo cohærebant: unde venit et iste filius, de quo modo audiebamus, quia mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. Proficiscendo enim in regionem longinquam, etiam ad aquilonem pervenerat, et ibi, sicut audistis, uni ex principibus regionis illius adhæserat. Factus est ergo latus aquilonis, adhærendo principi illius regionis: sed quia civitas regis magni et ex latere aquilonis colligitur [1], reversus ad se, dixit, Surgam, et ibo ad patrem meum. Et occurrit ei pater, qui dicit de illo, Mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. Vitulus ille saginatus, lapis angularis fuit. Denique et major filius qui epulari nolebat (*Luc.* xv, 11-32), exhortatus a patre ingressus est: et duo jam parietes, tanquam illi duo filii ad vitulum pervenientes, civitatem regis magni fecerunt.

4. [*vers.* 4.] Sequatur ergo iste psalmus, et dicat: *Deus in domibus ejus cognoscetur* [2]. Jam in domibus propter montes, propter duos parietes, propter duos filios. *Deus in domibus ejus cognoscetur.* Sed gratiam commendat, ideo addidit, *Cum suscipiet eam.* Nam quid esset ipsa civitas, nisi ille suscepisset eam? Nonne statim caderet, nisi tale fundamentum haberet? Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (I *Cor.* III, 11). Nemo ergo de suis meritis glorietur; sed qui gloriatur, in Domino glorietur (*Id.* I, 31). Quia tunc est illa magna civitas, tunc in ea cognoscitur Dominus, cum suscipiet eam: quomodo suscipit medicus ægrotum curandum, non sicut est amandum. Etenim febrem odit medicus. Non amat medicus ægrotum, et amat medicus ægrotum: si ægrotum amaret, semper ægrotum optaret; rursus si ægrotum non amaret, ad ægrotum non veniret: sed amat ægrotum, ut faciat sanum. Suscepit ergo hanc civitatem Dominus, et agnitus est in ea, id est, gratia ipsius cognita est in illa civitate; quia quidquid habet illa civitas quæ gloriatur in Domino, non habet de se. Propter hoc enim dicitur: *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (*Id.* IV, 7)? *Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam.*

5. [*vers.* 5-7.] *Quoniam ecce reges terræ collecti sunt.* Jam ecce illa latera aquilonis videte quomodo veniant, videte quomodo dicant, *Venite, ascendamus in montem Domini: annuntiavit enim nobis viam suam, ut ingrediamur in eam* (*Isai.* II, 3). *Ecce reges terræ collecti sunt, et convenerunt in unum.* In quem unum, nisi in lapidem illum angularem (*Ephes.* II, 20)? *Ipsi videntes ita admirati sunt.* Post admirationem miraculorum et gloriæ Christi, quid secutum est? *Conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.* Unde tremor apprehendit eos, nisi de conscientia delictorum? Currant ergo reges post regem, agnoscant reges regem. Inde alibi, *Ego autem,* inquit, *constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum Domini: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ; reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli conteres eos* (*Psal.* II, 6-9). Auditus est ergo rex constitutus in Sion, tradita est illi possessio usque ad terminos orbis terræ. Metuere debent reges, ne regnum perdant, ne illis auferatur regnum, sicut miser timuit Herodes, et pro parvulo occidit parvulos (*Matth.* II, 3, 16)? Timens autem regnum amittere, non meruit regem agnoscere. Utinam et ipse regem cum Magis adoraret! non male regnum quærendo, innocentes perderet, et nocens periret. Nam quod ad illum attinebat, perdidit innocentes: quantum autem ad Christum, etiam parvus pro se morientes parvulos coronavit. Ergo debuerunt timere reges quando dictum est: *Ego autem constitutus sum rex ab eo*, et hæreditatem usque ad fines terræ dabit mihi qui me constituit regem. Sed quid invidetis, reges? Videte, non invidete. Longe enim iste aliter rex qui dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII, 36). Nolite ergo timere ne vobis auferatur regnum mundi hujus: dabitur vobis regnum, sed cœlorum, ubi ille rex est. Ideo quid ibi sequitur? *Et nunc, reges, intelligite.* Jam invidere vos parabatis: *intelligite;* de alio rege dicitur, cujus regnum non est de hoc mundo. Merito ergo *collecti sunt reges in unum, conturbati sunt, tremor apprehendit eos.* Inde et illis hoc dicitur: *Et nunc, reges, intelligite, erudimini, omnes qui judicatis terram. Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 10, 11). Et quid fecerunt? *Ibi dolores ut parturientis.* Quid sunt *dolores ut parturientis*, nisi dolores pœnitentis? Vide ipsam conceptionem doloris et parturitionis: *A timore tuo,* inquit Isaias, *concepimus, et parturivimus Spiritum salutis* (*Isai.* XXVI, 18). Sic ergo conceperunt reges a timore Christi, ut parturiendo salutem parerent credendo in eum quem timuerunt. *Ibi dolores sicut parturientis.* Ubi parturientem audis, fetum exspecta. Parturit vetus homo, sed nascitur novus homo. *Ibi dolores ut parturientis.*

6. [*vers.* 8.] *In spiritu violento conteres* [1] *naves Tharsis.* Breviter intelligitur, evertes superbiam gentium. Sed unde ex hac historia dicitur eversio superbiæ gentium? Propter *naves Tharsis.* Tharsis civitatem quæsierunt docti, hoc est, quænam civitas hoc nomine significaretur: et aliquibus visum est Ciliciam dictam esse Tharsis, ex eo quod metropolis ejus Tharsus dicitur. De qua civitate erat etiam Paulus apostolus, natus in Tharso Ciliciæ (*Act.* XXI, 39). Aliqui autem eam Carthaginem intellexerunt: fortassis aliquando ita nominatam, aut aliqua locutione ita significatam.

[1] Aliquot Mss., *et latera Aquilonis colligit*, etc.
[2] Vetus codex Corb., *cognoscitur*: apud LXX, *ginôsketai.*

[1] Plerique Mss., *contereus*: et infra, *evertens.*

Namque apud prophetam Isaiam sic invenitur : *Ululate naves Carthaginis* (*Isai.* xxiii, 1, *sec.* LXX). Apud Ezechielem autem a diversis interpretibus, ab aliis Carthago, ab aliis Tharsis interpretata est (*Ezech.* xxvii, 13, *sec.* LXX); et hac diversitate interpretum potest intelligi hanc appellari Tharsum, quæ Carthago dicebatur. Manifestum est autem, quod primordia regni Carthaginis navibus floruerunt, et ita floruerunt, ut inter cæteras gentes excellerent negotiationibus et navigationibus. Nam quando Dido fugiens fratrem delapsa est ad terras Africæ, ubi Carthaginem condidit, naves quæ paratæ erant ad mercationem in ejus regione assumpserat ad fugam, consentientibus sibi regionis ejus principibus : et ipsæ naves etiam condita Carthagine ad negotiandum non defecerunt. Atque hinc nimium superba facta est civitas illa, ut digne per ejus naves intelligatur superbia gentium, præsumens in incertis tanquam in flatibus ventorum. Jam non præsumatur de velificatione, et quasi prosperitate sæculi hujus, tanquam maris : fundamentum nostrum in Sion sit; ibi stabiliri debemus, non perflari omni vento doctrinæ (*Ephes.* iv, 14). Quicumque ergo ex incertis hujus vitæ tumuerant, evertantur; et subjiciatur Christo omnis superbia gentium, *conterenti in spiritu violento naves Tharsis :* non cujuscumque civitatis, sed *Tharsis.* Quomodo *in spiritu violento ?* Timore fortissimo. Sic enim eum tremuit omnis superbia judicaturum, ut in humilem crederet, ne excelsum expavesceret.

7. [*vers.* 9.] *Sicut audivimus, ita et vidimus.* O beata Ecclesia ! quodam tempore audisti, quodam tempore vidisti. Audivit in promissionibus, videt in exhibitionibus : audivit in prophetia, videt in Evangelio. Omnia enim quæ modo complentur, antea prophetata sunt. Erige oculos ergo, et diffunde per mundum; vide jam hæreditatem usque ad terminos orbis terræ : vide jam impleri quod dictum est, *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient illi* (*Psal.* lxxi, 11). Vide impletum esse quod dictum est, *Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua* (*Psal.* cvii, 6). Vide illum cujus pedes et manus fixi sunt clavis, cujus ossa in ligno pendentia numerata sunt, super cujus vestimentum sors missa est (*Matth.* xxvii, 35) : vide regnantem, quem illi viderunt pendentem : vide in cœlo sedentem, quem contempserunt in terra ambulantem. Vide inde impleri, *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium* (*Psal.* xxi, 28). Hæc videns exclama cum gaudio, *Sicut audivimus, ita et vidimus.* Merito sic vocatur ipsa Ecclesia de gentibus : *Audi filia, et vide, et obliviscere populum tuum et domum patris tui* (*Psal.* xliv, 11). Pater tuus Aquilo fuit, veni ad montem Sion. Audi, et vide : non vide, et audi; sed audi, et vide : prius audi, postea vide. Audis primo quod non vides, videbis postea quod audisti. *Populus*, inquit, *quem non cognovi, servivit mihi, in obauditu auris obaudivit mihi* (*Psal.* xvii, 45). Si in obaubitu auris obaudivit, ergo non vidit. Et ubi est, *Quibus non est nuntiatum de eo, videbunt ; et qui non audierunt, intelligent* (*Isai.* lii, 15) ? Ad quos non missi sunt Prophetæ, ipsi primo audierunt et intellexerunt Prophetas : illi qui primo non audierunt, postea audientes admirati sunt. Remanserunt illi ad quos missi sunt, codices ferentes, veritatem non intelligentes; Testamenti tabulas habentes, et hæreditatem non tenentes. Sed nos *sicut audivimus, ita et vidimus. In civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.* Ibi audivimus, ibi et vidimus. Extra illam qui est, nec audit, nec videt; in illa qui est, nec surdus nec cæcus est. *Sicut audivimus, ita et vidimus.* Et ubi audis? ubi vides? *In civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri. Deus fundavit eam in æternum.* Non insultent hæretici per partes conscissi : non se extollant qui dicunt, *Ecce hic est Christus, ecce illic* (*Matth.* xxiv, 23). Qui dicit, *Ecce hic est, ecce illic*, ad partes inducit. Unitatem promisit Deus : reges in unum collecti sunt, non per schismata dissipati sunt. Sed forte ista civitas quæ mundum tenuit, aliquando evertetur. Absit : *Deus fundavit eam in æternum.* Si ergo eam Deus fundavit in æternum, quid times ne cadat firmamentum?

8. [*vers.* 10.] *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio populi tui* [1]. Qui susceperunt, et ubi susceperunt? Nonne ipse populus tuus suscepit misericordiam tuam? Si populus tuus suscepit misericordiam tuam, quomodo *suscepimus misericordiam tuam, et in medio populi tui ?* quasi alii sint qui susceperunt, alii in quorum medio susceperunt. Magnum sacramentum, sed tamen notum : cum et hinc, hoc est, ex his versibus exsculptum fuerit et erutum quod nostis, non erit rudius, sed dulcius. Nunc quippe populus Dei censentur omnes qui portant sacramenta ejus, sed non omnes pertinent ad misericordiam ejus. Omnes quippe sacramentum Baptismi Christi accipientes, Christiani vocantur; sed non omnes digne illo sacramento vivunt. Sunt enim quidam de quibus dicit Apostolus : *Habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (II *Tim.* iii, 5). Tamen propter ipsam speciem pietatis in populo Dei nominantur : quomodo ad aream, quamdiu trituratur, non solum grana, sed etiam palea pertinet. Numquid et ad horreum pertinebit? In hoc medio autem populi mali est populus bonus, qui suscepit misericordiam Dei. Vivit digne misericordia Dei, qui audit et tenet et facit quod ait Apostolus : *Præcipientes ergo rogamus, ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis* (II *Cor.* vi, 1). Qui ergo non in vacuum gratiam Dei suscipit, ipse tam sacramentum quam etiam misericordiam Dei suscipit. Et quid illi obest, quia in medio populi inobedientis est, donec area ista ventiletur, donec boni a malis separentur? quid ei obest in medio populi habitare? Sit de illis qui appellantur firmamentum, suscipiens misericordiam Dei; sit lilium in medio spinarum. Nam et ipsæ spinæ quoniam ad populum Dei pertinent, vis audire? Ita posita est ipsa similitudo : *Sicut lilium*, inquit, *in medio spinarum*,

[1] Er. et recentiores Mss., *templi tui.* Sed liquet Augustinum legisse, *populi tui.* Sic apud LXX *laou sou* legebant veteres quidam, loco *naou sou.*

ita proxima mea in medio filiarum (*Cant.* II, 2). Numquid dixit, in medio alienarum? Non; sed, *in medio filiarum*. Sunt ergo filiæ malæ, et inter illas est *lilium in medio spinarum*. Itaque illi qui sacramenta habent, et mores bonos non habent, et Dei dicuntur et non Dei; et ejus dicuntur et alieni : ejus, propter ipsius sacramentum; alieni, propter proprium vitium. Ita et filiæ alienæ : filiæ, propter formam pietatis; alienæ, propter amissionem virtutis. Sit ibi lilium, suscipiat misericordiam Dei, teneat radicem boni floris, non sit ingratum pluviæ dulci de cœlo venienti. Ingratæ sint spinæ, crescant de imbribus; ad ignem crescunt, non ad horreum. *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio populi tui*. In medio populi tui non suscipientis misericordiam tuam nos suscepimus misericordiam tuam. In sua enim propria venit, et sui eum non receperunt. In medio tamen eorum quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 11, 12).

9. Jam hic occurrit unicuique cogitanti, Et quid? Iste populus qui in medio populi Dei suscipit misericordiam Dei, quantum numerum habet? Quam pauci sunt! vix invenitur aliquis : illisne contentus Deus erit, et perdet tantam multitudinem? Dicunt hoc qui sibi promittunt quod a Deo promittente non audierunt. Et vere si male vivamus, si mundi hujus deliciis perfruamur, si nostris libidinibus serviamus, perditurus est nos Deus? Quot enim sunt illi qui videntur servare præcepta Dei? Vix invenitur unus vel duo vel paucissimi : ipsos solos Deus liberaturus est, et cæteros damnaturus? Absit, inquiunt : cum venerit et videbit tantam multitudinem ad sinistram, miserebitur, et dabit indulgentiam. Hoc plane etiam serpens ille promisit primo homini : nam minatus erat Deus mortem, si gustaret (*Gen.* II, 17) : ille autem, *Absit*, inquit, *non morte moriemini*. Crediderunt serpenti, invenerunt verum esse quod minatus est Deus, falsum quod promiserat diabolus. Ita et nunc, fratres, ponite vobis Ecclesiam ante oculos ad instar similitudinemque paradisi : non cessat serpens suggerere quod tunc suggessit. Sed casus primi hominis ad experimentum cavendi debet nobis valere, non ad imitationem peccandi. Ideo ille cecidit, ut nos surgamus. Respondeamus talibus suggestionibus quod respondit Job. Nam et ipsum per feminam tamquam per Evam tentavit, et vicit in stercore (*Job* II, 8-10), victus in paradiso. Ergo non audiamus tales voces, nec putemus paucos esse istos : multi sunt, sed inter plures latent. Non possumus enim negare plures esse malos, et tam plures, ut inter eos prorsus boni non appareant, quomodo non apparent grana in area. Nam quisquis aream videt, potest putare quod palea sola sit. Da hominem inexpertum, et putat inaniter fieri quod boves mittuntur, quod ibi homines sub æstu desudant ut conterant paleam; sed ibi est et massa ventilatione purganda. Tunc procedet copia frumenti, quæ latebat in copia palearum. Et modo vis invenire bonos? Esto [1], et invenies.

[1] Ita quinque Mss. At edd., *Et modo vis invenire? Bonus esto.*

10. [*vers.* 11.] Contra istam ergo desperationem vide quid sequatur in psalmo isto. Quoniam cum dixisset, *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio populi tui*, significavit esse populum non suscipientem misericordiam Dei, in cujus medio quidam suscipiant misericordiam Dei : et ne occurreret hominibus, tam paucos esse, ut prope nulli sint; quomodo consolatus est consequentibus verbis? *Secundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ*. Quid est hoc? *Magnus Dominus et laudabilis valde, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus;* nec potest esse laus ejus, nisi in sanctis ejus. Nam qui male vivunt, non eum laudant; sed etsi prædicant lingua, blasphemant vita. Quia ergo laus ejus non est nisi in sanctis ejus, non sibi dicant hæretici : In nobis remansit laus ejus, quia pauci sumus, et a turba separati; nos juste vivimus, nos laudamus Deum, non solum loquendo, verum etiam conversando. Respondetur eis ex hoc psalmo : Quid vos dicitis in parte laudare Deum, cui dictum est, *Secundum nomen tuum Deus, ita et laus tua in fines terræ?* Id est, quomodo notus es per omnes terras, sic et laudaris per omnes terras; nec desunt qui te nunc laudant per omnes terras. Illi autem laudant, qui bene vivunt. *Secundum enim nomen tuum, Deus, ita et laus tua*, non in parte, sed *in fines terræ. Justitia plena est dextera tua :* id est, multi sunt et illi qui stabunt ad dexteram. Non solum illi multi erunt qui stabunt ad sinistram, sed et ibi erit plenitudo massæ ad dexteram constitutæ : *Justitia plena est dextera tua.*

11. [*vers.* 12.] *Lætetur mons Sion, et exsultent filiæ Judææ* [1], *propter judicia tua, Domine.* O mons Sion, o filiæ Judææ, laboratis modo inter zizania, inter paleas, inter spinas laboratis; sed exsultate propter judicia Dei. Non errat Deus in judicando. Discretæ vivite, etsi concretæ natæ estis, non frustra vox exiit de ore et de corde vestro : *Ne comperdas cum impiis animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam* (*Psal.* XXV, 9). Ille ventilabit tantus artifex, in manu ventilabrum portabit, ut unum granum tritici non cadat in acervum paleæ comburendum, nec una arista paleæ transeat ad massam in horreo recondendam (*Matth.* III, 12). Exsultate, filiæ Judææ, propter judicia Dei non errantis; et nolite modo temere judicare. Ad vos pertineat colligere, ad illum pertineat separare. *Lætetur mons Sion, et exsultent filiæ Judææ, propter judicia tua, Domine.* Ne autem putetis filias Judææ Judæos esse. Juda Confessio est. Omnes filii confessionis, filii Judææ sunt : quia, *Salus ex Judæis*, nihil est aliud quam Christus ex Judæis (*Joan.* IV, 22). Hoc ait et Apostolus : *Non enim qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio; sed qui in abscondito Judæus est, et circumcisio cordis, in spiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo* (*Rom.* II, 28, 29). Talis Judæus esto : gloriare de circumcisione cordis, etsi non habes circumcisionem carnis. *Exsultent filiæ Judææ, propter judicia tua, Domine.*

[1] Sic hoc in loco, et infra in hoc eodem n. 11, cum melioribus Mss. et LXX, legendum est. [*Judæ*]

12. [vers. 13.] *Circumdate Sion, et complectimini eam.* Dicatur eis qui male vivunt, in quorum medio est populus ille qui suscepit misericordiam Dei: In medio vestrum est populus bene vivens, *Circumdate Sion.* Sed quomodo? *Complectimini eam.* Nolite scandalis circumdare, sed charitate circumdate; ut qui bene vivunt in medio vestrum, eos imitemini, et eorum imitatione Christo, cujus membra sunt, incorporemini [1]. *Circumdate Sion, et complectimini eam. Narrate in turribus ejus.* In altitudine munitionum ejus prædicate laudes ejus.

13. [vers. 14.] *Ponite corda vestra in virtute ejus.* Non ut habentis formam pietatis, virtutem ejus abnegetis (II *Tim.* III, 5); sed *in virtute ejus ponite corda vestra.* Quæ est virtus civitatis hujus? Qui vult intelligere virtutem hujus civitatis, intelligat vim charitatis. Ipsa est virtus quam nemo vincit. Hujus ignem nulli fluctus sæculi, nulla flumina tentationis exstinguunt. De hac dictum est, *Valida est sicut mors dilectio* (*Cant.* VIII, 6). Quomodo enim mors quando venit, resisti ei non potest, quibuslibet artibus, quibuslibet medicamentis occurras; violentiam mortis vitare non potest, qui mortalis natus est: sic contra violentiam charitatis mundus nil potest. A contrario enim similitudo data est de morte; quomodo enim mors ad auferendum violentissima est, sic charitas violentissima est ad salvandum. Per charitatem enim multi mortui sunt sæculo, ut viverent Deo. Hac charitate accensi martyres, non simulati, non vana gloria ventilati, non tales de quibus dictum est, *Si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII, 3), sed tales quos vere Christi et veritatis charitas perduceret ad passionem; quid eis fecerunt tentationes sævientium? Majorem violentiam habuerunt oculi flentium suorum, quam persecutiones insectantium. Quam multos enim tenebant filii ne paterentur! quam multorum genibus provolvebantur uxores, ne viduæ relinquerentur! quam multos parentes filii prohibebant mori, sicut novimus et legimus in passione beatæ Perpetuæ! Facta sunt ista. Sed lacrymæ quantælibet et quantolibet impetu fluerent, quando ardorem charitatis exstinguerent? Hæc est virtus Sion, cui et alibi dicitur: *Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis* (*Psal.* CXXI, 7). *Annuntiate in turribus ejus, Ponite corda vestra in virtute ejus, et distribuite domos ejus.*

14. Quid hic intelligimus, *Ponite corda vestra in virtute ejus, et distribuite domos ejus?* Id est, distinguite domum a domo, nolite confundere. Domus est enim formam pietatis habens, et pietatem non habens: est autem domus et formam et pietatem habens. *Distribuite,* nolite confundere. Tunc autem distribuitis et non confunditis, quando corda vestra in virtute ejus ponitis, id est, cum facti fueritis per charitatem spirituales. Tunc temere non judicabitis; tunc videbitis nihil obesse bonis malos, quamdiu sumus in hac area: *Distribuite domos ejus.* Potest et alius esse intellectus. Domos illas duas, unam ex circumcisione, alteram ex præputio venientem, Apostolis dictum est ut distribuerent. Cum enim vocatus esset Saulus, et factus apostolus Paulus, conveniens in unitatem coapostolorum suorum, sic cum eis habuit placitum, ut illi irent in circumcisionem, iste in præputium (*Gal.* II, 9). Ista dispensatione apostolatus sui distribuerunt domos civitatis magni regis, et concordantes in angulo, Evangelium dispensatione diviserunt, charitate junxerunt. Et revera hoc magis intelligendum est. Nam sequitur, et ostendit quod hoc prædicatoribus dictum sit, *Et distribuite domos ejus: ut enarretis in progenie altera,* id est, ut etiam ad nos post futuros illorum Evangelii dispensatio perveniret. Non enim illis tantum laboraverunt, cum quibus in hac terra vixerunt; nec Dominus illis tantum Apostolis, quibus se vivum etiam post resurrectionem dignatus est ostendere, sed et nobis. Nam illis loquebatur, et nos significabat, cum diceret: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Numquid illi hic futuri erant usque in consummationem sæculi? Item dicit: *Non pro his rogo tantum, sed pro his qui credituri sunt per verbum illorum in me* (*Joan.* XVII, 20). Ergo attendit nos, quia passus est propter nos. Merito itaque dicitur, *Ut enarretis in progenie altera.*

15. [vers. 15.] Quid enarretis? *Quoniam hic est Deus, Deus noster.* Terra videbatur, terræ conditor non videbatur: caro tenebatur, sed Deus in carne non agnoscebatur. Tenebatur caro ab eis ex quibus fuerat sumpta ipsa caro, ex semine Abrahæ enim virgo Maria: ad carnem remanserunt, divinitatem non intellexerunt. O Apostoli, o civitas magna! in turribus tu prædica, et dic, *Hic est Deus, Deus noster.* Sic, sic quomodo contemptus est, quomodo lapis ante pedes jacuit offendentium, ut humiliaret corda confitentium; sic *hic est Deus noster.* Certe visus est, sicut dictum est: *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*Baruch* III, 38). *Hic est Deus noster.* Et homo est, et quis est qui cognoscet eum? *Quoniam hic est Deus noster.* Sed forte ad tempus, quomodo dii falsi. Quia enim vocari possunt dii, esse autem non possunt, ad tempus vel vocantur. Nam quid eis dicit propheta, vel quid monet ut eis dicatur? Hæc eis dicetis: Quid? *Dii qui cœlum et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cœlo sunt* (*Jerem.* X, 11). Non est iste talis Deus, quoniam Deus noster super omnes deos. Super quos omnes deos? *Quoniam omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit* (*Psal.* XCV, 5). Ipse est ergo Deus noster, *hic est Deus noster.* Quousque? *In æternum et in sæculum sæculi; ipse reget nos in sæcula.* Si Deus noster est, et rex noster est; protegit nos, quia Deus est, ne moriamur; regit nos, quia rex est, ne cadamus. Regendo autem nos non frangit nos; nam quos non regit, frangit. *Reges eos,* inquit, *in virga ferrea, et tanquam vas figuli conteres eos* (*Psal.* II, 9). Sed sunt quos non regit: ipsis non parcit, tanquam vas figuli conterens eos. Ab illo ergo optemus regi et liberari:

[1] Ita plerique Mss. Edd. vero: *Christum cujus membra sunt, in corpore complectimini.*

quia *hic est Deus noster in æternum, et in sæculum sæculi; et ipse reget nos in sæcula.*

IN PSALMUM XLVIII
ENARRATIO.
SERMO I.
De prima parte Psalmi.

1. Omnia divina eloquia salubria sunt bene intelligentibus; periculosa vero his qui ea volunt ad sui cordis perversitatem detorquere, potius quam suum cor ad eorum rectitudinem corrigere. Hæc est enim in hominibus magna et usitata perversitas; quia cum debeant vivere ipsi secundum voluntatem Dei, Deum volunt vivere secundum voluntatem suam : et cum ipsi nolunt corrigi, illum volunt depravari; rectum non arbitrantes quod ille vult, sed quod ipsi volunt. Solemus autem audire homines murmurantes adversus Deum, quod malis in hac vita bene sit et laborent boni : quasi ille perversus sit, et nesciat quid agat, aut omnino averterit oculos a rebus humanis; vel securitatem suam perturbari nolit, ut hæc non attendat, quia cum labore ista Deus aut videat aut corrigat. Murmurant ergo homines, qui propterea volunt Deum colere ut hic illis bene sit, quando viderint eos qui Deum non colunt pollere atque florere felicitate terrena; se autem colentes Deum laborare in angustiis, in necessitatibus, in ærumna, cæterisque difficultatibus mortalitatis humanæ. Contra istam vocem et contra has blasphemias murmurantium, incantat semper sermo divinus, curans a morsu serpentis. Venenati enim cordis est ista sanies, eructans in Deum putorem blasphemiæ, et quod pejus est manus curantis repellens, morsum serpentis non repellens. Hoc dixi, repellit a se cor hominis verbi Dei severitatem, et admittit ad se male suadentis serpentis blanditias. Contra hos ergo cantat sermo divinus, et jam in isto psalmo loquitur nobis. Ad quem psalmum [1] intentam ego facerem Sanctitatem Vestram, nisi ipse nos faceret omnes intentos; nec nos solos, sed totum orbem terrarum. Audite enim quemadmodum cœpit.

2. [*vers.* 2.] *Audite hæc omnes gentes.* Non ergo vos soli qui hic estis. Nam vox nostra quanta est, ut sic clamemus, ut audiant omnes gentes? Clamavit enim per Apostolos Dominus noster Jesus Christus, clamavit tot linguis quas misit [2]; et videmus hunc psalmum qui ante non recitabatur nisi in una gente, in synagoga Judæorum, recitari per totum orbem terrarum, per omnes Ecclesias, impletumque esse quod hic dictum est, *Audite hæc omnes gentes.* Ad hoc solum volo intentos facere animos vestros, ne propter laborem corporalem non erigatis animum, terrente vos longitudine psalmi hujus. Si potuerit, finietur hodie : si non, restabit nobis aliquid in crastinum diem; tamen vos semper intenti estote. Tantum enim audietis, si Dominus voluerit, quantum vos non gravet, sed relevet. *Audite hæc, omnes gentes :* unde estis et vos. *Auribus percipite, omnes qui habitatis orbem.* Hoc iterum videtur repetisse, quasi parum fuerit quod dixit, *Audite.* Quod dico, inquit, *audite, auribus percipite*, hoc est, nolite transeunter audire. Quid est, *auribus percipite?* Quod Dominus dicebat, *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XI, 25) : cum omnes qui in conspectu ejus erant, utique haberent aures; quas ille aures quærebat nisi cordis, cum diceret, *Qui habet aures audiendi, audiat?* Has et iste psalmus aures pulsat. *Auribus percipite, omnes qui habitatis orbem.* Forte et hic est aliqua distinctio. Non quidem nos coarctare debemus, sed nihil mali est etiam istam explicare sententiam. Forte aliquid distat inter id quod dixit, *omnes gentes*, et quod dixit, *omnes qui habitatis orbem.* Significantius enim fortasse voluit nos intelligere quod dixit, *inhabitatis*, ut gentes intelligamus omnes iniquos, habitatores autem orbis omnes, justos. Ille enim habitat qui non tenetur : nam qui tenetur, habitatur, non habitat. Quomodo ille possidet quæcumque habet, qui dominus est rerum suarum; dominus autem est, qui non est irretitus cupiditate : qui autem cupiditate tenetur, possessus est, non possessor. Habemus enim quoddam verbum habitatione signatum in Scriptura Dei, ubi ait, *Elegi abjici in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* (*Psal.* LXXXIII, 11). Quid enim, si abjiceris in domo Domini, non ibi habitas? Noluit significare habitationem, nisi in eis qui regunt, et tenent, et dominantur, et gubernant : qui autem continentur, non quasi habitant, sed subjecti sunt. Ita autem dixit : Subditus volo esse in domo Dei, magis quam regnare in tabernaculis peccatorum. Itaque si est aliqua distinctio inter *omnes gentes*, et *habitatores orbis*, sicut est distinctio inter *audite*, et *auribus percipite*, hoc quidem videtur repetisse; sed tamen aliud est, quod sane voluit significare; quia ista eloquia audituri erant non solum peccatores et impii, sed et justi. Permixte modo audiunt omnes : sed cum ventum fuerit ad reddendam rationem, separabuntur qui sine causa audierunt, ab illis qui auribus perceperunt. Audiant ergo et peccatores : *Audite hæc, omnes gentes.* Audiant et justi, qui non sine causa audierunt, et regunt potius terram, quam reguntur a terra : *Auribus percipite, omnes qui habitatis orbem.*

3. [*vers.* 3.] Et iterum dicit : *Quique terrigenæ et filii hominum.* Quod ait, *terrigenæ*, ad peccatores retulit; quod ait, *filii hominum*, ad fideles et justos. Videtis ergo, quia servatur ista distinctio. Qui sunt ergo *terrigenæ?* Filii terræ. Qui sunt filii terræ? Qui hæreditates terrenas requirunt. Qui sunt *filii hominum?* Qui pertinent ad filium hominis. Aliquando jam ista distinximus Sanctitati Vestræ, et invenimus quia Adam homo erat, filius hominis non erat; Christus autem filius hominis erat, et Deus erat (a). Qui-

[1] Edd., *quomodo intentam ego facerem.* Abest *quomodo*, a Mss.

[2] Sic Er. et Mss. præter Vatic. et Reg. qui habent, *quot misit.* At Lov., *in quas misit* : minus bene.

(a) In Enar. Psal. VIII, n. 10.

cumque enim pertinent ad Adam, *terrigenæ:* quicumque pertinent ad Christum, *filii hominum*. Omnes tamen audiant, ego nulli subtraho sermonem meum. Terrigena est, audiat propter judicium; filius hominis est, audiat propter regnum. *Simul in unum dives et pauper*. Iterum ipsa sunt repetita. Quod ait *dives*, ad terrigenas pertinet; quod ait, *pauper*, ad filios hominum. Divites intellige superbos, pauperes humiles. Habeat multas facultates pecuniarum; si in eis non extollitur, pauper est: non habeat aliquid, et cupiat et infletur; inter divites et reprobos eum deputat Deus. Et divites et pauperes in corde interrogat Deus, non in arca [1] et domo. Nonne pauperes sunt qui accipiunt mandatum Apostoli dicentis Timotheo: *Præcipe divitibus hujus sæculi non superbe sapere?* Quomodo eos qui divites erant fecit pauperes? Tulit illis quare quæruntur divitiæ. Nemo enim vult esse dives, nisi ut infletur inter eos inter quos vivit, et superior illis videatur. Cum autem dixit, *non superbe sapere*, æquales eos fecit non habentibus; ut fortassis pauculis nummis mendicus plus extollatur, quam ille dives qui audit Apostolum dicentem: *Præcipe divitibus hujus sæculi non superbe sapere*. Unde *non superbe sapere?* Si faciant quod sequitur, *Neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum* (I *Tim*. VI, 17). Non dixit, qui præstat illis; sed, *qui præstat nobis*. Numquid ipse Paulus non habebat divitias? Habebat plane. Quas divitias? De quibus dicit alio loco Scriptura: *Fideli homini mundus totus divitiarum est* (*Prov*. XVII, 6, sec. LXX). Audi et ipsum confitentem: *Quasi nihil habentes, et omnia possidentes* (II *Cor*. VI, 10). Qui vult ergo esse dives, non hæreat parti, et totum possidebit: illi inhæreat qui totum creavit. *Simul in unum dives et pauper*. Dicit in alio psalmo; *Edent pauperes, et saturabuntur*. Quomodo commendavit pauperes? *Edent pauperes, et saturabuntur*. Quid edunt? Quod sciunt fideles. Quomodo saturabuntur? Imitando passionem Domini sui, et non sine causa accipiendo pretium suum. *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum*. Divites quid? Etiam ipsi edunt. Sed quomodo edunt? *Manducaverunt et adoraverunt omnes divites terræ* (*Psal*. XXI, 27, 30). Non dixit, Manducaverunt, et saturati sunt; sed, *Manducaverunt, et adoraverunt*. Adorant quidem Deum, sed humanitatem nolunt exhibere fraternam. Manducant illi, et adorant; manducant isti, et saturantur: tamen omnes manducant. Exigitur de manducante quod manducat; non prohibeatur manducare a dispensatore, sed moneatur timere exactorem. Audiant ergo ista peccatores et justi, gentes et qui habitant orbem, *terrigenæ et filii hominum, simul in unum dives et pauper:* non divisi, non separati. Tempus messis hoc faciet, manus ventilatoris hoc poterit (*Matth*. III, 12). Nunc simul in unum audiant dives et pauper, simul in unum pascantur hædi et agni, donec veniat qui segreget alios ad dexteram, alios ad sinistram (*Id*. XXV, 32, 33). Simul in unum audiant docentem, ne segregati ab invicem audiant judicantem.

4. [*vers*. 4.] Et quid est quod nunc audituri sunt? *Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei, intelligentiam*. Et hæc repetita potius, ne forte cum dixisset, *os meum*, intelligeres eum tibi loqui, qui in labiis haberet sapientiam. Multi enim habent in labiis et non habent in corde, de quibus dicit Scriptura: *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isai*. XXIX, 13). Quid ergo ait ille qui tibi loquitur? qui cum dixerit, *Os meum loquetur sapientiam;* ut intelligas quia illud quod ex ore funditur, de vena cordis emanat, intulit, *Et meditatio cordis mei intelligentiam*.

5. [*vers*. 5.] *Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam*. Quis est hic cujus meditatio cordis loquitur intelligentiam, ut non sit in sola superficie labiorum, sed hominis interiora possideat? Quis est iste qui audit, et sic loquitur? Multi enim loquuntur quod non audiunt? Qui sunt qui loquuntur quod non audiunt? Qui non faciunt quæ dicunt: quales dicit Dominus Pharisæos sedere super cathedram Moysi. Voluit tibi loqui in cathedra Moysi, per eos qui ea loquuntur, et non faciunt; et tibi securitatem Dominus voluit dare. Nolite timere, *Quæ dicunt*, inquit, *facite, quæ autem faciunt nolite facere; dicunt enim, et non faciunt* (*Matth*. XXIII, 2, 3). Non audiunt quod dicunt. Qui vero faciunt, et sic dicunt, audiunt quod dicunt: et ideo fructuose dicunt, quia audiunt. Qui ergo dictor et non auditor est, alteri prodest, sibi non prodest. Iste ergo qui et auditor volebat esse et dictor, qui tibi loquitur, antequam diceret, *Aperiam in psalterio propositionem meam*, quod est jam loqui per corpus, sic enim utitur anima corpore, quomodo utitur citharista psalterio, dixit, *Inclinabo in parabolam aurem meam*. Antequam loquar tibi, inquit, per corpus, antequam psalterium sonet, primo ego *inclinabo in parabolam aurem meam*, id est, audiam quid tibi dicam. Et quare, *in parabolam?* Quia *videmus nunc per speculum in ænigmate* (I *Cor*. XIII, 12), sicut dicit Apostolus. *Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino* (II *Cor*. V, 6). Quia nondum est illa visio nostra facie ad faciem, ubi jam non sint parabolæ, ubi jam non sint ænigmata et similitudines. Quidquid modo intelligimus, per ænigmata conspicimus. Ænigma est obscura parabola quæ difficile intelligitur. Quantumvis excolat homo cor suum, et ad interiora intelligenda refugiat, quamdiu per corruptibilitatem carnis hujus videmus, ex parte videmus. Assumpta autem incorruptione in resurrectione mortuorum, cum apparuerit Filius hominis judicaturus vivos et mortuos, tunc videbitur Filius hominis, qui primo judicatus est, judicans, discernens malos a bonis, ponens malos a sinistris, bonos a dextris. Videbunt illum et boni et mali, sed malis dicet, *Ite in ignem æternum:* bonis autem dicet, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Abibunt mali in ambustionem æternam, justi autem in vitam æternam* (*Matth*. XXV, 33, 34, 41, 46); et ibi erit illa visio facie ad faciem, qua illi non sunt digni. Attendite quid dicam. Filium enim hominis sicut hic cum esset adhuc judi-

[1] Er. et plerique Mss., *in arca*. Vatic. codex, *in horreo*.

candus, et mali viderunt, et boni; viderunt enim Apostoli qui secuti sunt, viderunt Judæi qui crucifixerunt; sic cum venerit judicaturus, et boni illum videbunt et mali: boni, ut percipiant mercedem, quia secuti sunt; mali, ut percipiant pœnam, quia crucifixerunt. Soli ergo illi damnabuntur, qui crucifixerunt? Audeo dicere, soli. Ergo nos, inquiunt peccatores hujus temporis, securi sumus. Si non animum interrogat Deus, securi estis. Quid est quod dixi? Intelligat Charitas Vestra, ne hoc dicant in judicio Dei, quia non intellexerunt. Judæi quia viderunt Christum, crucifixerunt; tu quia non vides Christum, verbo ipsius resistis. Qui verbo resistis, carnem non crucifigeres si videres? Contempsit Judæus in ligno pendentem, contemnis tu in cœlo sedentem. Ergo viderunt eum ambo genera, dum hic esset: ambo genera videbunt, et cum venerit. Filius enim hominis veniet ut judicet; quia Filius hominis venit ut judicaretur. Ideo quia Pater non est incarnatus, Pater non est passus, et per Filium hominis judicat, sicut ipse dixit in Evangelio, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio*: secutus paulo post ait, *Et dedit ei potestatem judicii faciendi, quoniam Filius hominis est* (*Joan.* v, 22, 27). Secundum enim quod Filius Dei est, Verbum semper cum Patre; et quia semper cum Patre, cum Patre semper judicat: secundum autem quod Filius hominis est, et judicatus est, et judicaturus est. Quomodo autem visus est ab eis qui crediderunt, et ab eis qui crucifixerunt, quando judicatus est; sic videbitur, cum cœperit esse judex, et ab eis quos damnabit, et ab eis quos coronabit. Visionem autem illam divinitatis, quam promisit dilectoribus suis, quando ait, *Qui diligit me, diligetur a Patre meo: et qui diligit me, mandata mea custodit, et ego diligam eum, et ostendam meipsum illi* (*Id.* xiv, 21), jam impii non videbunt. Ista demonstratio quodammodo familiaris est, suis illam servat, non illam ostendit impiis. Qualis est ista visio? Qualis Christus? Æqualis Patri. Qualis est Christus? In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Id.* i, 1). Huic visioni suspiramus modo, et gemimus quamdiu peregrini sumus; huic visioni in fine reddemur, hanc visionem modo in ænigmate videmus, si ergo in ænigmate videmus, inclinemus in parabolam aurem nostram, et sic aperiamus in psalterio propositionem nostram: audiamus quod dicimus, faciamus quod præcipimus.

6. [*vers.* 6.] Et quid dixit? *Utquid timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Cœpit obscurius, *Utquid timebo*, inquit, *in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Magis ergo debet timere, si iniquitas calcanei ejus circumdabit eum. Non enim timeat, inquit, homo quod non habet in potestate devitare. Verbi gratia: qui timet mortem, quid facturus est ut non moriatur? Dicat mihi qua evadat quod debet Adam, qui natus est ex Adam. Sed cogitet quia natus est ex Adam, et secutus est Christum, et oportet[1] eum solvere quod debet Adam, et consequi quod promisit Christus. Qui ergo timet mortem, non est qua evadat: qui autem timet damnationem quam audient impii, *Ite in ignem æternum*, est qua evadat. Non ergo timeat? Utquid enim timeat? Iniquitas calcanei ipsius illum circumdatura est? Si ergo vitet iniquitatem calcanei sui, et ambulet per vias Dei, non perveniet ad diem malam: dies mala, dies novissima, non erit illi mala. Etenim dies novissima mala erit quibusdam, bona erit quibusdam. Numquid mala erit illis quibus dicetur: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum?* Sed mala erit illis quibus dicetur: *Ite in ignem æternum* (*Matth.* xxv, 34, 41). Quod si iniquitas calcanei sui circumdabit eum, utquid ergo timet in die mala? Modo cum vivunt provideant sibi, tollant iniquitatem a calcaneo suo: ambulent illam viam, ambulent per viam de qua ipse dixit, *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* xiv, 6): et non timeant in die mala, quia dat illis securitatem, qui factus est via. *Utquid timebo in die mala? Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Ergo vitent iniquitatem calcanei sui. In calcaneo quisque labitur. Intendat Charitas Vestra. A Deo quid dictum est serpenti? *Ipsa tuum observabit caput, et tu ejus observabis calcaneum* (*Gen.* iii, 15). Diabolus calcaneum tuum observat, quando labaris, ut dejiciat te. Ille observat calcaneum tuum, tu observa caput illius. Quod est caput illius? Initium malæ suggestionis. Quando incipit mala suggerere, tunc repelle antequam surgat delectatio, et sequatur consensio; et tunc vitabis caput ejus, et non apprehendet ille calcaneum tuum. Quare autem Evæ hoc dixit? Quia per carnem labitur homo. Eva nobis interior caro nostra est. *Qui diligit*, inquit, *uxorem suam, seipsum diligit.* Quid est, *seipsum?* Sequitur, et dicit: *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit* (*Ephes.* v, 28, 29). Quia ergo quomodo illum hominem Adam per Evam supplantavit (*Gen.* iii, 6), sic diabolus per carnem vult nos supplantare; præceptum est Evæ ut observet caput diaboli, quia diabolus calcaneum ipsius observat. Si ergo iniquitas calcanei circumdabit nos, utquid timemus in die mala, cum conversi ad Christum habeamus in potestate ut non faciamus iniquitatem; et non erit quod nos circumdet, et gaudebimus in die novissima, non plangemus?

7. [*vers.* 7.] Qui sunt autem quos circumdabit iniquitas calcanei? *Qui confidunt in virtute sua, et in abundantia divitiarum suarum gloriantur.* Ergo vitabo ista, et non iniquitas calcanei mei circumdabit me. Quid est vitare ista? Non confidamus in virtute nostra, non gloriemur in abundantia divitiarum nostrarum; sed gloriemur in eo qui nobis promisit humilibus altitudinem, et minatus est elatis damnationem; et non nos iniquitas calcanei circumdabit. *Qui confidunt in virtute sua, et in abundantia divitiarum suarum gloriantur.*

8. [*vers.* 8.] Sunt qui præsumunt in amicis suis: alii præsumunt in virtute sua, alii in divitiis. Ista est præsumptio generis humani, non præsumentis in Deo. Dixit de virtute, dixit de divitiis, dicit de amicis:

[1] Sic Mss. Edd. vero, *Dicat mihi quo vadat. Debet quod Adam, qui natus est ex Adam. Sed cogitet qui natus est ex Adam et secutus est Christum quia oportet*, etc.

Frater non redimit, redimet homo? Exspectas ut homo te redimat ab ira ventura? Si te frater non redimit, homo te redempturus est? Quis est frater, qui si non redemerit, nullus homo redempturus est? Qui post resurrectionem dixit: *Vade, dic fratribus meis* (*Matth.* XXVIII, 10). Frater noster voluit esse: et cum Deo dicimus, Pater noster, hoc manifestatur in nobis. Qui enim dicit Deo, Pater noster; Christo dicit, Frater. Ergo qui patrem Deum et fratrem habet Christum, non timeat in die mala. Non enim eum circumdabit iniquitas calcanei ejus; quia non præsumit de virtute sua, nec in abundantia divitiarum suarum gloriatur, nec de amicis suis potentibus se jactat. In illo ergo præsumat qui propter illum mortuus est, ut ille non in sempiternum moreretur; qui propter illum humiliatus est, ut ille exaltaretur; qui quæsivit impium, ut a fideli quæreretur. Ergo si ipse non redimit, homo redempturus est? Aliquis homo redimet, si Filius hominis non redimit? Si Christus non redimit, Adam redimet? *Frater non redimit, redimet homo?*

9. [*vers.* 9.] *Non dabit Deo depropitiationem suam* [1], *et pretium redemptionis animæ suæ.* Ille confidit in virtute sua, et in abundantia divitiarum suarum gloriatur, qui *non dabit Deo depropitiationem suam;* id est placationem qua flectat Deum pro peccatis: *nec pretium redemptionis animæ suæ*, qui præsumit de virtute sua, et de amicis, et de divitiis suis. Qui sunt autem qui dant pretium redemptionis animæ suæ? Quibus ait Dominus: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut et ipsi recipiant vos in tabernacula æterna* (*Luc.* XVI, 9). Illi dant pretium redemptionis animæ suæ, qui non cessant eleemosynas facere. Adeo illos quos monet per Timotheum Apostolus, noluit esse superbos, ne in abundantia divitiarum suarum gloriarentur: denique quod possidebant, noluit apud illos veterascere, sed aliquid ex eo fieri, ut esset pretium redemptionis animæ eorum. Ait enim: *Divitibus hujus sæculi præcipe, non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum.* Et quasi dicerent: Quid ergo facturi sumus de divitiis nostris? *Divites sint*, inquit, *in operibus bonis, facile tribuant, communicent:* et non illud perdituri sunt. Unde scimus? Audi quid sequitur: *Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam* (I *Tim.* VI, 17-19). Sic dabunt pretium redemptionis animæ suæ. Et Dominus noster hoc monet: *Facite vobis sacculos non veterascentes, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non accedit, neque tinea corrumpit* (*Luc.* XII, 33). Noluit Deus ut perdas divitias tuas, sed ut locum illis mutes consilium tibi dedit. Intelligat Charitas vestra: modo si amicus tuus intraret in domum tuam, et inveniret te in loco humido frumenta posuisse, qui forte sciret naturam corruptionis frumentorum quam tu nescires, daret tibi hujusmodi consilium, dicens: Frater, perdis quod cum magno labore collegisti; in loco humido posuisti, paucis diebus ista putrescunt. Et quid facio, frater? Leva in superiora. Audires amicum suggerentem ut frumenta levares de inferioribus ad superiora; et non audis Christum monentem ut thesaurum tuum leves de terra ad cœlum, ubi non hoc tibi reddatur quod servas, sed serves terram, accipias cœlum, serves mortalia, accipias sempiterna! Feneres Christum [1]; accipiat in terra parva, ut reddat tibi in cœlo multa. Verum autem illi quos circumdabit iniquitas calcanei sui, quia [2] confidunt in virtute sua, et in abundantia divitiarum suarum gloriantur, et de amicis hominibus nihil valentibus præstare præsumunt, *non dabunt Deo depropitiationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ.*

10. [*vers.* 10.] Et quid dixit de tali homine? *Et laboravit* [3] *in æternum, et vivet in finem.* Labor ejus sine fine erit, vita ipsius habebit finem. Quare hoc dixit, *vivet in finem?* Vitam quippe non ponunt isti, nisi delicias quotidianas. Adeo multi inopes et pauperes nostri, parum firmi, et non intuentes quid illis promittat Deus pro istis laboribus, cum viderint divites in epulis quotidianis, in splendore et nitore auri et argenti, quid dicunt? Soli [4] sunt isti, isti vere vivunt. Dicitur; jam non dicatur, et monemus; etsi dici habet, vel a paucioribus dicatur, quam diceretur si non moneremus. Nam nec nos præsumimus ita nos ista dicere ut non dicatur, sed vel a paucioribus dicatur; nam dicetur usque in finem sæculi. Parum est quia dicit eum vivere; adjungit, et dicit [5], tonat: Putas eum solum vivere. Vivat; finietur vita ipsius: quoniam non dat pretium redemptionis animæ suæ, finietur vita, labor non finietur. *Laboravit in æternum, et vivet in finem.* Quomodo *vivet in finem?* Quomodo vivebat ille qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide; et jacentem ulcerosum ante januam, cujus ulcera canes lingebant, et desiderantem micas quæ de mensa ejus cadebant, superbus et tumidus contemnebat. Quid illi profuerunt illæ divitiæ? Mutaverunt vices ambo: ille a janua divitis sublatus est in sinum Abrahæ; ille ab epulis splendidis missus est in ignem: ille requiescebat, ille ardebat; satiabatur ille, ille sitiebat: ille laboraverat in finem, vivebat in æternum; ille vixerat in finem, laborabat in æternum. Et quid profuit diviti, qui quæsivit apud inferos in tormentis positus, stillari sibi guttam aquæ in linguam suam de digito Lazari, dicens, *Quoniam ardeo hic in hac flamma*, et non illi concessum est (*Id.* XVI, 19-26)? Sic desideravit ille guttam de digito, quomodo ille micas de mensa divitis: sed illius labor finitus est, et illius vita finita est; labor hujus in æternum, vita illius in æternum. Non hic habemus vitam, qui forte hic laboramus in terra: et non sic erimus

[1] Edd., *de propitiatione sua*. At Mss., *depropitiationem suam*; *juxta* LXX *exilasma eautou.*

[1] Edd., *fenera Christo*. Mss. vero, *feneres Christum*. Sic verbum istud cum accusativo jungit Martialis lib. 1, epigr. 77.

Hæc omnes fenerat una Deos.

[2] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *qui*.

[3] Edd., *laboravit*. At melioris notæ Mss., *laboravit*, juxta Græc. LXX *ekopiasen.*

[4] Er., *Felices*.

[5] Mss., *dicit eum vivere; tonat, dicit, Putas*, etc.

postea; erit enim vita nostra Christus in æternum: illi autem qui hic volunt habere vitam, laborabunt in æternum, et vivent in finem.

11. [*vers.* 11.] *Quoniam non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes.* Iste qui laboravit in æternum, et vivet in finem, *non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes:* quid est hoc? Non intelliget quid sit interitus, quando viderit sapientes morientes. Dicit enim sibi: Iste, quia sapiens erat, et cum sapientia inhabitabat, et cum pietate Deum coluit, numquid non est mortuus? Faciam mihi ergo bene, cum vivo: nam si aliquid possent qui aliud sapiunt, non morerentur. Videt illum mori, et non videt quæ sit mors. *Non videbit interitum, cum videbit sapientes morientes.* Quomodo Judæi viderunt Christum pendentem in cruce, et contempserunt, dicentes, Iste si Filius Dei esset, descenderet de cruce (*Matth.* XXVII, 42): non videntes quid sit interitus. Si viderent quid sit interitus, si viderent[1]! Ille moriebatur temporaliter, ut revivisceret in æternum; illi vivebant temporaliter, ut morerentur in æternum. Sed quia illum videbant morientem, non videbant interitum, id est, non intelligebant quis esset verus interitus. Quid dicunt etiam in Sapientia? *Morte turpissima condemnemus illum, erit enim respectus ex sermonibus illius; si enim est vere Filius Dei, liberabit illum de manibus contrariorum* (*Sap.* II, 20, 18): non permittet mori Filium suum, si vere Filius ipsius est. At ubi viderunt illum in cruce insultantes se, et illum non descendentem de cruce, dixerunt, Vere homo fuit. Dictum est: et utique poterat descendere de cruce, qui potuit de sepulcro resurgere; sed docuit nos ferre insultantes, docuit adversus linguas hominum esse patientes, bibere modo calicem amaritudinis, et postea accipere sempiternam salutem. Bibe, æger, calicem amarum, ut sanus sis, cui non sunt sana viscera: noli trepidare, quia ne trepidares, prior bibit medicus; id est, passionis amaritudinem bibit prior Dominus. Bibit qui peccatum non habebat, qui quod in eo sanaretur non habebat. Bibe donec transeat amaritudo hujus sæculi, et veniat sæculum ubi nullum scandalum, nulla ira, nulla tabes, nulla amaritudo, nulla febris, nullus dolus, nullæ inimicitiæ, nulla senectus, nulla mors, nulla contentio. Labora hic, venturus ad finem; labora, ne cum non vis hic laborare, venias ad finem vitæ, et nunquam venias ad finem laborum. *Quoniam non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes.*

12. *Simul imprudens et insipiens peribunt.* Quis est *imprudens?* Qui non sibi prospicit in futurum. Quis est *insipiens?* Qui non intelligit in quo malo sit. Tu vero intellige in quo malo sis modo, et prospice ut in bonis sis in posterum. Intelligendo in quo malo sis, non eris insipiens: prospiciendo tibi in futurum, non eris imprudens. Quis est qui sibi prospicit? Servus ille cui dedit Dominus suus quod erogaret, et postea dixit ei: *Non potes mihi agere, redde rationem actus tui.* Et ille: *Quid facio? fodere non possum, mendicare confundor.* Sed et de re domini sui fecit sibi amicos, qui illum reciperent, cum de actu projiceretur. Et ille fraudem fecit domino suo, ut compararet sibi amicos qui illum susciperent: tu noli timere ne fraudem facias; ipse Dominus hortatur ut facias, ipse tibi dicit, Fac tibi amicos de mammona iniquitatis (*Luc.* XVI, 1-2). Fortassis ea quæ acquisisti, de iniquitate acquisisti; aut fortasse ea ipsa est iniquitas, quia tu habes et alter non habet, tu abundas et alter eget. De ista mammona iniquitatis, de divitiis istis quas iniqui vocant divitias, fac tibi amicos et prudens eris: comparas tibi, non fraudaris. Modo enim videris perdere. Numquid perdes in thesaurario[1] ponens? Nam pueri, fratres, unde sibi emant nescio quid simul inveniunt nummos, et ponunt in thesaurario, et non aperiunt nisi postea: numquid quia non vident quod colligunt, ideo perdiderunt? Noli timere: ponunt pueri in thesaurario, et securi sunt; ponis tu in manu Christi, et times! Esto prudens, et prospice tibi in posterum in cœlo. Esto ergo prudens, imitare formicam, sicut dicit Scriptura (*Prov.* VI, 6, *et* XXX, 25); reconde æstate, ne esurias in hieme: hiems est dies novissimus, dies tribulationis; hiems est dies scandalorum et amaritudinis: collige quod ibi tibi sit[2] in posterum; si autem non facis, simul imprudens et insipiens peribis.

13. Sed mortuus est ille dives, et tale illi funus factum est. Ecce quo se converterunt homines: non attendunt quam malam vitam habuerit cum viveret, sed quam pompam cum moreretur. O felix quem tanti plangunt! Iste[3] vero sic vixit ut pauci plangant. Omnes enim deberent plangere tam male viventem. Sed pompa est funeris, excipitur sepulcro pretioso, involvitur pretiosis vestibus, sepelitur unguentis et aromatis. Deinde memoriam qualem habet! quam marmoratam! Vivitur in ipsa memoria? Ille ibi mortuus est[4]. Ista putantes homines bona, aberraverunt a Deo, nec quæsierunt vera, et decepti sunt falsis: adeo vide quid sequitur. Ille qui non dedit pretium redemptionis animæ suæ, qui non intellexit interitum, quia vidit sapientes morientes, factus est imprudens et insipiens, ut simul periret. Et quomodo peribunt qui *relinquent alienis divitias suas? Simul imprudens et insipiens peribunt.*

14. Attendite, fratres: *Et relinquent alienis divitias suas.* Quasi eos posuit in maledicto, qui cum mortui fuerint, alieni possidebunt res ipsorum. Ergo felices illi qui relinquunt filios in possessione sua, quibus sui succedunt. Habuit filios, non est mortuus. Quid filii ipsius? Et ipsi servant quod eis reliquerunt parentes sui: parum est quia servant; et augent. Quibus et ipsi servant? Filiis suis, et illi filiis, et tertii filiis. Quid Christo? quid animæ suæ? Omnia filiis. Inter filios suos quos habent in terra, computent unum fratrem quem habent in cœlo: cui totum dare debe-

[1] Ita nonnulli Mss. Edd. vero, *se viderent.*

[1] Lov., *in thesaurario Christi.* Vox *Christi* abest ab Er. et a Mss., qui plerique habent hic *thesauro*, pro *thesaurario*; hoc vero se a pueris barbarum vocabulum usurpare satis indicat Augustinus.

[2] Aliquot Mss., *prosit.*

[3] Mss., *ita.*

[4] Sic Mss. At edd., *Vivit in ipsa memoria ille ubi mortuus est.*

bant, vel dividant cum illo. Sed tamen ait mihi aliquis: Ecce quos maledictos dixit Scriptura, quos dixit perire et relinquere alienis divitias suas; ille autem beatus qui suis relinquit. Ego discutio sensum istum, quia inclino in parabolam aurem meam; et video non frustra sic loqui Scripturam. Video enim multos iniquos mori, quibus successores sunt filii; nec potuit sic loqui Scriptura, ut separaret eos a miseria, quorum vitam improbat: et quid putatis, intelligo, fratres, nisi quia omnes tales alienis relinquunt divitias suas? Quomodo alieni sunt filii? Iniquorum filii alieni sunt; nam invenimus quemdam extraneum propinquum factum, quia profuit. Si quis tuorum tibi nihil prodest, alienus est. Ubi invenimus nescio quem exterum propinquum factum, quia profuit? In Evangelio. Jacebat quidam vulneratus a latronibus, Dominus autem dixerat cuidam: *Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Et ille responderat: Et quis est mihi proximus? Et narravit Dominus: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui eum vulneraverunt, et semivivum in via reliquerunt:* transierunt propinqui; Judæus enim erat, de Jerusalem descendebat Jericho: *transiit sacerdos, et præteriit; transiit Levites, et præteriit etiam ipse; transivit quidam Samaritanus,* Samaritanus nescio quis, extraneus erat; *ipse ad illum accessit, inspexit miseriam ejus, et misericordia curavit vulnera, levavit in jumentum, et duxit in stabulum, commendavit stabulario.* Quæ in mysterio dicta sunt, et ad discutiendum nunc prolixiora videntur: tamen propter quod proposui, fratres, ait Dominus, *Quis est illorum illi sauciato proximus? Respondit ille: Credo, qui cum illo fecit misericordiam. Vade, inquit, et tu fac similiter* (*Luc.* x, 27-37). Cui misericordiam facis, proximus tibi est. Si ergo extraneus Samaritanus faciendo misericordiam et subveniendo proximus factus est; quicumque tibi in tribulatione subvenire non possunt, alieni a te facti sunt. Jam attendamus illos divites qui male vixerunt, qui superbe egerunt, mortui sunt, et reliquerunt, non dico extraneis, filiis suis reliquerunt divitias, et filii ipsorum viam parentum suorum sequuntur: sicut illi superbi, ita et isti; sicut illi rapaces, ita et isti; ut illi avari, et isti: alieni ab illis sunt. Nam ut noveritis quia alieni sunt, subvenirent illi diviti qui ardebat in flamma successores divitiarum ipsius. Sed forte non habuit qui illi succederent, et alieni possederunt divitias ipsius? Invenimus in ipso Evangelio quia habuit: ait enim, *Habeo quinque fratres* (*Id.* xvi, 28). Fratres ipsius subvenire illi ardenti in flamma non potuerunt. Quid tibi diceret dives? Habeo quinque fratres [1]: unum fratrem mihi amicum non feci, qui jacebat ante januam: illi mihi fratres subvenire non possunt qui possident divitias meas; alieni a me facti sunt. Videtis quia omnes qui male vivunt, alienis relinquunt divitias suas.

15. [*vers.* 12.] Sed plane præstant illis ipsi alieni, qui vocantur sui? Audite quid illis præstant, attendite quomodo irrideantur: *Simul imprudens et insipiens peribunt; et relinquent alienis divitias suas.* Quare dixit *alienis?* Quia nihil eis prodesse possunt. Et tamen in quo sibi videntur prodesse: *Et sepulcra eorum domus eorum in æternum.* Jam quia ista structa sunt sepulcra, domus sunt sepulcra. Nam plerumque audis divitem dicentem: Habeo marmoratam domum quam relicturus sum, et non cogito mihi æternam domum ubi semper ero. Quando cogitat sibi memoriam marmoratam aut exsculptam facere, quasi de domo æterna cogitat; quasi ibi maneat ille dives. Si ibi maneret, non arderet apud inferos. Ubi maneat spiritus male agentis, non ubi ponatur corpus mortale, cogitandum est: sed *domus eorum sepulcra eorum in æternum. Tabernacula eorum in generationem et generationem. Tabernacula,* in quibus temporaliter manserunt: *domus,* in quibus quasi in æternum manebunt, id est sepulcra. Tabernacula ergo suis dimittunt, ubi manebant cum viverent, transeunt quasi ad domos æternas ad sepulcra. Quid illis prosunt *tabernacula eorum in generationem et generationem?* Jam generatio et generatio, puta, filii sunt, nepotes erunt et pronepotes: quid faciunt, quid prosunt tabernacula eorum? Quid? Audi: *Invocabunt nomina eorum in terris ipsorum.* Quid est hoc? Tollent panem et merum ad sepulcra, et invocabunt ibi nomina mortuorum. Putas quantum invocatum est nomen illius divitis postea, quando inebriabant se homines in memoria ipsius, nec descendebat una gutta super linguam ipsius ardentem (*Luc.* xvi, 24)? Ventri suo serviunt homines, non spiritibus suorum. Ad spiritus mortuorum non pervenit, nisi quod secum vivi fecerunt: si autem vivi secum non fecerunt, ad mortuos nihil pervenit. Sed quid faciunt illi? Solum *invocabunt nomina eorum in terris ipsorum.*

16. [*vers.* 13.] *Et homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insensatis, et similis factus est illis.* Quomodo insultatum est hominibus, qui non intellexerunt quid facerent de divitiis cum viverent, et putarunt se beatos futuros, si haberent memoriam marmoratam, quasi æternam domum, et si sui, quibus reliquissent substantiam suam, invocarent nomina eorum in terris ipsorum. Debuerunt autem contra præparare sibi domum æternam in bonis operibus, præparare sibi vitam immortalem, mittere ante se sumptus, sequi opera sua, attendere comitem egentem, dare ei cum quo ambulabant, non contemnere Christum ante januam ulcerosum, qui dixit: *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 40). Quia ergo non intellexit homo in honore positus. Quid est, in honore positus? Factus ad imaginem et similitudinem Dei, homo prælatus jumentis (*Gen.* 1, 26). Non enim fecit Deus sic hominem, quomodo fecit jumentum; sed fecit Deus hominem cui servirent jumenta: numquid ejus viribus, et non intellectui? Ille autem *non intellexit:* et qui factus erat ad imaginem Dei, *comparatus est jumentis insensatis, et similis factus est illis.* Unde alibi dicitur: *Nolite esse sicut equus*

[1] Probæ notæ Mss., *subvenirent illi ardenti in flamma. Qui, tibi diceret dives, qui fratres? Unum fratrem,* etc. Nonnulli: *Quid tibi diceret dives, quid fratres? Unum fratrem,* etc.

et mulus, quibus non est intellectus (*Psal.* XXXI, 9).

17. [*vers.* 14.] *Hæc via ipsorum scandalum ipsis.* Ipsis sit scandalum, non tibi. Quando autem erit et tibi? Si putes quod beati sint tales. Si intelligas quia non sunt beati, ipsis erit scandalum via ipsorum; non Christo, non corpori ejus, non membris ejus. *Et postea in ore suo benedicent.* Quid est, *postea in ore suo benedicent?* Cum facti fuerint tales ut non quærant nisi bona temporalia, fiunt hypocritæ; et quando benedicunt Deum, labiis benedicunt, non corde. Tales facti christiani, quando illis laudatur vita æterna, et dicitur illis contemptores [1] divitiarum esse debere in nomine Christi, torquent os in corde suo: et si non audent in facie, ne erubescant, aut ne corripiantur ab hominibus, in corde id faciunt, contemnunt; et remanet eis in ore benedictio, et in corde maledictio. *Et postea in ore suo benedicent.* Longum est ut Psalmum finiamus: sufficiat Charitati Vestræ quod audistis interim hodie; cras, quod Domino placuerit audietis.

SERMO II.

De secunda parte Psalmi.

1. [*vers.* 14.] Hesterno die cœpto Psalmo terminus debebatur, sicut meminit Charitas Vestra. Perveneramus autem usque ad istum versum, ubi designat Spiritus Dei homines non attendentes nisi ad præsentia sæcularia et terrena, et in posterum post hanc vitam nihil cogitantes, neque ullam felicitatem esse arbitrantes, nisi divitias et honores hujus sæculi, et transitoriam virtutem [2]; post obitum autem suum non attendentes, nisi quemadmodum eis procurentur funera pomposa, et sepeliantur in monumentis opere mirabili exstructis, et invocentur nomina eorum in terris ipsorum a domibus eorum; non autem sibi comparant, ubi spiritus sit post hanc vitam, stulti non contremiscentes vocem Christi, dicentis, *Stulte, hac nocte auferetur anima tua a te, et quæ præparasti cujus erunt* (*Luc.* XII, 20)? nec attendentes post epulas quotidianas splendidas, et purpuram et byssum, divitem damnatum ad tormenta in infernum; et post labores et ulcera et famem, pauperem requiescentem in sinu Abrahæ (*Id.* XVI, 19): ista non curantes, sed attendentes ad id quod præsens est, et post hanc mortem non providentes, nisi quemadmodum nomen eorum quod reprobatur in cœlo, invocetur in terra. Describens ergo tales Spiritus sanctus ait: *Hæc via ipsorum scandalum ipsis, et postea in ore suo benedicent.* Sicut dixit Dominus Jesus Christus de quibusdam, qui primo accedunt ad fidem mundati verbo Dei et exorcismis in nomine Christi, ut accipiant gratiam Dei, ut baptizentur, et postea redeuntes ad pejora mala quam antea commiserant, *Fient illis*, inquit, *posteriora deteriora prioribus* (II *Petr.* II, 20): hoc Petrus apostolus: Dominus autem, *Et erunt posteriora*, inquit, *illius hominis pejora quam erant priora* (*Luc.* XI, 26). Quare? Quia primo vel apertus paganus erat, postea palliatur nomine christiano, sub velamine religionis occultus malus. Et erit deterior, quia occultus est, sicut ait, *Et postea in ore suo benedicent:* id est, nomen Dei et nomen Christi audis in labiis, in corde non invenis. De quibus dictum est: *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isai.* XXIX, 13). Huc usque ergo Psalmus tractatus erat.

2. [*vers.* 15.] Deinde sic incipiunt versus hodie discutiendi atque tractandi: *Sicut oves in inferno positæ, mors pastor est eis.* Quibus? Illis quorum via scandalum ipsis. Quibus? Illis qui præsentia sola attendunt, dum futura non cogitant; illis qui vitam non putant nisi istam, quæ mors dicenda est. Non igitur immerito tanquam oves in inferno, mortem habent pastorem. Quid est, mortem habent pastorem? Mors enim aliqua res est, aut aliqua potestas est? Mors nempe aut separatio est animæ a corpore: et ea quidem quam timent homines, separatio est animæ a corpore: mors autem vera quam non timent homines, separatio est animæ a Deo. Et plerumque cum timent homines istam quæ separat animam a corpore, incidunt in illam ubi anima separatur a Deo. Hæc est ergo mors. Quomodo autem *mors pastor est illis?* Si vita Christus est, mors diabolus. Habemus autem multis locis in Scriptura, quia vita est Christus. Mors autem diabolus est; non quia ipse mors est, sed quia per illum mors. Sive enim illa in qua lapsus est Adam, ipsius persuasione homini propinata est, sive ista in qua separatur anima a corpore, ipsum habent auctorem qui primo per superbiam cadens invidit stanti, et morte invisibili dejecit stantem, ut etiam mortem visibilem penderet [1] (*Gen.* III, 2). Ad eum pertinentes, pastorem mortem habent: nos autem qui de futura immortalitate cogitamus, et non sine causa in fronte signum crucis Christi portamus, non habemus pastorem nisi vitam. Infidelium pastor mors, fidelium pastor vita. Si ergo in inferno sunt oves quibus pastor mors est, in cœlo sunt oves quibus pastor vita est. Quid igitur? Jam in cœlo sumus? In cœlo secundum fidem. Si ergo in cœlo, ubi, Sursum cor? Si non in cœlo, unde apostolus Paulus dicit, *Nostra enim conversatio in cœlis est* (*Philip.* III, 20)? Corpore ambulamus in terra, corde habitamus in cœlo. Habitamus ibi, si illuc aliquid mittimus quod ibi nos teneat. Nemo enim inhabitat corde, nisi unde cogitat: inde autem cogitat, ubi thesaurizat. Thesaurizavit in terra, cor ipsius a terra non recedit, thesaurizavit in cœlo, cor ipsius de cœlo non descendit: Domino aperte dicente, *Ubi est thesaurus tuus, illic et cor tuum erit* (*Matth.* VI, 21).

3. Isti ergo quibus mors pastor est, videntur florere ad tempus, et justi laborare: sed quare? Quia nox est adhuc. Quid est, nox est? Non apparent merita justorum, et quasi nominatur felicitas impiorum.

[1] Omnes prope Mss., *contemptum divitiarum:* et paulo post, *torquent os in corde suo:* ubi Edd. ferunt, *torquentur in corde suo.*

[2] Tres Mss., *et transitoriam vitam.* Am., *et transitoriam felicitatem.* Er., *et transitoriam virtutem et felicitatem.*

[1] Sic melioris notæ Mss. Nonnulli vero cum Er., *morte visibili perderet.* At Lov., *morte invisibili perderet.*

Tamdiu videtur herba lætior quam arbor, quamdiu hiems est. Herba enim per hiemem viget, arbor per hiemem quasi arida est : cum sol exierit ferventior tempore æstatis, arbor quæ per hiemem arida videbatur, expletur foliis, profert fructus ; herba autem arescit : videbis honorem arboris, herba arida est. Sic et modo justi laborant, antequam veniat æstas. Est vita in radice, nondum apparet in ramis. Radix autem nostra charitas est. Et quid ait Apostolus? Ut sursum debeamus habere radicem, ut vita sit pastor noster, quia habitatio nostra non debet recedere de cœlo, quia in hac terra debemus sicut mortui ambulare : ut supra viventes, infra mortui simus; non ut supra mortui, infra vivamus. Quia ergo non debet recedere vita nostra et cor nostrum desuper [1], quid ait Apostolus? *Mortui enim estis :* et ne timeres, *Vita vestra abscondita est*, ait, *cum Christo in Deo.* Ecce ubi est radix nostra. Quando autem apparebit honor noster tanquam in foliis et fructibus, sequitur et dicit, *Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos cum illo apparebitis in gloria* (*Coloss.* III, 3, 4). Et erit mane. Nam modo non est mane. Tumeant modo superbi et divites hujus sæculi, impii bonis insultent, infideles fidelibus, et dicant : Quid vobis prodest quia credidistis? quid plus habetis, quia Christum habetis? Respondeant fideles, si vere fideles sunt : Nox est, nondum videtur quod tenemus. Non quiescant manus in bonis operibus. Unde alibi dicitur : *In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte coram eo, et non sum deceptus* (*Psal.* LXXVI, 3). Apparebit labor noster mane, et erit fructus mane : ut illi qui modo laborant, postea dominentur ; et illi qui modo se jactant et superbiunt, postea subjiciantur. Quid enim sequitur? *Sicut oves in inferno positæ, mors pastor est eis. Et dominabuntur eis recti mane.*

4. Puto jam planum esse istum versum, quia prælocuti sumus : *Dominabuntur eis recti mane.* Tolera noctem, desidera mane. Ne putes quia nox habet vitam, et mane non habet vitam. Ergo qui dormit vivit, et qui surgit non vivit? Nonne qui dormit morti [2] similior est? Et qui sunt qui dormiunt? Quos excitat apostolus Paulus, si tamen velint evigilare. Quibusdam enim dicit : *Surge!qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* v, 14). Qui ergo illuminantur a Christo, jam vigilant, sed nondum apparet fructus vigiliarum : mane apparebit, id est, cum sæculi hujus incerta transierint. Ipsa est enim nox : non tibi enim videntur quasi tenebræ? Facit male; vivit, floret, terret, honoratur : facit bene; reprehenditur, blasphematur, accusatur, laborat, terretur : quasi tenebræ sunt. In radice autem vigor, fructus, opulentia : vita nondum est in ramis, sed radix non aruit : similis arescenti est; sed tempus venit, restitur honore suo, fecundatur fructibus suis. Tunc illi de quibus dictum est ut non eos zelemus : quid enim de illis ait psalmus? *Quoniam sicut fenum cito arescent, et sicut olera prati cito cadent* (*Psal.* xxxvi, 1, 2) : cadent, cum videbunt ad dexteram sanctos, quibus laborantibus insultatur, et dicent intra se pœnitentiam agentes, sed pœnitentiam seram et infructuosam. Qui noluerunt modo agere fructuosam, agent tunc infructuosam. Quid ergo dicent jam in pœnitentia infructuosa? *Hi sunt quos aliquando in risum habuimus, et in similitudinem improperii.* Verba dico libri de Sapientia : cognoscunt qui ea solent audire. Verba enim sunt malorum futura, quando videbunt judicem, et jam omnes fideles ad dexteram ejus, et omnes sanctos ejus cum illo judicantes : hoc habent dicere, verba ipsorum dicit Scriptura, *Hi sunt quos aliquando habuimus in risum, et in similitudinem improperii; nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam* (*Sap.* v, 3, 4). Cum enim cœperit Deo quisque vivere, mundum contemnere, injurias suas nolle ulcisci, nolle hic divitias, non hic quærere felicitatem terrenam, contemnere omnia, Dominum solum cogitare, viam Christi non deserere, non solum a Paganis dicitur, Insanit; sed quod magis dolendum est, quia et intus multi dormiunt et evigilare nolunt, a suis, a Christianis audiunt, Quid pateris? Fratres mei, homini viventi secundum viam Christi, qui dicit, Quid pateris? putamus quid dicit? Horremus Judæos, quia dixerunt Domino Jesu Christo, *Dæmonium habes* (*Joan.* VIII, 48) : et quando audimus Evangelium recitari, tundimus pectora nostra. Sceleratam rem dixerunt Judæi Christo. *Dæmonium habes :* age tu, christiane, quando videris de corde hominis expulsum diabolum, et inhabitare Christum, et dicis, Quid pateris? dæmonium tibi videtur habere? Dictum est et de ipso Domino, quod insaniret, quando loquebatur verba quæ illi non caperent ; dictum est, *Insanit, dæmonium habet :* et tamen aliqui evigilabant a somno, et dicebant, *Non sunt ista verba dæmonium habentis* (*Id.* x, 20, 21). Sic et modo, fratres, quamdiu ista verba audiunt et gentes, et qui inhabitant orbem, et terrigenæ, et filii hominum, et dives et pauper, id est, et qui pertinent ad Adam, et qui pertinent ad Christum, alii dicunt, *Dæmonium habet ;* alii dicunt, *Non sunt ista verba dæmonium habentis.* Alii enim tenent viam sæculi, et ista ad tempus audiunt · alii non frustra audiunt, sed faciunt quod dictum est, *Auribus percipite qui habitatis orbem.* Et cum agunt ista, incertus [1] est fructus. Sed qui male agunt, et viam sæculi eligunt, *mors pastor est eis :* qui autem eligunt viam Dei [2], vita pastor est eis. Veniet ipsa vita judicatura, et damnatura cum pastore suo eos quibus dicetur : *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus.* Illi autem quibus insultatum est, et qui irrisi sunt quia credebant, audient ab ipsa vita quam habent pastorem : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* xxv, 41, 34). *Dominabuntur* ergo *eis recti*, non modo, sed *mane.* Nemo dicat, Quare sum christianus? impero nemini [3], imperem iniquis. Noli festi-

[1] Sic Mss. At Edd., *de supernis.*
[2] Unus Ms., *mortuo.*

[1] Quinque Mss., *certus.*
[2] Sic Er. et plerique Mss. At Lov., *nomen Dei.*
[3] Omnes prope manuscripti omittunt, *impero nemini* : et quinque ex iis loco, *imperem iniquis*, habent, *improperium*

nare : dominaberis, sed mane. *Et auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.* Modo habent gloriam; in inferno veterascent. Quod est *auxilium eorum?* Auxilium de pecunia, auxilium de amicis, auxilium de virtute sua. Sed cum mortuus fuerit homo, in illa die peribunt omnes cogitationes ejus (*Psal.* CXLV, 4). Quantam visus est gloriam habere inter homines, cum viveret, tantam vetustatem et corruptionem suppliciorum habebit, cum mortuus fuerit, apud inferos.

5. [*vers.* 16.] *Verumtamen Deus redimet animam meam.* Videte vocem sperantis de futuro : *Verumtamen Deus redimet animam meam.* Forte vox est adhuc volentis liberari de pressura. Nescio quis in carcere est, dicit, Deus redimet animam meam : nescio quis in catena, Deus redimet animam meam : nescio quis periculum patitur in mari, jactatur fluctibus et sævientibus tempestatibus, quid dicit? Deus redimet animam meam. Liberari volunt ad istam vitam. Non est ista vox hujus. Audi quid sequitur : *Deus redimet animam meam de manu inferni, cum acceperit me.* Hanc redemptionem dicit, quam Christus jam in se ostendit. Descendit enim ad inferos, et ascendit in cœlum. Quod vidimus in capite, invenimus in corpore. Quod enim credimus in capite, qui viderunt, ipsi nobis annuntiaverunt; et per ipsos vidimus, quia unum corpus omnes sumus (I *Cor.* XII, 12, *et Rom.* XII, 5). Sed meliores illi qui viderunt, nos deteriores quibus annuntiatum est? Non hoc dicit ipsa vita, ipse pastor noster. Insultat enim cuidam discipulo suo dubitanti, et cicatrices palpare cupienti : et cum palpasset cicatrices, et exclamasset, dicens, *Dominus meus et Deus meus;* videns dubitantem discipulum, et intuens totum orbem terrarum crediturum, *Quia vidisti*, inquit, *credidisti : beati qui non vident, et credunt* (*Joan.* XX, 28, 29). *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferni, cum acceperit me.* Hic ergo quid? Labor, pressura, tribulatio, tentatio : nihil aliud speres. Ubi gaudium? in spe futura. Nam dicit Apostolus, *Semper gaudentes.* In tantis tribulationibus, semper gaudentes, semper tristes : semper gaudentes, quia ipse dixit, *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Tristitia nostra habet *quasi;* gaudium nostrum non habet *quasi*; quia in spe certa est. Quare tristitia nostra *quasi* habet? Quia sicut somnus transiet, *et dominabuntur recti mane.* Novit enim Charitas Vestra, quia qui somnium indicat, addit *quasi*. Quasi sedebam, quasi loquebar, quasi prandebam, quasi equitabam, quasi disputabam. Totum quasi; quia cum evigilaverit, non invenit quod videbat. Quasi thesaurum inveneram, dicit mendicus. Si *quasi* non esset, mendicus non esset : sed quia *quasi* erat, mendicus est. Itaque modo qui ad lætitias sæculares oculos aperiunt, et cor claudunt, transit *quasi* eorum, et venit verum ipsorum. *Quasi* ipsorum felicitas est sæculi, verum ipsorum pœna est. Nostrum autem *quasi*, tristitia est; gaudium non est *quasi*. Non enim ait Apostolus, Quasi gaudentes, semper autem tristes; aut, Quasi tristes, et quasi gaudentes : sed ait, *Quasi tristes, semper autem gaudentes. Sicut egeni :* et ibi *sicut*, pro *quasi*, posuit. *Multos autem ditantes.* Et cum hoc diceret, nihil habebat Apostolus : omnia sua dimiserat, divitias nullas possidebat. Et quid secutus ait? *Quasi nihil habentes :* et ipsum nihil habere *quasi* Apostoli erat. *Et omnia possidentes* (II *Cor.* VI, 10) : ibi non dixit *quasi*. Quasi egebat; non autem quasi, sed vere multos ditabat. Quasi nihil habebat : non autem quasi, sed vere omnia possidebat. Unde vere omnia possidebat? Quia omnium Conditori adhærebat. *Verumtamen*, inquit, *Deus redimet animam meam de manu inferni, cum acceperit me.*

6. [*vers.* 17.] Quid igitur qui hic volunt florere? Tu visurus es hominem florentem malum, et forte titubabunt pedes tui, et dicturus es in anima tua, Deus, ego novi facta hujus hominis, quæ scelera fecit iste homo, et ecce floret, terret, dominatur, extollitur, caput illi non dolet, nihil in domo ejus diminutum est : et timebis, quia credidisti, et forte dicit cor tuum, Me miserum! puto sine causa credidi, Deus non respicit res humanas. Excitat ergo nos Deus : et quid dicit? *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo.* Quare enim timebas, quia dives factus est homo? Timebas ne sine causa crederes, ne forte perdidisses laborem fidei tuæ, et spem conversionis tuæ : quia forte incurrit tibi lucrum cum fraude, et potuisti, si faceres ipsum lucrum cum fraude, dives esse, et non laborare; et attendens quid minatus est Deus, temperasti a fraude, et contempsisti lucrum : vides alium fecisse lucrum de fraude, et nihil mali pati; et times esse bonus. *Ne timueris*, ait tibi Spiritus Dei, *cum dives factus fuerit homo.* Oculos non vis habere, nisi in præsentia? Futura promisit qui resurrexit, pacem in hac terra et requiem in hac vita non promisit. Omnis homo requiem quærit; bonam rem quærit, sed non in regione sua illam quærit. Non est pax in hac vita : in cœlo nobis promissum est quod in terra quærimus; in futuro sæculo promissum est quod in isto sæculo quærimus.

7. [*vers.* 18.] *Ne timueris cum dives factus fuerit homo; et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.* Quare, *ne timueris? Quoniam non cum morietur, accipiet omnia.* Vides viventem, cogita morientem. Quid hic habeat attendis, quid secum tollat attende. Quid secum tollit? Multum auri habet, multum argenti habet, multum prædiorum, mancipiorum : moritur; remanent illa, nescit quibus. Etsi enim dimittit quibus vult, non servat quibus vult. Multi enim et non sibi dimissa acquisierunt, et multi sibi dimissa perdiderunt. Remanent ergo illa omnia, et tollit secum, quid? Forte dicit aliquis : Illud secum tollit unde involvitur, et quod illi erogatur ad pretiosum et marmoratum sepulcrum, ad instruendam memoriam, hoc secum tollit. Ego dico : Nec hoc; exhibentur enim ista non sentienti. Si dormientem et non vigilantem ornas, in lecto secum illa habet:

iniquis. Confer serm. 72, ad Fratres in eremo, qui totus hinc descriptus est.

forte ornamenta insunt in corpore jacentis, et forte ille in somnis in pannis se videt. Quod sentit ei plus est, quam quod non sentit. Quanquam et illud cum evigilaverit non erit: tamen dormienti magis illud erat quod in somnis videbat, quam illud quod non sentiebat. Quid ergo, fratres (dicant sibi homines, Erogetur ad mortem meam; quare dimitto hæredes meos divites? Multa habebunt de meo, habeam et ego aliquid de meo, in corpore meo), quid habebit corpus mortuum? quid habebit caro putrescens? quid habebit caro non sentiens? Si aliquid habuit dives ille, cujus lingua sicca erat (*Luc.* XVI, 24), tunc habet homo aliquid de suo. Fratres, numquid sic legimus in Evangelio, quia dives ille cum holosericis et byssinis tegumentis apparebat in igne? Numquid qualis erat in epulis ad mensam, talis erat et apud inferos? Cum sitiret, et stillam desideraret, non ibi erant illa omnia. Non ergo secum accipit homo omnia, nec quod tollit sepultura, tollit secum mortuus. Ubi enim sensus, ibi homo: ubi nullus sensus, non est homo. Jacet vas quod continebat hominem, domus quæ habebat hominem. Corpus dicamus domum, spiritum dicamus habitatorem domus. Spiritus torquetur apud inferos: quid illi prodest, quia corpus jacet in cinnamis et aromatibus, involutum pretiosis linteis? Tanquam si dominus domus mittatur in exsilium, et tu ornes parietes ipsius. Ille in exsilio eget, et fame deficit, vix sibi unam cellam invenit ubi somnum capiat, et tu dicis: Felix est, nam ornata est domus illius. Quis te non aut jocari, aut insanire arbitretur? Ornas corpus, torquetur spiritus. Da aliquid spiritui, et dedisti aliquid mortuo. Sed quid illi dabis, quando unam guttam desideravit, et non accipit? Hic enim contempsit mittere ante se aliquid. Quare contempsit? Quia hæc via eorum scandalum est illis. Non putavit vitam nisi præsentem, non cogitavit nisi quemadmodum pretiosis vestibus obvolutus sepeliretur. Ablata est ab illo anima ejus, sicut Dominus dicit: *Stulte, hac nocte auferetur anima tua, et quæ præparasti, cujus erunt* (*Id.* XII, 20)? Et impletum est in illo quod iste psalmus dicit: *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus: quoniam non cum morietur accipiet omnia, neque simul descendet cum eo gloria ejus.*

8. [*vers.* 19.] *Quoniam anima ejus in vita ipsius benedicetur.* Intendat Charitas Vestra: *Quoniam anima ejus in vita ipsius benedicetur.* Quamdiu vixit, bene sibi fecit. Hoc dicunt omnes, sed falso dicunt. Benedictio est ab animo benedicentis, non ab ipsa veritate. Quid enim dicis tu? Quia manducavit et bibit, quia fecit quod voluit, quoniam splendide epulatus est, ideo secum fecit bene? Ego dico: Fecit secum male. Non ego dico, sed Christus: Fecit secum male. Etenim dives ille quando quotidie epulabatur splendide, bene secum facere putabatur: cum autem cœpit ardere apud inferos, tunc inventum est male quod putabatur bene. Quod enim manducaverat apud superos, hoc digerebat apud inferos. Iniquitatem dico, fratres, quam epulabatur. Manducabat pretiosas epulas ore carnis, ore cordis manducabat iniquitatem. Quod apud superos ore cordis manducabat, hoc apud inferos in illis suppliciis digerebat. Et quidem temporaliter manducaverat, in æternum male digerebat. Manducatur ergo iniquitas? forte aliquis dicit: Quid est quod loquitur? Manducatur iniquitas? Non ego dico, audi Scripturam: *Sicut uva acerba dentibus vexatio est, et fumus oculis, sic iniquitas utentibus ea* (*Prov.* X, 26). Qui manducaverit enim iniquitatem, id est, qui libenter habuerit iniquitatem, non poterit manducare justitiam. Panis enim justitia est. Quis est panis? *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41) Ipse est panis cordis nostri. Quomodo qui manducat ore corporis uvas acerbas, obrigescunt et obstupescunt dentes ejus, et minus idoneus fit ad manducandum panem, et remanet illi laudare quod videt, et manducare non posse: sic et qui iniquitate usus est, et pastus peccatis in corde, incipit non posse manducare panem, laudat verbum Dei, et non facit. Unde non facit? Quia cum cœperit facere, laborat; quomodo sentimus laborare dentes post uvas acerbas, cum cœperimus panem manducare. Sed quid faciunt illi quibus obstupuerunt dentes? Temperant se aliquantum ab uvis acerbis, et redeunt dentes ad stabilitatem suam, et incumbunt pani. Sic et nos laudamus justitiam: sed si volumus manducare justitiam, temperemus nos ab iniquitatibus; et nascitur in corde non solum delectatio laudandi justitiam, sed etiam facilitas manducandi. Nam si dicit Christianus, Deus novit quia delectat me, sed non possum facere: quassatos dentes habet, diu manducavit iniquitatem. Ergo et justitia manducatur? Si non manducaretur, non diceret Dominus: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* V, 6). Ergo *quoniam anima illius in vita ipsius benedicetur*: in vita benedicetur, in morte torquebitur.

9. *Confitebitur tibi, cum bene feceris ei.* Attendite et pascimini, hæreat in cordibus vestris; manducate, videte tales, et nolite esse tales: cavete talia verba. *Confitebitur tibi, cum bene feceris ei.* Quam multi sunt christiani, fratres, qui tunc Deo gratias agunt, quando illis accidit lucrum! Hoc est, *Confitebitur tibi, cum bene feceris ei*: laudabit te, et dicet, Vere quia tu es Deus meus: liberavit me de carcere, confitebor illi. Venit illi lucrum, confitetur; venit hæreditas, confitetur: patitur damnum, blasphemat. Qualis filius es, qui [1] quando te pater emendat, tunc tibi displicet? Emendaret, nisi displiceres? aut si sic displiceres ut odisset, vellet emendare [2]? Gratias age ergo emendatori, ut accipias hæreditatem a Deo qui te emendat. Erudiris enim, cum emendaris. Sed multum emendat, quia magnum est quod habes accipere. Nam si appendas quod emendaris cum eo quod accepturus es, invenies quia nihil est quod

[1] Edd., *quia*. At Mss. *qui*.
[2] Edd.: *Non emendaret, nisi displiceres: aut si sic displiceres, ut odisset, non ille te emendaret.* Mss. vero habent lectionem hac in editione restitutam.

emendaris. Apostolus Paulus hoc dicit : *Etenim quod ad præsens est temporale leve tribulationis nostræ, juxta incredibilem modum æternum gloriæ pondus operatur nobis.* Sed quando? *Non respicientibus*, inquit, *quæ videntur, sed quæ non videntur; non quæ temporalia, sed quæ æterna. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna* (II *Cor.* IV, 17, 18). Et iterum : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Quid est ergo quod pateris? Sed semper pateris. Concedo. Ex quo natus es, per omnes ætates tuas usque ad senectam tuam, quousque morieris, puta quia hoc pateris quod est passus Job; quod ille passus est aliquot diebus, aliquis patiatur ab ipsa infantia : quod pateris transit, finitur; quod accepturus es, finem non habebit. Nolo jam æques pœnam cum præmio : tempora æqua æternitati, si potes [1].

10. *Confitebitur tibi, cum bene feceris ei.* Nolite esse tales, fratres : videte quia propterea dicimus hæc, propterea cantamus, propterea tractatur, propterea sudatur : nolite facere ista. Negotia vestra vos probant : aliquando in negotio vestro auditis verum [2], et blasphematis, Ecclesiam blasphematis. Quare? Quia christiani estis. Si sic est, duco me in partem Donati : paganus volo esse. Quare? Quia momordisti panem, et dolent dentes. Quando videbas ipsum panem, laudabas; cœpisti manducare, et dolent dentes : id est, quando audiebas sermonem Dei, collaudabas, cum tibi dicitur, Fac hoc, blasphemas. Noli sic velle : hoc dic, Bonus est panis, sed ego non possum illum manducare. Nunc autem si oculis vides, laudas : cum cœperis dentes premere, dicis, Malus est panis iste, et qualis est ille qui illum fecit? Ita fit ut confitearis Deum, quando tibi bene facit Deus; et mentiaris, quando cantas, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 2). Exigitur de corde tuo cantatio labiorum tuorum : cantasti in Ecclesia, *Benedicam Dominum in omni tempore* : quomodo *in omni tempore?* Si omni tempore lucrum, omni tempore benedicitur : si aliquando est damnum, non benedicitur, sed blasphematur. Certe benedicis in omni tempore, certe laus ejus semper in ore tuo est [3]? Eris talis qualem modo describit : *Confitebitur tibi, cum bene feceris ei.*

11. [*vers.* 20, 21.] *Introibit usque in progenies patrum suorum :* id est, imitabitur patres suos. Quia iniqui qui modo sunt, habent fratres, habent patres. Antiqui iniqui, patres sunt præsentium; et modo qui iniqui sunt, patres sunt posterorum iniquorum : quomodo patres justorum antiqui justi, patres sunt justorum qui modo sunt; et qui modo sunt, patres sunt eorum qui futuri erunt. Ostendere voluit Spiritus sanctus quia non est mala æquitas, quando ad illam murmuratur : sed hic ab origine usque ad progeniem patrum patrem suum habent. Duos genuit Adam, et in uno iniquitas, in uno justitia : iniquitas in Cain, justitia in Abel. Prævaluisse videtur iniquitas super justitiam, quia occidit Cain injustus Abel justum in nocte [1] (*Gen.* IV, 8). Numquid mane? Sed *dominabuntur eis recti mane.* Veniet mane, et videbitur ubi sit Abel, et ubi Cain. Sic omnes qui secundum Cain, et sic omnes qui secundum Abel usque in finem sæculi. *Introibit usque in progenies patrum suorum : usque in æternum non videbit lumen.* Quia et hic cum esset, in tenebris erat, gaudens falsis bonis, et non amans bona vera; et ideo hinc ad tartarum ibit : a tenebris somniorum excipient eum tenebræ tormentorum. Ergo *usque in æternum non videbit lumen.* Sed quare hoc? Quod posuit in medio Psalmo, hoc et in fine : *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insensatis, et similis factus est illis.* Vos autem, fratres, considerate vos homines factos ad imaginem et similitudinem Dei (*Id.* I, 26). Imago Dei intus est, non est in corpore : non est in auribus istis quas videtis, et oculis, et naribus, et palato, et manibus, et pedibus : sed est facta tamen : ubi est intellectus, ubi est mens, ubi ratio investigandæ veritatis [2], ubi est fides, ubi est spes vestra, ubi charitas vestra, ibi habet Deus imaginem suam : vel ibi intelligitis et videtis quia ista transeunt, quia sic dixit in alio psalmo, *Quanquam in imagine ambulet homo, tamen vane conturbatur : thesaurizat, et nescit cui congregabit ea* (*Psal.* XXXVIII, 7). Non turbemini, quia qualiacumque sunt ista, transitoria sunt, si homines estis in honore positi, et intelligitis. Nam si homines in honore positi non intelligitis, comparamini jumentis insensatis, et similes efficimini illis.

IN PSALMUM XLIX
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Quantum nobis valeat sermo Dei ad correctionem vitæ nostræ, et ad speranda præmia ejus pœnasque metuendas, unusquisque in se metiatur [3]; et conscientiam suam ante oculos ejus sine dolo ponat, nec sibi blandiatur in tanto periculo; quoniam et ipse Dominus Deus noster videtis quia nulli blanditur : et si consolatur nos promittendo bona sua, et confirmando spem nostram; male viventibus tamen, et contemnentibus verbum suum omnino non parcit. Interroget se unusquisque cum tempus est, et videat ubi sit, et aut perseveret in bono, aut mutetur a malo. Sicut enim dicit in hoc psalmo, non quicumque homo, aut quicumque angelus, sed *Deus deorum Dominus locutus est.* Loquendo autem quid egit? *Vocavit terram a solis ortu usque ad occasum.* Qui vocavit terram a solis ortu usque ad occasum, Dominus noster et Salvator est Jesus Chr-

[1] Er. et duo Mss., *cum præmio temporali, æqua æternitati, si potes.* Am., *cum præmio; temporale æqua,* etc. Lov., *temporalia æqua,* etc. At plerique Mss., *tempora æqua,* etc.

[2] Quinque Mss., *verbum.*

[3] Sic Mss. At Edd.: *Certe quia non benedicis in omni tempore, certe quia non semper laus,* etc.

[1] Sic melioris notæ Mss. Editi vero, *innocentem.*

[2] Omnes fere Mss., *sed est facta mens, ubi est,* etc. Paulo post : *invigilandæ veritatis.*

[3] Mss. Vatic. et Reg., *mediletur.*

nus. Verbum caro factum, ut inhabitaret in nobis. Dominus ergo noster Jesus Christus Deus deorum est; quia per ipsum facta sunt omnia, et sine ipso factum est nihil. Verbum Dei, si Deus est, utique Deus deorum est: utrum autem sit Deus, Evangelium respondet, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Et si omnia per ipsum facta sunt, sicut consequenter dicit, et dii si qui facti sunt, per ipsum facti sunt. Unus enim Deus non factus, et vere Deus ipse solus. Ipse autem solus Deus, Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus Deus.

2. Dii ergo quorum Deus est verus Deus, qui sunt, aut ubi sunt? Dicit alius psalmus: *Deus stetit in synagoga deorum; in medio autem deos discernit.* Adhuc nescimus ne forte dii aliqui in cœlo congregati sint, et in eorum congregatione, hoc est enim in synagoga, stetit Deus discernere illos. Videte in eodem psalmo quibus dicat: *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes: vos autem ut homines moriemini, et sicut unus ex principibus cadetis* (*Psal.* LXXXI, 1, 6, 7). Manifestum est ergo, quia homines dixit deos, ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos. Ille enim justificat, qui per semetipsum non ex alio justus est; et ille deificat, qui per seipsum non alterius participatione Deus est. Qui autem justificat, ipse deificat, quia justificando, filios Dei facit. *Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Si filii Dei facti sumus, et dii facti sumus: sed hoc gratiæ est adoptantis, non naturæ generantis. Unicus enim Dei Filius Deus et cum Patre unus Deus, Dominus et Salvator noster Jesus Christus, in principio Verbum et Verbum apud Deum, Verbum Deus. Cæteri qui fiunt dii, gratia ipsius fiunt, non de substantia ejus nascuntur ut hoc sint quod ille, sed ut per beneficium perveniant ad eum, et sint cohæredes Christi. Tanta enim charitas est in illo hærede, ut voluerit habere cohæredes. Quis hoc avarus homo velit, habere cohæredes? Sed et qui invenitur velle, dividet cum eis hæreditatem, minus habens ipse dividens quam si solus possideret: hæreditas autem in qua cohæredes Christi sumus, non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate cohæredum; sed tanta est multis quanta paucis, tanta singulis quanta omnibus. *Videte*, inquit apostolus, *qualem dilectionem nobis dedit Deus, ut filii Dei vocemur e*[illegible]*mus.* Et in alio loco: *Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus.* Ergo sumus in spe, nondum in re. *Scimus autem*, inquit, *quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 1, 2). Unicus similis nascendo, nos similes videndo [1]. Non enim ita similes ut ille, qui hoc est quod ille a quo genitus est: nos enim similes, non æquales: ille quia æqualis, ideo similis. Audivimus qui sint dii facti justificati, quia filii Dei dicuntur; et dii qui non sunt dii, quibus ille Deus deorum terribilis est. Dicit enim alius psalmus: *Terribilis est super omnes deos.* Et quasi quæreres, Quos deos? *Quoniam omnes dii gentium dæmonia* (*Psal.* XCV, 4, 5). Diis gentium, dæmoniis terribilis; diis a se factis, filiis amabilis. Proinde confitentes majestatem Dei utrosque invenio, et dæmonia confessa sunt Christum, et fideles confessi sunt Christum. *Tu es Christus Filius Dei vivi*, dixit Petrus (*Matth.* XVI, 16). *Scimus qui sis: tu es Filius Dei*, dixerunt dæmones (*Marc.* V, 7). Parem audio confessionem, sed non parem invenio dilectionem; imo vero hic dilectionem, ibi timorem. Quibus ergo amabilis, filii sunt; quibus terribilis, filii non sunt: quibus amabilis, deos illos fecit; quibus terribilis, non esse deos convincit. Hi enim dii fiunt, illi dii putantur: hos deos facit veritas, illos error existimat.

3. *Deus ergo deorum Dominus locutus est.* Locutus est multis modis. Per Angelos ipse locutus est, per Prophetas ipse locutus est, per os proprium ipse locutus est, per Apostolos suos ipse locutus est, per fideles suos ipse loquitur, per humilitatem nostram, cum aliquid verum dicimus, ipse loquitur. Videte itaque, loquendo multipliciter, multis modis, per multa vasa, per multa organa, ipse tamen sonat ubique, tangendo, modificando, inspirando: videte quid egerit. *Locutus est* enim, *et vocavit terram* Quam terram? An forte Africam? propter eos qui dicunt, Ecclesia Christi pars Donati est, Solam quidem Africam non vocavit, sed et Africam non separavit. Qui enim *vocavit terram a solis ortu usque ad occasum*, nullas relinquens partes quas non vocarit, in sua vocatione Africam invenit. Gaudeat ergo in unitate, non superbiat in divisione. Bene dicimus quia vox Dei deorum et in Africam venit, non in Africa remansit. *Vocavit* enim *terram a solis ortu usque ad occasum*, Non est ubi lateant insidiæ hæreticorum, non habent in qua se umbra falsitatis abscondant: nec enim est qui se abscondat a calore ejus (*Psal.* XVIII, 7). Qui terram vocavit, et totam terram vocavit: qui terram vocavit, tantam vocavit quantam fabricavit. Quid mihi exsurgunt pseudochristi et pseudoprophetæ? quid est quod me verbis captiosis illaqueare moliuntur, dicentes, *Ecce hic est Christus, ecce illic est* (*Matth.* XXIV, 23)? Non audio ostendentes partes: Deus deorum totum mihi ostendit: qui *vocavit terram a solis ortu usque ad occasum*, totum redemit; partes autem calumniantes condemnavit.

4. [*vers.* 2.] Sed audierimus, a solis ortu usque ad occasum vocatam terram: unde cœpit vocare qui vocavit? Et hoc audite: *Ex Sion species decoris ejus.* Certe concordat Psalmus Evangelio dicenti: *Per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem.* Audi, *Per omnes gentes: Vocavit terram a solis ortu usque ad occasum.* Audi, *Incipientibus ab Jerusalem: Ex Sion species decoris ejus.* Ergo, *Vocavit terram a solis ortu usque ad occasum*, concordat verbis Domini dicentis: *Oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes* (*Luc.* XXIV, 46, 47). Omnes enim gentes sunt a solis ortu usque ad occasum. Quod vero *Ex Sion species decoris ejus*,

[1] Sic Mss. At Edd., *vivendo*.

quod inde cœpit decus Evangelii ejus, quod inde annuntiari cœpit speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3), concordat verbis Domini dicentis, *Incipientibus ab Jerusalem.* Concinunt nova veteribus, vetera novis : dicunt ad invicem seraphim duo, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth* (*Isai.* VI, 3). Et consonant duo Testamenta, et unam vocem habent duo Testamenta : audiatur vox concinentium Testamentorum, non calumniantium exhæredatorum. Fecit ergo ista Deus deorum, *Vocavit terram a solis ortu usque ad occasum*, ex Sion procedente specie sua. Ibi enim erant discipuli, qui acceperunt Spiritum sanctum quinquagesimo post resurrectionem ejus die missum de cœlo (*Act.* II, 4). Inde Evangelium, inde prædicatio, inde impletus orbis terrarum, et hoc in gratia fidei.

5. Nam cum ipse Dominus venisset, quia passurus venit, occultus venit : et cum esset fortis in se, infirmus in carne apparuit. Oportebat enim eum videri, ut non intelligeretur; contemni, ut occideretur. Erat gloriæ species in divinitate; sed hæc latebat in carne. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I *Cor.* II, 8). Sic ergo inter Judæos, inter inimicos ambulavit occultus, mira faciens, mala patiens, donec suspenderetur in ligno; videntesque pendentem Judæi magis magisque contemnerent, et ante crucem caput agitantes, dicerent : *Si Filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII, 38, 39). Occultus ergo erat Deus deorum, et voces edebat magis ex compassione nostra, quam ex majestate sua. Unde enim illæ voces, nisi ex nobis assumptæ, *Deus, Deus meus, utquid me dereliquisti* (*Psal.* XXI, 2, *et Matth.* XXVII, 46). Quando autem Pater Filium dereliquit, aut Filius Patrem? Nonne unus Deus, Filius et Pater? nonne verissimum, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30)? Unde ergo, *Deus, Deus meus, utquid me dereliquisti*, nisi quia in carne infirmitatis agnoscebatur vox peccatoris? Qui enim suscepit similitudinem carnis peccati (*Rom.* VIII, 3), cur non susciperet similitudinem vocis peccati? Occultus ergo Deus deorum et cum inter homines ambulavit, et cum esurivit et sitivit, et cum fatigatus sedit, et cum lassato corpore dormivit, et cum apprehensus, et cum flagellatus, et cum ante judicem positus, et cum superbienti respondit, *Non haberes in me potestatem, nisi data fuisset desuper* (*Joan.* XIX, 11) : et quod ductus ad victimam, coram tondente se non aperuit os suum (*Isai.* LIII, 7), et quod crucifixus, et quod sepultus, semper occultus Deus deorum. Quid postea quam resurrexit? Mirati discipuli, et primo [1] non crediderunt, donec tangerent atque palparent (*Luc.* XXIV). Sed caro resurrexerat, quia caro mortua erat : divinitas quæ mori non poterat, adhuc etiam in carne resurgentis latebat. Videri forma potuit, teneri membra, palpari cicatrices : Verbum per quod facta sunt omnia, quis videt? quis tenet? quis palpat? Et tamen Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14). Et qui tenebat hominem Thomas, intelligebat ut poterat Deum. Palpatis enim cicatricibus, exclamavit : *Dominus meus et Deus meus* (*Joan.* XX, 28). Ostendebat tamen Dominus eam formam, eamque carnem quam in cruce viderant, quæ in sepultura posita fuerat. Fecit [1] cum eis quadraginta dies. Impiis Judæis non se demonstravit : illis demonstravit se, qui in eum crediderant antequam crucifigeretur; ut quos crucifixus dimiserat titubantes, resurgens faceret fortes. Deinde quadragesimo die commendans Ecclesiam suam, id est vocatam terram a solis ortu usque ad occasum, ne haberent excusationem qui volunt in schismate deperire, ascendit in cœlum, dicens eis, *Eritis mihi testes in Jerusalem*(unde *species decoris ejus*), *et in totam Judæam et Samariam, et usque in totam terram.* His enim dictis, nubes suscepit eum. Intuebantur illi quem noverant : noverant tamen in humilitate, nondum in claritate. Et cum ab eis iret in cœlum, admoniti sunt voce angelica dicente : *Quid statis, viri Galilæi? Hic Jesus quem videtis ire, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.* Ascendit ergo : regressi illi lætantes, manserunt in civitate, secundum ejus præceptum, donec implerentur Spiritu sancto (*Act.* I, 3-12). Quid autem dictum erat Thomæ palpanti? *Quia vidisti, credidisti; beati qui non vident, et credunt* [2] (*Joan.* XX, 29). Prædicti sumus. Terra illa vocata a solis ortu usque ad occasum non videt, et credit. Occultus ergo Deus deorum, et eis inter quos ambulavit, et eis a quibus crucifixus est, et eis ad quorum oculos resurrexit, et nobis qui credimus in cœlo sedentem, quem non vidimus in terra ambulantem. Sed etsi videremus, nonne hoc videremus quod Judæi viderunt et crucifixerunt? Plus est quod non videntes Christum credimus Deum, quam quod illi videntes nonnisi hominem putaverunt. Illi denique male putando mortificaverunt, nos bene credendo vivificamur.

6. [*Vers.* 3.] Quid ergo, fratres? Ille Deus deorum, et tunc occultus, et modo occultus, numquid semper occultus? Non plane : audi sequentia : *Deus manifestus veniet.* Qui venit occultus, veniet manifestus : venit occultus judicandus, veniet manifestus judicaturus; venit occultus ut ante judicem staret, veniet manifestus ut etiam de judicibus judicet : *Veniet manifestus et non silebit.* Quid enim? modo silet? Et unde sunt quæ dicimus? unde ista præcepta? unde ista monita? unde ista tuba terroris? Non silet, et silet : non silet a monendo, silet a vindicando; non silet a præcepto, silet a judicio. Patitur enim peccatores quotidie mala facientes, Deum non curantes, non in conscientia sua, non in cœlo, non in terra : non eum latent hæc omnia, et universaliter omnes admonet, et quando aliquos flagellat in terra, admonitio est, nondum damnatio. Silet ergo a judicio, occultus in cœlo est, adhuc interpellat pro nobis : patiens est super peccatores, non exercens iram, sed exspectans pœnitentiam. Dicit alio loco :

[1] Colb. Ms. . *Qui postea quam resurrexit, mirati discipuli primo*, etc.

[1] Edd., *fuit.* At omnes Mss., *fecit;* nec male, pro *transegit.*

[2] Edd.: *Beati qui non viderunt et crediderunt.* At Mss., *qui non vident et credunt.*

Tacui, numquid semper tacebo (*Isai.* XLII, 14)? Quando ergo non tacebit, *Deus manifestus veniet.* Quis Deus? *Deus noster.* Et ipse Deus, qui Deus noster: non enim Deus est, qui non est noster Deus. Dii enim Gentium dæmonia: Deus Christianorum, verus Deus. Ipse veniet, sed manifestus, non adhuc illudendus, non adhuc exalapandus et flagellandus; veniet, sed manifestus, non adhuc calamo in capite percutiendus, non adhuc crucifigendus, occidendus, sepeliendus: quia hæc omnia occultus Deus pati voluit. *Veniet manifestus, et non silebit.*

7. Quia vero ad judicium veniet, sequentia docent. Ignis ante eum præibit (*Psal.* XCVI, 3). Timemus? Mutemur, et non timebimus. Ignem palea timeat: auro quid facit? Est autem nunc in potestate quid facias, ne illud quod et te nolente venturum est, non correctus experiaris. Si enim possemus facere, fratres, ut dies judicii non veniret, puto quia nec sic erat male vivendum. Si non veniret ignis die judicii, et sola peccatoribus immineret separatio a facie Dei, in qualibet essent affluentia deliciarum, non videntes a quo creati sunt, et separati ab illa dulcedine ineffabilis vultus ejus, in qualibet æternitate et impunitate peccati, plangere se deberent. Sed quid loquar, aut quibus loquar? Hæc amantibus pœna est, non contemnentibus. Qui dulcedinem sapientiæ et veritatis utcumque sentire cœperunt, noverunt quod dico, quanta pœna sit tantummodo a facie Dei separari: qui autem illam dulcedinem non gustaverunt, si nondum desiderant Dei faciem, timeant vel ignem; supplicia terreant quem præmia non invitant. Vile tibi est quod Deus pollicetur, contremisce quod minatur. Veniet dulcedo præsentiæ; non mutaris, non excitaris, non suspiras, non desideras: amplexaris peccata tua et delicias carnis tuæ, stipulam ad te congeris, veniet ignis. *Ignis in conspectu ejus ardebit.* Non erit iste ignis sicut focus tuus; quo tamen si manum mittere cogaris, facies quidquid voluerit qui hoc minatur. Si tibi dicat, Scribe contra caput patris tui, scribe contra capita filiorum tuorum; nam si non feceris, manum tuam mitto in focum tuum: facies ne ardeat manus tua, ne ardeat ad tempus membrum tuum, non semper in dolore futurum. Minatur ergo inimicus tam leve malum, et facis malum: minatur Deus æternum malum, et non facis bonum! Ad malum faciendum nec minæ te compellere deberent: a bono faciendo nec minæ te deterrere deberent. Minis autem Dei, minis æterni ignis prohiberis a malo, invitaris ad bonum. Unde piget, nisi quia non credis? Excutiat ergo unusquisque cor suum, et videat quid ibi fides teneat [1]. Si credimus futurum judicium, fratres, bene vivamus. Tempus misericordiæ nunc est, tempus judicii tunc erit. Nemo dicet, Revoca me ad priores annos. Pœnitebit et tunc, sed frustra pœnitebit: modo pœniteat, cum fructus est pœnitendi; modo adhibeatur ad radices arboris cophinus stercoris, cordis luctus et lacrymarum, ne veniat [2] et eradicet (*Luc.* XIII, 8). Cum enim eradicaverit, jam ignis exspectatur. Modo etsi fracti sunt rami, possunt rursus inseri: tunc omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* III, 10). *Ignis in conspectu ejus ardebit.*

8. *Et in circuitu ejus tempestas valida.* Valida tempestas, ventilatura tam magnam aream. Hac tempestate erit illa ventilatio, qua separabitur a sanctis omne immundum, a fidelibus omnis simulatio, a piis et trementibus verbum Dei omnis contemptor et superbus. Modo enim mixtura quædam jacet a solis ortu usque ad occasum. Videamus ergo quomodo faciet qui venturus est, tempestate illa quid facturus, quæ erit *in circuitu ejus tempestas valida.* Procul dubio ista tempestas quamdam separationem factura est. Ista est illa separatio, quam non exspectaverunt qui antequam ad littus venirent, retia disruperunt (*Luc.* V, 6). In illa vero separatione fit quædam malorum et bonorum distinctio. Alii sunt enim sequentes nunc Christum, expeditis humeris sine sarcina curarum sæcularium, qui non frustra audierunt, *Si vis esse perfectus, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me:* qualibus dicitur, *Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 21, 28). Alii ergo erunt judicantes cum Domino: alii vero judicandi, sed ad dexteram ponendi. Nam quia erunt quidam judicantes cum Domino, habemus apertissimum testimonium quod modo commemoravi: *Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel.*

9. Sed dicit aliquis: duodecim illic Apostoli consedebunt, non amplius. Ubi ergo erit apostolus Paulus? Numquid inde separatus erit? Absit ut hoc dicamus, absit ut hoc vel tacite cogitemus. Quid si ergo in loco Judæ ipse residebit? Sed manifestavit Scriptura divina, quis in Judæ loco sit ordinatus: Matthias enim est expresse nominatus in Actibus Apostolorum, ut de illo dubitare non possemus (*Act.* I, 26). Cadente ergo Juda, impletus est numerus duodenarius. Cum ergo ille numerus duodenarius occupaverit duodecim sedes, non judicabit Paulus apostolus? An forte stans judicabit? Non ita est: non faciet hoc ille justitiæ retributor: non omnino stans judicabit qui plus omnibus illis laboravit (I *Cor.* XV, 10). Certe vel iste unus apostolus Paulus cogit nos diligentius cogitare et perscrutari, quare dictæ sint duodecim sedes. Invenimus enim et alios numeros in Scripturis multitudinem significantes. Quinque virgines admittuntur, quinque excluduntur (*Matth.* XXV, 10, 12). Ubilibet intellige virgines: sive in castitate atque integritate cordis, ubi debet virgo esse tota Ecclesia, cui dicitur, *Desponsavi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo* (II *Cor.* XI, 2); sive in his feminis quæ etiam integritatem carnis dicatam habent Deo: numquid in tot millibus solæ quinque sunt? Sed in quinario numero intelligitur continentia quinque sensuum carnis. Etenim multis venit corruptio per oculos, multis per aurem, multis per illicitum olfactum, multis per gu-

[1] Plures Mss., *quid ibi fidei teneat.*
[2] Edd., *ne veniat ventus et eradicet.* Abest *ventus* a Mss.

farium gustum, multis per adulterinum amplexum: ab his omnibus quinque januis corruptionis quicumque se continent, et sic continent ut in sua conscientia gloriam habeant, non laudem ab hominibus exspectent, quinque sunt virgines sapientes, habentes oleum secum. Quid est, oleum habentes secum? Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ (II *Cor.* I, 12). Rursus ille qui apud inferos torquebatur: *Habeo*, inquit, *quinque fratres* (*Luc.* XVI, 28). Ibi intelligitur populus Judæorum sub lege positus: quia Moyses legislator quinque libros conscripsit. Item Dominus post resurrectionem jubet mitti retia in dexteram partem, levantur pisces centum quinquaginta tres. Et cum tam magni essent, ait evangelista, retia non sunt disrupta (*Joan.* XXI, 6, 11). Etenim ante passionem jussit mitti retia, non dicens in dexteram partem neque in sinistram: quia si in dexteram diceret, solos bonos significaret; si in sinistram, solos malos: ubi autem tacetur dextera et sinistra, mixti capiuntur boni et mali. Capti sunt autem tunc, sicut Evangelii veritas attestatur, tam multi ut retia rumperentur (*Luc.* V, 6). Significabat enim illa captura hoc tempus: retia rupta significabant conscissiones et conscissuras hæreticorum et schismaticorum. Quod autem post resurrectionem suam Dominus fecit, post resurrectionem nostram nobis futurum significavit, in illo numero regni cœlorum, ubi nullus erit malus. Propterea retia quæ in dexteram partem missa sunt, dexteros expresserunt, remotis sinistris. Numquid tamen in illis dextris centum quinquaginta tres soli justi erunt? Millia millium Scriptura significat (*Dan.* VII, 10). Legite Apocalypsim: duodecies duodena millia fortasse, sicut ibi intelligitur, ex solo populo Judæorum futura sunt (*Apoc.* VII, 4). Attendite martyrum numerositatem: sola in proximo quæ dicitur Massa candida (*a*), plus habet quam centum quinquaginta tres martyres. Postremo septem illa millia de quibus respondetur Eliæ, *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal* (III *Reg.* XIX, 18), longe istum piscium numerum superant. Centum ergo quinquaginta tres pisces non tantum numerum sanctorum significat; sed universum sanctorum et justorum numerum certa causa tanto numero significat Scriptura, ut omnes intelligantur in illis centum quinquaginta tribus pertinentes ad resurrectionem vitæ æternæ. Etenim Lex habet decem præcepta: Spiritus autem gratiæ, per quam solam Lex impletur, septiformis legitur (*Isai.* XI, 2, 3). Discutiendus est ergo numerus, quid sibi velint decem et septem: decem in præceptis, septem in gratia Spiritus sancti; per quam gratiam implentur præcepta. Decem ergo et septem tenent omnes pertinentes ad resurrectionem, ad dextram, ad regnum cœlorum, ad vitam æternam; id est Legem implentes per gratiam Spiritus, non quasi per opus suum aut per meritum suum. Decem autem et septem, si numeres ab uno usque ad decem et septem, addendo numeros omnes gradatim, ut ad unum addas duo, addas tria, addas quatuor, ut fiant decem, addendo quinque ut fiant quindecim, addendo sex ut fiant viginti unum, addendo septem ut fiant viginti octo, addendo octo ut fiant triginta sex, addendo novem ut fiant quadraginta quinque, addendo decem ut fiant quinquaginta quinque, addendo undecim ut fiant sexaginta sex, addendo duodecim ut fiant septuaginta octo, addendo tredecim ut fiant nonaginta unum, addendo quatuordecim ut fiant centum quinque, addendo quindecim ut fiant centum viginti, addendo sexdecim ut fiant centum triginta sex, addendo decem et septem, efficiuntur centum quinquaginta tria: invenies ingentem numerum omnium sanctorum pertinere ad hunc numerum piscium paucorum. Quomodo ergo in quinque virginibus innumerabiles virgines, quomodo in quinque fratribus illius qui torquebatur apud inferos millia populi Judæorum, quomodo in numero centum quinquaginta trium piscium millia millium sanctorum: sic in duodecim sedibus non duodecim homines, sed magnus est numerus perfectorum.

10. Sed video quid consequenter requiratur a nobis: Quomodo de quinque virginibus reddita est ratio, quare ad quinque multæ pertineant, et quare ad quinque illos multi Judæi, et quare ad centum quinquaginta tres multi perfecti, ostende quare et quomodo ad duodecim sedes, non duodecim homines, sed multi pertineant. Quid sibi volunt duodecim sedes, quæ significant omnes undique qui tam perfecti esse potuerint, quam perfectis dictum est: *Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel?* Et quare omnes undique ad duodenarium numerum pertinent? Quia ipsum undique quod dicimus, de toto mundo dicimus: orbis autem terrarum quatuor designatis partibus continetur, oriente, occidente, meridiano et aquilone: ab his omnibus partibus vocati in Trinitate, et perfecti fide et præcepto Trinitatis, quoniam ter quaterni duodecim fiunt, agnoscitis quare ad totum orbem pertineant sancti, qui sedebunt super duodecim sedes judicaturi duodecim tribus Israel; quia et duodecim tribus Israel, totius Israel duodecim tribus sunt. Sicut enim judicaturi ex toto mundo, sic et judicandi ex toto mundo. Apostolus de se Paulus cum argueret fideles laicos, quia judicia sua non ad Ecclesiam deferebant, sed ad publicum pertrahebant eos cum quibus habebant negotia, ait: *Nescitis quia Angelos judicabimus* (I *Cor.* VI, 3)? Videte quemadmodum judicem se fecit; non solum se, sed et omnes qui recte judicant in Ecclesia.

11. Cum ergo manifestum sit, multos cum Domino judicaturos, alios vero, non tamen ex æquo, sed pro meritis judicandos; cum omnibus Angelis suis veniet, quando ante eum congregabuntur omnes gentes (*Matth.* XXV, 31, 32), et inter omnes Angelos deputandi erunt illi, qui tam perfecti fuerint ut sedentes super duodecim sedes judicent duodecim tribus Israel. Etenim homines dicti sunt angeli: Apostolus de se dicit, *Sicut angelum Dei suscepistis me* (*Gal.* IV, 14). De Joanne Baptista dicitur: *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te* (*Malach.* III,

(*a*) Massa candida. Vide Serm. CCCVI, n. 2.

1, et *Matth.* xi, 10). Ergo cum omnibus Angelis veniens, simul secum habebit et sanctos. Aperte enim dicit et Isaias : *Veniet ad judicium cum senioribus populi* (*Isai.* iii, 14). Isti ergo seniores populi, isti jam Angeli nominati, ista millia multorum perfectorum de toto orbe venientium, cœlum vocantur. Illa vero, terra, sed fructuosa. Quæ terra fructuosa ? In dextra ponenda, cui dicetur, *Esurivi, et dedistis mihi manducare :* vere terra fructuosa, cui gaudet Apostolus, quando ei miserunt ad necessitates ejus : *Non quia quæro datum*, inquit, *sed requiro fructum.* Et gratias agit dicens : *Quia tandem aliquando repullulastis pro me sapere* (*Philipp.* iv, 17, 10). *Repullulastis* ut arboribus dicit, quæ sterilitate quadam exaruerant. Veniens itaque Dominus ad judicium, ut jam Psalmum, fratres, audiamus, quid facturus est ? *Advocabit cœlum sursum :* cœlum, omnes sanctos perfectos judicaturos; advocabit eos sursum, sessores secum judicaturos duodecim tribus Israel. Quomodo enim *Advocabit cœlum sursum*, cum semper sursum sit cœlum ? Sed quos hic cœlum dicit, eosdem cœlos alibi appellat. Quos cœlos ? Qui enarrant gloriam Dei : *Cœli* enim *enarrant gloriam Dei :* de quibus dicitur, *In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* xviii, 2, 5). Videte enim discernentem Dominum in judicio : *Advocabit cœlum sursum, et terram discernere populum suum.* A quibus, nisi a malis ? De quibus hic postea non fit mentio, jam tanquam dijudicatis ad pœnam. Istos bonos vide, et distingue. *Advocabit cœlum sursum, et terram discernere populum suum.* Vocat et terram, non tamen concernendam, sed discernendam. Primo enim concretos vocavit [1], quando *locutus est Deus deorum, et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum ;* nondum discreverat : servi illi [2] missi erant invitare ad nuptias, qui congregaverant bonos et malos (*Matth.* xxii, 10). Cum vero Deus deorum *manifestus veniet, et non silebit*, sic *advocabit cœlum sursum*, ut judicet cum illo. Quod enim cœlum, ipsi cœli; sicut quæ terra, ipsæ terræ; sicut quæ Ecclesia, ipsæ Ecclesiæ. *Advocabit cœlum sursum, et terram discernere populum suum.* Jam cum cœlo terram discernit, id est, cœlum cum illo terram discernit. Quomodo discernit terram ? Ut alios ponat ad dextram, alios ad sinistram. Terræ autem discretæ quid dicit ? *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare*, et cætera. Illi autem : *Quando te vidimus*, inquiunt, *esurientem ?* Et ille : *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Id.* xxv, 34-40). Cœlum terræ ostendit minimos suos jam sursum vocatos, et ab humilitate exaltatos : *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Advocabit* ergo *cœlum sursum, et terram discernere populum suum.*

12. [*vers.* 5.] *Congregate illi justos ejus.* Vox divina et prophetica, videns futura tanquam præsentia, exhortatur Angelos congregantes. Mittet enim Angelos suos, et congregabuntur ante eum omnes gentes (*Matth.* xxv, 32). *Congregate illi justos ejus.* Quos justos, nisi viventes ex fide, facientes opera misericordiæ ? Etenim opera illa, justitiæ opera sunt. Habes Evangelium : *Cavete justitiam vestram facere coram hominibus, ut videamini ab eis.* Et quasi quæreretur, Quam justitiam ? *Cum ergo facis eleemosynam*, inquit (*Id.* vi, 1, 2). Ergo eleemosynas opera justitiæ esse significavit. Ipsos congregate justos ejus : eos congregate qui compassi sunt inopi, qui intellexerunt super egenum et pauperem : congregate illos, conservet eos Dominus, et vivificet eos (*Psal.* xl, 2, 3). *Congregate illi justos ejus : qui disponunt testamentum ejus super sacrificia :* id est, qui cogitant de promissis ejus super illa quæ operantur. Ipsa enim sunt sacrificia, Deo dicente, *Misericordiam volo plus quam sacrificium* (*Osee* vi, 6, et *Matth.* ix, 13). *Qui disponunt testamentum ejus super sacrificia.*

13. [*vers.* 6.] *Et annuntiabunt cœli justitiam ejus.* Vere hanc justitiam Dei cœli nobis annuntiaverunt, Evangelistæ prædixerunt. Per illos audivimus futuros quosdam ad dextram, quibus dicit paterfamilias, *Venite, benedicti Patris mei, percipite.* Quid percipite ? *Regnum.* Pro qua re ? *Esurivi, et dedistis mihi manducare.* Quid tam vile, quid tam terrenum, quam frangere panem esurienti ? Tanti valet regnum cœlorum. Frange esurienti panem tuum, et egenum sine tecto induc in domum tuam; si videris nudum, vesti (*Isai.* lviii, 7). Sed non habes facultatem frangendi panem, non habes domum quo inducas, non habes vestem qua cooperias : da calicem aquæ frigidæ (*Matth.* x, 42), mitte duo minuta in gazophylacium (*Marc.* xii, 42). Tantum emit vidua duobus minutis, quantum emit Petrus relinquens retia (*Matth.* iv, 20), quantum emit Zacchæus dando dimidium patrimonium (*Luc.* xix, 8). Tanti valet, quantum habueris. *Annuntiabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus judex est.* Vere judex, non concernens [1], sed discernens. Novit enim Dominus qui sunt ejus (*II Tim.* ii, 19). Etsi grana latent in palea, agricolæ nota sunt. Nemo timeat esse granum etiam inter paleam; non falluntur oculi ventilatoris nostri. Noli timere, ne illa tempestas quæ erit in circuitu ejus, concernat te cum palea. Certe valida erit tempestas; nullum tamen granum tollet a parte tritici ad paleam : quia non quilibet rusticus cum tridente, sed Deus Trinitas judex est. *Et annuntiabunt cœli justitiam ejus ; quoniam Deus judex est.* Eant cœli, annuntient cœli, in omnem terram exeat sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* xviii, 5) : et dicat illud corpus, *De finibus terræ ad te clamavi, cum angeretur cor meum* (*Psal.* lx, 3). Modo enim concretum gemit, discretum gaudebit. Clamet ergo, et dicat : *Ne comperdas cum impiis animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam* (*Psal.* xxv, 9). Non comperdit, quia Deus judex est. Clamet illi, et dicat, *Judica me, Domine, et discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* xlii, 1) : dicat, faciet ille : congre-

[1] Sic plerique Mss. At Lov., *non tamen conterendam, sed discernendam. Primo enim cum commixtos vocavit.*

[2] Sic plures Mss. At Edd., *nondum discreverant servi illi, qui missi erant*, etc.

[1] Tres Mss., *conterens :* et paulo infra, *conterat te cum palea.*

gabuntur ei justi ejus. Vocavit terram, ut discernat populum suum.

14. [*vers.* 7.] *Audi, populus meus, et loquar tibi.* Ille qui veniet et non silebit, videte quia et modo, si auditis, non silet: *Audi, populus meus, et loquar tibi.* Nam si non audis, non loquar tibi. *Audi et loquar tibi.* Nam si non audis, etsi loquar, non tibi. Quando ergo tibi loquar? Si audis. Quando audis? Si populus meus es. *Audi* enim, *populus meus:* non audis, si populus alienus. *Audi, populus meus, et loquar tibi; Israel, et testificabor tibi.* Israel, audi; populus meus, audi. Israel nomen electionis est: *Non vocaberis,* ait, *Jacob, sed vocaberis Israel* (*Gen.* XXXII, 28). Ergo audi sicut Israel, sicut videns Deum; etsi nondum specie, sed jam fide. Hoc enim interpretatur Israel, Videns Deum. Qui habet aures audiendi, audiat (*Matth.* XI, 15); et qui habet oculos videndi, videat. *Audi, Israel, et testificabor tibi.* Quod sursum dixit, *populus meus;* hoc in consequenti, *Israel:* et quod dixit sursum, *loquar tibi;* hoc in consequenti, *testificabor tibi.* Quid loquetur Dominus Deus noster populo suo? Israeli suo quid testificabitur? Audiamus: *Deus, Deus tuus ego sum.* Deus ego sum, et Deus tuus sum. Quomodo *Deus ego sum?* Sicut Moysi dictum est, *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14). Quomodo *Deus tuus sum?* Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Sum Deus, et tuus sum Deus: et si tuus non sim Deus, sum Deus. Bono meo sum Deus, malo tuo non sum Deus tuus. Etenim *Deus tuus*, ei proprie dicitur quem familiarius habet Deus, tanquam in mancipio suo, tanquam in peculio suo. *Deus, Deus tuus sum ego.* Quid vis amplius? Præmium quæris a Deo, ut aliquid tibi det Deus, ut quod tibi dederit tuum sit? Ecce ipse Deus qui dabit, tuus est. Quid eo ditius [1]? Dona quærebas, ipsum donatorem habes. *Deus, Deus tuus ego sum.*

15. [*vers.* 8.] Quid quærit ab homine, videamus. Deus noster, imperator et rex noster, quod vectigal nobis indicit; quoniam voluit esse rex noster, et voluit nos esse provinciam suam? Audiamus indictiones ejus. Non trepidet pauper sub indictione Dei: quod sibi Deus dari indicit, ipse prius donat qui indicit: vos tantum devoti estote. Non exigit Deus quod non dedit, et omnibus dedit quod exigit. Quid enim exigit? Audiamus jam: *Non super sacrificia tua arguam te.* Non tibi dicam: Quare non mihi pinguem taurum mactasti? quare non de grege tuo optimum hircum elegisti? quare aries ille ambulat in ovibus tuis, et in ara mea non ponitur? Non dicam: Inspice agros tuos et chortem tuam, et parietes tuos, quærendo quid mihi des. *Non super sacrificia tua arguam te.* Quid ergo? Non acceptas sacrificia mea? *Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.* Holocausta quædam, de quibus in alio psalmo dicitur, *Si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis:* et rursus convertit se, *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non spernit.* Quæ sunt ergo holocausta quæ non spernit? Quæ holocausta quæ in conspectu ejus sunt semper? *Benigne,* inquit, *fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, et ædificentur muri Jerusalem: tunc acceptabis sacrificium justitiæ oblationes et holocausta* (*Psal.* L, 18-21). Dicit quædam holocausta Deum acceptaturum. Quid est autem holocaustum? Totum igne absumptum: καῦσις incensio est, ὅλον totum est: holocaustum autem est totum igne absumptum. Est quidam ignis flagrantissimæ charitatis: animus inflammetur charitate, arripiat eadem charitas membra in usum suum, non ea permittat militare cupiditati, ut totus exardescat igne amoris divini qui vult offerre Deo holocaustum. Talia *holocausta tua in conspectu meo sunt semper.*

16. [*vers.* 9.] Adhuc iste Israel forte non intelligit quæ holocausta ejus in conspectu suo habeat semper, et adhuc de bobus, de ovibus, de hircis cogitat: non cogitet; *Non accipiam de domo tua vitulos.* Holocausta nominavi; jam animo et cogitatione ad terrenos greges currebas, inde pingue mihi aliquid eligebas: *Non accipiam de domo tua vitulos.* Prænuntiat Testamentum novum, ubi omnia illa sacrificia vetera cessaverunt. Erant enim tunc prænuntiantia futurum quoddam sacrificium, cujus sanguine mundaremur. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.*

17. [*vers.* 10.] *Quoniam meæ sunt omnes bestiæ silvæ.* Quid a te quæram quod ego condidi? Magisne est hoc tuum cui possidere dedi, quam meum qui feci? *Quoniam meæ sunt omnes bestiæ silvæ.* Sed forte ait ille Israel, Bestiæ Dei sunt, illæ bestiæ feræ quas non includo in chorte mea, quas non alligo ad præsepe meum: cæterum bos ille et ovis et hircus, mea sunt hæc. *Pecora in montibus et boves.* Mea sunt illa quæ non possides, mea sunt ista quæ possides. Si enim servus meus es tu, totum peculium tuum meum est. Neque enim est peculium Domini quod sibi servus comparavit, et non erit peculium Domini quod ipse Dominus servo creavit. Ergo meæ sunt bestiæ silvæ quas tu non cepisti; mea sunt et pecora in montibus quæ sunt tua, et boves qui sunt ad præsepe tuum: omnia mea sunt, quia ego creavi ea.

18. [*vers.* 11.] *Cognovi omnia volatilia cœli.* Quomodo cognovit? Appendit, numeravit. Quis nostrum novit omnia volatilia cœli? Sed etsi alicui Deus det notitiam omnium volatilium cœli, non sic ipse novit, ut dat nosse homini. Alia est notitia Dei, alia hominis: sicut alia possessio Dei, alia hominis; id est, aliud est possidere Dei, aliud possidere hominis. Non enim tu quod possides, totum habes in potestate, aut quamdiu vivat bos tuus in tua potestate est, aut ut non pereat, aut non pascatur. Apud quem summa potestas est, summa et secreta cognitio est. Tribuamus hoc Deo, laudantes Deum. Non audeamus dicere: Quomodo novit Deus? Ne forte hoc a me, fratres, exspectetis ut explicem vobis quomodo cognoscat Deus; hoc solum dico: non sic cognoscit ut homo, non sic cognoscit ut angelus; et quomodo cognoscit,

[1] Fr.: *Quid eo dulcius?* Melioris notæ Mss.: *Quid te ditius?*

dicere non audeo, quoniam et scire non possum. Unum tamen scio, quia et antequam essent omnia volatilia cœli, noverat Deus quod fuerat creaturus. Quæ est illa notitia? O homo, videre cœpisti volatilia, postea quam plasmatus es, postea quam sensum videndi accepisti. Hæc volatilia de aqua nata sunt ad verbum Dei, dicentis : *Producant aquæ volatilia* (*Gen.* I, 20). Ubi noverat Deus quæ imperabat ut aqua proferret? Jam certe noverat quod crearat, et antequam crearet noverat. Tanta est ergo notitia Dei, ut apud ipsum essent quodam ineffabili modo antequam creata essent : et a te exspectat ut accipiat quod antequam crearet habebat? *Cognovi omnia volatilia cœli*, quæ tu mihi non potes dare. Quæ tu mihi mactaturus es, ego cognovi omnia : non quia feci cognovi, sed ut facerem. *Et species agri mecum est.* Pulchritudo agri, ubertas omnium in terra gignentium, *mecum est*, inquit. Quomodo cum illo? Utrum et antequam fierent? Cum illo enim erant omnia futura, et cum illo sunt omnia præterita : futura ita, ut non ei detrahantur omnia præterita. Cum illo sunt omnia cognitione quadam ineffabilis Sapientiæ Dei in Verbo constituta, et ipsum Verbum [1] omnia. An aliquo modo cum illo est agri species, quia ipse ubique est, et ipse dixit : *Cœlum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24)? Quid cum illo non est, de quo dicitur : *Si ascendero in cœlum, tu illic es, et si descendero in infernum, ades* (*Psal.* CXXXVIII, 8)? Cum illo est totum : sed non sic cum illo est, ut aliquam ex his quæ creavit contagionem, aut eorum indigentiam patiatur. Nam tecum est forte columna juxta quam stas, et cum fatigatus fueris, incumbis in eam. Indiges eo quod tecum est, non indiget Deus agro qui cum illo est. Cum illo ager, cum illo species terræ, cum illo species cœli, cum illo omnia volatilia, quia ipse ubique. Et quare apud ipsum omnia? Quia et antequam essent omnia, aut crearentur, ei nota erant omnia.

19. [*vers.* 12.] Quis explicat, quis exponit illud quod ei dicitur in alio psalmo, *Quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* XV, 2)? Non se egere a nobis aliquo necessario dixit. *Si esuriero, non dicam tibi.* Non esuriet, neque sitiet, neque laborabit, neque obdormiet qui custodit Israel (*Psal.* CXX, 4). Sed ecce secundum carnalitatem tuam loquor : quia tu cum non manducaveris, famem patieris, forte putas et Deum esurire ut manducet. Etsi esurierit, non tibi dicit : omnia ante illum sunt, unde vult tollit quod illi necessarium est. Dicta sunt hæc ad convincendum parvulum sensum, non quia professus est Deus esuriem suam. Quanquam propter nos Deus ille deorum et esurire dignatus est. Venit esurire et saginare, venit sitire et potum dare, venit vestiri mortalitate et vestire immortalitate, venit pauper divites facturus. Etenim non perdidit divitias suas assumendo paupertatem nostram, quia in illo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss.* II, 3). *Si esuriero, non dicam tibi. Meus est enim orbis terræ et plenitudo ejus.* Noli ergo laborare quid mihi des, sine labore habeo quod volo.

20. [*vers.* 13.] Quid ergo de gregibus tuis adhuc cogitas? *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Audistis quid a nobis non quærat, qui nescio quid nobis vult indicere. Si de talibus cogitabatis, jam auferte cogitationes vestras a talibus rebus : nihil tale Deo offerre cogitetis. Si habes taurum pinguem, occide pauperibus : manducent ipsi carnes taurorum, etsi non bibent sanguinem hircorum. Quod cum feceris, imputabit tibi ille qui dixit, *Si esuriero, non dicam tibi;* et dicet tibi, *Esurivi, et dedisti mihi manducare* (*Matth.* XXV, 35). *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?*

21. [*vers.* 14.] Dic ergo, Domine Deus noster, quid indicis populo tuo, Israeli tuo? *Immola Deo sacrificium laudis.* Dicamus illi et nos : *In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudis tibi* (*Psal.* LV, 12). Expaveram ne aliquid indiceres quod esset extra me, quod computabam in chorte mea, et a fure jam forte ablatum erat. Quid mihi indicis? *Immola Deo sacrificium laudis.* Ad me redeam, ubi inveniam quod immolem : ad me redeam, in me inveniam laudis immolationem : sit ara tua, conscientia mea [1]. *Immola Deo sacrificium laudis.* Securi sumus, non imus in Arabiam thus quærere, non sarcinas avari negotiatoris excutimus : sacrificium laudis quærit a nobis Deus. Habebat hoc sacrificium laudis Zacchæus in patrimonio suo, habebat vidua in saccello suo, habebat nescio quis pauper hospes in dolio suo; alius nec in patrimonio, nec in saccello, nec in dolio aliquid habebat, totum habebat in animo suo : salus domui Zacchæi (*Luc.* XIX, 8); et plus misit hæc vidua quam divites illi (*Marc.* XII, 42); iste calicem aquæ frigidæ porrigens (*Matth.* X, 42), non perdet mercedem suam; sed et pax in terra hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14). *Immola Deo sacrificium laudis.* O sacrificium gratuitum, gratia datum! Non quidem hoc emi quod offerrem, sed tu donasti : nam nec hoc haberem. *Immola Deo sacrificium laudis.* Et hæc immolatio sacrificii laudis, gratias agere illi a quo habes quidquid boni habes, et cujus misericordia tibi dimittitur quidquid tuum mali habes. *Immola Deo sacrificium laudis : et redde Altissimo preces tuas.* Hoc odore Dominus delectatur. *Redde Altissimo preces tuas.*

22. [*vers.* 15.] *Et invoca me in die tribulationis tuæ : et eximam te, et glorificabis me.* Non enim præsumere debes de viribus tuis, omnia auxilia tua mendacia sunt. *Me invoca in die tribulationis : eruam te, et glorificabis me.* Ad hoc enim permisi diem tribulationis tibi fieri : quia forte si non tribulareris, non invocares me; cum tribularis autem, invocas me; cum invocas me, eximam te; cum eximam te, glorificabis me, ut jam non discedas a me. Obtorpuerat quidam et friguerat a fervore orationis, et dixit : *Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi* (*Psal.*

[1] Sic aliquot Mss. Alii, *et in ipso.* Edd., *et in ipsum Verbum.*

[1] Ita in Mss. At in Edd. omittitur *sit*, et habetur : *Ara tua, conscientia tua.*

cxiv, 3, 4). Invenit tribulationem tanquam aliquid utile; putruerat tabe peccatorum suorum, jam sine sensu remanserat, invenit tribulationem tanquam ustionem et sectionem. *Inveni*, inquit, *tribulationem et dolorem, et nomen Domini invocavi*. Et quidem, fratres, sunt tribulationes omnibus notæ. Ecce istæ quæ abundant in genere humano: alius damno affectus plangit, alius orbitate percussus luget; alius patria exsulatus mœret, et redire cupit, intolerabilem peregrinationem deputans; alteri vinea grandinata est, attendit ad labores suos, et consumptam omnem operam incassum. Quando homo potest non contristari? Inimicum patitur ex amico. Quæ major miseria in genere humano? Plangunt hæc omnes, et dolent, et tribulationes sunt istæ: et in his omnibus invocant Dominum, et recte faciunt. Invocent Deum, potens est vel docere tolerandum, vel sanare toleratum. Novit ille non sinere tentari nos supra quam possumus ferre (I *Cor*. x, 13). Invocemus Deum etiam in istis tribulationibus: sed hæ tribulationes inveniunt nos, sicut in alio psalmo scriptum est, *Adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis* (*Psal*. xlv, 2): est quædam quam nos debemus invenire. Inveniant nos istæ tribulationes: est quædam tribulatio quam nos debemus quærere, et invenire. Quæ est ista? Ea ipsa in hoc mundo felicitas, affluentia rerum temporalium: non quidem ipsa tribulatio est; solatia sunt nostræ tribulationis. Cujus tribulationis? Nostræ peregrinationis. Hoc enim ipsum quod cum Deo nondum sumus, hoc ipsum quod inter tentationes molestiasque versamur, quod sine timore esse non possumus, tribulatio est: non enim est illa securitas quæ nobis promissa est. Hanc tribulationem peregrinationis suæ qui non invenerit, ad patriam redire non cogitat. Tribulatio illa est, fratres. Certe modo facimus bona opera, quando porrigimus panem esurienti, donum peregrino, et cætera: tribulatio est et hæc. Invenimus enim miseros super quos misericordiam facimus; et miserorum miseria facit nos compatientes. Quanto melius ibi jam esses, ubi non invenis esurientem quem pascas, ubi non invenis peregrinum quem suscipias, non nudum quem vestias, non ægrum quem visites, non litigantem quem concordes? Omnia enim ibi summa sunt, vera sunt, sancta sunt, æterna sunt. Panis noster ibi justitia est, potus noster ibi sapientia est, vestis nostra ibi immortalitas est, domus nostra æterna in cœlis, firmitas nostra immortalitas. Numquid ægritudo subrepit? numquid lassitudo ad somnum trahit? Nulla mors. nulla lis: ibi pax, quies, gaudium, justitia. Nullus intrat inimicus, nullus labitur amicus. Quæ ibi quies! Si cogitemus, et attendamus ubi simus, et ubi nos futuros esse promisit qui mentiri nescit, ex ipsa ejus promissione invenimus in qua sumus tribulatione. Hanc tribulationem nemo invenit, nisi qui quæsierit. Sanus es, vide si miser es: nam facile est ut qui ægrotat, sentiat se miserum: quando sanus es, vide si miser es; quia cum Deo nondum es. *Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi. Immola* ergo *Deo sacrificium laudis*. Lauda promittentem, lauda vocantem, lauda exhortantem, lauda adjuvantem: et intellige in qua tribulatione positus es. Invoca, erueris, glorificabis [1], permanebis.

23. [*vers*. 16.] Videte autem quod sequitur, fratres mei. Jam enim nescio quis, quia dixerat illi Deus *Immola Deo sacrificium laudis*, et hoc quodammodo vectigal indixerat, meditabatur sibi, et dicebat: Surgam quotidie, pergam ad Ecclesiam, dicam unum hymnum matutinum, alium vespertinum, tertium aut quartum in domo mea; quotidie sacrifico sacrificium laudis, et immolo Deo meo. Bene facis quidem, si hoc facis: sed vide ne jam securus sis, quia jam hoc facis, et forte lingua tua Deum benedicat, et vita tua Deo maledicat. O popule meus, dicit tibi Deus deorum Dominus qui locutus est, vocans terram a solis ortu usque ad occasum, quamvis adhuc inter zizania constitutus sis, *immola sacrificium laudis Deo tuo, et redde illi preces tuas*: sed vide ne vivas male, et cantes bene. Quare hoc? *Peccatori* enim *dicit Deus: Utquid tu enarras justitias meas, et assumis Testamentum meum per os tuum?* Videtis, fratres, cum quo tremore ista dicamus. Assumimus Testamentum Dei per os nostrum, et prædicamus vobis eruditionem et justitias Dei. Et quid dicit peccatori Deus? *Utquid tu?* Prohibet ergo prædicatores peccatores? Et ubi est illud: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth*. xxiii, 3)? Ubi est illud: *Sive veritate sive occasione Christus annuntietur* (*Philipp*. i, 18)? Sed hæc dicta sunt, ne timeant qui audiunt a quocumque audiant: non ut securi sint qui dicunt bona, et faciunt mala. Modo ergo, fratres, vos securi estis: si bona auditis, Deum auditis [2], per quemlibet audiatis. Sed noluit Deus sine correptione dimittere illos qui dicunt; ne hoc solo quod dicunt, securi sibi obdormiscant in mala vita, et dicant sibi: Neque enim perdet nos Deus, per quorum os voluit tanta bona dici populo suo. Imo vero audi quod dicis, quicumque dicis; et qui vis te audiri, prior te audi; et dic quod dicit in alio psalmo quidam: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem populo suo* (*Psal*. lxxxiv, 9). Qualis ergo ego, qui non audio quod in me loquitur, et volo ut alii audiant quod per me loquitur? Audiam prior, audiam, maximeque audiam quod loquitur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem populo suo. Audiam, et castigem corpus meum, et servituti subjiciam, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus inveniar (I *Cor*. ix, 27). *Utquid tu enarras justitias meas?* Utquid tibi quod tibi non prodest? Admonet illum ut audiat: non ut deponat prædicationem, sed ut assumat obedientiam. Tu vero utquid *assumis Testamentum meum per os tuum?*

24. [*vers*. 17.] *Tu vero odisti eruditionem*. Odisti disciplinam. Quando parco, cantas et laudas; quando castigo, murmuras: quasi quando parco, sim Deus tuus; et quando castigo, non sim Deus tuus. Ego quos amo, arguo et castigo (*Apoc*. iii, 19). *Tu vero odisti eruditionem: et projecisti sermones meos*

[1] Sic potiores Mss. At Edd., *glorificaberis*.
[2] Plures Mss, *Dei sunt*. Nonnulli, *Dei auditis*.

post te. Quæ dicuntur per te, projicis post te. *Et projecisti sermones meos post te:* ubi non videantur a te, sed onerent te. *Et projecisti sermones meos post te.*

25. [*vers.* 18.] *Si videbas furem, concurrebas ei, et cum adulteris portionem tuam ponebas*. Ne forte diceres: Non feci furtum, non feci adulterium. Quid, si placuit tibi qui fecit? Nonne ipso placito concurristi? nonne portionem tuam cum illo qui fecit, laudando posuisti? Hoc est enim, fratres, concurrere cum fure, et ponere cum adultero portionem tuam: quia etsi non facis, et laudas quod fit, astipulator es facti; quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit, benedicitur (*Psal.* IX, 3). Non facis mala, laudas mala facientes. Hoc enim parvum malum est? *Cum adulteris portionem tuam ponebas.*

26. [*vers.* 19.] *Os tuum abundavit malitia, et lingua tua amplexa est dolositatem*. Malevolentiam et dolositatem, fratres, quorumdam hominum dicit, qui per adulationem, quamvis sciant mala esse quæ audiunt, ne offendant eos a quibus audiunt, non solum non reprehendendo, sed tacendo consentiunt. Parum est, quia non dicunt, Male fecisti; sed dicunt, Et bene fecisti: et norunt malum esse; sed abundat os eorum malitia, et lingua eorum amplexatur dolositatem. Dolositas est fraus quædam in verbis, aliud promendi, aliud sentiendi. Non ait, Lingua tua admisit dolositatem, aut, perpetravit dolositatem; sed ut ostenderet tibi quamdam delectationem in ipso malo facto, *amplexa est*, dixit. Parum est quia facis; et delectaris: laudas in promptu, irrides apud te. Præcipitas hominem incaute vitia sua proferentem, et an sint vitia nescientem: tu qui scis vitium esse, non dicis [1], Quo irruis? Si illum videres ambulare incautum in tenebris ubi tu puteum esse scires, et taceres, qualis esses? nonne inimicus deputareris animæ ejus? Et tamen si in puteum caderet, non anima, sed corpore moreretur. Præcipitat se in vitia sua, prædicat apud te mala facta sua; tu nosti mala esse, et laudas, et irrides apud te. O si convertatur aliquando ad Deum ille quem irrides, et quem corripere noluisti, et dicat: Confundantur qui dicunt mihi, Euge, euge (*Psal.* XXXIX, 16). *Et lingua tua amplexa est dolositatem.*

27. [*vers.* 20.] *Sedens adversus fratrem tuum detrahebas*. Et ipsum *sedens* ad hoc pertinet quod superius dixit, *amplexa est*. Qui enim stans aut transiens facit, non cum voluptate facit: qui vero ad hoc sedet, quantum otium quærit ut faciat! *Sedens adversus fratrem tuum detrahebas:* ipsam detractionem malam diligenter faciebas, sedendo faciebas; volebas ibi occupari, amplexabaris malum tuum, osculabaris dolum tuum. *Sedens adversus fratrem tuum detrahebas: et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum*. Quis est *filius matris*? nonne frater? Hoc ergo repetere voluit, quod superius dixerat, *fratrem tuum*. An aliquam distinctionem nobis intelligendam insinuavit? Plane, fratres, puto esse distinguendum. Frater adversus fratrem detrahit, verbi gratia, ut puta quasi firmus et alicujus jam momenti doctor et doctus, detrahit fratri suo, forte bene docenti et bene ambulanti: est autem alius infirmus; adversus illum ponit scandalum huic detrahendo. Etenim cum detrahitur bonis ab his qui videntur alicujus momenti esse et docti esse, in scandalum cadunt infirmi qui adhuc nesciunt judicare. Ideo infirmus ille *filius matris* dictus est, nondum patris, adhuc lacte indigens et uberibus adhærens. Portatur adhuc sinu matris Ecclesiæ, non valet accedere ad solidum cibum mensæ patris sui, sed de ubere matris victum trahit, ignarus judicandi, quoniam adhuc animalis atque carnalis est. *Spiritualis enim omnia dijudicat; animalis autem homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, quoniam stultitia est illi* (I *Cor.* II, 15, 14). Talibus dicit Apostolus: *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; neque enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis* (*Id.* III, 1, 2). Mater vobis fui: quomodo dicitur alio loco, *Factus sum parvulus in medio vestrum, tanquam nutrix fovens filios suos* (I *Thess.* II, 7). Non nutrix nutriens filios alienos, sed nutrix fovens filios suos. Sunt enim matres quæ cum pepererint, dant nutricibus: illæ quæ pepererunt, non fovent filios suos, quia nutriendos dederunt; illæ autem quæ fovent, non suos fovent, sed alienos: iste vero ipse pepererat, ipse fovebat, nulli nutrici quem pepererat committebat; dixerat enim, *Quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis* (*Gal.* IV, 19). Fovebat ergo, et lactabat. Erant autem quidam quasi docti et spirituales qui Paulo detraherent. *Epistolæ quidem, aiunt, graves et fortes sunt, præsentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis* (II *Cor.* X, 10): dicit ipse in Epistola sua quosdam detractores suos ista dixisse. Sedebant, et adversus fratrem suum detrahebant, et adversus lactandum illum filium matris suæ ponebant scandalum. Merito fecerunt ipsi matri ut iterum parturiret. *Et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.*

28. [*vers.* 21.] *Hæc fecisti, et tacui*. Ideo veniet Dominus Deus noster, et non silebit. Modo, *Hæc fecisti, et tacui*. Quid est, *tacui?* A vindicta supersedi, severitatem meam distuli, patientiam tibi prolongavi, pœnitentiam tuam diu exspectavi. *Hæc fecisti, et tacui*. Ego autem cum ad hoc exspectarem ut te pœniteret, secundum Apostolum dicentem, *Tu autem secundum duritiam cordis tui, et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei* (*Rom.* II, 5). *Suspicatus es iniquitatem, quod ero tibi similis*. Parum est quia mala facta tua placent tibi, placere putas et mihi. Deum quia non pateris ultorem, vis tenere participem, et tanquam corruptum judicem prædæ socium vis habere. *Suspicatus es iniquitatem, quod ero tibi similis:* dum non vis tu mihi esse similis. *Estote enim*, inquit, *perfecti, sicut et Pater vester qui in cœlis est, qui facit solem suum oriri super bonos et malos* (*Matth.* V, 48, 45). Hunc tu imitari noluisti, qui donat bona et malis; ut sedens detrahas et bonis. *Suspicatus es iniquitatem, quod ero tibi similis. Arguam te*. Quando *Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit, Arguam te*. Et quid tibi faciam arguendo te? quid tibi

[1] Sic Mss. At Edd., *non dicis corruisse illum.*

faciam? Modo te non vides; facio ut videas te. Quia si videres te, et displiceres tibi, placeres mihi: quia vero non te videns placuisti tibi, displicebis et mihi et tibi; mihi cum judicaberis; tibi, cum ardebis. Quid enim tibi faciam, inquit? *Constituam te ante faciem tuam.* Quid enim vis latere teipsum? In dorso tuo tibi es, non te vides: facio ut te videas; quod post dorsum posuisti, ante faciem ponam; videbis fœditatem tuam, non ut corrigas, sed ut erubescas. Jam quia dicit ista, fratres, desperandus est ille cui dicitur? Nonne illa civitas de qua dictum est, *Triduum, et Ninive evertetur*, intra triduum idonea fuit converti, orare, plangere, de pœna imminenti misericordiam promereri (*Jonæ* III, 4-10)? Audiant ergo qui tales sunt, dum licet audire et tacentem. Veniet enim, et non silebit, et arguet, quando correctioni locus nullus erit. *Statuam te*, inquit, *ante faciem tuam.* Modo ergo tu fac, quisquis talis es, quod tibi minatur facere Deus. Tolle te a tergo tuo, ubi te videre non vis, dissimulans a factis tuis, et constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi judex, torqueat te timor, erumpat a te confessio, et dic Deo tuo: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum ante me est semper* (*Psal.* L, 5). Quod erat post te, fiat ante te: ne tu ipse postea a Deo judice fias ante te, et non sit quo fugias a te.

29. [*vers.* 22.] *Intelligite* autem *hæc qui obliviscimini Deum.* Videte quia clamat, et non tacet, non [1] parcit. Oblitus eras Dominum, non cogitabas de vita tua mala. Intellige quia oblitus es Dominum. *Nequando rapiat sicut leo, et non sit qui eruat.* Quid est, *sicut leo?* Sicut fortis, sicut potens, sicut ille cui nemo resistere potest. Ad hoc retulit, ut diceret *leo.* Ponitur enim in laude, ponitur et in vituperatione. Dictus est leo diabolus: *Adversarius vester*, ait, *tanquam leo rugiens circumit quærens quem devoret* (I *Petr.* V, 8). Numquid quia ille leo dictus est propter immanem sævitiam, Christus non dicitur leo propter ingentem fortitudinem? Et ubi est illud, *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* V, 5)? Intendat paululum Charitas Vestra adhuc modicum quod restat: obsecro vos ut excutiatis fatigationem; aderit ille qui vobis usque ad hanc horam vires dedit. Paulo ante dixerat, tanquam indicens nobis, ut audistis, vectigal quoddam laudis suæ: *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo preces tuas.* Postea autem: *Peccatori autem dixit Deus, Utquid tu enarras justitias meas, et assumis Testamentum meum per os tuum?* Tanquam diceret ei, Nihil tibi prodest quod laudas: ego indixi laudis sacrificium illis qui bene vivunt; eis enim prodest quod laudant: tu autem si laudas, nihil tibi prodest; utquid me laudas? Non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV, 9). Postea concludit quasi ad utrumque, et arguens malos qui obliviscuntur Deum ait: *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum, nequando rapiat sicut leo, et non sit qui eruat.*

30. [*vers.* 23.] *Sacrificium laudis glorificabit me.* Quomodo *sacrificium laudis glorificabit me?* Certe nihil prodest malis sacrificium laudis, quia assumunt Testamentum tuum per os suum, et faciunt damnanda quæ displicent oculis tuis. Prorsus, inquit, et illis hoc dico, *Sacrificium laudis glorificabit me.* Jam putabas tibi laudem non prodesse: lauda, proderit tibi. Si enim male vivis et bona dicis, nondum laudas: sed rursus si cum cœperis bene vivere, meritis tuis tribuas quod bene vivis, nondum laudas. Nolo te esse latronem insultantem cruci Domini (*Luc.* XXIII, 39): sed nec te illum volo esse in templo jactantem merita sua, et occultantem vulnera sua (*Id.* XVIII, 11). Si fueris iniquus et perseverans in illa iniquitate, non dico tibi, Non proderit laus; sed, Non me laudas, laudem istam esse non deputo: rursus si fueris quasi justus (nam nemo justus nisi humilis et pius), et de justitia tua inflatus incesseris, et alios in tua comparatione contempseris, et superextuleris te tanquam glorians de meritis tuis, non me laudas. Nec ille me laudat qui male vivit; nec ille me laudat qui quasi de suo bene vivit. Sed numquid ille Pharisæus, quasi de suo talis erat, cum diceret, *Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines?* Gratias Deo agebat ex eo quod bonum in se habebat. Quamvis ergo aliquid bonum in te sit, quamvis jam intelligas non ex te esse quod bonum est, sed a Deo te accepisse; tamen in eo ipso, si te extuleris super alium non habentem, invidus teneris, nondum laudator meus eris. Primo ergo corrigere a via pessima, incipe vivere bene: intellige quia non corrigeris nisi dono Dei; a Domino enim gressus hominis diriguntur (*Psal.* XXXVI, 23). Hoc cum intellexeris, fave et aliis, ut sint quod et tu es: quia hoc eras et tu, quod illi sunt. Fave quantum potes, et noli desperare; non enim usque ad te dives est Deus. Non ergo laudat, qui male vivendo offendit Dominum; non laudat, qui cum jam cœperit bene vivere, de suo putat esse quod bene vivit, non acceptum a Deo: nec ille laudat, qui cum sciat se quod bene vivit accepisse a Deo, tamen usque ad se vult esse divitem Deum. Ille itaque qui dicebat, *Gratias tibi ago, Deus, quod non sum sicut cæteri homines, injusti, raptores, adulteri, sicut et Publicanus iste;* nonne ibi habebat unde diceret: Dona et Publicano huic quod mihi donasti, supple et mihi quæ nondum dedisti? Sed jam quasi saturatus ructabat: non dicebat, Ego autem egenus et pauper (*Psal.* LXIX, 6); quod dicebat Publicanus ille, *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Ideo descendit justificatus Publicanus, magis quam ille Pharisæus (*Luc.* XVIII, 11-14). Ergo audite qui bene vivitis, audite qui male vivitis: *Sacrificium laudis glorificabit me.* Nemo mihi offert hoc sacrificium laudis, et malus est. Non dico, Non hoc mihi offerat malus; sed, Nemo mihi hoc offert malus. Qui enim laudat, bonus est: quia si laudat, etiam bene vivit; quia si laudat, non solum lingua laudat, sed et vita cum lingua consentit.

31. *Sacrificium laudis glorificabit me: et ibi via est, qua ostendam illi salutare Dei.* In sacrificio laudis via est, qua illi ostendam salutare Dei. Quod est salutare Dei? Christus Jesus. Et quomodo in sacrificio laudis nobis ostenditur Christus? Quia Christus cum gratis

[1] Aliquot MSS., cum.

venit ad nos. Hæc dicit Apostolus : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus : quod autem in carne vivo, in fide vivo Filii Dei, qui me dilexit et tradidit semetipsum pro me* (*Gal.* II, 20). Agnoscant ergo peccatores, quia non opus esset medicus, si sani essent (*Matth.* IX, 12). Etenim Christus pro impiis mortuus est (*Rom.* V, 6). Cum ergo agnoscunt impietates suas, et primo imitantur Publicanum illum dicentem, *Domine, propitius esto mihi peccatori :* ostendunt vulnera, implorant medicum ; et quia non se laudant, sed reprehendunt se, ut qui gloriatur, non in se, sed in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31), agnoscunt causam adventus Christi, quia ideo venit ut peccatores salvos faceret : *Quia Jesus Christus venit*, inquit, *in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum* (I *Tim.* I, 15). Proinde illos Judæos, de opere suo gloriantes, sic arguit idem Apostolus, ut eos diceret ad gratiam non pertinere, qui meritis et operibus suis mercedem deberi arbitrabantur (*Gal.* V, 4). Qui ergo ad gratiam se scit pertinere, quod est Christus, et quod est Christi, novit quia indiget gratia. Si gratia vocatur, gratis datur; si gratis datur, nulla merita tua præcesserunt ut detur. Nam si præcesserunt merita tua, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum (*Rom.* IV, 4). Si ergo dicis præcessisse merita tua, te vis laudari, non Deum : ideo non agnoscis Christum, qui venit cum gratia Dei. Converte ergo te ad merita tua, vide illa mala fuisse, ut non tibi deberetur nisi supplicium, non præmium. Et cum videris quid tibi per meritum debeatur, agnoscis quid per gratiam donetur; et sacrificio laudis glorificas Deum. Ibi est enim via, in qua noveris Christum salutare Dei.

IN PSALMUM L
ENARRATIO.
SERMO (*a*).

1. Multitudinis hujus, nec frequentia fraudanda est, nec infirmitas oneranda. Silentium petimus et quietem, ut vox nostra post hesternum laborem possit aliquantis viribus perdurare. Credendum est Charitatem Vestram non ob aliud hodierno die copiosius convenisse, nisi ut oretis pro eis quos absentes facit alienus et perversus affectus. Neque enim loquimur de Paganis, neque de Judæis, sed de Christianis; neque de his adhuc catechumenis, sed de multis etiam baptizatis, a quorum lavacro nihil distatis, et eorum tamen cordi dissimiles estis. Quam multos enim hodie fratres nostros cogitamus et plangimus ire in vanitates et insanias mendaces, negligere quo vocati sunt ! Qui si forte in ipso circo aliqua ex causa expavescant, continuo se signant, et stant illic portantes in fronte, unde abscederent si hoc in corde portarent. Deprecanda est misericordia Dei, ut donet intellectum ad ista damnanda, et affectum ad fugienda, et misericordiam ad ignoscenda. Opportune ergo de pœnitentia Psalmus hodie cantatus est. Loquamur et cum absentibus : erit ad eos vox nostra memoria vestra. Ne saucios et languidos negligatis, sed ut facilius sanetis, sani permanere debetis. Corrigite arguendo, consolamini alloquendo, exemplum præbete bene vivendo, aderit eis qui adfuit et vobis. Non enim, vobis jam ista pericula prætergressis, fons misericordiæ Dei præcisus est. Qua venistis, venient ; qua transistis, transibunt. Molestum est quidem, et nimium periculosum, imo perniciosum, et pro certo exitiabile, quod scientes peccant. Aliter enim ad has vanitates currit qui vocem Christi contemnit, aliter ille qui novit quid fugiat. Sed nec de talibus desperari debere, iste psalmus ostendit.

2. [*vers.* 1, 2.] Inscribitur enim titulus ejus, *Psalmus ipsi David, cum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bersabee.* Bersabee erat mulier uxor aliena. Cum dolore quidem dicimus et tremore, sed tamen Deus noluit taceri quod voluit scribi. Dicam ergo non quod volo, sed quod cogor ; dicam non exhortans ad imitationem, sed instruens ad timorem. Hujus mulieris uxoris alienæ pulchritudine captus rex et propheta David, ex cujus semine secundum carnem Dominus venturus erat (*Rom.* I, 3), adulteravit eam. Hoc in isto psalmo non legitur, sed in titulo ejus apparet ; in libro autem Regnorum plenius legitur. Utraque Scriptura canonica est, utrique sine ulla dubitatione a Christianis fides adhibenda est. Commissum atque conscriptum est. Hujus etiam maritum in bello occidendum curavit : homicidio auxit adulterium : et post hoc factum missus est ad eum Nathan propheta, missus a Domino, qui eum argueret de tanto commisso (II *Reg.* XI, *et* XII, 1-14).

3. Quid caveant homines, diximus ; quid vero si lapsi fuerint imitentur, audiamus. Multi enim cadere volunt cum David, et nolunt surgere cum David. Non ergo cadendi exemplum propositum est, sed si cecideris, resurgendi. Attende, ne cadas. Non sit delectatio minorum lapsus majorum, sed sit casus majorum tremor minorum. Ad hoc propositum est, ad hoc scriptum est, ad hoc in ecclesia sæpe lectum atque cantatum : audiant qui non ceciderunt, ne cadant, audiant qui ceciderunt, ut surgant. Tanti viri peccatum non tacetur, prædicatur in ecclesia. Audiunt male audientes [1], et quærunt sibi patrocinia peccandi ; attendunt unde defendant quod committere paraverunt, non unde caveant quod non commiserunt, et dicunt sibi : Si David, cur non et ego ? Inde anima iniquior, quæ cum propterea fecerit quia David fecit, ideo pejus quam David fecit. Dicam hoc ipsum, si potero, planius. David nullum sibi ita ad exemplum proposuerat, ut tu : ceciderat lapsu cupiditatis, non patrocinio sanctitatis : tu tibi tanquam sanctum proponis ut pecces; non imitaris ejus sanctitatem, sed imitaris ruinam. Hoc amas in David, quod in se odit David [2] : præparas te ad peccandum, disponis peccare : librum Dei ut pecces inspicis ;

(*a*) Ad populum Carthaginensem. Vid. infra, n. 11.

[1] Edd., *male viventes*. At Mss. magno consensu ferunt, *male audientes*. Intellige, vel qui verbis castigantur, vel qui id exempli non salubriter audire solent.

[2] Plerique Mss.: *Hoc ama in David, quod non in se odit David*.

Scripturas Dei ad hoc audis, ut facias quod displicet Deo: hoc non fecit David; correptus est per prophetam, non lapsus est in propheta. Alii vero audientes salubriter, in casu fortis [1] metiuntur infirmitatem suam; et quod damnat Deus devitare cupientes, ab aspectu securo abstinent oculos: non eos defigunt in pulchritudine carnis alienæ, nec seipsos faciunt de perversa simplicitate securos, non dicunt; Bono animo attendi, benigne attendi, de charitate diu aspexi. Proponunt enim sibi casum David, et ad hoc illum magnum vident cecidisse, ut parvi nolint videre unde possint cadere. Reprimunt enim oculos a petulantia, non se facile adjungunt, non miscent se mulieribus alienis, non levant oculos faciles ad aliena mæniana, ad aliena solaria. De longe enim vidit David illam, in qua captus est. Mulier longe, libido prope. Alibi erat quod videret, in illo unde caderet. Attendenda est ergo hæc infirmitas carnis, recordanda sunt verba Apostoli, *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* vi, 12) Non dixit, non sit; sed, non regnet. Inest peccatum, cum delectaris; regnat, si consenseris. Carnalis delectatio, præsertim usque ad illicita et aliena progrediens, frenanda est, non relaxanda; imperio domanda, non in imperio collocanda. Attende securus, si non habes unde movearis. Sed respondes: Fortiter teneo. Numquid tu fortior quam David?

4. Admonet etiam tali exemplo, non se quemquam debere extollere in prosperis rebus. Multi enim res adversas timent, res prosperas non timent. Periculosior est res prospera animo, quam adversa corpori. Prius corrumpit prospera, ut inveniat quod frangat adversa. Fratres mei, adversus felicitatem acrius vigilandum est. Propterea videte quemadmodum eloquium Dei in nostra felicitate tollat nobis securitatem: *Servite*, inquit, *Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* ii, 11). In exsultatione, ut gratias agamus; in tremore, ne cadamus. Hoc peccatum non fecit David, cum persecutorem Saülem pateretur. Quando David sanctus Saülem inimicum patiebatur, quando illius persecutionibus agitabatur, quando per diversa fugiebat ne in manus ejus incideret (I *Reg.* xxiv, 5, *et* xxvi, 9), non concupivit alienam, non adulterata uxore occidit virum. Erat in infirmitate tribulationis suæ tanto in Deum intentior, quanto miserior videbatur. Utile quiddam est tribulatio; utile medici ferramentum, quam diaboli tentamentum [2]. Factus est securus devictis hostibus, pressura caruit, tumor excrevit. Valet ergo hoc exemplum ad id, ut timeamus felicitatem. *Tribulationem*, inquit, *et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi* (*Psal.* cxiv, 3, 4).

5. Sed factum est: dixerim hæc eis qui non commiserunt ut vigilent custodire integritatem suam, et cum attendunt magnum cecidisse, parvi timeant. Si vero aliquis jam lapsus hæc audit, et aliquid in conscientia mali tenens; verba psalmi hujus advertat: attendat quidem vulneris magnitudinem, sed non desperet medici majestatem. Peccatum cum desperatione, certa mors. Nemo ergo dicat, Si jam aliquid mali feci, jam damnandus sum: Deus malis talibus non ignoscit, cur non addo peccata peccatis? Fruar hoc sæculo in voluptate, in lascivia, in cupiditate nefaria: jam perdita spe reparationis, vel hoc habeam quod video, si non possum habere quod credo. Iste ergo psalmus, sicut cautos facit eos qui non ceciderunt, sic desperatos esse non vult qui ceciderunt [1]. Quisquis peccasti, et dubitas agere pœnitentiam pro peccato tuo desperando salutem tuam, audi David gementem. Ad te Nathan propheta non est missus, ipse David ad te missus est. Audi eum clamantem, et simul clama; audi gementem, et congemisce; audi flentem, et lacrymas junge; audi correctum, et condelectare. Si tibi non potuit intercludi peccatum, spes veniæ non intercludatur. Missus est ad istum virum Nathan propheta: attende regis humilitatem [2]. Non respuit verba præcipientis, non dixit, Audes mihi loqui regi? Rex sublimis prophetam audivit; plebs ejus humilis Christum audiat.

6. [*vers.* 3.] Audi ergo hæc, et dic cum illo: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confitetur. Quærant parvam misericordiam tuam, qui nesciendo peccaverunt: *Miserere*, inquit, *mei, secundum magnam misericordiam tuam.* Subveni gravi vulneri secundum magnam medicinam tuam. Grave est quod habeo, sed ad Omnipotentem confugio. De meo tam lethali vulnere desperarem, nisi tantum medicum reperirem. *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam: et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Quod ait, *dele iniquitatem meam*, hoc est, *miserere mei, Deus.* Et quod ait, *secundum multitudinem miserationum tuarum*, hoc est, *secundum magnam misericordiam tuam.* Quia magna est misericordia, multæ sunt misericordiæ; et de magna misericordia tua, multæ sunt miserationes tuæ. Attendis contemptores ut corrigas, attendis nescientes ut doceas, attendis confitentes ut ignoscas. Fecit hoc nesciens? Quidam fecerat aliqua, et multa mala fecerat: *Misericordiam*, inquit, *consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate* (I *Tim.* i, 13). Iste David non posset dicere, *Ignorans feci.* Non enim ignorabat quantum mali esset contrectatio conjugis alienæ, et quantum malum esset interfectio mariti nescientis, et nec saltem irascentis. Consequuntur ergo misericordiam Domini qui ignorantes fecerunt; et qui scientes, consequuntur non qualemlibet misericordiam, sed magnam misericordiam.

7. [*vers.* 4.] *Magis magisque lava me ab injustitia mea.* Quid est, *Magis magisque lava?* Multum inqui-

[1] Sic præstantiores Mss. At Edd., *in casu fortes.*
[2] Sic Mss. At Er., *tanquam contra diaboli tentamentum.* Lov., *tanquam diaboli tentamentum.*

[1] Decem Mss., *ita erigit eos qui ceciderunt.*
[2] Plerique Mss.: *attende regali superbiam.* Duo: *Attende ne superbias.*

natum. Magis magisque lava peccata scientis, qui abluisti peccata ignorantis. Nec sic desperandum de misericordia tua. *Et a delicto meo munda me.* Quo merito? Medicus est, offer mercedem : Deus est, offer sacrificium. Quid dabis ut munderis? Vide enim quem invoces; justum invocas : odit peccata, si justus est; vindicat in peccata, si justus est; non poteris auferre a Domino Deo justitiam ejus. Implora misericordiam, sed attende justitiam : misericordia est ut ignoscat peccanti, justitia est ut puniat peccatum. Quid ergo? Quæris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? Responderit David, responderint lapsi, responderint cum David, ut misericordiam mereantur sicut David, et dicant, Non Domine, non erit impunitum peccatum meum : novi justitiam ejus, cujus quæro misericordiam : non impunitum erit, sed ideo nolo ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio; ideo peto ut ignoscas, quia ego agnosco.

8. [*vers.* 5.] *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et delictum meum coram me est semper.* Non posui post dorsum meum quod feci, non intueor alios oblitus mei, non affecto stipulam ejicere de oculo fratris mei, cum sit trabes in oculo meo (*Matth.* VII, 3) : peccatum meum ante me est, non post me. Fuit enim post me quando ad me missus est Propheta, et de ove pauperis similitudinem mihi proposuit. Ait enim Nathan propheta ad David : *Erat dives quidam habens plurimas oves; pauper autem vicinus ejus habebat unam oviculam, quam in sinu suo et de suo cibo nutriebat : venit hospes diviti; nihil de grege suo abstulit, oviculam vicini pauperis concupivit, ipsam suo hospiti occidit : quid dignus est?* At ille profert iratus sententiam : plane tunc rex nesciens ubi captus esset [1], morte dignum divitem dixit, et ovem reddendam in quadruplum (II *Reg.* XII, 2-6). Severissime atque justissime. Sed peccatum ejus nondum erat coram eo, post dorsum erat quod fecerat : suam iniquitatem nondum agnoscebat, et ideo alienæ non ignoscebat. Sed Propheta ad hoc missus, abstulit a dorso peccatum, et ante oculos posuit, ut videret illam sententiam tam severam in se esse prolatam. Ad secandum et sanandum vulnus cordis ejus, ferramentum fecit de lingua ejus. Hoc fecit Dominus Judæis, quando ad eum adulteram mulierem adduxerunt, proponentes laqueum tentationis, et in id quod proposuerant incidentes. *In adulterio*, inquiunt, *hæc mulier deprehensa est : Moyses hujusmodi lapidari jussit; tu de illa quid censes?* tanquam bicipiti muscipula tentantes capere Sapientiam Dei, ut si juberet occidi, perderet mansuetudinis famam; si autem juberet dimitti, incurreret, tanquam reprehensor legis, calumniam [2]. Quid ergo respondit? Non ait, Occidite; non ait, Dimittite : sed ait, *Qui se scit sine peccato esse, primus in illam lapidem jaciat.* Justa lex, quæ jubet adulteram occidi : sed hæc lex justa ministros habeat innocentes. Attenditis quam adducitis, attendite et qui estis. *Illi hoc audito, unus post alterum discesserunt. Remansit adultera et Dominus*, remansit vulnerata et medicus, remansit magna miseria et magna misericordia. Adducentes erubuerunt, nec veniam petiverunt; adducta confusa est, et sanata. *Ait illi Dominus : Mulier, nemo te condemnavit? Et illa : Nemo, Domine. Et ille : Nec ego te condemnabo; vade, deinceps jam noli peccare* (*Joan.* VIII, 4-11). Numquid Christus fecit contra legem suam? Neque enim Pater ejus sine Filio dederat legem. Si cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt per ipsum facta sunt, lex sine Verbo Dei quomodo conscripta est? Non ergo Deus contra legem suam, quia nec imperator contra leges suas facit, quando confessis dat indulgentiam. Moyses minister Legis, Christus promulgator Legis : Moyses lapidat ut judex, Christus indulget ut rex. Misertus est ergo ejus Deus secundum magnam misericordiam suam, sicut hic rogat, sicut hic petit, sicut exclamat et dolet : quod illi adulteram offerentes facere noluerunt; vulnera sua ostendente medico cognoverunt, medicinam a medico non quæsierunt. Ita sunt multi quos peccare non pudet, agere pœnitentiam pudet. O incredibilis insania! De vulnere ipso non erubescis, de ligatura vulneris erubescis? Nonne nudum fœdius et putidius est? Confuge ergo ad medicum, age pœnitentiam, dic : *Iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum meum ante me est semper.*

9. [*vers.* 6.] *Tibi soli peccavi, et malignum coram te feci.* Quid est hoc? Coram hominibus enim non erat adulterata uxor aliena, et maritus occisus? Nonne omnes noverant quod David fecerat? Quid est, *Tibi soli peccavi, et malignum coram te feci?* Quia tu solus sine peccato. Ille justus punitor, qui non habet quod in illo puniatur : ille justus reprehensor, qui non habet quod in illo reprehendatur. *Tibi soli*, inquit, *peccavi, et malignum coram te feci : ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* Cui dicat, fratres, cui dicat difficile est advertere. Deo utique loquitur, et manifestum est quomodo Deus Pater non est judicatus. Quid est, *Tibi soli peccavi, et malignum coram te feci : ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris?* Videt futurum judicem judicandum, judicandum a peccatoribus justum, et in eo vincentem, quia quod in illo judicaretur non erat. Solus enim in hominibus verum dicere potuit homo Deus [1] : Si invenistis in me peccatum, dicite (*Joan.* VIII, 46). Sed forte erat quod homines latebat, et non inveniebant illi quod erat quidem, sed manifestum non erat? Alio loco ait, *Ecce venit princeps mundi*, acutus inspector omnium peccatorum : *ecce*, inquit, *venit princeps mundi hujus*, morte affligens peccatores præpositus mortis; invidia enim diaboli mors intravit in orbem terrarum (*Sap.* II, 24). *Ecce*, inquit, *venit princeps mundi hujus* (dixit hæc proximus passioni), *et in me nihil inveniet*, nihil pec-

[1] Plures Mss., *captivus esset*. Quidam, *captivus teneretur.*
[2] Sic Mss. Edd. vero, *incurreret blasphemiam tanquam reprehensor legis calumniandus.*

[1] Am. et Er. : *Videte futurum judicem, judicatum a peccatoribus justum, et in eo vincentem, quia quod in illo judicaretur non habuit, et qui cum ini erat* [illegible]. *Erat enim solus verus. Et ideo solum verum in hominibus dicere potuit*, etc.

cati, nihil morte dignum, nihil damnatione dignum. Et tanquam ei diceretur, Cur ergo morieris? Sequitur, et dicit : *Sed ut sciant omnes quia voluntatem Patris mei facio, surgite, eamus hinc* (*Joan.* XIV, 30, 31). Patior, inquit, indignus pro dignis, ut eos dignos faciam vita mea, pro quibus indigne patior mortem illorum. Huic itaque nullum habenti peccatum dicit in præsentia propheta David : *Tibi soli peccavi, et malignum coram te feci : ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* Superas enim omnes homines, omnes judices, et qui se putat justum, coram te injustus est : tu solus juste judicas, injuste judicatus, qui potestatem habes ponendi animam tuam, et potestatem habes iterum sumendi eam (*Id.* x, 18). Vincis ergo cum judicaris. Omnes homines superas, quia plus es quam homines, et per te facti sunt homines.

10. [*vers.* 7.] *Tibi soli peccavi, et malignum coram te feci : ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Tanquam diceretur, Vincuntur illi qui fecerunt quod et tu David : non enim hoc parvum malum parvumque peccatum, adulterium et homicidium : quid illi qui ex quo nati sunt de ventre matris suæ, nihil tale fecerunt ? etiam ipsis imputas aliqua peccata, ut ille omnes vincat cum cœperit judicari ? Suscepit personam generis humani David, et attendit omnium vincula, propaginem mortis consideravit, originem iniquitatis advertit, et ait : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Numquid David de adulterio natus erat, de Jesse viro justo et conjuge ipsius (I *Reg.* XVI, 18)? Quid est quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam? Etiam [1] ipsum vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est. Nemo nascitur nisi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ. Dicit et in alio loco propheta : *Nemo mundus in conspectu tuo, nec infans cujus est unius diei vita super terram* (*Job* XIV, 4, *sec.* LXX)? Novimus enim et Baptismo Christi solvi peccata, et Baptismum Christi valere ad remissionem peccatorum. Si infantes omni modo innocentes sunt, cur matres ad Ecclesiam cum languentibus currunt? Quid illo Baptismo, quid illa remissione dimittitur? Innocentem magis video flentem quam irascentem. Quid eluit Baptismus? quid solvit illa gratia? Solvitur propago peccati. Quia si loqui tibi posset ille infans, diceret; et si jam intellectum haberet, quem habebat David, responderet tibi : *Quid me attendis infantem?* Non quidem vides facinora mea : sed ego in iniquitate conceptus sum, *Et in peccatis mater mea me in utero aluit.* Præter hoc vinculum concupiscentiæ carnalis [2] natus est Christus sine masculo, ex virgine concipiente de Spiritu sancto. Non potest iste dici in iniquitate conceptus; non potest dici, In peccatis mater ejus in utero eum aluit, cui dictum est : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35). Non ergo ideo in iniquitate concipiuntur homines, et in peccatis in utero a matribus aluntur, quia peccatum est misceri conjugibus; sed quia illud quod fit, utique fit de carne pœnali. Pœna enim carnis mors est, et utique inest ipsa mortalitas. Unde Apostolus non moriturum corpus dixit, sed mortuum : *Corpus quidem mortuum est*, inquit, *propter peccatum ; spiritus autem vita est propter justitiam* (*Rom.* VIII, 10). Quomodo ergo sine vinculo peccati nascitur, quod concipitur [1] et seminatur de corpore mortuo propter peccatum? Opus hoc castum in conjuge non habet culpam, sed origo peccati trahit secum debitam pœnam. Non enim maritus, quia maritus est, mortalis non est, aut aliunde nisi peccato mortalis est. Erat enim et Dominus mortalis, sed non de peccato : suscepit pœnam nostram, et ideo solvit culpam nostram. Merito ergo in Adam omnes moriuntur, in Christo autem omnes vivificabuntur (I *Cor.* XV, 22). *Per unum hominem* enim, ait Apostolus, *peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V, 12). Definita est sententia : In Adam, inquit, omnes peccaverunt. Solus esse innocens infans potuit, qui de opere [2] Adam non natus est.

11. [*vers.* 8.] *Ecce enim veritatem dilexisti : incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Veritatem dilexisti* : id est, impunita peccata etiam eorum quibus ignoscis, non reliquisti. *Veritatem dilexisti* : sic misericordiam prærogasti, ut servares et veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti : ita servatur misericordia et veritas; misericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur. *Ecce enim veritatem dilexisti : incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Quæ *occulta?* quæ *incerta?* Quia Deus ignoscit et talibus. Nihil tam occultum, nihil tam incertum. Ad hoc incertum Ninivitæ pœnitentiam egerunt. Dixerunt enim, quamvis post minas prophetæ, quamvis post illam vocem, *Triduo, et Ninive subvertetur* : dixerunt apud se, petendam esse misericordiam : dixerunt ita apud se disceptantes, *Quis novit, si Deus flectat in melius sententiam suam, et miseretur?* Incertum erat, cum dicitur, *Quis novit.* De incerto pœnitentiam egerunt, certam misericordiam meruerunt : prostraverunt se in lacrymis, in jejuniis, in cilicio et in cinere prostraverunt se, gemuerunt, fleverunt, pepercit Deus (*Jon.* III, 4-10). Stetit Ninive, an eversa est Ninive? Aliter quidem videtur hominibus, et aliter visum est Deo [3]. Ego autem puto impletum fuisse quod propheta prædixerat. Respice quæ fuit Ninive, et vide quia eversa est, eversa in malo, ædificata in bono : sicut eversus Saulus persecutor, ædificatus Paulus prædicator (*Act.* IX, 4). Quis non diceret civitatem istam, in qua nunc sumus, feliciter eversam, si omnes illi insani, nugis suis desertis, ad ecclesiam compuncto corde concurrerent, Dei misericordiam de suis factis præteritis in-

[1] Aliquot Mss., *ex Adam, a quo ipsum vinculum*, etc.
[2] Omnes prope Mss., *mortalis.*

[1] Plures Mss., *qui concernitur.* Alii, *qui concrescit.*
[2] Edd., *opere in Adam.* Abest, *in*, a Mss.
[3] Vox, *Deo*, abest a Mss.

vocarent? Nonne diceremus : Ubi est illa Carthago? Quia non est quod erat, eversa est : sed si est, quod non erat, ædificata est. Ita dicitur Jeremiæ : *Ecce dabo tibi eradicare, suffodere, evertere, disperdere, et rursus ædificare, et plantare* (*Jerem.* I, 10). Inde est vox illa Domini : *Ego percutiam, et ego sanabo* (*Deut.* XXXII, 39). Percutit putredinem facinoris, sanat dolorem vulneris. Faciunt medici cum secant, percutiunt et sanant; armant se ut feriant, ferrum gestant et curare veniunt. Sed quia peccata magna erant Ninivitarum, dixerunt. *Quis novit?* Hoc incertum patefecerat Deus servo suo David. Cum enim dixisset, stante et arguente se Propheta, *Peccavi* : statim audivit a Propheta, id est a Spiritu Dei qui erat in Propheta, *Dimissum est tibi peccatum tuum* (II *Reg.* XII, 13). Incerta et occulta sapientiæ suæ manifestavit ei.

12. [*vers.* 9.] *Asperges me*, inquit, *hyssopo, et mundabor*. Hyssopum herbam novimus humilem, sed medicinalem : saxo hærere radicibus dicitur. Inde in mysterio mundandi cordis similitudo assumpta est. Apprehende et tu radicem dilectionis petram tuam : esto humilis in humili Deo tuo, ut sis excelsus in glorificato Deo tuo: Aspergeris hyssopo, humilitas Christi te mundabit. Noli herbam contemnere, vim medicamenti attende. Aliquid etiam dicam quod a medicis solemus audire, vel experiri in ægrotis. Hyssopum dicunt purgandis pulmonibus aptum esse. In pulmone solet notari superbia : illic enim inflatio, illic anhelitus. Dicebatur de Saulo persecutore, tanquam de Saulo superbo, quod ibat ad vinciendos Christianos spirans cædem (*Act.* IX, 1): anhelabat cædes, anhelabat sanguinem, nondum purgato pulmone. Audi et hic humiliatum, quia hyssopo purgatum : *Asperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me*, id est, mundabis me : *et super nivem dealbabor. Etsi fuerint*, inquit, *peccata vestra sicut phœnicium, tanquam nivem dealbabo* (*Isai.* I, 18). De talibus sibi exhibet Christus vestem sine macula et ruga (*Ephes.* V, 27). Proinde vestis ejus in monte, quæ tanquam nix dealbata effulsit (*Matth.* XVII, 2), significavit Ecclesiam omni macula peccati mundatam.

13. [*vers.* 10.] Sed ubi humilitas ex hyssopo? Audi sequentia : *Auditui meo dabis exsultationem et lætitiam, et exultabunt ossa humiliata. Auditui meo*, inquit, *dabis exsultationem et lætitiam* : gaudebo audiendo te, non loquendo contra te. Peccasti, quid defendis te? Loqui vis : patere, audi, cede divinis vocibus, ne perturberis et amplius vulnereris : commissum est, non defendatur; in confessionem veniat, non in defensionem. Adhibes te defensorem peccati tui, vinceris : non innocentem patronum adhibuisti, non est tibi utilis defensio tua. Quis es enim qui te defendas? Idoneus es tu ad accusandum te. Noli dicere, aut, Nihil feci; aut, Quid magnum feci; aut, Fecerunt et alii. Si faciendo peccatum nihil te dicis fecisse, nihil eris, nihil accipies; paratus est Deus dare indulgentiam, claudis contra te; ille paratus est dare, noli opponere obicem defensionis, sed aperi sinum confessionis. *Auditui meo dabis exsultationem et lætitiam.* Ipse donet ut dicam quod sentio. Feliciores sunt qui audiunt, quam qui loquuntur. Qui enim discit, humilis est : qui autem docet, laborat ut non sit superbus, ne male placendi affectus irrepat, ne Deo displiceat qui vult placere hominibus. Magnus tremor est in docente, fratres mei, magnus tremor est noster in his vocibus nostris. Credite cordi nostro quod videre non potestis : scit ipse qui mitescat nobis, qui propitius sit nobis, cum quanto sub illo tremore ad vos loquimur. Cum autem ipsum aliquid suggerentem et docentem intus audimus, securi sumus, securi gaudemus : sub magistro enim sumus, illius gloriam quærimus, illum docentem laudamus : delectat nos veritas ejus intus, ubi nemo facit vel audit strepitum : ibi dixit iste esse lætitiam suam et exsultationem suam. *Auditui meo*, inquit, *dabis exsultationem et lætitiam*. Et ideo quia humilis, audit. Qui audit, qui vere audit et bene audit, humilis audit : gloria enim in illo est a quo audit quod audit. Posteaquam dixit, *Auditui meo dabis exsultationem et lætitiam;* continuo demonstravit quid faciat auditio, *Exsultabunt ossa humiliata*. Humiliata sunt ossa, ossa audientis non habent fastum, non habent tumorem, quem in se vix vincit qui loquitur. Inde et ille humilis magnus, quo in natis mulierum nemo major surrexit (*Matth.* XI, 11), ille qui ita se humiliavit ut se indignum diceret solvere corrigiam calceamenti Domini sui (*Marc.* I, 7), Joannes ille Baptista, dans gloriam magistro suo et ideo amico suo, ait; cum Christus putaretur, et ex eo superbire posset, et se extendere : non enim ipse se dixerat Christum; sed poterat accipere hominum errorem hoc putantium, ultro istum honorem deferre volentium (*Luc.* III, 15) : sed respuit falsum honorem ut inveniret veram gloriam [1] : et vide humilitatem de auditu : ait, *Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi stat et audit eum*. Stantem se fecit et audientem, non cadentem et loquentem, *Stat*, inquit, *et audit eum*. Audistis auditum; ubi est exsultatio et lætitia? Continuo sequitur : *Stat et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi* (*Joan.* III, 29). *Auditui meo dabis exsultationem et lætitiam, et exsultabunt ossa humiliata.*

14. [*vers.* 11.] *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.* Jam enim exsultant ossa humiliata, jam hyssopo mundatus, humilis factus sum. *Averte faciem tuam*, non a me, sed *a peccatis meis*. Alibi quippe orans dicit : *Ne avertas faciem tuam a me* (*Psal.* XXVI, 9). Qui non vult a se averti faciem Dei, vult averti faciem Dei a peccatis suis. Peccatum enim unde se Deus non avertit, advertit : si advertit, animadvertit. *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.* Satagit de illo grandi peccato : plus præsumit, omnes deleri vult iniquitates suas; præsumit de medici manu, de magna illa misericordia quam in principio Psalmi invocavit : *Omnes iniquitates meas dele*. Avertit faciem Deus, et sic delet; avertendo faciem peccata delet, advertendo scribit. Audisti avertendo delentem, audi advertendo

[1] Mss. excepto uno forte et altero ferunt, *veram gratiam*.

quid facientem. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum* (*Psal.* XXXIII, 17) : non delendo peccata eorum. Hic autem quid rogat? *Averte faciem tuam a peccatis meis.* Bene rogat. Ipse enim non avertit faciem a peccatis suis, dicens, *Quoniam peccatum meum ego cognosco.* Merito rogas, et bene rogas ut Deus avertat faciem a peccato tuo, si tu inde non avertis faciem: si vero tu peccatum tuum in dorso ponis, Deus ibi faciem ponit. Tu peccatum tuum ante faciem tuam converte, si vis ut inde Deus faciem suam avertat; et sic securus rogas, et exaudit.

15. [*vers.* 12.] *Cor mundum crea in me, Deus Crea*, non [1] quasi novum aliquid institue, dicere voluit : sed quia pœnitens orabat, qui commiserat aliquid quod priusquam committeret innocentior erat, ostendit quemadmodum dixerit, *Crea. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Per factum, inquit, meum [2] inveterata erat atque curvata rectitudo spiritus mei. Dicit enim ex alio psalmo: *Curvaverunt animam meam* (*Psal.* LVI, 7). Et quando se homo pronum facit ad terrenas concupiscentias, incurvatur quodammodo; cum autem erigitur in superna, rectum fit cor ejus, ut bonus illi sit Deus. Quam bonus enim Deus Israel rectis corde (*Psal.* LXXII, 1)! Proinde, fratres, audite. Aliquando Deus cui ignoscit in futuro sæculo, corripit eum de peccato in isto sæculo. Nam et ipsi David, cui dictum jam fuerat per Prophetam, *Dimissum est peccatum tuum*, evenerunt quædam quæ minatus erat Deus propter ipsum peccatum. Nam filius ejus Abessalon adversus eum cruentum bellum gessit, et in multis humiliavit patrem suum (II *Reg.* XV, 10). Ambulabat ille in dolore, in tribulatione humiliationis suæ, ita subditus Deo, ut omnia justa ei tribuens confiteretur quod nihil pateretur indigne, habens jam rectum cor cui non displicebat Deus. Injuriosum quemdam et in os sibi dura maledicta jacientem patienter audiebat, ex adversa parte unum ex militibus qui erant cum filio ejus impio. Et cum ille jaceret maledicta in regem, iratus unus ex comitibus David voluit ire et percutere eum; sed prohibetur a David. Et quomodo prohibetur? Ut diceret, *Deus illum misit, ut mihi malediceret* (*Id.* XVI, 5, 10). Agnoscens culpam suam, amplexus est pœnam suam, quærens gloriam non suam; Dominum laudans in eo quod boni habebat, Dominum laudans in eo quod patiebatur, benedicens Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore ejus (*Psal.* XXXIII, 2). Tales sunt omnes recti corde : non hi perversi, qui se rectos putant, et perversum Deum; qui quando aliquid faciunt mali, gaudent; quando aliquid mali patiuntur, blasphemant: insuper positi in tribulatione et flagello, dicunt de corde distorto, Deus, quid tibi feci? Vere quia nihil Deo fecerunt; omnia enim sibi fecerunt. *Et spiritum rectum innova in visceribus meis.*

16. [*vers.* 13.] *Ne projicias me a facie tua. Averte faciem tuam a peccatis meis : et ne projicias me a facie tua.* Cujus faciem timet, ipsius faciem invocat. *Ne projicias me a facie tua : et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Est enim spiritus sanctus in confitente. Jam ad donum Spiritus sancti pertinet, quia tibi displicet quod fecisti. Immundo spiritui peccata placent, sancto displicent. Quamvis ergo adhuc veniam depreceris, tamen ex alia parte quia tibi displicet malum quod commisisti, Deo conjungeris : hoc enim et tibi displicet, quod et illi. Jam duo estis ad expugnandam febrem tuam, tu et medicus. Quia ergo non potest esse confessio peccati et punitio peccati in homine a seipso; cum quisque sibi irascitur et sibi displicet, sine dono Spiritus sancti non est. Nec ait, spiritum sanctum tuum da mihi, sed, *ne auferas a me. Et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.*

17. [*vers.* 14.] *Redde mihi exsultationem salutaris tui. Redde* quam habebam, quam peccando amiseram : *Redde mihi exsultationem salutaris tui :* utique Christi tui. Quis enim sine illo sanari potuit? Quia et antequam de Maria nasceretur, in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum (*Joan.* I, 1) : et ita a sanctis Patribus dispensatio susceptæ carnis futura credebatur, sicut a nobis facta creditur. Tempora variata sunt, non fides. *Redde mihi exsultationem salutaris tui : et spiritu principali confirma me.* Nonnulli intellexerunt hic Trinitatem in Deo ipsum Deum, excepta dispensatione carnis : quoniam scriptum est, *Deus spiritus est* (*Id.* IV, 24). Quod enim non est corpus, et tamen est, videtur restare ut spiritus sit. Intelligunt ergo hic nonnulli Trinitatem dictam (*a*); in *spiritu recto* Filium, in *spiritu sancto* Spiritum sanctum, in *spiritu principali* Patrem. Sive ergo hoc ita sit, sive spiritum rectum ipsius hominis accipi voluit, dicens, *Spiritum rectum innova in visceribus meis*, quem curvavi et distorsi peccando, ut jam Spiritus sanctus ipse sit spiritus principalis, quem et auferri a se noluit, et eo se voluit confirmari; non est hæretica quælibet sententia.

18. [*vers.* 15.] Sed videte quid adjungat : *Spiritu*, inquit, *principali confirma me.* In quo *confirma?* Quia ignovisti mihi, quia securus sum non mihi imputari quod donasti, ex hoc factus securus, atque ista gratia confirmatus, non ero ingratus. Quid enim faciam? *Doceam iniquos vias tuas.* Doceam iniquos ex iniquo [1]; id est, qui fuerim et ego iniquus, jam non iniquus, non a me ablato Spiritu sancto, et spiritu principali confirmatus, *doceam iniquos vias tuas.* Quas vias iniquos docebis? *Et impii ad te convertentur.* Si peccatum David impietati deputatur, non de se desperent impii, quia pepercit Deus impio; sed si ad eum convertantur, si vias ipsius discant : si autem impietati non deputatur factum David, sed illa proprie impietas

[1] Hic a Mss. abest particula *non.*
[2] Sic Mss. At Edd.: *Perfectum, inquit, in me spiritum fac esse. Inveterata erat*, etc.

[1] Aliquot Mss., *ex iniquis.* Alii tres, *exuniquus;* ascripta in margine nota hujusmodi : « Sic dicitur expœnitens qui « pœnitens fuit et jam non est, et exconsul qui consul fuit « et modo non est. »
(*a*) Hieronymus in Epist. ad Galat. c. 4, v. 6.

dicitur apostare a Deo, unum Deum non colere, aut nunquam coluisse, aut quem colebat dimisisse, ad cumulum valet quod ait, *Et impii ad te convertentur.* Ita plenus es adipe misericordiæ, ut ad te conversis, non solum quibuslibet peccatoribus, sed etiam impiis non sit desperandum. *Et impii ad te convertentur.* Utquid? Ut credentes in eum qui justificat impium, deputetur fides eorum ad justitiam (*Rom.* iv, 5).

19. [*vers.* 16.] *Erue me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Expressit latinus interpres verbo minus latino proprietatem tamen ex græco. Nam omnes novimus latine non dici sanguines, nec sanguina; tamen quia ita græcus posuit plurali numero, non sine causa, nisi quia hoc invenit in prima lingua hebræa, maluit pius [1] interpres minus latine aliquid dicere, quam minus proprie. Quare ergo pluraliter dixit: *de sanguinibus?* In multis sanguinibus, tanquam in origine carnis peccati, multa peccata intelligi voluit. Ad ipsa peccata respiciens Apostolus, quæ veniunt de corruptione carnis et sanguinis, ait: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Nam utique secundum fidem veram ejusdem apostoli, caro ista resurget, et ipsa merebitur incorruptionem, dicente ipso: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (I *Cor.* xv, 50, 53). Quia ergo corruptio ista de peccato est, ipsius nomine appellantur peccata: quemadmodum dicitur lingua et illud frustum carnis et membrum quod in ore movetur, cum verba distinguimus, et lingua quod per linguam fit, sicut dicimus aliam linguam græcam, aliam latinam: non enim caro diversa est, sed sonus. Quomodo ergo dicitur lingua, locutio quæ fit per linguam; sic dicitur et sanguis, iniquitas quæ fit per sanguinem. Attendens ergo multas iniquitates suas, et illud superius, *Et omnes iniquitates meas dele;* et eas tribuens corruptioni carnis et sanguinis, *Libera me*, inquit, *de sanguinibus:* hoc est, Libera me ab iniquitatibus, munda me ab omni corruptione. Incorruptionem enim desiderat qui dicit, *Libera me de sanguinibus: quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, neque corruptio incorruptionem. Erue me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Ostendit quia cum fuerit salus perfecta in isto corpore, corruptio in eo non erit, quæ intelligitur nomine carnis et sanguinis: ipsa est enim perfecta sanitas corporis. Nam modo quomodo sanum est quod labitur, quod indiget, quod habet perpetuam quamdam ægritudinem famis et sitis? Hæc tunc non erunt: quia esca ventri, et venter escis (*Id.* vi, 13). Deus autem et hunc et has evacuabit. Erit forma corporis perfecta ex Deo, absorpta morte in victoriam (*Id.* xv, 54), nulla subrepente defectione, nullis mutata ætatibus, nullo labore lassata ut [2] cibo fulciatur, et aliqua esca reficiatur. Sed non erimus sine esca et potu: ipse erit cibus noster Deus et potus noster. Solus ille cibus reficit nec deficit. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.* Modo enim jam in ipsa salute sumus. Audi Apostolum: *Spe enim salvi facti sumus.* Et vide quia de ipsa salute corporis dicebat: *In nobismetipsis*, inquit, *ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* viii, 23, 25). Qui perseveraverit usque in finem, ipsa est illa patientia: hic salvus erit (*Matth.* x, 21, *et* xxiv, 13), ipsa est salus quam nondum habemus, sed habituri sumus. Nondum est res, sed certa spes. *Et exsultabit lingua mea justitiam tuam.*

20. [*vers.* 17.] *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. Laudem tuam*, quia [1] creatus sum; *laudem tuam*, quia peccans non derelictus sum; *laudem tuam*, quia ut confiterer admonitus sum; *laudem tuam*, quia ut securus essem mundatus sum. *Labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.*

21. [*vers.* 18, 19.] *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique.* In illo tempore erat David, quando sacrificia victimarum animalium offerebantur Deo, et videbat hæc futura tempora. Nonne in his vocibus nos agnoscimus? Erant illa sacrificia figurata, prænuntiantia unum salutare sacrificium. Nec nos dimissi sine sacrificio sumus, quod Deo offeramus. Audi enim quid dicat curam gerens pro peccato suo, et ignosci sibi volens malum quod fecit: *Si voluisses*, inquit, *sacrificium, dedissem utique. Holocaustis non delectaberis.* Nihil ergo offeremus? sic veniemus ad Deum? Et unde illum placabimus? Offer; sane in te habes quod offeras. Noli extrinsecus thura comparare, sed dic: *In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudis tibi* (*Psal.* lv, 12). Noli extrinsecus pecus quod mactes inquirere, habes in te quod occidas. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non spernit.* Prorsus spernit taurum, hircum, arietem: jam non est tempus ut hæc offerantur. Oblata sunt cum aliquid indicarent, cum aliquid promitterent; venientibus rebus promissis, promissiones ablatæ sunt. *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit.* Nostis quia excelsus est Deus: si te excelsum feceris, longinquabit a te; si te humiliaveris, propinquabit ad te.

22. [*vers.* 20.] Videte quis iste sit: unus videbatur deprecari David, videte hic imaginem nostram et typum Ecclesiæ. *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion.* Huic Sion benigne fac. Quæ est Sion? Civitas sancta. Quæ est civitas sancta? Quæ abscondi non potest super montem constituta (*Matth.* v, 14). Sion in speculatione quia aliquid spectat quod sperat. Interpretatur enim Sion Speculatio, et Jerusalem Visio pacis. Agnoscitis ergo vos in Sion et in Jerusalem, si certi expectatis spem futuram, et si pacem habetis cum Deo. *Et ædificentur muri Jerusalem. Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, et ædificentur muri Jerusalem:* Non sibi enim tribuat Sion aliqua merita sua: tu cum illa fac benigne. *Ædificentur muri Jeru-*

[1] Plerique Mss., *potius.*
[2] Edd., *ut nullo cibo fulciatur.* Abest, *nullo*, a Mss.

[1] In plerisque Mss. constanter, *qua.*

salem : munimenta construantur immortalitatis nostræ, in fide, et spe, et charitate.

23. [*vers.* 21.] *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ* : modo autem sacrificium pro iniquitate, spiritum contribulatum et cor humiliatum; tunc sacrificium justitiæ laudes solas. Beati enim qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII, 5) : hoc est enim sacrificium justitiæ. *Oblationes et holocaustomata.* Quæ sunt *holocaustomata?* Totum igne consumptum. Quando totum pecus imponebatur aræ igne consumendum, holocaustum dicebatur. Totos nos divinus ignis absumat, et fervor ille totos arripiat. Quis fervor? *Nec est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII, 7). Quis fervor? De quo dicit Apostolus, *Spiritu ferventes* (*Rom.* XII, 11). Non tantum anima nostra absumatur ab illo divino igne sapientiæ, sed et corpus nostrum, ut mereatur ibi immortalitatem [1]; sic levetur holocaustum, ut absorbeatur mors in victoriam (I *Cor.* XV, 54). *Oblationes et holocaustomata. Tunc imponent super altare tuum vitulos.* Unde *vitulos?* Quid ibi eliget? Innocentiam novæ ætatis, an libera colla a jugo legis?

24. Psalmus in nomine Christi, etsi forte non ut volumus, verumtamen ut potuimus, terminatus est. Restat paucis alloqui vos, fratres, propter multa mala inter quæ vivimus. Neque enim viventes in rebus humanis, migrare possumus a rebus humanis. Cum tolerantia vivendum est nobis inter malos : quia cum mali essemus, cum tolerantia vixerunt boni inter nos. Non obliviscentes quid fuerimus, non desperabimus de his qui nunc sunt quod fuimus. Verumtamen, charissimi, in tanta morum diversitate et tam detestabili corruptela, regite domos vestras, regite filios vestros, regite familias vestras [2]. Quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his qui vobis sunt subditi. Amat Deus disciplinam. Perversa autem et falsa innocentia est, habenas laxare peccatis. Valde inutiliter, valde perniciose sentit filius patris lenitatem, ut postea Dei sentiat severitatem : et hoc non solus, sed cum dissoluto patre suo. Quid enim? Si ipse non peccat, et non facit quod filius ejus, ideo non debet ab ipsa nequitia filium prohibere? An forte ut videatur filio ejus quia et pater talia faceret, nisi senuisset? Peccatum quod tibi non displicet in filio tuo, delectat te; sed ætas deseruit, non cupiditas. Maxime, fratres mei, filios vestros fideles attendite, quos fidedixistis [3] ut baptizarentur. Sed forte negligit malus filius vel monita patris, vel objurgationem, vel severitatem : tu imple personam tuam; Deus de illo exigit suam.

IN PSALMUM LI
ENARRATIO.

SERMO AD POPULUM.

1. Psalmus brevis est, de quo loquendum suscepimus Charitati Vestræ : sed titulum habet aliquantulum negotiosum. Patienter ergo sustinete nos, donec illum enodemus, ut possumus, quantum adjuverit Dominus. Neque enim passim prætereunda sunt hæc; quandoquidem placuit fratribus, non tantum aure et corde, sed et stylo excipienda quæ dicimus : ut non auditorem tantum, sed et lectorem etiam cogitare debeamus. Nata est quidem occasio psalmo huic ex re quadam gesta, quam vobis etiam fecimus recitari de libro Regnorum. Saül enim rex non ad permanendum electus a Domino, sed secundum populi cor durum et malum datus ad eorum correptionem, non ad utilitatem (I *Reg.* VIII, 7), secundum illam sententiam sanctarum Scripturarum, quæ ait de Deo, *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter perversitatem populi* (*Job* XXXIV, 30) : cum ergo talis esset Saül, persequebatur David (I *Reg.* XVIII-XXIV), in quo Deus præfigurabat regnum salutis æternæ, et quem Deus elegerat permansurum in semine suo; quandoquidem futurus erat rex noster, rex sæculorum cum quo regnaturi sumus in æternum, ex semine ipsius David secundum carnem (*Rom.* I, 3). Cum ergo David Deus elegisset, et prælegisset, et prædestinasset ad regnum, noluit et ipsum David ante regnum tenere, quam primo a persequentibus liberaret; ut etiam in hoc ipso figuraret nos, id est corpus ejus, cujus corporis caput Christus (*Coloss.* I, 18). Porro enim si ipsum caput nostrum sine primo peracto labore in terra, in cœlo regnare noluit, neque levare sursum corpus quod deorsum accepit, nisi per tribulationis viam; quid audent membra sperare, capite suo magis se posse esse felicia? *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus* (*Matth.* X, 25)? Non ergo speremus molliorem [1] viam : qua præcessit eamus, qua duxit sequamur. Si enim a vestigio ejus aberravimus, perimus. In hoc ergo David quid præfigurabatur, videtis : ergo et in Saül quid præfigurabatur, videtis : regnum malum in Saül, regnum bonum in David : mors in Saül, et vita in David. Etenim nos non persequitur nisi mors, de qua in fine triumphabimus, dicentes : *Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus* (I *Cor.* XV, 55)? Quid est quod dico, non nos persequitur nisi mors? Quia nisi mortales essemus, non esset quod nobis faceret inimicus. Numquid enim Angelis quidquam facit? Ergo etiam ipsa mors, a qua maxime habemus persecutionem, cujus finitur in fine contentio cum resurrexerimus a mortuis, sicut finita est in capite nostro, sic finietur et in nobis, si justi fuerimus inventi. Nam mortuus ille mortis interfector fuit, et magis in illo mors mortua est, quam ipse in morte.

2. Denique etiam nomen ipsum si attendamus, non est sine mysterio. Nam Saül interpretatur Petitio, hoc est appetitio. Quid enim dubitare debemus nos nobis fecisse mortem istam? A peccato enim hominis nata

[1] Mss. omittunt particulam *ut*, et ex iis nonnulli ferunt : *mereatur absumi ab immortalitate*.
[2] Quatuor Mss., *filias vestras*.
[3] Er. et tres Mss., *fide genuistis*. Alii Mss. quatuor, *fidejussistis*. At Lov., *fidedixistis* : et sic melioris notæ Mss. Idem verbum adhibitum est supra, in Enarr. Psal. 36, serm. 3, n. 6.

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *meliorem*.

est mors. Merito ergo ipse sibi homo appetivit mortem, et ideo petitio nomen est mortis. Nam sicut scriptum est, *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Creavit enim Deus ut essent omnia, et sanabiles fecit nationes orbis terrarum.* Et unde mors tanquam quæreres : *Impii autem manibus*, inquit, *et verbis accersierunt illam, et æstimantes illam amicam defluxerunt* (*Sap.* I, 13, 14, 16). Ergo appetendo illam defluxerunt, et in mortem irruerunt, æstimantes illam sibi esse amicam : quomodo æstimavit populus amicum, et petivit regem inimicum. Extorsit enim populus a Domino habere regem, et datus est Saül, tanquam dati essent illi in manus suas, qui manibus et verbis accersierunt mortem, et figurata est in ipso Saüle ipsa mors. Ideo psalmus ille septimus decimus sic habet titulum : *In die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saül. Dixit* primo, omnes inimicos ejus; et postea, *de manu Saül :* quia novissima inimica destruetur mors (I *Cor.* XV, 26). Quid est, *Et de manu Saül?* Quoniam exemit nos ab inferis et de manu mortis liberavit nos.

3. Cum ergo Saül persequeretur virum sanctum David, confugit David ubi tutum putavit : transiens per sacerdotem quemdam Achimelech, accepit ab eo panes. Ubi figuravit etiam personam, non tantum regis, sed et sacerdotis : quia manducavit panes propositionis, quos, sicut dicit Dominus in Evangelio, *non licebat manducare nisi solis sacerdotibus* (*Matth.* XII, 4). Postea cœpit eum quærere Saül, et iratus est suis quod nemo eum sibi vellet prodere. Hoc modo lectum est in libro Regnorum. Erat autem ibi Doech quidam, quando venerat ille ad Achimelech sacerdotem, princeps pastorum Saül, Idumæus. Qui cum adesset quando Saül irascebatur suis, quod nullus illi vellet prodere David, prodidit ubi eum vidisset. Misit continuo Saül, exhibuit sacerdotem et omnes ejus, et jussit occidi. Nemo ausus est hominum regis Saül, nec jubente rege, mittere manum in sacerdotes Domini : sed ille qui prodiderat, sicut Judas, qui a proposito suo non recessit, et usque in finem perseveravit de illa radice fructus ferre, (quales, nisi quales fert arbor mala?) occidit Doech iste manu sua, jubente rege, sacerdotem et omnes ejus : deinde debellata est civitas etiam sacerdotum (I *Reg.* XXI *et* XXII). Invenimus ergo Doech istum inimicum regi David et sacerdoti Achimelech. Unus homo est Doech, sed genus hominum est Doech : sicut David et corpus ipsum regis et sacerdotis, tanquam unus homo et duæ personæ, sed tamen unum genus hominum. Proinde in isto tempore, et in isto sæculo videamus hæc duo genera, ut pertineat ad utilitatem nostram, vel quod cantamus, vel quod cantari audimus. Modo videamus Doech, modo videamus corpus regis et sacerdotis, modo videamus corpus hominum adversus regem et sacerdotem.

4. Primo nomina ipsa attendite quam mystica sint. Doech interpretatur Motus : Idumæus interpretatur Terrenus. Jam videte quale genus hominum significet Doech iste motus : non ergo perseverans in æternum, sed emigrandus. Terrenus : quid exspectatis de homine terreno aliquos fructus? Cœlestis [1] homo erit in æternum. Est ergo regnum terrenum, ut breviter dicam et cito insinuem, hodie in isto sæculo, ubi est et regnum cœleste. Peregrinos habet cives suos utrumque regnum, regnum terrenum et regnum cœleste, regnum eradicandum et regnum in æternum plantandum. Modo in hoc sæculo cives utriusque regni permixti sunt : corpus regni terreni, et corpus regni cœlestis commixtum est. Regnum cœleste gemit inter cives regni terreni, et aliquando (nam et hoc tacendum non est) quodammodo regnum terrenum angariat cives regni cœlorum, et regnum cœleste angariat cives regni terreni. Utrumque vobis de Scriptura Dei demonstrabimus. Daniel et tres pueri in Babylonia præpositi sunt negotiis regis (*Dan.* II, 49) : Joseph in Ægypto secundus a rege positus est administrare rempublicam (*Gen.* XLI, 40), de qua republica erat populus ille Dei liberandus : in ipsa republica angariam quodammodo faciebat Joseph, sicut illi tres pueri, sicut Daniel. Manifestum est ergo quod usurparat sibi ad opera sua, id est ad opera regni sui, non ad facta sua mala, regnum terrenum cives regni cœlorum. Quid et regnum cœlorum, quomodo usurpat in hoc sæculo ad tempus cives regni terreni? Nonne de his Apostolus dicit, quod non caste Evangelium annuntiabant, sed terrena desiderantes regnum cœlorum prædicabant; sua quærebant, et Christum annuntiabant? Et ut noveritis quod et ipsi ad opus regni cœlorum, tanquam mercenarii assumpti sunt, Apostolus gaudens de illis dicit : *Sunt qui per invidiam et contentionem Christum annuntiant non caste, existimantes tribulationem se suscitare vinculis meis. Quid enim dum omni modo sive per occasionem sive per veritatem Christus annuntietur? Et in hoc gaudeo, sed et gaudebo* (*Philipp.* I, 17 *et* 18). De talibus etiam Christus annuntiat, dicens : *Pharisæi et Scribæ super cathedram Moysi sederunt. Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite : dicunt enim, et non faciunt* (*Matth.* XXIII, 2, 3). Quæ dicunt, pertinent ad David; quæ autem faciunt, pertinent ad Doech. Per illos me audite, illos imitari nolite. Ista duo genera hominum sunt hodie in terra. De his duobus generibus hominum cantat psalmus iste.

5. [*vers.* 1, 2.] Habet autem Psalmi titulus : *In finem intellectus David, cum venit Doech Idumæus, et nuntiavit Saül : Venit David in domum Abimelech* [2] : cum legamus eum venisse in domum Achimelech. Et fortasse quod non absurde sentimus propter similitudinem nominis, et unius syllabæ differentiam, vel potius unius litteræ, variati sunt tituli. In codicibus tamen Psalmorum cum inspiceremus, magis Abimelech quam Achimelech invenimus. Et quoniam in alio loco habes evidentissimum psalmum, non dissimilitudinem nominis, sed prorsus diversum nomen insinuantem; quandoquidem David ante regem Achis, non ante

[1] Sic aliquot MSS. At Edd., *aliquos fructus cœlestes? Homo*, etc.
[2] Plerique MSS., *Psalmi titulus, nuntiatum esse Saüli de David, quod venerit David in domum Abimelech.*

regem Abimelech immutavit faciem suam, et dimisit eum, et abiit: titulus autem Psalmi sic scriptus est, *Quando immutavit vultum suum coram Abimelech* (*Psal.* XXXIII, 1): ipsa magis mutatio nominis in mysterium facit intentos, ne tanquam res historiæ persequaris, et sacrata [1] vela contemnas. Discussum nomen in psalmo illo, quod est Abimelech, invenitur interpretatum, Patris mei regnum. Quomodo autem patris sui regnum dimisit David, et abiit, nisi quomodo Christus regnum Judæorum dimisit, et ad Gentes transivit? Hinc fortassis etiam propheticus spiritus adscribens titulum psalmo huic, voluit ut non diceret Achimelech, sed Abimelech, quia quando venit David ad patris sui regnum, tunc est proditus; hoc est quando venit Dominus noster Jesus Christus ad regnum Judæorum institutum a Patre suo, de quo dicit, *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus et justitiam* (*Matth.* XXI, 43), tunc est proditus morti, quam significat Saül. Non est autem occisus (a), sicut nec Isaac, cum et ipse passionem Domini figuraret; nec tamen sine sanguine figura transacta est, vel ibi illius arietis (*Gen.* XXII, 12), vel hic Achimelech sacerdotis. Neque enim occidi oportuit eos, quos tunc resurgere non oportebat: sed eorum vitam a mortis periculo, veruntamen effuso sanguine, liberans Jesus resurrectionem potius significabat, quæ hoc modo in illis figurabatur, quia vero Domino servabatur. Plura hinc dici [2] possent, si illarum rerum gestarum in hoc sermone suscepissemus tractanda mysteria.

6. Nunc jam audiamus ista duo genera hominum, quandoquidem de titulo isto, etsi operosius et fortasse loquacius, tamen ut Dominus concessit, exitum est. Duo genera hominum attendite: unum laborantium, alterum eorum inter quos laboratur; unum de terra, alterum de cœlo cogitantium; unum in profundum cor mittentium, alterum cor Angelis conjungentium; unum sperantium de terrenis quibus pollet hic mundus, alterum præsumentium de cœlestibus quæ promisit non mendax Deus [3]. Sed mixta sunt ista genera hominum. Invenimus modo civem Jerusalem, civem regni cœlorum administrare aliquid in terra; ut puta, purpuram gerit [4], magistratus est, ædilis est, proconsul est, imperator est, rempublicam gerit terrenam: sed cor sursum habet, si christianus est, si fidelis est, si pius est, si contemnens in quibus est, et sperat in quo nondum est. De quo genere fuit illa sancta mulier Esther, quæ cum esset uxor regis, ventum est ad periculum deprecandi pro civibus suis; et cum oraret coram Deo, ubi mentiri non posset, in oratione sua dixit, ita sibi fuisse illa ornamenta regalia sicut pannum menstruatæ (*Esth.* XIV, 16). Non ergo desperemus de civibus regni cœlorum, quando eos videmus aliqua gerere Babyloniæ negotia, aliquid terrenum in republica terrena: nec rursus continuo gratulemur omnibus hominibus quos videmus agere negotia cœlestia; quia et filii pestilentiæ sedent aliquando in cathedra Moysi, de quibus dicitur, *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, et non faciunt.* Illi in terrenis rebus levant cor in cœlum, isti in cœlestibus verbis trahunt cor in terra. Veniet autem tempus ventilabri, quando utrumque diligentissime discernatur, ne granum aliquod transeat in acervum paleæ comburendum, ne una stipula transeat ad massam in horreo recondendam (*Matth.* III, 12). Quamdiu ergo nunc permixtum est, audiamus hinc vocem nostram, id est civium regni cœlorum (hoc enim affectare debemus, tolerare hic malos, quam tolerari a bonis); et conjungamus nos huic voci, et aure, et lingua, et corde, et opere. Quod si fecerimus, nos hic loquimur in his quæ audimus. Dicatur ergo primo de corpore malo regni terreni.

7. [*vers.* 3.] *Quid gloriatur in malitia qui potens est?* Attendite, fratres mei, gloriam malignitatis, gloriam hominum malorum. Quæ est gloria? *Quid gloriatur in malitia qui potens est?* id est, qui in malitia potens est, quid gloriatur? Opus est potentem esse, sed in bonitate, non in malitia. Aliquid magnum est gloriari in malitia? Ædificare domum paucorum est, destruere quivis ignarus potest. Seminare frumenta, excolere segetem, exspectare donec maturescat, et in ejus fructu in quo laboravit gaudere, paucorum est: una scintilla omnem segetem incendere quivis potest. Suscipere infantem, natum nutrire, educare, ad juvenilem ætatem perducere, magnum officium est: occidere illum uno puncto temporis quivis potest. Ergo ea quæ ad destructionem fiunt, facillime fiunt. Qui gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31): qui gloriatur, in bonitate glorietur. Gloriaris, quia potens es in malo. Quid facturus es, o potens, quid facturus es, multum te jactans? Occisurus es hominem: hoc et scorpius, hoc et una febris, hoc et fungus malus. Huccine redacta est omnis potentia tua, ut malo fungo coæquetur? Hoc ergo faciunt boni cives Jerusalem, qui non in malitia, sed in bonitate gloriantur: primo ut non in se, sed in Domino glorientur; deinde ut ea quæ ad ædificationem faciunt, studiose faciant, et talia faciant quæ valeant ad permanendum; quæ autem faciunt ad destructionem, faciant propter disciplinam proficientium, non propter oppressionem innocentium. Huic ergo potentiæ comparatum corpus illud terrenum, quare non audiat ex his verbis, *Quid gloriatur in malitia qui potens est?*

8. [*vers.* 4.] *In iniquitate tota die injustitiam cogitavit lingua tua. In iniquitate tota die*, id est toto tempore,

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *secreta.*

[2] Sic melioris notæ Mss. At Edd., « a mortis periculo liberari. Veruntamen effusi sanguinis liberatio resurrectionem potius significabat, quæ hoc modo in illis figurabatur. Quia vero Domino servabatur resurrectio, plura hic dici, » etc.

[3] Hic in Edd. post *non mendax Deus*, inserta erant isthæc verba: « Non esse desperandum de hominibus bonis, si per eos terrenum aliquid administretur; nec rursum continuo gratulandum hominibus qui cœlestia agere dignoscantur negotia: cum plerumque illi qui negotiis sæcularibus implicati sunt, cor semper sursum habeant, et isti qui cœlestia semper prædicant, cor trahant in terra. » Absunt ea prorsus a nostris Mss.

[4] Omnes Mss., *purpuras gerit.*

(a) Intellig., *David.*

sine lassitudine, sine intervallo, sine pausatione. Et quando non facis, cogitas; ut quando aliquid mali abest a manibus, a corde non abest: aut facis malum, aut dum non potes facere, dicis malum, hoc est, maledicis: aut quando nec hoc potes, vis et cogitas malum. *Tota die* ergo, id est sine intermissione. Exspectamus huic homini pœnam. Parva sibi pœna est? Minaris ei: tu cum ei minaris, quo eum vis mittere in malum? Dimitte illum in se. Ut multum sævias, subjecturus [1] es bestiis: in seipsum pejor est bestiis. Bestia enim lacerare corpus ejus potest: ipse cor suum sanum relinquere non potest. Interius in se ipse sævit, et tu exterius plagas inquiris? Imo ora Deum pro illo, ut liberetur a se. Verumtamen in hoc psalmo, fratres mei, non oratio est pro malis, aut contra malos, sed prophetia quid sit eventurum malis. Non itaque putetis ex malevolentia Psalmum aliquid dicere: dicitur enim in spiritu prophetiæ.

9. Quid ergo sequitur? Tota potentia tua, et tota cogitatio iniquitatis tota die, et meditatio malignitatis in lingua tua sine intermissione, quid egit? quid fecit? *Sicut novacula acuta fecisti dolum.* Ecce quid faciunt sanctis mali; capillos radunt. Quid est quod dixi? Si sint tales cives Jerusalem qui audiant vocem Domini sui, regis sui dicentis, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* x, 28); qui audiant vocem, quæ modo ex Evangelio recitata est, *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, se autem ipsum detrimentum faciat* (*Id.* xvi, 26), contemnunt omnia præsentia bona, insuper et ipsam vitam. Et quid factura est novacula Doech homini meditanti in hac terra regnum cœlorum, et futuro in regno cœlorum, habenti secum Deum, et permansuro cum Deo? quid est factura illa novacula? Capillos rasura, calvum factura est. Et hoc ad Christum pertinet, qui in loco Calvariæ crucifixus est. Facit et filium Core, quod interpretatur Calvitium. Nam isti capilli superflua rerum temporalium significant. Qui quidem capilli non superflue facti sunt a Deo in corpore hominum, sed ad aliquod ornamentum: tamen quia sine sensu præciduntur, illi qui hærent corde in Domino, sic habent ista terrena tanquam capillos. Sed aliquando et aliquid boni de capillis operandum est, quando frangis panem esurienti, egenum sine tecto inducis in domum tuam, si videris nudum, vestis (*Isai.* LVIII, 7): postremo etiam ipsi martyres imitantes Dominum, sanguinem pro Ecclesia fundentes, audientes vocem illam, Sicut Christus *animam suam pro nobis posuit*, sic *et nos debemus pro fratribus animas ponere* (I *Joan.* III, 16), quodammodo de capillis suis bene nobis fecerunt, id est de his rebus quas potest amputare vel radere illa novacula. Quia ergo et de ipsis capillis boni aliquid fieri potest significavit et illa mulier peccatrix, quæ cum flevisset super pedes Domini, capillis suis tersit, quos lacrymis rigavit (*Luc.* VII, 38). Quid significans? Quia cum misertus fueris alicujus, debes et subvenire, si potes. Cum enim misereris, tanquam lacrymas fundis: cum subvenis, capillis tergis. Et si hoc cuicumque, quanto magis pedibus Domini? Qui sunt pedes Domini? Evangelistæ sancti, de quibus dictum est, *Quam speciosi sunt pedes eorum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona* (*Isai.* LII, 7, *et Rom.* x, 15)! Ergo acuat sicut novaculam linguam suam Doech: acuat dolum quantum potest: ablaturus est superflua temporalia; numquid necessaria sempiterna?

10. [*vers.* 5.] *Dilexisti malitiam super benignitatem.* Ante te erat benignitas, ipsam diligeres. Non enim aliquid eras erogaturus, aut quod diligeres de longinqua navigatione allaturus eras. Benignitas ante te, iniquitas ante te: compara, et elige. Sed forte habes oculum quo videas malignitatem, et non habes oculum quo videas benignitatem. Væ iniquo cordi! Quod pejus est, avertit se ne videat quod videre potest. Quid enim de talibus alio loco dictum est? *Noluit intelligere ut bene ageret.* Non enim dictum est, non potuit; sed *noluit*, inquit, *intelligere ut bene ageret*, clausit oculos a luce præsenti. Et quid sequitur? *Iniquitatem meditatus est in cubili suo* (*Psal.* XXXV, 4, 5), hoc est in interiore secreto cordis sui. Tale quid objicitur huic Doech Idumæo, maligno corpori, mortui terreno, non permanenti, non cœlesti. *Dilexisti malitiam super benignitatem.* Nam vis nosse quam videat malus utrumque, et illud potius eligat, hinc se avertat? Quare clamat quando inique aliquid patitur? Quare tunc exaggerat quantum potest iniquitatem, et laudat benignitatem, reprehendens eum qui in illo operatus est malignitatem super benignitatem? Sit ergo regula sibi ad vivendum: de seipso judicabitur. Porro si faciat quod scriptum est, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum* (*Matth.* XXII, 39); et, *Quæ vultis ut faciant vobis homines bona, hæc et vos facite illis* (*Id.* VII, 12); apud se habet unde noverit, quia quod in se non vult fieri, non debet facere alteri (*Tob.* IV, 16). *Dilexisti malitiam super benignitatem.* Inique, inordinate, perverse vis levare aquam super oleum; demergetur aqua, oleum supereminebit. Ponere vis sub tenebris lucem; fugabuntur tenebræ, lux manebit. Super cœlum terram vis collocare; pondere suo cadet terra in locum suum. Tu ergo mergeris diligendo malitiam super benignitatem. Nam nunquam benignitatem malitia superabit. *Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis quam loqui æquitatem.* Ante te est æquitas, ante te est iniquitas: unam linguam habes, quo vis eam vertis; quare ergo potius ad iniquitatem, et non ad æquitatem? Cibos amaritudinis non das ventri tuo, et cibos iniquitatis das linguæ tuæ malignæ? Sicut eligis quo vescaris, sic elige quod loquaris. Præponis ergo iniquitatem æquitati, et præponis malitiam benignitati: tu quidem præponis, sed supra esse quid potest nisi benignitas et æquitas? Sed tu imponendo te quodammodo super ea quæ necesse est ut deorsum eant, non illa facies esse supra bona, sed tu cum eis mergeris in mala.

11. [*vers.* 6.] Propter hoc sequitur in Psalmo, *Dilexisti omnia verba submersionis.* Eripe ergo te, si potes, a

[1] Optimæ notæ Mss., *subrecturus es bestiis*: sic in Psal. 36, serm. 3, n. 15, observabamus in plerisque Codd. haberi alio, o aliis *subrexerunt.*

submersione. Naufragium fugis, et plumbum amplecteris! Si non vis mergi, tabulam apprehende, ligno portare, crux te perducat. Nunc vero quia Doech es Idumæus, motus et terrenus, quid facis? *Dilexisti omnia verba submersionis, linguam dolosam*. Hæc præcessit, verba submersionis secuta sunt linguam dolosam [1]. Quid est lingua dolosa? Ministra fallaciæ est lingua dolosa, aliud in corde gestantium, aliud ore promentium. Sed in his subversio, in his submersio.

12. [*vers.* 7.] *Propterea Deus destruet te in finem*: etsi nunc videris virere tanquam fenum in agro ante æstum solis. Omnis enim caro fenum, et claritas hominis ut flos feni: fenum aruit, et flos decidit; verbum autem Domini manet in æternum (*Isai.* XL, 6, 8). Ecce quo te teneas, ad quod manet in æternum. Nam ad fenum et ad florem feni si te tenueris, quoniam fenum arescet, et flos decidet, *destruet te Deus in finem*: etsi non modo, certe in finem destruet, quando illud ventilabrum venerit, et acervus paleæ a massa separatus fuerit. Nonne massa in horrea, et palea in ignem (*Matth.* III, *et* XIII, 40)? Nonne totus iste Doech ad sinistram stabit, quando dicturus est Dominus, *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Id.* XXV, 41)? *Destruet* ergo *te Deus in finem*: *evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo*. Modo ergo Doech iste Idumæus est in tabernaculo: sed servus non manet in domo in æternum (*Joan.* VIII, 35). Operatur et iste aliquid boni, etsi non factis suis, saltem verbis Dei, ut in Ecclesia quando sua quærit (*Philipp.* II, 21), saltem quæ Christi sunt dicat. Sed *emigrabit te de tabernaculo tuo*. Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam (*Matth.* VI, 2). *Et radicem tuam de terra viventium*. Ergo in terra viventium nos debemus habere radicem. Radix nostra ibi sit. In occulto est radix: fructus videri possunt, radix videri non potest. Radix nostra charitas nostra, fructus nostri opera nostra: opus est ut opera tua de charitate procedant, tunc est radix tua in terra viventium. Inde eradicabitur iste Doech, nec omnino poterit ibi permanere, quia nec altius ibi fixit radicem: sed quomodo illa semina in petra, etsi radicem ejiciant, tamen quia humorem non habent, sole orto continuo arescunt (*Id.* XIII, 5). At vero illi qui altius figunt radicem, quid audiunt ab Apostolo? *Flecto genua mea pro vobis ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut sitis in charitate radicati et fundati*. Et quia ibi jam radix, *Ut possitis*, inquit, *comprehendere quæ sit altitudo, latitudo, longitudo et profundum; scire etiam supereminentem scientiam charitatis Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei* (*Ephes.* III, 14, 16-19). Talibus fructibus digna est tanta radix, tam simplex, tam germinans, in germina tam alte fundata [2]. At vero hujus radix eradicatur de terra viventium.

13. [*vers.* 8.] *Et videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt*. Quando timebunt? quando ridebunt? Intelligamus ergo et discernamus duo ista tempora satis utiliter timendi et ridendi. Quamdiu enim sumus in hoc sæculo, nondum est ridendum, ne postea ploremus. Legimus quid servetur in finem huic Doech; legimus, et quia intelligimus et credimus, videmus, sed timemus. Hoc ergo dictum est, *Videbunt justi, et timebunt*. Quamdiu videmus quid eventurum sit in finem malis, quare timemus? Quia dixit Apostolus, *In timore et tremore vestram ipsorum operamini salutem* (*Philipp.* II, 12): quia dictum est in psalmo, *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11). Quare, cum timore? *Quapropter qui se putat stare, videat ne cadat* (I *Cor.* X, 12). Quare, cum tremore? Quia dicit alibi: *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens teipsum ne et tu tenteris* (*Gal.* VI, 1). Ergo justi qui sunt modo, qui vivunt ex fide, sic vident istum Doech quid illi eventurum sit, ut tamen timeant et sibi: quid enim sunt hodie, sciunt; quid cras futuri sint, nesciunt. Modo ergo *videbunt justi, et timebunt*. Quando autem ridebunt? Quando transierit iniquitas, quando transvolaverit, sicut jam ex magna parte transvolavit tempus incertum, quando fugatæ fuerint tenebræ hujus sæculi, in quibus modo non ambulamus nisi ad lucernam Scripturarum, et ideo timemus tanquam in nocte. Ambulamus enim ad prophetiam, de qua dicit apostolus Petrus: *Habemus certiorem propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes, sicut lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris* (II *Petr.* I, 19). Quamdiu ergo ad lucernam ambulamus, necesse est ut cum timore vivamus. Cum autem venerit dies noster, id est manifestatio Christi, de qua idem dicit Apostolus, *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III, 4); tunc justi ridebunt istum Doech. Non est enim jam subveniendi locus: non quomodo nunc, quando vides hominem injuste viventem, vis cum illo laborare ut corrigas; quia qui injustus est, conversus poterit justus esse, quomodo et justus aversus potest injustus esse. Itaque nec de te præsumas, nec de illo desperes; et da operam quantum potes, si benignus es, si non diligis malitiam super benignitatem, ut ambulantem hominem in via mala et errantem corrigas ad viam bonam. Tunc vero cum venerit judicii tempus, correctionis locus non erit, sed tantum damnationis: et erit ibi pœnitentia, sed infructuosa, quia sera. Vis ut sit fructuosa? Non sit sera: hodie te corrige. Reus es, ille judex est: corrige reatum, et gaudebis ad judicem. Hodie enim hortatur te, ne judicet te; et qui judex tuus futurus est, ipse est hodie advocatus tuus. Tunc ergo, fratres, restat ridendi tempus. Nam ipsam irrisionem iniquorum quæ futura est justis, significavit liber ille Sapientiæ. In suis enim, in quorum animas transfert se sapientia [1], factura est quod dixit: *Increpabam, et non exaudiebatis; loquebar, et meis sermonibus non in-*

[1] Er. et plerique Mss.: *Expressit verba submersionis, linguam dolosam*.
[2] Sic aliquod Mss. Alii quidam: *tam simplex, tam germana, tam alte fundata*. At Lov., *tam simplex, tam germinans in germine, tam alta et fundata et profunda*.

[1] Am.: *Insuper enim iniquorum animos cum transfert se sapientia*. Er. et Lov.: *In suorum enim amicorum animas cum transfert se*, etc. Nos Mss. libros secuti sumus.

tendebatis; et ego vestræ perditioni superridebo (*Prov.* I, 24-26). Hoc fiet tunc a justis in istum Doech. Modo autem videamus et timeamus, ne hoc simus quod in eum dicimus : et si hoc eramus, hoc esse desinamus, ut modo timentes, postea rideamus.

14. [*vers.* 9.] Quid autem tunc dicent qui ridebunt? *Et super eum ridebunt, et dicent : Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum.* Videte corpus terrenum. Quantum habebis, tantus eris. Proverbium avarorum, rapacium, innocentes opprimentium, res alienas invadentium, commendata negantium. Quale hoc proverbium? Quantum habebis, tantus eris; id est, quantum habueris pecuniæ, quantum acquisieris, tanto plus poteris. *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum.* Non dicat pauper forte malus : Ego non sum de hoc corpore. Audivit enim Prophetam dicentem, *Speravit in multitudine divitiarum suarum :* continuo si pauper est, attendit pannos suos, respexit juxta se forte divitem in populo Dei ornatius vestitum, et ait in corde suo, De isto dicit, numquid de me? Noli inde te excipere, noli separare, nisi videris et timueris, ut postea rideas. Nam quid tibi prodest, si eges facultate et ardes cupiditate? Quando Dominus noster Jesus Christus abeunti a se illi diviti contristato dixerat, *Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me,* et magnam desperationem divitibus prænuntiarat, ut diceret facilius posse camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum ; nonne continuo discipuli contristati sunt, dicentes apud seipsos : *Quisnam poterit salvari* (*Matth.* XIX, 21, 24, 25)? Ergo quando dicebant, *Quisnam poterit salvari?* divites paucos attendebant; latebat eos tanta pauperum multitudo? Non sibi poterant dicere : Si difficile est, imo impossibile ut intrent divites in regnum cœlorum, sicut impossibile est ut intret camelus per foramen acus, omnes pauperes intrent in regnum cœlorum, divites soli excludantur? Quot sunt enim divites? At vero pauperum millia innumerabilia. Non enim tunicas inspecturi sumus in regno cœlorum; sed vestis cujusque fulgor justitiæ deputabitur : erunt ergo pauperes æquales Angelis Dei ; induti stolis immortalitatis, fulgebunt sicut sol in regno Patris sui (*Id.* XIII, 43) : quid nobis est de divitibus paucis sollicitos esse aut laborare? Non hoc senserunt Apostoli : sed cum Dominus hoc dixisset, *Facilius est camelum transire per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cœlorum :* illi apud se dicentes, *Quisnam poterit salvari?* quid attenderunt? Non facultates, sed cupiditates. Viderunt enim etiam ipsos pauperes, etsi non habentes pecuniam, tamen habere avaritiam. Et ut noveritis non pecuniam in divite, sed avaritiam condemnari, advertite quod dico : respicis illum divitem stantem juxta te; et forte in illo est pecunia et non est avaritia, in te non est pecunia et est avaritia. Pauper ulcerosus, ærumnosus, linctus a canibus, non habens opem, non habens escam, non habens forte ipsam vestem, ablatus est ab Angelis in sinum Abrahæ (*Luc.* XVI, 22). Eia tu pauper gaudes modo, numquidnam tibi et ulcera optanda sunt? Nonne patrimonium tuum sanitas est? Non est in hoc Lazaro meritum paupertatis, sed pietatis. Nam vides qui sublatus est, non vides quo sublatus est. Quis est sublatus ab Angelis? Pauper, ærumnosus, ulcerosus. Quo sublatus est? In sinum Abrahæ. Lege Scripturas, et invenies divitem Abraham (*Gen.* XIII, 2). Ut noveris, quia non divitiæ culpantur [1] : habebat Abraham multum auri, argenti, pecorum, familiæ; dives erat, et in ejus sinum Lazarus pauper sublatus est. In sinum divitis pauper : an potius ambo Deo divites, ambo a cupiditate pauperes?

15. Quid ergo in hoc Doech culpat Scriptura? Non dixit, Ecce homo qui fuit dives; sed, *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum.* Non quia habuit divitias, sed quia in ipsis speravit, et in Deo non speravit, ideo damnatur, ideo punitur, ideo movetur de tabernaculo, tanquam motus ille terrenus, sicut pulvis quem projicit ventus a facie terræ (*Psal.* I, 4); ideo exstirpatur radix ejus de terra viventium. Numquid huic similes sunt divites, de quibus Paulus apostolus loquitur : *Præcipe divitibus hujus mundi, non superbe sapere*, sicut Doech; *neque sperare in incerto divitiarum*, sicut ipse *speravit in multitudine divitiarum suarum; sed in Deo vivo*, non quomodo iste *qui non posuit Deum adjutorem suum?* Denique illis quid præcepit? *Divites sint in operibus bonis; facile tribuant, communicent* (I *Tim.* VI, 17, 18). Et quid, si facile tribuerint, si communicaverint non habenti? Intrabunt per foramen acus? Intrabunt plane : nam et pro illis jam ipse camelus intravit. Ipse enim prior intravit, quem sicut camelum nemo sarcina passionis oneraret, nisi se ipse in terram deponeret. Quia et ipse hoc dixit, *Quod hominibus impossibile est, Deo facile est* (*Matth.* XIX, 26). Damnetur ergo iste Doech, timeant de illo modo justi, rideant super eum postea justi. Merito enim damnatur, *qui non posuit Deum adjutorem suum*, sicut tu : qui forte habes pecuniam; sed de Deo præsumis, non de pecunia. *Et speravit in multitudine divitiarum suarum :* similis factus est illis qui cum dicerent, Beatus populus cui hæc sunt, id est ista terrena, retulit continuo iste qui insultat huic Doech, *Beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius.* Nam illa in quibus dixerunt beatum populum, enumerat Psalmus. Locuti sunt enim tanquam filii alieni, tanquam iste Doech Idumæus, id est terrenus : *Os eorum locutum est vanitatem ; dextera eorum, dextera iniquitatis. Quorum filii ipsorum sicut novellæ constabilitæ in juventute sua : filiæ eorum compositæ, et ornatæ sicut similitudo templi : cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc : oves eorum fecundæ, multiplicantes in exitibus suis ; boves eorum crassi : non est ruina sepis, nec exitus, neque clamor in plateis eorum* (*Psal.* CXLIII, 11-15). Quasi magnam felicitatem videntur habere pacis terrenæ. Sed ille qui terrenus est, etiam motus est, id

[1] Edd., *puniuntur*. At Mss., *culpantur*.

est tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ. Denique quid in illis reprehenditur? Non quia ista habuerint; nam et boni habent ista: sed quid? Hoc intendite; ne passim divites reprehendatis, et rursus ne de paupertate et de egestate præsumatis. Si enim non est præsumendum de divitiis, quanto magis non est præsumendum de paupertate, sed de Deo vivo? In quo ergo isti notantur? Quia *beatum dixerunt populum cui hæc sunt*. Ideo filii alieni, ideo *os eorum locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis*. Tu autem quid? *Beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius*.

16. [*vers.* 10.] Ergo isto damnato qui *speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua*: quid enim vanius eo qui putat plus valere nummum quam Deum? Ergo isto damnato qui dixit *beatum populum cui hæc sunt*: tu qui dicis, *Beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius*, quid de te sentis? quid tibi speras? *Ego autem*, jam modo corpus illud audi; *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei*. Non unus homo loquitur, sed oliva illa fructifera, unde amputati sunt superbi rami, et insertus humilis oleaster (*Rom.* XI, 17). *Sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei*. Ille quid? *In multitudine divitiarum suarum*: ideo radix ejus evelletur de terra viventium. *Ego autem* quia *sicut oliva fructifera in domo Dei*, cujus radix nutritur, non eradicatur, *speravi in misericordia Dei*. Sed forte modo? Nam et hinc errant homines aliquando. Deum quidem colunt, et non sunt jam similes isti Doech: sed quamvis de Deo præsumant, ad temporalia tamen; ut dicant sibi, Colo Deum meum, qui me facturus est divitem in terra, qui mihi filios daturus est, qui mihi uxorem daturus est. Talia quidem non dat nisi Deus, sed non vult se propter talia diligi Deus. Ideo enim sæpe ista dat et malis, ut aliud ab illo discant quærere boni. Quomodo ergo tu dicis, *Speravi in misericordia Dei*? Forte ad temporalia adipiscenda? Imo *in æternum, et in sæculum sæculi*. Quod dixit *in æternum*, repetere voluit adjiciendo *in sæculum sæculi*, ut confirmaret ibi repetendo, quam fundatus esset in dilectione regni cœlorum, et in spe æternæ felicitatis.

17. [*vers.* 11.] *Confitebor tibi in sæculum quoniam fecisti*. Quid *fecisti*? Doech damnasti, David coronasti. *Confitebor tibi in sæculum quoniam fecisti*. Magna confessio, *quoniam fecisti*. Quid *fecisti*, nisi hæc ipsa quæ supra dicta sunt, ut tanquam oliva fructifera in domo Dei, sperarem in misericordia Dei, in æternum, et in sæculum sæculi? Tu fecisti: impius justificare se non potest. Sed quis est qui justificat? *Credenti*, inquit, *in eum qui justificat impium* (*Id.* IV, 5). *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7), quasi ex te habeas? Absit ut ego sic glorier, ait iste qui oppositus est contra Doech, qui tolerat Doech in terra, donec emigret ille de tabernaculo, et eradicetur de terra viventium. Non glorior quasi non acceperim, sed in Deo glorior. Et *confitebor tibi quoniam fecisti*, id est, quia tu fecisti, non ex meritis meis, sed ex misericordia tua. Ego enim quid feci? Si recolas, *prius fui blasphemus et persecutor et injuriosus*. Tu autem quid fecisti? *Sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci* (I *Tim.* I, 13). *Confitebor tibi in sæculum quoniam fecisti*.

18. *Et exspectabo nomen tuum, quia jucundum est*. Amarum est sæculum, sed nomen tuum jucundum. Et si dulcia quædam sunt in sæculo, sed cum amaritudine digeruntur. Præponitur nomen tuum, non solum magnitudine, sed etiam jucunditate [1]. Narraverunt etenim mihi injusti delectationes suas, sed non sicut lex tua, Domine (*Psal.* CXVIII, 85). Neque enim si nihil dulce esset martyribus, tantas tribulationum amaritudines æquo animo sustinerent. Amaritudo eorum a quovis sentiebatur, dulcedinem eorum non facile quisquam gustare poterat. Nomen ergo Dei jucundum est amantibus Deum super omnes jucunditates. *Exspectabo nomen tuum, quia jucundum est*. Et cui probas quia jucundum est? Da mihi palatum cui jucundum est. Lauda mel quantum potes, exaggera dulcedinem ejus quibus valueris verbis: homo nesciens quid sit mel, nisi gustaverit, quid dicas nescit. Ideo magis ad experimentum te invitans psalmus, quid ait? *Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). Gustare non vis, et dicis, Jucundum est? Quid jucundum est? Si gustasti, in fructu tuo inveniatur, non in solis vocibus, tanquam tantummodo in foliis, ne maledicto Domini arescere tanquam illa ficulnea merearis (*Matth.* XXI, 19). *Gustate*, inquit, *et videte quoniam suavis est Dominus. Gustate, et videte*: tunc videbitis, si gustaveritis. Homini autem non gustanti, unde probas? Laudando jucunditatem nominis Dei, quantacumque dixeris, verba sunt: aliud est gustus. Verba laudis ejus audiunt et impii: non autem gustant quam jucundum est, nisi sancti. Proinde iste sentiens dulcedinem nominis Dei, et volens explicare, et volens ostendere, nec inveniens quibus: etenim sanctis non opus est ut ostendat, quia et ipsi gustant et norunt; impii autem sentire non possunt quod gustare nolunt: quid ergo facit de jucunditate nominis Dei? Tulit se continuo a turbis impiorum: *Et exspectabo*, inquit, *nomen tuum, quia jucundum est in conspectu sanctorum tuorum*. Jucundum est nomen tuum, sed non in conspectu impiorum: ego quam dulce sit scio, sed his qui gustarunt.

IN PSALMUM LII
ENARRATIO.

SERMO (a).

1. [*vers* 1.] Psalmum istum vobiscum tractandum, quantum Dominus suggerit, suscipimus. Jubet frater ut velimus, et orat [2] ut possimus. Si quid festinatione forte prætermisero, implebit in vobis qui et nobis dare dignatur quod dicere potuerimus. Titulus ejus est: *In finem pro Maeleth, intellectus ipsi David. Pro*

[1] Sic Mss. At Edd., *non solum amaritudini, sed etiam jucunditati*.

[2] Sic potiores Mss. At Edd., *jubete fratres ut velimus, et orate*, etc.

(a) Habitus rogatu alicujus forsitan episcopi.

Maeleth, sicut in hebræorum interpretationibus nominum invenimus, videtur dicere, Pro parturiente sive dolente. Quis autem in hoc sæculo parturiat et doleat agnoscunt fideles, quia inde sunt. Christus hic parturit, Christus hic dolet; caput est sursum, membra deorsum. Neque enim non parturiens et dolens diceret: *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Quo persequente parturiebat, eum conversum parturire fecit. Namque et ipse postea illuminatus est, et illis quæ persequebatur membris insertus, eadem charitate prægnans dicebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis* (*Gal.* IV, 19). Pro membris igitur Christi, pro corpore ejus quod est Ecclesia (*Coloss.* I, 24), pro uno ipso homine, id est pro ipsa unitate cujus caput sursum est, psalmus iste cantatur. Gemit autem, et parturit, et dolet iste homo. Quare, vel inter quos, nisi quia accepit et cognovit a capite suo, dicente: *Abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum?* Si autem *abundabit iniquitas, et refrigescet charitas multorum*, quis remanebit qui parturiat? Sequitur: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 12, 13). Unde esset magnum perseverare, nisi inter molestias et tentationes et turbationes et scandala esset perseverandum? Nemo enim jubetur bona tolerare. Sed pro isto quia dicitur, et quia pro isto cantatur, videamus quid sit. Pro isto increpantur hic homines inter quos gemitur, inter quos doletur, et consolatio dolentis et parturientis in Psalmi fine depromitur et exprimitur. Qui sunt ergo inter quos parturimus et gemimus, si in corpore Christi sumus; si sub illo capite vivimus, si in membris ejus deputamur: qui sunt, audi.

2. *Dixit imprudens in corde suo: Non est Deus.* Tale genus est hominum, inter quos dolet et gemit corpus Christi. Si tale hoc hominum genus est, non multos parturimus: quantum videtur occurrere cogitationibus nostris, perpauci sunt; et difficile est ut incurramus in hominem qui dicat *in corde suo, Non est Deus* (*Psal.* XIII, 1): tamen sic pauci sunt, ut inter multos timendo hoc dicere, in corde suo dicant, quia ore dicere non audent. Non ergo multum est quod jubemur tolerare; vix invenitur: rarum hominum genus est qui dicant *in corde suo, Non est Deus.* An vero alio intellectu discussum invenitur esse in pluribus, quod in paucis et raris et pene in nullis esse putabamus? Prodeant in medium qui male vivunt, inspiciamus facta flagitiosorum, facinorosorum sceleratorumque hominum, quorum magna turba est; qui fovent quotidie peccata sua, qui factis in consuetudinem versis etiam verecundiam perdiderunt: hæc tanta hominum multitudo est, ut inter eos positum corpus Christi, vix audeat reprehendere quod non cogitur admittere, et pro magno sibi potest servari integritatem innocentiæ, ne faciat quod culpare jam per consuetudinem, aut non audeat, aut si ausus fuerit, facilius erumpat reprehensio et reclamatio eorum qui male vivunt, quam vox libera eorum qui bene vivunt. Et isti tales sunt, ut dicant *in corde suo: Non est Deus.* Tales convinco. Unde convinco? Facta sua Deo placere arbitrantur. Non ergo ait, Aliqui dicunt; sed, *Dixit imprudens in corde suo: Non est Deus.* Qui usque adeo credunt esse Deum, ut eidem Deo arbitrentur placere quod faciunt. Atqui si intelligas prudens quia *imprudens dixit in corde suo, Non est Deus*, si advertas, si intelligas, si discutias: qui putat Deo placere facta mala, non eum putat Deum. Si enim Deus est, justus est; si justus est displicet, ei injustitia, displicet iniquitas. Tu autem cum putas ei placere iniquitatem, negas Deum. Si enim Deus est cui displicet iniquitas, tibi autem non videtur Deus cui displicet iniquitas, non est autem Deus nisi cui displicet iniquitas, cum dicis in corde tuo, Favet Deus iniquitatibus meis, nihil aliud dicis quam, *Non est Deus.*

3. [*vers.* 2.] Referamus nos et ad illum intellectum qui et de ipso Christo Domino nostro, de ipso capite nostro occurrit. Ipse enim cum in forma servi appareret in terra, dixerunt qui eum crucifixerunt: *Non est Deus.* Quia Filius Dei erat, utique Deus erat. Sed illi qui corrupti sunt et abominabiles facti sunt, quid dixerunt? *Non est Deus:* occidamus eum, *non est Deus.* Habes vocem ipsorum in libro Sapientiæ: sed primo illos vide corruptos, ut possint dicere *in corde suo, Non est Deus.* Præmisso enim versu, *Dixit imprudens in corde suo, Non est Deus*, tanquam causæ quærerentur unde hoc possit dicere imprudens, subjecit: *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis.* Audi illos corruptos. Dixerunt enim apud se non recte cogitantes: cœpit corruptio a mala fide, inde itur in turpes mores, inde in acerrimas iniquitates, gradus isti sunt. Quid enim apud se dixerunt cogitantes non recte? *Exiguum et cum tædio est vita nostra.* Ab hac mala fide sequitur illud quod et Apostolus dixit: *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur* (I *Cor.* XV, 32). Ibi autem latius luxuria ipsa describitur: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant; ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ.* Post illam descriptam latius luxuriam, quid sequitur? *Occidamus pauperem justum* (*Sap.* II, 1-20): hoc est ergo dicere, *Non est Deus.* Lenia videbantur jam dudum loqui: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant.* Quid delicatius, quid lenius? Sperares de hac lenitate cruces, gladios? Noli mirari, lenes sunt et radices spinarum; si quis eas contrectet, non pungitur: sed quo pungeris inde nascitur. *Corrupti* ergo isti *et abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. Dixit imprudens in corde suo: Non est Deus. Si Filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII, 40). Ecce aperte dicere: *Non est Deus.*

4. Sed quomodo inter illos gemit corpus Christi? Gemuerunt inter illos Apostoli qui tunc fuerunt, et discipuli Christi: ad nos isti quid pertinent? quomodo inter hos nos parturimus? Adhuc sunt qui dicunt: Christus non est Deus. Hoc dicunt Pagani qui remanserunt; hoc ipsum dicunt ipsi Judæi, qui ad testimonium confusionis suæ ubique diffusi sunt; hoc dicunt et hæretici multi. Namque et Ariani dixerunt, *Non est Deus:* Eunomiani dixerunt, *Non est Deus.* Huc accedit, fratres, quia et illi de quibus paulo ante dixi,

qui male vivunt, nihil aliud dicunt quam, *Non est Deus*. Cum enim dicimus eis Christum venturum judicem ad judicium, quod dicunt Scripturæ quæ non fallunt: illi autem magis aurem præbentes serpenti suggerenti, *Non morte morieris* (*Gen*. III, 4), quod dixerat in paradiso contra veritatem Dei constituentis et dicentis, *Morte morieris* (*Id*. II, 17); ita faciunt mala, ut dicant sibi: Veniet Christus, et dabit indulgentiam omnibus. Ita ergo mendax est ille qui dixit quia separabit iniquos ad sinistram, separabit justos ad dexteram; justis dicet, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod paratum est vobis ab origine mundi*; iniquis dicet, *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth*. XXV, 34, 41). Quomodo ergo omnibus dabit indulgentiam? Quomodo neminem damnabit? Ergo mentitur. Hoc est dicere: *Non est Deus*. Vide ergo ne forte tu mentiaris. Tu enim homo es, ille Deus: Deus enim verax, omnis autem homo mendax (*Psal*. CXV, 11). Sed quid de istis, o corpus Christi? Separa te interim corde et vita, nec imiteris, nec assuescas, nec annuas, nec approbes: magis autem et redargue. Quid enim attendis ad istos qui hæc dicunt? *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis: non est qui faciat bonum*.

5. [*vers*. 3.] *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens aut requirens Deum*. Quid est hoc, *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt* isti omnes qui dicunt: *Non est Deus?* Et quid? hoc latebat Deum, tales esse factos? aut vero nobis eorum interior cogitatio aperiretur, nisi ab illo diceretur? Si ergo noverat, si sciebat, quid est hoc quod dictum est, quod *de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens aut requirens Deum?* Quærentis enim verba sunt, non scientis: *Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens aut requirens Deum*. Et tanquam inveniret quod quæsivit inspiciendo, et de cœlo prospiciendo, dicit sententiam: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Duæ quæstiones oriuntur aliquantum difficiles. Si enim respicit de cœlo Deus, ut videat si est intelligens aut requirens Deum, subintrat cogitatio imprudenti, quia non omnia novit Deus. Hæc una quæstio est: quæ est altera? Si non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, quis est ille qui parturit inter malos? Illa ergo sic solvitur quæstio, quia plerumque ita loquitur Scriptura, ut quod dono Dei creatura facit, Deus facere dicatur: ut, verbi gratia, cum misereris pauperis, quia dono Dei facis, Deus miseretur: cum cognoscis qui sis, quia illo allucente facis, si is es qui dicas, *Tu illuminabis lucernam meam, Domine Deus meus, illuminabis tenebras meas* (*Psal*. XVII, 29); quod eo donante et faciente cognoveris, ille cognoscit. Nam unde est, *Tentat vos Dominus Deus vester ut sciat si diligatis illum* (*Deut*. XIII, 3)? Quid est, *ut sciat?* Ut dono suo scire vos faciat. Sic ergo et hic, *Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videret si est intelligens aut requirens Deum*. Adsit ipse, et donet nobis ut quod cor nostrum fecit concipere, faciat et parere. Apostolus dicit: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis*. Hoc Spiritu ergo quo cognoscimus quæ a Deo donata sunt nobis, discernimus inter nos et eos quibus hæc donata non sunt, et ex nobis illos cognoscimus. Quia si nos aliquod bonum habere non potuisse intelligimus, nisi illo donante et largiente a quo sunt omnia bona; simul videmus nihil tale posse habere eos quibus hæc Deus non donavit. Ista dignoscentia nobis ex Spiritu Dei est; et eo quo videmus hoc, Deus videt; quia id Deus facit ut videamus. Hinc enim dictum est et illud, *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam altitudinem Dei* (*I Cor*. II, 12, 10): non quia ille scrutatur qui novit omnia, sed quia tibi donatus est Spiritus, qui et te scrutari facit: et quod dono ipsius tu facis, ille facere dicitur; quia sine illo tu non faceres. Ergo Deus facere dicitur, cum tu facis. De dono Spiritus filiorum, quibus datus est Spiritus Dei, respiciunt *super filios hominum, ut* videant *si est intelligens aut requirens Deum:* sed quia id dono Dei et Spiritu Dei faciunt, Deus hoc facere dicitur; velut prospicere et videre. Quare autem *de cœlo*, si hoc homines faciunt? Quia dicit Apostolus, *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philipp*. III, 20). Unde enim hoc facis ut videas, unde prospicis ut intelligas? nonne corde? Si corde hoc facis, christiane, vide si sursum cor habeas. Si sursum cor habes, *de cœlo* in terram prospicis. Et quia hoc dono Dei facis, *Deus de cœlo* prospicit *super filios hominum*. Illa igitur quæstio pro modulo nostro sic soluta est.

6. [*vers*. 4.] Quid est quod prospicientes agnoscimus? Quid est quod prospiciens Deus agnoscit? quid, quia hic donat, agnoscit? Audi quid: Quia *omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Quæ igitur illa alia quæstio est, nisi quam paulo ante commemoravi? Si *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, nemo restat qui gemat inter malos. Exspecta, inquit Dominus; noli cito ferre sententiam: donavi hominibus bene facere, sed ex me, inquit, non ex se; ex se enim mali sunt: filii hominum sunt, quando male faciunt; quando bene, filii mei. Hoc enim facit Deus, ex filiis hominum filios Dei: quia ex Filio Dei fecit filium hominis. Videte quæ sit illa participatio: promissa est nobis participatio divinitatis; mentitur qui promisit, si non est prior factus particeps mortalitatis. Filius enim Dei particeps mortalitatis effectus est, ut mortalis homo fiat particeps divinitatis. Qui tibi promisit communicandum tecum bonum suum, prius tecum communicavit malum tuum: qui tibi promisit divinitatem, ostendit in te charitatem. Ergo tolle quod homines filii Dei sunt, remanet quod filii hominum sunt: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*.

7. [*vers*. 5.] *Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant populum meum in cibo panis? Nonne scient?* nonne illis ostendetur? Dic, minare, loquere ex parturiente et dolente. Populus enim tuus

devoratur in cibo panis. Est ergo hic populus Dei qui devoratur. Certe *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Respondetur ex illa regula. Sed iste populus qui devoratur, iste populus qui patitur malos, iste qui gemit et parturit inter malos, jam ex filiis hominum filii Dei facti sunt : ideo devoratur. Consilium enim inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est (*Psal.* XIII, 6). Plerumque enim ut devoretur populus Dei, hoc ipsum in illo contemnitur, quia populus Dei est. Rapiam, inquit, et exspoliem; si christianus est, quid mihi facturus est? Loquitur pro illo, qui loquitur pro parturiente, et minatur devorantibus, dicens, *Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem?* Nam et ille qui videbat furem, et concurrebat cum eo, et cum adulteris portionem suam ponebat, sedens adversus fratrem suum detrahebat, et adversus filium matris suæ ponebat scandalum, *dixit in corde suo : Non est Deus*. Ideo hoc illi dicitur, *Hæc fecisti, et tacui : suspicatus es iniquitatem, quod ero tui similis :* hoc est, non ero Deus, si ero tibi similis. Sed quid sequitur? *Arguam te, et statuam te ante faciem tuam* (*Psal.* XLIX, 18-21). Sic et hic, *Arguam te, et statuam te ante faciem tuam.* Non vis modo nosse ut tibi displiceas, nosces ut plangas. Non enim non demonstraturus est Deus iniquis iniquitatem suam. Si non est demonstraturus, qui erunt qui dicturi sunt : *Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactantia quid contulit nobis* (*Sap.* V, 8)? Tunc ergo scient qui modo scire nolunt. *Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant populum meum in cibo panis?* Quid addidit, *in cibo panis?* Tanquam panem manducant populum meum. Cætera enim quæ manducamus, possumus modo illa, modo illa; non semper hoc olus, non semper hanc carnem, non semper hæc poma : semper autem panem. Quid est ergo, *devorant populum meum in cibo panis?* Sine intermissione, sine cessatione devorant, *qui devorant populum meum in cibo panis.*

8. [*Vers.* 6, 7.] *Deum non invocaverunt*. Consolatur gementem, et maxime ex commemoratione [1], ne imitando malos qui plerumque prosperantur, delectet fieri malum. Servatur tibi quod tibi promissum est : spes illorum præsens est, tua futura est; sed illorum fluxa, tua certa; illorum falsa, tua vera. Illi enim *Deum non invocaverunt*. Nonne quotidie tales rogant Deum? Non rogant Deum. Attendite, si possum hoc dicere adjuvante ipso Deo. Deus gratis se vult coli, gratis se vult diligi, hoc est caste amari; non propterea se amari, quia dat aliquid præter se, sed quia dat se. Qui ergo invocat Deum ut dives fiat, Deum non invocat; hoc enim invocat quod ad se vult venire. Quid enim est invocare, nisi vocare in se? In se ergo vocare, hoc dicitur invocare. Nam cum dicis, Deus, da mihi divitias; non vis ut ipse Deus ad te veniat, sed vis ut divitiæ veniant ad te. Quod vis ut ad te veniat, hoc invocas. Si autem Deum invocares, ipse ad te veniret, ipse esset divitiæ tuæ. Nunc autem vis habere arcam plenam, et inanem conscientiam : Deus non implet arcam, sed pectus. Quid tibi prosunt exteriores divitiæ si te interior premit egestas? Ergo isti qui propter sæcularia commoda, qui propter terrena bona, qui propter vitam præsentem et terrenam felicitatem invocant Deum, non invocant Deum.

9. Propterea quid de illis sequitur? *Ibi timuerunt timore, ubi non erat timor.* Numquid enim timor est, si quis perdat divitias? Non est ibi timor, et ibi timetur. Si quis autem perdat sapientiam, vere timor est; et ibi non timetur. Audi, dignosce, tales intellige : commendatur nescio cui sacellus; non vult reddere, pro suo computat, non putat posse repeti, jam pro suo habebit, reddere detrectat. Videat quid timeat amittere, et quid nolit habere : in dubium veniunt pecunia et fides; quæ pretiosior est, ibi gravius damnum timendum est. Tu autem ut aurum teneas, fidem perdis : graviore damno perculeris, et tu de lucro lætatus es : ibi timuisti *timore, ubi non erat timor*. Redde pecuniam : parum dico, Redde; perde pecuniam, ne fidem perdas. Tu reddere pecuniam timuisti, et fidem perdere voluisti! Martyres non alienam tulerunt, sed etiam suam fidem ne amitterent, contempserunt : et parum fuit perdere pecuniam, quando proscripti sunt; perdiderunt et animam suam, quando passi sunt : perdiderunt animam, ut in vitam æternam invenirent eam (*Matth.* X, 39). Ergo ibi timuerunt ubi timendum est. Illi vero qui Christum dixerunt, *Non est Deus, ibi timuerunt ubi non erat timor*. Dixerunt enim : *Si dimiserimus eum, venient Romani, et tollent nobis et locum et regnum* (*Joan.* XI, 48). O stultitia et imprudentia, dicens *in corde suo : Non est Deus!* Timuisti perdere terram, perdidisti cœlum : timuisti ne venirent Romani, et tollerent tibi locum et regnum; numquid tibi tollerent Deum? Quid ergo restat? Quid, nisi ut fatearis quia tenere voluisti et tenendo male amisisti? Perdidisti enim et locum et gentem occidendo Christum. Maluistis enim Christum occidere, quam locum perdere; et perdidistis locum et gentem et Christum. Timendo occiderunt Christum : sed quare hoc? *Quoniam Deus dissipavit ossa hominibus placentium*. Volentes placere hominibus, timuerunt perdere locum. Christus autem ipse de quo dixerunt, *Non est Deus*, maluit displicere hominibus talibus, quales illi erant; filiis hominum, non filiis Dei maluit displicere. Inde dissipata sunt ossa eorum, illius ossa nemo confregit. *Confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos*. Revera, fratres, quantum ad illos attinet, magna illis accessit confusio. In quo loco crucifixerunt Dominum, quem ideo crucifixerunt ne perderent et locum et regnum, non ibi sunt Judæi. *Deus* ergo *sprevit eos :* et tamen spernendo admonuit illos ut convertantur. Modo [1] cognoscant Christum, et dicant, Deus est; quem dixerunt, *Non est Deus*. Redeant ad hæreditatem paternam, ad hæreditatem Abrahæ, Isaac et Jacob; possideant cum ipsis vitam æternam, etsi vitam temporalem amise-

[1] Aliquot Mss., *ex comparatione*. Nonnulli, *ex commoratione*.

[1] Nostri omnes Mss., *et tamen frangendo admonuit*. Et plerique prosequuntur sic : *quo convertantur, quomodo cognoscant*, etc.

runt. Quare hoc? Quia ex filiis hominum facti sunt filii Dei. Nam quamdiu manent et nolunt, *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum : confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Et tanquam ad ipsos conversus ait, *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* O stulti! Increpatis, insultatis, colaphizatis, sputis illinitis, spinis coronatis, in crucem erigitis : quem? *Quis dabit ex Sion salutare Israel?* Nonne ipse quem dixistis, *Non est Deus? In avertendo Deus captivitatem populi sui.* Non enim avertit captivitatem populi sui, nisi qui voluit inter vestras manus esse captivus. Sed qui hoc intelligent? *Exsultabit Jacob, et lætabitur Israel.* Vere Jacob et vere Israel, minor ille cui servivit major (*Gen.* XXV, 23), ipse exsultabit, quia ipse cognoscet.

IN PSALMUM LIII ENARRATIO.

SERMO AD POPULUM.

1. [*vers.* 1, 2.] Psalmi hujus titulus habet fructum prolixitatis suæ, si intelligatur : et quia Psalmus brevis est, compensemus in mora tituli quod in Psalmo non immorabimur. Inde enim pendet omnis versus qui cantatur. Si quis itaque agnoscat quod in domus fronte præfixum est, securus intrabit; nec cum intraverit, errabit. Hoc enim in ipso poste prænotatum est, quomodo interius non erretur. Titulus ejus sic se habet : *In finem, in hymnis, intellectus ipsi David, cum venerunt Ziphæi, et dixerunt ad Saül : Nonne ecce David absconditus est apud nos?* Quod Saül persecutor erat sancti viri David, optime novimus : quod figuram gerebat Saül temporalis regni, non ad vitam, sed ad mortem pertinentis, et hoc Vestræ Charitati nos commendasse meminimus (*a*). Itemque quod ipse David figuram gerebat Christi, vel corporis Christi, et nosse debetis, et recolere qui jam nostis. Quid ergo Ziphæi? Vicus quidam erat Ziph, cujus habitatores Ziphæi, in quorum regione se absconderat David, cum eum vellet Saül invenire et occidere. Isti ergo Ziphæi cum hoc cognovissent, prodiderunt eum regi persecutori, dicentes, *Nonne ecce David absconditus est apud nos* (I *Reg.* XXIII, 14, 15, 19)? Nihil quidem profuit illis proditio eorum, et ipsi David nihil obfuit. Namque animus eorum malignus demonstratus est : Saül vero nec post eorum proditionem potuit comprehendere David; sed potius in ipsius regionis quadam spelunca, cum ejus manibus datus esset occidendus Saül, pepercit ibi David, et quod habebat in potestate non fecit (*Id.* XXIV, 4-8). Ille autem quærebat facere quod in potestate non habuit. Ziphæi ergo viderint illi qui fuerint : quos nobis Psalmus ex illorum occasione intelligendos offerat, videamus.

2. Si quæramus ergo quid interpretentur Ziphæi, invenimus Florentes. Florentes ergo nescio qui inimici erant sancto David, florentes latenti. Inveniamus eos in genere humano, si Psalmum intelligere volumus. Inveniamus hic primo David latentem, et inveniemus ei adversarios florentes. Attende David latentem : *Mortui enim estis,* dicit Apostolus membris Christi, *et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Isti ergo latentes quando erunt florentes? *Cum Christus,* inquit, *apparuerit vita vestra, tunc et vos cum illo apparebitis in gloria* (*Coloss.* III, 3, 4). Quando erunt isti florentes, tunc erunt illi Ziphæi arescentes. Cui namque flori illorum comparetur gloria, attendite : *Omnis caro fenum, et omnis honor carnis ut flos feni.* Quis finis? *Fenum aruit, et flos decidit.* Ubi tunc erit David? Vide quid sequitur : *Verbum autem Domini manet in æternum* (*Isai.* XL, 6, 8). Illa ergo duo genera hominum sunt, quæ et distinguere debetis, et eorum alterum eligere. Quid enim tibi prodest nosse, si eligere piger es? Et quidem nunc eligendi potestas adjacet : veniet tempus quando tibi potestas deerit eligendi, cum jam Deus sententiam non differet judicandi. Qui sunt enim isti florentes Ziphæi, nisi corpus illud Doech Idumæi, de quo jam locuti sumus Charitati Vestræ ante paucos dies (*a*) : de quo dictum est, *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua?* Isti sunt florentes filii sæculi, quos modo ex Evangelio audistis quia in sua generatione [1] astutiores sunt filiis lucis. Etenim ipsi videntur prospicere in posterum, quo nesciunt utrum veniant. Audistis quid fecerit domino suo villicus ille faciens sibi [2] bonum de re domini sui, et largiens debitoribus illius, ut cum amotus esset a villicatione, susciperetur ab eis. Et quamvis fraudem fecerit domino suo, tamen cor ejus laudavit dominus ejus, non attendens ad damnum suum, sed ad ejus ingenium. Quanto magis nos debemus, ipso Domino nostro Jesu Christo admonente, facere nobis amicos de mammona iniquitatis (*Luc.* XVI, 8, 9)? Mammona enim divitiæ interpretantur. Nostræ autem divitiæ ibi sunt, ubi est domus nostra æterna in cœlis. Proinde pecuniam temporalem illi appellant divitias, qui nisi temporaliter florere non possunt, nec in æternum sibi ex his amicos facere volunt, quia veras divitias non noverunt. Has ergo divitias sola [3] iniquitas putat, florens ad tempus ut fenum. Hi sunt Ziphæi inimici David, florentes in sæculo.

3. Hos aliquando attendunt etiam filii lucis infirmi, et nutant eis pedes, cum viderint malos felicitate florere; et dicunt apud seipsos : Quid mihi prodest innocentia? Quid mihi confert quod Deo servio, quod mandata ejus custodio, quod neminem premo, nemini aliquid rapio, nulli noceo, quod possum præsto? ecce hæc omnia facio, et florent illi, ego laboro. Quid enim? Et tu Ziphæus velles esse? Florent in sæculo, arescent in judicio, et post ariditatem in ignem æternum mittentur : hoc velles et tu? Ignoras quid tibi

(*a*) Supra, in Enar. in Psal. LI, n. 1 et 2.

[1] Probæ notæ Mss., *in suo astutiores.* Quidam *in suo genere.*
[2] Omnes prope Mss., *se.*
[3] Sic Mss. At Edd., *solas.*
(*a*) Vide supra, Enar. Psal. LI, n. 13.

promiserit qui ad te venit [1], quid in seipso hic ostenderit? Si flos Ziphæorum appetendus esset, ipse Dominus tuus nonne et in hoc sæculo floruisset? Aut vero deerat illi hic posse florere? Sed hic maluit inter Ziphæos latere, et dicere Pontio Pilato interroganti, tanquam et ipsi flori Ziphæorum, et suspecto de regno ejus : *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII, 36). Ergo hic latebat : et omnes boni latent hic, quia bonum eorum intus est, absconditum est, in corde est, ubi fides, ubi charitas, ubi spes, ubi thesaurus illorum. Numquid hæc bona apparent in sæculo? Et hæc bona latent, et horum bonorum merces latet. At vero dignitas sæculi quomodo alba est? Nitet ad tempus : numquid semper nitebit? Herba est hiemalis, usque ad æstatem viret. Non ergo fiat in animo quod in alio psalmo invenimus. Confitetur enim quidam prope se cecidisse nutantem, et labasse gressus suos ambulantes in via Dei, dum aspiceret florem quemdam felicitatemque iniquorum : et posteaquam cognovit quid iniquis in finem servaret Deus, et quid justis laborantibus promitteret qui fallere non potest, agens gratias de hac cognitione, ait : *Quam bonus Deus Israel rectis corde!* Quare hoc dicis? *Mei autem*, inquit, *pene commoti sunt pedes.* Unde? *Quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum intuens.* Confirmati sunt autem gressus ejus, postea quam intellexit in novissima. Quod enim in eodem psalmo paulo post dicit, *Hoc labor est ante me :* id est, magna mihi quæstio surrexit in corde, quare homines male faciunt, et in sæculo florent; multi autem bene agunt, et in hac terra laborant. Quæstio ergo ista cum magna esset ante oculos meos, et laboriosa ad investigandum; *Labor est*, inquit, *ante me, donec introeam in sanctuarium Dei, et intelligam in novissima* (*Psal.* LXXII, 1-17). Quæ sunt ista novissima? Quæ, nisi quæ scimus jam in Evangelio prænuntiata? *Cum enim venerit Filius hominis, congregabuntur ante eum omnes gentes; et separabit eos, sicut pastor segregat oves ab hædis : oves ponet ad dexteram, hædos ad sinistram* (*Matth.* XXV, 31-33). Ecce jam illi Ziphæi separabuntur : flamma sequitur separationem. Ubi est flos eorum qui jam ad sinistram stabunt? Nonne tunc ingemiscent? nonne tunc sera pœnitentia torquebuntur, et dicent : *Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra* (*Sap.* V, 8, 9). O Ziphæi ad sinistram stantes, sero pœnitet vos in umbra floruisse! Quare David, quem prodebatis inter vos latere, non agnoscebatis? Tunc enim si corrigeremini, dolor iste infructuosus non esset. Est enim dolor fructuosus, est infructuosus; fructuosus dolor nunc est cum te accusas, cum in te reprehendis malos mores tuos, cum reprehensos persequeris, persecutos excludis, illisque exclusis mutaris, exuens te veterem hominem et induens novum, eligens potius Christi opprobrium quam florem Ziphæorum. Porro si tibi contigerit habenti in occulto bonum tuum et latenti inter Ziphæos, habenti etiam in occulto promissionem mercedis tuæ, aliqua sublimitas sæculi, noli extolli : nam si elatus ex illa fueris, cades in florem Ziphæorum. Sic enim mulier quædam sancta Esther in illo tunc populo Judæorum, cum esset uxor regis alienigenæ, ventum est ad periculum civium, ut deprecaretur regem pro civibus suis; cœpit orare, et in ipsa oratione confessa est illa omnia insignia regalia sic sibi esse velut pannum menstruatæ (*Esther* XIV, 16). Si hæc mulieres possunt, viri non possunt? Et si hæc potuit mulier Judæa, non poterit Ecclesia christiana? Hoc ergo dixerim Charitati Vestræ : *Divitiæ si affluant, ne apponatis cor* (*Psal.* LXI, 11). Abundent licet, et sequatur te prosperitas sæculi, tu mari noli credere, nec ridenti. Divitiæ si affluant, si abundent, calca eas, et suspendere ex Deo tuo. Cum enim eas subter te habueris, et ex illo pependeris, cum fuerint subtractæ, non cades. Ne forte per malam cogitationem minimeque christianam fiat in te quod dicitur in alio psalmo, commemorato flore Ziphæorum istorum : *Nimis*, inquit, *profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* Dico dicitur, *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ : vir imprudens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc.* Quid non intelliget? *Cum exorientur peccatores sicut fenum, et prospexerint* [1] *omnes qui operantur iniquitatem, ut intereant in sæculum sæculi* (*Psal.* XCI, 6-8). Delectavit eos flos malorum : dixerunt apud se, Ecce mali florent, puto, malos amat Deus : et delectati temporali flore iniquorum, conversi sunt ad iniquitatem, ut interirent. Non ad tempus sicut illi florent, sed in sæculum sæculi. Unde hoc? Quia *vir imprudens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc*, non intrans sanctuarium Dei, ut intelligat in novissima. Et quia difficilis est aliquantulum intellectus hic inde cœpit psalmus iste, ut David lateret inter Ziphæos, nec delectaretur flore Ziphæorum; sed eligeret potius inter illos humilitatem, ut haberet apud Deum absconditam claritatem. Quid ergo ei tribuitur in hoc titulo? *In finem, in hymnis :* hoc est in laudibus. Quibus laudibus? Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum (*Job* I, 21). Quasi aruisse videbatur, perdita omni substantia? Absit. Folia ceciderant, radix vivebat. Ergo, *In finem, in hymnis.* Quid, *Intellectus ipsi David? Intellectus* contra illud : *Vir imprudens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc. Intellectus ipsi David, cum venerunt Ziphæi, et dixerunt ad Saül : Nonne ecce David absconditus est apud nos?* Et sit absconditus apud vos, dummodo non floreat sicut vos. Audi ergo vocem ejus.

4. [*vers.* 3.] *Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.* Hoc dicat Ecclesia latens inter Ziphæos. Hoc dicat corpus christianum habens in occulto bonum morum suorum, sperans de occulto mercedem meritorum suorum; hoc dicat : *Deus in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.* Venisti, o Christe, humilis apparuisti, contemptus es, flagellatus es, crucifixus es, occisus es : sed tertio die resurrexisti, quadragesimo die in cœlum ascendisti,

[1] Sic Er. et plerique Mss. Nonnulli vero, *a Deo venit.* Lov., *ad te venit.*

[1] Sic omnes Mss. At Edd., *prolongati fuerint.*

sedes ad dexteram Patris, et nemo videt. Spiritum tuum inde misisti, quem acceperunt digni; impleti amore tuo, laudem ipsius humilitatis tuæ per mundum gentesque prædicaverunt : nomen tuum video excellere in genere humano, sed tamen infirmus nobis prædicatus es. Neque enim et ille doctor Gentium dixit aliquid inter nos se scire, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (I Cor. II, 2), ut ejus eligeremus opprobrium, magis quam gloriam florentium Ziphæorum. Verumtamen de illo quid ait? *Etsi mortuus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (II Cor. XIII, 4). Venit ergo ut moreretur ex infirmitate, venturus est ut judicet in virtute Dei : sed per infirmitatem crucis clarificatum est nomen ejus. Quisquis non crediderit in nomen clarificatum per infirmitatem, expavescet ad judicem cum venerit in virtute. Ne autem quondam ille infirmus, cum venerit fortis, ventilabro illo ad sinistram nos mittat; salvet nos in nomine suo, et judicet nos in virtute sua. Quis enim hoc tam temerarius optaverit, ut dicat Deo, *Judica me?* Nonne pro maledicto dici solet hominibus : Judicet te Deus? Ita plane est maledictum, si judicat te in virtute sua; sed si non te salvaverit in nomine suo : cum vero in nomine præcedente salvaverit te, salubriter in virtute consequente judicabit. Securus esto : judicium illud non tibi erit punitio, sed discretio. Nam et in quodam psalmo ita dicitur : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta* (Psal. XLII, 1). Quid est, *Judica me?* Discerne me a Ziphæis inter quos lateo : pertuli eorum florem, jam veniat et flos meus. Et illorum quidem flos fuit temporalis, et arescente feno decidit : flos autem meus quis erit? *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt* (Psal. XCI, 14). Remanet ergo et nobis flos, sed qui non cadat, sicut folium plantati illius ligni juxta aquas, de quo dictum est : *Et folium ejus non decidet* (Psal. I, 3). *Deus* ergo *in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.*

5. [*vers.* 4.] *Deus, exaudi orationem meam; auribus percipe verba oris mei.* Perveniant ad aures tuas verba oris mei, quia non florem Ziphæorum a te desidero. *Auribus percipe verba oris mei :* tu percipe; nam Ziphæis etsi sonet oratio mea, non audiunt, quia non intelligunt. Temporalibus quippe gaudent, bona æterna desiderare non nerunt. Ad te perveniat oratio mea, ex desiderio æternorum tuorum beneficiorum excussa et jaculata : ad aures tuas emitto eam; adjuva eam ut perveniat, ne deficiat in itinere medio, et quasi collapsa corruat. Sed etsi non mihi eveniunt modo bona quæ postulo, securus sum tamen quia postea venient. Nam et in delictis dicitur quidam rogasse Deum, et non exauditus bono suo. Desideria enim sæcularia incitaverant illum ad orandum; et in tribulationibus temporalibus positus, optaverat ut transirent tribulationes temporales et rediret flos feni, et ait : *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti?* Vox ipsa Christi est, sed pro membris suis. *Verba*, inquit, *delictorum meorum : clamavi ad te per diem, nec exaudisti; et nocte, et non ad insipientiam mihi* (Psal. XXI, 2, 3) : id est, et nocte clamavi, et non exaudisti; et tamen hoc ipsum quod non exaudisti, non ad insipientiam mihi non exaudisti, sed magis ad sapientiam non exaudisti, ut intelligerem quid a te petere deberem. Ea enim petebam quæ malo meo fortassis acciperem. Petis divitias, o homo! quanti sunt eversi per divitias suas! Unde scis utrum tibi sint profuturæ divitiæ? Nonne multi pauperes tutius latebant; divites facti, mox ut lucere cœperunt, præda fortioribus fuerunt? Quanto melius laterent, quanto melius nescirentur, qui cœperunt quæri, non propter quod erant, sed propter quod habebant! In his ergo temporalibus, fratres, admonemus vos et exhortamur in Domino, ut non petatis aliquid quasi fixum, sed quod vobis Deus expedire scit. Quid enim vobis expediat, omnino nescitis. Aliquando quod putatis prodesse, obest; et quod putatis obesse, hoc prodest. Ægri enim estis, nolite medico dictare quæ vobis medicamenta velit apponere. Si doctor gentium Paulus apostolus dicit, *Quid enim oremus sicut oportet, nescimus* (Rom. VIII, 26); quanto magis nos? Qui tamen cum sibi videretur ipse prudenter orare, ut ab eo auferretur stimulus carnis, angelus satanæ qui eum colaphizabat, ne in magnitudine revelationum extolleretur, quid audivit a Domino? Numquid factum est quod volebat? Non[1]; ut fieret quod expediebat. Quid ergo audivit a Domino? *Ter*, inquit, *rogavi Dominum, ut auferret eum a me; et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur* (II Cor. XII, 7-9). Ego medicamentum ad vulnus posui : quando posuerim novi, quando auferendum sit novi. Non recedat ægrotus a manibus medici, non det consilium medico. Ita sunt ista omnia temporalia. Tribulationes sunt; si bene colis Deum, noveris quia novit quid cuique expediat : prosperitates sunt; magis cave ne ipsæ corrumpant animum tuum, ut ab eo qui hæc dedit recedat. Ergo iste intelligens quid ait? *Deus, exaudi orationem meam; auribus percipe verba oris mei.*

6. [*vers.* 5.] *Quoniam alieni insurrexerunt adversum me.* Qui alieni? Nonne ipse David Judæus erat de tribu Juda? Ipse autem locus Ziph ad tribum Juda pertinebat, Judæorum erat. Quomodo ergo alieni? Non civitate, non tribu, non cognatione, sed flore. Nam vis nosse alienos istos? In alio psalmo filii alieni dicti sunt, *quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.* Et enumerat florem Ziphæorum : *Quorum filii eorum velut novellæ constabilitæ in juventute sua : filiæ eorum compositæ et ornatæ, sicut similitudo templi; cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc : oves eorum fecundæ, multiplicantes in exitibus suis; boves eorum crassi : non est ruina sepis, nec exitus, neque clamor in plateis eorum.* Sed vide Ziphæos, vide ad tempus florentes. *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Merito filii alieni. Tu quid, latens inter Ziphæos? *Beatus populus cujus*

[1] Abest, *Non*, a MSS.

Dominus Deus ipsius (*Psal.* CXLIII, 7-15). Ex hoc affectu hæc oratio mittitur ad aures Domini, cum dicitur: *Auribus percipe verba oris mei; quoniam alieni insurrexerunt adversum me.*

7. *Et potentes quæsierunt animam meam.* Novo enim modo, fratres mei, volunt perdere genus sanctorum et ab hujus sæculi spe abstinentium omnes qui spem habent in isto sæculo. Certe concreti sunt, certe simul vivunt. Vehementer sibi adversa sunt ista duo genera: unum eorum qui non ponunt spem nisi in rebus sæcularibus et temporali felicitate, et alterum eorum qui spem suam in Domino Deo suo firmiter ponunt. Et cum concordes sunt isti Ziphæi, noli multum credere concordiæ eorum; tentationes desunt: ubi venerit aliqua tentatio, ut arguatur aliquis pro flore sæculi, non tibi dico offendet episcopo [1], sed nec ad ipsam Ecclesiam accedere vult, ne cadat aliquid feni. Quare ista dixi, fratres? Quia modo libenter auditis omnes in nomine Christi, et quemadmodum intelligitis, ita exclamatis ad verbum; non utique acclamaretis, nisi intelligeretis. Intellectus iste vester fructuosus esse debet. Utrum autem fructuosus sit, tentatio interrogat; ne subito cum dicimini nostri, per tentationem inveniamini alieni, et dicatur, *Alieni insurrexerunt adversum me, et potentes quæsierunt animam meam;* ne dicatur quod sequitur, *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* Quando enim ponet ante conspectum suum Deum, ante cujus conspectum non est nisi sæculum? quomodo sit nummus super nummum, quomodo augeantur greges, quomodo impleantur apothecæ, quomodo dicatur animæ: Habes multa bona; jucundare, epulare, satiare. Numquid ponit ante conspectum suum illum qui sic glorianti et ita flore Ziphæorum nitenti dicit: *Stulte*, hoc est non intelligens, vir imprudens, *hac nocte auferetur anima tua; hæc omnia quæ præparasti cujus erunt* (*Luc.* XII, 20)? *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum.*

8. [*vers.* 6.] *Ecce enim Deus adjuvat me.* Et ipsi nesciunt inter quos lateo. Si autem et ipsi ponerent Deum ante conspectum suum, invenirent quemadmodum me adjuvat Deus. Omnes enim sancti adjuvantur a Deo, sed intus ubi nemo videt. Quomodo enim magna est pœna impiorum conscientia, sic magnum gaudium piorum ipsa conscientia. *Nam gloria nostra hæc est*, ait Apostolus, *testimonium conscientiæ nostræ* (II *Cor.* I, 12). In hac gloriatur iste intus, non in flore Ziphæorum foris, qui modo ait: *Ecce enim Deus adjuvat me.* Prorsus quamvis longe futura sint quæ promittit, hodie mihi dulce et præsens est adjutorium, hodie in cordis mei gaudio invenio quia sine causa dicunt quidam: *Quis ostendit nobis bona? Signatum est enim super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti jucunditatem in cor meum* (*Psal.* IV, 6, 7): non in vineam meam, non in gregem meum, non in cuppam meam, non in mensam meam, sed *in cor meum. Ecce enim Deus adjuvat me.* Quomodo te adjuvat? *Et Dominus susceptor est animæ meæ.*

[1] Er. et aliquot Mss., *episcopum.*

9. [*vers.* 7.] *Averte mala inimicis meis.* Sic quomodo virent, sic quomodo florent, igni servantur. *In virtute tua disperde illos.* Puta quia florent modo, puta quia exoriuntur sicut fenum: tu noli esse vir imprudens et stultus, ut hæc attendendo intereas in sæculum sæculi (*Psal.* XCI, 7, 8). *Averte* enim *mala inimicis meis.* Nam si tu fueris in corpore ipsius David, in virtute sua disperdet illos. Isti florent felicitate sæculi, pereunt in virtute Dei. Non quomodo florent, sic pereunt: florent enim ad tempus, pereunt in æternum; florent falsis bonis, pereunt veris tormentis. *In virtute tua disperde illos:* quos in infirmitate tua tolerasti.

10. [*vers.* 8.] *Voluntarie sacrificabo tibi.* Quis hoc bonum cordis vel intelligere potest alio dicente, si non in se ipso gustarit? Quid est, *Voluntarie sacrificabo tibi?* Dicam tamen; capiat qui potest, quomodo potest: credat qui non potest, et oret ut possit. Numquid tamen istum versum ita præterire debemus, ut eum vobis non commendemus? Dico Charitati Vestræ, invitat me satis amor ipsius aliquid de illo loqui; et gratias ago Deo quod intente auditis. Si autem vos fastidientes audire conspicerem, invitus ab hoc versu silerem; et tamen in corde meo, quantum Dominus dignaretur concedere, non silerem. Veniat ergo in linguam quod corde conceptum est; promatur voce quod mente servatur: dicamus ut possumus, quid sit, *Voluntarie sacrificabo tibi.* Quod enim sacrificium hic accipiam, fratres? aut quid digne offeram Domino pro misericordia ejus? Victimas quæram de grege ovium, arietem eligam, taurum aliquem in armentis prospiciam, thura certe de terra Sabæorum afferam? Quid faciam? Quid offeram, nisi quod ait, *Sacrificium laudis honorificabit me* (*Psal.* XLIX, 23)? Quare ergo, *voluntarie?* Quia gratis amo quod laudo. Laudo Deum, et in ipsa laude gaudeo: ipsius laude gaudeo, quo laudato non erubesco. Non enim quemadmodum laudatur ab studiosis theatricarum nugarum vel auriga, vel venator, vel quilibet histrio, et a laudatoribus suis invitantur alii laudatores, exhortantur ut pariter clament; et cum omnes clamaverint, plerumque illo victo omnes erubescunt: non ita est Deus noster; laudetur voluntate, ametur charitate; gratuitum sit quod amatur, et quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, non propter aliud. Si enim laudas Deum ut det tibi aliquid aliud, jam non gratis amas Deum. Erubesceres si te uxor tua propter divitias amaret; et forte si tibi paupertas accideret, de adulterio cogitaret. Cum ergo te a conjuge gratis amari velis, tu Deum propter aliud amabis? Quod præmium accepturus es a Deo, o avare? Non tibi terram, sed seipsum servat qui fecit cœlum et terram. *Voluntarie sacrificabo tibi:* noli ex necessitate. Si enim propter aliud laudas Deum, ex necessitate laudas. Si adesset tibi quod amas, non laudares Deum. Vide quid dicam: laudas Deum, verbi gratia, ut tibi det amplam pecuniam; si haberes aliunde amplam pecuniam, non a Deo, numquid laudares Deum? Si ergo propter pe-

cuniam laudas Deum, non voluntarie sacrificas Deo, sed ex necessitate sacrificas : quia præter illum nescio quid aliud amas. Inde dictum est, *Voluntarie sacrificabo tibi*. Contemne omnia, ipsum attende. Et hæc quæ dedit, propter dantem bona sunt. Nam dat prorsus, dat ista temporalia ; et quibusdam bono eorum, quibusdam malo eorum, secundum altitudinem et profunditatem judiciorum suorum. In quorum judiciorum abysso expavit Apostolus dicens : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ipsius ! Quis enim investigabit vias ejus, aut quis comprehendet consilia ejus* (*Rom.* XI, 33, 34)*?* Novit quando det, cui det ; quando auferat, et cui auferat. Pete tu in hoc tempore quod tibi prosit in posterum, pete quod te adjuvet in æternum. Ipsum autem gratis dilige : quia melius ab eo non invenis quod det quam seipsum; aut si invenis melius, hoc pete. *Voluntarie sacrificabo tibi*. Quare *voluntarie?* Quia gratis. Quid est, gratis? *Et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est :* ob nihil aliud, nisi quia bonum est. Numquid ait : Confitebor nomini tuo, Domine, quia das mihi fructuosa prædia, quia das mihi aurum et argentum, quia das mihi latas divitias, amplam pecuniam, excellentissimam dignitatem? Non. Sed quid? *Quoniam bonum est*. Melius nihil invenio quam nomen tuum : ideo *confitebor nomini tuo, Domine, quia bonum est*.

11. [*vers.* 9.] *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me*. Ideo intellexi quia bonum est nomen tuum : nam si hoc possem ante tribulationes agnoscere, forte mihi necessariæ non fuissent. Sed adhibita est tribulatio ad admonitionem, admonitio facta est ad tuam laudationem. Non enim intelligerem ubi essem, nisi de infirmitate mea admonitus essem. Ex omnibus ergo tribulationibus eripuisti me. *Et super inimicos meos respexit oculus meus :* super illos Ziphæos respexit oculus meus. Florem quippe illorum transii altitudine cordis, ad te perveni, et inde respexi super illos, et vidi quia *omnis caro fenum, et omnis claritas hominis sicut flos feni* (*Isai.* XL, 6) : sicut quodam loco item dicitur, *Vidi impium superexaltari et elevari sicut cedros Libani : transii, et ecce non erat*. Quare, *non erat?* Quia transisti? Quid est, quia transisti. Quia non sine causa, Sursum cor, audisti [1], quia non in terra ubi putresceres remansisti, quia levasti animam tuam ad Deum, et transcendisti cedros Libani, et de illa celsitudine attendisti : *et ecce non erat*, et quæsisti eum, *et non est inventus locus ejus* (*Psal.* XXXVI, 35, 36). Jam labor non est ante te; quia intrasti in sanctuarium Dei, et intellexisti in novissima (*Psal.* LXXII, 16, 17). Sic et hic ita concludit : *Et super inimicos meos respexit oculus meus*. Hoc agite ergo, fratres, cum animis vestris : erigite corda vestra, expolite aciem mentis vestræ, discite gratis diligere Deum, discite præsens contemnere sæculum, discite voluntarie sacrificare hostiam laudis; ut transcendentes florem feni, respiciatis super inimicos vestros.

[1] Sic Mss. At Edd., *sursum cor habuisti*.

IN PSALMUM LIV

ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Psalmi hujus titulus est : *In finem, in hymnis, intellectus ipsi David*. Quis sit finis commemoramus breviter, quia nostis. *Finis enim Legis Christus est, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Intentio ergo dirigatur in finem, dirigatur in Christum. Quare finis dicitur? Quoniam quidquid agimus, ad illum referimus; et cum ad eum pervenerimus, ultra quod quæramus non habebimus. Dicitur enim finis qui consumit, dicitur finis qui perficit. Aliter quippe intelligimus cum audimus, Finitus est cibus qui manducabatur ; et aliter intelligimus cum audimus, Finita est vestis quæ texebatur : in utroque audimus, Finitum est ; sed cibus ut jam non esset, vestis ut perfecta esset. Finis ergo noster perfectio nostra esse debet; perfectio nostra Christus. In illo enim perficimur, quia ipsius capitis membra sumus. Et dictus est finis Legis, quia sine illo nemo perficit Legem. Cum ergo auditis in Psalmis, *In finem*, multi enim psalmi ita superscripti sunt, non sit vestra cogitatio in consumptionem, sed in consummationem.

2. *In hymnis :* in laudibus. Sive enim tribulemur et angustemur, sive lætemur et exsultemus, ille laudandus est, qui et in tribulationibus erudit, et in lætitia consolatur. Laus enim Dei a corde et ore christiani recedere non debet : non ut laudet in prosperis, et maledicat in adversis ; sed quemadmodum psalmus ille præscribit, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 1). Gaudes, agnosce patrem blandientem; tribularis, agnosce patrem emendantem. Sive blandiatur, sive emendet, eum erudit cui parat hæreditatem.

3. Quid est ergo, *Intellectus ipsi David?* Erat quidem David, ut novimus, propheta sanctus, rex Israel, filius Jesse (I *Reg.* XVI, 18) : sed quia ex ejus semine venit ad salutem nostram secundum carnem Dominus Jesus Christus (*Rom.* I, 3), sæpe isto nomine ille figuratur, et David pro Christo in figura ponitur, propter originem carnis ipsius. Nam secundum aliquid filius est David, secundum aliquid Dominus est David : filius David secundum carnem, Dominus David secundum divinitatem. Si enim per ipsum facta sunt omnia (*Joan.* I, 3), per ipsum et ipse David factus est, ex cujus semine venit ad homines. Proinde cum interrogasset Dominus Judæos, cujus filium Christum esse dicerent ; *responderunt : David*. Vidit eos remansisse in carne, et amisisse divinitatem ; et corrigit eos quæstione proposita : *Quomodo ergo ipse David in spiritu dicit eum Dominum, Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, quoadusque ponam inimicos tuos sub pedibus tuis? Si ergo ille in spiritu Dominum eum dicit, quomodo filius ejus est* (*Matth.* XXII, 42-45)? Quæstionem proposuit, non filium negavit. Audistis Dominum ; dicite quomodo filius sit : audistis filium ; dicite quomodo Dominus sit. Hanc quæ-

stionem solvit fides catholica. Quomodo Dominus? Quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Quomodo filius? Quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 14). Quia ergo David in figura Christus est, Christus autem, ut sæpe commemoravimus Charitatem Vestram, et caput et corpus est: nec nos a Christo alienos dicere debemus, cujus membra sumus, nec nos quasi alterum computare; quia *erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est*, ait Apostolus, *ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 31, 32). Quia ergo totus Christus caput et corpus est; cum audimus, *Intellectus ipsi David*, intelligamus et nos in David. Intelligant membra Christi, et in membris suis intelligat Christus, et membra Christi intelligant in Christo: quia caput et membra unus Christus. Caput in cœlo erat, et dicebat, *Quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Nos cum illo in cœlo per spem, ipse nobiscum in terra per charitatem. Ergo, *intellectus ipsi David*. Admoneamur cum audimus, et intelligat Ecclesia: pertinet enim ad nos magna cura intelligendi in quo malo nunc sumus, et de quo malo ut liberemur optamus, reminiscentes orationis dominicæ, ubi in fine dicimus, *Libera nos a malo* (*Matth.* VI, 13). Inter multas ergo tribulationes hujus sæculi, plangit aliquid psalmus iste de intellectu. Ille cum isto non plorat, qui non habet intellectum. Porro autem, charissimi, meminisse debemus ad imaginem Dei nos esse factos, nec alibi quam in ipso intellectu. Nam in multis rebus a bestiis superamur[1]: ubi autem homo ad imaginem Dei factum se novit, ibi aliquid in se agnoscit amplius esse quam datum est pecoribus. Consideratis vero omnibus rebus quas habet homo, invenit se eo proprie discretum a pecore, quod ipse habeat intellectum. Unde quosdam contemnentes in se quod proprium et præcipuum a Conditore acceperunt, increpat ipse Conditor dicens: *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI, 9). Et alio loco dicit: *Homo in honore positus*. In quo honore, nisi quia factus ad imaginem Dei? Ergo, *in honore positus non intellexit*, ait, *comparatus est jumentis insensatis, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII, 21). Agnoscamus ergo honorem nostrum, et intelligamus. Si intelligimus, videmus non esse istam regionem gaudendi, sed gemendi; non jam exsultandi, sed adhuc plangendi. Sed etsi exsultatio quædam habitat in cordibus nostris, nondum est in re, sed in spe. Ex promisso lætamur, quia scimus non nos fallere promittentem. Verum quod attinet ad præsens tempus, in quo malo, in quibus angustiis simus audite; et si viam istam tenetis, quod auditis in vobis agnoscite. Quisquis enim nondum tenet iter pietatis, miratur quia talia gemunt membra David: non enim videt in se ista. Quamdiu et in se ista non videt nondum est ibi: non sentit quod corpus sentit; quia præter corpus est: incorporetur, et sentiet. Dicat ergo et audiamus, audiamus et dicamus:

4. [*Vers.* 2-5.] *Exaudi, Deus, deprecationem meam, et ne despexeris precem meam: intende mihi, et exaudi me*. Satagentis, solliciti, in tribulatione positi, verba sunt ista. Orat multa patiens, de malo liberari desiderans: superest ut audiamus in quo malo sit; et cum dicere cœperit, agnoscamus ibi nos esse, ut communicata tribulatione, conjungamus orationem. *Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum*. Ubi contristatus? ubi conturbatus? *In exercitatione mea*, inquit. Homines malos quos patitur commemoraturus est[1], eamdemque passionem malorum hominum exercitationem suam dixit. Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, et nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit ut per illum bonus exerceatur. Utinam ergo qui nos modo exercent, convertantur, et nobiscum exerceantur: tamen quamdiu ita sunt ut exerceant, non eos oderimus; quia in eo quod malus est quis eorum, utrum usque in finem perseveraturus sit, ignoramus; et plerumque cum tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, et nescis. Diabolus et angeli ejus in Scripturis sanctis manifestati sunt nobis, quod ad ignem æternum sint destinati. Ipsorum tantum desperanda est correctio: contra quos habemus occultam luctam, ad quam luctam nos armat Apostolus, dicens: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, id est adversus homines quos videtis; *sed adversus principes et potestates et rectores mundi, tenebrarum harum* (*Ephes.* VI, 12). Ne forte cum dixisset, *mundi*, intelligeres dæmones esse rectores cœli et terræ; *mundi* dixit, *tenebrarum harum; mundi* dixit, amatorum mundi; *mundi* dixit, impiorum et iniquorum; *mundi* dixit, de quo dicit Evangelium: *Et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 10). Si enim mundus non cognovit lucem, quia lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt, et ipsæ tenebræ quæ non comprehenderunt lucem præsentem, mundi nomine appellantur; harum tenebrarum sunt illi rectores. De ipsis ergo rectoribus habemus determinatam Scripturarum sententiam, quod omnino inde reditus alicujus eorum sperandus non est. At vero de ipsis tenebris quarum illi rectores sunt, non sumus certi ne forte qui erant tenebræ, fiant lux. Fidelibus quippe jam factis dicit Apostolus, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8): tenebræ in vobis, lux in Domino. Ergo, fratres, omnes mali, cum mali sunt, exercent bonos. Ecce enim breviter audite, et intelligite. Si bonus es, inimicum non habebis nisi malum. Porro tibi ea regula bonitatis præfixa est, ut imiteris bonitatem Patris tui, *qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V, 45). Neque enim tu habes inimicum, et Deus non habet. Tu quidem eum habes inimicum qui tecum creatus est; ille vero eum quem creavit. Inimicos ergo Dei malos et iniquos sæpe in Scripturis legimus: et parcit eis ille qui non habet quod illi imputet inimicus, cui omnis inimicus ingratus est; ab

[1] Sic Mss. At Edd., *a bestiis non separamur*.

[1] Sic Er. et præstantiores Mss. At Lov., *commemoratus est*.

illo enim habet quidquid boni habet. Ab ipso enim habet misericordiam, quidquid est etiam unde tribulatur. Ad hoc enim tribulatur, ne superbiat; ad hoc tribulatur, ut humilis agnoscat excelsum. Tu ergo inimico tuo, quem intolerabiliter pateris, quid præstitisti? Si ille cum habet inimicum qui ei tanta præstitit, et *facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos;* tu qui nec solem potes oriri facere, nec super terras pluere, aliquid unum servare inimico non potes, ut sit tibi pax in terra homini bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14)? Ergo quoniam hæc tibi dilectionis regula figitur, ut imitans Patrem diligas inimicum : *Diligite* enim, inquit, *inimicos vestros* (*Id.* VI, 27, 35) : in hoc præcepto quomodo exercereris, si nullum inimicum paterëris? Vides ergo prodesse tibi aliquid : et quod Deus parcit malis, prosit tibi ad habendam misericordiam; quia et tu forte si bonus es, ex malo factus es bonus; et si Deus non parceret malis, nec tu qui gratias ageres, appareres. Parcat ergo aliis qui pepercit et tibi. Non enim cum transieris, intercludenda est via pietatis.

5. Unde ergo iste orat positus inter malos, quorum inimicitiis exercebatur? quid ait? *Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum.* Cum extendit dilectionem ut diligat inimicos, affectus est tædio, multorum inimicitiis, multorum rabie circumlatratus, et quadam humana infirmitate succubuit. Vidit se jam incipere penetrari mala persuasione diabolica, ut odium inducat [1] adversum inimicos : reluctans odio ut perficeret ipsam dilectionem, in ipsa pugna et lucta turbatus est. Ejus enim vox est et in alio psalmo : *Turbatus est præ ira oculus meus.* Et quid ibi sequitur? *Inveteravi in omnibus inimicis meis* (*Psal.* VI, 8). Veluti in tempestate et fluctibus mergi cœperat, sicut Petrus (*Matth.* XIV, 30). Ille enim calcat fluctus hujus sæculi, qui diligit inimicos. Christus in mari ambulabat intrepidus, cujus omnino de corde auferri non poterat inimici dilectio : qui pendens in cruce dicebat, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Et Petrus voluit ambulare. Ille tanquam caput, Petrus tanquam corpus : quia *super hanc petram*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam.* Jussus est ambulare, et ambulabat gratia jubentis, non viribus suis. Sed cum videret ventum validum, timuit; et mergi jam cœperat, conturbatus in exercitatione sua. A quo vento valido? *A voce inimici, et a tribulatione peccatoris.* Ergo quomodo ille clamavit in fluctibus, *Domine, pereo, salva me* (*Matth.* XIV, 30); talis et hujus vox præcessit, *Exaudi, Deus, deprecationem meam, et ne despexeris precem meam : intende mihi, et exaudi me.* Quare? quid enim pateris? quid gemis? *Contristatus sum in exercitatione mea.* Exerceri me quidem inter malos posuisti, sed nimis exsurrexerunt supra vires meas : tranquilla perturbatum, manum extende mergenti. *Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris : quoniam declinaverunt in me iniquitatem* [2], *et in ira adumbrabant me.* Audistis fluctus et ventos : tanquam humiliato insultabant, et ille orabat; undique illi strepitu insultationis sæviebant, at ille intus invocabat quem non videbant.

6. Cum aliquid tale patitur christianus, non debet facile velut odio ire in eum a quo patitur, et velle ventum vincere; sed convertere se ad orationem, ne amittat dilectionem. Neque enim timendum est ne aliquid faciat homo inimicus. Quid enim facturus est? Multa mala dicturus, opprobria jaculaturus, in conviciis sæviturus : sed quid tibi? *Gaudete,* inquit, *et exsultate quoniam merces vestra magna est in cœlis* (*Matth.* V, 12). Ille in terra geminat convicia, tu in cœlo lucra. Sed sæviat amplius, possit et aliquid amplius : quid te securius, cui dictum est, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Id.* X, 28)? Quid est ergo timendum quando pateris inimicum? Ne conturbetur tibi dilectio qua diligis inimicum. Etenim inimicus ille homo, caro et sanguis, quod videt in te appetit. Alius autem inimicus occultus, rector harum tenebrarum quas tu pateris in carne et sanguine, alterum occultum tuum petit, thesauros tuos interiores deprædari et vastare molitur. Duos ergo inimicos constitue tibi ante oculos; unum apertum, et alterum occultum : apertum, hominem; occultum, diabolum. Homo ille hoc est quod tu secundum naturam humanam, secundum fidem autem et dilectionem nondum quod tu, sed potest esse quod tu. Cum ergo sint duo, unum vide, alterum intellige; unum dilige, alterum cave. Namque et inimicus ille quem vides, hoc in te vult humiliare unde vincitur. Verbi gratia, si divitiis tuis vincitur, pauperem te vult facere; si honore tuo vincitur, humilem te vult facere; si viribus tuis vincitur, debilem te vult facere : ea ergo attendit in te vel dejicere vel auferre quibus vincitur. Et ille occultus inimicus illud tibi vult tollere unde vincitur. Homo enim hominem vincis humana felicitate, diabolum autem vincis inimici dilectione. Quomodo ergo homo ambit auferre tibi, et detruncare, aut evertere [1] felicitatem qua vincitur, sic et diabolus hominem vult vincere auferendo unde vincitur. Sed cura in corde servare inimici dilectionem, qua diabolum vincis. Sæviat homo quantum potest, auferat quidquid potest; si diligitur aperte sæviens, victus est occulte sæviens.

7. At iste conturbatus et contristatus orabat, tanquam turbato præ ira oculo suo. Ira vero fratris si fuerit inveterata, jam odium est. Ira turbat oculum, odium exstinguit : ira festuca est, odium trabes est. Aliquando odisti et corripis irascentem; in te est odium, in illo ira quem corripis : merito tibi dicitur, *Ejice primum trabem de oculo tuo, et sic videbis ejicere festucam de oculo fratris tui* (*Matth.* 7, 5). Nam ut noveritis quantum intersit inter iram et odium : quoti die homines irascuntur filiis suis; date qui oderint filios suos. Conturbatus iste orabat et contristatus, luctans adversus omnia convicia omnium conviciatorum; non ut aliquem eorum convicium referendo

[1] Aliquot Mss., *induat.*
[2] Sic potiores Mss. juxta Græc. LXX. At Edd., *iniquitates.*

[1] Edd., *avertere.* At Mss., *evertere.*

vinceret, sed ne aliquem eorum odisset. Hinc orat, hinc petit. *A voce inimici, et a tribulatione peccatoris: quoniam declinaverunt in me iniquitatem, et in ira adumbrabant me. Cor meum conturbatum est in me.* Hoc est illud alibi dictum: *Turbatus est præ ira oculus meus* (*Psal.* vi, 8). Et si oculus turbatus est, quid sequitur? *Et metus mortis cecidit super me.* Vita nostra dilectio est: si vita dilectio, mors odium est. Cum cœperit homo timere ne oderit quem diligebat, mortem timet; et acriorem mortem, et interiorem mortem, qua occiditur anima, non corpus. Attendebas hominem sævientem in te: quid erat facturus, contra quem tibi securitatem tuus Dominus dederat, dicens, *Nolite timere eos qui corpus occidunt* (*Matth.* x, 28)? Ille sæviendo corpus occidit, tu odio habendo animam occidisti; et ille corpus alienum, tu animam tuam. *Metus* ergo *mortis cecidit super me.*

8. [*vers.* 6-8.] *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ. Et dixi.* Qui audit fratrem suum, in tenebris est usque adhuc. Si dilectio lumen est, odium tenebræ (I *Joan.* ii, 9-11). Et quid sibi ait in illa infirmitate positus, et in illa exercitatione turbatus? *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Aut mortem optabat, aut solitudinem desiderabat. Quamdiu, inquit, id mecum agitur, id mihi præcipitur ut inimicos diligam, convicia istorum crebrescentia et adumbrantia me, commovent oculum meum, perturbant lumen meum, appetunt cor meum, interficiunt animam meam. Vellem ut abirem, sed infirmus sum, ne manendo augeam peccata peccatis: aut certe separarer paululum a genere humano, ne patiatur vulnus meum crebras plagas, ut sanatum exercitationi reddatur. Fit hoc, fratres, et surgit plerumque in animo servi Dei desiderium solitudinis, non ob aliud nisi propter turbam tribulationum et scandalorum, et dicit: *Quis mihi dabit pennas?* Videt se sine pennis, an potius ligatis pennis? Si desunt, dentur; si ligatæ sunt, solvantur: quia etiam qui solvit pennas avi, aut dat aut reddit illi pennas suas. Non enim habebat eas tanquam suas, quibus volare non poterat. Ligatæ pennæ onus faciunt. *Quis*, inquit, *dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Requiescet, ubi? Duos dixi sensus hic esse: aut sicut ait Apostolus, *Dissolvi, et esse cum Christo, multo enim magis optimum.* Etenim et ipse quamvis fortis, quamvis magnus, quamvis corde robustissimus, quamvis in Christo miles invictus, in exercitatione sua, quantum legimus, conturbatus est, et ait: *De cætero nemo mihi molestus sit* (*Gal.* vi, 17). Tanquam diceret de illo psalmo: *Tædium detinuit me a peccatoribus derelinquentibus legem tuam* (*Psal.* cxviii, 53). Conatur ergo homo plerumque corrigere homines distortos, pravos, pertinentes quidem ad curam suam, sed in quibus deficiat omnis humana industria et vigilantia: corrigere non potest, pati necesse est. Et qui corrigi non potest tuus est, aut consortio generis humani, aut plerumque ecclesiastica communione; intus est, quid facies? quo ibis? quo te separabis, ut ista non patiaris? Sed adesto, loquere, exhortare, blandire, minare, corripe. Feci omnia, quidquid virium habui impendi et expressi, nihil me video profecisse; omnis opera insumpta est, dolor remansit. Quomodo ergo requiescet cor meum a talibus, nisi ut dicam, *Quis dabit mihi pennas? sicut columbæ* tamen, non sicut corvo. Columba a molestiis quærit avolationem, sed non amittit dilectionem. Columba enim pro signo dilectionis ponitur, et in ea gemitus amatur. Nihil tam amicum gemitibus quam columba: die noctuque gemit, tanquam hic posita ubi gemendum est. Quid ergo dicit iste dilector? Convicia hominum ferre non possum, strident, rabie feruntur, accenduntur iracundia, in ira adumbrant me; prodesse illis non possum: utinam requiescam alicubi ab eis separatus corpore, non amore; ne in me conturbetur ipsa dilectio: verbis meis et collocutione mea prodesse non possum, orando pro eis forsitan prodero. Dicunt ista homines, sed plerumque ita ligantur ut volare non possint. Forte enim non ligantur visco, sed ligantur officio. Si autem ligantur cura et officio, et deserere non possunt, dicant: Optabam *dissolvi, et esse cum Christo, multo enim magis optimum; manere in carne necessarium propter vos* (*Philipp.* i, 23, 24). Columba[1] religata affectu, non cupiditate, volare non poterat propter implendum officium, non propter parvum meritum. Tamen desiderium in corde necesse est ut sit: nec patitur hoc desiderium, nisi qui cœperit ambulare angustam illam viam (*Matth.* vii, 14); ut noverit quia non desunt Ecclesiæ persecutiones, etiam in hoc tempore quando tranquillitas videtur Ecclesiæ ab his quidem persecutionibus, quas martyres nostri passi sunt. Non autem desunt persecutiones, quia verum est illud: *Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur* (II *Tim.* iii, 12). Non pateris persecutionem: non vis pie vivere in Christo. Vis probare verum esse quod dictum est? Incipe pie vivere in Christo. Quid est, pie vivere in Christo? Ut pertineat ad viscera tua quod ait Apostolus: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* xi, 29)? Aliorum infirmitates, aliorum scandala, persecutiones illi fuerunt. Numquid ergo desunt hoc tempore? Plures abundant illis qui eas curant. Et plerumque de longinquo videtur homo, et dicitur, Bene est illi. Et ille qui dicit, aut sua gustat, et aliena non potest; aut apud se quod gustet non habet, et alteri gustanti, imo devoranti non compatitur. Incipiat ergo pie vivere in Christo, et probet quod dicitur: incipit desiderare pennas, elongare, fugere, et manere in deserto.

9. Unde enim putatis, fratres, servis Dei impleta esse deserta? Si bene illis esset inter homines, recederent ab hominibus? Et tamen quid faciunt et ipsi? Ecce elongant fugientes, manent in deserto: sed numquid singillatim? Tenet eos charitas, ut cum multis maneant: et de ipsis multis existunt qui exerceant. Quia in omni congregatione multitudinis necesse est

[1] Edd., *Columba delicata, religata*, etc.; abest, *delicata*, a Mss.

ut inveniantur mali. Deus enim qui novit exercendos nos, miscet nobis et non perseveraturos, aut certe ita simulatos, ut nec inchoaverint in quo perseverare deberent. Novit enim necessarium esse nobis ut feramus malos, et proficiat quod boni sumus; diligamus inimicos, corripiamus, castigemus, excommunicemus, cum dilectione a nobis etiam separemus. Videte enim quid dicat Apostolus : *Si quis autem non obaudit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et nolite commisceri cum eo.* Sed ne subreperet tibi ex hoc iracundia, et turbaret oculum tuum, *Non*, inquit, *ut inimicum eum existimetis, sed corripite ut fratrem, ut erubescat* (II *Thess.* III, 14). A quo indixit separationem, non præcidit dilectionem. Vivit ille oculus, vivit vita tua. Etenim amissa dilectio, mors tua. Hanc ille amittere timuit qui dixit : *Metus mortis cecidit super me.* Itaque ne amittam dilectionis vitam, *quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* Quo iturus es? quo volaturus? ubi requieturus? *Ecce elongavi fugiens, et mansi in deserto.* In quo deserto? Ubicumque fueris, congregabunt se cæteri, desertum tecum petent, affectabunt vitam tuam, tu repellere non potes societatem fratrum : miscentur tibi etiam mali; adhuc tibi exercitatio debetur. *Ecce elongavi fugiens, et mansi in deserto.* In quo deserto? Si forte in conscientia, quo nullus hominum intrat, ubi nemo tecum est, ubi tu et Deus es. Nam si in deserto, in aliquo loco, quid facies de congregantibus se? Non enim a genere humano separatus esse poteris, quamdiu in hominibus vivis. Attende potius consolatorem illum Dominum et regem, imperatorem et creatorem nostrum, creatum etiam inter nos : attende quia duodecim suis miscuit unum quem pateretur.

10. [*vers.* 9.] Dicit, *Ecce elongavi fugiens, et mansi in deserto.* Forte iste, ut dixi, fugerit ad conscientiam suam, ibi aliquantum desertum invenerit ubi requiesceret. Sed illa dilectio conturbat eum : solus erat in conscientia, sed non solus in charitate; intus consolabatur conscientia, sed forinsecus tribulationes non relinquebant. Itaque in se quietus, ex aliis pendens, cum conturbaretur adhuc, quid ait? *Exspectabam eum qui me salvum faceret a pusillanimitate* [1] *et tempestate.* Mare est, tempestas est : nihil tibi restat nisi exclamare, *Domine, pereo* (*Matth.* XIV, 30). Porrigat manum ille qui fluctus calcat intrepidus, sublevet trepidationem tuam, firmet in se securitatem tuam, alloquatur te intus, et dicat tibi : Me attende, quid pertulerim : fratrem malum forte pateris, aut inimicum forinsecus pateris; quos non passus sum? Fremebant forinsecus Judæi, intrinsecus discipulus tradebat. Sævit ergo tempestas, sed ille salvos facit *a pusillanimitate et tempestate.* Forte navis tua ideo turbatur, quia ille in te dormit. Sæviebat mare, turbabatur navicula in qua discipuli navigabant; Christus autem dormiebat : tandem aliquando visum est illis quia inter illos dormiebat ventorum imperator et creator; accesserunt et excitaverunt Christum : imperavit ventis, et facta est tranquillitas magna (*Matth.* VIII, 23-26). Merito ergo forte turbatur cor tuum, quia excidit tibi in quem credideris : intolerabiliter pateris, quia non venit tibi in mentem, quid pro te pertulerit Christus. Si in mentem non tibi venit Christus, dormit : excita Christum, recole fidem. Tunc enim in te dormit Christus [1], si oblitus es passiones Christi : tunc in te vigilat Christus, si meministi passionum Christi. Cum autem pleno corde intuitus fueris quid ille fuerit passus, nonne æquo animo et tu tolerabis? et fortasse gaudens, quia inventus es in aliqua similitudine passionum regis tui. Cum ergo ista cogitans consolari et gaudere cœperis, ille surrexit, ille ventis imperavit : ideo facta est tranquillitas. *Exspectabam eum qui me salvum faceret a pusillanimitate et tempestate.*

11. [*vers.* 10.] *Submerge, Domine, et divide linguas eorum.* Attendit tribulantes se et adumbrantes se, et optavit hoc, non de ira, fratres. Qui se male extulerunt, expedit eis ut submergantur : qui male conspiraverunt, expedit eis ut linguæ eorum dividantur : ad bonum consentiant, et concordent linguæ illorum. Si autem *in idipsum adversum me susurrabant*, ait, *omnes inimici mei* (*Psal.* XL, 8), perdant [2] *idipsum* in malo; dividantur linguæ eorum, non sibi consentiant. *Submerge, Domine, et divide linguas eorum. Submerge*, quare? Quia se extulerunt. *Divide*, quare? Quia in malum conspiraverunt. Turrem illam recordare superborum factam post diluvium : quid dixerunt superbi? Ne pereamus diluvio, faciamus aliam turrem (*Gen.* XI, 4). Superbia se munitos esse arbitrabantur, exstruxerunt altam turrem; et Dominus divisit linguas ipsorum. Tunc se cœperunt non intelligere : hinc facta est origo linguarum multarum. Antea enim una lingua erat; sed una lingua concordibus proderat, una lingua hominibus proderat : at ubi illa collectio in conspirationem superbiæ præcipitata est, pepercit illis Deus ut divideret linguas, ne se intelligendo perniciosam facerent unitatem. Per superbos homines divisæ sunt linguæ, per humiles Apostolos congregatæ sunt linguæ : spiritus superbiæ dispersit linguas, Spiritus sanctus congregavit linguas. Quando enim Spiritus sanctus venit super discipulos, omnium linguis locuti sunt, ab omnibus intellecti sunt (*Act.* II, 4) : linguæ dispersæ, in unum congregatæ sunt. Ergo si adhuc sæviunt et gentiles sunt, expedit eis divisas habere linguas. Volunt unam linguam, veniant ad Ecclesiam; quia et in diversitate linguarum carnis, una est lingua in fide cordis. *Submerge, Domine, et divide linguas eorum.*

12. *Quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.* Merito iste desertum quærebat, quoniam vidit iniquitatem et contradictionem in civitate. Est quædam civitas turbulenta : ipsa erat quæ turrem ædificaverat, ipsa confusa est, et appellata Babylonia, ipsa per innumerabiles gentes dispersa (*Gen.* XI, 9) : inde congregatur Ecclesia in desertum bonæ con-

[1] Sic Mss. At Edd. hoc loco tantum, *a pusillo animo.*

[1] Hic in Edd. additur, *si verum illum Filium Dei abnegas esse :* quod abest a Mss.

[2] Sic aliquot Mss. At Lov., *perdantur in idipsum.* Er. et quidam Mss., *perdant in idipsum.*

scientiæ. Vidit enim contradictionem in civitate. Christus venit. Quis Christus, contradicis? Filius Dei. Et habet filium Deus, contradicis? Natus est de virgine, passus, resurrexit. Et unde hoc fieri potest, contradicis? Attende saltem gloriam crucis ipsius. Jam in fronte regum crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt. Effectus probavit [1] virtutem: domuit orbem, non ferro, sed ligno. Lignum crucis contumeliis dignum visum est inimicis, et ante ipsum lignum stantes caput agitabant, et dicebant: *Si Filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII, 40). Extendebat ille manus suas ad populum non credentem et contradicentem. Si enim justus est, qui ex fide vivit (*Rom.* I, 17), iniquus est qui non habet fidem. Quod ergo hic ait, *iniquitatem*, perfidiam intelligo. Videbat ergo Dominus in civitate iniquitatem et contradictionem, et extendebat manus suas ad populum non credentem et contradicentem; et tamen et ipsos exspectans dicebat: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Adhuc sane reliquiæ sæviunt illius civitatis, adhuc contradicunt. De frontibus omnium modo extendit manus ad reliquias non credentes et contradicentes. *Quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.*

13. [*vers.* 11.] *Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas et labor. Super muros ejus*, super munimenta ejus, tenens quasi capita ejus, nobiles ejus. Ille nobilis si christianus esset, nemo remaneret paganus. Plerumque dicunt homines: Nemo remaneret paganus, si ille esset christianus. Plerumque dicunt homines: Et ille si fieret christianus, quis remaneret paganus? Quod ergo nondum fiunt christiani, quasi muri sunt civitatis illius non credentis et contradicentis. Quamdiu isti muri stabunt? Non semper stabunt. Circuit arca muros Jericho: veniet tempus septimo arcæ circuitu, ut omnes muri civitatis non credentis et contradicentis cadant (*Josue* VI, 5). Donec fiat, turbatur iste in exercitatione sua; et perferens reliquias contradicentium, optat pennas avolationis, optat requiem deserti. Imo duret inter contradicentes, perferat minas, bibat opprobria, exspectet qui eum salvum faciat a pusillanimitate et tempestate: intueatur caput, exemplum vitæ [2] suæ, tranquilletur in spe, etsi turbatur in re. *Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, et labor in medio ejus et injustitia.* Et ideo labor ibi, quia iniquitas ibi: quia injustitia ibi, ideo et labor ibi. Sed audiant extendentem manus: *Venite ad me omnes qui laboratis.* Vos clamatis, vos contradicitis, vos conviciamini: ille e contra, *Venite ad me omnes qui laboratis* in superbia vestra, et requiescetis in humilitate mea. *Discite a me*, inquit, *quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 28, 29). Unde enim illi laborant, nisi quia non sunt mites et humiles corde? Deus humilis factus est, erubescat homo esse superbus.

14. [*vers.* 12.] *Non defecit de plateis ejus usura et dolus.* Usura et dolus non absconduntur saltem quia mala sunt, sed publice sæviunt. Etenim qui in domo aliquid mali facit, vel de malo suo erubescit: *In plateis ejus usura et dolus.* Fenus et professionem habet, fenus et ars vocatur: corpus dicitur, corpus quasi necessarium civitati, et de professione sua vectigal impendit: usque adeo in platea est quod saltem abscondendum erat. Est et alia usura pejor, quando non dimittis quod tibi debetur; et turbatur oculus in illo versu orationis, *Dimitte nobis debita nostra.* Quid enim ibi facturus es, quando oraturus es et ad ipsum versum venturus? Verbum contumeliosum audisti: vis exigere damnationis supplicium. Vel tantum exige quantum dedisti, fenerator injuriarum. Pugno percussus es, interfectionem quæris. Usura mala. Qua iturus es in orationem? Si reliqueris orationem, qua circumiturus es ad Dominum? Ecce dices: *Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum. Veniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.* Dices: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Venies ad, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 9-12). Vel in civitate illa mala abundent usuræ istæ, non intrent parietes istos ubi pectus tunditur. Quid facies, quia ibi tu et ille versus in medio estis? Preces tibi composuit cœlestis jurisperitus (*a*): qui noverat quid ibi ageretur, ait tibi, Aliter non impetrabis. *Amen enim dico vobis, quia si dimiseritis peccata hominibus, dimittentur vobis; si autem non dimiseritis peccata hominibus, neque Pater vester dimittet vobis* (*Ibid.*, 14, 15). Quis hoc dicit? Qui scit quid ibi agatur, quod tu adstans petis. Vide quod voluit esse ipse advocatus tuus: ipse jurisperitus tuus, ipse assessor Patris, ipse judex tuus dixit, Aliter non accipies. Quid facturus es? Non accepturus, si non dicturus; non accepturus, si falsum dicturus. Ergo aut facturus et dicturus, aut quod petis non promeriturus; quia qui hoc non faciunt, in usuris illis sunt malis. Sint ibi illi qui adhuc idola aut adorant, aut quærunt; noli tu, plebs Dei, noli, plebs Christi, noli, corpus illius capitis. Attende vinculum pacis tuæ, attende promissum vitæ tuæ. Quid enim tibi prodest, quia exigis injurias quas pertulisti? Ultio te reficit? Ergo de malo alieno gaudebis? Passus es malum, ignosce; ne duo (*b*) sitis. *Et non defecit de plateis ejus usura et dolus.*

15. [*vers.* 13-15.] Ideo ergo tu quærebas solitudinem et pennas, ideo murmuras, hæc ferre non potes, contradictionem et iniquitatem civitatis hujus. Requiesce in his qui tecum intus sunt, et noli quærere solitudinem. Audi et de ipsis quid dicat, *Quoniam si inimicus exprobrasset mihi.* Et quidem superius conturbatus erat in exercitatione sua a voce inimici et a tribulatione peccatoris, forte in illa civitate positus, superba illa erigente turrem quæ submersa est [1] ut dividerentur eorum linguæ (*Gen.* XI, 4): attende in-

[1] Omnes fere Mss., *Effectis proba virtutem.*
[2] Plerique Mss., *viæ.*

[1] Edd., *subversa.* At Mss., *submersa.* Alludit ad ỳ. 10, *Submerge*, etc.
(*a*) Vid. Tract. 7 in Evang. Joan., n. 11.
(*b*) Subaud., *mali.*

tus quid gemat propter pericula a falsis fratribus. *Quoniam si inimicus exprobrasset mihi, sustinuissem utique: et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset*, id est, per superbiam mihi insultasset, magnificaret se super me, minaretur mihi quidquid posset: *absconderem me utique ab eo*. Ab illo qui foris est, ubi te absconderes? Inter illos qui intus sunt. Nunc autem vide, si non nihil aliud restat, nisi ut solitudinem quæras. *Tu vero*, inquit, *homo unanimis, dux meus et notus meus*. Forte aliquando bonum consilium dedisti, forte aliquando præcessisti me, et salubre aliquid monuisti: in Ecclesia Dei simul fuimus. *Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos*. Qui sunt dulces cibi? Non omnes qui adsunt noverunt; sed non amaricent [1] qui noverunt, ut possint illis qui adhuc non noverunt dicere: *Gustate, et videte, quoniam dulcis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9). *Qui simul mecum dulces capiebas cibos. In domo Dei ambulavimus cum consensu*. Unde ergo dissensio (*a*)? Qui intus erat, foris factus est. Ambulavit mecum in domo Dei cum consensu: aliam domum erexit contra domum Dei. Quare illa relicta est, ubi ambulavimus cum consensu? quare illa deserta est, ubi dulces simul capiebamus cibos?

16. [*vers.* 16.] *Veniat mors super eos, et descendant ad infernum viventes*. Quo modo replicavit et recolere nos fecit primum illud schismatis initium, quando in illo primo populo Judæorum quidam superbi se separaverunt, et extra sacrificare voluerunt. Nova mors super eos venit: aperuit se terra, et vivos absorbuit (*Num.* XVI, 1-33). *Veniat*, inquit, *mors super eos, et descendant ad infernum viventes*. Quid est, *viventes?* Scientes quia pereunt, et tamen pereuntes. Audi viventes perire et absorberi hiatu terræ, id est devoratione terrenarum cupiditatum absorberi. Dicis homini: Quid pateris, frater? Fratres sumus, unum Deum invocamus, in unum Christum credimus, unum Evangelium audimus, unum Psalmum cantamus, unum Amen respondemus, unum Alleluia resonamus, unum Pascha celebramus: quid tu foris es, et ego intus sum? Plerumque angustatus et considerans quam vera dicantur, Reddat, ait, Deus majoribus nostris. Ergo vivus perit. Deinde addis et mones: Saltem solum sit malum segregationis, cur adjungis et rebaptizationis? Agnosce in me quod habes; et si tu me odisti, Christo in me parce. Et hoc eis malum plerumque et maxime displicet: Vere, inquiunt, male fit; utinam posset non fieri! sed quid facimus de statutis majorum nostrorum? *Descendant ad infernum viventes*. Si mortuus descenderes, quid ageres ignorares: cum vero scis malum esse quod facis, et tamen facis; nonne vivus descendis ad inferos? Et quare maxime ipsos duces terræ hiatus absorbuit vivos, populum autem illis consentientem e cœlo irruens ignis absumpsit (*Ibid.*, 47)? Propterea hanc pœnam commemorans psalmus iste, a populo cœpit, et ad duces conclusit. *Veniat mors super eos*, propter illos dixit, super quos venit ignis de cœlo: et statim adjunxit, *Descendant ad infernum viventes*, propter duces quos terræ hiatus absorbuit. Nam quomodo descenderent ad infernum viventes, de quibus dixerat, *Veniat mors super eos?* si jam super eos mors venerat, quomodo vivi ad inferos descendebant? Ergo a minoribus cœpit, ad majores conclusit. *Veniat mors super eos*, qui consenserunt et consecuti sunt. Quid illi duces et principes? *Descendant ad infernum viventes:* quia ipsi Scripturas tractant, et noverunt bene quotidie legendo quomodo Ecclesia catholica per totum orbem terrarum ita diffusa est, ut omnino contradictio omnis vacet, nec inveniri possit aliquod testimonium pro schismate eorum, noverunt bene; ideo ad inferos viventes descendunt, quia malum quod faciunt, malum esse noverunt. Illos autem divinæ iracundiæ [1] ignis absumpsit. Studio enim contentionis accensi, a ducibus suis malis recedere noluerunt: venit super ignem ignis, super ardorem dissensionis ardor consumptionis. *Veniat mors super illos, et descendant ad infernum viventes. Quoniam nequitia in hospitiis eorum, in medio eorum. In hospitiis*, ubi peregrinantur et transeunt. Non enim hic semper futuri sunt: et tamen pro animositate temporali sic pugnant. *In hospitiis* ergo *eorum iniquitas, in medio eorum* iniquitas: nullum tam medium eorum quam cor eorum.

17. [*vers.* 17.] *Ego ad Dominum exclamavi*. Corpus Christi et unitas Christi in angore, in tædio, in molestia, in conturbatione exercitationis suæ; ille unus homo, in uno corpore posita unitas, cum tæderet animam ejus exclamans a finibus terræ: *A finibus terræ ad te clamavi*, inquit, *cum angeretur cor meum* (*Psal.* LX, 3). Ipse unus, sed unitas unus: et ipse unus, non in uno loco unus, sed a finibus terræ clamat unus. Quomodo a finibus terræ clamaret unus, nisi in multis esset unus? *Ego ad Dominum exclamavi*. Recte. Tu exclama ad Dominum, noli ad Donatum; ne tibi sit pro Domino dominus, qui sub Domino noluit esse conservus. *Ego ad Dominum exclamavi: et Dominus exaudivit me*.

18. [*vers.* 18.] *Vespere, et mane, et meridie, enarrabo, et annuntiabo, et exaudiet vocem meam*. Evangeliza tu, noli tacere tu quod accepisti, *vespere*, de præteritis; *mane*, de futuris; *meridie*, de sempiternis. Ideo ad id quod ait, *vespere*, pertinet quod enarrat: ad id quod ait, *mane*, pertinet quod annuntiat: ad id quod ait, *meridie*, pertinet quod exauditur vox ejus. Finis enim in meridie est, sed unde non declinatur in occasum. In meridie enim lux excelsa est, splendor sapientiæ, fervor dilectionis. *Vespere, et mane, et meridie*. Vespere Dominus in cruce, mane in resurrectione, meridie in ascensione: enarro vespere patientiam morientis, annuntio mane vitam resurgentis, orabo ut exaudiat meridie sedens ad dexteram Patris; exaudiet vocem meam qui interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34). Quanta hujus securitas, quanta consolatio, quanta refectio a pusillanimitate et tem-

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *Sed non amaricentur*.
(*a*) In Donatistas.

[1] Omnes Mss, *de divina iracundia ignis absumpsit*.

pestate, contra malos, contra iniquos et foris et intus, et in his qui foris sunt, cum fuissent intus!

19. [*vers.* 19.] Itaque, fratres mei, quos in ipsa congregatione parietum horum videtis turbulentos, superbos, sua quærentes, elatos, non habentes zelum Dei castum, sanum, quietum, sed multum sibi tribuentes; ad dissensionem paratos, sed occasionem non invenientes, ipsa est palea dominicæ areæ (*Matth.* III, 12). Hinc illos paucos superbiæ ventus excussit: tota palea non volabit, nisi cum ille in ultimo ventilabit. Sed nos quid, nisi cum isto cantemus, cum isto oremus, cum isto plangamus et dicamus securi: *Redimet in pace animam meam?* Contra illos qui non amant pacem, *In pace redimet animam meam:* quia cum his qui oderunt pacem, eram pacificus (*Psal.* CXIX, 7). *Redimet in pace animam meam, ab his qui appropinquant mihi.* Nam ab illis qui longe sunt a me, facilis causa est: non me tam cito fallit qui dicit, Veni, idolum adora: multum a me longe est. Christianus es? Christianus, inquit. Ex propinquo adversatur, prope est. *Redimet in pace animam meam, ab his qui appropinquant mihi: quoniam in multis erant mecum.* Quare dixi, *appropinquant mihi?* Quia *in multis erant mecum.* In hoc versu duæ sententiæ occurrunt. *In multis erant mecum:* Baptismum habebamus utrique, in eo erant mecum; Evangelium utrique legebamus, erant in eo mecum; festa martyrum celebrabamus, erant ibi mecum; Paschæ solemnitatem frequentabamus, erant ibi mecum. Sed non omnino mecum: in schismate non mecum, in hæresi non mecum. In multis mecum, in paucis non mecum. Sed in his paucis in quibus non mecum, non eis prosunt [1] multa in quibus mecum. Etenim, fratres, videte quam multa enarravit apostolus Paulus: unum dixit; si defuerit, frustra sunt illa. *Si linguis hominum loquar et Angelorum,* ait, *si habeam omnem prophetiam et omnem fidem, et omnem scientiam, si montes transferam, si distribuam omnia mea pauperibus, si tradam corpus meum ita ut ardeat.* Quam multa enumeravit! His omnibus multis desit una charitas: illa numero plura sunt, hæc pondere major est (I *Cor.* XIII). Ergo in omnibus Sacramentis mecum, in una charitate non mecum: *In multis erant mecum.* Rursus alio modo, *Quoniam in multis erant mecum,* qui se separaverunt a me, mecum erant, non in paucis, sed in multis. Etenim per totum orbem terrarum pauca sunt grana, multæ sunt paleæ. Quid ergo ait? In palea mecum erant, in tritico non mecum erant: et propinquat palea tritico, de uno semine exit, in uno agro radicatur, una pluvia nutritur, eumdem messorem patitur, eamdem triturationem sustinet, eamdem ventilationem exspectat, non in unum horreum intrat. *Quoniam in multis erant mecum.*

20. [*vers.* 20-22.] *Exaudiet me Deus, et humiliabit illos, qui est ante sæcula.* Illi enim præsumunt de nescio quo duce suo qui cœpit heri: *humiliabit illos qui est ante sæcula.* Quia etsi ex tempore Christus est de Maria virgine, ante sæcula tamen in principio Verbum, et Verbum apud Deum, et Deus Verbum (*Joan.* I, 1). *Humiliabit illos qui est ante sæcula. Non enim est illis commutatio:* de illis dico, quibus non est commutatio. Noverat aliquos perseveraturos, et in perseveratione suæ nequitiæ morituros. Videmus enim eos, et non est illis commutatio: qui sic moriuntur in ipsa perversitate, in ipso schismate, non est illis commutatio. Humiliabit illos Deus, humiliabit illos in damnatione, quia erecti sunt in dissensione. Non est illis commutatio, quia non mutantur in melius, sed in pejus; nec cum hic sunt, nec in resurrectione. Omnes enim resurgemus, sed non omnes immutabimur (I *Cor.* XV, 51). Quare? Quia *non est illis commutatio, et non timuerunt Deum.* Fratres mei, unum remedium est: timeant Deum, deserant Donatum. Dicis illi: Peris in hæresi, in schismate; necesse est ut Deus retribuat istis malis: venies in damnationem, noli tibi blandiri verbis tuis, non sequaris cæcum ducem; cæcus autem cæcum ducens, simul in foveam cadunt (*Matth.* XV, 14). Quid ad me, ait? quomodo vixi heri, sic et hodie; parentes mei quod fuerunt, hoc et ego. Non times Deum. Da timorem Dei: cogitet quia ista omnia vera sunt quæ leguntur, quia est fides Christi quæ falli non potest; quomodo in hæresi remanebit [1] ad tantam evidentiam sanctæ Catholicæ, quam diffudit Deus per totum orbem terrarum; quam antequam diffunderet promisit, prænuntiavit, sic exhibuit ut promisit? Ergo caveant et observent qui non timent Deum. *Extendit manum suam in retribuendo.*

21. *Polluerunt testamentum ejus.* Lege testamentum quod polluerunt: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XII, 3, *et* XXVI, 4). *Polluerunt testamentum ejus.* Tu contra ista verba testatoris quid dicis? Africa sola istam gratiam meruit sancti Donati, in ipso remansit Ecclesia Christi. Dic saltem, Ecclesia Donati. Quare adjungis, Christi, de quo dictum est, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Post Donatum vis ire? Pone Christum, et sic recede. Videte ergo quid sequitur: *Polluerunt testamentum ejus.* Quod testamentum? *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus.* Apostolus dicit: *Fratres, tamen hominis testamentum confirmatum nemo irritum facit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus: non dicit, Et seminibus, tanquam in multis; sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus* (*Gal.* III, 15, 16). In hoc ergo Christo quod promissum est testamentum? *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Tu qui dimisisti unitatem omnium gentium, et in parte remansisti, polluisti testamentum ejus. Quod tibi ergo contigit, ut exterminareris, ut ab hæreditate separareris, de ira Dei est. Attende enim quid sequatur: *Polluerunt testamentum ejus; divisi sunt præ ira vultus ejus.* Quid exspectatis, qua majore nota ostendantur hæretici? *Divisi sunt præ ira vultus ejus.*

22. *Et appropinquavit cor illius.* Cujus intelligimus,

[1] Mss., *Sed in paucis non mecum, in quibus non eis prosint,* etc.

[1] Sic Mss. At Edd., *habe timorem Dei; cogita,* etc., *quomodo in hæresi remanebis.*

nisi cujus ira divisi sunt? Quomodo *appropinquavit cor illius?* Ut intelligamus voluntatem illius. Etenim ex hæreticis asserta est [1] Catholica, et ex his qui male sentiunt probati sunt qui bene sentiunt. Multa enim latebant in Scripturis; et cum præcisi essent hæretici, quæstionibus agitaverunt Ecclesiam Dei: aperta sunt quæ latebant, et intellecta est voluntas Dei. Inde dicitur in alio psalmo, *Congregatio taurorum inter vaccas populorum, ut excludantur hi qui probati sunt argento* (*Psal.* LXVII, 31). *Excludantur* enim dixit, emineant, appareant. Unde dicuntur et in arte argentaria exclusores, id est, ex quadam confusione massæ, formæ expressores. Ergo multi qui optime possent Scripturas dignoscere et pertractare, latebant in populo Dei; nec asserebant solutionem quæstionum difficilium cum calumniator nullus instaret. Numquid enim perfecte de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Ariani? numquid perfecte de pœnitentia tractatum est, antequam obsisterent Novatiani? Sic non perfecte de Baptismate tractatum est, antequam contradicerent foris positi rebaptizatores; nec de ipsa unitate Christi enucleate dicta erant quæ dicta sunt, nisi posteaquam separatio illa urgere cœpit fratres infirmos, ut jam illi qui noverant hæc tractare atque dissolvere, ne perirent infirmi sollicitati quæstionibus impiorum, sermonibus et disputationibus suis obscura Legis in publicum deducerent. Ergo illi divisi sunt præ ira vultus ejus, et nobis ad intelligendum appropinquavit cor ejus. Itaque intelligite illud quod in psalmo alio commemoravit: *Congregatio taurorum*, id est superborum cornupetarum, *inter vaccas populorum*. Quas dixit *vaccas?* Animas seductibiles. Utquid hoc? *Ut excludantur hi*, id est appareant qui latebant, *qui probati sunt argento*. Quid est, *argento?* Eloquio Dei. *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probabile terræ, purgatum septies tantum* (*Psal.* XI, 7). Hunc sensum obscurum, videte quemadmodum in lucem excludat Apostolus: *Oportet*, inquit, *et hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos* (I *Cor.* XI, 19). Quid est, *probati? Probati argento*, probati eloquio. Quid est, *manifesti fiant? Excludantur*. Quare hoc? Propter hæreticos. Quid est, propter hæreticos? Propter congregationem *taurorum inter vaccas populorum*. Sic ergo et hi *divisi sunt præ ira vultus ejus, et appropinquavit cor illius*.

23. *Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula*. Quædam enim in Scripturis dura videbantur, cum obscura essent; exposita mollita sunt. Nam et prima hæresis in discipulis Christi velut a duritia sermonis ipsius facta est. Cum enim diceret, *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit vitam in se:* illi non intelligentes dixerunt ad invicem, *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* Dicentes quia durus est sermo hic, separaverunt se ab illo: remansit cum aliis duodecim. Cum ei suggessissent illos in sermone ejus fuisse scandalizatos, *Numquid et vos*, inquit, *vultis ire?* Et Petrus: *Verbum vitæ æternæ habes, ad quem ibimus* (*Joan.* VI, 54-69)? Intendite, obsecramus vos, et parvuli discite pietatem: Numquid jam Petrus intelligebat secretum illius sermonis Domini? Nondum intelligebat; sed bona esse verba quæ non intelligebat, pie credebat. Ergo si durus est sermo, et nondum intellectus est, durus sit impio, tibi autem pietate molliatur: quia quandoque solvetur, et fiet tibi oleum, et usque ad ossa penetrabit.

24. [*vers.* 23.] Proinde, tanquam ipse Petrus post illos duritia, sicut putabant, sermonis Domini scandalizatos etiam hic diceret, *Verbum vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* ita subjecit, *Jacta in Dominum curam tuam, et ipse te enutriet*. Parvulus es, nondum intelligis secreta verborum: forte tibi panis latet, et adhuc lacte nutriendus es (I *Cor.* III, 2); noli irasci uberibus, ipsa te idoneum reddent ad mensam, cui modo minus idoneus es. Ecce per divisionem hæreticorum multa dura mollita sunt: sermones illius duri molliti sunt super oleum, et ipsi sunt jacula. Armaverunt evangelizantes: et ipsi sermones diriguntur in pectora quorumque audientium ab instantibus opportune et importune; illis sermonibus, illis verbis tanquam sagittis, corda hominum ad amorem pacis feriuntur. Duri erant, et molles facti sunt. Molliti non virtutem amiserunt, sed in jacula conversi sunt. *Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi*, molliti sermones, *ipsi sunt jacula*. Sed tu nondum forte idoneus es qui armeris his jaculis, et nondum tibi eluxit quod in sermone forte obscurum est et durum; *Jacta in Dominum curam tuam, et ipse te enutriet*. In Dominum jacta te. Ecce vis te jactare in Dominum, nemo se supponat pro Domino. *Jacta in Dominum curam tuam*. Vide quemadmodum magnus ille miles Christi in se curam parvulorum jactari noluit: *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis* (*Id.* I, 13)? Quid eis aliud dicebat, nisi, Jactate in Dominum curam vestram, et ipse vos enutriet? Modo autem vult parvulus jactare curam suam in Dominum, et occurrit nescio quis, et dicit: Ego excipio. Tanquam navi fluctuanti occurrit, et dicit: Ego excipio. Responde et tu: Portum quæro, non saxum. *Jacta in Dominum curam tuam, et ipse te enutriet*. Et vide quia portus te excipit: *Non dabit in æternum fluctuationem justo*. Videris fluctuare in mari isto, sed excipit te portus. Tu tantum antequam intres in portum, ab anchora noli abrumpi. Fluctuat navis in anchoris, sed non longe a terra projicitur; nec in æternum fluctuabit, etsi ad tempus fluctuat. Etenim ad fluctuationem pertinent verba superiora: *Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum. Exspectabam eum qui me salvum faceret a pusillanimitate et tempestate*. Fluctuans loquitur, sed non in æternum fluctuabit; nam anchora ligatur, anchora spes ejus est. *Non dabit in æternum fluctuationem justo*.

25. [*vers.* 24.] Illis autem quid? *Tu vero, Deus deduces eos in puteum corruptionis*. Puteus corruptionis, tenebræ sunt submersionis. *Deduces eos*, inquit, *in puteum corruptionis:* quia cæcus cæcum ducens,

[1] Sic Mss. At Edd., *Etenim hæreticis exerta est*.

ambo in foveam cadunt (*Matth.* xv, 14). Deducit illos Deus in puteum corruptionis, non quod ipse sit auctor culpæ ipsorum, sed quod ipse sit judex iniquitatum eorum. Tradidit enim eos Deus in concupiscentias cordis eorum (*Rom.* I, 24) : amaverunt enim tenebras, et non lucem ; dilexerunt cæcitatem , et non visionem. Nam ecce Dominus Jesus eluxit universo mundo ; cantent in unitate cum toto mundo : *Non enim est qui se abscondat a calore illius* (*Psal.* XVIII, 7). Illi autem traducentes se a toto ad partem, a corpore ad vulnus, a vita ad præcisionem, quid passuri sunt, nisi in puteum corruptionis ituri ?

26. *Viri sanguinum et dolositatis.* Viros sanguinum propter interfectiones dicit ; atque utinam corporales, et non spirituales ! Sanguis enim de carne exiens, videtur et horretur : quis videt sanguinem cordis in rebaptizato ? Illæ mortes alios oculos quærunt. Quanquam et de istis mortibus visibilibus non quiescant armati ubique Circumcelliones. Et si istas visibiles mortes attendamus, *viri sanguinum* sunt. Attende armatum, si vir pacis est, et non sanguinis. Si fustem saltem [1] solum ferret ; sed fert fundibulum, fert securim, fert lapides, fert lanceas : et ista portantes ubique qua possunt evagantur, sanguinem innocentium sitiunt. Ergo et de istis visibilibus mortibus sunt *viri sanguinum*. Sed et de illis dicamus : Utinam solas (*a*) facerent, et animas non perimerent. Isti qui sunt *viri sanguinum et dolositatis*, ne putent quia nos male sic intelligimus viros sanguinum, qui animas occidunt ; ipsi Maximianistas suos sic intellexerunt. Nam cum eos damnarent, in ipsa sententia concilii sui (*b*) ista verba posuerunt : *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem* annuntiatorum [2]. *Contribulatio et calamitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt* (*Psal.* XIII, 3). Hoc de Maximianistis dixerunt. Quæro autem ego ab eis quando Maximianistæ fuderint corporis sanguinem, non quia et ipsi non funderent [3], si esset talis multitudo quæ funderet, sed propter timiditatem paucitatis suæ magis ab eis aliquid passi sunt, quam ipsi tale aliquid aliquando fecerunt. Ergo interrogo donatistam, et dico : In concilio tuo posuisti de Maximianistis, *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*. Unum mihi date quem digito læserint Maximianistæ? Quid mihi aliud responsurus est, nisi quod ego dico ? Qui se separaverunt ab unitate, et animas seducendo interimunt, spiritualiter, non carnaliter sanguinem fundunt. Optime exposuisti, sed in expositione tua agnosce facta tua. *Viri sanguinum et dolositatis.* In fraude dolositas, in simulatione, in seductione. Quid ergo illi ipsi qui *divisi sunt præ ira vultus ejus ?* Ipsi sunt *viri sanguinum et dolositatis.*

[1] Sic Mss. At Edd., *Si vir pacis esset, et non sanguinis, fustem saltem*, etc. Paulo post loco, *fundibulum*, in omnibus nostris Mss. est, *fundibalum*.

[2] Vox, *annuntiatorum*, hic in aliquot Mss. omittitur, nec habetur in Bagaitani concilii sententia relata in lib. 4 contra Crescon., c. 4.

[3] Edd., *non fuderint*. Melius Mss., *non funderent*.

(*a*) Subaud., *visibiles mortes*.

(*b*) Bagaitani.

27. Sed quid de illis ait ? *Non dimidiabunt dies suos.* Quid est, *Non dimidiabunt dies suos?* Non proficient quantum putant : intra tempus quod sperant, peribunt. Ipse est enim perdix ille, de quo dictum est : *In dimidio dierum ejus derelinquent eum, et in novissimis suis erit insipiens* (*Jerem.* XVII, 11). Proficiunt, sed ad tempus. Quid enim ait Apostolus? *Maligni autem homines et seductores proficient in pejus, ipsi errantes, et alios in errorem mittentes.* Cæcus autem cæcum ducens, simul in foveam cadunt (*Matth.* xv, 14). Merito cadunt *in puteum corruptionis.* Quid ergo ait? *Proficient in pejus ;* non tamen diu. Nam paulo ante dixit, *Sed ultra non proficient :* hoc est, *non dimidiabunt dies suos.* Sequatur Apostolus, et dicat quare : *Dementia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit* (II *Tim.* III, 9, 13). *Viri sanguinum et dolositatis non dimidiabunt dies suos. Ego autem in te sperabo, Domine.* Merito autem illi non dimidiabunt dies suos, quia in homine speraverunt. Ego autem a diebus temporalibus perveni ad diem æternam. Quare ? Quia in te speravi, Domine.

IN PSALMUM LV

ENARRATIO [1].

SERMO (*a*).

1. [*vers.* 1.] Sicut aliquam domum intraturi, cujus sit et ad quem pertineat in titulo inspicimus, ne forte importune irruamus quo non oportet, neque rursus timiditate revocemur ab eo quo oportet intrare : tanquam ergo si legeremus, Hæc prædia illius aut illius ; ita in superliminari psalmi hujus habemus inscriptum, *In finem, pro populo qui a sanctis longe factus est, ipsi David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.* Agnoscamus ergo populum *qui longe factus est a sanctis in tituli inscriptionem.* Pertinet hoc enim ad ipsum David, quem jam nostis intelligere spiritualiter : neque enim commendatur nobis nisi ille de quo dictum est, *Finis Legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x, 4). Ergo, *In finem*, cum audis, in Christum intende, ne in via remanendo non pervenias ad finem. Quidquid enim est, ubi infra steteris, antequam ad Christum pervenias, nihil tibi aliud divinus sermo dicit, nisi, Accede, nondum est locus ubi securitas sit. Est quidam locus ubi statio fidissima collocatur ; est quædam petra ubi domus secura consurgit, ut non metuat imbrem tempestatis. Flumina enim impegerunt in domum illam, et non cecidit ; fundata enim erat supra petram (*Matth.* VII, 25) : *Petra autem erat Christus* (I *Cor.* x, 4). Sub nomine David Christus figuratur [2] ; quia de illo dictum est : *qui factus est ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3).

2. Quis est ergo populus *qui longe a sanctis factus*

[1] Huic Enarrationi titulus in Regio Ms. præfixus iste est : *Incipit Carthagine sermo habitus in basilica Restituta, feria quinta, de Psalmo LV.*

[2] Mss., *sub nomine David figuraliter :* omisso, *Christus*.

(*a*) Ad plebem Carthaginensem.

est in tituli inscriptionem? Ipse titulus ostendat nobis populum istum. Scriptus est enim quidam titulus in dominica passione, quando Dominus crucifixus est : erat ibi titulus inscriptus, hebraice, græce, et latine, *Rex Judæorum*; tribus linguis tanquam tribus testibus titulus approbatus, quia in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum (*Deut.* XIX, 15). Istum titulum cum legissent Judæi, indignati sunt, et dixerunt ad Pilatum : *Noli scribere, Rex Judæorum; sed quia ipse dixit se regem esse Judæorum.* Ipsum dixisse scribe, dixerunt; non hoc esse quod dixit. Sed quia verum est in alio psalmo, *In tituli inscriptionem ne corrumpas* (*Psal.* LVI, 1), respondit Pilatus, *Quod scripsi, scripsi :* tanquam dicens, Non corrumpo veritatem, etsi vos diligitis falsitatem. Quia ergo in maledicto isto indignati sunt Judæi, dicentes, *Nos non habemus regem nisi solum Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15-22), de tituli offensione longe facti sunt a sanctis. Propinquent sanctis, et agglutinentur sancto qui regem Christum agnoscunt et habere concupiscunt : longe fiant a sanctis qui contradicentes titulo respuerunt regem Deum, et elegerunt regem hominem. Omnis ergo populus humano regno delectatus, respuens in se regnare Dominum, quo regnante ita quisque subjectus est, ut regnet et ipse cupiditatibus suis, omnis ergo populus talis longe est a sanctis. Nolite itaque, fratres, in solis Judæis hoc advertere. Data sunt quidem in illis quasi primitiva exempla, ut in illo populo eluceret quod omnis homo caveret. Aperte illi regem Christum recusaverunt, et regem Cæsarem elegerunt. Est quidem et Cæsar rex homo hominibus ad humana, sed alius rex est ad divina; alius rex ad vitam temporalem, alius ad æternam; alius rex terrenus, alius rex cœlestis : rex terrenus sub rege cœlesti, rex cœlestis super omnia. Non ergo illi quia dixerunt se habere Cæsarem regem, peccaverunt; sed quia regem Christum habere noluerunt. Et modo multi Christum regem in cœlo sedentem et ubique regnantem habere nolunt : et ipsi sunt qui tribulant nos. Contra tales iste psalmus confirmat nos. Necesse est enim ut tales patiamur usque in finem : quos non pateremur, nisi nobis expediret. Omnis enim tentatio probatio est, et omnis probationis effectus habet fructum suum. Quia homo plerumque etiam sibi ipsi ignotus est : quid ferat, quidve non ferat, ignorat; et aliquando præsumit se ferre quod non potest, et aliquando desperat se posse ferre quod potest : accedit tentatio quasi interrogatio, et invenitur homo a seipso; quia latebat et seipsum, sed artificem non latebat. Proinde Petrus præsumpsit nescio quid quod in illo nondum erat, usque ad mortem se cum Domino Jesu Christo esse perseveraturum : vires suas Petrus ignorabat, sed Dominus noverat. Respondit [1] minus idoneum qui fabricaverat, qui etiam fabricato a se vires idoneas daturus erat, quid nondum dederat, sciebat; ille qui nondum acceperat, nesciebat : accessit tentatio; negavit, flevit, accepit (*Luc.* XXII, 33-62). Cum ergo nesciamus quid petamus tanquam non habentes, et unde gratias agamus tanquam accipientes, opus est semper tentationibus et tribulationibus erudiri in isto sæculo; sed tribulari non possumus, nisi ab eis qui longe fiunt a sanctis. Longinquitatem istam, fratres, intelligite cordis esse, non corporis. Fit enim plerumque ut qui corpore longe peregrinatur a te, conjunctus sit tibi, quia hoc amat quod tu : et fit plerumque ut stans juxta te, conjunctus sit tibi, quia hoc amat quod tu : et fit plerumque ut stans juxta te, ex eo quia diligit mundum, cum tu diligas Deum, longe sit a te.

3. Quid ergo sibi vult, quod ad ipsum titulum adhuc pertinet, quia *tenuerunt eum Allophyli in Geth?* Geth civitas quædam erat Allophylorum, id est alienigenarum, utique populi longe a sanctis. Ex eo enim quod alienigenæ, non utique appropinquant sanctis, sed longe sunt a sanctis. Omnes qui recusant Christum regem alienigenæ fiunt. Quare alienigenæ fiunt? Quia et illa vitis quamvis ab illo plantata, amara facta quid audivit? *Quare conversa es in amaritudinem, vitis aliena* (*Jerem.* II, 21)? Non dictum est, Vitis mea : quia si mea, dulcis; si amara, non mea; si non mea, utique aliena. *Tenuerunt* ergo *eum Allophyli in Geth.* Invenimus quidem, fratres, David ipsum [1] filium Jesse, regem Israel, peregrinatum esse apud Allophylos, cum quæreretur a Saüle (I *Reg.* XXI, 10); et fuit in ista civitate et apud regem civitatis hujus : sed ibi retentum esse non legimus. Ergo David nostrum Dominum Jesum Christum natum ex semine illius David, non solum tenuerunt, sed et tenent adhuc Allophyli in Geth. Geth diximus quod civitas sit. Interrogata autem interpretatio hujus nominis, indicat Torcular. Christus secundum quod caput Salvator corporis, ille natus ex virgine crucifixus, qui jam nobis exemplum resurrectionis nostræ in resurrectione suæ carnis ostendit, qui sedet ad dexteram Patris, et pro nobis interpellat, est et hic, sed in corpore suo quod est Ecclesia. Corpus conjunctum est capiti suo, caput pro corpore clamat : *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Et corpus in capite suo est secundum Apostolum dicentem : *Et simul resuscitavit, et simul sedere fecit in cœlestibus* (*Ephes.* II, 6). Et nos ibi sedemus, et ipse hic laborat : nos ibi sedemus secundum spem, et ille hic nobiscum est secundum charitatem. Hæc compago tanquam unius hominis facit duos in carne una, sponsum et sponsam. Unde et ipse Dominus dicit : *Igitur jam non duo, sed una caro* (*Matth.* XIX, 6). Quomodo ergo hic tenetur in Geth? Tenetur in torculari corpus ejus, id est Ecclesia ejus (*Ephes.* I, 22, 23). Quid est, in torculari? In pressuris. Sed in torculari fructuosa pressura est. Uva in vite pressuram non sentit, integra videtur, sed nihil inde manat : mittitur in torcular, calcatur, premitur; injuria videtur fieri uvæ, sed ista injuria sterilis non est; imo si nulla injuria accederet, sterilis remaneret.

[1] Sic nostri omnes Mss. At Edd., *Prævidebat minus idoneum*, etc. Et paulo post : *qui nondum dederat sciebat.*

[1] Mss., *Est quidem, fratres, quia invenimus David ipsum*, etc.

4. [*vers.* 2.] Quicumque ergo sancti pressuram patiuntur[1] ab eis qui longe facti sunt a sanctis, attendant psalmum istum, agnoscant hic se, dicant quod hic dicitur, qui patiuntur quod hic dicitur. Certe qui non patitur, non dicat: Non astringo ad vocem, quem video extra passionem. Sed videat ne, cum vult esse longe a passione, longe fiat a sanctis. Cogitet ergo unusquisque de inimico suo; si christianus est, mundus ipsi inimicus est. Privatas ergo inimicitias nemo cogitet, auditurus verba psalmi hujus: sciamus quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, et spiritualia nequitiæ (*Ephes.* VI, 12), id est adversus diabolum et angelos ejus; quia et quando patimur homines importunos, ille instigat, ille inflammat, illo tanquam vasa sua movet. Attendamus ergo duos hostes; quem videmus, et quem non videmus: hominem videmus, diabolum non videmus; hominem diligamus, diabolum caveamus; pro homine oremus, contra diabolum oremus, et dicamus Deo: *Miserere mei, Domine, quoniam conculcavit me homo.* Noli timere, quia conculcavit te homo; vinum habeto, uva factus es ut calceris. *Miserere mei, Domine, quoniam conculcavit me homo: tota die bellans tribulavit me* omnis qui longe factus est a sanctis. Sed et ipse diabolus quare hic non intelligatur? An forte quia non[2] dictus est homo? Ergo errat Evangelium, quia dixit: *Inimicus homo hoc fecit* (*Matth.* XIII, 28)? Sed sub quadam figura potest et ille dici homo, non tamen esse homo. Sive ergo ipsum intueretur qui dicebat hæc, sive populum et unumquemque longe factum a sanctis, per quales diabolus tribulat populum Dei inhærentem sanctis, inhærentem sancto, inhærentem regi, ad cujus regis titulum indignati illi tanquam repercussi, longe sunt facti; dicat, *Miserere mei, Domine, quoniam conculcavit me homo:* nec deficiat in ista conculcatione, sciens quem invocet, et quo exemplo fortis effectus sit. Primus botrus in torculari pressus est Christus. Cum ille botrus passione expressus est, manavit illud unde *calix inebrians quam præclarus est* (*Psal.* XXII, 5)! Dicat ergo et corpus ejus, intuens caput suum: *Miserere mei, Domine, quoniam conculcavit me homo: tota die bellans tribulavit me. Tota die*, toto tempore. Nemo sibi dicat: Fuerunt tribulationes apud patres nostros, apud nos non sunt. Si putas te non habere tribulationes, nondum cœpisti esse christianus. Et ubi est vox Apostoli: *Sed et omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutiones patientur* (II *Tim.* III, 12)? Si ergo non pateris ullam pro Christo persecutionem, vide ne nondum cœperis in Christo pie vivere. Cum autem cœperis in Christo pie vivere, ingressus es torcular; præpara te ad pressuras; sed noli esse aridus, ne de pressura nihil exeat.

5. [*vers.* 3, 4.] *Conculcaverunt me inimici mei tota die.* Illi longe facti a sanctis, ipsi inimici mei. *Tota die:* jam dictum est. *Ab altitudine diei.* Quid sibi hoc vult, *Ab altitudine diei?* Forte altum est ad intellectum. Nec mirum, quia altitudo diei est. Forte enim illi propterea longe facti sunt a sanctis, quia non potuerunt penetrare altitudinem diei, cujus Apostoli duodecim horæ fulgentes. Ergo qui tanquam hominem crucifixerunt, in die erraverunt. Quare autem tenebras passi sunt, ut longe fierent a sanctis? Quia in alto lucebat[1] dies, in alto latentem non cognoverunt: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I *Cor.* II, 8). Hac ergo altitudine diei repercussi, et longe facti a sanctis, facti sunt inimici qui tribulent et conculcent tanquam uvam in torculari. Est et alius intellectus: *Ab altitudine diei conculcaverunt me inimici mei tota die*, hoc est, toto tempore: *Ab altitudine diei*, hoc est, a superbia temporali. Quando enim conculcant, alti sunt: humiles sunt qui conculcantur, alti sunt qui conculcant. Sed noli timere altitudinem conculcantium; diei altitudo est, temporalis est, non æterna.

6. *Quoniam multi qui debellant me, timebunt.* Quando timebunt? Cum transierit dies qua[2] alti sunt. Etenim ad tempus alti sunt, finito tempore altitudinis suæ timebunt. *Ego vero in te sperabo, Domine.* Non ait, Ego vero non timebo; sed, *Multi qui debellant me, timebunt.* Cum venerit ille dies judicii, tunc lamentabuntur se omnes tribus terræ (*Matth.* XXV, 31). Cum apparuerit signum Filii hominis in cœlo, tunc securi erunt omnes sancti. Illud enim veniet quod sperabant, quod desiderabant, quod ut veniret orabant: illis autem pœnitendi locus nullus remanebit, quia eo tempore quo fructuosa posset esse pœnitentia, cor obduraverunt adversus monentem Dominum. Numquid et murum erigent adversus judicantem Deum? Pietatem sane hujus agnosce, et, si in eo corpore es[3], imitare. Cum dixisset, *Multi qui debellant me, timebunt;* non addidit, Ego vero non timebo; ne suis viribus assignando quod non timet, esset et ipse in altis temporalibus, et per superbiam temporalem non mereretur venire ad requiem sempiternam: potius te fecit intelligere unde non timebit; *Ego vero*, inquit, *in te sperabo, Domine:* non dixit præsumptionem suam, sed causam præsumptionis suæ. Si enim non timebo, possum et duritia cordis non timere; multi enim nimia superbia nihil timent. Attendat Charitas Vestra: aliud est sanitas corporis, aliud stupor corporis, aliud immortalitas corporis. Sanitas quidem perfecta, immortalitas est; sed dicitur etiam secundum quemdam modum sanitas, quam habemus in hac vita. Quando non infirmatur, unusquisque sanus vocatur; et cum inspexerit medicus, sanum renuntiat; et cum ægrotare quisque cœperit, ipsa sanitas perturbatur; et quando curatur, ad ipsam sanitatem reditur. Tres ergo affectiones quasdam corporis advertite et inspicite: sanitatem, stuporem, immortalitatem. Sanitas ægritudinem non habet; sed tamen quando tangitur et molestatur, dolet. Stupor autem non dolet; amisit

[1] Mss. omnes, *Quidquid ergo pressurarum sancti patiuntur.*
[2] Particula, *non*, abest a Mss.

[1] Regius Ms., *latebat.* Alius e contra, loco, *latentem*, habet, *lucentem.*
[2] Sic aliquot Mss. At Edd., *transierint dies qui alti sunt.*
[3] Sic Mss. At Edd., *in ejus corpore es.*

sensum doloris, tanto insensibilior, quanto pejor. Rursus immortalitas non dolet; absumpta est enim omnis corruptio, et corruptibile hoc induit incorruptionem, et mortale hoc induit immortalitatem (I *Cor.* xv, 53, 54). Nullus ergo dolor in corpore immortali, nullus dolor in corpore stupido. Non se putet stupidus jam immortalem : vicinior est immortalitati sanitas dolentis, quam stupor non sentientis. Invenis ergo hominem superbum typho arrogantissimo, qui sibi persuaserit nihil timere : fortiorem putas illo, qui ait, *Foris pugnæ, intus timores* (II *Cor.* vii, 5)? fortiorem ipso capite nostro Domino Deo nostro, qui dixit, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* xxvi, 38)? Non est iste fortior : non te delectet stupor ejus; non immortalitate indutus, sed sensu exutus est. Tu vero habeto animam non sine affectu, reprehensi enim sunt qui sunt sine affectu, et dic de sensu sanitatis : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* xi, 29)? Si ad istum non pertineret scandalum, cujusque infirmi [1] perditio, quasi rigidus et sine dolore videretur melior esse? Absit! stupor esset, non tranquillitas. Plane, fratres, cum venerimus ad eum locum, ad eam sedem, ad eam beatitudinem, ad cœlestem patriam, ubi anima nostra impleatur securitate, impleatur quiete et sempiterna felicitate, nullus ibi dolor erit; quia unde doleatur non erit. *Multi*, inquit, *qui debellant me, timebunt.* Et Ipsi stupidi qui modo nihil timent, timebunt aliquando : Veniet enim tantus terror qui totam duritiam frangat et conterat. *Multi qui debellant me, timebunt. Ego vero in te sperabo, Domine.*

7. [*vers.* 5.] *In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi* [2] : *non timebo quid faciat mihi caro.* Quare? Quia in Deo sperabo. Quare? Quia in Deo laudabo sermones meos. Si in te laudas sermones tuos, non dico ut non timeas; impossibile est ut non timeas. Sermones enim tuos aut mendaces habebis, ideoque tuos quia mendaces : aut si erunt veraces sermones, et non eos putabis te habere a Deo, sed a te loqui; veraces erunt, sed tu mendax eris : si autem cognoveris nihil te verum in sapientia Dei, in fide veritatis, posse dicere, nisi quod ab illo accepisti, de quo dicitur, *Quid enim habes quod non accepisti* (I *Cor.* iv, 7)? in Deo laudas sermones tuos, ut in Deo lauderis sermonibus Dei. Etenim si quod in te Dei est, honoratur a te; et tu factus a Deo, honoraberis in Deo : si autem quod in te Dei est, honoraveris tanquam tuum, non Dei; quomodo populus ille longe factus est a sanctis, sic tu longe a sancto. Ergo, *In Deo laudabo sermones meos* : si *in Deo*, quare *meos?* Et *in Deo*, et *meos*. *In Deo*, quia ab ipso : *meos*, quia accepi. Ipse voluit meos esse qui dedit, amando eum cujus sunt : quia ex illo mihi sunt, mei facti sunt. Unde enim, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Matth.* vi, 11)? Quomodo, *nostrum?* Quomodo, *da?* Ab illo petendo non eris vacuus, tuum confitendo non eris ingratus. Si enim non dicas tuum, non accepisti : rursus si dicas tuum ita, quasi a te sit quod dicis tuum, amittis quod acceperas, quia ingratus es illi a quo acceperas *In Deo* ergo *laudabo sermones*, quia ille ipse est fons sermonum verorum : *meos*, quia sitiens accessi et bibi. *In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi : non timebo quid faciat mihi caro.* Nonne tu eras qui paulo ante dicebas : *Miserere mei, Domine, quoniam conculcavit me homo : tota die bellans tribulavit me?* Quomodo ergo hic, *non timebo quid faciat mihi caro?* Quid tibi faciet? Tu ipse paulo ante dixisti, *Conculcavit me, tribulavit me :* Nihil faciet cum ista faciet? Respexit ad vinum quod manat de calcatura, et respondit : Plane conculcavit, plane tribulavit; sed quid mihi faciet? Uva eram, vinum ero : *In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi caro.*

8. [*vers.* 6.] *Tota die verba mea abominabantur.* Sic sunt, nostis. Dicite veritatem, prædicate veritatem, annuntiate Christum Paganis, annuntiate Ecclesiam hæreticis, annuntiate omnibus salutem : contradicunt, abominantur verba mea. Sed cum verba mea abominantur, quem putamus abominantur, nisi eum in quo *laudabo sermones meos? Tota die verba mea abominabantur.* Sufficiat saltem, abominentur verba, nihil ultra progrediantur, reprehendant, respuant. Absit! Utquid dicam hoc? Quando verba respuunt, quando verba abominantur, quæ verba de fonte veritatis emanant, quid faciant illi per quem verba ipsa dicuntur? Quid, nisi quod sequitur, *Adversum me omnia consilia eorum in malum?* Si panem ipsum abominantur, vasculo in quo ministratur quomodo parcunt? *Adversum me omnia consilia eorum in malum.* Si sic et in ipsum Dominum, non dedignetur ergo corpus quod præcessit in capite, ut corpus hæreat capiti. Contemptus est Dominus tuus, et tu te honorari vis ab eis qui longe facti sunt a sanctis? Noli tibi arrogare velle quod in illo non præcessit. Non est discipulus major magistro suo, non est servus major domino suo (*Matth.* x, 24, 25). Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? *Adversum me omnia consilia eorum in malum.*

9. [*vers.* 7.] *Incolent, et abscondent.* Incolere peregrinari est. Incolæ dicuntur qui habitant in patria non sua. Omnis homo in hac vita peregrinus est : in qua vita videtis quia carne circumtegimur, per quam carnem cor videri non potest. Ideo Apostolus dicit : *Nolite ante tempus quidquam judicare, quoadusque veniat Dominus, et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis, et tunc laus erit unicuique a Deo* (I *Cor.* iv, 5). Antequam hoc fiat, in hac peregrinatione carnalis vitæ quisque cor suum portat, et omne cor omni cordi clausum est. Proinde isti quorum consilia adversus hunc in malum, *incolent, et abscondent;* quia in ista peregrinatione sunt et carnem portant, dolum tegunt in corde, quidquid mali cogitant abscondunt. Quare? Quia adhuc peregrina est vita ista. Abscondant; apparebit quod abscondunt, et ipsi non abscondentur. Est et in hoc abscondite alius intellectus, qui fortasse magis placebit. Etenim ex is

[1] Edd., *infirmitatis.* Melius aliquot Mss., *infirmi.* Quidam, *infirmantis perditio.* Alii tres, *infirmati periclitatio.*
[2] Plures Mss., *sperabo.*

qui longe facti sunt a sanctis, subintrant quidam ficti, et pejores tribulationes faciunt corpori Christi, quia non tanquam penitus alieni devitantur. Ab ipsis pericula graviora commemorans Apostolus, cum enumeraret multas passiones suas, et diceret, *Periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in deserto, periculis in mari: Periculis*, inquit, *in falsis fratribus* (II *Cor.* XI, 26). Hi nimis periculosi sunt, de quibus dicitur in alio psalmo: *Et ingrediebantur ut viderent* (*Psal.* XL, 7). Ingrediebantur ut viderent, et nemo dicit: Non intres [1] ut videas. Intrat etenim tanquam tuus, non cavetur ut alienus. Isti ergo *incolent, et abscondent.* Quia sic intrant in domum magnam, non ibi perseveraturi; ideo *incolent.* Tales enim peccatores servos volens intelligi Dominus, secundum illum intellectum evangelicum, quo *omnis qui facit peccatum servus est peccati*, ait: *Servus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum* (*Joan.* VIII, 34, 35). Qui intrat ut filius, non incolet, quia perseverabit usque in finem (*Matth.* X, 22, *et* XXIV, 13): qui intrat ut servus, subdolus, peccator, ad oculum attendens; quærens quid rapiat, quærens quid accuset aut quid vituperet, incolere intrat, non inhabitare et perseverare. Nec istos tamen timeamus, fratres: *In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi caro.* Etsi incolunt, etsi intrant, etsi fingunt, etsi abscondunt, caro sunt: tu in Domino spera, nihil tibi faciet caro. Sed infert tribulationem, infert conculcationem. Accedit vinum, quia uva premitur. Tribulatio tua infructuosa non erit: alter videt te, imitatur te; quia et tu ut disceres talem ferre, caput tuum contemplatus es, botrum illum primum, ad quem intravit homo ut videret, incoluit, et abscondit traditor Judas. Omnes ergo ficto animo intrantes, incolentes et abscondentes noli timere. Pater ipsorum Judas cum Domino tuo fuit, et ille quidem noverat eum: quanquam Judas traditor incolebat et abscondebat, tamen cor ipsius Domino rerum patebat; sciens ille elegit unum, unde tibi solatium faceret nescituro quos devites. Poterat enim ille non eligere Judam, quia noverat Judam; ait quippe discipulis: *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est* (*Joan.* VI, 71)? Ergo et diabolus electus est? Aut si electus non est, quomodo duodecim elegit, et non potius undecim? Electus et ille est, sed ad aliud. Electi undecim ad opus probationis, electus unus ad opus tentationis. Unde possit tibi exemplum dare nescituro quos devites malos, quos caveas falsos et fictos, incolentes et abscondentes, nisi ut dicat tibi: Ecce ego mecum habui unum ipsorum? præcessit exemplum, toleravi, perferre volui quod sciebam, ut tibi nescienti præberem solatium. Quod mihi fecit, hoc faciet et tibi: ut multum possit, ut multum sæviat, accusaturus est, falsa crimina dicturus est. Ut prævaleant falsitates [2], numquid in te prævalebunt, et in me non prævaluerunt? In me certe prævaluerunt, sed cœlum mihi non abstulerunt. Caro ipsius jam sepulta, falsos testes pertulit: parum fuit eos perpeti in judicio, perpessus est in sepulcro. Acceperunt pecuniam ut mentirentur, dixerunt: *Cum dormiremus, venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum* (*Matth.* XXVIII, 13). Tales autem cæci erant Judæi, ut crederent dicto omnino incredibili: crediderunt testibus dormientibus! Aut falsum erat quod dormierunt, et mendacibus credere non debuerunt: aut verum erat quod dormierunt, et quod factum est nescierunt. *Incolent, et abscondent.* Incolant, et abscondant: quid facturi? *In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi caro.*

10. *Ipsi calcaneum meum observabunt.* Etenim sic incolent et abscondent, ut observent ubi homo labitur. Intenti sunt ad calcaneum, quando fiat lapsus, ut pedem teneant ad ruinam, aut pedem supponant ad offensionem, certe ut inveniant quod accusent. Et quis ita ambulet ut nusquam labatur? Certe quod cito fit vel in lingua. Etenim scriptum est: *Si quis in lingua non offendit, hic perfectus est vir* (*Jacobi* III, 2). Quis tandem se audeat dicere aut putare perfectum? Ergo necesse est ut aliquis labatur in lingua. Illi autem qui incolent et abscondent, aucupantur verba omnia, quærentes alicubi laqueos et nodosas facere calumnias, quibus prius ipsi implicantur quam quos implicare contendunt; ut prius ipsi capiantur et pereant, quam alios capiant ut perdant. Etenim recurrit homo in cor suum, et inde recurrit ad Deum, et novit dicere: *In Deo laudabo sermones meos.* Quidquid bonum dixi, quidquid verum dixi, Dei dixi [1], et de Deo dixi: quidquid forte aliud dixi quod dicere non debui, homo dixi, sed sub Deo dixi. Qui confirmat ambulantem, minatur erranti, ignoscit agnoscenti, revocat linguam, revocat lapsum. Justus enim septies cadet et resurget, impii vero infirmabuntur in malis (*Prov.* XXIV, 16). Non ergo timeat unusquisque nostrum callidos insectatores, aucupes verborum, dinumeratores pene syllabarum, et prævaricatores præceptorum. Quid in te arguat, attendit; ut credat per te Christo, non attendit. Attende in sermones ejus quem reprehendis, ne forte te aliquid salubriter doceat. Et quid me, inquit, salubriter poterit docere, qui sic lapsus est in verbo? Hoc ipsum te forte salubriter docet, ne sis auceps verborum, sed collector præceptorum. *Ipsi calcaneum meum observabunt.*

11. *Sicut sustinuit anima mea.* Hoc dico quod sustinui. Loquebatur expertus: *Sicut sustinuit anima mea. Incolent et abscondent.* Omnes sustineat anima mea; foris latrantes [2], intus occultantes sustineat. Forinsecus veniens [3], quasi fluvius venit tentatio: in petra te inveniat, impingat, non dejiciat; fundata est domus supra petram (*Matth*, VII, 25). Intus est, incolet et abscondet: ut palea tibi vicinetur, intret tritura boum, intret tribula tentationum; tu purgaris, illa comminuitur.

12. [*vers.* 8.] *Sicut sustinuit mea, pro nihilo salvos*

[1] Aliquot Mss., *intras*.
[2] Plerique Mss., *falsi testes*.

[1] Edd., *Deo dixi*. At Mss., *Dei dixi*: qua loquendi ratione supra in Enarr. Psal. 49, n. 23, habent nonnulli Mss., *Si bona auditis, Dei auditis.*
[2] Am, et aliquot Mss., *latrones*.
[3] Sic Mss. At Edd., *sustineat forinsecus venientes*.

facies eos. Docuit et pro ipsis orare. Nempe *incolent et abscondent,* nempe dolosi, nempe simulatores atque insidiatores sunt : tu ora pro eis, et noli dicere, Numquid et talem hominem Deus correcturus est, tam malum, tam perversum? Noli desperare : quem roges attende, non pro quo roges. Magnitudinem morbi vides, potentiam medici non vides? *Incolent et abscondent : sicut sustinuit anima mea.* Sustine, ora : et quid fit? *Pro nihilo salvos facies eos.* Sic illos salvos facies, ut nihil tibi sit, id est, ut nullus labor tibi sit. Hominibus desperati sunt, sed tu verbo curas : non laborabis in curando, quamvis nos stupeamus inspiciendo. Est alius sensus in hoc versu, *Pro nihilo salvos facies eos :* nullis eorum meritis præcedentibus salvos facies eos. *Qui prius fui blasphemus,* inquit, *et persecutor et injuriosus* (I *Tim.* I, 13). Accipiebat litteras a sacerdotibus, ut ubicumque inveniret Christianos, alligaret et adduceret (*Act.* IX, 2). Utique ut alligaret et adduceret, primo incolebat, et abscondebat. Nulla ergo hujus bona merita præcesserant, imo talia præcesserant de quibus damnaretur; nihil boni attulit, et salvus factus est. *Pro nihilo salvos facies eos.* Non ad te afferent hircos, arietes, tauros, non dona et aromata [1] afferent in templo tuo, non aliquid de conscientia bona libaminis superfundunt; totum in illis asperum, totum tetrum, totum detestandum : et cum illi ad te nihil afferant unde salventur, *Pro nihilo salvos facies eos*, id est gratis data gratia tua. Quid ille latro attulerat ad crucem? De fauce [2] in judicium, de judicio in lignum, de ligno in paradisum (*Luc.* XXIII, 43). Credidit, propter quod locutus est (*Psal.* CXV, 10). Sed et ipsam fidem quis donavit, nisi qui juxta pependit? *Pro nihilo salvos facies eos.*

13. *In ira populos deduces.* Irasceris et deducis, sævis et salvas, terres et vocas. Quid est enim, *In ira populos deduces?* Imples tribulationibus omnia, ut in tribulationibus positi homines recurrant ad te, ne deliciis et securitate perversa seducantur. A te ira videtur, sed paterna. Irascitur pater filio contemptori præceptorum suorum : iratus ei eum colaphizat, cædit, aurem vellit, manu trahit, ad scholam ducit. *In ira populos deduces.* Quam multi ingressi sunt, quam multi impleverunt domum Domini, in ira ejus deducti, id est tribulationibus territi, et fide impleti! Ad hoc enim exagitat tribulatio, ut exinaniat vas quod plenum est nequitia, ut impleatur gratia. *In ira populos deduces.*

14. [*vers.* 9.] *Deus, vitam meam enuntiavi tibi.* Ut vivam enim tu fecisti, et ad hoc enuntio vitam meam tibi. Itane vero Deus ignorabat quod dederat? Quid est, quod illi enuntias? Docere vis Deum? Absit. Ergo quid ait, *Enuntiavi tibi?* An forte, Quia tibi prodest quod enuntiavi vitam meam? Et quid prodest Deo? Lucris Dei prodest. Enuntiavi Deo vitam meam, quia vivere me fecit Deus. Quomodo enuntiavit vitam suam Paulus apostolus, dicens, *Qui prius fui blasphemus et persecutor et injuriosus!* Enuntiet vitam suam : *Sed misericordiam consecutus sum* (I *Tim.* I, 13). Enuntiavit vitam suam, non sibi, sed illi : quia sic enuntiavit ut illi crederetur; non ad lucra sua, sed ad lucra illius. Quid enim ait ipse Paulus? *Ideo Christus mortuus est et resurrexit, ut qui vivit jam non sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est* (II *Cor.* V, 15). Si ergo vivis, et non a te vivis, quia ut viveres ille præstitit, enuntia vitam tuam, non tibi, sed illi; non tua quærens, non tibi vivens, sed ei qui pro omnibus mortuus est. Etenim de quibusdam reprobis quid ait idem Apostolus? *Omnes enim sua quærunt, non quæ Jesu Christi* (*Philipp.* II, 21). Si propterea enuntias vitam tuam ut tibi prosit, et aliis non prosit, tibi illam enuntias, non Deo : si autem sic enuntias vitam tuam, ut alios etiam invites ad accipiendam vitam quam et tu accepisti, enuntias vitam tuam illi a quo accepisti, et habebis mercedem ampliorem, quia et ex eo quod accepisti non ingratus exstitisti. *Deus, vitam meam enuntiavi tibi. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* Exaudisti me deprecantem te. *Sicut et in repromissione tua.* Quia sic promiseras, hoc egisti. Dixisti te exauditurum flentem : credidi, flevi, exauditus sum; inveni te misericordem in repromittendo, veracem in reddendo. *Sicut et in repromissione tua.*

15. [*vers.* 10.] *Convertantur inimici mei retrorsum.* Hoc ipsis prodest, non male illis optat : etenim præcedere volunt, ideo corrigi nolunt. Mones inimicum tuum ut bene vivat, ut se corrigat : ille contemnit, ille respuit verbum tuum : Ecce qui me monet, ecce a quo auditurus sum præcepta quibus vivam! Præcedere te vult, et præcedendo non corrigitur. Non attendit quia verba tua non sunt tua; non attendit quia vitam tuam Deo enuntias, non tibi. Præcedendo ergo non corrigitur : bonum est illi ut convertatur retrorsum, et quem præcedere volebat sequatur. Dominus de passione sua futura discipulis loquebatur, exhorruit Petrus, et ait, *Absit, Domine, non fiet istud :* qui paulo ante dixerat, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, confessus Deum, timuit eum mori quasi hominem. Dominus autem qui sic venerat ut pateretur, neque enim aliter salvi esse possemus, nisi ejus sanguine redimeremur, paulo ante confessionem Petri [1] laudaverat, et dixerat : *Quia non tibi caro et sanguis revelavit hoc, sed Pater meus qui in cœlis est. Propterea tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam; et tibi dabo claves regni cœlorum.* Videte quemadmodum prosecutus est confessionem veram, piam, plenam fiduciæ, quia dixit, *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Continuo autem ubi cœpit loqui Dominus de passione sua, timuit ille ne periret moriendo, cum ipsi nos periremus nisi ille moreretur; et ait, *Absit, Domine, non fiet istud.* Et Dominus illi, cui paulo ante dixerat, *Beatus es, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Redi,* inquit, *retro satanas, scandalum mihi es;*

[1] Plerique Mss., *ornamenta.*
[2] Nonnulli Edd., *De falce.* Sed verius alii, *De fauce :* loco scilicet ubi latrocinia exercebat. Sic in Evang. Joan. Tract. 7, n. 12 : *Latro qui procedit ad faucem occidere hominem.*

[1] Sic Mss. At Edd., *Petrum.*

Quare ergo satanas, qui paulo ante beatus et petra? *Non enim sapis quæ mei sunt*, ait, *sed quæ sunt hominis* (*Matth.* XVI, 16-23). Paulo ante quæ Dei: *quia non revelavit tibi caro et sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est.* Quando in Deo laudabat sermonem, non satanas, sed Petrus a petra: quando autem a se, et ex humana infirmitate, amore hominis carnali, quod impedimento esset saluti ipsius et cæterorum, satanas dictus est. Quare? Quia præcedere Dominum volebat, et Duci cœlesti terrenum dare consilium. *Absit, Domine, non fiet istud.* Dicis, *Absit;* et dicis, *Domine:* utique si Dominus est, potestate facit; si magister est, novit quid faciat, novit quid doceat. Tu autem vis ducere ducem, docere magistrum, jubere Domino, optare[1] Deo: multum præcedis, *redi retro.* Numquid non et istis inimicis hoc proderat? *Convertantur inimici mei retrorsum:* sed non remaneant retrorsum. Ideo convertantur retrorsum, ne præcedant; sed ut sequantur, non ut remaneant. *Convertantur inimici mei retrorsum.*

16. *In quacumque die invocavero te, ecce scivi quoniam Deus meus es tu.* Magna scientia! Non ait, Scivi quia Deus es; sed, *quia Deus meus es tu.* Tuus est enim, cum tibi subvenit; tuus est, cum tu ab illo alienus non es. Unde dicitur: *Beatus populus, cujus est Dominus Deus ipsius.* Quare, *cujus est?* cujus enim non est? Omnium quidem Deus est: sed eorum Deus proprie dicitur, qui eum diligunt, qui eum tenent, qui illum possident, qui illum colunt; tanquam de domo ipsius, magna sunt familia ejus, redempti magno sanguine unici Filii. Quantum dedit nobis Deus, ut ipsius essemus et ipse sit noster! At vero alienigenæ longe facti a sanctis, filii alieni sunt. Videte quid de illis dicatur in alio psalmo: *Domine, libera me,* ait, *de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.* Et vide altitudinem ipsorum, sed altitudinem diei, id est superbiam temporalem. *Quorum filii eorum,* inquit, *sicut novellæ constabilitæ, filiæ eorum ornatæ ut similitudo templi.* Felicitatem describit præsentis sæculi, in qua errantes homines et eam pro magno habentes, felicitatem veram sempiternamque non quærunt. Inde ergo isti filii alieni, non filii Dei: *Quorum filii eorum,* inquit, *sicut novellæ constabilitæ, filiæ eorum ornatæ sicut similitudo templi: cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc: boves eorum crassi, oves eorum fecundæ, multiplicantes in exitibus suis: non est ruina maceriæ neque transitus, neque clamor in plateis eorum.* Et quid sequitur? *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Sed qui dixerunt? Filii alieni, *quorum os locutum est vanitatem.* Tu quid dicis? *Beatus populus, cujus est Dominus Deus ipsius* (*Psal.* CXLIII, 11-15). Tulit omnia de medio cætera quæ dat Deus, et dedit ipsum Deum. Omnia quippe illa, fratres, quæ commemorarunt filii alieni, Deus dat; sed et alienis dat, sed et malis dat, sed et blasphemis dat, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V, 45). Aliquando ista bonis dat, aliquando non dat; et malis aliquando dat, aliquando non dat: bonis tamen servat seipsum, malis autem ignem sempiternum. Est ergo malum quod non dat bonis, et est bonum quod non dat malis: sunt quædam media, et bona et mala, quæ dat et bonis et malis.

17. Nos ergo Deum amemus, fratres, pure et caste. Non est castum cor, si Deum ad mercedem colit. Quid ergo? mercedem de Dei cultu non habebimus? Habebimus plane, sed ipsum Deum quem colimus. Ipse nobis merces erit, quia videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2). Attende quia[1] mercedem consequeris. Amatoribus suis Dominus noster Jesus Christus quid dicit? *Qui diligit me, mandata mea custodit; et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.* Quid illi ergo dabis? *Et ostendam meipsum illi* (*Joan.* XIV, 23). Si non amas, parum est: si amas, si suspiras, si gratis colis eum a quo gratis emptus es, non enim eum promerueras ut te redimeret, si consideratis in te beneficiis ejus suspiras, et inquietum habes cor desiderio ejus; noli extra eum aliquid ab eo quærere, ipse tibi sufficit. Quantumlibet sis avarus, sufficit tibi Deus. Etenim avaritia terram quærebat possidere totam, adde et cœlum: plus est qui fecit cœlum et terram. Dicam, fratres: in istis humanis conjugiis considerate cor castum quale sit ad Deum. Certe humana conjugia sunt: non diligit uxorem suam, qui propter dotem illam diligit; non maritum caste diligit, quæ propterea diligit, quia aliquid donavit, aut quia multum donavit. Et dives maritus, et pauper factus maritus est[2]. Quam multi proscripti, a castis uxoribus amplius dilecti sunt? Probata sunt multa casta conjugia calamitatibus maritorum: ne aliud amare quam maritum putarentur, non solum non deseruerunt, sed amplius obsecutæ sunt. Si ergo maritus carnalis gratis diligitur, si caste diligitur; et uxor carnalis gratis diligitur, si caste diligitur: Deus quomodo diligendus est, verus et verax animæ maritus ad prolem sempiternæ vitæ fecundans, et steriles nos non esse permittens? Illum ergo sic diligamus, ut aliud præter ipsum non diligatur; et fit in nobis quod diximus, quod cantavimus, quia et hic vox nostra est: *In quacumque die invocavero te, ecce scivi quoniam Deus meus es tu.* Hoc est invocare Deum, gratis invocare. Proinde de quibusdam quid dictum est? *Dominum non invocaverunt.* Quasi Dominum sibi invocare videbantur; et petebant eum de hæreditatibus, de amplianda pecunia, de prolonganda vita ista, de cæteris temporalibus rebus: et quid de illis Scriptura? *Dominum non invocaverunt.* Ideo quid sequitur? *Ibi timuerunt timore, ubi non erat timor* (*Psal.* XIII, 5). Quid est, *ubi non erat timor?* Ne illis subtraheretur pecunia, ne aliquid in domo eorum minus fieret; postremo ne minus annorum haberent in hac vita, quam sibi sperabant: verum *ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Quales fuerunt illi Judæi: *Si dimiseri-*

[1] Sic Mss. At Edd., *imperare.*

[1] Nonnulli Mss., *quam.*
[2] Sic meliores Mss. At Edd., *multum donavit. Donavit et dives maritus, et pauper factus est maritus,* etc.

mus eum vivere, venient Romani, et auferent a nobis et locum et gentem (*Joan.* XI, 48). *Ibi timuerunt timore ubi non erat timor. Ecce scivi, quoniam Deus meus es tu.* Magnæ divitiæ cordis, magnum lumen oculi interioris, magna fiducia securitatis! *Ecce scivi quoniam Deus meus es tu.*

18. [*vers.* 11.] *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi* [1], *non timebo quid faciat mihi homo.* Jam ipse est sensus qui superius est repetitus.

19. [*vers.* 12.] *In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudis tibi.* Vovete, et reddite Domino Deo vestro (*Psal.* LXXV, 12). Quid voveatis, quid reddatis? An forte animalia illa quæ offerebantur ad aras aliquando? Nihil tale offeras: in te est quod voveas et reddas. De cordis arca profer laudis incensum, de cellario bonæ conscientiæ profer sacrificium fidei. Quidquid profers, accende charitate. In te sint vota, quæ reddas laudis Deo. Cujus laudis? Quid enim tibi præstitit? *Quoniam eruisti animam meam de morte.* Ipsa est illa vita quam enuntiat illi: *Deus, vitam meam enuntiavi tibi.* Quid enim eram? Mortuus. Per meipsum eram mortuus: per te quid sum? Vivus. Ideo *in me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudis tibi.* En amo Deum meum; nemo hunc mihi eripit: quod illi dem nemo mihi eripit, quia in corde inclusum est. Merito dicitur in illa superiore fiducia, *Quid faciat mihi homo?* Sæviat homo, permittatur sævire, permittatur efficere quod conatur: quid est ablaturus? Aurum, argentum, pecora, servos, ancillas, fundos, domos; auferat omnia: numquid aufert vota quæ in me sunt, quæ reddam laudis Deo? Permissus est tentare tentator sanctum virum Job: uno puncto temporis abstulit omnia, quidquid facultatum habuerat ademit, abstulit hæreditatem, interfecit hæredes; neque hoc paulatim, sed catervatim, uno ictu, uno impetu, ut omnia subito nuntiarentur. Ablatis omnibus solus remansit Job; sed in illo erant vota laudis quæ redderet Deo, in illo plano erant: arcam sancti pectoris sui fur diabolus non invaserat, plenus erat unde sacrificaret. Audi quæ habebat, audi quæ protulit: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 12-21). O divitiæ interiores, quo fur non accedit! Ipse dederat Deus unde accipiebat; ipse ditaverat, unde illi offerebat quod amabat. Laudem a te quærit Deus, confessionem tuam quærit Deus. Sed de agro tuo aliquid daturus es? Ipse pluit ut haberes. De arca daturus es aliquid? Ipse instituit quod daturus es. Quid daturus es quod ab illo non accepisti? Quid enim habes quod non accepisti (I *Cor.* IV, 7)? De corde dabis? Ipse dedit fidem, spem et charitatem: hoc prolaturus, hoc sacrificaturus es. Sed plane omnia illa cætera potest tibi auferre inimicus invito, hoc auferre non potest nisi volenti. Illa perdet et invitus; et volens habere aurum, perdet aurum, et volens habere domum, perdet domum: fidem nemo perdet nisi qui spreverit.

20. [*vers.* 13.] *In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudis tibi: quia eruisti animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, et pedes meos de lapsu; ut placeam coram Deo in lumine viventium.* Merito non placet filiis alienis longe factis a sanctis, quia non habent lumen viventium, unde videant quod Deo placet. Lumen viventium est lumen immortalium, lumen sanctorum. Qui non est in tenebris, placet in lumine viventium. Attenditur homo et ea quæ ipsius sunt, nemo scit qualis est: Deus videt qualis est. Aliquando et ipsum diabolum latet; nisi tentet, non invenit sicut de isto viro quem modo commemoravi. Noverat eum Deus, et ei testimonium perhibebat: diabolus eum non noverat, et ideo dixerat, *Numquid Job gratis colit Deum* (*Job* I, 9)? Videte quo provocat inimicus: ibi perfectio est. Videte quid objicit inimicus. Videbat hominem Deo servientem, in omnibus obsequentem, omnia bene operantem; et quia dives erat et felicissima domus, hoc objicit quia ideo colit Deum, quoniam dedit illi hæc omnia: *Numquid Job gratis colit Deum?* Hoc enim erat verum lumen, hoc lumen viventium, ut gratis coleret Deum. Deus videbat in corde servi sui cultum suum gratuitum. Placebat enim illud cor in conspectu Domini, in lumine viventium: diabolum latebat, quia in tenebris erat. Admisit Deus tentatorem, non ut ipse nosset quod noverat, sed ut nobis noscendum et imitandum præberet. Numquid enim si tentator non admitteretur, videremus nos ipsi in Job quod deberemus et vellemus imitari? Admissus est tentator, abstulit omnia, remansit ille solus a facultatibus, solus a familia, solus a filiis, plenus Deo. Uxor sane relicta erat. Misericordem putatis diabolum, qui ei reliquit uxorem? Noverat per quam deceperat Adam. Suam reliquerat adjutricem, non mariti consolatricem. Ille ergo plenus Deo, in quo vota erant quæ redderet laudis, ut ostenderet quia gratis Deum colebat, non ideo quia tanta acceperat; et amissis omnibus talis est, quia illum qui dederat omnia non amisit: *Dominus dedit*, inquit, *Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Vulnere etiam percussus a capite usque ad pedes, integer tamen intus, respondit tentatrici, de lumine viventium, de lumine cordis sui: *Locuta es tanquam una ex insipientibus mulieribus* (*Id.* II, 10), id est, tanquam ea quæ non habet lumen viventium. Lumen enim viventium sapientia, et tenebræ insipientium stultitia est. *Locuta es tanquam una ex insipientibus mulieribus:* carnem meam vides, lumen cordis mei non vides. Poterat enim illa tunc virum amplius amare, si pulchritudinem interiorem nosset, et inspiceret [1] ubi ille pulcher erat coram oculis Dei: quia in illo erant vota, quæ redderet laudis Deo. Quomodo illud patrimonium non invaserat inimicus! Quam integrum erat quod possidebat, et propter quod amplius possidendum sperabat iturus a virtutibus in virtutem! Ergo, fratres, ad hoc nobis

[1] Aliquot Mss., *sperabo.*

[1] Er., *sufferre et inspicere.* Lov., *sufferret inspicere.* Aliquot Mss., *nosset et inspiceret.* Am. et alii Mss., *nosset et inspicere.*

valeant hæc omnia, ut Deum gratis diligamus, in illo speremus semper, nec hominem, nec diabolum timeamus. Nec ille, nec iste facit aliquid, nisi quando permittitur: permitti ad nihilum potest, nisi quod nobis prodest. Toleremus malos, simus boni, quia et nos fuimus mali. Pro nihilo salvos faciet Deus omnes, de quibus desperare audemus [1]. Ergo de nemine desperemus, pro omnibus quos patimur oremus, a Deo nunquam recedamus. Patrimonium nostrum ipse sit, spes nostra ipse sit, salus nostra ipse sit. Ipse hic consolator, ibi munerator, ubique vivificator et vitæ dator; non alterius vitæ, sed illius de qua dictum est, *Ego sum via et veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6): ut et hic in lumine fidei, et ibi in lumine speciei, tanquam in lumine viventium, in conspectu Domini placeamus.

IN PSALMUM LVI

ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. Audivimus in Evangelio modo, fratres, quantum nos diligat Dominus et Salvator noster Jesus Christus, Deus apud Patrem, homo apud nos, ex nobis ipsis, jam circa dexteram Patris, audistis quantum nos diligat. Nam suæ charitatis mensuram, et ipse dixit, et nobis indixit, mandatum suum dicens esse ut nos invicem diligamus (*Joan.* XIII, 34). Et ne quæreremus dubitantes et æstuantes quantum nos debeamus invicem diligere, quantaque illa sit quæ Deo placet charitatis perfecta mensura, ea enim perfecta est, qua major esse non potest, expressit ipse, docuit, et ait: *Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis* (*Id.* XV, 13). Fecit ipse quod docuit, fecerunt Apostoli quod ab illo didicerunt, et nobis faciendum prædicaverunt. Faciamus et nos; quia etsi non sumus quod ille secundum id quod creavit nos, quod ille tamen sumus secundum id quod factus est propter nos. Et si solus fecisset, forte nemo nostrum deberet audere imitari; ita enim ille homo erat, ut et Deus esset: sed in eo quod homo erat, imitati sunt servi Dominum, et discipuli Magistrum, et fecerunt qui nos præcesserunt in familia ipsius, patres quidem nostri, sed tamen conservi nostri; neque imperaret hoc Deus ut faceremus, si impossibile judicaret ut hoc ab homine fieret. Sed considerans infirmitatem tuam, deficis sub præcepto? Confortare in exemplo. Sed etiam exemplum ad te multum est? Adest ille qui præbuit exemplum, ut præbeat et auxilium. Audiamus ergo in isto psalmo: opportune namque accidit, et illo procurante, ut ei consonaret Evangelium, commendans nobis dilectionem Christi, qui animam suam posuit pro nobis, ut et nos animam nostram pro fratribus ponamus (I *Joan.* III, 16). Concordavit et consonuit huic psalmo, ut videamus quomodo ipse Dominus noster animam suam posuit pro nobis: psalmus enim iste passionem ipsius cantat. Et quoniam totus Christus caput est et corpus, quod bene vos nosse non dubito: caput est ipse Salvator noster, passus sub Pontio Pilato, qui nunc postea quam resurrexit a mortuis, sedet ad dexteram Patris: corpus autem ejus est Ecclesia; non ista, aut illa, sed toto orbe diffusa; nec ea quæ nunc est in hominibus qui præsentem vitam agunt, sed ad eam pertinentibus etiam his qui fuerunt ante nos, et his qui futuri sunt post nos usque in finem sæculi. Tota enim Ecclesia constans ex omnibus fidelibus, quia fideles omnes membra sunt Christi, habet illud caput positum in cœlis quod gubernat corpus suum; etsi separatum est visione, sed annectitur charitate. Quia ergo totus Christus caput est et corpus ejus; propterea in omnibus Psalmis sic audiamus voces capitis, ut audiamus et voces corporis. Noluit enim loqui separatim, quia noluit esse separatus, dicens: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Si nobiscum est, loquitur in nobis, loquitur de nobis, loquitur per nos; quia et nos loquimur in illo: et ideo verum loquimur quia in illo loquimur. Nam quando in nobis et ex nobis loqui voluerimus, in mendacio remanebimus.

2. [*Vers.* 1.] Quia ergo passionem Domini cantat iste psalmus, vide quem titulum habeat: *In finem.* Finis Christus est (*Rom.* X, 4). Quare dictus est finis? Non qui consumat, sed qui consummet. Consumere enim, perdere est: consummare, perficere. Finitum enim quidquid dicimus, a fine dicimus. Sed aliter dicimus, Finitus est panis; aliter dicimus, Finita est tunica: finitus est panis qui manducabatur, finita est tunica quæ texebatur: panis ergo finitus est ut consumeretur, tunica finita est ut perficeretur. Finis ergo propositi nostri Christus est; quia quantumlibet conemur, in illo perficimur, et ab illo perficimur; et hæc est perfectio nostra, ad illum pervenire: sed cum ad illum perveneris, ultra non quæris; finis tuus est. Quomodo enim finis viæ tuæ locus est quo tendis; quo cum perveneris, jam manebis: sic finis studii tui, propositi tui, conatus tui, intentionis tuæ, illo est ad quem tendis; ad quem cum perveneris, ultra non desiderabis, quia melius nihil habebis. Ipse ergo et exemplum nobis vivendi proposuit in hac vita, et præmium vivendi dabit in futura vita.

3. *In finem, ne corrumpas ipsi David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saül in speluncam.* Referentes nos ad sanctam Scripturam, invenimus quidem sanctum David illum regem Israel, ex quo etiam nomen accepit Psalterium Davidicum, persecutorem passum fuisse Saülem regem ipsius populi (I *Reg.* XXIV, 1-4), sicut multi vestrum noverunt, qui Scripturas vel attigerunt vel audierunt. Habuit ergo persecutorem Saülem rex David: et cum esset ille mitissimus, ille ferocissimus; ille lenis, ille invidus; ille patiens, ille crudelis; ille beneficus, ille ingratus; pertulit eum tanta lenitate, ut cum eum accepisset in manus, non illum attigisset, non læsisset. Accepit enim a Domino Deo potestatem, ut si vellet,

[1] Edd., *desperare* non debemus. At Mss., *desperare audemus.*

occideret Saülem ipse David; et elegit parcere quam occidere. Ille autem nec tali beneficio victus est, ut desineret persequi. Invenimus ergo illo tempore, quando Saül David persequebatur, regem futurum et prædestinatum rex jam reprobatus, quod fugerit a facie Saül in speluncam ipse David. Quid ergo hoc ad Christum? Si omnia quæ tunc agebantur, figuræ erant futurorum, invenimus ibi Christum, et multo maxime. Nam illud: *Ne corrumpas in tituli inscriptionem*, non video quomodo pertineat ad illum David. Non enim aliquis titulus inscriptus erat ipsi David, quem voluit corrumpere Saül. Videmus autem in passione Domini scriptum fuisse titulum, *Rex Judæorum*; ut ille titulus exprobraret frontem ipsorum, quod a rege suo manus non abstinuerunt. In illis enim Saül erat, in Christo David erat. Christus enim, sicut dicit apostolicum Evangelium, est, quod novimus, quod confitemur, *ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3, *et Matth.* I, 1): nam secundum divinitatem supra David, supra omnes homines, supra cœlum et terram, supra Angelos, supra omnia visibilia et invisibilia; quia omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3): dignatus tamen homo fieri ex semine David ad nos venit; quia de tribu David natus est, unde virgo Maria quæ peperit Christum (*Luc.* I, 27, *et* II, 4). Inscriptus itaque titulus ille est, *Rex Judæorum*. Saül, ut diximus, populus Judæorum erat; David Christus erat: titulus ibi, *Rex Judæorum*. Indignati sunt Judæi, quia inscriptus erat titulus, *Rex Judæorum*: puduit illos habere regem quem crucifigere potuerunt. Non enim viderunt quia ipsa crux, in qua eum fixerunt, futura erat in frontibus regum. Cum ergo indignarentur ex illo titulo, adierunt Pilatum judicem, cui obtulerant occidendum Christum, et dixerunt ad eum: *Noli scribere sic, Rex Judæorum; sed scribe quia ipse dixit se regem esse Judæorum*. Et quia jam cantatum erat per Spiritum sanctum, *In finem; ne corrumpas in tituli inscriptionem*, respondit eis Pilatus: *Quod scripsi scripsi* (*Joan.* XIX, 19-22): quid mihi suggeritis falsitatem? Ego non corrumpo veritatem.

4. Audivimus ergo quid sibi velit, *Ne corrumpas in tituli inscriptionem*. Quid ergo est, *Cum fugeret a facie Saül in speluncam?* Quod quidem et David ille fecit: sed quia in illo non invenimus tituli inscriptionem, in hoc inveniamus fugam in speluncam. Figurabat enim aliquid illa spelunca, qua se texit David. Quare autem se texit? Ut occultaretur, et non inveniretur. Quid est contegi spelunca? Contegi terra. Qui enim fugit in speluncam, terra contegitur, ne videatur. Portabat autem terram Jesus, carnem quam acceperat de terra; et in ea se occultabat, ne a Judæis inveniretur Deus. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I *Cor.* II, 8). Quare ergo Dominum gloriæ non invenerunt? Quia spelunca se texerat, id est, carnis infirmitatem oculis objiciebat, majestatem autem divinitatis in corporis tegmine, tanquam terræ abdito contegebat. Illi ergo non cognoscentes Deum, crucifixerunt hominem. Nec mori potuit nisi in homine, nec crucifigi potuit nisi in homine; quia nec teneri posset nisi in homine. Opposuit male quærentibus terram, servavit bene quærentibus vitam. Fugit ergo secundum carnem in speluncam a facie Saül. Quod si et hoc velis accipere, ita Dominum fugisse in speluncam a facie Saül, quia passus est; usque adeo se occultavit Judæis, ut et moreretur. Quantumlibet enim sævirent in eum Judæi, donec moreretur, adhuc putabant eum posse liberari, et ostendere aliquo miraculo quod Filius Dei esset. Hoc prædictum erat in libro Sapientiæ: *Morte turpissima condemnemus illum; erit enim respectus illi ex sermonibus illius. Si enim vere filius Dei est, suscipiet illum, et liberabit illum de manibus contrariorum* (*Sap.* II, 20, 18). Quia ergo crucifigebatur, et non liberabatur, crediderunt illum non esse Filium Dei. Propterea insultantes pendenti in ligno, et caput agitantes, dicebant illi: *Si filius Dei es, descende de cruce. Alios salvos fecit, seipsum salvare non potest* (*Matth.* XXVII, 40, 42). Ista dicentes, sicut est in ipso libro Sapientiæ, *hæc cogitaverunt et erraverunt; excæcavit enim illos malitia eorum* (*Sap.* II, 21). Quid enim magnum erat de cruce descendere, cui facile fuit de sepulcro resurgere? Sed quare[1] usque ad mortem voluit esse patiens? Ut fugeret a facie Saül in speluncam. Etenim spelunca, inferior pars terræ potest accipi. Et certe quod manifestum est, et certum omnibus, corpus ejus in monumento positum est, quod erat excisum in petra. Hoc ergo monumentum spelunca erat: illuc fugit a facie Saül. Tamdiu enim persecuti sunt illum Judæi, quoadusque poneretur in spelunca. Unde probamus quod tamdiu illum persecuti sunt, quousque ibi poneretur? Etiam mortuum in cruce pendentem lancea vulneraverunt (*Joan.* XIX, 34). At ubi involutus curato funere positus est in spelunca, jam nihil habuerunt quod carni facerent. Resurrexit ergo Dominus ex illa spelunca illæsus, incorruptus, quo fugerat a facie Saül; occultans se impiis, quos præfigurabat Saül, ostendens se autem membris suis. Nam resurgentis membra a membris ejus palpata sunt: membra enim ejus Apostoli tetigerunt resurgentem, et crediderunt (*Luc.* XXIV, 39); et ecce nihil profuit persecutio Saülis. Audiamus ergo jam Psalmum, quia de titulo ejus satis locuti sumus, quantum Dominus donare dignatus est.

5. [*vers.* 2.] *Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea*. Christus in passione dicit, *Miserere mei, Deus*. Deo Deus dicit, *Miserere mei*. Qui cum Patre miseretur tui, in te clamat, *Miserere mei*. Etenim quod de illo clamat, *Miserere mei*, tuum est: a te hoc accepit, propter te liberandum carne indutus est. Caro ipsa clamat, *Miserere mei, Deus, miserere mei*: homo ipse, anima et[2] caro. Totum enim hominem suscepit Verbum, et totus homo factus est Verbum. Ne ideo putetur non ibi fuisse animam, quia evangelista ita dicit: *Verbum caro factum est, et habi-*

[1] Edd., *quare? Quia usque*, etc. Abest, *quia*, a Mss.
[2] Edd., *ipse anima est et caro*. Expunge, *est*, juxta Mss. ejusque loco subaudi, *clamat*.

tavit in nobis (*Joan.* I, 14). Etenim dicitur caro homo, sicut alio loco dicit Scriptura, *Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Isai.* XL, 5; *Luc.* III, 6). Numquid caro sola videbit, et anima ibi non erit? Iterum dicit ipse Dominus de hominibus: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis* (*Joan.* XVII, 2). Numquid in solam carnem acceperat potestatem, et non maxime in animas, quas primitus liberabat? Ergo ibi erat anima, ibi erat caro, ibi totus homo; et totus homo cum Verbo, et Verbum cum homine, et homo et Verbum unus homo, et Verbum et homo unus Deus. Dicat ergo, *Miserere mei, Deus, miserere mei.* Non expavescamus voces petentis misericordiam et exhibentis. Ideo enim petit, quia exhibet: ad hoc enim homo, quia misericors; non ut conditionis necessitate nasceretur, sed ut nos de conditione necessitatis liberaret. *Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.* Andis magistrum orantem, disce orare. Ad hoc enim oravit, ut doceret orare: quia ad hoc passus est, ut doceret pati; ad hoc resurrexit, ut doceret sperare resurrectionem.

6. *Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Hoc plane jam totus Christus dixit: hic est et vox nostra. Non enim jam transiit iniquitas, adhuc fervet iniquitas. Et in fine dixit ipse Dominus abundantiam futuram iniquitatis: *Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum; qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 12). Quis autem perseverabit usque in finem, quoadusque transeat iniquitas? Qui fuerit in Christi corpore, qui fuerit in membris Christi, et a capite didicerit patientiam perseverandi. Transis tu, et ecce transierunt tentationes tuæ; et is in aliam vitam in quam ierunt sancti, si sanctus fueris. In aliam ierunt martyres: si martyr fueris, is et tu in aliam vitam. Numquid quia tu transisti hinc, propterea jam transiit iniquitas? Nascuntur alii iniqui, sicut moriuntur alii iniqui. Quomodo ergo alii iniqui moriuntur, et alii nascuntur; sic alii justi eunt, et alii nascuntur. Usque in finem sæculi nec iniquitas deerit premens, nec justitia patiens. *Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas*: id est, tu proteges me, et ut ab æstu iniquitatis non arescam, tu umbraculum præbebis mihi.

7. [*vers.* 3.] *Clamabo ad Deum altissimum.* Si altissimus est, quomodo audit te clamantem? Nata est experimento fiducia: *Deum*, inquit, *qui benefecit mihi.* Si antequam eum quærerem benefecit mihi, clamantem me non exaudiet? Bene enim nobis fecit Dominus Deus mittendo nobis Salvatorem nostrum Jesum Christum, ut moreretur propter delicta nostra, et resurgeret propter justificationem nostram (*Rom.* IV, 25). Pro qualibus mori voluit Filium suum? Pro impiis. Impii autem non quærebant Deum, et quæsiti sunt a Deo. Sic est ergo ille altissimus, ut non sit ab illo longe miseria nostra et gemitus noster; quia prope est Dominus his qui obtriverunt cor (*Psal.* XXXIII, 19). *Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.*

8. [*vers.* 4, 5.] *Misit de cœlo, et salvum fecit me.* Jam homo ipse, jam caro ipsa, jam Filius Dei, secundum nostram participationem manifestum est, quia salvatus est, et misit de cœlo Pater, et salvavit eum; misit de cœlo et resuscitavit eum: sed ut noveritis quia et ipse Dominus se resuscitavit; utrumque positum est in Scriptura, quia et Pater illum resuscitavit, et quia ipse se resuscitavit. Audite quia Pater illum resuscitavit: Apostolus dicit, *Factus est*, inquit, *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus eum exaltavit, et donavit ei nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* II, 8, 9). Audistis Patrem resuscitantem et exaltantem Filium; audite quia et ipse carnem suam resuscitavit: in figura templi dicit ad Judæos, *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud.* Evangelista autem exposuit nobis quid diceret: *Hoc autem*, inquit, *dicebat de templo corporis sui* (*Joan.* II, 19, 21). Modo ergo ex persona precantis, ex persona hominis, ex persona carnis dicit, *Misit de cœlo, et salvum fecit me.*

9. *Dedit in opprobrium conculcantes me.* Qui illum conculcaverunt, qui mortuo insultaverunt, qui tanquam hominem crucifixerunt, quia Deum non intellexerunt, dedit eos in opprobrium. Videte si non est factum: non futurum credimus, sed completum agnoscimus. Sævierunt Judæi in Christum, superbierunt in Christum: ubi? In civitate Jerusalem. Ubi enim regnabant, ibi tumebant, ibi cervices erexerunt. Post passionem Domini eradicati inde sunt; et perdiderunt regnum, in quo regem Christum agnoscere noluerunt. Quemadmodum dati sunt in opprobrium, videte: dispersi sunt per omnes gentes, nusquam habentes stabilitatem, nusquam certam sedem. Propterea autem adhuc Judæi sunt, ut Libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus Paganis istas Litteras. Et ne forte dicant duri ad fidem quia nos illas Christiani composuimus, ut cum Evangelio quod prædicamus finxerimus Prophetas, per quos prædictum videretur quod prædicamus; hinc eos convincimus quia omnes ipsæ Litteræ quibus Christus prophetatus est, apud Judæos sunt, omnes ipsas Litteras habent Judæi. Proferimus Codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos. In quali ergo opprobrio sunt Judæi? Codicem portat Judæus, unde credat Christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant. In tale opprobrium dati sunt Judæi; et impletum est quod tanto ante prædictum est: *Dedit in opprobrium conculcantes me.* Quale autem opprobrium est, fratres, ut hunc versum legant, et ipsi cæci attendant ad speculum suum? Sic enim apparent Judæi de Scriptura sancta quam portant, quomodo apparet facies cæci de speculo: ab aliis videtur, ab ipso non videtur. *Dedit in opprobrium conculcantes me.*

10. Quærebas forte cum diceret, *Misit de cœlo, et salvum me fecit*: Quid misit de cœlo? quem misit de cœlo? Angelum misit, ut salvum faceret Christum, et per servum salvus fit Dominus? Omnes enim Angeli creatura serviens Christo est. Ad obsequium mitti

potuerunt Angeli, ad servitium mitti potuerunt, non ad adjutorium: sicut scriptum est, quod Angeli ministrabant ei (*Matth.* IV, 11), non tanquam misericordes indigenti, sed tanquam subjecti omnipotenti. Quid ergo *misit de cœlo, et salvum fecit me?* Modo audimus [1] in alio versu quid de cœlo miserit: *Misit de cœlo misericordiam suam et veritatem suam.* Ad quam rem? *Et eruit animam meam de medio catulorum leonum. Misit*, inquit, *de cœlo misericordiam suam et veritatem suam:* et ipse Christus ait, *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). Missa est ergo veritas, ut erueret animam meam hinc de medio catulorum leonum; missa est misericordia. Ipsum Christum invenimus et misericordiam et veritatem; misericordiam nobis compatientem, et veritatem nobis retribuentem [2]. Hoc est ergo quod paulo ante dixi, quia et ipse se resuscitavit. Si enim veritas resuscitavit Christum, et si veritas animam Christi eruit de medio catulorum leonum; ut misericors fuit mori pro nobis, ita verax fuit resurgere ad justificandos nos. Dixerat enim se resurrecturum, et veritas mentiri non potuit; et quia veritas et verax, propterea cicatrices veras ostendit, quia vera vulnera pertulit. Has cicatrices tenuerunt discipuli, palpaverunt, manifestaverunt sibi; exclamavit qui misit digitos in compunctum latus, et ait, *Dominus meus et Deus meus* (*Id.* XX, 28). Misericordia pro illo mortuus erat, et veritate ad illum resurrexerat. *Misit de cœlo misericordiam suam et veritatem suam: et eruit animam meam de medio catulorum leonum.* Qui sunt catuli leonum? Populus ille minutus, male deceptus, male seductus a principibus [3] Judæorum: ut illi leones, illi catuli leonum. Omnes fremuerunt, omnes occiderunt. Audituri enim sumus hic et cædem ipsorum, modo in consequentibus versibus psalmi hujus.

11. *Et eruit*, inquit, *animam meam de medio catulorum leonum.* Quare dicis, *Et eruit animam meam?* Quid enim passus [4] eras, ut erueretur anima tua? *Dormivi conturbatus.* Expressit Christus mortem suam. Certe de illo David legimus quod fugerit in speluncam, non tamen quia dormivit in spelunca. Alius David est in spelunca, alius David est qui dicit, *Dormivi conturbatus.* Videmus perturbationem ipsius; non illo turbato, sed illis turbantibus. Turbatum se enim dixit, secundum opinionem frementium, non secundum cedentis conscientiam. Putaverunt se illi turbasse, putaverunt vicisse: ille autem dormivit conturbatus. Tam placatus erat iste turbatus, ut quando vellet, dormiret. Nemo dormit turbatus: omnes qui perturbantur, aut a somno excitantur, aut in somnum vergi non permittuntur. Ille autem turbatus est, et dormivit. Magna humilitas perturbati, magna potestas dormientis. De qua potestate veniebat quod dormivit? De qua ipse dicit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo sumendi eam: nemo tollit eam a me; sed ego eam pono, et iterum sumo eam* (*Joan.* X, 18). Turbaverunt illi, et dormivit ipse. Cujus typum gerebat Adam, quando immisit ei Deus soporem, ut de latere illi conjugem faceret (*Gen.* II, 21). Num enim non poterat uxorem facere primo homini etiam de latere vigilantis? aut propterea voluit eum dormire, ne sentiret cum sibi costa detraheretur? Postremo, quis ita dormit, ut osse sibi convulso non expergiscatur? Qui potuit sine dolore auferre costam dormienti, potuit et vigilanti. Sed quare voluit dormienti facere? Quia dormienti Christo in cruce facta est conjux de latere. Percussum est enim latus pendentis de lancea (*Joan.* XIX, 34), et profluxerunt Ecclesiæ Sacramenta. *Dormivi*, inquit, *conturbatus.* Et in alio psalmo manifestat hoc, ubi ait: *Ego dormivi, et somnum cepi.* Ibi expressit potestatem suam. Poterat et illic dicere, *Dormivi*, sicut dixit hic. Quid est autem, *Ego dormivi?* Id est, quia volui, dormivi. Non illi me in somnum nolentem compulerunt; sed mea voluntate ego dormivi, secundum illud: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Propterea ibi sequitur et dicit: *Ego dormivi, et somnum cepi; et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me* (*Psal.* III, 6).

12. *Dormivi conturbatus.* Unde turbatus? quibus turbantibus? Videamus quomodo inurat [1] malam conscientiam Judæis, volentibus excusare se ab interfectione Domini. Nam propterea eum, sicut loquitur Evangelium, judici tradiderunt, ne ipsi eum occidisse viderentur. Cum enim dixisset eis judex tunc Pilatus, *Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum;* responderunt, *Nobis non licet interficere quemquam* (*Joan.* XVIII, 31). Interficere non licet, tradere interficiendum licet? Quis autem occidit? Qui audito clamore cessit, an qui clamando ut occideretur extorsit? Ipse Dominus dicat testimonium a quibus occisus est, utrum ab illo Pilato qui nolens eum occidit: unde etiam eum flagellavit, et veste ignominiosa induit, et flagellatum ad eorum oculos produxit, ut saltem pœna flagellorum ejus satiati, eum occidi non extorquerent. Propterea etiam cum videret eos perseverare, sicut legimus, lavit manus suas, et dixit: *Innocens ego sum a sanguine justi hujus* (*Matth.* XXVII, 24). Videris utrum ille innocens, qui vel cessit clamantibus: multo magis tamen illi nocentes, qui clamando eum occidere voluerunt. Sed nos interrogemus et audiamus Dominum, quibus tribuat mortem suam, quia dixit, *Dormivi turbatus.* Interrogemus eum, et dicamus: Quoniam dormisti turbatus, qui te persecuti sunt? qui te occiderunt? Numquid forte Pilatus, qui militibus dedit in ligno suspendendum, clavis transfigendum? Audite qui: *Filii hominum.* Illos utique dicit, quos persecutores passus est. Sed quomodo ipsi occiderunt, qui ferrum non ferebant? Qui gladium non strinxerunt, qui impetum in eum non fecerunt ad occidendum, unde occiderunt? *Dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eo-*

[1] Edd., *audiemus.* At Mss. plures, *audivimus.* Et quidam, *audimus.*

[2] Edd., *tribuentem:* cujus loco reponimus ex Mss., *retribuentem.*

[3] Er. et Lov., *a principibus sacerdotum.* Vox, *sacerdotum*, abest ab Am. et Mss.

[4] Edd., *passurus.* At Mss., *passus.*

[1] Sic septem Mss. At Edd., *indurat:* mendose.

rum gladius acutus. Noli attendere inermes manus, sed os armatum : inde gladius processit quo Christus occideretur; quomodo et de ore Christi, unde et Judæi occiderentur. Habet enim ille gladium bis acutum [1] (Apoc. I, 16) : et resurgens percussit eos, et divisit ab eis quos faceret fideles suos. Illi malum gladium, ille bonum : illi sagittas malas, ille bonas. Nam habet et ipse sagittas bonas, verba bona, unde sagittat cor fidele, ut ametur. Ergo aliæ istorum sagittæ, et alius istorum gladius. *Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum machæra acuta.* Lingua filiorum hominum machæra acuta, et dentes eorum arma et sagittæ. Quando ergo percusserunt, nisi quando clamaverunt : *Crucifige, crucifige* (*Matth.* XXVII, 4, *et Joan.* XIX, 6)?

13. [*vers.* 6.] Et quid tibi fecerunt, o Domine? Exsultet hic Propheta. Superius enim omnes illos versus Dominus loquebatur : Prophe'a quidem, sed ex persona Domini, quia in Propheta Dominus. Et quando loquitur ex persona sua Propheta, ipse Dominus loquitur per eum, qui ei dictat veritatem quam loquatur. Modo ergo ex persona Prophetæ audite, fratres mei. Vidit Dominum in Spiritu iste propheta humiliatum, cæsum, flagellatum, colaphis percussum, expalmatum manibus, sputis illitum, spinis coronatum, ligno suspensum; illos sævientes, illum tolerantem; illos exsultantes, illum quasi victum vidit in Spiritu : et post illam jam omnem humiliationem, et illorum furorem resurrexisse eum, et illa omnia quæ fecerant Judæi sævientes facta esse inania; et elatus [2] gaudio, tanquam videret fieri, *Exaltare*, inquit, *super cœlos, Deus.* Homo in cruce, et super cœlos Deus. Remaneant in terra sævientes, tu in cœlo esto judicans. Ubi sunt qui furebant? ubi sunt *dentes eorum arma et sagittæ? Nonne sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum?* Alio enim loco psalmus hoc dicit, volens eos ostendere inaniter sævisse, et inaniter in furias præcipitatos esse : quoniam nihil potuerunt facere Christo ad horam crucifixo, et postea resurgenti, atque in cœlo sedenti, *sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum* (*Psal.* LXIII, 8). Quomodo infantes faciunt sibi sagittas? De cannis [3]. Sagittæ autem quæ? aut quæ vires? aut qui arcus? aut qui ictus? aut quod vulnus? *Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua.* Utquid exaltaris super cœlos Deus? Fratres, exaltatum Deum super cœlos, non videmus, sed credimus : super omnem autem terram gloriam ejus non tantum credimus, sed etiam videmus. Qualem verum vesaniam patiantur hæretici, quæso ut attendatis. Illi præcisi a compagine Ecclesiæ Christi, et partem tenentes, totum amittentes, nolunt communicare orbi terrarum, qua diffusa est gloria Christi. Nos autem Catholici in omni terra sumus, quia omni terræ communicamus quacumque gloria Christi diffusa est. Videmus enim quod tunc cantatum est, modo completum. Exaltatus est super cœlos Deus noster, et super omnem terram gloria ipsius. O hæretica insania! Quod non vides credis mecum, quod vides negas : credis mecum exaltatum Christum super cœlos, quod non videmus; et negas gloriam ejus super omnem terram, quod videmus. *Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua.*

14. [*vers.* 7.] Redit ad verba Domini : et ipse Dominus narrare nobis incipit, tanquam alloquens nos, exsultante etiam Propheta et dicente, *Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua.* Confirmat nos et ipse, tanquam dicens nobis : Quid mihi facere potuerunt illi qui me persecuti sunt? Quare autem nos alloquitur? Quia faciunt et nobis. Sed nihil faciunt qui nos similiter fuerint persecuti. Videat enim Charitas Vestra alloquentem nos Dominum, et exhortantem nos exemplo suo. *Muscipulam paraverunt pedibus meis, et incurvaverunt animam meam.* Voluerunt illam quasi de cœlo deponere, et ad inferiora deprimere : *Curaverunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foveam, et ipsi inciderunt in eam.* Mihi nocuerunt, an sibi? Ecce ille exaltatus est super cœlos Deus, et ecce super omnem terram gloria ipsius : regnum Christi videmus, ubi est regnum Judæorum? Quoniam ergo fecerunt quod facere non debuerunt, factum est in illos quod pati debuerunt : ipsi *foderunt foveam, et ipsi inciderunt in eam.* Quod enim persecuti sunt Christum, Christo non obfuit, sed ipsis obfuit. Et nolite putare, fratres, ipsis solis hoc accidisse. Omnis qui parat foveam fratri suo, necesse est ut ipse incidat in eam. Intendite, fratres mei, christianos oculos habete, nolite decipi visibilibus. Forte enim alicui vestrum, quia hoc dixi, subvenit modo aliquis qui voluit fratri suo fraudem facere, et voluit ei aliquas insidias machinari, et machinatus est, et implevit, et cecidit frater in insidias ejus, et spoliatus est, aut pressus est, sive carcere, sive falso testimonio, sive aliqua nefaria criminatione circumventus : videtur autem iste oppressus, ille oppressisse; iste victus, ille vicisse; et falsum putatur quod diximus, quoniam quicumque foveam paraverit fratri suo, ipse cadit in eam. Interrogo vos tanquam christianos, ut sumatis exemplum de his quæ jam novimus. Pagani persecuti sunt martyres, et martyres capti sunt, ligati sunt, in carcerem missi sunt, bestiis subrecti sunt [1], alii ferro percussi, alii ignibus concremati : vicerunt persequentes, et victi sunt martyres? Absit. Quære gloriam martyrum apud Deum, quære foveam Paganorum in confossa conscientia : ibi est enim fovea quo cadit impius, in conscientia mala. Putas eum in foveam non cecidisse, qui lucem Christi perdidit et cæcitate percussus est? Si non caderet in foveam, videret ante se : nescit qua eat; quomodo qui ambulat in via cum ceciderit in foveam, perdidit viam. Videtis ergo omnes malefactores perdidisse viam, implicatos facinore. Sed jam te tradidit in manus forte latronis, aut in manus alicujus injusti vel circumventi a se judicis : et tu in

[1] Hic Edd. addunt, *occidentis et resurgentis* : quod abest a Mss.
[2] Sic Mss. At Edd., *elevatus.*
[3] Mss., *cannicis.*

[1] Edd., *bestiis subjecti.* At Mss., *bestiis subrecti.* Vid. supra, col. 605, lin. 10, cum nota.

pressura es, ille lætatur, ille exsultat. Noli, jam dixi, noli habere oculos Paganorum : christianos oculos habe. Vides illum qui exsultat : ipsa exsultatio est fovea ipsius. Melior est enim tristitia iniqua patientis, quam lætitia iniqua facientis. Ipsa lætitia iniqua facientis, ipsa est fovea : illuc quisque cum ceciderit, oculos perdit. Te doles, quia perdidisti vestem; et illum non doles, quia perdidit fidem? Quis vestrum graviore damno percussus est? Ecce ille occidit, tu occideris : vivit ille, tu mortuus es? Absit. Ubi est fides Christianorum? ubi est ille qui moritur ad tempus? Audiat Dominum suum : *Qui credit in me, licet moriatur, vivit* (*Joan.* XI, 25). Ergo qui non credit, licet vivat, mortuus est. *Foderunt ante faciem meam foveam, et ipsi inciderunt in eam.* Omnibus malis necesse est ut hoc contingat.

15. [*vers.* 8.] Bonorum autem patientia præparatione cordis excipit voluntatem Dei, et gloriatur in tribulationibus, dicens quod sequitur : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo et psallam.* Quid fecit mihi? Paravit foveam, cor meum paratum est. Ille paravit foveam ad decipiendum, ego cor non parabo ad perpetiendum? Ille paravit foveam ad opprimendum, ego cor non parabo ad tolerandum? Propterea ille incidet in eam, ego autem cantabo et psallam. Audi cor paratum in Apostolo, quia imitatus est Dominum suum : *Gloriamur*, inquit, *in tribulationibus; quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes vero non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 3-5). Erat in pressuris, in catenis, in carceribus, in plagis, in fame et siti, in frigore et nuditate, in omni vastatione laborum et dolorum (II *Cor.* XI, 27), et dicebat : *Gloriamur in tribulationibus.* Unde, nisi quia paratum est cor ejus? Ideo cantabat et psallebat : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo et psallam.*

16. [*vers.* 9.] *Exsurge, gloria mea.* Ille qui fugerat a facie Saül in speluncam, *Exsurge, gloria mea*, glorificetur Jesus post passionem. *Exsurge, psalterium et cithara.* Quid vocat, ut surgat? Duo organa video, corpus autem Christi unum video : una caro resurrexit, et duo organa surrexerunt. Alterum ergo organum psalterium, alterum cithara. Organa dicuntur omnia instrumenta musicorum. Non solum illud organum dicitur, quod grande est, et inflatur follibus; sed quidquid aptatur ad cantilenam, et corporeum est, quo instrumento utitur qui cantat, organum dicitur. Distincta sunt autem inter se ista organa; et volo, quantum Dominus dat, indicare vobis, et quomodo distincta sunt, et quare distincta, et quare utrique dicatur, *Exsurge.* Jam diximus, una caro Domini resurrexit; et dicitur, *Exsurge, psalterium et cithara.* Psalterium est organum, quod quidem manibus fertur percutientis, et chordas distentas habet; sed illum locum unde sonum accipiunt chordæ, illud concavum lignum quod pendet et tactum resonat, quia concipit aerem, psalterium in superiore parte habet. Cithara autem hoc genus ligni concavum et resonans in inferiore parte habet. Itaque in psalterio chordæ sonum desuper accipiunt; in cithara autem chordæ sonum ex inferiore parte accipiunt : hoc interest inter psalterium et citharam. Quid ergo duo hæc organa nobis figurant? Excitat enim Christus Dominus Deus noster psalterium suum et citharam suam, et dicit, *Exsurgam diluculo.* Puto quia hic jam agnoscitis Dominum resurgentem. Legimus in Evangelio : videte horam resurrectionis. Quamdiu per umbras quærebatur[1] Christus? Luxit, agnoscatur; diluculo resurrexit (*Marc.* XVI, 2). Sed quid est psalterium? quid est cithara? Per carnem suam Dominus duo genera factorum operatus est, miracula et passiones : miracula desuper fuerunt, passiones de inferiore fuerunt. Illa enim quæ fecit miracula, divina erant; sed per corpus fecit, per carnem fecit. Caro ergo divina operans, psalterium est : caro humana patiens, cithara est. Sonet psalterium; illuminentur cæci, audiant surdi, stringantur paralytici, ambulent claudi, surgant ægroti, resurgant mortui : iste est sonus psalterii. Sonet et cithara; esuriat, sitiat, dormiat, teneatur, flagelletur, irrideatur, crucifigatur, sepeliatur. Cum ergo vides in illa carne quædam sonuisse desuper, quædam de inferiore parte, una caro resurrexit, et in una carne agnoscimus et psalterium et citharam. Et ista duo genera factorum impleverunt Evangelium, et prædicatur in gentibus; nam et miracula et passiones Domini prædicantur.

17. [*vers.* 10-12.] Ergo surrexit psalterium et cithara diluculo, et confitetur Domino : et quid ait? *Confitebor tibi in populis, Domine, et psallam tibi in gentibus : quia magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua.* Cœli supra nubes, et nubes infra cœlos : et tamen ad hoc cœlum proximum pertinent nubes. Sed aliquando nubes recumbunt in montibus, usque adeo in proximo aere conglomerantur. Cœlum autem sursum est, habitationes Angelorum, Sedium, Dominationum, Principatuum, Potestatum. Illud ergo forte videatur fuisse dicendum, Magnificata est usque ad cœlos veritas tua, et usque ad nubes misericordia tua. Etenim in cœlo Angeli laudant Deum, videntes ipsam speciem veritatis, sine ulla caligine visionis, sine interpolatione[2] aliqua falsitatis : vident, diligunt, laudant, non fatigantur. Ibi veritas : hic autem in nostra miseria utique misericordia. Misero enim præbenda est misericordia. Non enim opus est misericordia sursum, ubi nullus est miser. Hoc propterea dixi, quia videtur congruentius dici potuisse, Magnificata est usque ad cœlos veritas tua, et usque ad nubes misericordia tua. Nubes enim intelligimus prædicatores veritatis, homines portantes istam carnem caliginosam quodammodo, unde Deus et coruscat miraculis, et tonat præceptis : et ipsi sunt illæ nubes de quibus dicit Isaias ex persona Domini, increpans quamdam vineam malam, sterilem, spinosam, *Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam im-*

[1] Nonnulli edd., *quæretur Christus?* Postea Edd. ferebant, *Lux itaque.* At Mss., *Luxit.*
[2] Plerique Mss., *interpellatione.*

brem (*Isai.* v, 6) : id est, mandabo Apostolis meis, ut deserant Judæos, et non illis evangelizent, sed evangelizent in terra bona Gentium, unde non spinæ, sed uvæ procedant. Novimus ergo nubes Dei esse prædicatores veritatis, Prophetas, Apostolos, omnes recte proferentes verbum veritatis et habentes in se lumen occultum, sicut habent nubes unde coruscant : homines ergo nubes. Quid sibi itaque vult, Domine, *Quia magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, et usque ad nubes veritas tua?* Veritas præpollet in Angelis : sed dedisti illam et hominibus, et deduxisti illam usque ad nubes. Sursum [1] misericordia videntur Angeli non indigere; sed quia homines miseros tu miseraris, et præbendo illis misericordiam communicatione resurrectionis Angelos facis, usque ad cœlos est misericordia tua. Gloria Domino nostro, et misericordiæ ipsius, et veritati ipsius, quia nec deseruit nos misericordia facere beatos per gratiam suam, nec fraudavit nos veritate : quia primo veritas carne operta venit ad nos, et sanavit per carnem suam oculum interiorem cordis nostri, ut eam postea facie ad faciem videre possemus (I *Cor.* XIII, 12). Agentes ergo illi gratias, dicamus cum ipso Psalmo ultimos versus, quos jamdudum etiam dixit : *Exaltare super cœlos Deus, et super omnem terram gloria tua.* Hoc enim ei dixit Propheta ante tot annos : hoc modo videmus nos; hoc ergo dicamus et nos.

IN PSALMUM LVII ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*Vers.* 1, 2.] Vox quam cantavimus, audienda nobis magis est, quam clamanda. Omnibus enim tanquam in concione generis humani veritas clamat : *Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum.* Cui enim iniquo non facile est loqui justitiam? aut quis de justitia interrogatus, quando non habet causam, non facile respondeat quid sit justum? Quandoquidem manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit : *Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri* (*Tob.* IV, 16, *et Matth.* VII, 12). Hoc et antequam Lex daretur nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur et quibus Lex non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quærerentur, scriptum est et in tabulis quod in cordibus non legebant. Non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum quod in conscientia videre cogerentur; et quasi forinsecus admota voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est, dicente Scriptura : *In cogitationibus enim impii interrogatio erit* (*Sap.* I, 9). Ubi *interrogatio*, ibi lex. Sed quia homines appetentes ea quæ foris sunt, etiam a seipsis exsules facti sunt, data est etiam conscripta lex : non quia in cordibus scripta non erat; sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo qui ubique est comprehenderis, et ad teipsum intro revocaris. Propterea scripta lex quid clamat eis qui deseruerunt legem scriptam in cordibus suis (*Rom.* II, 15)? *Redite prævaricatores ad cor* (*Isai.* XLVI, 8). Quis enim te docuit, nolle accedi ab altero ad uxorem tuam? quis te docuit, nolle tibi furtum fieri? quis te docuit, nolle injuriam pati, et quidquid aliud vel universaliter vel particulariter dici potest? Multa enim sunt, de quibus singulis interrogati homines, clara voce respondeant, nolle se pati. Age, si non vis pati ista, numquid solus es homo? nonne in societate vivis generis humani? Qui tecum factus est, socius tuus est; et omnes facti ad imaginem Dei, nisi terrenis cupiditatibus conterant quod ille formavit. *Quod ergo tibi non vis fieri, noli alteri facere.* Judicas enim malum esse in eo quod pati non vis : et hoc te cogit nosse lex intima, in ipso tuo corde conscripta. Faciebas, et clamabatur inter manus tuas : quomodo cogeris redire ad cor tuum, cum hoc pateris inter manus alienas? Furtum bonum est? Non. Interrogo : Adulterium bonum est? Omnes clamant : Non. Homicidium bonum est? Omnes clamant detestari se. Concupiscere rem proximi bonum est? Non, vox omnium est. Aut si adhuc non confiteris, accedit qui concupiscat rem tuam : placeat tibi, et responde quod vis. Omnes ergo de his rebus interrogati, clamant hæc bona non esse. Rursus de beneficiis, non solum de non nocendo, verum etiam de præstando atque tribuendo. Interrogatur omnis anima esuriens, Famem pateris; alius habet panem, et redundat ei ultra sufficientiam, novit te egere, non dat : displicet tibi esurienti; displiceat et satiato, cum alterum esurire cognoveris. Peregrinus tecto indigens venit in patriam tuam, non suscipitur : ille tunc clamat inhumanam esse illam civitatem, facile apud barbaros sibi esse potuisse refugium. Sentit iniquitatem, quia patitur : tu forte non sentis; sed oportet ut et te cogites peregrinum, et videas quomodo tibi possit displicere qui tibi non præstiterit quod tu in patria tua non vis peregrino præstare. Interrogo omnes : Vera sunt hæc? Vera. Justa sunt hæc? Justa.

2. Sed Psalmum audite : *Si vere ergo justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum.* Non sit justitia labiorum, sed et factorum. Si enim aliter agis quam loqueris, bona loqueris, et male judicas. Si enim agis quomodo judicas? Interrogatus quid sit melius, aurum an fides, non usque adeo perversus et devius es ab omni veritate, ut aurum melius esse respondeas : præponis ergo interrogatus auro fidem; locutus es justitiam. Audisti Psalmum? *Si vere ergo justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum.* Et ubi probabo non te ita ut locutus es judicare? Jam teneo responsionem tuam præponentem auro fidem. Ecce nescio unde amicus venit, et nullo teste aurum commendavit; solus hoc novit, et tu, quantum ad homines attinet. Est ibi alius testis qui non videtur et videt : et ille tibi aurum in secreto et in cubiculo tuo, forte remotis omnibus arbitris, commendavit; testis qui adest, non in cubiculo adest parietum, sed in cubilibus conscientiarum vestrarum. Commendavit ille atque discessit, nulli suorum notum fecit, rediturum se sperans, et ab amico quod dederat rece-

[1] Omnes Mss., *Rursus.*

pturum : ut humana sunt, mortuus est, habet hæredem, reliquit filium; ignorat filius quid pater habuerit, quid tibi commendaverit. Eia tu redi, redi, prævaricator, ad cor, ibi scripta lex est: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.* Teipsum cogita commendasse, nulli tuorum dixisse, mortuum esse, filium reliquisse: quid si velles a tuo amico præstari? Responde, judica causam : judicis [1] tribunal est in mente tua; sedet ibi Deus, adest accusatrix conscientia, tortor timor. In rebus humanis es, in societate humana detineris : cogita quid velles præstari filio tuo ab amico tuo. Novi quid tibi respondeat cogitatio tua : sic judica, sicut audis. Judica, vox erit [2]. Vox veritatis non tacet; non labiis clamat, sed vociferatur ex corde : adhibe aurem; ibi esto cum filio amici tui. Vides fortasse etiam indigentem vagari [3], nescientem quid pater ejus habuerit, ubi posuerit, cui commendaverit : cogita et filium tuum, fac illum vivere quem contemnis mortuum, te mortuum cogita ut vivas. Sed aliud jubet avaritia, jubet contra Deum; Deus aliud, aliud avaritia; aliud in paradiso conditor noster, aliud de transverso seductor serpens. Veniat in mentem prior casus tuus : propterea mortalis, propterea laborans, propterea in sudore vultus tui panem comedens, propterea spinas et tribulos tibi terra generat (*Gen.* III, 17, 18) : experimento disce, quod noluisti præcepto. Sed vincit cupiditas : cur non potius veritas? Et ubi est quod loquebaris? Ecce cogitas aurum negare, ecce cogitas hæredi amici tui prorsus abscondere. Interrogaveram paulo ante quid sit charius, et quid sit melius, aurum an fides. Quare aliud dicis, aliud agis? Non times hanc vocem, *Si vere justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum?* Ecce locutus es mihi meliorem esse fidem, et in judicio tuo melius duxisti aurum. Non sic judicasti ut locutus es : vera locutus es, et falsa judicasti. Ergo et cum loquebaris justitiam, non vere loquebaris : *Si enim vere justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum.* Quando mihi de justitia respondebas, erubescendo, non fatendo loquebaris.

3. Sed ad causam præsentem jam veniamus, si placet. Vox est enim illa dulcis et nota auribus Ecclesiæ, vox Domini nostri Jesu Christi, et vox corporis ejus, vox Ecclesiæ laborantis, peregrinantis in terra, inter maledicentium et adulantium pericula viventis. Non timebis comminatorem, si non amas adulatorem. Attendit ergo ille cujus hæc vox est, et vidit omnes loqui justitiam. Quis enim audet non loqui eam, ne dicatur injustus? Cum ergo tanquam audiret omnium voces, et intenderet omnium labia, clamabat ad eos : *Si vere utique justitiam loquimini*, si non falso justitiam loquimini, si non aliud in labiis perstrepit, aliud celatur in cordibus, *recta judicate, filii hominum.* Audi ex Evangelio propriam vocem, eamdem ipsam quæ in hoc psalmo est. *Hypocritæ*, ait Dominus Pharisæis, *quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum* (*Matth.* XII, 34, 33). Quid te vis dealbare, paries lutee? Novi interiora tua, non fallor tectorio tuo : novi quid prætendas, novi quid tegas. *Neque enim opus ei erat*, ait evangelista, *ut quisquam ei perhiberet testimonium de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine* (*Joan.* II, 25). *Sciebat quid esset in homine*, qui fecerat hominem, et homo factus erat ut quæreret hominem. Videte ergo si non sequuntur se voces istæ : *Hypocritæ, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Si vere ergo justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum.* Nonne justitiam locuti estis, quando dixistis : *Magister, scimus quia justus es, et nullius personam accipis* (*Matth.* XXII, 16)? Quare dolum in corde tegebatis? quare imaginem Cæsaris Creatori vestro ostendebatis, et ejus imaginem in vestris cordibus delebatis? Nonne auditum est quid locuti fueritis, et expertum est quemadmodum judicaveritis? Nonne vos crucifixistis eum quem justum esse dixeratis? *Si vere ergo justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum.* Utquid audio locutionem vestram, *Scimus quia justus es*; cum prævideam judicium vestrum, *Crucifige, crucifige? Si vere ergo justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum.* Quid enim fecistis sæviendo adversus Deum qui homo erat, et occidendo regem vestrum? Non enim ideo rex non erat futurus, quia occisus est a vobis resurrecturus. In titulo ubi scriptum erat, *Rex Judæorum*, posito super crucem Domini, linguis tribus, hebraica, græca, latina (*Luc.* XXIII, 38), noverat dicere judex homo, *Quod scripsi, scripsi* : et Deus non noverat dicere, Quod scripsi, scripsi? Prorsus rex vester est : vivus, rex vester est; occisus, rex vester est. Ecce resurrexit, et in cœlo rex vester est : ecce venturus est; væ vobis, quia rex vester est. Ite nunc, et loquimini justitiam, et nolite recta judicare, filii hominum. Non vultis recte judicare, recte judicabimini. Vivit enim ille rex vester, et jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur. (*Rom.* VI, 9). Ecce venit; *redite, prævaricatores, ad cor* (*Isai.* XLVI, 8). Ecce veniet, corrigimini antequam veniat, prævenite faciem ejus in confessione (*Psal.* XCIV, 2). Ecce veniet; rex vester est. Recordamini titulum super crucem. Si non eum videtis scriptum, manet tamen : in terra non legitur, sed in cœlo servatur. Putatis enim illam inscriptionem fuisse corruptam? Et quid ait titulus psalmi hujus? *In finem, ne corrumpas ipsi David in tituli inscriptionem.* Non ergo corrumpitur illa inscriptio tituli. Rex vester est Christus, quia omnium rex Christus : *quoniam ipsius est regnum, et ipse dominabitur gentium* (*Psal.* XXI, 29). Si ergo rex est, ecce, antequam veniat, dicit vobis : Adhuc loquor, inquit, nondum judico; qui sic clamo comminando, nolo ferire judicando. *Si vere ergo justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum.*

4. [*Vers.* 3.] Nunc autem quid facitis? Quare ista vobis dico? *Etenim in corde iniquitates operamini in terra.* Iniquitates forte in corde solo? Audi quid se-

[1] Plerique Mss., *Judica, causam dicis, tribunal*, etc.
[2] Sic Er. et omnes fere Mss. Nonnulli vero omittunt, *vox erit*. At editio Lov., *Juridica vox erit*.
[3] Sic Er. et nostri Mss. At Lov., *vacare*.

quitur; et cor suum sequuntur manus, et cordi suo famulantur manus, cogitatur et fit; aut ideo non fit, non quia nolumus, sed quia non possumus. Quidquid vis, et non potes, factum Deus computat. *Etenim in corde iniquitates operamini in terra.* Quid deinde? *Iniquitates manus vestræ connectunt.* Quid est, *connectunt?* De peccato peccatum, et ad peccatum peccatum, propter peccatum. Quid est hoc? Furtum fecit, peccatum est: visus est, occidere quærit eum a quo visus est; connexum est peccatum peccato. Permiserit Deus occulto judicio occidere eum quem voluit occidere; sentit sciri, quærit et alterum occidere; connexuit tertium. Dum ea molitur, forte ne inveniatur, aut quia fecit ne convincatur, consulit mathematicum; additum est quartum. Respondet forte aliqua dura et mala mathematicus; curritur ad aruspicem ut expietur: respondet aruspex non se posse expiare; maleficus quæritur. Et quis omnia possit numerare quæ connectantur peccata peccatis? *Iniquitates manus vestræ connectunt.* Quamdiu connectis, ligas peccatum peccato: te solve a peccatis. Sed non possum, inquis. Clama ad illum: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24). Veniet enim gratia Dei, ut delectet te justitia, sicut delectabat iniquitas; et homo qui ex vinculis resolutus es, exclamabis ad Deum: *Disrupisti vincula mea* (*Psal.* CXV, 16). Quid est, *disrupisti vincula mea*, nisi, remisisti peccata mea? Audi quia vincula sunt: respondet Scriptura, *Criniculis peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V, 22). Non solum vincula, sed et criniculi sunt. Criniculi sunt, qui fiunt intorquendo: hoc est quod peccatis peccata connectebas. *Væ his qui trahunt peccata sicut restem longam*, Isaias clamat. *Væ his qui trahunt peccata sicut restem longam* (*Isai.* V, 18): quid est aliud, quam væ his quorum manus connectunt iniquitatem? Et quia unusquisque peccatis suis constringitur, sicut et peccatis suis cæditur, Dominus male versantes in templo flagello de resticulis facto exclusit (*Joan.* II, 15). Sed non vis modo disrumpi vincula tua, quia non sentis vincula tua; etiam delectant te, et voluptati sunt: senties in fine, cum dicetur, *Ligate illi manus et pedes, et projicite illum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII, 13). Exhorrescis, times, pectus tundis; dicis mala esse peccata, bonam esse justitiam. Si *vero ergo justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum.* In vita vestra inveniantur verba vestra; in factis vestris cognoscantur labia vestra. Nolite ergo connectere iniquitatem; quia vobis ad alligaturam adhibebitur quidquid connectitis. Non audiunt; non omnes tamen: et qui non audiunt præcogniti sunt.

5. [*vers.* 4.] *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt a ventre, locuti sunt falsa.* Et cum iniquitatem loquuntur, falsa loquuntur; quia fallax est iniquitas: et cum justitiam loquuntur, falsa loquuntur; quia aliud ore proferunt, aliud in corde obtegunt. *Alienati sunt peccatores a vulva:* Quid est hoc? Quæramus diligentius: fortassis enim illud dicit quia Deus præcognovit homines peccatores etiam in uteris matrum. Nam unde cum adhuc prægnans esset Rebecca, et geminos in utero portaret, dictum est: *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui* (*Gen.* XXV, 23, *Malach.* I, 2, 3, *et Rom.* IX, 13)? Dictum est enim: *Major serviet minori.* Occultum ibi judicium Dei; sed tamen *a vulva*, id est, ab ipsa origine *alienati sunt peccatores.* Unde alienati? A veritate. Unde alienati? A patria beata, a vita beata. An forte alienati ab ipsa vulva? Et qui peccatores alienati sunt a vulva? Qui enim nascerentur, si non ibi tenerentur? Aut qui hodie viverent, ut hæc sine causa audirent, nisi nascerentur? Forte ergo a quadam vulva alienati sunt peccatores, in qua dolores patiebatur charitas, per Apostolum dicens, *Quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis* (*Gal.* IV, 19). Exspecta ergo; formare [1]. Noli tibi tribuere judicium quod forte non nosti. Carnalis es adhuc, conceptus es: eo ipso quo accepisti nomen Christi, sacramento quodam natus es in visceribus matris. Non enim ex visceribus tantum homo nascitur, sed et in visceribus. Prius nascitur in visceribus, ut possit nasci de visceribus. Propterea dictum est de Maria: *Quod enim natum est in ea, de Spiritu sancto est* (*Matth.* I, 20). Nondum de illa natum erat, sed jam in illa natum erat. Ergo nascuntur intra viscera Ecclesiæ quidam parvuli; et bonum est ut formati exeant, ne abortu labantur. Generet te mater, non abortiat. Si patiens fueris, usquequo formeris, usquequo in te certa sit doctrina veritatis, continere te debent materna viscera. Si autem impatientia tua concusseris latera matris, cum dolore quidem te excutit foras, sed magis tuo malo quam suo.

6. *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt a ventre, locuti sunt falsa.* Ideo ergo erraverunt a ventre, quia locuti sunt falsa? An potius ideo locuti sunt falsa, quia erraverunt a ventre? In ventre quippe Ecclesiæ, veritas manet. Quisquis ab hoc ventre Ecclesiæ separatus fuerit, necesse est falsa loquatur: necesse est, inquam, falsa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excussit. Inde hæretici clamant contra Evangelium: ut de his potius loquamur quos dolemus excussos. Recitamus eis: Ecce Christus dixit, *Oportebat Christum pati, et a mortuis resurgere tertia die.* Agnosco ibi caput nostrum, agnosco ibi sponsum nostrum: agnosce et tu mecum sponsam, vide quid sequitur: *Prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (*Luc.* XXIV, 46, 47). Huc veni, huc veni (*a*). Ecce Ecclesia *per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem:* non dico, Huc veni; ipsa ad te venit. Illi autem obsurdescentes adversus Evangelium, et non nos permittentes legere verba Dei, quæ se jactant custodisse a flamma et volunt delere linguis, loquuntur sua, loquuntur inania: Ille tradidit, et ille tradidit. Imo et ego dico, Et ille tradidit, et ille tradidit: et verum dico. Sed quid ad me? Nec tu mihi quos nominas ex Evangelio legis, nec ego quos nomino ex Evangelio lego. Auferantur de

[1] Edd., *formari.* At Mss., *formulare.*
(*a*) Vox Donatistarum.

medio chartæ nostræ, procedat in medium Codex Dei. Audi Christum dicentem, audi veritatem loquentem : *Prædicari in nomine ejus*, inquit, *pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem*. Non, inquiunt; sed quod nos dicimus audite : quod dicit Evangelium nolumus audire. *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt a ventre, locuti sunt falsa*. Nos loquamur vera, quia audivimus vera ; quod Dominus dicit, non quod homo dicit. Potest fieri ut homo mentiatur : non potest fieri ut veritas mentiatur. Ex veritatis ore agnosco Christum, ipsam veritatem : ex veritatis ore agnosco Ecclesiam, participem veritatis. Nemo mihi falsa loquatur, qui erravit ab utero in visceribus Ecclesiæ : primo viderem quid me vellet docere. Video alienatum a vulva, video errasse a ventre, et auditurus sum ab eo, quid nisi falsa? *Erraverunt a ventre, locuti sunt falsa*.

7. [*vers*. 5, 6.] *Indignatio eis secundum similitudinem serpentis*. Magnam rem audituri estis. *Indignatio eis secundum similitudinem serpentis*. Quasi dixerimus, quid est quod dixisti? sequitur, *Sicut aspidis surdæ*. Unde surdæ? *Et obturantis aures suas*. Ideo surdæ, quia obturat aures suas. *Et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, et medicamenti medicati a sapiente*. Sicut audivimus, quod et homines dicunt, qui ea qua potuerunt hæc cognitione didicerunt, sed tamen quod Spiritus Dei multo melius omnibus hominibus novit. Non enim frustra hoc dixit, nisi quia fieri potest ut verum sit etiam illud quod audivimus de aspide. Aspis cum cœperit pati incantatorem Marsum, qui eam quibusdam carminibus propriis evocat, sicut sunt multa etiam magica, audite quid facit. Sed interim in hoc attendite, fratres : hoc enim præloquendum est, ne quisquam veluti hæsitans audiat : non, undecumque datur similitudo, ab Scripturis laudatur ipsa res, sed tantum inde similitudo trahitur. Non enim laudavit iniquum judicem qui nolebat audire illam viduam, et nec Deum timebat, nec homines reverebatur; et tamen inde similitudinem Dominus traxit (*Luc*. XVIII, 2): nec illum laudavit pigrum qui tres panes, non propter amicitiam dedit petenti, sed tædio victus; et tamen inde similitudinem dedit (*Luc*. XI, 8). Et de rebus ergo non laudandis trahuntur secundum quemdam modum nonnullæ similitudines. Aut si propterea putatis eundum esse ad Marsos, quia hoc audistis in Scriptura Dei; eundum est et ad spectacula theatri, quia dicit Apostolus : *Non sic pugillor, quasi aerem cædens;* pugilari enim est pancratium facere. Jam quia hinc data est similitudo, spectacula ista delectare nos debent? aut quia dixit, *Qui in agone contendit, ab omnibus abstinens est* (I *Cor*. IX, 26, 28); propterea agonistica ista vana et ludicra debet affectare christianus? Attende quid tibi dicatur ad similitudinem, quid moneatur ad prohibitionem. Ita ergo et hic data est quædam similitudo de Marso, qui incantat ut educat aspidem de tenebrosa caverna : utique in lucem vult educere ; illa autem amando tenebras suas quibus se involutans occultat, dicitur quod cum exire noluerit, recusans tamen audire illas voces quibus se cogi sentit, allidit unam aurem terræ, et de cauda obturat alteram, atque ita voces illas quantum potest evitans, non exit ad incantantem. Huic similes dixit Spiritus Dei quosdam non audientes verbum Dei, et non solum non facientes, sed omnino ne faciant audire nolentes [1].

8. Factum est hoc et in primis temporibus fidei. Stephanus martyr prædicabat veritatem, et tanquam tenebrosis mentibus, ut eas in lucem educeret, incantabat : ubi venit ad commemorationem Christi, quem illi omnino audire noluerunt, quid de eis Scriptura dicit? quid de illis narrat? *Clauserunt*, inquit, *aures suas*. Quid autem postea fecerint, passio Stephani narrata declarat. Non erant surdi, sed fecerunt se surdos. Quia enim aures patentes in corde non habebant, violentia tamen verbi per aures carnis irruens, etiam ipsis auribus cordis vim faciebat : clauserunt et aures corporis, et ierunt ad lapides (*Act*. VII, 56, 57). Ecce aspides surdæ, duriores lapidibus quibus incantatorem suum lapidaverunt : non audierunt vocem incantantis, *et medicamenti medicati a sapiente*. Quid est medicamentum medicatum a sapiente? Forte medicamentum confectum, dicat medicamentum medicatum. An quærimus ibi aliquid, quomodo jam si medicamentum est, etiam medicatum sit? Medicamenta erant in Prophetis, medicamenta erant in Lege, præcepta ipsa omnia medicamenta erant; et hoc medicamentum nondum erat medicatum : adventu Domini medicatum est medicamentum ; hoc illi ferre non potuerunt. Quia enim non curabantur medicamento, medicatum est ipsum medicamentum adventu Domini. Jam Stephanus medicamentum medicatum incantabat; hoc illi audire noluerunt : unde medicatum est medicamentum, contra hoc aures clauserunt. Nam ibi hoc fecerunt, ubi nominatus est Christus. Indignatio eorum, sicut indignatio serpentis. Quid aures clauditis? Exspectate, audite ; et si potueritis, sævite. Quia nolebant nisi sævire, noluerunt audire. Quod si audirent, forte desævirent. Indignatio eorum, sicut indignatio serpentis.

9. Tales etiam istos patimur (*a*). Primo sibi veritatem tenere videbantur : non cessavit Deus, non quievit. In [2] Ecclesia sua prædicata est veritas, in visceribus matris aperta sunt eorum mendacia : patefactum est quod lucet ; demonstrata est civitas super montem constituta, quæ abscondi non potest, et lucerna posita est super candelabrum, quæ lucet omnibus qui in domo sunt (*Matth*. V, 14, 15). Ubi enim latet Ecclesia Christi? ubi latet veritas Christi? Nonne ipse est mons qui crevit ex minimo lapide, et implevit universam faciem terræ (*Dan*. II, 35)? Convincuntur hinc, non habent quod dicant contra Ecclesiam. Et quid eis remansit? Quid nos quæritis? quid nos vultis, dicunt? recedite a nobis. Dicunt autem et suis : Nemo cum illis loquatur, nemo illis conjungatur, nemo illos audiat. Indignatio eorum, indignatio serpentium :

[1] Sic Mss. At Edd., *et non solum non audientes, sed omnino ut non valeant audire facientes*.
[2] Particula, *in*, quæ in Edd. deerat, hic revocatur ex Mss.
(*a*) Donatistas.

sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, et medicamenti, hoc est vocem medicamenti, *medicati a sapiente*. Nonne hinc jam intelligitur quale medicamentum, quando vocem dicit? Numquid medicamentum habet vocem? Est quoddam medicamentum quod habet vocem. Medicamentum portamus; vocem ejus audite, non quomodo aspides surdæ. *Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum*. Vox est *medicamenti*, et hoc *medicati a sapiente*. Jam enim venit Christus qui impleret Legem et Prophetas (*Matth.* v, 17), qui veritatem ipsam firmaret: in quibus duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ (*Id.* xxii, 40).

10. An forte quærimus aliquid et in eo quod dicitur aspis ita aures claudere, ut unam earum in terram premat, alteram cauda oppilet? Quid sibi vult hoc? In cauda, posteriora utique intelliguntur; ergo [1] præterita, quo jam tergum oportet ponere, ut in ea quæ nobis promittuntur intendamus: ergo nec ex præterita vita nostra, nec ex præsenti delectari debemus. Hoc enim Apostolus monet dicens, *Quem ergo aliquando fructum habuistis in his in quibus nunc erubescitis* (*Rom.* vi, 21)? Revocat a recordandis cum delectatione præteritis, et cum quadam concupiscentia fruendi [2], ne redeamus corde in Ægyptum. Quid de præsentibus? quomodo jubet etiam ipsa contemni? *Non respicientibus*, inquit, *quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna* (II *Cor.* iv, 18). Item de præsenti vita dicit: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus* (I *Cor.* xv, 19). Obliviscere ergo præterita, quibus male vixisti; contemne præsentia, quibus temporaliter vivis, ne te alligando, præsentia non permittant pervenire ad futura. Si enim præsens vita te delectat, aurem in terra posuisti: si tuis præteritis etiam retro labentibus delectaris, aurem de cauda obturasti. Debes ergo ire in lucem, exire de tenebris, audita voce medicamenti medicati a sapiente; ut jam in luce ambulans, et exsultans dicas: *Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus* (*Philipp.* iii, 13). Non dixit: Quæ retro oblitus, et ex præsentibus delectatus. Cum dicit, *Quæ retro oblitus*, non obturavit aurem de cauda; cum dicit, *In ea quæ ante sunt extentus*, his et præsentibus non obsurduit: merito audiens, merito prædicans, merito exsultat lingua ejus, prædicans veritatem in luce nova, deposita vetere tunica. Et ad hoc enim valet astutia serpentis, ad quam nos imitandam Dominus exhortatur. Ait enim: *Estote astuti sicut serpentes* (*Matth.* x, 16). Quid est, *astuti sicut serpentes?* Offer omnia membra tua percutienti, dummodo caput integrum serves. *Caput viri, Christus* (I *Cor.* xi, 3). Sed gravat quasi pondus corii cujusdam et quasi senecta veteris hominis. Audi Apostolum dicentem, *Exuentes vos veterem hominem, et induentes novum* (*Coloss.* iii, 9, 10). Et quomodo exuo, inquis, veterem hominem? Imitare astutiam serpentis. Quid enim facit serpens, ut exuat se veterem tunicam? Coarctat se per foramen angustum. Et ubi, inquis, invenio hoc foramen angustum? Audi: *Arcta et angusta est via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui ingrediuntur per eam* (*Matth.* vii, 14). Reformidas eam, et non vis ambulare, quia pauci sunt? Ibi ponenda est vetus tunica, et alibi poni non potest. Aut si vis vetustate impediri, gravari, premi, noli ire per angustam. Si autem gravaris vetustate quadam peccati tui et præteritæ vitæ, transire non potes. Quia ergo corpus quod corrumpitur, aggravat animam (*Sap.* ix, 15); vel cupiditates corporales non premant, vel concupiscentiæ carnis exuantur. Unde exuuntur, nisi ieris per angustam [1], nisi fueris astutus ut serpens?

11. [*vers.* 7.] *Deus contrivit dentes eorum in ore ipsorum*. Quorum? Quibus indignatio est sicut similitudo serpentis, et aspidis obturantis aures suas, ne audiat vocem incantantium, et medicamenti medicati a sapiente. Quid illis fecit Dominus? *Contrivit dentes eorum in ore ipsorum*. Factum est; hoc primo factum est, et modo fit. Sed sufficeret, fratres mei, ut diceretur, *Deus contrivit dentes eorum*. Quare, *in ore ipsorum?* Nolebant audire legem, nolebant audire præcepta veritatis a Christo Pharisæi, similes serpenti illi et aspidi. Præteritis enim suis peccatis delectabantur, et præsentem vitam nolebant amittere, id est gaudia terrena pro gaudiis æternis. Unam aurem claudebant ex delectatione præteritorum, alteram ex delectatione præsentium [2]: ideo nolebant audire. Nam unde est illud: *Si dimiserimus eum, venient Romani, et tollent nobis et locum et gentem* (*Joan.* xi, 48)? Utique nolebant perdere locum, ad terram colliserant aurem suam; et ideo noluerunt audire verba illa medicata a sapiente. Dictum est de illis et quod avari erant et amatores pecuniæ: et omnis vita eorum, etiam præterita, descripta est a Domino in Evangelio. Qui legit diligenter Evangelium, invenit unde illi ambas aures obturabant. Intendat Charitas Vestra: Dominus quid fecit? *Contrivit dentes eorum in ore ipsorum*. Quid est, *in ore ipsorum?* Ut ore suo contra se pronuntiarent: coegit illos ore suo in se sententiam dicere. Calumniari volebant et propter tributum: non dixit ille, Licet reddere tributum, aut, non licet reddere. Et volebat dentes eorum, quibus inhiabant ut morderent, conterere; sed in ore ipsorum volebat. Si diceret, Solvatur Cæsari tributum; calumniarentur illi quod maledixisset genti Judæorum, eam tributariam faciendo. Ex peccato enim tributum reddebant humiliati, sicut illis in Lege prædictum erat. Tenemus illum, aiunt, maledictorem gentis nostræ, si nos jusserit tributum persolvere: si autem dixerit, Nolite solvere, tenemus eum quod contradixerit nobis devotos esse Cæsari. Talem bicipitem laqueum quasi capiendo Domino posuerunt. Sed ad quem venerant? Qui noverat conterere dentes eorum in ore ipsorum. *Ostendite mihi nummum*, in-

[1] Sic Mss. Edd. vero, *ergo non in præterita*.
[2] Sic Mss. At Edd., *fruendis*.

[1] Sic Mss. At Edd. hoc loco, *per angustum*.
[2] Mss., *id est gaudia terrena. Ex gaudiis terrenis unam aurem claudebant, ex delectatione præteritorum alteram: ideo*, etc.

quit. *Quid me tentatis, hypocritæ?* De tributo solvendo cogitatis? justitiam facere [1] vultis? consilium justitiæ quæritis? *Si vere justitiam loquimini, recta judicate, filii hominum.* Nunc autem quia alia loquimini, alia judicatis, hypocritæ estis : *quid me tentatis?* Nunc conteram dentes vestros in ore vestro : *ostendite mihi nummum.* Et demonstraverunt ei. Et ille non dicit, Cæsaris est; sed interrogat, *Cujus est?* ut eorum dentes in ore ipsorum conterantur. Quærente quippe illo cujus haberet imaginem et inscriptionem, illi Cæsaris dixerunt. Jam nunc Dominus conteret dentes eorum in ore ipsorum. Jam respondistis, jam contriti sunt dentes vestri in ore vestro. *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt* (*Matth.* XXII, 17-21). Quærit Cæsar imaginem suam; reddite : quærit Deus imaginem suam; reddite. Non perdat ex vobis Cæsar nummum suum : non perdat Deus in vobis nummum suum. Et illi non invenerunt quid responderent. Missi enim erant ut calumniarentur ei : et redierunt dicentes quod nemo possit ei respondere. Unde? Quia contriti erant dentes eorum in ore ipsorum.

12. Inde est et illud : *In qua potestate ista facis? Et ego interrogabo vos unum sermonem; respondete mihi.* Et interrogavit de Joanne, unde esset baptismus Joannis, de cœlo, an ex hominibus; ut si quid responderent, contra illos esset. Noluerunt dicere, Ex hominibus, timentes homines ne lapidarentur ab eis, eo quod Joannem prophetam haberent: dicere, De cœlo plus formidabant, ne faterentur ipsum Christum, quia Joannes prædicaverat Christum. Coarctati utrinque, ex hac parte et ex hac parte, qui parabant objicere crimen responderunt ignorantiam; dixerunt : *Nescimus* (*Marc.* XI, 28-33). Calumniam [2] enim præparabant, quando dixerunt, *In qua potestate ista facis?* ut si diceret, Christus sum, quasi arrogantem, superbum, sacrilegum invaderent. Noluit dicere, Christus sum; sed quæsivit de Joanne, qui dixerat quod ipse esset Christus. Illi non sunt ausi reprehendere Joannem, timentes ne a populo occiderentur : non sunt ausi dicere, Verum dixit Joannes, ne diceretur eis, Credite illi. Obmutuerunt, nescire se dixerunt : jam mordere non valebant. Unde non valebant? Jam occurrit vobis; contriti erant dentes eorum in ore ipsorum.

13. Pharisæo displicuit Dominus illi qui ad prandium vocaverat, quod peccatrix mulier accesserit ei ad pedes; et murmuravit adversus eum dicens : *Si esset hic propheta, sciret quæ mulier illi accessit ad pedes.* O tu non propheta, unde scis quod nescierit quæ mulier illi accessit ad pedes? Quia non servabat videlicet munditiam Judæorum, quæ a foris quasi custodiebatur in carne, et exsulabat [3] ex corde, hoc de Domino suspicatus est. Dominus autem qui peccata mulieris noverat, etiam cogitationes hospitis audiebat, et respondit quæ nostis. Et ne diu hinc loquar, tamen in ore ejus voluit conterere dentes ejus. Proposuit enim : *Duo debitores erant cuidam feneratori; unus quingentos debebat denarios, alius quinquaginta. Non habebant ambo unde redderent; dimisit ambobus. Quis eum plus dilexit?* Ad hoc interrogat ille, ut ille respondeat : ad hoc ille respondet, ut dentes ejus in ore ejus conterantur. Respondit confusus, exclusus est : admissa est illa ad percipiendam misericordiam, quæ irruperat in habitaculum alienum, sed non accesserat ad Deum alienum (*Luc.* VII, 39-50) : *Contrivit Dominus dentes eorum in ore ipsorum.*

14. *Molas leonum confregit Dominus.* Non tantum aspidum. Quid de aspidibus? Aspides insidiose volunt venena immittere, et spargere, et insibilare. Apertissime sævierunt gentes, et fremuerunt sicut leones. *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania* (*Psal.* II, 1)? Quando insidiabantur Domino, *Licet dare tributum Cæsari, an non licet?* aspides erant, serpentes erant : contriti sunt dentes eorum in ore ipsorum. Postea clamaverunt, *Crucifige, crucifige* (*Matth.* XXVII, 23, *et Joan.* XIX, 6) : jam non est lingua aspidis, sed fremitus leonis. Sed et *molas leonum confregit Dominus.* Forte hic non vacat quod non addidit, in ore eorum. Insidiantes enim captiosis interrogationibus, cogebantur responsione sua vinci : isti autem qui aperte sæviebant, numquid interrogationibus convincendi erant? Tamen et eorum molæ contritæ sunt : crucifixus resurrexit, ascendit in cœlum, glorificatus est Christus, adoratur ab omnibus gentibus, adoratur ab omnibus regibus. Sæviant modo Judæi, si possunt. Non sæviunt. *Molas leonum confregit Dominus.*

15. Habemus et in hæreticis hoc documentum et experimentum, quia et ipsos invenimus esse serpentes indignatione obsurdatos, nolentes audire medicamentum medicatum a sapiente : et in ore ipsorum contrivit Dominus dentes eorum. Quomodo sæviebant in nos, reprehendendo quod quasi persecutores essemus, excludendo illos de basilicis? Modo illos interroga : Debent excludi hæretici de basilicis, an non debent? Respondeant modo. Dicant non debere : repetunt Maximianistæ basilicas. Ne autem repetant Maximianistæ basilicas, dicunt debere. Quid est ergo quod dicebatis adversum nos? An contriti sunt dentes vestri in ore vestro? Quid nobis et regibus, inquiunt? quid nobis et imperatoribus? Vos de imperatoribus præsumitis. Quæro et ego : Quid vobis ad proconsules, quos miserunt imperatores? quid vobis ad leges, quas contra vos dederunt imperatores? Imperatores communionis nostræ leges adversus omnes hæreticos dederunt : eos utique appellant hæreticos, qui non sunt communionis eorum, inter quos utique et vos estis. Si veræ sunt leges, valeant et in vos hæreticos; si falsæ sunt leges, quare valent contra vestros hæreticos? Fratres, paululum advertite, et intelligite quod diximus : quando egerunt causas suas adversus Maximianistas, ut eos a se damnatos et schismaticos suis ejicerent de locis, quæ illi loca tenebant antiquitus, et successerant episcopis decessoribus suis; volentes

[1] Sic Mss. At Edd., *justitiam facere non vultis.*
[2] Er. et Mss., *calumniari.*
[3] Sic Mss. At Edd., *et non colebatur ex corde.*

illos inde excludere, egerunt legibus publicis, ad judices venerunt, dixerunt se catholicos, ut possent excludere hæreticos. Quare te dicis catholicum, ut excludatur hæreticus, et non potius es catholicus, ne sis exclusus hæreticus? Modo catholicus es, ut valeas ad excludendum hæreticum. Judex enim non posset nisi legibus suis judicare. Dixerunt se catholicos; admissi sunt agere: dixerunt illos hæreticos; quæsivit unde probaretur: lectum est concilium Bagaitanum, ubi damnati sunt Maximianistæ; insertum est Actis proconsularibus, probatum est quod illi damnati non deberent tenere basilicas, et pronuntiavit proconsul ex lege. Ex qua lege? Quæ lata est contra hæreticos. Si contra hæreticos, et contra te. Quare, inquit, contra me? non enim ego hæreticus sum. Si tu hæreticus non es, falsæ sunt illæ leges: ab his enim imperatoribus latæ sunt, qui non sunt communionis tuæ; omnes qui non sunt communionis eorum, legibus suis hæreticos vocant. Non quæro utrum veræ an falsæ; sequestrata illa sit quæstio, si adhuc quæstio est: interim secundum te modo interrogo, Veræ leges sunt, an falsæ leges sunt? Si veræ sunt, credatur eis: si falsæ sunt, quare uteris eis? Dixisti proconsuli: Catholicus sum, exclude hæreticum. Quæsivit ille unde probaretur hæreticus: protulisti concilium tuum, ostendisti quod eum damnaveris. Ille vel connivens [1], vel non intelligens, usus tamen est lege sicut judex: et fecisti de judice quod de te non vis facere. Si enim judex usus est lege imperatoris ad tuam suggestionem, cur ea tu non uteris ad tuam correctionem? Ecce ejecit hæreticum tuum ex lege imperatoris sui: quare te ex eadem lege non vis ut ejiciat? Replicamus quod fecistis: ecce basilicæ tenebantur a Maximianistis, modo a vobis tenentur; exclusi sunt ex eis Maximianistæ: exstant jussiones proconsulum, exstant memoriæ Gestorum; apparitores accipiuntur, civitates excitantur, pelluntur homines de locis suis. Quare? Quia hæretici sunt. Qua lege pelluntur? Responde: videamus si nondum contriti sunt dentes vestri in ore vestro. Falsa lex est? Non valeat in hæreticum tuum. Vera lex est? Valeat et in te. Non est quod respondeant; *Deus contrivit dentes eorum in ore ipsorum.* Ideoque ubi non possunt lubrica fallacia serpere ut aspides, aperta violentia fremunt ut leones. Prosiliunt et sæviunt armatæ turbæ Circumcellionum; dant stragem quantam possunt, quantamcumque possunt. Sed et *molas leonum confregit Dominus.*

16. [*vers.* 8.] *Spernentur tanquam aqua decurrens.* Non vos terreant, fratres, quidam fluvii qui dicuntur torrentes; hiemalibus aquis implentur: nolite timere; post paululum transit, decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit; diu stare non possunt. Multæ hæreses jam emortuæ sunt: cucurrerunt in rivis suis quantum potuerunt, decurrerunt, siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint. *Spernentur tanquam aqua decurrens.* Sed non solum ipsi: totum hoc sæculum ad tempus perstrepit, et quærit quem trahat. Omnes impii, omnes superbi, sonantes ad saxa superbiæ suæ quasi aquis irruentibus et confluentibus, non vos terreant; hiemales aquæ sunt, semper manare non possunt: necesse est decurrant in locum suum, in finem suum. Et tamen de isto torrente sæculi bibit Dominus. Passus est enim hic, ipsum torrentem bibit; sed in via bibit, sed in transcursu, quia in via peccatorum non stetit (*Psal.* I, 1). Sed quid ait de illo Scriptura? *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput* (*Psal.* CIX, 7): id est, propterea glorificatus est, quia mortuus est; propterea resurrexit, quia passus est. Si nollet bibere in via de torrente, non moreretur; si non moreretur, non resurgeret; si non resurgeret, non glorificaretur. Ergo, *de torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Exaltatum est jam caput nostrum: sequantur eum membra sua. *Spernentur tanquam aqua decurrens. Intendit arcum suum, donec infirmentur.* Minæ Dei non cessant: arcus Dei, minæ Dei. Intenditur arcus, nondum ferit. *Intendit arcum suum, donec infirmentur.* Et multi infirmati sunt [1] ipsius intentione arcus territi. Nam hinc infirmatus est ille qui dixit: *Quid me jubes facere? Ego sum*, inquit, *Jesus Nazarenus, quem tu persequeris* (*Act.* IX, 6, 5). Qui clamabat de cœlo, arcum tendebat. Multi ergo qui fuerunt inimici, infirmati sunt, et conversi noluerunt erigere diu cervices suas adversus perseverantiam extenti arcus. Nam sic infirmatus est et ille qui ait, ne timeamus infirmari: *Quando infirmor, tunc potens sum.* Et cum oraret a se tolli stimulum carnis, quid ei responsum est? *Virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 10, 9). *Intendit arcum suum, donec infirmentur.*

17. [*vers* 9.] *Sicut cera liquefacta auferentur.* Dicturus enim eras: Non omnes sic infirmantur, quomodo ego, ut credant; perseverant multi in malo suo et in malitia sua. Et de ipsis nihil timeas: *Sicut cera liquefacta auferentur.* Non contra te stabunt, non perdurabunt: igne quodam concupiscentiarum suarum peribunt. Est enim hic quædam pœna occulta: de illa dicturus est modo Psalmus usque in finem. Pauci sunt versus: intenti estote. Est quædam pœna futura, gehennæ ignis, ignis æternus. Futura enim pœna duas species habet. Aut inferorum est, ubi ardebat dives ille, qui volebat sibi stillam aquæ stillari in linguam de digito pauperis, quem ante januam suam contempserat, quando ait: *Quoniam crucior in hac flamma* (*Luc.* XVI, 24). Et altera est illa in fine, de qua audituri sunt: qui ad sinistram ponendi sunt: *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Illæ pœnæ manifestæ erunt eo tempore, quando exitum fuerit ex hac vita, aut finito sæculo perventum ad resurrectionem mortuorum. Modo ergo nulla pœna est, et prorsus impunita sinit Deus peccata usque ad illum diem? Est et hic quædam pœna occulta; de ipsa modo tractatur. Hanc vult commendare Spiritus Dei: hanc intelligamus, hanc caveamus, hanc evitemus, et in illas multum terribiles non incidemus. Forte dicturus est

[1] In multis Mss., *conhibens.* In aliis et apud Er., *cohibens.*

[1] In aliquot Mss. additur, *et conversi sunt.*

mihi aliquis: Sunt et hic pœnæ, carceres, exsilia, tormenta, mortes, diversa genera dolorum et tribulationum. Sunt quidem et ista, et Dei judicio dispensantur; sed multis ad probationem, multis ad damnationem. Videmus tamen aliquando in his pœnis justos affligi, et ab his pœnis injustos esse alienos: unde nutaverunt pedes illi, qui postea gratulatus ait, *Quam bonus Israel Deus rectis corde! Mei autem pene commoti sunt pedes, quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum intuens.* Viderat enim felicitatem malorum, et delectatus erat esse malus, videns regnare malos, bene illis esse, abundare eos in omni copia rerum temporalium, qualia adhuc ipse parvulus desiderabat a Domino: et nutaverunt illi pedes, usquequo videret quid in finem vel sperandum vel timendum sit. Ait enim in eodem psalmo: *Hoc labor est ante me, donec introeam in sanctuarium Dei, et intelligam in novissima* (*Psal.* LXXII, 1, 2, 3, 16, 17). Non ergo pœnas inferorum, non pœnas illius post resurrectionem ignis æterni, non pœnas istas quæ adhuc in hoc sæculo promiscuæ sunt justis et injustis, et plerumque graviores justorum quam injustorum: sed nescio quam pœnam præsentis vitæ vult commendare Spiritus Dei. Advertite, audite hoc me dicturum quod noveratis: sed dulcius est cum in Psalmo ostenditur, qui obscurus antequam ostenderetur, putabatur. Ecce enim profero quæ jam noveratis: sed quia inde proferuntur, ubi nondum ea videbatis, fit ut etiam nota tanquam nova delectent. Audite pœnam impiorum: *Sicut cera*, inquit, *liquefacta auferentur.* Dixi per concupiscentias suas hoc eis fieri. Concupiscentia mala, quasi ardor est et [1] ignis. Ignis consumit vestem, libido adulterii non consumit animam? De cogitato adulterio cum loqueretur Scriptura ait: *Alligabit quis ignem in sinu suo, et vestimenta sua non comburet?* Gestas in sinu prunas, perforatur tunica: gestas in cogitatione [2] adulterium, et integra est anima (*Prov.* VI, 27-29)?

18. Sed istas pœnas pauci vident: propterea eas maxime commendat Spiritus Dei. Audi Apostolum dicentem: *Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum.* Ecce ignis, a cujus facie tanquam cera liquescunt: solvuntur enim a quadam constantia castitatis; propterea et ipsi euntes in libidines suas, soluti et fluxi dicuntur. Unde fluxi? unde soluti? Ab igne concupiscentiarum. *Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, ut faciant quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate.* Et enumerat multa quæ peccata sunt, et pœnas dicit esse peccatorum. Nam dicit primam pœnam superbiam: imo non pœnam, sed primum peccatum superbiam. Primum peccatum superbia est: ultima pœna est ignis æternus, aut ignis infernus; jam enim damnatorum. Inter illud primum peccatum et hanc ultimam pœnam, media quæ sunt, et peccata sunt et pœnæ. Tam multa enim dicit Apostolus fieri ab eis, quæ peccata sunt detestabilia; et tamen pœnas eas dicit. *Propter hoc*, inquit, *Deus tradidit eos in concupiscentias cordis eorum, in immunditiam, ut faciant quæ non conveniunt.* Et ne putaret quisquam ipsis pœnis tantum se affligi quibus modo delectatur, et non timeret quod venturum est in fine, commemoravit ultimam pœnam: *Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt*, inquit, *quoniam qui ea agunt, digni sunt morte; non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Qui ea agunt digni sunt morte:* quæ? Quæ superius enumeravit in pœnis esse: nam *tradidit illos Deus*, dixit, *in concupiscentias cordis eorum, ut faciant quæ non conveniunt.* Ut adulter sit, jam pœna est; ut mendax, ut avarus, ut fraudulentus, ut homicida, jam pœnæ sunt. Cujus peccati pœnæ? Prioris apostasiæ, illius superbiæ: *Initium peccati hominis apostatare a Deo; et initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* X, 14, 15). Propterea ipsum peccatum prius dixit: *Qui cum cognovissent Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum.* Jam ista pœna est obscuratio cordis. Sed unde contigit? *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom.* I, 21-29). Quia a se habere dicebant quod a Deo acceperant; aut si cognoverunt a quo acceperunt, non eum glorificaverunt a quo se accepisse cognoverunt; hoc est, *Dicentes se esse sapientes.* Et ibi statim pœna secuta est: *Stulti facti sunt, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Parva ista pœna est? Ut de ista sola loquamur, obscuratio cordis, excæcatio mentis parva est pœna? Si quis furtum faciens, statim oculum perdidisset, omnes dicerent Deum præsentem vindicasse. Oculum cordis amisit, et ei pepercisse putatur Deus! *Sicut cera liquefacta auferentur.*

19. *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* Videtis quomodo dicit quamdam pœnam obscurationis. *Ignis supercecidit:* ignis superbiæ, ignis fumosus, ignis concupiscentiæ, ignis iracundiæ. Quantus ignis est? Super quem ceciderit, non videbit solem. Ideo dictum est: *Non occidat sol super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV, 26). Ergo, fratres, ignem malæ concupiscentiæ timete, si non vultis liquefieri sicut cera, et perire a facie Dei. Supercadit enim ignis iste, et solem non videbitis. Quem solem? Non istum quem tecum vident et pecora, et muscæ, et boni et mali; quia facit solem suum oriri super bonos et malos (*Matth.* V, 45). Sed est alius sol, de quo dicturi sunt illi, *Et sol non ortus est nobis; transierunt omnia illa tanquam umbra. Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non ortus est nobis* (*Sap.* V, 6, 9). Quare, nisi quia *supercecidit ignis, et non viderunt solem?* Vicit illos concupiscentia carnis. Et ista concupiscentia unde venit? Attendite. De traduce natus es cum eo quod vincas: noli tibi hostes addere, vince cum quo natus es. Ad stadium vitæ hujus cum illo venisti, congredere cum eo qui tecum processit. Ipso non victo, quare provocas catervas concupiscentiarum? Delectatio enim carnalis, fratres, cum homine nascitur. Sed qui bene eruditur, cito vi-

[1] Sic Mss. At ab Edd. abest particula, *et*.
[2] Sic omnes Mss. At Edd., *in corde*.

det hostem suum, et aggreditur et luctatur, et cito vincit: idoneus est enim nondum crescentibus hostibus. Qui autem illam concupiscentiam, cum qua de peccati propagine natus est, contemnit vincere, et multas adhuc excitat exseritque libidines, difficulter eas superat, et adversus se ipse divisus, igne proprio concrematur. Ne itaque speres quasi illas solas pœnas futuras; præsentes vide. *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.*

20. [*vers.* 10] *Priusquam producat spinas vestras rhamnus, tanquam viventes tanquam in ira combibet eos.* Quid est rhamnus? Spinarum genus est, densissimæ quædam spinæ esse dicuntur. Primo herba est; et cum herba est, mollis et pulchra est: ibi sunt tamen spinæ postea processuræ. Modo ergo delectant peccata, et quasi non compungunt. Herba est rhamnus, et modo tamen est spina. *Priusquam producat spinas rhamnus:* priusquam miserarum delectationum et voluptatum manifesta tormenta procedant. Interrogent se qui aliquid amant, et ad id pervenire non possunt; videant si non crucientur desiderio: et cum pervenerint ad id quod illicite desiderant, attendant si non crucientur timore. Videant ergo hic pœnas suas, antequam veniat illa resurrectio, cum in carne resurgentes non immutabuntur. Omnes enim resurgemus, sed non omnes immutabimur (I *Cor.* xv, 51). Habebunt quippe corruptionem carnis in qua doleant, non in qua moriantur; alioqui et illi dolores finirentur. Tunc spinæ illius rhamni, id est, dolores omnes et compunctiones tormentorum producentur. Quales spinas patientur illi qui dicturi sunt: *Hi sunt quos aliquando habuimus in risum* (*Sap.* v, 3)? Spinas compunctionis pœnitentiæ, sed seræ et infructuosæ, sicut spinarum sterilitas. Pœnitentia hujus temporis, dolor medicinalis est: pœnitentia illius temporis, dolor pœnalis est. Non vis illas pati spinas? Hic compungere spinis pœnitentiæ, ut facias quod dictum est: *Conversus sum in ærumna, cum configeretur spina. Peccatum meum cognovi, et iniquitatem meam non operui. Dixi: Pronuntiabo adversus me delictum meum Domino; et tu remisisti impietatem cordis mei* (*Psal.* xxxi, 4-6). Modo fac, modo compungere; non in te fiat quod dictum est de quibusdam detestabilibus, *Discissi sunt, nec compuncti sunt* (*Psal.* xxxiv, 16). Attendite qui *discissi sunt, nec compuncti sunt.* Videtis discissos, et non videtis compunctos. Ecce præter Ecclesiam sunt, et non eos pœnitet, ut rideant unde discissi sunt. Producet postea spinas eorum rhamnus. Nolunt modo habere compunctionem medicinalem; habebunt postea pœnalem. Sed etiam modo, priusquam producat spinas rhamnus, supercecidit ignis qui eos non permittit videre solem, qui eos adhuc viventes in ira Dei combibit: ignis concupiscentiarum malarum, honorum vanorum, superbiæ, avaritiæ suæ; et quidquid eos [1] premit ne cognoscant veritatem, ne victi videantur, ne subjiciat illos vel ipsa veritas. Quid enim gloriosius, fratres, quam subjici et vinci a veritate? Superet te veritas volentem; nam et invitum ipsa superabit. Ergo ille ignis concupiscentiarum malarum, qui supercecidit ut non videant solem, combibit rhamnum, priusquam producat spinas eorum: id est, occultat eorum malam vitam, priusquam pariat eadem vita manifestos in fine cruciatus; sed in ira Dei occultat rhamnum ignis iste. Non enim parva pœna est quod modo non vident solem, nec spinas pœnarum credunt ex hac vita mala sibi postea processuras. Vos enim, inquit, rhamnus estis; quem rhamnum, id est vos ipsos, viventes, id est adhuc in hac vita constitutos, priusquam in futuro judicio spinas pœnarum vestrarum manifestas producat, nunc in ira combibit, id est, quasi absorbendo apparere non sinit. Hic itaque ordo verborum, quantum puto, planius ita contexitur: *Supercecidit ignis, et non viderunt solem:* qui ignis *tanquam in ira, tanquam viventes vos rhamnum combibit, priusquam producat spinas vestras:* id est, vos ipsos quos rhamnum invenit, combibit ante mortem, priusquam idem rhamnus spinas vestras post mortem in illa pœnali resurrectione producat. Quare autem non dixit, viventes, sed, *tanquam viventes*, nisi quia falsa est hæc vita impiorum? Neque enim vivunt, sed vivere sibi videntur. Et quare non, in ira, sed, *tanquam in ira*, nisi quia tranquillus hoc facit Deus? Nam et hoc scriptum est: *Tu autem, Domine virtutum, cum tranquillitate judicas* (*Sap.* xii, 18). Ille ergo et cum minatur, non irascitur. Neque enim perturbatur, sed tanquam irascitur, quia punit et vindicat. Et qui corrigi nolunt, tanquam vivunt, sed non vivunt. Vindicta enim primi peccati, et eorum quæ addiderunt, manet super eos: et ipsa vocatur ira Dei, quia de judicio Dei venit. Unde Dominus de non credente ait: *Sed ira Dei manet super eum* (*Joan.* iii, 36). Cum ira enim Dei mortales nascimur. Unde dicit Apostolus: *Fuimus et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* ii, 3). Quid est, *natura filii iræ*, nisi quia portamus nobiscum pœnam primi peccati? Sed si convertamus nos, aufertur ira, præbetur gratia. Non vis converti, addis etiam super id quod natus es: tanquam in ira combiberis in præsenti tempore.

21. [*vers.* 11.] Agnoscite ergo istam pœnam, et gaudete vos non esse in hac pœna omnes qui proficitis, omnes qui intelligitis et amatis veritatem, omnes qui plus in vobis vultis victoriam veritatis quam vestram, qui non clauditis adversus veritatem aures vestras, de præsentium delectatione et de præteritorum recordatione, ne sitis canis reversus ad suum vomitum (II *Petr.* ii, 22). Omnes tales qui estis, videte pœnas eorum qui tales non sunt, et gaudete. Adhuc inferorum pœnæ non venerunt, adhuc ignis æternus non venit: comparet qui proficit in Deo se modo cum impio, cæcum cor cum illuminato corde; comparate duos, videntem et non videntem in carne. Et quid magnum est visio carnis? Numquid Tobias habebat carneos oculos? Filius ipsius habebat, et ille non habebat; et viam vitæ cæcus videnti ostendebat (*Tob.* iv, 1). Ergo istam pœnam quando videtis, gaudete quia in illa non estis. Propterea dicit Scriptura: *Læ-*

[1] Am. et probæ notæ Mss., *in quid eos premit.*

tabitur justus, cum viderit vindictam. Non illam futuram; nam vide quid sequitur: *Manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Quid est hoc? Intendat Charitas Vestra. Numquid quando feriuntur homicidæ, debent illuc innocentes ire, et lavare manus suas? Sed quid est, *in sanguine peccatoris lavabit manus suas?* Justus quando videt pœnam peccatoris, proficit ipse: et mors alterius valet ad vitam alterius. Si enim spiritualiter sanguis currit de his qui intrinsecus moriuntur, tu videns talem vindictam, lava illic manus tuas; de cætero mundius vive. Et quomodo lavabit manus suas, si justus est? Quid enim habet in manibus quod lavetur, si justus est? Sed justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17). Justos ergo dixit fideles: et ex quo jam credidisti, jam incipis vocari justus. Facta est enim dimissio peccatorum. Etsi de ista residua vita quædam peccata tua sunt, quæ non possunt nisi tanquam aqua de mari in sentinam influere: tamen quia credidisti; cum videris eum qui omnino aversus est a Deo occidi in illa cæcitate, supercadente illo igne non videre solem, tu qui jam per fidem vides Christum, ut videas per speciem, quia justus ex fide vivit, attende impium morientem, et purga te a peccatis. Ita lavabis quodammodo manus tuas in sanguine peccatoris. *Manus* ergo *suas lavabit in sanguine peccatoris.*

22. [*vers.* 12.] *Et dicet homo: Si ergo est fructus justo.* Ecce antequam veniat quod promittitur, antequam detur vita æterna, antequam impii projiciantur in ignem æternum, hic in hac vita est fructus justo. Qui fructus? *Spe gaudentes, in tribulatione patientes* (*Id.* XII, 12). Qui fructus justo? *Gloriamur in tribulationibus: scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Id.* V, 3-5). Gaudet ebriosus, et non gaudet justus? In charitate est fructus justo. Miser ille, etiam cum se inebriat: beatus iste, etiam cum esurit et sitit. Illum ingurgitat vinolentia; istum spes pascit. Videat ergo illius pœnam, suum gaudium, et cogitet Deum. Qui tale gaudium modo dedit de fide, de spe, de charitate, de veritate Scripturarum suarum, quale præparat in finem! In via sic pascit, in patria quomodo saginabit! *Et dicet homo: Si ergo est fructus justo.* Credant qui vident, et videant et intelligant. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam.* Si autem non habet oculos unde videat vindictam, contristabitur, nec corrigetur ex illa. Si autem videt illam, videt quid intersit inter contenebratum oculum cordis [1], et oculum illuminatum cordis; inter refrigerium castitatis, et flammam libidinis; inter securitatem spei, et timorem facinoris. Cum viderit hoc, discernat se, et lavet manus suas in sanguine ipsius. Proficiat ex comparatione, et dicat, *Ergo est fructus justo: ergo est Deus judicans eos in terra:* nondum in illa vita, nondum in igne æterno, nondum apud inferos, sed hic in terra. Ecce dives ille adhuc induitur purpura et bysso, et adhuc epulatur quotidie splendide. Nondum produxit spinas rhamnus; nondum dicit, *Crucior in hac flamma* (*Luc.* XVI, 19, 24): sed jam est mentis cæcitas, jam oculus mentis exstinctus est. Si cæcus oculis carnis ad mensam suam quamlibet opimam discumberet, miserum eum diceres: cæcus interius, panem Christum non videt, et beatus est? Hoc non dicit nisi pariter cæcus. *Ergo est fructus justo: ergo est Deus judicans eos in terra.*

23. Si aliquanto prolixiores fuimus, date veniam. Exhortamur vos in nomine Christi, ut hæc quæ audistis, ad fructum cogitetis. Quia et prædicare veritatem nihil est, si cor a lingua dissentiat; et audire veritatem, nihil prodest, si homo non super petram ædificet. Qui ædificat super petram, ipse est qui audit et facit: qui autem audit et non facit, ædificat super arenam (*Matth.* VII, 24, 26): qui nec audit nec facit, nihil ædificat. Sed quomodo qui ædificat super arenam, ruinam sibi ædificat; sic ille qui non ædificat super petram, veniente fluvio, sine domo rapitur. Non est quod facere, nisi et ædificare et super petram ædificare; id est, et audire et facere. Nec alius dicat: Utquid procedo ad ecclesiam? ecce qui quotidie ad ecclesiam procedunt, non faciunt quod audiunt. Faciunt tamen ut audiant; sic possunt facere ut audiant et faciant: tu autem quantum longe es a faciendo, qui tantum fugis ab audiendo? Sed ego, inquit, non ædifico super arenam. Nudum te inventurus est fluvius: numquid ideo te non ablaturus est? numquid ideo pluvia non necabit? numquid venti propterea non abripient! Ergo veniam et audiam. Sed cum audieris, fac. Nam si audieris, et non feceris, ædificasti quidem, sed super arenam. Quia ergo sine ædificio constituti, nudi sumus, in ædificio autem super arenam posito sub ruina sumus; restat ut super petram ædificemus, et quod audivimus faciamus.

IN PSALMUM LVIII
ENARRATIO.

SERMO I (*a*).

De prima parte Psalmi.

1. [*vers.* 1.] Sicut solet Scriptura Psalmorum mysteria in titulis ponere, et frontem Psalmi sublimitate sacramenti decorare, ut sciamus qui intraturi sumus, cum tanquam super postem quid intus agatur legerimus, vel cujus domus sit, vel quisnam sit illius prædii possessor: ita et in hoc psalmo scriptus est titulus de titulo. Habet enim, *In finem, ne corrumpas ipsi David in tituli inscriptionem.* Hoc est quod dixi, titulus de titulo. Quænam enim sit tituli hujus inscriptio quam corrumpi vetat, Evangelium nobis indicat. Nam cum Dominus crucifigeretur, titulus inscriptus est a Pilato et positus, *Rex Judæorum*, tribus linguis, hebræa, græca, et latina (*Luc.* XXIII, 38): quæ linguæ toto orbe maxime excellunt. Igitur si rex Judæorum crucifixus est, et Judæi regem suum crucifixerunt; crucifigendo eum etiam regem Gentium fecerunt, magis quam occiderunt. Et quidem quantum in illis fuit, perdiderunt Christum, sed sibi, non nobis; et mor-

[1] Sic Mss. At Edd. hoc loco, *corporis.*

(*a*) Habitus post compertum Pelagii errorem, ex n. 19.

tuus est ille pro nobis, et sanguine suo redemit nos. Et modo non est corruptus titulus : quia ille rex est, non solum Gentium, sed etiam ipsorum Judæorum. Quid enim? Quia contradixerunt, ideo regis sui dominationem evertere potuerunt? Rex est et supra illos. Nam ille rex virgam ferream gerit, qua et regit et frangit. *Ego*, inquit, *constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum Domini. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli conteres eos* (*Psal.* II, 6-9). Quos reget? quos conteret? Reget obedientes, conteret resistentes. Ergo, *Ne corrumpas*, optime et prophetice : quandoquidem et illi Judæi suggesserunt tunc Pilato, et dixerunt, *Noli scribere rex Judæorum*, *sed* scribe, *quia ipse se dixit regem Judæorum ;* nam iste titulus, inquiunt, confirmavit illum regem nobis. Et Pilatus : *Quod scripsi, scripsi* (*Joan.* XIX, 21). Et impletum est, *Ne corrumpas*.

2. Nec iste solus psalmus habet hujusmodi inscriptionem, ut titulus non corrumpatur. Aliquot psalmi sic prænotati sunt (*Psal.* LVI - LVIII), sed tamen in omnibus passio Domini prænuntiatur. Ergo et hic intelligamus Domini passionem, et loquatur nobis Christus caput et corpus. Sic semper, aut prope semper audiamus voces Christi de Psalmo, ut non solum intueamur caput illud unum mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum (I *Tim*, II, 5); qui etiam secundum divinitatem in principio erat Verbum, Deus apud Deum, quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 1, 14), caro ex semine Abraham, ex semine David de Maria virgine (*Matth.* I, 1) : non ergo illum solum qui est caput nostrum cogitemus, quando audimus Christum loqui ; sed cogitemus Christum caput et corpus, totum integrum quemdam virum. Nobis enim dicitur, *Vos autem estis corpus Christi et membra* (I *Cor.* XII, 27), ab apostolo Paulo. Et de illo dicitur ab eodem Apostolo quia est caput Ecclesiæ (*Ephes.* I, 22, *et Coloss.* I, 18). Si ergo ille caput, nos corpus ; totus Christus caput et corpus. Aliquando enim invenis verba quæ non congruant capiti, et nisi ea coaptaveris corpori, nutabit intellectus tuus : rursus invenis verba quæ non apta sunt corpori, et Christus tamen loquitur. Ibi non timendum est ne erret quisque; cito enim pergit ut capiti aptet quod videt corpori non convenire. Ipse denique in cruce pendens, ex persona corporis locutus est : *Deus meus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti* (*Psal.* XXI, 2, *et Matth.* XXVII, 46)? Non enim dereliquerat Christum, a quo derelictus non est. Aut vero sic ad nos venit, ut illum desereret ; aut sic illum misit, ut ab illo discederet? Sed quia homo desertus est a Deo, Adam ille peccans, qui cum soleret gaudere ad faciem Dei, conscientia peccati deterritus fugit a gaudio suo (*Gen.* III, 8); et vere dereliquit illum Deus, quia ipse deseruit Deum : ex quo Adam Christus cum carnem accepisset, hoc ex persona ipsius carnis ait, quia tunc vetus homo noster simul confixus est cruci cum illo (*Rom.* VI, 6).

3. Audiamus ergo quod sequitur : *Quando misit Saül, et custodivit domum ejus, ut eum interficeret.* Hoc non ad crucem Domini, sed tamen ad passionem Domini pertinet. Crucifixus enim Christus, et mortuus, et sepultus est. Erat ergo illa sepultura tanquam domus : ad quam custodiendam misit regnum Judæorum, quando custodes adhibiti sunt sepulcro Christi (*Matth.* XXVII, 66). Est quidem historia in Scriptura Regnorum, quando misit Saül ad custodiendam domum, ut interficeret David (I *Reg.* XIX, 11) : sed quantum inde sumpsit qui Psalmum scripsit, tantum debemus discutere cum titulum Psalmi tractamus. Hoc nobis significare tantum voluit, quia missum est ad domum ut custodiretur, et ille interficeretur? Quomodo ergo ad hoc custodita est domus, si David figurabat Christum, ut Christus interficeretur; quando in sepultura Christus positus non est, nisi in cruce interfectus? Refer hoc ergo ad corpus Christi ; quia interficere Christum erat, tollere nomen Christi ne crederetur in Christum, dum mendacium prævaleret custodum, qui corrupti sunt ut dicerent quia cum dormirent, venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum (*Matth.* XXVIII, 13). Hoc est vere Christum velle interficere, nomen resurrectionis ejus exstinguere, ut mendacium Evangelio præferretur. Sed quomodo illud non effecit Saül, ut interficeret David; sic hoc nec potuit regnum Judæorum efficere, ut plus valeret testimonium custodum dormientium, quam Apostolorum vigilantium. Quid enim edocti sunt custodes ut dicerent? Damus vobis, inquiunt, quantum vultis pecuniæ ; et dicite quia cum dormiretis, venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum. Ecce quales testes mendacii contra veritatem et resurrectionem Christi inimici ejus per Saül figurati produxerunt. Interroga, infidelitas [1], testes dormientes; respondeant tibi quid actum sit in sepulcro. Qui si dormiebant, unde scierunt? Si vigilabant, fures quare non tenuerunt? Dicat ergo quod sequitur.

4. [*vers.* 2.] *Erue me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus super me redime me.* Factum est hoc in carne Christi, fit et in nobis. Neque enim cessant inimici nostri, diabolus et angeli ejus, insurgere super nos quotidie, et illudere velle infirmitati et fragilitati nostræ, deceptionibus, suggestionibus, tentationibus, et quibuscumque laqueis irretire, cum in terra adhuc vivimus. Sed vox nostra vigilet ad Deum, et clamet in membris Christi, sub capite in cœlo constituto : *Erue me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus super me redime me.*

5. [*vers.* 3.] *Erue me de operantibus iniquitatem, et de viris sanguinum salvum me fac.* Erant illi quidem viri sanguinum, qui justum occiderunt, in quo nullam culpam invenerunt : erant illi viri sanguinum, quia cum vellet alienigena lotis manibus dimittere Christum, clamaverunt, *Crucifige, crucifige :* erant viri sanguinum, quibus cum jam objiceretur crimen sanguinis Christi, responderunt, propinantes poste-

[1] Sic Mss. At Edd., *infidelitatis.*

ris suis, *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 23, 25). Sed nec in ejus corpus exsurgere viri sanguinum cessaverunt, nam et post resurrectionem ascensionemque Christi, persecutiones passa est Ecclesia; et illa quidem primo quæ effloruit de gente Judæorum, de qua et Apostoli nostri fuerunt. Ibi primo Stephanus lapidatus est (*Act.* VII, 58), et quod vocabatur accepit. Stephanus enim Corona dicitur. Humiliter lapidatus, sed sublimiter coronatus. Deinde in Gentibus exsurrexerunt regna Gentium, antequam in eis impleretur quod prædictum erat, *Adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient ei* (*Psal.* LXXI, 11): et fremuit impetus regni illius adversus testes Christi; effusus est magnus et multus martyrum sanguis: quo effuso, tanquam seminata seges Ecclesiæ fertilius pullulavit, et totum mundum, sicut nunc conspicimus, occupavit. Ab his ergo viris sanguinum eruitur Christus, non solum caput, sed etiam corpus. A viris sanguinum eruitur Christus, et eis qui fuerunt, et eis qui sunt, et eis qui futuri sunt, eruitur Christus, et qui præcessit, et qui est, et qui venturus est. Christus enim est totum corpus Christi: et quicumque nunc christiani boni, et qui ante nos, et qui post nos futuri sunt, totus Christus eruitur a viris sanguinum; nec vacat hæc vox, *Et a viris sanguinum salvum me fac.*

6. [*vers.* 4.] *Quia ecce venati sunt animam meam.* Potuerunt tenere, potuerunt occidere, *venati sunt animam meam.* Sed ubi est, *Disrupisti vincula mea* (*Psal.* CXV, 16)? Ubi est, *Muscipula contrita est, et nos eruti sumus?* Ubi est quod benedicimus Deum, *qui non dedit nos in venationem dentibus eorum* (*Psal.* CXXIII, 7, 6)? Illi quidem venati sunt, sed in manibus venantium non dimittit qui custodit Israel. *Quia ecce venati sunt animam meam: irruerunt super me fortes.* Non utcumque transeundum est ab his fortibus: diligenter insinuandum est qui sint fortes insurgentes. Fortes, super quos, nisi super infirmos, super invalidos, super non fortes? Et laudantur tamen infirmi, et damnantur fortes. Si intelligantur qui sunt fortes, primo ipsum diabolum Dominus fortem dixit: *Nemo*, inquit, *potest intrare in domum fortis, et vasa ejus eripere, nisi prius alligaverit fortem* (*Matth.* XII, 29). Alligavit ergo fortem vinculis dominationis suæ; et vasa ejus arripuit, ac vasa sua fecit. Erant enim omnes iniqui vasa diaboli, qui credentes facti sunt vasa Christi: quibus Apostolus dicit, *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8), *qui notas facit divitias suas in vasa misericordiæ* (*Rom.* IX, 23). Possunt ergo isti fortes intelligi. Sed sunt in hominibus quidam fortes reprehensibili et damnabili fortitudine, qui præsumunt quidem, sed de temporali felicitate. Non vobis videtur fuisse fortis dives iste, qui nunc ex Evangelio recitatus est, quoniam successit ei regio in opulentia fructuum? Perturbatus consilium reconditionis invenit, ut destructis veteribus apothecis, novas construeret ampliores, eisque completis, animæ suæ diceret: *Habes multa bona, anima; epulare, jucundare, satiare* (*Luc.* XII, 16-19). Qualem fortem vides? *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum.* Vide quam fortis sit: *Et prævaluit*, inquit, *in vanitate sua* (*Psal.* LI, 9).

7. Sunt et alii fortes, non de divitiis, non de viribus corporis, non de aliqua in tempore præcellenti potentia dignitatis, sed præsumentes de justitia sua. Hoc genus fortium cavendum, metuendum, aversandum, non imitandum: præsumentium, inquam, non de corpore, non de opibus, non de genere, non de honore; omnia enim ista quis non videat temporalia, fluxa, caduca, volatica? sed præsumentium de justitia sua. Talis fortitudo impedivit Judæos ne per foramen acus intrarent (*Matth.* XIX, 24). Cum enim de se præsumunt quod justi sint, et tanquam sani sibi videntur, medicinam recusaverunt, et ipsum medicum necaverunt. Tales ergo fortes, non infirmos, non venit vocare qui dixit: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam.* Isti erant fortes qui insultabant discipulis Christi, quia magister eorum ad infirmos intrabat, et convivabatur cum infirmis. *Quare*, inquiunt, *magister vester cum publicanis et peccatoribus manducat* (*Id.* IX, 11-13)? O fortes quibus medicus opus non est! Fortitudo ista non sanitatis est, sed insaniæ. Nam et phreneticis nihil fortius, valentiores sunt sanis: sed quanto majores vires, tanto mors vicinior. Avertat ergo Deus ab imitatione nostra fortes istos. Timendum est enim ne eos quisque velit imitari. Doctor autem humilitatis, particeps nostræ infirmitatis, donans participationem suæ divinitatis, ad hoc descendens ut viam doceret et via fieret (*Joan.* XIV, 6), maxime suam humilitatem nobis commendare dignatus est; et ideo a servo baptizari non dedignatus est (*Matth.* III, 13), ut nos doceret confiteri peccata nostra, et infirmari ut fortes simus, habere potius Apostoli vocem dicentis, *Quando infirmor, tunc potens sum* (II *Cor.* XII, 10). Quomodo ergo noluit esse fortis. Isti autem qui fortes esse voluerunt, id est, qui de sua virtute præsumere voluerunt tanquam justi, offenderunt in lapidem offensionis (*Rom.* IX, 32): et hædus visus est eis Agnus, et quia veluti hædum occiderunt, ab Agno redimi non meruerunt. Ipsi sunt ergo fortes, qui irruerunt super Christum, commendantes justitiam suam. Audite fortes istos: Cum quidam Jerosolymitæ dicerent, missi ab eis ad apprehendendum Christum, et non audentes apprehendere (quia quando voluit, tunc apprehensus est, qui vere fortis erat): *Quare ergo*, inquiunt, *non eum potuistis apprehendere? Et responderunt: Nemo unquam hominum sic locutus est, sicut ille.* Et illi fortes: *Numquid aliquis Pharisæorum in illum credidit, aut aliquis Scribarum, nisi populus iste nesciens Legem* (*Joan.* VII, 45-49). Præposuerunt se turbæ infirmæ ad medicum currenti: unde, nisi quia ipsi fortes erant? et fortitudine sua, quod est gravius, omnem etiam turbam in se traduxerunt, et medicum omnium occiderunt. Sed et ille eo quod occisus est, de sanguine suo medicamentum fecit ægrotis. *Irru-*

erunt super me fortes. Hos maxime fortes advertite; et videte utrum de ulla re præsumendum sit homini, quando nec de justitia præsumendum est. Jam videte ubi jaceant præsumentes de divitiis, de viribus corporis, de nobilitate generis, de dignitate sæculi, si qui de ipsa justitia tanquam de sua præsumpserit, cadit. *Irruerunt super me fortes*. Ex illis fortibus fuit ille vires suas jactans: *Gratias tibi*, inquit, *ago quia non sum sicut cæteri hominum, injusti, raptores, adulteri, sicut et Publicanus iste: jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo*. Vide fortem jactantem vires suas: contra vero longe stantem infirmum attende, et humilitate propinquantem. *Publicanus autem*, inquit, *de longinquo stabat, et nec oculos suos audebat in cœlum levare, sed percutiebat pectus suum; dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Amen dico vobis, descendit justificatus Publicanus ille magis quam ille Pharisæus*. Et vide justitiam: *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XVIII, 11-14). Irruerunt isti fortes, id est superbi, qui ignorantes Dei justitiam, et suam justitiam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* X, 3).

8. [*vers.* 5.] Quid deinde? *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine*. Irruerunt quidem fortes de justitia sua præsumentes, irruerunt, sed peccatum in me non invenerunt. Nam utique illi fortes, id est velut justi quare possent persequi Christum, nisi quasi peccatorem? Sed tamen illi viderint quam fortes sint immanitate febris, non firmitate sanitatis: viderint illi quam fortes sint, et tanquam justi contra iniquum sævierunt. Sed tamen *neque iniquitas mea, neque peccatum meum, Domine. Sine iniquitate cucurri, et dirigebar* [1]. Illi ergo fortes currentem me sequi non potuerunt: ideo peccatorem putaverunt, quia vestigia mea non viderunt.

9. [*vers.* 6.] *Sine iniquitate cucurri, et dirigebar: exsurge in occursum mihi, et vide*. Deo dicitur, *Sine iniquitate cucurri, et dirigebar: exsurge in occursum mihi, et vide*. Quid enim? Si non occurrat, videre non potest? Tanquam si ambulares viam, et de longinquo ab aliquo cognosci non posses, clamares ad eum, et diceres: Occurre mihi, et vide quemadmodum ambulem; nam quando de longinquo me attendis, gressum meum videre non potes. Itane et Deus nisi occurreret, non videret quam sine iniquitate iste dirigebatur, et quam sine peccato currebat? Accipere quidem et hoc possumus, *Exsurge in occursum mihi*, adjuva me. Quod autem addidit, *et vide*, intelligendum est, fac videri quod curro, fac videri quod dirigor; ex illa figura qua et illud dictum est Abraham: *Nunc cognovi quod times Deum* (*Gen.* XXII, 12). Deus dicit, *Nunc cognovi*: unde, nisi quia nunc te feci cognoscere? Ignotus enim sibi quisque est ante interrogationem tentationis, sicut se Petrus præsumendo ignorabat, et negando didicit quales vires haberet; in sua ipsa titubatione intellexit falso sese præsumpsisse: flevit (*Matth.* XXVI, 35, 69, 75); et flendo meruit fructuose nosse quod fuit, et esse quod non fuit. Ergo probatus Abraham, factus est cognitus sibi; et dictum est a Deo, *Nunc cognovi*, hoc est, nunc te feci cognoscere. Quomodo lætus dies, quod facit lætos; et tristis amaritudo, quod contristat gustantem: sic videns Deus, videre faciens. *Exsurge* ergo, inquit, *in occursum mihi, et vide*. Quid est, *et vide?* Et adjuva me, id est in illis [1], ut videant cursum meum, sequantur me, non eis videatur pravum esse quod rectum est, non eis videatur distortum esse quod tenet regulam [2] veritatis: *Quoniam sine iniquitate cucurri, et dirigebar: exsurge in occursum mihi, et vide*.

10. Aliquid etiam me dicere admonet in hoc loco capitis ipsius nostri sublimitas; quoniam infirmatus est usque ad mortem, et assumpsit infirmitatis carnem, ut pullos Jerusalem colligeret sub alas suas tanquam gallina infirmata cum parvulis. Non enim in aliqua ave hoc aliquando conspeximus, earum etiam quæ nidificant ante oculos nostros, sicut parietum passeres, sicut hirundines tanquam annuæ nostræ hospites, sicut ciconiæ, sicut aliæ atque aliæ aves quæ ante oculos nostros nidificant, et ovis insidunt, pullos alunt, sicut ipsæ columbæ quas quotidie videmus; aliquam avem infirmari cum parvulis non cognovimus, non aspeximus, non vidimus. Gallina quomodo hoc habet? Certe notam rem dico, quæ in conspectu nostro quotidie versatur: quomodo raucescit vox, quomodo fit hispidum totum corpus? deponuntur alæ, laxantur plumæ, et vides circa pullos nescio quid ægrotum, et ea est materna charitas quæ invenitur infirmitas. Quare ergo Dominus, nisi propter hoc, gallina esse voluit in sancta Scriptura dicens: *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, tanquam gallina pullos suos sub alas, et noluisti* (*Id.* XXIII, 37)! Congregavit autem omnes gentes, tanquam gallina pullos suos, qui infirmatus est propter nos, accipiens carnem a nobis, id est a genere humano; crucifixus, contemptus, alapis cæsus, flagellatus, ligno suspensus, lancea vulneratus. Ergo hoc maternæ infirmitatis est, non amissæ majestatis. Cum ergo talis esset Christus, et ideo contemptus, et ideo lapis offensionis et petra scandali, et ideo multi offenderunt in eum (*Rom.* IX, 32, *et* I *Petr.* II, 8): cum talis ergo esset, et tamen carnem sine peccato suscepisset, factus est particeps nostræ infirmitatis, non iniquitatis; ut ex eo quod nobiscum communicavit infirmitatem, solveret nostram iniquitatem. Ideo, *Sine iniquitate cucurri, et dirigebar*. Quid ergo, secundum id quod Deus est non est agnoscendus, et illud solum in eo considerandum est quod propter nos factus est, non illud quo nos fecit? Plane etiam illud considerandum est; quia magnum pietatis indicium est nosse quis pro te quid sustinuit. Non quicumque parvus, non pro te magno, sed pro

[1] Plerique Mss., *dirigebam*: et infra loco, *dirigebatur*, habent, *dirigebat*; pauloque post, *dirigo*, pro, *dirigor*.

[1] Sic Mss. At Lov., *et vide? Adjuva me, id est, fac in illis*, etc.
[2] Plures Mss., *regula*.

te infirmo ille summus. Quid? Factus parvulus: *Humiliavit se, factus obediens usque ad mortem.* Quis? supra audi: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Ergo æqualis Deo *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philipp.* II, 6-8): et ita exinanivit, ut assumeret quod non erat, non ut amitteret quod erat. Quomodo ergo exinanivit? Quia tibi talis apparuit; quia tibi dignitatem quam apud Patrem habet, non demonstravit; quia tibi nunc obtulit infirmitatem, servavit purgato postea claritatem. Ille ergo Patri æqualis, talis est factus: et tamen in ipsa infirmitate agnoscendus est, non visione, sed fide; ut quod videre nondum possumus, saltem credamus, et credendo quod non videmus, etiam videre mereamur. Merito posteaquam resurrexit, ait Mariæ Magdalenæ, cui dignatus est primitus apparere: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem* (*Joan.* XX, 17). Quid est hoc? Paulo post eum mulieres tetigerunt. Nam redeuntes a monumento, obviam sibi factum adoraverunt, et pedes ejus tenuerunt (*Matth.* XXVIII, 9): discipuli etiam cicatrices palpaverunt (*Luc.* XXIV, 39). Quid est ergo, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem;* nisi, noli quod vides hoc solum me credere, ne et hic remaneat aspectus tuus quasi tactus tuus? Humilis enim tibi videor, *nondum ascendi ad Patrem*, unde et ad vos descendi, et inde non recessi, nondum illuc ascendi, quando vos non deserui. Venit non recedens, ascendit non deserens[1]. Sed quid est quod ascendit ad Patrem? Quando nobis innotescit æqualis Patri. Nos enim ascendimus proficiendo, ut hoc videre, ut hoc intelligere, ut hoc utcumque capere valeamus. Ideo ergo distulit tactum, non abstulit, non repulit, non negavit. *Nondum enim*, inquit, *ascendi ad Patrem. A summo cœlo egressio ejus*, dicit alius Psalmus, *et occursus ejus usque ad summum cœli* (*Psal.* XVIII, 7). *Summum cœli*, id est, summum in omnibus spiritualibus Pater est: inde excursus ejus, et occursus usque ad summum cœli. Occurrit usque ad summum, non dicitur nisi de æquali. Denique cum aliqua inæqualia comparamus, et aliquid breve ad aliquid magnum applicamus, videre quantum ad quantum sit, si inæquale invenerimus, ita solemus loqui, Non occurrit: si autem æquale sit, Occurrit. Ergo *occursus ejus usque ad summum cœli*, quia æqualis est Patri. Talem se volebat innotescere fidelibus suis, qui dixerat: *Noli me tangere.* Hoc volebat præstari a Patre fidelibus suis, qui dicebat: *Exsurge in occursum mihi, et vide;* innotesce quod tibi æqualis sim. *Et vide:* quid est, *Et vide?* Fac videri quod tibi æqualis sim. Quamdiu mihi Philippus dicit: *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis?* Quamdiu ego dicam, *Tanto tempore vobiscum sum, et Patrem non nostis? Philippe, qui me videt, videt et Patrem: non credis quia ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* XIV, 8-11)? et adhuc forte non credit æqualem. *Exsurge in occursum mihi, et vide.* Fac me videri, fac te videri, fac notam hominibus æqualitatem nostram. Non putent Judæi se hominem crucifixisse. Quamvis in eo non crucifixum sit, nisi in quantum homo erat: tamen non cognoverunt quem crucifixerunt. Si enim cognovissent, Dominum gloriæ nunquam crucifixissent (I *Cor.* II, 8). Hunc Dominum gloriæ ut noverint fideles mei, *Exsurge in occursum mihi, et vide.*

11. *Et tu, Domine Deus virtutum, Deus Israel.* Tu Deus Israel, qui non putaris nisi Deus Israel solius, qui non putaris nisi Deus unius gentis quæ te colit, cum omnes gentes idola colant, tu Deus Israel, *intende ad visitandum omnes gentes.* Impleatur ista prophetia, in qua Isaias ex persona tua alloquitur Ecclesiam tuam, sanctam civitatem tuam, sterilem illam cujus *multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum.* Ei quippe dictum est: *Lætare, sterilis quæ non paris, erumpe et exclama, quæ non parturis; quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum:* magis quam gentis Judææ quæ habet virum, quæ accepit Legem; magis quam ejus gentis quæ habuit evidentem regem. Nam tuus rex latet, et plures tibi filii sunt ex occulto sponso. Ergo ei dicitur: *Multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum.* Deinde adjungit Propheta: *Dilata locum tabernaculi tui, et aulas*[1] *tuas confige; non est quod parcas: extende longius funiculos tuos, et palos validos constitue, etiam atque etiam in dexteram atque sinistram.* In dextera tene bonos, in sinistra tene malos (*Matth.* XXV, 33), donec veniat ventilabrum (*Id.* III, 12): posside tamen omnes gentes. Invitentur ad nuptias boni et mali, impleantur nuptiæ recumbentium (*Id.* XXII, 9, 10): servorum est invitare, Domini separare. *Etiam atque etiam in dexteram atque sinistram extende. Semen enim tuum hæreditabit gentes, et civitates quæ desertæ erant, inhabitabis:* desertæ a Deo, desertæ a Prophetis, desertæ ab Apostolis, desertæ ab Evangelio, plenæ dæmoniis. *Civitates quæ desertæ erant inhabitabis. Non est quod metuas; prævalebis enim: nec erubescas quod detestabilis fueris.* Ergo, quia *insurrexerunt super me*[2] *fortes, ne erubescas;* quando contra nomen christianum leges ferebantur, quando ignominia et infamia erat esse christianum, *Ne erubescas quod detestabilis fueris: confusionem enim in perpetuum oblivisceris; ignominiæ viduitatis tuæ non eris memor. Quoniam ego sum Dominus qui facio te: Dominus nomen est ei; et qui eruit te, ipse Dominus Deus Israel universæ terræ vocabitur* (*Isai.* LIV, 1-5). *Et tu, Domine Deus virtutum, Deus Israel, intende ad visitandum omnes gentes:* intende, inquam, ad visitandum omnes gentes.

12. *Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem.* Hic plane terruit. Quem non terreat? Quis ad suam conscientiam rediens non contremiscat? Quæ etiamsi sibi conscia est pietatis, mirum nisi aliquid

[1] Sic Mss. At Edd.: *Veni non recedens, ascendi non deserens.*

[1] Aliquot Mss., *aulæas.*

[2] Sic plerique Mss. At Edd., *super te:* pauloque post, *quando ignominia et blasphemia erat*, etc.

conscia sit etiam iniquitatis. Quicumque enim peccatum facit, et iniquitatem facit (I *Joan.* III, 4). Si enim iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit (*Psal.* CXXIX, 3). Et tamen verum est, nec frustra dictum, nec vacare omnino potest aut poterit, *Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem.* Sed ecce misertus est Pauli qui primo Saulus operabatur iniquitatem : quid enim fecit boni, unde promereretur Deum? Nonne sanctos ejus ad mortem attrahebat? nonne epistolas a principibus sacerdotum ferebat, ut ubicumque Christianos invenisset, ad pœnam raperet? nonne id agens, eo tendens, cædem spirans et anhelans, sicut de illo Scriptura attestatur, de cœlo vocatus est voce sublimi, dejectus, erectus, excæcatus, illuminatus, occisus, vivificatus, perditus, redditus (*Act.* IX)? Quo merito? Nihil nos dicamus ; ipsum potius audiamus : *Qui prius fui*, inquit, *blasphemus, et persecutor, et injuriosus ; sed misericordiam consecutus sum* (I *Tim.* I, 13). Certe, *Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem*, hoc duobus modis intelligi potest : sive quia omnino nulla peccata impunita relinquit Deus ; sive quod est quædam iniquitas, quam qui operantur, omnino eorum Deus non miseretur. Secundum istos duos modos, breviter quantum temporis sufficit aliquid loquamur Charitati Vestræ.

13. Iniquitas omnis, parva magnave sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut a Deo vindicante. Nam et quem pœnitet, punit seipsum. Ergo, fratres, puniamus nostra peccata, si quærimus misericordiam Dei. Non potest Deus misereri omnium operantium iniquitatem quasi blandiens peccatis, aut non eradicans peccata. Prorsus aut punis, aut punit. Vis non puniat? Puni, tu. Nam et illud fecisti quod impunitum esse non possit : sed a te puniatur potius, ut facias quod in illo psalmo scriptum est, *Præveniamus faciem ejus in confessione* (*Psal.* XCIV, 2). Quid est, *Præveniamus faciem ejus?* Antequam ipse attendat ut puniat, tu præveni confitendo et puni. Non ille inveniat quod puniat. Quia cum tu punis iniquitatem, facis æquitatem. Et ideo tui miserebitur Deus, quia jam te operantem æquitatem invenit Deus. Quid est, operantem æquitatem? Quia hoc in te odisti, quod et ille odit ; ut incipias placere Deo, dum hoc in te punis quod displicet Deo. Nam non potest impunitum relinqui peccatum : quoniam verum est, *Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem.*

14. Sed videamus jam alium modum, quo hæc sententia possit intelligi. Est quædam iniquitas, quam qui operatur, non potest fieri ut misereatur ejus Deus. Quæritis forte quænam illa sit? Ipsa defensio peccatorum. Quando quisque defendit peccata sua, magnam iniquitatem operatur : hoc defendit quod Deus odit. Et vide quam perverse, quam inique. Si quid boni fecerit, sibi vult imputari ; si quid mali, Deo. Nam hoc modo defendunt homines peccata ex Dei persona, quod pejus est. Quid est hoc? Nemo est qui audeat dicere, Bonum est adulterium, bonum est homicidium, bona fraus, bonum perjurium : nullus prorsus hominum ; nam qui etiam illa faciunt, clamant quando patiuntur. Omnino ergo non invenis animam tam perversam, tam extorrem a societate generis humani et a participatione communis sanguinis ex Adam, cui videatur bonum esse adulterium, sicut dixi, fraus, rapina, perjurium. Sed quomodo ea defendunt? Si Deus noluisset, non id fecissem. Quid vis faciam fato meo? Jam quæris quid sit fatum : curris ad stellas. Quæris quis fecerit et ordinaverit stellas : Deus est. Ergo ad hoc peccatum tuum defendis, ut Deum accuses. Ideo excusatur reus, ut culpetur judex. Prorsus talem iniquitatem operantium non miseretur Deus. *Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem.* Persequere, inquit, peccata eorum, puni, compunge, converte illos ante se, qui se ponunt post se ; et erubescant de se, ut gaudeant de te. *Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem.*

15. [*vers.* 7.] *Convertantur ad vesperam.* Nescio quos dicit quondam operatores iniquitatis, et quondam tenebras, converti ad vesperam. Quid est, *ad vesperam?* Postea. Quid est, *ad vesperam?* Serius. Ante enim debuerant, antequam Christum crucifigerent, medicum agnoscere. Quare jam eo crucifixo, resurgente, in cœlum ascendente, posteaquam misit Spiritum suum sanctum, quo repleti sunt illi qui in una domo erant, et cœperunt loqui linguis omnium gentium, expaverunt crucifixores Christi : compuncti sunt de conscientia sua, consilium salutis ab Apostolis petiverunt ; audierunt, *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi, et dimittentur vobis peccata vestra* (*Act.* II, 38). Post occisum Christum, post effusum Christi sanguinem dimittuntur peccata vestra. Ille sic voluit mori, ut sanguine suo etiam effusores ejusdem sanguinis redimeret. Fudistis sævientes, bibite confitentes. Merito *convertantur ad vesperam ; et famem patiantur ut canes.* Canes Gentes Judæi dixerunt, tanquam immundos. Nam inde et ipse Dominus, cum post eum clamaret Chananæa quædam mulier, non Judæa, ad suam filiam curandam convertere volens ejus misericordiam ; ille omnia prævidens, omnia sciens, sed fidem ejus ostendere volens, distulit beneficium, et eam suspendit. Et quomodo distulit? *Non sum*, inquit, *missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Israel, oves : Gentes, quid? *Non est bonum, panem filiorum mittere canibus.* Gentes ergo canes appellavit, propter immunditiam. Quid autem illa mulier esuriens? Hoc magis non repulit : suscepit humiliter convicium, et meruit beneficium. Neque enim et convicium illud dicendum erat, quod a Domino dictum erat. Servus si aliquid tale domino dicat, convicium est : dominus autem cum tale aliquid servo dicit, dignatio potius dici potest. *Ita*, inquit, *Domine.* Quid est, *ita?* Verum dicis, prorsus verum dicis ; canis ego sum. *Sed et canes*, inquit, *edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Et continuo Dominus : *O mulier, magna est fides tua* (*Matth.* XV, 21-28)! Jamdudum canis, modo mulier. Unde jam mu-

lier quæ paulo ante canis? Confitendo humiliter, non repellendo quod a Domino dictum erat. Ergo Gentes canes, et ideo esurientes. Bonum est et Judæis, ut agnoscant se peccatores; et licet *ad vesperam, convertantur; et famem patiantur ut canes*. Nam male saturatus erat ille qui dicebat : *Jejuno bis in sabbato*. Ille autem publicanus canis erat, famem patiens; et inde beneficium Domini esuriebat, qui dicebat: *Propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII, 12,13), *Convertantur* ergo et illi *ad vesperam : et famem patiantur ut canes*. Desiderent gratiam Dei, intelligant se peccatores : fortes illi fiant infirmi, divites illi fiant pauperes, justi illi agnoscant se peccatores, leones illi canes fiant. *Convertantur ad vesperam; et famem patiantur ut canes, et circumibunt civitatem*, Quam civitatem? Mundum istum, quem quibusdam locis vocat Scriptura civitatem circumstantiæ (*Psal.* XXX, 22, LIX, 11, *et* CVII, 11, *sec.* LXX) : id est, quia in omnibus gentibus undique circumfuderat mundus unam gentem Judæorum, ubi talia dicebantur [1], et appellabatur civitas circumstantiæ. Istam civitatem circumibunt illi jam canes facti esurientes. Quomodo circumibunt? Evangelizando. Saulus ex lupo canis factus est ad vesperam, id est, sero conversus, de micis domini sui in gratia ejus cucurrit, et circumivit civitatem.

16. [*vers.* 8.] *Ecce ipsi loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum*. Jam ille gladius bis acutus, de quo Apostolus dicit : *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI, 17). Quare bis acutus? Quare, nisi quia ex utroque Testamento feriens? Hoc gladio mactabantur, de quibus dicebatur Petro : *Macta, et manduca* (*Act.* X, 13). *Et gladius in labiis eorum : quoniam quis audivit?* Loquentur in ore suo : *Quis audivit?* id est, stomachabuntur adversus pigros ad fidem. Qui paulo ante et ipsi credere nolebant, tædium de non credentibus patiuntur. Et vere, fratres, contingit. Vides hominem pigrum antequam sit christianus; clamas ad illum quotidie, vix convertitur : convertatur, et jam vult omnes esse christianos, et miratur quia nondum sunt. Excidit illi quod ad vesperam conversus est : sed quia factus est esuriens sicut canis, habet etiam in labiis gladium; dicit: *Quis audivit?* Quid est, *Quis audivit?* Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est (*Isai.* LIII, 1)? *Quoniam quis audivit?* Non credunt Judæi : conversi sunt ad Gentes et annuntiaverunt. Judæi non credebant : et tamen per credentes Judæos Evangelium circumibat civitatem, et dicebant, *Quoniam quis audivit?*

17. [*vers.* 9.] *Et tu, Domine, deridebis eos. Quis audivit?* Omnes gentes christianæ futuræ sunt, et vos dicitis, *Quis audivit?* Quid est, *deridebis eos? Pro nihilo habebis omnes gentes :* nihil ante te erit; quia facillimum erit ut credant in te omnes gentes.

18. [*vers.* 10.] *Fortitudinem meam ad te custodiam*. Illi enim fortes ideo ceciderunt, quia fortitudinem suam ad te non custodierunt : id est, illi qui superne insurrexerunt et irruerunt, de se præsumpserunt. Ego autem *fortitudinem meam ad te custodiam :* quia si recedo, cado; si accedo, fortior fio. Videte enim quid est, fratres, in anima humana. Non habet ex se lumen, non habet ex se vires : totum autem quod pulchrum est in anima, virtus et sapientia est; sed nec sapit sibi, nec valet sibi, nec ipsa sibi lux est, nec ipsa sibi virtus est. Est quædam origo fonsque virtutis, est quædam radix sapientiæ, est quædam, ut ita dicam, si et hoc dicendum est, regio incommutabilis veritatis : ab hac anima recedens tenebratur, accedens illuminatur. Accedite ad eum, et illuminamini (*Psal.* XXXIII, 6); quia recedendo tenebramini. Ergo *fortitudinem meam ad te custodiam :* non a te recedam, non de me præsumam. *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es*. Ubi enim eram, et ubi sum? unde me suscepisti? quas iniquitates meas dimisisti? ubi jacebam? quo erectus sum? Ergo hæc meminisse debeo; quod [1] in alio psalmo dicitur. *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me* (*Psal.* XXVI, 10)? *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es*.

19. [*vers.* 11.] *Deus meus, misericordia ejus præveniet me*. Ecce quid est, *Fortitudinem meam ad te custodiam :* de me omnino nihil præsumam. Quid enim attuli boni, ut mei misereris et me justificares? Quid in me invenisti, nisi sola peccata? Tuum nihil aliud nisi natura quam creasti : cætera, mala mea quæ delevisti. Non ego prior ad te exsurrexi, sed tu ad me excitandum venisti; nam *misericordia ejus præveniet me*. Antequam aliquid boni ego faciam, *misericordia ejus præveniet me*. Quid hic respondebit infelix Pelagius?

20. [*vers.* 12-14.] *Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis*. Quid ait? Quantam circa me exhibuerit misericordiam, in inimicis meis mihi demonstravit. Relictis comparet se collectus, et repulsis electus : comparet se vasis iræ vas misericordiæ; et videat quia ex una massa fecit Deus *aliud vas in honorem, aliud in contumeliam*. Quid est, *demonstravit mihi in inimicis meis? Si enim Deus volens ostendere iram, et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem*, et propter quid hoc? *Ut notas faceret divitias suas in vasa misericordiæ* (*Rom.* IX, 21-23) : si ergo vasa iræ attulit, in quibus notas faceret divitias suas in vasa misericordiæ, rectissime dictum est, *Misericordia ejus præveniet me. Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis :* id est, quantam circa me habuit misericordiam, in illis mihi demonstravit circa quos non habuit. Nisi enim debitor suspendatur, minus agit gratias cui debitum relaxatur. *Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis*.

21. De ipsis autem inimicis quid? *Ne occideris eos, nequando obliviscantur legis tuæ*. Rogat pro inimicis suis, implet præceptum. Quid est : *Ne miserearis om-*

[1] Edd., *gerebantur*. At Mss., *dicebantur*

[1] Sic potiores Mss. At Edd.: *Ergo hoc meminisse non debe quod*, etc.

nium qui operantur iniquitatem; et, *Ne occideris eos, nequando obliviscantur legis tuæ?* Quomodo non miseretur omnium qui operantur iniquitatem, et quomodo non occidit eos ne obliviscantur legis tuæ? Sed hic de inimicis suis dixit. Quid ergo? Inimici ejus æquitatem operantur? Si qui ei inimicantur æquitatem operantur; ergo ipse iniquitatem operatur. Sed quia ipse æquitatem operatur, porro qui æquitatem operatur, profecto iniquitatem ab inimicis patitur; restat ut qui justo inimicantur, iniquitatem operentur. Unde ergo paulo superius, *Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem;* et nunc de inimicis suis, *Ne occideris eos, nequando obliviscantur legis tuæ?* Non ergo miserearis eorum, ut occidas peccata eorum : non occidas eos, quorum peccata occidis. Quid est autem occidi? Oblivisci legis Domini. Ipsa est vera mors, in profundum ire peccati : potest quidem hoc et de Judæis intelligi. Quid de Judæis, *Ne occideris eos, nequando obliviscantur legis tuæ?* Istos inimicos meos, ipsos qui me occiderunt, noli tu occidere. Maneat gens Judæorum : certe victa est a Romanis, certe deleta civitas eorum; non admittuntur ad civitatem suam Judæi, et tamen Judæi sunt. Nam omnes istæ provinciæ a Romanis subjugatæ sunt. Quis jam cognoscit gentes in imperio Romano quæ quid erant, quando omnes Romani facti sunt [1], et omnes Romani dicuntur? Judæi tamen manent cum signo; nec sic victi sunt, ut a victoribus absorberentur. Non sine causa Cain ille est, qui cum fratrem occidisset, posuit in eo Deus signum, ne quis eum occideret (*Gen.* IV, 15). Hoc est signum quod habent Judæi : tenent omnino reliquias legis suæ; circumciduntur, sabbata observant, pascha immolant, azyma comedunt. Sunt ergo Judæi, non sunt occisi, necessarii sunt credentibus Gentibus. Quare hoc? Ut demonstret nobis in inimicis nostris misericordiam suam. *Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis.* In ramis superbia præcisis inserto misericordiam suam demonstrat oleastro. Ecce ubi jacent qui superbi erant, ecce ubi insertus es qui jacebas : et tu noli superbire, ne præcidi merearis. *Deus meus, ne occideris eos, nequando obliviscantur legis tuæ.*

22. *Disperge eos in virtute tua.* Jam factum est : per omnes gentes dispersi sunt Judæi, testes iniquitatis suæ et veritatis nostræ. Ipsi habent codices, de quibus prophetatus est Christus, et nos tenemus Christum. Et si quando forte aliquis paganus dubitaverit, cum ei dixerimus prophetias de Christo, quarum evidentiam obstupescit, et admirans putaverit a nobis esse conscriptas; de codicibus Judæorum probamus quia hoc tanto ante prædictum est. Videte quemadmodum de inimicis nostris alios confundimus inimicos. *Disperge eos in virtute tua :* tolle illis virtutem, tolle illis fortitudinem eorum. *Et deduc eos, protector meus Domine. Delicta oris eorum, sermonem labiorum eorum : et comprehendantur in superbia sua. Et ex maledicto et mendacio annuntiabuntur consummationes, in ira consummationis, et non erunt.* Obscura sunt, et timeo ne non insinuentur bene. Jam audiendo fatigati estis : itaque si placet Charitati Vestræ, quæ restant in crastinum differamus. Adjuvabit Dominus, ut vobis debitum persolvamus; quia de illo magis quam de nobis promittimus.

SERMO II.

De secunda parte ejusdem Psalmi.

1. Hesternus sermo protractus, debitorem me in hodiernum reliquit : quia ergo Dominus voluit, reddendi tempus advenit. Quam vero sumus nos devoti redhibitores, tam debetis vos esse avidi exactores : hoc est, ut quod ille donat, et nos reddimus (ille enim Dominus, nos servi sumus), sic accipiatis, ut sit fructus in auditione vestra de vita vestra. Cultus enim ager fructum non reddens, et ingratus agricolæ pro frugibus spinas afferens, non horreum, sed ignem quærit. Dominus autem Deus noster, sicut eum videtis hanc terram visitare imbribus solemnibus, ita cor nostrum verbo suo tanquam agrum suum visitare dignatur; et de corde nostro fructus quærit, quia novit et quid ibi seminet, et quantum pluat. Et quia revera nihil sine illo sumus, quia et antequam essemus, nihil eramus, et quisquis jam homo est et sine illo esse voluerit, nihil aliud quam homo peccator erit; verumque est quod hic dictum est, *Fortitudinem meam ad te custodiam,* quoniam quidquid possumus, nisi apud illum et ad illum servemus, recedendo amittimus : vigilare debet semper mens nostra non ab illo recedere, sed et si longe erat, magis magisque propinquare et accedere; non gressu pedum, non subvectione vehiculorum, non celeritate animalium, non elevatione pennarum, sed puritate affectuum, et probitate [1] sanctorum morum.

2. [*vers.* 12-14.] Videamus ergo quid restat de hoc psalmo. In hoc enim dimiseramus, cum cœpisset de inimicis suis loqui dicens Deo : *Ne occideris eos, nequando obliviscantur legis tuæ.* Quamvis eos inimicos suos esse dixerit, rogavit tamen Deum ne occiderentur et obliviscerentur legem ipsius. Non tamen tenere legem, id est non oblivisci legem, jam perfectio est, et quasi securitas de præmio, et nulla sollicitudo de supplicio. Sunt enim qui tenent legem memoria, et non implent vita : qui vero implent vita, non possunt non tenere memoria. Ergo qui moribus præcepta Dei facit, et quodam modo vivendo, semper in corde suo ne deleatur agit quod tenet, vivendoque se [2] commemorat quid ei in corde scriptum sit de lege Dei, ipse fructuose tenet legem Dei; ipse non inimicus deputabitur. Nam ecce inimici Judæi, quos videtur significare psalmus iste, legem Dei tenent, et ideo de illis dictum est, *Ne occideris eos, nequando obliviscantur legis tuæ;* ut gens Judæorum maneret, et ea manente cresceret multitudo Christianorum. Per omnes gentes manent certe, et Judæi sunt, nec destiterunt esse quod erant : id est, gens ista non ita cessit in

[1] Edd. : *Quisnam non cognoscit gentes subjectas imperio Romano? Quæ quidem erant quando omnes Romani facti sunt.* Restituimus veterem lectionem Mss. Confer hunc locum ad Enarr. Psal. 39, n. 13.

[1] Ita sex Mss. Alii cum Edd., *probabilitate.*

[2] Sic Mss. At Edd., *vivendoque semper commemorat.*

jura Romanorum, ut amiserit formam Judæorum; sed ita subdita Romanis est, ut etiam leges suas teneat, quæ leges sunt Dei. Sed quid in illis factum est? *Decimatis mentam et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt Legis, misericordiam et judicium; liquantes culicem, camelum autem glutientes* (*Matth.* XXIII, 23 *et* 24). Hoc eis Dominus dicit. Et revera ita sunt; tenent Legem, tenent Prophetas; legunt omnia, cantant omnia: lucem Prophetarum non ibi vident, qui est Christus Jesus. Non solum eum nunc non vident, cum sedet in cœlo: sed nec tunc viderunt, quando inter illos humilis ambulabat, et facti sunt rei fundendo sanguinem ipsius; sed non omnes. Hoc et hodie commendamus Charitati Vestræ. Non omnes: quia multi eorum conversi ad eum quem occiderunt, et in eum credendo, veniam et de effuso ipsius sanguine meruerunt; exemplumque præbuerunt hominibus quam non debeant diffidere dimitti sibi qualecumque peccatum, quando et interfectio Christi dimissa est confitentibus. Inde ergo dictum est, *Quia Deus susceptor meus es; Deus meus, misericordia ejus præveniet me*: hoc est, ante omnia merita mea bona prævenit me misericordia ipsius; etsi nihil in me boni invenerit, ipse me facit bonum, et ipse justificat conversum, et ipse admonet ut convertatur aversus. *Deus meus*, inquit iterum, *demonstravit mihi in inimicis meis*: id est, quantum me diligat, quantumque mihi largiatur de bonitate sua, ex comparatione inimicorum meorum mihi ostendit; quia cum sint ex una massa vasa iræ et vasa misericordiæ (*Rom.* IX, 21), per vasa iræ discunt vasa misericordiæ quantum illis Deus largiatur boni. Et deinde, *Ne occideris eos, nequando obliviscantur legis tuæ*: hoc dictum est de Judæis. Sed quid illis facies? *Disperge eos in virtute tua*. Ostende illis quia tu fortis es, non ipsi qui de virtute sua præsumendo, veritatem tuam non cognoverunt: non quales ipsi fortes sunt, de quibus dictum est, *Irruerunt super me fortes*; sed qualis tu fortis ad dispergendos eos. *Et deduc eos, protector meus Domine*: id est, sic eos disperge, ut non eos deseras, *nequando obliviscantur legis tuæ*; et in eo ipso me protegas, ut de ipsorum dispersione habeam testimonium misericordiæ tuæ.

3. Et sequitur: *Delicta oris eorum, sermonem labiorum eorum*. Quo conjungitur, quo connectitur ista sententia? *Delicta*, inquit, *oris eorum, sermonem labiorum eorum*. Sequentia non ita connectuntur, ut doceant nos quo conjungatur ista sententia. *Delicta*, inquit, *oris eorum, sermonem labiorum eorum: et comprehendantur in superbia sua. Et ex maledicto et mendacio annuntiabuntur consummationes, in ira consummationis, et non erunt*. Hoc obscurum etiam heri dixeramus, et ideo ad recentiores mentes vestras expositionem distuleramus. Nunc itaque, quoniam nondum fatigati estis in audiendo, erigite corda ut adjuvetis me intentione; ne forte in obscuritate et perplexitate aliquantum sermo noster non sufficiat intentioni vestræ: et debetis aliquid et a vobis afferre, ut quod nos dicendo non impleverimus, intelligendo suppleatis. Sic ergo posita est ista sententia in medio, ut quo jungatur non facile videamus: *Delicta oris eorum, sermonem labiorum eorum*. Recurramus ergo ad superiora. Quoniam dixerat, *Ne occideris eos, nequando obliviscantur legis tuæ*, quos tamen dixerat inimicos; adjunxit duos versiculos, *Disperge eos in virtute tua, et deduc eos, protector meus Domine*: et continuo intulit, *Delicta oris eorum, sermonem labiorum eorum*, hoc est, illum occide, non ipsos. *Non* ergo *occideris eos, nequando obliviscantur legis tuæ*: sed est quod in illis occidas, ut impleas quod supra dictum est, *Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem. Disperge* ergo *illos, et deduc eos*: id est, noli deserere, cum dispergis; quia non deserendo habes quid in illis agas, cum ipsos non occidis. Quid ergo occides? *Delicta oris eorum, sermonem labiorum eorum*. Quid in illis occides? *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX, 6); quod clamaverunt, non qui clamaverunt. Illi enim Christum delere, interimere, perdere voluerunt: tu autem resuscitando Christum quem perdere voluerunt, occidis *delicta oris eorum, sermonem labiorum eorum*. Quippe quem perdendum clamaverunt, vivere expavescunt; et quem in terra contempserunt, in cœlo adorari ab omnibus gentibus admirantur: sic occiduntur delicta oris eorum, et sermo labiorum eorum.

4. *Et comprehendantur in superbia sua*. Quid est, *comprehendantur in superbia sua*? Quia frustra irruerunt fortes, et quasi cessit illis ut aliquid sibi fecisse viderentur, et prævaluerunt Domino. Potuerunt hominem crucifigere, potuit infirmitas prævalere, et virtus occidi; et visi sibi sunt aliquid, velut fortes, velut potentes, velut prævalentes, velut leo paratus ad prædam, velut tauri pingues, sicut eos alio loco commemorat: *Tauri pingues obsederunt me* (*Psal.* XXI, 13). Quid autem fecerunt in Christo? Non vitam, sed mortem occiderunt. Exstincta quippe morte in moriente, et resurgente vita de morte in [1] vivente, etenim et ipse se resuscitavit, quia erat in illo et quod mori non potuit, quid fecerunt? Audi quid fecerunt: solverunt templum. Quid vero ipse fecit? Triduo resuscitavit illud (*Joan.* II, 19). Per hoc ergo occisa sunt delicta oris eorum, et sermo labiorum eorum. Et quid jam factum est in his qui conversi sunt? *Et comprehendantur in superbia sua*. Dictum est enim illis quia ille quem occiderunt, resurrexit. Crediderunt eum resurrexisse, quia viderunt eum in cœlo positum, Spiritum sanctum inde misisse, et eos qui in illum crediderunt implevisse (*Act.* I, 9, *et* II, 4); et invenerunt se et nihil damnasse, et nihil fecisse. Factum eorum in irritum venit; peccatum remansit. Quia ergo factum evacuatum est, peccatum autem remansit super facientes; comprehensi sunt in superbia sua, viderunt se sub iniquitate sua. Restabat ergo ut confiterentur peccatum, et ille ignosceret qui peccantibus cesserat, et mortem suam donaret occisus a mortuis, et vivificans mortuos. Comprehensi sunt ergo in superbia sua.

5. *Et ex maledicto et mendacio annuntiabuntur con-*

[1] Tres melioris notæ Mss., *a vivente*.

summationes, *in ira consummationis*, *et non erunt*. Et hoc difficile intelligitur, quo jungatur *et non erunt*. Quid *non erunt?* Videamus ergo superiorem textum: cum comprehensi fuerint in superbia sua, *annuntiabuntur ex maledicto et mendacio consummationes*. Quæ sunt consummationes? Perfectiones: consummari enim, perfici est. Aliud est consummari, aliud consumi. Consummatur enim quod sic finitur ut perficiatur: consumitur quod sic finitur ut non sit. Superbia non permittebat hominem perfici; nihil sic impedit perfectionem. Intendat quippe Charitas Vestra paululum ad id quod dico; et videte malum nimis molestum, nimis cavendum. Quale malum putatis? Quamdiu exaggerem quid mali sit in superbia? Diabolus inde solum puniendus est. Certe princeps est omnium peccatorum, certe seductor est ad peccandum: non ei imputatur adulterium, non vinolentia, non fornicatio, non rapina rerum alienarum; sola superbia lapsus est. Et quoniam superbiæ comes est invidentia, fieri non potest ut superbus non invideat: ex hoc vitio, quod superbiam necessario sequitur, lapsus etiam invidit stanti, et dedit operam seducere hominem, ne illo levaretur unde ille dejectus est. Et ideo satagit vera persuadere peccata, quia talem judicem habemus ubi objicere falsa non possit. Nam si apud judicem hominem ageretur causa nostra, quem posset fallere criminationibus falsis; non multum ageret ut peccaremus; quia judicem fallendo, et innocentes posset opprimere, et circumventos ad se traducere, et secum condemnari facere: nunc vero quia scit talem judicem qui falli non possit, et quia scit eum justum personas accipere non posse; tales ei vult reos perducere, quos necesse sit ut damnet, quia justus est. Dat itaque operam ut peccemus sola invidentia, quæ invidentia necesse est ut comitetur superbiam. Hoc ergo malum superbia est, impediens perfectionem. Jactet ergo se quisque de divitiis, jactet de pulchritudine et de viribus corporis: ista certe omnia mortalia sunt; ridendi sunt qui se de mortalibus jactant, a quibus rebus plerumque aut vivi deseruntur, aut mortui eas necesse est ut deserant. Illud est vitium capitale, quod cum quisque bene profecerit, superbia tentatur, ut perdat totum quod profecit. Denique omnia vitia in malefactis timenda sunt; superbia in benefactis plus metuenda est. Non itaque mirum quia sic est humilis Apostolus, ut dicat: *Quando infirmor, tunc fortis sum*. Nam hoc vitio ne ipse tentaretur, quale sibi medicamentum dicit appositum contra tumorem, a medico qui sciret quid curaret? *Ne magnitudine*, inquit, *revelationum extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me; et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor*. XII, 7-10). Videte quæ sint consummationes. Apostolus, doctor gentium, pater fidelium per Evangelium, accepit stimulum carnis a quo colaphizaretur. Quis nostrum hoc dicere auderet, nisi ille confiteri non erubesceret? Si enim dixerimus hoc non passum fuisse Paulum; cum ei quasi honorem deferimus, mendacem facimus. Sed quia verax est, et verum dixit; oportet ut credamus datum illi esse angelum satanæ, ne magnitudine revelationum extolleretur. Ecce quam timendus est serpens superbiæ! Quid itaque factum est istis? In peccato suo comprehensi sunt, quia Christum occiderunt, et de ipsa magnitudine peccati plus humiliati sunt, et majore humilitate erigi meruerunt: hoc est, *Comprehendantur in superbia sua. Et ex maledicto et mendacio annuntiabuntur consummationes*: id est, ideo magis perficientur, quia in maledicto et mendacio deprehensi sunt. Superbia quippe eos non permittebat perfici: facinus abstulit superbiam per eorum confessionem; indulgentia delevit facinus per Dei miserationem, et ex maledicto et mendacio annuntiatæ sunt consummationes: id est, dictum est homini, Vidisti quid sis, sensisti quid sis, errasti, excæcatus es, peccasti et lapsus es, agnovisti infirmitatem tuam; supplica medico, noli tibi videri sanus. Ubi est phrenesis tua? Ecce medicum occidisti, quem occidendo perdere non potuisti: tamen quantum ad te pertinuit, occidisti. *Ex maledicto et mendacio annuntiabuntur consummationes*. Fecistis quod ad maledictum pertinebat, o Judæi: *Maledictus* enim *omnis qui pendet in ligno* (*Deut*. XXI, 23, *et Gal*. III, 13). Crucifixistis Christum; tanquam maledictum putastis. Adde maledicto mendacium: custodes ad sepulcrum posuistis; ut mentirentur, pecuniam dedistis (*Matth*. XXVIII, 12). Ecce Christus resurrexit: ubi est maledictum crucis quod fecistis? ubi est mendacium custodum quos corrupistis?

6. *Ex maledicto et mendacio annuntiabuntur consummationes, in ira consummationis, et non erunt*. Quid est, *in ira consummationis annuntiabuntur consummationes?* Est ira consummationis, et est ira consumptionis. Nam omnis vindicta Dei ira dicitur: sed aliquando ad hoc vindicat Deus, ut perficiat; aliquando ad hoc vindicat, ut damnet. Quomodo ad hoc vindicat, ut perficiat? *Flagellat omnem filium quem recipit* (*Hebr*. XII, 6). Quomodo ad hoc vindicat, ut damnet? Quando posuerit impios ad sinistram, et dixerit eis: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth*. XXV, 41). Illa ira consumptionis est, non consummationis. *Annuntiabuntur* autem *consummationes in ira consummationis*; id est, prædicabitur ab Apostolis quia *ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia* (*Rom*. V, 20), et pertinuit ad humiliationis medicinam infirmitas hominis. Hoc cogitantes illi, et invenientes atque confitentes iniquitates suas, *non erunt*. Quid *non erunt?* In superbia sua. Supra enim dixerat, *Comprehendantur in superbia sua. Et ex maledicto et mendacio annuntiabuntur consummationes in ira consummationis, et non erunt*, utique in superbia, in qua comprehensi sunt.

7. *Et scient quia Deus dominabitur Jacob, et finium terræ*. Ante enim justi sibi videbantur, quod gens Judæa Legem acceperat, quod Dei præcepta servaverat: demonstratur illis quia non servavit, cum in ipsis Dei præceptis Christum non intellexit, quia cæcitas ex parte in Israel facta est (*Id*. IX, 25). Vident et

ipsi Judæi quia non debent Gentes contemnere, quos quasi canes et peccatores putabant: quomodo enim pariter inventi sunt in iniquitate; ita pariter pervenient ad salutem. *Non solum ex Judæis*, inquit Apostolus, *verum etiam ex Gentibus* (*Rom.* IX, 24). Ideo enim *lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII, 22), ut duos jungeret in se: angulus enim duos parietes copulat. Judæi excelsi et magni sibi videbantur: Gentes tanquam infirmi, tanquam peccatores, tanquam dæmonum servi, tanquam idolorum adoratores; et tamen in utrisque iniquitas erat. Demonstrati sunt et Judæi peccatores; quia *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (*Rom.* III, 12): deposuerunt superbiam et non inviderunt saluti Gentium, quia parem suam et illorum infirmitatem cognoverunt; et in angulari lapide copulati simul Dominum adoraverunt. *Et scient quia Deus dominabitur Jacob, et finium terræ.* Non tantum Judæorum dominabitur, sed et finium terræ: quod non scirent, si adhuc in superbia sua essent; in superbia autem sua essent, si adhuc sibi justi viderentur: ut autem sibi justi non viderentur, annuntiatæ sunt illis ex maledicto et mendacio consummationes in ira consummationis; quia comprehensi fuerunt in superbia sua, ex maledicto quod fecerunt, quando Christum occiderunt. Ecce quid fecit Dominus noster Jesus Christus. Mortuus est inter manus Judæorum, et redemit multitudinem Gentium: hac fusus est sanguis, hac profuit; sed conversis omnibus profuit; quia et illi quem occiderunt agnoverunt, et ab illo ipsius interfectionis et delicti sui magni veniam meruerunt.

8. [*vers.* 15.] Quid ergo et de ipsis? Quod supra: *Convertentur ad vesperam:* id est etsi sero, id est post interfectionem Domini nostri Jesu Christi. *Convertentur ad vesperam; et famem patientur ut canes.* Sed *ut canes*, non ut oves, aut vituli: *ut canes*, ut Gentes, ut peccatores; quia et ipsi cognoverunt peccatum suum qui sibi justi videbantur. De quibus dictum est in alio psalmo, *Postea acceleraverunt:* hoc dictum est hic, *Ad vesperam.* Nam ibi sic est: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum; postea acceleraverunt* (*Psal.* XV, 4). Unde *acceleraverunt postea?* Quia *multiplicatæ sunt infirmitates eorum:* nam si sibi adhuc sani viderentur, nunquam accelerarent. Quod ergo ibi dictum est, *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum;* hoc dictum est hic, *Comprehendantur in superbia sua, et ex maledicto et mendacio annuntiabuntur consummationes in ira consummationis.* Et quod ibi dictum est, *Postea acceleraverunt;* hoc dictum est hic, *Et non erunt*, in superbia sua. *Et scient quia Deus dominabitur Jacob, et finium terræ:* et *convertentur ad vesperam.* Bonum est ergo humiliari peccatorem; et nemo est insanabilior eo qui sibi sanus videtur. *Et circumibunt civitatem.* Jam et hesterno die exposuimus civitatem, id est circumstantiæ civitatem, omnes gentes.

9. [*vers.* 16.] *Dispergentur ut edant:* id est, ut lucrentur alios, ut in corpus suum transforment credentes. *Si autem non satiabuntur, et murmurabunt.* Quia et superius murmur eorum dixerat, dicentium: *Quoniam quis audivit? Et tu, Domine*, inquit, *deridebis eos*, dicentes: *Quis audivit?* Quare? Quia *pro nihilo habebis omnes gentes.* Sic et hic: *Si autem non satiabuntur, et murmurabunt.*

10. [*vers.* 17, 18.] Concludatur Psalmus. Videte angulum exsultantem, jam de utroque pariete gaudentem (*Ephes.* II). Superbiebant Judæi; humiliati sunt: desperabant Gentes; erectæ sunt. Veniant ad angulum; ibi conveniant, ibi concurrant, ibi pacis osculum inveniant: de diverso veniant, sed in adversum non veniant; illi de circumcisione, isti de præputio. Longe erant parietes, sed antequam ad angulum venirent: in angulo autem teneant se, et tota jam Ecclesia ex utroque pariete, quid dicat? *Ego autem cantabo potentiam tuam, et exsultabo mane misericordia tua.* Mane transactis tentationibus, mane cum nox hujus sæculi transierit, mane quando jam latronum insidias et diaboli et angelorum ejus non expavescimus, mane quando jam non ad lucernam prophetiæ ambulamus, sed ipsum Dei Verbum tanquam solem contemplamur. *Et exsultabo mane misericordia tua.* Merito in alio psalmo dicitur: *Mane astabo tibi, et contemplabor* (*Psal.* V, 5). Merito et ipsius Domini resurrectio diluculo fuit, ut impleretur quod dictum est in alio psalmo: *Vespere demorabitur fletus, et in matutino exsultatio* (*Psal.* XXIX, 6). Ad vesperam quippe discipuli mortuum planxerunt Dominum nostrum Jesum Christum; diluculo ad resurgentem exsultaverunt. *Exsultabo mane misericordia tua.*

11. *Quia factus es susceptor meus, et refugium meum in die tribulationis meæ. Adjutor meus tibi psallam, quia tu Deus susceptor meus es.* Quid eram, nisi subvenires? Quam desperatus eram, nisi curares? Ubi jacebam, nisi advenires? Certe ingenti vulnere periclitabar, sed illud vulnus meum medicum omnipotentem requirebat. Omnipotenti medico nihil est insanabile; non renuntiat ad aliquem [1]: opus est ut tu curari velis, opus est ut manus ejus non refugias. Sed etsi nolis curari, vulnus tuum admonet ut cureris: et aversum revocat, et refugientem quodammodo ad se redire compellit, et attrahit. In omnibus implet quod dictum est: *Misericordia ejus præveniet me.* Cogitate quod dictum est, *præveniet me.* Si aliquid tuum primum attulisti, et ex tuo aliquo bono primo Dei misericordiam meruisti, non te prævenit. Quando autem vel intelligis quia præventus es, nisi intelligas quod ait Apostolus: *Quid enim habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7)? Hoc est, *Misericordia ejus præveniet me.* Denique attendens omnia bona quæcumque habere possumus, sive in natura, sive in instituto, sive in ipsa conversatione [2], in fide, in spe, in charitate, in bonis moribus, in justitia, in timore Dei, totum non esse nisi ex illius donis, ita conclusit: *Deus meus misericordia mea.* Non invenit impletus bonis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam

[1] Edd., *renuntiat alicui.* At MSS., *ad aliquem.*
[2] MSS., *conversione.*

suam. O nomen, sub quo nemini desperandum est! *Deus meus*, inquit, *misericordia mea*. Quid est, *misericordia mea?* Si dicas, Salus mea, intelligo quia dat salutem; si dicas, Refugium meum, intelligo quia confugis ad eum; si dicas, Fortitudo mea, intelligo quia dat tibi fortitudinem: *Misericordia mea*, quid est? Totum quidquid sum, de misericordia tua est. Sed promerui te, invocando te! Ut essem, quid feci? ut essem qui te invocarem, quid egi? Si enim egi aliquid ut essem, jam eram antequam essem. Porro si omnino nihil eram antequam essem, nihil te promerui ut essem. Fecisti ut essem, et non tu fecisti ut bonus essem? Dedisti mihi ut sim, et potuit mihi alius dare ut bonus sim? Si tu mihi dedisti ut sim, et alius mihi dedit ut bonus sim; melior est ille qui mihi dedit ut bonus sim, quam ille qui mihi dedit ut sim. Porro quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te in misericordia largior; a quo accepi ut essem, ab illo accepi ut bonus essem. *Deus meus misericordia mea.*

IN PSALMUM LIX
ENARRATIO.

SERMO AD POPULUM (*a*).

1. [*vers.* 1, 2.] Titulus psalmi hujus aliquantum prolixus est; sed non nos terreat, quia Psalmus brevis est. Tanquam ergo aliquantulum prolixiorem Psalmum audierimus, sic intendamus: quoniam in nomine Christi nutritis et nutriendis loquimur in Ecclesia Dei, nec alienis a sapore istarum Litterarum a quibus mundus alienus est, non quasi rudia vobis ista semper esse debent. Si enim ea quæ sæpissime audistis cum jucunditate in ore cogitationis ruminastis, nec oblivione tanquam in ventre sepelistis; eadem ipsa recordatio vestra, et memoria multum nos poterit adjuvare, ne multum loquamur ad enodanda quasi rudibus ea quæ jam vos nosse novimus. Certe illud meminimus sæpe vos audisse quod dicimus: vix est ut in Psalmis invenias voces, nisi Christi et Ecclesiæ, aut Christi tantum, aut Ecclesiæ tantum, quod utique ex parte et nos sumus. Ac per hoc quando voces nostras agnoscimus, sine affectu agnoscere non possumus: et tanto magis delectamur, quando indidem [1] nos esse sentimus. David rex unus homo fuit, sed non unum hominem figuravit: quando scilicet figuravit Ecclesiam ex multis constantem, distentam usque ad fines terræ; quando autem unum hominem figuravit, illum figuravit qui est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5). In hoc ergo psalmo, vel potius in hujus psalmi titulo, dicuntur quædam victoriosa David, quod fortiter fecerit debellando quosdam inimicos, et eos tributarios faciendo; quando post mortem Saülis persecutoris sui, regnum illius accepit manifestum in Israel. Nam et antequam persecutionem pateretur, rex erat, sed Deo tantum notus erat. Postea ergo jam manifesto regno, et evidenter atque eminenter accepto debellavit eos qui in hoc titulo commemorantur; et notatus [1] est Psalmi titulus ita: *In finem, pro his qui immutabuntur in tituli inscriptionem ipsi David in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriæ, et Syriam Sobal, et convertit Joab, et percussit Edom, in valle Salinarum duodecim millia.* Legimus hæc in libris Regnorum, istos omnes quos nominavit, debellatos esse a David, id est Mesopotamiam Syriæ, et Syriam Sobal, Joab, Edom (II *Reg.* VIII). Facta sunt ista, et quemadmodum facta sunt ita ibi conscripta sunt, ita leguntur: legat qui vult. Verumtamen sicut solet propheticus spiritus in Psalmorum titulis recedere aliquantulum ab expressione rerum gestarum, et aliquid dicere quod in historia non invenitur, et hinc potius admonere, non propter cognoscendas res gestas esse hujusmodi titulos inscriptos, sed propter futura præfiguranda; sicut dictum est quod coram Abimelech mutavit vultum suum, et dimisit eum, et abiit (*Psal.* XXXIII, 1), cum indicet scriptura Regnorum hoc eum non fecisse coram Abimelech, sed coram Achis rege (I *Reg.* XXI, 13): ita et in hoc titulo invenimus aliquid, quo commoneamur ad aliquid. Namque in illa narratione bellorum fortiumque factorum regis David, ubi hi omnes quos commemoravimus, debellati sunt, eum aliquid succendisse non legimus. Hic autem maxime hoc positum est, quod ibi non est scriptum, quia succendit Mesopotamiam Syriæ, et Syriam Sobal. Jam ergo incipiamus secundum rerum futurarum significationes ista discutere, et opacitatem umbrarum in lucem verbi revocare.

2. *In finem*, quid sit nostis: *Finis enim Legis Christus est* (*Rom.* X, 4). Eos qui immutantur nostis. Qui enim, nisi qui a veteri vita in novam transeunt? Absit enim ut hic culpanda immutatio intelligatur. Non quomodo immutatus est Adam a justitia ad iniquitatem, et a deliciis ad laborem; sed quomodo mutantur illi, quibus dictum est: *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8). Immutantur autem isti *in tituli inscriptionem*. Nostis tituli inscriptionem. Titulus infixus est super crucem Domini scriptus, *Hic est rex Judæorum* (*Matth.* XXVII, 37): mutantur in hujus tituli inscriptionem qui in regnum Christi transeunt a regno diaboli. Bene mutantur in hujus tituli inscriptionem. Mutantur autem, sicut sequitur, *in doctrinam*. Cum enim dixisset, *Pro his, qui immutabuntur in tituli inscriptionem;* addidit, *ipsi David in doctrinam*: id est, mutantur non sibi, sed ipsi David, et mutantur in doctrinam. Non enim ita rex Christus, quasi sæculo regnaturus; cum aperte dixerit: *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII, 36). Ergo in ejus [2] doctrinam transeamus, si volumus in conscriptionem tituli commutari, non nobis, sed ipsi David; ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit (II *Cor.* V, 15). Quando ergo nos mutaret Christus, nisi fecisset quod dixit: *Ignem veni mittere in mundum*

[1] Sic aliquot Mss. Quidam vero, *in iisdem*. At Edd., *in idem*.

(*a*) Aliquanto post Enarrationem superioris Psalmi habitus, ex n. 11.

[1] Sic Regius Ms. Alii cum Edd., *natus est*.

[2] Sic MSS. At Edd., *in ejus gratiam et doctrinam*.

(*Luc.* XII, 49)? Si ergo Christus venit mittere in mundum ignem, utique salubriter atque utiliter; non quomodo missurus est mundum in ignem. Sed quomodo *ignem in mundum?* Quoniam ergo venit ignem mittere in mundum, quæramus jam quid sit Mesopotamia quæ succensa est, quid sit Syria Sobal. Interpretationes ergo nominum interrogemus secundum hebræum eloquium, quo primum hæc Scriptura locuta est. Mesopotamiam dicunt interpretari Elevatam vocationem. Jam totus mundus vocatione elevatus est. Syria interpretatur Sublimis. Sed illa quæ erat sublimis, incensa est et humiliata: et quemadmodum humiliata est quæ fuerat exaltata, sic exaltetur quæ fuerat humiliata. Sobal interpretatur Vana vetustas. Gratias Christo qui eam succendit. Quando vetera virgulta succenduntur, vireta succedunt; et alacrius et uberius et viridius nova nascuntur, cum ea ignis in vetustorum succensione præcesserit. Non ergo timeatur ignis Christi; fenum, consumit. Omnis enim caro fenum, et omnis claritas hominis sicut flos feni (*Isai.* XL, 6). Succendit ergo ista illo igne. *Et convertit Joab.* Joab interpretatur Inimicus. Conversus est inimicus: quod vis intellige. Si conversus in fugam, diabolus est; si conversus ad fidem, christianus est. Quomodo in fugam? De corde christiani: *Princeps hujus mundi*, inquit, *nunc missus est foras* (*Joan.* XII, 31). Conversus autem ad Dominum christianus, quare inimicus conversus? Quia fidelis factus, qui fuerat inimicus. *Percussit Edom.* Interpretatur Edom Terrenus. Debuit percuti terrenus iste. Utquid enim viveret terrenus, qui cœlestis debet vivere? Interfecta est ergo vita terrena; vivat cœlestis. Sicut enim portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est (I *Cor.* XV, 49). Vide illum interfici: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram* (*Coloss.* III, 5). Cum autem percussisset Edom, percussit *duodecim millia in valle Salinarum.* Duodecim millia perfectus est numerus, cui perfecto numero etiam duodenarius Apostolorum numerus deputatur: non enim frustra, nisi quia per totum mundum mittendum erat verbum. Verbum autem Dei quod est Christus, in nubibus, hoc est in prædicatoribus veritatis. Mundus autem quatuor partibus constat. Quatuor ejus partes notissimæ sunt omnibus, et sæpe in Scripturis memoratæ: quæ etiam quatuor venti dictæ sunt (*Ezech.* XXXVII, 9), oriens, occidens, aquilo et meridies. Ad omnes istas quatuor partes missum est verbum, ut in Trinitate omnes vocarentur. Duodenarium numerum ter quaterni faciunt. Merito ergo duodecim millia terrena percussa sunt; totus mundus percussus est: de toto enim mundo electa est Ecclesia, mortificata a terrena vita. Quare, *in valle Salinarum?* Vallis humilitas est: salinæ saporem significant. Multi enim humiliantur, sed vane et fatue: in vana vetustate humiliantur. Patitur quis tribulationem pro pecunia, patitur tribulationem pro honore temporali, patitur tribulationem pro commodis vitæ hujus; passurus est tribulationem, et humiliandus: quare non propter Deum? quare non propter Christum? quare non propter saporem salis? An nescis tibi esse dictum, *Vos estis sal terræ;* et, *Si sal infatuatum fuerit, ad nihilum valebit aliud, nisi ut foras projiciatur* (*Matth.* V, 13)? Bonum est ergo sapienter humiliari. Ecce nunc nonne humiliantur hæretici? Nonne leges contra illos datæ sunt etiam ab hominibus, contra quos divinæ regnant, quæ illos ante etiam condemnaverant? Ecce humiliantur, ecce fugantur, ecce persecutionem patiuntur, sed sine sapore; pro fatuitate, pro vanitate. Jam enim sal infatuatum est: ideo projectum est foras, ut conculcetur ab hominibus. Audivimus titulum Psalmi; audiamus etiam verba Psalmi.

3. [*vers.* 3.] *Deus repulisti nos, et destruxisti nos.* Numquid ille David loquitur, qui percussit, qui succendit, qui debellavit; et non illi quibus hæc fecit, ut percuterentur et repellerentur qui mali erant, et rursus vivificarentur et redirent ut boni essent? Istam quidem stragem fecit David ille manu fortis Christus noster, cujus figuram gerebat ille homo; fecit ista, dedit hanc stragem gladio suo et igne suo: nam utrumque attulit in hunc mundum. Et, *Ignem veni mittere in mundum* (*Luc.* XII, 49), habes in Evangelio; et, *Gladium veni mittere in terram* (*Matth.* X, 34), habes in Evangelio. Attulit ignem unde succenderetur Mesopotamia Syriæ, et Syria Sobal; attulit gladium unde percuteretur Edom. Jam ergo ista strages facta est propter eos qui immutantur in tituli inscriptionem ipsi David. Audiamus ergo eorum vocem: salubriter percussi sunt, erecti loquantur. Dicant ergo mutati in melius, mutati in tituli inscriptionem, immutati in doctrinam ipsi David; dicant: *Deus repulisti nos, et destruxisti nos: iratus es, et misertus es nostri.* Destruxisti nos, ut ædificares nos; destruxisti nos male ædificatos, destruxisti vanam vetustatem, ut sit ædificatio in novum hominem, ædificatio mansura in æternum. Merito *iratus es, et misertus es nostri.* Non miserereris, nisi irascereris. Destruxisti nos in ira tua; sed ira tua in vetustatem nostram fuit, ut destrueretur vetustas. Sed misertus es nostri propter novitatem, propter eos qui immutantur in tituli inscriptionem: quia et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem (II *Cor.* IV, 16).

4. [*vers.* 4.] *Commovisti terram, et conturbasti eam.* Quomodo conturbata est terra? Conscientia peccatorum. Quo imus? quo fugimus, quando ille gladius vibratus est: *Agite pœnitentiam; appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 2)? *Commovisti terram, et conturbasti eam. Sana contritiones ejus, quoniam mota est.* Non digna est sanari, si mota non est: sed loqueris, prædicas, minaris de Deo, venturum judicium non taces, præceptum Dei mones, ab his rebus non quiescis; et qui audit, si non timet, si non movetur, non est dignus sanari. Audit alius; movetur, stimulatur, pectus tundit, lacrymas fundit: *Sana contritiones ejus, quoniam mota est.*

5. [*vers.* 5.] Post hæc, percusso terreno, succensa vetustate, mutato homine in melius, facta luce eis qui tenebræ fuerunt, sequitur quod alibi scriptum est: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timo-*

re, et præpara animam tuam ad tentationem (Eccli. II, 1). Prior labor ut displiceas tibi, ut peccata expugnes[1], ut muteris in melius : secundus labor, pro eo quod mutatus es, ferre tribulationes et tentationes hujus sæculi, et inter illas perseverare usque in finem. De his ergo cum loqueretur, has significans, quid subjungit? *Ostendisti plebi tuæ dura :* jam plebi tuæ, factæ tributariæ post victoriam David. *Ostendisti plebi tuæ dura.* In quibus? In persecutionibus quas pertulit Ecclesia Christi, quando tantus martyrum sanguis effusus est. *Ostendisti plebi tuæ dura : potasti nos vino stimulationis.* Quid est, *stimulationis?* Non peremptionis. Non enim erat peremptio perdens, sed medicina urens. *Potasti nos vino stimulationis.*

6. [*vers.* 6.] Quare hoc? *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.* Per tribulationes, inquit, temporales, significasti tuis fugere ab ira ignis sempiterni. Dicit enim apostolus Petrus : *Tempus est ut judicium incipiat a domo Dei.* Et exhortans martyres ad tolerantiam, cum sæviret mundus, cum strages a persecutoribus fierent, cum longe lateque sanguis fidelium funderetur, cum in catenis, in carceribus, in tormentis, multa dura Christiani paterentur; ne in his ergo duris deficerent, eos alloquitur Petrus : *Tempus est ut judicium incipiat a domo Dei; et si initium a nobis, qualis finis erit eis qui non credunt Dei Evangelio? et si justus vix salvus erit, peccator et impius ubi parebunt* (I *Petr.* IV, 17, 18)? Quid ergo futurum est in judicio? Arcus est extentus; adhuc in comminatione est, nondum in præsentatione. Et videte quid sit in arcu. Nonne sagitta in priora mittenda est? Nervus tamen retro tenditur in contrarium qua illa mittenda est; et quanto plus ierit ejus extensio retrorsum, tanto majore impetu illa currit in priora. Quid est quod dixi? Quanto magis differtur judicium, tanto majore impetu venturum est. Ergo et de temporalibus tribulationibus gratias Deo agamus, quia dedit plebi suæ significationem, *ut fugiant a facie arcus :* ut exercitati fideles ejus in tribulationibus temporalibus, digni sint evadere damnationem ignis æterni, quæ inventura est omnes qui ista non credunt. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.*

7. [*vers.* 7.] *Ut eruantur dilecti tui. Salvum me fac dextera tua, et exaudi me.* Dextera tua, Domine, salvum me fac : ita salvum me fac, ut ad dexteram stem. *Salvum me fac dextera tua :* non salutem temporalem peto; de hac fiat voluntas tua. Ad tempus quid nobis prosit, penitus ignoramus; quid enim oremus sicut oportet, nescimus (*Rom.* VIII, 26) : sed *salvum me fac dextera tua*, ut etsi in tempore isto tribulationes aliquas patiar, transacta nocte omnium tribulationum ad dexteram inveniar inter oves, non ad sinistram inter hædos. *Salvum me fac dextera tua, et exaudi me.* Quia jam illud peto quod dare vis; non verbis delictorum meorum clamo per diem, ut non exaudias, et nocte[2], ut non exaudias, et non ad insipientiam mihi (*Psal.* XXI, 2, 3); sed utique ad commonitionem, addendo saporem de valle salinarum, ut in tribulatione noverim quid petam : peto autem vitam æternam; ergo exaudi me, quia dexteram tuam peto. Intelligat ergo Charitas vestra omnem fidelem habentem in corde verbum Dei, cum timore timentem judicium futurum, viventem probabiliter, ne de illo blasphemetur nomen sanctum Domini ejus, multa deprecari secundum sæculum, et non exaudiri; ad vitam autem æternam semper exaudiri. Quis enim sanitatem non petat, cum ægrotat? Et tamen forte adhuc ægrotare ei utile est. Potest fieri ut hinc non exaudiaris : non tamen exaudiris ad voluntatem, ut exaudiaris ad utilitatem. At vero cum illud petis, ut det tibi vitam æternam Deus, ut det tibi regnum cœlorum Deus, ut det tibi ad dexteram Filii sui stare, cum venerit judicare terram; securus esto; accipies, si modo non accipis : non enim jam venit tempus ut accipias. Exaudiris, et nescis : quod petis agitur, etsi nescis in quo agitur. In radice res est, nondum in fructu. *Salvum me fac dextera tua, et exaudi me.*

8. [*vers.* 8.] *Deus locutus est in sancto suo.* Quid times ne non fiat quod Deus locutus est? Si haberes aliquem gravem amicum et sapientem, quomodo diceres? Ille locutus est hæc, fiat necesse est quod locutus est : vir gravis est, non levitate utitur, non facile de sententia dimovetur, quod promisit fixum est. Sed tamen homo est, qui aliquando quod promisit facere vult, et non potest. De Deo non est quod tu timeas : quia verax est, constat; quia omnipotens est, constat; fallere te non potest, habet unde faciat Quid ergo times ne decipiaris? Opus est ut tu te non decipias, et perseveres usque in finem, eum daturus est quod promisit. *Deus locutus est in sancto suo.* In quo sancto suo? *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* V, 19). In sancto illo, de quo alibi audistis : *Deus in sancto via tua* (*Psal.* LXXVI, 14). *Deus locutus est in sancto suo. Lætabor, et dividam Sichimam.* Quia Deus hoc locutus est, fiet : vox Ecclesiæ est, *Deus locutus est in sancto suo.* Non verba dicit quæ Deus locutus est; sed quoniam *Deus locutus est in sancto suo*, nec fieri aliquid potest, nisi quemadmodum locutus est Deus, consequenter ista eveniunt : *Lætabor, et dividam Sichimam, et convallem tabernaculorum dimetiar.* Sichima Humeri interpretantur. Secundum historiam vero, Jacob rediens a Laban socero suo cum omnibus suis, abscondit idola in Sichima quæ habebat de Syria, ubi diu peregrinatus, tandem aliquando inde veniebat (*Gen.* XXXV, 4). Tabernacula autem fecit ibi propter oves suas et armenta, et appellavit locum illum *Tabernacula* (*Id.* XXXIII, 17). Et hæc dividam, inquit Ecclesia. Quid est hoc, *dividam Sichimam?* Si ad historiam ubi abscondita sunt idola referatur, Gentes significat. Divido Gentes. Quid est, divido? Non enim omnium est fides (II *Thess.* III, 2). Quid est divido? Alii credent, alii non credent : sed tamen non timeant qui credunt, inter illos qui non credunt. Divisi sunt enim nunc fide; postea dividentur in judicio, oves ad dexteram, hædi ad sinistram

[1] Sic Mss. At Edd., *expurges.*
[2] In Edd. deest hic, *ut non exaudias :* quod repetitur in Mss.

(*Matth.* xxv, 33). Ecce invenimus quemadmodum Ecclesia dividat Sichimam. Quomodo dividit humeros, secundum nominis interpretationem? Dividuntur humeri, ut alios gravent peccata sua, alii tollant sarcinam Christi. Humeros enim pios quærebat, cum diceret : *Jugum enim meum lene est, et sarcina mea levis est* (*Id.* xi, 30). Alia sarcina premit et aggravat te; Christi autem sarcina sublevat te : alia sarcina pondus habet; Christi sarcina pennas habet. Nam et avi si pennas detrahas, quasi onus tollis; et quo magis onus abstulisti, eo magis in terra remanebit. Quam exonerare voluisti, jacet : non volat, quia tulisti onus; redeat onus, et volat. Talis est Christi sarcina. Portent illam homines; non sint pigri : non attendantur illi qui eam ferre nolunt; ferant illam qui volunt, et invenient quam sit levis, quam suavis, quam jucunda, quam rapiens in cœlum et a terra eripiens [1]. *Dividam Sichimam, et convallem tabernaculorum dimetiar.* Forte propter oves Jacob, convallis tabernaculorum intelligitur gens Judæorum, et ipsa dividitur : nam transierunt inde qui crediderunt; foris reliqui remanserunt.

9. [*vers.* 9.] *Meus est Galaad.* Nomina sunt ista lecta in Litteris Dei. Galaad habet interpretationis suæ vocem et magni sacramenti : interpretatur enim Acervus testimonii. Quantus acervus testimonii in martyribus? *Meus est Galaad :* meus est acervus testimonii, mei sunt Martyres veri. Moriantur alii [2] pro vetusta vanitate sua sine sale; numquid pertinent ad acervum testimonii? Quia et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (I *Cor.* xiii, 3). Cum autem quodam loco moneret Dominus de pace retinenda, præmisit salem : *Habete*, inquit, *in vobis salem, et pacem habete inter vos* (*Marc.* ix, 49). Ergo, *Meus est Galaad :* sed Galaad, id est acervus testimonii, in magna tribulatione evidenter factus est. Tunc ignominiosa Ecclesia erat in hominibus, tunc opprobrium illi viduæ objectabatur, quia Christi erat, quia signum crucis in fronte portabat : nondum erat honor; crimen erat tunc. Quando ergo non honor, sed crimen erat, tunc factus est acervus testimonii; et per acervum testimonii dilatata est charitas Christi; et per dilatationem charitatis Christi occupatæ sunt gentes. Sequitur, *Et meus est Manasses :* quod interpretatur Oblitus. Huic enim dictum erat : *Confusionem in perpetuum oblivisceris, et ignominiæ viduitatis tuæ non eris memor* (*Isai.* liv, 4). Erat ergo confusio Ecclesiæ aliquando, quam modo oblita est : confusionis enim et ignominiæ viduitatis suæ jam non est memor. Quando enim quædam erat confusio inter homines, acervus testimonii factus erat. Modo jam nemo vel meminit illius confusionis, quando ignominia erat esse christianum; jam nemo meminit, jam omnes obliti sunt, jam *meus est Manasses. Et Ephræm fortitudo capitis mei.* Ephræm Fructificatio interpretatur. Mea, inquit, fructificatio, et hæc fructificatio fortitudo est capitis mei. Caput enim meum Christus est. Et unde fructificatio fortitudo ejus? Quia nisi granum caderet in terram, non multiplicaretur, solum remaneret. Cecidit ergo in terram Christus in passione, et secuta est fructificatio in resurrectione. *Et Ephræm fortitudo capitis mei.* Pendebat et contemnebatur : granum erat intus, habebat vires trahendi post se omnia (*Joan.* xii, 24, 32). Quomodo in grano numeri seminum latent; abjectum [1] nescio quid apparet oculis, sed vis convertens in se materiam et proferens fructum abscondita est : sic in Christi cruce abscondita erat virtus; apparebat infirmitas. O magnum granum! Certe infirmus est pendens, certe ante illum caput plebs illa agitavit, certe dixerunt : *Si Filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* xxvii, 40). Audi fortitudinem ejus : *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (I *Cor.* i, 25). Merito tanta fructificatio consecuta est : hæc mea est, dicit Ecclesia.

10. [*vers.* 10.] *Juda rex meus : Moab olla spei meæ. Juda rex meus :* quis Juda? Qui de tribu Juda. Quis Juda, nisi cui dixit ipse Jacob : *Juda, te laudabunt fratres tui* (*Gen.* xlix, 8)? *Juda rex meus.* Quid ergo timeam, quando Juda rex meus dicit : *Nolite timere eos qui occidunt corpus* (*Matth.* x, 28)? *Juda rex meus : Moab olla spei meæ.* Quare, *olla?* Quia tribulatio. Quare, *spei meæ?* Quia præcessit Juda rex meus. Qua enim præcessit, tu sequi quid times [2]? Qua præcessit? Per tribulationes, per angustias, per opprobria. Septa erat via, sed antequam transiret : posteaquam transiit, sequere; jam patet via illius transitu. *Singularis ego sum*, inquit, *sed quousque transeam* (*Psal.* cxl, 10) : singulare granum, sed quoadusque transeat; cum transierit, sequetur fructificatio. *Juda rex meus.* Ergo quia *Juda rex meus : Moab olla spei meæ.* Moab intelligitur in Gentibus. Nata est enim ista gens de peccato, nata est ista gens de filiabus Lot quæ cum patre inebriato concubuerunt, male utentes patre (*Gen.* xix, 31-38). Melius erat ut steriles remanerent, quam sic matres fierent. Erat autem illa figura quædam eorum qui male utuntur lege. Nolite enim attendere quia lex in latina lingua feminini generis est; in græca masculini est : sed sive sit feminini generis in loquendo, sive masculini, non præscribit veritati locutio. Lex enim magis masculinam vim habet, quia regit, non regitur. Porro autem apostolus Paulus quid ait? *Bona est lex, si quis ea legitime utatur* (I *Tim.* i, 8). Illæ autem filiæ Lot non legitime usæ sunt patre. Quomodo autem nascuntur opera bona, cum quisque lege bene utitur : sic nascuntur opera mala, cum lege quisque male utitur. Proinde male illæ utentes patre, hoc est male utentes lege, generaverunt Moabitas; per quos significantur opera mala. Inde tribulatio Ecclesiæ, inde olla ebulliens. De hac olla quodam loco prophetiæ dicitur : *Olla succensa ab aquilone* (*Jerem.* i, 13).

[1] Gatian. liber, *erigens*.
[2] Edd., *moriantur multi*. Mss. vero, *alii* : ubi Donatistarum pseudomartyres notari videntur.

[1] Edd., *seminum latentium, in terra jactum nescio quid*, etc. Emendantur ad aliquot Mss.
[2] Sic aliquot Mss. At Edd.: *Quia enim præcessit te, debes sequi. Quid times?*

Unde nisi a partibus diaboli qui dixit : *Ponam sedem meam ad aquilonem* (*Isai.* XIV, 13)? Tribulationes ergo maximæ non oriuntur adversum Ecclesiam, nisi ab eis qui lege male utuntur. Quid ergo? Defectura est hinc Ecclesia, et propter ollam, id est abundantiam scandalorum, non erit perseveratura usque in finem? Nonne Juda rex illius prædixit hoc ei? Nonne ait illi : *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12)? Olla bulliente charitas refrigescit. Quare non potius, o charitas, et tu contra ollam fervescis? An ignoras tibi esse dictum, cum de illa abundantia scandalorum rex tuus loqueretur : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit?* Persevera ergo usque in finem contra ollam scandalorum. Ardet olla iniquitatis, sed major est flamma charitatis. Noli vinci; persevera usque in finem. Quid times Moabitas, opera mala eorum qui lege male utuntur? Quid enim, Juda rex tuus qui præcessit, nonne tales pertulit? Nescis Judæos male utendo lege, Christum occidisse? Ergo spera [1], et qua præcessit rex tuus sequere. Dic, *Juda rex meus.* Et ex eo quia *Juda rex meus*, *Moab* quid factus est? *Olla spei meæ*, non consumptionis meæ. Vide in tribulationibus ollam spei; audi Apostolum : *Sed et gloriamur*, inquit, *in tribulationibus.* Olla est jam; sed vide istum, si explicat ollam spei. *Scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio spem.* Si tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio spem, olla est autem tribulatio quæ operatur spem; merito *Moab olla spei meæ. Spes autem non confundit.* Et quid? Ferves contra ollam? Ita plane, *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 3-5).

11. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Ecclesia loquitur : Perveniam *usque in Idumæam.* Sæviant tribulationes, bulliat scandalis mundus, *extendam calceamentum meum usque in Idumæam;* usque ad eos ipsos qui terrenam vitam degunt (quoniam Idumæa interpretatur Terrena); usque ad ipsos, *usque in Idumæam extendam calceamentum meum.* Cujus rei calceamentum, nisi Evangelii? *Quam speciosi pedes eorum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona* (*Id.* X, 15)! et, *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis* (*Ephes.* VI, 15). Prorsus, quoniam *tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio spem*, olla non me consumet : *Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Non deficiamus Evangelium prædicare, non deficiamus Dominum annuntiare. *Usque in Idumæam extendam calceamentum meum.* Nonne serviunt et ipsi terreni? Etsi cupiditatibus terrenis obligantur, Christum tamen adorant. Hodie videmus, fratres, quam multi terreni committunt pro lucro fraudes, pro fraudibus perjuria; propter timores, sortilegos, mathematicos consulunt : omnes isti Idumæi, terreni; et tamen omnes isti adorant Christum, sub calceamento ipsius sunt; jam usque in Idumæam extendit calceamentum suum. *Mihi Allophyli subditi sunt. Allophyli,* qui sunt? Alienigenæ, non pertinentes ad genus meum. *Subditi sunt*, quia multi adorant Christum, et non sunt regnaturi cum Christo. *Mihi Allophyli subditi sunt.*

12. [*vers.* 11.] *Quis deducet me in civitatem circumstantiæ?* Quæ est civitas circumstantiæ? Si meministis, jam eam commemoravi in alio psalmo, ubi dictum est : *Et circuibunt civitatem* (*a*). Circumstantiæ enim civitas, Gentium circumfusio est; quæ circumfusio Gentium in medio habebat unam gentem Judæorum, colentem unum Deum : cætera circumfusio Gentium idolis supplicabat, dæmonibus serviebat. Et mystice vocata est civitas circumstantiæ; quia undique se Gentes circumfuderant, et ei circumsteterant quæ colebat unum Deum. *Quis deducet me in civitatem circumstantiæ?* Quis, nisi Deus? Hoc vult dicere, quomodo deducet per illas nubes, de quibus dictum est : *Vox tonitrui tui in rota* (*Psal.* LXXVI, 19). Rota ipsa est civitas circumstantiæ, quæ dicta est rota, id est orbis terrarum. *Quis deducet me in civitatem circumstantiæ? Quis deducet me usque in Idumæam?* id est, ut regnem etiam terrenis [1], ut me venerentur etiam qui de me non sunt, qui de me nolunt proficere.

13. [*vers.* 12.] *Quis deducet me usque in Idumæam? Nonne tu, Deus, qui repulisti nos? et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris.* Nonne tu nos deduces qui nos repulisti? Sed quare repulisti nos? Quia *destruxisti nos.* Quare destruxisti nos? Quia *iratus es, et misertus es nostri.* Tu ergo deduces qui repulisti, qui non egredieris Deus in virtutibus nostris, tu deduces. Quid est, *non egredieris in virtutibus nostris?* Sæviturus est mundus, conculcaturus est nos mundus, futurus est acervus testimonii effuso martyrum sanguine, et dicturi sunt Pagani sævientes : *Ubi est Deus eorum* (*Psal.* LXXVIII, 10)? Tunc *non egredieris, Deus, in virtutibus nostris :* non contra eos apparebis; non ostendes potentiam tuam, qualem ostendisti in David, in Moyse, in Jesu Nave, quando eorum fortitudini Gentes cesserunt, et strage facta, magnaque reddita vastitate, in terram quam promisisti, plebem tuam induxisti. Hoc tunc non facies; *non egredieris, Deus, in virtutibus nostris*, sed intus operaberis. Quid est, *non egredieris?* Non apparebis. Certe enim quando catenati martyres ducebantur, quando includebantur in carcere, quando ludibrio habendi producebantur, quando bestiis subrigebantur [2] quando percutiebantur ferro, quando igne cremabantur, nonne contemnebantur tanquam deserti, tanquam sine adjutore? Quomodo Deus operabatur intus? quomodo intus consolabatur? quomodo eis dulcem faciebat spem vitæ æternæ? quomodo non deserebat corda eorum, ubi homo habitabat in silentio, bene si bonus, male si malus? Numquid ergo quia non egrediebatur in virtutibus eorum, ideo deserebat? Nonne magis non egrediendo in virtutibus eorum, deduxit Ecclesiam usque ad Idumæam, deduxit Eccle-

[1] Sic Mss. At Edd., *propera.*

[1] Aliquot Mss., *id est, in regnum etiam terrenum.*
[2] Er., *subjiciebantur.* Lov., *subigebantur.* At Mss., *subrigebantur.*
(*a*) Supra, in Psal. LVIII, serm. 1, n. 15.

siam usque in civitatem circumstantiæ? Si enim bellare vellet Ecclesia et gladio uti, videretur pro vita præsenti pugnare : quia vero contemnebat vitam præsentem, ideo factus est acervus testimonii de vita futura.

14. [*vers.* 13.] Tu ergo, Deus, qui non egredieris in virtutibus nostris, *Da nobis auxilium de tribulatione; et vana salus hominis.* Eant nunc qui salem [1] non habent, et optent salutem temporalem suis, quæ est vana vetustas. *Da nobis auxilium* : inde da unde putabaris deserere, inde subveni. *Da nobis auxilium de tribulatione; et vana salus hominis.*

15. [*vers.* 14.] *In Deo faciemus virtutem, et ipse ad nihilum deducet inimicos nostros* [2]. Non faciemus virtutem in gladio, non in equis, non in loricis, non in scutis, non in potentatu exercitus; non foris. Sed ubi? Intus, ubi latemus. Ubi intus? *In Deo faciemus virtutem :* et quasi abjecti, et quasi conculcati, quasi nullius momenti homines erimus, sed *ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.* Denique factum est hoc de inimicis nostris. Conculcati sunt martyres : patiendo, perferendo, usque in finem perseverando, in Deo fecerunt virtutem. Fecit et ipse quod sequitur : ad nihilum deduxit inimicos eorum. Ubi sunt modo inimici martyrum, nisi forte quia modo eos ebriosi calicibus persequuntur, quos tunc furiosi lapidibus persequebantur?

IN PSALMUM LX
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Considerandum cum Vestra Charitate psalmum istum suscepimus. Brevis est; aderit Dominus ut sufficienter ex eo, et breviter loquamur. Quantum adjuverit ipse qui nos jubet loqui, sic ero volentibus officiosus, ut non sim tardis molestus, nec paucis multus, nec occupatis onerosus. Titulus ejus non nos tenet. Est enim, *In finem, in hymnis, ipsi David. In hymnis*, utique in laudibus. *In finem*, utique in Christum. *Finis enim Legis Christus* est, *ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x, 4). Et *ipsi David*, non alium quam ipsum accipere debemus, qui venit ex semine David, ut esset homo inter homines, et æquales Angelis faceret homines. Vocem autem in isto psalmo, si in membris ejus et in corpore sumus, sicut illo exhortante præsumere audemus, nostram debemus agnoscere, non alicujus extranei. Nostram autem non sic dixi, quasi eorum tantum qui in præsentia sumus modo; sed nostram qui sumus per totum mundum, qui sumus ab oriente usque in occidentem. Et ut noveritis sic esse vocem nostram, loquitur hic quasi unus homo : non est autem unus homo, sed tanquam unus unitas loquitur. In Christo autem nos omnes unus homo; quia hujus unius hominis caput est in cœlo, et membra adhuc laborant in terra : et quia laborant, videte quid dicat [1].

2. [*vers.* 2-4.] *Exaudi, Deus, deprecationem meam, intende orationi meæ.* Quis dicit? Quasi unus. Vide si unus : *A finibus terræ ad te clamavi, dum angeretur cor meum.* Jam ergo non unus; sed ideo unus, quia Christus unus, cujus omnes membra sumus. Nam quis unus homo clamat a finibus terræ? Non clamat a finibus terræ, nisi hæreditas illa, de qua dictum est ipsi Filio : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8). Hæc ergo Christi possessio, hæc Christi hæreditas, hoc Christi corpus, hæc una Christi Ecclesia, hæc unitas quæ nos sumus, clamat a finibus terræ. Quid autem clamat? Quod supra dixi, *Exaudi, Deus, deprecationem meam, intende orationi meæ : a finibus terræ ad te clamavi.* Id est, hoc ad te clamavi : *a finibus terræ ;* id est, undique.

3. Sed quare clamavi hoc? *Dum angeretur cor meum.* Ostendit se esse per omnes gentes toto orbe terrarum [2] in magna gloria, sed in magna tentatione. Namque vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione : quia provectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisque innotescit nisi tentatus, nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere nisi certaverit, nec potest certare nisi inimicum et tentationes habuerit. Angitur ergo iste a finibus terræ clamans, sed tamen non relinquitur. Quoniam nos ipsos, quod est corpus suum, voluit præfigurare et in illo corpore suo, in quo jam et mortuus est, et resurrexit, et in cœlum ascendit; ut quo caput præcessit, illuc se membra secutura confidant. Ergo nos transfiguravit in se, quando voluit tentari a satana (*Matth.* IV, 1). Modo legebatur in Evangelio quia Dominus Jesus Christus in eremo tentabatur a diabolo. Prorsus Christus tentabatur a diabolo. In Christo enim tu tentabaris, quia Christus de te sibi habebat carnem, de se tibi salutem; de te sibi mortem, de se tibi vitam; de te sibi contumelias, de se tibi honores; ergo de te sibi tentationem, de se tibi victoriam. Si in illo nos tentati sumus, in illo nos diabolum superamus. Attendis quia Christus tentatus est, et non attendis quia vicit? Agnosce te in illo tentatum, et te in illo agnosce vincentem. Poterat a se diabolum prohibere : sed si non tentaretur, tibi tentando vincendi magisterium non præberet. Itaque non mirum, si inter tentationes positus iste clamat a finibus terræ. Sed quare non vincitur? *In petra exaltasti me.* Jam ergo hic agnoscimus quis clamet a finibus terræ. Recolamus Evangelium : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Id.* XVI, 18). Ergo illa clamat a finibus terræ, quam voluit ædificari super petram. Ut autem ædificaretur Ecclesia super petram quis factus est petra? Paulum audi dicentem : *Petra autem erat Christus* (I *Cor.* x, 4). In illo ergo ædificati sumus. Propterea petra illa in qua ædificati sumus, prior percussa est ventis, flumine, pluvia (*Matth.* VII,

[1] Edd., *salutem*. Aliquot Mss., *salem :* alludit ad illud Marci 9, 49 : *Habete in vobis salem*, uti supra, n. 9. Confer præterea nn. 2 et 7.
[2] Nonnulli Mss., *tribulantes nos.*

[1] Plures Mss., *dicant.*
[2] Edd., *non in magna gloria.* Abest, *non*, a Mss.

21, 25), quando Christus a diabolo tentabatur. Ecce in qua firmitate te voluit stabilire. Merito non vacat vox nostra, sed exauditur : in magna enim spe positi sumus ; *In petra exaltasti me.*

4. *Deduxisti me, quia factus es spes mea.* Ille si nostra spes factus non esset, non nos deduceret. Deducit tanquam dux, et in se ducit tanquam via, et ad se perducit tanquam patria. Deducit ergo nos. Unde? Quia factus est spes nostra. Unde factus est spes nostra? Ecce sic quomodo audistis quia tentatus est, quia passus est, quia resurrexit, factus est spes nostra. Quid enim nobis dicimus quando hæc legimus? Non enim perdet nos Deus, propter quos Filium suum misit tentari, crucifigi, mori, resurgere : non enim vere nos despicit Deus, propter quos Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum (*Rom.* VIII, 32). Sic ergo factus est spes nostra. In illo vides et laborem tuum, et mercedem tuam ; laborem in passione, mercedem in resurrectione. Sic ergo factus est spes nostra. Habemus enim duas vitas; sed unam in qua sumus, alteram quam speramus. In qua sumus, nota nobis est; quam speramus, ignota nobis est. Tolera in qua es, et habebis quam nondum habes. Quomodo toleras? Ut non vincaris a tentatore. Laboribus suis, tentationibus, passionibus, morte sua demonstravit tibi vitam Christus in qua es; resurrectione sua demonstravit tibi vitam in qua eris. Nos enim non noveramus nisi nasci hominem et mori; resurgere hominem et vivere in æternum non noveramus : suscepit quod noveras, et demonstravit quod non noveras. Ideo ergo factus est spes nostra in tribulationibus, in tentationibus. Vide Apostolum dicentem : *Non solum autem, sed et gloriamur*, inquit, *in tribulationibus : scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem; spes autem non confundit : quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Id.* V, 3-5). Ergo factus est ipse spes nostra, qui dedit nobis Spiritum sanctum : et ambulamus modo ad spem; non enim ambularemus, nisi speraremus. Quid ait ipse Apostolus? *Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* Et item : *Spe enim salvi facti sumus* (*Id.* VIII, 24, 25).

5. *Deduxisti me, quia factus es spes mea : turris fortitudinis a facie inimici.* Angitur cor meum, inquit ista unitas a finibus terræ, et laboro inter tentationes et scandala : invident Pagani, quia victi sunt; insidiantur hæretici pallio velati nominis christiani; intus in ipsa Ecclesia vim patitur frumentum a palea : inter hæc omnia cum angitur cor meum, clamabo a finibus terræ. Sed non me deserit ipse qui me exaltavit super petram, ut deducat me usque ad se : quia etsi laboro, diabolo per tot loca et tempora et occasiones insidiante adversus me, hic est mihi turris fortitudinis; quo cum confugero, non solum vitabo tela inimici, sed etiam in illum quæ voluero securus ipse jaculabor. Ipse enim Christus est turris; ipse nobis factus est turris a facie inimici, qui est et petra super quam ædificata est Ecclesia. Caves ne feriaris a diabolo? Fuge ad turrem : nunquam te ad illam turrem diabolica jacula secutura sunt; ibi stabis munitus et fixus. Quomodo autem fugies ad turrem? Ne forte quisque in tentatione positus corporaliter quærat turrem istam; et cum eam non invenerit, fatigetur, aut deficiat in tentatione. Ante te est turris : recordare Christum, et intra in turrem. Quomodo recordaris Christum, ut intres in turrem? Quidquid pateris, cogita quia prior passus est, et cogita quo fine passus est, ut moreretur et resurgeret. Talem et tu finem spera qualis in illo præcessit, et intrasti in turrem non consentiendo inimico. Si enim consenseris inimico, tunc ad te pervenit oppugnantis jaculum. Tu potius in illum jaculare tela, quibus feriatur, quibus vincatur. Quæ sunt ista tela? Verba Dei, fides tua, spes ipsa tua, opera bona. Non dico : Sic esto in ista turre, ut vaces ibi, et sufficiat tibi quia non ad te hostis tela perveniunt. Age ibi aliquid ; non cessent manus : opera bona tua gladii sunt interficientes inimicum.

6. [*vers.* 5.] *Inquilinus ero in tabernaculo tuo usque in sæcula.* Videtis quia ille, de quo diximus, est qui clamat. Quis nostrum est inquilinus usque in sæcula? Paucis diebus hic vivimus, et transimus : inquilini enim hic sumus, habitatores in cœlo erimus. Ibi es inquilinus, unde auditurus es vocem Domini Dei tui : Migra. Nam de domo illa æterna in cœlis nemo te jubebit migrare. Hic ergo inquilinus. Unde etiam dicitur in alio psalmo : *Inquilinus ego sum apud te, et peregrinus, sicut omnes patres mei* (*Psal.* XXXVIII, 13). Hic ergo inquilini sumus; ibi Dominus nobis mansiones dabit æternas : *Multæ*, inquit, *mansiones sunt apud Patrem meum* (*Joan.* XIV, 2). Mansiones illas non tanquam inquilinis dabit, sed tanquam civibus in æternum mansuris. Hic tamen, fratres, quia non modico tempore futura erat Ecclesia in hac terra, sed hic erit Ecclesia usque in finem sæculi : ideo hic dixit, *Inquilinus ero in tabernaculo tuo usque in sæcula.* Sæviat quantumlibet inimicus, oppugnet me, insidias mihi præparet, scandalis crebrescat, et faciat angi cor meum : *inquilinus ero in tabernaculo tuo usque in sæcula.* Non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus sæculi finis, et nos ab ista temporali æterna illa habitatio suscipiat, ad quam nos deducet qui factus est spes nostra. *Inquilinus ero in tabernaculo tuo usque in sæcula.* Si diu eris inquilinus, quasi hoc illi diceremus, laboraturus ergo es in terra inter tantas tentationes : nam si paucorum dierum hic esset Ecclesia, cito finirentur tentatoris insidiæ. Bene; paucorum dierum velles esse tentationes : sed quomodo colligeret natos omnes, nisi diu hic esset, nisi usque in finem protenderetur? Noli invidere cæteris post futuris; noli, quia jam transisti, pontem misericordiæ [1] velle præcidere : sit hic usque in sæcula. Et quid de

[1] Vox, *misericordiæ*, abest a plerisque Mss.

tentationibus, quæ necesse est ut abundent quanto magis veniunt scandala? Etenim ipse ait : *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Sed illa Ecclesia quæ clamat a finibus terræ, in his est de quibus sequitur dicens : *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 12, 13). Sed unde perseverabis? Quæ vires tuæ inter tanta scandala, inter tantas tentationes, inter tantas pugnas? quibus viribus vincis hostem quem non vides? numquid tuis? Ergo quia usque in sæcula erit inquilinus iste hic, quæ illi spes est ut duret? *Cooperiar in velamento alarum tuarum.* Ecce quare securi sumus inter tantas tentationes, donec veniat finis sæculi, et suscipiant nos sæcula æterna : quia cooperimur in velamento alarum ipsius. Æstus est sæculi, sed magna umbra est sub alis Dei : *Cooperiar in velamento alarum tuarum.*

7. [*vers.* 6.] *Quoniam tu, Deus* [1], *exaudisti orationem meam.* Quam? A qua cœpit : *Exaudi, Deus, deprecationem meam, intende orationi meæ : a finibus terræ ad te clamavi.* Hoc ad te clamavi a finibus terræ. Ideo *cooperiar in velamento alarum tuarum, quia exaudisti deprecationem meam.* Admonemur ergo, fratres, non cessare orando, quamdiu tempus est tentationum. *Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.* Perseveremus ergo in timore nominis Dei : æternus Pater non nos fallit. Laborant filii, ut suscipiant parentum suorum hæreditatem, quibus mortuis successuri sunt? nos non laboramus accipere hæreditatem ab illo Patre, cui non morienti succedamus, sed cum illo in ipsa hæreditate in æternum vivamus! *Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.*

8. [*vers.* 7.] *Dies super dies regis adjicies annos ejus.* Hic est ergo rex cujus membra sumus. Rex Christus est, caput nostrum, rex noster. Dedisti illi dies super dies; non solum istos dies in isto tempore cum fine, sed dies super istos dies sine fine. *Habitabo*, inquit, *in domo Domini, in longitudinem dierum* (*Psal.* XXII, 6). Quare, *in longitudinem dierum*, nisi quia modo brevitas est dierum? Omnis enim res quæ finem habet, brevis est : sed regis hujus dies super dies, ut non diebus solum istis transeuntibus regnet Christus in Ecclesia sua, sed regnent cum illo sancti in diebus illis qui non habent finem. Ibi unus dies est, et multi dies sunt. Quia multi dies sunt, dixi jam, *In longitudinem dierum :* quia unus dies, sic intelligitur, *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). Unum diem dixit *hodie :* sed iste dies non ponitur in medio inter hesternum et crastinum, nec initium ejus finis est hesterni, nec finis ejus initium crastini. Nam et anni Dei dicti sunt : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28). Quomodo anni, sic dies, sic unus dies, Quidquid vis dicis de æternitate. Ideo quidquid vis dicis, quia quidquid dixeris, minus dicis. Sed ideo necesse est aliquid dicas, ut sit unde cogites quod non potest dici. *Dies super dies regis adjicies annos ejus, usque in diem generationis et generationis.* Generationis hujus et generationis futuræ : generationis hujus quæ comparatur lunæ, propter quod luna nascitur, crescit, perficitur, senescit et occidit; sic sunt generationes istæ mortales : et generationis qua regeneramur resurgendo, et permanebimus in æternum cum Deo, quando jam non sicut luna, sed quod ait Dominus, *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui* (*Matth.* XIII, 43). Luna enim figurate in Scripturis pro mutabilitate hujus mortalitatis ponitur. Ideo ad Jericho descendebat ille ab Jerusalem qui incurrit in latrones : quia Jericho civitas verbum est hebræum, et interpretatur latine Luna. Descendebat ergo tanquam ab immortalitate ad mortalitatem : et merito in itinere vulneratus a latronibus et semivivus relictus est (*Luc.* X, 30) ille Adam, ex quo est totum genus humanum. Ergo *dies super dies regis adjicies annos ejus, usque in diem generationis*, generationis mortalis accipio. Cujus generationis alterius mentionem fecisti? Cujus? audi :

9. [*vers.* 8.] *Permanebit in æternum in conspectu Dei :* Secundum quid, aut propter quid? *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret ei?* Dicit et alio loco : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas, requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus* (*Psal.* XXIV, 10). Magnus sermo de veritate et misericordia, sed brevitatem promisimus. Breviter accipite quid sit veritas et misericordia; quia non parvum est quod dictum est, *Universæ viæ Domini misericordia et veritas.* Misericordia dicitur, quia non merita nostra attendit Deus, sed bonitatem suam, ut peccata nobis omnia dimitteret, et vitam æternam promitteret : veritas autem, quia non fallit reddere quæ promisit. Agnoscamus hic eam, et nos faciamus : ut quomodo nobis Deus exhibuit misericordiam suam et veritatem suam; misericordiam dimittendo peccata nostra, veritatem exhibendo promissa sua : sic et nos faciamus hic misericordiam et veritatem; misericordiam circa infirmos, circa egentes, circa inimicos etiam nostros; veritatem non peccando, nec adjiciendo peccatum super peccatum. Quoniam qui multum sibi pollicetur de misericordia Dei, subrepit in animum ipsius ut faciat injustum Deum, et putet quia si permanserit peccator, et noluerit recedere ab iniquitatibus suis, veniet ille, et ibi eum positurus est ubi ponit servos suos qui ei obtemperant. Et justum hoc erit, ut ibi te ponat perseverantem in peccatis, ubi positurus est illos qui recesserunt a peccatis? Sic vis injustus esse, ut et Deum facias injustum? Quid vis ergo convertere Deum ad voluntatem tuam? Tu convertere ad voluntatem Dei. Quis est ergo qui hoc facit, nisi ex illis paucis, de quibus dicitur : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 13). Merito et hic *misericordiam et veritatem ejus quis requiret ei?* Quid est, *ei?* Sufficeret, *quis requiret :* quare, addidit, *ei*, nisi quia multi quærunt misericordiam ejus et veritatem discere in libris ejus; et cum didicerint, sibi vivunt, non illi; sua quærunt, non quæ Jesu Christi (*Philipp.* II, 21); prædicant misericordiam et veritatem, et non faciunt misericor-

[1] Lov., *Deus meus.* Abest, *meus*, ab Er. et Mss., nec est apud LXX.

diam et veritatem? Sed prædicando illam, norunt illam: non enim prædicarent illam, nisi nossent illam. Sed qui Deum amat et Christum, in prædicando misericordiam et veritatem ipsius, ipse illam requiret ei, non sibi: id est, non ut ipse habeat ex hac prædicatione commoda temporalia, sed ut prosit membris ipsius, id est fidelibus ejus, cum veritate ministrando quod novit; ut qui vivit non jam sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est (II *Cor.* v, 15). *Misericordiam et veritatem ejus quis requiret ei?*

10. [*vers.* 9.] *Sic psallam nomini tuo, Deus, in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem.* Si psallis nomini Dei, ne psallas ad tempus. Vis in sæculum sæculi psallere? vis in æternum psallere? Redde ei vota tua de die in diem. Quid est, redde ei vota tua de die in diem? De die isto in illum diem. Persevera reddere vota in isto die, donec venias ad illum diem: hoc est, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

IN PSALMUM LXI
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Delectatio divinorum eloquiorum, et dulcedo intelligendi verbi Dei, adjuvante ipso qui dat suavitatem, ut terra nostra det fructum suum (*Psal.* LXXXIV, 13), et nos ad loquendum, et vos ad audiendum exhortatur. Video vos sine fastidio audire, et gaudeo palato cordis vestri, a quo id quod salubre est non respuitur, sed cum aviditate percipitur, et utiliter continetur. Loquamur ergo vobis et hodie, quantum Dominus donat, de isto psalmo quem modo cantavimus. Titulus ejus est, *In finem, pro Idithun, Psalmus ipsi David.* Jam vobis insinuatum esse quid sit Idithun, recolo (*a*). Ex interpretatione enim hebrææ linguæ ut ad nos pervenit, latine dicitur Idithun Transiliens eos. Transilit ergo iste qui cantat quosdam, quos desuper despicit. Videamus quousque transilierit, et quos transilierit, et ubi quamvis quosdam transilierit positus sit: de quo spirituali quodam et securo loco intueatur ima; non ita respiciens ut cadat, sed ut moveat[1] qui transilivit pigros ut sequantur, et laudet locum quo transiliendo pervenit. Ita enim iste transiliens super aliquid est, ut sub aliquo sit: unde prius nobis insinuare voluit sub quo tutus sit, ut illud quod transilivit, non sit superbiæ sed profectus.

2. [*vers.* 2-4.] In quodam ergo loco munito positus ait, *Nonne Deo subjicietur anima mea?* Audierat enim, *Qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Matth.* XXIII, 12): et trepidus ne transiliendo superbiret, non elatus ex his quæ infra essent, sed humilis ex eo qui[2] supra esset; tanquam minantibus ei ruinam invidis qui eum transilivisse dolucrant, respondit, *Nonne Deo subjicietur anima mea?*

[1] Plures Mss., *moneat.*
[2] Sic aliquot Mss. Edd. vero, *ex eo quod supra esset.*
(*a*) In Psal. XXXVIII, n. 1.

Quid est quod mihi veluti transilienti quæritis laqueos? Insultatione dejicere me vultis, aut seductione decipere. Numquid ita memini supra quod sum, ut oblitus sim sub quo sum? *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* Quantumcumque accedam, quantumcumque ascendam, quantumcumque transiliam, sub Deo ero, non contra Deum. Securus ergo transcendo cætera, quando ille me sub se tenet, qui est super omnia. *Nonne Deo subjecta erit anima mea? Ab ipso enim salutare meum. Etenim ipse est Deus meus et salutaris meus, susceptor meus, non movebor amplius.* Scio quis supra me sit, scio quis prætendat misericordiam suam scientibus se, scio sub cujus alarum tegmine sperem: *non movebor amplius.* Agitis quidem vos, ait quibusdam, transiliens eos ipsos quibus dicit: agitis quidem vos ut movear, sed *non veniat mihi pes superbiæ.* Ex hoc enim fit quod et in ipso psalmo sequitur, *Nec manus peccatorum dimoveat me* (*Psal.* XXXV, 12): cui consonat, *Non movebor amplius.* Ad illud enim quod ibi dictum est, *Nec manus peccatorum dimoveat me,* respondet hic, *Non movebor amplius:* ad illud autem quod ibi dictum est, *Non veniat mihi pes superbiæ,* respondet hic, *Nonne Deo subjecta erit anima mea?*

3. Ergo de superiore loco munitus et tutus, cui factus est Dominus refugium, cui est ipse Deus in locum munitum, respicit ad eos quos transilivit, et despiciens eos loquitur, tanquam de turri excelsa; nam et hoc dictum est de eo, *Turris fortitudinis a facie inimici* (*Psal.* LX, 4): attendit ergo ad eos, et dicit, *Quousque apponitis super hominem?* Insultando, opprobria jaciendo, insidiando, persequendo, apponitis super hominem onera; apponitis super hominem quantum potest[1] ferre homo: sed ut ferat homo, sub illo est qui fecit hominem. *Quousque apponitis super hominem? Si ad hominem attenditis, Interficite omnes.* Ecce apponite, sævite, *interficite omnes. Tanquam parieti inclinato et maceriæ impulsæ:* instate, impellite, quasi dejecturi. Et ubi est, *Non movebor amplius?* Sed quare, *Non movebor amplius?* Quia *ipse est Deus salutaris meus, susceptor meus.* Ergo homines potestis apponere onera[2] super hominem: numquid super Deum qui tuetur hominem?

4. *Interficite omnes.* Quod tantum spatium corporis in uno homine, ubi possit interfici ab omnibus? Sed debemus intelligere personam nostram, personam Ecclesiæ nostræ, personam corporis Christi. Unus enim homo cum capite et corpore suo Jesus Christus, salvator corporis et membra corporis, duo in carne una (*Gen.* II, 24, *et Ephes.* v, 31), et in voce una, et in passione una; et cum transierit iniquitas, in requie una. Passiones itaque Christi non in solo Christo; imo passiones Christi nonnisi in Christo. Si enim Christum intelligas caput et corpus, passiones Christi nonnisi in Christo: si autem Christum intelligas solum caput, passiones Christi non in solo Christo. Si

[1] Tres Mss., *quantum non potest ferre.*
[2] Sic duo Mss. Alii cum Edd., *apponere hominem super hominem.*

enim passiones Christi in solo Christo, imo in solo capite, unde dicit quoddam membrum ejus Paulus apostolus, *Ut suppleam quæ desunt pressurarum Christi in carne mea* (*Coloss.* I, 24)? Si ergo in membris Christi es, quicumque homo, quisquis hæc audis, quisquis hæc nunc non audis (sed tamen audis, si in membris Christi es); quidquid pateris ab eis qui non sunt in membris Christi, deerat passionibus Christi. Ideo additur, quia deerat; mensuram imples, non superfundis: tantum pateris, quantum ex passionibus tuis [1] inferendum erat universæ passioni Christi, qui passus est in capite nostro, et patitur in membris suis, id est in nobis ipsis. Ad communem hanc quasi rempublicam nostram quisque pro modulo nostro exsolvimus quod debemus, et pro possessione virium nostrarum quasi canonem passionum inferimus. Pariatoria plenaria passionum omnium non erit, nisi cum sæculum finitum fuerit. *Quousque apponitis super hominem?* Quidquid passi sunt Prophetæ a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ (*Matth.* XXIII, 35), appositum est super hominem, quia præcesserunt adventum incarnationis Christi quædam membra Christi: sicut in nascente quodam, nondum quidem procedente capite, processit manus (*Gen.* XXXVIII, 27), sed tamen capiti connectebatur et manus. Nolite ergo putare, fratres, omnes justos qui passi sunt persecutionem iniquorum, etiam illos qui venerunt missi ante Domini adventum prænuntiare Domini adventum, non pertinuisse ad membra Christi. Absit ut non pertineat ad membra Christi, qui pertinet ad civitatem quæ regem habet Christum. Illa una est Jerusalem cœlestis, civitas sancta: hæc una civitas unum habet regem. Rex hujus civitatis Christus est: ipse enim ei dicit, *Mater Sion, dicet homo.* Dicit ei, *Mater*; sed *homo*. *Mater* enim *Sion*, *dicet homo*; *et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI, 5). Ille ergo rex ejus, qui eam fundavit Altissimus; ipse in ea homo factus est humillimus. Ipse ergo ante adventum incarnationis suæ præmisit quædam membra sua, post quæ prænuntiantia se venturum venit et ipse, connexus eis. Refer ad similitudinem [2] nascentis illius; quia manus ante caput procedens, et cum capite est, et sub capite. De Christo enim dictum est, cum laudaretur excellentia populi primi, et dolerentur fracti rami naturales (*Rom.* XI, 21): *Quorum adoptio*, inquit, *et testamenta et Legis constitutio; quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Id.* IX, 4, 5). *Ex quibus Christus secundum carnem*, tanquam ex *Sion*, quia *homo factus est in ea*: quia *Christus super omnia Deus benedictus in sæcula*, quia *ipse fundavit eam Altissimus*. *Ex quibus Christus secundum carnem*, filius David: *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, Dominus David. Tota ergo illa civitas loquitur, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ. Inde et deinceps a sanguine Joannis, per sanguinem Apostolorum, per sanguinem martyrum, per sanguinem fidelium Christi, una civitas loquitur, unus homo dicit: *Quousque apponitis super hominem? Interficite omnes.* Videamus si deletis, videamus si exstinguitis, videamus si tollitis de terra nomen ejus, videamus si non populi inania meditamini (*Psal.* II, 1), dicentes: *Quando morietur, et peribit nomen ejus* (*Psal.* XL, 6)? *Tanquam parieti inclinato, et maceriæ impulsæ* incumbite, impellite. Audite supra: *Susceptor meus, non movebor amplius*; quia tanquam cumulus arenæ impulsus sum ut caderem, et Dominus suscepit me (*Psal.* CXVII, 13).

5. [*vers.* 5.] *Verumtamen honorem meum cogitaverunt repellere*: victi dum interficiunt cedentes, sanguine interfectorum multiplicantes fideles, cedentes his et jam non valentes occidere. *Verumtamen honorem meum cogitaverunt repellere.* Modo quia non potest occidi christianus, agitur ut exhonoretur christianus. Nunc enim honore Christianorum corda torquentur impiorum: jam Joseph ille spiritualis post venditionem a fratribus, post translationem de patria sua ad gentes tanquam in Ægyptum, post humiliationem carceris, post factionem [1] falsæ testis, postquam factum est quod de illo dictum est, *Ferrum pertransivit animam ejus* (*Psal.* CIV, 18); jam honorificatus est, jam non est subditus fratribus vendentibus, sed frumenta erogat esurientibus (*Gen.* XXXVII, XXXIX, XLI). Victi ejus humilitate et castitate, incorruptione, tentationibus, passionibus, jam eum honoratum vident, et honorem ipsius cogitant repellere. In cogitationibus quippe eorum est illud, *Peccator videbit*: neque enim non videbit, quando non potest civitas abscondi supra montem constituta (*Matth.* V, 14). *Peccator ergo videbit, et irascetur; dentibus suis frendet, et tabescet* (*Psal.* CXI, 10). Latet in corde, et tegitur fronte venenum in sævientibus et indignantibus. Propterea et hic cogitationes eorum dicit, *Honorem*, inquit, *meum cogitaverunt repellere.* Non enim audent verbis proferre quod cogitant. Optemus illis bona, etiamsi optant mala [2]. Judica illos, Deus; decidant a cogitationibus suis (*Psal.* V, 11). Quid enim illis melius, quid utilius, quam ut inde cadant ubi male stant, ut possint ipsi correcti dicere, *Statuisti pedes meos supra petram* (*Psal.* XXXIX, 3)?

[1] Edd., *mensuram implens, non superfundens. Tantum ergo pateris quantum ex passionibus suis*, etc., pauloque post, *id est in nobis ipsis ad communem hanc quasi rempublicam. Nam quisque*, etc. Tum infra: *et pro posse virium nostrarum quasi canonem passionum inferimus paratoria plenaria: passionum omnium finis non erit, nisi*, etc. Emendatur locus ad Mss. et ad Bedæ collectionem in Paulum. Quæ collectio in Corb. Ms. ubi Floro tribuitur, habet *pro portione virium*: at cæteri Mss. hic, *possessione*. Utrumlibet non minus apte: quando ad morem canonis solvendi habita ratione possessionum alludit Augustinus. Porro vox, *finis*, abest a Mss., qui loco, *paratoria*, præferunt quidam, *pariatoria*, alii, *paritoria*; forte mensuræ vel tributi cujusdam nomen: pro quo nescimus an legendum *parata vero*, uti legit clariss. Cangius in Gloss., voce, *Plenaria*.

[2] Sic plerique Mss. At Er., *connexus eis refert ad similitudinem*, etc. Lov., *connexus eis refert similitudinem*. Regius Ms., *referte ad*, etc.

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *fractionem*.

[2] Plerique Mss.: *Optemus illis bene, etiamsi putant male.*

6. *Verumtamen cogitaverunt honorem meum repellere.* Omnes contra unum, an unus contra omnes; an omnes contra omnes, an unus contra unum? Interim cum dicit, *Apponitis super hominem;* tanquam super unum: et cum dicit, *Interficite omnes;* quasi omnes contra unum: sed tamen et omnes contra omnes, quia et Christiani omnes, sed in uno. Quid autem illi diversi errores inimici Christi, omnes tantum dicendi sunt? nonne et unus? Plane audeo et unum dicere: quia una civitas et una civitas, unus populus et unus populus, rex et rex. Quid est, una civitas et una civitas? Babylonia una; Jerusalem una. Quibuslibet aliis etiam mysticis nominibus appelletur, una tamen civitas et una civitas: illa rege diabolo; ista rege Christo. Intendo enim Evangelio quodam loco, et movet me, puto quod et vos. Posteaquam invitati sunt multi ad nuptias boni et mali, et impletæ sunt nuptiæ recumbentium; servi enim missi, ut præceptum erat, invitaverunt et bonos et malos; et ingressus est rex inspicere recumbentes, et invenit hominem non habentem vestem nuptialem, et ait illi quod nostis: *Amice, unde huc venisti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.* Et jussit ei ligari manus et pedes, et projici eum in tenebras exteriores. Levatus est de convivio, et missus est in pœnas nescio quis homo in tam magna turba recumbentium. Sed tamen Dominus volens ostendere unum illum hominem, unum corpus esse quod constat ex multis, ubi jussit eum projici foras, et mittit in debitas pœnas, subjecit continuo: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XXII, 10-14). Quid est hoc? Convocasti turbas, venit ingens multitudo; annuntiasti, locutus es, multiplicati sunt super numerum (*Psal.* XXXIX, 6), impletæ sunt nuptiæ recumbentium; projectus est inde solus unus, et dicis, *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Cur non potius: Omnes vocati, multi electi, unus projectus? Si diceret, Multi enim sunt vocati, et plures electi, pauci vero reprobi; in paucis forte verisimilius intelligeremus unum illum. Nunc vero dicit quod unus inde projectus est, et subdit: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Qui sunt electi, nisi qui remanserunt? Projecto uno, electi remanserunt. Quomodo, projecto uno de multis, pauci electi, nisi quia in illo uno multi? Omnes qui terrena sapiunt, omnes qui felicitatem terrenam Deo præferunt, omnes qui sua quærunt, non quæ Jesu Christi (*Philipp.* II, 21), ad unam illam civitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia mystice, et habet regem diabolum. Omnes autem qui ea quæ sursum sunt sapiunt, qui cœlestia meditantur, qui cum sollicitudine in sæculo vivunt ne Deum offendant, qui cavent peccare, quos peccantes non pudet confiteri, humiles, mites, sancti, justi, pii, boni; omnes ad unam civitatem pertinent, quæ regem habet Christum. Illa enim in terra quasi major est tempore; non sublimitate, non honore. Civitas illa prior nata; civitas ista posterior nata. Illa enim incœpit a Cain; hæc ab Abel. Hæc duo corpora sub duobus regibus agentia, ad singulas civitates pertinentia, adversantur sibi usque in finem sæculi, donec fiat ex commixtione separatio, et alii ponantur ad dexteram, alii ad sinistram, dicaturque illis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab exordio mundi;* illis autem: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 34, 41). Christus enim hoc dicit: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi.* Rex civitatis suæ, victor super omnia. Illis autem ad sinistram constitutis tanquam civitati iniquorum: *Ite,* inquit, *in ignem æternum.* Numquid separat ab eis regem? Non: addidit enim, *qui paratus est diabolo et angelis ejus.*

7. Intendite, fratres, intendite, rogo vos. Delectat enim me pauca adhuc loqui vobis de civitate hac dulci. Gloriosissima enim de te dicta sunt, civitas Dei (*Psal.* LXXXVI, 3). Et si oblitus fuero tui, Jerusalem, obliviscatur me dextera mea (*Psal.* CXXXVI, 5). Dulcis est enim una patria, et vere una patria, sola patria: præter illam quidquid nobis est, peregrinatio est. Dicam ergo quod agnoscatis, quod approbetis: commemorabo quod nostis; non docebo quod ignoratis. *Non prius,* inquit Apostolus, *quod spirituale est, sed quod animale; postea quod spirituale* (I *Cor.* XV, 46). Ideo civitas illa major ætate, quia prior natus est Cain, et postea Abel (*Gen.* IV, 1, 2): sed in his *major serviet minori* (*Id.* XXV, 23). Illa major ætate; ista major dignitate. Quare illa major ætate? Quia *non prius quod spirituale est, sed quod animale.* Quare ista major dignitate? Quia *major serviet minori.* Ædificavit autem civitatem Cain, sicut legimus (*Id.* IV, 17): antequam esset ulla civitas, in primordio rerum humanarum, ædificavit civitatem Cain. Procul dubio intelligas jam natos fuisse multos homines ex illis duobus, et ex his quos genuerant, ut posset esse aptus et congruus numerus cui nomen civitatis imponeretur. Ædificavit ergo civitatem Cain, ubi non erat civitas. Ædificata est et postea Jerusalem, regnum Dei, civitas sancta, civitas Dei; et posita in specie quadam umbræ significantis futura. Intelligite itaque magnum mysterium, et tenete quod prælocutus sum, *Non prius quod spirituale, sed quod animale, postea spirituale:* ideo ergo Cain prior ædificavit civitatem, et ibi ædificavit ubi nulla erat civitas. Ut vero ædificaretur Jerusalem, non ibi ædificata est ubi non erat civitas, sed erat civitas primo quæ appellabatur Jebus, unde Jebusæi. Ea capta, devicta, subjecta, ædificata est nova civitas tanquam destructa vetere; et appellata Jerusalem, Visio pacis, civitas Dei (*Jos.* XVIII, 28). Unusquisque ergo natus ex Adam, nondum pertinet ad Jerusalem: portat enim secum traducem iniquitatis, pœnamque peccati, deputatus morti; et pertinet quodammodo ad veterem quamdam civitatem. Sed si futurus est in populo Dei, destruetur vetus, et ædificabitur novus. Ideo ergo Cain civitatem ædificavit ubi non erat civitas. A mortalitate enim et a malitia quisque incipit, ut fiat bonus postea. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita per obedientiam unius hominis, justi constituentur multi* (*Rom.* V, 19). *Et omnes in Adam morimur*

(I *Cor.* xv, 22); et unusquisque nostrum ab Adam natus est. Transeat ad Jerusalem; destruetur vetus, et ædificabitur novus. Tanquam devictis Jebusæis, ut ædificetur Jerusalem, dicitur: *Exuite vos veterem hominem, et induite novum* (*Coloss.* III, 9, 10). Jamque ædificatis in Jerusalem, et gratiæ luce fulgentibus, dicitur: *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 8). Mala ergo civitas ab initio usque in finem currit; et bona civitas mutatione malorum conditur.

8. Et sunt istæ duæ civitates permixtæ interim; in fine separandæ: adversus se invicem confligentes; una pro iniquitate, altera pro justitia; una pro vanitate, altera pro veritate. Et aliquando ipsa commixtio temporalis facit, ut quidam pertinentes ad civitatem Babyloniam, administrent res pertinentes ad Jerusalem; et rursum quidam pertinentes ad Jerusalem, administrent res pertinentes ad Babyloniam. Difficile aliquid promisisse videor. Patientes estote, donec demonstretur exemplis. Omnia enim in vetere populo, sicut scribit Apostolus, *in figura contingebant eis: scripta sunt autem ad correctionem nostram in quos finis sæculorum obvenit* (I *Cor.* x, 11). Respicite ergo populum illum primum, positum etiam ad significandum populum posteriorem; et videte ibi quæ dico. Fuerunt reges magni (a) in Jerusalem; notum est; numerantur, nominantur. Omnes ergo iniqui cives erant Babyloniæ, et administrabant res Jerusalem: omnes in finem inde separandi, nonnisi ad diabolum pertinent. Rursus invenimus cives de Jerusalem administrasse res quasdam pertinentes ad Babyloniam. Nam tres illos pueros victus miraculo Nabuchodonosor regni sui administratores fecit, et constituit eos super satrapas suos; et administrabant res Babyloniæ cives de Jerusalem (*Dan.* III, 97). Respicite nunc impleri hoc et agi in Ecclesia, et his temporibus. Omnes de quibus dictum est, *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt facere nolite*, cives sunt Babyloniæ, administrantes rempublicam civitatis Jerusalem. Si enim nihil administrarent civitatis Jerusalem, unde: *Quæ dicunt facite?* unde, *super cathedram Moysi sedent?* Rursus si cives sunt ipsius Jerusalem qui regnabunt in æternum cum Christo, unde, *Quæ faciunt facere nolite* (*Matth.* XXIII, 2, 3), nisi quia et audituri sunt, *Recedite a me, omnes qui operamini iniquitatem* (*Luc.* XIII, 27)? Notum est ergo vobis, cives malæ civitatis administrare quosdam actus bonæ civitatis. Videamus si et nunc cives bonæ civitatis administrent quosdam actus malæ civitatis. Terrena omnis respublica, quandoque utique peritura; cujus regnum transiturum est [1], cum veniet illud regnum de quo oramus, *Veniat regnum tuum* (*Matth.* VI, 10), et de quo prædictum est, *Et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 33): terrena ergo respublica habet cives nostros administrantes res ejus. Quam multi enim fideles, quam multi boni et magistratus sunt in civitatibus suis, et judices sunt, et duces sunt, et comites sunt, et reges sunt? Omnes justi et boni, non habentes in corde nisi gloriosissima quæ de te dicta sunt, civitas Dei (*Psal.* LXXXVI, 3). Et quasi angariam faciunt in civitate transitura, et illic a doctoribus civitatis sanctæ jubentur servare fidem præpositis suis, *sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malorum, laudem vero bonorum*; sive servi, ut dominis suis subditi sint (I *Petr.* II, 13, 18), et Christiani Paganis; et servet fidem melior deteriori, ad tempus serviturus, in æternum dominaturus. Fiunt enim ista donec transeat iniquitas (*Psal.* LVI, 2). Jubentur servi ferre dominos iniquos et difficiles: cives Babyloniæ jubentur tolerari a civibus Jerusalem, et amplius obsequiorum exhibentibus, quam si cives essent ex ipsa Babylonia; tanquam implentibus, *Qui te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo* (*Matth.* v, 41). Hanc totam civitatem dispersam, diffusam, permixtam, alloquitur his verbis et dicit: *Quousque apponitis super hominem? Interficite omnes*: et qui foris estis tanquam spinæ in sepibus, aut tanquam ligna infructuosa in silvis; quique intus estis tanquam zizania, vel tanquam palea; omnes quotquot estis, separati, permixti, tolerandi, separandi, *interficite omnes: tanquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ. Veruntamen honorem meum cogitaverunt repellere*. Non dixerunt, sed tamen cogitaverunt. *Cogitaverunt repellere honorem meum*.

9. *Cucurri in siti*. Retribuebant enim mala pro bonis (*Psal.* XXXIV, 12). Illi interficiebant, illi repellebant; ego eos sitiebam: illi honorem meum cogitaverunt repellere; ego eos in corpus meum sitiebam trajicere. Bibendo enim quid facimus, nisi humorem foris positum in membra mittimus, et in corpus nostrum ducimus? Hoc fecit Moyses in illo capite vituli. Caput vituli, magnum sacramentum. Caput enim vituli corpus erat impiorum, in similitudine vituli manducantis fenum (*Psal.* CV, 20), terrena quærentium: quia *omnis caro fenum* (*Isai.* XL, 6). Erat ergo, ut dixi, corpus impiorum. Iratus Moyses in ignem misit, comminuit, in aqua sparsit, bibendum populo dedit (*Exod.* XXXII, 20); et ira Prophetæ administratio facta est prophetiæ. Corpus enim illud in ignem mittitur tribulationum, et verbo Dei comminuitur. Paulatim enim desistunt ab unitate corporis ejus. Sicut enim vestimentum, ita per tempus absumitur. Et unusquisque qui fit christianus, separatur ab illo populo, et quasi a massa comminuitur. Conspirati oderunt; comminuti [1] credunt. Et quid jam evidentius, quam quod in corpus illud civitatis Jerusalem, cujus imago erat populus Israel, per Baptismum trajiciendi erant homines? Ideo in aqua sparsum est, ut in potum [2] daretur. Hoc usque in finem sitit iste; currit, et sitit. Multos enim bibit; sed nunquam erit sine siti. Inde est enim, *Sitio, mulier, da mihi bibere* (*Joan.* IV, 7). Samaritana illa ad puteum sitientem Dominum sensit, et a sitiente satiata est: sensit prior illa sitientem, ut biberet

[1] Edd., *cujus regnum transitorium est*: Mss., *transiturum*.
(a) Forte, *mali*.

[1] Plerique Mss., *minutatim credunt*.
[2] Plures Mss., *ut potum daretur*. Quidam: *ut potui daretur*.

ille credentem. Et in cruce positus, *Sitio*, dixit (*Joan.* XIX, 28); quamvis illi non hoc dederint quod sitiebat. Ipsos enim ille sitiebat: at illi acetum dederunt; non vinum novum quo implentur utres novi (*Matth.* IX, 17), sed vinum vetus, sed male vetus. Dicitur enim et acetum vetus [1], veteres homines de quibus dictum est, *Non enim est illis commutatio* (*Psal.* LIV, 20), ut eversis Jebusæis ædificaretur Jerusalem (II *Reg.* v, 6).

10. Sic et corpus capitis hujus usque in finem ab initio currit in siti. Et quasi ei diceretur, Quid in siti? quid tibi deest, o corpus Christi, o Ecclesia Christi? in tanto honore, in tanta sublimitate, in tanta celsitudine etiam et in hoc sæculo constituta, quid tibi deest? Impletur de te quod prædictum est, *Adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient illi* (*Psal.* LXXI, 11). Quid ergo sitis? quid sitis? tantis populis non satiaris? Quos populos dicis? *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant. Multi vocati, pauci autem electi* (*Matth.* XXII, 14). Mulier fluxum sanguinis patiens, vestis ejus fimbriam tetigit, et sanata est: et cum miraretur Dominus tangentem, quod de se senserat exisse virtutem, scilicet ad sanandam mulierem, dixit, *Quis me tetigit?* Et admirati discipuli: *Turbæ te comprimunt, et dicis, Quis me tetigit?* Et ille: *Tetigit me aliquis* (*Marc.* v, 25-31). Tanquam diceret: Una tetigit; turbæ premunt. Qui solemnitatibus Jerusalem implent Ecclesias, solemnitatibus Babyloniæ implent theatra: et tamen serviunt, honorant, obsequuntur, non solum ipsi qui portant sacramenta Christi, et oderunt præcepta Christi, verum etiam illi qui nec sacramenta ipsa portant, Pagani licet sint, Judæi licet sint; honorant, laudant, prædicant, sed *ore suo benedicebant.* Non attendo ad os; novit ille qui me instruxit, *corde suo maledicebant.* Ibi maledicebant, ubi honorem meum cogitaverunt repellere.

11. [*vers.* 6.] Quid tu, o Idithun, corpus Christi, transiliens eos? Quid tu inter hæc omnia? quid tu? deficies? non perseverabis usque in finem? non audies, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit,* quamvis *quoniam* [2] *abundat iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 13, 12)? Et ubi est quod transilisti eos? ubi est quod conversatio tua in cœlis est (*Philipp.* III, 20)? Illi autem inhærent terrenis; tanquam terrigenæ sapiunt terram, et sunt terra, serpentis cibus. Quid tu inter hæc? Verumtamen quamvis hæc faciant, quamvis hæc cogitent, quamvis impellant, quamvis quasi inclinato instent, quamvis jam erectum sentiant, et honorem meum repellere cogitent; quamvis ore suo benedicant et corde suo maledicant; quamvis insidientur ubi possunt, calumnientur ubi possunt: *Verumtamen Deo subjicietur anima mea.* Et quis tanta toleret, vel aperta bella, vel occultas insidias? quis tanta toleret inter apertos hostes, inter falsos fratres? quis tanta toleret? Numquid homo? et si homo, numquid a seipso homo? Non sic transilivi ut extollar et cadam: *Deo subjicietur anima mea: quoniam ab ipso est patientia mea.* Quæ patientia inter tanta scandala, nisi quia si id quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 25)? Venit dolor meus; veniet et requies mea: venit tribulatio mea; veniet et purgatio mea. Numquidnam lucet aurum in fornace aurificis? In monili lucebit, in ornamento lucebit: patiatur tamen fornacem, ut purgatum a sordibus veniat ad lucem. Fornax ista; ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc flat aurifex: in fornace ardet palea, et purgatur aurum; illa in cinerem vertitur, a sordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum justi, ignis tribulatio, aurifex Deus: quod vult ergo aurifex, facio; ubi me ponit artifex, tolero: jubeor ego tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me, et quasi consumendum me: illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Quare? Quia *Deo subjicietur anima mea; quoniam ab ipso est patientia mea.*

12. [*vers.* 7.] Quis est tibi iste, a quo est patientia tua? *Quoniam ipse est Deus meus et salutaris meus, susceptor meus, non emigrabo. Quoniam ipse est Deus meus;* ergo vocat me: *et salutaris meus;* ergo justificat me: *et susceptor meus;* ergo glorificat me. Hic enim vocor et justificor, ibi autem glorificor; et inde ubi glorificor, *non emigrabo.* Neque enim in peregrinatione mea remanebo: est hic unde emigrem; sed veniam unde non emigrabo. Nam inquilinus ego sum apud te in terra, sicut omnes patres mei (*Psal.* XXXVIII, 13). Ergo ab inquilinatu migrabo; de domo cœlesti non emigrabo.

13. [*vers.* 8.] *In Deo salutare meum, et gloria mea.* Salvus ero in Deo; gloriosus ero in Deo: non enim tantum salvus, sed et gloriosus; salvus, quia justus ex impio, ab illo justificatus (*Rom.* IV, 5); gloriosus autem, quia non solum justificatus, sed etiam honorificatus. Etenim *quos prædestinavit, illos et vocavit.* Vocans eos quid fecit hic? *Quos vocavit, ipsos et justificavit; quos autem justificavit, ipsos et glorificavit* (*Id.* VIII, 30). Justificatio ergo ad salutem pertinet, glorificatio ad honorem. Quia glorificatio ad honorem pertinet, disputare non opus est. Quia justificatio pertinet ad salutem, quæramus aliquod documentum. Ecce occurrit ex Evangelio: erant qui sibi videbantur justi, et reprehendebant Dominum, quod admittebat ad convivium peccatores, et cum publicanis et peccatoribus convescebatur: talibus itaque superbientibus, fortibus terræ valde elevatis, multum de sua sanitate gloriantibus, quam putabant, non quam tenebant, quid respondit Dominus? *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus.* Quos dicit sanos? quos dicit male habentes? Sequitur, et dicit: *Non veni vocare justos sed peccatores in pœnitentiam* (*Matth.* IX, 12, 13). Appellavit ergo sanos justos; non quia Pharisæi hoc erant, sed quia hoc se esse arbitrabantur; et ideo superbiebant, et medicum ægrotantibus invidebant, et plus ægrotantes medicum occidebant. Appellavit tamen sanos justos, ægrotantes peccatores. Ut ergo justificarer, ait iste transiliens, ab ipso mihi est; et ut

[1] Sic Mss. At Edd., *et malum vetus. Dicitur enim et vinum vetus.*
[2] Sic Mss. At Edd., *quoniam quamvis.*

glorificer, ab ipso mihi est : *In Deo salutare meum et gloria mea. Salutare meum*, ut salvus sim; *gloria mea*, ut honoratus sim. Hoc tunc : modo quid? *Deus auxilii mei, et spes mea in Deo :* donec perveniam ad perfectam justificationem et salutem. *Spe enim salvi facti sumus : spes autem quæ videtur, non est spes* (*Rom.* VIII, 24). Donec veniam ad illam glorificationem, ubi justi fulgebunt in regno Patris sui tanquam sol (*Matth.* XIII, 43). Interim nunc inter tentationes, inter iniquitates, inter scandala, inter apertas oppugnationes et subdolas locutiones, inter eos qui ore suo benedicunt, et corde suo maledicunt, inter eos qui honorem meum cogitant repellere, quid hic? *Deus auxilii mei :* dat enim auxilium certantibus. Contra quos certantibus? *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principatus et potestates* (*Ephes.* VI, 12). *Deus* ergo *auxilii mei, et spes mea in Deo.* Spes, quamdiu nondum est quod promissum est, et creditur quod nondum videtur; cum autem venerit, erit salvatio et glorificatio : non tamen, dum illa differuntur, deserimur; *Deus* enim *auxilii mei, et spes mea in Deo.*

14. [*vers.* 9.] *Sperate in eum, omne concilium plebis.* Imitamini Idithun; transilite inimicos vestros : repugnantes vobis, resistentes itineri vestro, odio vos habentes transilite. *Sperate in eum, omne concilium plebis; effundite coram illo corda vestra.* Nolite cedere [1] eis qui dicunt vobis : Ubi est Deus vester? *Factæ sunt*, inquit, *mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus?* Sed quid ibi dicit? *Hæc meditatus sum, et effudi super me animam meam* (*Psal.* XLI, 4, 5). Commemoratus sum quod audio, *Ubi est Deus tuus?* memoratus sum hæc, *et effudi super me animam meam.* Quærens Deum meum, effudi super me animam meam, ut illum attingerem; non in me remansi. Ergo, *Sperate in eum, omne concilium plebis. Effundite coram illo corda vestra :* deprecando, confitendo, sperando. Nolite corda vestra retinere intra corda vestra : *Effundite coram illo corda vestra.* Non perit quod effunditis. Ille enim *susceptor meus.* Si suscipit, quid times effundere? Jacta in Dominum curam tuam (*Psal.* LIV, 23), et spera in eum. *Effundite coram illo corda vestra : Deus adjutor noster.* Quid timetis inter susurrones, detractores Deo odibiles (*Rom.* I, 29, 30); ubi possunt palam oppugnantes, ubi non possunt occulte insidiantes; falso laudantes, vere inimicantes? inter eos quid timetis? *Deus adjutor noster.* An æmulantur Deum? Numquid fortiores illo sunt? *Deus adjutor noster;* securi estote. Si Deus pro nobis, quis contra nos (*Id.* VIII, 31)? *Effundite coram illo corda vestra*, transilientes ad eum, levantes animas vestras : *Deus adjutor noster.*

15. [*vers.* 10.] Et jam constituti in loco munito, in turri fortitudinis a facie inimici, miseramini eos quos timebatis : currere enim debetis in siti. Despicite ergo illos jam in illo loco constituti, et dicite : *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum.* Filii hominum, usquequo graves corde? Filii hominum vani, filii hominum mendaces; filii hominum, utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium (*Psal.* IV, 3)? Cum miseratione ista dicite, atque sapite. Si transilivistis, si diligitis inimicos vestros, si destruere cupitis ut ædificetis, si eum amatis qui judicat in gentibus, et replet ruinas (*Psal.* CIX, 6); ita his ista dicite, non odio habentes, non malum pro malo reddentes (*Rom.* XII, 17). *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in unum.* Certe multi sunt : ecce est ille unus, unus ille qui projectus est de turba convivantium (*Matth.* XXII, 13). Conspirant, omnes temporalia quærunt, quique carnales carnalia, et in futuro sperant quicumque sperant : etsi de opinionum varietate in diversum, de vanitate tamen in unum sunt. Diversi quidem errores et multiformes, et regnum adversum se divisum non stabit (*Id.* XII, 25) : sed similis omnibus voluntas vana et mendax, pertinens ad unum regem, cum quo in ignem æternum præcipitanda est (*Id.* XXV, 41) : *Ipsi de vanitate in unum.*

16. [*vers.* 11.] Et illos videte quia sitit; videte quia currit in siti. Convertit ergo se ad illos, sitiens eos : *Nolite sperare super iniquitatem.* Nam spes mea in Deo est. *Nolite sperare super iniquitatem.* Vos qui non vultis accedere et transilire, *nolite sperare super iniquitatem.* Ego enim qui transilivi, spes mea in Deo : et numquid iniquitas est apud Deum (*Rom.* IX, 14)? *Nolite sperare super iniquitatem.* Hoc faciamus, illud faciamus, illud cogitemus, sic insidias componamus; de vanitate in unum. Tu sitis : qui contra te ista cogitant [1], ab eis quos bibis produntur. *Nolite sperare super iniquitatem.* Vana est iniquitas, nihil est iniquitas; potens non est nisi justitia. Occultari potest ad tempus veritas; vinci non potest. Florere potest ad tempus iniquitas, permanere non potest. *Nolite sperare super iniquitatem : et in rapinam ne concupiscatis.* Non es dives, et rapere vis? Quid invenis? quid perdis? O lucra damnosa! Invenis pecuniam; perdis justitiam. *In rapinam ne concupiscatis.* Pauper sum, non habeo. Ideo rapere vis? Quid rapias, vides : a quo rapiaris, non vides? Nescis circuire inimicum tanquam leonem rugientem, et quærentem quid rapiat (I *Petr.* V, 8)? Præda illa quam vis rapere, in muscipula est : tenes, et teneris. In rapinam ergo ne concupiscas, o pauper! sed concupisce in Deum qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum (I *Tim.* VI, 17). Pascet te qui fecit te. Qui pascit latronem, non pascet innocentem? Pascet te qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V, 45). Si pascit damnandos, non pascet liberandos? Ergo in rapinam noli concupiscere. Dictum est hoc pauperi, fortassis aliquid de necessitate rapturo. Dives procedat : Non habeo ego, inquit, necessitatem rapiendi : nihil mihi deest; abundant omnia. Et tu audi : *Divitiæ si fluant* [2], *ne apponatis cor.* Ille non habet; iste habet : ille non

[1] Edd., *credere.* At Mss., *cedere.*

[1] Mss. plerique : *Tu siti qui contra ista cogitant.*
[2] Aliquot Mss., *affluant.*

quærat rapere quod non habet; iste non apponat cor in eo quod habet. *Divitiæ si fluant*, id est, si exundent, tanquam de fonte currant. *Ne apponatis cor* : noli de te præsumere, noli ibi te figere : certe vel hoc time, *Divitiæ si fluant*. Non vides quia si ibi cor posueris, et tu flues? Dives es, et ecce jam non concupiscis adhuc habere, quia multa habes : audi, *Præcipe divitibus hujus mundi non superbe sapere*. Et quid est, *Ne apponatis cor? Neque sperare in incerto divitiarum* (I *Tim*. VI, 17). Ergo, *Divitiæ si fluant, ne apponatis cor*, ne in divitiis confidatis, non præsumatis, non speretis; ne dicatur : *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua* (*Psal*. LI, 9). Ergo, vani filii hominum, mendaces filii hominum, neque rapiatis, neque si fluant divitiæ, cor apponatis; non jam vanitatem diligatis, et mendacium quæratis. Beatus enim cujus est Dominus Deus spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias mendaces (*Psal*. XXXIX, 5). Decipere vultis, fraudem vultis facere; quid affertis ut decipiatis? Stateras dolosas. *Mendaces* enim, inquit, *filii hominum in stateris*, ut decipiant proferendo stateras dolosas. Falso examine fallitis intuentes : nescitis alium esse qui appendit, alium qui de pondere judicat? Non videt cui tu appendis; sed videt qui te et ipsum appendit. Ergo non fraudem, non rapinam concupiscatis; non in his quæ habetis spem ponatis : monui, prædixi, ait iste Idithun.

17. [*vers*. 12, 13.] Quid sequitur? *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi; quoniam potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia : quia tu reddes unicuique secundum opera sua*. Dixit Idithun, sonuit de alto, quo transilivit; audivit ibi quiddam, et dixit nobis : sed aliquantum in hoc quod nobis dixit perturbor, fratres; et donec vobiscum participem, vel perturbationem, vel aliquam respirationem meam, intentos vos volo. Etenim Psalmum ad terminum duximus adjuvante Domino : post hæc quæ dicturi sumus, non restat aliquid quod de hoc ulterius exponamus. Itaque adnitimini mecum, utrum possimus intelligere hoc : et si non potuero, et intelligit aliquis vestrum quod ego non possum; gaudebo potius quam invidebo. Omnino investigare difficile est quemadmodum positum sit prius, *Semel locutus est Deus*; deinde cum ille semel locutus est, ego *duo audivi*. Si enim diceret, Semel locutus est Deus, unum hoc audivi; videbatur partem quæstionis hujus amputavisse, ut tantummodo quæreremus quid sit, *Semel locutus est Deus*. Nunc vero quæsituri sumus, et quid sit, *Semel locutus est Deus*; et quid sit, *duo hæc audivi*, cum semel ille locutus sit.

18. *Semel locutus est Deus*. Quid dicis, Idithun? Si tu loqueris qui transilivisti eos : *Semel locutus est?* Ego Scripturam aliam consulo, et dicit mihi : *Multis partibus, et multis modis olim Deus locutus est patribus in Prophetis* (*Hebr*. I, 1). Quid est, *Semel locutus est Deus?* Nonne ille est Deus, qui in primordio generis humani locutus est ad Adam? Nonne idem ipse locutus est ad Cain, ad Noe, ad Abraham, ad Isaac, ad Jacob, ad Prophetas omnes, et ad Moysen? Unus erat Moyses; et quoties ad eum locutus est Deus? Ecce etiam uni non semel, sed sæpius locutus est Deus. Deinde locutus est ad Filium hic positum : *Tu es Filius meus dilectus* (*Matth*. III, 17). Locutus est Deus Apostolis, locutus est omnibus sanctis, etiamsi non voce sonante per nubem, in corde tamen ubi ipse magister est. Unde ille dicit : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem populo suo* (*Psal*. LXXXIV, 9). Quid est ergo, *Semel locutus est Deus?* Multum transiliverat iste, ut perveniret illuc, ubi semel locutus est Deus. Ecce breviter dixi Charitati Vestræ. Hic inter homines, hominibus sæpe, multis modis, multis partibus, per multiformem creaturam locutus est Deus : apud se semel Deus locutus est, quia unum Verbum genuit Deus. Iste ergo Idithun transiliens eos, transiliverat acie mentis forti, et valida, et præfidenti, transiliverat terram, et quidquid in terra est; aerem, nubes omnes ex quibus locutus est Deus multa, et sæpe, et multis : transiliverat etiam omnes Angelos acie fidei. Erat enim iste transiliens non contentus terrenis, sed velut aquila volans prætervectus omnem nebulam qua tegitur omnis terra. Dicit enim Sapientia : *Et nebula texi omnem terram* (*Eccli*. XXIV, 6). Pervenit ad aliquid liquidum, universam transiliens creaturam, et quærens Deum, et effundens super se animam suam; pervenit ad principium, et Verbum Deum apud Deum; et invenit unius Patris unum Verbum; et vidit quia semel locutus est Deus; vidit Verbum per quod facta sunt omnia (*Joan*. I, 3), et in quo simul sunt omnia, non diversa, non separata, non inæqualia. Non enim Deus quod per Verbum faciebat, ipse non noverat; si autem quod faciebat noverat, in illo erat antequam fieret quod fiebat. Si enim non in illo erat quod fiebat antequam fiebat, ubi noverat quod faciebat? Non enim potes Deum dicere ignorata fecisse. Scivit itaque Deus quod fecit. Et ubi scivit antequam faceret, si sciri nisi facta non possunt? Sed a factis sciri nisi ante facta non possunt; a te scilicet, ab homine in imo facto, et in imo posito : antequam autem fierent hæc omnia, sciebantur ab illo a quo facta sunt, et quod scivit fecit. Ergo in Verbo illo per quod fecit omnia, antequam fierent erant omnia; et cum facta sunt, ibi sunt omnia : sed aliter hic, aliter ibi; aliter in propria natura in qua facta sunt, aliter in arte per quam facta sunt. Quis hoc explicet? Conari possumus : ite cum Idithun, et videte.

19. Jam ergo, ut potuimus, diximus quomodo semel locutus est Deus : videamus quomodo duo hæc audivit, *Duo hæc audivi*. Forte non est consequens, ut sola duo hæc audierit : sed, *duo hæc*, inquit, *audivi*; quædam duo quæ nobis opus est ut dicantur, audivit. Audivit forte alia multa; sed non opus est ea dici nobis. Ait enim et Dominus : *Multa habeo vobis dicere : sed non potestis illa portare modo* (*Id*. XVI, 12). Quid est ergo, *Duo hæc audivi?* Hæc duo quæ vobis dicturus sum, non a me vobis dico, sed quæ audivi

dicō. *Semel locutus est Deus :* unum Verbum habet unigenitam Deum. In illo Verbo sunt omnia, quia per Verbum facta sunt omnia. Unum Verbum habet, ubi omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss.* II, 3). Unum Verbum habet; *semel locutus est Deus. Duo hæc,* quæ vobis dicturus sum, ibi *audivi;* non ex me loquor, non ex me dico : ad hoc pertinet *audivi. Amicus autem sponsi stat et audit eum* (*Joan.* III, 29), ut verum loquatur. Audit enim eum, ne loquendo mendacium de suo loquatur (*Id.* VIII, 44) : ne diceres, Quis es tu qui mihi hoc dicis? unde mihi hoc dicis? Audivi hæc duo, et ille [1] tibi loquor quia audivi hæc duo, qui etiam cognovi quia semel locutus est Deus. Noli contemnere auditorem dicentem tibi quædam duo tibi necessaria, eum qui transiliendo universam creaturam pervenit ad Verbum unigenitum Dei, ubi sciret quia semel locutus est Deus.

20. Dicat ergo jam quædam duo. Multum enim ad nos pertinent hæc duo. *Quoniam potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia.* Ista sunt duo; potestas, et misericordia? Ista plane : intelligite potestatem Dei; intelligite misericordiam Dei. His duobus continentur prope omnes Scripturæ. Propter hæc duo, Prophetæ; propter hæc duo, Patriarchæ; propter hæc, Lex; propter hæc, ipse Dominus noster Jesus Christus; propter hæc, Apostoli; propter hæc, annuntiatio omnis, et celebratio verbi Dei in Ecclesia : propter hæc duo; propter potestatem Dei et misericordiam. Potestatem ejus timete; misericordiam ejus amate. Nec sic de misericordia ejus præsumatis, ut potestatem contemnatis : nec sic potestatem timeatis, ut de misericordia desperetis. Apud illum potestas; apud illum misericordia. Hunc humiliat; et hunc exaltat (*Psal.* LXXIV, 8) : hunc humiliat potestate; illum exaltat misericordia. *Si enim Deus volens ostendere iram, et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem.* Audisti potestatem : quære misericordiam. *Ut notas,* inquit, *faceret divitias suas in vasa misericordiæ.* Pertinet ergo ad ejus potestatem damnare iniquos. Et quis illi dicat : Quid fecisti? *Tu enim, o homo, quis es, qui respondeas Deo* (*Rom.* IX, 22, 23, 20)? Time ergo et treme ejus potestatem; sed spera ejus misericordiam. Diabolus [2] potestas quædam est; plerumque tamen vult nocere, et non potest, quia potestas ista sub potestate est. Nam si tantum posset nocere diabolus quantum vult, non aliquis justorum remaneret, aut aliquis fidelium esset in terra. Ipse per vasa sua impellit, quasi parietem inclinatum; sed tantum impellit quantum accipit potestatem. Ut autem non cadat paries, Dominus suscipiet; quoniam qui dat potestatem tentatori, ipse tentato præbet misericordiam. Ad mensuram enim permittitur [3] tentare diabolus : *Et potabis nos,* inquit, *in lacrymis in mensura* (*Psal.* LXXIX, 6). Noli ergo timere permissum aliquid facere tentatorem; habes enim misericordissimum Salvatorem. Tantum permittitur ille tentare quantum tibi prodest, ut exercearis, ut proberis; ut qui te nesciebas, a te ipso inveniaris. Nam ubi, vel unde, nisi de hac Dei potestate, et misericordia securi esse debemus, secundum illam apostolicam sententiam : *Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari super id quod potestis* (I *Cor.* X, 13)?

21. Ergo, *Potestas Dei est : Non est enim potestas nisi a Deo* (*Rom.* XIII, 1). Noli dicere, Et quid ei dat tantam potestatem? Et non det potestatem. Qui dat potestatem, habet æquitatem [1]? Tu inique murmurare potes, ille æquitatem perdere non potest. *Numquid iniquitas apud Deum? Absit* (*Id.* IX, 14). Hoc fige in corde; hoc de cogitatione tua non excutiat inimicus. Facere potest aliquid Deus, ut tu nescias quare faciat : inique tamen facere non potest, apud quem non est iniquitas. Nam ecce reprehendis Deum quasi de iniquitate (ago tecum aliquid, attende paululum) : non reprehenderes iniquitatem, nisi videndo justitiam. Reprehensor iniquitatis esse non potest qui non cernit justitiam, cui comparatam reprehendat iniquitatem. Unde enim scis quia hoc injustum est, nisi scias quid sit justum? Quid si enim justum est et hoc, quod dicis injustum? Absit, inquis, injustum est : et clamas quasi videntibus [2] oculis, videns hoc injustum esse utique ex aliqua regula justitiæ, cui comparans hoc quod vides pravum, et cernens non convenire rectitudini regulæ tuæ, reprehendis; tanquam artifex discernens justum ab injusto. Ergo quæro a te : Justum hoc esse unde vides? Ubi, inquam, vides hoc justum, quo viso, reprehendis injustum? Unde illud nescio quid, quo aspergitur anima tua, ex multis partibus in caligine constituta, nescio quid hoc quod coruscat menti tuæ? unde hoc justum? Itane non habet fontem suum? A te tibi est quod justum est, et tu tibi potes dare justitiam? Nemo sibi dat quod non habet. Ergo cum sis injustus, esse non potes justus, nisi convertendo te ad quamdam justitiam manentem; a qua si recedis, injustus es; ad quam si accedis, justus es. Te recedente non deficit; te accedente non crescit. Ubi est ergo ista justitia? Quæres in terra? Absit. Non enim aurum aut lapides pretiosos quæris, justitiam quærens. Quære in mari, quære in nubibus, quære in stellis : quære in Angelis; invenis in illis, sed et ipsi de fonte bibunt. Justitia enim Angelorum in omnibus est, sed ab uno capitur. Respice ergo, transcende, vade illuc ubi semel locutus est Deus; et ibi invenies fontem justitiæ, ubi est fons vitæ : *Quoniam apud te est fons vitæ* (*Psal.* XXXV, 10). Si enim tu de rore exiguo judicare vis quod justum est, et quod injustum est; numquid iniquitas apud Deum, unde ad te manat tanquam de fonte justitia, in quantum justum sapis, cum ex multis partibus inique desipias? Habet ergo fontem justitiæ Deus. Noli ibi quærere iniquitatem, ubi lux sine umbra est. Sed

[1] Sic Mss. At Edd., *illa.*
[2] Edd., *diabolo.* At Mss., *diabolus,* nominandi casu.
[3] Mss., *admittitur.*

[1] Sic Mss. Edd. vero : *Et quare dat tantam potestatem, et non de potestate habet æquitatem?*
[2] Aliquot Mss., *fidentibus.*

plane latere te potest causa. Si latet te causa, respice ignorantiam tuam, vide qui sis; attende hæc duo : *Quoniam potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia. Fortiora te ne quæsieris, et altiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita semper* (*Eccli.* III, 22). Quia ad hæc quæ tibi præcepit Deus pertinent ista duo : *Quoniam potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia.* Noli timere inimicum : tantum facit quantum acceperit potestatem. Eum time qui habet summam potestatem; eum time qui quantum vult, tantum facit, et qui injuste nihil facit, et quidquid fecerit, justum est. Putabamus injustum esse nescio quid : ex hoc quia fecit Deus, crede justum esse.

22. Ergo, inquis, si quis hominem occidat innocentem, juste facit, an inique? Inique sane. Quare hoc permittit Deus? Vide prius ne illud debeas : *Frange esurienti panem tuum, et egenum sine tecto induc in domum tuam; si videris nudum, vesti eum* (*Isai.* LVIII, 7). Hæc enim justitia tua est; hoc enim tibi præcepit Dominus : *Lavamini, mundi estote, auferte nequitias a cordibus vestris, atque a conspectu oculorum meorum; discite bonum facere, judicate pupillo et viduæ : et venite, et disputemus, dicit Dominus* (*Id.* I, 16-18). Disputare vis, antequam facias unde dignus sis disputare, quare hoc permisit Deus. Consilium Dei tibi dicere, o homo, non possum : illud tamen dico, quia et inique fecit homo qui occidit innocentem, et non fieret nisi permitteret Deus; et quamvis ille inique fecerit, non tamen hoc inique permisit Deus. Lateat causa in isto nescio quo, de quo moveris, cujus innocentia te permovet. Possem enim tibi cito respondere, Non occideretur nisi nocens esset : sed tu eum innocentem putas. Possem tibi hoc cito dicere. Non enim tu scrutareris cor ejus, discuteres facta ejus, examinares cogitationes ejus, ut possis mihi dicere : Injuste occisus est. Possem ergo facile respondere : sed opponitur mihi quidam justus, sine controversia justus, sine dubitatione justus, qui non habebat peccatum occisus a peccatoribus, traditus a peccatore; ipse Christus Dominus, de quo non possumus dicere quod habuit aliquam iniquitatem, quia ea quæ non rapuit exsolvebat (*Psal.* LXVIII, 5), objicitur mihi. Et quid dicam de Christo? Tecum ago, inquis. Et ego tecum. De illo proponis quæstionem; de illo solvo quæstionem. Ibi enim consilium Dei novimus, quod nonnisi ipso revelante nossemus : ut cum tu inveneris consilium Dei quo permisit innocentem Filium occidi ab injustis, et tale consilium quale tibi placeat, et quale tibi, si justus es, displicere non possit, credas quia et in aliis consilio id agat Deus, sed latet te. Eia, fratres, opus erat sanguine justi ad delendum chirographum peccatorum; opus erat exemplo patientiæ, exemplo humilitatis; opus erat signo crucis ad diabolum et ejus angelos debellandos (*Coloss.* II, 14, 15); opus nobis erat passione Domini nostri : nam passione Domini redemptus est orbis. Quanta bona egit passio Domini! Et tamen passio hujus justi non esset, nisi Dominum iniqui occidissent. Quid ergo, bonum hoc quod nobis præstitum est de dominica passione, imputandum est iniquis interfectoribus Christi? Absit. Illi voluerunt; Deus permisit. Illi nocentes essent, etiamsi tantummodo voluissent; Deus autem non permisisset, nisi justum esset. Voluerunt occidere : pone quia non potuerunt : iniqui essent, homicidæ essent; quis dubitaret? *Dominus* enim *interrogat justum et impium* (*Psal.* X, 6); et, *In cogitationibus impii interrogatio erit* (*Sap.* I, 9). Discutit Deus quid quisque voluerit, non quid potuerit. Ergo si voluissent, et non potuissent, et non occidissent, iniqui illi remanerent; tibi Christi passio non præstaretur. Voluit ergo facere impius ut damnaretur; permissus est ut tibi præstaretur : quod voluit, imputatur iniquitati impii; quod permissus est, imputatur potestati Dei. Ille ergo inique voluit; Deus juste permisit. Itaque, fratres mei, et Judas malignus traditor Christi, et persecutores Christi, maligni omnes, impii omnes, iniqui omnes, damnandi omnes : et tamen Pater *proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII, 32). Dispone, si potes; distingue, si potes : redde Deo vota tua, quæ distinxerunt labia tua (*Psal.* LXV, 13) : vide quid ibi [1] fecerit iniquus, quid justus. Ille voluit; iste permisit : ille injuste voluit; iste juste permisit. Voluntas injusta damnetur; permissio justa glorificetur. Quid enim mali accidit Christo, quia mortuus est Christus? Et illi mali sunt, qui male facere voluerunt; et nihil mali passus est, cui fecerunt. Occisa est caro mortalis interficiens mortem morte, præbens patientiæ documentum, præmittens resurrectionis exemplum. Quanta bona facta sunt justi de malo injusti! Hoc est magnum [2] Dei, quia et bonum quod facis ipse tibi dedit, et de malo tuo ipse bene facit. Noli ergo mirari; permittit Deus, et judicio permittit : permittit, et mensura, numero, pondere permittit. Apud illum non est iniquitas. Tu tantum ad eum pertine, in ipso spem pone; ipse sit adjutor tuus, salutare tuum; in illo sit locus munitus, turris fortitudinis; refugium tuum ipse sit, et non te sinet tentari supra quam potest ferre, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possis sustinere (I *Cor.* X, 13) : ut quod te sinit pati tentationem, potestas ejus sit; quod non sinit ultra in te fieri quam potes ferre, misericordia ejus sit : *Quoniam potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia, quia tu reddes unicuique secundum opera ejus.*

Et post tractatum de Psalmo, cum mathematicus in populo monstraretur, de eo idem ipse intulit.

23. Illa Ecclesiæ sitis etiam istum, quem videtis, bibere vult. Simul etiam ut noveritis quam multi in commixtione Christianorum ore suo benedicant, et in corde suo maledicant, iste ex christiano et fideli pœnitens redit, et territus potestate Domini convertitur ad misericordiam Domini. Seductus enim ab inimico cum esset fidelis, diu mathematicus fuit; seductus seducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia locutus est contra Deum, qui dedit homini-

[1] Sic Mss. At Edd., *tibi.*
[2] Reg. liber, *regnum.*

bus potestatem faciendi quod bonum est, et non faciendi quod malum est. Iste dicebat quia adulterium non faciebat voluntas propria, sed Venus; et homicidium non faciebat voluntas propria, sed Mars; et justum non faciebat Deus, sed Jovis: et alia multa [1] sacrilega non parva. Quam multis cum putatis Christianis nummos abstulisse? Quam multi ab illo emerunt mendacium, quibus dicebamus: Filii hominum, usquequo graves corde? utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium (*Psal.* IV, 3)? Modo, sicut de illo credendum est, horruit mendacium, et multorum hominum illectorem [2] se aliquando a diabolo sensit illectum; convertitur ad Deum pœnitens. Putamus, fratres, de magno timore cordis accidisse. Quid enim dicturi sumus? Namque si ex pagano converteretur mathematicus, magnum quidem esset gaudium; sed tamen posset videri quia si conversus esset, clericatum quæreret in Ecclesia. Pœnitens est; non quærit nisi solam misericordiam. Commendandus est ergo et oculis et cordibus vestris. Eum quem videtis cordibus amate, oculis custodite. Videte illum, scitote illum, et quacumque ille transierit, fratribus cæteris qui modo hic non sunt, ostendite illum: et ista diligentia misericordia est, ne ille seductor retrahat [3] cor, et oppugnet. Custodite vos; non vos lateat conversatio ejus, via ejus; ut testimonio vestro nobis confirmetur vere illum ad Dominum esse conversum. Non enim silebit fama de vita ejus, quando sic vobis et videndus et miserandus offertur. Nostis in Actibus Apostolorum esse scriptum quia multi perditi, id est, talium artium homines, et doctrinarum nefariarum sectatores, omnes codices suos ad Apostolos attulerunt; et incensi sunt libri tam multi, ut pertineret ad scriptorem æstimationem eorum facere, et summam pretii conscribere (*Act.* XIX, 19). Hoc utique propter gloriam Dei, ne tales etiam perditi desperarentur ab illo qui novit [4] quærere quod perierat (*Luc.* XV, 32). Perierat ergo iste; nunc quæsitus, inventus, adductus est: portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut illis in ignem missis, ipse in refrigerium transeat. Sciatis eum tamen, fratres, olim pulsare ad Ecclesiam ante Pascha: ante Pascha enim cœpit petere de Ecclesia Christi medicinam. Sed quia talis est ars in qua exercitatus erat, quæ suspecta [5] esset de mendacio atque fallacia, dilatus est ne tentaret; et aliquando tamen admissus est, ne periculosius tentaretur. Orate pro illo per [6] Christum. Prorsus hodiernam precem pro illo fundite Domino Deo nostro. Scimus enim et certi sumus quia oratio vestra delet omnes impietates ejus. Dominus vobiscum.

IN PSALMUM LXII
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. Propter eos qui forte rudes sunt adhuc ad nomen Christi, quia undique colligit qui pro omnibus dedit sanguinem suum, dicendum est paucis quod et illi libenter audiant qui noverunt, et discant qui non noverunt. Psalmi isti quos cantamus, antequam Dominus noster Jesus Christus natus esset ex virgine Maria, Spiritu Dei dictante dicti et conscripti sunt. Fuit enim David rex in Judæorum gente; quæ gens una colebat Deum unum, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in ipsis sunt, sive quæ videntur, sive quæ non videntur. Cæteræ autem gentes, aut idola colebant quæ manibus suis fecerant, aut creaturam Dei, non ipsum Creatorem, id est, aut solem, aut lunam, aut stellas, aut mare, aut montes, aut arbores. Hæc enim omnia Deus fecit; et laudari se vult in illis, non illa coli pro se. Ergo in ipsa gente Judæorum David rex fuit, de cujus semine natus est Dominus noster Jesus Christus (*Rom.* I, 3) ex Maria virgine; quia de illo ducebat genus virgo Maria quæ peperit Christum (*Luc.* II, 7): et dicti sunt isti Psalmi, et prophetabatur in eis Christus venturus post multos annos: et dicebatur ab illis Prophetis, qui fuerunt antequam Dominus noster Jesus Christus de Maria virgine nasceretur, quidquid futurum erat temporibus nostris; quod modo legimus, et videmus: et multum gaudemus quia spes nostra prædicta est a sanctis, qui illud non videbant impletum, sed in spiritu futurum videbant: et nos modo legimus et audimus a lectoribus; disputamus illa; et quomodo sunt in Scripturis, sic ea videmus impleri per totum orbem terrarum. Quis inde non gaudeat? Quis non et ea quæ nondum venerunt ventura speret, propter illa quæ jam tanta impleta sunt? Modo enim, fratres, videtis quia totus mundus, tota terra, omnes gentes, omnes regiones currunt ad nomen Christi, et credunt in Christum. Certe videtis hoc, quomodo ubique evertantur vanitates Paganorum; videtis hoc, manifestum est vobis. Numquid et hoc de libro vobis legimus, et non ante oculos vestros fit? Hoc ergo totum quod videtis ante oculos vestros fieri, scriptum est ante immensa volumina annorum per istos quos modo legimus, quando jam ista impleri videmus. Sed quoniam scripta sunt et illa quæ nondum venerunt, id est, quia Dominus noster Jesus Christus venturus est ut judicet, qui primo venit ut judicaretur; venit enim primo humilis, postea venturus est excelsus; venit ut ostenderet exemplum patientiæ, postea venturus est ut pro meritis judicet omnes, sive bonos, sive malos: quia ergo nondum venit hoc quod speramus, venturum Christum judicem vivorum et mortuorum, debemus illud credere. Modicum quod restat venturum esse credamus, quando jam videmus tanta quæ tunc futura erant, modo compleri. Stultus est enim qui non vult credere pauca quæ restant, cum videat tam multa impleta esse, quæ tunc non erant quando prædicebantur.

2. Psalmus ergo iste dicitur ex persona Domini nostri Jesu Christi, et capitis et membrorum. Ille enim unus qui natus est de Maria, et passus est, et sepultus est, et resurrexit, et ascendit in cœlum, et

[1] Plerique Mss., *mala*.
[2] Sic Mss. At Edd., *hominum interitum, se*, etc.
[3] Tres Mss., *redeat ad cor*.
[4] Unus et alter Ms., *venit*.
[5] Aliquot Mss., *suscepta*.
[6] Sic Er. et Mss. At Lov.: *Orate pro illo Christum*.

modo ad dexteram Patris sedet et interpellat pro nobis, caput nostrum est. Si ille caput est, nos membra sumus: tota Ecclesia ejus quæ ubique diffusa est, corpus ipsius est, cujus est ipse caput. Non solum autem fideles qui modo sunt sed et qui fuerunt ante nos, et qui post nos futuri, sunt usque in finem sæculi, omnes ad corpus ejus pertinent; cujus corporis ipse caput est, qui ascendit in cœlum (*Coloss.* I, 18). Quia ergo jam novimus caput et corpus, ille est caput, nos corpus. Quando audimus vocem ipsius, et ex capite debemus audire, et ex corpore; quia quidquid passus est, in illo et nos passi sumus; quia et nos quod patimur, in nobis et ipse patitur. Quomodo si aliquid patiatur caput, numquid potest dicere manus quia non patitur? aut si aliquid patitur manus, numquid potest caput dicere quia non patitur? aut si aliquid patitur pes, numquid potest caput dicere quia non patitur? Quando aliquid patitur unum membrum nostrum, omnia membra currunt, ut subveniant membro quod patitur. Si ergo ille cum passus est, nos in illo passi sumus, et ille jam ascendit in cœlum, et sedet ad dexteram Patris; quidquid patitur Ecclesia ipsius in tribulationibus hujus sæculi, in tentationibus, in necessitatibus, in angustiis (quia sic illam oportet erudiri, ut igne tanquam aurum purgetur), ipse patitur. Probamus hoc, quia nos in illo passi sumus, dicente Apostolo: *Si autem mortui estis cum Christo; quid adhuc velut viventes de hoc mundo decernitis* (*Id.* II, 20)? Item dicit: *Quia vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, ut evacuaretur corpus peccati* (*Rom.* VI, 6). Si ergo in illo mortui sumus, in illo etiam resurreximus. Dixit enim ipse Apostolus: *Si autem resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* (*Coloss.* III, 1). Si ergo in illo mortui sumus, et in illo resurreximus; et ipse in nobis moritur, et in nobis resurgit (ipse[1] est enim unitas capitis et corporis); non immerito vox ipsius etiam nostra est, et vox nostra etiam ipsius est. Audiamus ergo Psalmum, et in eo Christum loquentem intelligamus.

3. [*Vers.* 1.] Titulum habet iste psalmus, *Ipsi David, cum esset in deserto Idumææ*. Per Idumææ nomen intelligitur sæculum istud. Idumæa enim gens erat quædam errantium hominum, ubi idola colebantur. Non in bono ponitur Idumæa ista. Si non in bono ponitur, intelligendum est istam vitam, ubi patimur tantos labores et ubi tantis necessitatibus subditi sumus, Idumææ nomine significari. Et hic est desertum ubi multum sititur, et audituri estis vocem modo sitientis in deserto. Si autem cognoscamus nos sitientes, cognoscemus nos et bibentes. Quia qui sitit in isto sæculo, in futuro sæculo satiabitur, dicente Domino: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6). Ergo in hoc sæculo non debemus quasi amare saginam. Hic sitiendum est; alibi saginabimur. Modo autem ut non deficiamus in isto deserto, aspergit nobis rorem[2] verbi sui, et non nos dimittit prorsus arescere, ut non sit de nobis repetitio[1], sed ut sic sitiamus, ut bibamus. Ut autem bibamus, aliqua gratia ejus aspergimur; tamen sitimus. Et quid dicit anima nostra Deo?

4. [*Vers.* 2.] *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*. Quid est vigilare? Utique non dormire. Quid est dormire? Est somnus animæ, est somnus corporis. Somnum corporis omnes debemus habere; quia si non habeatur somnus corporis, deficit homo, deficit ipsum corpus. Non enim potest diu sustinere corpus nostrum fragile animam vigilantem et intentam in actionibus: si diu fuerit intenta anima in actionibus, corpus fragile et terrenum non illam capit, non illam sustinet perpetuo agentem; et deficit, et succumbit. Ideo Deus donavit somnum corpori, quo reparantur membra corporis, ut possint vigilantem animam sustinere. Illud autem cavere debemus, ne ipsa anima nostra dormiat; malus enim est somnus animæ. Bonus somnus corporis, quo reparatur valetudo corporis. Somnus autem animæ est oblivisci Deum suum. Quæcumque anima oblita fuerit Deum suum, dormit. Ideo dicit Apostolus quibusdam oblitis Deum suum, et tanquam in somno agentibus deliramenta culturæ idolorum. Sic sunt enim qui colunt idola, quomodo qui vident in somnis vana: si autem evigilet anima ipsorum, intelligit a quo facta est, et non colit quod ipsa fecit. Dicit ergo quibusdam Apostolus: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis; et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V, 14). Numquid corpore dormientem excitabat Apostolus? Sed excitabat animam dormientem, quando ad hoc eam excitabat ut illuminaretur a Christo. Ergo secundum ipsas vigilias dicit iste: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*. Non enim vigilares in te, nisi oriretur lux tua, quæ te de somno excitaret. Illuminat enim animas Christus, et facit eas vigilare: si autem lumen suum detrahat, obdormiunt. Ideo enim illi dicitur in alio psalmo: *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte* (*Psal.* XII, 4). Aut si ab illo aversæ obdormiunt, præsens est illis lumen, et non possunt videre, quia dormiunt. Quomodo et corpore qui dormit inter diem; jam ortus est sol, jam dies calet, et ille tanquam in nocte est, quia non vigilat ut videat jam ortum diem: sic quibusdam jam præsente Christo, jam prædicata veritate, inest adhuc somnus animæ. Illis ergo vos, si vigiletis, dicetis quotidie: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis; et illuminabit te Christus*. Vita enim vestra, et mores vestri vigilare debent in Christo, ut sentiant alii, Pagani dormientes, et ad sonitum vigiliarum vestrarum excitentur, et ipsi excutiant somnum, et incipiant in Christo vobiscum dicere: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*.

5. *Sitivit tibi anima mea*. Ecce illud desertum Idumææ. Videte quomodo hic sitit: sed videte quid hic bonum est, *Sitivit tibi*. Sunt enim qui sitiunt, sed non Deo. Omnis qui sibi vult aliquid præstari, in ardore est desiderii: ipsum desiderium sitis est animæ. Et videte quanta desideria sint in cordibus hominum: alius desiderat aurum, alius desiderat argentum, alius de-

[1] Gallican. Ms., *ipsa*.
[2] Tres Mss., *nos rore*.

[1] Regius Ms., *ut nunc sit nobis appetitio*.

siderat possessiones, alius hæreditates, alius amplam pecuniam, alius multa pecora, alius domum magnam, alius uxorem, alius honores, alius filios. Videtis desideria ista, quomodo sunt in cordibus hominum. Ardent omnes homines desiderio; et vix invenitur qui dicat: *Sitivit tibi anima mea.* Sitiunt enim homines sæculo; et non se intelligunt in deserto esse Idumææ, ubi debet sitire anima ipsorum Deo. Dicamus ergo nos, *Sitivit tibi anima mea;* omnes dicamus, quia in concordia Christi omnes una anima sumus: ipsa anima sitiat in Idumæa.

6. *Sitivit tibi*, inquit, *anima mea: quam multipliciter tibi et caro mea.* Parum est quia sitivit anima mea, sitivit et caro mea. Porro si anima sitit Deo, quomodo et caro sitit Deo? Quando enim caro sitit, aquam sitit; quando anima sitit, fontem sapientiæ sitit. De ipso fonte inebriabuntur animæ nostræ, sicut dicit alius psalmus: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente deliciarum tuarum potabis eos* (*Psal.* XXXV, 9). Sitienda est ergo sapientia, sitienda est justitia. Non ea satiabimur, non ea implebimur, nisi cum fuerit finita vita ista, et venerimus ad illud quod promisit Deus. Promisit enim Deus æqualitatem Angelorum (*Luc.* XX, 36): et modo Angeli non sitiunt quomodo nos, non esuriunt quomodo nos; sed habent saginam veritatis, lucis, immortalis sapientiæ. Ideo beati sunt; et de tanta beatitudine, quia in illa sunt civitate Jerusalem cœlesti, unde nos modo peregrinamur, attendunt nos peregrinos, et miserantur nos, et jussu Domini auxiliantur nobis, ut ad illam patriam communem aliquando redeamus, et ibi cum illis fonte dominico veritatis et æternitatis aliquando saturemur. Modo ergo sitiat anima nostra: unde et caro nostra sitit, et hoc multipliciter? *Multipliciter tibi*, inquit, *et caro mea.* Quia et carni nostræ promittitur resurrectio. Quomodo animæ nostræ promittitur beatitudo, sic et carni nostræ promittitur resurrectio. Resurrectio carnis talis nobis promittitur: audite, et discite, et tenete quæ sit spes Christianorum, quare sumus christiani. Non enim ad hoc sumus christiani, ut terrenam nobis felicitatem petamus, quam plerumque habent et latrones et scelerati. Ad aliam felicitatem nos sumus christiani, quam tunc accipiemus, cum vita ista hujus sæculi tota transierit. Ergo promittitur nobis et carnis resurrectio; et talis resurrectio carnis nobis promittitur, ut caro quidem ista quam modo portamus, resurgat in fine. Nec incredibile vobis videatur. Si enim Deus fecit nos qui non eramus, magnum illi est reparare qui eramus? Ergo hoc vobis incredibile non videatur, quia quasi putrescere mortuos videtis, et ire in cineres et in pulverem. Aut si incendatur aliquis mortuus, aut si canes dilanient eum, putatis quia inde non erit resurrecturus? Omnia quæ discerpuntur et in favillas quasdam putrescunt, integra Deo sunt. In illa enim elementa mundi eunt, unde primo venerunt, quando facti sumus: non illa videmus; sed tamen Deus unde scit producet illa, quia et antequam essemus, unde sciebat nos produxit. Talis ergo resurrectio carnis nobis promittitur, ut quamvis ipsa sit caro quam modo portamus, quæ resurrectura est, tamen non habeat corruptionem quam modo habet. Modo enim ex corruptione fragilitatis, si non manducemus, deficimus et esurimus; si non bibamus, deficimus et sitimus; si diu vigilemus, deficimus et dormimus: si diu dormiamus, deficimus; ideo vigilamus: si diu manducemus et bibamus; quamvis propter refectionem manducemus et bibamus, ipsa diuturna refectio defectio est: si diu stemus, fatigamur: ideo sedemus: et si diu sedeamus, et ibi fatigamur, et ideo surgimus. Deinde videte quia nullus est carnis nostræ status: quoniam infantia avolat in pueritiam; et quæris infantiam, et non est infantia, quia jam pro infantia pueritia est: iterum et ipsa migrat in adolescentiam; quæris pueritiam, et non invenis: adolescens fit juvenis; quæris adolescentem, et non est: juvenis fit senex; quæris juvenem, et non invenis: et senex moritur; quæris senem, et non invenis. Non stat ergo ætas nostra: ubique fatigatio est, ubique lassitudo, ubique corruptio. Attendentes qualem nobis spem resurrectionis promittat Deus, in istis omnibus multiplicibus defectionibus nostris sitimus illam incorruptionem; et sic caro nostra multipliciter sitit Deo. In ista Idumæa, in isto deserto, quam multipliciter laborat, tam multipliciter sitit; quam multipliciter fatigatur, tam multipliciter sitit illam infatigabilem incorruptionem.

7. [*vers.* 3.] Quanquam, fratres mei, boni christiani et fidelis etiam in hoc sæculo caro Deo sitit: quia si opus est carni pane, si opus est aqua, si opus est vino, si opus est nummo, si opus est jumento carni huic, a Deo petere debet, non a dæmoniis, et idolis, et a nescio quibus potestatibus hujus sæculi. Sunt enim qui, quando famem patiuntur in isto sæculo, dimittunt Deum, et rogant Mercurium, aut rogant Jovem ut det illis, aut quam dicunt Cœlestem [1], aut aliqua dæmonia similia: non Deo sitit caro ipsorum. Qui autem Deo sitiunt, undique debent sitire, et anima, et carne: quia et animæ Deus dat panem suum, id est verbum veritatis; et carni Deus dat quæ necessaria sunt, quia Deus fecit et animam et carnem. Propter carnem tuam rogas dæmonia: numquid animam Deus fecit, et carnem tuam dæmonia fecerunt? Qui fecit animam, ipse fecit et carnem: qui fecit ambas res, ipse pascit ambas res. Utrumque nostrum Deo sitiat, et ex labore multiplici simpliciter satietur.

8. Ubi autem sitit anima nostra, et multipliciter caro nostra, non cuicumque, sed tibi, Domine, id est Deo nostro; ubi sitit? *In terra deserta, et sine via, et sine aqua.* Sæculum istud diximus; ipsa est Idumæa, hoc est desertum Idumææ, unde titulum Psalmus accepit. *In terra deserta.* Parum est, *deserta*, ubi nullus hominum habitat; insuper, *et sine via, et sine aqua.* Uti-

[1] Edd., *aut quem dicunt cœlestem Pana.* Abest, *Pana*, a Mss. e quibus duo ferunt, *aut quam dicunt Cererem;* cæteri vero, *Cœlestem:* quæ nimirum Afris paganis Dea fuit præcipuo honore habita: de qua Tertullianus in Apologet., c. 23 et 24; et Augustinus in lib. 2 de Civit. Dei, c. 4.

nam vel viam haberet ipsum desertum! utinam illuc homo incurrens, vel nosset qua inde exiret! Non videt hominem ad solatium, non videt viam qua careat deserto. Ergo ibi divertit. Utinam esset vel aqua, unde reficeretur, qui inde non potest exire! Malum desertum, horribile et timendum! et tamen Deus misertus est nostri, et fecit nobis viam in deserto, ipsum Dominum nostrum Jesum Christum (*Joan.* XIV, 6); et fecit nobis consolationem in deserto, mittendo ad nos prædicatores verbi sui; et dedit nobis aquam in deserto, implens Spiritu sancto prædicatores suos, ut fieret in eis fons aquæ salientis in vitam æternam (*Id.* IV, 14). Et ecce habemus hic omnia; sed non sunt de deserto. Ergo proprietatem deserti prius commendavit Psalmus, ut et tu cum audisses in quo malo esses, si quas hic habere posses consolationes, vel sociorum, vel viæ, vel aquæ, non tribueres deserto, sed illi qui te visitare dignatus est in deserto.

9. *Sic in sancto apparui tibi, ut viderem potentiam tuam, et gloriam tuam.* Primo sitivit anima mea, et caro mea multipliciter tibi in deserto, et in terra sine via, et sine aqua; et *sic in sancto apparui tibi, ut viderem potentiam tuam, et gloriam tuam.* Nisi quis primo sitiat in isto deserto, id est malo in quo est [1], nunquam pervenit ad bonum quod est Deus. *Apparui* autem *tibi*, inquit, *in sancto.* Jam in sancto est magna consolatio. *Apparui tibi*, quid est? Ut videres me: et ideo vidisti me ut viderem te. *Apparui tibi, ut viderem.* Non dixit, Apparui tibi, ut videres; sed, *Apparui tibi, ut viderem potentiam tuam, et gloriam tuam.* Unde et Apostolus: *Nunc autem*, inquit, *cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo* (*Gal.* IV, 9). Prius enim apparuistis Deo, ut possit vobis apparere Deus. *Ut viderem potentiam tuam, et gloriam tuam.* Revera in isto deserto, id est in ista eremo, si tanquam ab eremo exigat homo quod sibi saluti est, nunquam videbit potentiam Domini, et gloriam Domini; sed remanebit siti moriturus; nec viam inveniet, nec consolationem [2], nec aquam per quam duret in eremo. Cum autem erexerit se ad Deum, ut dicat illi ex medullis omnibus, *Sitivit tibi anima mea: quam multipliciter tibi et caro mea*; ne forte vel necessaria carnis ab aliis petat et non a Deo, aut non desideret illam resurrectionem carnis quam nobis promittit Deus: cum ergo se erexerit, habebit non parvas consolationes.

10. Ecce, fratres, quomodo caro nostra quamdiu mortalis est, quamdiu fragilis est, ante illam resurrectionem habet solatia ista quibus vivimus, panem, aquam, fructus, vinum, oleum (ista omnia solatia et subsidia si nos deserant, utique durare non possumus) quamvis nondum receperit caro ista sanitatem illam perfectam, ubi nullam patietur angustiam, nullam indigentiam: sic et anima nostra cum hic est in ista carne, inter tentationes et pericula sæculi hujus, adhuc est infirma; habet etiam ipsa solatia verbi, solatia orationis, solatia disputationis: sic sunt ista animæ nostræ, quomodo illa carnis nostræ. Cum autem resurrexerit caro nostra, ut jam istis non indigeamus, habebit locum quemdam et statum incorruptionis suæ: sic et anima nostra habebit cibum suum, ipsum Verbum Dei, per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 3). Tamen gratias Deo, qui modo in hac eremo non nos deserit; sive dando nobis quod necessarium est carni, sive dando nobis quod animæ necessarium est: et quando nos aliquibus necessitatibus erudit, vult ut amplius illum diligamus; ne forte per saginam corrumpamur, et obliviscamur eum. Subtrahit nobis aliquando quæ necessaria sunt, et atterit nos; ut sciamus quia Pater et Dominus est, non solum blandiens, sed et flagellans. Præparat enim nos cuidam hæreditati incorruptibili et magnæ. Si unam cuppam, aut unam cellam tuam, aut si quid habes in domo tua, cogitas dimittere filio tuo, et ne perdat illud, erudis eum, et flagellis eum ad disciplinam corrigis, ne perdat nihil tuum, quod et ipse hic dimissurus est, sicut et tu; non vis ut nos erudiat Pater noster in flagellis etiam necessitatum aut tribulationum, qui nobis talem hæreditatem daturus est, quæ transire non possit? Hæreditatem enim nobis dabit seipsum Deus, ut ipsum possideamus, et ab ipso possideamur in æternum.

11. Ergo in sancto appareamus Deo, ut appareat nobis; appareamus illi in sancto desiderio, ut appareat nobis in potentia et gloria Filii Dei. Multis enim non apparuit; sint in sancto, ut appareat et illis. Nam multi putant illum tantummodo hominem fuisse, quia prædicatur natus ex homine, crucifixus et mortuus, ambulasse in terra, manducasse et bibisse, et cætera egisse, quæ sunt humana; et putant illum talem fuisse, quales sunt cæteri homines. Audistis autem modo cum Evangelium legeretur, quomodo commendavit majestatem suam: *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30). Ecce quanta majestas, et quanta æqualitas Patris descendit ad carnem propter infirmitatem nostram! Ecce quantum dilecti sumus, antequam Deum diligeremus! Si antequam Deum diligeremus, tantum ab illo dilecti sumus, ut æqualem sibi Filium suum hominem faceret propter nos; quid nobis servat jam diligentibus se? Ergo multi nescio quid minimum putant apparuisse in terra Filium Dei; quia non sunt in sancto, non eis apparet potentia ipsius, et gloria ipsius: id est, quia nondum sanctificatum habent cor, unde intelligant eminentiam virtutis illius, et gratias agant Deo quia propter ipsos tantus quo venit, ad quam nativitatem, ad quam passionem; non possunt videre gloriam ipsius et potentiam ipsius.

12. [*vers.* 4.] *Quoniam melior est misericordia tua super vitas.* Multæ sunt vitæ humanæ; sed Deus unam vitam promittit; et non illam dat nobis quasi propter merita nostra, sed propter misericordiam suam. Quid enim boni egimus, ut illud mereremur? aut quæ bona facta nostra præcesserunt, ut Deus nobis gratiam suam daret? Numquid invenit justitias quas coronaret, et non delicta quæ donaret? Utique delicta quæ donavit si punire vellet, non esset injustum. Quid enim tam

[1] Plerique Mss., *in isto malo in quo est*: nec habent, *deserto, id est.*
[2] Aliquot Mss., *consolatorem.*

justum, quam ut puniatur peccator? Cum justum sit ut puniatur peccator, pertinuit ad misericordiam ipsius non punire peccatorem, sed justificare, et de peccatore facere justum, et de impio facere pium. Ergo *misericordia* ipsius *melior super vitas*. Quas vitas? Quas sibi homines elegerunt. Alius elegit sibi vitam negotiandi, alius vitam rusticandi, alius vitam fenerandi, alius vitam militandi; alius illam, alius illam. Diversæ sunt vitæ, sed *melior est misericordia tua super vitas* nostras. Melius est quod das correctis, quam quod eligunt perversi. Unam vitam donas, quæ præponatur omnibus nostris, quascumque in mundo eligere potuerimus. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te.* Non te laudarent labia mea, nisi me præcederet misericordia tua. Dono tuo te laudo, per misericordiam tuam te laudo. Non enim ego possem laudare Deum, nisi mihi donaret laudare se posse. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te.*

13. [*vers.* 5.] *Sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas. Sic benedicam te in vita mea :* jam in vita mea quam mihi donasti; non in illa quam ego elegi secundum mundum cum cæteris, inter multas vitas, sed quam dedisti mihi per misericordiam tuam, ut te laudarem. *Sic benedicam te in vita mea.* Quid est, *sic?* Ut misericordiæ tuæ tribuam vitam meam in qua te laudo; non meritis meis. *Et in nomine tuo levabo manus meas.* Leva ergo manus in oratione. Levavit pro nobis Dominus noster manus in cruce, et extensæ sunt manus ejus pro nobis. Ideo extensæ sunt manus ejus in cruce, ut manus nostræ extendantur in bona opera; quia crux ipsius misericordiam nobis præbuit. Ecce levavit ille manus, et obtulit pro nobis sacrificium Deo seipsum, et per illud sacrificium deleta sunt omnia peccata nostra. Levemus et nos manus nostras ad Deum in prece; et non confundentur manus nostræ levatæ ad Deum, si exerceantur in bonis operibus. Quid enim facit qui levat manus? Unde præceptum est ut levatis manibus oremus ad Deum? Apostolus enim dicit : *Levantes puras manus, sine ira et disceptatione* (I *Tim.* II, 8). Ut cum levas manus ad Deum, veniant tibi in mentem opera tua. Quia enim manus istæ levantur ut impetres quod vis, ipsas manus cogitas in bonis operibus exercere, ne erubescant levari ad Deum. *In nomine tuo levabo manus meas.* Istæ preces nostræ sunt in hac Idumæa, in hoc deserto, in terra sine aqua, et sine via, ubi nobis Christus est via (*Joan.* XIV, 6); sed non via de hac terra. *In nomine tuo levabo manus meas.*

14. [*vers.* 6.] Et quid dicam, cum levabo manus meas in nomine tuo? quid petam? Eia, fratres, quando levatis manus, quærite quid petatis; ab Omnipotente enim petitis. Aliquid magnum petite; non qualia petunt qui nondum crediderunt. Videtis qualia dentur et impiis. Petiturus es a Deo tuo pecuniam? Numquid non donat eam et sceleratis qui in illum non credunt? Quid ergo magnum petiturus es quod donat et malis? Sed non tibi displiceat, quia quæ donat et malis tam frivola sunt, ut et malis donari digna sint : ne tibi quasi magna videantur quæ possunt donari et malis. Dei quidem sunt et omnia dona terrena; sed videte quia quæ donat et malis non pro magno habenda sunt. Est aliud quod nobis servat. Cogitemus autem quæ donat et malis, et hinc intelligamus quid servet bonis. Quæ donat malis videte : donat illis lucem istam; videte quia vident illam boni et mali : pluviam quæ descendit super terram; et hinc quanta bona nascuntur! Et malis inde præstatur, et bonis, dicente Evangelio : *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos; et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V, 45). Dona ergo ista quæ nascuntur, vel de pluvia, vel de sole, a Domino quidem nostro petere debemus, cum sint necessaria; sed non ista sola, quia ista dantur et bonis et malis. Quid ergo debemus petere, quando levamus manus? Quia quomodo potuit dixit illud Psalmus. Quid est quod dixi, quomodo potuit? Quomodo potuit os humanum auribus humanis. Quia per ora humana ista dicta sunt, et per quasdam similitudines dicta sunt, quomodo capere possent omnes infirmi, omnes parvuli. Quid dixit? quid petivit? *In nomine*, inquit, *tuo levabo manus meas.* Quid accepturus? *Tanquam adipe et pinguedine repleatur anima mea.* Putatis aliquam pinguedinem carnis desiderasse animam istam, fratres mei? Non enim hoc pro magno desideravit, ut pingues arietes, ut pingues porci illi mactarentur; aut veniret ad aliquam popinam, ubi inveniret obsonia pinguia, unde saturaretur. Si hoc crediderimus, digni sumus [1] qui ista audiamus. Ergo aliquid spirituale debemus intelligere. Habet quamdam pinguedinem anima nostra. Est quædam saturitas pinguis sapientiæ. Sapientia enim ista animæ quæ carent, marcescunt; et omnino ita exiles fiunt, ut in omnibus bonis operibus cito deficiant. Quare cito deficiunt in omnibus bonis operibus? Quia non habent pinguedinem saturitatis suæ. Audi Apostolum dicentem de pingui anima, præcipientem ut quisque bene operetur. Quid ait? *Hilarem datorem diligit Deus* (II *Cor.* IX, 7). Pinguis anima unde esset pinguis, nisi a Domino saturaretur? Et tamen quantumlibet hic sit pinguis, quid erit in illo futuro sæculo, quo nos pascet Deus? Interim in hac peregrinatione, quid erimus tunc nec dici potest. Et fortasse ipsam saturitatem optamus hic, quando levamus manus nostras, ubi pinguedine sic saturabimur, ut omnino omnis indigentia nostra intereat, et nihil desideremus : quia totum præsto nobis erit quidquid hic desideramus, quidquid hic pro magno amamus. Jam patres nostri mortui sunt; Deus autem vivit : non hic potuimus semper habere patres; ibi autem semper habebimus vivum unum Patrem, habentes patriam nostram : quæcumque terrena est [2], semper ibi esse non possumus; et necesse est ut alii nascantur, et ad hoc nascantur filii civium illorum ut excludant inde parentes suos. Ad hoc enim nascitur puer, ut dicat majori : Quid hic agis? Necesse est ut qui succedunt, et qui nascuntur, excludant eos qui se præcesserunt. Ibi omnes pariter vivemus; non ibi erit

[1] Aliquot Mss., *indigni sumus.*
[2] Sic Mss. At Er., *terrenæ sunt.* Lov., *terrena sunt.*

successor quia nullus decessor. Qualis illa patria? Sed divitias hic amas? Ipse Deus tibi erit divitiæ tuæ. Sed amas fontem bonum? Quid præclarius illa sapientia? quid lucidius? Quidquid hic potest amari, pro omnibus tibi erit qui fecit omnia. *Tanquam adipe et pinguedine repleatur anima mea; et labia exsultationis laudabunt nomen tuum.* In hac eremo, in nomine tuo levabo manus meas : *impleatur anima mea tanquam adipe et pinguedine; et labia exsultationis laudabunt nomen tuum.* Modo enim oratio, quamdiu sitis; cum sitis transierit, transit oratio, et succedit laudatio : *Et labia exsultationis laudabunt nomen tuum.*

15. [*vers.* 7, 8.] *Si memoratus sum tui super stratum meum, in diluculis meditabar* [1] *in te; quia factus es adjutor meus.* Stratum suum quietem suam dicit. Quando aliquis quietus est, memor sit Dei; quando aliquis quietus est, non per quietem dissolvatur et obliviscatur Deum; si memor est Dei quando quietus est, in actionibus suis in Deum meditatur. Diluculum enim dixit actiones, quia omnis homo diluculo incipit aliquid agere. Quid ergo dixit? *Si memor fui tui in strato meo, et in diluculis meditabar in te.* Si ergo non fui memor in strato meo, et in diluculo non meditabar in te. Qui quando otiosus est non cogitat Deum, in actionibus suis cogitare potest Deum? Qui autem memor ejus est quando quietus est, in ipso meditatur cum agit, ne in actione deficiat. Ideo quid adjecit? *Et in diluculis meditabar in te; quia factus es adjutor meus.* Etenim nisi Deus adjuvet bona opera nostra, impleri a nobis non possunt. Et digna debemus operari; id est tanquam in luce, quando Christo demonstrante operamur. Quicumque operatur mala, in nocte operatur, non in diluculo, Apostolo dicente : *Qui inebriantur, nocte inebriantur; et qui dormiunt, nocte dormiunt : nos qui diei sumus, sobrii simus.* Hortatur nos ut secundum diem ambulemus honeste : *Sicut in die*, inquit, *honeste ambulemus* (*Rom.* XIII, 13). Et iterum : *Vos*, inquit, *filii lucis estis, et filii diei; non sumus noctis neque tenebrarum* (I *Thess.* V, 5-8). Qui sunt filii noctis, et filii tenebrarum? Qui omnia mala operantur. Usque adeo filii noctis sunt, ut timeant videri quæ operantur : et quæ publice operantur mala, ideo publice operantur, quia multi illa operantur; quæ pauci operantur, in abscondito operantur. Qui autem talia publice operantur, sunt quidem in luce solis, sed in tenebris cordis. Nemo ergo in diluculo operatur, nisi qui in Christo operatur. Sed qui otiosus memor est Christi, in ipso meditatur in omnibus actionibus suis; et est illi adjutor in bono opere, ne per infirmitatem suam deficiat. *Si memoratus sum tui super stratum meum, in diluculis meditabar in te; quia factus es adjutor meus.*

16. *Et in velamento pennarum tuarum exsultabo.* Hilaresco in bonis operibus, quia super me est velamen pennarum tuarum. Si me non protegas quia pullus sum, milvus me rapiet. Dicit enim quodam loco ipse Dominus noster ad Jerusalem, quamdam civitatem illam, ubi crucifixus est : *Jerusalem*, inquit, *Jerusalem, quoties volui filios tuos congregare, tanquam gallina pullos suos, et noluisti* (*Matth.* XXIII, 37)! Parvuli sumus : ergo protegat nos Deus sub umbraculo alarum suarum. Quid cum majores facti fuerimus? Bonum est nobis ut et tunc protegat nos, ut sub illo majore semper nos pulli simus. Semper enim ille major est, quantumcumque creverimus. Nemo dicat, Protegat me, cum parvulus sum : quasi aliquando ad tantam magnitudinem possit pervenire, quæ sibi sufficiat. Sine protectione Dei nihil es. Semper ab illo protegi velimus : tunc semper in illo magni esse poterimus, si semper sub illo parvuli simus. *Et in velamento pennarum tuarum exsultabo.*

17. [*vers.* 9.] *Agglutinata est anima mea post te.* Videte desiderantem, videte sitientem, videte quomodo hæret Deo. Nascatur in vobis iste affectus. Si jam germinat, compluatur, et crescat : perveniat ad tale robur ut et vos dicatis ex toto corde, *Agglutinata est anima mea post te.* Ubi est ipsum gluten? Ipsum gluten charitas est. Charitatem habe, quo glutine agglutinetur anima tua post Deum. Non cum Deo, sed post Deum; ut ille præcedat, tu sequaris. Qui enim voluerit Deum antecedere, consilio suo vult vivere, et non vult sequi præcepta Dei. Propterea et Petrus repulsus est, quando voluit consilium dare Christo passuro pro nobis. Adhuc enim infirmus erat Petrus, et quanta utilitas esset generis humani in sanguine Christi non noverat : Dominus autem qui venerat redimere nos, et dare pretium pro nobis sanguinem suum, cœpit prædicare passionem suam. Expavit Petrus quasi moriturum Dominum, quem volebat hic semper vivere quomodo illum videbat, quia carnalibus oculis deditus, carnali affectu circa Dominum tenebatur; et ait illi : *Absit a te, Domine; propitius esto tibi.* Et Dominus : *Redi post me, satanas; non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum* (*Matth.* XVI, 22, 23). Quare, *quæ sunt hominum?* Quia antecedere me vis, *redi post me*, ut sequaris me : ut jam sequens Christum diceret, *Agglutinata est anima mea post te.* Merito annectit : *Me suscepit dextera tua. Agglutinata est post te anima mea; me suscepit dextera tua.* Dixit hoc Christus in nobis : id est, in homine quem gestabat pro nobis, quem offerebat pro nobis, dixit hoc. Dicit hoc et Ecclesia in Christo, dicit in capite suo; quia et ipsa passa est hic persecutiones magnas, et singillatim etiam modo patitur. Quis enim pertinens ad Christum, non variis tentationibus agitatur, et quotidie agit cum illo diabolus et angeli ejus, ut pervertatur qualibet cupiditate, qualibet suggestione, aut promissione lucri, vel terrore damni, vel promissione vitæ, vel terrore mortis, aut alicujus potentis inimicitiis, aut alicujus potentis amicitiis? Omnibus modis instat diabolus, quemadmodum dejiciat; et in persecutionibus vivimus, et habemus perpetuos inimicos, diabolum et angelos ejus : sed non timeamus. Sic sunt diabolus et angeli ejus, quasi milvi : sub illius gallinæ alis sumus, et non nos potest contingere; gallina enim quæ nos protegit, fortis est. Infirma est propter nos; sed fortis est in se Dominus noster Je-

[1] Aliquot MSS., *meditabor.*

sus Christus, ipsa sapientia Dei. Ergo dicit hoc et Ecclesia : *Agglutinata est anima mea post te; me suscepit dextera tua.*

18. [*vers.* 10.] *Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam.* Quid mihi fecerunt qui quæsierunt animam meam perdere? Utinam quærerent animam meam, ut crederent mecum! Sed quæsierunt animam meam ut perderent me. Quid facturi? Non enim rapturi erant gluten, quo adhæsit anima mea post te. *Quis enim nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an gladius* (*Rom.* VIII, 35)? *Dextera tua suscepit me.* Ergo propter illud gluten et propter potentissimam dexteram tuam, *in vanum quæsierunt animam meam.* Quotquot persecuti sunt, vel persequi cupiunt Ecclesiam, potest de his hoc intelligi : maxime hoc tamen accipiamus de Judæis, qui quæsierunt animam Christi perdere, et in ipso capite nostro quod crucifixerunt, et in discipulis ejus quos postea persecuti sunt. *Quæsierunt animam meam. Introibunt in inferiora terræ.* Terram perdere noluerunt, ut crucifigerent Christum : in inferiora terræ ierunt. Quæ sunt *inferiora terræ?* Terrenæ cupiditates. Melius est carne ambulare super terram, quam cupiditate ire sub terram. Omnis enim qui contra salutem suam cupit terrena, sub terra est : quia terram sibi præposuit, terram super se posuit, et se subter fecit. Illi ergo timentes terram perdere, quid dixerunt de Domino Jesu Christo, cum viderent multas turbas ire post illum, quia mirabilia faciebat? *Si illum dimiserimus vivum, venient Romani, et tollent nobis et locum, et gentem* (*Joan.* XI, 48). Timuerunt perdere terram, et ierunt sub terram : accidit eis et quod timuerunt. Nam ideo voluerunt Christum occidere, ne terram perderent; et ideo terram perdiderunt, quia Christum occiderunt. Occiso enim Christo, quia dixerat illis ipse Dominus, *Auferetur a vobis regnum, et tradetur genti facienti justitiam* (*Matth.* XXI, 43), secutæ sunt illos magnæ calamitates persecutionum. Vicerunt illos imperatores Romani, et reges gentium : exclusi sunt de ipso loco ubi crucifixerunt Christum; et modo locus ille plenus est laudatoribus christianis, nullum Judæum habet; caruit inimicis Christi, impletus est laudatoribus Christi. Ecce perdiderunt a Romanis locum, quia Christum occiderunt, qui propterea occiderunt ne locum a Romanis perderent. Ergo, *introibunt in ima terræ.*

19. [*vers.* 11.] *Tradentur in manus gladii.* Revera sic illis visibiliter contigit; expugnati sunt irruentibus hostibus. *Partes vulpium erunt.* Vulpes dicit reges sæculi, qui tunc fuerunt quando debellata est Judæa. Audite, ut noveritis et intelligatis quia ipsos dicit vulpes. Herodem regem ipse Dominus vulpem appellavit : *Ite*, inquit, *et dicite vulpi illi* (*Luc.* XIII, 32). Videte, et attendite, fratres mei : Christum regem habere noluerunt, et partes vulpium facti sunt[1]. Quando enim Pilatus præses, in Judæa legatus, occidit Christum ex vocibus Judæorum, dixit ipsis Judæis : *Regem vestrum crucifigam?* Quia dicebatur rex Judæorum, et verus rex ipse. Et illi repellentes Christum, dixerunt : *Nos non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15). Rejecerunt agnum; elegerunt vulpem; merito partes vulpium facti sunt.

20. [*vers.* 12.] *Rex vero :* ideo ita positum est quia illi vulpem elegerunt, regem vero noluerunt. *Rex vero :* id est verus rex, cui titulus inscriptus est, quando passus est. Nam Pilatus hunc titulum super caput ejus inscriptum posuit, *Rex Judæorum*, hebræa lingua, græca, et latina : ut omnes qui transirent legerent gloriam regis, et ignominiam ipsorum Judæorum, qui rejicientes verum regem, elegerunt vulpem Cæsarem. *Rex vero lætabitur in Deo.* Illi facti sunt partes vulpium : *Rex vero lætabitur in Deo.* Quem sibi visi sunt quasi superasse cum crucifigerent, tunc crucifixus fudit pretium quo emit orbem terrarum. *Rex vero lætabitur in Deo : laudabitur omnis qui jurat in ipso.* Quare, *laudabitur omnis qui jurat in ipso?* Quia sibi elegit Christum, non vulpem; quia quando illi Judæi insultaverunt, tunc dedit ille unde redimeremur. Ad ipsum ergo pertinemus qui nos redemit, qui pro nobis mundum vicit, non armato milite, sed irrisa cruce. *Rex vero lætabitur in Deo : laudabitur omnis qui jurat in ipso.* Quis jurat in eo? Qui pollicetur ei vitam suam, qui vovet illi et reddit, qui fit christianus : hoc est quod ait, *Laudabitur omnis qui jurat in ipso. Quoniam oppilatum est os loquentium iniqua.* Quanta iniqua locuti sunt Judæi? Quanta mala dixerunt, non solum Judæi, sed et omnes qui propter idola Christianos persecuti sunt? Quando sæviebant in Christianos, putabant quod possent finire Christianos : cum putabant quod possent finire, Christiani creverunt, et ipsi finiti sunt. *Oppilatum est os loquentium iniqua.* Nemo audet modo publice loqui contra Christum : jam omnes timent Christum : *Quoniam oppilatum est os loquentium iniqua.* Quando in infirmitate Agnus erat, etiam vulpes audebant contra Agnum. Vicit Leo de tribu Juda (*Apoc.* V, 5), et siluerunt vulpes : *Quoniam oppilatum est eos loquentium iniqua.*

IN PSALMUM LXIII

ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. Passionis sanctorum martyrum diem hodie festum habentes, in eorum recordatione gaudeamus, recolentes quid patiebantur, et intelligentes quid intuebantur. Nunquam enim tantas tribulationes carne tolerarent, nisi magnam quietem mente conciperent. Hunc itaque psalmum pro ipsa solemnitate curramus. Hesterno enim die multa audivit Charitas vestra, nec hodie tamen huic festivitati negare potuimus nostram servitutem. Itaque quoniam maxime Domini passio commendatur in hoc psalmo, nec potuerunt esse fortes martyres, nisi intuerentur eum qui primus passus est; nec talia sustinerent in passione, qualia ille, nisi talia sperarent in resurrectione, qualia ipse

[1] Hoc loco omnes Mss. *secuti sunt.*

de se demonstravit : novit autem Sanctitas Vestra caput nostrum esse Dominum nostrum Jesum Christum, omnesque illi cohærentes membra esse illius capitis; ejusque vocem jam habetis notissimam, quoniam non ex solo capite, sed etiam ex corpore loquitur; vocesque ejus non tantum ipsum Dominum Jesum Christum, qui jam ascendit in cœlum, vel significant vel prædicant, sed etiam ejus membra caput proprium secutura : agnoscamus hic non solum illius vocem, sed et nostram. Et nemo dicat quod hodie in tribulatione passionum non sumus. Semper [1] enim audistis hoc, quia illis temporibus Ecclesia quasi tota simul impellebatur, nunc autem per singulos tentatur. Alligatus est quidem diabolus, ne faciat quantum potest, ne faciat quantum vult; tamen tantum tentare sinitur, quantum expedit proficientibus. Non nobis expedit esse sine tentationibus : nec rogemus Deum ut non tentemur, sed ut non inducamur in tentationem.

2. [*vers.* 2.] Dicamus ergo et nos : *Exaudi, Deus, orationem meam, dum tribulor* [2] : *a timore inimici erue animam meam.* Sævierunt inimici in martyres; quid orabat ista vox corporis Christi? Hoc orabat, ut eruerentur ab inimicis, et non eos possent occidere inimici. Ergo exauditi non sunt, quia occisi sunt; et deseruit Deus contritos corde servos suos, et sperantes in se despexit? Absit. *Quis enim invocavit Dominum, et derelictus est? quis speravit in eum, et desertus est ab eo* (*Eccli.* II, 11, 12)? Exaudiebantur ergo, et occidebantur; et tamen ab inimicis eruebantur. Alii timentes consentiebant, et vivebant; et tamen ipsi ab inimicis absorbebantur. Occisi eruebantur, viventes absorbebantur. Inde est et illa vox gratulationis : *Forsitan vivos absorbuissent nos* (*Psal.* CXXIII, 3). Multi absorpti, et vivi absorpti; multi mortui absorpti. Qui putaverunt inanem esse fidem christianam, mortui absorpti sunt : qui autem scientes veritatem esse prædicationem Evangelii, Christum esse Filium Dei scientes, et hoc credentes, et hoc intus tenentes, cesserunt tamen doloribus, et idolis sacrificaverunt, vivi absorpti sunt. Illi absorpti sunt, quia mortui; illi autem quia absorpti, mortui. Non enim absorpti vivere potuerunt, quamvis vivi absorberentur. Ergo hoc orat vox martyrum, *A timore inimici erue animam meam* : non ut me non occidat inimicus, sed ut non timeam occidentem inimicum. Hoc orat in Psalmo impleri servus, quod modo jubebat in Evangelio Dominus. Quid modo jubebat Dominus? *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere; sed eum potius timete qui habet potestatem, et animam, et corpus occidere in gehenna ignis* (*Matth.* X, 28). Et repetivit : *Ita dico vobis; eum timete* (*Luc.* XII, 5). Qui sunt qui corpus occidunt? Inimici. Quid jubebat Dominus? Ne timerentur. Oretur ergo ut præstet quod jubet. *A timore inimici erue animam meam.* Erue me a timore inimici, et subde timori tuo. Non timeam eum qui corpus occidit; sed timeam eum qui habet potestatem et corpus et animam occidere in gehenna ignis. Non enim a timore volo esse immunis; sed a timore inimici liber, sub timore Domini servus.

3. [*vers.* 3.] *Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.* Jam ipsum caput nostrum intueamur. Multi martyres talia passi sunt : sed nihil sic elucet quomodo caput martyrum; ibi melius intuemur quod illi experti sunt. Protectus est a multitudine malignantium, protegente se Deo, protegente carnem suam ipso Filio et homine quem gerebat : quia Filius hominis est, et Filius Dei est; Filius Dei propter formam Dei, Filius hominis propter formam servi (*Philipp.* II, 6 *et* 7) : habens in potestate ponere animam suam, et recipere eam (*Joan.* X, 18). Quid ei potuerunt facere inimici? Occiderunt corpus; animam non occiderunt. Intendite. Parum ergo erat Domino hortari martyres verbo, nisi firmaret exemplo. Nostis qui conventus erat malignantium Judæorum, et quæ multitudo erat operantium iniquitatem. Quam iniquitatem? Qua voluerunt occidere Dominum Jesum Christum. *Tanta opera bona*, inquit, *ostendi vobis : propter quod horum me vultis occidere* (*Ibid.*, 32)? Pertulit omnes infirmos eorum, curavit omnes languidos eorum, prædicavit regnum cœlorum, non tacuit vitia eorum, ut ipsa potius eis displicerent, non medicus a quo sanabantur : his omnibus curationibus ejus ingrati, tanquam multa febri phrenetici, insanientes in medicum qui venerat curare eos, excogitaverunt consilium perdendi eum; tanquam ibi volentes probare utrum vere homo sit qui mori possit, an aliquid super homines sit, et mori se non permittat. Verbum ipsorum agnoscimus in Sapientia Salomonis : *Morte turpissima*, inquiunt, *condemnemus eum. Interrogemus eum; erit enim respectus in sermonibus illius : si enim vere Filius Dei est, liberet eum* (*Sap* II, 18-20). Videamus ergo quid factum sit.

4. [*vers.* 4, 5.] *Quia exacuerunt tanquam gladium linguas suas. Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI, 5), quod dicit et alius psalmus : sic et hic, *Exacuerunt tanquam gladium linguas suas.* Non dicant Judæi : Non occidimus Christum. Etenim propterea eum dederunt judici Pilato, ut quasi ipsi a morte ejus viderentur immunes. Nam cum dixisset eis Pilatus, *Vos eum occidite*, responderunt : *Nobis non licet occidere quemquam* (*Joan.* XVIII, 31). Iniquitatem facinoris sui in judicem hominem refundere volebant : sed numquid Deum judicem fallebant? Quod fecit Pilatus, in eo ipso quod fecit, aliquantum particeps fuit; sed in comparatione illorum multo ipse innocentior. Institit enim quantum potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret. Nam propterea flagellatum produxit ad eos. Non persequendo Dominum flagellavit, sed eorum furori satisfacere volens, ut vel sic jam mitescerent, et desinerent velle occidere, cum flagellatum viderent (*Id.* XIX, 1-5) : fecit et hoc. At ubi perseveraverunt, nostis illum lavisse manus, et dixisse quod ipse non fecisset, mundum se esse a morte illius (*Matth.* XXVII, 24) : fecit tamen. Sed si reus quia fecit vel invitus;

[1] Sic Mss. At Edd., *supra*.
[2] Edd., *cum deprecor*. At omnes Mss., *dum tribulor* : et sic legebat Hilarius.

illi innocentes qui coegerunt ut faceret? Nullo modo. Sed ille dixit in eum sententiam, et jussit eum crucifigi, et quasi ipse occidit; et vos, o Judæi, occidistis. Unde occidistis? Gladio linguæ : acuistis enim linguas vestras. Et quando percussistis, nisi quando clamastis, *Crucifige, crucifige* (*Luc.* XXIII, 21)?

5. Propterea enim non est prætermittendum, quia venit in mentem, ne forte aliquem perturbet lectio divinorum Librorum : quidam evangelista dicit hora sexta crucifixum Dominum (*Joan.* XIX, 14), et quidam hora tertia (*Marc.* XV, 25) : nisi intelligamus, perturbamur. Et jam incipiente sexta hora dicitur Pilatus sedisse pro tribunali; et revera quando levatus est Dominus in ligno, hora sexta erat. Sed alius evangelista intuens animum Judæorum, quia volebant se immunes videri a morte Domini, narrando eos ostendit reos, dicens Dominum hora tertia crucifixum. Considerantes autem omnem circumstantiam lectionis, quanta agi potuerint, cum apud Pilatum Dominus accusaretur, ut crucifigeretur; invenimus horam tertiam esse potuisse, quando illi clamaverunt, *Crucifige, crucifige*. Ergo verius illi tunc occiderunt, quando clamaverunt. Apparitores potestatis hora sexta crucifixerunt; prævaricatores Legis hora tertia clamaverunt : quod illi manibus hora sexta, hoc illi lingua hora tertia. Rei magis isti qui clamando sæviebant, quam illi qui obtemperando administrabant. Ipsum est totum acumen Judæorum; hoc est quod pro magno quæsierunt : Occidamus, et non occidamus; sic occidamus, ut non ipsi occidisse judicemur. *Exacuerunt tanquam gladium linguas suas.*

6. *Intenderunt arcum, rem amaram.* Arcum dicit insidias. Qui enim gladio cominus pugnat, aperte pugnat : qui sagittam mittit, fallit ut feriat. Prius enim sagitta percutit, quam venire ad vulnus prævideatur. Sed quem laterent insidiæ cordis humani? numquid et Dominum nostrum Jesum Christum, *qui non opus habebat ut ei testimonium quisquam perhiberet de homine? Ipse enim sciebat quid esset in homine*, sicut evangelista testatur (*Joan.* II, 25). Tamen audiamus eos, et intueamur eos quasi nesciente Domino facere quod moliuntur. *Intenderunt arcum, rem amaram, ut sagittarent in abscondito immaculatum.* Quod dixit, *Intenderunt arcum;* hoc est, *in abscondito;* quasi fallentes insidiis. Nostis enim quibus dolis id egerint; quemadmodum discipulum ei cohærentem pecunia corruperint, ut sibi traderetur (*Matth.* XXVI, 14, 15); quomodo falsos testes procuraverint; quibus insidiis et dolis egerint, *ut sagittarent in abscondito immaculatum.* Magna iniquitas! Ecce de abscondito venit sagitta quæ immaculatum ferit, qui nec tantum habebat maculæ, quantum potest pungi a sagitta. Agnus quippe immaculatus, totus immaculatus, semper immaculatus; non cui maculæ ablatæ sint, sed qui maculas nullas contraxerit. Nam fecit multos immaculatos donando peccata; ipse immaculatus non habendo peccata. *Ut sagittent in abscondito immaculatum.*

7. [*vers.* 6.] *Repente sagittabunt eum, et non timebunt.* O cor durum, occidere velle hominem qui mortuos suscitabat! *Repente*, id est insidiose, quasi inopinate, quasi non prævise. Similis enim nescienti erat inter ipsos Dominus ignorantes quid nesciret, et quid sciret; imo ignorantes eum nihil nescire, et omnia scire, et ad hoc venisse ut illi facerent quod se potestate facere arbitrabantur. *Repente sagittabunt eum, et non timebunt.*

8. *Obfirmaverunt sibi sermonem malignum. Obfirmaverunt :* facta sunt tanta miracula; non sunt moti, perstiterunt in consilio sermonis maligni. Traditus est ille judici : trepidat judex, et non trepidant qui judici tradiderunt; contremiscit potestas, et non contremiscit immanitas; vult ille lavare manus, et illi inquinant linguas. Sed quare hoc? *Firmaverunt sibi sermonem malignum.* Quanta egit Pilatus? quanta ut refrenarentur? quæ dixit? quid egit? Sed *firmaverunt sibi sermonem malignum : Crucifige, crucifige!* Repetitio, confirmatio est sermonis maligni. Videamus quomodo *firmaverunt sibi sermonem malignum. Regem vestrum crucifigam? Dixerunt : Non habemus regem nisi solum Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15). *Obfirmaverunt sermonem malignum.* Offerebat ille regem Filium Dei; illi ad hominem recurrebant : digni qui illum haberent, et illum non haberent. Adhuc audi quomodo *firmaverunt sermonem malignum. Non invenio aliquid in isto homine*, ait judex, *quo dignus sit morte* (*Luc.* XXIII, 14, 22). Et illi qui *firmaverunt sermonem malignum*, dixerunt : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25)! *Firmaverunt sibi sermonem malignum. Firmaverunt sermonem malignum*, non Domino, sed *sibi*. Quomodo enim non sibi, cum dicunt : *Super nos, et super filios nostros?* Quod ergo firmaverunt, sibi firmaverunt : quia ipsa vox est alibi, *Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam.* Dominum mors non occidit, sed ipse mortem : illos autem iniquitas occidit, quia noluerunt occidere iniquitatem.

9. Prorsus, fratres, certum est; aut occidis iniquitatem, aut occideris ab iniquitate. Noli autem quærere occidere iniquitatem tanquam aliquid extra te. Ad teipsum respice, vide quid tecum pugnet in te; et cave ne expugnet te iniquitas tua, inimica tua, si interfecta non erit : ex te enim est, et anima tua adversus te rebellat, non aliud aliquid. Ex quadam parte cohæres Deo; ex quadam parte delectaris sæculo : illud quo delectaris sæculo, pugnat adversus mentem quæ cohæret Deo. Cohæreat, cohæreat, non deficiat, non se dimittat, magnum adjutorium habet. Vincit quod in illa sibi rebellat, si perseverat in pugnando. Est peccatum in corpore tuo, sed non regnet. *Non ergo regnet*, inquit, *peccatum in vestro mortali corpore, ad obaudiendum desideriis ejus* (*Rom.* VI, 12). Si vero non obaudieris; etsi est quod suadeat, quod delectet ad malum; non obtemperando facis ut non regnet quod est, et ita fiet postea ut non sit quod erat. Quando? Cum absorbebitur mors in victoriam, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem (I *Cor.* XV, 54) : ibi non erit quod tibi repugnet, non erit

quod te aliud delectet nisi Deus. Ergo et isti Judæi inviderunt Domino; delectabat eos principatus. Quidam videbant sibi ab eo auferri principatum, et ex delectatione sua rebellaverunt adversus Dominum: qui si rebellassent adversus delectationem suam malam, ipsam invidentiam vincerent, nec vincerentur ab ea, et esset illis Dominus salvator, qui venerat ut sanaret. Nunc autem faverunt febri, repugnaverunt medico: quidquid suggerebat febris, faciebant; quidquid jubebat contra medicus, negligebant. Ergo illi magis occisi sunt, non Dominus: nam in Domino mors occisa est, in illis iniquitas vixit; vivente autem in se iniquitate, illi mortui sunt.

10. *Narraverunt ut absconderent muscipulas; dixerunt: Quis videbit eas?* Latere putabant eum quem occidebant, latere Deum. Ecce puta, homo erat Christus, sicut cæteri homines; nesciebat quid de illo cogitaretur: numquid et Deus nescit? O cor humanum, quare tibi dixisti, Quis videt me, cum ille videat qui te fecit? *Dixerunt: Quis videbit eas?* Videbat Deus, videbat et Christus; quia et Christus Deus. Sed quare videbatur eis non videre? Audi sequentia.

11. [*vers.* 7.] *Perscrutati sunt iniquitatem; defecerunt scrutantes scrutationes:* id est acerba et acuta consilia. Non tradatur per nos, sed per discipulum suum: non occidatur a nobis, sed a judice: totum nos faciamus, et nihil fecisse videamur. Et ubi est clamor linguæ: *Crucifige, crucifige?* Sic cæci estis, ut et surdi sitis. Simulata innocentia non est innocentia: simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas; quia et iniquitas est, et simulatio. Ibi ergo isti *defecerunt scrutantes scrutationes.* Quanto acutius sibi excogitare videbantur, tanto magis deficiebant; quia a lumine veritatis et æquitatis in profunda consiliorum malignorum demergebantur. Habet justitia quamdam lucem suam; perfundit, et illustrat animam inhærentem sibi: anima vero avertens se a luce justitiæ, quanto magis quærit quod inveniat contra justitiam, tanto plus a luce repellitur, et in tenebrosa demergitur. Merito ergo et isti perscrutantes quod contra justum moliebantur, a justitia recedebant; et quanto a justitia recedebant, tanto plus deficiebant, scrutantes scrutationes. Magnum consilium innocentiæ: quando ipsum Judam pœnituit quod tradidisset Christum, et projecit illis pecuniam quam dederant, illi noluerunt eam mittere in gazophylacium, et dixerunt: *Pecunia sanguinis est; non illam mittamus in gazophylacium* (*Matth.* XXVII, 6). Quid est *gazophylacium?* Arca Dei, ubi colligebantur ea quæ ad indigentiam servorum Dei mittebantur. O homo, cor tuum sit potius arca Dei, ubi habitent divitiæ Dei, ubi sit nummus Dei, mens tua habens imaginem Imperatoris tui! Cum ergo hæc ita sint, qualis illa innocentiæ simulatio fuit, pecuniam sanguinis non mittere in arcam, et ipsum sanguinem mittere in conscientiam?

12. Sed quid eis contigit? *Defecerunt scrutantes scrutationes.* Unde? Quia dicit, *Quis videbit eos?* id est, quia eos nemo videbat. Hoc dicebant, hoc apud se opinabantur quod nemo eos videret. Vide quid contingat animæ malæ; recedit a luce veritatis, et quia ipsa non videt Deum, putat se non videri a Deo. Sic et isti recedendo ierunt in tenebras, ut ipsi non viderent Deum; et dixerunt: Quis nos videt? Videbat et ille quem crucifigebant; illi deficiendo, nec illum Filium, nec Patrem videbant. Si ergo et ille videbat, quare se patiebatur teneri ab eis, occidi ab eis? Quare si videbat, voluit consilia eorum prævalere in se? Quare! Quia homo erat propter hominem, et Deus latens in homine, qui venerat nescientibus exemplum fortitudinis dare; ideo ipse sciens omnia sustinebat.

13. [*vers.* 8.] Quid enim sequitur? *Accedet homo, et*[1] *cor altum; et exaltabitur Deus.* Illi dixerunt: Quis nos videbit? *Defecerunt scrutantes scrutationes,* consilia mala. Accessit homo ad ipsa consilia, passus est se teneri ut homo. Non enim teneretur, nisi homo; aut videretur, nisi homo; aut cæderetur, nisi homo; aut crucifigeretur aut moreretur nisi homo. Accessit ergo homo ad illas omnes passiones, quæ in illo nihil valerent, nisi esset homo. Sed si ille non esset homo, non liberaretur homo. Accessit *homo, et cor altum,* id est cor secretum: objiciens aspectibus humanis hominem, servans intus Deum; celans formam Dei, in qua æqualis est Patri, et offerens formam servi, qua minor est Patre. Ipse enim dixit utrumque: sed aliud est ex forma Dei, aliud ex forma servi. Dixit ex forma Dei: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Dixit ex forma servi, *Quoniam Pater major me est* (*Id.* XIV, 28). Unde ex forma Dei, *Ego et Pater unum sumus?* Quia *cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Unde ex forma servi, *Quoniam Pater major me est?* Quia *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 6, 7). Accessit ergo homo, et cor altum; et exaltatus est Deus. Occiditur homo, et exaltatur Deus. Quod enim occisus est, ex infirmitate humana fuit: quod resurrexit et ascendit, ex potestate divina (*II Cor.* XIII, 4). *Accedet homo, et cor altum,* cor secretum, cor abditum; non ostendens quid nosset, non ostendens quid esset. Illi putantes hoc totum esse quod videbatur, occidunt hominem in corde alto, et exaltatur Deus in corde divino; potentia enim majestatis suæ exaltatus est. Et quo ivit exaltatus? Unde non recessit humiliatus.

14. *Accedet homo, et cor altum; et exaltabitur Deus.* Propterea jam attendite, fratres mei, cor altum hominis. Cujus hominis? *Mater Sion, dicet homo; et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI, 5). In ipsa civitate factus est homo, quam idem ipse fundavit Altissimus, qui in ea factus est homo. Ergo accessit *homo, et cor altum.* Intuere hominem in corde alto: vide quantum potes, si potes, et Deum in corde alto. Accessit homo: et quia Deus erat, et quia passurus erat volens, et quia exemplum præbiturus infirmis, et quia nihil ei facturi

[1] Sic plerique et potiores Mss. juxta LXX. At Edd., *ad cor altum.*

erant qui sæviebant, tanquam passuro Deo, sed in homine, sed in carne; quid sequitur? *Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum* (a). Ubi est illa sævitia? ubi est ille fremitus leonis, populi rugientis et dicentis, *Crucifige, crucifige?* ubi sunt insidiæ arcum tendentium? Nonne *sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum?* Nostis quemadmodum sibi faciunt de cannitiis sagittas infantes. Quid feriunt, aut unde feriunt? quæ manus, aut quod telum? quæ arma, aut quæ membra? *Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum.*

15. [*vers.* 9.] *Et infirmatæ sunt super eos linguæ eorum.* Acuant nunc linguas suas tanquam gladium, firment sibi sermonem malignum. Merito sibi eum firmaverunt; quia *infirmatæ sunt super eos linguæ eorum.* Numquid poterat esse hoc firmum adversus Deum? *Mentita est*, inquit, *iniquitas sibi* (*Psal.* XXVI, 12): *Infirmatæ sunt super eos linguæ eorum.* Ecce resurrexit Dominus qui occisus erat. Transibant ante crucem, vel stabant, et intuebantur illum, sicut tanto ante psalmus prædixerat: *Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et aspexerunt me* (*Psal.* XXI, 17, 18). Tunc caput agitabant dicentes: *Si Filius Dei est, descendat de cruce.* Tentaverunt quodammodo utrum Filius Dei esset, et quasi invenerunt quod non esset, quia insultantibus illis, de cruce non descendebat: si descenderet de cruce, Filius Dei esset (*Matth.* XXVII, 40-43). Quid tibi videtur qui de cruce non descendit, et de sepulcro surrexit? Quid ergo profecerunt? Quod etsi Dominus non resurrexisset, quid profecissent, nisi quod profecerunt et persecutores martyrum? Nam et martyres nondum surrexerunt, et tamen illi non profecerunt: nondum resurgentium jam natalitia celebramus. Ubi est furor sævientium? *Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum, et infirmatæ sunt super eos linguæ eorum.* Quo perduxerunt illas scrutationes suas, quas perscrutantes defecerunt, ut etiam mortuo Domino et sepulto, custodes ponerent ad sepulcrum? Dixerunt enim Pilato, *Seductor ille;* hoc appellabatur nomine Dominus Jesus Christus, ad solatium servorum suorum quando dicuntur seductores: ergo illi Pilato, *Seductor ille*, inquiunt, *dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube itaque custodiri sepulcrum usque in diem tertium; ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi, Surrexit a mortuis; et erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam; ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus* (*Ibid.*, 63-66). Posuerunt custodes milites ad sepulcrum. Concussa terra Dominus resurrexit: miracula facta sunt talia circa sepulcrum, ut et ipsi milites qui custodes advenerant, testes fierent, si vellent vera nuntiare; sed avaritia illa quæ captivavit discipulum comitem Christi, captivavit et militem custodem sepulcri. *Damus*, inquiunt, *vobis pecuniam; et dicite quia vobis dormientibus venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum* (*Id.* XXVIII, 12, 13). Vere *defecerunt scrutantes scrutationes.* Quid est, quod dixisti, o infelix astutia? Tantumne deseris lucem consilii pietatis, et in profunda versutiæ [1] demergeris, ut hoc dicas: Dicite quia vobis dormientibus venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum? Dormientes testes adhibes: vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti. Si dormiebant, quid videre potuerunt? si nihil viderunt, quomodo testes sunt? Sed *defecerunt scrutantes scrutationes:* defecerunt a luce Dei, defecerunt in ipso effectu consiliorum suorum: quando quod voluerunt, nihil perficere potuerunt, utique defecerunt: Quare hoc? Quia accessit homo, et cor altum; et exaltatus est Deus. Propterea postea cum innotuisset Christi resurrectio, et veniens Spiritus sanctus impleret fiducia timentes quosdam discipulos, ut auderent jam mortem non timentes prædicare quod viderant, exaltato Deo in majestate sua, qui propter nostram infirmitatem humilis judicatus est; et ubi cœperunt tubæ cœlestes personare judicem venturum, quem primo viderant judicatum, *Conturbati sunt omnes qui videbant eos.* Exaltato Deo, ut dixi, prædicato Christo, visi sunt Judæi a quibusdam Judæis, visi sunt deficientes in scrutationibus suis. Videbant enim illi in nomine crucifixi, et occisi manibus suis, fieri tanta miracula: recesserunt corde ab eis qui permanserunt in impietate; displicuit eis illorum duritia; quæsierunt consilium salutis suæ, et dixerunt Apostolis: *Quid faciemus? Conturbati* ergo *sunt omnes qui videbant eos* (*Act.* II, 1-37): id est, qui intelligebant quod linguæ eorum infirmatæ sunt super eos, qui intelligebant quia in omnibus suis malis perscrutationibus consiliorum ubique defecerunt. Conturbati sunt isti.

16. [*vers.* 10.] *Et timuit omnis homo.* Qui non timuerunt, nec homines fuerunt. *Timuit omnis homo:* id est omnis utens ratione ad intelligenda quæ facta erant. Unde illi qui non timuerunt, pecora potius nominandi sunt, bestiæ potius immanes et truces. Leo rapiens et rugiens, ille adhuc populus. At vero omnis homo timuit: id est, qui credere voluerunt, qui judicium venturum contremuerunt. *Et timuit omnis homo: et annuntiaverunt opera Dei.* Ille qui dicebat, *A timore inimici erue animam meam*, *timuit omnis homo.* A timore inimici eruebatur, sed timori Dei subdebatur. Non timebat eos, qui corpus occidunt, sed eum qui potestatem habet, et corpus et animam mittere in gehennam (*Matth.* X, 28). Prædicaverunt Dominum: nam primo Petrus timuit, et inimicum timuit; nondum erat anima ejus eruta ab inimico. Interrogatus ab ancilla quod inter discipulos ejus esset, negavit Dominum ter (*Id.* XXVI, 69). Resurrexit Dominus, firmavit columnam: jam Petrus prædicat sine timore, et cum timore; sine timore eorum qui corpus occidunt, cum timore ejus qui habet potestatem et corpus et animam occidendi in gehenna ignis. *Timuit omnis homo: et annuntiaverunt opera Dei.* Namque annuntiantes istos Apostolos ope-

(a) Hæc pars ℣. 8 tractatur supra in Enar. Psal. LVI, n. 13.

[1] Er. et aliquot Mss., *versutia.*

ra Dei, exhibuerunt sibi principes sacerdotum, et comminati sunt dicentes *ne in nomine Jesu prædicarent. Et illi dixerunt : Dicite nobis cui magis obtemperare oporteat, Deo, an hominibus* (*Act.* v, 27-29) ? Quid illi dicerent ? Hominibus potius quam Deo? Sine dubio non responderent, nisi, Deo potius. Illi autem sciebant quæ juberet Deus, et contempserunt minantes sacerdotes. Quia ergo *timuit omnis homo*, non terruit homo : *et annuntiaverunt opera Dei*. Si timet homo, non terreat homo : eum enim timere debet homo, a quo factus est homo. Quod supra homines est time, et homines te non terrebunt. Mortem sempiternam time, et præsentem non curabis. Voluptatem illam incorruptam, et quietem sine labe concupisce ; et promittentem dona ista temporalia, et totum mundum deridebis. Ama ergo, et time : ama quod promittit Deus, time quod minatur Deus ; nec corrumperis ex eo quod promittit, nec terreberis ex eo quod minatur homo. *Et timuit omnis homo : et annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt*. Quid est, *facta ejus intellexerunt* ? Hoc erat illud, o Domine Jesu Christe, quod tacebas, et sicut ovis ad victimam ducebaris, et non aperiebas coram tondente os tuum, et nos te putabamus esse in plaga et dolore positum, et scientem ferre infirmitatem ? Hoccine erat quod abscondebas speciem tuam, speciose forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3) ? Hoccine erat illud, quod videbaris non habere speciem neque decorem (*Isai.* LIII, 2-7) ? Portabas in cruce insultantes et dicentes : *Si Filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII, 40). Quis forte sciens potestatem tuam servus tuus, et dilectus tuus, non exclamavit in corde suo, et dixit : O si modo descenderet, et isti omnes qui insultant confunderentur ? Sed non erat sic : moriendum erat propter morituros, et resurgendum propter semper victuros. Hoc illi qui volebant illum de cruce descendere, non intelligebant ; at ubi resurrexit, et glorificatus ascendit in cœlum, intellexerunt opera Domini. *Annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt.*

17. [*vers.* 11.] *Lætabitur justus in Domino.* Jam non est tristis justus. Tristes enim erant discipuli crucifixo Domino ; contristati, mœrentes discesserunt ; perdidisse se spem putaverunt. Resurrexit ; etiam apparens tristes invenit. Tenuit oculos duorum in via ambulantium, ne ab eis agnosceretur, et invenit eos gementes et suspirantes ; et tenuit eos donec exponeret Scripturas, et per ipsas Scripturas ostenderet quia ita fieri oportebat sicut factum est. Ostendit enim in Scripturis, quia post tertium diem resurgere oportebat Dominum. Et quomodo tertio die resurgeret, si de cruce descenderet ? Modo vos qui tristes estis in via, si Judæis insultantibus videretis Dominum de cruce descendisse, quantum efferremini ? Lætaremini quod ora Judæorum sic obturasset. Exspectate consilium medici : quod non descendit, quod occidi vult, antidotum terit. Ecce jam resurrexit, ecce jam loquitur : nondum agnoscitur, ut lætius agnoscatur. Postea aperuit oculos eorum in fractione panis : agnoscunt eum (*Luc.* XXIV, 16-46), lætantur, exclamant. *Lætabitur justus in Domino.* Nuntiatur cuidam duriori, Visus est Dominus, resurrexit Dominus : adhuc ille tristis est, non credit. *Nisi misero*, inquit, *manum meam, et tetigero cicatrices clavorum, non credam.* Præbetur et corpus tangendum, mittit manum, contrectat, exclamat, *Dominus meus et Deus meus ! Lætabitur justus in Domino.* Illi ergo lætati sunt justi in Domino, qui viderunt, tetigerunt, et crediderunt : quid justi qui modo sunt [1], quia non vident, quia non tangunt, non lætantur in Domino ? Et ubi est illa vox Domini ad ipsum Thomam : *Quia vidisti me, credidisti : beati qui non viderunt, et crediderunt* (*Joan.* XX, 25-29) ? Ergo omnes lætemur in Domino ; omnes secundum fidem unus justus simus, omnesque in uno corpore unum caput habeamus, et lætemur in Domino, non in nobis ; quia bonum nostrum non nos nobis, sed ille qui fecit nos. Ipse est bonum nostrum ad lætificandos nos. Et nemo lætetur in se, nemo præsumat, nemo desperet de se, nemo de quoquam homine, quem debet adducere ut socius sit spei ipsius, non dator spei.

18. *Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eum ; et laudabuntur omnes qui recti sunt corde.* Jam quia Dominus resurrexit, jam quia ascendit in cœlum, jam quia ostendit esse aliam vitam, jam quia manifestum est consilia ejus quibus latuit corde alto non fuisse inania, quia ideo sanguis ille fusus est ut esset pretium redemptorum ; jam quia manifesta sunt omnia, quia prædicata [2] sunt omnia, quia credita sunt omnia, sub omni cœlo *lætabitur justus in Domino, et sperabit in eum ; et laudabuntur omnes qui recti sunt corde.* Qui sunt recti corde ? Eia fratres mei, semper dicimus, et bonum est ut noveritis. Qui sunt recti corde ? Qui omnia quæcumque in hac vita patiuntur, non ea tribuunt insipientiæ, sed consilio Dei ad medicinam suam ; nec præsumunt de justitia sua, ut putent se injuste pati quod patiuntur, aut ideo esse Deum injustum, quia non plura patitur qui plus peccat. Videte, fratres ; hæc sæpe dicimus. Aliquid sentis, sive secundum corpus, sive secundum dispendium rei familiaris, sive per orbitatem aliquam charissimorum tuorum : noli respicere eos quos nosti iniquiores te (non enim forte audes dicere justum te, sed nosti pejores te), et florere in istis, et non flagellari ; ut displiceat tibi consilium Dei et dicas : Ecce puta peccator sum, et propterea flagellor ; quare ille non flagellatur, cujus novi tanta flagitia ? Quantumcumque mali fecerim ego, numquid ego tantum feci quantum ille ? Distortum est cor tuum. Quam bonus Deus Israel ; sed rectis corde ! Tui autem labuntur pedes, quia zelas in peccatores, pacem peccatorum intuens (*Psal.* LXXII, 1-3). Sine curare ; novit quid agat, qui vulnus novit. Non secatur alius. Quid, si desperatur ? quid si propterea tu secaris, quia non desperaris ? Patere ergo quidquid pateris recto corde : novit Deus quid tibi donet, quid tibi subtrahat.

[1] Plerique Mss., *qui modo esse voluerint.*
[2] Aliquot Mss., *prædicta.*

Quod tibi donat, ad consolationem valeat, non ad corruptionem; et quod tibi subtrahit, ad tolerantiam valeat, non ad blasphemiam. Si autem blasphemas, et displicet tibi Deus, et tu tibi places; perverso corde et distorto es: et hoc pejus, quia cor Dei vis corrigere ad cor tuum, ut hoc ille faciat quod tu vis; cum tu debeas facere quod ille vult. Quid ergo? Vis detorquere cor Dei, quod semper rectum est, ad pravitatem cordis tui? Quanto melius ad rectitudinem Dei corrigis cor tuum? Nonne hoc te docuit Dominus tuus, de cujus passione modo loquebamur? Nonne infirmitatem tuam portabat, quando dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem?* Nonne teipsum in se figurabat, cum dicebat: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste?* Non enim duo corda et diversa, Patris, et Filii; sed in forma servi portavit cor tuum, ut doceret illud exemplo suo. Jam ecce quasi aliud cor tuum invenit tribulatio, volens [1] transire quod imminebat: sed noluit Deus. Non consentit Deus cordi tuo; consenti tu cordi Dei. Audi vocem ipsius: *Verum non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater* (*Matth.* XXVI, 38, 39).

19. *Laudabuntur* ergo *omnes recti corde*. Quid sequitur? Si *laudabuntur omnes recti corde*, damnabuntur perversi corde. Duo tibi modo proposita sunt; elige cum tempus est. Si recto corde fueris, ad dexteram eris, et laudaberis. Quomodo? *Venite, benedicti Patris mei; percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Perverso autem corde si fueris; si subsannaveris Deum, si providentiam ejus irriseris, si dixeris in animo tuo, Vere non curat Deus res humanas: si curaret res humanas, ille latro tantum haberet, et ego innocens indigerem? perverso corde factus es. Veniet judicium illud; apparebunt omnia propter quæ ista omnia faciat Deus; et tu qui noluisti in hac vita corrigere cor tuum ad rectitudinem Dei, et te ad dexteram præparare, ubi *laudabuntur omnes recti corde*, eris ad sinistram, ubi tunc audies: *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Id.* XXV, 34, 41). Et numquid erit tunc tempus corrigere cor? Modo ergo corrigite, fratres; modo corrigite. Quis prohibet? Cantatur Psalmus, legitur Evangelium, sonat lector, sonat disputator: patiens est Dominus; peccas, et parcit; adhuc peccas, adhuc parcit, et adhuc addis. Quamdiu patiens est Deus? Senties et justum Deum. Terremus, quia timemus; docete nos non timere, et non terremus. Sed melius nos Deus docet timere, quam quisquam hominum non timere. *Timuit* enim *omnis homo: et annuntiaverunt opera Dei.* Inter illos nos computet Deus, qui timuerunt, et annuntiaverunt. Quia timemus, annuntiamus vobis, fratres. Videmus alacritatem vestram ad audiendum verbum, et ad exigendum videmus vota vestra, videmus affectus vestros. Bene compluitur terra; frumenta, non spinas generet: frumentis horreum paratur; ignis spinis. Nosti quid facias de agro tuo; et nescit Deus quid faciat de servo suo [1]? Quod pluit in agrum uberem, dulce est; et quod pluit in agrum spinosum, dulce est. Numquid pluviam accusat qui [2] spinas genuerit? Nonne erit pluvia illa testis in judicio Dei; et dicet: Ego dulcis super omnes [3] veni? Tu ergo quid proferas vide, ut quid tibi paretur attendas. Profers frumentum; horreum spera: profers spinas; ignem spera. Sed nondum venit aut tempus horrei, aut tempus ignis: modo ergo paretur, et non timebitur. In nomine Christi et qui loquimur vivimus, et quibus loquimur vivitis: numquid consilii corrigendi et mutandæ vitæ malæ in bonam non est locus, non est tempus? Nonne si vis, hodie fit? nonne si vis, modo fit? Quid empturus es ut facias? quæ symplasia [4] quæsiturus es? ad quos Indos navigaturus? quam navim præparaturus? Ecce cum loquor, muta cor; et factum est quod tam sæpe et tamdiu clamatur ut fiat, et quod æternam pœnam parturit, si non fiat.

[1] Plerique Mss., *velles*.

IN PSALMUM LXIV
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Agnoscenda est vox sanctæ prophetiæ ex ipso titulo psalmi hujus. Inscribitur: *In finem, Psalmus David, Canticum Jeremiæ et Ezechielis ex populo transmigrationis, cum inciperent exire.* Res quemadmodum gesta sit apud patres nostros tempore transmigrationis Babyloniæ, non omnibus notum est, sed his qui Scripturas sanctas diligenter advertunt, vel audiendo, vel legendo. Captivatus enim populus Israel, ex civitate Jerusalem ductus est in servitutem Babyloniæ (IV *Reg.* XXIV, 25). Prophetavit autem Jeremias sanctus, post septuaginta annos rediturum populum de captivitate, et instauraturum civitatem ipsam Jerusalem, quam devictam ab hostibus planxerat (*Jerem.* XXV, 11, *et* XXIX, 10). Illo autem tempore fuerunt prophetæ, in illa captivitate populi constituti in Babylonia; inter quos erat et Ezechiel propheta. Exspectabat autem ille populus donec implerentur tempora septuaginta annorum, secundum prophetiam Jeremiæ. Factum est completis septuaginta annis, restitutum est templum quod dejectum erat; et regressa est de captivitate magna pars illius populi. Sed quoniam dicit Apostolus: *Hæc in figura contingebant in illis; scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum obvenit* (I *Cor.* X, 11); debemus et nos nosse prius captivitatem nostram, deinde liberationem nostram; debemus nosse Babyloniam, in qua captivi sumus, et Jerusalem, ad cujus reditum suspiramus. Istæ quippe duæ civitates, secundum litteram revera duæ civitates. Et illa quidem Jerusalem modo a Judæis non incolitur. Post crucifixum enim

[1] Nonnulli Mss., *de agro servo suo*: et quidam, *de agro servi sui*.
[2] Sic Mss. At Edd., *quod*.
[3] Sic nostri omnes Mss. At Edd., *dulcis super omnia veni*.
[4] Edd., *emplastra*. At Mss., *symplasia*, aut *simplasia*: paucis exceptis, quorum alii habent, *templasia*; alii, *templa Asiæ*.

Dominum, vindicatum est in illos flagello magno; et eradicati ab eo loco, ubi impia libertate furiosi adversus medicum insanierant, dispersi sunt per omnes gentes, et data est illa terra Christianis: impletumque est quod eis dixerat Dominus, *Propterea auferetur a vobis regnum, et dabitur genti facienti justitiam* (*Matth.* XXI, 43). Cum autem viderent tunc multas turbas ire post Dominum, prædicantem regnum cœlorum, et mirabilia facientem, dixerunt principes illius civitatis: *Si dimiserimus eum, omnes ibunt post illum; et venient Romani, et tollent nobis et locum, et gentem* (*Joan.* XI, 48). Ne locum perderent, Dominum occiderunt; et ideo perdiderunt, quia occiderunt. Civitas ergo quædam illa terrena cujusdam civitatis æternæ in cœlis umbram gerebat; at ubi cœpit illa quæ significabatur, evidentius prædicari, umbra qua significabatur, dejecta est; propterea ibi modo templum non est, quod fabricatum fuerat in imaginem futuri corporis Domini. Tenemus lucem; umbra transivit: tamen adhuc in quadam captivitate sumus: *Quamdiu sumus*, inquit, *in corpore, peregrinamur a Domino* (II *Cor.* V, 6).

2. Et videte nomina duarum istarum civitatum, Babylonis et Jerusalem. Babylon Confusio interpretatur, Jerusalem Visio pacis. Intendite nunc civitatem confusionis, ut intelligatis visionem pacis: istam toleretis, ad illam suspiretis. Unde dignosci possunt istæ duæ civitates? Numquid possumus eas modo separare ab invicem? Permixtæ sunt, et ab ipso exordio generis humani permixtæ currunt usque in finem sæculi. Jerusalem accepit exordium per Abel; Babylon per Cain: ædificia quippe urbium postea facta sunt. Illa Jerusalem in terra Jebusæorum; nam primo Jebus dicebatur (II *Reg.* V, 6, *et Josue* XVIII, 28): inde gens Jebusæorum ejecta est, quando populus Dei liberatus est de Ægypto, et introductus est in terram promissionis. Babylon autem condita est in intimis Persidis regionibus, quæ diuturno tempore caput extulit super cæteras gentes. Duæ ergo istæ urbes certis temporibus conditæ sunt, ut manifestaretur figura duarum civitatum olim cœptarum, et usque in finem in isto sæculo mansurarum, sed in fine separandarum. Unde ergo possumus eas modo ostendere, quæ permixtæ sunt? Ostendet tunc Dominus, cum alios ponet ad dexteram, alios ad sinistram. Jerusalem ad dexteram erit; Babylon ad sinistram. Jerusalem auditura est: *Venite, benedicti Patris mei; percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Babylon auditura est: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 34, 41). Possumus tamen et aliquid afferre, quantum Dominus donat, unde distinguantur pii fideles, etiam hoc tempore, cives Jerusalem a civibus Babyloniæ. Duas istas civitates faciunt duo amores: Jerusalem facit amor Dei; Babyloniam facit amor sæculi. Interroget ergo se quisque quid amet, et inveniet unde sit civis: et si se invenerit civem Babyloniæ, exstirpet cupiditatem, plantet charitatem; si autem se invenerit civem Jerusalem, toleret captivitatem, speret libertatem. Multi enim cives sanctæ matris Jerusalem cupiditatibus Babyloniæ corrupti tenebantur, et ipsa corruptione cupiditatum tanquam cives inde facti erant; et multi adhuc ita sunt, et multi post nos in hac terra futuri ita erunt: sed novit Dominus, conditor Jerusalem, quos cives ejus prædestinaverit, quos videat adhuc sub dominatu diaboli redimendos sanguine Christi, novit illos ipse antequam se ipsi noverint. Sub hac ergo figura cantatur hic psalmus. In cujus titulo positi sunt etiam duo prophetæ, qui illo tempore in captivitate fuerunt, Jeremias et Ezechiel, et cantabant quædam, *cum inciperent exire.* Incipit exire qui incipit amare. Exeunt enim multi latenter, et exeuntium pedes sunt cordis affectus: exeunt autem de Babylonia. Quid est de Babylonia? De confusione. Quomodo exitur de Babylone, id est de confusione? Qui primo confusi erant similibus cupiditatibus, incipiunt charitate distingui; jam distincti, non sunt confusi. Etsi adhuc corpore permixti sunt, desiderio tamen sancto discernuntur; et propter permixtionem corporalem nondum exierunt; propter affectum cordis exire cœperunt. Jam ergo audiamus, fratres; audiamus, et cantemus, et desideremus unde cives sumus. Et quæ gaudia cantantur nobis? Quomodo in nobis reformatur amor civitatis nostræ, quam diuturna peregrinatione obliti fueramus? Sed misit inde ad nos epistolas Pater noster, ministravit nobis Scripturas Deus, quibus epistolis fieret in nobis redeundi desiderium; quia peregrinationem nostram diligendo, ad hostes faciem posueramus, et dorsum ad patriam. Quid ergo hic cantatur?

3. [*Vers.* 2.] *Te decet hymnus, Deus, in Sion.* Patria illa est Sion: ipsa est Jerusalem quæ Sion; et hujus nominis interpretationem nosse debetis. Sicut Jerusalem interpretatur Visio pacis, ita Sion Speculatio, id est visio et contemplatio. Nescio quod nobis magnum spectaculum promittitur; et hoc ipse Deus est qui condidit civitatem. Pulchra et decora civitas, quam pulchriorem habet conditorem! *Te decet hymnus, Deus*, inquit. Sed ubi? *In Sion:* in Babylone non decet. Etenim quisque cum cœperit innovari, jam corde in Jerusalem cantat, dicente Apostolo: *Conversatio nostra in cœlis est* (*Philipp.* III, 20). *In carne enim ambulantes*, inquit, *non secundum carnem militamus* (II *Cor.* X, 3). Jam desiderio ibi sumus, jam spem in illam terram, quasi anchoram præmisimus, ne in isto mari turbati naufragemus. Quemadmodum ergo de navi quæ in anchoris est, recte dicimus quod jam in terra sit; adhuc enim fluctuat, sed in terra quodammodo educta est contra ventos, et contra tempestates: sic contra tentationes hujus peregrinationis nostræ, spes nostra fundata in illa civitate Jerusalem facit nos non abripi in saxa. Qui ergo secundum hanc spem cantat, ibi cantat: ergo dicat, *Te decet hymnus, Deus, in Sion. In Sion*, non in Babylone. Sed modo ibi es adhuc in Babylone? Ibi, inquit, sum; amator iste, et civis iste: ibi sum; sed carne, non corde. Cum autem duo quædam dixerim, quia ibi sum carne, non corde; unde canto, non ibi: non enim

carne canto, sed corde. Carnem quidem sonantem audiunt et cives Babyloniæ; cordis autem sonum audit conditor Jerusalem. Unde dicit Apostolus, exhortans ipsos cives ad amatoria quædam cantica, et desideria redeundi ad illam pulcherrimam civitatem, visionem pacis : *Cantantes*, inquit, *et psallentes in cordibus vestris Domino* (*Ephes.* v, 19). Quid est, *cantantes in cordibus vestris?* Ne inde cantetis, unde estis in Babylonia; sed inde cantate, unde sursum habitatis. Ergo, *Te decet hymnus, Deus, in Sion.* In Sion te decet hymnus, non in Babylonia. Qui cantant in Babylonia, cives Babyloniæ, etiam hymnum Dei non decenter cantant. Audi vocem Scripturæ : *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* xv, 9). *Te decet hymnus, Deus, in Sion.*

4. *Et tibi*[1] *reddetur votum in Jerusalem.* Hic vovemus, et bonum est ut ibi reddamus. Qui autem hic vovent, et non reddunt? Qui non perseverant usque in finem in eo quod voverunt. Unde dicit alius psalmus, *Vovete, et reddite Domino Deo vestro* (*Psal.* LXXV, 12). *Et tibi reddetur votum in Jerusalem.* Ibi enim erimus toti, id est integri in resurrectione justorum: ibi reddetur votum totum nostrum; non sola anima, sed ipsa etiam caro jam non corruptibilis, quia jam non in Babylonia, sed jam corpus cœleste immutatum. Qualis mutatio promittitur? *Omnes enim resurgemus*, ait Apostolus, *sed non omnes immutabimur.* Qui[2] autem immutabuntur ipse dixit : *In ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti*, id est integri, *et nos immutabimur.* Qualis autem erit illa immutatio, sequitur et dicit : « Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem : « cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, tunc « fiet sermo qui scriptus est : Absorpta est mors in « victoriam. Ubi est, mors, aculeus tuus » (I *Cor.* xv, 51-55)? Modo enim inchoatis in nobis primitiis mentis, unde desideramus Jerusalem, multa ex carne corruptibili contendunt adversum nos, quæ non contendent, cum fuerit mors absorpta in victoriam. Vincet pax, et finietur bellum. Quando autem vincet pax, vincet illa civitas quæ dicitur Visio pacis. Nulla ergo erit a morte contentio. Modo cum morte quanta contendimus! Inde sunt delectationes carnales, quæ nobis etiam illicite multa suggerunt : quibus non consentimus, sed tamen non consentiendo contendimus. Primo ergo concupiscentia carnis sequentes duxit nos, postea renitentes traxit nos; deinde accepta gratia cœpit nos nec ducere, nec trahere, sed adhuc contendere nobiscum : post contentionem erit et victoria. Modo te etsi oppugnat, non expugnet : postea cum absorpta fuerit mors in victoriam, et pugnare cessabit. Quid dictum est? *Novissima inimica destruetur mors*(*Id.* 26). Reddam votum meum. Quod votum? Quasi holocaustum. Holocaustum enim tunc dicitur, quando totum ignis absumit : holocaustum sacrificium est ubi totum consumitur; ὅλον enim totum dicitur, καῦσις, incensio. Holocaustum totum incensum. Arripiat ergo nos ignis, ignis divinus in Jerusalem : incipiamus ardere charitate, donec totum mortale consumatur, et quod contra nos fuerit, eat in sacrificium Domino. Unde alibi dicitur : « Benigne fac, Domine, in bona « voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem : « tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et « holocausta (*Psal.* L, 20, 21). Te decet hymnus, « Deus, in Sion ; et tibi reddetur votum in Jerusa- « lem. » Quærimus hic, ne forte Rex nobis ipsius civitatis commendetur, Dominus et Salvator noster Jesus Christus : cantemus ergo donec ad evidentiora perveniamus. Possem enim jam dicere ipsum esse cui dicitur : *Te decet hymnus, Deus, in Sion; et tibi reddetur votum in Jerusalem.* Sed si dicerem, mihi potius quam Scripturæ crederetur; et ideo forte non mihi crederetur. Audiamus sequentia.

5. [*vers.* 3.] *Exaudi*, inquit, *orationem meam : ad te omnis caro veniet.* Et habemus Dominum dicentem, datam sibi potestatem omnis carnis (*Joan.* XVII, 2). Cœpit ergo apparere jam Rex ille, cum diceretur, *ad te omnis caro veniet. Ad te*, inquit, *omnis caro veniet.* Quare ad illum omnis caro veniet? Quia carnem assumpsit. Quo veniet omnis caro? Tulit inde primitias ex utero virginali : assumptis primitiis cætera consequentur, ut holocaustum compleatur. Unde ergo, *omnis caro?* Omnis homo. Et unde, omnis homo? Numquid omnes credituri prænuntiati sunt in Christum? Nonne multi impii qui etiam damnabuntur? Nonne quotidie multi non credentes, in sua infidelitate moriuntur? Secundum quid ergo intelligimus, *ad te omnis caro veniet? Omnis caro* dixit, omnis generis caro : ex omni genere carnis venietur ad te. Quid est, ex omni genere carnis? Numquid venerunt pauperes, et non venerunt divites? numquid venerunt humiles, et non venerunt sublimes? numquid venerunt indocti, et non venerunt docti? numquid venerunt viri, et non venerunt feminæ? numquid venerunt domini, et non venerunt servi? numquid venerunt senes, et non venerunt juvenes? aut venerunt juvenes, et non venerunt adolescentes? aut venerunt adolescentes, et non venerunt pueri? aut venerunt pueri, et non allati sunt infantes? Postremo numquid venerunt Judæi (nam inde erant Apostoli, inde multa millia primo tradentium, postea credentium), et non venerunt Græci? aut venerunt Græci, et non venerunt Romani? aut venerunt Romani, et non venerunt Barbari? Et quis numeret omnes gentes venientes ad eum cui dictum est : *Ad te omnis caro veniet? Exaudi orationem meam : ad te omnis caro veniet.*

6. [*vers.* 4.] *Sermones iniquorum prævaluerunt super nos; et impietates nostras tu propitiaberis*[1]. Quid est, *Sermones iniquorum prævaluerunt super nos; et impietates nostras tu propitiaberis?* Quod nati sumus in hac terra, iniquos invenimus quos loquentes audivimus.

[1] Aliquot Mss., *et ibi.* Et vero considerata interpretandi ratione, facile crediderimus Augustinum ita legisse.
[2] Sic Mss. At Edd., *quomodo.*

[1] Omnes libri hic, *propitiaberis;* sed infra plerique habent, *propitiabis.*

Si possim explicare quod sentio, adjuvet me intentio Charitatis Vestræ. Omnis homo ubicumque nascitur, ipsius terræ, vel regionis, vel civitatis linguam discit; illius imbuitur moribus et vita. Quid faceret puer natus inter Paganos, ut non coleret lapidem, quando illum cultum insinuaverunt parentes? Inde prima verba audivit; illum errorem cum lacte suxit: et quia illi qui loquebantur majores erant, et puer qui loqui discebat infans erat, unde poterat parvulus nisi majorum auctoritatem sequi, et id sibi bonum ducere quod illi laudarent? Ergo gentes conversæ ad Christum postea, et recordantes impietates parentum suorum, et dicentes jam quod dixit propheta ipse Jeremias, *Vere mendacium coluerunt patres nostri; vanitatem quæ eis non profuit* (*Jerem.* XVI, 19): cum ergo jam hoc dicunt, renuntiant opinionibus et sacrilegiis parentum suorum iniquorum. Sed quia ut insererentur talibus opinionibus et sacrilegiis, persuasiones fecerunt eorum qui quanto ætate præcedebant, tanto auctoritate præcedere debere putabantur; confitetur jam redire volens ad Jerusalem de Babylonia, et dicit: *Sermones iniquorum prævaluerunt adversus nos.* Duxerunt nos mala docentes; cives Babyloniæ nos fecerunt: dimisimus Creatorem, adoravimus creaturam; dimisimus eum a quo facti sumus, adoravimus quod ipsi fecimus. *Sermones* enim *iniquorum prævaluerunt super nos*: sed tamen non oppresserunt nos. Quare? *Impietates nostras tu propitiaberis.* Intendat Charitas Vestra. *Propitiaberis impietates nostras*: non dicitur nisi cuidam sacerdoti offerenti aliquid, unde impietas expietur et propitietur. Impietas enim tunc dicitur propitiari, cum propitius fit Deus impietati. Quid est, fieri Deum impietati propitium? id est, ignoscentem et veniam dantem. Sed ut Dei venia impetretur, propitiatio fit per aliquod sacrificium. Exstitit ergo a Deo Domino missus quidam sacerdos noster; assumpsit a nobis quod offerret Domino, ipsas diximus sanctas primitias carnis ex utero virginis. Hoc holocaustum obtulit Deo: extendit manus in cruce, ut diceret, *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* CXL, 2). Sicut nostis, quia Dominus circa vesperam pependit in cruce (*Matth.* XXVII, 46): et impietates nostræ propitiatæ sunt; alioqui absorbuerant nos: sermones iniquorum prævaluerant super nos; duxerant nos prædicatores Jovis, et Saturni, et Mercurii: *Sermones iniquorum prævaluerunt super nos.* Sed quid facies? *Impietates nostras, tu propitiaberis.* Tu sacerdos, tu victima; tu oblator, tu oblatio. Ipse sacerdos est, qui nunc ingressus interiora veli, solus ibi ex his qui carnem gestaverunt, interpellat pro nobis (*Hebr.* VI, 19 *et* 20). In cujus rei figura, in illo primo populo, et in illo primo templo, unus sacerdos intrabat in Sancta sanctorum; populus omnis foris stabat: et ille qui solus ingrediebatur in interiora veli, offerebat sacrificium pro populo foris stante (*Id.* IX, 7). Si intelligatur bene, spiritus vivificat: si non intelligatur, littera occidit. Modo cum legeretur Apostolus, audistis: *Littera occidit; spiritus autem vivificat.* Quid enim ageretur in illo populo, Judæi nescierunt; sed nec modo sciunt. De illis quippe dictum est: *Quamdiu legitur Moyses, velamen super cor eorum positum est.* Ibi velamen figura est: sed tolletur figura, et apparebit veritas in eis ipsis. Sed quando tolletur velamen? Audi Apostolum: *Cum autem transieris* [1] *ad Dominum, auferetur velamen.* Dum ergo non transeunt ad Dominum, quamdiu legunt Moysen, velamen habent super cor. Ad hoc sacramentum fulgebat tunc facies Moysi, *ita ut non possent intendere filii Israel in faciem ejus* (audistis modo cum legeretur); et velamen erat inter faciem Moysi loquentis, et populum audientem verba. Per velum verba audiebant; faciem non videbant. Et quid ait Apostolus? *Ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi. Non intendebant*, inquit, *usque in finem* (II *Cor.* III, 6-16). Quid est, *usque in finem?* Usque quo intelligerent Christum. Dicit quippe Apostolus: *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Est quidem splendor in facie Moysi, tanquam in facie carnali et mortali: numquid diuturnus aut æternus esse posset? Morte enim succedente, profecto auferretur. Splendor autem gloriæ beati Domini nostri Jesu Christi, sempiternus est. Sed illud figura erat temporalis, hoc autem quod illa figura significabatur, veritas. Legunt itaque, et non intelligunt Christum: non perducunt intentionem usque in finem, quia velum oppositum negat eis aspectum splendoris interioris. Et vide ibi sub velo Christum. Ait ipse Dominus noster Jesus Christus: *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan.* V, 46). Propitiatis autem peccatis nostris et impietatibus per illud sacrificium vespertinum, transimus ad Dominum, et aufertur velamen: propterea et Domino crucifixo, velum templi scissum est (*Matth.* XXVII, 51). *Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet. Sermones iniquorum prævaluerunt super nos; et impietates nostras tu propitiaberis.*

7. [*vers.* 5, 6.] *Beatus quem elegisti, et assumpsisti.* Quis est electus ab eo, et assumptus? Aliquis electus a Salvatore nostro Jesu Christo? An ipse secundum carnem, quod homo est, electus et assumptus est? ut tanquam Verbo Dei dicatur quod erat in principio, sicut dicit evangelista, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*; quia et ipse est Filius Dei, Verbum Dei, de quo etiam dicit, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1-3): ut illi dicatur Filio Dei, quia ipse est sacerdos noster, postea carne assumpta, *Beatus quem elegisti, et assumpsisti*: id est, ille homo quo indutus es, qui cœpit ex tempore, natus ex femina templum quodammodo illius qui semper in æternum est, et in æternum fuit. An potius ipse Christus assumpsit quemdam beatum, et non

[1] Edd., *cum transierint.* At Mss., *cum transieris*: et sic, uti jam alibi observavimus, legere solet Augustinus, ut quod in Græco est, *epistrepsê*, sit verbi medii secunda persona.

dicitur ipse quem assumpsit quasi in plurali numero, sed in singulari? Unum enim assumit, quia unitatem assumit. Schismata non assumit, hæreses non assumit: multitudinem de se fecerunt; non est unus qui assumatur. Qui autem manent in compage Christi, et membra ejus sunt, faciunt quodammodo unum virum, de quo dicit Apostolus: *Donec occurramus omnes in agnitionem Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV, 13). Itaque unus vir assumitur, cui caput est Christus; quia *caput viri Christus est* (I *Cor.* XI, 3). Ipse est ille *beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*, et cætera quæ ibi dicuntur (*Psal.* I, 1): ipse est qui assumitur. Non est extra nos; in ipsius membris sumus, sub uno capite regimur, uno spiritu omnes vivimus, unam patriam omnes desideramus. Videamus ergo quod ad Christum dicitur, utrum ad nos pertineat, et de nobis dicatur: interrogemus conscientias nostras, amorem illum perscrutemur; et si adhuc parvus est, et modo natus amor iste (forte enim modo in aliquo germinavit), diligenter exstirpet juxta germinantes spinas, id est curas sæculares, ne crescendo sanctum germen offocent. *Beatus quem elegisti et assumpsisti.* In illo simus, et assumemur; in illo simus, et electi erimus.

8. Et quid nobis dabit? *Inhabitabit*, inquit, *in atriis tuis.* Jerusalem illa est, cui cantant qui incipiunt exire de Babylonia: *Inhabitabit in atriis tuis. Replebimur in bonis domus tuæ.* Quæ sunt bona domus Dei? Fratres, constituamus nobis aliquam domum divitem; quantis bonis referta sit, quam copiosa sit, vasa quam multa ibi aurea, sed et argentea; quantum familiæ, quantum jumentorum et animalium; ipsa denique domus quam delectet picturis, marmore, laquearibus, columnis, spatiis, cubiculis; et desiderantur talia, sed adhuc ex confusione Babyloniæ. Amputa omnia ista desideria, o civis Jerusalem; amputa! si vis redire, non te delectet captivitas. Sed jam cœpisti exire: noli retro respicere, noli remanere in via. Non desunt adhuc hostes qui tibi persuadeant captivitatem et peregrinationem: jam non prævaleant super te sermones iniquorum. Domum Dei desidera, et bona ejus domus desidera; sed noli talia, qualia desiderare soles vel in domo tua, vel in domo vicini tui, vel in domo patroni tui. Aliud quiddam est bonum domus illius. Quid opus est ut nos dicamus quæ sint bona illius domus? Ipse indicet qui cantat exiens de Babylonia: *Replebimur*, inquit, *in bonis domus tuæ.* Quæ sunt bona ista? Erexeramus fortasse cor ad aurum, ad argentum, et cætera pretiosa: noli talia quærere; ista premunt, non levant. Hic ergo jam bona illa Jerusalem, bona illa domus Domini, bona illa templi Domini meditemur: quia quæ domus Domini, hoc ipsum templum Domini. *Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum templum tuum, mirabile in justitia.* Ista sunt bona domus illius. Non dixit, Templum sanctum tuum, mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis; sed *mirabile in justitia.* Habes foris oculos unde videas marmora et aurum: intus est oculus unde videatur pulchritudo justitiæ. Intus, inquam, est oculus unde videatur pulchritudo justitiæ. Si nulla est pulchritudo justitiæ, unde amatur justus senex? Quid affert in corpore quod oculos delectet? Curva membra, frontem rugatam, caput canis albatum, imbecillitatem undique querelis plenam. Sed forte quia tuos oculos non delectat senex iste decrepitus, aures tuas delectat: quibus vocibus? quo cantu? etsi forte adolescens bene cantavit, omnia cum ætate defecerunt. An forte sonus verborum ejus delectat aures tuas, qui verba vix plena enuntiat lapsis dentibus? Tamen si justus est, si alienum non concupiscit, si de suo quod habet erogat indigentibus, si bene monet, et rectum sapit, si integre credit[1], si paratus est pro fide veritatis etiam ipsa confracta membra impendere, multi enim martyres etiam senes; unde illum amamus? quid in eo bonum videmus oculis carnis? Nihil. Quædam ergo est pulchritudo justitiæ, quam videmus oculo cordis, et amamus, et exardescimus; quam multum dilexerunt homines in ipsis martyribus, cum eorum membra bestiæ laniarent. Nonne cum sanguis fœdaret omnia, cum morsibus belluinis viscera funderentur, non habebant oculi nisi quod horrerent? Quid ibi erat quod amaretur, nisi quia erat in illa fœditate dilaniatorum membrorum integra pulchritudo justitiæ? Ista sunt bona domus Dei; his te para satiari. Sed ut inde satieris, cum perveneris; hoc te oportet esurire et sitire, cum peregrinaris: hoc siti, hoc esuri; quia ipsa erunt bona Dei. Audi illum regem cui ista dicuntur, qui venit ut te reducat, et se tibi fecit viam (*Joan.* XIV, 6). Quid dicit? *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6). *Sanctum templum tuum, admirabile in justitia.* Et ipsum templum, fratres, nolite præter vos cogitare. Amate justitiam, et vos estis templum Dei.

9. *Exaudi nos, Deus, salvator noster.* Aperuit modo quem Deum dicat. Salvator est proprie Dominus Jesus Christus. Apparuit modo apertius de quo dixerat: *Ad te omnis caro veniet. Exaudi nos, Deus, salvator noster.* Ille unus vir qui assumitur in templum Dei, et plures sunt, et unus est. Ex unius persona dixit, *Exaudi, Deus, orationem meam:* et quia ipse unus ex pluribus constat, modo ait, *Exaudi nos, Deus, salvator noster.* Audi illum jam apertius prædicari: *Exaudi nos, Deus, salvator noster; spes omnium finium terræ, et in mari longe.* Ecce unde dictum est: *Ad te omnis caro veniet.* Undique venitur. *Spes omnium finium terræ:* non spes unius anguli, non spes solius Judææ, non spes solius Africæ, non spes Pannoniæ, non spes Orientis, aut Occidentis; sed *spes omnium finium terræ, et in mari longe:* ipsorum *finium terræ. Et in mari longe:* et quia in mari, ideo longe. Mare enim in figura dicitur sæculum hoc, salsitate amarum, procellis turbulentum; ubi homines cupiditatibus perversis et pravis facti sunt velut pisces invicem se devorantes. Attendite mare malum, mare amarum, fluctibus sævum; attendite qualibus hominibus plenum sit. Quis optat

[1] Plures Mss., *et rectum sapit, integrum colit.* Alii, *integrum credit.*

hæreditatem, nisi morte alterius? quis optat lucrum, nisi damno alterius? Quam multi aliorum defectione cupiunt sublimari! quam multi ut emant optant alios vendere res suas! quomodo se invicem opprimunt, et qui possunt devorant! et cum devoraverit unus piscis major minorem, devoratur et ipse a majore. O piscis male, prædam vis de parvo; præda efficieris magno. Quotidie ista eveniunt, ante nos sunt; videmus [1] illa, horreamus illa. Non illa agamus, fratres, quia *spes* est ille *finium terræ*. Ille si non esset *spes, et in mari longe*, non diceret discipulis suis : *Faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19). Jam in mari capti per retia fidei, gaudeamus nos ibi natare adhuc intra retia ; quia adhuc mare hoc sævit procellis, sed retia quæ nos ceperunt, perducentur ad littus. Littus est finis maris : ergo perventio in finem sæculi. Interim intra ipsa retia, fratres, bene vivamus : non retia rumpentes foras exeamus. Multi enim ruperunt retia, et schismata fecerunt, et foras exierunt, quia malos pisces intra retia captos tolerare se nolle dixerunt; ipsi mali facti sunt potiusquam illi quos se non potuisse tolerare dixerunt [2]. Namque illa retia ceperunt pisces et bonos, et malos. Dominus dicit : *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, quæ congregat ex omni genere; quam cum impleta esset educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt : sic erit*, inquit, *in consummatione sæculi*. Ostendit littus, ostendit finem maris. *Exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis : ibi erit fletus et stridor dentium* (*Id.* XIII, 47-50). Eia, cives Jerusalem, qui intra retia estis, et pisces boni estis, tolerate malos; retia nolite rumpere : cum illis estis in mari; non cum illis eritis in vasis. *Spes* enim ille *finium terræ*, ipse *spes* est, *et in mari longe*. *Longe*, quia et in mari.

10. [*vers.* 7.] *Præparans montes in fortitudine sua :* non in fortitudine illorum. Præparavit enim magnos prædicatores, et ipsos appellavit montes; humiles in se, excelsos in illo. *Præparans montes in fortitudine sua*. Quid dicit unus ex ipsis montibus? *Ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non fidentes in nobis simus, sed in Deo qui suscitat mortuos* (II *Cor.* I, 9). Qui in se fidit, et in Christo non fidit, non est de his montibus quos ille præparat in fortitudine sua. *Præparans montes in fortitudine sua, circumcinctus in potentatu*. Potentatum intelligo : *circumcinctus*, quid est? Christum qui [3] in medio ponunt, circumcinctum faciunt, id est undique cinctum. Habemus illum omnes communiter; ideo in medio est : circumcingimus illum omnes qui credimus in illum; et quia fides nostra non de viribus nostris, sed de illius potentia est, ideo *circumcinctus in potentatu* suo, non nostra fortitudine.

11. [*vers.* 8, 9.] *Qui conturbas fundum maris*. Fecit hoc : videtur quid fecerit. Præparavit enim montes in fortitudine sua; misit illos prædicare : circumcinctus est a credentibus in potentatu; et commotum est mare; commotum est sæculum, et cœpit persequi sanctos ejus. *Circumcinctus in potentatu : qui conturbas fundum maris*. Non dixit, Qui conturbas mare; sed, *fundum maris. Fundum maris* est cor impiorum. Sicut enim a fundo vehementius omnia moventur, et fundus continet omnia; sic quidquid processit per linguam, per manus, per potestates diversas ad persecutionem Ecclesiæ, de fundo processit. Si enim non esset radix iniquitatis in corde, non illa omnia procederent adversus Christum. Fundum conturbavit, forte ut et fundum exhauriret; nam in malis quibusdam exhausit mare a fundo, et posuit mare desertum. Dicit illud alius psalmus : *Qui convertit mare in aridam* (*Psal.* LXV, 6). Omnes impii et pagani qui crediderunt, mare erant; terra facti sunt : salsis fluctibus primo steriles; postea justitiæ fructu fecundi. *Qui conturbas fundum maris : sonum fluctuum ejus quis sufferet?* Quid est, *quis sufferet?* Quis homo sufferet sonum fluctuum maris, jussiones sublimitatum sæculi? Sed unde sufferuntur? Quia præparat montes in fortitudine sua. Quod ergo dixit, *quis sufferet?* hoc ait, Nos ipsi per nosmetipsos sufferre illas persecutiones non possemus, nisi ille daret fortitudinem. *Qui conturbas fundum maris : sonum fluctuum ejus quis sufferet?*

12. *Turbabuntur gentes*. Primo turbabuntur : sed illi montes parati in fortitudine Christi, numquid turbati sunt? Turbatum est mare; elisum est in montes : mare fractum est; montes inconcussi manserunt. *Turbabuntur gentes : et timebunt omnes*. Ecce jam omnes timent : antea qui conturbati sunt, timent jam omnes. Non [1] timuerunt Christiani, et timentur jam Christiani. Omnes qui persequebantur, modo timent. Superavit enim ille qui circumcinctus est in potentatu; sic ad illum venit omnis caro, ut cæteri paucitate ipsa jam timeant. *Et timebunt omnes qui inhabitant fines terræ, a signis tuis*. Miracula enim fecerunt Apostoli; et inde omnes fines terræ timuerunt, et crediderunt.

13. *Exitus mane et vespere delectabis* : id est, delectabiles facis. Jam in ista vita quid nobis promittitur? *Exitus delectabis* [2] *mane et vespere*. Sunt exitus mane; sunt exitus vespere. *Mane* significat prosperitatem sæculi; *vespere* significat tribulationem sæculi. Intendat Charitas Vestra (in utroque enim tentatur anima humana); et prosperitate ne corrumpatur, et adversitate ne frangatur. Ideo autem mane prosperitatem significat, quia mane lætum est, transacta velut tristitia noctis. Tristes autem sunt tenebræ, veniente vespera : ideo veniente quasi mundi vespera, obtulit sacrificium vespertinum. Non ergo timeat unusquisque vesperam, nec mane corrumpatur [3]. Ecce nescio quis, ut facias mali aliquid, promisit lucrum; mane est : arridet tibi ampla pecunia; mane tibi fit. Noli corrumpi, et ha-

[1] Sic Mss. At Edd., *vitemus*.
[2] Aliquot Mss., *finxerunt*
[3] Sic Mss. At Edd., *quem*.

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *et*.
[2] Sic aliquot Mss. Quidam vero, *delectabiles*. At Edd., *delectabilis*.
[3] Sic Mss. exceptis paucis qui cum Er. habent, *ne mane corrumpatur*. At Lov. : *Nos ergo timeamus unusquisque vesperum, ne mane corrumpamur*.

bebis exitum mane. Si enim habes exitum, non capieris. Sic est enim promissio lucri, quasi esca in muscipula : coarctaris, et non est qua exeas ; caperis in muscipula. Dedit autem tibi exitum Dominus Deus tuus, ne lucro capiaris, cum tibi dicit in corde : Ego sum divitiæ tuæ. Noli attendere quod mundus promittit, sed quod promittit Conditor mundi : attende quod tibi promisit Deus facienti justitiam, et contemne quod tibi promittit homo, ut abducat a justitia, et adducat ad injustitiam. Noli ergo attendere quod mundus promittit, sed quod Conditor mundi ; et habebis exitum mane per Domini verbum dicentis : *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur* (*Matth.* xvi , 26) ? Sed ille qui te promisso lucro corrumpere, et ad iniquitatem adducere non potuit, minabitur pœnas, et convertet se ad inimicitias, et incipiet tibi dicere : Si hoc non feceris, ego ostendam, ego faciam ; habebis me inimicum. Primo cum lucrum promittebat, mane tibi erat : modo jam vesperascit ; tristis factus es. Sed qui dedit tibi exitum mane, dabit et vespere. Quomodo contempsisti mane sæculi ex luce Domini, sic contemne et vesperam ex passionibus Domini, ut dicas animæ tuæ : Quid mihi amplius facturus est iste quam passus est pro me Dominus meus ? Teneam [1] justitiam, non consentiam ad iniquitatem. Sæviat in carne : frangetur muscipula, et volabo ad Dominum meum qui mihi ait : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Id.* x, 28). Et de ipso corpore securitatem dedit dicens : *Capillus capitis vestri non peribit* (*Luc.* xxi, 18). Magnifice hic posuit, *Delectabis exitus mane et vespere.* Si enim non te delectet ipse exitus, non laborabis exire inde. Mittis caput in lucrum promissum, si non te delectet promissio Salvatoris. Et rursus, cedis tentanti, et terrenti, si non te delectet ille qui prior passus est, ut tibi exitum faceret. *Exitus mane et vespere delectabis.*

14. [*vers.* 10.] *Visitasti terram, et inebriasti eam.* Unde inebriavit terram ? *Calix tuus inebrians quam præclarus est* (*Psal.* xxii , 5) ! *Visitasti terram, et inebriasti eam :* misisti nubes tuas, pluerunt prædicationem veritatis, inebriata est terra. *Multiplicasti ditare eam.* Unde *multiplicasti eam ditare ? Fluvius Dei repletus est aqua.* Quis est *fluvius Dei ?* Populus Dei. Primus populus repletus est, unde cætera terra rigaretur. Audi illum promittentem aquam : *Si quis sitit, veniat et bibat. Qui credit in me, flumina aquæ vivæ de ventre ejus fluent* (*Joan.* vii, 37 *et* 38). Si flumina, et unus fluvius ; quia propter unitatem multi unum sunt. Multæ Ecclesiæ, et una Ecclesia ; multi fideles, et una sponsa Christi : sic multa flumina, et unus fluvius. Crediderunt multi Israelitæ, et impleti sunt Spiritu sancto : inde diffusi sunt per Gentes ; cœperunt prædicare veritatem, et de fluvio Dei qui impletus est aqua, irrigata est tota terra. *Parasti cibum illorum ; quia ita est præparatio tua.* Non quia te promeruerunt, quibus peccata donasti : merita illorum mala erant ; sed tu propter misericordiam tuam, *quia ita est præparatio tua*, ita *parasti cibum illorum.*

15. [*vers.* 11.] *Sulcos ejus inebria.* Fiant ergo primo sulci qui inebrientur : duritia pectoris nostri aperiatur vomere sermonis Dei, *Sulcos ejus inebria ; multiplica generationes ejus.* Videmus : credunt, et ex credentibus alii credunt, et ex illis alii credunt ; et non sufficit uni homini ut factus ipse fidelis unum lucretur [1]. Sic multiplicatur et semen : pauca grana mittuntur, et segetes exsurgunt. *Sulcos ejus inebria ; multiplica generationes ejus : in stillicidiis suis lætabitur, cum exorietur.* Id est, antequam sit forte idonea capacitati fluminis, *cum exorietur, in stillicidiis suis*, id est sibi congruis, *lætabitur.* Parvulis enim adhuc et infirmis stillantur quædam de sacramentis, quia non possunt capere plenitudinem veritatis. Audi quomodo stillet parvulis dum exoriuntur, id est in recenti ortu minus capacibus. Apostolus dicit : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, quasi parvulis in Christo* (I *Cor.* iii, 1). Cum dicit, *parvulis in Christo*, jam dicit exortos, sed nondum idoneos ad capiendam illam uberem sapientiam, de qua dicit : *Sapientiam loquimur inter perfectos* (*Id.* ii, 6). Lætetur in stillicidiis suis, cum exoritur et augetur ; roboratus [2] capiet et sapientiam : quomodo infans nutritur lacte, et fit idoneus cibo ; tamen primo de ipso cibo cui minus idoneus erat, illi lac factum est. *In stillicidiis suis lætabitur, cum exorietur.*

16. [*vers.* 12.] *Benedices coronam anni benignitatis tuæ.* Seminatur modo, crescit quod seminatur, erit et messis. Et modo super semen superseminavit inimicus zizania ; et exorti sunt mali inter bonos, pseudochristiani, similem habentes herbam, sed non parem fructum. Etenim zizania ea proprie dicuntur, quæ nascuntur in similitudine frumentorum ; sicuti est lolium, sicuti est avena, et cætera talia quæ primam herbam prorsus similem habent. Propterea de seminatione zizaniorum hoc dicit Dominus : *Venit inimicus, et superseminavit zizania ; cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania.* Ergo *venit inimicus, et superseminavit zizania :* sed quid fecit tritico ? Non opprimitur zizaniis frumentum ; imo per tolerantiam zizaniorum crescit fructus frumentorum. Ipse enim Dominus dixit quibusdam operariis volentibus eradicare zizania : *Sinite utraque crescere usque ad messem, ne forte cum vultis eradicare zizania, eradicetis simul et frumentum ; sed in tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizania, et alligate fasciculos ad comburendum ; frumentum autem recondite in horreum* (*Matth.* xiii, 25-30). Ille est finis anni, messis sæculi. *Benedices coronam anni benignitatis tuæ.* Coronam ubi audis, gloria victoriæ significatur. Vince Diabolum, et habebis coronam. *Benedices coronam anni benignitatis tuæ.* Rursus commendat benignitatem Dei, ne quisquam de suis meritis glorietur.

17. [*vers.* 13.] *Et campi tui replebuntur ubertate.*

[1] Edd., *ut teneam.* Particula, *ut*, abest a Mss.

[1] Sic omnes Mss. At Edd. *ut factus ipse sit fidelis, si non et alium lucretur.*

[2] Sic aliquot Mss. At Edd., *cum exorietur, augeatur et roboretur.*

Pinguescent fines deserti, et colles exsultatione accingentur. Campi, colles, fines deserti, iidem ipsi sunt homines. Campi propter æqualitatem: ergo propter æqualitatem, inde dicti sunt campi, populi justi. Colles propter erectionem; quia erigit in se Deus eos qui se humiliant. Fines deserti, omnes Gentes. Quare fines deserti? Deserti erant; nullus ad eos Propheta missus erat: sic erant illi quomodo eremus, qua non transit homo. Nullum verbum Dei missum est ad Gentes: soli populo Israel prædicaverunt Prophetæ. Ventum est ad Dominum; crediderunt frumenta in ipso populo Judæorum. Nam dixit tunc discipulis: *Dicitis quia longe est messis; respicite, et videte quia albæ sunt regiones ad messem.* Fuit ergo messis prima; erit secunda in ultimo sæculo. Messis prima de Judæis; quia mittebantur ad illos Prophetæ annuntiantes venturum Salvatorem. Ideo dixit discipulis suis Dominus, *Videte quia albæ sunt regiones ad messem:* regiones utique Judææ. *Alii*, inquit, *laboraverunt, et vos in eorum labores intrastis* (*Joan.* IV, 35, 38). Laboraverunt Prophetæ ut seminarent, et vos cum falce intrastis ad illorum labores. Facta est ergo prima messis; et inde, de ipso frumento quod tunc purgatum est, seminatus est orbis terrarum, ut surgat alia messis quæ in fine metenda est. In secunda messe superseminata sunt zizania; modo hic laboratur. Quomodo in illa prima laboraverunt Prophetæ, quousque veniret Dominus; sic in ista secunda laboraverunt Apostoli, et omnes prædicatores veritatis laborant, quousque in finem Dominus mittat in messem Angelos suos. Antea ergo desertum erat; sed *pinguescent fines deserti.* Ecce ubi Prophetæ non sonuerant, Dominus Prophetarum acceptus est. *Pinguescent fines deserti, et exsultatione colles accingentur.*

18. [*vers.* 14.] *Induti sunt arietes ovium:* subaudiendum, *exsultatione.* Qua enim exsultatione colles accingentur, hac induuntur arietes ovium. Ipsi arietes, qui colles. Colles enim, eminentiore gratia; arietes, quia duces gregum. Arietes ergo Apostoli induti sunt exsultatione, gaudent de fructibus suis; non sine causa laboraverunt, non sine causa prædicaverunt. *Induti sunt arietes ovium; et convalles abundabunt frumento:* et humiles populi multum fructum afferent. *Clamabunt:* inde abundabunt frumento, quia clamabunt. Quid clamabunt? *Etenim hymnum dicent.* Aliud est enim clamare adversus Deum, aliud hymnum dicere; aliud clamare sacrilegia, aliud clamare laudes Dei. Si clamas in blasphemia, spinas protulisti; si clamas in hymno, abundas frumento.

IN PSALMUM LXV
ENARRATIO.
SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Inscribitur in titulo psalmus iste, *In finem, canticum Psalmi resurrectionis. In finem* cum auditis, quando Psalmi pronuntiantur, in Christum intelligite; dicente Apostolo: *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Quomodo ergo hic cantetur resurrectio, et cujus resurrectio, quantum ipse donare et aperire dignatur, audietis. Resurrectionem enim Christiani novimus in capite nostro jam factam, et in membris futuram. Caput Ecclesiæ Christus est, membra Christi Ecclesia (*Coloss.* I, 18). Quod præcessit in capite, sequetur in corpore. Hæc est spes nostra: ad hoc credimus, ad hoc duramus, et perseveramus in tanta malignitate hujus sæculi, consolante nos spe, antequam spes fiat res. Res enim erit cum et nos resurrexerimus, et in cœlestem [1] habitum commutati, æquales Angelis facti fuerimus. Quis hoc sperare auderet, nisi veritas promitteret? Hanc autem spem promissam sibi Judæi tenebant; et de bonis et quasi justis operibus multum gloriabantur, quod acceperant Legem secundum quam vivendo et hic haberent bona carnalia, et in resurrectione mortuorum talia sperabant de qualibus hic gaudebant. Propterea Sadducæis, qui negabant futuram resurrectionem, Judæi respondere non poterant proponentibus quæstionem, quam Domino proposuerunt iidem Sadducæi. Hinc enim intelligimus eos hanc quæstionem solvere non potuisse, quia Domino solvente mirati sunt. Proponebant ergo Sadducæi quæstionem de quadam muliere, quæ habuit septem viros; non simul, sed succedentes sibi. Erat enim hoc legis ad populum propagandum, ut qui forte sine liberis defungeretur, frater ejus, si haberet, acciperet uxorem ejus, ad suscitandum semen fratri suo (*Deut.* XXV, 5). Proposita ergo illa muliere, quæ habuit septem viros omnes mortuos sine liberis, et ad hoc officium implendum ducentes fratris uxorem, dixerunt quærentes: *In resurrectione cujus eorum erit uxor?* Procul dubio Judæi non fatigarentur, non deficerent in ista quæstione, si non talia sibi in resurrectione sperarent, qualia agebant in hac vita. Dominus autem æqualitatem Angelorum promittens, non humanam carnis corruptionem, ait illis: *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent: neque enim incipient mori, sed erunt æquales Angelis Dei* (*Matth.* XXII, 23-30, et *Luc.* XX, 27-36). Demonstravit quod ibi sit necessaria successio, ubi doletur decessio [2]: ibi quia decessores non erunt, nec successores quærentur. Ad hoc enim subjecit: *Non enim incipient mori.* Verumtamen quia Judæi tenebant, etsi carnaliter, spem resurrectionis futuræ, gavisi sunt responsum esse Sadducæis, cum quibus illis erat de hac ancipiti et obscura quæstione certamen. Tenebant ergo Judæi spem resurrectionis mortuorum; et solos se ad beatam vitam resurrecturos sperabant [3] propter opus Legis, et propter justificationes Scripturarum, quas habebant soli Judæi, et Gentes non habebant. Crucifixus est Christus; *cæcitas ex parte Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret* (*Rom.* XI, 25): hoc Apostolo dicente. Cœpit etiam Gentibus promitti resurrectio mortuorum, credentibus

[1] Plerique Mss., *cœlestium.*
[2] Sic Mss. At Edd., *ibi non sit necessaria successio, ubi deletur decessio.*
[3] Plerique Mss., *soli se ad beatam vitam resurrecturos putabant.*

in Jesum Christum quod resurrexerit. Inde psalmus iste est adversus præsumptionem et superbiam Judæorum, pro fide Gentium ad eamdem spem resurrectionis vocatarum.

2. Quodammodo, fratres mei, animum [1] Psalmi audistis. In hoc quod dixi, in hoc quod proposui, tota vestra suspendatur intentio; hinc vos nulla cogitatio avertat: contra præsumptionem dicitur Judæorum, qui de justificationibus Legis sperabant sibi resurrectionem, et crucifixerunt Christum qui primus resurrexit, non membra resurrectura solos Judæos habiturus [2], sed omnes qui in eum credidissent, id est omnes gentes. Inde cœpit: *Jubilate Deo*. Qui? *Omnis terra*. Non ergo sola Judæa. Videte, fratres, quemadmodum commendetur universitas Ecclesiæ toto orbe diffusæ; et non solum dolete Judæos qui gratiam istam Gentibus invidebant, sed plus hæreticos plangite. Si enim dolendi sunt qui collecti non sunt, quanto amplius qui collecti divisi sunt? *Jubilate Deo, omnis terra*. Quid est, *Jubilate?* In vocem erumpite gaudiorum, si non potestis verborum. Non enim verbis jubilatur; sed solus gaudentium sonitus redditur, quasi parturientis et parientis cordis lætitiam in vocem rei conceptæ [3], quæ verbis explicari non possit. *Jubilate Deo, omnis terra:* nemo jubilet in parte. Nemo, inquam, jubilet in parte: omnis terra jubilet, Catholica jubilet. Catholica totum tenet: quicumque partem tenet, et a toto præcisus est, ululare vult, non jubilare. *Jubilate Deo, omnis terra*.

3. [*vers*. 2.] *Psallite autem nomini ejus*. Quid dixit? Psallentibus vobis benedicatur nomen ejus. Quid sit autem psallere, heri dixi, et credo meminisse Charitatem Vestram. Psallere, est organum etiam assumere quod psalterium dicitur, et pulsu atque opere manuum vocibus concordare. Si ergo jubilatis quod Deus audiat, psallite etiam quod homines et videant et audiant; sed non nomini vestro. *Cavete* enim *facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis* (*Matth*. VI, 1). Et propter cujus nomen, inquies, psallam, ut non [4] videantur ab hominibus opera mea? Attendite alio loco: *Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Id*. V, 16). *Videant bona facta vestra, et glorificent*, non vos, sed Deum. Nam si propter vos glorificandos facitis opera bona, respondetur quod ipse dixit de quibusdam talibus: *Amen dico vobis; perceperunt mercedem suam*. Et iterum: *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Id*. VI, 2, 1). Ergo, inquies, debeo abscondere opera mea, ne faciam *coram hominibus?* Non. Sed quid ait? *Luceant opera vestra coram hominibus*. Anceps ergo remanebo: hac mihi dicis, *Cavete facere justitiam vestram coram hominibus;* hac mihi dicis, *Luceant opera vestra bona coram hominibus;* quid observabo? quid faciam? quid relinquam? Tam non potest homo servire duobus dominis diversa jubentibus, quam nec uni diversa jubenti. Non, ait Dominus, diversa jubeo. Finem attende, in finem canta; quo fine facias, vide. Si ideo facis ut tu glorificeris, hoc prohibui; si autem ideo ut Deus glorificetur, hoc jussi. Psallite ergo, non nomini vestro, sed nomini Domini Dei vestri. Vos psallite; ille laudetur: vos bene vivite; ille glorificetur. Unde enim habetis ipsum bene vivere? Si æternum haberetis, nunquam male vixissetis; si a vobis haberetis, nunquam non [1] bene vixissetis: *Psallite autem nomini ejus*.

4. *Date gloriam laudi ejus*. Totam intentionem nostram in laudem Dei mittit; nihil nobis relinquit unde laudemur. Gloriemur inde magis [2], et gaudeamus; illi inhæreamus, in illo laudemur. Audistis cum legeretur Apostolus: *Videte vocationem vestram, fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed stulta mundi elegit Deus ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia; et ignobilia mundi elegit Deus, et ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt, ut ea quæ sunt evacuentur* (I *Cor*. I, 26-28). Quid voluit dicere? quid voluit ostendere? Descendit Dominus Deus noster Jesus Christus [3] reparare genus humanum, et dare gratiam suam omnibus intelligentibus quia gratia illius est, non merita eorum; et ne quælibet persona gloriaretur in carne, infirmos elegit. Nam inde non est electus etiam ille Nathanael. Quid enim tibi videtur, ut publicanum in telonio sedentem eligeret Matthæum (*Matth*. IX, 9), et non eligeret Nathanael cui perhibuit testimonium ipse Dominus, dicens: *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est?* Intelligitur ergo Nathanael iste doctus fuisse in Lege. Non quia doctos non erat electurus: sed si ipsos primo elegisset, doctrinæ suæ merito se electos putarent; ita illorum scientia laudaretur, et laus Christi gratiæ minueretur. Perhibuit testimonium tanquam bono fideli, in quo dolus non erat; sed tamen eum non assumpsit inter illos discipulos, quos primum idiotas elegit. Et unde intelligimus quod ille peritus erat Legis? Quando audivit ab uno ex eis qui secuti erant Dominum, dicente, *Invenimus Messiam, quod interpretatur Christus*, quæsivit unde; et dictum est, *A Nazareth:* et ille, *A Nazareth potest aliquid boni esse*. Procul dubio, qui intellexit quia a Nazareth potest aliquid boni esse, peritus erat Legis, et bene Prophetas inspexerat. Novi esse in illis verbis aliam pronuntiationem; sed a prudentioribus non est approbata: ut quasi desperasse videretur ille, cum audiens dixisset, *A Nazareth potest aliquid boni esse?* id est, numquid potest? Sic pronuntiando quasi desperaret. Sequitur autem ibi, *Veni, et vide* (*Joan*. I, 41-47). Hæc verba, id est, *Veni, et vide*, utramque possunt pronuntiationem sequi. Si dicas, quasi non credens, *A Nazareth potest aliquid boni esse?* respondetur, *Veni, et vide* quod non credis. Rursus si

[1] Omnes prope Mss., *animam*.
[2] Sic aliquot Mss. At Edd., *habituros*.
[3] Mss., *in voce lætitiæ* (vel *lætitiam*) *rei conceptæ*.
[4] Abest, *non*, a plerisque Mss.

[1] Edd. et Mss., *nunquam bene:* omissa negatione, quæ abesse salvo sensu non poterat.
[2] Sic Mss. At Edd., *in Deo*.
[3] Edd., *in spiritu reparare*. Abest, *in spiritu*, a plerisque Mss.

dicas confirmans, *A Nazareth potest aliquid boni esse;* respondetur, *Veni, et vide* quam vere sit bonum quod nuntio a Nazareth; et quam recte credas, veni, et experire. Hinc tamen existimatur doctus ille in Lege fuisse, quia non est electus inter discipulos ab illo qui stulta mundi prius elegit; cum tantum ei perhibuerit testimonium Dominus dicens: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Elegit ergo Dominus postea et oratores; sed illi superbirent, si non prius eligeret piscatores: elegit divites; sed dicerent merito divitiarum suarum se electos esse, nisi primo elegisset pauperes: elegit imperatores postea; sed melius est ut Romam cum venerit imperator, deposito diademate, ploret ad memoriam piscatoris, quam ut piscator ploret ad memoriam imperatoris. *Infirma* enim *mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi elegit, et ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt, ut ea quæ sunt evacuentur.* Et quid sequitur? Conclusit Apostolus: *Ut non glorietur coram Deo omnis caro.* Videte quemadmodum nobis abstulit gloriam, ut daret gloriam: abstulit nostram, ut daret suam; abstulit inanem, ut daret plenam; abstulit nutantem, ut daret solidam. Quanto ergo gloria nostra fortior et firmior, quia in Deo est! Non ergo in te debes gloriari; prohibuit Veritas: sed quod ait Apostolus, hoc præcepit Veritas, *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 29, 31). *Date* ergo *gloriam laudi ejus.* Nolite imitari Judæos, qui quasi meritis suis volebant tribuere justificationes suas, et invidebant Gentibus accedentibus ad gratiam evangelicam, ut peccata omnia donarentur eis; quasi illi non haberent quod sibi donaretur; jam, quasi boni operarii, mercedem exspectantes. Et cum adhuc ægroti essent, sanos se esse putabant, et inde periculosius ægrotabant. Nam si vel mitius ægrotassent, non quasi phrenetici medicum occidissent. *Date gloriam laudi ejus.*

5. [*vers.* 3.] *Dicite Deo: Quam timenda sunt opera tua!* Quare timenda, et non amanda? Audi aliam vocem psalmi: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11). Quid sibi hoc vult? Audi vocem Apostoli: *Cum timore,* inquit, *et tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Quare, *cum timore et tremore?* Subjecit causam: *Deus est enim qui operatur in vobis, et velle, et operari, pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 12, 13). Si ergo Deus operatur in te, gratia Dei bene operaris, non viribus tuis. Ergo si gaudes, et time; ne forte quod datum est humili, auferatur superbo. Nam, ut noveritis hoc esse factum de ipsa superbia Judæorum, quasi se ex operibus Legis justificantium, et ideo cadentium, dicit alius psalmus: *Hi in curribus, et hi in equis,* quasi in suis quibusdam passibus et instrumentis ad erectionem suam; *nos autem,* inquit, *in nomine Domini Dei nostri magnificabimur: Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur.* Vide quemadmodum illi extollebantur in se; vide quemadmodum isti gloriabantur in Deo. Propterea quid secutum est? *Illi obligati sunt pedes, et ceciderunt; nos autem surreximus, et erecti sumus* (*Psal.* XIX, 8, 9). Audi ipsum Dominum nostrum hoc idem dicentem: *Ego,* inquit, *veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant.* Vide in una parte bonitatem; in alia quasi malitiam. Sed quid illo melius? quid misericordius? quid justius? Quare ergo, *qui non vident, videant?* Propter bonitatem. Quare, *et qui vident, cæci fiant?* Propter elationem. Et vere videbant, et facti sunt cæci? Non videbant, sed videre sibi videbantur. Nam ecce videte, fratres: cum dicerent ipsi Judæi, *Num sumus cæci? ait illis Dominus, Si cæci essetis, peccatum non haberetis: modo autem quia dicitis, Videmus, peccatum vestrum in vobis manet* (*Joan.* IX, 39-41). Ad medicum venisti; videre te dicis? Cessabunt collyria; semper cæcus remanebis: confitere te cæcum, ut illuminari merearis. Attende Judæos; attende Gentes. *Qui non vident, videant,* inquit: ideo *veni, ut qui vident, cæci fiant.* Ipsum Dominum nostrum Jesum Christum in carne videbant Judæi; Gentes non videbant: ecce qui viderunt, crucifixerunt; qui non viderunt, crediderunt. Ergo quid fecisti, o Christe, adversus superbos? quid fecisti? Videmus, quia dignatus es, et membra tua sumus; videmus: abscondisti Deum; objecisti hominem. Quare hoc? *Ut cæcitas ex parte Israel fieret, et plenitudo Gentium intraret.* Ad hoc abscondisti Deum, et hominem aspectibus objecisti. Videbant, et non videbant: videbant quod acceperas, et non videbant quod eras: videbant formam servi, non videbant formam Dei (*Philipp.* II, 6, 7); formam servi, qua major est Pater (*Joan.* XIV, 28); non formam Dei, propter quam modo audistis, *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30). Tenuerunt quod videbant, crucifixerunt quod videbant; insultaverunt ei quem videbant, non agnoverunt qui latebat. Audi Apostolum dicentem: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I *Cor.* II, 8). Ergo Gentes quæ vocatæ estis, attendite ramos præcisos propter severitatem; vos autem insertos propter bonitatem, et participes factos pinguedinis oleæ, non altum sapientes; id est non superbientes. *Non enim tu radicem portas,* ait; sed radix te. Magis terreamini, quia videtis amputatos ramos naturales. Judæi enim per Patriarchas venerunt; de carne Abrahæ nati sunt. Et quid ait Apostolus? *Sed dicis: Fracti sunt rami, ut ego inserar. Bene; propter infidelitatem fracti sunt. Tu autem,* inquit, *fide stas; noli altum sapere, sed time: si enim naturalibus ramis Deus non pepercit, neque tibi parcet.* Attende ergo ramos fractos, et te insertum: noli extolli super ramos fractos; sed magis dicito Deo, *Quam metuenda sunt opera tua!* Fratres, si adversus Judæos olim præcisos de radice Patriarcharum extollere nos non debemus, sed timere potius, et dicere Deo, *Quam timenda sunt opera tua!* quanto minus non nos debemus extollere adversus recentia vulnera præcisionum? Præcisi sunt ante Judæi, insertæ sunt Gentes: de ipsa insertione præcisi sunt hæretici; sed neque contra illos nos extollere debemus, ne forte præcidi mereatur, quem delectat insultare præcisis. Fratres mei, qualiscumque episcopi vox sonuit vobis, rogamus vos ut caveatis:

quicumque in Ecclesia estis, nolite insultare eis qui non sunt intus; sed orate potius ut et ipsi intus sint. *Potens est enim Deus iterum inserere illos*. De ipsis Judæis dixit hoc Apostolus; et factum est in eis. Resurrexit Dominus, et multi crediderunt: non intellexerunt cum crucifigerent; tamen postea crediderunt in eum, et donatum est eis tam magnum delictum. Fusus Domini sanguis donatus est homicidis, ut non dicam deicidis; quia *si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Modo homicidis donatus est fusus sanguis innocentis; et ipsum sanguinem quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt. *Dicite* ergo *Deo: Quam timenda sunt opera tua!* Unde timenda? *Quia cæcitas ex parte Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret* (*Rom.* XI, 17-25). O Gentium plenitudo, dic Deo, *Quam timenda sunt opera tua!* et sic gaude ut contremiscas; noli extolli super ramos præcisos. *Dicite Deo: Quam timenda sunt opera tua!*

6. *In multitudine potentiæ tuæ mentientur tibi inimici tui*. Ad hoc tibi, inquit, mentientur inimici tui, ut multa sit potentia tua. Quid est hoc? Intentius audite. Potentia Domini nostri Jesu Christi maxime apparuit in resurrectione, unde psalmus iste titulum accepit. Et resurgens apparuit discipulis suis. Non apparuit inimicis suis, sed discipulis suis (*Act.* X, 41). Crucifixus apparuit omnibus; resurgens fidelibus: ut etiam postea qui vellet crederet, et credenti resurrectio promitteretur. Multi sancti multa miracula fecerunt; nullus ipsorum mortuus resurrexit: quia et qui ab eis resuscitati sunt, morituri resuscitati sunt. Intendat Charitas Vestra. Commendans Dominus opera sua dixit: *Operibus credite, si mihi non vultis credere* (*Joan.* X, 38). Et commendantur etiam præterita opera Prophetarum; et si non eadem, tamen multa eadem, multa ejusdem potentiæ. Ambulavit Dominus super mare, jussit [1] et Petrum (*Matth.* XIV, 25, 29). Numquid non ibi erat ipse Dominus, quando se divisit mare, ut Moyses cum populo Israel transiret (*Exod.* XIV, 21)? Idem Dominus illa faciebat. Qui fecit ista per carnem suam, ipse illa faciebat per carnem servorum suorum. Illud tamen per servos suos non fecit (nam ipse omnia faciebat), ut aliquis ipsorum mortuus esset, et resurgeret in vitam æternam. Quia ergo possent dicere Judæi, cum miracula faceret Dominus, Fecit hæc et Moyses, fecit Elias, fecit Elisæus: possent sibi ista dicere, quia et illi mortuos resuscitaverunt, et multa miracula fecerunt: propterea cum ab illo signum peteretur; proprium signum commendans quod in se solo futurum erat, ait: *Generatio ista prava et amaricans* [2] *signum quærit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus; sic erit et filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus* (*Matth.* XII, 39, 40). Quomodo fuit Jonas in ventre ceti? Nonne ut postea vivus evomeretur? Hoc fuit infernus Domino, quod Jonæ cetus. Hoc signum proprium commendavit; hoc est potentissimum. Potentius est revixisse mortuum, quam non fuisse mortuum. Magnitudo potentiæ Domini secundum quod homo factus est, in virtute resurrectionis apparet. Hanc commendat Apostolus, cum dicit: *Non habens meam justitiam quæ ex Lege est; sed eam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo justitia in fide, ad cognoscendum eum, et virtutem resurrectionis ejus* (*Philipp.* III, 9, 10). Sic commendatur et alio loco: *Et si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit in virtute Dei* (II *Cor.* XIII, 4). Cum ergo ista magna potentia Domini in resurrectione intelligatur, unde titulum psalmus iste accepit; quid sibi vult, *In multitudine potentiæ tuæ mentientur tibi inimici tui*, nisi ut sic intelligas: Ideo tibi mentientur inimici tui ut crucifigaris; ideo crucifigeris ut resurgas? Mendacium ergo illorum ad commendandam multam potentiam tuam valebit. Quare solent inimici mentiri? Ut potentiam cujusque minuant de quo mentiuntur. Tibi, inquit, contra accidit. Nam minus appareret potentia tua, si tibi illi non mentirentur.

7. Attendite et ipsum mendacium falsorum testium in Evangelio, et videte quia de resurrectione est. Cum enim Domino dictum esset, *Quod signum ostendis nobis, quia ista facis?* excepto eo quod dixerat de Jona, per aliam similitudinem hoc ipsum item dixit, ut noveritis hoc proprium signum maxime commendatum: *Solvite templum*, inquit, *hoc; et in tribus diebus excitabo illud. Et illi dixerunt: Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc; et tu in triduo excitabis illud?* Et evangelista, quid illud esset exponens: *Hoc autem*, inquit, *dicebat Jesus de templo corporis sui* (*Joan.* II, 18-21). Ecce hanc potentiam suam hominibus se demonstraturum dicebat, unde similitudinem de templo dederat, propter carnem suam quæ erat templum latentis intus divinitatis. Unde Judæi templum foris videbant; numen intus habitans [1] non videbant. Ex istis verbis Domini concinnaverunt falsi testes mendacium, quod contra eum dicerent, ex his ipsis ubi commendavit resurrectionem suam futuram, loquens de templo. Dixerunt enim falsi testes adversus eum, cum quæreretur ab eis quid illum audissent dixisse [2]: *Audivimus eum dicentem, Solvam templum hoc, et post triduum resuscitabo illud* (*Matth.* XXVI, 61). *Post triduum resuscitabo*, audierant: *Solvam*, non audierant; sed audierant, *Solvite*. Unum verbum mutaverunt, et paucas litteras, ut falsum testimonium molirentur. Sed cui mutas verbum, o humana vanitas, o humana infirmitas? Verbo incommutabili verbum mutas! Mutas tu tuum verbum; numquid mutas Dei Verbum? Unde alio loco dicitur: *Et mentita est iniquitas sibi* (*Psal.* XXVI, 12). Quare ergo tibi mentiti sunt inimici tui, o Domine, cui jubilat omnis terra? *In multitudine potentiæ tuæ mentientur tibi inimici tui*. Dicent, *Solvam*; cum tu dixeris, *Solvite*. Quare te dixerunt dixisse, *Solvam*; et non dixerunt quod tu dixisti, *Solvite*?

[1] Aliquot Mss., *duxit*.
[2] Plerique Mss.: *Generatio mala et adultera*

[1] Aliquot Mss., *inhabitans*.
[2] Sic Mss. At Edd., *quod illum audissent dixisse blasphemias*.

Ut quasi ipsi se a crimine soluti templi defenderent sine causa. Christus enim, quia voluit, mortuus est: et tamen vos occidistis. Ecce concedimus vobis, o mendaces; ipse solvit templum. Dictum est enim ab Apostolo: *Qui me dilexit et tradidit semetipsum pro me* (*Gal.* II, 20). Dictum est de Patre: *Qui proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII, 32). Si ergo Pater Filium tradidit, et Filius semetipsum tradidit; Judas quid fecit? Pater tradendo Filium ad mortem pro nobis, bene fecit: Christus tradendo seipsum pro nobis, fecit bene: tradendo Judas magistrum pro avaritia sua, fecit male. Non enim quod nobis præstitum est de passione Christi, malitiæ Judæ deputabitur: habebit ille mercedem malitiæ; Christus laudem gratiæ. Prorsus ipse solverit templum; ipse solverit qui dixit: *Potestatem habeo ponendi animam meam; et potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eum a me; sed ego ipse pono eam a me, et iterum sumo eam* (*Joan.* X, 18). Ipse solverit templum gratia sua [1], malitia vestra. *In multitudine potentiæ tuæ mentientur tibi inimici tui.* Ecce mentiuntur, ecce creditur eis, ecce opprimeris, ecce crucifigeris, ecce insultatur tibi, ecce caput agitatur: *Si Filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII, 40). Ecce quando vis animam ponis, et lancea latus percuteris (*Joan.* XIX, 34), et Sacramenta de latere tuo defluunt; deponeris de ligno, involveris linteaminibus, poneris in sepulcro, adduntur custodes ne tollant te discipuli tui; venit hora resurrectionis tuæ, terra concutitur, monumenta scinduntur, resurgis occultus, appares manifestus. Ubi sunt ergo illi mendaces? ubi est falsum testimonium malevolentiæ? Nonne in multitudine potentiæ tuæ mentiti sunt tibi inimici tui?

8. Da et illos sepulcri custodes; referant quid viderint: accipiant pecuniam, et ipsi mentiantur; dicant etiam ipsi moniti perversi a perversis, dicant a Judæis corrupti, qui in Christo noluerunt esse integri; dicant, mentiantur etiam ipsi. Quid dicturi sunt? Dicite; videamus: mentiemini et vos in multitudine potentiæ Domini. Quid dicturi estis? *Cum dormiremus nos, venerunt discipuli ejus, et abstulerunt eum de monumento* (*Matth.* XXVIII, 13). O vere stultitia dormiens! Aut vigilabas; et prohibere debuisti: aut dormiebas; et quid sit gestum nescisti. Accesserunt et ipsi mendacio inimicorum: auctus est numerus mentientium, ut augeretur merces credentium; quia *in multitudine potentiæ tuæ mentientur tibi inimici tui.* Ergo mentiti sunt; in multitudine potentiæ tuæ mentiti sunt: apparuisti contra mendaces veracibus et apparuisti eis veracibus quos tu veraces fecisti.

9. [*vers.* 4.] Remaneant Judæi in mendaciis suis: tibi, quia in multitudine potentiæ tuæ mentiti sunt, fiat quod sequitur: *Omnis terra adoret te, et psallat tibi; psallat nomini tuo, Altissime.* Paulo ante humillime, modo *Altissime*: humillime inter manus mentientium inimicorum; *Altissime* super verticem laudantium Angelorum. *Omnis terra adoret te, et psallat tibi; psallat nomini tuo, Altissime.*

10. [*vers.* 5.] *Venite, et videte opera Domini.* O Gentes, o ultimæ nationes, relinquite Judæos mentientes, venite confitentes. *Venite, et videte opera Domini: terribilis in consiliis super filios hominum.* Filius hominis quidem et ipse dictus est, et vere filius hominis factus est: verus Filius Dei in forma Dei; verus filius hominis in forma servi (*Philipp.* II, 6): sed nolite formam istam servi ex aliorum similium conditione pensare; *terribilis est in consiliis super filios hominum.* Machinati sunt filii hominum consilium ad crucifigendum Christum; crucifixus excæcavit crucifigentes. Quid ergo fecistis, filii hominum, machinando acuta consilia adversus Dominum vestrum, in quo latebat majestas, et apparebat infirmitas? Vos machinati estis consilia perdendi, ille excæcandi et salvandi; excæcandi superbos, salvandi humiles: ad hoc autem superbos ipsos excæcandi [1], ut cæcati humiliarentur, humiliati confiterentur, confessi illuminarentur. *Terribilis in consiliis super filios hominum.* Vere terribilis! Ecce cæcitas ex parte Israel facta est: ecce Judæi ex quibus natus est Christus, foris sunt: ecce Gentes quæ contra Judæam erant, in Christo intus sunt (*Rom.* XI, 25). *Terribilis in consiliis super filios hominum.*

11. [*vers.* 6.] Propterea quid fecit terrore consilii sui? Convertit mare in aridam. Hoc enim sequitur: *Qui convertit mare in aridam.* Mare erat mundus; amarus salsitate, turbulentus tempestate, sæviens fluctibus persecutionum, mare erat: certe in aridam conversum est mare; modo sitit aquam dulcem mundus, qui salsa plenus erat. Quis hoc fecit? *Qui convertit mare in aridam.* Jam anima Gentium omnium quid dicit? *Anima mea velut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII, 6). *Qui convertit mare in aridam. In flumine pertransibunt pede.* Illi ipsi qui conversi sunt in aridam, cum essent antea mare [2], *in flumine pede pertransibunt.* Quid est flumen? Flumen est omnis mortalitas sæculi. Videte flumen: alia veniunt et transeunt, alia transitura succedunt. Nonne sic fit in aqua fluminis, quæ de terra nascitur, et manat? Omnis qui natus est, cedat oportet nascituro: et omnis iste ordo rerum labentium, fluvius quidam est. In istum fluvium non se mittat cupida anima, non se mittat; stet. Et quomodo transibit delectationes rerum periturarum? Credat in Christum, et transibit pede: transit illo duce, pede transit. Quid est, pede transire? Facile transire. Non quærit equum ut transeat; non erigitur superbia ad transeundum flumen: humilis transit, et tutius transit. *In flumine pertransibunt pede.*

12. *Ibi jucundabimur in ipso* [3]. O Judæi, de vestris operibus gloriamini: ponite superbiam gloriandi de vobis; sumite gratiam jucundandi in Christo. Ibi enim jucundabimur: sed non in nobis: *ibi jucundabi-*

[1] Edd., non malitia vestra. Abest, non, a Mss.

[1] Duo Mss., *superbos e c ipsis excæcandi.*
[2] Sic aliquot Mss. Alii cum Edd., *antea amari.*
[3] Hic in Edd. interpositum erat: *In bonis operibus jucundare*: quod a plerisque Mss. abest.

mur in ipso. Quando jucundabimur? Cum flumen transierimus pede. Vita æterna promittitur, resurrectio promittitur; ibi caro nostra jam non erit flumen: flumen enim modo est, quando mortalitas est. Videte si stat aliqua ætas. Pueri crescere volunt; et nesciunt spatium vitæ suæ annis succedentibus minui. Non enim adduntur anni, sed subtrahuntur crescentibus: sicut aqua fluminis prorsus accedit, sed a fonte recedit. Et volunt crescere pueri, ut careant dominatu majorum; ecce crescunt, agitur cito, perveniunt ad juventutem: qui excesserunt pueritiam, si possunt teneant juventutem; transit et ipsa. Senectus succedit; vel senectus æterna sit: morte aufertur. Ergo fluvius est carnis nascentis. Hunc fluvium mortalitatis, ne mortalium rerum concupiscentia subvertat et rapiat [1], facile transit qui humiliter, id est, pede transit, duce illo qui prior transiit, qui de torrente in via usque ad mortem bibit, propterea exaltavit caput (*Psal.* CIX, 7). Transeuntes ergo pede fluvium istum, id est facile transeuntes mortalitatem istam fluentem, *ibi jucundabimur in ipso.* Modo autem in quo, nisi vel in ipso, vel in spe ipsius? Etsi enim jucundamur modo, in spe jucundamur; tunc autem in ipso jucundabimur. Et modo in ipso, sed per spem; tunc autem facie ad faciem (I *Cor.* XIII, 12).

13. [*vers.* 7.] *Ibi jucundabimur in ipso.* In quo? *Qui dominatur in virtute sua in æternum.* Nam nos quam virtutem habemus? et numquid æternam? Si æterna esset virtus nostra, non lapsi essemus, non cecidissemus in peccatum, non meruissemus mortalitatem pœnalem. Ille voluntate suscepit, quo nos meritum nostrum dejecit, *Qui dominatur in virtute sua in æternum.* Ejus participes efficiamur, in cujus virtute nos erimus fortes; ille autem in sua. Nos illuminati; ille lumen illuminans: nos aversi ab illo, contenebramur; ille averti a se non potest. Calore ipsius accendimur; unde recedentes frigueramus, accedentes rursum accendimur. Ergo dicamus ei ut custodiat nos in virtute sua, quia in ipso jucundabimur *qui dominatur in virtute sua in æternum.*

14. Sed non hoc solis Judæis præstat credentibus, Quia multum se extulerunt Judæi de virtute sua præsumentes, postea cognoverunt in cujus virtute fuerunt salubriter fortes, et quidam eorum crediderunt: sed non sufficit Christo; multum est quod dedit, magnum pretium dedit, non pro solis Judæis debuit valere quod dedit. *Oculi ejus super Gentes respiciunt.* Ergo, *Oculi ejus super Gentes respiciunt.* Et quid facimus? Murmurabunt Judæi; dicturi sunt Judæi: Quod nobis, hoc et illis; nobis Evangelium, illis Evangelium; nobis gratiam resurrectionis, et illis gratiam resurrectionis: nihil nobis prodest quod nos Legem accepimus, et in justificationibus Legis viximus, et tenuimus præcepta patrum: nihil valebit hoc; illis quod nobis! Non litigent, non contendant. *Qui amaricant, non exaltentur in semetipsis.* O caro misera et tabescens, nonne peccatrix es? Quid clamat lingua tua? Attendatur conscientia. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei (*Rom.* III, 23). Agnosce te, infirmitas humana. Accepisti Legem, ut et prævaricatrix Legis esses; non enim tenuisti et implesti quod accepisti. Accessit tibi ex Lege, non justificatio quam Lex jubet, sed prævaricatio quam tu fecisti. Si ergo abundavit peccatum, quid invides superabundanti gratiæ (*Id.* V, 20)? Noli amaricare, quia *qui amaricant, non exaltentur.* Quasi maledixisse videtur, *Qui amaricant, non exaltentur*: imo exaltentur, sed non *in seipsis.* Humilientur in seipsis; exaltentur in Christo. Qui enim se humiliat, exaltabitur; et qui se exaltat, humiliabitur (*Matth.* XXIII, 12). *Qui amaricant, non exaltentur in semetipsis.*

15. [*vers.* 8, 9.] *Benedicite, Gentes, Deum nostrum.* Ecce repulsi sunt qui amaricant; reddita est illis ratio: aliqui conversi sunt, aliqui superbi remanserunt. Non vos terreant qui gratiam evangelicam invident Gentibus; jam venit semen Abrahæ, in quo benedicuntur omnes Gentes (*Gen.* XII, 3). Benedicite eum in quo benedicimini; *Benedicite, Gentes, Deum nostrum: et audite vocem laudis ejus.* Ne vos ipsos laudetis; sed ipsum laudetis. Quæ est vox laudis ejus? Quia gratia ipsius sumus, quidquid boni sumus. *Qui posuit animam meam in vitam* [1]. Ecce vox laudis ejus: *Qui posuit animam meam in vitam.* Ergo in morte erat; in morte erat in te [2]. Inde est quod non debuistis exaltari in vobis ipsis. Ecce in morte erat in te: ubi erit in vita, nisi in illo qui dixit, *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6)? Quomodo quibusdam credentibus ait Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8). Tenebræ ergo in vobis; lux in Domino: sic mors in vobis; vita in Domino. *Qui posuit animam meam in vitam.* Ecce posuit animam nostram in vitam, quia credimus in eum; in vitam [3] posuit animam nostram: sed quid deinde opus est, nisi ut perseveremus usque in finem? Et hoc quis dabit, nisi de quo consequenter dictum est, *Et non dedit in motum pedes meos?* Ipse posuit animam in vitam, ipse regit pedes, ne nutent, ne moveantur, et dentur in motum; ipse nos facit vivere, ipse perseverare usque in finem, ut in æternum vivamus. *Et non dedit in motum pedes meos.*

16. [*vers.* 10-12.] Quare hoc dixisti, *Et non dedit in motum pedes meos?* Quid enim passus es, aut quid pati potuisti, ut moverentur pedes tui? Quid? audi quæ sequantur. Quare dixi, *non dedit in motum pedes meos?* Quia multa passi sumus, de quibus moverentur de via pedes nostri, nisi ipse regeret, et eos in motum non daret. Quæ sunt ista? *Quoniam probasti nos Deus; ignisti nos, sicut ignitur argentum.* Non ignisti sicut fenum, sed sicut argentum: adhibendo nobis ignem, non in cinerem convertisti, sed sordes abluisti. *Ignisti nos, sicut ignitur argentum.* Et vide quomodo

[1] Sic Mss. At Edd.: *In hunc fluvium mortalitatis nemo se mortalium rerum concupiscentia subvertat, ne rapiatur: facile transit*, etc.

[1] Mss. constanter, *in vita.*
[2] Sic Mss. At Edd., *in morte erat, quia in te erat, inde est*, etc.
[3] Edd., *qui in vita.* Abest, *qui*, a Mss.

sævit Deus in illos, quorum animam posuit in vitam. *Induxisti nos in muscipulam*: non ut capti moreremur, sed unde liberati experiremur. *Posuisti tribulationes in dorso nostro*. Erecti enim male, superbi eramus: male erecti curvati sumus, ut curvati bene erigeremur. *Posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra*. Hæc omnia passa est Ecclesia variis et diversis persecutionibus; passa est hoc singillatim, etiam modo patitur. Non enim quisquam est, qui se in hac vita ab his tentationibus possit dicere immunem. Ergo imponuntur et homines super capita nostra: toleramus quos nolumus, patimur superiores aliquando quos novimus pejores. Peccata autem si desint, bene superior est homo; quanto autem plura adsunt, tanto est inferior. Et bonum est ut consideremus nos peccatores esse, et sic toleremus impositos super capita nostra; ut et nos Deo confiteamur quia digne patimur. Quid enim indigne pateris quod facit qui justus est? *Posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra*. Sævire videtur Deus, cum ista facit: ne metuas; quoniam Pater est, nunquam sic sævit ut perdat. Quando male vivis, si parcit, plus irascitur. Omnino istæ tribulationes flagella sunt corrigentis, ne sit sententia punientis. *Posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra*.

17. *Transivimus per ignem et aquam*. Ignis et aqua, utrumque periculosum est in hac vita. Certe videtur aqua ignem exstinguere, et ignis videtur aquam siccare. Ita et ipsæ tentationes sunt, quibus abundat hæc vita. Ignis urit, aqua corrumpit: utrumque metuendum; et ustio tribulationis, et aqua corruptionis. Quando sunt res angustæ, et aliqua quæ infelicitas dicitur in hoc mundo, quasi ignis est: quando sunt res prosperæ, et abundantia sæculi circumfluit, quasi aqua est. Vide ne te ignis exurat, ne aqua corrumpat. Firmus esto adversus ignem; coqui te oportet: tanquam vas fictum mitteris in caminum ignis, ut firmetur quod formatum est. Vas ergo jam igne firmatum aquam non timet; vas autem si solidatum igne non fuerit, tanquam lutum aqua solvetur. Noli festinare ad aquam; per ignem transi ad aquam, ut transeas et aquam. Propterea et in Sacramentis, et in catechizando, et in exorcizando, adhibetur prius ignis. Nam unde plerumque immundi spiritus clamant, Ardeo, si ille ignis non est? Post ignem autem exorcismi venitur ad Baptismum; ut ab igne ad aquam, ab aqua in refrigerium. Quod autem in Sacramentis[1], hoc in tentationibus hujus sæculi: angustia timoris accedit prima, vice ignis; postea ablato timore, metuendum est ne felicitas mundana corrumpat. Cum autem te ignis crepare non fecerit, et in aquam non merseris, sed enataveris; per disciplinam transis ad requiem, et transiens per ignem et aquam educeris in refrigerium. Quarum enim rerum signa sunt in Sacramentis, ipsæ res sunt in illa perfectione vitæ æternæ. Jam cum transierimus ad illud refrigerium, fratres charissimi, nullum ibi timebimus inimicum, nullum tentatorem, nullum invidum, nullum ignem, nullam aquam; perpetuum ibi refrigerium erit. Refrigerium propter quietem dicitur. Nam si dicas, Calor est, verum est: si dicas, Refrigerium, verum est. Si enim refrigerium male accipias, quasi torpescimus ibi. Non autem torpescimus ibi, sed requiescimus: nec quia calor dicitur, æstuabimus ibi, sed fervebimus spiritu. Attende ipsum calorem in alio psalmo: *Nec est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII, 7). Quid dicit et Apostolus? *Spiritu ferventes* (*Rom.* XII, 11). Ergo, *Transivimus per ignem et aquam: Et eduxisti nos in refrigerium*.

18. [*vers.* 13.] Attende quia non tantum de refrigerio, sed nec de ipso igne optabili tacuit: *Introibo in domum tuam in holocaustis*. Quid est holocaustum? Totum incensum, sed igne divino. Holocaustum enim dicitur sacrificium, cum totum accenditur. Aliæ sunt partes sacrificiorum; aliud holocaustum: quando totum ardet, et totum consumitur igne divino, holocaustum dicitur; quando pars, sacrificium. Omne quidem holocaustum sacrificium; sed non omne sacrificium holocaustum. Holocausta ergo promittit; corpus Christi loquitur, unitas Christi loquitur: *Introibo in domum tuam in holocaustis*. Totum meum consumat ignis tuus; nihil mei remaneat mihi, totum sit tibi. Hoc autem erit in resurrectione justorum[1], *quando et corruptibile hoc induetur incorruptione, et mortale hoc induetur immortalitate; tunc fiet quod scriptum est: Absorpta est mors in victoriam* (I *Cor.* XV, 54). Victoria quasi ignis divinus est: cum absorbet et mortem nostram, holocaustum est. Non remanet mortale aliquid in carne, non remanet aliquid culpabile in spiritu; totum ex mortali vita consumetur, ut in æterna vita consummetur[2]: erunt ergo illa holocausta.

19. [*vers.* 14.] Et quid erit[3], *in holocaustis? Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*. Quæ est distinctio in votis? Hæc est distinctio, ut te accuses, illum laudes; te intelligas creaturam, illum creatorem; te tenebras, illum illuminatorem, cui dicas: *Tu illuminabis lucernam meam, Domine; Deus meus, illuminabis tenebras meas* (*Psal.* XVII, 29). Nam quando dixeris, o anima, quia ex te tibi lucet, non distingues. Si non distingues, non reddes vota distincta. Redde vota distincta; confitere te mutabilem, illum incommutabilem: confitere te sine illo nihil esse, ipsum autem sine te perfectum esse; te indigere illo, illum autem tui non indigere. Clama ad illum: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiges* (*Psal.* XV, 2). Jam eo quod te in holocaustum assumit Deus, non ille crescit, non ille augetur, non ille ditior, non ille instructior fit: tibi est melius quidquid de te pro te facit; non ei qui facit. Hæc si discernas, reddis vota Deo tuo, quæ distinxerunt labia tua. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*.

[1] Hic in edd. additum fuerat, *aquæ Baptismi*; quod a Mss. abest.

[1] Sic Mss. At Edd., *mortuorum*.

[2] Hic Edd. addunt, *ut a morte servemur in vitam*: quod abest a potioribus Mss.

[3] Aliquot probæ notæ Mss., *erunt*.

20. [*vers.* 15.] *Et locutum est os meum in tribulatione mea.* Quam dulcis est sæpe tribulatio! quam necessaria! Quid ibi locutum est os ipsius in tribulatione sua? *Holocausta medullata offeram tibi.* Quid est, *medullata?* Intus teneam charitatem tuam; non erit in superficie, in medullis meis erit quod diligo te. Nihil enim interius medullis nostris: interiora ossa sunt carne, medullæ interiores sunt ipsis ossibus. Quisquis ergo in superficie colit Deum, magis placere vult hominibus; aliud autem intus sentiens, non offert holocausta medullarum: cujus autem medullam inspicit, ipsum totum accipit. *Holocausta medullata offeram tibi, cum incenso et arietibus.* Arietes duces Ecclesiæ: totum corpus Christi loquitur; hoc est quod offert Deo. Incensum quid est? Oratio. *Cum incenso et arietibus?* Maxime enim arietes orant pro gregibus. *Offeram tibi boves cum hircis.* Boves invenimus triturantes, et ipsi offeruntur Deo. Apostolus de annuntiatoribus Evangelii dixit intelligendum quod scriptum est: *Bovi trituranti os non infrenabis. Numquid de bobus pertinet ad Deum* (I *Cor.* IX, 9)? Ergo magni illi arietes, magni boves. Quid reliqui, qui forte conscii sunt aliquorum peccatorum; qui forte in ipso itinere lapsi sunt, et sauciati per pœnitentiam sanantur? Numquid et ipsi remanebunt, et ad holocausta non pertinebunt? Ne ipsi timeant, addidit et hircos: *Holocausta,* inquit, *medullata offeram tibi, cum incenso et arietibus: offeram tibi boves cum hircis.* Adjunctione ipsa salvantur hirci: per se non possunt; adjuncti bobus accipiuntur. Fecerunt enim amicos de mammona iniquitatis, ut ipsi recipiant eos in æterna tabernacula (*Luc.* XVI, 9). Ergo isti hirci non erunt a sinistris, quia fecerunt sibi amicos de mammona iniquitatis. Qui autem hirci ad sinistram? Quibus dicetur, *Esurivi, et non dedistis mihi manducare* (*Matth.* XV, 42): non qui peccata sua eleemosynis redemerunt.

21. [*vers.* 16, 17.] *Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum.* Veniamus, audiamus quid narraturus est. *Venite, audite, et narrabo.* Sed qui, *Venite et audite? Omnes qui timetis Deum.* Si Deum non timetis, non narrabo. Non est quibus narretur, ubi Dei timor non est. Dei timor aperiat aures, ut sit quod intret, et qua intret quod narraturus sum. Sed quid est narraturus? *Quanta fecit animæ meæ.* Ecce narrare vult; sed quid est narraturus? An forte quantum pateat terra, quantum distendatur cœlum, et quot sint sidera, et quæ sint vices solis et lunæ? Ista creatura peragit ordinem suum: qui multum eam curiose quæsierunt, ejus creatorem ignoraverunt (*Sap.* XIII, 9). Illud audite, illud accipite, o [1] *qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ:* si vultis, et vestræ [2]. *Quanta fecit animæ meæ. Ad ipsum ore meo clamavi.* Et hoc ipsum factum dicit animæ suæ: ut ad ipsum ore suo clamaret, factum esse dicit animæ suæ. Ecce, fratres, Gentes eramus, etsi non in nobis, in parentibus nostris. Et quid dicit Apostolus? *Scitis, quando Gentes eratis, ad simulacra sine voce quomodo ascendebatis inducti* (I *Cor.* XII, 2). Dicat nunc Ecclesia, *Quanta fecit animæ meæ. Ad ipsum ore meo clamavi.* Homo [1] ad lapidem clamabam, ad lignum surdum clamabam, simulacris surdis mutis loquebar: jam imago Dei conversa est ad Creatorem suum. Qui dicebam *ligno, Pater meus es tu; et lapidi, Tu me genuisti* (*Jerem.* II, 27); modo dico, *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9). *Ad ipsum ore meo clamavi. Ore meo* jam, non ore alieno. Quando clamabam ad lapides in vana conversatione paternæ traditionis (I *Petr.* I, 18), ore alieno clamabam: quando clamavi ad Dominum, quod ipse donavit, quod ipse inspiravit, *ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.* Quid est, *clamavi ore meo, et exaltavi sub lingua mea.* Ipsum publice prædicavi, ipsum in secreto confessus sum. Parum est Deum exaltare lingua; sed et sub lingua, ut quod certus loqueris, hoc tacitus cogites. *Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.* Vide quam in secreto vult esse integer qui offert holocausta medullata. Hoc agite, fratres, hoc imitamini, ut dicatis, *Venite, audite quanta fecit animæ meæ.* Omnia enim quæ enarrat, ipsius gratia fiunt in anima nostra. Videte alia quæ dicat.

22. [*vers.* 18.] *Iniquitatem si conspexi in corde meo, non exaudiat* [2] *Dominus.* Considerate modo fratres, quam facile, quam quotidie homines erubescentes in hominibus iniquitates accusant: Male fecit, perdite fecit, sceleratus homo est: hoc forte propter homines dicit. Vide si non in corde tuo conspicis iniquitatem; ne forte quod reprehendis in altero, cogites facere, et ideo in illum clames, non quia fecit, sed quia inventus est. Redi ad te; intus esto tibi judex. Ecce in cubiculo tuo abscondito, in ipsa vena intima cordis, ubi tu solus es, et ille qui videt, illic tibi displiceat iniquitas, ut placeas Deo. Noli illam respicere, id est, noli illam diligere; sed potius despice, id est, contemne, et avertere ab ea. Quidquid lætum promiserit, ut illiciat ad peccandum; quidquid triste minata fuerit, ut impellat ad malefaciendum, totum nihil est, totum transit; despici dignum est, ut calcetur; non conspici, ut acceptetur. [Suggerit enim aliquando per cogitationes, vel per verba colloquentium malorum. Corrumpunt enim mores bonos, colloquia mala: tu noli ea respicere (I *Cor.* XV, 33). Sed parum est in vultu, parum est in lingua: in corde noli respicere, id est, noli diligere, noli acceptare. Nam respectum pro dilectione poni quotidianum est: primo quia de Deo dicimus, Respexit me. Quid est, Respexit me? Ante enim te non videbat? Aut sursum attendebat, et precibus tuis commonitus est, ut in te oculos mitteret? Videbat te et ante; sed, Respexit me, dicis, Dilexit me. Et homini qui te videt, et rogas eum, dicis, ut misereatur tui, Respice me. Videt te; et dicis, Respice me. Quid est, Respice me? Dilige, attende, miserere mei. Ergo non ideo dixit, *Iniquita-*

[1] Duo Mss., *illud accipite, omnes qui,* etc.
[2] Sic aliquot Mss. Alii cum Lov., *et vestra est.*

[1] Sic Mss. At Edd., *olim ad lapidem.*
[2] Sic Mss. juxta Græc. LXX. At Edd., *exaudiet.*

tem si aspexi in corde meo, quia omnino nulla iniquitas suggeritur cordi humano. Ibi suggeritur, non cessat suggestio; sed non fiat respectio. Si enim respicis iniquitatem, retro aspicis, et incurris sententiam dicentis Domini in Evangelio : *Nemo ponens manum super aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc.* IX, 62). Quid ergo debeo facere? Quod ait Apostolus : *Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus* (*Philipp.* III, 13). Retro enim nostra omnia quæ transierunt, iniqua sunt. Nemo ex bono venit ad Christum : omnes peccaverunt; credendo justificantur (*Rom.* III, 22). Perfecta justitia non erit, nisi in illa vita; tamen ad provectum, et mores boni ab ipso inspirantur, ab ipso donantur. Noli ergo tua merita computare, noli. Et si suggerit iniquitas, noli consentire. Quid enim ait?] (*a*) *Iniquitatem si conspexi in corde meo, non exaudiat Dominus.*

23. [*vers.* 19.] *Propterea exaudivit me Deus.* Quia iniquitatem non conspexi in corde meo. *Et intendit voci orationis meæ.*

24. [*vers.* 20.] *Benedictus Deus meus* [1], *qui non amovit deprecationem meam, et misericordiam suam a me.* Tenet sensum ab eo loco, ubi ait, *Venite, audite, et narrabo vobis, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ;* et dixit quæ audistis, et ad finem ita conclusit : *Benedictus Deus meus, qui non amovit deprecationem meam, et misericordiam suam a me.* Sic enim pervenit ad resurrectionem iste qui loquitur, ubi jam et nos spe sumus : imo et nos sumus; et nostra vox ista est. Quamdiu ergo hic sumus, hoc rogemus Deum, ut non a nobis amoveat deprecationem nostram, et misericordiam suam; id est, ut perseveranter oremus, et perseveranter misereatur. Multi enim languescunt in orando, et in novitate suæ conversionis ferventer orant, postea languide, postea frigide, postea negligenter : quasi securi fiunt. Vigilat hostis : dormis tu. Ipse Dominus præcepit in Evangelio; *quia oportet semper orare, et non deficere.* Et dat similitudinem de illo iniquo judice, qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur; quem interpellabat illa vidua quotidie ut audiret eam : et cessit tædio qui non flectebatur misericordia; et ait sibi judex nequam : « Si nec Deum timeo, nec homines revereor; vel propter tædium quod mihi quotidie facit hæc vidua, audiam causam ejus, et vindicabo eam. Et ait Dominus : Si judex nequam hoc fecit, Pater vester non vindicabit electos suos qui ad eum clamant die ac nocte? Ita dico vobis; faciet judicium eorum cito » (*Luc.* XVIII, 1-8). Ergo non deficiamus in oratione. Ille quod concessurus est, etsi differt, non aufert : securi de pollicitatione ipsius non deficiamus orando; et hoc ex beneficio ipsius est. Propterea dixit : *Benedictus Deus meus, qui non amovit deprecationem meam, et misericordiam suam a me.* Cum videris non a te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est a te amota misericordia ejus.

[1] Sic potiores Mss. At Edd. non addunt, *meus*, nisi ultimo loco.

(*a*) Plures et probæ notæ Mss. carent omnibus iis versibus qui concluduntur ansulis.

IN PSALMUM LXVI
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 2.] Meminit Charitas Vestra, in duobus psalmis qui jam tractati sunt, exhortatos nos fuisse animam nostram ut benediceret Dominum, et pio cantu dixisse : *Benedic anima mea Dominum* (*Psal.* CII, 1, *et* CIII, 1). Si ergo hortati sumus in illis psalmis animam nostram ut benediceret Dominum; in hoc psalmo recte dicitur : *Deus misereatur nostri, et benedicat nos.* Benedicat anima nostra Dominum, et Deus benedicat nos. Cum benedicit nos Deus, nos crescimus; et cum benedicimus nos Dominum, nos crescimus : utrumque nobis prodest. Non augetur ille benedictione nostra, nec minuitur maledictione nostra. Qui maledicit Domino, ipse minuitur; qui benedicit Dominum, ipse augetur. Prior est in nobis benedictio Domini, et consequens est ut et nos benedicamus Dominum. Illa pluvia, iste fructus est. Ergo redditur tanquam fructus agricolæ Deo, compluenti nos et colenti. Cantemus ista devotione non sterili, non inani voce, sed vero corde. Apertissime enim Deus Pater dictus est agricola. Apostolus dicit : *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* In rebus hujus mundi visibilibus, vitis non est ædificium, et ædificium non est vinea : nos autem vinea Domini sumus, quia colit nos ad fructum; ædificium Dei sumus, quia qui colit nos habitat in nobis. Et quid ait idem Apostolus? *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Ergo neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* (I *Cor.* III, 6-9). Ille ergo incrementum dat. Numquid forte isti sunt agricolæ? Agricola enim dicitur qui plantat, qui rigat : dixit autem Apostolus, *Ego plantavi Apollo, rigavit.* Quærimus unde ipse hoc fecerit? Respondet Apostolus : *Non ego autem; sed gratia Dei mecum* (*Ibid.*, XV, 10). Ergo quocumque te verteris; sive per Angelos, Deum invenies agricolam tuum; sive per Prophetas, ipse est agricola tuus; sive per Apostolos, eumdem ipsum agnosce agricolam tuum. Quid ergo nos? Fortasse operarii sumus agricolæ illius, et hoc ipsum ab ipso impartitis viribus, et ab ipso donata gratia. Ipse ergo et colit, et incrementum dat. Agricola autem homo vineam colit hactenus, ut aret, putet, adhibeat cætera quæ pertinent ad agricolarum diligentiam : pluere vineæ suæ non potest. Quod si forte irrigare potest, de cujus potest? Ipse quidem ducit in rivum [1], sed Deus implet fontem. Postremo in vinea sua incrementum dare sarmentis non potest, formare fructus non potest, modificare semina non potest, tempora gignendi temperare non potest. Deus autem qui omnia potest, agricola noster est; securi sumus. Forte ait aliquis, Tu dicis agricolam nostrum esse Deum : imo ego Apostolos agricolas dico, qui dixerunt, *Ego plantavi, Apollo rigavit.* Si ego dico, nemo credat : si Christus dicit, væ qui non credit,

[1] Sic Er. et plures Mss. At Lov., *ducit irriguum.*

Quid ergo Dominus Christus ait? *Ego sum vitis, vos sarmenta, Pater meus agricola* (*Joan.* xv, 5, 1). Sitiat ergo terra, et edat voces sitis suæ; quoniam scriptum est : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII, 6). Dicat ergo terra nostra, nos ipsi, pluviam Dei desiderans : *Deus misereatur nostri, et benedicat nos.*

2. *Illuminet vultum suum super nos.* Quæsiturus eras fortasse quid est, *benedicat nos.* Multis modis se volunt homines benedici a Deo : alius benedici se vult, ut habeat plenam domum necessariis rebus huic vitæ; alius benedici se cupit, ut obtineat salutem corporis sine labe; alius benedici se vult, si forte ægrotat, ut reparet sanitatem; alius desiderans filios, et forte contristatus quod non nascantur, benedici se vult ut habeat posteritatem. Et quis enumeret diversa vota hominum se a Domino Deo benedici cupientium? Quis autem nostrum dicturus est non esse illam Dei benedictionem, si vel agricultura ei fructum ferat, vel domus cujusque abundet copia rerum temporalium, vel ipsa corporis salus, aut teneatur ne amittatur, aut amissa reparetur? Fecunditas etiam feminarum, et casta vota filios desiderantium, ad quem pertinent nisi ad Dominum Deum? Qui enim creavit quando non erat, ipse prolis successu facit permanere quod condidit. Facit hæc Deus, donat hæc Deus. Parum est nobis dicere, Facit hæc Deus, donat hæc Deus; sed solus facit, solus donat. Quid si enim facit hæc Deus, sed facit hæc et aliquis non Deus? Facit hæc, et solus facit. Et sine causa ista petuntur vel ab hominibus, vel a dæmonibus : et quæque bona accipiunt inimici Dei, ab illo accipiunt; et cum ab aliis petunt, cum accipiunt, nescientes ab illo accipiunt. Quomodo cum puniuntur, et putant se ab aliis puniri, nescientes ab illo puniuntur : sic et cum vegetantur, implentur, salvantur, liberantur; etsi hoc nescientes, vel hominibus, vel dæmonibus, vel Angelis tribuunt, non habent nisi ab illo, penes quem potestas est omnium. Ad hoc dixerimus hæc, fratres, ut quisquis etiam ista terrena forte, vel propter supplementa necessitatis, vel propter aliquam infirmitatem desiderat, nonnisi ab illo desideret, qui est fons omnium bonorum, et creator et recreator universorum.

3. Sed alia sunt dona quæ dat Deus et inimicis suis, alia quæ non servat nisi amicis suis. Quæ sunt dona quæ dat inimicis suis? Ea quæ numeravi. Non enim soli boni plenas habent domos rebus necessariis; aut soli boni, vel salvi [1] sunt, vel ab ægritudine convalescunt; aut soli boni filios habent, soli boni pecuniam, soli boni cætera apta huic vitæ temporali atque transeunti. Habent hæc et mali, et aliquando desunt bonis : sed desunt et malis, et plerumque istis magis quam illis; aliquando illis quam istis potius abundant. Permixta ista temporalia Deus esse voluit; quia si bonis solis ea daret, putarent et mali propter hæc colendum Deum; rursus si ea solis malis daret, timerent boni infirmi converti, ne ista illis forte deessent. Est enim adhuc anima infirma minus capax regni Dei; nutrire illam debet Deus agricola noster. Nam et quæ arbor jam tempestates robore sustinet, cum de terra nasceretur, herba erat. Novit ergo ille agricola non solum robustas arbores putare atque purgare; sed etiam teneras in recenti ortu sepire. Propterea, dilectissimi, ut dicere cœperam, si solis bonis darentur ista, omnes propter hæc accipienda vellent converti ad Deum : rursus si solis malis darentur, timerent infirmi, ne cum converterentur, amitterent quod soli mali haberent. Permixte data sunt et bonis et malis. Rursus si solis bonis auferrentur, idem ille timor esset infirmorum, ne converterentur ad Deum : rursus si solis malis auferrentur, ipsa sola pœna putaretur qua mali plectuntur. Quod ergo dat ea bonis, consolatur itinerantes : quod dat ea et malis, admonet bonos ut alia desiderent, quæ non habent cum malis communia. Rursus bonis aufert ea quando vult, ut interrogent se de suis viribus; et inveniant se, qui forte latebant se, utrum jam possint dicere : *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21). Benedixit enim et illa anima Dominum, et reddidit fructus compluta sagina benedictionis. *Dominus dedit, Dominus abstulit :* subtraxit data; sed non subtraxit datorem. Anima benedicta omnis simplex, non hærens rebus terrenis, nec visco implicatis pennis jacens, sed exserto nitore virtutum, in geminis alis geminæ dilectionis exsultat in auras liberas; et videt sibi subtractum esse quod calcabat, non ubi incumbebat; et dicit secura : *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum.* Dedit, et abstulit; manet qui dedit, et abstulit quod dedit : sit ejus nomen benedictum. Ad hoc ergo ista auferuntur bonis. Sed ne quis forte infirmus diceret : Quando ego esse possum tantæ virtutis, quantæ sanctus Job? Robur miraris arboris, quia modo nata es [1] : hæc magna quam miraris, sub cujus ramis et umbra refrigeraris [2], virga fuit. Sed times ne tibi auferantur hæc, cum talis fueris? Attende quia auferuntur et malis. Quid te ergo differs a conversione? Quod bonus times amittere, forte malus amissurus es. Si bonus ea perdideris, adest consolator qui abstulit : arca exinanita est auro, cor plenum est fide; foris pauper es, sed intus dives es : divitias tecum portas quas non amitteres, etiamsi de naufragio nudus exires. Quod ergo forte perditurus es malus, cur non bonum te invenit damnum, quandoquidem vides et malos pati damnum? Sed majore illi damno feriuntur : inanis est domus, inanior conscientia est. Quisquis malus ista perdiderit, non habet foris quod teneat, non habet intus ubi requiescat. Fugit hic [3] ubi damnum passus est, ubi se ad oculos hominum de divitiarum ostentatione jactabat; jam se in oculis hominum jactare non potest : ad se intro non redit, quia nihil habet. Non est imitatus formicam; non sibi collegit grana, cum æstas esset (*Prov.* VI, 6, *et* XXX, 25). Quid dixi, cum

[1] Edd., *salvi facti sunt.* Abest, *facti*, a Mss.

[1] Sic Mss., nisi quod unus habet, *natus es.* At Edd., *quæ modo nata est.*
[2] Mss., *refrigeras.*
[3] Edd., *hæc.* Aliquot vero Mss., *hic.*

æstas esset? Cum esset vitæ tranquillitas, cum esset sæculi hujus erga illum prosperitas, quando ei vacabat, quando felix vocabatur ab omnibus, æstas ipsius erat. Imitaretur formicam, si audiret verbum Dei; colligeret grana, et intus reconderet. Venerat tentatio tribulationis, supervenerat hiems torporis [1], tempestas timoris, frigus tristitiæ, sive damnum esset, sive aliquod salutis periculum, sive aliqua orbitas suorum, sive aliqua exhonoratio et humiliatio; hiems erat: redit formica ad id quod æstate collegit; et intus in secreto suo, ubi nemo videt, æstivis laboribus recreatur. Quando sibi ista colligebat æstate, videbant omnes: cum his pascitur hieme, nullus videt. Quid est hoc? Vide formicam Dei: surgit quotidie, currit ad ecclesiam Dei, orat, audit lectionem, hymnum cantat, ruminat quod audivit, apud se cogitat, recondit intus grana collecta de area. Hæc ipsa quæ modo dicuntur qui prudenter audiunt, hoc agunt, et ab omnibus videntur procedere ad ecclesiam, redire de ecclesia, audire sermonem, audire lectionem, invenire librum, aperire et legere: omnia ista videntur, cum fiunt. Formica illa est conterens iter, portans et recondens in conspectu cernentium. Venit hiems aliquando; cui enim non venit? Accidit damnum, accidit orbitas: cæteri miserantur forte ut miserum, qui non norunt quid intus habeat formica quod comedat, et dicunt, Miser ille cui hoc accidit, aut ille cui hoc accidit: quid illi credis animi esse? quomodo confectus est! Metitur ex se, compatitur ex viribus suis, et ideo fallitur; quia mensuram qua se metitur, vult afferre ad eum quem non novit. Vides illum passum damnum, aut humiliatum, aut orbitate percussum: quid credis? Iste aliquid mali fecit, ut hoc illi contingeret. Tale cor habeant, talem animum inimici mei. Ignoras, o homo; vere tu tibi inimicus es, qui per æstatem tibi non colligis quod iste collegit. Modo intus formica comedit labores æstatis: sed eam colligentem videre poteras; manducantem videre non potes. Ista, fratres, quantum Dominus dedit, quantum suggerere et imbuere dignatus est infirmitatem et humilitatem nostram, quantum capimus pro modulo nostro, diximus, quare det Deus omnia ista permixta et bonis et malis, et quare auferat et bonis et malis. Dedit tibi; non extollaris: abstulit tibi; non frangaris. Times ne auferat; bono potest auferre et malo: melius ergo bonus quod Dei est amittis, sed Deum tenes. Sic ergo et ille malus; ipsum hortamur: Passurus es damnum; (quis non passurus est orbitatem?) aliquis casus irruet, aliqua calamitas de transverso, undecumque plenus est mundus, exempla non cessant: loquor tibi in æstate, grana quæ colligas non desunt: attende ad formicam, o piger (*Prov.* VI, 6, et XXX, 25); collige æstate cum potes; hiems colligere te non sinet, sed manducare quod collegeris. Quam multi enim tribulationem ita patiuntur, ut non eis vacet, nec legere aliquid, nec audire aliquid; nec forte admittuntur ad eos qui eos consolentur. Remansit formica in caverna; videat si collegit aliquid æstate, quo se avocet hieme.

4. Sed modo quia benedicet nos Deus, quare benedicet nos? quam benedictionem petit hæc vox, *Ut benedicat nos Deus?* Benedictionem quam servat amicis suis, quam solis bonis dat. Ne pro magno appetas quod et mali accipiunt: quia bonus est Deus, facit illa, qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V, 45). Quid ergo præcipue bonis? quid præcipue justis? *Illuminet vultum suum super nos.* Solis hujus vultum illuminas super bonos et malos; vultum tuum illumina super nos. Vident istam lucem cum pecoribus et boni et mali: beati autem mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Ibid.* v, 8). *Illuminet vultum suum super nos.* Geminus intellectus est; uterque dicendus est. Illumina, inquit, vultum tuum super nos; ostende nobis vultum suum. Non enim aliquando illuminat vultum tuum Deus, quasi aliquando fuerit sine lumine: sed illumina super nos, ut quod nos latebat aperiatur nobis, et quod erat, sed nobis absconditum erat, reveletur super nos, hoc est illuminetur. Aut certe, imaginem tuam illumina super nos: ut hoc dixerit, Illumina vultum tuum super nos; Impressisti nobis vultum tuum, fecisti nos ad imaginem et similitudinem tuam (*Gen.* I, 26), fecisti nos nummum tuum; sed non debet imago tua in tenebris remanere; mitte radium sapientiæ tuæ, expellat tenebras nostras, et fulgeat in nobis imago tua; cognoscamus nos imaginem tuam, audiamus quod dictum est in Canticis canticorum: *Nisi cognoveris temetipsam, o pulchra inter mulieres* (*Cant.* I, 7). Dicitur enim Ecclesiæ: *Nisi cognoveris temetipsam.* Quid est hoc? Nisi cognoveris ad imaginem Dei te factam. O anima Ecclesiæ pretiosa [1], redempta sanguine Agni immaculati, attende quanti valeas; quid pro te datum sit cogita. Dicamus ergo et optemus, *Illuminet vultum suum super nos.* Gestamus vultum ejus: quomodo dicuntur vultus imperatorum, vere quidam sacer vultus Dei est in imagine ipsius; sed iniqui non cognoscunt in se imaginem Dei. Ut illuminetur vultus Dei super illos, quid debent dicere? *Tu illuminabis lucernam meam, Domine; Deus meus, illuminabis tenebras meas* (*Psal.* XVII, 29). Sum in tenebris peccatorum; sed radio sapientiæ tuæ discutiantur tenebræ meæ: appareat vultus tuus, et si forte apparet per me aliquantulum deformis effectus, a te reformetur quod a te formatum est. *Illuminet* ergo *vultum suum super nos.*

5. [*vers* 3.] *Ut cognoscamus in terra viam tuam. In terra*, hic, in hac vita, *cognoscamus viam tuam.* Quid est, *viam tuam?* Quæ ducit ad te. Agnoscamus quo eamus, agnoscamus qua eamus; utrumque in tenebris non possumus. Longe es a peregrinantibus; viam nobis porrexisti per quam redeundum sit ad te: *Agnoscamus in terra viam tuam.* Quæ est via ipsius, quia hoc optavimus, *ut cognoscamus in terra viam*

[1] Vox, *torporis*, abest a Mss.

[1] Er. et duo vel tres Mss., *pretioso*.

tuam? Quæsituri sumus eam nos, non per nos discituri. Possumus eam de Evangelio discere: *Ego sum via*, Dominus ait. Christus dixit: *Ego sum via*. Sed times ne erres? Adjecit: *Et veritas*. Quis errat in veritate? Errat[1] qui recesserit a veritate. Veritas Christus, via Christus: ambula. Times ne moriaris antequam pervenias? *Ego sum vita: Ego sum*, inquit, *via, et veritas, et vita* (*Joan*. XIV, 6). Quasi diceret, Quid times? Per me ambulas, in me[2] ambulas, in me requiescis. Quid ergo ait, *Cognoscamus in terra viam tuam*, nisi, cognoscamus in terra Christum tuum? Sed ipse psalmus respondeat: ne putetis ex aliis Scripturis adhibendum esse testimonium quod forte hic deest, repetendo ostendit quid dixerit, *Ut cognoscamus in terra viam tuam*; et quasi tu quæreres, In qua terra, quam viam? *In omnibus gentibus salutare tuum*. In qua terra quæris? Audi: *In omnibus gentibus*. Quam viam quæris? Audi: *Salutare tuum*. An forte non est Christus salutare ipsius? Et quid est quod dixit senex ille Simeon; senex ille, inquam, in Evangelio, servatus annosus usque ad infantiam Verbi? Accepit enim senex ille in manibus suis infantem Verbum Dei. Qui et in utero esse dignatus est, in manibus senis esse dedignaretur? Ille in utero virginis, qui in manibus senis; infirmus infans, et intra viscera, et in manibus senis, ad dandam nobis firmitatem, per quem facta sunt omnia; et si omnia, et ipsa mater; venit humilis, venit infirmus, sed induitus infirmitate mutanda: *quia etsi crucifixus est ex infirmitate; sed vivit ex virtute Dei* (II *Cor*. XIII, 4). Apostolus ait. Erat ergo in manibus senis. Et quid ait senex ille? quid ait, gratulans quod jam solvendus hinc esset, videns suis manibus contineri a quo et in quo salus ejus continebatur? « Jam dimittis, » inquit, « Domine, servum tuum in pace; quoniam viderunt oculi mei salutare tuum » (*Luc*. II, 29, 30). Ergo, « Benedicat nos Deus, et misereatur nostri: illuminet vultum suum super nos, ut cognoscamus in terra viam tuam. » In qua terra? « In omnibus gentibus. » Quam viam? « Salutare tuum. »

6. [*vers*. 4.] Quid sequitur; quia cognoscitur in terra via Dei, quia cognoscitur in omnibus gentibus salutare Dei? *Confiteantur tibi populi, Deus; confiteantur tibi*, inquit, *populi omnes*. Existit hæreticus, et dicit, Ego in Africa populos habeo: et alius ex alia parte, Et ego in Galatia populos habeo. Tu in Africa, ille in Galatia: ego illum quæro qui ubique habet. Certe ad istam vocem exsultare vos ausi estis, quoniam audistis, *Confiteantur tibi populi, Deus*. Audite sequentem versum, quia non de parte loquitur: *Confitebantur tibi populi omnes*. Ambulate in via cum omnibus gentibus, ambulate in via cum omnibus populis, o filii pacis, filii unicæ Catholicæ; ambulate in via, cantate ambulantes. Faciunt hoc viatores ad solamen laboris. Cantate vos in hac via: obsecro vos per ipsam viam, cantate in hac via: canticum novum cantate; nemo ibi vetera cantet: cantate amatoria patriæ vestræ; nemo vetera. Via nova, viator novus, canticum novum. Audi Apostolum hortantem te ad canticum novum: *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt; ecce facta sunt nova* (II *Cor*. V, 17). Canticum novum cantate in via quam cognovistis *in terra*. In qua terra? *In omnibus gentibus*. Propterea et canticum novum non pertinet ad partem. Qui in parte cantat, vetus cantat: quodlibet cantet, vetus cantat, vetus homo cantat; divisus est, carnalis est. Certe in quantum carnalis est, in tantum vetus, et in quantum spiritualis, in tantum novus. Vide quid dicat Apostolus: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus*. Unde illos probat carnales? *Cum enim unus dicit, Ego sum Pauli; alter vero, Ego Apollo: nonne*, inquit, *carnales estis* (I *Cor*. III, 1, 4)? Ergo in spiritu canticum novum canta in via secura. Sicut viatores cantant, et plerumque nocte cantant. Formidolosa circumstrepunt omnia, vel potius non circumstrepunt, sed circumsilent; et quanto magis silentia, tanto magis formidolosa; cantant tamen et qui latrones timent. Quanto securius cantas in Christo? Non habet via ista latronem, si tu non deserendo viam incidis in latronem. Canta, inquam, securus canticum novum in via quam cognovisti *in terra*, hoc est *in omnibus gentibus*. Vide quia ipsum canticum novum non tecum cantat qui in parte esse voluit. *Cantate*, inquit, *Domino canticum novum*; et sequitur, *Cantate Domino, omnis terra* (*Psal*. XCV, 1). *Confiteantur tibi populi, Deus*. Invenerunt viam tuam; confiteantur. Ipsa cantatio confessio est; confessio peccatorum tuorum, et virtutis Dei. Tuam iniquitatem confitere, gratiam Dei confitere; te accusa, illum glorifica; te reprehende, illum lauda: ut et ipse veniens inveniat te punitorem tuum, et exhibeat se tibi salvatorem tuum. Quid enim timetis confiteri, qui invenistis hanc viam in omnibus gentibus? quid timetis confiteri, et in confessione vestra cantare canticum novum cum omni terra, in omni terra, in pace catholica? Confiteri times Deo, ne confessum damnet? Si non confessus lates[1], confessus damnaberis. Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus: damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus. *Confiteantur tibi populi, Deus; confiteantur tibi populi omnes*.

7. [*vers*. 8.] Et quia ista confessio non ad supplicium ducit, sequitur, et dicit: *Lætentur et exsultent gentes*. Si plangunt ante hominem confessi latrones, lætentur ante Deum confessi fideles. Si homo judicet, exigit a latrone confessionem tortor et timor; imo aliquando confessionem premit timor, exigit dolor: et ille qui plangit in tormentis, timet autem occidi confessus, portat tormenta quantum potest; et si victus dolore fuerit, profert ad mortem vocem suam. Nusquam ergo lætus, nusquam exsultans: antequam confiteatur, exarat ungula; cum confessus fuerit, damnatum carnifex ducit: miser ubique[2]. Sed *lætentur et exsultent gentes*. Unde? Per ipsam confessionem. Quare? Quia bonus est cui confitentur: ad hoc

[1] Hic in Edd., additur, *in veritate*: quod abest a Mss.
[2] Sic ex Mss. [*in me*.]

[1] Edd., *non confessus damnaberis*. Expunge, *non*, quod abest a Mss.
[2] Sic Mss. At Edd., *damnat carnifex, ducitur miser ubique*.

exigit confessionem, ut liberet humilem; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum. Ergo tristis esto antequam confitearis; confessus exsulta, jam sanaberis. Conscientia tua [1] saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat: adhibet medicus fomenta verborum, et aliquando secat; adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis: tu agnosce medici manum; confitere, exeat in confessione et defluat omnis sanies: jam exsulta, jam lætare; quod reliquum est facile sanabitur. *Confiteantur tibi populi, Deus; confiteantur tibi populi omnes.* Et quia confitentur, *lætentur et exsultent gentes; quoniam judicas populos in æquitate.* Nemo te fallit: gaudeat judicandus, qui timuit judicaturum. Prævidit enim, et prævenit faciem ejus in confessione (*Psal.* XCIV, 2): ille autem cum venerit, populos in æquitate judicabit. Quid ibi valebit calliditas accusatoris, ubi est testis conscientia, ubi tu eris et causa tua, ubi judex non quærit testem? Advocatum misit tibi: propter illum, et per illum confitere; age causam tuam, et defensor est pœnitentis, et petitor veniæ confitentis, et judex innocentis. Vere timere poteris causam tuam, ubi advocatus tuus erit judex tuus? *Lætentur* ergo, *et exsultent gentes; quoniam judicas populos in æquitate.* Sed timere poterunt ne male judicentur: dent se corrigendos, dent se dirigendos ei qui videt judicandos. Hic corrigantur, et non timeant cum judicabuntur. Vide quid dicat in alio psalmo: *Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me* (*Psal.* LIII, 3). Quid ait? Si non me prius salvas in nomine tuo, debeo timere cum me judicabis in virtute tua: si autem me prius salvas in nomine tuo, quid timebo judicantem in virtute, cujus salus præcessit in nomine? Sic etiam hoc loco, *Confiteantur tibi populi omnes.* Et ne putetis aliquid timendum in confessione, *Lætentur*, inquit, *et exsultent gentes.* Quare, *lætentur et exsultent? Quoniam judicas populos in æquitate.* Nemo contra nos præmium dat, nemo te corrumpit, nemo te fallit. Ergo securus sis. Sed quid de causa tua? Nemo corrumpit Deum; manifestum est: ne forte ideo magis timendus sit, quia corrumpi nullo modo potest. Quomodo ergo securus es? Secundum illud quod jam dictum est: *Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me.* Sic et hic: *Lætentur et exsultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate.* Et ne timeant iniqui, subjecit: *Et gentes in terra dirigis* [2]. Pravæ erant gentes, et tortuosæ erant gentes, perversæ erant gentes; merito pravitatis et distorsionis et perversitatis suæ judicem venientem timebant: venit manus ipsius, extenta est misericorditer in populos; diriguntur ut ambulent rectam viam: quid timeant venturum [3] judicem, qui primo agnoverunt correctorem? Manibus ejus dent se; ipse gentes in terra dirigit. Directæ autem gentes, ambulantes in fide, exsultantes in illo, facientes opera bona; et si qua forte, quoniam per mare navigant, intrat aqua per minutissimas cavernas, per rimulas ad sentinam, exhauriendo eam per opera bona, ne plus intrando cumulum faciat, et navem deprimat; exhauriendo [1] quotidie, jejunando, orando, eleemosynas faciendo, dicendo puro corde, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12): dicendo ista, ambula securus, et exsulta in via, canta in via. Noli timere judicem; antequam esses fidelis, invenisti salvatorem [2]. Impium te quæsivit ut redimeret; redemptum deseret ut perdat? *Et gentes in terra dirigis.*

8. [*vers.* 6, 7.] Exsultat, gaudet, hortatur, repetit eosdem versus in exhortatione. *Confiteantur tibi populi, Deus; confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum suum.* Quem fructum? *Confiteantur tibi populi omnes.* Terra erat; spinis plena erat: accessit eradicantis manus, accessit vocatio majestatis ejus et misericordiæ; cœpit terra confiteri, jam dat terra fructum suum. Daret fructum suum, nisi ante complueretur? daret terra fructum suum, nisi ante misericordia Dei veniret desuper? Legant mihi, inquis, quod compluta dederit terra fructum suum. Audi compluentem Dominum: *Agite pœnitentiam; appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Id.* III, 2). Pluit, et ipsa pluvia tonitrus est; terret: time tonantem, et excipe pluentem. Ecce post illam vocem tonantis et pluentis Dei; post illam vocem aliquid de ipso Evangelio videamus. Ecce illa meretrix, malam famam habens in civitate, irrupit in alienam domum quo non erat invitata ab hospite, sed ab invitato vocata; non lingua, sed gratia. Noverat ægra habere ibi se locum, ubi medicum suum discumbere sciebat. Ingressa est quæ erat peccatrix; non audet accedere nisi ad pedes: flet ad pedes, irrigat lacrymis, tergit crinibus, unguit unguento (*Luc.* VII, 37, 38). Quid miraris? *Terra dedit fructum suum.* Ergo hoc factum est, ibi pluente Domino per os suum; facta sunt quæ legimus in Evangelio: quo pluente per nubes suas, missis Apostolis, et prædicantibus veritatem, *terra* amplius *dedit fructum suum;* et ista seges jam implevit orbem terrarum.

9. [*vers.* 8.] Vide quid deinde dicatur: *Benedicat nos Deus, Deus noster; benedicat nos Deus. Benedicat,* sicut jam dixi; etiam atque etiam benedicat, multiplicet benedicendo. Attendat Charitas Vestra quoniam jam præcessit fructus terræ in Jerusalem. Inde enim cœpit Ecclesia: venit ibi Spiritus sanctus, et implevit sanctos in unum congregatos; facta sunt miracula, linguis omnium locuti sunt (*Act.* II, 1-4). Impleti sunt Spiritu Dei, conversi sunt qui ibi erant; timentes, et suscipientes imbrem divinum, dederunt in confessione tantum fructum, ut omnia sua in commune conferrent, distribuentes pauperibus; ut nemo diceret aliquid proprium, sed essent illis omnia communia, et haberent animam unam et cor unum in

[1] Sic Mss. Edd. vero: *Non confitentis conscientia saniem*, etc.
[2] Plerique Mss., *diriges*, futuro tempore, juxta Græc. LXX.
[3] Aliquot Mss., *venturum rectorem judicem*: forte pro, *rectorum judicem*.

[1] Er. et pauci Mss. hic, *exhauriant.*
[2] Sic Mss. At Edd.: *Antequam esses fidelis, timebas; sed jam invenisti salvatorem.*

Deum (*Act.* IV, 32). Donatus enim illis erat sanguis Domini quem fuderant; donatus erat ignoscente Domino, ut jam quod fuderant etiam bibere discerent. Magnus ibi fructus : *terra dedit fructum suum*, et magnum fructum, et optimum fructum. Numquid terra illa sola debuit dare fructum suum? *Benedicat nos Deus, Deus noster; benedicat nos Deus*. Adhuc benedicat; benedictio enim in multiplicatione solet maxime et proprie intelligi. Probemus hoc in Genesi : vide opera Dei. Fecit Deus lucem; et divisit Deus inter lucem, et tenebras : lucem vocavit diem, et tenebras vocavit noctem. Non dictum est, Benedixit lucem. Etenim eadem lux redit et alternat diebus ac noctibus. Vocavit cœlum firmamentum inter aquas et aquas : non dictum est, Benedixit cœlum. Discrevit mare ab arida, et nominavit utrumque; aridam, terram, et congregationem aquarum, mare : nec hic dictum est, Benedixit Deus. Ventum est ad ea quæ fecunditatis habitura erant semen, et ex aquis existentia. Ipsa enim maximam multiplicationis ubertatem habent; et benedixit ea Dominus dicens : *Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris; et volatilia multiplicentur super terram*. Sic et cum omnia subjecit homini, quem fecit ad imaginem suam, scriptum est : *Et benedixit eos Deus dicens : Crescite et multiplicamini, et implete faciem terræ* (*Gen* I). Ergo benedictio proprie ad multiplicationem valet, et ad implendam faciem terræ. Audi et in hoc psalmo : *Benedicat nos Deus, Deus noster; benedicat nos Deus*. Et quo valet ista benedictio? *Et metuant eum omnes fines terræ*. Ergo, fratres mei, sic abundanter in nomine Christi benedixit nos Deus, ut filiis suis impleat universam faciem terræ, adoptatis in regnum suum cohæredibus Unigeniti sui. Unicum genuit, et unum esse noluit : unicum genuit, inquam, et unum eum noluit remanere. Fecit ei fratres; etsi non gignendo, tamen adoptando fecit ei cohæredes. Fecit eum participem prius mortalitatis nostræ, ut crederemus nos esse posse participes divinitatis ejus.

10. Attendamus pretium nostrum. Prædicta sunt omnia, exhibentur omnia, it Evangelium per orbem terrarum : omnis labor humani generis in hoc tempore testimonium dicit, implentur omnia quæ in Scripturis prædicta sunt. Sicut usque ad hodiernum diem omnia evenerunt, sic et quæ restant eventura sunt. Timeamus judicii diem; venturus est Dominus. Qui venit humilis, veniet excelsus; qui venit judicandus, veniet judicaturus. Agnoscamus humilem, ut non expavescamus excelsum; amplectamur humilem, ut desideremus excelsum. Desiderantibus enim se, propitius veniet. Illi eum desiderant qui tenuerint fidem ejus, et fecerint mandata ejus. Nam etsi nolumus, veniet. Velimus ergo veniat, qui veniet etsi nolumus. Quomodo velimus ut veniat? Bene vivendo, bene agendo. Præterita non nos delectent, præsentia non nos teneant; ne claudamus aurem tanquam de cauda, ne premamus aurem in terra (*a*); ne præteritis retardemur ab audiendo, ne præsentibus implicemur a futura meditando [1]; extendamus nos in ea quæ ante sunt, obliviscamur præterita (*Philipp.* III, 13). Et quod modo laboramus, quod modo gemimus, quod modo suspiramus, quod modo loquimur, quod ex quantulacumque parte sentimus, et capere non possumus, capiemus, perfruemur in resurrectione justorum. Renovabitur juventus nostra sicut aquilæ (*Psal.* CII, 5); tantummodo nos vetustatem nostram ad petram Christum conteramus (*Psal.* CXXXVI, 9, *et* I *Cor.* X, 4). Sive illa vera sint, fratres, quæ dicuntur de serpente, vel quæ dicuntur de aquila, sive sit fama potius hominum quam veritas; veritas est tamen in Scripturis, et non sine causa hoc dixerunt Scripturæ : nos quidquid illud significat faciamus, et quam sit illud verum non laboremus. Tu esto talis, ut juventus tua renovari possit sicut aquilæ. Et scias eam non posse renovari, nisi vetustas tua in petra contrita fuerit : id est, nisi auxilio petræ, nisi auxilio Christi, non poteris renovari. Tu noli dulcedine præteritæ vitæ obsurdescere adversus verbum Dei : noli præsentibus rebus sic teneri et impediri, ut dicas, Non mihi vacat legere, non mihi vacat audire. Hoc aurem premere in terra est. Tu ergo talis noli esse : sed esto talis quod contra invenis, id est, ut præterita obliviscaris, in anteriora te extendas; ut vetustatem tuam in petra conteras. Et si quæ tibi similitudines datæ fuerint; si inveneris in Scripturis, crede : si non inveneris dici nisi fama, nec valde credas. Res ipsa forte ita est, forte non est ita. Tu profice; tibi valeat ad salutem ista similitudo. Non vis per istam similitudinem? Per aliam fac, dum tamen facias; et securus exspecta regnum Dei, ne rixetur tecum oratio tua. Tu enim, christiane, quando dicis, *Veniat regnum tuum*, quomodo dicis, *Veniat regnum tuum* (*Matth.* VI, 10)? Excute cor tuum : vide; ecce, *Veniat regnum tuum*. Clamat tibi, Venio : non times? Sæpe diximus Charitati Vestræ : et prædicare veritatem nihil est, si cor a lingua dissentiat; et audire veritatem nihil est, si non auditionem fructus sequatur. De isto loco quasi sublimiore loquimur ad vos : quam simus autem timore sub pedibus vestris Deus noverit, qui propitius fit humilibus; quia non nos tam delectant voces laudantium, quam devotio confitentium et facta rectorum. Et quam non delectemur nisi profectibus vestris, in istis autem laudibus quam periclitemur, ille noverit qui nos ab omnibus periculis liberet, et nos vobiscum ab omni tentatione salvatos in regno suo cognoscere et coronare dignetur.

IN PSALMUM LXVII

ENARRATIO (*a*).

1. [*vers.* 1.] Psalmi hujus titulus non videtur esse operosæ disputationis : simplex enim apparet et facilis. Nam ita se habet : *In finem, ipsi David Psalmus cantici*. In multis autem jam psalmis admonuimus

(*a*) Vid. Enar. in Psal. LVII, n. 7.

[1] Sic MSS. At Edd., *retardemur obediendo, ne præsentibus implicemur; sed adfutura meditando*, etc.

(*a*) Dictata anno Chr. 415, ex Epistola 169, ad Evodium, n. 1.

quid sit, *In finem:* quoniam *finis Legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x, 4); finis qui perficiat, non qui consumat aut perdat. Verumtamen si quisquam conetur inquirere quid sibi velit, *Psalmus cantici;* cur non aut *Psalmus*, aut *Canticum*, sed utrumque; vel quid intersit inter Psalmum cantici, et Canticum psalmi, quia et sic quorumdam psalmorum tituli inscribuntur; inveniet fortasse aliquid, quod acutioribus et otiosioribus nos relinquimus. Discreverunt quidam (*a*) ante nos inter Canticum, et Psalmum; ut quoniam Canticum ore profertur, Psalmus autem visibili organo adhibito, id est psalterio, canitur, videatur Cantico significari intelligentia mentis, Psalmo vero opera corporis. Sicut in hoc ipso sexagesimo septimo, quem nunc tractandum suscepimus, illud quod dictum est, *Cantate Deo, psallite nomini ejus:* ita quidam discreverunt, ut, *Cantate Deo*, dictum videatur, quia ea quæ in scipsa mens agit, Deo nota sunt, ab hominibus non videntur; opera vero bona quoniam ideo videnda sunt ab hominibus, ut glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est (*Matth.* v, 16), merito dictum sit, *Psallite nomini ejus*, id est diffamationi ejus, ut laudabiliter nominetur. Hanc differentiam alicubi, quantum recolo, etiam ipse secutus sum. Memini autem legisse nos etiam, *Psallite Deo* (*Psal.* XLVI, 7, 8); quia talia quæ visibiliter bene operamur, non tantum hominibus, sed etiam Deo placent. Non autem omnia quæ Deo placent, etiam hominibus possunt, quia videre non possunt. Unde mirum est si quemadmodum utrumque legitur, et *Cantate Deo*, et *Psallite Deo*, ita alicubi legi potest, *Cantate nomini ejus*. Quod si et hoc in Scripturis sanctis dictum invenitur, hæc differentia frustra elaborata est. Movet etiam me quod generali nomine magis Psalmi quam Cantica vocantur, ita ut Dominus diceret: *Quæ scripta sunt in Lege, et Prophetis, et Psalmis de me* (*Luc.* XXIV, 44); et liber ipse Psalmorum dicitur, non Canticorum: *Sicut scriptum est*, inquit, *in libro Psalmorum* (*Act.* I, 20); cum potius secundum istam differentiam, Cantica dici debuisse videantur; quoniam Canticum etiam sine Psalmo esse potest, Psalmus vero sine Cantico esse non potest. Possunt etenim esse cogitationes mentis, quarum non sint opera corporalia: nullum est autem opus bonum, cujus non sit in mente cogitatio. Ac per hoc utrobique Cantica; non utrobique Psalmi: et tamen, sicut dixi, generaliter Psalmi appellantur, non Cantica; liberque Psalmorum, non Canticorum. Et si intelligantur atque discutiantur sensus dictorum, ubi titulus est tantummodo *Psalmi*, et ubi tantummodo *Cantici*, et ubi non *Psalmus Cantici*, sicut in isto, sed *Canticum Psalmi* inscriptum est; nescio utrum possit ista differentia demonstrari. Proinde sicut cœperamus, relinquentes ista eis qui possunt, et quibus vacat talia discernere, et certa differentiarum ratione definire; nos quantum adjuvante Domino valemus, hujus psalmi textum consideremus atque tractemus.

2. [*vers.* 2.] *Exsurgat Deus, et dissipentur*[1] *inimici ejus.* Jam factum est: exsurrexit Christus qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX, 5), et dispersi sunt inimici ejus per omnes gentes, Judæi; in eo ipso loco ubi inimicitias exercuerunt, debellati, atque inde per cuncta dispersi: et nunc oderunt, sed metuunt; et in ipso metu faciunt quod sequitur, *Et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus.* Fuga quippe animi, est timor. Nam carnali fuga, quo fugiunt ab ejus facie qui ubique præsentiæ suæ demonstrat effectum? *Quo abibo*, inquit ille, *a spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam* (*Psal.* CXXXVIII, 7)? Animo ergo, non corpore fugiunt; timendo scilicet, non latendo; nec ab ea facie quam non vident, sed ab ea quam videre coguntur. Facies quippe ejus appellata est præsentia ejus per Ecclesiam ejus. Unde illis inimicantibus dixit: *Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus* (*Matth.* XXVI, 64). Sicut venit in Ecclesia sua, diffundens eam toto orbe terrarum, in quo dispersi sunt inimici ejus. Venit autem in talibus nubibus, de qualibus dicit: *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem* (*Isai.* v, 6). *Fugiant* ergo *qui oderunt eum, a facie ejus:* timeant a præsentia sanctorum fideliumque ejus, de quibus dicit, *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40).

3. [*vers.* 3.] *Sicut deficit fumus, deficiant.* Extulerunt enim se ab ignibus odiorum suorum in superbiæ typhum; et ponentes in cœlum os suum (*Psal.* LXXII, 9), atque clamantes, *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX, 6), capto illuserunt, pendentem irriserunt: et unde victores tumuerunt, mox victi evanuerunt. *Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.* Quanquam fortasse eos hoc loco significaverit, quorum duritia in pœnitentiæ lacrymas solvitur: tamen etiam illud intelligi potest, ut futurum judicium comminetur; quia cum in hoc sæculo sicut fumus se extollendo, id est, superbiendo defecerint, veniet illis in fine extrema damnatio, ut ab ejus facie pereant in æternum, cum in sua claritate fuerit præsentatus, velut ignis, ad pœnam impiorum lumenque justorum.

4. [*vers.* 4.] Denique sequitur: *Et justi jucundentur, et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia.* Tunc enim audient: *Venite, benedicti Patris mei; percipite regnum* (*Matth.* XXV, 34). *Jucundentur* ergo qui laboraverunt, *et exsultent in conspectu Dei.* Non enim erit exsultationis hujus, tanquam coram hominibus, inanis ulla jactantia; sed in conspectu ejus qui sine errore inspicit quod donavit. *Delectentur in lætitia:* non jam exsultantes cum tremore (*Psal.* II, 11), sicut in hoc sæculo, quamdiu tentatio est vita humana super terram (*Job* VII, 1).

5. [*vers.* 5, 6.] Deinde se ad ipsos convertit, quibus tantam spem dedit, et hic viventes alloquitur et hortatur: *Cantate Deo, psallite nomini ejus.* Jam hinc in tituli expositione, quod videbatur prælocuti sumus. Cantat Deo, qui vivit Deo; psallit nomini ejus, qui operatur in gloriam ejus. Ita cantando, ita psallendo, id est, sic vivendo, sic operando, *Iter facite ei*, inquit, *qui ascendit super occasum.* Iter facite Christo; ut per speciosos pedes evangelizantium (*Isai.* LII, 7), per-

[1] Aliquot Mss., *dispergantur*.
(*a*) Hilarius in Prologo sup. Psalmos.

via sint ei corda credentium. Ipse est enim qui ascendit super occasum : sive quia non eum excipit nova vita se ad eum convertentis, nisi vetus occiderit huic sæculo renuntiantis; sive quia ascendit super occasum, cum resurgendo vicit corporis casum. *Dominus enim nomen est ei*. Quod illi si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent I *Cor*. II, 8).

6. *Exsultate in conspectu ejus*. O vos quibus dictum est, *Cantate Deo, psallite nomini ejus, iter facite ei qui ascendit super occasum*, etiam *exsultate in conspectu ejus :* quasi tristes, semper autem gaudentes (II *Cor*. VI, 10). Dum enim facitis iter ei, dum præparatis qua veniat, gentesque possideat, multa passuri estis in conspectu hominum tristia : sed vos non solum nolite deficere, sed etiam exsultate; non in conspectu hominum, sed in conspectu Dei. Spe gaudentes, in tribulatione tolerantes (*Rom*. XII, 12). *Exsultate in conspectu ejus*. Illi enim qui vos in conspectu hominum turbant, *Turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum et judicis viduarum*. Desolatos enim putant, a quibus plerumque gladio verbi Dei, et parentes a filiis, et mariti ab uxoribus separantur (*Matth*. x, 34, 35) : sed habent consolationem destituti atque viduati *patris orphanorum et judicis viduarum;* habent ejus consolationem qui ei dicunt, *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me* (*Psal*. XXVI, 10) : et qui speraverunt in Domino, persistentes in orationibus nocte ac die (I *Tim*. v, 5); a cujus facie illi turbabuntur, cum viderint se nihil proficere, quoniam totus mundus post eum abiit (*Joan*. XII, 19).

7. [*vers*. 7.] Nam de his orphanis et viduis, id est spei sæcularis societate destitutis, Dominus sibi templum fabricat : de quo consequenter dicit, *Dominus, in loco sancto suo*. Quis enim sit locus ejus aperuit, cum ait, *Deus qui inhabitare facit unius modi in domo* : unanimes, unum sentientes : iste est locus sanctus Domini. Cum enim dixisset, *Dominus in loco sancto suo :* tanquam requireremus in quo loco, cum ille ubique sit totus, et nullus eum contineat corporalium spatiorum locus, illico subjecit; ne quæramus eum absque nobis; sed potius *unius modi* habitantes *in domo*, mereamur ut habitare etiam ipse dignetur in nobis. Iste est locus sanctus Domini, quem plerique homines quærunt, ut habeant ubi orantes exaudiantur. Sint ipsi ergo quod quærunt; et quæ dicunt in cordibus suis, id est in talibus cubilibus suis, compungantur (*Psal*. IV, 5), habitantes *unius modi in domo*, ut a Domino magnæ domus inhabitentur, et apud seipsos exaudiantur. Est enim domus magna, in qua non solum aurea vasa sunt et argentea, sed et lignea et fictilia; et alia quidem sunt in honorem, alia in contumeliam : si qui autem mundaverint semetipsos a vasis contumeliæ (II *Tim*. II, 20), erunt *unius modi in domo*, et locus sanctus Domini. Nam sicut in magna hominis domo, non in qualicumque loco ejus requiescit dominus ejus, sed in aliquo utique secretiore et honoratiore loco : sic Deus non in omnibus qui in domo ejus sunt habitat (non enim habitat in vasis contumeliæ); sed locus sanctus ejus sunt quos *habitare facit unius modi*, vel *unius moris in domo*. Qui enim τρόποι græce dicuntur, et modi, et mores latine interpretari possunt. Nec habet græcus, *Qui inhabitare facit;* sed tantum, *habitare facit. Dominus* ergo *in loco sancto suo*. Quis est locus iste? Ipse Deus eum sibi facit. Deus enim *habitare facit unius moris in domo :* hic est locus sanctus ejus.

8. Quod autem gratia sua sibi ædificet hunc locum, non meritis eorum præcedentibus ex quibus eum ædificat, vide quid sequatur : *Qui educit compeditos in fortitudine*. Solvit enim gravia vincula peccatorum, quibus impediebantur ne ambularent in via præceptorum : educit autem eos in fortitudine, quam ante ejus gratiam non habebant. *Similiter amaricantes qui habitant in sepulcris :* id est omni modo mortuos, occupatos in operibus mortuis. Illi enim amaricant resistendo justitiæ : nam illi compediti forsitan volunt ambulare, nec possunt; Deumque precantur ut possint, eique dicunt : *De necessitatibus meis educ me* (*Psal*. XXIV, 17). A quo exauditi, gratias agunt dicentes : *Disrupisti vincula mea* (*Psal*. CXV, 17). Isti autem amaricantes qui habitant in sepulcris, in eo genere sunt quod alio loco Scriptura significat, dicens : *A mortuo, velut qui non sit, perit confessio* (*Eccli*. XVII, 26). Unde est illud : *Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit* (*Prov*. XVIII, 3). Aliud est enim desiderare, aliud oppugnare justitiam; aliud a malo liberari velle, aliud mala sua defendere potius quam fateri : utrosque tamen gratia Christi *educit in fortitudine*. Qua fortitudine, nisi ut adversus peccatum usque ad sanguinem certent? Ex utroque enim genere fiunt idonei quibus construatur locus sanctus ejus; illis solutis, illis resuscitatis. Quia et mulieris, quam alligaverat satanas per decem et octo annos, jubendo vincula solvit (*Luc*. XIII, 16); et Lazari mortem clamando superavit (*Joan*. XI, 43, 44). Qui fecit hæc in corporibus, potest mirabiliora facere in moribus, et facere *unius modi habitare in domo: educens compeditos in fortitudine; similiter amaricantes qui habitant in sepulcris*.

9. [*vers*. 8-10.] *Deus cum egredereris coram populo tuo*. Egressus ejus intelligitur, cum apparet in operibus suis. Apparet autem non omnibus, sed eis qui noverunt opera ejus intueri. Non enim ea nunc opera dico, quæ conspicua sunt omnibus, cœlum, et terram, et mare, et universa quæ in eis sunt; sed opera quibus *educit compeditos in fortitudine, similiter amaricantes qui habitant in sepulcris*, *et facit* eos *unius moris habitare in domo*. Sic egreditur coram populo suo, id est coram eis qui istam gratiam ejus intelligunt. Denique sequitur : *Cum transires in deserto, terra mota est*. Desertum erant Gentes, quæ ignorabant Deum : desertum erat, ubi lex nulla ab ipso Deo data erat; ubi nulli Prophetæ habitaverant, Dominumque esse venturum prædixerant. *Cum* ergo *transires in deserto*, cum prædicareris in Gentibus, *terra mota est*, terreni homines ad fidem excitati sunt. Sed unde mota est?

Etenim cœli distillaverunt a facie Dei. Forsitan hic aliquis recolat illud tempus, quando in deserto Deus transibat coram populo suo, coram filiis Israel, die in columna nubis, nocte in fulgore ignis (*Exod.* XIII, 21); et hoc esse sentiat quod *cœli distillaverunt a facie Dei*, quoniam manna pluit populo suo (*Id.* XVI, 13); hoc etiam esse quod sequitur, *Mons Sina a facie Dei Israel, pluviam voluntariam segregans, Deus, hæreditati tuæ*, quia in monte Sina locutus est Deus ad Moysen, quando Legem dedit (*Id.* XIX, 18, *etc.*): ut manna sit pluvia voluntaria quam segregavit Deus hæreditati suæ, id est populo suo: quia solos eos ita pavit, non et cæteras Gentes: ut quod deinde dicit, *Et infirmata est*, ipsa hæreditas infirmata intelligatur; quoniam murmurantes, manna fastidiosi respuerunt, desiderantes escas carnium, et ea quibus vesci in Ægypto consueverant (*Num.* XI, 5, 6). Sed in his verbis si proprietas tantummodo litteræ, non spiritualis requirendus est intellectus, oportet ut ostendatur secundum proprietatem corporalem, qui tunc compediti, quique etiam habitantes in sepulcris educti sunt in fortitudine. Deinde si ille populus, illa scilicet hæreditas Dei, fastidio manna respuens infirmata est, non debuit sequi, *Tu vero perfecisti eam*; sed, Tu vero percussisti eam. Deo quippe offenso per illa murmura atque fastidia, ingens plaga secuta est (*Ibid.*, 33). Postremo illi omnes in eremo consternati sunt, nec quisquam eorum, præter duos, terram meruit promissionis intrare (*Id.* XIV, 29, 30). Quanquam etiamsi dicatur in filiis eorum hæreditas illa perfecta, nos sensum spiritualem liberius tenere debemus. Omnia quippe illa in figura contingebant in illis ((I *Cor.* X, 11); donec aspiraret dies, et removerentur umbræ (*Cant.* II, 17).

10. Aperiat itaque nobis pulsantibus Dominus; et mysteriorum ejus, quantum ipse dignatur, secreta pandantur. Etenim ut terra mota esset ad fidem, cum in desertum Gentium transiret Evangelium, *cœli distillaverunt a facie Dei.* Hi sunt cœli, de quibus in alio psalmo canitur: *Cœli enarrant gloriam Dei.* De his quippe paulo post ibi dicitur: *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum: in omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 2-5). Nec tamen istis cœlis tanta gloria tribuenda est, tanquam ab hominibus illa gratia venerit in desertum Gentium, ut terra moveretur ad fidem. Non enim cœli a seipsis distillaverunt; sed *a facie Dei*, utique inhabitantis eos, et facientis eos inhabitare unius moris in domo. Ipsi sunt enim et montes, de quibus dicitur: *Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi.* Et tamen ne in hominibus spem posuisse videretur, continuo subjecit: *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram* (*Psal.* CXX, 1, 2). Ei quippe alio loco dicitur, *Illuminans tu admirabiliter, a montibus æternis* (*Psal.* LXXV, 5): quamvis a montibus æternis, tamen illuminans tu. Sic et hic, *cœli distillaverunt*; sed, *a facie Dei.* Et ipsi enim salvi facti sunt per fidem, et hoc non ex seipsis; sed Dei donum est: non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum (*Ephes.* II, 8-10), *qui facit unius modi habitare in domo.*

11. Sed quid est quod sequitur, *Mons Sina a facie Dei Israel?* An subaudiendum est, distillavit: ut quod vocavit cœlorum nomine, hoc voluerit intelligi nomine etiam montis Sina; sicut diximus eos vocari montes, qui vocati sunt cœli? Nec in isto sensu movere debet quod ait, *mons;* non, montes; cum ibi dicti sint, cœli; non, cœlum: quia et in alio psalmo cum dictum esset, *Cœli enarrant gloriam Dei;* more Scripturæ eumdem sensum verbis aliis repetentis subsequenter dictum est: *Et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Prius dixit, cœli; non cœlum; et tamen postea non, firmamenta; sed, firmamentum. *Vocavit* enim *Deus firmamentum, cœlum* (*Gen.* I, 8), sicut in Genesi scriptum est. Ita ergo cœli et cœlum, montes et mons, non aliud, sed hoc ipsum: sicut Ecclesiæ multæ et una Ecclesia, non aliud, sed hoc ipsum. Cur ergo, *mons Sina qui in servitutem generat* (*Gal.* IV, 24), sicut dicit Apostolus? An forte Lex ipsa intelligenda est in monte Sina, quam *distillaverunt cœli a facie Dei*, ut terra moveretur? et ipse est terræ motus, cum conturbantur homines, quia Legem implere non possunt? Quod si ita est, hæc est et pluvia voluntaria, de qua consequenter dicit, *Pluviam voluntariam segregans, Deus, hæreditati tuæ;* quia non fecit sic ulli genti, et judicia sua non manifestavit eis (*Psal.* CXLVII, 20). Segregavit itaque pluviam hanc voluntariam Deus hæreditati suæ, quod Legem dedit. *Et infirmata est:* vel ipsa Lex, vel ipsa hæreditas. Lex infirmata sic accipi potest, eo quod non impleretur: non quod ipsa infirma sit, sed quod infirmos facit minando pœnam, nec adjuvando per gratiam. Nam et Apostolus ipso verbo usus est, ubi ait, *Quod enim impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem;* significare volens quia per spiritum impletur: tamen ipsam dixit infirmari, cum ab infirmis non possit impleri. Infirmata vero ipsa hæreditas, id est ipse populus, data sibi Lege, sine ulla ambiguitate intelligitur. *Lex enim subintravit, ut abundaret delictum.* Quod autem sequitur, *Tu vero perfecisti eam*, ad Legem ita refertur, quia secundum illud perfecta, id est impleta est; quod Dominus in Evangelio dicit: *Non veni Legem solvere, sed implere* (*Matth.* V, 17). Unde et Apostolus qui dixerat Legem infirmatam esse per carnem, quia caro non implet quod per spiritum impletur, id est per gratiam spiritualem; ipse item dicit: *Ut justitia Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum* (*Rom.* VIII, 3, 4). Hoc est ergo, *Tu vero perfecisti eam;* quia *plenitudo Legis est charitas* (*Id.* XIII, 10); et *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, non per nos ipsos, sed *per Spiritum sanctum qui datus est nobis:* hoc est, *Tu vero perfecisti eam*, si Legem perfecisse intelligatur; si vero hæreditatem, facilior est intellectus. Si enim propter hoc dicta est hæreditas Dei infirmata, id est populus Dei infirmatus data Lege, quia *Lex subintravit, ut abundaret delictum;* ergo et quod sequitur, *Tu vero per-*

fecisti eam, ex illo intelligitur quod etiam in Apostolo sequitur, *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia* (*Rom.* v, 5, 20). Namque abundante delicto, multiplicatæ sunt infirmitates eorum; et postea acceleraverunt (*Psal.* xv, 4) : quia ingemuerunt, et invocaverunt, ut ipso adjuvante impleretur quod ipso jubente non implebatur.

12. Est in his verbis et alius sensus, qui probabilior mihi videtur. Multo enim congruentius intelligitur ipsa gratia pluvia voluntaria, quia nullis præcedentibus operum meritis gratis datur. *Si enim gratia; jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia* (*Rom.* xi, 6). *Non enim dignus sum*, inquit, *vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei : gratia autem Dei sum id quod sum* (I *Cor.* xv, 9 *et* 10). Hæc est pluvia voluntaria. *Voluntarie quippe genuit nos verbo veritatis* (*Jacobi* i, 18). Hæc pluvia voluntaria. Inde alibi dicitur : *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos* (*Psal.* v, 13). Istam pluviam, cum Deus transiret in deserto, id est, prædicaretur in Gentibus, *cœli distillaverunt :* non tamen a seipsis, sed *a facie Dei*, quoniam et ipsi gratia Dei sunt id quod sunt. Et ideo *mons Sina*, quia et ipse qui plus omnibus illis laboravit, non ipse autem, sed gratia Dei cum illo (I *Cor.* xv, 10), ut abundantius distillaret in gentibus, id est in deserto, ubi Christus non erat annuntiatus, ne super alienum fundamentum ædificaret (*Rom.* xv, 20); ipse, inquam, Israelita erat ex genere Israel, de tribu Benjamin (*Philipp.* iii, 5) : et ipse ergo in servitutem generatus erat, de Jerusalem terrena quæ servit cum filiis suis, et ideo persequebatur Ecclesiam. Nam, quod ipse commonuit, *sicut tunc qui secundum carnem generatus est persequebatur eum qui secundum spiritum; ita et nunc* (*Gal.* iv, 25, 29). Sed misericordiam consecutus est quia ignorans fecit in incredulitate (I *Tim.* i, 13). Miramur ergo quod *cœli distillaverunt a facie Dei :* magis miremur quod *mons Sina*, id est, qui prius persequebatur, Hebræus ex Hebræis, secundum Legem pharisæus (*Philipp.* iii, 5). Quid autem miremur? Non enim a seipso, sed quod sequitur, *a facie Dei Israel;* de quo ipse dicit, *Et super Israel Dei* (*Gal.* vi, 16) de quo Dominus dicit, *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* i, 47). Hanc ergo pluviam voluntariam nullis præcedentibus meritis operum bonorum segregavit Deus hæreditati suæ. *Et infirmata est.* Agnovit enim non esse se aliquid per seipsum; non viribus suis, sed gratiæ Dei tribuendum esse quod est. Agnovit quod dictum est : *In infirmitatibus meis gloriabor* (II *Cor.* xii, 9). Agnovit quod dictum est : *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* xi, 20). Agnovit quod dictum est : *Humilibus autem dat gratiam* (*Jacobi* iv, 6). *Et infirmata est; tu vero perfecisti eam :* quia *virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* xii, 9). Quidam sane codices, et latini et græci, non habent, *mons Sina;* sed *a facie Dei Sina, a facie Dei Israel.* Id est, *cœli distillaverunt a facie Dei :* et quasi quæreretur cujus Dei; *a facie Dei*, inquit, *Sina, a facie Dei Israel;* id est a facie Dei qui Legem dedit populo Israel. Quare ergo *cœli distillaverunt a facie Dei*, a facie hujus Dei, nisi quia sic impletum est quod prædictum est : *Benedictionem dabit qui Legem dedit* (*Psal.* lxxxiii, 8)? *Legem*, qua terreat de humanis viribus præsumentem, *benedictionem*, qua liberet in Deum sperantem. Tu ergo perfecisti, Deus, hæreditatem tuam; quia infirmata est in se, ut perficeretur abs te.

13. [*vers.* 11.] *Animalia tua inhabitabunt in ea. Tua*, non sua; tibi subdita, non sibi libera; ad te egentia, non sibi sufficientia. Denique sequitur : *Parasti in tua suavitate egenti Deus. In tua suavitate*, non illius facultate. Egens est enim, quoniam infirmatus est, ut perficiatur : agnovit se indigentem, ut repleatur. Hæc est illa suavitas de qua alibi dicitur : *Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum* (*Psal.* lxxxiv, 13) : ut bonum opus fiat non timore, sed amore; non formidine pœnæ, sed delectatione justitiæ [1]. Ipsa est enim vera et sana libertas. Sed Dominus hoc egenti paravit, non abundanti, cui opprobrio est ista paupertas; de qualibus alibi dicitur : *Opprobrium his qui abundant, et despectio superbis* (*Psal.* cxxii, 4). Hos enim dixit superbos, quos dixit qui abundant.

14. [*vers.* 12.] *Dominus dabit verbum :* cibaria scilicet animalibus suis quæ inhabitabunt in ea. Sed quid operabuntur hæc animalia, quibus dabit verbum? quid nisi quod sequitur? *Evangelizantibus virtute multa.* Qua virtute, nisi fortitudine illa in qua educit compeditos? Fortasse etiam virtutem hic dicat illam, qua evangelizantes mirabilia signa fecerunt.

15. [*vers.* 13.] Quis ergo *dabit verbum evangelizantibus virtute multa? Rex*, inquit, *virtutum Dilecti.* Pater ergo est rex virtutum Filii. Dilectus enim, quando non ponitur quis dilectus, per antonomasiam Filius unicus intelligitur. An virtutum suarum rex ipse Filius; virtutum scilicet sibi servientium? quia *virtute multa evangelizantibus dabit verbum rex virtutum*, de quo dictum est, *Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ* (*Psal.* xxiii, 10). Quod autem non dixit, Rex virtutum suarum, sed, *Rex virtutum Dilecti*, locutio est in Scripturis usitatissima, si quis advertat : quod ibi maxime apparet, ubi etiam proprium nomen exprimitur, ut eumdem esse de quo dicitur, dubitari omnino non possit. Qualis et illa in Pentateucho multis locis invenitur : *Et fecit Moyses* illud atque illud, *sicut præcepit Dominus Moysi* (*Num.* xvii, 11, *etc., sec.* LXX). Non dixit quod usitatum est in locutionibus nostris, Et fecit Moyses sicut præcepit ei Dominus; sed, *Fecit Moyses sicut præcepit Dominus Moysi;* quasi alius sit Moyses cui præcepit, et alius Moyses qui fecit, cum idem ipse sit. Tales locutiones in Novo Testamento difficillime reperiuntur. Inde est tamen quod Apostolus ait : *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri* (*Rom.* i, 3, 4) : tanquam alius sit Filius Dei qui factus est ex semine David secundum carnem, et alius Jesus Christus Dominus noster, cum sit unus

[1] Forte legendum : *dilectione justitiæ*.

atque idem. In veteribus autem libris crebra est ista locutio : et ideo quando subobscure fit, ex manifestis sui generis exemplis intelligenda est; sicut hoc loco psalmi hujus quem tractamus, subobscure facta est. Nam si diceretur Jesus Christus, rex virtutum Jesu Christi, tam aperta esset quam illa, *Fecit Moyses sicut præcepit Dominus Moysi* : quia vero dictum est, *Rex virtutum Dilecti*, non facile est ut occurrat ipsum esse regem virtutum, qui est et Dilectus. *Rex* ergo *virtutum Dilecti*, sic intelligi potest, ac si diceretur, rex virtutum suarum, quia et rex virtutum est Christus, et Dilectus est idem ipse Christus. Quamvis non habeat iste sensus tantam necessitatem, ut aliud non valeat accipi : quia et Pater potest intelligi rex virtutum Filii sui dilecti, cui dicit ipse Dilectus, *Omnia mea tua sunt, et tua mea* (*Joan.* XVII, 10). Quod si forte quæritur utrum Deus Domini Jesu Christi Pater etiam rex dici possit, nescio utrum quisquam audeat hoc ab eo nomen auferre, ubi Apostolus dicit : *Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli Deo* (I *Tim.* I, 17). Quia etsi hoc de ipsa Trinitate dictum est, ibi est et Deus Pater. Si autem non carnaliter intelligimus, *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* (*Psal.* LXXI, 2); nescio utrum aliud aliquid dictum est quam, Filio tuo. Rex ergo est et Pater. Unde versiculus iste psalmi hujus, *Rex virtutum Dilecti*, utroque modo intelligi potest. Cum itaque dixisset, *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa*; quia ipsa virtus ab eo regitur, eique militat a quo datur, ipse, inquit, *Dominus* qui *dabit verbum evangelizantibus virtute multa, rex* est *virtutum Dilecti*.

16. Deinde sequitur : *Dilecti, et speciei domus dividere spolia*. Repetitio pertinet ad commendationem : quanquam istam repetitionem non omnes codices habeant, et eam diligentiores stella apposita prænotant, quæ signa vocantur asterisci; quibus agnosci volunt ea non esse in interpretatione Septuaginta, sed esse in hebræo, quæ talibus insigniuntur notis. Sed sive repetatur, sive semel dictum accipiatur quod positum est, *Dilecti*; sic intelligendum puto quod sequitur, *et speciei domus dividere spolia*, ac si diceretur, *Dilecti* etiam *speciei domus dividere spolia*, id est, Dilecti etiam ad dividenda spolia. Speciosam quippe domum, id est Ecclesiam Christus fecit, dividendo illi spolia; sicut speciosum est corpus distributione membrorum. Spolia porro dicuntur quæ victis hostibus detrahuntur. Hoc quid sit Evangelium nos admonet, ubi legimus : *Nemo intrat in domum fortis, ut vasa ejus diripiat, nisi prius alligaverit fortem* (*Matth.* XII, 29). Alligavit ergo diabolum Christus spiritualibus vinculis; superando mortem, et super cœlos ab inferis ascendendo : alligavit eum sacramento incarnationis suæ, quod nihil in eo reperiens morte dignum, tamen est permissus occidere; ac sic alligato abstulit tanquam spolia vasa ejus. Operabatur quippe in filiis diffidentiæ (*Ephes.* II, 2), quorum infidelitate utebatur ad voluntatem suam. Hæc vasa Dominus mundans remissione peccatorum, hæc spolia sanctificans hosti erepta prostrato atque alligato, divisit ea speciei domus suæ; alios constituens apostolos, alios prophetas, alios pastores et doctores in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi (*Ephes.* IV, 11, 12). *Sicut enim unum corpus est, et membra multa habet; omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus : sic et Christus. Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes virtutes? numquid omnes dona habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult* (I *Cor.* XII, 12, 29, 30, 11). Et hæc est species domus, cui spolia dividuntur; ut amator ejus hac pulchritudine accensus exclamet : *Domine, dilexi decorem domus tuæ* (*Psal.* XXV, 8).

17. [*vers.* 14.] Jam in eo quod sequitur, se ad ipsa membra, de quibus fit species domus, alloquenda convertit, dicens : *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, et inter scapulas ejus in viriditate auri*. Prius hic quærendus est ordo verborum quomodo finiatur sententia; quæ utique pendet, cum dicitur, *Si dormiatis* : deinde quod ait, *pennæ columbæ deargentatæ*, utrum singulari numero intelligendum est, hujus pennæ; an plurali, hæ pennæ. Sed singularem numerum græcus excludit, ubi omnino pluraliter hoc positum legitur. Sed adhuc incertum est utrum, hæ pennæ; an, o vos pennæ, ut ad ipsas pennas loqui videatur. Utrum ergo verbis quæ præcesserunt finiatur ista sententia, ut ordo sit, *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa, si dormiatis inter medios cleros*, o vos *pennæ columbæ deargentatæ* : an his quæ sequuntur, ut ordo sit, *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ nive dealbabuntur in Selmon* : id est, ipsæ pennæ dealbabuntur, si dormiatis inter medios cleros : ut illis hoc dicere intelligatur, qui speciei domus tanquam spolia dividuntur; id est, Si dormiatis inter medios cleros, o vos qui dividimini speciei domus, per manifestationem Spiritus ad utilitatem, ut alii quidem detur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alii fides, alii genera curationum in eodem Spiritu, et cætera (I *Cor.* XII, 7, 9) : si ergo vos dormiatis inter medios cleros, tunc pennæ columbæ deargentatæ nive dealbabuntur in Selmon. Potest et sic : *Si vos, pennæ columbæ deargentatæ, dormiatis inter medios cleros, nive dealbabuntur in Selmon*, ut subintelligantur homines, qui per gratiam remissionem accipiunt peccatorum. Unde etiam de ipsa Ecclesia dicitur in Cantico canticorum : *Quæ est ista quæ ascendit dealbata* (*Cant.* III, 6, *sec.* LXX)? Promissio quippe Dei tenetur, per Prophetam dicentis : *Si fuerint peccata vestra tanquam phœnicium, sicut nivem dealbabo* (*Isai.* I, 18)? Potest et sic intelligi, ut in eo quod dictum est, *pennæ columbæ deargentatæ*, subaudiatur, eritis; ut iste sit sensus : O vos qui tanquam spolia speciei domus dividimini, si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ eritis; id est, in altiora

elevabimini, compagini tamen Ecclesiæ cohærentes. Nullam quippe aliam melius hic intelligi puto columbam deargentatam, quam illam de qua dictum est: *Una est columba mea* (*Cant.* vi, 8). Deargentata est autem, quia divinis eloquiis est erudita: eloquia namque Domini alio loco dicuntur *argentum igne examinatum terræ, purgatum septuplum* (*Psal.* xi, 7). Magnum itaque aliquod bonum est, dormire inter medios cleros: quæ nonnulli duo Testamenta esse voluerunt; ut dormire sit inter medios cleros, in eorum Testamentorum auctoritate requiescere; id est, utriusque Testamenti testimoniis acquiescere, ut quando aliquid ex his profertur et probatur, omnis contentio pacifica quiete finiatur. Quod si ita est, quid aliud admoneri videntur evangelizantes virtute multa, nisi quia tunc eis Dominus dabit verbum ut evangelizare possint, si dormiant inter medios cleros? Tunc enim eis verbum veritatis datur, si auctoritas ab eis duorum Testamentorum non relinquatur: ut ipsi sint et pennæ columbæ deargentatæ, quorum prædicatione in cœlum gloria fertur Ecclesiæ.

18. *Inter scapulas* autem: pars est utique corporis; pars est circa regionem cordis, a posterioribus tamen, id est a dorso: quam columbæ illius deargentatæ partem in viriditate auri esse dicit, hoc est in vigore sapientiæ; quem vigorem [1] melius non puto intelligi posse quam charitatem. Sed quare a dorso, et non a pectore? Quanquam mirer quomodo positum sit hoc verbum in alio psalmo, ubi dicitur, *Inter scapulas suas obumbrabit tibi, et sub alis ejus sperabis* (*Psal.* xc, 4), cum sub alis obrumbrari non possit, nisi quod a pectore fuerit. Et latine quidem *inter scapulas* fortasse aliquo modo ex utraque parte possit intelligi, et ante, et post; ut scapulas accipiamus quæ in medio caput habent: et in hebræo sit fortassis ambiguum, quod possit et hoc modo intelligi; sed quod in græco est μετάφρενα, nonnisi a posterioribus significat, quod est *inter scapulas.* Utrum propterea ibi est auri viriditas, id est sapientia et charitas, quia ibi sunt quodammodo radices alarum; an quia ibi portatur illa sarcina levis? Quid enim sunt vel ipsæ alæ, nisi duo præcepta charitatis, in quibus tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* xxii, 40)? Quid ipsa sarcina levis, nisi ipsa charitas quæ in his duobus præceptis impletur? Quidquid enim difficile est in præcepto, leve est amanti. Nec ob aliud recte intelligitur dictum, *Onus meum leve est* (*Id.* xi, 30); nisi quia dat Spiritum sanctum, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris (*Rom.* v, 5), ut amando liberaliter faciamus, quod timendo qui facit, serviliter facit: nec est amicus recti, quando mallet, si fieri posset, id quod rectum est non juberi.

19. Quæri etiam potest, cum non sit dictum, Si dormiatis in cleris, sed, *inter medios cleros*, quid sit hoc, *inter medios cleros.* Quod quidem si expressius transferretur ex græco, inter medium clerorum diceretur; quod in nullo interpretum legi: propterea credo quia tantumdem valet quod dictum est, *inter medios cleros.* Hinc ergo quid mihi videatur exponam. Sæpe hoc verbum ad aliqua connectenda atque pacanda, ne inter se dissideant, poni solet: sicut testamentum inter se et populum Deo constituente, hoc verbum Scriptura ponit; nam pro eo quod est in latino, *inter me et vos*, græcus habet, *inter medium meum et vestrum.* Sic et de signo circumcisionis cum loquitur Deus ad Abraham, dicit, *Erit testamentum inter me et te, et omne semen tuum* (*Gen.* xvii, 2, 7): quod Græcus habet, *inter medium meum et tuum, et inter medium seminis tui.* Item cum loqueretur ad Noe de arcu in nubibus ad signum constituendum (*Id.* ix, 12), hoc verbum sæpissime repetit: et quod habent latini codices, *inter me et vos*, vel *inter me et omnem animam vivam*, et si qua ibi talia dicuntur; *inter medium meum et vestrum*, invenitur in Græco, quod est, ἀνὰ μέσον. David quoque et Jonathan signum inter se constituunt, ne aliud opinando dissideant (I *Reg.* xx, 20-23): et quod latine dicitur, *inter ambos*; *inter medium amborum*, habet Græcus eodem verbo, quod est, ἀνὰ μέσον. Optime autem factum est, ut hoc loco psalmi hujus interpretes nostri non dicerent, inter cleros, quod latinæ locutioni usitatum est; sed *inter medios cleros*, tanquam inter medium clerorum, quod potius in græco legitur, et quod dici solet in his rebus, ut dixi, quæ inter se debeant habere consensum. Jubet ergo Scriptura ut inter medios cleros dormiant, qui vel sunt pennæ columbæ deargentatæ, vel ex hoc eis præstatur ut sint. Porro si isti cleri duo Testamenta significant, quid aliud admonemur, nisi ut Testamentis inter se consentientibus non repugnemus [1]; sed intelligendo acquiescamus, nosque simus eorum concordiæ signum atque documentum, cum alterum adversus alterum nihil dixisse sentimus, et cum pacifica admiratione, quasi ecstasis sopore, monstramus? Cur autem in cleris Testamenta intelligantur, cum hoc nomen græcum sit quidem, sed Testamentum non ita dicatur; hæc causa est, quia per testamentum datur hæreditas, quæ græce appellatur, κληρονομία, et hæres, κληρονόμος. Κλῆρος autem sors græce dicitur, et sortes ex promissione Dei, partes hæreditatis vocantur, quæ populo sunt distributæ. Unde tribus Levi præcepta est non habere sortem inter fratres suos, quod ex eorum decimis sustentaretur (*Num.* xviii, 20). Nam et Cleros et Clericos hinc appellatos puto, qui sunt in ecclesiastici ministerii gradibus ordinati, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum (*Act.* i, 26). Proinde propter hæreditatem quæ fit testamento, tanquam per id quod efficitur id quod efficit, nomine clerorum Testamenta ipsa significata sunt.

20. Quanquam mihi et alius hic sensus occurrat, nisi fallor, anteponendus, ut cleros multo probabilius ipsas hæreditates intelligamus: ut quoniam hæreditas Veteris Testamenti est, quamvis in umbra si-

[1] Er. et aliquot Mss., *in virore sapientiæ, quem virorem.*

[1] Omnes prope Mss., *ut ea Testamenta inter se consentire non repugnemus.* Regius Cd., *ut ea Testamenta inter se consentire, non repugnare noverimus.*

gnificativa futuri, terrena felicitas; hæreditas vero Novi Testamenti est æterna immortalitas; dormire sit inter medios cleros, nec illam jam quærere ardenter, et adhuc istam exspectare patienter. Nam qui Deo propterea serviunt, vel potius propterea servire nolunt, dum quærunt in hac vita et in hac terra felicitatem, ablatus est somnus ab eis, et non dormiunt. Inflammantibus enim cupiditatibus agitati, in flagitia et facinora propelluntur, nec omnino requiescunt; desiderando ut acquirant, metuendo ne amittant. *Qui autem me audit*, ait Sapientia, *inhabitabit in spe, et requiescet sine timore ab omni malignitate* (*Prov.* I, 33). Hoc est, quantum mihi videtur, dormire inter medios cleros, id est inter medias hæreditates; nondum in re, sed tamen in spe cœlestis hæreditatis habitare, et a terrenæ felicitatis jam cupiditate conquiescere. Cum autem venerit quod speramus, non jam inter duas hæreditates requiescemus; sed in nova vera, cujus vetus erat umbra, regnabimus. Quapropter etiamsi intellexerimus quod dictum est, *Si dormiatis inter medios cleros*, tanquam si diceretur, Si moriamini inter medios cleros, ut istam mortem carnis more suo Scriptura dormitionem vocaverit; hæc est mors optima, ut in cupiditatum cohibitione a terrenis, in spe cœlestis hæreditatis homo usque in finem perseverans, diem vitæ hujus ultimum claudat. Sic enim dormientes inter medios cleros, erunt pennæ columbæ deargentatæ; ut tempore quo resurgent, rapiantur in nubibus obviam Christo in aera, et semper jam cum Domino vivant (I *Thess.* IV, 16): aut certe, quia per eos qui sic moriuntur, quanto securius, tanto sublimius Ecclesia diffamatur, et quasi quibusdam pennis excelsæ laudis attollitur. Neque enim frustra dictum est: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam* (*Eccli.* XI, 30). Omnes ergo sancti Dei ab initio generis humani, usque ad tempus Apostolorum (quia et ipsi noverant dicere, *Diem hominis non concupivi, tu scis* [*Jerem.* XVII, 16]; et, *Unam petii a Domino, hanc requiram* [*Psal.* XXVI, 4]), et a tempore Apostolorum, ex quo duorum Testamentorum differentia clarius revelata est, ipsi Apostoli et beati martyres cæterique justi, tanquam arietes et arietum filii usque ad hoc tempus dormierunt inter medios cleros; regni terreni felicitatem jam contemnentes, et regni cœlorum æternitatem sperantes, et nondum tenentes. Et quia tam bene dormierunt, eis velut pennis nunc volitat, et laudibus exaltatur Ecclesia, columba scilicet deargentata; ut hac eorum fama ad imitandum posteris invitatis, dum sic etiam cæteri dormiunt, addantur pennæ quibus usque in finem sæculi sublimiter prædicetur.

21. [*Vers.* 15.] *Dum discernit supercœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon*: ille supercœlestis, ille *qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia, dum discernit reges super eam*, id est super eamdem columbam deargentatam. Sequitur enim Apostolus, ac dicit: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, quosdam vero evangelistas, quosdam autem pastores et doctores*. Nam quid est aliud reges discernere super eam, nisi *in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi* (*Ephes.* IV, 10-12); quandoquidem ipsa est corpus Christi? Dicuntur autem illi *reges*, utique a regendo: et quid magis quam carnis concupiscentias, ne regnet peccatum in eorum mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, ne exhibeant membra sua arma iniquitatis peccato, sed exhibeant se Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra sua arma justitiæ Deo (*Rom.* VI, 12 *et* 13)? Sic enim erunt reges primitus discreti ab alienigenis, quia non sunt jugum ducentes cum infidelibus; deinde discreti concorditer inter se muneribus propriis. *Non enim omnes apostoli, aut omnes prophetæ, aut omnes doctores, aut omnes dona habent curationum, aut omnes linguis loquuntur, aut omnes interpretantur. Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult* (I *Cor.* XII, 29, 30, 11): quem dando ille supercœlestis, discernit reges super columbam deargentatam. De quo Spiritu sancto cum ad ejus matrem gratia plenam missus Angelus loqueretur, quærenti quomodo fieret quod paritura nuntiabatur, quoniam non cognoscebat virum: *Spiritus sanctus*, inquit, *superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Quid est, *obumbrabit tibi*, nisi, umbram faciet? Unde et isti reges, dum gratia Spiritus Domini Christi discernuntur super columbam deargentatam, *nive dealbabuntur in Selmon*. Selmon quippe interpretatur Umbra. Non enim meritis aut virtute propria discernuntur. *Quis enim te*, inquit, *discernit? Quid autem habes quod non accepisti* (*Id.* IV, 7)? Ut ergo discernantur ab impiis, accipiunt remissionem peccatorum ab illo qui ait: *Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, tanquam nivem dealbabo* (*Isai.* I, 18). Ecce quomodo *nive dealbabuntur in Selmon*; in gratia Spiritus Christi, quo eis etiam propria dona discreta sunt: de quo dictum est quod supra commemoravi, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*, hoc est, umbram faciet tibi: *propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Umbra porro ista defensaculum intelligitur ab æstu concupiscentiarum carnalium: unde illa virgo Christum non carnaliter concupiscendo, sed spiritualiter credendo concepit. Constat autem umbra lumine et corpore: proinde illud quod in principio erat Verbum, lumen illud verum, ut umbraculum meridianum fieret nobis, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 1, 14). Deo scilicet homo, tanquam lumini corpus, accessit, et in eum credentes umbra protectionis operuit. Non enim de quali umbra dicitur, *Transierunt omnia illa tanquam umbra* (*Sap.* V, 9); nec de quali umbra dicit Apostolus, *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quod est umbra futurorum* (*Coloss.* II, 16, 17); sed de quali scriptum est, *Sub umbra alarum tuarum protege me* (*Psal.* XVI, 8). Dum ergo discernit ille supercœlestis reges super columbam deargentatam, non sua merita extollant, non de propria virtute confidant: *nive* quippe *dealbabuntur in Selmon*;

gratia candificabuntur in protectione corporis Christi.

22. [*vers.* 16.] Hunc autem montem consequenter dicit *montem Dei, montem uberem, montem incaseatum*, vel *montem pinguem*. Quid hic autem aliud pinguem, quam uberem diceret? Est enim et mons isto nomine nuncupatus, id est *Selmon*. Sed quem montem intelligere debemus *montem Dei, montem uberem, montem incaseatum*, nisi eumdem Dominum Christum, de quo et alius propheta dicit : *Erit in novissimis temporibus manifestus mons Domini, paratus in cacumine montium* (*Isai.* II, 2)? Ipse est mons incaseatus, propter parvulos gratia tanquam lacte nutriendos; mons uber, ad roborandos atque ditandos donorum excellentia : nam et ipsum lac, unde fit caseus, miro modo significat gratiam; manat quippe ex abundantia viscerum maternorum, et misericordia delectabili parvulis gratis infunditur. Ambiguus est autem in græco casus, utrum sit nominativus, an accusativus; quoniam in ea lingua mons neutri generis est, non masculini : ideo nonnulli Latini non interpretati sunt, *montem Dei*, sed *mons Dei*. Puto autem melius esse, *in Selmon montem Dei*, hoc est, in montem Dei qui vocatur Selmon : secundum intellectum quem supra, ut potuimus, exposuimus.

23. [*vers.* 17.] Deinde quod dixit, *montem Dei, montem incaseatum, montem uberem*, ne quis auderet ex hoc Dominum Jesum Christum comparare cæteris sanctis, qui et ipsi dicti sunt montes Dei : legitur quippe, *Justitia tua sicut montes Dei* (*Psal.* XXXV, 7); unde Apostolus ait, *Ut nos simus justitia Dei in ipso* (II *Cor.* V, 21). De quibus montibus et alio loco dicitur, *Illuminans tu admirabiliter a montibus æternis* (*Psal.* LXXV, 5); quia vita eis æterna donata est, et per eos sanctarum Scripturarum eminentissima auctoritas constituta est, sed illuminante ab eis[1] illo cui dicitur, *Illuminans tu. Levavi* enim *oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi :* nec tamen auxilium meum ab ipsis proprie montibus; sed *auxilium meum a Domino qui fecit cœlum et terram* (*Psal.* CXX, 1, 2). Unus quippe ipsorum montium multum excellens cum dixisset, quod plus illis omnibus laboraverit : *Non autem ego*, inquit, *sed gratia Dei mecum* (I *Cor.* XV, 10). Ne quis ergo auderet etiam montem speciosum forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3) montibus filiis hominum comparare; quoniam non defuerunt qui eum dicerent, alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis (*Matth.* XVI, 14); convertit se ad illos, et ait : *Utquid suspicamini montes incaseatos, montem*, inquit, *in quo placuit Deo inhabitare in eo? Utquid suspicamini?* Sicut enim lumen illi, quia et ipsis dictum est, *Vos estis lumen mundi* (*Id.* V, 14); sed aliud illud dictum est, *Lumen verum, quod illuminat omnem hominem* (*Joan.* I, 9) : sic, montes illi; sed longe alius mons paratus in cacumine montium. Montes itaque isti illum montem portando gloriosi sunt : quorum ille unus dicit, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14) : *ut qui gloriatur, non in seipso, sed in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 31). *Utquid* ergo *suspicamini montes incaseatos, eum montem in quo placuit Deo habitare in eo?* Non quia in aliis non inhabitat, sed quia in ipsis per ipsum. *In ipso quippe inhabitat omnis plenitudo divinitatis* (*Coloss.* II, 9); non umbraliter, tanquam in templo a rege Salomone facto, sed corporaliter, id est solide atque veraciter. *Quoniam Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* V, 19). Quod sive de Patre dictum accipiamus, quoniam ipse ait, *Pater autem in me manens, ipse facit opera sua; ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* XIV, 10); sive ita intelligatur, *Deus erat in Christo*, Verbum erat in homine : sic erat utique Verbum in carne, ut Verbum etiam caro factum solus proprie diceretur, id est, homo Verbo in unam Christi personam copularetur. *Utquid* ergo *suspicamini montes incaseatos*, eum *montem in quo placuit Deo inhabitare in eo?* Longe utique aliter quam in illis montibus, quorum aliquem etiam hunc suspicamini. Non enim quia et illi per adoptionis gratiam filii Dei sunt, ideo quisquam illorum est Unigenitus cui diceret : *Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis* (*Psal* CIX, 1). *Etenim Dominus inhabitabit usque in finem* : id est, illos montes non comparandos huic monti ipse Dominus inhabitabit, qui est mons paratus in cacumine montium; ut perducat eos in finem, id est in seipsum sicut Deus est contemplandum. *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Deo itaque placuit habitare in isto monte, qui paratus est in cacumine montium; cui dicit : *Tu es Filius meus dilectus, in quo*[1] *bene complacui* (*Matth.* III, 17). Ipse autem mons Dominus est, qui alios montes inhabitabit in finem, in quorum cacumine paratus est. *Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5), mons montium, sicut sanctus sanctorum. Unde dicit : *Ego in eis, et tu in me* (*Joan.* XVII, 23). *Utquid* ergo *suspicamini montes incaseatos, montem in quo placuit Deo inhabitare in eo?* Etenim montes illos incaseatos Dominus iste, mons incaseatus, inhabitabit usque in finem, ut aliquid sint quibus ait : *Quia sine me nihil potestis facere* (*Id.* XV, 5).

24. [*vers.* 18.] Ita fit etiam quod sequitur : *Currus Dei decem millium multiplex*; vel, *denum millium multiplex*; vel, *decies millies multiplex*. Unum verbum enim græcum sicut quisque potuit latinorum interpretum transtulit, quod ibi dictum est, μυριοπλάσιον. Latine autem satis exprimi non potuit : quoniam mille apud Græcos χίλια dicuntur, μυριάδες autem plura dena millia; μυριάς quippe una, decem millia sunt. Ingentem itaque multitudinem sanctorum atque fidelium, qui portando Deum fiunt quodammodo currus Dei, significavit hoc nomine. Hanc immanendo et regendo perducit in finem tanquam currum suum

[1] Edd., *illuminante illo*. At Mss. addunt, *ab eis :* pro eo scilicet, quod in ante allato Psal. 75, ℣. 5, est, *a montibus æternis*.

[1] Er. et Lov., *in quo mihi*. Abest *mihi* ab Am. et Mss nec exstat in græco LXX.

velut in locum aliquem destinatum. *Initium* enim *Christus; deinde qui sunt Christi in præsentia ejus; deinde finis* (I *Cor.* xv, 23, 24). Hæc est sancta Ecclesia, quæ sunt quod sequitur, *Millia lætantium. Spe* enim sunt *gaudentes*, donec perducantur in finem quem nunc exspectant per patientiam (*Rom.* viii, 25). Mirifice autem, cum dixisset, *Millia lætantium*, continuo subjecit, *Dominus in illis*. Ne miremur quod lætentur; *Dominus in illis*. Nam *per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei* (*Act.* xiv, 21): sed, *Dominus in illis*. Ideo etsi sunt *quasi tristes, semper tamen gaudentes* (II *Cor.* vi, 10); nec jam in ipso fine quo nondum venerunt, sed *spe* sunt *gaudentes*, et *in tribulatione patientes* (*Rom.* xii, 12), quoniam *Dominus in illis, in Sina, in sancto*. In nominum hebræorum interpretationibus invenimus Sina interpretari Mandatum: et alia quædam interpretatur; sed hoc puto præsenti loco aptius convenire. Reddens enim causam quare lætarentur illa millia, quibus constat currus Dei, *Dominus*, inquit, *in illis, in Sina, in sancto*: id est, Dominus in illis, in mandato; quod mandatum sanctum est, sicut dicit Apostolus; *Itaque Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum* (*Id.* vii, 12). Sed quid prodesset mandatum, nisi Dominus ibi esset, de quo dicitur: *Deus enim est qui operatur in vobis et velle, et operari, pro bona voluntate* (*Philipp.* ii, 13)? Nam mandatum sine Domini adjutorio littera est occidens (II *Cor.* iii, 6). *Lex enim subintravit, ut abundaret delictum* (*Rom.* v, 20). Sed quoniam *plenitudo Legis charitas est* (*Id.* xiii, 10), ideo per charitatem Lex impletur, non per timorem. *Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Id.* v, 5). Ideo lætantur hæc millia. Tantum enim faciunt justitiam Legis, quantum adjuvantur Spiritu gratiæ; quoniam *Dominus in illis, in Sina, in sancto*.

25. [*Vers.* 19.] Deinde ad ipsum Dominum locutione conversa: *Ascendisti*, inquit, *in altum, captivasti captivitatem, accepisti dona in hominibus*. Hoc Apostolus sic commemorat, sic exponit de Domino Christo loquens: *Unicuique autem nostrum*, inquit, *datur gratia secundum mensuram donationis Christi: propter quod dicit, Ascendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia* (*Ephes.* iv, 7-10). Christo ergo sine dubitatione dictum est: *Ascendisti in altum, captivasti captivitatem, accepisti dona in hominibus*. Nec moveat quod Apostolus idem testimonium commemorans non ait, *Accepisti dona in hominibus*; sed, *Dedit dona hominibus*. Ille quippe auctoritate apostolica secundum hoc locutus est, quod Deus cum Patre[1] Filius. Secundum hoc quippe *dedit dona hominibus*, mittens eis Spiritum sanctum, qui Spiritus est Patris et Filii. Secundum illud vero quod idem ipse Christus in corpore suo intelligitur, quod est Ecclesia, propter quod et membra ejus sunt sancti et fideles ejus; unde eis dicitur, *Vos autem estis corpus Christi et membra* (I *Cor.* xii, 27): procul dubio et ipse *accepit dona in hominibus*. Christus quippe ascendit in altum, et sedet ad dexteram Patris (*Marc.* xvi, 19); sed nisi et hic esset in terris, non inde clamasset: *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* ix, 4)? Cum igitur idem ipse dicat, *Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 40); quid dubitamus eum accipere in membris suis, quæ dona membra ejus accipiunt?

26. Sed quid est, *Captivasti captivitatem?* Utrum quia vicit mortem, quæ captivos tenebat in quibus regnabat? an ipsos homines appellavit captivitatem, qui captivi sub diabolo tenebantur? Cujus rei mysterium continet etiam titulus illius psalmi, *Quando domus ædificabatur post captivitatem* (*Psal.* xcv, 1): id est, Ecclesia post gentilitatem. Ipsos itaque homines qui captivi tenebantur appellans captivitatem, sicut militia cum dicitur et intelliguntur qui militant, eamdem captivitatem a Christo captivatam dicit. Cur enim non sit captivitas felix, si et ad bonum homines possunt capi? Unde Petro dictum est: *Ex hoc jam homines eris capiens* (*Luc.* v, 10). Captivati ergo, quia capti, et capti quia subjugati; sub lene illud jugum missi (*Matth.* xi, 30), liberati a peccato cujus servi erant, et justitiæ servi facti cujus liberi erant (*Rom.* vi, 18). Unde et ipse in illis est, qui *dedit dona hominibus*, et *accepit dona in hominibus*. Ideoque in ista captivitate, in ista servitute, in isto curru, sub isto jugo non sunt millia plorantium, sed *millia lætantium*. *Dominus* quippe *in illis, in Sina, in sancto*. Cui sensui congruit et alia interpretatio, qua interpretatur Sina Mensura. Nam de his donis lætitiæ spiritualis Apostolus loquens id quod supra commemoravi: *Unicuique autem nostrum*, inquit, *data est gratia secundum mensuram donationis Christi*. Ac deinde sequitur quod etiam hic sequitur: *Propter quod dicit, Ascendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus*: quod hic est, *accepisti dona in hominibus*. Quid hac et illa veritate concordius? quid manifestius?

27. Sed quid deinde adjungit? *Etenim qui non credunt inhabitare*; vel quod nonnulli codices habent, *Etenim non credentes inhabitare*. Nam quid sunt aliud non credentes, nisi qui non credunt? De quibus dictum sit non est facilis intellectus. Tanquam enim ratio redderetur superiorum verborum, cum dictum esset, *Captivasti captivitatem, accepisti dona in hominibus*; ita subjunctum est, *Etenim qui non credunt inhabitare*, id est, non credentes ut inhabitarent. Quid est hoc? de quibus hoc dicit? An illa captivitas antequam transiret in bonam captivitatem, unde fuerit mala captivitas ostendit? Non credendo enim possidebantur ab inimico, *qui operatur in filiis diffidentiæ, in quibus et vos*, inquit, *fuistis aliquando, cum viveretis in illis* (*Ephes.* ii, 2, 3). Donis ergo gratiæ suæ, qui accepit dona in hominibus captivavit istam captivitatem. Etenim non credentes erant ut inhabitarent. Nam fides eos inde liberavit[1], ut jam credentes inha-

[1] Hic in Edd. additur, *fecit*: quod a Mss. abest.

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *liberabit*.

bitent in domo Dei, facti et ipsi domus Dei, et currus Dei[1] millium lætantium.

28. [*vers.* 20, 21.] Unde qui hæc canebat, in Spiritu ea prævidens, impletus etiam ipse lætitia, eructavit hymnum, dicens : *Dominus Deus benedictus, benedictus Dominus Deus de die in diem.* Quod nonnulli codices habent, *die quotidie.* Quia sic habent Græci, ἡμέραν καθημέραν; quod verius exprimeretur, *die quotidie.* Quam puto locutionem hoc significare quod dictum est, *de die in diem.* Quotidie quippe hoc agit usque in finem; captivat captivitatem, accipiens dona in hominibus.

29. Et quoniam currum illum ducit in finem, sequitur et dicit : *Prosperum iter faciet nobis Deus sanitatum*[2] *nostrarum, Deus noster, Deus salvos faciendi.* Multum gratia commendatur. Quis enim salvus esset, nisi ipse sanaret? Sed ne occurreret cogitationi, Cur ergo morimur, si per ejus gratiam salvi facti sumus? continuo subjecit, *et Domini exitus mortis :* tanquam diceret, Quid indignaris humana conditio habere te exitum mortis? Et Domini tui exitus non alius quam mortis fuit. Potius ergo consolare quam indignare; nam *et Domini exitus mortis.* Spe enim salvi facti sumus : si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 24). Patienter ergo etiam ipsam mortem feramus, illius exemplo qui, licet nullo peccato esset debitor mortis, et Dominus esset a quo nemo animam tolleret, sed ipse eam a semetipso poneret, etiam ipsius fuit exitus mortis.

30. [*vers.* 22.] *Verumtamen Deus conquassabit capita inimicorum suorum; verticem capilli perambulantium in delictis suis :* id est nimis se extollentium, nimis superbientium in delictis suis; in quibus saltem humiles esse deberent, dicentes, *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Sed conquassabit eorum capita; *quoniam qui se exaltat, humiliabitur* (*Luc.* XVIII, 13, 14). Ac per hoc quamvis et Domini sit exitus mortis; tamen idem Dominus, quoniam Deus est, et voluntate, non necessitate, secundum carnem mortuus est, *conquassabit capita inimicorum suorum;* non solum eorum qui crucifixo illudentes et moventes capita dicebant, *Si Filius Dei est, descendat de cruce;* sed etiam omnium extollentium se adversus doctrinam ejus, et tanquam mortem hominis irridentium. Idem quippe ipse de quo dictum est, *Alios salvos fecit, semetipsum non potest salvum facere* (*Matth.* XXVII, 40, 42), *Deus* est *sanitatum nostrarum,* et *Deus* est *salvos faciendi :* sed propter humilitatis et patientiæ documentum, et sanguine suo delendum nostrorum chirographum peccatorum, etiam suum esse voluit exitum mortis, ne mortem timeremus istam, sed illam potius unde nos liberavit per istam. Verumtamen illusus et mortuus *conquassabit capita inimicorum suorum,* de quibus ait, *Resuscita me, et reddam illis* (*Psal.* XL, 11) : sive bona pro malis, dum sibi subdit capita credentium; sive justa pro injustis, dum punit capita superbientium. Utroque enim modo conquassantur et confringuntur capita inimicorum, cum a superbia dejiciuntur, sive humilitate correcti, sive in ima tartari abrepti.

31. [*vers.* 23, 24.] *Dixit Dominus : Ex Basan convertar;* vel ut nonnulli codices habent, *Ex Basan convertam.* Ille quippe convertit ut salvi simus, de quo supra dictum est : *Deus sanitatum nostrarum,* et *Deus salvos faciendi.* Ei quippe et alibi dicitur : *Deus virtutum, converte nos; et ostende faciem tuam, et salvi erimus* (*Psal.* LXXIX, 20). Item alibi : *Converte nos, Deus sanitatum nostrarum* (*Psal.* LXXXIV, 5). Ille autem dixit : *Ex Basan convertam.* Basan interpretatur Confusio. Quid est ergo, convertam ex confusione, nisi quia confunditur de peccatis suis qui pro eis dimittendis precatur misericordiam Dei? Inde est quod ille Publicanus nec oculos ad cœlum audebat levare : ita se considerans confundebatur; sed descendit justificatus, quia *dixit Dominus, ex Basan convertam.* Basan interpretatur et Siccitas; et recte intelligitur Dominus ex siccitate convertere, id est ex inopia. Nam qui sibi videntur copiosi, cum sint famelici, et pleni, cum sint inanissimi, non convertuntur. Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* V, 6). Ex ista Dominus siccitate convertit : de anima quippe sicca illi dicitur, *Extendi manus meas ad te; anima mea velut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII, 6). Illud quoque non absurde intelligitur, quod habent alii codices, *Ex Basan convertar.* Convertitur enim ad nos etiam ipse qui dicit, *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zach.* I, 3) : et non, si[1] extra confusionem, cum peccatum nostrum ante nos est semper (*Psal.* L, 5); et extra siccitatem, qua ejus desideramus imbrem, qui pluviam voluntariam segregavit hæreditati suæ. Nam siccitate infirmata est; ipse vero conversus perfecit eam, cui dicitur, *Et conversus vivificasti me* (*Psal.* LXX, 20). *Dixit* ergo *Dominus : Ex Basan convertam, convertam in profundum maris.* Si *convertam,* quare *in profundum maris?* In seipsum quippe convertit Dominus, cum salubriter convertit, et non est utique ipse profundum maris. An fallit forte latina locutio, et pro eo positum est, *in profundum,* quod est, profunde? Non enim ille se convertit; sed ibi convertit eos qui in profundo hujus sæculi jacent demersi pondere peccatorum, ubi conversus ille dicit : *De profundis clamavi ad te, Domine* (*Psal.* CXXIX, 1). Si autem non est, *convertam,* sed, *convertar in profundum maris,* hoc intelligitur dixisse Dominum nostrum, quod sua misericordia converteretur etiam in profundum maris, ad eos quoque liberandos qui essent etiam desperatissimi peccatores. Quanquam in aliquo græco invenerim, non, *in profundum,* sed, *in profundis,* hoc est, ἐν βυθοῖς; quod priorem sensum confirmat, quod etiam ibi Deus convertat ad se de profundis clamantes. Qui et si intelligatur ibi ipse converti ad liberandos etiam tales, non est incon-

[1] Edd., *decem millium.* Abest *decem* a Mss.
[2] Aliquot Mss., *salutarium :* alii, *sanitantium :* plerique, *sanitatum.*

[1] Sic potiores Mss. Alii carent *si :* vel cum Edd. habent *nonnisi.*

gruum : et ita eos convertit, vel ad eos liberandos ita convertitur, ut tinguatur pes ejus in sanguine. Quod ad ipsum Dominum Propheta dicit : *Ut tinguatur pes tuus in sanguine :* id est, ut ipsi qui ad te convertuntur, vel ad quos liberandos converteris, licet profundo maris onere iniquitatis depressi fuerint, in tantum gratia tua proficiant, quoniam *ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia* (*Rom.* v, 20). Ut fiant pes tuus inter membra tua, ad annuntiandum Evangelium tuum, et pro nomine tuo diu ducentes[1] martyrium, usque ad sanguinem certent. Sic enim, ut arbitror, convenientius intelligitur pes ejus tinctus in sanguine.

32. Denique adjungit, *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso :* eosdem ipsos qui usque ad sanguinem fuerant pro fide evangelica certaturi, etiam canes vocans, tanquam pro suo Domino latrantes. Non illos canes, de quibus dicit Apostolus, *Cavete canes* (*Philipp.* III, 2) : sed illos qui *edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Hoc enim confessa Chananæa meruit audire : *O mulier, magna est fides tua! fiat tibi sicut vis* (*Matth.* xv, 28). Canes laudabiles, non detestabiles; fidem servantes domino suo, et pro ejus domo contra inimicos latrantes. Non enim tantummodo *canum* dixit, sed *canum tuorum ;* nec eorum dentes, sed lingua laudata est : quoniam non utique frustra, nec sine magno sacramento Gedeon solos eos jussus est ducere, qui fluminis aquam sicut canes lamberent; talesque non amplius quam trecenti in tanta multitudine inventi sunt (*Judic.* VII, 5, 6). In quo numero crucis signum est propter τ litteram, quæ in græcis numerorum notis trecentos significat. De talibus canibus et in alio psalmo dicitur : *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes* (*Psal.* LVIII, 15). Nam et quidam canes reprehensi sunt a propheta Isaia, non ideo quod canes essent, sed quod latrare nescirent, et dormitare amarent (*Isai.* LVI, 10). Ubi utique demonstravit, quia si vigilarent et pro domino suo latrarent, laudabiles canes essent : sicut laudantur isti de quibus dicitur, *Lingua canum tuorum.* Quos tamen Propheta ex inimicis futuros esse prædixit, per illam scilicet conversionem de qua superius loquebatur. Unde et ille psalmus : *Convertentur*, inquit, *ad vesperam, et famem patientur ut canes.* Deinde veluti quærentibus unde hoc illis tantum bonum, ut canes ejus fierent, cujus fuerant inimici ; responsum est, *ab ipso.* Sic enim legitur : *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Ipsius utique dilectione, ipsius misericordia, ipsius gratia. Nam quando id possent a seipsis? Etenim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus (*Rom.* v, 10) : ad hoc et Domini fuit exitus mortis.

33. [*vers.* 25.] *Visi sunt gressus tui, Deus.* Gressus quibus venisti per mundum, tanquam in illo curru peragraturus orbem terrarum; quos et nubes in Evangelio sanctos et fideles suos significat, ubi ait : *Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus* (*Matth.* XXVI, 64, *et Marc.* XIII, 26). Excepto illo adventu in quo erit judex vivorum atque mortuorum (II *Tim.* IV, 1); *Amodo*, inquit, *videbitis Filium hominis venientem in nubibus. Hi gressus tui visi sunt*, id est, manifestati sunt, revelata gratia Testamenti Novi : unde dictum est, *Quam speciosi pedes eorum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona* (*Rom.* x, 15)! Hæc enim gratia et isti gressus latebant in Vetere Testamento : cum autem venit plenitudo temporis, et placuit Deo revelare Filium suum, ut annuntiaretur in gentibus (*Gal.* IV, 4), *visi sunt gressus tui, Deus; gressus Dei mei, regis*[1] *qui est in sancto.* In quo sancto, nisi in templo suo? *Templum enim Dei sanctum est*, inquit, *quod estis vos* (I *Cor.* III, 17).

34. [*vers.* 26.] Ut autem gressus isti viderentur, *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio adolescentularum tympanistriarum.* Principes sunt Apostoli : ipsi enim prævenerunt, ut populi sequerentur. *Prævenerunt*, annuntiantes Novum Testamentum; *conjuncti psallentibus*, de quorum bonis operibus etiam visibilibus, tanquam organis laudis, glorificaretur Deus. Iidem autem principes *in medio adolescentularum tympanistriarum*, in ministerio scilicet honorabili : nam ita sunt in medio ministri præpositi Ecclesiarum novarum; hoc enim est, *adolescentularum :* carne edomita Deum laudantium; hoc enim est, *tympanistriarum*, eo quod tympana fiant corio siccato et extento.

35. [*vers.* 27.] Ideo ne quisquam carnaliter ista acciperet, et ex his verbis quosdam luxuriæ choros in animum induceret, sequitur et dicit, *In Ecclesiis benedicite Dominum :* tanquam diceret, Utquid, cum auditis adolescentulas tympanistrias, lasciva delectamenta cogitatis? *In Ecclesiis benedicite Dominum.* Ecclesiæ quippe vobis hac mystica significatione monstrantur : Ecclesiæ sunt adolescentulæ, nova gratia decoratæ; Ecclesiæ sunt tympanistriæ, castigata carne spiritualiter sonoræ. *In Ecclesiis* ergo *benedicite Dominum Deum de fontibus Israel.* Inde quippe prius elegit quos fontes faceret. Nam inde sunt electi Apostoli; et hi primitus audierunt : *Qui biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet unquam; sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 13, 14).

36. [*vers.* 28.] *Ibi Benjamin adolescentior in ecstasi.* Ibi Paulus novissimus Apostolorum, qui dicit, *Nam et ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin* (*Philipp.* III, 5). Sed plane *in ecstasi;* expavescentibus omnibus tam magnum in ejus vocatione miraculum. Ecstasis namque est mentis excessus : quod aliquando pavore contingit; nonnunquam vero per aliquam revelationem alienatione[2] mentis a sensibus corporis, ut spiritui quod demonstrandum est demonstretur. Unde intelligi etiam sic potest quod hic positum est, *in ecstasi;* quia cum ei persecutori dictum esset

[1] Mss. plerique omittunt, *diu :* et quidam habent, *dicentes.*

[1] Edd., *regis mei.* Vox, *mei*, non est in Mss. nec in græco LXX.

[2] Sic probæ notæ Mss. At Edd., *et alienationem.*

de cœlo, *Saule, Saule, quid me persequeris*, ademplo lumine oculorum carnalium, respondebat Domino quem spiritu videbat; qui autem cum illo erant, vocem respondentis audiebant, neminem tamen videntes cui loqueretur (*Act.* IX, 4-7). Potest hic ecstasis etiam illa ejus intelligi, de qua ipse loquens ait, scire se hominem raptum usque in tertium cœlum; sive autem in corpore, sive extra corpus, nescire; sed raptum in paradisum audisse ineffabilia verba, quæ non liceret homini loqui (II *Cor.* XII, 2-4). *Principes Juda, duces eorum; principes Zabulon, principes Nephthalim.* Cum Apostolos significet principes, ubi est et *Benjamin adolescentior in ecstasi*; quibus verbis Paulum significari nemo ambigit; vel nomine principum omnes significentur in Ecclesiis excellentes atque imitatione dignissimi: quid sibi volunt hæc nomina tribuum Israeliticarum? Si enim tantum Judæ mentio fieret, quoniam ex hac tribu reges fuerant, ex qua et Dominus Christus secundum carnem (*Rom.* IX, 5); ideo ex hac tribu putaremus figuratos etiam principes Testamenti Novi: cum vero adjungit, *principes Zabulon, principes Nephthalim;* quisquam forsitan dicat ex his tribubus Apostolos fuisse, ex aliis autem non fuisse. Quod licet unde probari hoc posset non videam; tamen, quia nec unde refellatur invenio, et hoc loco principes Ecclesiarum, ducesque eorum qui in Ecclesiis benedicunt Dominum video commendari, non absurde etiam istum sensum probo[1]; sed plus me delectat quod ex istorum nominum interpretatione clarescit. Hebræa quippe sunt nomina: quorum Juda, Confessio interpretari dicitur; Zabulon, Habitaculum fortitudinis; Nephthalim, Dilatatio mea. Quæ omnia verissimos nobis insinuant principes Ecclesiarum, dignos ducatu, dignos imitatione, dignos honoribus. Martyres namque in Ecclesiis locum summum tenent, atque apice sanctæ dignitatis excellunt. Jam vero in martyrio prima confessio est, et pro illa quidquid acciderit tolerandi sequens assumitur fortitudo; deinde post omnia tolerata, finitis angustiis, latitudo consequitur in præmio. Potest et sic intelligi, ut quoniam tria hæc præcipue commendat Apostolus, fidem, spem, charitatem (II *Cor.* XIII, 13), confessio sit in fide, fortitudo in spe, latitudo in charitate. Fidei quippe res est ut corde credatur ad justitiam, ore autem confessio fiat ad salutem (*Rom.* X, 10). In passionibus autem tribulationum res tristis est, sed spes fortis est: *Si enim quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Id.* VIII, 25). Latitudinem vero præstat charitatis in corde diffusio: nam *consummata charitas foras mittit timorem* (I *Joan.* IV, 18); qui timor tormentum habet per animæ angustias. *Principes* ergo *Juda duces eorum* qui[2] in Ecclesiis benedicunt Dominum. *Principes Zabulon, principes Nephthalim:* principes confessionis, fortitudinis, latitudinis; principes fidei, spei, charitatis.

[1] Plerique Mss., *prodo*, vel *promo*.
[2] Er. et Lov., *duces eorum. Quorum? qui in Ecclesiis*, etc Am., *duces eorum. Quid? in Ecclesiis*, etc Mss., *duces eorum: qui in Ecclesiis*, etc

37. [*vers.* 29.] *Manda, Deus, virtutem tuam.* Unus enim Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia, et nos in ipso (I *Cor.* VIII, 6), quem legimus Dei Virtutem et Dei Sapientiam (*Id.* I, 24). Quomodo autem Deus mandat Christum suum, nisi dum eum commendat? *Commendat enim Deus charitatem suam in nobis, quoniam dum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est* (*Rom.* V, 8). *Quomodo non et cum illo omnia nobis donavit* (*Id.* VIII, 32)? *Manda, Deus, virtutem tuam: confirma, Deus, hoc quod operatus es in nobis.* Manda docendo, confirma juvando.

38. [*vers.* 30, 31.] *A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent reges munera. A templo tuo in Jerusalem*, quæ est libera mater nostra (*Gal.* IV, 26), quia et ipsa est templum sanctum tuum: ab illo ergo templo *tibi offerent reges munera.* Quicumque reges intelligantur; sive reges terræ, sive reges quos discernit supercœlestis super columbam deargentatam; *tibi offerent reges munera.* Et quæ munera gratiosa, quam sacrificia laudis[1]! Sed huic laudi obstrepunt, christianum vocabulum habentes, et diversa sentientes. Fiat ergo quod sequitur: *Increpa feras calami.* Nam et feræ sunt, quoniam non intelligendo nocent; et feræ calami sunt, quoniam Scripturarum sensum pro suo errore pervertunt. Per calamum quippe tam convenienter Scripturæ significantur, quam sermo per linguam; secundum quod dicitur lingua hebræa, vel græca, vel latina, vel alia quælibet, per efficientem scilicet id quod efficitur. Usitatum est autem in latino eloquio ut scriptura stilus vocetur, quod stilo fiat; ita ergo et calamus, quod calamo fiat. Dicit apostolus Petrus indoctos et instabiles pervertere Scripturas ad proprium suum interitum (II *Petr.* III, 16): hæ sunt feræ calami, de quibus hic dicitur, *Increpa feras calami.*

39. De his est etiam quod adjungit: *Congregatio taurorum inter vaccas populorum, ut excludantur ii qui probati sunt argento* (*a*). Tauros vocans, propter superbiam duræ indomitæque cervicis; significat enim hæreticos. *Vaccas* autem *populorum*, seductibiles animas intelligendas puto, quia facile sequuntur hos tauros. Non enim populos universos seducunt, in quibus sunt graves et stabiles; unde scriptum est, *In populo gravi laudabo te* (*Psal.* XXXIV, 18); sed in eis populis quas invenerint vaccas. *Ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis; semper discentes, et ad veritatis scientiam nunquam pervenientes* (II *Tim.* III, 6, 7). Quod autem ait idem apostolus, *Oportet et hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis* (I *Cor.* XI, 19); hoc etiam hic sequitur, *Ut excludantur ii qui probati sunt argento*, id est, qui probati sunt eloquiis Domini. *Eloquia* quippe *Domini, eloquia casta, argentum igne probatum terræ* (*Psal.* XI, 7). Nam *excludantur* dictum est, appareant, emineant; quod ait ille, *manifesti fiant.* Unde et in arte argentaria exclusores vocantur, qui de confusione massæ noverunt

[1] Sic Mss. Edd. vero: *Et quæ munera? Gratiosa. Quæ sacrificia? Laudis.*
(*a*) De eadem parte ỷ. 31 vide Enar. in Psal. LIV, n. 22

formam vasis exprimere. Multi enim sensus Scripturarum sanctarum latent, et paucis intelligentioribus noti sunt; nec asseruntur commodius et acceptabilius, nisi cum respondendi hæreticis cura compellit. Tunc enim etiam qui negligunt studia doctrinæ, sopore discusso, ad audiendi excitantur diligentiam, ut adversarii refellantur. Denique quam multi Scripturarum sanctarum sensus de Christo Deo asserti sunt contra Photinum! quam multi de homine Christo contra Manichæum! quam multi de Trinitate contra Sabellium! quam multi de unitate Trinitatis contra Arianos, Eunomianos, Macedonianos! quam multi de catholica Ecclesia toto orbe diffusa, et de malorum commixtione usque in finem sæculi, quod bonis in sacramentorum ejus societate non obsint, adversus Donatistas et Luciferianos aliosque, si qui sunt, qui simili errore a veritate dissentiunt! quam multi contra cæteros hæreticos, quos enumerare vel commemorare nimis longum est, et præsenti operi non necessarium! Quorum tamen sensuum probati assertores, aut prorsus laterent, aut non ita eminerent, ut eos eminere fecerunt superborum contradictiones, quos velut tauros, id est jugo disciplinæ pacifico lenique non subditos, commemorat Apostolus, ubi talem dixit eligendum ad episcopatum, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et contradicentes redarguere* (*Tit.* I, 9). Sunt enim multi non subditi; hi sunt tauri elatione cervicis impatientes aratri atque juncturæ: vaniloqui, et mentium seductores; has mentes significavit iste psalmus appellatione vaccarum. Ad hanc ergo utilitatem, Providentia divina permittit tauros congregari inter vaccas populorum, ut *excludantur*, id est, ut emineant *qui probati sunt argento*. Ad hoc enim hæreses sinuntur esse, *ut probati manifesti fiant*. Quanquam et sic possit intelligi: *Congregatio taurorum inter vaccas populorum*, ut ab eis vaccis *excludantur qui probati sunt argento*. Hanc enim habent intentionem hæretici doctores, ut ab auribus animarum, quas seducere moliuntur, excludant eos, id est, separent eos qui probati sunt argento, id est, qui idonei sunt docere eloquia Domini. Sed sive ille hujus verbi, sive iste sit sensus; sequitur: *Disperge gentes quæ bella volunt*. Non enim correctioni, sed contentioni student. Hoc ergo prophetat, ut ipsi potius dispergantur qui corrigi nolunt, qui gregem Christi dispergere affectant. Gentes autem appellavit, non propter generationes familiarum, sed propter genera sectarum, ubi series successionis confirmat errorem.

40. [*vers.* 32-34.] *Venient legati ex Ægypto; Æthiopia præveniet manus ejus*. Ægypti, vel Æthiopiæ nomine, omnium gentium fidem significavit, a parte totum; legatos appellans reconciliationis prædicatores. *Pro Christo*, inquit, *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo reconciliari Deo* (II *Cor.* v, 20). Non ergo de solis Israelitis, unde Apostoli electi sunt, sed etiam de cæteris gentibus futuros prædicatores christianæ pacis, hoc modo mystice prophetatum est. Quod vero ait, *Præveniet manus ejus*, hoc ait, præveniet vindictam ejus; conversione scilicet ad eum, ut peccata dimittantur, ne peccatores permanendo puniantur. Quod etiam in alio psalmo dicitur: *Præveniamus faciem ejus in confessione* (*Psal.* XCIV, 2). Sicut per *manus* vindictam, ita per *faciem* revelationem præsentiamque significat, quæ futura est in judicio. Quia ergo per Ægyptum atque Æthiopiam totius orbis gentes significavit, continuo subjunxit: *Deo regna terræ*. Non Sabellio, non Ario, non Donato, non cæteris tauris cervicatis; sed, *Deo regna terræ*.

41. Plures autem codices latini, et maxime græci ita distinctos versus habent, ut non sit in eis unus versiculus, *Deo regna terræ*; sed, *Deo*, in fine sit versus superioris, atque ita dicatur, *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*, ac deinde sequatur in alio versu, *Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino*. Qua distinctione, multorum codicum et auctoritate digniorum consonantia, sine dubio præferenda, fides commendari mihi videtur, quæ opera præcedit: quia sine bonorum operum meritis per fidem justificatur impius, sicut dicit Apostolus, *Credenti in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam* (*Rom.* IV, 5); ut deinde ipsa fides per dilectionem incipiat operari. Ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Hæc autem necesse est antecedat fides, ut inde ista, non ab istis incipiat illa; quoniam nullus operatur per dilectionem Dei, nisi prius credat in Deum. Hæc est fides, de qua dicitur: *In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides quæ per dilectionem operatur* (*Gal.* v, 6). Hæc est fides, de qua ipsi Ecclesiæ dicitur in Canticis canticorum: *Venies, et pertransies ab initio fidei* (*Cant.* IV, 8, *sec.* LXX). Venit enim tanquam currus Dei in millibus lætantium, prosperum iter habens, et pertransiit de hoc mundo ad Patrem (*Joan.* XIII, 1): ut fiat in ea quod sponsus ipse dicit, qui transiit de hoc mundo ad Patrem, *Volo ut ubi ego sum, et isti sint mecum* (*Id.* XVII, 24); sed ab initio fidei. Quia ergo ut bona opera sequantur, præcedit fides, nec ulla sunt bona opera, nisi quæ sequuntur præcedentem fidem: nihil aliud videtur dictum, *Æthiopia præveniet manus ejus Deo*, nisi, Æthiopia credet Deo. Sic enim *præveniet manus ejus*, id est opera ejus. Cujus, nisi ipsius Æthiopiæ? Quia hoc in græco non est ambiguum: *ejus* quippe ibi feminino genere apertissime positum est. Ac per hoc nihil aliud dictum est, quam *Æthiopia præveniet manus suas Deo*, id est, credendo in Deum præveniet opera sua. *Existimo enim*, inquit Apostolus, *justificari hominem per fidem sine operibus Legis. An Judæorum Deus tantum? nonne et Gentium* (*Rom.* III, 28 *et* 29)? Sic ergo Æthiopia, quæ videtur extrema Gentium, justificatur per fidem sine operibus Legis. Non enim, ut justificetur, de Legis operibus gloriatur; nec præponit fidei merita sua, sed fide prævenit opera sua. Plures sane codices [1] non habent, *manus*, sed, *manum*; quod tantumdem valet, quoniam pro operibus

[1] Edd., *codices græci non habent*. Abest, *græci*, a melioribus Mss.

positum est. Mallem autem latini interpretes sic transtulissent : *Æthiopia præveniet manus suas*, vel *manum suam Deo* [1]; quoniam planius hoc esset, quam quod nunc dictum est, *ejus :* et salva veritate fieri posset, quia in græca lingua id pronomen αὐτῆς, non solum *ejus*, sed etiam *suam* vel *suas* potest intelligi : *suam* ergo, si *manum; suas* autem, si *manus*. Nam quod est in græco, χεῖρα αὐτῆς, quod plures codices habent, et *manum ejus*, et *manum suam*, potest intelligi : quod vero rarum est in codicibus græcis, χεῖρας αὐτῆς, et *manus ejus*, et *manus suas* latine potest dici.

42. Hinc jam, velut decursis per prophetiam rebus omnibus, quas impletas esse jam cernimus, hortatur ad laudem Christi, ac deinde prænuntiat futurum ejus adventum. *Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino; psallite Deo qui ascendit super cœlum cœlorum ad orientem :* vel sicut nonnulli codices habent, *Qui ascendit super cœlum cœli ad orientem.* In his verbis ille non intelligit Christum, qui ejus resurrectionem ascensionemque non credit. *Ad orientem* vero quod addidit, nonne etiam ipsum locum, quoniam in partibus orientis est ubi resurrexit et unde ascendit, expressit? Ergo super cœlum cœli sedet ad dexteram Patris. Hoc est quod dicit Apostolus : *Ipse est qui ascendit super omnes cœlos* (*Ephes.* IV, 10). Quid enim cœlorum restat post cœlum cœli? Quos et cœlos cœlorum possumus dicere, sicut vocavit firmamentum cœlum; quod tamen cœlum, etiam cœlos legimus, ubi scriptum est : *Et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini* (*Psal.* CXLVIII, 4). Et quoniam inde venturus est ad judicandos vivos et mortuos, attende quod sequitur : *Ecce dabit vocem suam, vocem virtutis.* Ille qui *sicut agnus coram tondente se fuit sine voce* (*Isai.* LIII, 7), *ecce dabit vocem suam :* nec vocem infirmitatis, tanquam judicandus; sed *vocem virtutis*, tanquam judicaturus. Non enim Deus occultus, sicut prius, et in hominum judicio non aperiens os suum; sed *Deus manifestus veniet; Deus noster, et non silebit* (*Psal.* XLIX, 3). Quid desperatis, infideles? quid irridetis? Quid dicit servus malus : *Tardat Dominus meus venire* (*Luc.* XII, 45)? *Ecce dabit vocem suam, vocem virtutis.*

43. [*vers.* 35.] *Date gloriam Deo : super Israel magnificentia ejus.* De quo dicit Apostolus : *Super Israel Dei* (*Gal.* VI, 16). *Non enim omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ* (*Rom.* IX, 6); quoniam est et Israel secundum carnem. Unde ait : *Videte Israel secundum carnem* (I *Cor.* X, 18). *Non autem qui filii carnis, hi filii Dei; sed filii promissionis deputantur in semine* (*Rom.* IX, 8). Tunc ergo quando erit sine ulla malorum commixtione populus ejus, tanquam massa ventilabro emundata (*Matth.* III, 12), tanquam Israel in quo dolus non est (*Joan.* I, 47), tunc eminentissima erit *super Israel magnificentia ejus et virtus ejus in nubibus.* Non enim solus veniet ad judicium, sed *cum senioribus populi sui* (*Isai.* III, 14); quibus promisit quod sedebunt super sedes judicaturi (*Matth.* XIX, 28), qui etiam angelos judicabunt (I *Cor.* VI, 3). Hæ sunt nubes.

44. [*vers.* 36.] Denique ne aliud nubes intelligerentur, secutus adjunxit : *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel.* Tunc enim et nomen ipsum verissime ac plenissime implebitur Israel, quod est Videns Deum; *quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). *Ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ benedictus Deus :* nunc fragili et infirmæ [1]. *Habemus* enim *thesaurum istum in vasis fictilibus* (II *Cor.* IV, 8). Tunc vero, etiam corporum gloriosissima commutatione, *ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ. Seminatur* enim *hoc corpus in infirmitate; surget in virtute* (I *Cor.* XV, 43). *Ipse* ergo *dabit virtutem* quam in sua carne præmisit, de qua dicit Apostolus : *Virtutem resurrectionis ejus* (*Philipp.* III, 10). *Fortitudinem* autem, qua *inimica destruetur mors* (I *Cor.* XV, 26). Quoniam itaque prolixum, et ad intelligendum difficilem Psalmum tandem aliquando, ipso adjuvante, finivimus. *Benedictus Deus.* Amen.

IN PSALMUM LXVIII

ENARRATIO.

SERMO I.

De prima parte Psalmi.

1. Eo tempore in hoc sæculo exorti sumus et aggregati populo Dei, quo jam olus illud ex grano sinapis tetendit brachia sua; quo jam fermentum illud, quod primo contemptibile fuit, fermentavit tres mensuras (*Matth.* XIII, 31-33), id est, totum orbem terrarum reparatum ex tribus filiis Noe (*Gen.* IX, 19) : quoniam ab oriente et occidente et aquilone et austro veniunt, qui recumbent cum Patriarchis, expulsis foras eis qui de illorum carne sunt nati, et eorum fidem non sunt imitati (*Matth.* VIII, 11). Ad hanc ergo Christi Ecclesiæ gloriam oculos aperuimus; et illam sterilem, cui gaudium indictum atque prædictum est, quod plures filios habitura esset, quam illa quæ habebat virum (*Isai.* LIV, 1, *et Gal.* IV, 27), jam talem invenimus quæ oblita esset opprobriorum et ignominiæ viduitatis suæ : et ideo possumus forte mirari cum voces humilitatis Christi, vel nostræ, legerimus in aliqua prophetia. Et fieri potest ut minus ex eis afficiamur, quia non eo tempore venimus, quando ista cum sapore legebantur, abundante pressura. Sed rursus si tribulationum abundantiam cogitemus, et in qua ambulemus via cognoscamus (si tamen in illa ambulamus), quam sit angusta (*Matth.* VII, 14), et per pressuras atque tribulationes perducat ad requiem sempiternam; quamque ipsa quæ in rebus humanis vocatur felicitas, plus sit timenda quam miseria; quandoquidem miseria plerumque affert ex tribulatione fructum bonum, felicitas autem corrumpit animam perversa securitate, et dat locum diabolo tentatori : cum ergo cogitaverimus prudenter et re-

[1] Sic Mss. At Edd., *quam manus ejus Deo.*

[1] Sic Mss. At Edd., *nunc fragiles et infirmi.*

ctæ, sicut salita victima [1], tentationem esse vitam humanam super terram (*Job* VII, 1), neminemque omnino esse securum, nec debere esse securum, donec ad illam patriam veniatur, unde nemo exit amicus, quo nemo admittitur inimicus, etiam nunc in ipsa Ecclesiæ gloria agnoscimus voces tribulationis nostræ; et tanquam membra Christi, compage charitatis subdita capiti nostro, et nos invicem retinentia, dicemus de Psalmis, quod hic dixisse invenerimus martyres qui fuerunt ante nos, quia tribulatio communis est omnibus, ab initio usque in finem. Tamen istum psalmum quem tractandum suscepimus, et de quo loqui Charitati Vestræ in nomine Domini proposuimus, in grano sinapis agnoscamus: paululum ab altitudine oleris et diffusione ramorum, et ab illa gloria, ubi aves cœli requiescunt, avocemus cogitationem; et hæc magnitudo quæ nos delectat in olere, quam de parvo surrexerit audiamus. Christus enim hic loquitur (sed jam scientibus dicimus); Christus non solum caput, sed et corpus. Ex ipsis verbis agnoscimus. Nam quia Christus hic loquitur, dubitare omnino non permittimur. Hic sunt enim expressa verba quæ in ejus passione completa sunt: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto*: quando ista et ad litteram impleta sunt, et prorsus quomodo prædicta, sic reddita. Cumque ipse Christus dixisset, *Sitio*, pendens in cruce, et ad hoc verbum ei acetum in spongia datum esset, quo accepto dixit, *Consummatum est*, et sic inclinato capite tradidit spiritum (*Joan.* XIX, 28-30), ostendens ista omnia quæ prædicta sunt in illo fuisse tunc consummata; non licet hic aliud intelligere. Apostoli etiam loquentes de Christo, testimonia ex isto psalmo dederunt. Quis autem deviet a sententiis eorum? aut quis agnus non sequatur arietes? Ergo Christus hic loquitur: magisque nobis demonstrandum est ubi ejus membra loquantur, ut ostendamus quia totus hic loquitur, quam dubitandum quod Christus loquatur.

2. [*vers.* 1.] Titulus Psalmi est: *In finem, pro his qui commutabuntur, ipsi David*. Nunc commutationem in melius audi: commutatio enim, vel in deterius est, vel in melius. Adam et Eva in deterius; qui ex Adam et Eva Christo adhæserunt, in melius commutati sunt. *Sicut enim per unum hominem mors, ita et per unum hominem resurrectio mortuorum: et sicut in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* XV, 21 *et* 22.) Ab eo quod formavit Deus, mutatus est Adam; sed in pejus iniquitatis suæ: ab eo quod operata est iniquitas, mutantur fideles; sed in melius per gratiam Dei. Ut mutaremur in pejus, nostra iniquitas fuit: ut mutaremur in melius, non nostra justitia, sed gratia Dei præstat. Quod ergo in pejus mutati sumus, nobis imputemus: quod in melius commutamur, Deum laudemus. *Pro his* ergo iste psalmus, *qui commutabuntur*. Unde autem ista commutatio facta est, nisi ex passione Christi? Pascha ipsum latine Transitus interpretatur. Non est enim Pascha græcum nomen, sed hebræum. Resonat quidem in græca lingua passionem, quia πασχειν, pati dicitur; sed consultum hebræum eloquium, aliud indicat. Pascha transitum commendat. Quod admonuit etiam Joannes evangelista, qui imminente passione, cum veniret Dominus ad cœnam qua commendavit sacramentum corporis et sanguinis sui, ita loquitur: *Cum autem venisset hora, qua transiret Jesus de hoc mundo ad Patrem* (*Joan.* XIII, 1). Expressit ergo transitum Paschæ. Sed nisi ipse transiret hinc ad Patrem, qui propter nos venit, nos transire hinc quomodo possemus, qui non propter aliquid levandum descendimus, sed cecidimus? Ipse autem non cecidit; sed descendit, ut eum qui ceciderat sublevaret. Transitus ergo, et illius, et noster, hinc ad Patrem; de hoc mundo ad regnum cœlorum, de vita mortali ad vitam æternam, de vita terrena ad vitam cœlestem, de vita corruptibili ad incorruptibilem, de tribulationum conversatione ad perpetuam securitatem. Ideo, *Pro his qui commutabuntur*, Psalmi titulus est. Causam igitur commutationis nostræ, id est ipsam Domini passionem, nostramque in tribulationibus vocem in textu Psalmi advertamus, cognoscamus, congemiscamus: et audiendo, cognoscendo, congemiscendo, mutemur, ut impleatur in nobis titulus Psalmi, *Pro his qui commutabuntur*.

3. [*vers.* 2.] *Salvum me fac, Deus, quoniam introierunt aquæ usque ad animam meam*. Granum illud est contemptum modo, quod videtur humiles dare voces. In horto obruitur, miraturo mundo oleris magnitudinem [1], cujus oleris semen contemptum est a Judæis. Revera enim considerate semen sinapis minutum, fuscum, aspernabile prorsus; ut ibi impleatur quod dictum est: *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem* (*Isai.* LIII, 2). Aquas autem intrasse usque ad animam suam dicit; quia potuerunt illæ turbæ, quas aquarum nomine significavit, huc usque prævalere, ut occiderent Christum. Prævaluerunt ad contemnendum, ad tenendum, ad ligandum, ad insultandum, ad colaphizandum, ad conspuendum. Adhuc quousque? Usque ad mortem. Ergo *introierunt aquæ usque ad animam meam*. Hanc quippe vitam dixit animam suam, quousque illi accedere sæviendo potuerunt. Sed numquid hoc possent, nisi ab ipso permitterentur? Unde ergo tanquam aliquid invitus patiatur sic clamat, nisi quia caput membra sua præfigurat? Passus est quippe ille, quia voluit; martyres vero, etiamsi noluerunt. Petro namque ita prædixit passionem suam: *Cum senueris*, inquit, *alius te præcinget, et feret quo tu non vis* (*Joan.* XXI, 18). Quanquam enim Christo inhærere cupiamus, mori tamen nolumus; et ideo libenter, vel potius patienter patimur, quia alius transitus non datur, per quem Christo cohæreamus. Nam si possemus aliter

[1] Sic Regius Ms. At Edd., *sicut psallit hæc victima*: quibus plerique Mss. perperam suffragantur.

[1] Er. et duo Mss., *contemptum mundo*. Paulo post pro *obruitur*, quod Mss. verbum est, Edd. præferunt, *oritur*. Denique Regius codex hunc locum sic exhibet: *Granum illud est contemptum. Modo quod videtur humiles dare voces in horto obruitur. Miratur nunc mundus oleris magnitudinem*, etc.

pervenire ad Christum, id est ad vitam æternam, quis vellet mori? Naturam quippe nostram, id est consortium quoddam animæ et corporis, et quamdam in his duobus familiaritatem conglutinationis atque compaginis exponens quodam loco Apostolus, ait habere nos domum non manufactam, æternam in cœlis; id est immortalitatem præparatam nobis, qua induendi sumus in fine, cum resurrexerimus a mortuis; et ait: *In quo nolumus spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vita* (II *Cor.* v, 1, 4), Si fieri posset, sic vellemus, ait, fieri immortales, ut jam veniret ipsa immortalitas, et modo sicut sumus mutaret nos, ut mortale hoc nostrum a vita absorberetur, non per mortem corpus poneretur [1], ut in fine iterum reciperetur. Quamvis ergo a malis ad bona transeamus; tamen ipse transitus aliquantum amarus est, et habet fel, quod dederunt Domino in passione Judæi, habet acre quiddam tolerandum, quo ostenduntur qui eum aceto potaverunt (*Matth.* xxvii, 34). Præfigurans ergo, et transformans in se nos ipsos, hoc ait: *Salvum me fac, Deus, quoniam introierunt aquæ usque ad animam meam.* Potuerunt qui persecuti sunt etiam occidere; sed amplius quid faciant non habebunt. Præmisit enim exhortationem ipse Dominus dicens: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, et amplius non habent quid faciant; sed eum timete qui habet potestatem, et corpus et animam occidere in gehenna ignis* (*Id.* x, 28). Majore timore minora contemnimus, et majore æternitatis cupiditate omnia temporalia fastidimus. Nam hic et deliciæ temporales dulces sunt, et tribulationes temporales amaræ sunt: sed quis non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignem gehennarum; et quis non contemnat dulcedinem sæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ? Hinc ergo ut liberemur clamemus, ne forte in pressuris consentiamus iniquitati, et vere irreparabiliter sorbeamur: *Salvum me fac, Deus, quoniam introierunt aquæ usque ad animam meam.*

4. [*vers.* 3.] *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Quid dicit limum? an ipsos qui persecuti sunt? De limo enim factus est homo (*Gen.* ii, 7). Sed isti, cadendo a justitia, limus profundi facti sunt; quibus persequentibus et ad iniquitatem trahere cupientibus quisquis non consenserit, de limo suo aurum facit. Merebitur enim limus ipsius converti in habitudinem cœlestem, et socius fieri eorum de quibus dicit titulus Psalmi [2]: *Pro his qui commutabuntur.* Isti autem cum limus profundi essent, hæsi in illis; id est tenuerunt me, prævaluerunt mihi, occiderunt me. *Infixus* ergo *sum in limo profundi, et non est substantia.* Quid est hoc, *non est substantia?* Numquidnam ipse limus non est substantia? An, ego inhærendo factus sum non esse substantia? Quid est ergo, *Infixus sum?* Numquidnam sic hæsit Christus? Aut vero hæsit, ac non, sicut dictum est in libro Job, *Terra tradita est in manus impii* (*Job* ix, 24). An secundum corpus infixus est, quia teneri potuit, et ipsam [1] crucifixionem habebat? Nisi enim clavis fixus esset, crucifixus non esset. Unde ergo *non est substantia?* An limus ille non est substantia? Intelligemus ergo, si potuerimus, quid sit, *et non est substantia*, si prius intellexerimus quid sit substantia. Substantia quippe dicitur et divitiarum: secundum quam dicimus, Habet substantiam, et, Perdidit substantiam. Sed numquid hoc putabimus hic dictum esse, *et non est substantia*, id est, non sunt divitiæ, quasi modo aliquid de divitiis ageretur, aut aliqua quæstio de divitiis haberetur? An forte quia ille ipse limus paupertas erat, et divitiæ non erunt, nisi quando æternitatis participes effecti fuerimus? Tunc sunt enim veræ divitiæ, quando nobis nihil deerit. Potest etiam secundum hujus verbi intellectum accipi sensus iste, ut diceretur, *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia*, id est, ad paupertatem perveni. Nam hic dicit: *Pauper et dolens ego sum;* dicit et Apostolus: *Quoniam propter vos pauper factus est, cum dives esset, ut illius paupertate vos ditaremini* (II *Cor.* viii, 9). Ergo paupertatem suam volens Dominus nobis commendare, fortasse dixerit, *non est substantia.* Ad summam enim paupertatem pervenit, quando formam servi induit. Divitiæ ejus quæ sunt? *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Hæ magnæ incomparabilesque divitiæ. Unde ergo ista paupertas? Quia *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo; humiliavit se, factus obediens usque ad mortem:* ut diceret, *Introierunt aquæ usque ad animam meam.* Adde super mortem: quid amplius additurus es? Ignominiam mortis. Ideo sequitur: *Mortem autem crucis* [2] (*Philipp.* ii, 6 8). Magna paupertas! Sed hinc erunt magnæ divitiæ; quia sicut impleta est paupertas ejus, ita implebuntur et divitiæ nostræ de paupertate ipsius. Quantas divitias habet, ut de sua paupertate nos divites faceret! Quales nos facturus est de divitiis suis, quos divites fecit de paupertate sua!

5. *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Intelligitur alio modo substantia, illud quod sumus quidquid sumus. Sed hoc ad intelligendum aliquanto est difficilius, quanquam res usitatæ sint: sed quia inusitatum verbum est, indiget commendationis et expositionis aliquantulæ; cui tamen si intenti fueritis, fortassis in ea non laborabimus. Dicitur homo, dicitur pecus, dicitur terra, dicitur cœlum, dicitur sol, luna, lapis, mare, aer: omnia ista substantiæ sunt, eo ipso quo sunt. Naturæ ipsæ, substantiæ dicuntur. Deus est quædam substantia; nam quod nulla substantia est, nihil omnino est. Substantia ergo aliquid esse est. Unde etiam in Fide catholica, contra venena quorumdam hæreticorum sic ædificamur [3], ut dicamus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unius esse substantiæ. Quid est, unius substantiæ? Verbi gratia: si aurum est Pater, aurum et Filius, aurum et Spiritus sanctus

[1] Sic præstantiores Mss. At Edd., *puniretur.*
[2] Mss., *socius fieri titulo Psalmi.*

[1] Aliquot. Mss., *ex ipso.*
[2] Lov., *crucis.* At cæteri libri, *mortis.*
[3] Sic Mss. At Edd., *ædificamus.*

eius. Quidquid est Pater quod Deus est, hoc Filius, hoc Spiritus sanctus. Cum autem Pater est, non illud est quod est. Pater enim non ad se, sed ad Filium dicitur : ad se autem Deus dicitur. Itaque eo quod Deus est, hoc ipso substantia est. Et quia ejusdem substantiæ Filius, procul dubio et Filius Deus. At vero quod Pater est; quia non substantiæ nomen est, sed refertur ad Filium, non sic dicimus Filium Patrem esse, quomodo dicimus Filium Deum esse. Quæris quid sit Pater : respondetur, Deus. Quæris quid sit Filius : respondetur, Deus. Quæris quid sit Pater et Filius : respondetur, Deus. De solo Patre interrogatus, Deum responde : de solo Filio interrogatus, Deum responde : de utroque interrogatus, non deos, sed Deum responde. Non sicut in hominibus. Quæris quid sit pater Abraham : respondetur, Homo; substantia ejus respondetur. Quæris quid sit filius ejus Isaac : respondetur, Homo; ejusdem substantiæ Abraham et Isaac. Quæris quid sit Abraham et Isaac : non respondetur, Homo; sed Homines. Non sic in divinis. Tanta enim ibi est substantiæ societas, ut æqualitatem admittat, pluralitatem non admittat. Si ergo tibi dictum fuerit, Cum dicis mihi Filium hoc esse quod Pater est, profecto et Filius Pater est; responde : Secundum substantiam tibi dixi hoc esse Filium quod Pater est, non secundum id quod ad aliud [1] dicitur. Ad se enim Deus dicitur, ad Patrem Filius dicitur. Rursusque Pater ad se Deus dicitur, ad Filium Pater dicitur. Quod dicitur ad Filium Pater, non est Filius : quod dicitur Filius ad Patrem, non est Pater : quod dicitur ad se Pater, et Filius ad se, hoc est Pater et Filius, id est Deus. Quid est ergo, *non est substantia?* Secundum hunc intellectum substantiæ, quomodo poterimus intelligere istam Psalmi sententiam : *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia?* Deus fecit hominem; substantiam fecit : atque utinam maneret in eo quod Deus fecit! Si maneret homo in eo quod Deus fecit, non [2] in illo infixus esset quem Deus genuit. Porro autem quia per iniquitatem homo lapsus est a substantia in qua factus est (iniquitas quippe ipsa non est substantia; non enim iniquitas est natura quam formavit Deus, sed iniquitas est perversitas quam fecit homo) : venit Filius Dei ad limum profundi, et infixus est; et non erat substantia in qua infixus est; quia in iniquitate illorum infixus est. *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). Naturæ omnes per ipsum factæ sunt : iniquitas per ipsum facta non est, quia iniquitas facta non est [3]. Substantiæ illæ per eum factæ sunt quæ laudant eum. Universa creatura laudans Deum, a tribus pueris in camino commemoratur; et a terrenis ad cœlestia, vel a cœlestibus ad terrena hymnus laudantium Deum pervenit (*Dan.* III, 24-90). Non quo cuncta ista habeant sensum laudandi; sed quia cuncta bene cogitata laudem pariunt, et impletur cor consideratione creaturæ ad eructandum hymnum Creatori. Laudant omnia Deum, sed quæ fecit Deus. Numquid in illo hymno advertistis quod avaritia laudet Deum? Laudat ibi Deum et serpens; avaritia non laudat. Omnia quippe repentia nominata ibi sunt in laude Dei : nominata sunt omnia repentia; sed non sunt ibi nominata aliqua vitia. Vitia enim ex nobis et ex nostra voluntate habemus; et vitia non sunt substantia. In his infixus est Dominus, quando persecutionem passus est; in vitio Judæorum, non in substantia hominum quæ per illum facta est. *Infixus sum*, inquit, *in limo profundi, et non est substantia.* Infixus sum, et non inveni quod feci.

6. *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.* Gratias ipsius misericordiæ qui venit in altitudinem maris, et glutiri a marino ceto dignatus est : sed evomitus est tertio die (*Matth.* XII, 40). Venit in altitudinem maris, in qua altitudine nos depressi eramus, in qua altitudine nos naufragium passi eramus : venit illuc ipse, et tempestas demersit illum; quia fluctus ibi passus est, ipsos homines; tempestates, voces dicentium, *Crucifige, crucifige.* Dicente Pilato, *Non invenio causam ullam in hoc homine quare occidendus sit*, invalescebant voces dicentium, *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX, 6). Augebatur tempestas, donec demergeretur qui venerat in altitudinem maris. Et passus est Dominus inter manus Judæorum, quod non est passus cum super aquas ambularet (*Matth.* XIV, 25); quod non solum ipse passus non erat, sed nec Petrum pati permiserat. *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.*

7. [*vers.* 4.] *Laboravi clamans; raucæ factæ sunt fauces meæ.* Hoc ubi? hoc quando? Interrogemus Evangelium. Passionem quippe Domini nostri in hoc psalmo cognoscimus. Et quidem passum eum novimus; intrasse aquas usque ad animam ejus, quia populi prævaluerunt usque ad mortem ejus, legimus, credimus; tempestate illum demersum esse, quia prævaluit seditio ad eum occidendum, agnoscimus : verum et laborasse eum clamando, et raucas factas esse fauces illius, non solum non legimus, sed etiam contra legimus, quia non respondebat eis verbum, ut impleretur quod in alio psalmo dictum est, *Factus sum quasi homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones* (*Psal.* XXXVII, 15); et quod in Isaia prophetatum est, *Sicut ovis ad immolandum ductus est, et sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum* (*Isai.* LIII, 7). Si factus est sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones, quomodo laboravit clamans, et raucæ factæ sunt fauces ejus? An ideo jam tunc tacebat, quia raucus erat, qui sine causa tantum clamaverat? Et illam quidem ejus vocem de psalmo quodam in cruce novimus : *Deus, Deus meus, utquid me dereliquisti* (*Psal.* XXI, 2)? Sed quanta illa vox fuit, aut quam diuturna, ut in ea raucæ factæ essent fauces ejus? Diu clamavit, *Væ vobis scribæ, et Pharisæi* (*Matth.* XXIII, 13, 14): diu clamavit, *Væ mundo ab scandalis* (*Id.* XVIII, 7). Et revera quomodo raucus clamabat, et ideo non intelligebatur, quando dicebant Judæi : *Quid est quod*

[1] Unus Beccensis Ms., *ad alium.*

[2] Apud Lov. omittitur particula, *non*, quæ exstat in cæteris libris.

[3] Nonnulli Mss. omittunt hæc verba, *quia iniquitas facta non est* : et eorum loco quidam habent, *quia iniquitas non est substantia.*

dicit? Durus est hic sermo; quis potest illum audire? Non scimus quid dicat (*Joan.* VI, 61, *et* XVI, 18). Ille omnia verba dicebat; sed illis raucæ fuerunt fauces ejus, qui voces ejus non intelligebant. *Laboravi clamans; raucæ factæ sunt fauces meæ.*

8. *Defecerunt oculi mei ab sperando in Deum meum.* Absit ut hoc de persona capitis accipiatur: absit ut defecerint oculi ejus ab sperando in Deum ejus, in quo magis Deus erat mundum reconcilians sibi (II *Cor.* V, 19), et qui Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14), ut non solum Deus in illo esset, sed etiam ipse Deus esset. Non ergo ita; non ipsius capitis nostri oculi defecerunt ab sperando in Deum ejus; sed defecerunt oculi ejus in corpore ejus, id est in membris ejus. Hæc vox membrorum est, hæc vox corporis est, non capitis. Quomodo ergo eam in ejus corpore membrisque invenimus? Quid aliud dicam? quid aliud commemorem? Quando passus est, quando mortuus est, omnes discipuli desperaverunt quod ipse esset Christus. A latrone Apostoli victi sunt, qui tunc credidit, quando illi defecerunt (*Luc.* XXIII, 42). Vide membra ejus desperantia; attende duos illos quos post resurrectionem invenit in via colloquentes secum, quorum unus erat Cleophas, quando detinebantur oculi eorum ne eum agnoscerent. Quomodo enim oculis agnoscerent, a quo mente titubarant? Factum erat aliquid in oculis eorum simile mentis ipsorum. Loquebantur enim inter se, et cum ab eo compellarentur unde loquerentur, responderunt: *Tu solus peregrinaris in Jerusalem? Nescis quæ facta sunt, quomodo Jesus Nazarenus, potens in factis et dictis, occisus est a senioribus et principibus sacerdotum? Et nos sperabamus quod ipse erat redempturus Israel* (*Id.* XXIV, 13-21). Speraverant, et non sperabant. Defecerunt oculi eorum ab sperando in Deum ipsorum. Ipsos ergo in se transfiguravit dicendo: *Defecerunt oculi mei ab sperando in Deum meum.* Hanc spem reddidit, quando cicatrices palpandas obtulit; quas cum tetigisset Thomas, rediit ad spem quam perdiderat, et exclamavit: *Dominus meus, et Deus meus.* Defecerunt oculi tui ab sperando in Deum tuum: palpasti cicatrices, et invenisti Deum tuum; palpasti formam servi, et cognovisti Dominum tuum. Cui tamen ipse Dominus ait: *Quia vidisti, credidisti.* Et nos prænuntians voce misericordiæ suæ: *Beati*, inquit, *qui non vident et credunt* (*Joan.* XX, 28, 29). *Defecerunt oculi mei ab sperando in Deum meum.*

9. [*vers.* 5.] *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.* Quam multiplicati? Ut adderent sibi et unum ex duodecim (*Matth.* XXVI, 14). *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.* Capillis capitis sui comparavit inimicos suos. Merito rasi sunt, quando in loco Calvariæ crucifixus est. Accipiant membra vocem hanc; discant odio haberi gratis. Jam enim si necesse est, christiane, ut mundus oderit te, quare non facis ut gratis te oderit, ut in corpore Domini tui, et in hoc psalmo de illo præmisso agnoscas vocem tuam? Quomodo fiet ut oderit te mundus gratis? Si nihil cuiquam noceas, et sic odio habearis: hoc est enim gratis, sine causa. Parum sit tibi sine causa odio haberi, insuper et præsta, ut retribuant tibi mala pro bonis. *Confortati sunt inimici mei, qui persequuntur me injuste.* Quod dixit, *Multiplicati sunt super capillos capitis mei*; hoc postea, *Confortati sunt inimici mei*: et quod primo, *qui oderunt me gratis*; hoc postea, *qui persequuntur me injuste.* Quod ergo *gratis*, hoc est *injuste*. Ipsa est vox martyrum, non in pœna, sed in causa. Non persecutionem pati, non teneri, non flagellari, non includi, non proscribi, non occidi laus est; sed habendo causam bonam, ista pati, hæc laus est. Laus enim est in causæ bonitate, non in pœnæ acerbitate. Nam quantacumque fuerint supplicia martyrum, numquid æquantur suppliciis omnium latronum, omnium sacrilegorum, omnium sceleratorum? Quid enim, et hos odit mundus? Odit plane. Excedunt enim mundi medietatem amplitudine malitiæ, et ab ipsa mundanorum quodammodo hominum societate alieni sunt, infestantes pacem etiam terrenam; et patiuntur multa mala, sed non gratis. Denique vide vocem illius latronis cum Domino in cruce pendentis, cum insultaret ex alia parte unus duorum latronum Domino crucifixo, et diceret, *Si Filius Dei es, libera te*: compescuit illum alter, et dixit, *Tu non times Deum, vel quia in eadem damnatione positus es? Et nos quidem recte pro factis nostris* (*Luc.* XXIII, 39-41). Ecce non gratis: sed confessione effudit ex se saniem [1], et factus est aptus cibo Domini. Exclusit iniquitatem suam, accusavit eam, et caruit ea. Ecce ibi duo latrones, ibi et Dominus; et illi crucifixi, et ille crucifixus: et illos odio habuit mundus, sed non gratis; et illum odio habuit, sed gratis. *Quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Hoc est gratis. Non rapui, et exsolvebam; non peccavi, et pœnas dabam. Solus enim ipse talis, ipse vere nihil rapuit. Non solum nihil rapuit, sed etiam quod non de rapina habebat, hoc se evacuavit, ut ad nos veniret. *Non enim rapinam arbitratus est esse æqualis Deo*; et tamen *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 6, 7). Omnino non rapuit. Sed quis rapuit? Adam. Quis rapuit primo? Ille ipse qui seduxit Adam. Quomodo rapuit diabolus? *Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV, 13). Usurpavit sibi quod non acceperat: ecce rapinam. Usurpavit sibi diabolus quod non acceperat, perdidit quod acceperat; et de ipso calice superbiæ suæ, ei quem decipere volebat propinavit: *Gustate*, inquit, *et eritis sicut dii* (*Gen.* III, 5). Rapere voluerunt divinitatem, perdiderunt felicitatem. Ille ergo rapuit, et ideo exsolvit. Ego autem, inquit, *quæ non rapui, tunc exsolvebam.* Ipse Dominus propinquans passioni, in Evangelio sic loquitur: *Ecce venit princeps hujus mundi*, id est diabolus, *et in me nihil inveniet*, id est, quare me occidat non inveniet; *sed ut sciant omnes quia voluntatem Patris mei facio, surgite, eamus* (*Joan.* XIV, 30): et iit ad passionem, solvere quod non rapuit. Quid est enim, *in me nihil inveniet*? Nullam culpam. An aliquid perdidit de domo sua diabolus? Iste

[1] Sic duo Mss. Alii vero cum Edd., *sanguinem*.

discutiat raptores[1]; *nihil apud me inveniet.* Tamen nihil rapuisse se dicit, peccatum attendens, nihil usurpasse quod ejus non esset; hoc est enim rapina, hoc iniquitatis: nam ab ipso diabolo extorsit quos ipse rapuerat. *Nemo*, inquit, *in domum fortis intrat, et vasa ejus diripit, nisi prius alligaverit fortem* (*Matth.* XII, 29). Alligavit fortem, et vasa ejus diripuit, certe non rapuit; sed respondet tibi: Vasa ista de domo magna mea perierant; non furtum feci, sed furtum recepi.

10. [*vers.* 6.] *Deus tu scisti*[2] *imprudentiam meam.* Iterum ex ore corporis. Nam quæ imprudentia in Christo? Nonne ipse est Dei Virtus et Dei Sapientia? An illam dicit imprudentiam suam, de qua dicit Apostolus: *Stultum Dei sapientius est hominibus* (I *Cor.* I, 25)? *Imprudentiam meam:* hoc ipsum quod in me irriserunt qui sibi videntur esse sapientes. Tu scisti quare fieret: *tu scisti imprudentiam meam.* Quid enim tam simile imprudentiæ, quam cum haberet in potestate, una voce suos persecutores prosternere, ut pateretur se teneri, flagellari, conspui, colaphizari, spinis coronari, ligno affigi? Imprudentiæ simile est; stultum videtur: sed stultum hoc superat omnes sapientes. Stultum quidem est: sed et granum quando cadit in terram, si nemo sciat consuetudinem agricolarum, stultum videtur. Labore magno metitur, portatur ad aream, trituratur, ventilatur: post tanta pericula cœli et tempestatum, et labores rusticanorum curamque dominorum, mittitur in horreum frumentum purgatum. Venit hiems; et quod purgatum erat, profertur et projicitur: imprudentia videtur; sed ut non sit imprudentia, spes facit. Non ergo ille pepercit sibi; quia et Pater illi *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII, 32). Et de ipso, *Qui dilexit me*, inquit Apostolus, *et tradidit seipsum pro me* (*Gal.* II, 20): quia *granum, nisi ceciderit in terram ut moriatur, fructum,* inquit, *non reddet* (*Joan.* XII, 24, 25). Hæc est imprudentia; sed tu nosti illam: isti autem si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I *Cor.* II, 8). *Deus, tu scisti imprudentiam meam; et delicta mea a te non sunt abscondita.* Hoc plane, lucide, aperte, quia ex ore corporis intelligendum est. Delicta nulla Christus habuit; fuit delictorum susceptor, sed non commissor. *Et delicta mea a te non sunt abscondita:* id est, confessus sum tibi omnia delicta mea; et ante os meum vidisti ea in cogitatione mea, vidisti vulnera quæ sanares. Sed ubi? Utique in corpore, in membris; in illis fidelibus, unde illi hærebat jam membrum illud quod confitebatur peccata sua. *Et delicta*, inquit, *mea a te non sunt abscondita.*

11. [*vers.* 7.] *Non erubescant in me, qui te exspectant, Domine, Domine virtutum.* Rursus vox capitis, *Non erubescant in me:* non dicatur illis, Ubi est de quo præsumebatis? non dicatur illis, Ubi est qui vobis dicebat, *Credite*[3] *in Deum, et in me credite* (*Joan.* XIV, 1)? *Non erubescant in me, qui te exspectant, Domine, Domine virtutum. Non confundantur super me, qui quærunt te, Deus Israel.* Potest hoc et a corpore intelligi; sed si corpus ejus non unum hominem ponas: quia revera non est unus homo corpus ejus, sed exiguum membrum; corpus autem ex membris constat. Corpus ergo ejus plenum, tota Ecclesia. Merito ergo dicit Ecclesia: *Non erubescant in me, qui te exspectant, Domine, Domine virtutum.* Non sic affligar ab insurgentibus persecutoribus, non sic obterar ab invidentibus inimicis meis, ab oblatrantibus hæreticis qui a me exierunt, quia non erant ex me; nam si fuissent ex me, mecum forsitan permansissent (I *Joan.* II, 19). Non sic eorum scandalis premar, *ut erubescant in me qui te exspectant, Domine, Domine virtutum. Non confundantur super me, qui quærunt te, Deus Israel.*

12. [*vers.* 8.] *Quoniam propter te sustinui exprobrationem, operuit irreverentia faciem meam.* Nihil magnum est quod dicitur, *sustinui;* sed quod dicitur, *propter te sustinui.* Si enim sustines, quia peccasti; propter te sustines, non propter Deum. *Quæ enim vobis gloria est*, ait Petrus, *si peccantes punimini, et sufferetis* (I *Petr.* II, 20)? Si autem sustines quia mandatum Dei servasti, vere propter Deum sustines; et merces tua manet in æternum, quia propter Deum sustinuisti opprobria. Ideo enim prior ille sustinuit, ut nos sustinere disceremus. Et si ille, qui non habebat quod illi objiciebatur; quanto magis nos qui, etsi non habemus peccatum quod nobis objicit inimicus, habemus tamen alterum quod digne in nobis flagelletur? Nescio quis te furem dicit, et non es fur: audis opprobrium; non tamen sic non es fur, ut non sis aliquid quod Deo displicet. Porro si ille qui omnino nihil rapuerat, qui verissime dixerat, *Ecce venit princeps mundi hujus, et in me nihil inveniet*, dictus est peccator (*Joan.* IX, 24), dictus est iniquus, dictus est Beelzebub (*Matth.* X, 25), dictus est insanus; tu dedignaris, serve, audire pro meritis tuis, quod Dominus audivit nullis meritis suis? Ille venit ut tibi præberet exemplum. Quasi gratis hoc fecerit, sic[1] tu non proficis. Quare enim ille audivit, nisi ut tu cum audires non deficeres? Ecce tu audis, et deficis: frustra ergo ille audivit; non enim propter se, sed propter te audivit. *Quoniam proper te sustinui exprobrationem, operuit irreverentia faciem meam. Irreverentia*, inquit, *operuit faciem meam.* Irreverentia quid est? Non confundi. Denique quasi vitium videtur, cum dicitur: Irreverens homo est. Magna irreverentia hominis, non illum erubescere. Ergo irreverentia quasi impudentia est. Oportet ut habeat christianus irreverentiam istam, quando venerit inter homines quibus displicet Christus. Si erubuerit de Christo, delebitur de libro viventium. Opus est ergo ut habeas irreverentiam, quando tibi de Christo insultatur; quando dicitur, Cultor crucifixi, adorator male mortui, venerator occisi: hic si erubueris, mortuus es. Sententiam quippe ipsius vide, qui neminem fallit: *Qui me erubuerit coram hominibus, et ego erubescam eum coram Angelis Dei* (*Luc.* IX, 26).

[1] Sic plerique Mss. At Er., *raptor.* Lov., *raptoris.*
[2] Sic in probæ notæ Mss. At in Edd. hic est, *tu scis*; et paulo post, *tu scisti.*
[3] Sic plerique et melioris notæ Mss. At Edd., *creditis in Deum.*

[1] Er. et Lov., *si.* At Am. et Mss., *sic.*

Observa ergo tu; sit in te irreverentia, frontosus esto quando audis opprobrium de Christo; prorsus esto frontosus. Quid times fronti tuæ, quam signo crucis armasti? Hoc est enim, *Propter te sustinui exprobrationem, operuit irreverentia faciem meam. Propter te sustinui exprobrationem :* et quia non de te erubui, quando mihi propter te insultabatur, *operuit irreverentia faciem meam.*

13. [*vers.* 9, 10.] *Alienatus factus sum fratribus meis, et hospes filiis matris meæ.* Filiis Synagogæ hospes factus est. In patria quippe ipsius dicebatur : *Nonne nos scimus eum esse filium Mariæ et Joseph* (*Luc.* IV, 22)? Et unde alio loco : *Hunc autem nescimus unde sit* (*Joan.* IX, 29)? *Factus* ergo *sum hospes filiis matris meæ.* Non scierunt unde sim, de quibus erat caro mea : non me sciebant de femore Abraham natum; unde caro mea occulta erat, quando sub ipso femore manum servus ponens, juravit per Deum cœli (*Gen.* XXIV, 9). *Hospes factus sum filiis matris meæ.* Quare hoc? quare non agnoverunt? quare alienum dixerunt? quare ausi sunt dicere : *Nescimus unde sit? Quoniam zelus domus tuæ comedit me :* id est, quia persecutus sum in illis iniquitates ipsorum, quia non patienter tuli quos corripui, quia quæsivi gloriam tuam in domo tua, quia flagellavi in templo male versantes (*Joan.* II, 15); ubi etiam positum est, *Zelus domus tuæ comedit me.* Hinc alienus, hinc hospes; hinc, *Nescimus unde sit.* Agnoscerent unde sim, si agnoscerent quod mandasti. Si enim invenirem illos servantes mandata tua, zelus domus tuæ non comederet me. *Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Hoc testimonio usus est et Paulus apostolus (lecta est modo ipsa lectio), et ait : *Quæcumque ante scripta sunt, ut nos doceremur scripta sunt; ut per consolationem Scripturarum spem habeamus* (*Rom.* XV, 4). Dixit ergo Christi fuisse istam vocem : *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Quare, *tibi?* Numquid Patri exprobratur, et non ipsi Christo? Quare, *opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me?* Quia qui me cognovit, cognovit et Patrem (*Joan.* XIV, 9) : quia nemo exprobravit Christo, nisi Deo exprobrans : quia nemo honorat Patrem, nisi qui honorat et Filium (*Id.* V, 23). *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me,* quia me invenerunt.

14. [*vers.* 11.] *Et cooperui in jejunio animam meam; et factum est mihi in opprobrium.* Jejunium Christi spiritualiter jam in alio psalmo commendavimus Charitati Vestræ (*a*). Jejunium ipsius erat, quando defecerunt omnes qui in eum crediderant; quia et esuries ipsius erat ut in eum crederetur : quia et sitis ipsius erat, quando dixit mulieri, *Sitio, da mihi bibere* (*Id.* IV, 7); fidem quippe ipsius sitiebat. Et de cruce cum diceret, *Sitio* (*Id.* XIX, 28), fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Sed illi homines quid propinarunt sitienti? Acetum. Acetum etiam [1] vetus dicitur. Merito de vetere homine propinarunt, quia novi esse noluerunt. Quare novi esse noluerunt? Quia ad titulum psalmi hujus ubi scriptum est, *Pro iis qui commutabuntur,* non pertinuerunt. Ergo, *operui in jejunio animam meam.* Denique respuit etiam fel quod illi obtulerunt : jejunare elegit, quam amaritudinem accipere. Non enim intrant in corpus ejus amaricantes, de quibus alio loco psalmus dicit : *Qui amaricant, non exaltentur in semetipsis* (*Psal.* LXV, 7). Ergo, *operui in jejunio animam meam; et factum est mihi in opprobrium.* Hoc ipsum mihi in opprobrium factum est, quia non illis consensi, hoc est, ab illis jejunavi. Qui enim non consentit male suadentibus, jejunat ab ipsis; et per hoc jejunium meretur opprobrium, ut ideo illi insultetur, quia non consentit ad malum.

15 [*vers.* 12.] *Et posui vestimentum meum saccum.* Jam et de sacco aliquid diximus (*a*), unde illud est, *Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio, et humiliabam in jejunio animam meam. Posui vestimentum meum saccum :* id est, opposui illis, in quam sævirent, carnem meam; occultavi divinitatem meam. *Saccum,* quia mortalis caro erat, ut de peccato condemnaret peccatum in carne (*Rom.* VIII, 3). *Et posui vestimentum meum saccum; et factus sum illis in parabolam;* id est in irrisionem. Parabola dicitur, quando datur similitudo de aliquo, quando de illo male dicitur. Sic ille, verbi gratia, pereat quomodo ille, parabola est; id est comparatio et similitudo maledicti. *Factus* ergo *sum illis in parabolam.*

16. [*vers.* 13.] *Adversus me insultabant qui sedebant in porta. In porta,* nihil aliud quam in publico. *Et in me psallebant qui bibebant vinum.* Putatis hoc, fratres, Christo tantummodo contigisse? Quotidie illi in membris ejus contingit : quando forte necesse erit servo Dei prohibere ebrietates et luxurias in aliquo vel fundo vel oppido, ubi non auditum fuerit verbum Dei, parum est quia cantant, insuper et in ipsum incipiunt cantare, a quo prohibentur cantare. Comparate nunc illius jejunium, et illorum vinum. *Et in me psallebant qui bibebant vinum :* vinum erroris, vinum impietatis, vinum superbiæ.

17. [*vers.* 14.] *Ego autem oratione mea* [1] *ad te, Domine.* Ego autem ad te eram. Sed quomodo? Ad te orando. Quando enim malediceris, et quid agas non habes; quando tibi jactantur opprobria, et quomodo corrigas eum a quo jactantur non invenis, nihil tibi restat nisi orare. Sed memento et pro ipso orare. *Ego autem oratione mea ad te, Domine. Tempus beneplaciti, Deus.* Ecce enim sepelitur granum; exsurget fructus. *Tempus beneplaciti, Deus.* De hoc tempore et Prophetæ dixerunt quod commemorat Apostolus : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (II *Cor.* VI, 2). *Tempus beneplaciti, Deus. In multitudine misericordiæ tuæ.* Hoc est tempus beneplaciti. *In multitudine misericordiæ tuæ.* Nam si non esset multitudo misericordiæ tuæ, quid nos faceremus de

[1] Sic Mss. Edd. vero : *Acetum enim vinum vetus dicitur.*
(*a*) Supra, in Enar. Psal. XXXIV, serm. 2, n. 4.

[1] Edd., *oratio mea.* At potiores Mss. juxta Græc. LXX, *oratione mea :* ubi subintelligendum, *eram;* sicuti mox docet Augustinus.
(*a*) Enar. in Psal. XXXIV, serm. 2, n. 3.

multitudine iniquitatis nostræ? *In multitudine misericordiæ tuæ. Exaudi me in veritate salutis tuæ.* Quia dixit, *misericordiæ tuæ*, subjunxit et veritatem; quia misericordia et veritas universæ viæ Domini (*Psal.* xxiv, 10). Quare misericordia? Dimittendo peccata. Quare veritas? Reddendo promissa. *Exaudi me in veritate salutis tuæ.*

18. [*vers.* 15.] *Salvum me fac de luto, ut non inhæream.* De illo de quo supra dixerat: *infixus sum in limo profundi, et non est substantia.* Proinde quia illud expositum bene accepistis, quod hic audiatis expressius non est. Hinc se dicit liberandum, ubi se ante dixit infixum: *Salvum me fac de luto, ut non inhæream.* Et exponit hoc ipse: *Eruar ex iis qui oderunt me.* Ipsi ergo sunt lutum ubi hæseram. Sed hoc forte suggeritur. Paulo ante dixerat, *Infixus sum*; modo dicit, *Salvum me fac de luto, ut non inhæream;* cum secundum sententiam priorem deberet dicere: Salvum me fac de luto ubi hæseram, eruendo me, non agendo ut non inhæream. Ergo hæserat carne, sed non hæserat spiritu. Dicit hoc ex infirmitate membrorum suorum. Quando forte caperis ab eo qui te premit ad iniquitatem, tenetur quidem corpus tuum; secundum corpus infixus es in limo profundi: sed quamdiu non consentis, non hæsisti; si autem consentis, hæsisti. Oratio ergo tua ibi sit, ut quomodo jam tenetur corpus tuum, non teneatur et anima tua, sis liber in vinculis. *Eruar ex his qui oderunt me, et de profundo aquarum.*

19. [*vers.* 16.] *Non me demergat tempestas aquæ.* Sed jam demersus erat. *Veni in altitudinem maris,* tu dixisti; *et tempestas demersit me,* tu dixisti. Demersit secundum carnem, non demergat secundum spiritum. Quibus dictum est, *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* x, 23); hoc eis dictum est, ut nec carne hærerent, nec spiritu. Non enim appetendum est ut hæreamus vel carne; sed quantum possumus, vitare debemus. Si vero hæserimus, et in manus peccatorum venerimus, jam corpore hæsimus; fixi sumus in limo profundi: restat pro anima deprecari ut non inhæreamus, id est non consentiamus; non nos demergat tempestas aquæ, ut eamus in profundum limi. *Neque absorbeat me profundum, neque coarctet super me puteus os suum.* Quid est hoc, fratres? quid deprecatus est? Magnus est puteus profunditas iniquitatis humanæ: illuc quisque si ceciderit, in altum cadet. Sed tamen ibi positus, si confiteatur peccata Deo suo, non super eum claudet puteus os suum: ut est in alio quodam psalmo scriptum, *De profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam* (*Psal.* cxxix, 1, 2). Si autem factum in illo fuerit quod alia sententia Scripturæ dicit, *Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnet* (*Prov.* xviii, 3); clausit super eum puteus os suum. Quare clausit os suum? Quia clausit os illius. Perdidit enim confessionem; vere mortuus est, impletumque in eo est quod alibi dicitur: *A mortuo, velut qui non sit, perit confessio* (*Eccli.* xvii, 26). Metuenda ista res vehementer, fratres. Si videris hominem fecisse iniquitatem, mersus est in puteum: quando autem illi dixeris iniquitatem ipsius, et dixerit, Vere peccavi, fateor; non super eum clausit puteus os suum: cum autem videris eum dicere, Quid enim mali feci? factus est defensor peccati sui; clausit super eum puteus os suum, qua eruatur non habet. Amissa confessione, non erit locus misericordiæ. Tu factus es peccati tui defensor; quomodo erit Deus liberator? Ut ergo sit ille liberator, tu esto accusator.

SERMO II.

De posteriore parte ejusdem Psalmi.

1. [*vers.* 16, 17.] Posterior pars psalmi de quo hesterno die locuti sumus Charitati Vestræ, hodie nobis explicanda remanserat. Et video esse tempus reddendi debiti, si tamen ejus prolixitas non nos etiam hodie debitores reliquerit. Itaque hoc præloquor, et peto ne diuturnum sermonem in his quæ manifesta sunt exspectetis. Ita enim possumus in obscurioribus necessitate immorari, et fortasse supplere quod debemus, ut aliis diebus alia debeamus, aliaque reddamus. Videamus ergo quæ sequuntur. Posteaquam dixit, *Neque coarctet super me puteus os suum;* quod hesterno die commendavimus Charitati Vestræ, ut omni animi intentione et fide pietatis caveamus ne hoc maledictum superveniat nobis. Tunc enim coarctat puteus super hominem os suum, id est profunditas iniquitatis, quando non solum mersus in peccatis jacet, sed etiam perdit aditum confessionis. Quando autem dicit homo, Peccator sum; radiatur aliquo lumine etiam profunditas putei. Sequitur ergo, inter passiones exclamans Dominus noster Jesus Christus, caput et corpus; sicut commendavimus, ut quibusdam locis, capitis verba cognoscatis; quæ autem dicta fuerint ita ut capiti convenire non possint, ad corpus referatis. Sic enim loquitur Christus tanquam unus; quia et vere unus de quo dictum est: *Erunt duo in carne una Ephes.* v, 31). Si enim in carne una, quid miraris quia et in voce una? Sequitur ergo, *Exaudi me, Domine, quoniam suavis est misericordia tua.* Hanc causam asseruit quare debeat exaudiri, quia suavis est misericordia Dei. Nonne magis hoc erat consequens ut diceret, Exaudi me, Domine, ut suavis mihi sit misericordia tua? Quare ergo, *Exaudi me, Domine, quoniam suavis est misericordia tua.* Suavitatem misericordiæ Domini de tribulatione sua commendavit aliis quodammodo verbis, cum dixit: *Exaudi me, Domine, quoniam tribulor.* Revera enim qui dicit, *Exaudi me, Domine, quoniam tribulor*, causam dicit quare se exaudiri roget: sed homini in tribulatione posito, necesse est ut suavis sit misericordia Dei. De hac suavitate misericordiæ Dei videte quid alio loco Scriptura dicat: *Sicut pluvia in siccitate, ita speciosa est misericordia Dei in tribulatione* (*Eccli.* xxxv, 26). Quod ibi ait, *speciosa;* hoc ait hic, *suavis.* Nec panis dulcis esset, nisi fames præcederet. Ergo et quando Dominus permittit aut facit ut in tribulatione aliquasimus, etiam tunc misericors est; non enim alimen-

tum subtrahit, sed desiderium movet. Itaque quid ait modo : *Exaudi me, Domine, quoniam suavis est misericordia tua?* Jam noli differre exauditionem ; in tanta tribulatione sum, ut suavis mihi sit misericordia tua. Ad hoc ergo subvenire differebas, ut mihi dulce esset quod subveniebas : jam ergo ultra non est quod differas ; pervenit tribulatio mea ad mensuram certam calamitatis, veniat misericordia tua ad faciendum opus bonitatis. *Exaudi me, Domine, quoniam suavis est misericordia tua. Secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me :* non secundum multitudinem peccatorum meorum.

2. [*vers.* 18.] *Ne avertas faciem tuam a puero tuo.* Et hæc humilitatis [1] commendatio est, *a puero tuo*, id est a parvo ; quia jam carui superbia per disciplinam tribulationis : *Ne avertas faciem tuam a puero tuo.* Hæc est illa speciosa misericordia Dei quam supra dixit. Nam sequenti versu exponit quod dixit : *Quoniam tribulor, velociter exaudi me.* Quid est, *velociter?* Jam non est quod differas : tribulor ; præcessit afflictio mea, sequatur misericordia tua.

3. [*vers.* 19.] *Intende animæ meæ, et redime eam.* Non indiget expositione : videamus ergo quod sequitur. *Propter inimicos meos erue me.* Hæc plane miranda petitio est, nec breviter perstringenda, nec cursim transilienda ; prorsus miranda : *Propter inimicos meos erue me.* Quid est, *Propter inimicos meos erue me?* Ut confundantur, ut crucientur liberatione mea. Quid ergo, si non essent illi qui liberatione mea essent cruciandi, mihi subveniri non debuit? et tunc tibi acceptabilis est liberatio, cum fuerit alterius damnatio? Ecce non sunt inimici, qui vel confundantur, vel torqueantur de liberatione tua : sic remanebis? non liberaberis? An ad hoc ut valeat inimicis tuis, quo possint et ipsi tua liberatione converti? Sed et hoc mirum est, si habeat aliquam petitionis causam. Numquid enim ad hoc liberatur servus Dei a Domino Deo suo, ut alii proficiant? Quid, si deessent qui proficerent, ille servus Dei non erat liberandus? Quocumque ergo me convertam, sive ad punitionem, sive ad liberationem inimicorum, non video causam petitionis hujus, *Propter inimicos meos erue me :* nisi aliquid intelligamus, quod cum dixero adjuvante Domino, judicabit in vobis qui habitat in vobis. Est quædam liberatio sanctorum occulta : hæc propter ipsos fit [2]. Est quædam publica et manifesta : hæc propter inimicos eorum fit ; sive puniendos, sive liberandos. Nam utique Deus de ignibus persecutoris non liberavit fratres Machabæos, quibus Antiochus sæviens etiam matrem adhibuit, cujus blanditiis ad amorem vitæ converterentur, et amando vivere hominibus, Deo morerentur. At illa mater, jam non Evæ, sed matri Ecclesiæ similis, quos cum dolore pepererat ut vivos agnosceret, cum gaudio vidit morientes ; et ad hoc hortata est ut eligerent potius mori pro paternis legibus Domini Dei sui, quam vivere contra eas. Quid hic credituri sumus, fratres, nisi quia liberati sunt? Sed occulta fuit illorum liberatio : denique ipse Antiochus, a quo occisi sunt, visus est sibi aliquid fecisse quod ejus crudelitas dictabat, vel potius incitabat (II *Machab.* VII). At vero tres pueri de camino ignis aperte liberati sunt (*Dan.* III, 49) ; quia et corpus eorum erutum est, salus eorum publica fuit. Illi ergo sunt in occulto coronati, isti in aperto liberati ; omnes tamen salvati. Quis autem fructus liberationis trium puerorum? Quare eorum corona dilata est ? Ipse Nabuchodonosor conversus est ad Deum ipsorum, eumque prædicavit, quia eruit servos suos ; quem contempserat, cum eos miserat in caminum. Est ergo liberatio occulta ; est liberatio manifesta. Liberatio occulta ad animam, liberatio manifesta etiam ad corpus pertinet. In occulto enim anima liberatur, in manifesto corpus. Porro si ita est, in hoc psalmo vocem Domini agnoscamus : ad occultam liberationem pertinet quod supra dixit, *Intende animæ meæ, et redime eam.* Restat corporis liberatio : quia eo resurgente, et in cœlos ascendente, et spiritum sanctum desuper mittente (*Act.* I, 9, *et* II, 4), conversi sunt ad ejus fidem qui in ejus morte sævierunt ; et ex inimicis amici facti sunt per illius gratiam, non per justitiam suam. Ideo secutus est : *Propter inimicos meos erue me. Intende animæ meæ;* sed hoc in occulto : *Propter inimicos* autem *meos erue* [1] et corpus meum. Nihil enim inimicis meis proderit, si solam animam liberaveris : aliquid se egisse, aliquid se implevisse credituri sunt. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem (*Psal.* XXIX, 10)? Ergo, *intende animæ meæ, et redime eam;* quod tu solus scis : deinde et *propter inimicos meos erue me*, ut caro mea non videat corruptionem.

4. [*vers.* 20.] *Tu enim cognoscis opprobrium meum, et confusionem meam, et verecundiam meam.* Quid est, opprobrium? quid est confusio? quid verecundia? Opprobrium est quod objicit inimicus. Confusio est quæ mordet conscientiam. Verecundia est quæ facit ingenuam frontem etiam de falsi criminis objectione erubescere. Non est crimen ; aut etsi crimen est, non est illius cui objicitur : sed tamen infirmitas [2] humani animi plerumque verecundatur, etiam cum falsum objicitur ; non quia objectum est, sed quia creditum. Omnia hæc sunt in corpore Domini. Nam confusio in illo non poterat esse, in quo culpa non inveniebatur. Objiciebatur crimen Christianis, hoc ipsum quod Christiani essent. Illa quidem gloria erat : fortes libenter accipiebant, et sic accipiebant, ut omnino de nomine Domini sui non erubescerent. Operuerat enim irreverentia faciem ipsorum, habentium frontem Pauli dicentis : *Non enim erubesco*

[1] Vox, *humilitatis*, abest a Mss.
[2] Hoc loco Edd. interponebant : *quod Deus sanctos suos, quosdam occulte, quosdam vero liberat publice : occulte, sicut Machabæos ; publice, sicut tres pueros de camino ignis educens*. Isthæc non habent melioris notæ Mss.

[1] Hic Lov., et aliquot Mss. addunt, *me*.
[2] Sic Mss. At Edd. post, *objectione erubescere*, prosequuntur : *Erubescere quidem non est crimen; aut si crimen est, non est illius cui objicitur, sed ejus qui objicit. Sed tamen infirmitas*, etc.

de Evangelio; virtus enim Dei est in salutem omni credenti (*Rom.* I, 16). O Paule, nonne tu es adorator Crucifixi? Parum est, inquit, inde mihi non erubescere; imo hinc solum glorior, unde me putat inimicus erubescere. *Mihi enim absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI, 14). Huic ergo tali fronti opprobrium solum poterat objici. Nam nec confusio poterat esse in conscientia jam sanata, nec verecundia in fronte tam libera. Sed cum objiceretur quibusdam quod Christum interfecerint; merito compuncti sunt mala conscientia, et salubriter confusi atque conversi, ut possent dicere : *Tu cognovisti confusionem meam.* Tu ergo, Domine, nosti, non solum opprobrium meum, sed et confusionem meam; in quibusdam et verecundiam, qui quamvis in me credant, publice me tamen coram impiis confiteri erubescunt, plus apud se valente lingua humana quam promissione divina. Videte ergo eos : et commendantur tales Deo, non ut sic relinquat, sed ut eos adjuvando perficiat. Dixit enim et quidam credens, et titubans : *Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* IX, 23). *In conspectu tuo sunt omnes tribulantes me.* Quare mihi sit opprobrium, tu nosti; quare confusio, tu nosti; quare verecundia, tu nosti : ergo erue me propter inimicos meos, quia tu nosti ista mea, illi non norunt; ac per hoc, quia ipsi in conspectu tuo sunt, ista nescientes non poterunt vel confundi vel corrigi, nisi manifeste me erueris propter inimicos meos.

5. [*vers.* 21.] *Opprobrium exspectavit cor meum et miseriam.* Quid est, *exspectavit?* Futura ista prævidit, futura ista prædixit. Non enim venit ad aliud. Si mori nollet, nec nasci vellet : causa resurrectionis utrumque fecit. Duo enim quædam nobis in genere humano nota erant, unum autem incognitum. Nasci quippe homines et mori sciebamus; resurgere et in æternum vivere nesciebamus. Ut ostenderet nobis quod non noveramus, suscepit duo quæ noveramus. Ad hoc ergo venit. *Opprobrium exspectavit cor meum et miseriam.* Sed miseriam cujus? Exspectavit enim miseriam, sed magis crucifigentium, magis persequentium; ut in illis esset miseria, in illo misericordia. Miseriam quippe illorum miserans etiam pendens in cruce : *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). *Opprobrium exspectavit cor meum et miseriam : et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit.* Quid ergo profuit quia exspectavi? hoc est, quid profuit quia prædixi? quid profuit quia dixi ideo me venisse? Ventum est ut impleretur quod dixi : *sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et consolantes, et non inveni*; hoc est, non fuit. Quod enim superiore versu dixit, *Sustinui qui simul contristaretur;* hoc sequenti versu, *et consolantes.* Quod autem superiore versu, *et non fuit;* hoc sequenti versu, *et non inveni.* Ergo non altera subjecta, sed superior repetita sententia est. Quam sententiam si retractemus, quæstio nonnulla poterit oboriri. Numquid enim discipuli ejus non sunt contristati, quando ductus est ad passionem, quando ligno suspensus, quando mortuus? Usque adeo contristati, ut illa Maria Magdalene, quæ primo eum vidit, gaudens lugentibus nuntiaret quid viderit (*Joan.* XX, 18, *et Marc.* XVI, 9). Evangelium ista loquitur; non nostra præsumptio, non nostra suspicio est : constat doluisse, constat luxisse discipulos. Extraneæ mulieres flebant, quando ad passionem ducebatur; ad quas conversus ait : *Flete; sed vos, nolite me* (*Luc.* XXIII, 28). Quomodo ergo sustinuit qui simul contristaretur, et non fuit? Attendimus, et invenimus tristes, et lugentes, et plangentes; unde nobis mira videtur ista sententia : *Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et consolantes, et non inveni.* Intendamus diligentius, et videbimus eum sustinuisse qui simul contristaretur, et non fuisse. Contristabantur enim illi carnaliter de vita mortali, quæ mutanda fuerat morte, et reparanda resurrectione : hinc erat illa tristitia. De illis enim esse debuit, qui cæci medicum occiderunt, qui tanquam perniciose febrientes phrenetici, faciebant injuriam ei a quo illis fuerat salus allata. Ille volebat curare, illi sævire : hinc tristitia medico. Quære utrum invenerit hujus tristitiæ comitem. Non enim ait, sustinui qui contristaretur, et non fuit; sed, *qui simul contristaretur*, id est, ex ea re, qua ego, contristaretur, *et non inveni.* Petrus certe plurimum amavit, et in fluctus calcandos se sine dubitatione projecit, et ad vocem Domini liberatus est (*Matth.* XIV, 29, 31) : et eum ductum ad passionem, amoris audacia consecutus, tamen turbatus, ter negavit. Unde, nisi quia malum illi videbatur mori? Id enim devitabat quod malum putabat. Hoc ergo et in Domino dolebat, quod ipse devitabat. Propterea et ante dixerat, *Absit a te, Domine; propitius tibi esto, non fiet istud :* quando meruit audire, *Satanas;* posteaquam audierat, *Beatus es, Simon Bar Jona* (*Id.* XVI, 17, 22, 23). Ergo in tristitia quam habebat Dominus de illis pro quibus oravit, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, nullum comitem invenit. *Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit.* Prorsus non fuit. *Et consolantes, et non inveni.* Qui sunt consolantes? Proficientes. Ipsi enim nos consolantur, ipsi sunt solatio omnibus prædicatoribus veritatis.

6. [*vers.* 22.] *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Factum est quidem ad litteram, et Evangelium hoc nobis indicat. Sed intelligendum est, fratres, hoc ipsum quod non inveni consolantes, hoc ipsum quod non inveni qui simul contristaretur, hoc fuit fel meum, hoc mihi amarum, hoc acetum fuit : amarum propter mœrorem, acetum propter eorum vetustatem. Namque legimus illi quidem oblatum fel, sicut Evangelium loquitur (*Id.* XXVII, 34); sed in potum, non in escam. Verumtamen sic accipiendum et impletum quod hic fuerat ante prædictum, *Dederunt in escam meam fel :* et in isto ipso facto, non solum in hoc dicto, mysterium requirere debemus, secreta pulsare, velum templi conscissum intrare, videre ibi sacramentum, vel quod ita dictum est, vel quod ita factum est. *Dederunt*, inquit, *in escam meam fel.* Non ipsum quod dederunt esca erat; potus enim erat : sed *in escam dederunt*, quia jam Dominus

escam acceperat, et in ipsam injectum est fel. Acceperat autem ipse escam suavem, quando pascha manducavit cum discipulis suis: ibi sacramentum sui corporis demonstravit (*Luc.* XXII, 19). In hanc escam tam suavem, tam dulcem unitatis Christi, quam commendat Apostolus, dicens, *Quia unus panis, unum corpus multi sumus* (I *Cor.* X, 17); in hanc escam suavem quis est qui dat fel, nisi contradictores Evangelii, tanquam illi persecutores Christi? Minus enim peccaverunt Judæi crucifigentes in terra ambulantem, quam qui contemnunt in cœlo sedentem. Quod ergo fecerunt Judæi, ut in escam quam jam acceperat darent bibendum amarum illum potum, hoc faciunt qui male vivendo scandalum inferunt Ecclesiæ: hoc faciunt hæretici amaricantes; sed non exaltentur in semetipsis (*Psal.* LXV, 7). Dant fel super tam jucundum cibum. Sed quid facit Dominus? Non admittit ad corpus suum. Hoc sacramento ipse Dominus, quando illi obtulerunt fel, gustavit, et noluit bibere (*Matth.* XXVII, 34). Si non eos pateremur, nec omnino gustaremus: quia vero necesse est eos pati, necesse est gustari. Sed quia in membris Christi tales esse non possunt, gustari possunt, recipi in corpus non possunt. *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Sitiebam, et acetum accepi; id est fidem illorum desideravi, et vetustatem inveni.

7. [*vers.* 23, 24.] *Fiat mensa eorum coram ipsis in muscipulam.* Qualem muscipulam mihi exhibuerunt, dando mihi talem potum, talis muscipula illis sit. Quare ergo, *coram ipsis?* Sufficeret, *Fiat mensa eorum in muscipulam.* Sunt tales qui iniquitatem suam noverunt, et in ea pertinacissime perseverant: coram ipsis fit muscipula eorum. Perniciosi nimis ipsi sunt, qui descendunt in infernum viventes (*Psal.* LIV, 16). Denique de persecutoribus quid dictum est? *Nisi quia Dominus erat in nobis, fortasse vivos absorbuissent nos* (*Psal.* CXXIII, 2, 3). Quid est, *vivos?* Consentientes illis, et scientes quia eis consentire non debebamus. Ergo coram ipsis fit muscipula, et non corriguntur. Vel quia coram ipsis est muscipula, non incidant[1]? Ecce norunt muscipulam, et pedem mittunt, et tenenda colla subjiciunt. Quanto melius erat averti a muscipula; peccatum cognoscere, errorem damnare, amaritudine carere, in corpus Christi transire, Domini gloriam quærere! Sed tantum valet animi præsumptio, ut et coram ipsis muscipula sit, et incidant in eam. *Obscurentur oculi eorum, ne videant*, sequitur hic; ut quoniam sine causa viderunt, fiat illis et non videre. *Fiat* ergo *mensa eorum coram ipsis in muscipulam. Coram ipsis fiat in muscipulam*, non optantis est, sed prophetantis; non ut fiat, sed quia fiet. Hoc sæpe commendavimus, et meminisse debetis, ne quod præsaga mens in Spiritu Dei dicit, malevole imprecari[2] videatur. Fiat ergo; nec potest aliter fieri, nisi ut talibus ista eveniant. Et quoniam videmus per Spiritum Dei dici talia eventura malis; ad hoc in illis hæc intelligamus, ut nos talia devitemus: hoc enim nobis prodest intelligere, et ex inimicis proficere. Fiat ergo illis, *et in retributionem, et in scandalum.* Et numquid injustum est hoc? Justum est. Quare? Quoniam *in retributionem:* non enim aliquid illis accideret quod non debebatur. *In retributionem* fit, *et in scandalum*, quia ipsi sibi sunt scandalum.

8. *Obscurentur oculi eorum, ne videant; et dorsum illorum semper incurva.* Hoc consequens est. Nam quorum oculi fuerint obscurati, ne videant, sequitur ut dorsum illorum incurvetur. Unde hoc? Quia cum cessaverint superna cognoscere, necesse est ut de inferioribus cogitent. Qui bene audit, Sursum cor, curvum dorsum non habet. Erecta quippe statura exspectat spem repositam sibi in cœlo; maxime si præmittat thesaurum suum, quo sequatur cor ejus (*Matth.* VI, 21). At vero qui futuræ vitæ spem non intelligunt jam excæcati, de inferioribus cogitant: et hoc est habere dorsum curvum; a quo morbo Dominus mulierem illam liberavit. Alligaverat enim eam satanas annis decem et octo; et eam curvatam[1] erexit, et quia sabbato faciebat, scandalizati sunt Judæi: bene scandalizati sunt de illa erecta, ipsi curvi (*Luc.* XIII, 16). *Et dorsum illorum semper incurva.*

9. [*vers.* 25.] *Effunde super eos iram tuam, et indignatio iræ tuæ comprehendat eos.* Plana sunt: sed tamen, *comprehendat eos*, quasi fugientes agnoscimus. Quo autem fugituri sunt? In cœlum? Tu ibi es. In infernum? Ades (*Psal.* CXXXVIII, 8). Pennas suas nolunt recipere, ut volent in directum: *Comprehendat eos indignatio iræ tuæ;* non eos permittat effugere.

10. [*vers.* 26.] *Fiat habitatio eorum deserta.* Hoc jam in manifesto. Quomodo enim liberationem suam non solum occultam commendavit dicens, *Intende animæ meæ, et redime eam;* verum etiam manifestam secundum corpus, adjiciens, *Propter inimicos meos erue me:* ita et his futuras quasdam calamitates prædicit occultas, de quibus paulo ante loquebatur. Nam quotusquisque est, qui intelligat infelicitatem hominis cujus cor jam cæcum est? Tollantur illi oculi corporis; omnes homines miserum dicunt: perdat oculos mentis, sed tamen circumfluat omni abundantia rerum; felicem appellant, sed qui similiter mentis oculos perdiderunt. Ergo jam quid aperte, ut appareat omnibus quia vindicatum est in eis? Nam cæcitas Judæorum, occulta vindicta est: manifesta vero quæ? *Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.* Factum est hoc in ipsa civitate Jerusalem, in qua sibi visi sunt potentes, clamando adversus Filium Dei, *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX, 6); et prævalendo, quia potuerunt occidere eum qui mortuos suscitabat. Quam sibi potentes, quam magni visi sunt! Consecuta est postea vindicta Domini; expugnata est civitas, debellati Judæi, occisa nescio quot hominum millia. Nullus illuc modo permittitur accedere Judæorum; ubi potuerunt adversus Dominum clamare, ibi a Domino non permittuntur habitare. Perdiderunt locum furoris sui: atque utinam vel nunc

[1] Sic Mss. At Edd., *et incidunt.*
[2] Mss., *deprecari.*

[1] Omnes prope Mss., *curatam.*

agnoscant locum quietis suæ! Quid profuit illis Caiphas dicendo [1] : *Nos si istum dimiserimus sic, venient Romani, et tollent nobis et locum et regnum* (*Joan.* XI, 48)? Ecce et non eum dimiserunt vivum, et ille vivit ; et venerunt Romani, et tulerunt eis et locum et regnum. Modo audiebamus, cum Evangelium legeretur : *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, tanquam gallina pullos suos sub alas suas ; et noluisti! Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (*Matth.* XXIII, 37 *et* 38). Hoc et hic dicitur: *Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. Non sit qui inhabitet*, sed ex numero illorum. Nam loca illa omnia et hominibus plena sunt, et Judæis inania.

11. [*vers.* 27.] Quare hoc? *Quoniam quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt*. Quid ergo peccaverunt, si a Deo percussum persecuti sunt? Quid animo eorum imputatur? Malitia. Nam id in Christo factum est quod oportebat. Pati utique venerat, et punivit per quem passus est. Nam Judas traditor punitus est, et Christus crucifixus est ; sed nos redemit sanguine suo, et punivit illum de pretio suo. Projecit enim pretium argenti quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium quo ipse a Domino redemptus [2] erat (*Id.* XXVII, 5). Factum est hoc in Juda. Sed cum videamus mensuram quamdam esse retributionis in omnibus, nec quemquam posse permitti amplius sævire quam acceperit potestatem ; quomodo illi addiderunt, aut quæ est ista percussio Domini? Nimirum ex persona locutus est ejus unde corpus acceperat, unde carnem assumpserat, id est generis humani, ipsius Adæ qui percussus est primo morte propter peccatum suum (*Gen.* III, 19). Mortales ergo hic homines cum pœna nascuntur : huic pœnæ addunt, quicumque homines fuerint persecuti. Jam enim homo hic moriturus non esset, nisi illum Deus percussisset : quid ergo tu homo sævis amplius? parumne homini est, quod aliquando moriturus est? Portat ergo unusquisque nostrum pœnam suam : huic pœnæ volunt addere qui nos persequuntur. Hæc pœna percussio est Domini. Dominus quippe sententia percussit hominem : *Qua die tetigeritis*, inquit, *morte moriemini* (*Id.* II, 17). Ex hac morte carnem susceperat, et vetus homo noster simul crucifixus est cum illo (*Rom.* VI, 6). Ex illius voce ista dixit : *Quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt, et super dolorem vulnerum meorum addiderunt*. Super quem dolorem vulnerum? Super dolorem peccatorum ipsi addiderunt : vulnera enim sua peccata dixit. Sed ne ad caput respicias ; ad corpus adverte, secundum cujus vocem dictum est ab ipso in illo psalmo, in quo vocem suam ostendit, quia ejus primum versum de cruce clamavit : *Deus, Deus meus, respice in me ; quare me dereliquisti?* Ibi secutus ait : *Longe a salute mea verba delictorum meorum* (*Psal.* XXI, 2). Ipsa sunt vulnera inflicta a latronibus in via, ei quem levavit in jumentum suum : quem sacerdos et Levites transeuntes invenerant et contempserant, a quibus curari non potuit ; transiens autem Samaritanus misertus est ejus ; accessit, et in jumentum proprium levavit (*Luc.* X, 30-34). Samarites latine Custos interpretatur : quis autem custos, nisi Salvator Dominus noster Jesus Christus? Qui quoniam surrexit a mortuis jam non moriturus (*Rom.* VI, 9), non dormit neque obdormiet qui custodit Israel (*Psal.* CXX, 4). *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt*.

12. [*vers.* 28.] *Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum*. Quid est hoc? Quis non expavescat? Deo dicitur : *Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum*. Unde apponet Deus iniquitatem? Habet enim iniquitatem quam apponat? Scimus enim verum esse quod dictum est per Paulum apostolum : *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas est apud Deum? Absit* (*Rom.* IX, 14). Unde ergo, *Appone iniquitatem super iniquitatem?* quomodo id intellecturi sumus? Adsit Dominus ut dicamus, et propter fatigationem vestram breviter dicere valeamus. Iniquitas ipsorum erat, quia hominem justum occiderunt : addita est alia, quia Filium Dei crucifixerunt. Sævire ipsorum tanquam in hominem fuit : sed si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I *Cor.* II, 8). Illi iniquitate sua tanquam hominem occidere voluerunt : apposita est iniquitas super iniquitatem ipsorum, ut Filium Dei crucifigerent. Quis hanc iniquitatem apposuit? Ille qui dixit : *Forte reverebuntur Filium meum ; ipsum mittam* (*Matth.* XXI, 37). Solebant enim occidere missos ad se servos, exactores locationis atque mercedis. Misit ipsum Filium, ut et ipsum occiderent. Apposuit iniquitatem super iniquitatem ipsorum. Et hæc Deus sæviendo fecit, an potius juste retribuendo? *Fiat* enim *illis*, inquit, *in retributionem, et in scandalum*. Meriti erant sic excæcari, ut Filium Dei non agnoscerent. Et hoc fecit Deus, apponens iniquitatem super iniquitatem ipsorum ; non vulnerando, sed non sanando. Quomodo enim auges febrem, auges morbum, non morbum adhibendo, sed non succurrendo : sic quia tales fuerunt ut curari non mererentur, in ipsa malitia quodammodo profecerunt, sicut dictum est, *Mali autem et facinorosi proficiunt in pejus* (II *Tim.* III, 13) ; et apposita est iniquitas super iniquitatem ipsorum. *Et non intrent in justitia tua*. Hoc planum est.

13. [*vers.* 29.] *Deleantur de libro viventium*. Aliquando enim illic scripti erant? Fratres, non sic accipere debemus, quoniam quemquam Deus scribat in libro vitæ, et deleat illum. Si homo dixit, *Quod scripsi, scripsi*, de titulo ubi scriptum erat, *Rex Judæorum* (*Joan.* XIX, 22) ; Deus quemquam scribit et delet? Præcisus est ; prædestinavit omnes ante constitutionem mundi regnaturos cum Filio suo in vita æterna (*Rom.* VIII, 29). Hos conscripsit ; ipsos continet liber vitæ. Denique in Apocalypsi quid ait Spiritus Dei, cum de pressuris ab Antichristo futuris loqueretur eadem Scriptura? *Consentient illi*, inquit, *omnes qui non sunt scripti in libro vitæ* (*Apoc.* XIII, 8).

[1] MSS., *illi Caiphæ dicere*.
[2] Duo MSS., *redimendus*.

Proinde sine dubitatione non erunt consensuri qui scripti sunt. Isti ergo quomodo inde delentur, ubi nunquam scripti sunt? Hoc dictum est secundum spem ipsorum, quia ipsi se scriptos putabant. Quid est, *Deleantur de libro vitæ?* Et ipsis constet non illos ibi esse. Ex hac locutione dictum est in alio psalmo, *Cadent a latere tuo mille, et dena millia a dextris tuis* (*Psal.* xc, 7); id est, multi scandalizabuntur, et ex eo numero qui se sperabant sessuros tecum, et ex eo numero qui se sperabant staturos ad dexteram tuam, separati ab hædis sinistris (*Matth.* xxv, 33): non quia cum ibi steterit aliquis, postea cadet, aut cum sederit cum illo quisquam, abjicietur; sed quia multi casuri erant in scandalum, qui jam ibi se esse putabant; id est, multi qui se sperabant sessuros tecum, multi qui se speraverant staturos ad dexteram, ipsi casuri sunt. Sic ergo et hic illi qui se sperabant tanquam merito justitiæ suæ in libro scriptos Dei, quibus dicitur, *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere* (*Joan.* v, 39): cum perducta fuerit damnatio eorum etiam ad cognitionem eorum, delebuntur de libro viventium, id est, non ibi se esse cognoscent. Nam versus qui sequitur, exponit quod dictum est: *Et cum justis non scribantur.* Dixi ergo, *Deleantur*, secundum spem eorum; secundum autem æquitatem tuam quid dico? *Non scribantur.*

14. [*vers.* 30.] *Pauper et dolens ego sum.* Quare hoc? An ut agnosceremus quod per amaritudinem animi maledicit pauper iste? Multa enim dixit quæ illis eveniant. Et quasi ei diceremus, Utquid talia? noli tantum; respondet: *Pauper et dolens ego sum.* Perduxerunt me ad egestatem, ad istum dolorem deposuerunt; ideo ista dico. Non est tamen stomachatio maledicentis, sed prædictio prophetantis. Nam de paupertate sua et dolore suo quædam quæ posterius dicit, commendaturus est nobis, ut discamus esse pauperes et dolentes. *Beati* enim *pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*; et, *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v, 3, 5). Hoc ergo ipse prius jam nobis ostendit; et ideo, *Pauper et dolens ego sum.* Totum corpus ejus hoc dicit. Corpus Christi in hac terra pauper est et dolens. Sed sint divites Christiani. Prorsus si Christiani sunt, pauperes sunt; in comparatione divitiarum cœlestium quas sperant, omne aurum suum arenam deputant. *Pauper et dolens ego sum.*

15. [*vers.* 31.] *Et salus vultus tui, Deus, suscepit me.* Numquid desertus est pauper iste? Quando tu dignaris pannosum pauperem applicare ad mensam tuam? Porro autem pauperem istum salus vultus Dei suscepit; in vultu suo abscondit ejus egestatem. De illo quippe dictum est: *Abscondes eos in abscondito vultus tui* (*Psal.* xxx, 21). In illo autem vultu quæ sint divitiæ vultis nosse? Divitiæ istæ hoc tibi præstant, ut quod vis, quando vis, prandeas; illæ vero, ut nunquam esurias. *Pauper et dolens ego sum; et salus vultus tui, Deus, suscepit me.* Ad quam rem? Ut jam non sim pauper, non sim dolens. *Laudabo nomen Dei cum cantico, magnificabo eum in laude.* Jam dictum est; pauper iste laudat nomen Dei cum cantico, magnificat eum in laude. Quando auderet cantare, nisi recreatus esset a fame? *Laudabo nomen Dei cum cantico, magnificabo eum in laude.* Magnæ divitiæ! Quas gemmas laudis Dei de thesauro interiore protulit! *Magnificabo eum in laude.* Hæ sunt divitiæ meæ. *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Ergo miser remansit? Absit. Vide divitias: *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21). *Laudabo nomen Dei cum cantico, magnificabo eum in laude.*

16. [*vers.* 32.] *Et placebit Deo,* hoc quod cum laudabo, placebit, *super vitulum novellum, cornua producentem et ungulas.* Gratius illi erit sacrificium laudis, quam sacrificium vituli. *Sacrificium laudis glorificabit me; et ibi via est in qua ostendam illi salutare Dei. Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua* (*Psal.* XLIX, 23, 14). Ergo laudabo Deum; et plus ei placebit quam vitulus novellus, cornua producens et ungulas. Amplius ergo placebit Deo laus ejus exiens de ore meo, quam magna victima adducta ad aram ipsius. An aliquid de cornibus et ungulis vituli hujus dicendum est? Qui bene instructus est, et laude Dei opulentus, et cornua debet habere quibus adversarium ventilet, et ungulas quibus terram excitet. Nostis enim hoc facere vitulos pubescentes, et in taurinam audaciam grandescentes. Nam ideo novellus est, propter vitam novam. Aliquis ergo hæreticus forte contradicit; cornibus ventiletur. Alius non contradicit, sed tamen terrenum abjecte sapit; ungulis excitetur. Ergo super hunc vitulum tibi placebit laudatio mea; jam illa [1] post paupertatem et dolorem in æterna societate Angelorum, ubi nec adversarius erit in certamine ventilandus, nec piger de terra excitandus.

17. [*vers.* 33.] *Videant inopes, et lætentur.* Credant, et spe gaudeant. Magis inopes sint, ut saturari mereantur; ne cum superbiæ saginam ructant, negetur eis panis quo salubriter vivant. *Quærite Dominum,* inopes; esurite, et sitite (*Matth.* v, 6): ipse est enim panis vivus qui de cœlo descendit (*Joan.* VI, 51). *Quærite Dominum, et vivet anima vestra.* Quæritis panem, ut vivat caro vestra; Dominum quærite, ut vivat anima vestra.

18. [*vers.* 34.] *Quoniam exaudivit pauperes Dominus.* Exaudivit pauperes; nec exaudiret pauperes, nisi essent pauperes. Vis exaudiri? Pauper esto: dolor de te clamet, non fastidium. *Quoniam exaudivit pauperes Dominus; et compeditos suos non sprevit.* Offensus a servis, fecit eos compeditos; sed clamantes de compedibus non contempsit. Quæ sunt istæ compedes? Mortalitas, corruptibilitas carnis, compedes sunt quibus ligati sumus. Et vultis nosse istarum compedum gravitatem? Inde dicitur: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam* (*Sap.* IX, 15). Quando homines in sæculo divites esse volunt, istis compedibus pannos quærunt. Sed sufficiant panni compedum: tantum

[1] Sic melioris notæ Mss. Alii, *jam illam post*, etc. At Edd., *nam illam post*, etc. Non recte, nisi *illam* referas ad *videant inopes*, etc.

quære, quantum depellendæ necessitati satis est. Cum autem superflua quæris, compedes tuas onerare desideras. In tali ergo custodia vel solæ compedes remaneant. Sufficiat diei malitia sua (*Matth.* VI, 34). De ista malitia clamamus ad Deum : *Quoniam exaudivit pauperes Dominus; et compeditos suos non sprevit.*

19. [*vers.* 35.] *Laudent illum cœli et terra, mare et omnia repentia in eis.* Veræ divitiæ hujus pauperis istæ sunt, considerare creaturam et laudare Creatorem. *Laudent illum cœli et terra, mare et omnia repentia in eis.* Et creatura sola ista laudat Deum, cum considerata ea laudatur Deus.

20. [*vers.* 36, 37.] Audi et aliud : *Quoniam Deus salvam faciet Sion.* Reparat Ecclesiam suam : gentes fideles incorporat Unigenito suo; non fraudat credentes in se præmio promissionis suæ. *Quoniam Deus salvam faciet Sion : et ædificabuntur civitates Judææ*[1]. Ipsæ sunt Ecclesiæ. Nemo dicat : Quando erit istud ut ædificentur civitates Judææ? O si velis agnoscere structuram, et esse lapis vivus, ut intres in eam! Et nunc civitates Judææ ædificantur. Juda enim Confessio interpretatur. De confessione humilitatis ædificantur civitates Judææ; ut foris ab eis superbi remaneant, qui confiteri erubescunt. *Quoniam Deus salvam faciet Sion.* Quam Sion? Audi in sequentibus : *Et semen servorum ejus obtinebunt eam; et qui diligunt nomen ejus inhabitabunt in ea.*

21. Psalmus finitus est; sed paululum istos duos versus non relinquamus : admonent enim nos aliquid, ne desperando in illam structuram non intremus. *Semen*, inquit, *servorum ejus obtinebunt eam.* Jam ergo, *semen servorum ejus* qui sunt? Forte dicis, Judæi nati de Abraham : nos autem qui non sumus nati de Abraham, quomodo habebimus istam civitatem? Sed non sunt semen Abrahæ illi Judæi quibus dictum est : *Si filii Abrahæ estis, facta Abrahæ facite* (*Joan.* VIII, 39). *Semen* ergo *servorum ejus*, imitatores fidei servorum ejus *obtinebunt eam.* Denique ultimus versus superiorem exponit. Quasi enim turbatus, ne putares forte hoc de Judæis dici, *Et semen servorum ejus obtinebunt eam*, dicens, Nos semen gentium sumus, quæ idola coluerunt, et dæmonibus servierunt; quid ergo nobis in hac civitate sperandum est? statim subjecit, ut præsumas et speres : *Et qui diligunt nomen ejus, inhabitabunt in ea.* Hoc est enim *semen servorum ejus, qui diligunt nomen ejus.* Quia enim servi ejus dilexerant nomen ejus; quicumque non diligunt nomen ejus, non se dicant semen servorum ejus; et qui diligunt nomen ejus, non se negent semen servorum ejus.

IN PSALMUM LXIX

ENARRATIO.

SERMO (*a*).

1. [*vers.* 2.] Gratias grano tritici, quia mori voluit et multiplicari (*Joan.* XII, 25) : gratias unico Filio Dei Domino et Salvatori nostro Jesu Christo, qui mortem nostram subire non dedignatus est, ut nos vita sua dignos faceret. Ecce qui singularis erat, donec transiret, sicut dixit in psalmo, *Singularis ego sum, donec transeam* (*Psal.* CXL, 10) : quia sic erat singulare granum, ut in se haberet magnam multitudinis fecunditatem; in quantis granis passionem ejus imitantibus exsultamus, quando natalitia Martyrum celebramus! Multa ergo membra ejus, sub uno capite ipso Salvatore nostro charitatis et pacis vinculo colligata, sicut nosse dignamini, quoniam sæpissime audistis, unus homo sunt : et ipsorum ut unius hominis vox plerumque in Psalmis auditur; et sic clamat unus tanquam omnes, quia omnes in uno unus sunt. Audiamus ergo quoniam laboraverunt martyres, et inter magnas tempestates odiorum in hoc sæculo periclitati sunt; non tam corpore, quod quandoque posituri erant, sed ipsa fide, ne deficientes, et forte acerbis persecutionum cedentes doloribus, vel amori vitæ hujus, amitterent quod promiserat Deus : qui non solum verbo, sed etiam exemplo abstulerat omnem timorem; verbo, dicens, *Nolite timere eos qui corpus occidunt; animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X, 28); exemplo, faciens quod verbo præcepit, ut nec eorum verberantium manus vellet devitare, nec alapas percutientium, nec salivas conspuentium, nec coronam de spinis imponentium, nec crucem interficientium : nihil horum vitare voluit, cui nihil opus erat, propter eos quibus hoc opus erat; faciens ægrotis de seipso medicamentum. Laboraverunt ergo martyres; et nisi ille semper adesset qui ait, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Id.* XXVIII, 20), utique defecissent.

2. Est ergo in hoc psalmo vox contribulatorum; et ideo utique martyrum inter passiones periclitantium, sed de suo capite præsumentium. Audiamus eos, et loquamur cum eis ex affectu cordis, etiamsi non similitudine passionis. Illi enim jam coronati sunt; nos adhuc periclitamur : non quia tales nos persecutiones urgent, quales ipsos urserunt; sed fortasse pejores in omnimodis generibus tantorum scandalorum. Nostra enim tempora magis abundant illo *Væ* quod clamavit Dominus : *Væ mundo ab scandalis* (*Id.* XVIII, 7). *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Id.* XXIV, 12). Neque enim et Lot ille sanctus, in Sodomis ab aliquo corporalem persecutionem patiebatur, aut dictum illi erat ut non ibi habitaret; persecutio ejus, facta mala Sodomitarum erant (*Gen.* XIX). Nunc ergo jam Christo in cœlo sedente, jam glorificato, jam subjectis cervicibus regum jugo ejus, et suppositis eorum frontibus signo ejus; jam nullo remanente qui palam Christianis audeat insultare, adhuc tamen inter organa et symphoniacos gemimus; adhuc illi inimici Martyrum, quia vocibus et ferro non possunt, eos sua luxuria persequuntur. Atque utinam Paganos tantummodo doleremus[1]! esset qualecumque solatium, exspectare eos qui nondum cruce Christi signati sunt, quando signentur, et quando ejus auctoritate alligati desinant furere. Vi-

[1] Sic ex melioribus Mss. juxta LXX. [*Judæ.*]
(*a*) In Martyrum solemnitate habitus.

[1] Sic Mss. Edd. vero, *toleraremus.*

demus etiam portantes in fronte signum ejus, simul in ipsa fronte portare impudentiam luxuriarum, diebusque et solemnitatibus martyrum non exsultare, sed insultare. Et inter hæc gemimus, et hæc persecutio nostra est, si est in nobis charitas quæ dicat: *Quis infirmatur, et non ego infirmor? quis scandalizatur, et non ego uror* (II *Cor.* XI, 29)? Nullus ergo servus Dei sine persecutione; verumque est illud quod Apostolus ait: *Sed et omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur* (II *Tim.* III, 12). Videris unde, videris quomodo; diabolus ille biformis est. Leo est in impetu, draco in insidiis. Leo minetur, inimicus est; draco insidietur, inimicus est. Quando nos securi? Ecce fiant omnes Christiani, numquid et diabolus christianus erit? Tentare ergo non cessat; insidiari non cessat. Infrenatus est atque illigatus in cordibus impiorum, ne sæviat in Ecclesiam, et tantum faciat quantum vult. Fremunt dentes impiorum adversus dignitatem Ecclesiæ et pacem Christianorum, et quia non habent quid agant sæviendo; saltando, blasphemando, luxuriando, non impellunt corpora Christianorum, sed lacerant animas Christianorum. Clamemus ergo una voce omnes verba hæc: *Deus, in adjutorium meum intende.* Opus enim habemus sempiterno adjutorio in isto sæculo. Quando autem non! Modo tamen [1] in tribulatione positi maxime dicamus: *Deus, in adjutorium meum intende.*

3. [*vers.* 3.] *Confundantur et revereantur qui quærunt animam meam.* Christus dicit: sive caput dicat, sive corpus dicat; ille dicit, qui dixit: *Quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? ille dicit, qui dixit: *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40). Nota est ergo vox hujus hominis, totius hominis, capitis et corporis: non sæpe commendanda, quia nota. *Confundantur,* inquit, *et revereantur qui quærunt animam meam.* In alio psalmo dicit: *Considerabam in dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me: periit fuga a me, et non est qui exquirat animam meam* (*Psal.* CXLI, 5). Ibi de persecutoribus ait quia non erat qui exquireret animam ejus; hic autem: *Confundantur, et revereantur qui quærunt animam meam.* Dolebat se non quæri ad imitandum; gemebat se quæri ad opprimendum. Quæris animam justi, cum imitari cogitas; quæris animam justi, cum occidere cogitas. Quoniam duobus modis quæritur anima hominis justi, singuli in singulis psalmis expressi sunt. Illic dolet, quia non est qui requirat animam ejus ad imitandum passiones ejus; hic autem: *Confundantur et revereantur qui quærunt animam meam.* Quærunt animam ejus, non ut duas habeant. Non enim sic quærebant animam ejus, quomodo quærit latro tunicam viatoris: ad hoc occidit, ut exspoliet, ut habeat. Qui autem persequitur ut occidat, excludit animam, non se vestit. Quærunt illi animam meam; occidere me volunt. Quid ergo tu illis optas? *Confundantur, et revereantur.* Et ubi est quod audisti a Domino tuo: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro his qui persequuntur vos* (*Matth.* V, 44)? Ecce persecutionem pateris, et maledicis eis a quibus pateris: quomodo imitaris passiones præcedentes Domini tui, pendentis in cruce, et dicentis: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34)? Respondet talia dicentibus martyr, et dicit: Dominum mihi proposuisti dicentem, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt;* agnosce et vocem meam, ut sit et tua. Quid enim dixi de inimicis meis? *Confundantur, et revereantur.* Jam facta est talis vindicta de inimicis martyrum. Saulus ille qui Stephanum persecutus est, confusus est et reveritus. Anhelabat cædes, quærebat quos attraheret et necaret: audita desuper voce, *Saule, Saule, quid me persequeris?* confusus et prostratus est, et erectus ad obediendum qui inflammatus erat ad persequendum (*Act.* VII, 57, *et* IX, 1, 4, 6). Hoc ergo optant martyres inimicis suis: *Confundantur, et revereantur.* Quamdiu enim non confunduntur et reverentur, necesse est facta sua defendant; gloriosi sibi videntur, quia tenent, quia ligant, quia verberant, quia occidunt, quia saltant, quia insultant: de his omnibus factis aliquando confundantur, et revereantur. Si enim confundentur, et convertentur; quia converti non possunt, nisi confusi fuerint, et reveriti. Optemus ergo hæc inimicis nostris; securi optemus. Ecce ego dixi, et vobiscum dixerim: omnes qui adhuc saltant et cantant et insultant Martyribus, *confundantur, et revereantur;* aliquando in his parietibus tundant confusi pectora sua.

4. [*vers.* 4.] *Avertantur retrorsum, et erubescant qui cogitant mihi mala.* Primo fuit impetus persequentium; modo remansit malevolentia cogitantium. Prorsus tempora sunt in Ecclesia persecutionis distincta sequentia [1]. Factus est impetus in Ecclesiam, quando reges persequebantur: et quia prædicti erant reges et persecuturi et credituri, impleto uno, utique alterum sequebatur. Factum est et illud quod consequens fuit; crediderunt reges, data pax est Ecclesiæ, cœpit esse in culmine dignitatis Ecclesia, etiam in hac terra, etiam in hac vita: sed non deest fremitus persecutorum; impetus suos ad cogitationes verterunt. In illis cogitationibus tanquam in abysso ligatus est [2] diabolus; fremit, et non erumpit. Dictum est enim de his temporibus Ecclesiæ: *Peccator videbit, et irascetur.* Et quid faciet? Numquid quod primo? Attrahe, liga, percute. Non facit hoc. Quid ergo? *Dentibus suis frendet, et tabescet* (*Psal.* CXI, 10). Et his tanquam irascitur martyr; et tamen pro his orat martyr. Quomodo enim bene optavit illis de quibus dixit, *Confundantur, et revereantur qui quærunt animam meam;* sic et nunc, *Avertantur retrorsum, et erubescant qui cogitant mihi mala.* Quare? Ut non præcedant, sed sequantur. Qui enim reprehendit christianam religionem, et consilio suo vult vivere, quasi præcedere

[1] Aliquot Mss.: *Quando autem non modo: tamen,* etc.

[1] Sic melioris notæ Mss. At Edd., *in Ecclesiæ persecutione distincta. Sequere sequentia.*

[2] Lov., *visco ligatus est.* Abest, *visco,* ab Er. et plerisque Mss., sed quidam habent, *colligatus est:* Alluditur hic ad illud Apocalypseos 20, 2: *Et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum,* etc.

re vult Christum; ut ille videlicet erraverit, et invalidus infirmusque fuerit, qui vel voluerit pati inter manus Judæorum, vel potuerit: ille autem cordatus sit cavens ista omnia, declinans mortem, mentiens etiam inique ne moriatur, interficiens animam suam ut vivat corpore, magni consilii prudentisque sibi videtur. Præcedit reprehendens Christum; veluti antecedit Christum: credat in Christum, et sequatur Christum. Nam quod optatum est modo persecutoribus cogitantibus mala, dixit hoc ipse Dominus Petro. Præcedere quippe quodam loco Petrus voluit Dominum. Loquebatur enim Salvator de passione sua, quam si non suscepisset, nos salvi non essemus; et Petrus qui paulo ante eum confessus erat Filium Dei, et in illa confessione appellatus erat Petra, supra quam fabricaretur Ecclesia, paulo post Domino dicente de futura passione sua, ait: *Absit, Domine; propitius esto tibi, non fiet istud.* Paulo ante, *Beatus es, Simon Bar Jona, quia non tibi revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est:* modo repente, *Redi post me, Satana.* Quid est, *Redi post me?* Sequere me. Præcedere me vis, consilium mihi dare vis; melius est ut consilium meum sequaris: hoc est, Redi retro, redi post me. Antecedentem compescit, ut retro redeat; et appellat Satanam, quia vult præcedere Dominum. Paulo ante, *Beatus:* modo, *Satanas.* Unde paulo ante, *Beatus? Quia non tibi,* inquit, *revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est.* Unde modo, *Satanas? Quia non sapis,* inquit, *quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum* (*Matth.* XVI, 16-23). Qui ergo volumus recte celebrare natalitia martyrum, desideremus imitationem martyrum; ne velimus præcedere martyres, et melioris consilii nobis videri esse, quia evitamus passiones pro justitia et pro fide, quas illi non evitaverunt. Ergo illi qui cogitant mala, et in luxuria nutriunt corda sua, *avertantur retrorsum, et erubescant.* Audiant ab Apostolo postea dicente: *Quem autem fructum habuistis aliquando in quibus nunc erubescitis* (*Rom.* VI, 21)?

5. Quid sequitur? *Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi: Euge, euge.* Duo sunt genera persecutorum; vituperantium, et adulantium. Plus persequitur lingua adulatoris, quam manus interfectoris; nam et ipsam caminum dixit Scriptura. Certe cum de persecutione loqueretur Scriptura, dixit: *Tanquam aurum in fornace probavit illos,* de martyribus interfectis, *et sicut holocausti hostiam* [1] *accepit illos* (*Sap.* III, 6). Audi quia et lingua adulantium talis est: *Probatio,* inquit, *argenti et auri ignis; vir autem probatur per os laudantium eum* (*Prov.* XXVII, 21). Ignis ille, ignis et iste; de utroque te salvum oportet exire. Fregit te reprehensor, fractus es [2] in fornace tanquam vas fictile. Formavit te verbum, et venit tentatio tribulationis: illud quod formatum est, oportet ut coquatur; si bene formatum est, accedit ignis ut firmet. Unde ille dicebat in passione: *Aruit sicut testa virtus mea* (*Psal.* XXI, 16). Passio quippe et caminus tribulationis fecerat fortiorem. Rursus si lauderis ab adulantibus et assentantibus, et annueris eis, veluti emens oleum, non tecum portans, sicut quinque virgines insipientes (*Matth.* XXV, 3); erit caminus fracturæ tuæ etiam os laudantium te. Sed sine his non possumus; necesse est ut et intremus in hæc, et exeamus inde: intremus in vituperationem aliquam malorum et improborum, intremus et in assentationem aliquam adulatorum; sed exire inde opus est. Rogemus eum de quo dictum est, *Custodiat Dominus introitum tuum et exitum tuum* (*Psal.* CXX, 8); ut intrans integer, sic exeas integer. Ait enim et Apostolus: *Fidelis est Deus, qui non vos sinat tentari supra quam potestis.* Ecce habes ingressum. Non dixit, Non tentemini: qui enim non tentatur non probatur; et qui non probatur, non proficit. Quid ergo optavit? *Fidelis Deus, qui non vos sinat tentari supra quam potestis.* Audisti ingressum; audi et exitum: *Sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis tolerare* (I *Cor.* X, 13). Ergo et illi *avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi: Euge, euge.* Quare enim me laudant? Laudent Deum. Quis enim ego sum, ut lauder in me? aut quid ego feci? quid habeo quod non accepi? *Si accepisti*, inquit, *quid gloriaris quasi non acceperis* (*Id.* IV, 7)? *Avertantur* ergo *statim erubescentes qui dicunt mihi: Euge, euge.* Tali oleo pingue factum est caput hæreticorum (*Psal.* CXL, 5), cum dicunt, Ego sum, ego sum, et dicitur illis: Tu, Domine. Acceperunt *Euge, euge;* secuti sunt *Euge, euge:* facti sunt duces cæci cæcorum sequentium (*Matth.* XV, 14). Apertissimis vocibus Donato dicuntur ista cantata [1]: *Euge, euge*, dux bone, dux præclare. Et non dixit ille, *Avertantur statim, et erubescant qui dicunt mihi: Euge, euge;* nec eos corrigere voluit, ut Christo dicerent: Dux bone, dux præclare. At vero Apostolus reformidans *Euge* hominum, ut vere laudaretur in Christo, noluit se laudari pro Christo; dicentibusque quibusdam, *Ego sum Pauli,* respondit in libertate Domini, *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis* (I *Cor.* I, 12, 13)? Ergo dicant martyres in persecutione etiam adulantium, *Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi: Euge, euge.*

6. [*vers.* 5.] Et quid fit, cum illi avertuntur, et erubescunt omnes; sive qui quærunt animam meam, sive qui cogitant mihi mala, sive qui perversa et simulata benevolentia, lingua volunt emollire quod feriant; cum fuerint et ipsi aversi et confusi, quid fiet? *Exsultent, et jucundentur in te:* non in me, non in illo, aut in illo; sed in quo facti sunt lux qui fuerunt tenebræ. *Exsultent, et jucundentur in te, omnes qui quærunt te.* Aliud est quærere Deum, aliud quærere hominem. *Jucundentur qui quærunt te.* Non jucundabuntur ergo qui quærunt se [2], quos prior quæsisti antequam quærerent te. Nondum quærebat ovis illa pastorem; aberraverat a grege: et descendit ad eam; quæsivit eam, reportavit in humeris suis (*Luc.*

[1] Probæ notæ Mss., *holocaustum hostiam:* Alii quidam, *holocausta hostiam.* Porro apud LXX legitur, *olokarpôma thusias, holocaustum hostiæ.*

[2] Aliquot Mss., *factus es:* et paulo infra, *accedit ignis, et firmat.*

[1] Sic Mss. At Edd., *cantica.*

[2] Regius Ms., *qui quærunt non te.*

xv, 4, 5). Contemnet te, o ovis, quærentem se, qui prior quæsivit contemnentem se, et non quærentem se? Jam ergo quærere eum incipe, qui prior quæsivit te, et reportavit in humeris suis. Fac quod ait [1]: *Quæ sunt oves meæ, vocem meam audiunt, et sequuntur me* (*Joan.* x, 3). Si ergo quæris eum qui prior quæsivit te, et ovis facta es ejus, et audis vocem pastoris tui, et sequeris eum; vide quid tibi de se ostendit, quid de corpore suo, ne in ipso errares, ne in Ecclesia errares, ne quis tibi diceret: Christus est, qui non est Christus; aut Ecclesia est, quæ non est Ecclesia. Multi enim dixerunt carnem non habuisse Christum, et non in corpore suo resurrexisse Christum: noli sequi voces eorum. Audi vocem ipsius pastoris, qui indutus est carne, ut quæreret perditam carnem. Resurrexit, et ait: *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ostendit se tibi; vocem ejus sequere. Ostendit et Ecclesiam; ne quis te fallat nomine Ecclesiæ: *Oportebat*, inquit, *Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (*Luc.* xxiv, 39, 46, 47). Habes vocem pastoris tui; noli sequi vocem alienorum (*Joan.* x, 5): et furem non timebis [2], si vocem pastoris fueris secutus. Unde autem sequeris? Si nec cuiquam hominum dixeris, quasi ejus merito, *Euge, euge;* nec cum gratulatione audieris, ne oleo peccatoris pinguescat caput tuum (*Psal.* cxl, 5). *Exsultent, et jucundentur in te, omnes qui quærunt te; et dicant.* Quid dicant qui exsultant? *Semper magnificetur Dominus.* Dicant hoc omnes qui exsultant et quærunt te. Quid? *Semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.* Non tantum *magnificetur Dominus*, sed etiam *semper.* Ecce errabas, et aversus ab eo eras: vocavit te; *magnificetur Dominus.* Ecce inspiravit tibi confessionem peccatorum: confessus es, dedit veniam; *magnificetur Dominus.* Jam cœpisti juste vivere; jam puto quasi justum est ut et tu magnificeris. Etenim cum te vocaret errantem, magnificandus erat Dominus; cum tibi confitenti peccata dimisit, magnificandus erat Dominus: modo jam audiens verba ejus cœpisti proficere, justificatus es, pervenisti ad quamdam virtutis excellentiam; dignum est ut et tu aliquando magnificeris. *Dicant: Semper magnificetur Dominus.* Peccator es; *magnificetur* ut vocet: confiteris; *magnificetur* ut ignoscat: jam juste vivis; *magnificetur* ut regat: perseveras usque in finem; *magnificetur* ut glorificet. *Semper* ergo *magnificetur Dominus.* Hoc dicant justi; hoc dicant qui quærunt eum. Quisquis hoc non dicit, non quærit eum. Ecce, *magnificetur Dominus. Exsultent et jucundentur omnes qui quærunt* eum; *et dicant, Semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutare* ejus. Ab illo est enim illis salus, non a se. Salutare Domini Dei nostri, Salvator Dominus noster Jesus Christus: quisquis diligit Salvatorem, confitetur se sanatum; quisquis se confitetur sanatum, fuisse se confitetur ægrotum. *Dicant* ergo, *Semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum:* non salutare suum, quasi se ipsi salvent; non quasi salutare hominis, tanquam ab illo salventur. *Nolite*, inquit, *confidere in principes, et in filios hominum, in quibus non est salus* (*Psal.* cxlv, 2, 3). Quare hoc? *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua* (*Psal.* iii, 9). Ergo, *Semper magnificetur Dominus.* Qui hoc dicunt? *Qui diligunt salutare tuum.*

7. [*vers.* 6.] Ecce *magnificetur Dominus;* nunquam tu, nusquam tu? In illo aliquid, in me nihil: si autem in illo quidquid ego; ille, non ego. Tu ergo quid? *Ego vero egenus et pauper sum.* Ille dives, ille abundans, ille nullius indigens. Ecce lumen meum, ecce unde illuminor; quoniam clamo: *Tu illuminabis lucernam meam, Domine; Deus meus, illuminabis tenebras meas* (*Psal.* xvii, 29). *Dominus solvit compeditos; Dominus erigit elisos; Dominus sapientes facit cæcos; Dominus custodit proselytos* (*Psal.* cxlv, 7). Quid ergo tu? *Ego vero egenus et pauper.* Ego tanquam pupillus; anima mea tanquam vidua destituta et desolata: auxilium quæro; semper infirmitatem meam confiteor. *Ego vero egenus et pauper.* Donata sunt mihi peccata; jam cœpi sequi præcepta Dei: adhuc tamen *egenus et pauper.* Unde adhuc *egenus et pauper?* Quia *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* vii, 23). Unde *egenus et pauper?* Quia, *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam* (*Matth.* v, 6). Adhuc esurio, adhuc sitio: saturitas mea dilata est; non ablata. *Ego vero egenus et pauper; Deus, adjuva me.* Unde cœpit, *Deus in adjutorium meum intende; Deus, adjuva me.* Rectissime et Lazarus Adjutus interpretari dicitur; ille egenus et pauper, qui ablatus est in sinum Abrahæ (*Luc.* xvi, 22): et gerit typum Ecclesiæ Dei, quæ semper confiteri debet adjutorio sibi opus esse. Hoc est verum, hoc est pium. *Dixi Domino: Deus meus es tu.* Quare? *Quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* xv, 2). Ille non eget nostri; nos egemus ipsius: ideo verus Dominus. Nam tu non valde verus dominus servi tui; ambo homines, ambo egentes Deo. Si autem putas egere tui servum tuum, ut des panem; eges et tu servi tui, ut adjuvet labores tuos: uterque vestrum altero vestrum indiget. Itaque nullus vestrum vere dominus, et nullus vestrum vere servus. Audi verum Dominum, cujus verus es servus: *Dixi Domino: Deus meus es tu.* Quare tu Dominus? *Quoniam bonorum meorum non eges.* Quid autem tu? *Ego vero egenus et pauper.* Ecce *egenus et pauper;* pascat Deus, sublevet Deus, adjuvet Deus: *Deus*, inquit, *adjuva me.*

8. *Adjutor et erutor meus es tu, Domine; ne tardaveris.* Tu adjutor et erutor: indigeo auxilio, adjuva; implicatus sum, erue. Nemo enim eruet de implicationibus, nisi tu. Circumstant nos nexus diversarum curarum; hinc atque inde dilaniamur quasi spinis et sepibus, ambulamus angustam viam; fortasse hæsimus in sepibus: dicamus Deo, *Tu es erutor meus.* Qui ostendit angustam viam (*Matth.* vii, 14), fecit ut sequeremur. Hæc vox perseveret in nobis, fratres.

[1] Omnes prope Mss.: *Contemnet te jam quærentem se? Jam ergo quæres eum qui prior quæsivit te, fac quod ait*, etc.

[2] Mss. magno consensu ferunt: *Noli vocem sequi latronum et furum. Cavebis, si vocem pastoris*, etc.

Quantumcumque hic vixerimus, quantumcumque hic profecerimus, nemo dicat : Sufficit mihi ; justus sum. Qui dixerit, remansit in via, non novit pervenire. Ubi dixerit, Sufficit; ibi hæsit. Attende Apostolum, cui non sufficit; vide quomodo se vult adjuvari, donec perveniat : *Fratres*, inquit, *ego me non arbitror apprehendisse;* ne illi sibi viderentur apprehendisse, quibus rursus dicit, *Qui se putat aliquid scire, nondum scit quemadmodum oportet scire* [1] (I *Cor.* VIII, 2). Quid ergo ait? *Fratres, ego me non arbitror apprehendisse.* Supra dixerat, *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim ;* et ibi sequitur, *Fratres, ego me non arbitror apprehendisse.* Si nondum accepit, *egenus et pauper* est : si nondum perfectus est, *egenus et pauper* est. Bene dicit : *Deus, adjuva me.* Sed intelligit aliquid, et excelsius intelligit. Vide tamen quid dicat : *Ei autem qui potest super* [2] *omnia facere superabundantius quam petimus et intelligimus* (*Ephes.* III, 20). Vide ergo quia nondum pervenit, nondum apprehendit. Quid ergo ait? *Fratres, ego me non arbitror apprehendisse : unum autem, quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis* (*Philipp.* III, 12-14). Ille ergo currit, tu hæsisti. Ille dicit nondum se perfectum ; et tu jam de perfectione gloriaris ! Confundantur qui tibi dicunt : *Euge, euge.* Confundaris inter illos et tu, quia tu tibi dicis : *Euge, euge.* Qui enim seipsum laudat, sibi dicit : *Euge, euge :* qui ab aliis laudatur et consentit, non portat oleum secum; deficiunt faces, clausurus est ille januam (*Matth.* XXV, 3, 10).

9. Hoc ergo nos docuit psalmus iste breviter, charissimi, ex admonitione solemnitatis martyrum, ut intelligamus quia martyres tribulationem hic passi sunt corporalem : nos in quantacumque pace simus, necesse est patiamur tribulationem spiritualem; et necesse est ut inter scandala, et zizania, et paleam gemat Ecclesia et illa massa, donec messis veniat, donec ventilabrum, donec veniat ultima ventilatio, ut separetur palea a frumento, donec ad horreum redigatur (*Id.* XIII, 30, *et* III, 12). Quod donec fiat, clamemus : *Ego vero egenus et pauper sum; Deus, adjuva me : adjutor meus es tu, Domine ; ne tardaveris.* Quid est, *Ne tardaveris?* Quia multi dicunt : Longum est ut veniat Christus. Quid ergo, quia dicimus, *Ne tardaveris?* venturus est antequam statuit venire? Quid sibi vult hoc votum, *Ne tardaveris?* Ne mihi tardius videatur quod venturus es. Tibi enim longum videtur ; non Deo longum videtur, cui mille anni dies unus est, vel tres horæ vigiliæ (*Psal.* LXXXIX, 4). Sed tu si non habueris tolerantiam, tardum tibi erit : et cum tibi tardum erit, deflecteris ab eo, et eris similis illis qui in eremo fatigati sunt, et festinaverunt a Deo petere delicias, quas illis in patria reservabat; et cum non darentur deliciæ in itinere, quibus forte corrumperentur, murmuraverunt adversus Deum, et redierunt corde in Ægyptum (*Exod.* XVI, 2, *et Act.* VII, 39); unde corpore fuerant separati, corde redierunt. Noli ergo tu sic; noli sic : time verbum Domini dicentis, *Mementote uxoris Lot* (*Luc.* XVII, 32). Et ipsa in via, jam liberata de Sodomis, retro respexit; ubi respexit, ibi remansit : facta est statua salis (*Gen.* XIX, 26), ut condiat te. Exemplo enim tibi data est, ut tu cor habeas, non remaneas fatuus in via. Attende remanentem, et transi; attende respicientem retro, et tu in anteriora extentus esto, sicut Paulus. Quid est non respicere retro? *Quæ retro oblitus*, inquit. Ideo sequeris vocatus ad supernam palmam de qua postea glorieris. Quia idem Apostolus dicit : *Superest mihi corona justitiæ, quam mihi reddet Dominus in illo die justus judex* (II *Tim.* IV, 8).

IN PSALMUM LXX
ENARRATIO.
SERMO I.
De prima parte Psalmi.

1. In omnibus Scripturis sanctis, gratia Dei quæ liberat nos commendat se nobis, ut commendatos habeat nos. Hoc in isto psalmo canitur, de quo cum Vestra Charitate loqui suscepimus. Aderit Dominus, ut sic eam corde concipiam, quomodo dignum est; et sic eam promam, quomodo expedit vobis. Multum enim movet Dei amor et timor : timor Dei, quia justus est; amor, quia misericors est. *Quis enim ei diceret, Quid fecisti* (*Sap.* XII, 12), si damnaret injustum [1]? Quanta ergo misericordia ejus, ut justificet injustum? Ex hoc prælectum nobis et Apostolum audivimus eamdem maxime gratiam commendantem : de cujus commendatione habebat Judæos inimicos, velut de Legis littera præsumentes, et tanquam justitiam suam diligentes atque jactantes; de quibus dicit : *Testimonium perhibeo illis, quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.* Et tanquam ei diceretur, Quid est enim habere zelum Dei non secundum scientiam? subjecit continuo, *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X, 2, 3). Gloriantes, inquit, tanquam de operibus, excludunt a se gratiam; et tanquam de sanitate sua falsa præsumentes respuunt medicinam. Contra tales enim et Dominus dixerat : *Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam; non est opus sanis medicus, sed male habentibus* (*Matth.* IX, 13, 12). Hæc est ergo tota scientia magna, hominem [2] scire quia ipse per se nihil est; et quoniam quidquid est, a Deo est, et propter Deum est. *Quid enim habes*, inquit, *quod non accepisti? Si autem et* [3] *accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7)? Hanc gratiam commendat

[1] Er. et Lov., *oporteat eum scire.* At Mss., *oportet scire.*

[2] Hic in Edd. deest, *super* : quæ vox exstat in Mss. et in græco textu Apostoli.

[1] Edd., *justum.* Verius Corb. optimæ notæ Ms., *injustum.* Nam id Augustinus postea repetit n. 15. *Si damnes omnes iniquos... si massam istam iniquitatis damnes, quisquam tibi dicet, Injuste fecisti?* Neque profecto dicere ausus sit, justum aliquem judicis Dei sententia posse dignum pœna fieri, sive pronuntiari : quod omnino significatur verbo, *damnare.* Respicere videtur ad verba Sap. XII, 12.

[2] Am. Er. et tres Mss., *hominis.*

[3] Edd. omittunt, *et*, quod in Mss. exstat, et in texto græco Apostoli.

Apostolus; hinc habere meruit inimicos Judæos, de littera Legis et de sua justitia gloriantes. Hanc ergo commendans in lectione quæ lecta est, sic ait: *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei* (I *Cor.* xv, 9). *Sed ideo misericordiam*, inquit, *consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*. Deinde paulo post, *Fidelis sermo est*, inquit, *et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in*[1] *mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum*. Numquid ante illum non erant peccatores? Quid est ergo, *primus ego?* Antecedens omnes non tempore, sed malignitate. *Sed ideo*, inquit, *misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Jesus omnem longanimitatem, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam* (I *Tim.* I, 13, 15, 16): id est, ut unusquisque peccator et iniquus jam de se desperans, jam habens quasi gladiatorium animum, ut ideo faciat quidquid vult, quia necessario damnandus est, respiciat tamen ad apostolum Paulum, cui tanta crudelitas, tantaque malitia a Deo donata est; et, non de se desperando, convertatur ad Deum. Hanc ergo gratiam commendat nobis Deus et in isto psalmo; intueamur illum, et videamus an ita sit, an forte ego aliter suspicer. Etenim arbitror hunc eum habere affectum, et hoc omnibus prope suis syllabis resonare: id est, hoc nobis commendare, gratiam Dei gratuitam, quæ nos liberat indignos, non propter nos, sed propter se; ut etiamsi non hoc dicerem, neque hoc prælocutus essem, quilibet mediocris cordis homo, attente audiens verba ejusdem psalmi, saperet hoc; et forte ipsis verbis, si aliud habebat in corde, mutaretur, et fieret quod hic sonat. Quid est hoc? Ut tota spes nostra in Deo sit, nihilque de nobis tanquam de nostris viribus præsumamus; ne nostrum facientes quod ab illo est, et quod accepimus amittamus.

2. [*vers.* 1.] Titulus ergo est psalmi hujus, ut solet titulus indicans in limine quid agatur in domo: *Ipsi David filiorum Jonadab, et eorum qui primi captivi ducti sunt*. Jonadab homo fuit quidam, commendatur nobis ex prophetia Jeremiæ, qui filiis suis præceperat ut vinum non biberent, neque in domibus, sed in tabernaculis habitarent. Præceptum autem patris filii tenuerunt et servaverunt, et ex hoc benedici a Domino meruerunt (*Jerem.* xxxv, 6-10). Dominus autem hoc non præceperat, sed pater ipsorum. Sic autem hoc acceperunt, tanquam præceptum a Domino Deo suo: quia etsi Dominus non præceperat, ut non biberent vinum, et in tabernaculis habitarent; præceperat tamen Dominus, ut filii patri obedirent. In ea ergo re sola filius non debet obedire patri suo, si aliquid pater ipsius jusserit contra Dominum Deum ipsius. Neque enim debet irasci pater, quando ei præponitur Deus. Ubi autem hoc jubet pater quod contra Deum non sit, sic audiendus est, quomodo Deus; quia obedire patri jussit Deus. Benedixit ergo Deus filios Jonadab propter obedientiam, eosque objecit inobedienti populo suo, exprobrans quia cum filii Jonadab obedientes essent patri suo, illi non obedirent Deo suo. Cum autem ageret ista Jeremias, id agebat cum populo Israel, ut pararent se ad captivitatem ducendos esse in Babyloniam, et non resisterent voluntati Dei, nec sperarent aliud, nisi quia futuri essent captivi. Videtur ergo inde coloratus titulus hujus psalmi, ut cum dixisset, *filiorum Jonadab*, subjiceret, *et eorum qui primi captivi ducti sunt:* non quia filii Jonadab captivi ducti sunt, sed quia illis qui captivi ducendi erant oppositi sunt filii Jonadab, quia patri obedientes erant; ut intelligerent illi propterea se fieri captivos, quia Deo obedientes non fuerunt. Accedit etiam quia Jonadab interpretatur Domini Spontaneus. Quid est hoc, Domini spontaneus? Deo voluntate[1] libenter serviens. Quid est, Domini spontaneus? *In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudis tibi* (*Psal.* LV, 12). Quid est, Domini spontaneus? *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII, 8). Si enim disciplina apostolica servum monet ut homini domino suo, non tanquam ex necessitate, sed ex voluntate serviat; et libenter serviendo se in corde liberum faciat; quanto magis Deo tota, et plena, et libenti voluntate serviendum est, qui videt ipsam voluntatem tuam? Nam si servus tibi non ex animo serviat, manus ejus, faciem ejus, præsentiam ejus potes videre; cor ejus non potes: et tamen ait illis Apostolus, *Non ad oculum servientes*. Et quid est, *Non ad oculum?* Quid ergo, visurus est dominus meus quomodo illi serviam, ut dicas mihi: *Non ad oculum servientes?* adjecit: *Sed quasi servi Christi*. Dominus homo non videt; sed Dominus Christus videt. *Ex animo*, inquit, *cum bona voluntate*[2] (*Ephes.* VI, 6, 7). Talis fuit Jonadab; id est, hoc nomen ipsius interpretatur. Qui sunt ergo *qui primi captivi ducti sunt?* Ducti sunt filii Israel captivi primi, et secundi, et tertii; sed pro his Psalmus, aut de his Psalmus, qui primi ducti sunt, non hoc sonat: idem ipse psalmus discussus, perscrutatus, interrogatus omnibus versibus suis aliud tibi dicit, non de illis se loqui, qui homines nescio qui, nescio quando, irruentibus hostibus, in Babyloniam captivi ducti sunt ex Jerusalem. Sed dicit Psalmus, quid, nisi quod audistis ab Apostolo? Commendat nobis gratiam Dei; commendat nobis, quia nos per nosmetipsos nihil sumus: commendat nobis, quia quidquid sumus, illius misericordia sumus; quidquid autem ex nobis sumus, mali sumus. Quare ergo, *captivi?* et quare nomine captivitatis commendatur ipsa gratia liberatoris? Aperit[3], ipse dicit Apostolus: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis*. Ecce habes duci captivum. Quid ergo commendat iste psalmus? Quod sequitur ibi Apostolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 22-25). Quare ergo pri-

[1] Edd., *in hunc mundum*. Vox, *hunc*, abest a Mss. et a textu græco Apostoli.

[1] Sic Mss. At Edd., *Dei voluntati libenter serviens*.

[2] Hic in Edd. additur: *Non quia filii Jonadab captivi ducti sunt*, et sequitur, *talis fuit*, etc., sed verba illa absunt a melioribus Mss.

[3] Aliquot Mss., *commendantur? Ipsa gratia liberatoris aperitur*.

mi? Nam dictum est, quare *captivi*. Quantum arbitror, et hoc elucet. Quoniam in comparatione filiorum Jonadab omnis inobedientia culpata est. Per inobedientiam autem captivi facti sumus, quia ipse Adam non obediendo peccavit. Dictum est autem ab eodem Apostolo, quod et verum est, quia « omnes in Adam moriuntur, in quo omnes peccaverunt » (*Rom.* v, 12). Merito et « primi ducti sunt captivi : » quia « primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis; qualis terrenus, tales et terreni; qualis cœlestis, tales et cœlestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est. » Primus homo captivos nos fecit; secundus homo nos de captivitate liberavit. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* xv, 47-49, 22). Sed in Adam moriuntur per carnis nativitatem; in Christo liberantur per cordis fidem. Non erat in potestate tua ut non nascereris ex Adam; est in potestate tua ut credas in Christum. Quantumcumque ergo ad primum hominem pertinere volueris, ad captivitatem pertinebis. Et quid est, pertinere volueris? aut quid est, pertinebis? Jam pertines: exclama, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* vii, 24)? Audiamus ergo istum hoc exclamantem.

3. *Deus*[1], *in te speravi; Domine, non confundar in æternum.* Jam confusus sum; vel non in æternum! Quomodo enim non est confusus, cui dicitur : *Quem fructum habuistis in his, in quibus nunc erubescitis* (*Id.* vi, 21). Quid ergo fiet, ne confundamur in æternum? *Accedite ad eum, et illuminamini, et vultus vestri non erubescent* (*Psal.* xxxiii, 6). Confusi estis in Adam : recedite ab Adam, accedite ad Christum, et jam non confundemini. *In te speravi, Domine : non confundar in æternum.* Si in me confundor, in te non confundar in æternum.

4. [*vers.* 2.] *In tua justitia erue me, et exime me.* Non in mea, sed in tua; si enim in mea, ero ex illis de quibus ille ait : *Ignorantes Dei justitiam, et suam justitiam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* x, 3). Ergo *in tua justitia*, non in mea. Quia mea quid? Præcessit iniquitas. Et cum ero justus, tua justitia erit : quia justitia mihi abs te data justus ero; et sic erit mea, ut tua sit, id est abs te mihi data. In eum enim credo qui justificat impium, ut deputetur fides mea ad justitiam (*Id.* iv, 5). Erit ergo et sic justitia mea; non tamen tanquam propria mea, non tanquam a meipso mihi data : sicut putabant illi qui per litteram gloriabantur, et gratiam respuebant. Nam dictum est alio loco : *Judica me, Domine, secundum justitiam meam* (*Psal.* vii, 9). Certe non gloriabatur in sua justitia. Sed revoca ad me Apostolum : *Quid enim habes quod non accepisti* (I *Cor.* iv, 7)? et sic dic justitiam tuam, ut memineris quod acceperis eam, et non eam invideas accipientibus. Nam et ille Pharisæus, tanquam a Deo recepisset, dicebat : *Gratias tibi, quia non sum sicut cæteri homines. Gratias tibi* : bene. *Quia non sum sicut cæteri homines* : quare? Inde enim te delectat quia bonus es, quod alter malus est? Denique quid addidit? *Injusti, raptores, adulteri, sicut et Publicanus iste.* Hoc jam non est exsultare, sed insultare. Ille autem captivus *nec oculos ad cœlum audebat levare; sed percutiebat pectus suum, dicens : Domine, propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* xviii, 11, 13). Parum itaque est, ut illud quod in te est bonum agnoscas quod a Deo sit, nisi etiam inde non te extollas super illum qui nondum habet; qui fortasse cum acceperit, transiet te. Quando enim erat Saulus Stephani lapidator (*Act.* vii, 59), quam multi erant Christiani quorum erat ille persecutor! Tamen quando conversus est, omnes qui se præcesserant superavit. Ergo dic Deo quod audis in Psalmo : *In te speravi, Domine; non confundar in æternum : in tua justitia*, non in mea, *erue me, et exime me. Inclina ad me aurem tuam.* Et hæc confessio est humilitatis. Qui dicit, *Inclina ad me*, confitetur quia jacet tanquam æger prostratus medico stanti. Denique vide quid æger loquitur : *Inclina ad me aurem tuam, et salvum me fac.*

5. [*vers.* 3.] *Esto mihi in Deum protectorem.* Non ad me jacula inimici perveniant, ego enim me protegere non possum. Et parum est, *in protectorem;* addidit, *et in locum munitum, ut salvum facias me. In locum munitum* mihi esto; tu esto locus munitus meus. Ubi est quod ab illo fugiebas, Adam, et te inter paradisi ligna abscondebas? Ubi est quod ejus faciem formidabas, ad quem gaudere consueveras (*Gen.* iii, 8)? Abiisti, et periisti : captivatus es, et ecce visitaris, et ecce non dimitteris; et ecce dimittuntur nonaginta novem oves in montibus, et quæritur ovis perdita; et ecce dicitur de inventa ove : *Mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est* (*Luc.* xv, 4, 24). Ecce ipse Deus factus est locus refugii tui, qui primo erat metus fugæ tuæ. *In locum munitum*, inquit, mihi esto, *ut salvum facias me.* Non ero salvus nisi in te : nisi tu fueris requies mea, sanari non poterit ægritudo mea. Leva me a terra; in te jaceam, ut surgam in locum munitum. Quid munitius? Cum ad illum locum confugeris, dic mihi quos adversarios formidabis? quis insidiabitur, et perveniet ad te? Nescio quis dicitur de montis vertice clamasse, cum imperator transiret, Non de te loquor : respexisse ille dicitur et dixisse, Nec ego de te. Contempserat imperatorem cum insignibus armis, et exercitu potente[1]. Unde? De loco munito. Si securus ille in alta terra; quomodo tu in eo a quo factum est cœlum et terra? *Esto ergo mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum facias me.* Ego si mihi alium locum elegero, salvus esse non potero. Elige certe, homo, si inveneris, munitiorem. Non est ergo quo fugiatur ab illo, nisi ad illum. Si vis evadere iratum, fuge ad placatum. *Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu. Firmamentum meum*, quid est? Per te sum firmus, et ex te sum firmus. *Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu* : ut fiam firmus ex te, sicubi fuero infirmatus in me, refugiam ad te. Firmum enim te facit gratia Christi, et immobilem adversus omnes tentationes inimici. Sed ibi est et hu-

[1] Unus Pratell. Ms. non habet, *Deus.*

[1] Sic Er. et aliquot Mss. At Lov., *potestate.*

mana fragilitas, ibi est adhuc prima captivitas, ibi est et lex in membris repugnans legi mentis, et captivum volens ducere in lege peccati (*Rom.* VII, 23) : adhuc corpus quod corrumpitur, aggravat animam (*Sap.* IX, 15). Quantumlibet firmus sis ex gratia Dei; quamdiu adhuc portas terrenum vas, in quo thesaurus est Dei, aliquid etiam de ipso vase fictili formidandum est (II *Cor.* IV, 7). Ergo *firmamentum meum es tu*, ut firmus sim in hoc sæculo adversus omnes tentationes. Sed si multæ sunt, et turbant me, *refugium meum tu es*. Ad hoc enim confitebor[1] infirmitatem meam, ut sim timidus tanquam lepus, quia spinis plenus tanquam ericius. Et, ut in alio psalmo dicitur, *Petra est refugium ericiis et leporibus* (*Psal.* CIII, 18) : Petra autem erat Christus (I *Cor.* X, 4).

6. [*vers.* 4.] *Deus meus, erue me de manu peccatoris.* Generaliter[2] peccatores, inter quos laborat iste qui de captivitate jam liberandus est; iste qui jam clamat : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum dominum nostrum* (*Rom.* VII, 24, 25)? Intus est hostis, lex illa in membris; sunt et foris hostes : quo clamas? Ad illum, cui clamatum est : *Ab occultis meis munda me, Domine; et ab alienis parce servo tuo* (*Psal.* XVIII, 13, 14). Ergo, *Salvum me fac* cum dicitur, ab ægritudine tua dicitur interiore, id est ab iniquitate tua; ab ea qua captivus es, ab ea qua ad primum hominem pertines, ut inter primos captivos clames. Salvus autem factus ab iniquitate tua, vide jam et de iniquitatibus alienis, inter quos tibi necesse est vivere, quousque vita ista finiatur. Et quousque? Ecce finitur tibi : numquid finitur Ecclesiæ, nisi in fine sæculi? Iste autem unus homo, unitas Christi, clamat has voces. Necesse est ergo ut multi exeuntes de hoc corpore fideles, jam sint in illa requie quam præstat Deus spiritibus fidelium : sed hic sunt adhuc membra Christi; in his qui in hac vita degunt, in his qui postea nascentur. Ergo usque in finem sæculi erit hic iste homo, qui clamat a peccatis suis liberari, et a lege membrorum repugnante legi mentis. Deinde inter peccata aliorum, inter quos necesse est ut vivat usque in finem. Sed duo habent genera peccatores isti : alii sunt qui Legem acceperunt, alii sunt qui non acceperunt; omnes Pagani Legem non acceperunt, omnes Judæi et Christiani Legem acceperunt. Ergo generale nomen est peccator; aut Legis transgressor, si accepit Legem; aut tantummodo iniquus sine Lege, si non accepit Legem. De utroque genere loquitur Apostolus, et dicit : *Qui sine Lege peccaverunt, sine Lege peribunt; et qui in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur* (*Rom.* II, 12). Tu autem qui inter utrumque genus gemis, dic Deo quod audis in Psalmo : *Deus meus, erue me de manu peccatoris.* Cujus peccatoris? *De manu Legem prætereuntis et iniqui.* Est quidem et iniquus Legem præteriens; non enim non iniquus qui Legem præterit : sed omnis Legem præteriens iniquus est, non omnis iniquus Legem præterit. *Ubi enim non est Lex*, ait Apostolus, *nec prævaricatio* (*Rom.* IV, 15). Qui ergo Legem non acceperunt, iniqui dici possunt, prævaricatores non possunt. Judicantur utrique secundum merita sua. Sed ego qui de captivitate volo liberari per gratiam tuam, clamo ad te : *Libera me de manu peccatoris.* Quid est, de manu ejus? De potestate ejus; ne cum sævit, adducat ad consensionem; ne cum insidiatur, persuadeat iniquitatem. *De manu Legem prætereuntis et iniqui.* Responde illi : Quid te quæris liberari de manu Legem prætereuntis et iniqui? Noli consentire; sed si sævit, patiens esto, tolera[1]. Sed quis tolerat[2], si deserat ille qui fit locus munitus? Quare ergo dico : *Libera me de manu Legem prætereuntis et iniqui?* Quia non est in me ut patiens sim, sed in te qui donas patientiam.

7. [*vers.* 5, 6.] Denique sequitur quare hoc dico : *Quoniam tu es patientia mea.* Jam si patientia, recte et quod sequitur : *Domine, spes mea a juventute mea.* Ideo patientia mea, quia spes mea : an potius ideo spes mea, quia patientia mea? *Tribulatio*, ait Apostolus, *patientiam operatur, patientia probationem, probatio autem spem, spes vero non confundit* (*Id.* V, 3, 5). Merito *in te speravi, Domine; non confundar in æternum. Domine, spes mea a juventute mea.* A juventute tua, Deus spes tua? Nonne et a pueritia tua, et ab infantia tua? Plane, inquit. Nam vide quid sequitur, ne hoc putares ita me dixisse, *Spes mea a juventute mea*, quasi nihil profuerit Deus infantiæ vel pueritiæ meæ; audi quod sequitur : *In te confirmatus sum ex utero.* Audi adhuc : *De ventre matris meæ tu es protector meus.* Quare ergo, *a juventute mea*, nisi ex quo in te cœpi sperare? Ante enim non in te sperabam; quamvis tu fueris protector meus, qui me salvum perduxisti ad tempus quo in te discerem sperare. A juventute autem mea cœpi in te sperare; ex quo me adversus diabolum armasti, ut in procinctu exercitus tui armatus fide tua, charitate, spe, cæterisque donis tuis confligerem adversus invisibiles inimicos tuos, audiremque ab Apostolo : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principatus, et potestates, et rectores mundi tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ* (*Ephes.* VI, 12). Ergo juvenis est qui pugnat contra ista; sed quamvis juvenis sit, cadit, nisi ille sit spes ejus cui clamat : *Domine, spes mea a juventute mea.*

8. *In te cantatio mea semper.* Numquid ex quo in te sperare cœpi usque nunc? Sed, *semper*. Quid est, *semper?* Non tantum tempore fidei, sed et tempore speciei. Nunc enim quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus, non per speciem (II *Cor.* V, 6) : veniet tempus ut videamus quod non visum credimus; viso autem quod credimus, lætabimur : viso autem quod non crediderunt impii, confundentur. Tunc veniet res cujus est modo spes. Spes enim quæ videtur, non est spes. Si

[1] Lov., *confiteor*. Cæteri libri, *confitebor*.
[2] Sic Mss. At Edd.: *Generaliter intellige peccatores* : ac paulo post, editio Lov.: *Sunt et foris hostes, propter quos clamas ad illum*, etc.

[1] Plerique Mss.: *Qui te quæris liberari de manu Legem prætereuntis et iniqui, noli consentire. Sed sævit : patiens esto*, etc
[2] Edd., *te tolerat*. Abest, *te*, a Mss. plerisque.

autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 24). Modo ergo gemis, modo in locum refugii curris, ut salvus fias; modo in infirmitate positus medicum rogas: quid, cum acceperis perfectam etiam sanitatem? quid, cum effectus fueris æqualis Angelis Dei (*Matth.* XXII, 30)? jam forte istam gratiam qua liberatus es oblivisceris? Absit. *In te cantatio mea semper.*

9. [*vers.* 7.] *Tanquam prodigium factus sum multis.* Hic tempore spei, tempore gemitus, tempore humilitatis, tempore doloris, tempore infirmitatis, tempore vocis a compedibus, hic ergo quid? *Tanquam prodigium factus sum multis.* Unde, *tanquam prodigium?* unde mihi insultant qui me *prodigium* putant? Quia credo quod non video. Illi enim, beati in his quæ vident, exsultant in potu, in luxuria, in scortationibus, in avaritia, in divitiis, in rapinis, in sæcularibus dignitatibus, in dealbatione lutei parietis; in his exsultant: ambulo autem ego in viam dissimilem, contemnens ea quæ præsentia sunt, et timens etiam prospera sæculi, nec alicubi securus nisi in promissis Dei. Et illi: *Manducemus et bibamus; cras enim moriemur* (I *Cor.* XV, 32). Quid ais? repete. *Manducemus,* inquit, *et bibamus.* Age; quid postea dixisti? *Cras enim moriemur.* Terruisti; non seduxisti. Plane hoc ipso quod postea dixisti, incussisti mihi timorem ne tibi consentiam. Cras enim moriemur, dixisti; et præcessit, *Manducemus et bibamus.* Cum enim dixisses, *Manducemus et bibamus;* adjunxisti, *Cras enim moriemur.* Audi contra a me: Imo jejunemus et oremus; cras enim moriemur. Hanc viam tenens arctam et angustam, *tanquam prodigium factus sum multis; sed tu adjutor fortis.* Adesto, o Domine Jesu, qui mihi dicas: Noli deficere in via angusta; ego prior transii, ego sum ipsa via (*Joan.* XIV, 6), ego duco, in me duco, ad me perduco. Ergo quamvis *prodigium factus sum multis;* tamen non timebo, quia tu *adjutor fortis.*

10. [*vers.* 8.] *Repleatur os meum laude, ut hymno dicam gloriam tuam; tota die magnificentiam tuam.* Quid est, *tota die?* Sine intermissione. In prosperis, quia consolaris; in adversis, quia corrigis; antequam essem, quia fecisti; cum essem, quia salutem dedisti: cum peccassem, quia ignovisti; cum conversus essem, quia adjuvisti; cum perseverassem, quia coronasti. Ita plane *repleatur os meum laude, ut hymno dicam gloriam tuam; tota die magnificentiam tuam.*

11. [*vers.* 9.] *Ne projicias me in tempore*[1] *senectutis.* Spes mea a juventute mea, ne projicias me in tempore senectutis. Quod est hoc tempus senectutis? *Cum deficiet virtus mea, ne derelinquas me.* Respondet hic tibi Deus: Imo vero deficiat virtus tua, ut in te maneat mea; ut dicas cum Apostolo: *Quando infirmor, tunc potens sum* (II *Cor.* XII, 10). Noli timere ne projiciaris in infirmitate, in ista senectute [2]. Quid enim, Dominus tuus non est infirmatus in cruce? nonne ante illum, tanquam ante hominem nihil valentem, captivatum et oppressum, caput agitaverunt fortissimi, et tauri pingues, et dixerunt: *Si Filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII, 39, 40)? Numquid ille, quia infirmus erat, desertus est; qui maluit non descendere de cruce, ne non potentiam ostendisse, sed insultantibus cessisse videretur? Quid te docuit pendens, qui descendere noluit, nisi patientiam inter insultantes, nisi ut sis fortis in Deo tuo? Forte et ex ejus persona dictum sit, *Tanquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis:* ex persona ejus secundum infirmitatem, non secundum potestatem; secundum id quod nos in se transfiguraverat, non secundum id quod ipse descenderat. Factus est enim multis prodigium. Et forte ipsa erat senectus ejus; quia ex vetustate non incongrue senectus vocatur, et ait Apostolus: *Vetus homo noster simul crucifixus est cum illo* (*Rom.* VI, 6). Si ibi erat vetus homo noster, senectus ibi erat; quia vetus, senectus. Tamen quia verum est, *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua* (*Psal.* CII, 5); resurrexit ipse die tertio, promisit resurrectionem finito sæculo. Jam præcessit caput; membra secutura sunt. Quid times ne derelinquat te, ne abjiciat in tempus senectutis, cum defecerit virtus tua? Imo tunc in te erit virtus ejus, quando defecerit virtus tua.

12. [*vers.* 10, 11.] Quare hoc dico? « Quia dixerunt inimici mei mihi, et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum; persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eruat eum. » Dictum est hoc de Christo: ille enim qui potentia magna divinitatis, qua Patri æqualis est, resuscitaverat mortuos, subito inter manus inimicorum infirmus factus est, et quasi nihil valens prehensus est. Quando prehenderetur, nisi illi primo in corde suo dicerent: *Deus dereliquit eum?* Unde illa vox est in cruce: *Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me* (*Psal.* XXI, 2)? Ergo Deus dereliquit Christum, cum Deus esset in Christo mundum reconcilians sibi (II *Cor.* V, 19), cum esset et Christus Deus, ex Judæis quidem secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula (*Rom.* IX, 5)? Deus reliquit illum? Absit. Sed in vetere nostro vox nostra erat, quia simul crucifixus erat vetus homo noster cum illo; et de ipso vetere nostro corpus acceperat, quia Maria de Adam erat. Ergo quod illi putaverunt, hoc de cruce dixit: *Quare me dereliquisti* (*Matth.* XXVII, 46)? Quare me isti derelictum putant malo suo? Quid est, derelictum putant malo suo? Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I *Cor.* II, 8). *Persequimini, et comprehendite eum.* Familiarius tamen hoc, fratres, accipiamus ex membris Christi, et vocem nostram in his verbis agnoscamus: quia et ille tales voces ex persona nostra habuit, non ex potentia et majestate sua; sed ex eo quod factus est propter nos, non secundum id quod erat qui fecit nos.

13. [*vers.* 12.] *Domine Deus meus, ne elonges a me.* Ita fit, et non elongat omnino. Prope est enim Dominus his qui obtriverunt cor (*Psal.* XXXIII, 19). *Deus meus, in adjutorium meum respice.*

[1] Forte, *in tempus;* ut aliquoties infra, juxta Græc., *eis koiron.*

[2] Aliquot Mss., *in infirmitatem, in istam senectutem.*

14. [*Vers.* 13.] *Confundantur et deficiant committentes animam meam*. Quid optavit? *Confundantur et deficiant.* Quare optavit? *Committentes animam meam*. Quid est, *committentes animam meam?* Committentes quasi in rixam aliquam. Committi enim dicuntur, qui rixari provocantur. Si ergo ita est, caveamus committentes animam nostram. Quid est, committentes animam nostram? Primo provocantes nos ut Deo resistamus, ut in malis nostris Deus nobis displiceat. Quando enim rectus es, ut bonus sit tibi Deus Israel, bonus rectis corde (*Psal.* LXXII, 2)? quando rectus es? vis audire? Quando in eo bono quod facis, Deus tibi placet; in eo autem malo quod pateris, Deus tibi non displicet. Videte quid dixerim, fratres, et cauti estote contra committentes animas vestras. Omnes enim qui vobiscum agunt, ut in mœroribus et tribulationibus fatigemini, id agunt, ut in eo quod patimini Deus vobis displiceat, et exeat ex ore vestro: Quid est hoc? quid enim feci? Jam ergo tu nihil mali fecisti, et tu justus es, ille injustus? Peccator sum, inquis, fateor; justum me non dico. Sed quid, peccator? numquid tantum quantum ille cui bene est? quantum Gaius Seius? Ego scio mala ipsius, ego scio iniquitates ipsius, a quibus ego, etsi peccator, longe absum; et tamen video eum florere omnibus bonis, et ego tanta patior! Non ergo ideo dico: Deus quid tibi feci, quia nihil omnino mali feci; sed quia non tantum feci, ut ista dignus sim pati. Iterum tu justus es, ille injustus? Evigila miser; commissa est anima tua. Non, inquit, ego justum me dixi. Quid ergo dicis? Peccator sum, sed non tanta commisi ut ista dignus essem pati. Non ergo dicis Deo, Justus sum, et tu es injustus; sed dicis, Injustus sum, sed tu es injustior. Ecce commissa est anima tua, ecce jam bellum gerit anima tua. Quæ? contra quem? Anima tua, contra Deum; quæ facta est, contra eum a quo facta est. Vel quia es quæ contra illum clames, ingrata es. Redi ergo ad confessionem infirmitatis tuæ; implora medici manum. Non tibi videantur felices qui florent ad tempus. Tu castigaris; illis parcitur: forte tibi castigato et emendato filio hæreditas reservatur. Redi ergo, redi, prævaricator, ad cor (*Isai.* XLVI, 8); non committatur anima tua. Potentior est multum cui bellum indixisti. Quanto grandiores lapides in cœlum miseris, tanto te fortior ruina pressura est. Redi potius; agnosce te. Deus est qui tibi displicet: erubesce; tu tibi displice. Nihil boni faceres, nisi ille bonus esset; et nihil mihi patereris, nisi ille justus esset. Evigila ergo in hanc vocem: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21). Injusti erant qui juxta Job putrescentem sani sedebant (*Id.* II, 13); et tamen ille recipiendus flagellabatur, illis puniendis parcebatur. Quidquid ergo tribulationis tibi acciderit, quidquid insultationis, non committatur anima tua; non committatur, non solum contra Deum, sed nec contra eos ipsos qui tibi ista faciunt. Si enim vel ipsos odio habueris; et contra illos commissa est anima tua. Prorsus illi gratias age; pro istis ora. Forte enim et oratio pro ipsis est ista quam audisti: *Confundantur et deficiant committentes animam meam. Confundantur et deficiant:* multum enim de justitia sua præsumunt; ergo confundantur. Hoc illis expedit ut peccata sua cognoscant, unde confundantur et deficiant, male enim de viribus suis præsumebant; et ipsi defecti dicant, *Quando infirmor, tunc potens sum* (II *Cor.* XII, 10); et ipsi defecti dicant, *Ne abjicias me in tempus senectutis*. Bonum ergo illis optavit, ut confundantur de malis suis, et deficiant a perversis viribus suis; et tunc jam defecti et confusi quærant illuminatorem a confusione, et refectorem a defectione. Denique vide quid sequitur: *Induantur confusionem et verecundiam, qui cogitant mihi mala. Confusionem et verecundiam:* confusionem de mala conscientia; verecundiam propter modestiam. Fiat hoc in illis, et boni erunt. Non tibi videatur sævire: utinam exaudiatur pro illis! Nam sævire videbatur et Stephanus, quando ore flammanti verba illa jaculabatur: *Dura cervice, et non circumcisi corde et auribus, vos semper resistitis*[1] *Spiritui sancto*. Quam accensa iracundia, quam vehemens adversus inimicos! Commissa tibi videtur anima ipsius. Absit. Salutem ipsorum requirebat; phreneticos male sævientes verbis ligabat. Nam vide quia non erat commissa anima ipsius, non solum contra Deum, sed nec contra ipsos: *Domine*, inquit, *Jesu, accipe spiritum meum*. Non ei displicuit Jesus, quia passus[2] erat lapidationem pro verbo ipsius; non ergo erat commissa anima ejus contra Deum. Item dixit, *Domine, ne statuas illis hoc delictum* (*Act.* VII, 51, 58, 59): non ergo erat commissa anima ejus, nec contra inimicos suos. *Induantur confusionem et verecundiam, qui cogitant mihi mala*. Hoc enim quærunt omnes qui me tribulant; mala mihi quærunt. Quæ mala quærebat etiam mulier illa, quando suggessit: *Dic aliquid in Deum, et morere* (*Job* II, 9). Et illa uxor Tobiæ, quæ ait marito: *Ubi sunt justitiæ tuæ* (*Tob.* II, 22)? Ad hoc dicebat, ut displiceret illi Deus, qui illum fecerat cæcum; et cum illi displiceret, committeretur anima ipsius.

15. [*Vers.* 14.] Si ergo nemo tibi tribulando persuaserit, nemo extorserit ut tibi displiceat Deus in his quæ pateris, aut ut oderis homines per quos pateris, non committitur anima tua; sed securus dicis quod sequitur: *Ego autem semper in te sperabo, et adjiciam super omnem laudem tuam*. Quid est hoc? Movere nos debet, *adjiciam super omnem laudem tuam*. Perfectiorem facturus es laudem Dei? est aliquid quod superadjiciatur? si jam omnis illa laus est, tu quid adjecturus es? Laudatus est Deus in omnibus bonis factis suis, in omni creatura sua, in omni institutione rerum omnium, in gubernatione et regimine sæculorum, in ordine temporum, in eminentia cœli, in fecunditate terrarum, in circumfusione maris, in omni præpollentia nascentis ubique creaturæ, in ipsis filiis hominum, in danda lege, in liberandis suis a captivitate Ægyptiorum, et cæteris omnibus mirabilibus suis: nondum erat laudatus in eo quod suscitavit carnem in

[1] Er. et Mss., *restitistis*.
[2] Sic Mss. At Edd., *passurus*.

vitam æternam. Sit ergo ista laus adjecta per resurrectionem Domini nostri Jesu Christi; ut hic ejus vocem intelligamus super omnem laudem præteritam: sic hoc et recte intelligimus. Quid, tu forte peccator, qui timebas committi animam tuam, qui in ipso solo sperabas, ut a prima illa captivitate liberareris, qui de justitia tua non præsumebas, sed de gratia illius quam commendat hic psalmus; quid, tu adjicies aliquid super omnem laudem Dei? Adjiciam, inquit. Videamus quid adjiciat. Posset esse omnis laus tua, et nihil omnino deesse videretur ad laudem tuam, quia et nihil deesset, si damnares omnes iniquos. Non enim non esset magna laus Dei justitia ipsa qua iniqui damnantur: magna laus esset. Fecisti hominem, dedisti ei liberum arbitrium, in paradiso collocasti, præceptum imposuisti, mortem, si præceptum violaret, justissimam denuntiasti; nihil non fecisti, nemo est qui a te amplius exigat. Peccavit; factum est genus humanum tanquam massa peccatorum, profluens de peccatoribus (*Gen.* II, *et* III); quid ergo, tu si massam istam iniquitatis damnes, quisquam tibi dicet: Injuste fecisti? Esses plane etiam sic justus, et omnis esset ista laus tua; sed quia liberasti et ipsum peccatorem justificando impium, *adjiciam super omnem laudem tuam.*

16. [*vers.* 15.] *Os meum enuntiabit justitiam tuam:* non meam. Inde adjiciam super omnem laudem tuam, quia et quod justus sum, si justus sum, justitia tua est in me, non mea; tu enim justificas impium (*Rom.* IV, 5). *Os meum enuntiabit justitiam tuam; tota die salutem tuam.* Quid est, *salutem tuam?* Domini est salus (*Psal.* III, 9). Nemo sibi usurpet quia se salvum facit: Domini est salus. Non se salvum per se quisquam facit: Domini est salus, vana salus hominis (*Psal.* LIX, 13). *Tota die salutem tuam*: toto tempore. Aliquid adversi est; prædica salutem Domini: aliquid prosperi est; prædica salutem Domini. Ne prædices in prosperis, et obmutescas in adversis; alioquin non erit quod dictum est, *tota die*. Tota enim dies cum sua nocte est. Numquid quando dicimus, Triginta dies, verbi causa, transierunt, non dicimus et noctes? nonne et in ipso nomine dierum includimus noctes? In Genesi quid dicebatur? *Factum est vespere, et factum est mane dies unus* (*Gen.* I, 5). Ergo dies totus cum sua nocte est; nox enim diei servit, non dies nocti. Quidquid facis in carne mortali, justitiæ debet servire; quidquid facis ex præcepto Dei, non propter emolumenta carnis fiat, ne dies serviat nocti. Ergo tota die laudem Dei dic; scilicet in prosperis et in adversis: in prosperis, tanquam tempore diurno; in adversis, tanquam tempore nocturno: tota tamen die laudem Dei dic, ut non frustra cantaveris, *Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 2). Salvis filiis, pecore, familia, omni re sua, Job laudabat Deum; hoc quasi diurno tempore: damna venerunt, orbitas irruit, periit quod servabatur, obierunt quibus servabatur; hoc quasi nocturno tempore. Vide tamen tota die laudantem. Numquid post illud diurnum tempus ubi lætabatur, quia factus est illius quasi lucis, hoc est prosperitatis occasus, defecit a laudibus Dei? Nonne dies erat in corde, unde fulgebat, *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21)? Et hoc quasi adhuc vespertinum erat tempus: venit et nox crassior, tenebræ profundiores, corporis dolor, putredo vermium; nec sic in ipsa putredine defecit a laudibus Dei foris in nocte, qui intus exsultabat in die. Namque uxori persuadenti blasphemiam, et committenti animam ipsius, male suadenti miseræ tanquam umbræ nocturnæ, *Locuta es*, inquit, *tanquam una ex insipientibus mulieribus.* Vere filia noctis! *Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus* (*Id.* II, 10)? Laudavimus in die, deficiemus in nocte? *Tota die*, id est cum sua nocte, *salutem tuam.*

17. *Quoniam non cognovi negotiationes.* Ideo, inquit, *tota die salutem tuam, quoniam non cognovi negotiationes.* Quæ sunt istæ negotiationes? Audiant negotiatores, et mutent vitam; et si fuerunt, non sint; non cognoscant quod fuerunt, obliviscantur: postremo, non approbent, non laudent; improbent, damnent, mutentur, si peccatum est negotiatio. Hinc enim aviditate nescio qua acquirendi, o negotiator, quando damnum passus fueris, blasphemabis; et non erit in te quod dictum est: *Tota die laudem tuam.* Quando autem pro pretiis rerum quas vendis, non solum mentiris, verum etiam falsum juras; quomodo in ore tuo tota die laus Dei? quando si christianus es, etiam ex ore tuo blasphematur nomen Dei (*Rom.* II, 24), ut dicatur: Ecce quales sunt Christiani! Ergo, si propterea iste tota die laudem Dei dicit, quia non cognovit negotiationes, corrigant se Christiani; non negotientur. Sed ait mihi negotiator: Ecce ego affero quidem ex longinquo merces ad ea loca in quibus non sunt ea quæ attulero, unde vivam, tanquam mercedem laboris mei peto, ut carius vendam quam emerim. Unde enim vivam, cum scriptum sit: *Dignus est operarius mercede sua* (*Luc.* X, 7)? Sed agitur de mendacio, de perjurio. Hoc vitium meum est, non negotiationis: neque enim non, si vellem, possem agere sine isto vitio. Non ergo meam culpam actor[1] ad negotium transfero: sed si mentior, ego mentior, non negotium. Possem enim dicere: Tanto emi, sed tanto vendam; si placet, eme. Non enim istam veritatem audiens emptor repelleretur, et non potius omnes accurrerent; quia plus fidem quam mercem diligerent. Hoc ergo, inquit, me mone ne mentiar, ne perjurem; non ut abjiciam negotium unde me transigo. Quo enim vocas, quando hinc revocas? Forte ad artem aliquam? Ero sutor; calceamenta faciam hominibus. Mendaces enim et ipsi non sunt? perjuri et ipsi non sunt? Nonne locatis ab alio calceamentis, cum acceperint ab alio pretium, dimittunt quod faciebant, et suscipiunt alteri facere, et fallunt eum cui promiserant cito se facturos? nonne sæpe dicunt: Hodie facio, hodie impleo? Deinde in ipsa sutura tantas fraudes non faciunt? Faciunt ista, et dicunt ista; sed ipsi mali sunt, non ars quam profitentur. Omnes ergo artifices mali Deum non timentes, vel pro lucro, vel pro timore damni aut egestatis men-

[1] Sic Mss. At Edd., *auctor*.

tiuntur, perjurant; non est continua Dei laus in eis. Quomodo ergo revocas a negotiatione? An ut agricola sim, et adversus Deum tonantem murmurem, ut grandinem timens sortilegum [1] consulam, ut quæram quid faciam contra cœlum; ut optem pauperibus famem, quo possim vendere quod servavi? ad hoc me adducis? Sed non ea faciunt, inquis, agricolæ boni. Nec illa negotiatores boni. Quid enim, etiam et filios habere malum est, quia quando eis caput dolet, malæ et infideles matres ligaturas sacrilegas et incantationes quærunt? Ista hominum, non rerum peccata sunt. Potest mihi hoc dicere negotiator. Quære ergo, Episcope, quemadmodum intelligas negotiationes quas legisti in Psalterio; ne forte tu non intelligas, et me a negotiatione prohibeas. Mone ergo quemadmodum vivam: si bene, bene mihi erit; unum tamen scio, quia si malus fuero, non negotiatio mihi facit, sed iniquitas mea. Quando verum dicitur, non est quod contradicatur.

18. Quæramus ergo quas dixerit negotiationes, quas vere qui non cognovit, tota die laudat Deum. Negotiatio et in græca lingua ab actu dicitur, et in latina a negato otio: sed sive ab actu, sive a negato otio, discutiatur quid sit [2]. Qui enim negotiatores actuosi, quasi ex eo quod agunt præsumunt, opera sua laudant, non perveniunt ad gratiam Dei. Ergo contra illam gratiam sunt negotiatores, quam commendat hic psalmus. Illam enim gratiam commendat, ut nemo de suis operibus glorietur. Quomodo quodam loco dicitur, *Medici non resuscitabunt* (*Psal.* LXXXVII, 11); deserere debent homines medicinam? Sed quid est hoc? Sub isto nomine intelliguntur superbi, pollicentes salutem hominibus, cum Domini sit salus. Quomodo ergo contra medicos, id est superbos salutis pollicitatores, vigilat hoc quod dictum est, *Tota die salutem tuam*: sic contra negotiatores, id est, qui de actu suo et operibus gaudent, vigilat hoc quod dictum est, *Os meum enuntiabit justitiam tuam*, id est non meam. Qui sunt negotiatores, id est quasi de actu suo sibi placentes? Qui ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* X, 3). Merito et negotium dictum est, quia negat otium. Quantum mali est, quod negat otium? Merito Dominus expulit de templo illos quibus dixit, *Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam domum negotiationis* (*Matth.* XXI, 13); id est, gloriantes de operibus vestris, otium non quærentes, nec audientes contra inquietudinem et negotiationem vestram dicentem Scripturam: *Vacate, et videte quoniam ego sum Dominus* (*Psal.* XLV, 11). Quid est, *Vacate, et videte quoniam ego sum Dominus*; nisi, ut sciatis quia Deus est qui operatur in vobis, et non de vestris operibus extollamini? Non audis vocem dicentis: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 28, 29)? Hæc requies contra negotiatores prædicatur, hæc requies contra eos qui oderunt otium prædicatur, agendo et jactando se de operibus suis, ut non requiescant in Deo; et tanto longius a gratia resiliunt, quanto magis de suis operibus extolluntur.

19. Sed est in quibusdam exemplaribus, *Quoniam non cognovi litteraturam*. Ubi alii codices habent, *negotiationem*; ibi alii, *litteraturam*: quomodo concordent, invenire difficile est; et tamen interpretum diversitas forte sensum ostendit, non errorem inducit. Quæramus ergo et *litteraturam* quomodo intelligamus, ne sic offendamus grammaticos, quomodo paulo ante negotiatores: quia et grammaticus potest in arte sua honeste vivere; non pejerare, non mentiri. Quæramus ergo litteraturam quam non cognovit iste, in cujus ore tota die laus Dei est. Est quædam litteratura Judæorum: ad illos enim et hoc referamus; ibi inveniemus quod dictum est. Quomodo cum de negotiatoribus quæreremus, propter actus et opera, invenimus illam dici negotiationem detestandam, quam notavit Apostolus dicens: *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X, 3). Contra quam dicit idem Apostolus: *Non ex operibus, ne forte quis extollatur*. Quomodo ergo? Numquid non operabimur bonum? Operabimur; sed ipso in nobis operante: *Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis* (*Ephes.* II, 9, 10). Quomodo hoc ergo invenimus contra negotiatores, id est de actu gloriantes, de negotio quod neget otium [1] se extollentes, inquietos potius quam bonos operatores; quia boni operatores illi sunt in quibus Deus operatur: sic et nescio quam litteraturam invenimus apud Judæos. Dominus adsit ut explicem verbis, quod dignatus est donare ut corde conspicerem. Superbia Judæorum præsumentium tanquam de viribus suis et de justitia operum suorum, gloriabatur de Lege, quod ipsi Legem acceperint, aliæ gentes non acceperint; in qua Lege, non de gratia gloriabantur, sed de littera. Lex enim sine gratia, littera sola est: manet ad convincendam iniquitatem, non ad dandam salutem. Quid enim ait Apostolus? *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia: sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus* (*Gal.* III, 21, 22). De hac littera dicit alio loco: *Littera occidit; spiritus autem vivificat* (II *Cor.* III, 6). Habes litteram, si prævaricator legis es: *Qui per litteram*, inquit, *et circumcisionem prævaricator legis es*. Nonne bene cantatur et dicitur: *Erue me de manu legem prætereuntis et iniqui?* Habes litteram; sed non imples litteram. Unde non imples litteram? Quoniam *qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non adulterandum, adulteras; qui abominaris idola, sacrilegium facis. Nomen enim Dei per vos blasphematur in Gentibus, sicut scriptum est* (*Rom.* II, 21-27). Quid tibi ergo profuit littera quam non imples? Quare autem non imples? Quia de te præsumis. Quare non imples?

[1] Mss., *sortilogum*.
[2] Sic aliquot Mss. At Edd., *et in Latina. Negotiatio sive actus, sive negotium discutiatur quid sit*.

[1] Mss. quidam omittunt hæc verba, *quod neget otium*, et eorum loco nonnulli habent, *quod negotiantur*.

Quia negotiator es; opera tua extollis : nescis necessariam esse gratiam adjuvantis, ut impleatur præceptum jubentis. Ecce jussit Deus; age quod jussit. Incipis agere quasi ex viribus tuis, et cadis; et manet super te littera puniens, non salvans. Merito *Lex per Moysen data est; Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17). Moyses quinque libros scripsit : sed in quinque porticibus piscinam cingentibus languidi jacebant; sed curari non poterant (*Id.* V, 2). Vide quomodo manet littera, convincens reum, non salvans iniquum. Illis enim quinque porticibus, in figura quinque librorum, prodebantur potius quam sanabantur ægroti. Quid ergo ibi tunc sanabat ægrotum? Motus aquæ. Piscina illa mota descendebat ægrotus, et sanabatur unus, quia unitas : quisquis alius ad ipsum motum [1] descenderet, non sanabatur. Quomodo commendabatur unitas corporis clamantis a finibus terræ? Alius non sanabatur, nisi rursus mota fuisset piscina. Significabat ergo piscinæ motus perturbationem populi Judæorum, quando venit Dominus Jesus Christus. Angeli enim adventu intelligebatur moveri aqua in piscina. Aqua ergo cincta porticibus quinque, gens erat Judæa cincta Lege. Et in porticibus ægroti jacebant, et in sola aqua turbata et mota sanabantur. Venit Dominus, turbata est aqua, crucifixus est; descendat ut sanetur ægrotus. Quid est, descendat? Humiliet se. Ergo quicumque amatis litteram sine gratia, in porticibus remanebitis; ægri eritis, jacentes, non convalescentes : de littera enim præsumitis. *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia.* Sed data est lex, ut reos vos faceret, rei facti timeretis, timentes indulgentiam peteretis, jam de viribus vestris non præsumeretis, de littera vos non extolleretis. Nam ipsa figura est etiam, quod Eliseus primo ad mortuum resuscitandum baculum misit per servum. Mortuus erat filius viduæ hospitæ ipsius; nuntiatum est ei, servo suo dedit baculum suum : *Vade*, inquit, *pone super mortuum* (IV *Reg.* IV, 29). Nesciebat Propheta quid ageret? Præcessit servus, posuit baculum super mortuum, non surrexit mortuus. *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia.* Non vivificavit lex per servum missa; et tamen ille misit baculum suum per servum, qui postea secutus vivificavit. Namque cum ille infans non resurrexisset, venit ipse Eliseus, jam figuram portans Domini, qui servum suum cum baculo, tanquam cum Lege, præmiserat; venit ad jacentem mortuum, posuit membra sua super illum. Ille infans erat; ille juvenis erat : contraxit et breviavit quodammodo juventutis suæ magnitudinem, parvulus factus ut mortuo congrueret. Mortuus ergo surrexit, cum se vivus mortuo coaptavit : et fecit Dominus quod non fecit baculus; fecit gratia quod non fecit littera. Illi ergo qui in baculo remanserunt, in littera gloriantur, et ideo non vivificantur. Ego autem de gratia tua volo gloriari. *Mihi autem*, ait Apostolus, *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI, 14), nisi in illo qui se mihi vivus mortuo, ut resurgerem, coaptavit; ut jam non ego viverem, viveret autem in me Christus (*Id.* II, 20). In ipsa gratia glorians, *litteraturam non cognovi* : id est, homines de littera præsumentes, et a gratia resilientes, toto corde reprobavi.

[1] Sic meliores Mss. At Edd., *ante ipsum motum* : minus bene. Hinc nempe contra Donatistas unitatem Ecclesiæ commendari vult Augustinus.

20. [*vers.* 16.] Merito sequitur, *Introibo in potentiam Domini* : non meam, sed *Domini*. Nam illi in potentia sua de littera gloriati sunt; ideo adjunctam litteræ gratiam non cognoverunt. Nam *Lex per Moysen data est; gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Ipse enim venit ut Legem impleret, quando charitatem donavit, per quam Lex posset impleri. *Plenitudo enim Legis charitas* (*Rom.* XIII, 10). Illi non habentes charitatem, id est, non habentes Spiritum gratiæ, *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Id.* V, 5), remanserunt gloriantes in littera. Sed quia *littera occidit; spiritus autem vivificat; non cognovi litteraturam*, et *introibo in potentiam Domini.* Ideo versus iste sequens confirmat perficitque sententiam, ita ut eam figat in cordibus hominum, nec alium permittat omnino irrepere ulla ex parte intellectum. *Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.* O *solius!* Quid addidit, *solius?* rogo vos. Sufficeret, *memorabor justitiæ tuæ. Solius*, inquit, prorsus : ibi meam non cogito. *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem et accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7)? Justitia tua sola me liberat; mea sola non sunt nisi peccata. Non glorier ergo de viribus meis; non in littera remaneam : reprobem litteraturam, id est homines de littera gloriantes, et de suis viribus perverse, tanquam phreneticos, præsumentes; reprobem tales, intrem in potentiam Domini, ut quando infirmus sum, tunc potens sim; ut tu in me sis potens, quoniam *memorabor justitiæ tuæ solius.*

SERMO II.

De secunda parte Psalmi.

1. Gratiam Dei, qua gratis salvi facti sumus, nullis nostris meritis præcedentibus, nisi quibus supplicium debebatur, isto commendari psalmo, hesterna die insinuavimus Charitati Vestræ : eumque tractando quoniam finire nequivimus, extremam ejus partem in hodiernam diem distulimus, promittentes in nomine Domini nos debitum soluturos. Quod solvendi quoniam tempus est, adestote animo, tanquam agro fertili, ubi et semen multiplicetis, et pluviæ ingrati non sitis. Commendavimus hesterno die titulum ejus; sed propter renovandam intentionem vestram, et his intimandum qui heri absentes fuerunt, breviter commemoramus quod recolant qui audierunt, audiant qui nescierunt. Filiorum Jonadab Psalmus est; quod nomen interpretatur Domini Spontaneus : quoniam spontanea, hoc est bona, pura, sincera et perfecta voluntate, non ficto corde Domino serviendum est; quod etiam illud indicat ubi dictum est, *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII, 8). Filiis hujus, id est, filiis obedientiæ cantatur Psalmus, et his qui primi

captivi ducti sunt, ut agnoscatur hic gemitus noster, et sufficiat diei malitia sua (*Matth.* VI, 34). Jam enim, si superbi deseruimus, vel fatigati redeamus. Nec rediri nisi per gratiam potest. Gratia gratis data est: nam nisi gratis esset, gratia non esset. Porro autem, si propterea gratia est, quia gratis est, nihil tuum præcessit, ut acciperes. Nam si aliqua bona opera tua præcesserunt, pretium accepisti, non gratis: pretium autem quod nobis debebatur, supplicium est. Quod ergo liberamur, non nostris meritis, sed illius gratia est. Illum ergo laudemus; illi totum quod sumus, et quod salvi efficimur, debeamus. Ad quod conclusit, cum multa dixisset, dicens: *Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.* Ad istum versum conclusa est hesterna tractatio. Primi ergo captivi, id est, pertinentes ad primum hominem: propter hoc enim captivi, propter primum hominem in quo omnes morimur; quia *non prius quod spirituale est, sed quod animale postea spirituale* (I *Cor.* XV, 46). Propter primum hominem primi captivi: propter secundum hominem secundi redempti. Nam et ipsa redemptio clamat captivitatem nostram. Unde enim redempti, si non antea captivi? Et eam captivitatem expressius ab Apostolo insinuatam ex Epistola ejus, verba quædam commemorantes, insinuavimus, et repetimus: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 23). Ipsa est prima captivitas nostra, qua concupiscit adversus spiritum caro (*Gal.* V, 17). Venit autem hoc de pœna peccati, ut homo adversus seipsum divideretur, qui uni subditus esse noluit. Nihil enim tam expedit animæ quam obedire. Et si expedit animæ obedire in servo ut obediat domino, in filio ut obediat patri, in uxore ut obediat viro; quanto magis in homine ut obediat Deo? Expertus ergo malum Adam: omnis autem homo Adam; sicut in his qui crediderunt omnis homo Christus, quia membra sunt Christi: expertus ergo malum quod non debuit experiri, si crederet dicenti, *Noli tangere* (*Gen.* II, 17); expertus ergo malum, postea saltem obtemperet præceptis medici ut surgat, qui noluit credere medico ut non ægrotaret. Nam et sano bonus et fidelis medicus dat præceptum, ne sit illi necessarius. Non est enim sanis necessarius medicus, sed male habentibus (*Matth.* IX, 12). Boni autem amici medici, qui nolunt vendere artem suam, et plus gaudent ad sanos quam ad ægrotos, dant quædam præcepta sanis, quæ observando in ægritudinem non cadant. Porro autem illi si præcepta contempserint, et in ægritudinem inciderint, supplicant medico: quem contempserunt sani, rogant ægroti. Utinam saltem rogent! ne per febrem mente perdita et medicum cædant. Audistis modo, cum Evangelium legeretur, quemadmodum in illos dicta sit parabola. Mentis sanæ erant qui dixerunt: *Hic est hæres; venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas* (*Id.* XXI, 38)? Utique non: puta qui occiderunt filium, et patrem occisuri erant; hoc est mentem sanam non habere. Postremo ecce quia occiderunt filium: resurrexit filius, et lapis reprobatus ab ædificantibus factus est in caput anguli (*Psal.* CXVII, 22). Offenderunt in illum, et conquassati sunt: veniet super eos, et conteret eos. Sed non ita iste qui cantat in Psalmo, et dicit: *Introibo in potentiam Domini;* non meam, sed *Domini. Domine, memorabor justitiæ tuæ solius.* Nullam meam agnosco; solius tuæ justitiæ memorabor. A te habeo, quidquid boni habeo; quidquid autem mali habeo, a me habeo. Non meritis supplicium reddidisti; sed gratiam gratis impertisti: *Tuæ itaque solius justitiæ memorabor.*

2. [*vers.* 17.] *Deus, docuisti me ex juventute mea.* Quid me docuisti? Quia tuæ solius justitiæ memorari debeo. Considerans enim vitam præteritam meam, video quid mihi debebatur, et quid acceperim pro eo quod mihi debebatur. Debebatur pœna; reddita est gratia: debebatur gehenna; data est vita æterna. *Deus, docuisti me ex juventute mea.* Ex ipso initio fidei meæ, qua me innovasti, docuisti me nihil in me præcessisse, unde mihi dicerem deberi quod dedisti. Quis enim convertitur ad Deum, nisi ab iniquitate? quis redimitur, nisi a captivitate? quis autem potest dicere injustam fuisse captivitatem suam, quando deseruit imperatorem, et defecit ad desertorem? Imperator enim Deus, desertor diabolus: præceptum dedit imperator, fraudem suggessit desertor (*Gen.* II, 17, *et* III, 1). Ubi aures tuæ inter præceptionem et deceptionem? Meliorne diabolus quam Deus? melior qui defecit [1], quam qui te fecit? Credidisti quod promisit diabolus, et invenisti quod minatus est Deus. Jam ergo ex captivitate liberatus, adhuc tamen in spe, nondum in re, ambulans [2] per fidem, nondum per speciem, *Deus,* inquit, *docuisti me ex juventute mea.* Ex quo conversus sum ad te, innovatus a te qui factus a te, recreatus qui creatus, reformatus qui formatus: ex quo conversus sum, didici merita mea nulla præcessisse; sed gratiam tuam mihi gratis venisse, ut memorarer justitiæ tuæ solius.

3. Quid deinde post juventutem? quoniam *docuisti me,* inquit, *ex juventute mea;* quid post juventutem? In ipsa enim prima conversione tua didicisti quod ante conversionem justus non fuisti, sed præcessit iniquitas, ut expulsa iniquitate succederet charitas; et renovatus [3] in novum hominem spe duntaxat, nondum re, didicisti quod nihil tui boni præcesserat, et gratia Dei conversus es ad Deum. Jam forte ex quo conversus es, habebis aliquid tuum, et de viribus tuis præsumere debes? Quemadmodum solent homines dicere: Jam dimitte; opus erat ut viam ostenderes, sufficit, ambulabo viam. Et ille qui tibi viam ostendit: Ne forte vis ut deducam te? Tu autem si superbis: Absit, sufficit, ambulabo viam. Dimitteris, et per infirmitatem iterum aberrabis. Bonum erat tibi ut deduceret te, qui prius in via collocavit te. Cæterum nisi et ipse ducat, rursus errabis: dic illi ergo, *Deduc me, Domine, in via tua, et ambulabo in veritate tua* (*Psal.* LXXXV, 11).

[1] Duo Mss., *te fecit.*
[2] Sic Mss. At Edd., *ambulas.*
[3] Sic Mss. At Edd., *ut sis renovatus.*

Quod autem viam ingressus es, juventus est, ipsa renovatio, et initium fidei. Antea enim ambulabas per vias tuas vagabundus; errans per silvosa, per aspera, laceratus omnibus membris: patriam quærebas, hoc est stabilitatem quamdam spiritus tui, ubi diceres, Bene est; et securus diceres, quietus ab omni molestia, ab omni tentatione, ab omni postremo captivitate; et non inveniebas. Quid dicam? Venit ad te qui tibi ostenderet viam? Venit ad te ipsa via, et constitutus es in ea nullis tuis meritis præcedentibus, quoniam utique errabas. Quid, ex quo ingressus es, jam regis te? jam ille qui viam docuit te, dimittit te? Non, inquit: *Docuisti me ex juventute mea; et usque nunc annuntiabo mirabilia tua.* Mirabile est enim quod adhuc facis, ut regas me, qui in via posuisti me; et hæc sunt mirabilia tua. Quæ sunt, putas, mirabilia Dei? Quid mirabilius inter Dei mirabilia, quam mortuos suscitare? Numquidnam ego mortuus sum, inquis? Si mortuus non esses, non diceretur tibi: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis; et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V, 14). Mortui sunt omnes infideles, omnes iniqui; corpore vivunt, sed corde exstincti sunt. Qui autem suscitat mortuum secundum corpus, reddit eum luci huic videndæ, et huic aeri ducendo: non autem suscitator ejus ipse illi lux et aer est; incipit videre, quemadmodum videbat antea. Anima non sic exsuscitatur. Anima enim exsuscitatur a Deo; quanquam et corpus exsuscitetur a Deo: sed Deus quando exsuscitat corpus, mundo reddit; quando exsuscitat animam, sibi redit. Si recedat aer mundi istius, moritur corpus; si recedat Deus, moritur anima. Cum ergo animam suscitat Deus, nisi adsit qui suscitavit, suscitata non vivit. Non enim suscitat, et dimittit ut vivat sibi: sicut Lazarus quando resuscitatus est quatriduanus mortuus, suscitatus est corpore per Domini corporalem præsentiam. Accessit enim corporaliter ad sepulcrum; clamavit, *Lazare, veni foras*: et surrexit Lazarus, processit de sepulcro ligatus; deinde solutus discessit (*Joan.* XI, 41-44). Resuscitatus est Domino præsente, sed vixit et Domino absente. Quanquam eum Dominus corporaliter resuscitasset, quantum ad visibilia pertinet: cæterum præsentia majestatis suæ illum suscitavit; qua præsentia nusquam recedit. Interim tamen ad præsentiam visibilem Dominus suscitavit Lazarum; discessit de ipsa civitate Dominus, vel de illo loco: numquid Lazarus non vixit? Non sic anima suscitatur: suscitat illam Deus; moritur si discesserit Deus. Dicam enim audacter, fratres, sed tamen verum. Duæ vitæ sunt, una corporis, altera animæ: sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus; quomodo si anima deserat, moritur corpus; sic anima moritur, si deserat Deus. Ipsa est ergo gratia ejus, ut suscitet, et sit nobiscum. Quod ergo nos suscitat a morte nostra præterita, et innovat quodammodo vitam nostram, dicimus ei: *Deus, docuisti me ex juventute mea.* Quia vero non recedit ab eis quos suscitat, ne cum recesserit moriantur, dicimus ei: *Et usque nunc annuntiabo mirabilia tua*; quia cum mecum es vivo, et animæ meæ vita tu es, quæ morietur si dimittatur sibi. Ergo dum adest vita mea, hoc est Deus meus, *usque nunc*: quid postea?

4. [*vers.* 18.] *Et usque in senectam et senium.* Duo ista nomina senectutis sunt, et discernuntur a Græcis. Gravitas enim post juventutem aliud nomen habet apud Græcos, et post ipsam gravitatem veniens ultima ætas aliud nomen habet: nam πρεσβύτης dicitur gravis, et γέρων senex. Quia vero in latina lingua duorum istorum nominum distinctio deficit, de senectute ambo sunt posita, senecta et senium: scitis autem esse duas ætates. *Docuisti me* gratiam tuam *a juventute mea; et usque nunc*, post juventutem meam, *annuntiabo mirabilia tua*, quia mecum es ut non moriar, qui venisti ut surgam; *et usque in senectam et senium*, id est usque ad ultimum meum, nisi mecum fueris, non erit aliquid meriti mei: gratia tua semper perseveret mecum. Hoc diceret etiam unus homo, tu, ille, ego: quia vero vox ista unius cujusdam magni hominis est, hoc est ipsius unitatis; vox est enim Ecclesiæ; quæramus juventutem Ecclesiæ. Quando venit Christus, crucifixus est, mortuus est, surrexit, vocavit gentes; cœperunt converti, facti sunt martyres fortes in Christo, fusus est sanguis fidelis, surrexit seges Ecclesiæ: hæc juventus. Progredientibus autem temporibus confiteatur Ecclesia; dicat: *Usque nunc annuntiabo mirabilia tua.* Non tantum in juventute, quando Paulus, quando Petrus, quando primi Apostoli nuntiaverunt; procedente etiam ætate, ego ipse, id est unitas tua, membra tua, corpus tuum, *annuntiabo mirabilia tua.* Quid postea? *Et usque ad senectam et senium* annuntiabo mirabilia tua: usque in finem sæculi erit hic Ecclesia. Si enim non hic futura est usque in finem sæculi; quibus Dominus dixit, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20)? Quare ista oportebat ut dicerentur in Scripturis? Quia futuri erant inimici christianæ fidei qui dicerent: Ad parvum tempus sunt Christiani, postea peribunt, et redibunt idola, rediet quod erat antea (*a*). Quamdiu erunt Christiani? *Usque ad senectam et senium*; id est usque in finem sæculi. Tu cum exspectas, miser infidelis, ut transeant Christiani, transis tu sine Christianis: et Christiani usque in finem sæculi permanebunt; et tu per infidelitatem tuam, cum finieris brevem vitam tuam, qua fronte exies ad judicem quem cum viveres blasphemasti? Ergo *a juventute mea, et usque nunc, et usque ad senectam et senium, Domine, ne derelinquas me.* Non, quomodo dicunt inimici mei, usque ad tempus erit. *Ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni superventuræ.* Et brachium Domini cui revelatum est (*Isai.* LIII, 1)? Brachium Domini, Christus. Noli ergo derelinquere me; non gaudeant qui dicunt: Usque ad certum tempus erunt Christiani. Sint qui annuntient brachium tuum. Cui? *Generationi omni superventuræ.* Si ergo omni generationi superventuræ; usque ad

(*a*) Supra, pag. 451, not. (*a*).

finem sæculi : finito enim sæculo, jam nulla superveniet generatio.

5. [*vers.* 19.] *Potentiam tuam, et justitiam tuam :* hoc est, annuntiem generationi omni superventuræ brachium tuum. Et quid præstitit brachium tuum? Liberationem nostram gratuitam. Hoc ergo annuntiem, ipsam gratiam omni generationi superventuræ; dicam omni homini nascituro : Nihil es per te, Deum invoca; tua peccata sunt, merita Dei sunt; supplicium tibi debetur, et cum præmium venerit, sua dona coronabit, non merita tua. Dicam omni generationi superventuræ : De captivitate venisti; ad Adam pertinebas. Dicam hoc omni generationi superventuræ, nullas vires meas, nullam justitiam meam; sed *potentiam tuam et justitiam tuam, Deus, usque in altissima quæ fecisti magnalia. Potentiam tuam et justitiam tuam*, usquequo? usque ad carnem et sanguinem? Imo, *usque ad altissima quæ fecisti magnalia.* In altis cœli sunt; in altis Angeli sunt, Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates : tibi debent quod sunt, tibi debent quod vivunt, tibi debent quod juste vivunt, tibi debent quod beate vivunt, *Potentiam tuam et justitiam tuam*, usquequo? *Usque in altissima quæ fecisti magnalia.* Ne putes hominem solum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat Angelus antequam fieret? quid est Angelus, si deserat qui creavit? Ergo, *potentiam tuam et justitiam tuam, usque in altissima quæ fecisti magnalia.*

6. Et homo se extollit! et ut pertineat ad primam captivitatem, audit serpentem suggerentem : *Gustate, et eritis sicut dii* (*Gen.* III, 5)! Homines sicut dii! *Deus, quis similis tibi?* Non in abysso, non in inferno, non in terra, non in cœlo; omnia enim tu fecisti. Quid contendit opus cum artifice? *Deus, quis similis tibi?* Ego autem, ait Adam miser, et in [1] Adam omnis homo, cum volo esse perverse similis tibi, ecce quid factus sum, ut de captivitate ad te clamem : cui bene erat sub rege bono, captivus factus sum sub meo seductore; et clamo ad te, quia cecidi abs te. Et unde abs te cecidi? Cum quæro esse perverse similis tibi. Quid enim? Deus nonne ad suam similitudinem nos vocat? Nonne ipse est qui dicit : *Diligite inimicos vestros; orate pro eis qui vos persequuntur; benefacite eis qui vos oderunt?* Hæc dicens, ad similitudinem Dei nos hortatur. Denique quid adjungit? *Ut sitis*, inquit, *filii Patris vestri qui in cœlis est.* Quid enim ipse facit? Hoc facit certe : *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V, 44, 45). Qui ergo bene vult inimico suo, Deo similis est : nec ista superbia, sed obedientia est. Quare? Quia ad imaginem Dei facti sumus : *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). Non ergo aliquid alienum est, si imaginem Dei tenemus in nobis : utinam eam per superbiam non amittamus! Sed quid est, per superbiam velle esse similem Deo? quid putamus, ut exclamaret captivus : *Domine, quis similis tibi?* quæ est ista perversa similitudo? Audite, et intelligite, si potestis : credimus autem quia ipse qui nos posuit hæc vobis dicere, dabit vobis etiam posse et intelligere. Deus nullo indiget bono, et ipse est summum bonum, et ab ipso est omne bonum. Ut ergo boni simus, Deo indigemus : ut bonus sit Deus, nobis non indiget, nec nobis tantum, sed *usque ad altissima quæ fecit magnalia*, nec ipsis cœlestibus, nec supercœlestibus, nec cœlo cœli quod dicitur, indiget Deus, ut aut melior sit, aut potentior, aut beatior. Quid enim esset quidquid aliud est, nisi ipse fecisset? Quo ergo eget abs te qui erat ante te, et tam potens erat, ut cum tu non esses, faceret te? Numquid quomodo parentes faciunt filios? Per quamdam concupiscentiam carnalem generant, potius quam creant; istis enim generantibus, Deus creat. Nam si tu ita creas, dic quid tua mulier paritura est. Quid dicam, Tu dic? ipsa dicat, quæ quod portat ignorat. Generant tamen homines filios, et ad solatium suum, et ad subsidium senectutis. Numquid ideo creavit hæc omnia Deus, a quibus senex adjuvaretur? Novit ergo Deus quod creat, et quale sit per ejus bonitatem, et quale futurum sit per propriam voluntatem; novit Deus et ordinavit omnia. Ut autem homo sit aliquid, convertit se ad illum a quo creatus est. Recedendo enim frigescit; accedendo fervescit : recedendo tenebrescit; accedendo clarescit. A quo enim habet ut sit, apud illum habet ut ei bene sit. Denique filius minor, qui voluit in sua potestate habere substantiam suam, quæ illi apud patrem optime servabatur, factus suæ potestatis, profectus est in regionem longinquam, hæsit principi malo, porcos pavit; fame correctus est qui saturitate superbus abscesserat (*Luc.* XV, 12-16). Ergo quisquis ita vult esse similis Deo, ut ad illum stet, fortitudinemque suam, sicut scriptum est, ad illum custodiat (*Psal.* LVIII, 10), non ab illo recedat : ei cohærendo signetur tanquam ex annulo cera, illi affixus habeat imaginem ejus, faciens quod dictum est, *Mihi adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII, 28); vere custodit similitudinem et imaginem ad quam factus est. Porro autem si perverse voluerit imitari Deum, ut quomodo Deus non habet a quo formetur, non habet a quo regatur, sic ipse velit sua potestate uti, ut quomodo Deus, nullo formante, nullo regente vivat; quid restat, fratres, nisi ut recedens ab ejus calore torpescat, recedens a veritate vanescat, recedens ab eo quod summe atque incommutabiliter [1] est, in deterius mutatus deficiat.

7. Hoc diabolus fecit : imitari Deum voluit, sed perverse; non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem. Homo autem positus sub præcepto, audivit a Domino Deo, *Noli tangere.* Quid? Hanc arborem (*Gen.* II, 17). Quid est enim illa arbor? Si bona est, quare non tango? si mala est, quid facit in paradiso? Prorsus ideo est in paradiso, quia bona est; sed nolo tangas. Quare non tango? Quia obedientem te volo, non contradicentem. Servi ad hoc, serve [2]; sed noli male, serve. Serve, audi prius Do-

[1] Particula, *in*, abest a Mss.

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *incomparabiliter.*
[2] Sic aliquot Mss. Alii plures, *serve adhuc serve.* At pau-

mini jussum, et tunc jubentis disce consilium. Bona est arbor: *nolo tangas*. Quare? Quia Dominus sum, et servus es. Hæc tota causa est. Si parva est, dedignaris esse servus? Quid autem tibi expedit, nisi esse sub Domino? Quomodo eris sub Domino, nisi fueris sub præcepto? Porro si expedit tibi esse sub Domino, et sub præcepto, quid tibi jussurus erat Deus? Aliquid enim quærit abs te? Offer mihi sacrificium, dicturus est tibi? Nonne ipse fecit omnia, in quibus et te fecit? Obsequere mihi, dicturus est tibi; sive ad lectum, cum requiesco; sive ad mensam, cum me reficio; sive ad balneas, cum lavo? Quia ergo nullo abs te indiget Deus, nihil tibi debuit jubere? Si autem debuit aliquid jubere, ut te, quod tibi expedit, sentires esse sub Domino, ab aliqua re prohibendus eras; non propter illius arboris malitiam, sed propter tuam obedientiam. Non potuit Deus perfectius demonstrare quantum sit bonum obedientiæ, nisi cum prohibuit ab ea re quæ non erat mala. Sola ibi obedientia tenet palmam; sola ibi inobedientia invenit pœnam. Bonum est; nolo tangas. Non enim non tangendo moriturus es. Numquid qui hinc prohibuit, alia subtraxit? Nonne est paradisus fructuosis plenus arboribus? Quid tibi deest? Hoc nolo tangas; hinc nolo gustes. Bonum est, sed obedientia melior est. Proinde cum tetigeris, numquid arbor illa malum erit, ut moriaris? Sed inobedientia te subjecit morti, quia prohibita tetigisti. Ideo arbor illa appellata est scientiæ dignoscendi boni et mali (*Gen*. II, 17), non quia inde talia quasi poma pendebant; sed quidquid esset arbor illa, cujuslibet pomi, cujuslibet fructus esset, ideo sic vocata est, quia homo qui nollet bonum a malo discernere per præceptum, discreturus erat per experimentum; ut tangendo vetitum, inveniret supplicium. Quare autem tetigit, fratres mei? Quid illi deerat? Dicatur mihi quid illi deerat in paradiso constituto, in media opulentia, mediisque deliciis; cui magnæ deliciæ erant ipsa visio Dei, cujus faciem quasi inimici timuit post peccatum? Quid illi deerat, ut tangeret, nisi quia sua potestate uti voluit, præceptum rumpere delectavit; ut nullo sibi dominante fieret sicut Deus, quia Deo nullus utique dominatur? Male vagus, male præsumens, futurus mortuus, recedendo a via justitiæ [1]! ecce solvit præceptum, excussit a cervice jugum disciplinæ, habenas regiminis exaltante animositate disrupit; ubi est nunc? Certe captivus clamat: *Domine, quis similis tibi?* Volui esse perverse similis tibi, et factus sum similis pecori. Sub tua dominatione, sub tuo præcepto vere similis eram: sed homo in honore positus non intellexit; comparatus est jumentis insensatis, et similis factus est illis (*Psal*. XLVIII, 13). Jam de similitudine jumentorum clama sero, et dic: *Deus, quis similis tibi?*

8. [*Vers*. 20, 21.] *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas!* Merito, superbe serve: vo-

ciures cum odiis: non *contradicentem servum, ad hoc serve*, etc.

[1] Plerique Mss., *a vita justitiæ*.

luisti enim perverse esse similis Domino tuo, qui factus eras ad imaginem Domini tui. Bene tibi velles ut esset recedenti ab illo bono? Prorsus dicit tibi Deus: Si recedis a me, et bene est tibi, ego non sum bonum tuum. Proinde si ille bonus, et summe bonus, et de se sibi bonus, et nullo alieno bono bonus, et ipse nostrum summum bonum; recedendo inde, quid eris, nisi malus? Item, si ipse est beatitudo nostra, quid erit recedenti, nisi miseria? Redi ergo post miseriam, et dic: *Domine, quis similis tibi? Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas*.

9. Sed disciplina fuit; admonitio, non desertio. Denique gratias agens quid dicit? *Et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me*. Quando enim antea? quid est hoc, *iterum*? Cecidisti ab altitudine, o homo, mancipium inobediens, superbe adversus Dominum, cecidisti! Factum est in te, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur*: fiat in te, *Omnis qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc*. XIV, 11). Redi de profundo. Redeo, inquit; redeo, agnosco: *Deus, quis similis tibi? Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas! Et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me*. Intelligimus, audio. Reduxisti enim de abyssis terræ; reduxisti a profunditate et submersione peccati. Sed quare, *iterum*? Quando jam factum erat? Sequamur, ne forte posteriora psalmi ipsius exponant nobis, quod hic nondum intelligimus, quid dixerit *iterum*. Ergo audiamus: *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas! et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me*. Quid deinde? *Multiplicasti justitiam tuam; et conversus consolatus es me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me*. Ecce alterum *iterum*. Si hoc *iterum* solvere laboramus semel positum, quis poterit solvere geminatum? Jam ipsum *iterum* geminatio est, et rursum positum est *iterum*. Adsit ille a quo gratia: adsit et brachium quod annuntiamus omni generationi superventuræ: adsit ipse, et tanquam clave [1] crucis suæ clausum sacramentum aperiat. Neque enim frustra, illo crucifixo, velum templi medium scissum est (*Matth*. XXVII, 51), nisi quia per ipsius passionem omnium mysteriorum secreta patuerunt. Adsit ergo ipse transeuntibus ad eum; auferatur velamen (II *Cor*. III, 16): dicat nobis Dominus noster et Salvator Jesus Christus, quare talis vox Prophetæ præmissa est: *Ostendisti mihi tribulationes multas et malas; et conversus vivificasti me, et de abyssis terræ iterum reduxisti me*. En hoc primum positum est *iterum*: videamus quid hoc sit, et inveniemus quare alterum *iterum*.

10. Quid est Christus? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*. Grande hoc! magnum hoc! Tu quid, captive? ubi jaces? In carne, sub morte. Quis ergo ille? quis tu? et quid ille postea? propter quem? Quis ille, nisi quod dictum est, *Verbum?* Quod Verbum? ne forte sonat et transit?

[1] Aliquot Mss., *clavo*.

Verbum Deus apud Deum; Verbum per quod facta sunt omnia. Quid propter te? *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 2, 3, 14). *Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non et cum illo omnia nobis donavit* (*Rom.* VIII, 32)? Ecce quid, quis, propter quem. Filius Dei *caro* propter peccatorem, propter iniquum, propter desertorem, propter superbum, propter perversum Dei sui imitatorem! Factus ille quod tu, filius hominis, ut nos efficeremur filii Dei [1]! Caro factus: unde caro? Ex Maria virgine (*Luc.* II, 7). Unde Maria virgo? Ex Adam. Ergo ex illo primo captivo; et caro in Christo de massa captivitatis. Utquid hoc? Ad exemplum. Suscepit a te in quo moreretur pro te; suscepit a te quod offerret pro te, quo exemplo doceret te. Quid doceret te? Quia resurrecturus es. Unde enim crederes, nisi exemplum carnis præcederet assumptæ de massa mortis tuæ? Ergo in illo primo resurreximus; quia et Christus cum resurrexit, nos resurreximus. Non enim Verbum mortuum est, et resurrexit; sed in Verbo caro mortua est, et resurrexit. Ibi mortuus est Christus, ubi es tu moriturus; et ibi resurrexit Christus, ubi es tu resurrecturus. Exemplo suo docuit quid non timeres, quid sperares. Timebas mortem; mortuus est: desperabas resurrectionem; resurrexit. Sed dicis mihi: Ille resurrexit; numquid ego? Sed resurrexit in eo quod pro te accepit ex te. Ergo natura tua in illo præcessit te; et quod sumptum est ex te, ascendit ante te: ibi ergo et tu ascendisti. Ascendit ergo ille prior, et in illo nos; quia caro illa de genere humano. Ergo et illo resurgente, reducti sumus ex abyssis terræ. Cum itaque resurrexit Christus, *de abyssis terræ reduxisti me.* Cum vero credimus in Christum, *de abyssis terræ iterum reduxisti me.* Ecce unum *iterum.* Audi impleri ab Apostolo: *Si ergo resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (*Coloss.* III, 1, 2). Præcessit ergo ille; jam resurreximus et nos, sed adhuc in spe. Audi hoc idem apostolum Paulum dicentem: *Et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus adoptionem, exspectantes redemptionem corporis nostri.* Adhuc ingemiscis, adhuc exspectas. Quid ergo est quod tibi præstitit Christus? Audi quod sequitur: *Spe enim salvi facti sumus; spes autem quæ videtur non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 23-25). Reducti ergo sumus *iterum* ab abyssis spe. Quare *iterum?* Quia jam Christus præcesserat. Sed quia resurgemus in re: modo enim spe vivimus, modo secundum fidem ambulamus: reducti sumus ab abyssis terræ, credendo in eum qui ante nos resurrexit ab abyssis terræ; resuscitata est anima nostra ab iniquitate infidelitatis, et facta est in nobis quasi prima resurrectio per fidem. Sed si sola erit, ubi est quod Apostolus ait: « Adoptionem exspectantes redemptionem corporis nostri? » ubi est quod illo loco dixit: « Corpus mortuum est propter peccatum; spiritus vita est propter justitiam. Si autem qui suscitavit Christum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra, per inhabitantem Spiritum ejus in vobis » (*Rom.* VIII, 10, 11)? Ergo jam resurreximus mente, fide, spe, charitate; sed restat ut resurgamus corpore. Audisti unum *iterum;* audisti [1] alterum *iterum:* unum *iterum*, propter Christum præcedentem; et alterum, sed adhuc spe, quod restat in re. *Multiplicasti justitiam tuam:* jam in credentibus, jam in illis qui primo resurrexerunt in spe. *Multiplicasti justitiam tuam.* Ad ipsam justitiam pertinet et flagellum; *quia tempus est ut judicium incipiat a domo Dei* (I *Petr.* IV, 17), ait Petrus; id est a sanctis ejus. Flagellat autem omnem filium quem recipit (*Prov.* III, 12, *et Hebr.* XII, 6). *Multiplicasti justitiam tuam:* quia jam nec filiis pepercisti; sed quibus hæreditatem æternam servabas, disciplina non deseruisti. *Multiplicasti justitiam tuam; et conversus consolatus es me:* et propter corpus in fine resurrecturum, *et de abyssis terræ iterum reduxisti me.*

11. [*vers.* 22.] *Etenim ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam.* Vasa psalmi, psalterium. Sed quid est psalterium? Organum ligneum cum chordis. Quid significat? Interest aliquid inter ipsum et citharam: interesse dicunt qui norunt, eo quod concavum illud lignum cui chordæ supertenduntur ut resonent, in superiore parte habet psalterium, cithara in inferiore. Et quia spiritus desuper, caro de terra, significari videtur per psalterium spiritus, per citharam caro. Et quia duas dixerat reductiones nostras ab abyssis terræ; unam secundum spiritum in spe, alteram secundum corpus in re; audi eas duas: *Etenim ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam.* Hoc secundum spiritum: quid de corpore? *Psallam tibi in cithara, sanctus Israel.*

12. [*vers.* 23, 24.] Iterum hoc audi; propter ipsum *iterum* et *iterum.* *Exsultabunt labia mea, cum psallam tibi.* Quia labia solent dici et interioris hominis et exterioris, incertum est quomodo posita sint labia: sequitur ergo, *Et anima mea quam redemisti.* Ergo de labiis interioribus salvati in spe, reducti ab abyssis terræ in fide et charitate, *exspectantes* tamen adhuc *redemptionem corporis nostri*, quid dicimus? Jam dixit: *Et anima mea quam redemisti.* Sed ne solam animam redemptam putares, in qua nunc audisti unum *iterum*, *Adhuc autem*, inquit: quid adhuc? *Adhuc autem et lingua mea:* ergo jam lingua corporis. *Tota die meditabitur justitiam tuam:* id est in æternitate sine fine. Sed quando hoc? Jam in fine sæculi [2], resurrectione corporis, et immutatione in angelicum statum. Unde hoc probatur quia de fine dicitur, *Adhuc autem et lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam? Cum confusi fuerint, et erubuerint qui quærunt*

[1] Abest, *efficeremur*, a plerisque Mss. In aliis legitur: *ut nos filios Dei faceret.*

[1] Edd., *audi alterum:* et infra, post, *præcedentem*, ferebant: *tu iterum, sed adhuc spe. Quid restat in re?* Emendantur ad aliquot Mss.

[2] Edd., *in resurrectione.* Abest, *in*, a Mss.

mala mihi. Quando confundentur, quando erubescent, nisi in fine sæculi? Duobus enim modis confundentur; aut cum credent in Christum, aut cum venerit Christus. Nam quamdiu hic est Ecclesia; quamdiu gemit triticum inter paleas, quamdiu gemunt spicæ inter zizania (*Matth.* III, 12, *et* XIII, 30), quamdiu gemunt vasa misericordiæ inter vasa iræ facta in contumeliam (II *Tim.* II, 20), quamdiu gemit lilium inter spinas, non deerunt inimici qui dicant, *Quando morietur, et peribit nomen ejus* (*Psal.* XL, 6); id est, Ecce veniet tempus ut finiantur, et non sint Christiani: sicut cœperunt ex aliquo tempore, ita usque ad certum tempus erunt. Sed cum ista dicunt; et sine fine [1] moriuntur, et permanet Ecclesia, prædicans brachium Domini omni generationi superventuræ. Veniet et ipse ultimus in claritate sua; resurgent omnes mortui, quisque cum causa sua: separabuntur boni ad dexteram, mali autem ad sinistram (*Matth.* XXV, 33); et confundentur qui insultabant, erubescent qui garriebant: et sic lingua mea post resurrectionem meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam, *cum confusi fuerint, et erubuerint qui quærunt mihi mala.*

IN PSALMUM LXXI
ENARRATIO (*a*).

1. [*vers.* 1.] *In Salomonem* quidem psalmi hujus titulus prænotatur; sed hæc in eo dicuntur, quæ non possint illi Salomoni regi Israel secundum carnem, juxta ea quæ de illo sancta Scriptura loquitur, convenire: Domino autem Christo aptissime possunt. Unde intelligitur etiam ipsum vocabulum Salomonis ad figuratam significationem adhibitum, ut in eo Christus accipiatur. Salomon quippe interpretatur Pacificus; ac per hoc, tale vocabulum illi verissime atque optime congruit, per quem mediatorem ex inimicis[2], accepta remissione peccatorum, reconciliamur Deo. Etenim *cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus* (*Rom.* v, 10). Idem ipse est ille pacificus, *qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua; legem mandatorum decretis evacuans, ut duos conderet in se in unum novum hominem, faciens pacem: et veniens evangelizavit pacem iis qui longe, et pacem iis qui prope* (*Ephes.* II, 14-17). Ipse in Evangelio dicit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 27). Et multis aliis testimoniis Dominus Christus pacificus esse monstratur: non secundum pacem quam novit et quærit hic mundus; sed illam pacem de qua dicitur apud prophetam, *Dabo eis solatium verum, pacem super pacem* (*Isai.* LVII, 19, *sec.* LXX); cum scilicet paci reconciliationis additur pax immortalitatis. Nam post omnia reddita quæ promisit Deus, novissimam pacem nos exspectare debere, qua cum Deo vivamus in æternum, idem propheta ostendit, ubi ait: *Domine, Deus noster, pacem da nobis; omnia enim dedisti nobis* (*Isai.* XXVI, 12, *sec.* LXX). Pax erit plane illa perfecta, quando *novissima inimica destruetur mors.* Et in quo erit hoc, nisi in pacifico illo reconciliatore nostro? *Sicut enim in Adam omnes moriuntur; sic et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* XV, 26, 22). Quoniam ergo invenimus verum Salomonem, hoc est verum pacificum; quid deinde psalmus ipse de illo doceat attendamus.

2. [*vers.* 2.] *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis.* Dominus ipse in Evangelio dicit, *Pater non judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v, 22): hoc est ergo, *Deus, judicium tuum regi da.* Qui rex etiam filius est regis, quia et Deus Pater utique rex est. Ita scriptum est, quod rex fecit nuptias filio suo (*Matth.* XXII, 2). More autem Scripturæ idem repetitur. Nam quod dixit, *judicium tuum;* hoc aliter dixit: *justitiam tuam:* et quod dixit, *regi;* hoc aliter dixit, *filio regis;* sicut est illud, *Qui habitat in cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos* (*Psal.* II, 4). Quod est, *qui habitat in cœlis;* hoc est, *et Dominus:* et quod est, *irridebit eos;* hoc est, *subsannabit eos.* Et, *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (*Psal.* XVIII, 2). *Cœli* repetiti sunt nomine firmamenti: et quod dictum est, *gloriam Dei;* repetitum est, *opera manuum ejus:* et quod dictum est, *enarrant;* repetitum est, *annuntiat.* Istæ autem repetitiones multum eloquia divina commendant; sive eadem verba, sive aliis verbis eadem sententia repetatur: et maxime reperiuntur in Psalmis; et in eo genere sermonis quo animi est movendus affectus.

3. Deinde sequitur: *Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio.* Rex Pater regi Filio ad quam rem dedit judicium suum et justitiam suam satis ostenditur, cum dicit, *Judicare populum tuum in justitia*, id est, ad judicandum populum tuum. Talis locutio est apud Salomonem: *Proverbia Salomonis, filii David, scire sapientiam et disciplinam* (*Prov.* I, 1); hoc est, Proverbia Salomonis, ad sciendam sapientiam et disciplinam. Ita, *judicium tuum da, judicare populum tuum;* id est, judicium tuum da, ad judicandum populum tuum. Quod autem ait prius, *populum tuum;* hoc ait posterius, *pauperes tuos:* et quod ait prius, *in justitia;* hoc posterius, *in judicio;* more illo repetitionis. Ubi sane demonstrat populum Dei pauperem esse debere, id est, non superbum, sed humilem. *Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 3). Qua paupertate etiam beatus Job pauper fuit, et antequam magnas illas terrenas divitias amisisset. Quod ideo commemorandum putavi, quoniam sunt quidam qui facilius omnia sua pauperibus distribuunt, quam ipsi pauperes Dei fiant. Inflati sunt enim jactantia qua putant sibi esse tribuendum, non gratiæ Dei, quod bene vivunt; et ideo jam nec bene vivunt, quantacumque bona opera facere videantur. De suo quippe habere se putant, et gloriantur quasi non acceperint (I *Cor.* IV, 7): divites sui, non pauperes Dei; abundantes sibi, non egentes

[1] Plures Mss., *fide.*
[2] Mss. plerique, *inimicitiis.*
(*a*) Dictata anno Christi 415, ex Epistola 169, ad Evodium, n. 1.

Deo. Sed ait Apostolus : *Si distribuero omnia mea pauperibus, et tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Tanquam si diceret : Si distribuero omnia mea pauperibus, et pauper Dei non fuero, nihil mihi prodest. *Charitas enim non inflatur* (I *Cor.* XIII, 3, 4); nec est vera [1] Dei charitas in eo qui ingratus est sancto Spiritui ejus, per quem diffunditur in cordibus nostris charitas ejus (*Rom.* V, 5). Et ideo tales non pertinent ad populum Dei, quia non sunt pauperes Dei. Pauperes quippe Dei dicunt : *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (I *Cor.* II, 12). Nam cum et in isto psalmo, propter suscepti hominis sacramentum quo Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14), dicatur Deo Patri regi, *Justitiam tuam da filio regis;* nolunt isti sibi dari justitiam, sed a semetipsis eam habere confidunt. Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* X, 3). Non sunt itaque, ut dixi, pauperes Dei, sed divites sui; quia non sunt humiles, sed superbi. Veniet vero ille judicare populum Dei in justitia, et pauperes Dei in judicio : et eo judicio discernet a divitibus eorum pauperes suos; sed quos paupertate sua fecit divites suos. Clamat ei quippe populus pauper : *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII, 1).

4. Quod autem mutato verborum ordine, cum prius dixisset, *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis*, prius ponens judicium, deinde justitiam; prius justitiam posuit, deinde judicium, dicens, *Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio;* magis ostendit judicium se appellasse justitiam, nihil interesse demonstrans quo ordine ponatur, cum idem significet. Solet enim dici judicium pravum quod injustum est; justitiam vero iniquam vel injustam dicere non solemus. Si enim prava, et injusta erit; nec justitia jam dicenda est. Proinde ponendo judicium, atque justitiæ nomine repetendo; vel ponendo justitiam, et eam judicii nomine repetendo, satis edocet proprie se appellare judicium quod pro justitia poni solet, id est, quod in male judicando intelligi non potest. Ubi enim Dominus dicit, *Nolite judicare personaliter, sed rectum judicium judicate* (*Joan.* VII, 24), ostendit esse posse pravum judicium, cum dicit, *Rectum judicium judicate :* denique illud vetat; hoc præcipit. Cum vero sine ulla adjectione dicit judicium, continuo justum vult intelligi; sicut est quod ait : *Relinquitis graviora Legis, misericordiam, et judicium* (*Matth.* XXIII, 23). Et illud quod Jeremias dicit: *Faciens divitias suas non cum judicio* (*Jerem.* XVII, 11). Non ait, Faciens divitias suas pravo injustove judicio, vel non cum judicio recto aut justo; sed, *non cum judicio :* judicium non appellans, nisi quod rectum ac justum est.

5. [*vers.* 3.] *Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam.* Montes majores sunt, colles minores. Nimirum ergo hi sunt quos alius habet psalmus : *Pusillos cum magnis.* Isti quippe *montes exsultaverunt sicut arietes*, et isti *colles sicut agni ovium, in exitu Israel ex Ægypto* (*Psal.* CXIII, 13, 4, 1), id est in populi Dei liberatione ab hujus sæculi servitute. Excellenti ergo sanctitate eminentes in Ecclesia, montes sunt; qui idonei sunt et alios docere (II *Tim.* II, 2), sic loquendo ut fideliter instruantur, sic vivendo ut salubriter imitentur : colles autem sunt illorum excellentiam sua obedientia subsequentes. Quare ergo *montes pacem, et colles justitiam?* An forte nihil interesset, etiamsi ita diceretur : Suscipiant montes justitiam populo, et colles pacem? Utrisque enim justitia, et utrisque pax necessaria est : et fieri potest ut alio nomine pax appellata sit ipsa justitia; hæc est enim vera pax, non qualem injusti inter se faciunt. An potius cum distinctione non contemnenda intelligendum est quod ait, *Montes pacem, et colles justitiam?* Excellentes quippe in Ecclesia, paci debent vigilanti intentione consulere; ne propter suos honores superbe agendo schismata faciant, unitatis compage disrupta. Colles autem ita eos imitando et obediendo subsequantur, ut eis Christum anteponant; ne malorum montium, quoniam videntur excellere, vana auctoritate seducti, se a Christi unitate disrumpant. Ideo dictum est : *Suscipiant montes pacem populo.* Dicant quidem : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* XI, 1). Sed rursus dicant : *Licet si nos, aut angelus de cœlo vobis annuntiaverit præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* I, 8). Dicant etiam : *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis* (I *Cor.* I, 13)? Ita *suscipiant pacem populo* Dei, id est, pauperibus Dei; non illis, sed cum illis regnare cupientes. Illi quoque non dicant, *Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego vero Cephæ;* sed omnes dicant : *Ego sum Christi* (*Ibid.*, 12). Hæc est justitia : non anteponere servos Domino, nec æquare; ita levare oculos in montes unde veniat auxilium sibi, ut tamen auxilium suum non sperent a montibus, sed a Domino qui fecit cœlum et terram (*Psal.* CXX, 1, 2).

6. Potest et sic convenientissime intelligi, *Suscipiant montes pacem populo*, ut pacem intelligamus in reconciliatione qua Deo reconciliamur : montes quippe eam suscipiunt populo ejus. Hoc Apostolus ita testatur : *Vetera transierunt; ecce facta sunt nova : omnia autem ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis.* Ecce quomodo suscipiunt montes pacem populo ejus. *Deus enim erat in Christo, mundum reconcilians sibi; non reputans illis delicta eorum, et ponens in nobis verbum reconciliationis.* In quibus, nisi in montibus qui suscipiunt pacem populo ejus? Quocirca legati pacis subsequenter adjungunt, et dicunt : *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo reconciliari Deo* (II *Cor.* V, 17-20). Hanc pacem suscipiunt montes populo ejus, id est, prædicationem legationemque pacis ejus; colles autem justitiam; hoc est obedientiam, quod est in hominibus et in omni rationali creatura omnis justitiæ origo atque perfectio; ita ut duorum hominum,

[1] Sic Mss. At Edd., *veritas*.

id est, Adam qui fuit caput mortis nostræ, et Christi qui est caput salutis nostræ, hæc commendetur magna distinctio : quia *sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita et per obedientiam unius hominis, justi constituentur multi* (*Rom.* v, 19). *Suscipiant* ergo *montes pacem populo, et colles justitiam;* ut hoc modo utrisque concordantibus, fiat quod scriptum est, *Justitia et pax osculatæ sunt se* (*Psal.* LXXXIV, 11). Quod vero alii codices habent, *Suscipiant montes pacem populo, et colles :* utrosque prædicatores evangelicæ pacis intelligendos puto; sive præcedentes, sive subsequentes. In his autem codicibus illud sequitur : *In justitia judicabit pauperes populi.* Sed illi magis codices approbantur, qui habent quod supra exposuimus, *Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam.* Aliqui autem habent, *populo tuo;* aliqui non habent *tuo*, sed tantummodo *populo.*

7. [*vers.* 4.] *Judicabit pauperes populi, et salvos faciet filios pauperum.* Pauperes et filii pauperum iidem ipsi mihi videntur; sicut eadem civitas est Sion et filia Sion. Si autem distinctius intelligendum est; *pauperes* accipimus, *montes; filios* autem *pauperum, colles :* velut Prophetas atque Apostolos, *pauperes; filios* autem eorum, id est, qui sub eorum auctoritate proficiunt, *filios pauperum.* Quod vero supra dictum est, *Judicabit*, et postea, *salvos faciet*, quædam velut expositio est quomodo judicabit. Ad hoc enim judicabit, ut salvos faciat, id est, a perdendis damnandisque discernat, quibus donat salutem paratam revelari in tempore novissimo (I *Petr.* I, 5). A talibus quippe illi dicitur, *Ne comperdas cum impiis animam meam* (*Psal.* XXV, 9); et, *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII, 1). Considerandum etiam quod non ait, Judicabit pauperem populum; sed, *pauperes populi.* Supra enim ubi dixit, *Judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio*, eumdem dixit populum Dei quos pauperes ejus; id est, tantummodo bonos et ad dexteram partem pertinentes. Quia vero in hoc sæculo simul dextri sinistrique pascuntur, qui velut agni et hædi in fine separandi sunt (*Matth.* XXV, 32); totum sicut commixtus est[1], nomine populi nuncupavit. Et quia judicium etiam hic in bono ponit, id est, ad salvos faciendos; ideo ait, *Judicabit pauperes populi :* id est, eos ad salutem discernet, qui sunt in populo pauperes. Jam qui sint pauperes supra exposuimus (*a*) : hos et egenos intelligamus. *Et humiliabit calumniatorem.* Nullus melius quam diabolus hic calumniator agnoscitur. Calumnia ejus est : *Numquid gratis colit Job Deum* (*Job* I, 9)? Humiliat autem illum Dominus Jesus, gratia sua suos adjuvans, ut gratis Deum colant, id est, delectentur in Domino (*Psal.* XXXVI, 4). Humiliavit etiam sic : quia cum in eo diabolus, id est, princeps hujus mundi nihil invenisset (*Joan.* XIV, 30), occidit per calumnias Judæorum; quibus est usus calumniator tanquam vasis suis, operans in filiis diffidentiæ (*Ephes.* II, 2). Humiliatus est enim, quia ille quem occiderant resurrexit, et regnum abstulit mortis; cujus ille potestatem ita gerebat, ut ex uno homine quem deceperat, omnes per mortem traheret ad condemnationem. Sed humiliatus est; quoniam si ob unius delictum mors regnavit per unum, multo magis qui abundantiam gratiæ et justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum (*Rom.* v, 17), qui humiliavit calumniatorem, falsa crimina, iniquos judices, falsos testes, ut eum perderent immittentem.

8. [*vers.* 5.] *Et permanebit soli*, vel *permanebit cum sole.* Sic enim melius interpretandum quidam nostri putaverunt, quod in græco est συμπαραμενεῖ. Quod si latine uno verbo dici posset, compermanebit dicendum esset : ideo quia latine verbum non potest dici; ut saltem sententia exprimeretur, dictum est, *permanebit cum sole.* Nihil est enim aliud compermanebit soli, quam *permanebit cum sole.* Quid autem magnum est permanere cum sole ei per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil (*Joan.* I, 3); nisi quia hæc prophetia propter eos præmissa est, qui putant religionem nominis christiani usque ad certum tempus in hoc sæculo victuram, et postea non futuram? *Permanebit* ergo *cum sole*, quamdiu sol oritur et occidit : hoc est, quamdiu tempora ista volvuntur, non deerit Ecclesia Dei, id est, Christi corpus in terris. Quod vero adjungit, *Et ante lunam, generationes generationum :* potuit dicere, Et ante solem, id est, et cum sole, et ante solem; quod intelligeretur, Et cum temporibus, et ante tempora. Quod ergo tempus antecedit, æternum est : et hoc vere habendum est æternum, quod nullo tempore variatur, sicut in principio erat Verbum. Sed per lunam significare maluit incrementa defectusque mortalium. Denique cum dixisset, *ante lunam;* volens quodammodo exponere pro qua re lunam posuerit, *generationes*, inquit, *generationum :* tanquam diceret, *Ante lunam*, id est ante *generationes generationum*, quæ transeunt decessione et successione mortalium, tanquam decrementis incrementisque lunaribus. Ac per hoc quid melius intelligitur permanere *ante lunam*, nisi omnia mortalia immortalitate præcedere? Quod etiam sic non inconvenienter accipi potest, ut quod jam humiliato calumniatore sedet ad dexteram Patris, hoc sit permanere *cum sole.* Splendor enim æternæ gloriæ intelligitur Filius (*Hebr.* I, 3); tanquam sol sit Pater, et splendor ejus Filius ejus; sed sicut ista dici possunt de invisibili substantia Creatoris : non sicut de ista visibili creatura, in qua sunt corpora cœlestia, quorum illustrius eminet sol, de quo hæc similitudo adhibita est; sicut adhibetur etiam de terrestribus, petra, leo, agnus, homo habens duos filios, et cætera. Ergo humiliato calumniatore permanet *cum sole;* quia victo diabolo per resurrectionem, sedet ad dexteram Patris (*Marc.* XVI, 19), ubi jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9). Et hoc *ante lunam*, tanquam primogenitus a mortuis præcedens Ecclesiam, mortalium decessione ac successione transeuntem. Ipsæ sunt *generationes generationum.* Aut forte quia generationes sunt, quibus generamur

[1] Sic Mss. At Edd., *commixtum est.*
(*a*) Supra, n. 3.

mortaliter; *generationes* autem *generationum*, quibus regeneramur immortaliter. Et hæc est Ecclesia quam ille antecessit, ut permaneret *ante lunam*, primogenitus ex mortuis. Sane quod est in græco γενεὰς γενεῶν, nonnulli interpretati sunt, non *generationes*, sed *generationis generationum*: quia γενεὰς ambiguus est casus in græco, et utrum genitivus singularis sit τῆς γενεᾶς, id est, hujus generationis, an accusativus pluralis τὰς γενεάς, id est, has generationes, non evidenter apparet; nisi quia merito sensus ille prælatus est, ut tanquam exponendo quid dixerit *lunam*, secutus adjungeret, *generationes generationum*.

9. [*vers.* 6.] *Et descendet sicut pluvia in vellus, et sicut guttæ stillantes super terram.* Recoluit et admonuit illud quod factum est per judicem Gedeon, de Christo id habere finem. Petiit quippe ille signum a Domino, ut in area positum solum vellus complueretur, et sicca esset area; et rursum solum vellus siccum esset, et complueretur area; et ita factum est (*Judic.* VI, 36-40). Quod significavit, tanquam in area in toto orbe terrarum, siccum vellus fuisse priorem populum Israel. Idem ipse ergo Christus descendit sicut pluvia in vellus, cum adhuc area sicca esset; unde etiam dixit: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Ibi matrem de qua formam servi acciperet, in qua hominibus appareret, elegit; ibi discipulos quibus hoc idem præcepit, dicens: *In viam Gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne introieritis: ite primum ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Id.* X, 5, 6). Cum dicit, *Ite primum* ad illas, ostendit et postea, cum jam esset area complucnda, ituros eos etiam ad alias oves quæ non essent ex veteri populo Israel, de quibus dicit: *Habeo alias oves quæ non sunt ex hoc ovili; oportet me et ipsas adducere, ut sit unus grex et unus pastor* (*Joan.* X, 16). Hinc et Apostolus: *Dico enim*, inquit, *Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum.* Sic pluvia descendit super vellus, sicca adhuc area. Sed quoniam sequitur, *Gentes autem super misericordia glorificare Deum* (*Rom.* XV, 8, 9); ut accedente tempore compleretur quod per Prophetam dicit, *Populus quem non cognovi servivit mihi: in obauditu auris obedivit mihi* (*Psal.* XVII, 45): videmus jam gratia Christi siccam remansisse gentem Judæorum, totumque orbem terrarum in omnibus gentibus christianæ gratiæ plenis nubibus complui. Alio quippe verbo eamdem pluviam significavit, dicens, *Guttæ stillantes;* non jam super vellus, sed *super terram.* Quid est enim aliud pluvia quam guttæ stillantes? Ideo autem illam gentem velleris nomine significari puto, vel quia exspolianda fuerat auctoritate doctrinæ, sicut ovis exspoliatur vellere; vel quia in abdito eamdem pluviam detinebat, quam nolebat præputio prædicari, id est, incircumcisis gentibus revelari.

10. [*vers.* 7.] *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec tollatur luna.* Id quod dictum est, *tollatur*, alii interpretati sunt, *auferatur:* alii vero, *extollatur;* unum verbum græcum sicut uniculque visum est, transferentes, quod ibi positum est, ἀνταναιρεθῇ. Sed qui dixerunt, *tollatur*, et qui dixerunt, *auferatur*, non usque adeo dissonant. *Tollatur* enim magis habet consuetudo ita dici, ut auferatur et non sit, quam ita ut altius elevetur; *auferatur* vero prorsus aliter intelligi non potest, nisi ut perdatur, hoc est, ut non sit: *extollatur* autem nihil nisi ut altius elevetur. Quod quidem cum in malo ponitur, superbiam solet significare; sicuti est: *In tua sapientia noli extolli* (*Eccli.* XXXII, 6). In bono autem ad honorem pertinet ampliorem, velut cum aliquid elevatur; sicuti est: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum* (*Psal.* CXXXIII, 2). Hic ergo si *auferatur* dictum intellexerimus, quid erit *donec auferatur luna*, nisi efficiatur ut non sit? Fortassis enim hoc intelligi voluit, ne ulterius sit mortalitas, quando *novissima inimica destruetur mors* (I *Cor.* XV, 26): ut pacis abundantia usque ad hoc perducatur, ne quid resistat felicitati beatorum [1] ex infirmitate mortalitatis; quod erit in illo sæculo, cujus tenemus fidelem promissionem Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, de quo dicitur, *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis:* donec morte omnino devicta atque destructa, omnis mortalitas absumatur. Sin vero vocabulo lunæ, non mortalitas carnis per quam nunc transit Ecclesia, sed ipsa omnino Ecclesia significata est, quæ permaneat in æternum, ab hac mortalitate liberata; ita dictum accipiendum est, *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec extollatur luna*, tanquam diceretur: Orietur in diebus ejus justitia, quæ contradictionem ac rebellationem carnis vincat, et fiet pax in tantum crescens et abundans, donec luna extollatur, id est, elevetur Ecclesia, per gloriam resurrectionis cum illo regnatura, qui eam in hac gloria primogenitus a mortuis antecessit, ut sederet ad dexteram Patris (*Marc.* XVI, 19); ita *cum sole* permanens *ante lunam*, quo postea extolleretur et *luna*.

11. [*vers.* 8.] *Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ.* De quo utique dixerat: *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec extollatur luna.* Si Ecclesia hic recte significatur vocabulo lunæ, consequenter ostendit quam late eamdem Ecclesiam fuerat diffusurus, cum adjecit: *Et dominabitur a mari usque ad mare.* Mari quippe magno cingitur terra, qui vocatur Oceanus; de quo influit quiddam exiguum in medio terrarum, et facit ista maria nota nobis, quæ navigiis frequentantur. Proinde, *a mari usque ad mare*, a quolibet fine terræ, usque ad quemlibet finem dominaturum dixit, cujus nomen et potestas toto orbe fuerant prædicanda, multumque valitura. Quod ne aliter posset intelligi, *a mari usque ad mare;* continuo subjecit, *et a flumine usque ad terminos orbis terræ.* Quod ergo ait, *usque ad terminos orbis terræ;* hoc ante dixerat, *a mari usque ad mare.* Quod vero nunc ait, *a flumine;* evidenter expressit inde voluisse Christum potesta-

[1] Plerique Mss. loco, *beatorum*, habent, *peccatorum*. Duo *justorum*.

tem suam jam commendare, unde et discipulos cœpit eligere; a flumine scilicet Jordane, ubi super baptizatum Dominum cum descenderet Spiritus sanctus, sonuit vox de cœlo: *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III, 17). Hinc ergo doctrina ejus incipiens et magisterii cœlestis auctoritas, dilatatur usque ad terminos orbis terræ, cum prædicatur Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet finis.

12. [*vers.* 9.] *Coram illo decident*[1] *Æthiopes, et inimici ejus terram lingent.* Per Æthiopes, a parte totum, omnes gentes significavit; eam eligens gentem, quam potissimum nominaret, quæ in finibus terræ est. *Coram illo procident*, dictum est, adorabunt eum. Et quia schismata futura erant per diversa terrarum loca, quæ inviderent Ecclesiæ catholicæ toto terrarum orbe diffusæ; eadem porro schismata per hominum nomina se fuerant divisura, et, homines amando quibus auctoribus scissa sunt, gloriæ Christi, quæ per omnes terras est, inimicatura: ideo cum dixisset, *Coram illo decident Æthiopes;* adjunxit, *et inimici ejus terram lingent;* id est, homines amabunt, ut invideant gloriæ Christi, cui dictum est, *Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua* (*Psal.* CVII, 6). Homo quippe audire meruit: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Hanc terram lingendo, id est, talium auctoritate vaniloqua delectati, eos amando, et in suavissimos habendo, contradicunt divinis eloquiis, quibus catholica Ecclesia prænuntiata est, non in aliqua parte terrarum futura, sicut quælibet schismata; sed in universo mundo fructificando atque crescendo, usque ad ipsos Æthiopes, extremos videlicet et teterrimos hominum, perventura.

13. [*vers.* 10, 11.] *Reges Tharsis et insulæ munera offerent; reges Arabum et Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient ei.* Hoc jam non expositorem, sed contemplatorem desiderat; imo non solum lætantium fidelium, sed etiam infidelium gementium infertur aspectibus: nisi fortasse quærendum est quid dictum sit, *dona adducent.* Ea quippe adduci solent, quæ ambulare possunt. Numquidnam ergo de immolandis victimis dici potuit? Absit ut talis oriatur in diebus ejus justitia. Sed ista dona quæ adducenda prædicta sunt, homines mihi videntur significare, quos in societatem Ecclesiæ Christi regum adducit auctoritas; quamvis reges etiam persequentes dona adduxerint, non scientes quid facerent sanctos martyres immolando.

14. [*vers.* 12.] Cum vero exponeret causas cur ei tantus honor deferretur a regibus, eique serviretur ab omnibus gentibus: *Quia liberavit*, inquit, *egenum a potente, et pauperem cui non erat adjutor.* Iste egenus et pauper, populus est credentium in eum. In hoc populo sunt etiam reges adorantes eum. Non enim egeni esse dedignantur et pauperes, id est humiliter peccata confitentes, et egentes gloria et gratia Dei, ut eos rex ille, filius Regis, liberet a potente. Idem quippe est potens, ille qui superius calumniator est dictus: quem potentem ad homines sibi subdendos et in captivitate retinendos non virtus ejus fecit, sed humana peccata. Idem ipse et fortis est dictus; ideo et hic potens. Sed qui humiliavit calumniatorem, et intravit in domum fortis, ut eo alligato vasa ejus diriperet (*Matth.* XII, 29), hic *liberavit egenum a potente, et pauperem cui non erat adjutor.* Non enim hoc efficere potuit vel cujusquam virtus, vel quisquam homo justus, vel aliquis Angelus. Cum ergo nullus esset adjutor, ipse adveniens salvos fecit eos.

15. [*vers.* 13.] Occurrebat autem, Si propter peccata homo tenebatur a diabolo, numquidnam Christo qui eruit egenum a potente, peccata placuerunt? Absit: sed, *Parcet* ipse *inopi et pauperi;* id est, peccata dimittet humili, et non de suis meritis confidenti, aut de sua virtute salutem speranti, sed indigenti gratia Salvatoris sui. Cum autem addidit, *Et animas pauperum salvas faciet*, utrumque adjutorium gratiæ commendavit; et quod est in remissionem peccatorum, cum ait, *Parcet pauperi et inopi;* et quod est in participatione justitiæ, cum addidit, *Et animas pauperum salvas faciet.* Nemo enim sibi est idoneus ad salutem, quæ salus[1] est perfecta justitia, nisi Dei adjuvet gratia; quia plenitudo Legis non est nisi charitas, quæ non a nobis existit in nobis, sed diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* V, 5).

16. [*vers.* 14.] *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum.* Quæ sunt istæ usuræ, nisi peccata, quæ etiam debita nominantur (*Matth.* VI, 12)? Usuras autem appellatas puto, quia plus mali invenitur in suppliciis, quam commissum est in peccatis. Nam, verbi gratia, cum homicida corpus tantum hominis perimat, animæ autem nocere nihil possit; ipsius et anima et corpus perditur in gehenna. Propter hujusmodi contemptores præsentis præcepti, et irrisores futuri supplicii dictum est: *Ego veniens, cum usuris exigerem* (*Id.* XXV, 27). Ab his usuris redimuntur animæ pauperum, sanguine illo qui fusus est in remissionem peccatorum. Redimet ergo ab usuris, remittendo peccata, quæ debebant ampliora supplicia: redimet autem ab iniquitate, adjuvando per gratiam etiam ad faciendam justitiam. Eadem itaque duo repetita sunt quæ supra dicta erant. Quod enim supra est, *Parcet inopi et pauperi*, hoc intelligitur, *Ex usuris:* quod vero ibi dicit, *Et animas pauperum salvas faciet;* hoc dictum videtur, *Ex iniquitate:* ut *redimet* ad utrumque subaudiatur. Nam parcendo redimet ab usuris; salvos autem faciendo redimet ab iniquitate. Ita, cum *parcet pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet;* sic *ex usuris et iniquitate redimet animas eorum. Et honorabile nomen ejus coram ipsis.* Dant enim honorem nomini ejus pro tantis beneficiis, qui respondent dignum et justum esse gratias agere Domino Deo suo. Vel quod habent codices aliqui, *Et honorabile nomen eorum coram ipso:* quia etsi videntur huic sæculo contemptibiles Christiani,

[1] Sic plerumque Er. et Mss. At proxime sequenti loco, *procident.*

[1] Edd., *salus non est perfecta justitia.* Abest, *non*, a Mss.

nomen eorum coram ipso est honorabile, qui eis illud dedit, jam non memor nominum illorum per labia sua (*Psal.* XV, 4), quibus antea vocabantur, cum essent Gentilium superstitionibus obligati, vel suorum malorum meritorum signati vocabulis, antequam essent christiani : quod nomen honorabile est coram ipso, etsi contemptibile videtur inimicis.

17. [*vers.* 15.] *Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ.* Non diceretur, *Et vivet*, (de quo enim non posset dici hoc quantulocumque spatio temporis vivente in hac terra?) nisi illa vita commendaretur, in qua *jam non moritur*, et *mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Atque ideo *et vivet* qui contemptus est moriens : quoniam sicut alius propheta dicit, *Tolletur de terra vita ejus* (*Isai.* LIII, 8. *Vid. Act.* VIII, 33). Sed quid est, *et dabitur ei de auro Arabiæ?* Nam quod inde aurum etiam ille Salomon accepit, in hoc psalmo figurate transjectum est in alium verum Salomonem, id est verum pacificum : non enim ille dominatus est *a flumine usque ad terminos orbis terræ*. Sic ergo prophetatum est, etiam sapientes hujus mundi in Christo fuisse credituros. Per Arabiam autem Gentes intelligimus : per aurum sapientiam, quæ ita excellit inter omnes doctrinas, ut aurum inter metalla ; unde scriptum est, *Accipite prudentiam sicut argentum, et sapientiam sicut aurum probatum* (*Prov.* VIII, 10, 11). *Et orabunt de ipso semper.* Quod habet græcus, περὶ αὐτοῦ, aliqui interpretati sunt, *de ipso;* aliqui, *pro ipso*, vel *pro eo*. Quid est autem, *de ipso*, nisi forte quod oramus dicentes : *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* VI, 10)? Christi namque adventus præsentabit [1] fidelibus regnum Dei. *Pro eo* vero quomodo intelligatur, angustum est ; nisi quia cum oratur pro Ecclesia, pro ipso oratur, quia corpus est ejus. De Christo quippe et Ecclesia præmissum est sacramentum magnum : *Erunt duo in carne una* (*Ephes.* V, 32, 31). Jam vero quod sequitur, *Tota die*, id est toto tempore, *benedicent ei*, satis apertum est.

18. [*vers.* 16.] *Et erit firmamentum in terra, in summis montium. Omnes enim promissiones Dei in illo Etiam* (II *Cor.* I, 20), id est, in illo [2] firmatæ sunt ; quia in illo impletum est quidquid pro salute nostra prophetatum est. Nam summa montium, Scripturarum divinarum auctores, id est, per quos ministratæ sunt, intelligere convenit ; in quibus utique ipse est firmamentum, quoniam ad illum omnia quæ divinitus scripta sunt, referuntur. Hoc autem in terra esse voluit, quia propter eos qui in terra sunt, illa conscripta sunt : unde et ipse in terram venit, ut ea cuncta firmaret, id est, in se monstraret impleri. « Oportebat enim, » inquit, « impleri omnia quæ scripta sunt in Lege et Prophetis et Psalmis de me » (*Luc.* XXIV, 44) ; id est, « in summis montium. » Sic enim venit « in novissimis temporibus manifestus mons Domini, paratus in cacumine montium » (*Isai.* II, 2) ; quod hic ait, « in summis montium. Superextolletur super Libanum fructus ejus. » Libanum solemus accipere veluti hujus sæculi dignitatem ; quoniam mons est Libanus excelsas arbores habens, et nomen ipsum interpretatur Candidatio. Quid enim mirum, si super hujus sæculi præclarum omne fastigium fructus superextollitur Christi, cujus fructus dilectores omnia sæcularia culmina contempserunt? Si autem in bono accipimus Libanum, propter cedros *Libani quas plantavit* (*Psal.* CIII, 16) ; quis alius fructus intelligendus est, qui super hunc Libanum extollitur, nisi de quo Apostolus dicit de charitate sua locuturus : *Adhuc supereminentem viam vobis demonstro* (I *Cor.* XII, 31)? Hæc enim et in primo ponitur munerum divinorum, ubi ait, *Fructus autem spiritus est charitas;* atque inde cætera utique consequentia contexuntur (*Gal.* V, 22). *Et florebunt de civitate sicut fenum terræ.* Quoniam ambigue posita est civitas, nec adjunctum est ejus, aut Dei ; non enim dictum est, de civitate ejus, vel de civitate Dei, sed tantum *de civitate;* in bono intelligitur, ut de civitate Dei, hoc est, de Ecclesia floreant sicut fenum ; sed fenum fructiferum, sicuti est frumenti : nam et hoc fenum appellatur in sancta Scriptura ; sicut in Genesi jussum est producere terram omne lignum et omne fenum (*Gen.* I, 11), nec adjunctum est, omne frumentum ; quod procul dubio non præteriretur nisi feni nomine etiam hoc intelligeretur ; et in multis aliis Scripturarum locis hoc invenitur. Si autem sic accipiendum est, *Et florebunt sicut fenum terræ*, quemadmodum dictum est, *Omnis caro fenum, et claritas hominis sicut flos feni;* profecto et civitas illa intelligenda est, quæ sæculi hujus societatem significat : non enim frustra primus Cain condidit civitatem (*Id.* IV, 17). Exaltato itaque fructu Christi super Libanum, id est super arbores diuturnas et ligna imputribilia, quia ille fructus æternus est ; omnis claritas hominis secundum temporalem sæculi celsitudinem feno comparatur, quoniam a credentibus et vitam æternam jam sperantibus spernitur felicitas temporalis, ut impleatur quod scriptum est. *Omnis caro fenum, et omnis claritas carnis ut flos feni : fenum aruit, flos decidit. Verbum autem Domini manet in æternum* (*Isai.* XL, 6-8). Ibi est fructus ejus exaltatus super Libanum. Semper enim caro fenum fuit, et claritas carnis ut flos feni : sed quia non demonstrabatur quæ fuerat eligenda et præponenda felicitas, flos feni pro magno habebatur ; nec solum minime contemnebatur, sed etiam maxime appetebatur. Quasi ergo tunc ita esse cœperit, quando aversum [1] est atque contemptum quidquid florebat in sæculo, ita dictum est, *Superextolletur super Libanum fructus ejus, et florebunt de civitate sicut fenum terræ :* id est, diffamabitur super omnia quod in æternum promittitur, et comparabitur feno terræ quidquid pro magno habetur in sæculo.

19. [*vers.* 17.] *Sit* ergo *nomen ejus benedictum in sæcula : ante solem permanet nomen ejus.* Per solem

[1] Sic probæ notæ Mss. At Edd., *præsentavit*.

[2] Lov., *id est in Christo*. Id Er. prorsus omittit. At Mss. ejus loco habent, *id est in illo*. Sic facilius intelligitur Augustinus hic interpretari particulam, *etiam :* pro qua nunc in Vulgata II Cor. I, 20 legitur, *est*. Illa autem respondebat Græco, *to nai :* quæ vox apud Græcos confirmantis est, ut, *Amen*, apud Hebræos.

[1] Er. et Mss., *animadversum*.

tempora significata sunt : ergo in æternum permanet nomen ejus ; æternum enim antecedit tempora, nec clauditur tempore. *Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ.* In ipso quippe impletur quod promissum est Abrahæ. « Non » enim « dicit, In seminibus, tanquam in multis; sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus » (*Gal.* III, 16). Abrahæ autem dicitur : « In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ » (*Gen.* XXII, 18). « Neque filii carnis, sed filii promissionis deputantur in semine » (*Rom.* IX, 8). « Omnes gentes magnificabunt eum. » Tanquam exponendo repetitum est quod supra dictum est. Quia enim benedicentur in eo, magnificabunt eum : non ipsi faciendo ut magnus sit, qui per seipsum magnus est ; sed laudando et magnum fatendo. Sic enim magnificamus Deum; sic etiam dicimus : *Sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* VI, 9); quod semper utique sanctum est.

20. [*vers.* 18.] *Benedictus Dominus, Deus Israel, qui facit mirabilia solus.* Consideratis omnibus supra dictis eructatur hymnus, et benedicitur Dominus Deus Israel. Impletur enim quod ad illam sterilem dictum est, *Et qui eruit te, ipse Dominus, Deus Israel, universæ terræ vocabitur* (*Isai.* LIV, 5). Ipse *facit mirabilia solus :* quoniam quicumque faciunt, ipse in eis operatur, *qui facit mirabilia solus.*

21. [*vers.* 19.] *Et benedictum nomen gloriæ ejus* [1] *in æternum, et in sæculum sæculi.* Quid aliud latini interpretes dicerent, qui non possent dicere, in æternum, et in æternum æterni ? Quasi enim aliud dictum sit, *in æternum*, et aliud *in sæculum*, ita sonat : sed græcus habet, εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, quod forte commodius diceretur, in sæculum, et in sæculum sæculi ; ut *in sæculum* intelligeretur, quantum hoc sæculum durat ; *in sæculum* autem *sæculi*, quod post hujus finem futurum promittitur. *Et replebitur gloria ejus omnis terra : fiat, fiat.* Jussisti, Domine, ita fit ; ita fit, donec illud quod cœpit *a flumine*, perveniat omnino *usque ad terminos orbis terræ.*

IN PSALMUM LXXII

ENARRATIO.

SERMO (*a*).

1. [*vers.* 1.] Audite, audite dilectissima viscera corporis Christi, quorum spes Dominus Deus vester est, et non respicitis in vanitates et insanias mendaces (*Psal.* XXXIX, 5) ; et qui adhuc respicitis, audite ne respiciatis. Psalmus iste inscriptionem habet, id est titulum, *Defecerunt hymni David, filii Jesse* (*b*) : *Psalmus ipsi Asaph.* Tot habemus psalmos in quorum titulis scriptum est nomen David, nusquam est additum *filii Jesse*, nisi in hoc solo. Quod credendum est non frustra factum, neque inaniter : ubique enim nobis innuit Deus, et ad intellectum vocat pium studium charitatis. Quid est, *Defecerunt hymni David, filii Jesse ?* Hymni laudes sunt Dei cum cantico : hymni cantus sunt continentes laudem Dei. Si sit laus, et non sit Dei, non est hymnus : si sit laus, et Dei laus, et non cantetur, non est hymnus. Oportet ergo ut, si sit hymnus, habeat hæc tria : et laudem, et Dei, et canticum. Quid est ergo, *Defecerunt hymni ?* Defecerunt laudes quæ cantantur in Deum. Molestam rem et quasi luctuosam videtur nuntiare. Qui enim cantat laudem, non solum laudat, sed etiam hilariter laudat : qui cantat laudem, non solum cantat, sed et amat eum quem cantat. In laude confitentis est prædicatio : in cantico amantis affectio. *Defecerunt* ergo *hymni David*, ait : et addidit, *filii Jesse.* Erat enim David rex Israel, filius Jesse (I *Reg.* XVI, 18), tempore quodam Veteris Testamenti ; quo tempore Novum Testamentum occultatum ibi erat, tanquam fructus in radice. Si enim quæras fructum in radice, non invenies ; nec tamen invenies in ramis fructum, nisi qui de radice processerit. Illo ergo tempore, populo primo venienti ex semine Abrahæ carnaliter ; nam et populus secundus pertinens ad Novum Testamentum, ad semen Abrahæ pertinet, sed jam spiritualiter : illi ergo populo primo adhuc carnali, ubi pauci prophetæ intelligebant et quid desideraretur a Deo, et quando haberet publice prædicari, prænuntiaverunt futura hæc tempora, et adventum Domini nostri Jesu Christi. Et quemadmodum Christus ipse secundum carnem nasciturus, in radice erat occultus in semine Patriarcharum, et quodam tempore revelandus tanquam fructu apparente, sicut scriptum est, *Floruit virga de radice Jesse* (*Isai.* XI, 1) : sic etiam ipsum Novum Testamentum, quod in Christo est prioribus illis temporibus occultum erat, solis Prophetis cognitum, et paucissimis piis, non ex manifestatione præsentium, sed ex revelatione futurorum. Nam quid sibi vult, fratres, ut unum quiddam commemorem, quod Abraham mittens servum suum fidelem ad desponsandam uxorem unico filio suo, facit eum jurare sibi, et in juramento dicit ei : *Pone manum sub femore meo, et jura* (*Gen.* XXIV, 2) ? Quid erat in femore Abrahæ, ubi ille manum posuit jurans ? Quid ibi erat, nisi quod et tunc ei promissum est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Id.* XXII, 18). Femoris nomine caro significatur. De carne Abrahæ, per Isaac et Jacob, et ne multa commemoremus, per Mariam Dominus noster Jesus Christus.

2. Quia vero radix erat in Patriarchis, unde ostendemus ? Paulum interrogemus. Gentes jam credentes in Christum, et quasi superbire cupientes contra Judæos qui crucifixerunt Christum ; cum et de ipso populo venerit alius paries, occurrens in angulo, id est in ipso Christo, de diverso venienti parieti præputii, id est Gentium : cum ergo erigerent se gentes, sic illas reprimit : *Si enim tu*, inquit, *ex naturali incisus oleastro, insertus es in illis, noli gloriari adversus ramos. Nam si gloriaris : non tu radicem portas, sed ra-*

[1] Plures e vetustioribus Mss., *majestatis ejus.*

(*a*) Sermo ad plebem habitus forte an. 411, in pervigilio S. Cypriani, ex epist. 140, ad Honoratum, c. 5, n. 13. — Mss. Audoenensis et Claram. addunt in titulo sermonem hunc habitum esse in Basilica Restituta. M.

(*b*) In editione Bibliorum Vulgata ad superioris Psalmi finem pertinet iste versiculus, *Defecerunt hymni David, filii Jesse :* quem Ambrosius cum Augustino similiter accepit pro titulo hujus Psalmi LXXII.

dix te. Ergo de radice Patriarcharum dicit fractos quosdam ramos propter infidelitatem, et insertum ibi oleastrum, ut esset particeps pinguedinis olivæ, id est, Ecclesiam ex Gentibus venientem. Et quis inserit oleastrum in oliva? Oliva solet in oleastro; oleastrum in oliva nunquam vidimus. Nam quisquis fecerit, non inveniet baccas nisi oleastri. Quod enim inseritur, hoc crescit, et ejus rei fructus invenitur: invenitur non radicis fructus, sed surculi. Hoc ostendens Apostolus omnipotentia sua Deum fecisse, ut oleaster in radicem olivæ insereretur, et non baccas silvestres, sed olivam daret; ad omnipotentiam Dei revocans hoc Apostolus ait: *Si tu ex naturali incisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam*[1] *olivam, noli gloriari*, inquit, *adversus ramos. Sed dicis*, ait: *Fracti sunt rami, ut ego inserar. Bene; propter incredulitatem fracti sunt: tu autem fide sta*[2]*; noli altum sapere, sed time.* Quid enim est, *Noli altum sapere?* Noli superbire, quia insertus es; sed time ne frangaris per infidelitatem, sicut illi fracti sunt. *Propter infidelitatem*, inquit, *fracti sunt: tu autem fide sta; noli altum sapere, sed time. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parcet.* Et sequitur bonus locus, et necessarius, et totus audiendus: *Vides ergo*, inquit, *bonitatem et severitatem Dei: in eos quidem qui fracti sunt, severitatem; in te autem qui insertus es bonitatem, si permanseris in bonitate; alioquin*, id est, si non permanseris in bonitate, *et tu excideris: et illi si non permanserint in infidelitate, inserentur* (*Rom.* XI, 17-24).

3. Tempore igitur Veteris Testamenti, fratres, promissiones a Deo nostro populo illi carnali terrenæ erant et temporales. Promissum est regnum terrenum; promissa est terra illa, in quam etiam inducti sunt ab Ægypto liberati: per Jesum Nave introducti sunt in terram promissionis, ubi etiam Jerusalem terrena ædificata est, ubi regnavit David. Acceperunt terram, liberati ex Ægypto, transeuntes per Rubrum mare; finitis anfractibus et erroribus[3] solitudinum, acceperunt terram, acceperunt regnum: deinde post regnum acceptum, quia terrena acceperant, cœperunt merito peccatorum suorum oppugnari, expugnari, captivari; ad extremum eversa est et ipsa civitas. Tales erant et illæ promissiones non perseveraturæ, per quas tamen figurarentur futuræ promissiones perseveraturæ; ut ille omnis decursus temporalium promissionum figura esset, et quædam prophetia futurorum. Itaque cum illud regnum deficeret, ubi regnavit David, filius Jesse, id est, homo quidam, etsi propheta, etsi sanctus, quia videbat et prævidebat Christum venturum, de cujus semine etiam secundum carnem nasciturus erat; tamen homo, tamen nondum Christus, tamen nondum rex noster, Filius Dei, sed rex David, filius Jesse: quia ergo defecturum erat illud regnum, per quod regnum acceptum laudabatur tunc Deus a carnalibus; hoc solum enim pro magno habebant, quia liberati erant temporaliter ab his a quibus opprimebantur, et evaserant hostes persequentes per mare Rubrum, et ducti erant per solitudinem, et invenerant patriam et regnum; hinc solum laudabant Deum, nondum intelligentes quid in illis figuris præsignaret et promitteret Deus: deficientibus ergo rebus pro quibus laudabat Deum populus carnalis, cui regnavit ille David, *defecerunt hymni David;* non Filii Dei, sed *filii Jesse.* Periculosum locum tituli psalmi præsentis, sicut Dominus voluit, prætervecti sumus: accepistis quare dictum sit, *Defecerunt hymni David, filii Jesse.*

4. Cujus vox est Psalmus[1]? *Asaph.* Quid est, *Asaph?* Sicut invenimus in interpretationibus ex lingua hebræa in græcam, et ex græca nobis in latinam translatis, *Asaph* Synagoga interpretatur. Vox est ergo Synagogæ. Sed tu cum audieris Synagogam, noli continuo detestari quasi interfectricem Domini. Erat quidem illa Synagoga interfectrix Domini; nemo dubitat: sed memento de Synagoga fuisse arietes, quorum filii sumus. Unde dicitur in psalmo: *Afferte Domino filios arietum* (*Psal.* XXVIII, 1). Qui inde arietes? Petrus, Joannes, Jacobus, Andreas, Bartholomæus, et cæteri Apostoli. Hinc et ipse primo Saulus, postea Paulus; id est, primo superbus, postea humilis. Saül enim, unde dictum est nomen Sauli, nostis quia rex superbus et infrenis fuit. Non quasi jactantia aliqua nomen sibi mutavit Apostolus; sed ex Saulo factus est Paulus, ex superbo modicus. Paulum enim Modicum est. Vis nosse quid sit Saulus? Ipsum audi jam Paulum recordantem quid fuerit per malitiam suam, et quid jam sit per gratiam Dei; audi quomodo fuerit Saulus, et quomodo sit Paulus: *Qui fui*, inquit, *prius blasphemus, et persecutor, et injuriosus* (I *Tim.* I, 13). Audisti Saulum; audi et Paulum: *Ego enim sum*, inquit, *minimus Apostolorum.* Quid est minimus, nisi ego sum Paulus? Et sequitur: *Qui non sum dignus vocari apostolus.* Quare? Quia fui Saulus. Quid est, fui Saulus? Ipse dicat: *Quia persecutus sum*, inquit, *Ecclesiam Dei; sed gratia Dei*, ait, *sum id quod sum* (I *Cor.* XV, 9, 10). Abstulit sibi omnem granditatem suam; minimus jam in se, grandis in Christo. Et iste Paulus quid dicit? *Non repulit Deus plebem suam*, de plebe ex Judæis veniente, *plebem suam*, inquit, *quam præscivit: nam et ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin* (*Rom.* XI, 2, 1). Ergo et Paulus nobis de Synagoga; et Petrus et alii Apostoli de Synagoga. Itaque cum audieris[2] vocem Synagogæ, noli attendere meritum, sed intende partum. Loquitur ergo in hoc psalmo Synagoga, deficientibus hymnis David, filii Jesse: id est deficientibus rebus temporalibus, per quas solebat a carnali populo laudari Deus. Quare autem illæ defecerunt, nisi ut aliæ quærerentur? Ut quærerentur quæ? Quæ ibi non erant? Non; sed quæ ibi tegebantur figuris: non quæ jam ibi non erant; sed ibi tanquam in radice occultabantur quibusdam secretis my-

[1] Vox, *bonam*, abest a Mss.
[2] Unus Ms., *fide stas.*
[3] Sic tres Mss. Alii cum Edd., *ac terroribus.*

[1] Regius Ms., *Psalmi.*
[2] Sic Mss. At Edd., *cum audis veteris vocem synagogæ.*

steriorum, quæ, inquit ipse Apostolus, figuræ nostræ fuerunt (I *Cor.* x, 6).

5. Et attendite jam breviter ipsam figuram nostram. Populus Israel sub Pharaonis et Ægyptiorum dominatione (*Exod.* I, 10); populus Christianus, ante fidem prædestinatus jam Deo, et adhuc serviens dæmonibus et diabolo principi eorum: ecce populus subjugatus Ægyptiis, serviens peccatis suis; non enim nisi per peccata nostra potest diabolus dominari. Liberatur populus ab Ægyptiis per Moysen; liberatur populus a præterita vita peccatorum per Dominum nostrum Jesum Christum. Transit populus ille per mare Rubrum; iste per Baptismum. Moriuntur in mari Rubro omnes inimici populi illius (*Id.* XIV, 22, 23); moriuntur in Baptismo omnia peccata nostra. Intendite, fratres. Post mare illud Rubrum non continuo patria datur, nec tanquam jam hostes desint, secure triumphatur; sed restat eremi solitudo, restant hostes insidiantes in via: sic et post Baptismum restat vita christiana in tentationibus. In illa eremo suspirabatur patriæ promissæ; quid aliud Christiani suspirant jam abluti Baptismo? Numquid jam regnant cum Christo? Nondum ventum est ad terram promissionis nostram; sed non defecturam, non enim ibi deficient hymni David. Hoc modo audiant omnes fideles; sciant ubi sint: in eremo sunt; patriæ suspirant. Mortui sunt hostes in Baptismo; sed insequentes a tergo. Quid est, insequentes a tergo? Ante faciem futura habemus; a tergo præterita: omnia præterita peccata deleta sunt in Baptismo; quibus modo tentamur, non a tergo insequuntur, sed in via insidiantur. Unde Apostolus, adhuc in via hujus eremi constitutus, *Quæ retro*, inquit, *oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei* (*Philipp.* III, 13, 14); tanquam diceret, Ad patriam supernæ promissionis Dei. Et ibi jam, fratres, in eremo quidquid passus est ille populus, et quidquid eis Deus largitus est; quæcumque illa flagella fuerunt, quæcumque dona, significationes sunt rerum quas in hac solitudine hujus vitæ, ambulantes in Christo, quærentes patriam, et accipimus ad consolationem, et patimur ad probationem. Non ergo mirum quia illud defecit quod figurabat futurum. Nam perductus est populus ad patriam promissionis; numquid semper staturam? Si hoc esset, non esset figura, sed res. Quia vero figura erat, ad temporale quiddam perductus est ille populus. Si ad temporale quiddam perductus est, oportebat ut deficeret, et defectu suo cogeretur quærere quod nunquam deficeret.

6. Synagoga ergo, id est, qui Deum ibi pie colebant, sed tamen propter terrenas res, propter ista præsentia: sunt enim impii qui præsentium rerum bona a dæmonibus quærunt; hic autem populus ideo melior erat Gentibus, quod quamvis præsentia bona et temporalia, tamen ab uno Deo quærebat, qui est creator omnium, et spiritualium, et corporalium: cum ergo illi pii secundum carnem attenderent, id est, illa Synagoga quæ erat in bonis, pro tempore bonis [1], non spiritualibus, quales erant ibi Prophetæ, quales pauci intellectores regni cœlestis, æterni; ergo illa Synagoga animadvertit quæ acceperit a Deo, et quæ promiserit Deus populo illi, abundantiam rerum terrenarum, patriam, pacem, felicitatem terrenam: sed in his omnibus figuræ erant; et non intelligens quid ibi lateret in rebus figuratis, putavit hoc pro magno dare Deum, nec habere melius quod dare posset diligentibus se et servientibus sibi. Attendit, et vidit quosdam peccatores, impios, blasphemos, servos dæmonum, filios diaboli, viventes in magna nequitia et superbia, abundare rebus talibus terrenis, temporalibus, pro qualibus rebus ipsa Deo serviebat: et nata est cogitatio pessima in corde, quæ faceret nutare pedes, et prope labi a Dei via. Et ecce ista cogitatio in populo erat Veteris Testamenti: utinam non sit in carnalibus fratribus nostris, cum jam aperte prædicatur felicitas Novi Testamenti! Quid enim dixit illa tunc Synagoga? quid dixit ille populus? Nos servimus Deo, et corripimur, flagellamur; subducuntur nobis ea quæ diligimus, et quæ pro magno a Deo acceperamus; illi autem scelerati homines nequissimi, superbi, blasphemi, inquieti, abundant omnibus rebus, propter quas nos Deo servimus: puto sine causa servitur Deo. Hic sensus est Psalmi, deficientis populi et nutantis: dum considerat bona terrena propter quæ serviebat Deo, abundare his qui non servirent Deo, nutat, et prope labitur; et cum hymnis illis deficit, quia in talibus cordibus hymni deficiebant. Quid est, in talibus cordibus hymni deficiebant? Quia jam talia cogitabant, Deum non laudabant. Quomodo enim laudarent Deum, quibus quasi perversus videbatur, dans impiis tantam felicitatem, et auferens eam a servientibus sibi? Non illis bonus videbatur Deus: et quibus Deus bonus non videbatur, non utique ab eis laudabatur; a quibus autem Deus non laudabatur, defecerunt in illis hymni. Postea vero populus iste intellexit quid eum admoneret Deus quærere, cum ista temporalia subtraheret servis suis, et donaret ea inimicis suis, blasphemis, impiis: admonitus intellexit quia præ omnibus quæ dat Deus, et bonis, et malis, et aliquando aufert, et bonis, et malis, præ omnibus servat aliquid bonis. Quid est, servat aliquid bonis? quid illis servat? Seipsum. Jam quantum arbitror, curritur in Psalmo; intellectus est in nomine Domini. Audi recordantem et pœnitentem qui erraverat, putando Deum non bonum qui dat bona terrena malis, et aufert illa a servis suis. Intellexit enim quid Deus servaret servis suis; et recogitans, seque castigans erupit hoc modo.

7. *Quam bonus Deus Israel!* Sed quibus? *Rectis corde.* Perversis quid? Perversus videtur. Sic et in alio psalmo dicit: *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum perverso perversus eris* (*Psal.* XV, 26, 27). Quid est, *perversus eris cum perverso?* Perversum te putabit perversus. Non quod ullo modo pervertatur Deus. Absit: quod est, est.

[1] Sic melioris notæ Mss. Ad Edd., *pro temporalibus bonis.*

Sed quemadmodum sol, oculos puros, sanos, vegetos fortes habenti, tranquillus apparet, in oculos autem lippos quasi tela aspera jaculatur; intuentem illum vegetat, hunc excruciat, non mutatus, sed mutatum [1]: sic cum coeperis esse perversus, et tibi Deus perversus videbitur; tu mutatus es, non ille. Erit ergo tibi pœna, quod bonis gaudium. Hoc iste recolens, *Quam bonus*, inquit, *Deus Israel rectis corde!*

8. [*vers.* 2.] Quid autem tibi? *Mei autem pene commoti sunt pedes.* Quando commoti sunt pedes, nisi quando non erat rectum cor? Unde non erat rectum cor? Audi: *Paulo minus effusi sunt gressus mei.* Quod dixit, *pene;* hoc dixit, *paulo minus:* et quod dixit, *pene moti sunt pedes;* hoc dixit, *effusi sunt gressus.* Pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus. *Moti pedes:* sed unde, *moti pedes, et effusi gressus? Moti pedes,* ad errandum; *effusi gressus,* ad lapsum; non omnino, sed *pene.* Quid enim est? Jam ibam in errorem, non ieram: jam cadebam, non cecideram.

9. [*vers.* 3.] Sed quare et [2] hoc? *Quia zelavi,* inquit, *in peccatoribus, pacem peccatorum intuens.* Attendi peccatores; vidi illos habere pacem. Quam pacem? Temporalem, fluxam, caducam atque terrenam; sed tamen talem qualem et ego a Deo desiderabam. Vidi illos habere qui non serviebant Deo, quod ego desiderabam ut servirem Deo; et moti sunt pedes mei, et pene effusi sunt gressus mei.

10. [*vers.* 4, 5.] Quare autem hoc habent peccatores, dicit breviter: *Quia non est declinatio mortis [3] eorum; et firmamentum in flagello eorum. In laboribus hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.* Jam intellexi, inquit, quare illi habent pacem, et florent in terra; quia morti eorum non est declinatio, id est, quia certa mors et æterna eos manet, quæ nec declinat ab eis, nec ipsi ab ea declinare possunt. *Quia non est declinatio mortis eorum; et firmamentum in flagello eorum.* Et est firmamentum in flagello eorum: non est enim temporale flagellum eorum, sed firmum in sempiternum. Propter hæc ergo mala quæ illis æterna futura sunt, modo quid? *In laboribus hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.* Numquid et ipse diabolus cum hominibus non flagellatur, cui tamen æternum supplicium præparatur?

11. [*vers.* 6.] Propterea quid hinc isti, dum non flagellantur, dum non laborant cum hominibus? *Ideo,* inquit, *obtinuit eos superbia.* Attende illos superbos, indisciplinatos; attende taurum devotum victimæ, permissum errare libere, et vastare quæ potest, usque ad diem occisionis. Jam bonum est, fratres, in ipsis Prophetæ verbis audiamus hunc quasi taurum de quo dixi. Sic enim illum et alibi Scriptura commemorat: dicit eos tanquam ad victimam præparatos, et parci eis ad malam libertatem (*Prov.* VII, 22). *Ideo,* dixit, *obtinuit eos superbia.* Quid est, *obtinuit eos superbia? Circumamicti sunt iniquitate et impietate sua.* Non dixit, tecti; sed, *circumamicti,* undique cooperti impietate sua. Merito miseri nec vident, nec videntur, quia circumamicti sunt, nec videntur interiora eorum. Nam quisquis malorum hominum, quasi felicium secundum tempus, interiora conspiceret; quisquis eorum videret truces conscientias, quisquis animas eorum posset inspicere diverberari tantis perturbationibus cupiditatum et timorum, videret illos miseros, et quando felices vocantur. Sed quia *circumamicti sunt iniquitate et impietate sua,* non vident; sed nec videntur. Noverat illos Spiritus qui de illis ista dicit; et eo oculo tales debemus inspicere, quo scimus videre, si nobis auferatur ab oculis tegumen impietatis. Videamus istos; et cum felices sunt, fugiamus; et cum felices sunt, non imitemur: nec a Domino Deo nostro talia nobis pro magno optemus [1], qualia accipere meruerunt qui illi non serviunt. Aliud quiddam servat; aliud desiderandum est: quid sit autem, audite.

12. [*vers.* 7.] Primo isti describantur. *Prodiet* [2] *quasi ex adipe iniquitas eorum.* Vide si non taurus ille agnitus est. Audite, fratres: non quomodocumque transeundum est quod dixit, *Prodiet quasi ex adipe iniquitas eorum.* Sunt enim mali, sed macie mali; ideo mali, quia macri, id est exiles, exigui, tabe quadam [3] necessitatis affecti: et ipsi mali, et damnandi; ferenda est enim magis omnis necessitas, quam perpetranda aliqua iniquitas. Tamen aliud est de necessitate peccare; aliud in abundantia. Pauper mendicus furtum facit; ex macie processit iniquitas: dives abundans rebus tantis, quare diripit res alienas? Illius iniquitas ex macie; hujus ex adipe processit. Ideo macro cum dicis: Quare hoc fecisti? Humiliter afflictus et abjectus respondet: Necessitas coegit me. Quare non timuisti Deum? Egestas compulit. Dic diviti: Quare hæc facis, et non times Deum? si tamen tantus es qui possis dicere. Vide si vel dignatur audire; vide si non etiam in te ipso (*a*) prodiet iniquitas ex adipe ejus. Jam enim præceptoribus et correptoribus suis inimicitias indicunt; et fiunt inimici verum dicentibus, jam sueti compalpari verbis adulantium, aure molli, corde non sano. Quis dicat diviti: Male fecisti rapere res alienas? Aut forte si ausus fuerit aliquis dicere, et talis est cui non possit ille resistere, quid respondet? Totum in contemptum Dei loquitur. Quare? Quia superbus est. Quare? Quia pinguis est. Quare? Quia devotus ad victimam est. *Prodiet quasi ex adipe iniquitas eorum.*

13. *Transierunt in dispositionem cordis.* Ibi intus transierunt. Quid est *transierunt?* Prætergressi sunt viam. Quid est *transierunt?* Excesserunt metas humani generis; homines se pares cæteris non putant. Transierunt, inquam, metas humani generis. Quando dicis tali homini: Frater tuus est iste pauper; eosdem parentes habuistis, Adam et Evam: noli atten-

[1] Mss., *non mutatur, sed mut t.*
[2] Sic Er. et Mss. At Lov., *sed quare ad hoc.*
[3] Aliquot Mss. constanter præferunt, *morti.*

[1] Sic Mss. Edd. vero, *petamus.*
[2] Edd., *prodiit.* At plerique et potiores Mss., *prodiet:* juxta Græc. LXX, *exeleusetai.*
[3] Sic aliquot probæ notæ Mss. At Edd., *exiguitate quadam.*
(*a*) Forte, *in te ipsum.*

dere tumorem tuum, noli attendere typhum in quem elatus es; etsi te circumstat familia, etsi numerosum aurum et argentum, etsi domus marmorata continet, etsi tecta laqueata contegunt, simul te et pauperem contegit tectum mundi cœlum; sed diversus es a paupere rebus non tuis, extrinsecus appositis: te in illis vide, non illas in te. Attende teipsum, qui sis ad pauperem; teipsum, non quod habes. Quid enim despicis fratrem? In visceribus matrum vestrarum ambo nudi fuistis. Certe etiam cum de ista vita exieritis, et istæ carnes, exhalata [1] anima, fuerint putrefactæ, dignoscantur ossa divitis et pauperis! De conditione loquor æquali, de ipsa sorte generis humani in qua omnes nascuntur: et dives cum hic sit, et pauper, non semper hic erit; et sicut dives non venit dives, sic nec dives abscedit: idem ipse est utriusque introitus, et par exitus. Addo quod forte mutabitis vices. Jam ubique Evangelium prædicatur: attende quemdam pauperem ulcerosum qui jacebat ante januam divitis, et cupiebat saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis; attende et illum parem [2] tuum qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Contigit nempe mori inopem illum, et auferri ab Angelis in sinum Abrahæ: ille autem mortuus est, et sepultus est; nam illius forte sepulturam nemo curavit: et cum apud inferos ille dives in tormentis esset, nonne elevavit oculos suos, et vidit in infinito gaudio eum quem contempsit ante januam suam, et de digito ejus aquæ stillam desideravit, qui de mensa ejus cadentes micas desideraverat? Fratres, labor ille pauperis quantus fuit? Deliciæ illæ divitis quam longæ fuerunt? Quod autem mutaverunt, perpetuum est. Illius ergo quia non erat declinatio in morte, et firmamentum erat in flagello ejus; in laboribus hominum non fuit, et inter homines flagellatus non est: ille autem flagellatus hic, requievit ibi; quia flagellat omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 6). Sed cui dicis ista? Epulanti splendide, et induenti se quotidie purpura et bysso. Cui dicis? Qui transiit *in dispositionem cordis*. Merito sero dicturus est, *Mitte Lazarum; dicat vel fratribus meis* (*Luc.* XVI, 19-31); quando ei non conceditur fructus pœnitentiæ. Non enim pœnitentia, non datur; sed sempiterna erit pœnitentia et nulla salus post pœnitentiam. Ergo isti *transierunt in dispositionem cordis*.

14. [*vers.* 8.] *Cogitaverunt et locuti sunt malignitatem*. Sed loquuntur malignitatem homines et cum timore, isti autem quomodo? *Iniquitatem in altum locuti sunt*. Non solum locuti sunt iniquitatem; sed etiam clare, audientibus omnibus, superbe: Ego facio, ego ostendo; senties cum quo habes, vivere te non sinam [3]. Vel cogitares ea, non etiam effunderes: vel intra claustra cogitationis mala cupiditas coerceretur, vel refrenaret eam intra cogitationem suam. Quare? an forte macer est? *Prodiet quasi ex adipe iniquitas eorum. Iniquitatem in altum locuti sunt*.

15. [*vers.* 9.] *Posuerunt in cœlum os suum, et lingua eorum transiit super terram*. Quid est hoc, *transiit super terram*? Quod dictum est, *Posuerunt in cœlum os suum*. Hoc est enim, *transiit super terram*, transeunt terrena omnia. Quid est, transire terrena omnia? Non se cogitat hominem subito mori posse, cum loquitur: quasi semper victurus minatur: transcendit cogitatio illius terrenam fragilitatem; nescit quali vase coopertus est, nescit quod scriptum est alio loco de talibus: *Exiet spiritus ejus, et revertetur in terram suam; in illa die peribunt omnes cogitationes ejus* (*Psal.* CXLV, 4). Sed isti diem ultimum suum non cogitantes, loquuntur superbiam [1]; et in cœlum ponunt os suum, et trascendunt terram. Si ultimum suum diem non cogitaret, id est judicii sui ultimum diem, latro missus in carcerem, nihil illo esset immanius; et tamen posset effugere. Quo fugis ne moriaris? Certus erit ille dies. Quid est diu quod victurus es? Quantum est diu quod habet finem, etsi diu esset? Huc accedit quia non est: et non est diu, et incertum est ipsum quod dicitur diu. Quare hoc non cogitat? Quia posuit in cœlum os suum, et lingua ejus transiit super terram.

16. [*vers.* 10.] *Ideo revertetur huc populus meus*. Jam ipse *Asaph* revertitur huc. Vidit enim ista abundare iniquis, vidit superbis: redit ad Deum, et incipit quærere et disputare. Sed quando? *Cum dies pleni invenientur in eis*. Quid est, *dies pleni? Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* (*Gal.* IV, 4). Ipsa est plenitudo temporis, quando venit ille temporalia docere contemni, non habere magnum quidquid mali homines cupiunt; pati quidquid mali homines metuunt. Factus est via, revocavit ad cogitationem intimam, admonuit quid a Deo quærendum esset. Et vide de qua cogitatione reverberata in se, et quodammodo revocante fluctus impetus sui, transitur ad vera eligenda. *Ideo revertetur populus meus huc; et dies pleni invenientur in eis*.

17. [*vers.* 11.] *Et dixerunt: Quomodo scivit Deus, et si est scientia in Altissimo?* Vide per quam cogitationem transeunt. Ecce iniqui felices sunt, non curat Deus res humanas. Vere scit quid agamus? Videte quæ dicuntur. Rogamus, fratres; jam Christiani non dicant: *Quomodo scivit Deus, et si est scientia in Altissimo*.

18. [*vers.* 12.] Unde enim tibi videtur non scire Deum, et non esse scientiam in Altissimo? Respondet: *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias*. Et peccatores sunt, et abundantes divitias in sæculo obtinuerunt. Confessus est quia ideo nolebat esse peccator, ut haberet divitias. Carnalis anima visibilibus rebus et terrenis vendiderat justitiam suam. Qualis justitia, quæ propter aurum habetur; quasi pretiosius sit aurum quam ipsa justitia, aut cum quisquam negat res alienas, majus damnum patiatur cui negat, quam ille qui illi negat! Ille perdit vestem, iste fidem. *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias*. Inde ergo

[1] Sic plures Mss. Alii cum Edd., *exuta*.
[2] Aliquot Mss., *patrem*.
[3] Hic in Edd. præmittitur, *superbe*: quod a Mss. abest.

[1] Mss., *superba*.

nescit Deus, et inde non est scientia in Altissimo!

19. [*vers.* 13.] *Et dixi : Ergo* [1] *sine causa justificavi cor meum.* Quando servio Deo, et ista non habeo; non serviunt illi, et his abundant : *Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi in innocentibus* [2] *manus meos.* Hoc sine causa feci. Ubi est merces bonæ vitæ meæ? ubi est præmium servitutis meæ? Bene vivo, et egeo; et iniquus [3] abundat. *Et lavi in innocentibus manus meas.*

20. [*vers.* 14.] *Et fui flagellatus tota die.* A me non recedunt flagella Dei. Bene servio; et flagellor, non servit, et ornatur. Magnam quæstionem sibi fecit. Agitatur anima, transit anima transitura ad contemnenda terrena et concupiscenda æterna. Transitus est ipsius animæ in hac cogitatione : ubi fluctuat in quadam tempestate, perventura est ad portum. Et quomodo solent ægri, qui lentius ægrotant cum sanitas longe est, vicina sanitate plus æstuant : accessionem creticam [4] medici vocant, per quam transitur ad sanitatem; major ibi æstus, sed ducens ad salutem; major ibi ardor, sed vicina refectio : sic ergo et hic æstuat. Nam periculosa verba sunt, fratres, molesta, et pene blasphema, *Quomodo scivit Deus?* Hoc est et *pene :* non dixit, Nescivit Deus; non dixit, Non est scientia in Altissimo : sed quasi quærens, hæsitans, dubitans Hoc est quod ait paulo ante : *Pene effusi sunt gressus mei. Quomodo scivit Deus, et si est scientia in Altissimo?* Non confirmat; sed ipsa dubitatio periculosa est. Per periculum transit ad sanitatem. Audi jam sanitatem : *Ergo in vanum justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas : et fui flagellatus tota die, et argutio mea in matutinum.* Argutio, correptio est : qui arguitur, corripitur. Quid est, *in matutinum?* Non differtur. Differtur impiorum; mea non differtur : illa sera, vel nulla est; mea *in matutinum. Et fui flagellatus tota die, et argutio mea in matutinum.*

21. [*vers.* 15.] *Si dicebam, Narrabo sic :* id est, docebo sic. Quomodo docturus es? Quia non est scientia in Altissimo? quia non scit Deus? Hanc sententiam vis proferre, quia sine causa juste vivunt qui juste vivunt, quia perdidit homo justus servitutem suam, quia magis Deus malis favet, aut neminem curat? hoc vis dicere, hoc narrare? Reprimit se, auctoritate compescente. Qua auctoritate? Vult homo aliquando erumpere in istam sententiam; sed revocatur Scripturis dicentibus ut semper bene vivatur, dicentibus quia Deus curat res humanas, quia discernit inter pium et impium. Ergo et iste volens jam istam proferre sententiam, revocat se. Et quid ait? *Si dicebam, Narrabo sic : ecce generationem filiorum tuorum reprobavi.* Reprobavi generationem filiorum tuorum, si narrabo sic : generationem justorum reprobabo. Sicut et quædam habent exemplaria : *Ecce generationi* [5] *filiorum tuorum cui concinui?* id est, cui filiorum tuorum concinui? id est, cui congrui, cui accommodatus sum? Dissonui ab omnibus, si sic doceo. Concinit enim qui consonat; qui autem non consonat, non concinit. Aliud dicturus sum quam dixit Abraham, quam dixit Isaac, quam dixit Jacob, quam dixerunt Prophetæ? Illi enim omnes dixerunt quia curat Deus res humanas : ego dicturus sum quia non curat? Majorne in me prudentia, quam in illis? majorne intellectus in me quam in illis? Saluberrima auctoritas revocavit cogitationem ab impietate.

22. [*vers.* 16.] Et quid sequitur? *Si dicebam, narrabo sic : ecce generationem filiorum tuorum reprobavi.* Ergo ne reprobaret, quid fecit? *Et suscepi cognoscere.* Suscepit cognoscere : Deus illi adsit, ut cognoscat. Interim, fratres, a magno lapsu revocatur, quando non se jam scientem præsumit, sed suscepit cognoscere quod nesciebat. Jam enim volebat quasi sciens videri, et prædicare nullam esse Deo curam de rebus humanis. Facta est enim ista iniquorum nequissima et impia doctrina. Sciatis, fratres, multos disputare, et dicere quia Deus res humanas non curat, quia casibus reguntur omnia, vel quia stellis subjectæ sunt voluntates nostræ, quia unusquisque non pro meritis agitur, sed necessitate stellarum suarum : doctrina mala, doctrina impia! In hæc iste ibat, cujus *pene commoti sunt pedes*, et cujus *paulo minus effusi sunt gressus;* in hunc ibat errorem : sed quia non concinebat generationi filiorum Dei, suscepit cognoscere; et damnavit scientiam in qua justis Dei non congruebat. Et quid dicat audiamus; quia suscepit cognoscere, et adjutus est, et didicit aliquid, et indicavit nobis. *Et suscepi*, inquit, *cognoscere. Hoc labor est ante me.* Vere magnus labor, cognoscere quomodo et Deus curet res humanas, et bene sit malis, et laborent boni! Magna vis quæstionis! ideo, *Hoc labor est ante me.* Quasi stat mihi in facie murus quidam : sed habes vocem psalmi, *In Deo meo transgrediar murum* (*Psal.* XVII, 30). *Hoc labor est ante me.*

23. [*vers.* 17.] Verum dicis : labor est ante te; sed ante Deum non est labor : fac te ante Deum ubi non est labor, et nec tibi erit labor. Et fecit hoc; nam dicit quamdiu labor ante se : *Donec introeam in sanctuarium Dei, et intelligam in novissima.* Magna res, fratres. Jam diu laboro, inquit, et ante faciem meam laborem quemdam quasi inextricabilem video, ut cognoscam quomodo et justus sit Deus, et res humanas curet, et non sit iniquus, quod peccantes et scelera facientes felicitatem habent in hac terra; pii vero et Deo servientes in tentationibus plerumque et in laboribus fatigantur : magna difficultas est hoc scire; sed *donec introeam in sanctuarium Dei.* In sanctuario enim Dei quid tibi præstatur, ut hanc solvas quæstionem? *Et intelligam*, inquit, *in novissima;* non in præsentia. Ego, inquit, de sanctuario Dei intendo oculum in finem; præsentia transgredior. Totum hoc quod vocatur humanum genus, omnis ista massa mortalitatis ventura est ad examen, ventura est ad libram; appendentur ibi opera hominum. Cuncta modo nubes involvit; sed Deo cognita sunt merita singulorum. *Et*

[1] Vox, *ergo*, hoc loco deest in Er. et in Mss.
[2] Sic Mss. juxta Græc. LXX. At Edd., *inter innocentes.*
[3] Sic Er. et aliquot Mss. Alii cum Lov., *inimicus.*
[4] In Edd. *criticam.* At in omnibus Mss. per *e* scriptum est, *creticam.*
[5] Sic melioris notæ Mss. Alii, *generatio.* At Edd., *generationem.*

intelligam, inquit, *in novissima :* sed non a me; nam ante me labor est. Unde *intelligam in novissima?* Intrem in sanctuarium Dei. Ibi ergo intellexit, et unde modo isti felices.

24. [*vers.* 18.] *Veruntamen propter dolositatem posuisti eis.* Quia dolosi sunt, id est fraudulenti; quia dolosi sunt, dolos patiuntur. Quid est hoc, quia fraudulenti sunt, fraudem patiuntur? Fraudem volunt facere generi humano in omnibus nequitiis suis; fraudem et ipsi patiuntur, ut terrena bona eligant, et relinquant æterna. Ergo, fratres, in eo quod fraudem faciunt, fraudem patiuntur. Quod jamdudum dixi, fratres; quale cor habet, qui ut lucretur vestem, perdit fidem? Ille cui tulit vestem passus est fraudem, an iste qui tanto damno percutitur? Si pretiosior est vestis quam fides, majore damno ille afficitur : si autem incomparabiliter fides excedit totum mundum, ille videbitur damnum vestis perpeti; huic autem dicitur, *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur; animæ autem suæ damnum patiatur* (*Matth.* XVI, 26)? Ergo quid illis contigit? *Propter dolositatem posuisti eis : dejecisti eos dum extollerentur.* Non dixit, Dejecisti eos, quia elati sunt : non quasi posteaquam elati sunt, dejecisti illos; sed in eo ipso quod elati sunt, dejecti sunt. Sic enim efferri, jam cadere est : *Dejecisti eos dum extollerentur.*

25. [*vers.* 19.] *Quomodo facti sunt in desolationem subito!* Admiratur super eis, intelligens in novissima. *Defecerunt :* vere quomodo fumus, qui dum extollitur, deficit, defecerunt. Quomodo dicit, *defecerunt?* Quomodo qui intelligit in novissima. *Defecerunt : perierunt propter iniquitatem suam.*

26. [*vers.* 20.] *Veluti somnium exsurgentis.* Quomodo defecerunt? Quomodo deficit somnium exsurgentis. Fac hominem in somnis videre se invenisse thesauros : dives est, sed donec evigilet. *Veluti somnium exsurgentis :* sic defecerunt, quomodo somnium evigilantis. Quæritur igitur, et non est : nihil in manibus, nihil in lecto. Pauper dormierat, dives in somnis factus fuerat; si non evigilasset, dives esset : evigilavit, invenit ærumnam quam dimiserat dormiens. Et isti [1] invenient miseriam quam sibi comparaverant : cum evigilaverint de hac vita, transit illud quod quasi in somno tenebatur, *veluti somnium exsurgentis.* Et ne diceretur : Quid ergo? parva tibi videtur claritas eorum, parva tibi videtur pompa eorum, parvi tibi videntur tituli, imagines, statuæ, laudes, cunei clientium? *Domine*, ait, *in civitate tua imaginem* [2] *illorum ad nihilum rediges.* Itaque, fratres mei, libere loquens de hoc loco, vel unde licet [3]; quia quando vobis miscemur, magis vos ferimus quam docemus : in nomine Christi et in timore ejus exhortor vos, ut quicumque ista non habetis, non cupiatis; quicumque habetis, non in eis præsumatis. Ecce dixi vobis : non dico, Damnamini, quia habetis; sed, damnamini, si de talibus præsumatis, si de talibus inflemini, si propter talia magni vobis videamini, si propter talia pauperes non agnoscatis, si generis humani conditionem communem propter excellentem vanitatem obliviscamini. Tunc enim Deus necesse est retribuat in novissima, et in civitate sua imaginem talium ad nihilum redigat. Qui autem dives est, hoc modo sit quo præcepit Apostolus : « Præcipe, » inquit, « divitibus hujus mundi non superbe sapere; neque sperare in incerto divitiarum suarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. » Abstulit superbiam divitum; dat consilium. Quasi dicerent : Divites sumus; superbire nos prohibes, jactare pompas divitiarum nostrarum vetas; quid ergo facturi sumus de istis divitiis? Usque adeo non est quod inde faciant? *Divites sint*, inquit, *in operibus bonis; facile tribuant, communicent.* Et quid prodest hoc? *Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam* (*I Tim.* VI, 17, 18, 19). Ubi debent sibi thesaurizare? Quo misit iste oculum, intrans in sanctuarium Dei. Exhorrescant omnes fratres nostri divites, abundantes pecunia, auro, argento, familia, honoribus; exhorrescant quod modo dictum est : *Domine, in civitate tua imaginem illorum ad nihilum rediges.* Nonne digni sunt hæc pati, ut Deus in civitate sua imaginem illorum ad nihilum redigat; quia et ipsi in civitate sua terrena imaginem Dei ad nihilum redegerunt? *In civitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges.*

27. [*vers.* 21.] *Quia delectatum est cor meum.* Dicit quibus rebus tentatur : *Quia delectatum est*, inquit, *cor meum; et renes mei mutati sunt.* Quando me delectaverunt temporalia ista, mutati sunt renes mei. Potest et sic intelligi : *Quia delectatum est cor meum*, in Deum; *et renes mei mutati sunt*, id est, libidines meæ mutatæ sunt, et castus totus factus sum. *Renes mei mutati sunt.* Et audi quomodo.

28. [*vers.* 22.] *Et ego ad nihilum redactus sum, et non cognovi.* Ego ille, qui modo ista dico de divitibus, aliquando talia desideravi : ideo *et ego ad nihilum redactus sum*, quando *pene effusi sunt gressus mei. Et ego ad nihilum redactus sum, et non cognovi :* non est ergo desperandum et de illis, in quos talia dicebam.

29. [*vers.* 23.] Quid est, *non cognovi? Quasi pecus factus sum ad te; et ego semper tecum.* Multum interest inter istum et alios. Iste quasi pecus factus est desiderando terrena, quando redactus ad nihilum non cognovit æterna : sed non recessit a Deo suo, quia non illa desideravit a dæmonibus, a diabolo. Hoc enim jam vobis commendavi : vox est Synagogæ, id est, illius populi qui non servivit idolis. Pecus quidem factus sum, a Deo meo terrena desiderans; sed nunquam recessi ab ipso Deo meo.

30. [*vers.* 24.] Quia ergo, quamvis factus pecus, non recessi a Deo meo, sequitur : *Tenuisti manum dexteræ meæ.* Non dixit, manum dexteram meam; sed, *manum dexteræ meæ.* Si dexteræ manus est, manus habet manum : *Manum tenuisti dexteræ meæ*, ut deduceres me. Quid posuit, *manum?* Potesta-

[1] Edd., *non invenient.* Abest, *non*, a Mss.
[2] Er. et plerique Mss. hoc tantum loco, *imagines.*
[3] Sic Regius codex. Alii Mss., *vel unde libet.* Edd. vero, *vel ubi unde libet.*

tem. Hoc enim dicimus quemquam habere in manu, quod habet in potestate; quomodo dixit diabolus Deo de Job: *Mitte manum tuam, et tolle quæ habet* (*Job* I, 11). Quid est, *mitte manum tuam?* Da potestatem. Manum Dei, potestatem Dei dixit; sicut scriptum est alio loco: *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XVIII, 21). Numquid lingua habet manus? Sed quid est, *in manibus linguæ?* In potestate linguæ. Quid est, in potestate linguæ? *Ex ore tuo justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis* (*Matth.* XII, 37). *Tenuisti ergo manum dexteræ meæ*, potestatem dexteræ meæ. Quæ erat dextera mea? Quia *ego semper tecum*. In sinistram [1] habebam, quia *pecus factus sum;* id est, quia terrena in me fuit concupiscentia: sed dextera mea erat, quia semper tecum eram. Hujus dexteræ meæ manum tenuisti, id est, potestatem rexisti. Quam potestatem? *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12): cœpit esse jam inter filios Dei, ad Novum Testamentum pertinens. Vide quomodo retenta est manus dexteræ ejus. *In voluntate tua deduxisti me.* Quid est, *in voluntate tua?* Non in meritis meis. Quid est, *in voluntate tua?* Audi Apostolum, qui fuit pecus primo terrena desiderans, et secundum Vetus Testamentum vivens; quid ait? *Qui primo fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus; sed misericordiam consecutus sum* (I *Tim.* I, 13). Quid est, *in voluntate tua? Gratia Dei sum id quod sum* (I *Cor.* XV, 10). *Et cum gloria* [2] *assumpsisti me.* Jam quo assumptus est, et in qua gloria, quis explicat? quis dicit? Exspectemus hoc, quia in resurrectione erit; in novissimis erit: *Cum gloria assumpsisti me.*

31. [*vers.* 25.] Et cœpit cogitare felicitatem ipsam cœlestem, et arguere se, quia pecus fuit, et terrena desideravit. *Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?* Ex voce vestra intellexisse vos video. Comparavit voluntati suæ terrenæ præmium cœleste quod accepturus est; vidit quid ibi sibi servaretur, et cogitans, et æstuans in cogitatione cujusdam rei ineffabilis, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*Id.* II, 9), non dixit, Illud, aut illud mihi est in cœlo; sed, *Quid mihi est in cœlo?* Quid est illud quod habeo in cœlo? quid est? quantum est? quale est? *Et*, cum non transit quod habeo in cœlo, *a te quid volui super terram?* Servas mihi tu: sic dicam ut possum, sed date veniam; accipite conatum meum, devotionem nitendi; nam explicandi nulla facultas est [3]: servas, inquit, mihi tu in cœlo divitias immortales, te ipsum; et ego volui a te in terra quod habent et impii, quod habent et mali, quod habent et facinorosi; pecuniam, aurum, argentum, gemmas, familias; quod habent et scelerati multi, quod habent multæ feminæ turpes, multi viri turpes: hæc pro magno desideravi a Deo meo super terram, cum servet se mihi in cœlo Deus meus. *Quid enim mihi est in cœlo?* Ostendere habet ipsum quid. *Et a te quid volui super terram?*

32. [*vers.* 26.] *Defecit cor meum et caro mea, Deus cordis mei* Hoc ergo mihi est in cœlo servatum, *Deus cordis mei, et pars mea Deus meus.* Quid est, fratres? Inveniamus divitias nostras; eligat sibi partes genus humanum. Videamus homines cupiditatum diversitate laniari: eligant alii militiam, alii advocationem, alii diversas variasque doctrinas, alii negotiationem, alii agriculturam; istas partes sibi faciant de rebus humanis: clamet populus Dei, *Pars mea Deus meus.* Non ad tempus pars mea; sed *pars mea Deus in sæcula.* Aurum etsi semper habeo, quid habeo? Deum etsi non semper haberem [1], quam magnum bonum haberem! Huc accedit quia mihi seipsum promittit, et id me in æternum habiturum promittit. Tantum habeo, et nunquam non habeo! Magna felicitas! *Pars mea Deus.* Quamdiu? *In sæcula.* Quoniam ecce vide quomodo illum amavit; fecit cor castum: *Deus cordis mei, et pars mea Deus in sæcula.* Factum est cor castum; gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud præmium. Qui aliud præmium petit a Deo, et propterea vult servire Deo, carius facit quod vult accipere, quam ipsum a quo vult accipere. Quid ergo? nullum præmium Dei? Nullum, præter ipsum. Præmium Dei, ipse Deus est. Hoc amat, hoc diligit: si aliud dilexerit, non erit castus amor. Recedis ab igne immortali; frigesces, corrumperis. Noli recedere; corruptio tua erit, fornicatio tua erit. Jam iste redit, jam istum pœnitet, jam pœnitentiam iste eligit, jam dicit, *Pars mea Deus.* Et quomodo delectatur in ipso, quem sibi partem elegit!

33. [*vers.* 27.] *Ecce qui longe se faciunt a te, peribunt.* Iste ergo recessit a Deo, sed non longe: quia *quasi pecus factus sum*, inquit, *et ego semper tecum.* Illi vero longe recesserunt, quia non solum terrena desideraverunt, sed ea a dæmonibus et a diabolo petierunt. *Qui longe se faciunt a te, peribunt.* Et quid est, longe a Deo fieri? *Perdidisti omnem qui fornicatur abs te.* Huic fornicationi contrarius est amor castus. Quis est amor castus? Amat jam anima sponsum suum: quid ab illo quærit, ab sponso suo quem diligit? Forte quomodo sibi eligunt homines aut generos, aut sponsos feminæ; eligit forte divitias, et aurum ejus amat, et fundos, et argentum, et pecuniam, et equos, et familiam, et cætera. Absit: iste ipsum solum amat, gratis amat; quia in ipso habet omnia, quia per ipsum facta sunt omnia (*Joan.* I, 3). *Perdidisti*, inquit, *omnem qui fornicatur abs te.*

34. [*vers.* 28.] Tu autem quid facis? *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Hoc est totum bonum. Vultis amplius? Doleo volentes. Fratres, quid vultis amplius? Deo adhærere nihil est melius, quando eum videbimus facie ad faciem (I *Cor.* XIII, 12). Modo ergo quid? Quia adhuc peregrinus loquor: *Adhærere*, inquit, *Deo bonum est;* sed modo in peregrinatione, quia nondum venit res, *Ponere in Deo spem meam.* Quamdiu ergo nondum adhæsisti, ibi pone spem. Fluctuas; præmitte ad terram ancoram. Nondum hæres per præsentiam; inhære per spem. *Ponere in Deo*

[1] Sic melioris notæ Mss. At Edd., *in sinistra.*
[2] Omnes Mss. hoc loco, *in gloria.*
[3] Mss., *nullam facultatem.*

[1] Sic meliores Mss. At Edd., *Deum si semper haberem*, etc.

spem meam. Et quid hic ages, ponens in Deo spem tuam? Quod erit negotium tuum, nisi ut laudes quem diligis, et facias tecum coamatores ejus [1]? Ecce si amares aurigam, non raperes cæteros ut tecum amarent? Amator aurigæ quacumque transit loquitur de illo, ut cum illo eum ament et cæteri. Gratis amantur flagitiosi homines; et a Deo præmium quæritur ut ametur! Ama Deum gratis; nulli invideas Deum. Rapite eum quotquot potestis, quotquot possessuri estis: non fit angustus; nullos in illo limites facietis; totum singuli possidebitis, et totum omnes habebitis. Ergo hoc fac cum hic es, id est, cum ponis in Deo spem tuam. Quid enim sequitur? *Ut annuntiem omnes laudes tuas in atriis filiæ Sion. Ut annuntiem omnes laudes tuas:* sed ubi? *In atriis filiæ Sion;* quia prædicatio Dei præter Ecclesiam inanis est. Parum est laudare Deum, et annuntiare omnes laudes ejus: *In atriis filiæ Sion* annuntia. Ad unitatem tende [2], noli dividere populum; sed rape ad unum, et fac unum. Oblitus sum quamdiu dixi. Jam finito Psalmo, et ex isto odore [3] conjicio me diuturnum habuisse sermonem: sed studiis vestris non sufficio; violenti estis nimis: utinam ista violentia rapiatis regnum cœlorum!

IN PSALMUM LXXIII
ENARRATIO.
SERMO AD POPULUM.

1. [*Vers.* 1.] Psalmi hujus titulus est: *Intellectus Asaph.* Asaph latine Congregatio, græce Synagoga dicitur. Videamus quid intellexerit ista synagoga. Nos autem intelligamus primitus synagogam; exinde intelligemus quid intellexerit synagoga. Omnis congregatio generali nomine synagoga appellatur: et pecorum et hominum potest dici congregatio; non autem hic pecorum congregatio est, quando audivimus intellectum. Nam homo cum in se neglexerit intellectum in honore positus, quid de illo dictum est audi: *Homo in honore positus non intellexit; comparatus est jumentis insensatis, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII, 13). Quia ergo non est pecorum congregatio, nec diu disserendum est, nec diligentius commendandum; sed quia hominum est, quorum hominum sit hoc debemus intelligere. Non utique eorum hominum est, qui in honore positi non intelligentes, comparati sunt jumentis insensatis, et similes facti sunt eis; sed eorum qui intelligunt. Præscribit enim hoc titulus Psalmi, dicens: *Intellectus Asaph.* Intelligens [4] ergo quædam congregatio est, cujus vocem audituri sumus. Sed quoniam proprie Synagoga dicta est congregatio populi Israel, ita ut ubicumque audierimus Synagogam, non jam soleamus intelligere nisi populum Judæorum; videamus ne forte ipsius vox sit in isto psalmo. Sed qualium Judæorum, et qualis populi Israel? Non enim paleæ, sed forte frumenti (*Matth.* III, 12); non ramorum fractorum (*Rom.* XI, 17), sed forte confirmatorum. *Non enim omnes qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitæ; sed in Isaac,* inquit, *vocabitur tibi semen: hoc est, non hi qui filii carnis, hi filii Dei; sed filii promissionis deputantur in semine* (*Id.* IX, 6-8). Sunt ergo quidam Israelitæ, ex quibus erat ille de quo dictum est: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I, 47). Non secundum hoc dico, quod et nos Israelitæ sumus, quia et nos semen Abrahæ sumus; Gentibus quippe loquebatur Apostolus, cum diceret: *Ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes* (*Gal.* III, 29). Secundum hoc ergo omnes Israelitæ, qui sequimur vestigia fidei patris nostri Abrahæ. Sed illo modo hic intelligamus Israelitarum vocem, quomodo dixit Apostolus: *Nam et ego Israelita sum ex semine Abrahæ, de tribu Benjamin* (*Rom.* XI, 1). Hic ergo intelligamus quod Prophetæ dixerunt: *Reliquiæ salvæ fient* (*Id.* IX, 27). Reliquiarum itaque salvatarum audiamus hic vocem; ut loquatur Synagoga, quæ acceperat Vetus Testamentum, et intenta erat in promissa carnalia; et ex hoc factum est ut nutarent ei pedes. Nam et in alio quodam psalmo, ubi etiam titulus habet *Asaph*, quid dicitur? *Quam bonus Deus Israel rectis corde! Mei autem pene moti sunt pedes.* Et quasi diceremus: Unde tibi moti sunt pedes? *Paulo minus,* inquit, *effusi sunt gressus mei, quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum intuens.* Cum enim secundum promissa Dei ad Vetus Testamentum pertinentia exspectaret felicitatem terrenam, animadvertit eam abundare apud impios; in his rebus quas exspectabat a Deo, pollere illos qui non colerent Deum; et tanquam sine causa Deo servisset, nutaverunt pedes ejus. Ibi enim dicit: *Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias. Numquid in vano justificavi cor meum* (*Psal.* LXXII, 1, 2, 3, 12, 13)? Videte quemadmodum paulo minus effusi sunt gressus ejus, ut jam dicat sibi anima: Quæ utilitas, quia servio Deo? Ecce ille non servit, et felix est; ego servio, et laboro. Postremo puta quia ego felix sum; quando et ille felix est qui non servit, quare me putem ideo felicem esse quia servio? Ille autem psalmus cujus testimonium produxi, præcedit istum quem nunc in manibus habemus.

2. Opportune autem non ex nostra, sed ex Dei dispensatione factum est, ut modo audiremus ex Evangelio, *Quia lex per Moysen data est; Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17). Si enim discernimus duo Testamenta, Vetus et Novum, non sunt eadem Sacramenta, nec eadem promissa; eadem tamen pleraque præcepta. Nam, *Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis, Honora patrem et matrem, Non falsum testimonium dixeris, Non concupisces rem proximi tui, Non concupisces uxorem proximi tui* (*Exod.* XX, 12-17), et nobis præceptum est; et quisquis ea non observaverit, deviat, nec omnino dignus est qui accipere [1] mereatur montem sanctum Dei, de quo dictum est: *Quis habitabit in tabernaculo tuo; aut quis*

[1] Sic Mss. At Edd., *et saties te cum amatoribus ejus.*
[2] Edd., *attende.* At Mss., *tende:* pluresque ex iis paulo post habent, *rape ad unum et fac unum.*
[3] Regius liber, *ardore.* Alii Mss. cum Edd., *odore:* an forte pro, *sudore.*
[4] Sic aliquot Mss. Alii cum Edd., *intellectus.*

[1] Duo Mss., *ascendere.*

requiescet in monte sancto tuo (*Psal.* XIV, 1)? *Innocens manibus, et mundo corde*[1] (*Psal.* XXIII, 4). Discussa ergo præcepta, aut omnia eadem inveniuntur, aut vix aliqua in Evangelio quæ non dicta sint a Prophetis. Præcepta eadem; Sacramenta non eadem, promissa non eadem. Videamus quare præcepta eadem : quia secundum hæc Deo servire debemus. Sacramenta non eadem, quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta Novi Testamenti dant salutem; Sacramenta Veteris Testamenti promiserunt Salvatorem. Cum ergo jam teneas promissa, quid quæris promittentia, habens jam Salvatorem? Hoc dico, teneas promissa[2], non quod jam acceperimus vitam æternam; sed quia jam venerit Christus, qui per Prophetas prænuntiabatur. Mutata sunt Sacramenta; facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora. Promissa quare non eadem? Quia promissa est terra Chanaan, terra copiosa, fructuosa, affluens lacte et melle; promissum regnum temporale, promissa felicitas sæculi, promissa fecunditas filiorum, promissa subjectio inimicorum (*Exod.* III, 8) : hæc omnia ad terrenam felicitatem pertinent. Sed quare ipsa primo promitti oportebat? Quia « non primo quod spirituale est, sed quod animale; postea, » inquit, « spirituale. Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis : qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est » (I *Cor.* XV, 46-49). Ad imaginem terreni pertinet Vetus Testamentum; ad imaginem cœlestis Novum Testamentum. Sed ne quisquam putaret ab alio factum esse hominem terrenum, ab alio cœlestem; ideo Deus ostendens se esse utriusque creatorem, etiam utriusque Testamenti se esse voluit auctorem; ut et terrena promitteret in Vetere Testamento, et cœlestia in Novo Testamento. Sed quamdiu prius[3] homo terrenus es? quamdiu terrena sapis? Numquid quoniam puero dantur quædam puerilia, ludicra quibus puerilis animus avocetur, propterea grandescenti non ei excutiuntur e manibus, ut aliquid jam utilius tractet, quod grandem deceat? Verumtamen tu ipse dedisti filio tuo, et nuces parvulo, et codicem grandi. Non ergo, quia illa quasi ludicra puerorum Deus per Novum Testamentum excussit de manibus filiorum, ut aliquid utilius daret grandescentibus, propterea priora illa non ipse dedisse putandus est : ipse utrumque dedit. Sed *Lex ipsa per Moysen data est; Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17) : *gratia*, quia impletur per charitatem quod per litteram jubebatur; *veritas*, quia redditur quod promittebatur. Hoc ergo intellexit Asaph iste. Denique omnia quæ Judæis promissa fuerant, ablata sunt. Ubi est regnum eorum? ubi templum? ubi unctio? ubi sacerdos? ubi jam apud illos Prophetæ? Ex quo venit qui per Prophetas prædicabatur, in illa gente jam nihil horum est; jam perdidit terrena, et nondum quærit cœlestia.

[1] Isthic in Edd. interponebatur : *Hæc dicimus, fratres charissimi, ut omnes de Novo Testamento discatis non inhærere terrenis rebus, sed cœlestia adipisci* : quod abest a Mss.

[2] Sic probæ notæ Mss. At Lov., *Salvatorem habens, jam in hoc teneas promissa*.

[3] Sic Regius codex. Alii plerique Mss.: *Sed quamdiu primus*, etc. Edd. vero : *Sed tamdiu primus*, etc.

3. Inhærere ergo terrenis, quamvis ea Deus donet, non debes. Verumtamen non quia inhærere eis non debemus, alium ea dare, nisi Deum, credere debemus; ipse ea dat; sed noli pro magno exspectare ab eo bonum, quod dat et non bono. Nam si pro magno ea daret, malis ea non daret. Ideo autem ea voluit dare et malis, ut discant boni aliud ab eo quærere, quod non dat et malis. Illi autem inhærentes terrenis miseri, et non de illo præsumentes qui fecit cœlum et terram, qui eis dedit et ipsa terrena, qui eos etiam temporaliter de Ægypti captivitate liberavit, qui eos per divisum mare duxit, qui eorum inimicos persequentes fluctibus obruit (*Exod.* XIV, 22, 28); non in illo præsumentes qui daret utique cœlestia grandibus, sicut terrena parvulis dedit, timentes perdere quod acceperant, occiderunt qui dederat. Hæc dicimus, fratres, ut homines[1] de Novo Testamento discatis non inhærere terrenis. Si enim illi inexcusabiliter terrenis inhæserunt, quibus ipsum Novum Testamentum nondum fuerat revelatum; quanto inexcusabilius terrena sectantur, quibus jam promissa cœlestia in Novo Testamento revelata sunt! Nam recolite, fratres mei, quid dictum sit a persequentibus Christum. *Si dimiserimus eum, venient Romani, et tollent nobis, et locum, et gentem* (*Joan.* XI, 48). Videte quia timendo terrena perdere, regem cœli occiderunt. Et quid eis factum est? Perdiderunt etiam ipsa terrena; et ubi occiderunt Christum, ibi occisi sunt : et cum terram nolentes perdere, datorem vitæ occiderunt, eamdem terram occisi perdiderunt; et eo tempore quo illum occiderunt, ut ex ipso tempore admonerentur quare ista perpessi sunt. Quando enim eversa est civitas Judæorum, Pascha celebrabant, et in multis millibus hominum tota ipsa gens convenerat ad illius festivitatis celebrationem. Ibi Deus, per malos quidem, sed tamen ille bonus; per injustos, sed justus et juste, ita in eos vindicavit, ut perimerentur multa hominum millia, et ipsa civitas everteretur. Hoc in isto psalmo plangit *intellectus Asaph*; et in ipso planctu, tanquam intellectus discernit terrena a cœlestibus, discernit Vetus Testamentum a Novo Testamento; ut videas per quæ transeas, quid exspectes, quid relinquas, quibus hæreas. Sic ergo cœpit.

4. *Utquid repulisti nos, Deus, in finem? Repulisti in finem* : ex persona populi Judæorum, et ex persona congregationis quæ proprie Synagoga appellatur. *Utquid repulisti nos, Deus, in finem?* Non reprehendit, sed quærit, *Utquid*, quamobrem, propter quid hoc fecisti? Quid fecisti? *Repulisti nos in finem*. Quid est, *in finem*? Forte usque in finem sæculi. An repulisti nos in Christum, qui finis est omni credenti (*Rom.* X, 4)? *Utquid* enim *repulisti nos, Deus, in finem? Iratus est animus tuus super oves gregis tui*. Quare iratus es super oves gregis tui; nisi

[1] Sic Mss. At Edd., *omnes*.

quia terrenis inhærebamus, et pastorem non agnoscebamus?

5. [*vers.* 2.] *Memento congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.* Numquid ista potest esse vox Gentium? numquid Gentes possedit ab initio? Sed possedit semen Abrahæ, populum Israel etiam secundum carnem natum de Patriarchis, patribus nostris; quorum nos filii facti sumus, non veniendo de carne, sed imitando fidem. Illi autem a Deo possessi ab initio, quid eis contigit? *Memento congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Redemisti virgam hæreditatis tuæ.* Ipsam congregationem tuam, *virgam hæreditatis tuæ redemisti.* Hanc ipsam congregationem dixit *virgam hæreditatis.* Respiciamus ad factum primum, quando voluit possidere ipsam congregationem, liberans illam de Ægypto, quod signum dederit Moysi, cum diceret Moyses ei: *Quod signum dabo, ut credant mihi quia tu me misisti? Et Deus ait ad illum: Quid in manu tua portas? Virgam. Projice illam in terram. Et dimisit virgam in terram, et facta est serpens; et expavit Moyses, et fugit Moyses ab eo. Et ait illi Dominus: Apprehende caudam ejus. Et apprehendit; et reversa est in statum suum, virga facta, sicut antea virga erat* (*Exod.* IV, 1-4). Quid significat? non enim frustra factum est. Interrogemus Litteras Dei. Quid serpens persuasit homini? Mortem (*Gen.* III, 4, 5). Ergo mors a serpente. Si mors a serpente, virga in serpente, Christus in morte. Ideo etiam cum a serpentibus in deserto morderentur et necarentur, præcepit Dominus Moysi, ut serpentem æneum exaltaret in eremo, et admoneret populum, ut quisquis a serpente morsus esset, illum intueretur, et sanaretur (*Num.* XXI, 8, *et Joan.* III, 14). Sic et fiebat; sic et homines a venenis, morsi a serpentibus, sanabantur intuendo serpentem. Sanari a serpente, magnum sacramentum! Quid est, intuendo serpentem sanari a serpente? Credendo in mortuum salvari a morte. Et tamen *expavit et fugit Moyses.* Quid est, ab illo serpente fugisse Moysen? Quid, fratres, nisi quod scimus in Evangelio factum? Mortuus est Christus, et expaverunt discipuli, et ab illa spe in qua fuerant recesserunt (*Luc.* XXIV, 21). Sed quid dictum est? *Apprehende caudam ejus.* Quid est, *caudam?* Posteriora comprehende. Hoc significavit et illud: *Posteriora mea videbis* (*Exod.* XXXIII, 23). Primo factus serpens, sed cauda retenta facta virga; primo occisus, postea resurrexit. Est etiam in cauda serpentis finis sæculi; quia sic modo mortalitas Ecclesiæ ambulat: alii eunt, alii veniunt per mortem tanquam per serpentem, quia a serpente mors seminata est; sed in fine sæculi, tanquam cauda, redimus ad manum Dei, et efficimur stabilitum regnum Dei, ut impleatur in nobis, *Redemisti virgam hæreditatis tuæ.* Sed quia Synagogæ vox est; redempta autem virga hæreditatis Dei magis apparet in Gentibus, occulta autem spes Judæorum, vel eorum qui futuri sunt ut credant, vel eorum qui eo tempore crediderunt, quando misso Spiritu sancto, discipuli omnium gentium linguis locuti sunt (*Act.* II, 4). Tunc enim aliquot millia de Judæis ipsis Christi crucifixoribus crediderunt; et quia prope inventi erant, ita crediderunt, ut omnia quæ habebant venderent, et pretia rerum suarum ante pedes Apostolorum ponerent (*Act.* IV, 34). Quia ergo occultum erat hoc, magisque redemptio virgæ Dei clara futura erat in Gentibus; explanat [1] unde dicat quod dixit: *Redemisti virgam hæreditatis tuæ.* Hoc dixit non de Gentibus, in quibus manifestum est. Sed unde? *Montem Sion.* Adhuc et mons Sion potest aliter intelligi. *Istum quem inhabitasti in ipso:* ubi erat populus ante, ubi institutum templum, ubi celebrata sacrificia, ubi omnia illo tempore necessaria, Christum promittentia. Promissio, cum res redditur, jam fit superflua. Nam antequam reddatur quod promittitur, necessaria est ipsa promissio, ne promissum sibi obliviscatur cui promittitur, et non exspectando moriatur. Oportet ergo ut exspectet, ut cum venerit accipiat: ideo non debet deserere promissionem. Propter hoc non deserebantur figuræ, ut veniente die, umbræ tollerentur: *Montem Sion istum quem inhabitasti in ipso.*

6. [*vers.* 3.] *Eleva manum tuam in superbiam eorum in finem.* Quomodo nos repellebas in finem, sic *eleva manum tuam in superbiam eorum in finem.* Quorum *superbiam?* A quibus eversa est Jerusalem. A quibus autem, nisi a regibus Gentium? Bene elevata est manus ejus in superbiam eorum in finem; nam et ipsi jam Christum cognoverunt. *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Quam bene illis optat? Quasi iratus loquitur, et maledicere videtur: et utinam eveniat quod maledicit! imo jam in nomine Christi evenire gaudeamus. Jam tenentes sceptrum, subduntur ligno crucis; jam fit quod prædictum est: *Adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient illi* (*Psal.* LXXI, 11). Jam in frontibus regum pretiosius est signum crucis, quam gemma diadematis. *Eleva manum tuam in superbiam eorum in finem. Quanta maligne operatus est inimicus in sanctis tuis!* In his quæ sancta tua erant; id est, in templo, in sacerdotio, in illis omnibus Sacramentis, quæ illo tempore fuerunt, *quanta maligne operatus est inimicus!* Revera inimicus tunc operatus est. Gentes enim tunc, quæ hoc fecerunt, deos falsos colebant, simulacra adorabant, dæmonibus serviebant; operati sunt tamen multa mala in sanctis Dei. Quando possent, nisi permitterentur? quando autem permitterentur, nisi jam sancta illa, primo promissiva, necessaria [2] non essent, cum ipse qui promiserat teneretur? Ergo *quanta maligne operatus est inimicus in sanctis tuis!*

7. [*vers.* 4]. *Et gloriati sunt omnes qui oderunt te.* Servos attende dæmonum, servos simulacrorum; quales tunc Gentes erant, quando everterunt templum et civitatem Dei, *et gloriati sunt. In medio solemnitatis tuæ.* Mementote quod dixi, tunc eversam esse Jerusalem, cum ipsa solemnitas ageretur; in qua solemnitate Dominum crucifixerunt: congregati sævierunt; congregati perierunt.

[1] Edd., *exprimit.* At Mss. quidam, *explanat:* potiores, *expropriat.*
[2] Sic aliquot Mss. At Edd., *prima:* et omittunt vocem, *necessaria.*

8. [*vers.* 5.] *Posuerunt signa sua, signa; et non cognoverunt.* Habebant signa quæ ibi ponerent, vexilla sua, aquilas suas, dracones suos, signa Romana; aut etiam statuas suas, quas primo in templo posuerunt; aut forte *signa sua*, quæ audierant a vatibus dæmonum suorum. *Et non cognoverunt.* Quid non cognoverunt? Quia *non haberes in me potestatem, nisi tibi data esset desuper* (*Joan.* XIX, 11). Non cognoverunt quia non ipsis honor delatus est, ut affligerent, ut caperent, vel everterent civitatem; sed impietas eorum tanquam securis Dei facta est: facti sunt instrumentum irati, non in [1] regnum placati. Facit enim hoc Deus quod plerumque facit et homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam jacentem in medio, fortasse qualecumque sarmentum, cædit inde filium suum; ac deinde projicit sarmentum in ignem, et filio servat hæreditatem: sic aliquando Deus per malos erudit bonos, et per temporalem potentiam damnandorum exercet disciplinam liberandorum. Quid enim? putatis, fratres, quia vere sic data est disciplina illi genti, ut omnino periret? Quanti inde postea crediderunt! quanti adhuc credituri sunt! Alia est palea, aliud frumentum; super utrumque tamen intrat tribula: sed sub una tribula aliud comminuitur, aliud purgatur. Quantum bonum nobis Deus præstitit de malo Judæ traditoris! De ipsa sævitia Judæorum quantum bonum præstitum est fidelibus Gentibus! Occisus est Christus, ut esset in cruce quem attenderet qui esset a serpente percussus (*Num.* XXI, 8). Sic ergo et isti forte a divinis suis audierant, quia debuerunt ire ad Jerusalem, et capere eam; et cum cepissent atque evertissent eam, dixerunt sibi quod a dæmonibus suis factum sit: *Posuerunt signa sua, signa; et non cognoverunt.* Quid non cognoverunt? *Sicut in egressum* [2] *desuper.* Quia nisi desuper egrederetur jussio, nunquam sævientibus Gentibus in Judæorum populum talia licerent. Sed egressum est desuper, quomodo dicit Daniel: *A principio orationis tuæ egressus est sermo* (*Dan.* IX, 23). Hoc et Dominus ipsi Pilato inflanti se, et ponenti signa sua, signa, et non cognoscenti, et dicenti ad Christum, *Mihi non respondes? nescis quia potestatem habeo occidendi te, et potestatem habeo dimittendi te?* Et Dominus ad inflatum, tanquam vesicam reflandam [3] pungens: *Non haberes*, inquit, *in me potestatem, nisi data tibi esset desuper* (*Joan.* XIX, 10, 11). Sic et hic, *Posuerunt signa sua, signa; et non cognoverunt.* Quomodo non cognoverunt? *Sicut in egressum desuper.* Quomodo egressus factus fuerat desuper, ut hoc impleretur, numquid sic illi cognoscere potuerunt?

9. [*vers.* 6.] Jam percurramus versus istos, eversa Jerusalem, propterea quia et manifesti sunt, et non libet immorari nec in pœna inimicorum. *Quasi in silva lignorum securibus conciderunt januas ejus in idipsum; in dolabro et fractorio dejecerunt eam:* id est, conspiranter, constanter, *in dolabro et fractorio dejecerunt eam.*

[1] Particula, *in*, abest ab Edd., sed exstat in Mss.
[2] Edd., *in egressu*. At Mss., *in egressum*.
[3] Sic Mss. Edd. vero, *inflatum*.

10. [*vers* 7.] *incenderunt igni sanctuarium tuum; polluerunt in terra tabernaculum nominis tui.*

11. [*vers.* 8, 9.] *Dixerunt in corde suo, cognatio eorum in unum.* Quid dixerunt? *Venite, comprimamus omnes solemnitates Domini de terra. Domini*, ex persona hujus interpositum est, ex persona Asaph: non enim illi sævientes Dominum appellarent, cujus templum evertebant. *Venite, comprimamus omnes solemnitates Domini a terra.* Quid Asaph? quid *intellectus Asaph* in his? quid? Non proficit, vel disciplina data? mentis pravitas non corrigitur? Eversa sunt omnia quæ primo erant: nusquam sacerdos, nusquam altare Judæorum, nusquam victima, nusquam templum. Ergo nihil aliud agnoscendum est quod huic decedenti successit? aut vero hoc promissivum signum auferretur, nisi venisset quod promittebatur? Videamus ergo hic modo intellectum Asaph; videamus si proficit ex tribulatione. Attende quid dicat: *Signa nostra non vidimus, jam non est propheta, et nos non cognoscet adhuc.* Ecce isti Judæi qui se dicunt non agnosci adhuc, id est, in captivitate adhuc se esse, nondum se liberari, exspectant adhuc Christum. Venturus est Christus; sed veniet ut judex: primo vocator, postea discretor. Veniet, quia venit [1], et eum venturum esse manifestum est; sed jam desuper veniet. Ante te erat, o Israel! quassatus es, quia offendisti in jacentem; ne conteraris, observa desuper venientem. Ita enim prædictum est per prophetam: *Quisquis offenderit in lapidem illum, conquassabitur; et super quem venerit, conteret eum* (*Isai.* VIII, 14, 15. *Vid. Luc.* XX, 18). Conquassat parvus; conteret magnus [2]. Jam signa tua non vides, jam non est propheta; et dicis, *Et nos non agnoscet adhuc:* quia vos non agnoscitis adhuc. *Jam non est propheta, et nos non agnoscet adhuc.*

12. [*vers.* 10.] *Usquequo, Deus, exprobrabit inimicus?* Clama [3] quasi derelictus, quasi desertus; clama tanquam æger qui medicum cædere quam curari maluisti: non te agnoscit adhuc. Vide quid fecerit, qui te non agnoscit adhuc. Etenim quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; et qui non audierunt, intelligent (*Isai.* LII, 15, *et Rom.* XV, 21): et tu adhuc clamas, *Jam non est propheta et nos non cognoscet adhuc.* Ubi est intellectus tuus? *Irritat adversarius nomen tuum in finem.* Ad hoc irritat adversarius nomen tuum in finem, ut iratus corripias, corripiens cognoscas in finem; aut certe *in finem*, usque ad finem. Usque ad quem finem? Quousque cognoscas, quousque clames, quousque apprehensa cauda redeatur ad regnum.

13. [*vers.* 11.] *Utquid avertis manum tuam et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?* Iterum aliud signum quod datum est Moysi. Quomodo enim superius de virga signum, ita et de dextera. Cum enim illud factum esset de virga, dedit Deus alterum signum:

[1] Aliquot Mss., *postea discretor veniet. Quia veniet*, etc. Nonnulli vero: *Veniet qui jam venit.*
[2] Edd.: *Conquassat parvos, conteret magnos.* Verius Mss., *parvus*, et postea, *magnus*.
[3] Sic Er. et Mss. At Lov. hoc et proxime sequenti loco, *clamas*.

Mitte, inquit, *manum tuam in sinum tuum, et misit: Produc eam, et produxit; et inventa est alba*, id est immunda. Albor enim in cute, lepra est, non candor (*Levit.* XIII, 25). Ipsa enim hæreditas Dei, id est, populus ejus foras ab eo missus, immundus factus est. Sed quid illi ait? *Revoca eam in sinum tuum: revocavit, et reversa est ad colorem suum* (*Exod.* IV, 6, 7). Quando hoc facis, ait Asaph iste? Quousque dexteram tuam alienas a sinu tuo, ut foris immunda remaneat? Revoca eam; redeat ad colorem, agnoscat salvatorem. *Utquid avertis manum tuam et dexteram tuam de medio sinu tuo in finem?* Hæc clamat cæcus, non intelligens; et hoc Deus facit quod facit[1]. Quare enim venit Christus? *Cæcitas ex parte Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI, 25). Ergo jam Asaph agnosce quod præcessit, ut vel sequaris, si præcedere non potuisti. Non enim frustra venit Christus, aut frustra occisus est Christus; aut frustra granum cecidit in terram, nisi ut multipliciter surgeret (*Joan.* XII, 25). Exaltatus est serpens in eremo, ut percussum a veneno sanaret (*Num.* XXI, 9). Attende quod factum est: noli putare vacare quod venit; ne te malum inveniat, cum iterum venerit.

14. [*vers.* 12.] Intellexit Asaph, quia in titulo Psalmi, *Intellectus Asaph*. Et quid ait? *Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.* Hac nos clamamus, *Jam non est propheta; et nos non cognoscet adhuc*: hac autem *Deus* noster, *rex noster*, qui est *ante sæcula*, quia ipse est in principio Verbum, per quod facta sunt sæcula; *operatus est salutem in medio terræ. Deus* ergo *rex noster ante sæcula*, quid fecit? *Operatus est salutem in medio terræ*; et ego adhuc clamo quasi desertus. Ille operatur salutem in medio terræ; et ego remansi terra. Intellexit Asaph bene, quia *Intellectus Asaph*. Quare enim ista, aut qualem salutem operatus est Christus; nisi ut discerent homines æterna desiderare, non semper temporalibus inhærere? *Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ*. Dum nos clamamus, *Usquequo, Domine, exprobrabit inimicus in finem? usquequo irritat adversarius? usquequo manum tuam avertis a sinu tuo*? Cum hæc dicimus, *Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ*; et nos dormimus. Jam vigilant Gentes; et nos stertimus, et tanquam nos Deus deseruerit, in somnis deliramus. *Operatus est salutem in medio terræ.*

15. [*vers.* 13.] Jam ergo Asaph corrige te ad intellectum; dic nobis qualem salutem operatus est Deus in medio terræ. Cum illa terrena vestra salus eversa est, quid fecit? quid promisit? *Tu confirmasti in virtute tua mare.* Tanquam gente Judæorum velut arida a fluctibus separata, mare in amaritudine sua Gentes erant, terramque illam undique circumluebant: ecce *confirmasti in virtute tua mare*, et remansit terra sitiens imbrem tuum. *Tu confirmasti in virtute tua mare: contrivisti capita draconum in aqua.* Draconum capita, dæmoniorum superbias, a quibus Gentes possidebantur, contrivisti super aquam; quia eos quos possidebant, tu per Baptismum liberasti.

16. [*vers.* 14.] Quid adhuc post capita draconum? Illi enim dracones habent principem suum, et ipse primus est magnus draco. Et de illo quid fecit qui operatus est salutem in medio terræ? Audi: *Tu confregisti caput draconis.* Cujus draconis? Intelligimus dracones omnia dæmonia sub diabolo militantia: quem ergo singularem draconem cujus caput confractum est, nisi ipsum diabolum intelligere debemus? Quid de illo fecit? *Tu confregisti caput draconis.* Illud est initium peccati. Caput illud est quod accepit maledictum, ut semen Evæ observaret caput serpentis (*Gen.* III, 15). Admonita est enim Ecclesia initium peccati devitare. Quod est initium peccati, tanquam caput serpentis? *Initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* X, 15). Confractum est ergo caput draconis; confracta est superbia diabolica. Et quid de illo fecit, qui operatus est salutem in medio terræ? *Dedisti eum in escam populis Æthiopibus.* Quid est hoc? Quomodo intelligo populos Æthiopes? Quomodo, nisi per hos, omnes Gentes? Et bene per nigros; Æthiopes enim nigri sunt. Ipsi vocantur ad fidem, qui nigri fuerunt; ipsi prorsus, ut dicatur eis: *Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8). Ipsi prorsus vocantur nigri; sed ne remaneant nigri: de his enim fit Ecclesia, cui dicitur, *Quæ est ista quæ ascendit dealbata* (*Cant.* VIII, 5, *sec.* LXX)? Quid enim de nigra factum est, nisi quod dictum est: *Nigra sum, et speciosa* (*Cant.* I, 4)? Et quomodo acceperunt isti in escam draconem istum? Puto quia magis Christum acceperunt in escam: sed Christum quo se consummarent; diabolum quem consumerent. Nam inde et vitulus ille quem adoravit populus infidelis, apostata, quærens deos Ægyptiorum, dimittens eum qui liberavit de servitute Ægyptiorum; unde agitatum est illud magnum sacramentum. Cum enim sic irasceretur Moyses colentibus et adorantibus idolum, et zelo Dei inflammatus vindicaret temporaliter, ut a morte sempiterna devitanda terreret; tamen ipsum caput vituli in ignem misit et exterminavit, comminuit, in aquam sparsit, et dedit populo bibere (*Exod.* XXXII, 1-20): sic factum est magnum sacramentum. O ira prophetica, et animus non turbatus, sed illuminatus! Quid egit? Mitte in ignem, ut prius confundatur forma ipsa; minutatim comminue, ut paulatim consumatur; mitte in aquam, da populo bibere. Quid est hoc, nisi quia adoratores diaboli corpus ipsius facti erant? Quomodo agnoscentes Christum, fiunt corpus Christi, ut eis dicatur: *Vos autem estis corpus Christi et membra* (I *Cor.* XII, 27). Corpus diaboli consumendum erat, et hoc ab Israelitis consumendum. Ex illo enim populo Apostoli; ex illo prima Ecclesia. Et dictum erat Petro de Gentibus: *Macta et manduca* (*Act.* X, 13). Quid est, *Macta et manduca?* Occide quod sunt, et fac quod es. Hac, *Macta et manduca*; hac, Comminue et bibe: utrumque tamen in eodem sacramento; quia oportebat utique, et sine dubitatione oportebat, ut corpus quod erat diaboli, credendo transiret in corpus Christi. Sic dia-

[1] Regius liber, *Deus fecit*. At Corb., *Deus fecit quod*: nec addit, *facit*. Locus in editis et in Mss., uti videtur, vitiatus.

bolus consumitur amissis membris suis. Hoc figuratum est et in serpente Moysi. Nam fecerunt magi similiter, projectisque virgis suis exhibuerunt dracones; sed draco Moysi omnium illorum magorum virgas absorbuit (*Exod.* VII, 12). Intelligatur ergo et modo corpus diaboli : hoc fit; devoratur a Gentibus quæ crediderunt, factus est esca populis Æthiopibus. Illud quoque intelligi potest, *dedisti eum escam populis Æthiopibus* : quia nunc cum omnes mordent. Quid est mordent? Reprehendendo, culpando, accusando. Quomodo dictum est, in prohibitione quidem, sed tamen expressum : *Si autem mordetis et comeditis invicem; videte ne ab invicem consumamini* (*Gal.* V, 15). Quid est, *mordetis et comeditis invicem?* Litigatis cum invicem, detrahitis invicem, opprobria objicitis invicem. Attendite ergo nunc his morsibus consumi diabolum. Quis non iratus servo suo, etiam paganus, dicat illi : Satanas? Vide diabolum datum in escam. Hoc dicit Christianus, hoc dicit Judæus, hoc dicit Paganus; ipsum adorat, et de ipso maledicit.

17. [*vers.* 15.] Videamus ergo reliqua. Fratres, obsecro, intendite : cum magna voluptate audiuntur, quia audita etiam in orbe terrarum cognoscuntur. Hæc quando dicebantur, non fuerunt; quia tunc promittebantur, non reddebantur : nunc vero qua voluptate afficimur, cum ea quæ prædicta legimus in libro, compleri videmus in mundo! Videamus quid fecerit, quem jam intelligit Asaph, quod *operatus est salutem in medio terræ. Tu disrupisti fontes et torrentes* : ut manarent liquorem sapientiæ, ut manarent divitias fidei, ut irrigarent salsitatem Gentium, ut omnes infideles in fide dulcedinem sua irrigatione converterent. *Disrupisti fontes et torrentes.* Forte discretum est; forte unum est, quia fontes tam largi fuerunt ut flumina facerent. *Tu disrupisti fontes et torrentes.* Si autem ad discretionem : in aliis fit verbum Dei *fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 14); alii autem audientes verbum, et non sic habentes ut bene vivant, tamen non tacentes lingua, torrentes fiunt. Torrentes enim dicuntur proprie, qui non sunt perennes : nam aliquando et translate dicitur torrens pro fluvio; sicut dictum est : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente deliciarum tuarum potabis eos* (*Psal.* XXXV, 9) : non enim ille torrens aliquando siccabitur. Sed torrentes proprie dicuntur fluvii qui æstate deficiunt, aquis autem hiemalibus inundantur et currunt. Vides ergo hominem bene fidelem, perseveraturum usque in finem, non relicturum Deum in omni tentatione; pro veritate, non pro falsitate et errore, omnes molestias sustinentem : hic unde sic viget, nisi quia verbum factum est in eo *fons aquæ salientis in vitam æternam?* Alius autem accipit verbum; prædicat, non tacet, currit : sed æstas probat fontem aut torrentem. Tamen ex utroque rigetur terra, ab eo qui *operatus est salutem in medio terræ;* exundent fontes, currant torrentes : *Tu disrupisti fontes et torrentes.*

18. *Tu siccasti fluvios Etham.* Hac rumpit fontes et torrentes, hac siccat fluvios, ut inde currant aquæ, et hinc aquæ siccentur. *Fluvios*, inquit, *Etham.* Quid est Etham? Verbum enim hebræum est. Quid interpretatur Etham? Fortis, robustus. Quis est iste fortis et robustus, cujus fluvios siccat Deus? Quis, nisi ille ipse draco? *Nemo* enim *intrat in domum fortis, ut vasa illius diripiat, nisi prius alligaverit fortem* (*Matth.* XII, 29). Ipse est fortis, de virtute sua præsumens, et Deum deserens; ipse est fortis, qui ait : *Ponam sedem meam ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV, 13). De ipso calice perversæ fortitudinis homini propinavit. Fortes esse voluerunt, qui se deos futuros de cibo vetito crediderunt. Factus est Adam fortis cui insultaretur [1] : *Ecce factus est Adam tanquam unus ex nobis* (*Gen.* III, 5, 6, 22). Fortes et Judæi de justitia sua præsumentes : *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam justitiam quærentes constituere*, tanquam fortes, *justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X, 3). Videte hominem digessisse fortitudinem suam, et remansisse infirmum, inopem, longe stantem, nec oculos ad cœlum levare audentem; sed percutientem pectus suum, et dicentem : *Domine, propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII, 13). Jam infirmus est, jam infirmitatem confitetur; non est fortis : arida terra est; rigetur fontibus et torrentibus. Illi adhuc fortes sunt, qui de virtute sua præsumunt. Siccentur flumina eorum : non proficiant doctrinæ gentium, haruspicum, mathematicorum, magicæ artes; quoniam siccati sunt fluvii Fortis [2] : *Tu siccasti fluvios Etham.* Arescat illa doctrina; inundentur mentes Evangelio veritatis.

19. [*vers.* 16.] *Tuus est dies, et tua est nox.* Quis hoc ignorat, quando ipse fecit hæc omnia; quia per Verbum facta sunt omnia (*Joan.* I, 3)? Illi ipsi qui *operatus est salutem in medio terræ*, illi dicitur : *Tuus est dies, et tua est nox.* Aliquid hic intelligere debemus, quod pertineat ad ipsam salutem quam operatus est in medio terræ. *Tuus est dies.* Qui sunt isti? Spirituales. *Et tua est nox.* Qui sunt isti? Carnales, *Tuus est dies; et tua est nox.* Loquantur spirituales spiritualia spiritualibus; dictum est enim : *Spiritualibus spiritualia comparantes, sapientiam loquimur inter perfectos* (I *Cor.* II, 13, 6). Nondum capiunt istam sapientiam carnales : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus* (*Id.*, III, 1). Ergo cum spirituales spiritualibus loquuntur, *Dies diei eructat verbum :* cum vero et ipsi carnales non tacent fidem crucifixi Christi, quam possunt capere parvi, *Nox nocti annuntiat scientiam* (*Psal.* XVIII, 3). *Tuus est dies, et tua est nox.* Ad te pertinent spirituales, ad te pertinent carnales : illos illustras incommutabili sapientia et veritate; illos consolaris carnis manifestatione, tanquam luna consolans noctem. *Tuus est dies, et tua est nox.* Vis audire diem? Vide si capis; erige quantum potes mentem tuam. Videamus si pertines ad diem; jam videamus, si non palpitat aspectus tuus. Potes videre quod audisti modo ex Evangelio : *In principio erat Verbum, et Verbum*

[1] Sic potiores Mss. Alii, *cum exaltaretur.* At Edd., *cum audiret.*

[2] Edd., *fluvii fortes.* Melius Mss., *fortis :* quæ est interpretatio nominis *Etham.*

erat apud Deum, et Deus erat Verbum? Non nosti enim tu cogitare verba, nisi quæ sonant et transeunt. Potes jam capere Verbum, non sonum, sed Deum? Annon ibi audisti : *Et Deus erat Verbum?* Sed tu ista verba cogitas, *Omnia per ipsum facta sunt :* et per ipsum facti sunt et qui verba faciunt. Quale ergo illud Verbum est? Capis, o carnalis? responde; capis? Non capis, adhuc ad noctem pertines; luna tibi necessaria est, ne in tenebris moriaris. Etenim quidam *peccatores intenderunt arcum, ut sagittarent in obscura luna rectos corde* (*Psal.* x, 3). Obscurata est enim caro Christi de cruce deposita, et in sepulcro posita : et illi qui occiderunt insultaverunt; et nondum resurrexerat, et sagittati sunt discipuli recti corde, sed in obscura luna. Ergo ut non solum dies diei eructet verbum, sed etiam nox nocti annuntiet scientiam; quoniam *tuus est dies, et tua est nox;* dignare descendere, manere apud eum a quo descendis, sed venire ad quos descendis. Dignare descendere qui in hoc mundo eras, et mundus per te factus est, et mundus te non cognovit. Habeat et nox consolationem suam; habeat, inquit, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* i, 1-14) : *Tuus est dies, et tua est nox. Tu perfecisti solem et lunam :* solem, spirituales; lunam, carnales. Adhuc carnalis est, non deseratur, et ipse perficiatur. *Tu perfecisti solem et lunam :* solem, tanquam sapientem; lunam, tanquam insipientem; non tamen deseruisti. Nam ita scriptum est : *Sapiens permanet sicut sol; stultus autem sicut luna mutatur* (*Eccli.* xxvii, 12). Quid ergo, quia sol permanet, id est, quia *sapiens permanet sicut sol, stultus sicut luna mutatur;* adhuc carnalis, adhuc insipiens deserendus est? Et ubi est quod dictum est ab Apostolo : *Sapientibus et insipientibus debitor sum* (*Rom.* i, 14)? *Tu perfecisti solem et lunam.*

20. [*vers.* 17.] *Tu fecisti omnes terminos terræ.* Nonne et ante, quando fundavit terram? Sed quomodo fecit terminos terræ, qui *operatus est salutem in medio terræ?* Quomodo, nisi quomodo dicit Apostolus : *Gratia autem salvi facti sumus, et hoc non ex nobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur?* Ergo non erant opera bona? Erant; sed quomodo? Gratia Dei. Sequere; videamus. *Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis* (*Ephes.* ii, 8-10). Ecce quomodo fecit terminos terræ, qui *operatus est salutem in medio terræ : Tu fecisti omnes terminos terræ. Æstatem et ver tu fecisti ea.* Ferventes spiritu æstas est. Tu, inquam, fecisti spiritu ferventes : tu fecisti et novellos in fide; ver est. *Æstatem et ver tu fecisti ea.* Non glorientur quasi non acceperint : *tu fecisti ea.*

21. [*vers.* 18.] *Memor esto hujus creaturæ tuæ.* Cujus *creaturæ tuæ? Inimicus exprobravit Domino.* O Asaph, dole in intellectu pristinam cæcitatem tuam! *Inimicus exprobravit Domino.* Dictum est Christo in gente sua, *Peccator est iste; non novimus unde sit : nos novimus Moysen, illi locutus est Deus; iste Samaritanus est* (*Joan.* ix, 24, 29, *et* viii, 48). *Inimicus exprobravit Domino; et populus imprudens exacerbavit nomen tuum.* Populus imprudens tunc Asaph; sed non *intellectus Asaph* tunc. Quid dicitur in superiore psalmo? *Quasi pecus factus sum ad te; et ego semper tecum :* quia non iit ad deos et idola Gentium. Etsi non cognovit ut pecus, tamen recognovit ut homo, dixit enim, *Semper tecum, quasi pecus :* et quid postea ibi in ipso psalmo, ubi Asaph? *Tenuisti manum dexteræ meæ; in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me* (*Psal.* lxxii, 23, 24). *In voluntate tua,* non in justitia mea; dono tuo, non opere meo. Ergo et hic, *Inimicus exprobravit Domino; et populus imprudens exacerbavit nomen tuum.* Omnes ergo perierunt? Absit. Etsi aliqui ex ramis fracti sunt, manent tamen aliqui quo insereretur oleaster (*Rom.* xi, 17); et radix manet, et ex ipsis ramis per infidelitatem fractis revocati sunt quidàm per fidem : nam et ipse apostolus Paulus per infidelitatem fractus erat, et per fidem radici restitutus est. Ita plane *populus imprudens exacerbavit nomen tuum,* quando dictum est : *Si filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* xxvii, 40).

22. [*vers.* 19.] Sed quid tu, Asaph, jam in intellectu? *Ne tradideris bestiis animam confitentem tibi.* Agnosco, inquit Asaph; quia, sicut in alio psalmo dicitur, *Peccatum meum cognovi, et facinus meum non operui* (*Psal.* xxxi, 5). Quare? Quia locutus est Petrus mirantibus linguas Israelitis, quoniam ipsi occiderunt Christum, cum propter illos missus sit Christus. *Hoc audito, compuncti sunt corde, et dixerunt ad Apostolos, Quid ergo faciemus? dicite nobis. Et Apostoli : Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi; et dimittentur vobis peccata vestra* (*Act.* ii, 37, 38). Quia ergo per pœnitentiam confessio facta est, *Ne tradideris bestiis animam confitentem tibi.* Quare, *confitentem tibi?* Quia *conversus sum in ærumna, dum configitur spina* (*Psal.* xxxi, 4). Compuncti sunt corde; et facti sunt ærumnosi pœnitendo, qui fuerant gloriosi sæviendo. *Ne tradideris bestiis animam confitentem tibi.* Quibus bestiis, nisi quarum capita contrita sunt super aquam? Quia dictus est bestia, leo, et draco, ipse diabolus. Noli, inquit, dare diabolo et angelis ejus animam confitentem tibi. Devoret serpens, si adhuc terrena sapio, si terrena desidero, si adhuc in promissis Veteris Testamenti, Novo revelato, remaneo. Cum autem jam deposuerim superbiam, et justitiam meam non agnoscam, sed gratiam tuam; non habeant in me superbæ bestiæ potestatem. *Ne tradideris bestiis animam confitentem tibi. Animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.* Divites eramus, fortes eramus; sed *siccasti fluvios Etham :* jam modo non constituimus justitiam nostram, sed agnoscimus gratiam tuam; pauperes sumus, exaudi mendicos tuos. Jam non audemus oculos ad cœlum levare, sed percutientes pectus nostrum dicimus : *Domine, propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* xviii, 13); *Animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.*

23. [*vers.* 20.] *Respice in testamentum tuum.* Redde quod promisisti : tabulas tenemus, hæreditatem exspectamus. *Respice in testamentum tuum;* non illud vetus; non propter terram Chanaan rogo; non propter ini-

micorum temporalem subjectionem, non propter filiorum carnalem fecunditatem, non propter divitias terrenas, non propter salutem temporalem; *Respice in testamentum tuum*, quo promisisti regnum cœlorum. Jam agnosco testamentum tuum; jam intellectus est Asaph, non est pecus Asaph, jam videt quod dictum est: « Ecce dies veniunt, dicit Dominus; et consummabo domui Israel et domui Juda testamentum novum, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum. (*Jerem.* XXXI, 31, 32). Respice in testamentum tuum; quoniam repleti sunt qui obscurati sunt terræ domorum iniquarum : » quia corda habebant iniqua. Domus nostræ, corda nostra : ibi libenter habitant beati mundo corde (*Matth.* v, 8). *Respice* ergo *in testamentum tuum;* et reliquiæ salvæ fiant (*Rom.* IX, 27) : quia multi qui attendunt ad terram, obscurati sunt, et repleti sunt terra. Intravit in oculos eorum pulvis, et excæcavit eos, et facti sunt pulvis quem projicit ventus a facie terræ (*Psal.* I, 4). *Repleti sunt qui obscurati sunt terræ domorum iniquarum.* Attendendo enim terram obscurati sunt, de quibus dictum est in alio psalmo : *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva* (*Psal.* LXVIII, 24). Terra ergo *repleti sunt qui obscurati sunt terræ domorum iniquarum*, quia corda habebant iniqua. Domus enim nostræ, sicut supra diximus, corda nostra sunt : ibi libenter habitamus, si ea ab iniquitate mundemus. Ibi est mala conscientia, quæ inde repellit hominem quo jubetur ire portans grabatum suum, cui peccata dimissa sunt, dicente Domino, *Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam* (*Joan.* v, 8) : porta carnem tuam, et intra ad sanatam conscientiam tuam. *Quoniam repleti sunt qui obscurati sunt terræ domorum iniquarum :* obscurati sunt, repleti sunt terra. Illi obscurati, qui sunt? Qui corda iniqua habent : reddit illis Dominus secundum cor suum.

24. [*vers.* 21.] *Ne avertatur humilis confusus.* Illos enim superbia confudit. *Egenus et inops laudabunt nomen tuum.* Videtis, fratres, quam debeat dulcis esse paupertas : videtis pauperes et inopes pertinere ad Deum; sed pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* v, 3). Qui sunt pauperes spiritu? Humiles, trementes verba Dei, confitentes peccata sua; non de suis meritis, nec de sua justitia præsumentes. Qui sunt pauperes spiritu? Qui quando faciunt aliquid boni, Deum laudant; quando mali, se accusant. *Super quem requiescet Spiritus meus*, ait propheta, *nisi super humilem, et quietum, et trementem verba mea* (*Isai.* LXVI, 2)? Jam ergo Asaph intellexit; jam terræ non hæret, jam promissa terrena ex Veteri Testamento non expetit : mendicus tuus factus est, pauper tuus factus est; fluvios tuos sitit, quia sui siccati sunt. Quia ergo talis factus est, non fraudetur spe : quæsivit manibus nocte coram te; non decipiatur (*Psal.* LXXVI, 3). *Ne avertatur humilis confusus : egenus et inops laudabunt nomen tuum.* Confitentes peccata sua, laudabunt nomen tuum; desiderantes æterna promissa tua, laudabunt nomen tuum : non de temporalibus turgidi, non de propria justitia in superbiam elati et inflati, non ipsi; sed qui? *Egenus et inops laudabunt nomen tuum.*

25. [*vers.* 22.] *Exsurge, Domine; judica causam meam.* Desertus enim videor, quia nondum accepi quod promisisti : et factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus (*Psal.* XLI, 4)? Et quia non possum ostendere Deum meum; quasi inane sequar, insultatur mihi. Nec paganus tantum, vel Judæus, vel hæreticus; sed aliquando frater ipse catholicus torquet os, quando promissa Dei prædicantur, quando futura resurrectio prænuntiatur. Et adhuc et ipse, quamvis jam tinctus aqua salutis æternæ, portans sacramentum Christi, forsitan dicit, Et quis huc resurrexit? et, Non audivi patrem meum de sepulcro loquentem, ex quo eum sepelivi. Deus dedit legem ad tempus servis suis, ad quod se avocent : nam quis redit ab inferis? Et quid faciam talibus? ostendam quod non vident? Non possum : non enim propter illos Deus visibilis debet fieri. Jam id agant, si placet; ita faciant, ita conentur : quia ipsi nolunt converti in melius, Deum convertant in pejus. Videat qui potest, credat qui non potest, esse Deum. Etsi videt qui potest, numquid oculis videt? Intellectu videt, corde videt. Non enim solem et lunam volebat ostendere, qui dicebat : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Immundum autem cor nec ad fidem idoneum, ut [1] quod non potest videre vel credat. Non video, inquit : quid crediturus sum? Anima enim tua videtur, ut opinor! Stulte! corpus tuum videtur; animam tuam quis videt? Cum ergo corpus tuum solum videatur, quare non sepeliris? Miratur quia dixi, Si corpus tantum videtur, quare non sepeliris? Et respondet (sapit enim ad hoc), Quia vivo. Unde scio quia vivis, cujus animam non video? unde scio? Respondebis : Quia loquor, quia ambulo, quia operor. Stulte! ex operibus corporis agnosco viventem; ex operibus creaturæ non potes agnoscere Creatorem! Et forte qui dicit, Cum mortuus fuero, postea nihil ero : et litteras didicit, et ab Epicuro didicit hoc, nescio quo deliro philosopho, vel potius amatore vanitatis, non sapientiæ; quem ipsi etiam philosophi porcum nominaverunt : qui voluptatem corporis summum bonum dixit, hunc philosophum porcum nominaverunt, volutantem se in cœno carnali. Ab illo forte didicit iste litteratus dicere, Non ero posteaquam mortuus fuero. Siccentur flumina Etham; pereant doctrinæ istæ Gentium, pullulent vireta Jerusalem : videant quod possunt; corde credant quod videre non possunt. Certe ista omnia quæ per mundum modo videntur, quando operabatur Deus salutem in medio terræ, cum ista dicebantur, nondum erant : et ecce tunc prædicta sunt; nunc impleta monstrantur, et adhuc dicit stultus in corde suo, *Non est Deus* (*Psal.* XIII, 1). Væ perversis cordibus! quoniam ita ventura sunt quæ restant, sicut venerunt ista quæ tunc non fuerunt, et ventura prænuntiabantur. An vero exhibuit

[1] Particula, *ut*, deest apud Lov., sed in cæteris libris exstat.

nobis Deus omnia quæ promisit, et de solo die judicii nos fefellit? Non erat Christus in terra; promisit, exhibuit: non virgo pepererat; promisit, exhibuit: non erat fusus sanguis pretiosus, quo deleretur chirographum mortis nostræ; promisit, exhibuit: nondum resurrexerat caro in vitam æternam; promisit, exhibuit: nondum crediderant Gentes; promisit, exhibuit: nondum hæretici nomine Christi armati, contra Christum militabant; prædixit, exhibuit: nondum idola Gentium de terra [1] deleta erant; prædixit, exhibuit: ista omnia cum prædixisset et exhibuisset, de solo die judicii mentitus est? Veniet omnino, quomodo ista venerunt; quia et ista antequam venirent futura erant, et futura prius prænuntiata sunt, et postea venerunt: veniet, fratres mei. Nemo dicat, Non veniet; aut, Veniet, sed longe est quod veniet: sed tibi prope est ut eas hinc. Sufficiat prima deceptio: si non potuimus primo permanere in præcepto, saltem corrigamur exemplo. Nondum erat exemplum casus humani, quando dictum est ad Adam: *Morte morieris, si tetigeris;* et venit de transverso serpens, et dixit: *Non morte morieris.* Creditus est serpens, contemptus est Deus; creditus est serpens, tactum est vetitum, mortuus est homo (*Gen.* II, 17, *et* III, 4, 6, 19). Nonne impletum est potius quod minatus est Deus, quam quod promiserat inimicus? Sic est certe: agnoscimus hoc; inde omnes in morte: jam vel experti cauti simus. Non enim cessat et modo serpens insusurrare, et dicere: Numquid vere damnaturus est Deus tantas turbas, liberaturus est paucos? Quid est aliud quam, Facite contra præceptum; non moriemini? sed quomodo tunc, sic et nunc. Si feceris quod suggerit diabolus, et contempseris quod præcepit Deus; veniet judicii dies, et invenies verum quod minatus est Deus, et falsum quod pollicitus est diabolus. *Exurge, Domine, judica causam meam.* Mortuus es, et contemptus es; dicitur mihi, Ubi est Deus tuus (*Psal.* XLI, 11)? *Exsurge, judica causam meam.* Non enim venturus est ad judicium, nisi qui exsurrexit a mortuis. Venturus prænuntiabatur; venit, et contemptus est a Judæis ambulans in terra; contemnitur a falsis christianis sedens in cœlo. *Exsurge, Domine; judica causam meam.* Quoniam in te credidi, non peream; quia credidi quod non vidi, spe mea non fallar [2], accipiam quod promisisti; *Judica causam meam. Memento opprobriorum tuorum; eorum quæ ab imprudente sunt tota die.* Adhuc enim insultatur Christo; nec deerunt tota die, hoc est usque in finem sæculi, vasa iræ. Adhuc dicitur: Vana prædicant Christiani; adhuc dicitur: Inanis est resurrectio mortuorum. *Judica causam meam: memento opprobriorum tuorum.* Sed quorum nisi *eorum quæ ab imprudente sunt tota die?* Numquid prudens hoc dicit? Prudens enim dictus est, Porro videns: si prudens porro videns, fide videtur porro: nam oculis vix ante pedes videtur *tota die.*

23. [*vers.* 23.] *Ne obliviscaris vocem* [3] *deprecantium te.* Ingemiscentium, et exspectantium jam quod promisisti de Novo Testamento, et ad ipsam fidem ambulantium, *ne obliviscaris vocem deprecantium te.* Sed illi adhuc dicunt: Ubi est Deus tuus? *Superbia eorum qui te oderunt, ascendat* [1] *semper ad te:* Noli et eorum superbiam oblivisci. Nec obliviscitur: omnino aut punit, aut corrigit.

[1] Hic Edd. addunt, *ita:* quæ vox a Mss. abest.
[2] Plures Mss., *spes mea non fallat.*
[3] Sic Mss. juxta Græc. LXX. At Edd., *voces.*

IN PSALMUM LXXIV
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Psalmus iste tumori superbiæ medicinam humilitatis apportat, humiles autem consolatur in spe: hoc agens, ut ne quisquam superbe de se præsumat, ne quisquam humilis de Domino desperet. Est enim promissio Dei rata, certa, fixa et inconcussa, fidelis et omni dubitatione carens, quæ consolatur afflictos. Tota enim *vita humana super terram,* sicut scriptum est, *tentatio est* (*Job* VII, 1). Nec quasi prospera eligenda est, et sola adversa devitanda: sed utraque cavenda est; illa ne corrumpat, ista ne frangat; ut unicuique hominum, in quocumque statu rerum in hac vita egerit, non sit refugium nisi Deus, nec ullum gaudium nisi in promissis ejus. Vita enim hæc qualibet redundans felicitate multos fallit; Deus neminem. Quia ergo omni homini converso ad Deum mutatur delectatio, mutantur deliciæ (non enim subtrahuntur, sed mutantur): omnes autem deliciæ nostræ in hac vita, nondum sunt in re; sed ipsa spes tam certa est, ut omnibus hujus sæculi deliciis præponenda sit, sicut scriptum est, *Delectare in Domino.* Et ne putares te jam habere quod promittit, subjecit statim, *Et dabit tibi petitiones cordis tui* (*Psal.* XXXVI, 4). Si ergo nondum habes petitiones cordis tui, unde delectaris in Domino, nisi quia tenes certum promissorem, qui se effecit promittendo debitorem? Hujus igitur deprecationis ut permaneat nobiscum spes nostra, et introducamur in id quod promisit Deus, loquitur titulus hujus psalmi: *In finem ne corrumpas.* Quid est, *ne corrumpas?* Quod promisisti, exhibe. Sed quando? *In finem.* Illuc ergo mentis oculus dirigatur; *in finem:* omnia quæ in via occurrerint, transeantur, ut perveniatur in finem. Exsultent superbi de præsenti felicitate; tumeant honoribus, fulgeant auro, redundent familiis, obsequiis clientium constipentur: prætereunt ista; transeunt tanquam umbra. Cum ille finis venerit, ubi omnes qui modo in Domino sperant gaudeant, tunc illis veniet sine fine tristitia. Quando acceperint humiles quod irrident superbi, tunc superborum typhus convertetur in luctum. Tunc erit illa vox quam in libro Sapientiæ novimus: dicent enim tunc videntes gloriam sanctorum, qui cum hic humiliarentur, toleraverunt; qui cum hic sublimarentur, non annuerunt; tunc ergo illi dicent: *Hi sunt quos aliquando habuimus in risum.* Ubi etiam dicunt: *Quid nobis profuit superbia? et divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam umbra*

[1] Edd., *ascendit.* At potiores Mss., *ascendat:* Græc. LXX, *anabaiei.*

(*Sap.* v, 3, 8, 9). Quia de corruptibilibus præsumpserunt, spes eorum corrumpetur; nostra vero spes tunc erit res. Promissio enim Dei ut maneat integra et firma et certa erga nos, diximus ex corde [1] fidei, *In finem, ne corrumpas.* Noli ergo timere ne promissiones Dei corrumpat aliquis potentium. Ipse non corrumpit, quia verax est; potentiorem non habet a quo ejus promissio corrumpatur: certi ergo simus de promissis Dei; et cantemus jam, unde incipit Psalmus.

2. [*vers.* 2.] *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur tibi, et invocabimus nomen tuum.* Noli antequam confitearis invocare; confitere, et invoca. Illum quippe quem invocas, in te vocas. Quid est enim invocare, nisi in teipsum vocare? Si invocatur a te, id est, si vocatur in te, ad quem accedit? Ad superbum non accedit. Certe altus est; non eum attingit elatus. Omnia sublimia ut contingamus, attollimus nos; et si attingere non possumus, machinamenta aliqua vel scalas quærimus, ut sublimati sublimia contingamus: contra Deus; et altus est, et ab humilibus contingitur. Scriptum est, *Prope est Dominus his qui obtriverunt cor* (*Psal.* xxxiii, 19): tritura cordis, pietas, humilitas. Qui se conterit, irascitur sibi: se habeat iratum, ut illum habeat propitium; se habeat judicem, ut illum habeat defensorem. Ergo invocatus Deus venit. Ad quem venit? Ad superbum non venit. Audi aliud testimonium: *Excelsus Dominus, et humilia respicit; excelsa autem a longe cognoscit* (*Psal.* cxxxvii, 6). *Excelsus Dominus, et humilia respicit*, non a longe; excelsa autem a longe cognoscit. Et ne forte cum dictum esset quia humilia respicit, superbi de impunitate gauderent, quasi eos superbientes non agnoscat qui in excelsis habitat; territi sunt et dictum est eis: Videt vos, et cognoscit vos, sed a longe. Illos facit beatos quibus propinquat: vos autem, inquit, o superbi, o excelsi, non eritis impuniti, quia cognoscit; non eritis beati, quia a longe cognoscit. Videte ergo quid agatis; quia si agnoscit, non ignoscit. Melius ergo ignoscit, quam agnoscit. Quid est enim ipsum ignoscere, nisi non noscere? Quid est non noscere? Non animadvertere: nam et vindicantis solet dici animadversio. Audi orantem ut ignoscat: *Averte faciem tuam a peccatis meis* (*Psal.* l, 11). Quid igitur facies, si averterit faciem suam a te? Molestum est, et timendum ne deserat te. Rursus si faciem non avertit, animadvertit. Novit hoc Deus, potest hoc Deus, et avertere faciem a peccante, et non avertere a confitente. Itaque alibi ei dicitur: *Averte faciem tuam a peccatis meis;* et alibi ei dicitur: *Ne avertas faciem tuam a me* (*Psal.* xxvi, 9). Ibi, A peccatis meis averte; hic autem, A me noli avertere. Confitere ergo, et invoca: confitendo enim mundas templum quo veniat invocatus. Confitere, et invoca. Avertat faciem a peccatis tuis; non avertat a te: avertat faciem ab eo quod tu fecisti; non avertat ab eo quod ipse fecit. Te enim hominem ipse fecit; peccata tua ipse fecisti. Confitere ergo, et invoca; dic: *Confitebimur tibi, Deus: confitebimur tibi.*

[1] Quatuor Mss., *orc.*

3. Ipsa repetitio, confirmatio est, ne te confessum esse pœniteat. Non enim alicui crudeli confessus es; non ultori, non insultatori: confitere securus. Audi aliam vocem psalmi adhortantem: *Confitemini Domino, quoniam bonus est* (*Psal.* cv, 1, *et* cvi, 1). Quid est, *quoniam bonus est?* Quid timetis confiteri? bonus est; ignoscit confitenti. Time confiteri judici homini, ne forte confessum puniat; Deo noli: fac confitendo propitium, quem negando non facis nescium. *Confitebimur tibi, Deus; confitebimur, et* securi jam *invocabimus nomen tuum.* Exhausimus corda nostra confessione; terruisti, mundasti. Confessio nos humiles facit, propinqua humilibus, qui recedis ab excelsis. Firmamentum autem esse sententiæ in repetitione, multis Scripturarum locis docemur. Inde est quod Dominus ait, *Amen amen* (*Joan.* i, 51). Inde in aliquibus psalmis, *Fiat, fiat* (*Psal.* lxxi, 19, *et* lxxxviii, 53): ad significationem rei sufficeret unum *fiat;* ad significationem firmitatis accessit alterum *fiat.* Rex Ægypti Pharao, nostis quod cum ibi jam esset Joseph propter pudicitiæ amorem inclusus in carcere, vidit somnium idem Pharao notum omnibus nobis: a septem macris consumptas esse septem boves pingues; et rursus, a septem spicis exilibus consumptas esse septem fecundas. Et quid est interpretatus Joseph? Si meministis, non duo sunt ista somnia, sed visum unum. « Una est, » inquit, « interpretatio eorum: sed quod rursus vidisti, » ait, « ad confirmationem valet » (*Gen.* xli, 1-32). Hæc dixi ut non putetis repetitionem in verbis sanctæ linguæ, quasi loquacitatis esse appetitum. Sæpe ibi repetitio firmamenti habet vim. « Paratum cor meum, Deus, » inquit; « paratum cor meum » (*Psal.* lvi, 8). Alio loco dicit: « Sustine Dominum, viriliter age; et confortetur cor tuum, et sustine Dominum » (*Psal.* xxvi, 14). Innumerabilia talia sunt per omnes Scripturas. His sufficit commendasse nos vobis loquendi genus, quod observetis in omnibus similibus: modo ad rem advertite. *Confitebimur tibi,* inquit, *et invocabimus.* Dixi quare ante invocationem præcedit confessio: quia quem invocas, invitas. Venire autem non vult invocatus, si tu fueris elatus: elatus si fueris, confiteri non poteris; nec ea negas Deo quæ nescit. Itaque confessio tua non illum docet, sed te mundat.

4. Et jam confessus est, invocavit: imo confessi sunt, invocaverunt; et dicitur ex persona unius, *Enarrabo omnia mirabilia tua.* Confessus exinanivit se malis, invocans implevit se bonis, enarrans eructavit quo se implevit. Et videte, fratres; cum confiterentur multi erant: *Confitebimur tibi, Deus; confitebimur tibi, et invocabimus nomen tuum.* Multa enim sunt corda confitentium, unum credentium. Quare multa sunt corda confitentium, unum credentium? Diversa enim peccata homines confitentur; unam fidem credunt. Jam ergo cum cœperit Christus habitare in interiore homine per fidem (*Ephes.* iii, 17), cœperitque invocatus possidere confessum; fit totus Christus, caput, et corpus, et ex multis unus. Audite jam verba Christi. Nam quasi non ejus verba videbantur. *Confitebi-*

mur tibi, Deus; confitebimur tibi, et invocabimus nomen tuum. Jam incipit ex persona capitis sermo. Sive antem caput loquatur, sive membra loquantur, Christus loquitur: loquitur ex persona capitis, loquitur ex persona corporis. Sed quid dictum est? *Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego*, inquit, *dico, in Christo et in Ecclesia* (*Gen.* II, 24, *et Ephes.* V, 31, 32). Et ipse in Evangelio: *Igitur jam non duo, sed una caro* (*Matth.* XIX, 6). Nam ut noveritis has duas quodammodo esse personas, et rursus unam copulatione conjugii, tanquam unus loquitur apud Isaiam, et dicit: *Sicut sponso alligavit mihi mitram, et sicut sponsam induit me ornamento* (*Isai.* LXI, 10). Sponsum se dixit ex capite, sponsam ex corpore. Loquitur ergo unus; audiamus eum, et in eo nos quoque loquamur: simus membra ejus, ut hæc vox et nostra esse possit. *Enarrabo*, inquit, *omnia mirabilia tua.* Evangelizat Christus seipsum, evangelizat se etiam in membris suis jam existentibus, ut et alios adducat, et accedant qui non erant, et copulentur membris ejus, per quæ membra ejus prædicatum est Evangelium; et fiat unum corpus sub uno capite, in uno spiritu, in una vita.

5. [*vers.* 3.] Et quid ait? *Cum accepero*, inquit, *tempus ego justitias judicabo.* Quando judicabit justitias? Cum acceperit tempus. Nondum est ipsum tempus. Gratias misericordiæ ejus: prius prædicat justitias, et sic judicat justitias [1]. Nam si ante vellet judicare quam prædicare, quis inveniretur liberandus? quis absolvendus occurreret? Modo ergo prædicationis tempus est: *Narrabo*, inquit, *omnia mirabilia tua.* Audi narrantem, audi prædicantem; nam si contempseris, *Cum accepero tempus*, inquit, *ego justitias judicabo.* Dono, inquit, nunc peccata confitenti; non parcam postea contemnenti. *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C, 1), dicitur in psalmo. *Misericordiam et judicium:* modo *misericordiam*, postea *judicium;* in qua misericordia peccata donantur, in quo judicio peccata puniuntur. Vis non timere peccatorum punitorem? Ama donatorem; noli respuere, noli te extollere, noli dicere, Non habeo quod mihi donet; audi enim quod sequitur: *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Accepit tempus Christus? accepit tempus Filius Dei? Filius Dei non accepit tempus; sed Filius hominis accepit tempus. Idem ipse autem et Filius Dei per quem facti sumus, et Filius hominis per quem refecti sumus. Homine assumpto, ipse non assumptus; homine mutato in melius, nullo modo ipse in deterius commutatus, non destitit esse quod erat, sed accepit quod non erat. Quid erat? *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo:* Apostoli verba sunt. Et quid accepit? *Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 6, 7). Sicut formam servi accepit, ita et tempus accepit. Demutatus est ergo? deminutus est? exilior redditus? in defectum lapsus? Absit. Quid ergo *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens?* Exinanisse se dictus est accipiendo inferiorem, non degenerando ab æquali. Ergo, fratres, quid est hoc, *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo?* Accepit tempus ut Filius hominis; gubernat tempora ut Filius Dei. Audi quia ut Filius hominis accepit tempus judicandi. Dicit in Evangelio: *Dedit ei potestatem judicii faciendi, quoniam Filius hominis est* (*Joan.* V, 27). Secundum quod Filius Dei, nunquam accepit potestatem judicandi; quia nunquam caruit potestate judicandi: secundum quod Filius hominis, accepit tempus sicut nascendi et patiendi, sicut moriendi et resurgendi et ascendendi, ita veniendi et judicandi. Dicit in illo ista et corpus ejus; non enim sine illis judicabit: dicit quippe in Evangelio, *Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Ergo totus Christus dicit, id est caput et corpus in sanctis, *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.*

6. [*vers.* 4.] Modo autem quid? *Defluxit terra.* Si defluxit terra, unde defluxit nisi peccatis? Ideo et delicta dicuntur. Delinquere est, tanquam de liquido [1] quodam defluere a stabilitate firmamenti virtutis atque justitiæ. Cupiditate enim inferiorum quisque peccat: sicut roboratur charitate superiorum, sic deficit, et quasi liquescit cupiditate inferiorum. Hunc fluxum rerum in peccatis hominum attendens donator misericors, donator peccatorum, nondum exactor suppliciorum, attendit et ait: *Defluxit terra, et omnes inhabitantes in ea.* Ipsa utique terra defluxit in habitantibus se. Expositio est consequens, non additio. Tanquam si diceres: Quomodo defluxit terra? subtracta sunt fundamenta, et aliquid in ea hiatu quodam demersum est? Quod dico terram, *omnes inhabitantes in ea.* Inveni, inquit, terram peccatricem; et quid feci? *Ego confirmavi columnas ejus.* Quas columnas confirmavit? Columnas Apostolos dicit: sic apostolus Paulus de coapostolis suis, *Qui videbantur*, inquit, *columnæ esse* (*Gal.* II, 9). Et quid essent illæ columnæ, nisi ab illo firmarentur? quia quodam terræ motu etiam ipsæ columnæ nutaverunt; in passione Domini omnes Apostoli desperaverunt. Ergo columnæ illæ quæ passione Domini nutaverunt, resurrectione firmatæ sunt. Clamavit initium ædificii per columnas suas, et in eis omnibus columnis architectus ipse clamavit. Columna enim una erat ex illis Paulus apostolus, cum diceret: *An vultis experimentum accipere ejus, qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? Ergo, *Ego*, inquit, *confirmavi columnas ejus:* resurrexi; ostendi mortem non esse metuendam, ostendi timentibus nec ipsum corpus perire in morientibus. Terruerunt eos vulnera; firmaverunt cicatrices. Posset Dominus Jesus Christus sine ulla cicatrice resurgere: quid enim illi potestati magnum erat, ad tantam integritatem compagem corporis revocare, ut nullum omnino vestigium præteriti vulneris appareret? Habebat potestatem unde illud etiam sine cicatrice sanaret; sed habere voluit unde nutantes columnas firmaret.

[1] Sic aliquot Mss. At Er.: *Prius prædicet justitiam, et sic judicet justitias.* Lov.: *Prius præcedit justitia*, etc.

[1] Plures Mss., *loco quodam.*

7. [*vers.* 5.] Audivimus jam, fratres, quod quotidie non tacetur; audiamus quid clamaverit per columnas has. Tempus audiendi est propter terrorem illum : *Ego justitias judicabo, cum accepero tempus*. Ille accepturus est tempus justitias judicandi ; vos jam nunc habetis tempus justitias faciendi. Si taceret, non haberetis quid facere; sed confirmatis columnis clamat. Quid clamat? *Dixi iniquis : Nolite inique facere*. Clamat, fratres mei ; certe clamatis, delectat vos, audite clamantem. Per ipsum obsecro, terreat vos ista vox : non tam nos vestræ istæ voces delectare debent, quam vos istæ terrere. *Dixi iniquis : Nolite inique facere*. Sed jam fecerunt, et rei sunt ; jam *defluxit terra, et omnes inhabitantes in ea*. Compuncti sunt corde qui Christum crucifixerunt; agnoverunt peccatum suum, didicerunt aliquid ab Apostolis, ne desperarent de indulgentia prædicatoris [1] (*Act.* II, 37, 38). Medicus enim venerat, et ideo non ad sanos venerat : *Non est*, inquit, *opus sanis medicus, sed male habentibus ; non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam* (*Matth.* IX, 12 *et* 13). Ergo, *Dixi iniquis : Nolite inique facere*. Non audierunt. Olim enim nobis dictum est ; non audivimus, lapsi sumus, mortales facti, mortales geniti : *defluxit terra* Audiant vel modo, ut surgant, medicum qui venit ad languidum : quem noluerunt audire sani, ut non caderent ; audiant jacentes, ut surgant. *Dixi iniquis : Nolite inique facere*. Quid agimus : Jam fecimus. *Et delinquentibus : Nolite exaltare cornu vestrum* [2]. Quid est hoc? Si fecistis iniquitatem per cupiditatem, nolite eam defendere per elationem : confitemini, si fecistis. Qui enim non confitetur, et iniquus est, [3] exaltat cornu. *Dixi iniquis : Nolite inique facere ; et delinquentibus : Nolite exaltare cornu vestrum*. Exaltabitur in vobis cornu Christi, si non exaltetur cornu vestrum. Cornu vestrum de iniquitate est ; cornu Christi de majestate.

8. [*vers.* 6-8.] *Nolite ergo efferri : ne loquamini adversus Deum iniquitatem*. Audite jam voces multorum ; audiat unusquisque, et pungatur. Quid solent homines dicere ? Vere judicat Deus de rebus humanis? et est illud judicium Dei [4]? aut vero curat quid agatur in terra? Tam multi iniqui redundant felicitatibus ; innocentes premuntur laboribus ! Sed illi accidit nescio quid mali, castigante Deo et admonente, et novit conscientiam suam ; novit pro merito peccatorum suorum aliquid se perpeti posse : unde argumentatur adversus Deum? Quia non potest dicere, Justus sum ; quid putamus eum dicere ? Sunt pejores iniqui, et tamen ista non patiuntur. Hæc est iniquitas quam loquuntur homines adversus Deum. Videte autem quam iniquum sit : dum se vult justum videri, illum facit injustum. Qui enim dicit, Inique patior quod patior ; illum iniquum facit cujus judicio patitur, se autem justum qui inique patitur. Rogo vos, fratres mei, æquum est hoc, ut Deus credatur injustus, tu justus ? Cum autem hæc dicis, loqueris adversus Deum iniquitatem.

9. Quid dicit in alio psalmo ? *Hæc fecisti :* numeratis quibusdam peccatis. *Hæc*, inquit, *fecisti, et tacui*. Quid est, *tacui?* Nunquam tacet præcepto, sed interim tacet supplicio ; quiescit a vindicta, non profert in damnatum sententiam. Sed hoc ille dicit : Feci illa et illa, et non vindicavit Deus ; ecce sanus sum, nihil mali contigit mihi. *Hæc fecisti, et tacui : suspicatus es iniquitatem, quod ero tibi similis*. Quid est, *quod ero tibi similis?* Quia tu iniquus es, et me iniquum putasti ; tanquam approbatorem facinorum tuorum, non adversatorem [1], non ultorem. Et quid postea tibi dicit ? *Arguam te, et constituam te ante faciem tuam* (*Psal.* XLIX, 21). Quid est hoc ? Quia modo peccando post terga te ponis, non te vides, non te inspicis; ego te ponam ante te, et faciam tibi supplicium de te. Sic et hic. *Ne loquamini adversus Deum iniquitatem*. Attendite. Multi autem loquuntur istam iniquitatem ; sed non audent palam, ne blasphemi exhorreantur ab hominibus piis : in corde suo ista rodunt, intus tali nefario cibo pascuntur ; delectat eos loqui adversus Deum, et si non erumpunt lingua, corde non tacent. Unde in alio psalmo dicitur : *Dixit stultus in corde suo, Non est Deus* (*Psal.* XIII, 1). *Dixit stultus ;* sed homines timuit : noluit dicere ubi audirent homines ; et ibi dixit, ubi audiret ipse de quo dixit. Propterea et hic in isto psalmo, charissimi, intendite, quoniam hoc quod dixit, *Nolite loqui adversus Deum iniquitatem*, vidit multos hoc in corde agere, et adjunxit : *Quoniam neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montium ; quoniam Deus judex est*. Iniquitatum tuarum judex Deus est. Si Deus est, ubique præsens est. Quo te auferes ab oculis Dei, ut in parte aliqua loquaris quod ille non audiat? Si ab oriente judicat Deus, secede in occidentem, et dic quidquid vis adversus Deum ; si ab occidente, vade in orientem, et ibi loquere ; si a desertis montium judicat, vade in medium populorum, ubi tibi submurmures. De nullo loco [2] judicat, qui ubique secretus est, ubique publicus ; quem nulli licet ut est cognoscere, et quem nemo permittitur ignorare. Vide quid agas. Loqueris adversus Deum iniquitatem. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (alia Scriptura dicit hoc) ; *et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis : propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere* (*Sap.* I, 7 *et* 8). Noli ergo cogitare Deum in locis; ille tecum est talis, qualis fueris. Quid est talis, qualis fueris? Bonus, si bonus fueris; et malus tibi videbitur, si malus fueris : sed opitulator si bonus fueris ; ultor si malus fueris. Ibi habes judicem in secreto tuo. Volens facere aliquid mali, de publico recipis te in domum tuam, ubi nemo inimicorum videat ; de locis domus tuæ promptis et in faciem constitutis, removes te in cubiculum ; times et in cubiculo aliunde conscium, secedis in cor tuum, ibi meditaris : ille corde tuo interior est. Quocumque ergo fugeris, ibi est. Teipsum

[1] Aliquot Mss., *peccatores*.
[2] Vox, *vestrum*, hic et infra abest a plerisque Mss.
[3] Edd., *et exaltat cornu*. Abest particula, *et*, a Mss.
[4] Sic meliores Mss. At Edd. : *Vere non judicat Deus de rebus humanis. Et est ullum Dei judicium ?*

[1] Plerique Mss , *non animadversorem*.
[2] Lov., *non judicat*. Abest, *non*, ab Er. et a Mss.

quo fugies? Nonne quocumque fugeris, te sequeris? Quando autem et teipso interior est, non est quo fugias a Deo irato, nisi ad Deum placatum: prorsus non est quo fugias. Vis fugere ab ipso? Fuge ad ipsum. Ergo ne loquamini adversus Deum iniquitatem, nec illic ubi loquimini. *Iniquitatem*, inquit, *meditatus est in cubili suo* (*Psal.* xxxv, 5). Quid meditatus est in cubili suo? Cubile cor ejus, dicens: *Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino.* Sed supra dixit, *Dicite in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (*Psal.* iv, 6, 5). Quot habes ibi punctiones facinorum, tot habe illic compunctiones confessionum. Ubi ergo loqueris adversus Deum iniquitatem, ibi te judicat: non judicium differt, sed pœnam. Jam judicat, jam novit, jam videt: pœna restat; cum fuerit præsentata, habebis et pœnam, cum apparuerit facies illius hominis qui hic irrisus est, qui judicatus, qui crucifixus, qui sub judice stetit; cum apparuerit judicans in præsentia sua, tunc habebis pœnam, si te non correxeris. Quid ergo modo faciemus? Præveniamus faciem ejus, ἐν ἐξομολογήσει (*Psal.* xciv, 2). Præveni in confessione: veniet mitis quem feceras iratum. *Neque a desertis montium; quoniam Deus judex est:* non ab oriente, non ab occidente, non a desertis montium. Quare? *Quoniam Deus judex est.* Si in aliquo [1] loco esset, non esset Deus: quia vero Deus judex est, non homo, noli illum exspectare de locis. Locus ejus tu eris, si [2] bonus, si confessus invocaveris eum.

10. *Hunc humiliat, et hunc exaltat.* Quem humiliat, quem exaltat judex ille? Attendite duos illos in templo, et videtis quem humiliat, et quem exaltat. «Ascenderunt in templo orare,» ait; «unus Pharisæus, et alter Publicanus.» Pharisæus dicebat: «Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines, injusti, raptores, adulteri, sicut et hic Publicanus: jejuno bis in sabbato; decimas do omnium quæ possideo.» Ad medicum ascenderat, et membra sana ostendebat; vulnera tegebat. Quid ergo ille qui melius noverat unde sanaretur? *Publicanus autem de longinquo stabat, et percutiebat pectus suum.* Videtis eum de longinquo stantem: illi propinquabat quem invocabat. «Et percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Amen dico vobis; descendit justificatus Publicanus ille, magis quam Pharisæus ille: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur» (*Luc.* xviii, 10-14). Expositus est versus psalmi hujus. Deus judex quid facit? *Hunc humiliat, et hunc exaltat;* humiliat superbum, exaltat humilem.

11. [*Vers.* 9.] *Quia calix in manu Domini vini meri plenus est mixto.* Merito. *Et inclinavit ex hoc in hunc; verumtamen fæx ejus non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.* Renovamini paululum; obscurum aliquid est: sed, quomodo audivimus Evangelii lectionem recentissimam, *Petite, et dabitur vobis; quærite et invenietis, pulsate, et aperietur vobis* (*Matth.* vii, 7). Sed dicis: Quo pulso, ut aperiatur mihi? *Neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montium; quoniam Deus judex est.* Si præsens est hic atque illic, et absens nusquam, ubi stas, ibi pulsa; ibi tantum sta, quia stando pulsatur. Quid ergo est hoc? Prima quæstio ista occurrit, *Vini meri plenus est mixto:* quomodo *meri*, si *mixto?* Cæterum, *Calix in manu Domini*, cum dicit, eruditis in Ecclesia Christi loquor, non utique veluti forma humana circumscriptum Deum debetis vobis in corde pingere, ne clausis templis simulacra in cordibus fabricetis. Calix ergo iste aliquid significat. Inveniemus hoc. *In manu* autem *Domini*, est in potestate Domini: manus enim Dei potestas Dei commendata est. Nam et de hominibus plerumque dicitur, In manu hoc habet; hoc est, in potestate habet, cum vult facit. *Vini meri plenus est mixto.* Consequenter ipse exposuit: *Inclinavit*, inquit, *ex hoc in hunc; verumtamen fæx ejus non est exinanita.* Ecce unde mixto vino plenus erat. Non ergo vos terreat, quia et merum et mixtum: merum propter sinceritatem, mixtum propter fæcem. Quid ergo ibi vinum, et quid fæx? Et quid est, *Inclinavit ex hoc in hunc*, ita ut fæx ejus non esset exinanita?

12. Unde venerit ad hoc, recordamini: *Hunc humiliat, et hunc exaltat.* Quod figuratum est nobis in Evangelio per duos homines, Pharisæum et Publicanum, hoc latius accipientes, intelligamus duos populos, Judæorum et Gentium: Judæorum populus, Pharisæus ille; Gentium populus, Publicanus ille. Judæorum populus jactabat merita sua; Gentium confitebatur peccata sua. Qui novit in Litteris sanctis et Epistolas apostolicas, et Actus Apostolorum, videt ibi quod dico: ne longum faciam quomodo Apostoli exhortabantur Gentes ne desperarent, quod in magnis peccatis jacuissent; et reprimebant Judæos, ne se extollerent quasi ex justificationibus Legis, et ideo se putarent justos, Gentiles autem peccatores esse, quia Judæis et Lex erat, et templum erat, et sacerdotium erat (*Rom.* iii, iv). Illi autem omnes cultores idolorum, veneratores dæmoniorum, longe quidem positi; sicut Publicanus ille de longinquo stabat. Sicut illi superbiendo recesserunt, sic isti confitendo propinquaverunt. *Calix* ergo *vini meri plenus in manu Domini*, quantum donat Dominus ut intelligam (potest enim alius melius, quia sic se habet obscuritas Scripturarum: difficile est ut unum pariant intellectum. Quicumque tamen intellectus exierit, opus est ut regulæ fidei congruat: nec majoribus invidemus, nec parvuli desperamus [1]. Quid nobis videatur dico Charitati Vestræ, non ut obstruam aures vestras adversus alios melius aliquid forte dicturos). *Calix vini meri plenus mixto* videtur mihi esse Lex quæ data est Judæis, et omnis illa Scriptura Veteris quod dicitur Testamenti, ibi sunt pondera omnium sententiarum. Nam ibi Novum Testamentum absconditum latet, tanquam in fæce corporalium sacramentorum. Circumcisio carnis magni sacramenti res est, et intelligitur inde circumcisio cordis. Templum illud Jerusalem magni sacramenti est res, et intelligitur ex eo corpus Do-

[1] Sic Fr. et aliquot Mss. At Lov., *si in alio.*
[2] Particula, *si*, hoc loco a Mss. plerisque abest.

[1] Sic Mss. At Edd., *nec de parvulis desperamus.*

mini. Terra promissionis intelligitur regnum cœlorum. Sacrificium victimarum et pecorum magnum habet sacramentum; sed in omnibus illis generibus sacrificiorum intelligitur unum illud sacrificium et unica victima in cruce Dominus [1] : pro quibus omnibus sacrificiis unum nos habemus, quia et illa figurabant hæc, id est, illis hæc figurabantur. Accepit populus ille Legem; accepit mandata justa et bona. Quid tam justum quam, *Non occides*, *Non mœchaberis*, *Non furaberis*, *Non falsum testimonium dices*. *Honora patrem et matrem*, *Non concupisces rem proximi tui*, *Non concupisces uxorem proximi tui*, *Unum Deum adorabis, et ipsi soli servies* (*Exod.* xx, 7-17, *et Deut.* v, 6-21)? Omnia ista ad vinum pertinent. Illa vero carnalia quasi resederunt, ut remanerent apud illos, et effunderetur inde omnis spiritualis intellectus. *Calix* vero *in manu Domini*, id est in potestate Domini; *vini meri*, id est Legis sinceræ; *plenus est mixto*, id est cum fæce corporalium sacramentorum. Et quia *hunc humiliat*, superbum Judæum, *et hunc exaltat*, confitentem Gentilem, *inclinavit ex hoc in hunc*, id est a Judaico populo in Gentilem populum. Quid inclinavit? Legem : eliquatus est inde spiritualis intellectus; *Verumtamen fæx ejus non est exinanita*, quia omnia sacramenta carnalia apud Judæos remanserunt. *Bibent omnes peccatores terræ*. Qui bibent? *Omnes peccatores terræ*. Qui peccatores terræ? Judæi erant quidem peccatores, sed superbi; Gentiles autem erant peccatores, sed humiles : *Omnes peccatores bibent*; sed vide qui fæcem, qui vinum. Etenim illi bibendo fæcem, evanuerunt; isti bibendo vinum, justificati sunt : audeam dicere et inebriatos, et non timebo; atque utinam omnes sic inebriemini! Recordamini : *Calix tuus inebrians quam præclarus* (*Psal.* xxii, 5)! Quid enim? putatis, fratres mei, omnes illos qui confitendo Christum etiam mori voluerunt, sobrios fuisse? Usque adeo ebrii erant, ut suos non agnoscerent. Omnes propinqui sui, qui eos a spe cœlestium præmiorum terrenis blandimentis avertere moliti sunt, non sunt agniti, non sunt auditi ab ebriis. Non erant ebrii, quibus mutatum cor erat? Non erant ebrii, quorum mens alienata erat ab hoc sæculo? *Bibent*, inquit, *omnes peccatores terræ*. Sed qui bibent vinum? Peccatores bibent, sed ne remaneant peccatores; ut justificentur, non ut puniantur.

13. [*vers.* 10.] *Ego autem* : nam omnes bibunt; sed seorsum *ego*, id est Christus cum corpore suo; *in sæculum gaudebo; psallam Deo Jacob* : promissione illa futura in fine, de qua dicitur, *Ne corrumpas*. *Ego autem in sæculum gaudebo*.

14. [*vers.* 11.] *Et omnia cornua peccatorum confringam; et exaltabuntur cornua justi*. Hoc est, *Hunc humiliat, et hunc exaltat*. Nolunt sibi frangi [2] cornua peccatores, quæ sine dubio frangentur in fine. Non vis ut ille tunc frangat? tu hodie frange. Audisti enim supra; noli contemnere : *Dixi iniquis*, *Nolite inique agere; et delinquentibus*, *Nolite exaltare cornu*. Quando audisti, *Nolite exaltare cornu*, contempsisti, et exaltasti cornu; venies ad finem, ubi fiet, *Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi*. Cornua peccatorum, dignitates superborum; cornua justi, munera Christi : per cornua enim sublimitates intelliguntur. Oderis in terra sublimitatem terrenam, ut possis habere cœlestem. Amas terrenam; non te admittit ad cœlestem : et ad confusionem pertinebit quod frangitur tibi cornu; quomodo ad gloriam pertinebit, si exaltatur tibi cornu. Modo ergo est tempus eligendi; tunc non erit. Non es dicturus, Dimittar et eligam : præcesserunt enim voces, *Dixi iniquis*. Si non dixi, para excusationem, para defensionem : si autem dixi, præoccupa confessionem, ne venias ad damnationem; quia tunc confessio sera erit, et defensio nulla erit.

[1] Edd., *Domini*. At probæ notæ Mss., *Dominus*.
[2] Gatian. Ms., *frange e*.

IN PSALMUM LXXV
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 2.] Solent inimici Domini Jesu Christi omnibus noti Judæi gloriari in isto psalmo quem cantavimus, dicentes, *Notus in Judæa Deus; in Israel magnum nomen ejus*, et insultare Gentibus quibus non est notus Deus, et dicere quia sibi solis notus est Deus; quando Propheta dicit, *Notus in Judæa Deus*: alibi ergo ignotus. Notus est autem revera in Judæa Deus, si intelligant quid sit Judæa. Nam vere non est notus Deus nisi in Judæa. Ecce et nos hoc dicimus, quia nisi quisque fuerit in Judæa, notus ei Deus esse non potest. Sed quid dicit Apostolus? *Qui in occulto Judæus est; qui circumcisione cordis, non littera, sed spiritu* (*Rom.* ii, 29) : sunt ergo Judæi in circumcisione carnis, et sunt Judæi in circumcisione cordis. Patres nostri multi sancti, et circumcisionem carnis habebant propter signaculum fidei, et circumcisionem cordis propter ipsam fidem. Ab his patribus degenerantes isti qui modo in nomine gloriantur et facta perdiderunt; ab his ergo patribus degenerantes, remanserunt in carne Judæi, in corde Pagani. Ipsi enim Judæi, qui sunt ex Abraham, a quo Isaac natus est, et ex illo Jacob, et ex Jacob duodecim Patriarchæ, et ex duodecim Patriarchis populus universus Judæorum. Sed Judæi propterea maxime appellati sunt, quia Judas unus erat de filiis duodecim Jacob, patriarcha inter duodecim, et de stirpe ejus regnum veniebat Judæis. Nam omnis ille populus secundum numerum duodecim filiorum Jacob duodecim tribus habebat. Tribus dicuntur tanquam curiæ et congregationes distinctæ populorum. Habebat ergo ille populus duodecim tribus; e quibus duodecim tribubus una tribus erat Juda ex qua erant reges, et erat altera tribus Levi ex qua erant sacerdotes. Sed quia sacerdotibus templo servientibus terra divisa non est (*Num.* xviii, 20), oportebat autem ut duodecim tribubus dispertiretur omnis regio promissionis : excepta ergo una tribu majoris dignitatis, tribu Levi, quæ erat in sacerdotibus, remanerent undecim, nisi per adoptionem duorum

filiorum Joseph duodecim complerentur. Hoc quid sit, advertite. Unus de duodecim filiis Jacob erat Joseph. Iste est Joseph quem fratres sui in Ægyptum vendiderunt, et illic merito castitatis ad sublimem dignitatem perductus est, et adfuit illi Deus in omni opere suo; et suscepit fratres suos a quibus venditus erat, et patrem, fame laborantes, et propter panem ad Ægyptum descendentes. Iste Joseph duos filios habuit, Ephraim et Manasse. Moriens Jacob, tanquam testamento [1], assumpsit illos nepotes suos in numerum filiorum, et dixit filio suo Joseph : *Cæteri qui nascuntur, tibi erunt; isti autem mihi, et divident terram cum fratribus suis* (*Gen.* XLVIII, 5, 6). Adhuc non erat data, nec divisa terra promissionis; sed dicebat ille in Spiritu prophetans. Accedentibus ergo duobus filiis Joseph, factæ sunt nihilominus duodecim tribus, quia jam tredecim sunt : pro una enim tribu Joseph, duæ accesserunt, et factæ sunt tredecim. Excepta ergo tribu Levi, illa tribu sacerdotum quæ serviebat templo, et de decimis vivebat cæterarum omnium quibus terra divisa est, remanent duodecim. In his duodecim erat tribus Juda, unde reges erant. Nam primo de alia tribu datus est rex Saül (I *Reg.* IX, 1), et reprobatus est tanquam malus rex; postea datus est de tribu Juda rex David, et ex illo de tribu Juda fuerunt reges (*Id.* XVI, 12). Jacob autem ille hoc dixerat, quando benedixerat filios suos : *Non deficiet princeps de Juda, nec dux de femoribus ejus, donec veniat cui repromissum est* (*Gen.* XLIX, 10). De tribu autem Juda venit Dominus noster Jesus Christus. Est enim, sicut Scriptura dicit et modo audistis, *ex semine David*, natus de Maria. Cæterum quod attinet ad divinitatem Domini nostri Jesu Christi, in qua æqualis est Patri; non solum ante Judæos, sed etiam ante ipsum Abraham (*Joan.* VIII, 58); nec solum ante Abraham, sed et ante Adam; nec solum ante Adam, sed et ante cœlum et terram, et ante sæcula : quia *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Id.* I, 3). Quia ergo in prophetia dictum est, *Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus ejus, donec veniat cui repromissum est* : considerantur priora tempora, et invenitur quia Judæi de tribu Juda semper reges habuerunt, unde dicti sunt Judæi; et non habuerunt regem prius alienigenam, nisi Herodem illum qui fuit quando Dominus natus est (*Luc.* III, 1). Inde cœperunt reges alienigenæ, ab Herode. Ante Herodem omnes de tribu Juda, sed donec veniret *cui repromissum est*. Itaque ipso jam veniente Domino, eversum est regnum Judæorum, et sublatum est ex Judæis. Modo non habent regnum, quia nolunt cognoscere verum regem. Videte jam si Judæi sint appellandi. Jam videtis quia Judæi non sunt appellandi. Ipsi voce sua abdicaverunt se ab isto nomine, ut Judæi non sint digni appellari, nisi tantum carne. Ubi ergo se separaverunt ab isto nomine? Dicebant, sæviebant in Christum, id est [2] genus Juda, sæviebant in semen David. Et ait illis Pilatus : *Regem vestrum crucifigam?* Et illi : *Nos non habemus regem, nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15). O Judæi qui vocamini, et non estis; si non habetis regem, nisi Cæsarem, defecit jam princeps de Juda : venit ergo ille *cui repromissum est*. Illi ergo verius Judæi, qui christiani facti sunt ex Judæis : cæteri Judæi qui in Christum non crediderunt, etiam nomen ipsum perdere digni fuerunt. Judæa ergo vera, Christi Ecclesia est, credens in illum regem qui venit ex tribu Juda per virginem Mariam; credens in illum de quo modo Apostolus dicebat, ad Timotheum scribens: *Memor esto Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum* (II *Tim.* II, 8). De Juda enim David, et ex David Dominus Jesus Christus. Nos credentes in Christum pertinemus ad Judam; et nos cognovimus Christum qui oculis non vidimus, fide retinemus. Non ergo insultent Judæi, qui jam non sunt Judæi : ipsi dixerunt, *Nos non habemus regem, nisi Cæsarem*. Nam melius illis erat, ut rex illorum esset Christus, ex semine David de tribu Juda. Tamen quia ipse Christus ex semine David secundum carnem, Deus autem super omnia benedictus in sæcula, ipse rex noster est et Deus noster : rex noster, secundum quod natus est ex tribu Juda secundum carnem, Christus Dominus Salvator; Deus autem noster, qui est ante Judam, et ante cœlum et terram, per quem facta sunt omnia, et spiritualia et corporalia. Si enim *omnia per ipsum facta sunt*; et ipsa Maria de qua natus est, per ipsum facta est. Quomodo ergo ille quasi cæteri homines nasceretur, qui sibi fecit matrem de qua nasceretur? Ergo ipse Dominus : Apostolo dicente, cum loqueretur de Judæis, *Quorum patres; et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5). Quia ergo Judæi viderunt Christum, et crucifixerunt, non viderunt Deum : Gentes autem quia non viderunt, et crediderunt, intellexerunt Deum. Ergo si innotuit eis Deus in Christo mundum reconcilians sibi (II *Cor.* V, 19), et ideo illi crucifixerunt, quia in carne latentem Deum non intellexerunt, recedat illa quæ vocatur Judæa, et non est; accedat vera Judæa, cui dicitur : *Accedite ad eum, et illuminamini, et vultus vestri non erubescent* (*Psal.* XXXIII, 6). Vultus veræ Judææ non confundentur. Etenim audierunt, et crediderunt; et facta est Ecclesia vera Judæa, ubi notus Christus, qui homo est ex semine David, Deus super David.

2. *Notus in Judæa Deus; in Israel magnum nomen ejus*. Et de Israel sic debemus accipere, quomodo de Judæa : quomodo illi non sunt veri Judæi, sic nec verus Israel. Quis enim dicitur Israel? Videns Deum. Et quomodo illi viderunt Deum, inter quos ambulavit in carne, et cum putarent hominem, occiderunt? Resurgens ille apparuit Deus omnibus quibus se voluit demonstrare. Illi ergo digni sunt Israel dici, qui meruerunt Christum intelligere Deum in carne positum, ut non quod videbant contemnerent, sed quod non videbant adorarent. Non visum enim oculis Gentes humili mente perceperunt illum quem non vide-

[1] Edd., *testamento assumpto*. Vox, *assumpto*, abest ab aliquot Mss.

[2] Edd., *id est in genus Juda*. Abest, *in*, a Mss.

bant, et fide tenuerunt. Proinde illi qui manibus tenuerunt, occiderunt; qui fide tenuerunt, adoraverunt *In Israel magnum nomen ejus*. Vis esse Israel? Illum attende de quo Dominus ait : *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I, 47). Si verus *Israelita, in quo dolus non est*, dolosi et mendaces non sunt veri Israelitæ. Non ergo dicant isti quoniam apud illos est Deus, et magnum nomen ejus in Israel : probent se Israelitas, et concedo ego quia *in Israel magnum nomen ejus*.

3. [*vers.* 3.] *Et factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion*. Rursus Sion quasi patria est Judæorum : vera Sion Ecclesia est Christianorum. Interpretatio autem nominum hebræorum sic nobis traditur : Judæa Confessio interpretatur; Israel Videns Deum. Post Judæam Israel : sic hic positum est, *Notus in Judæa Deus; in Israel magnum nomen ejus*. Deum vis videre? Prius confitere tu, et sic in teipso fit locus Dei; quia *factus est in pace locus ejus*. Quamdiu ergo non confiteris peccata tua, quodammodo rixaris cum Deo : quomodo enim non cum illo litigas, qui quod illi displicet laudas? Punit ille furem; tu furtum laudas : punit ille ebriosum; tu laudas ebriositatem. Litigas cum Deo; non fecisti illi locum in corde tuo : quia *in pace locus ejus*. Et quomodo incipis pacem habere cum Deo? Incipis illi in confessione. Psalmi vox est dicentis, *Incipite Domino in confessione* (*Psal.* CXLVI, 7). Quid est, *Incipite Domino in confessione?* Incipite adjungi Deo. Quomodo? Ut hoc vobis displiceat quod et illi displicet. Displicet illi vita tua mala : si placeat tibi, disjungeris ab illo; si displiceat tibi, per confessionem illi conjungeris. Vide ex quanta parte dissimilis es, quando utique propter ipsam dissimilitudinem displices. Factus enim es, o homo, ad imaginem Dei; per vitam vero perversam et malam perturbasti in te, et exterminasti in te imaginem Conditoris tui. Factus dissimilis, attendis in te, et displices tibi : jam ex eo cœpisti similis fieri, quia hoc tibi displicet quod displicet et Deo.

4. Sed quomodo sum similis, inquis, quando adhuc mihi displiceo? Ideo dictum est, *Incipite*. Incipe Domino in confessione; perficieris in pace. Adhuc enim habes adversum te bellum. Indicitur tibi bellum, non solum adversus suggestiones diaboli, adversus principem potestatis aeris hujus, qui operatur in filiis diffidentiæ, adversus diabolum et angelos ejus, spiritualia nequitiæ (*Ephes.* VI, 12); non solum ergo adversus ipsos tibi bellum indicitur, sed adversus teipsum. Quomodo adversus teipsum? Adversus tuam consuetudinem malam, adversus vetustatem vitæ tuæ malæ, quæ trahit te ad solitam, et refrenat a nova [1]. Indicitur enim tibi quædam nova vita, et tu vetus es : novitatis gaudio suspenderis, vetustatis onere prægravaris; incipit tibi esse bellum adversus te. Sed ex qua parte tibi displices, jungeris Deo; et ex qua parte jam jungeris Deo, idoneus eris ad vincendum te, quia ille tecum est qui omnia superat. Attende quid dicit Apostolus : *Mente servio legi Dei; carne autem legi peccati*. Unde *mente?* Quia displicet tibi vita tua mala. Unde *carne?* Quia non desunt suggestiones et delectationes malæ; sed ex eo quod mente jungeris Deo, vincis quod in te non vult sequi. Præcessisti enim ex parte, et ex parte tardaris : trahe teipsum ad illum qui te sursum tollit. Pondere quodam vetustatis deprimeris; clama et dic : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* quis me liberabit ab eo quo gravor? corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam (*Sap.* IX, 15). Quis ergo liberabit? *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 25, 24). Quare autem permittit ut diu contra te litiges, donec absorbeantur omnes cupiditates malæ? Ut intelligas in te pœnam tuam : in te ex teipso est flagellum tuum; sit [1] rixa tua tecum. Sic vindicatur in rebellem adversus Deum, ut ipse sibi sit bellum, qui pacem noluit habere cum Deo. Sed tene membra tua adversus concupiscentias tuas malas. Surrexit ira; tene tu manum conjunctus Deo. Potuit surgere, sed non invenit arma. Apud iram tuam impetus est; apud te arma sunt : sit impetus inermis, et discit jam non surgere qui frustra surrexit.

5. Hoc autem dico, charissimi, ne forte quia diximus, *Carne autem legi peccati*, putetis consentiendum esse desideriis vestris carnalibus. Etsi non possunt modo nisi esse desideria carnalia, non est illis consentiendum. Propterea non dixit Apostolus. Non sit peccatum in vestro mortali corpore; novit enim quia quamdiu mortale est, est ibi peccatum : sed quid ait? *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*. Quid est, *non regnet?* Ipse exposuit : *Ad obediendum*, inquit, *desideriis ejus* (*Rom.* VI, 12). Sunt desideria, existunt; desideria non tu obaudis desideriis tuis, non sequeris ipsa desideria, non illis consentis : est tibi peccatum, sed amisit regnum, quando jam in te non regnat peccatum; postea inimica novissima destruetur mors (I *Cor.* XV, 26). Quid enim nobis promittitur, quoniam dictum est : Mente servio legi Dei; carne autem legi peccati (*Rom.* VII, 25)? Audi promissionem : quia non semper erunt in carne desideria illicita. Etenim resurget, et mutabitur; et cum mutata fuerit caro ista mortalis in spirituale corpus, jam nullis concupiscentiis sæcularibus, jam nullis terrenis delectationibus titillabit animam, nec avertet a contemplatione Dei. Fit ergo in ea quod dicit Apostolus, « Corpus quidem mortuum est propter peccatum; spiritus autem vita est propter justitiam. Si autem qui suscitavit Jesum a mortuis habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra, propter Spiritum suum qui habitat in vobis » (*Id.* VIII, 10, 11). Vivificatis ergo corporibus nostris, erit pax vera ubi locus est Dei : sed præcedat confessio. *Notus in Judæa Deus :* confitere ergo prius. *In Israel magnum nomen ejus :* nondum vides in specie; vide ex fide, et fiet in te quod sequitur

[1] Lov., *ad solitam et refrenatur a nova*. At Mss., *ad solita et refrenat a nova*.

[1] Aliquot Mss., *fit*.

Et factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion. Sion interpretatur Contemplatio. Quid est contemplatio [1]? Contemplabimur enim Deum facie ad faciem (I *Cor.* XIII, 12). Hic nobis promittitur, in quem modo non videntes credimus. Quomodo gaudebimus cum viderimus eum? Fratres, si modo tantum gaudium in nobis facit promissio, quantum est factura redditio? Reddetur enim nobis quod promisit. Et quid promisit? Seipsum, ut in facie ipsius, et illius contemplatione gaudeamus; et non aliquid aliud delectabit nos, quia nihil est melius illo qui fecit omnia quæ delectant. *Factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion :* id est, in contemplatione quadam et speculatione facta est habitatio ejus *in Sion.*

6. [*vers.* 4.] *Ibi confregit fortitudines arcuum et scutum, et gladium, et bellum.* Ubi confregit? In illa pace æterna, in illa pace perfecta. Et modo, fratres mei, qui bene crediderunt, vident quia non de se debent præsumere; et omnem potentiam minarum suarum, et quidquid in eis acutum [2] est ad nocendum, confringunt illud : et quidquid quasi pro magno habent unde se protegerent [3] temporaliter, et bellum quod adversus Deum defendendo peccata sua gerebant, omnia hæc ibi confregit.

7. [*vers.* 5.] *Illuminans tu admirabiliter a montibus æternis.* Qui sunt montes æterni? Quos ipse fecit æternos; qui sunt montes magni, prædicatores veritatis. Tu illuminas; sed a montibus æternis : primi magni montes excipiunt lucem tuam, et a luce tua quam suscipiunt montes, vestitur et terra. Sed illi magni montes exceperunt Apostoli; tanquam orientis luminis primordia exceperunt Apostoli. Numquid quod exceperunt, apud se retinuerunt? Non; ne diceretur illis : *Serve nequam et piger, dares pecuniam meam nummulariis* (*Matth.* XXV, 26, 27). Si ergo quod susceperunt non apud se retinuerunt, sed omni orbi terrarum prædicaverunt, *Illuminans tu admirabiliter a montibus æternis.* Quos æternos fecisti, per illos vitam æternam et cæteris promisisti : *Illuminans tu admirabiliter a montibus æternis.* Magnifice cum pondere dictum est, *Tu ;* ne putet aliquis quod cum montes illuminent. Multi enim putantes quod ab ipsis montibus illuminarentur, fecerunt sibi partes de montibus; et ipsos montes conciderunt [4], et ipsi confracti sunt. Nescio qui sibi fecerunt Donatum, nescio qui sibi fecerunt Maximianum, nescio qui sibi fecerunt illum et illum. Quare computant salutem suam in hominibus esse, non in Deo? O homo, venit ad te lux per montes; sed Deus te illuminat, non montes. *Illuminans tu*, inquit : *tu*, non montes. *Tu illuminans : a montibus* quidem *æternis ;* sed, *tu illuminans.* Unde et in alio loco quid ait psalmus? *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Quid ergo, in montibus est spes tua, et inde tibi veniet auxilium? remansisti in montibus? Vide quid agas. Est aliquid super montes : super montes est quem tremunt montes. *Levavi*, inquit, *oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Sed quid sequitur? *Auxilium meum*, inquit, *a Domino, qui fecit cœlum et terram* (*Psal.* CXX, 1, 2). In montes quidem levavi oculos, quia per montes mihi sunt Scripturæ monstratæ; sed ego cor habeo in illo qui illuminat omnes montes.

8. Ergo, fratres, ad hoc dictum est, ne quisquam vestrum velit spem suam ponere in homine. Tamdiu est aliquid homo, quamdiu illi hæret a quo factus est homo. Nam recedens ab illo, nihil est homo, et cum hæret illis [1]. Tu sic accipe consilium per hominem, ut illum consideres qui illuminat hominem. Etenim et tu potes accedere ad illum qui tibi per hominem loquitur; non enim fecit illum accedere ad se, et te repellit. Et qui vere sic accessit ad Deum, ut in illo habitet Deus, displicent illi omnes qui non in illo ponunt spem suam. Propterea datum est quoddam exemplum, cum ipsos Apostolos sibi diviserunt, et in schismata ierunt qui dicebant : *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ*, id est Petri. Hos plangit Apostolus, et dicit eis : *Divisus est Christus?* et se elegit quem apud ipsos contemneret : *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis* (I *Cor.* I, 12, 13)? Vide bonum montem quærentem gloriam, non sibi, sed a quo montes illuminantur : nolebat de se præsumi, sed de illo de quo et ipse præsumpserat. Quisquis ergo ita se commendare voluerit populis, ut si forte contigerit ei aliquis tumultus, frangat post se populos, et dividat Ecclesiam catholicam propter se, non est de illis montibus quos illuminat Altissimus. Sed quis est iste? Contenebratus a se, non illuminatus a Domino. Unde autem probantur isti montes? Si forte contigerit aliquis tumultus adversus montes in Ecclesia; aut per populares seditiones carnalium, aut per aliquas falsas suspiciones hominum; bonus mons repellit a se omnes qui propter ipsum volunt ab unitate recedere. Sic enim ipse manebit in unitate, si propter ipsum non divisa fuerit ipsa unitas. Illi autem divisi sunt [2] : quando recessit populus ab orbe terrarum, et secutus est nomen ipsorum, gavisi sunt; elati sunt, et dejecti sunt. Humiliarentur, et exaltarentur, quomodo humiliatus est Apostolus, dicens : *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est?* et alio loco : *Ego plantavi, Apollo rigavit ; sed Deus incrementum dedit. Ergo neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* (*Ibid.*, III, 6 et 7). Tales montes in se humiles sunt, in Deo excelsi sunt; qui autem in seipsis excelsi sunt, a Deo humiliantur : *Quoniam qui se exaltat, humiliabitur ; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11). Ideo tales qui superbias suas atten-

[1] Sic Edd. At Mss. : *Quid sit contemplatio :* quæ verba e margine irrepsisse videntur. Nisi forte legendum est, ut in Edd. Pratell. et Gemmet. habetur, *jam hesterna die diximus, et audierunt quidam fratres, quos et hodie præsentes videmus, quid sit contemplatio.*

[2] Sic Edd. At Mss. plerique, *actum est.* Quidam, *aptum est.*

[3] Fr. et Lov., *protegant.* Am. et plerique Mss., *protegerent.* Alii, *protegent.*

[4] Mss. magno consensu, *et ipsi montes conciderunt.*

[1] Edd., *et cum hæret illi.* At Mss., *illis :* subaud., *montibus.*

[2] Quatuor Mss., *illi autem gavisi sunt.*

dunt, inamaricant hominibus pacificis in Ecclesia. Illi volunt coagulare pacem; isti inter se miscent dissensionem. Et quid de illis dicit alius psalmus? *Qui amaricant, non exaltentur in semetipsis* (*Psal.* LXV, 7). *Illuminans tu*, attende hic, *tu admirabiliter a montibus æternis.*

9. [*vers.* 6.] *Conturbati sunt omnes insipientes corde.* Prædicata est veritas, dicta est æterna vita; dicta est esse alia vita quæ non est de ista terra: contempserunt homines vitam præsentem, et amaverunt vitam futuram, illuminati per montes illuminatos. *Insipientes* autem *corde conturbati sunt.* Quomodo *conturbati sunt?* Cum Evangelium prædicatur. Et quid est vita æterna? et quis est qui resurrexit a mortuis? Admirati sunt Athenienses, loquente Paulo apostolo de resurrectione mortuorum, et putaverunt eum nescio quas fabulas dicere (*Act.* XVII, 18, 32). Sed quia dicebat esse aliam vitam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (I *Cor.* II, 9), ergo *insipientes corde turbati sunt.* Sed quid eis contigit? *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Amaverunt præsentia, et dormierunt in ipsis præsentibus; et sic illis facta sunt ipsa præsentia deliciosa: quomodo qui videt per somnium invenisse se thesauros, tamdiu dives est, quamdiu non evigilet. Somnium illum divitem fecit; evigilatio pauperem facit. Tenuit illum somnus fortasse in terra dormientem, et in duro jacentem, pauperem et forte mendicum; in somnis vidit se jacere in lecto eburneo vel aureo, et in plumis [1] altius exstructis: quamdiu dormit, bene dormit; evigilans invenit se in duro, in quo illum somnus tenuerat. Tales sunt et isti: venerunt in hanc vitam, et per cupiditates temporales quasi obdormierunt hic; et exceperunt illos divitiæ et vanæ pompæ volaticæ, et transierunt: non intellexerunt quantum inde boni possct fieri. Nam si nossent aliam vitam, illic sibi thesaurizarent quod hic erat periturum: sicut Zacchæus vidit illud bonum major [2] publicanorum, quando suscepit Dominum Jesum hospitio, et ait, *Dimidium rerum mearum do pauperibus, et si cui aliquid fraudavi, quadruplum reddo.* Non erat iste in vanitate somniantium, sed in fide vigilantium [3]. Ideo Dominus, quia medicus intraverat ad ægrotum, pronuntiavit ipsius salutem, et ait, *Hodie salus domui huic facta est, quoniam et hic est filius Abrahæ* (*Luc.* XIX, 8, 9): ut noveritis quia nos imitando fidem, filii Abrahæ sumus; Judæi autem qui de carne superbiunt, a fide degeneraverunt. Ergo *dormierunt somnum suum viri divitiarum, et nihil invenerunt in manibus suis.* Dormierunt in cupiditatibus suis; delectat illos, transit somnus iste, transit vita ista, et nihil inveniunt in manibus suis, quia nihil posuerunt in manu Christi. Vis aliquid invenire in manibus tuis postea? Noli contemnere modo manum pauperis; et respice manus inanes, si vis habere manus plenas. Dixit enim Dominus: *Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi potum; hospes fui, et adduxistis me*, et cætera. Et illi: *Quando te vidimus esurientem, sitientem, aut hospitem?* Et ille dicit illis: *Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 35-40). Esurire in pauperibus voluit, qui dives in cœlo est; et tu dubitas homo dare homini, cum scias te Christo dare quod das, a quo accepisti quidquid das! Sed illi *dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

10. [*vers.* 7.] *Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt omnes qui ascenderunt equos.* Qui sunt, *qui ascenderunt equos?* Qui humiles esse noluerunt. Non in equis sedere peccatum est; sed cervicem potestatis contra Deum erigere, et putare se in aliquo honore esse. Quia dives es, ascendisti; increpat Deus, et dormis. Magna ira increpantis, magna ira! attendat Charitas Vestra rem tremendam. Increpatio strepitum habet; strepitus expergisci solet facere homines. Tantum pondus est increpantis Dei, ut diceret: *Ab increpatione tua Deus Jacob, dormitaverunt omnes qui ascenderunt equos.* Ecce quo somno dormitavit ille Pharao qui ascendebat equos (*Exod.* XIV, 8): non enim vigilavit in corde, quia de increpatione durum cor habebat. Duritia enim cordis, obdormitio est. Rogo vos, fratres mei, videte quomodo dormiunt, qui sonante Evangelio, et Amen, et Alleluia per totum orbem terrarum, adhuc vitam veterem nolunt damnare, et in novam evigilare. Erat Scriptura Dei in Judæa; modo per totum orbem cantatur: in illa una gente dicebatur Deus unus qui fecit omnia, esse adorandus et colendus; modo ubi tacetur: Christus resurrexit [1]? irrisus in cruce, ipsam crucem suam in qua irrisus est jam fixit in frontibus regum; et adhuc dormitur! Magna ira Dei, fratres! Melius nos audivimus eum qui dicit: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis; et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V, 14). Sed qui illum audiunt? Qui non ascendunt equos. Qui sunt qui non ascendunt equos? Qui non se jactant et extollunt, quasi in honoribus et potestatibus suis. *Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt qui ascenderunt equos.*

11. [*vers.* 8.] *Tu terribilis es; et quis resistet tibi tunc ab ira tua?* Modo dormiunt, et iratum non sentiunt; sed ut dormirent iratus est. Modo quod dormientes non sentiunt, in fine sentient: apparebit enim judex vivorum et mortuorum; *et quis resistet tibi tunc ab ira tua?* Modo enim loquuntur quod volunt, et disputant contra Deum, et dicunt: Qui sunt Christiani? aut quis est Christus? aut quales inepti qui credunt quod non vident, et dimittunt delicias quas vident, et sequuntur fidem rerum quæ oculis ipsorum non exhibentur? Dormitis, et balatis; loquimini adversus Deum quantum potestis. Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur? respondent, et loquentur iniquitatem (*Psal.* XCIII, 3)? Quando autem nemo respondet, et nemo loquitur, nisi quando

[1] Edd., *et in plumis aureis.* Mss. non addunt, *aureis.*
[2] Plures Mss. omittunt, *bonum*: et loco, *major*, habent, *princeps.*
[3] Edd., *evigilantium.* At Mss., *vigilantium*

[1] Sic probi Mss. At Edd., *ibi tacetur Christus. Resurrexit Christus.*

se in se convertat? quando in se convertent dentes quibus modo nos rodunt, quibus nos discerpunt irridendo Christianos, et reprehendendo vitam sanctorum? Tunc se in se convertent, cum illis eveniet quod dicitur in libro Sapientiæ, *Dicent inter se, pœnitentiam agentes, et per angustiam spiritus gementes :* cum viderint gloriam sanctorum, tunc dicent, *Hi sunt quos aliquando habuimus in risum.* O qui multum dormistis! certe jam evigilatis, et in vestris manibus nihil invenitis. Videtis quomodo plenas habeant manus gloria Dei, quos tanquam pauperes irrisistis. Dicite ergo tunc vobis, quando non resistitis iræ Dei; non manu, nec lingua, nec verbo, nec cogitatione : apparebit enim vobis manifestus, quem irridendum putastis, cum vobis venturus nuntiaretur. Et quid dicent? *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non ortus est nobis.* Quomodo justitiæ sol oriretur dormientibus? Sed ab ira et increpatione ejus dormiunt. Hoc forte dicturus est, Et non ascenderem equum : et tunc ipsi equos suos accusabunt. Audi illos accusantes equos suos in quibus dormierunt : *Ergo erravimus*, inquit Scriptura, *a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non ortus est nobis. Quid nobis profuit superbia? et divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam umbra* (*Sap.* v, 3, 6, 8, 9). Ergo vigilasti aliquando. Sed melius equum non ascenderes, ut tunc non dormitares, quando vigilare debuisti; et audires vocem Christi, et illuminaret te Christus. *Tu terribilis es; et quis resistet tibi tunc ab ira tua?* Quid enim erit tunc?

12. [*vers.* 9.] *De cœlo jaculatus es judicium : terra tremuit, et quievit.* Quæ modo se turbat, quæ modo loquitur, timere habet in fine et quiescere. Melius modo quiesceret, ut in fine gauderet.

13. [*vers.* 10] *Terra tremuit, et quievit.* Quando? *Cum exsurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mites corde.* Qui sunt *mites corde?* Qui frementes equos non ascenderunt, sed in humilitate sua peccata confessi sunt. *Ut salvos faceret omnes mites corde.*

14. [*vers.* 11.] *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis solemnia celebrabunt tibi.* Prima, *cogitatio*; posteriores, *reliquiæ cogitationis.* Quæ est *cogitatio* prima? Unde incipimus : bona illa *cogitatio*, unde incipies confiteri. Confessio adjungit nos Christo. Jam vero confessio ipsa, id est prima *cogitatio*, facit in nobis reliquias cogitationis; et ipsæ *reliquiæ cogitationis solemnia celebrabunt tibi. Cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiæ cogitationis solemnia celebrabunt tibi.* Quæ est *cogitatio* quæ *confitebitur?* Quæ damnat vitam priorem, cui displicet quod erat, ut sit quod non erat, ipsa est prima *cogitatio.* Sed quia sic debes recedere a peccatis, prima cogitatione confessus Deo, ut non tibi recedat de memoria quia peccator fuisti, per hoc quod peccator fuisti, solemnia celebras Deo. Adhuc intelligendum est. Prima *cogitatio* confessionem habet, et recessionem a vetere vita : sed si oblitus fueris a quibus peccatis liberatus sis, non agis gratias liberatori, et non celebras solemnia Deo tuo. Ecce prima *cogitatio* confitens Sauli apostoli, jam Pauli, qui primo Saulus fuit : quando audivit vocem de cœlo, cum persequeretur Christum, et fureret in Christianos, et vellet ut ubicumque inventos adduceret necandos, audivit vocem de cœlo, *Saule, Saule, quid me persequeris?* et circumfulsus lumine, facta sibi cæcitate in oculis, ut intus videret, emisit primam cogitationem obedientiæ; cum audiret, *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris, Domine*, ait, *quid me jubes facere* (*Act.* IX, 4, 5)? Hæc est *cogitatio* [1] confitens; jam Dominum appellat quem persequebatur. Quomodo *reliquiæ cogitationis solemnia celebrabunt*, in Paulo audistis, cum ipse Apostolus legeretur : *Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum* (II *Tim.* II, 8). Quid est *memor esto?* Non deleatur de memoria tua *cogitatio* qua primo confessus es; sint *reliquiæ cogitationis* in memoria. Et vide quemadmodum repetit quod sibi donatum est, idem Paulus apostolus alio loco : *Qui prius* inquit, *fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus* (I *Tim.* I, 13). Qui dicit, *Prius fui blasphemus*, numquid adhuc blasphemus est? Ut non esset blasphemus, fuit prima *cogitatio* confitens; ut autem commemoraret quid illi donatum est, *reliquiæ cogitationis* erant, per ipsas reliquias cogitationis solemnia celebrabat.

15. Etenim, fratres mei, ecce innovavit nos Christus; donavit omnia peccata, et conversi sumus : si obliviscamur quid nobis donatum est, et a quo donatum est, obliviscimur munus Salvatoris; cum autem non obliviscimur munus Salvatoris, nonne quotidie nobis Christus immolatur? Et semel [2] nobis Christus immolatus est, cum credidimus; tunc fuit *cogitatio :* modo autem *reliquiæ cogitationis* sunt, cum meminimus quis ad nos venerit, et quid nobis donaverit; ex ipsis reliquiis cogitationis, id est ex ipsa memoria, quotidie nobis sic immolatur, quasi quotidie nos innovet qui prima gratia sua nos innovavit. Jam enim innovavit nos Dominus in Baptismo, et facti sumus novi homines; in spe quidem gaudentes, ut in tribulatione simus patientes (*Rom.* XII, 12) : tamen non debet de memoria nostra recedere quid nobis præstitum sit. Et si modo non est *cogitatio* tua quæ fuit : (etenim prima *cogitatio* fuit recedere a peccato; modo autem non recedis, sed tunc recessisti) : sint *reliquiæ cogitationis*, ne excidat a memoria qui sanavit. Vulnus te habuisse si oblitus fueris, non tibi erunt *reliquiæ cogitationis.* Quid enim putatis dixisse David? Ecce ex omnium persona loquitur. Peccavit David sanctus graviter; missus est ad illum Nathan propheta, et corripuit illum : et confessus est, et dixit, *Peccavi* (II *Reg.* XII, 13). Hæc fuit prima *cogitatio* confitentis : *Cogitatio hominis confitebitur tibi.* Quæ erant *reliquiæ cogitationis?* Quando ait : *Et peccatum meum ante me est semper* (*Psal.* L, 5). Quæ fuit ergo prima *cogitatio?* Ut recederet a peccato. Et si jam recessit a peccato, quomodo peccatum illius ante illum est semper, nisi quia *cogitatio* illa transiit, sed *reliquiæ cogitationis* so-

[1] Sic aliquot Mss. At Edd.: *Et hæc cogitatio confitentis.*
[2] Edd., *pro nobis.* Abest, *pro*, a Mss.

lemnia celebrant? Meminerimus ergo, fratres charissimi, rogamus vos : quisquis liberatus est a peccato, meminerit quid fuit; sint in illo *reliquiæ cogitationis.* Tunc enim portat alium sanandum, si se meminerit esse sanatum. Ergo unusquisque recordetur quid fuit, et utrum jam non sit; et tunc subveniet ei qui adhuc est quod ille jam non est. Si autem jactat se quasi de meritis suis, et repellit tanquam indignos peccatores, et sine misericordia sævit; equum ascendit, videat ne dormiat : *dormitaverunt* enim *qui ascenderunt equos.* Jam tunc dimisit equum; humiliavit se : non iterum ascendat equum, id est, non se rursus erigat in superbiam. Unde illi hoc fit? Si *reliquiæ cogitationis* solemnia celebrent Deo.

16. [*vers.* 12.] *Vovete, et reddite Domino Deo nostro.* Quisque quod potest voveat, et reddat. Ne voveatis, et non reddatis; sed quisque quod potest voveat, et reddat. Non sitis pigri ad vovendum; non enim viribus vestris implebitis. Deficietis, si de vobis præsumitis; si autem de illo cui vovetis, vovete, securi reddetis. *Vovete, et reddite Domino Deo nostro.* Omnes communiter quid debemus vovere? Credere in illum, sperare ab illo vitam æternam, bene vivere secundum communem modum. Est enim quidam modus communis omnibus. Furtum non facere, non castimoniali præcipitur, et nuptæ non præcipitur : adulterium non facere, omnibus præcipitur : non amare vinolentiam, qua ingurgitatur anima, et corrumpit in se templum Dei, omnibus æqualiter præcipitur : non superbire, omnibus æqualiter præcipitur : non hominem occidere, non odisse fratrem, non adversus aliquem tenere perniciem, omnibus in commune præcipitur. Hoc totum omnes vovere debemus. Sunt etiam vota propria singulorum : alius vovet Deo castitatem conjugalem, ut præter uxorem suam non noverit aliam; sic et femina, ut præter virum suum non noverit alium. Alii etiam vovent, etsi experti tale conjugium, ultra nihil tale pati, nihil tale concupiscere aut sustinere : et ipsi voverunt aliquid majus quam illi. Alii virginitatem ipsam ab ineunte ætate vovent, ut nihil tale vel experiantur, quale illi experti reliquerunt : et isti voverunt plurimum. Alii vovent domum suam esse hospitalem omnibus sanctis advenientibus : magnum votum vovent. Alius vovet relinquere omnia sua distribuenda pauperibus, et ire in communem vitam, in societatem sanctorum : magnum votum vovet. *Vovete, et reddite Domino Deo nostro.* Quisque quod vovere voluerit voveat : illud attendat, ut quod voverit reddat. Unusquisque Deo quod vovet, si respicit retrorsum, malum est. Nescio quæ castimonialis nubere voluit : quid voluit? Quod et virgo quælibet. Quid voluit? Quod et mater ipsius. Aliquid mali voluit? Mali plane. Quare? Quia jam voverat Domino Deo suo. Quid enim dixit de talibus apostolus Paulus? Cum dicat viduas adolescentulas nubere si velint (I *Tim.* v, 14), sed tamen ait quodam loco : *Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium* (I *Cor.* VII, 40). Ostendit beatiorem, si sic permanserit; non tamen damnandam, si nubere voluerit. Quid autem ait de quibusdam quæ voverunt, et non reddiderunt? *Habentes*, inquit, *damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* (I *Tim.* v, 12). Quid est, *primam fidem irritam fecerunt?* Voverunt, et non reddiderunt. Nemo ergo positus in monasterio frater dicat : Recedo de monasterio, neque enim soli qui sunt in monasterio perventuri sunt ad regnum cœlorum, et illi qui ibi non sunt ad Deum non pertinent. Respondetur ei : Sed illi non voverunt; tu vovisti, tu retro respexisti. De die judicii cum Dominus minaretur, quid ait? *Mementote uxoris Lot* (*Luc.* XVII, 32). Omnibus dixit. Quid enim fecit uxor Lot? Liberata est a Sodomis, et in via posita retrorsum respexit : ubi respexit, ibi remansit. Facta est autem statua salis (*Gen.* XIX, 26), ut illius contemplatione condiantur homines; cor habeant, non sint fatui, non retro respiciant, ne malum exemplum dantes, ipsi remaneant, et alios condiant. Nam et modo dicimus illud quibusdam fratribus nostris, quos forte viderimus velut infirmari in proposito bono : Et talis vis esse, qualis ille? Objicimus illis quosdam qui retro respexerunt. Illi fatui sunt in se, sed alios condiunt, quando commemorantur, ut illorum exemplum timentes isti retro non respiciant. *Vovete, et reddite Domino Deo nostro*, quia illa uxor Lot ad omnes pertinet. Maritata mulier voluit facere adulterium; de loco suo quo pervenerat retro respexit. Vidua quæ jam sic permanere voverat, voluit nubere, hoc voluit quod licuit ei quæ nupsit; sed illi non licuit, quia de loco suo retro respexit. Virgo est castimonialis, jam dicata Deo; habebat et cætera, quæ vere ornant ipsam virginitatem, et sine quibus illa virginitas turpis est. Quid si enim sit corpore integra, et mente corrupta? Quid est quod dixi? Quid si nullus tetigerit corpus, sed si forte ebriosa sit, superba sit, litigiosa sit, linguosa sit? Hæc omnia damnat Deus. Si antequam vovisset nupsisset, non damnaretur : elegit aliquid melius, superavit quod ei licebat; superbit, et illicita tanta committit. Hoc dico : Nubere licet antequam voveat; superbire nunquam licet. O tu virgo Dei, nubere noluisti, quod licet; extollis te, quod non licet. Melior virgo humilis, quam maritata humilis; sed melior maritata humilis, quam virgo superba. Quæ autem respexit ad nuptias, non quia voluit nubere damnatur; sed quia jam antecesserat [1], et fit uxor Lot respiciendo retrorsum. Non sitis pigri qui potestis, quibus aspirat Deus apprehendere gradus meliores, quia non ista ideo loquimur, ut non voveatis, sed ut voveatis, et reddatis : *Vovete, et reddite Domino Deo nostro.* Jam quia ista tractavimus, forte volebas vovere, et modo non vis vovere. Sed quid tibi dixerit Psalmus, attende. Non dixit, Nolite vovere; sed, *Vovete, et reddite.* Quia audisti, *reddite*, non vis vovere? Ergo vovere volebas, et non reddere? Imo utrumque fac. Unum sit ex professione tua; aliud ex adjutorio Dei perficietur. Aspice eum qui te ducit, et non respicies retro, unde te educit. Qui te ducit, ante te ambulat; unde te educit, post

[1] Sic MSS. At Edd., *ante recesserat.*

te est. Ama ducentem, et non te damnat retro respicientem. *Vovete, et reddite Domino Deo nostro.*

17. *Omnes qui in circuitu ejus sunt, offerent munera.* Qui sunt in circuitu ejus? Ubi enim est iste, ut dicat[1], *Omnes qui in circuitu ejus sunt?* Si Deum Patrem cogites, ubi non est qui ubique præsens est? Si Filium cogites secundum formam divinitatis, et ipse cum Patre ubique est; quia ipse est Sapientia Dei, de qua dictum est: *Attingit autem ubique propter suam munditiam* (*Sap.* VII, 24). Si autem Filium sic intelligas, secundum quod assumpsit carnem, et visus est inter homines, et crucifixus est, et resurrexit, novimus quia ascendit in cœlum. Qui sunt in circuitu ejus? Angeli. Ergo nos non offerimus munera, quia *Omnes qui in circuitu ejus sunt*, dixit, *offerent munera.* Si sepultus Dominus noster hic esset in terra, et jaceret corpus ipsius, quomodo alicujus martyris vel apostoli, attenderemus eos qui in circuitu ejus essent, quæcumque vel gentes essent circa ipsum locum undique, vel convenientes ad illam sepulturam cum muneribus: nunc autem ascendit; sursum est. Quid est hoc, *Omnes qui in circuitu ejus sunt, offerent munera?* Hoc interim quod Deus admonet dicam vobis, quid ex his verbis mihi ipse inspirare dignatus sit: si melius aliquid postea visum fuerit, et hoc vestrum est quia communis est omnibus veritas. Non est nec mea, nec tua; non est illius, aut illius: omnibus communis est. Et fortasse ideo media est, ut in circuitu ejus sint omnes qui diligunt veritatem. Quidquid enim omnibus commune est, in medio est. Quare in medio dicitur? Ut tantum distet ab omnibus, et tantum propinquet omnibus. Quod non est in medio, quasi privatum fit. Quod publicum est, in medio ponitur, ut omnes qui veniunt, percipiant, illuminentur. Nemo dicat, Meum est; ne in parte sua velit facere quod in medio est omnibus. Quid est ergo, *Omnes qui in circuitu ejus sunt, offerent munera?* Omnes qui intelligunt communem esse omnibus veritatem, et non illam faciunt quasi suam superbiendo de illa, ipsi offerent munera; quia humilitatem habent: qui autem quasi suum faciunt quod omnibus commune est, tanquam in medio positum, ad partem seducere conantur, non offerent hi munera; quia *Omnes qui in circuitu ejus sunt, offerent munera terribili.* Offerentur munera terribili: timeant ergo omnes qui in circuitu ejus sunt. Ideo enim timebunt, et cum tremore laudabunt, quia ideo in circuitu ejus sunt, ut omnes assequantur eum, et publice omnibus confluat, et publice illuminet: hoc est, contremiscere. Tu cum feceris tibi eum quasi proprium, et jam non communem, extolleris in superbiam; cum scriptum sit: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11). Ergo offerent munera qui in circuitu ejus sunt: ipsi enim humiles sunt, qui communem norunt esse omnibus veritatem.

18. [*vers.* 13.] Cui offerent munera? *Terribili, et ei qui aufert spiritum*[2] *principum.* Spiritus enim principum, superbi sunt spiritus. Illi ergo non sunt spiritus ejus; quia et si aliquid noverunt, suum volunt esse, non publicum: sed ille qui commendat se tanquam æqualem omnibus, qui se in medio ponit, ut omnes capiant quantum possunt, quidquid possunt; non de cujusquam hominis, sed de Dei, et ideo de suo, quia ipsi facti sunt ejus. Ergo illi omnes humiles sint necesse est: perdiderunt spiritum suum, et Spiritum Dei habent. A quo perdiderunt spiritum suum? Ab illo *qui aufert spiritum principum;* quandoquidem dicitur ei in alio loco: *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum convertentur. Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et innovabis faciem terræ* (*Psal.* CIII, 29, 30). Nescio quis intellexit aliquid; suum vult esse, adhuc spiritum suum habet: bonum est illi ut perdat spiritum suum, et habeat Spiritum Dei: adhuc inter principes superbit; bonum est ut redeat ad pulverem suum, et dicat, *Memento, Domine, quia pulvis sumus* (*Psal.* CII, 14). Si enim te confessus fueris pulverem, Deus[1] de pulvere facit hominem. Omnes qui in circuitu ejus sunt, offerunt munera: omnes humiles confitentur ei, et adorant eum. *Terribili* offerunt munera. Unde terribili? *Exsultate cum tremore* (*Psal.* II, 11), *et ei qui aufert spiritum principum:* id est, tollit audaciam superborum. *Terribili apud reges terræ.* Terribiles sunt reges terræ; sed ille super omnes, qui terret reges terræ. Esto rex terræ, et erit tibi terribilis Deus. Quomodo, inquies, ero rex terræ? Rege terram, et eris rex terræ. Noli ergo aviditate imperandi ponere tibi ante oculos provincias latissimas, qua tua regna diffundas; terram quam portas rege. Audi Apostolum regentem terram: *Non sic pugillor, quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar* (I *Cor.* IX, 26, 27). Ergo, fratres mei, estote in circuitu ejus, ut per quemcumque vobis veritas sonuerit, non illam imputetis illi per quem sonat; sed de medio sit omnibus, quia æqualiter adest omnibus. Et estote humiles, ne vobis et vos ipsi usurpetis, si quid forte boni illius intellexeritis: quia et nos quod melius intellexerimus, vestrum est, et quod vos melius intellexeritis, nostrum est, ut in circuitu ejus simus, et humiles simus. Atque ita perdentes spiritum nostrum, offeremus munera terribili super omnes reges terræ, id est super omnes regentes carnem suam, sed subjectos Creatori suo.

IN PSALMUM LXXVI
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Psalmi hujus limen ita inscribitur: *In finem, pro Idithun, Psalmus ipsi Asaph. In finem* quid sit, nostis: *Finis enim Legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Idithun interpretatur Transiliens eos; Asaph interpretatur Congregatio. Loquitur hic ergo congregatio transiliens, ut perveniat ad

[1] Edd., *ut ducat.* Melius Mss., *ut dicat.*

[2] Aliquot Mss. hoc tantum loco, *spiritus:* et sic apud LXX.

[1] Tres Mss., *Deus te de pulvere*, etc.

finem qui est Christus Jesus. Quæ sint itaque transilienda, ut ad illum finem pervenire possimus, ubi jam quod transiliamus non habebimus [1], Psalmi textus ipse demonstrat. Etenim tamdiu transilire debemus quidquid nos impedit, quidquid irretit, quidquid visco quodam illigat, et onere aggravat volatum nostrum, donec perveniamus ad id quod sufficit, ultra quod nihil est, infra quod sunt omnia, et ex quo sunt omnia. Patrem quippe ipsum volebat Philippus intueri, et dicebat Domino Jesu Christo, *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis;* tanquam tamdiu illi transiliendum esset quidquid aliud esset, donec perveniret ad Patrem, ubi jam securus assisteret, et quid ei ultra requirendum esset non haberet: hoc est enim, *Sufficit.* Verum ille qui verissime dixerat, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30), admonuit Philippum, docuitque omnem hominem qui Christum intelligeret, etiam in eo habere finem, quia ipse et Pater unum sunt: *Tanto,* inquit, *tempore vobiscum sum, et non vidistis me? Philippe, qui me videt, videt et Patrem* (*Id.* xiv, 8, 9). Quisquis ergo psalmi hujus animum [2] sentire, imitari, tenere vult, omnia desideria carnalia transiliat, sæculique hujus pompam et illecebram calcet, nihilque sibi aliud proponat ubi consistat, nisi ex quo sunt omnia: in quibus omnibus etiam ipse laborat donec ad finem perveniat. Quid nobis ergo indicat iste transiliens?

2. [*vers.* 2.] *Voce mea,* inquit, *ad Dominum* [3] *clamavi.* Sed multi clamant ad Dominum pro divitiis acquirendis damnisque devitandis, pro suorum salute, pro stabilitate domus suæ, pro felicitate temporali, pro dignitate sæculari; postremo pro ipsa etiam salute corporis, quæ patrimonium est pauperis. Pro his atque hujusmodi rebus multi clamant ad Dominum; vix quisquam propter ipsum Dominum. Facile quippe homini est quodlibet desiderare a Domino, et ipsum Dominum non desiderare; quasi vero suavius esse possit quod dat, quam ipse qui dat. Quisquis ergo pro alia re qualibet clamat ad Dominum, nondum est transiliens. Hic vero transiliens quid dicit? *Voce mea ad Dominum clamavi.* Et ne arbitreris vocem ipsius qua clamavit ad Dominum, propter aliud emissam quam propter ipsum Dominum, secutus ait: *Et vox mea ad Deum.* Emittitur enim vox qua clamemus ad Deum, et ipsa vox ad aliud est, non ad Deum. Ad hoc enim est vox, propter quod editur vox. Iste vero qui Deum gratis amabat, qui voluntarie Deo sacrificabat (*Psal.* LIII, 8), qui transilierat quidquid infra est, nihilque aliud supra se viderat quo effunderet animam suam, nisi ex quo, et per quem, et in quo creatus erat, ad quem clamaverat voce sua, ad illum esse fecerat ipsam vocem suam: *Vox mea,* inquit, *ad Deum.* Et numquid sine causa? Vide quid sequitur: *Et attendit mihi.* Vere tunc tibi attendit, quando ipsum quæris, non quando per ipsum aliud quæris. Dictum est de quibusdam: *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos* (*Psal.* xvii, 42). Quare? Quia vox eorum non ad Dominum. Exprimit hoc alio loco Scriptura, ubi dicit de talibus: *Dominum non invocaverunt.* Ad illum clamare non cessaverunt; et tamen *Dominum non invocaverunt.* Quid est, *Dominum non invocaverunt?* Dominum in se non vocaverunt: ad cor suum Dominum non invitaverunt; a Domino se habitari noluerunt. Et ideo quid eis contigit? *Ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor* (*Psal.* xiii, 5). Ideo de rerum præsentium amissione tremuerunt, quoniam non erant pleni illo quem non invocaverunt. Non gratis amaverunt, ut amissis temporalibus rebus possent dicere: *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21). Ergo iste, *Vox mea,* inquit, *ad Dominum, et attendit mihi.* Doceat nos quomodo id fiat.

3. [*vers.* 3.] *In die tribulationis meæ Deum exquisivi.* Quis es, qui hoc facis? In die tribulationis tuæ, vide quid exquiras. Si carcer facit tribulationem, exire de carcere exquiris: si febris facit tribulationem, sanitatem exquiris: si fames facit tribulationem, saturitatem exquiris: si damna faciunt tribulationem, lucrum exquiris: si peregrinatio facit tribulationem, civitatem tuæ carnis exquiris. Et quid cuncta commemorem, aut quando cuncta commemorem? Vis esse transiliens? In die tribulationis tuæ Deum exquire: non per Deum aliud, sed ex tribulatione Deum; ut ad hoc Deus removeat tribulationem, ut securus inhæreas Deo. *In die tribulationis meæ Deum exquisivi:* non aliud aliquid, sed *Deum exquisivi.* Et quomodo exquisisti? *Manibus meis nocte coram eo.* Dic hoc rursus: videamus, intelligamus, imitemur, si possumus. In die tribulationis tuæ quid exquisisti? *Deum.* Quomodo exquisisti? *Manibus meis.* Quando exquisisti; *Nocte.* Ubi exquisisti? *Coram eo.* Et quo fructu exquisisti? *Et non sum deceptus.* Omnia ergo videamus, fratres, omnia consideremus, omnia interrogemus; et quid sit tribulatio, in qua iste Deum exquisivit, et quid sit manibus inquirere Deum, et quid sit nocte, et quid sit coram illo: et sequitur, quod omnes intelligunt, *Et non sum deceptus.* Quid est enim, *Et non sum deceptus?* Inveni quod quærebam.

4. Tribulatio non illa vel illa cogitanda est. Etenim unusquisque nondum transiliens, nondum putat esse tribulationem, nisi quæ acciderit huic vitæ ex aliquo tristi tempore: at vero ille transiliens, totam vitam istam tribulationem suam reputat. Sic enim amat patriam supernam, ut terrena peregrinatio ipsa sit maxima tribulatio. Quomodo enim non sit tribulatio vita ista, rogo vos? quomodo non sit tribulatio, quæ dicta est tota tentatio? Habes scriptum in libro Job: *Numquid non tentatio est vita humana super terram* (*Id.* vi, 1? Numquid dixit: Tentatur vita humana super terram? Ipsa *vita tentatio est:* si ergo tentatio, utique tribulatio. In hac igitur tribulatione, hoc est in hac vita, Deum exquisivit iste transiliens. Quomodo? *Manibus,* inquit, *meis.* Quid est, *manibus meis?* Operibus meis. Non enim aliquid corporeum quære-

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *habemus.*
[2] Mss., *animam.*
[3] Aliquot Mss., *Deum.*

bat, ut contrectando inveniret quod perdiderat; ut manibus quæreret nummum, aurum, argentum, vestem, quidquid tale est quod manibus teneri possit. Quanquam et ipse Dominus noster Jesus Christus voluit se manibus inquiri, quando dubitanti discipulo cicatrices ostendit. Sed numquid cum ille exclamasset tangens cicatrices vulnerum ejus, *Dominus meus et Deus meus!* nonne audivit: *Quia vidisti, credidisti; beati qui non viderunt et crediderunt* (*Joan.* xx, 27-29)? Si ergo ille manibus quærens Christum, hoc audire meruit, ut opprobrium ei fuerit ita quæsisse; nos qui beati dicti sumus qui non vidimus et credimus, quid ergo, ad nos non pertinet manibus quærere? Pertinet, sicut dixi, operibus quærere. Quando hoc? *Nocte.* Quid est, *nocte?* In hoc sæculo. Nox enim est antequam effulgeat dies in adventu clarificato Domini nostri Jesu Christi. Nam vultis videre quia nox est? Nisi lucernam hic haberemus, in tenebris permaneremus. Petrus enim dicit: *Et nos habemus certiorem propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes, velut lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris* (II *Petr.* I, 19). Venturus est ergo dies post istam noctem; interim in hac nocte lucerna non desit. Et hoc est fortasse quod nunc facimus: has Litteras exponendo, lucernam inferimus, ut in hac nocte gaudeamus. Quæ quidem debet accensa esse semper in domibus vestris. Talibus enim dicitur: *Spiritum nolite exstinguere* (I *Thess.* v, 19). Et tanquam exponens quid diceret, secutus ait, *Prophetiam nolite spernere:* id est, lucerna in vobis semper luceat. Et hæc quidem lux [1] in comparatione cujusdam ineffabilis diei nox dicitur. Nam ipsa vita fidelium in comparatione vitæ infidelium dies est. Quomodo autem sit nox, jam diximus, et ostendimus Petri apostoli testimonio: qui quidem etiam et lucernam nominavit, et de ipsa lucerna nos admonuit ut intendamus ei, id est prophetico sermoni, *donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus nostris.* Quomodo autem jam vita fidelium dies sit in comparatione vitæ impiorum, Paulus ostendit: *Abjiciamus,* inquit, *opera tenebrarum, et induamur arma lucis; sicut in die honeste ambulemus* (*Rom.* XIII, 12). Ergo honeste viventes, in comparatione vitæ impiorum, in die sumus. Sed iste dies vitæ fidelium non sufficit huic Idithun; transilire vult et istum diem, donec veniat ad illum diem, ubi noctis tentationem nullam omnino formidet. Hic enim quamvis dies sit vita fidelium, *tentatio est vita humana super terram* (*Job* VII, 1). Nox, et dies: dies in comparatione infidelium; nox in comparatione Angelorum. Habent enim diem Angeli quem nos nondum habemus: jam nos habemus quem non habent infideles; sed nondum habent fideles quem Angeli habent: tunc autem habebunt, cum erunt æquales Angelis Dei; quod illis in resurrectione promissum est (*Matth.* XXII, 30). In hac ergo jam die, et adhuc nocte; nocte in comparatione futuri diei quem desideramus, die in comparatione præteritæ noctis cui renuntiavimus: in hac ergo, inquam, nocte Deum requiramus manibus nostris. Non cessent opera; quæramus Deum, non sit inane desiderium. Si in via sumus, sumptus erogemus, ut pervenire possimus: manibus quæramus Deum. Etsi nocte quærimus quem manibus quærimus, non decipimur quia «coram ipso» quærimus. Quid est «coram ipso? Nolite facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis; alioqui non habebitis mercedem apud Patrem vestrum. Cum ergo facis eleemosynam,» ait, manus illæ sunt quærentes Deum, «noli tubicinare ante te, sicut hypocritæ faciunt; sed sit eleemosyna tua in occulto, et Pater tuus qui videt in occulto, reddet tibi» (*Matth.* VI, 1, 2, 4). Ergo, «Manibus meis nocte coram eo et non sum deceptus.»

5. Quanta tamen iste Idithun pertulerit in hac terra, et in hac nocte, et quomodo habuerit quodammodo transiliendi necessitatem, impingentibus atque pungentibus deorsum tribulationibus, ut necesse fuerit transilire, intentissime audiamus. *Negavit consolari anima mea* [1]. Tantum tædium hic me occupavit, ut contra omnem consolationem clauderet se anima mea. Huic tali unde tædium? Fortasse quia vinea grandinata est, aut quia olea non provenit, aut quia vindemia a pluvia intercepta est. Unde huic tædium? Audi hoc ex alio psalmo. Ipsius enim et ibi vox est: *Tædium detinuit me, a peccatoribus relinquentibus legem tuam* (*Psal.* CXVIII, 53). Tanto ergo tædio de hujusmodi malo affectum se iste dicit, ut negaret consolari anima ipsius. Prope absorbuerat eum tædium, tristitiaque eum omnino irreparabiliter merserat; negat se consolari. Quid igitur restabat?

6. [*vers.* 4.] Primo vide unde consoletur. Nonne sustinuerat qui simul contristaretur, et non invenerat (*Psal.* LXVIII, 21)? Quo enim se verteret ad consolationem, quem occupaverat tædium de peccatoribus relinquentibus legem Dei? Quo se verteret? Ad hominem Dei quemlibet? In multis jam forte iste expertus erat magnam tribulationem, quo magis de illorum aliqua delectatione præsumpserat [2]. Videntur enim aliquando justi homines, et gaudetur ad eos; et necesse est ut gaudeatur, quoniam charitas sine gaudio talis esse non potest: in his autem in quibus gavisus est homo, si forte aliquid pravum contigerit, quomodo sæpe contingit, quanta lætitia ibi erat, tantus mœror accedit; ita ut postea jam timeat homo laxare habenas gaudiorum, timeat se lætitiæ committere, ne quanto magis lætatus fuerat, tanto amplius si aliquid contigerit, contabescat. Percussus ergo scandalis abundantibus, quasi multis vulneribus, clausit se contra humanam consolationem, et negavit consolari anima ipsius. Et unde vita? unde respiratio? *Memor fui Dei, et delectatus sum.* Non frustra manus operatæ fuerant; invenerant magnum consolatorem. Non quiescendo *memor fui Dei, et delectatus sum.* Prædicandus igitur est Deus, cujus iste memor factus

[1] Probæ notæ Mss., nox.

[1] Sic melioris notæ Mss. At Edd.: *Negavi consolari animam meam.*

[2] Plerique Mss., *quia magis de illorum aliqua dilectione præsumpserat.*

delectatus est, et consolatus in quadam tristitia, et quodammodo salute desperata recreatus: prædicandus est Deus. Denique, quod consolatus est iste, secutus ait, *Garrivi*. In ipsa consolatione memor factus Dei, delectatus garrivi. Quid est, *garrivi?* Lætatus sum, exsultavi loquendo. Garruli enim proprie dicuntur, qui a vulgo verbosi appellantur, accedente lætitia nec valentes nec volentes tacere. Factus est iste talis. Et rursus quid ait? *Et defecit spiritus meus.*

7. [*vers.* 5.] Tædio contabuerat, recolendo Deum delectatus fuerat, rursus garriendo defecerat; quid sequitur? *Anticipaverunt vigilias omnes inimici mei.* Vigilaverunt super me omnes inimici mei: plus me vigilaverunt; vigilando præoccupaverunt me. Ubi non muscipulas ponunt? Nonne vigilias omnes anticipaverunt [1] inimici mei? Qui sunt enim isti inimici, nisi illi de quibus dicit Apostolus: *Non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principatus, et potestates, et rectores mundi tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12)? Ergo adversus diabolum et angelos ejus inimicitias exercemus. Rectores eos mundi dixit, quia ipsi regunt dilectores mundi: non enim regunt mundum, quasi rectores sint cœli et terræ; sed mundum peccatores dicit. *Et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 10): talem mundum illi regunt, qui non cognoscit [2] Christum. Contra hos habemus inimicitias perpetuas. Denique quaslibet habeas inimicitias adversus hominem, cogitas finire; sive illius satisfactione, si ipse te læsit; sive tua, si tu læsisti; sive alterutrius, si vos invicem læsistis; laboras satisfacere et concordare: cum diabolo autem et angelis ejus nulla concordia est. Ipsi nobis invident regnum cœlorum. Mitescere omnino erga nos non possunt, quia *anticipaverunt vigilias omnes inimici mei.* Plus illi vigilaverunt ad decipiendum, quam ego ad custodiendum me: *Anticipaverunt vigilias omnes inimici mei.* Quomodo enim non anticipaverunt vigilias, qui ubique scandala, ubique muscipulas posuerunt? Tædium inest cordi; metuendum est ne absorbeat tristitia: in lætitia metuendum est ne garriendo deficiat spiritus tuus: *Anticipaverunt vigilias omnes inimici mei.* Denique in ipsa garrulitate, dum loqueris, et securus loqueris, quanta plerumque inveniuntur quæ velint tenere inimici et reprehendere, unde velint etiam criminari et calumniari: Hoc dixit, illud sensit, hoc locutus est? Quid faciat homo, nisi quod sequitur? *Conturbatus sum, et non sum locutus.* Conturbatus ergo, ne in ejus garrulitate inimici anticipantes vigilias, calumnias quærerent et invenirent, non est locutus. Nunquam tamen iste transiliens cessaret in se: et si forte a garrulitate cessavit, qua subrepserat ei de ipsa locutione placere hominibus; non tamen destitit, non cessavit ut conaretur et hoc ipsum transcendere. Et quid dicit?

8. [*vers.* 6.] *Cogitavi dies antiquos.* Jam iste velut qui vapulaverat foris, tulit se intro, in secretario suæ mentis agit. Et quid ibi agat dicat nobis: *Cogitavi dies antiquos.* Bene est illi. Videte quæ cogitat, rogo vos. Intus est, apud se cogitat dies antiquos. Nemo illi dicit, Male dixisti; nemo illi dicit, Multum locutus es; nemo illi dicit, Perverse sensisti. Ita sit ei bene secum, adjuvet Deus: cogitet dies antiquos, et dicat nobis in ipso interiore cubiculo suo quid egerit, quo pervenerit, quid transilierit, ubi manserit: *Cogitavi dies antiquos, et annorum æternorum memor fui.* Qui sunt anni æterni? Magna cogitatio! Videte si vult ista cogitatio, nisi magnum silentium. Ab omni forinsecus strepitu, ab omni rerum humanarum tumultu intus requiescat, qui cogitare vult annos istos æternos. Numquid anni in quibus sumus æterni sunt, aut in quibus fuerunt majores nostri, aut in quibus futuri sunt posteri nostri? Absit ut æterni existimentur. Quid enim de his annis manet? Ecce loquendo dicimus, Hoc anno; et quid tenemus de hoc anno, præter unum diem in quo sumus? Nam superiores dies anni hujus jam transierunt, nec tenentur; futuri autem nondum venerunt. In uno die sumus, et dicimus, Hoc anno: imo dic, Hodie, si aliquid vis præsens dicere. Nam de toto anno quid præsens tenes? Quidquid de illo præteritum est, jam non est; quidquid de illo futurum est, nondum est: quomodo, Hoc anno? Corrige locutionem: Hodie, dic. Verum dicis, Hodie, jam dicam. Rursus et hoc attende, quod hodie horæ matutinæ jam transierunt, horæ futuræ nondum venerunt. Et hoc ergo corrige: Hac hora, dic. Et de ista hora quid tenes? Momenta ejus quædam jam transierunt; quæ futura sunt nondum venerunt. Hoc momento, dic. Quo momento? Dum syllabas loquor, si duas syllabas dicam, altera non sonat, nisi cum illa transierit: ipsa denique una syllaba, si duas litteras habeat, non sonat posterior littera nisi prior abierit. Quid ergo tenemus de his annis! Anni isti mutabiles sunt: anni æterni cogitandi sunt, anni qui stant, qui non venientibus et abeuntibus diebus peraguntur: anni de quibus alio loco Scriptura dicit Deo: *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28). Hos annos iste transiliens, non in garrulitate forinsecus, sed in silentio cogitavit: *Et annorum æternorum memor fui.*

9. [*vers.* 7.] *Et meditatus sum nocte cum corde meo.* Nemo illi calumniosus tendiculas verborum requirit [1], in corde suo meditatus est. *Garriebam.* Ecce est illud garrire. Observa iterum, ne deficiat spiritus tuus. Non, inquit: non sic garriebam quasi foris; alio modo nunc. Quomodo nunc? *Garriebam, et scrutabar spiritum meum.* Si scrutaretur iste terram, ut venas auri inveniret, nemo eum desipere diceret; imo sapientem multi dicerent, qui vellet ad aurum pervenire: quanta homo habet intus, et non fodit? Scrutabatur iste spiritum suum, et cum ipso spiritu suo loquebatur, et in ipsa locutione garriebat. Seipsum interrogabat, seipsum examinabat, in se judex erat. Et se-

[1] Sic in Mss. At in Edd., *anticipaverunt omnes*: et apud LXX. est, *pantes*, genere et casu concordans cum, *echthroi*, inimici.

[2] Edd., *cognoscunt*. Aliquot vero Mss., *cognoscit*.

[1] Regius Ms.: *Ne enim ille calumniosas* (forte *calumniosus*) *tendiculas verborum requireret.*

ditur: *Scrutabar spiritum meum*. Timendum ne in ipso spiritu suo remaneat: garrivit enim foris; et quia anticipaverunt vigilias omnes inimici ejus, invenit ibi tristitiam, et defecit spiritus ejus. Qui garriebat foris, ecce cœpit intus garrire securus, ubi solus in silentio cogitat annos æternos: *Et perscrutabar*, inquit, *spiritum meum*. Et hic timendum ne in spiritu suo remaneat, et non sit transiliens. Jam tamen melius agit quam foris agebat. Transcendit aliquid: et hinc videamus quo. Non enim cessat iste transiliens, donec veniat *in finem*, unde habet titulum Psalmus: *Garriebam*, inquit, *et scrutabar spiritum meum*.

10. [*vers.* 8.] Et quid invenisti? *Non in æternum repellet Deus*. Tædium invenerat in hac vita; nusquam fidam, nusquam securam consolationem. Ad quoscumque homines intendebat, scandalum in eis inveniebat, aut timebat. Nusquam ergo securus. Tacere illi malum erat, ne sileret a bonis: loqui et foris garrire molestum erat, ne anticipantes vigilias omnes inimici ejus, calumnias inquirerent in verbis ejus. Angustatus in hac vita vehementer, multum de vita alia cogitavit, ubi ista non sit tentatio. Et quando illuc pervenitur? Non enim non constat, quia quod hic patimur, ira Dei est. Dicitur hoc in Isaia: *Non in æternum vindex in vobis ero, neque per omne tempus irascar vobis*. Et dicit quare: *Spiritus enim a me procedet, et omnem flatum ego feci. Propter peccatum paululum quid contristavi eum, et percussi eum, et averti faciem meam ab illo; et abiit tristis, et ambulavit vias suas*. Quid ergo, hæc ira Dei semper erit? Non hoc invenit iste in silentio. Quid enim dicit? *Non in æternum repellet Deus; et non apponet ultra ut beneplaceat ei adhuc*: id est, ut beneplaceat ei adhuc repellere, et in æternum repellere non apponet. Necesse est ut revocet ad se servos suos, necesse est ut recipiat fugitivos redeuntes ad Dominum, necesse est ut exaudiat vocem compeditorum: *Non in æternum repellet Deus; et non apponet ultra ut beneplaceat ei adhuc*.

11. [*vers.* 9, 10.] *Aut in finem misericordiam*[1] *abscidet a generatione in generationem? aut obliviscetur misereri Deus?* In te, a te, in alterum nulla est misericordia, nisi eam tibi Deus donet: et ipse Deus obliviscetur misericordiam? Rivus currit: fons ipse siccabitur? *Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira miserationes suas?* id est, sic irascetur, ut non misereatur? Facilius ille iram quam misericordiam continebit. Hoc et per Isaiam dixerat: *Non in æternum vindex in vobis ero, neque per omne tempus irascar vobis*. Hoc et posteaquam dixit, *Abiit tristis, et ambulavit vias suas. Vias*, inquit, *ejus vidi, et sanavi eum* (*Isai.* LVII, 16-18). Hoc ubi cognovit iste, transcendit et se delectatus in Deo, ut ubi esset, et in ejus operibus magis garriret; non in spiritu suo, non in eo quod erat, sed in eo a quo factus erat. Et hinc ergo transiliens transcendit. Videte transilientem, videte si remaneat alicubi quousque perveniat ad Deum.

12. [*vers.* 11.] *Et dixi*. Jam seipsum transiliens, quid dixit? *Nunc cœpi*: cum excessissem et me. *Nunc cœpi*. Hic jam nullum periculum est: nam et in meipso remanere, periculum fuit. *Et dixi: Nunc cœpi; hæc est immutatio dexteræ Excelsi*. Modo me cœpit mutare Excelsus; modo cœpi aliquid, ubi securus sim, modo intravi aliquam aulam[1] gaudiorum, ubi nullus timeatur inimicus, modo cœpi esse in ea regione, ubi non anticipent vigilias omnes inimici mei: *Nunc cœpi; hæc est immutatio dexteræ Excelsi*.

13. [*vers.* 12.] *Memor fui operum Domini*. Jam videte illum spatiari in operibus Domini. Garriebat enim foris, et constristatus inde defecit spiritus ejus: garrivit intus cum corde suo, et cum spiritu suo, et perscrutatus eumdem spiritum suum, memor fuit annorum æternorum, memor fuit misericordiæ Domini, quia non repellet Dominus in æternum; et cœpit jam in ejus operibus securus gaudere, securus exsultare. Audiamus jam opera ipsa, et exsultemus et nos: sed affectibus etiam nos transiliamus, nec ad temporalia gaudeamus. Habemus enim et nos cubile nostrum. Quare non illuc intramus? quare non in silentio agimus? quare non spiritum nostrum perscrutamur? quare annos æternos non cogitamus? quare in operibus Dei non lætamur? Sic nunc audiamus, et ipso dicente delectemur, ut etiam cum hinc abierimus, faciamus quod ipso loquente faciebamus; si tamen facimus cœptum ipsius quod dixit: *Nunc cœpi*. Gaudere in operibus Dei, est oblivisci et te, si potes illo solo delectari. Quid enim melius illo? Non vides, quia cum ad te redis, in deteriorem redis? *Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum*.

14. [*vers.* 13.] *Et meditabor in omnibus operibus tuis, et in affectionibus tuis garriam*. Ecce tertium garrire. Garrivit foris, quando defecit; garrivit in spiritu suo intus, quando profecit; garrivit in operibus Dei, quando pervenit quo profecit. *Et in affectionibus tuis garriam*: non in affectionibus meis. Quis vivit sine affectionibus? Et putatis, fratres, quia qui Deum timent, Deum colunt, Deum diligunt, nullas habent affectiones? Vere, hoc putabis, et putare audebis, quod affectiones habeat tabula, theatrum, venatio, aucupium, piscatus, et non habeant opera Dei? et non habeat meditatio Dei interiores affectiones quasdam suas, cum inspicitur mundus, et ponitur ante oculos spectaculum naturæ rerum, et in his quæritur artifex, et invenitur nusquam displicens, et super omnia placens?

15. [*vers.* 14.] *Deus, in Sancto via tua*. Inspicit jam opera misericordiæ Dei circa nos, ex his garrit, et in his affectionibus exsultat. Primo inde cœpit, *In Sancto via tua*. Quæ via tua in Sancto? *Ego sum*, inquit, *via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Redite ergo, homines, ab affectionibus vestris. Quo itis? quo curritis? quo non solum a Deo, sed etiam a vobis fugitis? Redite, prævaricatores, ad cor (*Isai.* XLVI, 8), scru-

[1] Edd., *misericordiam suam*: et in subsequenti versiculo, *in ira sua*. At meliores Mss. juxta LXX non addunt, *suam*, nec, *sua*.

[1] Probæ notæ Mss., *auram*.

tamini spiritum vestrum, recolite annos æternos, invenite misericordiam Dei circa vos, attendite opera misericordiæ ejus : *In sancto via* ejus. Filii hominum, usquequo graves corde? quid quæritis in affectionibus vestris? utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Et scitote quoniam magnificavit Dominus Sanctum suum (*Psal.* IV, 3, 4) : *In Sancto via tua.* Ad ipsum ergo attendamus, Christum attendamus; ibi via ejus [1] : *Deus, in Sancto via tua. Quis Deus magnus, sicut Deus noster?* Habent gentes affectiones circa deos suos, idola adorant; oculos habent, et non vident; aures habent, et non audiunt; pedes habent, et non ambulant (*Psal.* CXIII, 5-7). Quid ambulas ad deum qui non ambulat? Non, inquit, ea colo. Et quid colis? Numen quod ibi est? Certe hoc colis quod alibi dictum est : *Quoniam dii gentium dæmonia* (*Psal.* XCV, 5). Aut idola colis, aut dæmonia. Nec idola, nec dæmonia, inquit. Et quid colis? Stellas, solem, lunam, ista cœlestia. Quanto melius qui fecit, et terrena, et cœlestia! *Quis Deus magnus sicut Deus noster?*

16. [*vers.* 15.] *Tu es Deus qui facis mirabilia solus.* Tu vere magnus Deus, faciens mirabilia in corpore, in anima, solus faciens. Audierunt surdi, viderunt cæci, convaluerunt languidi, surrexerunt mortui, constricti sunt paralytici. Sed miracula ista tunc in corporibus : videamus in anima. Sobrii sunt, paulo ante ebriosi; fideles sunt, paulo ante adoratores simulacrorum; res suas donant pauperibus, qui alienas ante rapiebant : *Quis Deus magnus, sicut Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia solus.* Fecit et Moyses, sed non solus : fecit et Elias, fecit et Elisæus, fecerunt et Apostoli; sed nullus eorum solus. Illi ut facerent, tu cum eis; tu quando fecisti, illi non tecum. Non enim tecum fuerunt cum fecisti, quando et ipsos tu fecisti. *Tu es Deus qui facis mirabilia solus* Quomodo solus? Numquid forte Pater, et non Filius? aut Filius, et non Pater? Imo Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. *Tu es Deus qui facis mirabilia solus.* Non enim tres dii, sed unus Deus facit mirabilia solus, et in ipso transiliente. Nam ut etiam transiliret, et ad ista perveniret, miraculum Dei fuit : quando intus garrivit cum spiritu suo, ut transiliret et ipsum spiritum suum, et in Dei operibus delectaretur, ipse ibi fecit mirabilia. Sed quid fecit Deus? *Notam fecisti in populis virtutem tuam.* Inde congregatio ista, Asaph transiliens, qui notam fecit in populis virtutem suam. Quam virtutem suam notam fecit in populis? *Nos autem prædicamus Christum crucifixum : Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis, et Græcis, Christum Dei Virtutem, et Dei Sapientiam* (I *Cor.* I, 23, 24). Si ergo Virtus Dei Christus, notum fecit Christum in populis. An et hoc nondum agnoscimus? et ita desipimus, ita infra jacemus, ita nihil transilimus, ut hoc non videamus? *Notam fecisti in populis virtutem tuam.*

17. [*vers.* 16.] *Redemisti in brachio tuo populum tuum. Brachio tuo* : hoc est virtute tua. Et brachium Domini cui revelatum est (*Isai* LIII, 1)? *Redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Israel, et Joseph.* Quomodo quas duos populos, *filios Israel, et Joseph?* Nonne filii Joseph in filiis Israel? Ita plane. Hoc scimus, hoc legimus, hoc Scriptura clamat, hoc veritas indicat, quoniam Israel, idem qui Jacob, habuit filios duodecim, inter quos unus erat Joseph; et ex duodecim filiis Israel quotquot nati sunt, ad populum Israel pertinent. Quomodo ergo ait : *Filios Israel et Joseph?* Nescio quid hic distinguendum admonuit. Perscrutemur spiritum nostrum : fortassis ibi aliquid [1] posuit Deus, quem debemus et nocte quærere manibus nostris, ut non decipiamur; forte inveniemus et nos in hac distinctione *filios Israel, et Joseph.* Per Joseph alium populum intelligi voluit; Gentium populum intelligi voluit. Quare gentium populum per Joseph? Quia Joseph venditus est in Ægyptum a fratribus suis (*Gen.* XXXVII, 28). Ille Joseph cui fratres inviderunt, et eum in Ægyptum vendiderunt, venditus in Ægyptum, laboravit, humiliatus est; agnitus, exaltatus, floruit, imperavit. Et his omnibus quid significavit? Quid, nisi Christum a fratribus venditum, ejectum de terra sua, tanquam in Ægyptum Gentium? Ibi primo humiliatum, quando persecutiones martyres patiebantur : nunc exaltatum, sicut videmus; quoniam impletum est in eo, *Adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient illi* (*Psal.* LXXI, 11). Ergo Joseph populus ex Gentibus; Israel vero populus ex gente Hebræorum. Redemit populum suum Deus, *filios Israel et Joseph.* Per quid? Per lapidem angularem, in quo duo parietes copulati sunt. (*Ephes.* II, 14).

18. [*vers.* 17.] Et exsequitur quomodo : *Viderunt te aquæ, Deus.* Quid sunt *aquæ?* Populi. Quæ sunt istæ *aquæ;* dictum est in Apocalypsi; responsum est, Populi : ibi invenimus apertissime aquas in figura positas populorum (*Apoc.* XVII, 15). Supra autem dixerat : *Notam fecisti in populis virtutem tuam.* Merito ergo, *Viderunt te aquæ, Deus; viderunt te aquæ, et timuerunt.* Ideo mutatæ sunt, quia timuerunt. *Viderunt te aquæ, Deus, et timuerunt, et conturbatæ sunt abyssi.* Quæ sunt *abyssi?* Altitudines aquarum. Quis non turbatur in populis, cum conscientia pulsatur? Quæris altitudinem maris, quid profundius humana conscientia? Ista profunditas turbata est, quando in brachio suo redemit populum suum Deus. Quomodo turbatæ sunt abyssi? Quando omnes conscientias suas confitendo fuderunt : *Et turbatæ sunt abyssi.*

19. [*vers.* 18.] *Multitudo sonitus aquarum.* In laudibus Dei, in confessionibus peccatorum, in hymnis et canticis, in orationibus, *multitudo sonitus aquarum. Vocem dederunt nubes.* Inde iste sonitus aquarum, inde abyssorum perturbatio, quia *vocem dederunt nubes.* Quæ nubes? Prædicatores verbi veritatis. Quæ nubes? De quibus minatur cuidam vineæ Deus, quæ pro uva fecit spinas, et dicit : *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem* (*Isai.* V, 6). Denique Apostoli relinquentes Judæos, ierunt ad Gentes : in

[1] Sic plerique Mss. Alii quidam : *Ad ipsum ergo redeamus, Christum,* etc. At Edd. : *Ad ipsum ergo attendamus Christum, attendamus ibi viam ejus.*

[1] Sic Mss. At Edd., *aliquem.*

omnibus gentibus *vocem dederunt nubes;* prædicando Christum, *vocem dederunt nubes.*

20. [*vers.* 19.] *Etenim sagittæ tuæ pertransierunt.* Easdem voces nubium rursus sagittas dixit. Verba enim Evangelistarum sagittæ fuerunt. Similitudines enim sunt. Nam proprie nec sagitta est pluvia, nec pluvia sagitta; at vero verbum Dei, et sagitta est, quia percutit, et pluvia, quia rigat. Nemo ergo jam miretur abyssorum conturbationem, quando *sagittæ tuæ pertransierunt.* Quid est, *pertransierunt?* Non in auribus remanserunt, sed corda transfixerunt. *Vox tonitrui tui in rota.* Quid est hoc? quomodo intellecturi sumus? Adjuvet Dominus. *Vox tonitrui tui in rota.* Solebamus pueri suspicari, cum audiremus tonitrua de cœlo, quasi vehicula de stabulo processisse: habent enim tonitrua quamdam concussionem similem vehiculis. Numquid ad ista puerilia redituri sumus, ut intelligamus, *Vox tonitrui tui in rota;* quasi aliqua vehicula habeat Deus in nubibus, et transitus vehiculorum illum strepitum concitet? Absit. Hoc puerile est, vanum, nugatorium. Quid est ergo, *Vox tonitrui tui in rota?* Volvitur vox tua. Neque hoc intelligo. Quid faciemus? Interrogamus ipsum Idithun, ne forte ipse exponat quod dixit: *Vox,* inquit, *tonitrui tui in rota.* Non intelligo: audiam quid dicis: *Apparuerunt fulgura tua orbi terrarum.* Dic ergo: non intellexeram. Orbis terrarum est rota: nam circuitus orbis terrarum, merito et orbis dicitur; unde brevis etiam rotella, orbiculus [1] appellatur. *Vox tonitrui tui in rota: apparuerunt fulgura tua orbi terrarum.* Nubes illæ in rota circumierunt orbem terrarum; circumierunt tonando et coruscando, abyssum commoverunt, præceptis tonuerunt, miraculis coruscaverunt: in omnem enim terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 5). *Commota est, et contremebunda facta est terra:* id est, omnes qui habitant in terra. Per similitudinem autem ipsa terra est. Quare? Quia gentes omnes maris nomine nuncupantur, quod vita humana amara est, et procellis ac tempestatibus subdita. Jam illud si attendas, quod homines se tanquam pisces devorant, cum major minorem absorbet: est ergo hoc mare [2]; illuc Evangelistæ ierunt.

21. [*vers.* 20.] *In mari est via tua.* Jamdudum *in Sancto via tua,* modo *in mari est via tua,* quia ipse Sanctus in mari, et merito etiam super aquas maris ambulavit (*Matth.* XIV, 25). *In mari est via tua:* id est in Gentibus prædicatur Christus tuus. In alio quippe psalmo ita dicitur: *Deus misereatur nostri, et benedicat nos; illuminet vultum suum super nos, ut cognoscamus in terra viam tuam.* Ubi *in terra? In omnibus gentibus salutare tuum* (*Psal.* LXVI, 2, 3): hoc est, *In mari est via tua. Et semitæ tuæ in aquis multis:* hoc est, in populis multis. *Et vestigia tua non cognoscentur.* Nescio quos tetigit, et mirum nisi et ipsos Judæos. Ecce jam sic propalata [3] est Gentibus misericordia Christi, ut *in mari* sit *via tua, et semitæ tuæ in aquis multis; et vestigia tua non cognoscentur.* Unde, a quibus non cognoscentur, nisi ab his qui adhuc dicunt: Nondum venit Christus? Quare dicunt: Nondum venit Christus? Quia nondum agnoscunt super mare ambulantem.

22. [*vers.* 21.] *Deduxisti sicut oves plebem tuam, in manu Moysi et Aaron.* Quare hoc addiderit, indagare aliquantum difficile est. Adjuvate ergo nos intentione vestra, quia post ipsos duos versus finis erit, et Psalmi, et sermonis; ne forte cum aliquid restare arbitramini, timore laboris minus ad præsens attendatis. Cum dixisset, *In mari est via tua,* quod intelligimus, in gentibus; *et semitæ tuæ in aquis multis,* quod intelligimus, in populis multis, adjunxit: *Et vestigia tua non agnoscentur.* Et quærebamus a quibus non agnoscerentur; et subjecit continuo, *Deduxisti sicut oves plebem tuam, in manu Moysi et Aaron:* id est, ab ista plebe tua quæ deducta est in manu Moysi et Aaron, vestigia tua non cognoscentur. Quare ergo positum est, nisi increpandi et exprobrandi causa, *In mari est via tua?* Unde *in mari est via tua,* nisi quia exclusa est a terra tua? Expulerunt Christum, noluerunt esse suum Salvatorem ægri: ille autem cœpit esse in Gentibus, et in omnibus gentibus, in multis populis. Salvæ factæ sunt etiam reliquiæ populi illius. Remansit foris ingrata multitudo, et claudicans Jacob femoris latitudo (*Gen.* XXXII, 31). Latitudo enim femoris intelligitur [1] in multitudine generis, et facta est in majori parte Israelitarum turba quædam vana et insipiens, quæ non agnosceret vestigia Christi in aquis. *Deduxisti sicut oves plebem tuam,* et non te cognoverunt. Tanta cum illis bona fecisti! mare divisisti, inter aquas per aridam trajecisti, persequentes inimicos fluctibus operuisti, in deserto egentibus manna pluisti, deducens eos *in manu Moysi et Aaron;* et expulerunt te a se, ut in mari esset via tua, et vestigia tua non cognoscerent.

IN PSALMUM LXXVII
ENARRATIO (*a*).

1. [*vers.* 1.] Psalmus iste ea continet quæ in veteri populo acta narrantur: recentior autem et posterior populus admonetur ut caveat ne sit ingratus beneficiis Dei, ejusque in se provocet iracundiam cujus obedienter et fideliter debet suscipere gratiam: *Ne fiant,* inquit, *sicut patres eorum generatio prava et amaricans; generatio quæ cor non direxit suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus.* Hæc est igitur psalmi hujus intentio, hæc utilitas, hic uberrimus fructus. Sed cum omnia videantur perspicua et aperta dici atque narrari, primitus movet atque intentos facit titulus ejus. Neque enim frustra inscribitur, *Intellectus Asaph;* nisi quia fortasse non quod superficies sonat, sed interius aliquid intelligentem quærunt ista lectorem. Deinde narraturus et commemoraturus hæc omnia,

[1] Mss., *orbicula id est orbiculus appellatur.*
[2] Sic aliquot Mss. Quidam vero: *hæc est ergo terra, hoc mare.* At Edd., *hoc est ergo hoc mare.*
[3] Sic Mss. Edd. vero, *prolata.*

[1] Edd., *intelligitur via in,* etc. Abest, *via*, a Mss.
(*a*) Dictata anno Christi 415, ex epist. 169, ad Evodium, n. 1.

quæ videntur auditore quam expositore potius indigere, *Aperiam*, inquit, *in parabolis os meum*, *eloquar propositiones ab initio*. Quis non hic de somno excitetur? Quis audeat velut manifestas legendo percurrere parabolas et propositiones, quæ nominibus suis indicant altius se perscrutari oportere? Parabola quippe alicujus rei similitudinem præ se gerit; quod licet sit vocabulum græcum, jam tamen pro latino usurpatur. Et notum est quod in parabolis, quæ dicuntur rerum similitudines rebus de quibus agitur comparantur. Propositiones autem quæ græce appellantur προβλήματα, quæstiones sunt, habentes aliquid quod disputatione solvendum sit. Quis ergo parabolas et propositiones transitorie legat? quis non his auditis vigilantia mentis intendat, ut ad earum fructum intelligendo perveniat?

2. *Attendite*, inquit, *populus meus*, *legem meam*. Quem hic credamus loqui nisi Deum? Ipse enim legem dedit populo suo, quem liberatum ex Ægypto congregavit, quæ congregatio proprie Synagoga nuncupatur, quod interpretatur Asaph. Utrum ergo ita dictum est, *Intellectus Asaph*, quod ipse Asaph intellexerit; an figurate intelligendum, quod eadem Synagoga, hoc est, idem populus intellexerit, cui dicitur, *Attendite, populus meus, legem meam?* Quid est ergo quod eumdem populum per prophetam increpat, dicens: *Israel autem me non agnovit, et populus meus non intellexit* (*Isai*. I, 3)? Sed profecto erant etiam in illo populo qui intelligerent, habentes fidem quæ postea revelata est non ad Legis litteram, sed ad gratiam Spiritus pertinentem [1]. Non enim sine ipsa fide fuerunt, qui ejus in Christo futuram revelationem prævidere et prænuntiare potuerunt; cum et illa vetera sacramenta, significantia fuerint futurorum. An soli Prophetæ habebant hanc fidem, non et populus? Imo vero etiam qui Prophetas fideliter audiebant, eadem adjuvabantur gratia, ut intelligerent quod audiebant. Sed utique sacramentum regni cœlorum velabatur in Veteri Testamento, quod plenitudine temporis revelaretur in Novo. « Nolo enim vos » ait Apostolus, « ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes per Moysen baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eumdem cibum spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt: bibebant enim de spirituali consequente eos petra; petra autem erat Christus. » Idem itaque in mysterio cibus et potus illorum qui noster; sed significatione idem, non specie; quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus. « Sed non, » inquit, « in omnibus illis beneplacitum est Deo (I *Cor*. X, 1-5). Omnes » quidem « eumdem cibum spiritualem manducaverunt, et eumdem potum spiritualem biberunt, » id est, spirituale aliquid significantem; « sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo. » Cum dicit, « Non in omnibus, » erant ergo ibi aliqui in quibus beneplacitum est Deo; et cum essent omnia communia sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ sacramentorum virtus est. Sicut et nunc jam revelata fide quæ tunc velabatur, omnibus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizatis (*Matth*. XXVIII, 19), commune est lavacrum regenerationis; sed ipsa gratia cujus ipsa sunt Sacramenta, qua membra corporis Christi cum suo capite regenerata sunt, non communis est omnibus. Nam et hæretici habent eumdem Baptismum, et falsi fratres in communione catholici nominis. Ergo et hic recte dicitur: *Sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo*.

3. Neque tunc tamen, neque nunc infructuosa est vox dicentis: *Attendite*, *populus meus*, *legem meam*. Quæ locutio nota est in omnibus litteris, quod non ait, Attende; sed, *Attendite*. Ex multis enim populus constat; quibus multis quod sequitur pluraliter dicitur: *Inclinate aurem vestram in verba oris mei*. Quod est, *Attendite;* hoc est, *Inclinate aurem vestram:* et quod illic ait, *legem meam;* hoc ait hic, *verba oris mei*. Ille namque pie attendit legem Dei et verba oris ejus, cujus aurem inclinat humilitas; non cujus erigit cervicem superbia. Quod enim infunditur, concavo humilitatis excipitur, eminentia tumoris expellitur. Unde alio loco: *Inclina*, inquit, *aurem tuam*, *et excipe verba intellectus* (*Prov*. XXII, 17). Satis itaque admoniti sumus etiam istum psalmum hujus intellectus Asaph (quia genitivo casu in titulo positum est, hujus intellectus; non, hic intellectus) inclinata aure suscipere, id est humili pietate. Nec, ipsius Asaph dictum est; sed, ipsi Asaph: quod græco articulo apparet, et in quibusdam latinis codicibus invenitur. Verba igitur ista intellectus sunt, id est, intelligentiæ sunt quæ data est ipsi Asaph; quod non uni homini, sed melius accipimus congregationi populi Dei, unde nequaquam nos alienare debemus. Quamvis enim proprie dicatur, Synagoga Judæorum, Ecclesia vero Christianorum; quia congregatio magis pecorum, convocatio vero magis hominum intelligi solet: tamen et illam dictam invenimus Ecclesiam, et nobis fortasse potius convenit dicere, *Salva nos, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus*, *ut confiteamur nomini sancto tuo* (*Psal*. CV, 47). Neque dedignari nos oportet, imo gratias ineffabiles agere, quod sumus oves manuum ejus, quas prævidebat cum diceret, Habeo alias oves quæ non sunt de hoc ovili; oportet me et ipsas adducere, ut sit unus grex et unus pastor (*Joan*. X, 16): jungendo scilicet fidelem populum Gentilium fideli populo Israelitarum, de quibus prius dixerat, *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth*. XV, 24). Nam et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos sicut pastor oves ab hædis (*Id*. XXV, 32). Sic igitur audiamus quod dictum est, *Attendite*, *populus meus*, *legem meam*, *inclinate aurem vestram in verba oris mei*, non tanquam Judæis, sed potius tanquam nobis, vel certe tam etiam nobis ista dicantur. Cum enim dixisset Apostolus, *Sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo*, ita ostendens fuisse ibi etiam illos in quibus beneplacitum est Deo; continuo subjecit, « Prostrati enim sunt in deserto; » deinde adjunxit, « Hæc au-

[1] Reg. MS., *pertinentes*.

tem figuræ nostræ factæ sunt, ut non simus concupiscentes mala, sicut et illi concupierunt : neque idolis servientes, sicut quidam eorum ; sicut scriptum est, Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam eorum fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti et tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Omnia autem hæc in figura contingebant illis : scripta autem sunt ad correptionem nostram, in quos finis sæculorum obvenit » (I *Cor.* x, 5-11). Nobis ergo potius ista cantata sunt. Unde in hoc psalmo inter cætera dictum est : *Ut cognoscat generatio altera, filii qui nascentur et exsurgent.* Porro si ille interitus a serpentibus, et ab exterminatore illa perditio, et gladii trucidatio, figuræ fuerunt, sicut evidenter dicit Apostolus, cum illa omnia contigisse manifestum sit ; non enim ait, In figura dicebantur, vel, In figura scripta sunt ; sed, *In figura*, inquit, *contingebant illis :* quanto majore diligentia pietatis cavendæ sunt pœnæ quarum figuræ illæ fuerunt ! Procul dubio quippe, sicut in bonis rebus multo amplius boni est in eo quod per figuram significatur, quam in ipsa figura ; ita et in malis longe utique pejora sunt quæ significantur figuris, cum tanta mala sint etiam significantes figuræ. Nam sicut terra promissionis, quo ille populus ducebatur, in comparatione regni cœlorum nihil est, quo christianus populus ducitur : ita et pœnæ illæ quæ figuræ fuerunt, cum tam sint atroces, in comparatione pœnarum quas significant nihil sunt. Quas autem figuras dixit Apostolus, eas dicit iste psalmus, quantum existimare possumus, parabolas et propositiones : non in eo habentes finem, quod contigerunt ; sed in eis rebus ad quas rationabili comparatione referuntur. Attendamus ergo legem Dei, populus ejus, et inclinemus aurem nostram in verba oris ejus.

4. [*Vers.* 2.] *Aperiam*, inquit, *in parabolis os meum ; eloquar propositiones ab initio.* A quo initio dicat, satis apparet in consequentibus Non enim ex quo factum est cœlum et terra, vel ex quo creatum est in primo homine genus humanum ; sed ex quo populi congregatio quæ adducta est ex Ægypto : ut sensus pertineat ad Asaph, quod interpretatur Congregatio. Sed utinam qui dixit, *Aperiam in parabolis os meum*, etiam intellectum nostrum in eas aperire dignetur ! Si enim sicut os suum aperuit in parabolis, ita aperiret etiam ipsas parabolas ; et sicut eloquitur propositiones, ita eloqueretur et earum expositiones ; non hic æstuaremus : nunc vero ita obtecta et clausa sunt omnia, ut etiamsi ad aliquid ipso adjuvante, unde salubriter pascamur pervenire possimus, in sudore tamen vultus nostri edamus panem (*Gen.* III, 19) ; et pœnam definitionis antiquæ, non corporis tantum, sed et cordis labore pendamus. Dicat ergo, et audiamus parabolas et propositiones.

5. [*Vers.* 3.] *Quanta audivimus , et cognovimus ea , et patres nostri narraverunt nobis.* Dominus superius loquebatur. Nam cujus alterius verba credenda sunt, *Attendite , populus meus , legem meam ?* Quid est ergo quod nunc repente homo loquitur? Jam enim hominis verba sunt, *Quanta audivimus , et cognovimus ea , et patres nostri narraverunt nobis.* Nimirum jam Deus ex hominis ministerio locuturus, sicut ait Apostolus , *An vultis experimentum accipere ejus qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? ex persona sua primum verba fieri voluit , ne verba ejus loquens homo, contemneretur ut homo. Ita enim se habent locutiones Dei , quæ nobis insinuantur per sensum corporis nostri. Creaturam subditam opere invisibili Creator movet ; non ejus substantia in aliquid corporale et temporale convertitur , ut corporalibus et temporalibus signis , sive ad oculos sive ad aures pertinentibus, quantum capere homines possunt , suam faciat innotescere voluntatem. Si enim angelus uti potest æthere , aere , nube , igne, et alia qualibet natura vel specie corporali ; et homo vultu , lingua , manu, calamo, litteris , aliisve significantibus rebus ad suæ mentis indicanda secreta ; postremo cum homo sit , nuntios homines mittit , et dicit alii , Vade , et vadit ; et alii , Veni , et venit ; et servo suo , Fac hoc , et facit (*Luc.* VII, 8) : quanto majore et efficaciore potestate Deus , cui Domino universa subjecta sunt , et ipso angelo et homine utitur, ut quod ei placet annuntiet ! Quamvis itaque jam homo dicat , *Quanta audivimus , et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis ;* tamen tanquam Dei verba , non tanquam humanas fabulas audiamus. Propter hoc enim præmissum est , *Attendite, populus meus, legem meam , inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, eloquar propositiones ab initio. Quanta* ergo *audivimus*, inquit , *et cognovimus ea , et patres nostri narraverunt nobis.* Sic est, *audivimus, et cognovimus ;* quomodo, *Audi, filia, et vide* (*Psal.* XLIV , 11). Audita enim sunt in Veteri Testamento quæ cognoscuntur in Novo ; audita cum prophetarentur, cognita cum implerentur. Ubi promissio redditur, non fraudatur auditio. *Et patres nostri*, Moyses et Prophetæ , *narraverunt nobis.*

6. [*Vers.* 4.] *Non sunt abscondita a filiis eorum , in generatione altera.* Hæc est nostra generatio , in qua nobis donata est regeneratio. *Annuntiantes laudes Domini , et potentias ejus , et mirabilia ejus quæ fecit.* Ordo verborum est , *Et patres nostri narraverunt nobis, annuntiantes laudes Domini.* Laudatur Dominus ut ametur : quid enim salubrius amatur ?

7. [*Vers.* 5-8.] *Et suscitavit Testimonium in Jacob , et Legem posuit in Israel.* Hoc est initium de quo supra dictum est , *Eloquar propositiones ab initio.* Initium est ergo Vetus Testamentum , finis Novum. Timor enim prævalet in Lege : et *initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX , 10). *Finis* autem *Legis Christus* est , *ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x, 4) : quo donante *diffunditur charitas in cordibus nostris , per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Id.* v, 5) ; et *consummata charitas foras mittit timorem* (I *Joan.* IV, 18) , quoniam *nunc sine Lege justitia Dei manifestata est.* Sed quoniam *testimonium habet a Lege et Prophetis* (*Rom.*

III, 21), ideo *suscitavit Testimonium in Jacob, et Legem posuit in Israel*. Nam et illud quod tam insigni et pleno tantis significationibus opere tabernaculum constitutum est, tabernaculum Testimonii nominatur (*Exod*. XL, 2), in quo erat velamen contra arcam Legis, sicut velamen contra faciem ministri Legis; quia in illa dispensatione parabolæ et propositiones erant. Ea quippe quæ prædicabantur et fiebant, velatis significationibus condebantur, et non revelatis manifestationibus cernebantur. *Cum autem transieris* [1] *ad Christum*, ait Apostolus, *auferetur velamen* (II *Cor*. III, 13, 16). Quotquot enim sunt promissiones Dei, in illo *Etiam*, *Amen* [2] (*Ibid*. I, 20). Quisquis igitur Christo adhæret, totum bonum quod etiam in litteris Legis non intelligit, habet; quisquis est autem alienus a Christo, nec intelligit, nec habet. *Suscitavit* ergo *Testimonium in Jacob, et Legem posuit in Israel*. More suo repetit. Nam quod est, *Suscitavit Testimonium;* hoc est, *Legem posuit* : et quod est, *in Jacob;* hoc est, *in Israel*. Nam sicut ista duo nomina sunt hominis unius, ita Lex et Testimonium duo sunt nomina rei unius. Interest aliquid, ait quispiam, inter *suscitavit* et *posuit*. Ita sane; quemadmodum interest etiam inter *Jacob*, et *Israel* : non quia erant duo homines, sed eadem duo nomina diversis causis uni homini sunt imposita; Jacob propter supplantationem, quoniam nascentis tenuit plantam fratris; Israel autem propter visionem Dei (*Gen*. XXV, 25, *et* XXXII, 28). Sic aliud est, *suscitavit*, aliud *posuit*. Nam, *suscitavit Testimonium*, quantum existimo, dictum est, quod illo aliquid suscitatum est. *Sine Lege enim*, ait Apostolus, *peccatum mortuum est. Ego autem vivebam aliquando sine Lege : adveniente autem mandato, peccatum revixit*. Ecce quod suscitatum est per Testimonium quod est Lex, ut appareat quod latebat, sicut paulo post dicit : *Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem* (*Rom*. VII, 8, 9, 13). *Posuit* autem *Legem*, dictum est, tanquam jugum peccatoribus : unde dicitur, *Quia justo non est lex posita* (I *Tim*. I, 9). Testimonium est igitur, in quantum aliquid probat; Lex autem, in quantum jubet; cum sit una eademque res. Quocirca sicut lapis Christus; sed credentibus in caput anguli (*Psal*. CXVII, 22), non credentibus autem lapis offensionis et petra scandali; ita Testimonium Legis eis qui Lege non legitime utuntur. Testimonium est quo convincantur puniendi peccatores; his vero qui ea legitime utuntur, Testimonium est quo demonstratur ad quem liberandi confugere debent peccatores. In ejus enim gratia est *justitia Dei*, *testimonium habens a Lege et Prophetis*, qua [3] justificatur impius : quam quidam *ignorantes, et suam volentes constituere*, *justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom*. X, 3).

8. « Quanta, » inquit, « mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis : ut cognoscat generatio altera, filii qui nascentur et exsurgent, et narrent [1] filiis suis; ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant. Ne fiant, sicut patres eorum, generatio prava et amaricans; generatio quæ cor non direxit suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus. » Hæc verba indicant duos quodammodo populos; alterum ad Vetus, alterum ad Novum Testamentum pertinentem : nam quod ait, *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis*, mandata eos accepisse dixit, *nota facere ea filiis suis*, non tamen eos agnovisse aut fecisse; sed ad hoc acceperunt ipsi, *ut cognoscat generatio altera*, quod illa non cognovit. *Filii qui nascentur et exsurgent*. Nam illi qui nati sunt, non exsurrexerunt, quia non sursum cor, sed in terra potius habuerunt. Cum Christo enim exsurgitur : unde dictum est, *Si exsurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite* (*Coloss*. III, 1). *Et narrent*, inquit, *filiis suis*, *ut ponant in Deo spem suam*. Ita enim non suam justitiam justi volunt constituere, sed revelant ad Deum viam suam, et sperant in eum, ut ipse faciat (*Psal*. XXXVI, 5). *Et non obliviscantur operum Dei* : magnificando scilicet et jactando opera sua, tanquam ipsi faciant; cum Deus sit qui operatur in eis qui bona operantur, et velle, et operari, pro bona voluntate (*Philipp*. II, 13). *Et mandata ejus exquirant*. Cum jam ea didicerint, quomodo exquirant? *Quanta* enim, inquit, *mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera*. Quid cognoscat? Utique mandata quæ mandavit. Quomodo ergo adhuc exquirant, nisi quia ponendo in Deo spem suam, tunc mandata ejus exquirant, ut ab eis illo adjuvante compleantur? *Ne fiant, sicut patres eorum, generatio prava et amaricans; generatio quæ non direxit cor suum*. Et dicit quare, continuo subjungendo, *Et non est creditus cum Deo spiritus ejus* : id est, quia non habebat fidem, quæ impetrat quod Lex imperat. Quando enim cum Spiritu Dei operante spiritus hominis cooperatur, tunc quod Deus jussit impletur; et hoc non fit, nisi credendo in eum qui justificat impium (*Rom*. IV, 5). Quam fidem non habuit generatio prava et amaricans; et ideo de illa dictum est : *Non est creditus cum Deo spiritus ejus*. Multo enim hoc expressius dictum est, ad significandam gratiam Dei, quæ non solum operatur remissionem peccatorum, sed etiam cooperantem sibi facit hominis spiritum in opere bonorum factorum; quasi diceret, Non credidit Deo spiritus ejus. Hoc est enim habere cum Deo creditum spiritum, non credere spiritum suum posse facere sine Deo justitiam, sed cum Deo. Hoc est etiam credere in Deum; quod utique plus est quam credere Deo. Nam et homini cuilibet plerumque credendum est, quamvis in eum non sit credendum. Hoc est ergo credere in Deum, credendo adhærere ad bene cooperandum bona operanti Deo : *Quia sine me*, inquit, *nihil potestis facere* (*Joan*. XV, 5). Quid autem plus hinc Apostolus dicere potuit, quam quod ait : *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est* (I *Cor*. VI,

[1] Edd., *transierit*. At plerique Mss., *transieris* : et sic alias Augustinus.

[2] Sic Mss. At Edd., *in illo erant. Quisquis*. Vide supra, col. 911, n. 18.

[3] Mss., *quia*.

[1] Sic Mss. At Edd. hoc tantum loco, *narrabunt*.

17). Alioquin lex illa testimonium est quo damnetur, non quo absolvatur reus. Littera enim est minax, quæ convincat prævaricatores; non spiritus adjuvans, qui liberet et justificet peccatores. Generatio ergo illa, cujus exemplum cavendum est, ideo prava et amaricans fuit, quia *non est creditus cum Deo spiritus ejus:* quia etsi aliqua credidit Deo, non tamen credidit in Deum; non ex fide adhæsit Deo, ut sanata a Deo bene cooperaretur cum operante in se Deo.

9. [*vers.* 9.] Denique, *Filii Ephræm intendentes et mittentes arcus, conversi sunt in die belli.* Persequentes Legem justitiæ, in Legem justitiæ non pervenerunt (*Rom.* IX, 31). Quare? Quia non ex fide. Generatio enim erat, cujus spiritus cum Deo creditus non est, sed tanquam ex operibus; quia non sicut tetendit et misit arcus (quod foris apparet, tanquam in operibus Legis), ita direxit et cor, ubi justus vivit ex fide (*Id.* I, 17), quæ per dilectionem operatur (*Gal.* V, 6), qua inhæretur Deo, qui operatur in homine, et velle, et operari, pro bona voluntate (*Philipp.* II, 13). Nam quid est aliud tendere arcum, et mittere, et converti in die belli, nisi attendere et promittere in die auditionis, et deserere in die tentationis; armis quasi proludere, et ad horam certaminis nolle pugnare? Quod sane ait, *tendentes et mittentes arcus;* cum debuisse dicere videatur, tendentes arcus, et mittentes sagittas; non enim arcus mittitur, sed ab arcu aliquid mittitur: aut illa locutio est de qua superius disseruimus, ubi dictum est, *Suscitavit Testimonium,* quia suscitavit aliquid Testimonio; ita et hic, *mittentes arcus,* quia miserunt aliquid arcubus: aut obscurus ordo verborum est, cum prætermissione verbi, quod etiam tacitum subaudiendum est, ut iste ordo sit, *Filii Ephræm intendentes arcus, et mittentes,* et subaudiatur, Sagittas; pleniusque sit, Tendentes arcus, et mittentes sagittas: quia etiam si diceret, Tendentes, et mittentes sagittas, non utique, Tendentes sagittas, intelligere deberemus; sed audito eo quod dixit, Tendentes, subaudire potius, Arcum, quamvis dictum non fuerit. Nonnulli sane codices græci habere dicuntur, *tendentes et mittentes arcubus,* ut sine dubitatione subaudiamus Sagittas. Quod vero per filios Ephræm universam illam generationem amaricantem intelligi voluit, locutio est a parte totum significans. Et ideo fortasse electa est ista pars, ex qua ille populus totus significaretur, quia de his potissimum boni aliquid exspectandum fuit; quia ex illo nati sunt, quem nepotem suum Jacob, quamvis a patre ejus tanquam minorem ad sinistram constitutum, manu tamen dextera benedixit, eumque majori fratri arcana benedictione præposuit (*Gen.* XLVIII, 14); ut quod ita hoc loco tribus illa culpatur, nec apparuisse in ea quod illa benedictio promittebat ostenditur, satis intelligamus quod etiam tunc ex verbis patriarchæ Jacob longe aliud figurabatur, quam prudentia carnis exspectat. Figurabatur enim quod futuri essent novissimi qui erant primi, et primi futuri essent qui erant novissimi (*Matth.* XX, 16), per Salvatoris adventum, de quo dictum est: *Qui post me venit, ante me factus est* (*Joan.* I, 27). Sic Abel justus majori prælatus est fratri (*Gen.* IV, 4, 5), sic Ismaeli Isaac (*Id.* XXI, 12), sic Esau congemino suo, sed tamen prius nato, ipse Jacob (*Id.* XXV, 23); sic Phares et ipse congeminum suum, qui prius manum ex utero miserat, et cœperat nasci, etiam nascendo præcessit (*Id.* XXVIII, 27-29); sic David majoribus prælatus est fratribus (I *Reg.* XVI, 12): et propter quod istæ omnes atque aliæ similes, non solum dictorum, sed etiam factorum parabolæ præcesserunt, sic populo Judæorum prælatus est populus christianus, pro quo redimendo, quemadmodum Abel a Cain (*Gen.* IV, 8), sic a Judæis occisus est Christus. Hoc præfiguratum est enim etiam cum Jacob decussatim porrectis manibus, dextera tetigit Ephræm ad sinistram constitutum; cumque præposuit Manasse ad dexteram constituto, quem sinistra ipse tangebat. Nam secundum carnem *filii Ephræm intendentes et mittentes arcus, conversi sunt in die belli.*

10. [*vers.* 10.] Quid sit autem quod ait, *Conversi sunt in die belli,* consequentia docent, quibus id apertissime exposuit: *Non custodierunt,* inquit, *testamentum Dei, et in lege ejus noluerunt ambulare.* Ecce quid est, *Conversi sunt in die belli:* non observaverunt testamentum Dei. Ubi arcus tendentes et mittentes, etiam promissionis promptissimæ verba protulerunt, dicentes: *Quæcumque locutus est Dominus Deus noster, faciemus et audiemus* [1] (*Exod.* XIX, 8). *Conversi sunt in die belli:* quia promissionem obedientiæ, non auditio, sed tentatio probat. Cujus est autem cum Deo spiritus creditus, fidelem tenet Deum, qui non eum permittet tentari super quod potest; sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possit sustinere (I *Cor.* X, 13), ne convertatur in die belli. Qui autem in se, non in Deo gloriatur (*Ibid.* I, 31), quantumvis jactet pollicitationem virtutis suæ, velut tendens et mittens arcus, convertitur in die belli. Quia enim non est creditus cum Deo spiritus ejus, non est cum illo etiam Spiritus Dei; et, sicut scriptum est, *Quia non credidit, ideo non protegetur* (*Eccli.* II, 15). Quod vero cum dixisset, *Non observaverunt testamentum Dei,* adjecit et ait, *Et in lege ejus noluerunt ambulare;* repetitio est superioris sententiæ, cum quadam ejus expositione: hoc enim appellavit, *legem ejus,* quod supra dixerat *testamentum Dei;* ut illud quod dictum est, *non custodierunt,* repetitum intelligatur in eo, *ambulare noluerunt.* Sed cum brevius dici posset, Et in lege ejus non ambulaverunt, nonnihil mihi videtur in hoc verbo nos quærere voluisse, quod maluit dicere, *noluerunt ambulare,* quam, non ambulaverunt. Poterat enim putari lex operum quasi sufficere ad justificationem, cum ea quæ præcipiuntur, forinsecus fiunt ab eis hominibus qui mallent non præcipi quæ non ex corde faciunt, et tamen faciunt; ac per hoc quasi videntur ambulare in lege Dei, sed nolunt ambulare: non enim ex corde faciunt. Ex corde autem nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non di-

[1] Sic in Mss. et apud LXX. At in editis hic, *audiemus et faciemus.*

lectione justitiæ. Nam quantum attinet ad facta quæ forinsecus aguntur: et qui timent pœnam, et qui amant justitiam non furantur; et ideo pares sunt manu, dispares corde; pares opere, dispares voluntate. Ideo illi sic notati sunt: *Generatio*, inquit, *quæ cor non direxit suum*. Non dictum est, opera; sed, *cor*. Directo enim corde, recta sunt opera: cum autem cor directum non est, opera recta non sunt, etiamsi recta videantur. Et unde cor non direxit prava generatio, satis aperuit, cum ait: *Et non est creditus cum Deo spiritus ejus*. Rectus est enim Deus: et ideo recto adhærens, tanquam incommutabili regulæ, potest fieri rectum quod in se fuit pravum cor hominis. Ut autem cor cum illo sit, et per hoc rectum esse possit, acceditur ad eum, non pede, sed fide. Ideo dicitur etiam in Epistola ad Hebræos de illa ipsa generatione prava et amaricante: *Non profuit sermo auditus illis non contemperatis*[1] *fidei eorum qui obaudierunt* (*Hebr.* IV, 2). Voluntas igitur quæ est in corde recto, paratur a Domino, fide præcedente, qua acceditur ad Deum rectum, ut cor fiat rectum. Quæ fides, præveniente et vocante misericordia Dei, per obedientiam suscitatur; et applicare incipit ad Deum cor, ut dirigatur; et quanto magis magisque dirigitur, tanto magis videt quod non videbat, et valet quod non valebat. Hoc non fecerat Simon, cui Petrus apostolus dixit: *Non est tibi pars neque sors in hac fide; cor enim tuum non est rectum cum Deo* (*Act.* VIII, 21). Ibi enim ostendit quia non potest esse rectum sine Deo, ut incipiant homines, non tanquam servi sub lege ambulare metuentes, sed in lege tanquam filii volentes, in qua illi ambulare noluerunt, et sub illa rei remanserunt. Hanc enim voluntatem non timor, sed charitas habet, quæ diffunditur in cordibus credentium per Spiritum sanctum (*Rom.* V, 5). Quibus dicitur: « Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus » (*Ephes.* II, 8-10). Non quomodo isti, qui *in lege ejus noluerunt ambulare*, non credendo in eum, neque viam suam revelando ad eum et sperando in eum, ut ipse faceret.

11. [*vers.* 11, 12.] *Et obliti sunt beneficiorum ejus, et mirabilium ejus quæ ostendit eis, coram patribus eorum quæ*[2] *fecit mirabilia.* Quid sit hoc, non est quæstio negligenda. De ipsis patribus paulo ante dicebat quod fuisset generatio prava et amaricans. *Ne fiant*, inquit, *sicut patres eorum, generatio prava et amaricans; generatio quæ non direxit cor suum*, et cætera quæ adhuc de ipsa generatione dicuntur, cujus imitationem eo modo cavendam præcipit alteri generationi, *ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata ejus exquirant:* de quibus jam satis quod visum est disseruimus. Quid sibi ergo vult, cum de ipsa generatione prava loquatur quomodo *obliti sunt beneficiorum Dei, et mirabilium ejus quæ ostendit eis*, quod addidit et dicit: *Coram patribus eorum quæ fecit mirabilia*. Quibus patribus, cum isti ipsi sint patres, quorum non vult esse posteros similes? Si illos acceperimus ex quibus isti nati erant, velut Abraham, Isaac et Jacob; jam olim dormierant, quando mirabilia Deus ostendit in Ægypto. Sequitur enim, *In terra Ægypti, in campo Thaneos:* ubi dicit ostendisse Deum istis mirabilia coram patribus eorum. An forte spiritu præsentes erant, quia de ipsis Dominus in Evangelio ait: *Omnes enim illi vivunt* (*Luc.* XX, 38)? An accommodatius accipimus patres, Moysen, et Aaron, aliosque seniores qui commemorantur in eadem Scriptura etiam spiritum accepisse, unde acceperat et Moyses, ut eum adjuvarent ad eumdem populum regendum ac ferendum (*Num.* XI, 16, 17)? Cur enim non appellarentur patres? Non sicut Deus Pater unus est qui regenerat Spiritu suo quos facit filios ad æternam hæreditatem; sed honoris gratia, propter ætatem curamque pietatis: sicut Paulus senior dicit, *Non ut confundam vos, hæc scribo; sed ut filios meos charissimos moneo;* cum sciret utique a Domino dictum, *Ne vobis dicatis patrem in terra; unus est enim Pater vester Deus* (*Matth.* XXIII, 9). Quod non ideo dictum est, ut hoc vocabulum honoris humani de loquendi consuetudine tolleretur; sed ne gratia Dei qua in æternam vitam regeneramur, naturæ, vel potestati, vel etiam sanctitati cujusquam hominis tribueretur. Ideo cum diceret, *Ego vos genui:* prædixit, *In Christo*, et *per Evangelium* (I *Cor.* IV, 14, 15); ne ipsius putaretur esse quod Dei est.

12. Ergo illa *generatio prava et amaricans*, *obliti sunt beneficiorum Dei, et mirabilium ejus quæ ostendit eis, coram patribus eorum quæ fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Thaneos*. Et incipit eadem mirabilia commemorando retexere. Quæ si parabolæ sunt et propositiones, profecto ad aliquid comparando referendæ sunt. Nec oculum intentionis debemus auferre ab eo quod psalmus ipse intendit ostendere, hunc esse fructum omnium quæ dicuntur, et quare admoniti sumus hæc intentissime audire, Deo dicente, *Attendite, populus meus, legem meam; inclinate aurem vestram in verba oris mei;* ut ponamus in Deo spem nostram, et non obliviscamur operum Dei, et mandata ejus exquiramus; ne fiamus, sicut illi patres, generatio prava et amaricans; generatio quæ cor non direxit suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus. Ad hoc ergo omnia referenda sunt, ac per hoc quidquid figurata actione ista significant, ita fieri possunt spiritualiter in homine; vel gratia Dei, si bona sunt; vel judicio Dei, si mala sunt: sicut illa bona facta sunt in Israelitas, vel mala, et in ipsos, et in eorum inimicos. Quæ si non obliviscamur, sed in Deo spem nostram ponamus, nec ipsius gratiæ simus ingrati; eumque timeamus, non timore servili, quo sola mala corporalia formidantur, sed timore casto permanente in sæculum sæculi, qui timor magnam

[1] Edd., *auditus illis non contemperans fidei eorum*, etc. Sed illa Mss. quæ hic restituitur lectio, in Græcum textum Apostoli non minus quadrat.

[2] Particula, *quæ*, deest in editis; sed exstat in Mss. et apud LXX.

esse judicat pœnam privari luce justitiæ; non efficiemur, tanquam patres illi, generatio prava et amaricans. Terra itaque Ægypti in figura intelligenda est hujus sæculi. Campus Thaneos planities est mandati humilis. Nam Mandatum humile interpretatur Thanis. In hoc ergo sæculo humilitatis mandatum suscipiamus, ut in alio sæculo exaltationem, quam promisit qui propter nos hic factus est humilis, accipere mereamur.

13. [*vers.* 13-16.] Nam qui *disrupit mare, et trajecit eos, statuit aquas quasi in utres*, ut sic staret unda tanquam fuisset inclusa, potest per suam gratiam cohibere fluida et labentia concupiscentiarum carnalium, cum huic sæculo renuntiatur, ut, tanquam inimicis, peccatis omnibus perdeletis, fidelium populus per sacramentum Baptismatis trajiciatur. Qui *deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis*, potest etiam spiritualiter dirigere itinera, si ad eum clamet fides: *Itinera mea dirige secundum verbum tuum* (*Psal.* CXVIII, 133). De quo alibi dicitur, *Ipse enim rectos faciet cursus tuos, et itinera tua in pace producet*[1] (*Prov.* IV, 27): per Jesum Christum Dominum nostrum, cujus in hoc sæculo, tanquam in die, sacramentum manifestatum est in carne, velut in nube; in judicio vero, tanquam in terrore nocturno, quia tunc erit magna tribulatio sæculi tanquam ignis, et lucebit justis, et ardebit injustis. Qui *disrupit in deserto petram, et adaquavit eos sicut in abysso multa; et eduxit aquam de petra, et deduxit tanquam flumina aquas*, potest utique sitienti fidei donum Spiritus sancti, quod illa res gesta spiritualiter significabat, infundere de spirituali sequente petra, quod est Christus (I *Cor.* X, 4): qui stabat et clamabat, *Si quis sitit, veniat ad me*; et, *Qui biberit de aqua quam ego dabo, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus. Hoc enim dicebat*, sicut in Evangelio legitur, *de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII, 37-39). Ad quem velut virga lignum passionis accessit, ut emanaret credentibus gratia.

14. [*vers.* 17.] Et tamen illi tanquam *generatio prava et amaricans, apposuerunt adhuc peccare ei*: id est, non credere. Nam hoc est peccatum de quo arguit Spiritus mundum, sicut Dominus dicit: *De peccato quidem, quia non crediderunt in me* (*Id.* XVI, 9). *Et exacerbaverunt Altissimum in siccitate*: quod alii codices habent, *in inaquoso*, quod de græco est expressius, nec aliud quam siccitatem significat. Utrum in illa eremi siccitate, an potius in sua? Quia licet bibissent de petra, non ventres, sed mentes aridas habebant, nulla virentes fecunditate justitiæ. In qua siccitate magis fideliter Deo supplices esse debuerant, ut qui satietatem donaverat faucibus, æquitatem donaret et moribus. Ad eum quippe fidelis anima clamat, *Oculi mei videant æquitatem* (*Psal.* XVI, 2).

15. [*vers.* 18-20.] *Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis*. Aliud est petere credendo, aliud tentando. Denique sequitur: « Et detraxerunt de Deo, et dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt, numquid et panem poterit dare, aut parare mensam populo suo? » Non credentes ergo petierunt escas animabus suis. Non sic apostolus Jacobus escam mentis præcipit postulari; sed a credentibus eam peti admonet, non a tentantibus atque detrahentibus Deo: *Si quis autem vestrum*, inquit, *indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei: postulet autem in fide nihil hæsitans* (*Jacobi* I, 5, 6). Hanc fidem non habebat generatio, quæ cor non direxerat suum, et non erat creditus cum Deo spiritus ejus.

16. [*vers.* 21.] *Propter hoc audivit Dominus, et distulit, et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel*. Exposuit quid ignem dixerit. Iram quippe appellavit ignem: quanquam multos proprie etiam ignis accenderit. Quid ergo est quod ait: *Audivit Dominus, et distulit?* An distulit eos introducere in terram promissionis, quo ducebantur; quod intra paucos dies fieri poterat, sed propter peccata in eremo fuerant conterendi, ubi et contriti sunt per quadraginta annos? Quod si ita est, distulit ergo populum, non istos ipsos qui tentantes detrahebant de Deo; nam omnes in eremo perierunt, et filii eorum in terram promissionis ingressi sunt. An distulit pœnam, ut prius satiaret etiam infidelem concupiscentiam, ne propterea putaretur iratus quia hoc ab illo, licet tentantes et detrahentes, petebant quod facere non posset? *Audivit* ergo *et distulit* vindicare; et posteaquam fecit quod eum illi facere non posse putaverunt, tunc *ira ascendit in Israel*.

17. [*vers.* 22-31.] Denique utroque breviter posito, deinceps aperte ordinem narrationis exsequitur. *Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutare ejus*. Namque cum dixisset quare ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel, id est, *quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutare ejus*, continuo subjiciens quam evidentibus beneficiis ingrati fuerunt, « Et mandavit, » inquit, « nubibus desuper, et januas cœli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo (*a*): cibaria misit eis in abundantia. Transtulit Austrum de cœlo, et induxit in virtute sua Africum. Et pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum. Et manducaverunt, et saturati sunt nimis; et desiderium eorum attulit eis: non sunt privati a desiderio suo. » Ecce quare distulerat. Quid autem distulerat, audiamus: *Adhuc esca erat in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos*. Ecce quod distulerat. Prius enim, *distulit*; et postea, *ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel*. Distulerat ergo, ut prius faceret quod eum facere non posse crediderant, deinde inferret quod eos pati oportebat. Nam si ponerent in Deo spem suam, non solum eis illa desi-

[1] Sic Mss. At Edd., *perducet*.

(*a*) Idem ў 25 explicatur supra in Psal. XXXIII, serm. 1, n. 6.

deria carnis, sed etiam spiritus, implerentur. Qui enim *mandavit nubibus desuper, et januas cœli aperuit, et pluit illis manna ad manducandum, et panem cœli dedit eis*, ut *panem Angelorum* manducaret *homo*, qui *cibaria misit eis in abundantia*, ut satiaret incredulos, non est inefficax dare credentibus verum ipsum de cœlo panem quem manna significabat; qui vere cibus est Angelorum, quos Dei Verbum incorruptibiles incorruptibiliter pascit [1]; quod ut manducaret homo, caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14). Ipse enim panis per nubes evangelicas universo orbi pluitur; et apertis prædicatorum cordibus tanquam cœlestibus januis, non murmuranti et tentanti Synagogæ, sed credenti et in illo spem ponenti Ecclesiæ prædicatur. Qui « transtulit Austrum de cœlo, et induxit in virtute sua Africum, et pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata; et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum : et manducaverunt, et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis, nec sunt privati a desiderio suo, » potest et non tentantium, sed credentium parvulam [2] fidem, carne editis vocum signis et per aerem transcurrentibus, tanquam volatilibus pascere : non tamen ab Aquilone venientibus ubi frigus et caligo prævalent, id est, eloquentia quæ huic sæculo placet [3]; sed transferendo Austrum de cœlo. Quo, nisi ad terras? ut qui in fide sunt parvuli, audiendo terrestria nutriantur ad capienda cœlestia. *Si enim terrestria*, inquit, *dixi vobis, et non creditis; quomodo si cœlestia dixero vobis, credetis* (*Id.* III, 12)? Translatus enim erat ille de cœlo quodammodo, ubi mente excesserat Deo; ut temperans eis esset quibus dicebat : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus* (I *Cor.* III, 1). Ibi enim audierat ineffabilia verba (II *Cor.* XII, 4), quæ in terra illi non licebat loqui per verba sonantia, quasi per *volatilia pennata;* et inducendo *in virtute sua Africum*, hoc est, per ventos meridianos, ferventes et lucentes prædicantium spiritus; et hoc *in virtute sua*, ne sibi tribuat Africus quod habet ex Deo. Veniunt autem ultro isti venti ad homines, et apportant eis verba divinitus missa; ut in suis sedibus et circa tabernacula sua colligant ejusmodi *volatilia*, et adoret unusquisque Dominum de loco suo, omnes insulæ gentium (*Sophon.* II, 11).

18. Sed infidelibus tanquam pravæ et amaricanti generationi, cum adhuc esca esset in ore ipsorum, *ira Dei ascendit in eos, et occidit in plurimis eorum :* hoc est, plurimos eorum, vel sicut nonnulli codices habent, *pingues eorum*. Quod quidem in græcis quos habuimus, non invenimus. Sed si hoc est verius, quid aliud intelligendi sunt *pingues eorum*, nisi superbia prævalentes, de quibus dicitur : *Prodiet quasi ex adipe iniquitas eorum* (*Psal.* LXXII, 7)? *Et electos Israel impedivit.* Erant illic etiam electi, quorum fidei non contemperabatur generatio prava et amaricans. Impediti sunt autem ne aliquid eis prodessent, quibus paterno se affectu consulere cupiebant. Quibus enim Deus irascitur, quid misericordia confertur humana? An potius simul cum eis compeditos etiam electos intelligi voluit; ut qui mente et vita discernebantur, ad exemplum non justitiæ tantum, sed etiam patientiæ, cum illis molestias sustinerent? uam sanctos cum peccatoribus non ob aliam forsitan causam etiam captivos ductos esse didicimus, quoniam in Græcis codicibus non ἐνεπόδισεν, quod est *impedivit ;* sed συνεπόδισεν legimus, quod est potius *compedivit*.

19. [*vers.* 32, 33.] Sed « generatio prava et amaricans, in omnibus his peccaverunt adhuc, et non crediderunt in mirabilibus ejus. Et defecerunt in vanitate dies eorum : » cum possent, si crederent, dies in veritate sine defectu habere apud eum cui dictum est : *Anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28). *Defecerunt* ergo *in vanitate dies eorum, et anni eorum cum festinatione.* Festinatur quippe tota vita mortalium, et quæ videtur prolixior, vapor est aliquanto diuturnior.

20. [*vers.* 34, 35.] Verumtamen *cum occideret eos, quærebant eum* : non propter æternam vitam, sed vaporem citius finire metuentes. Quærebant ergo eum, non utique ii quos occiderat, sed qui exemplo eorum occidi timebant. Sic autem de illis Scriptura locuta est tanquam hi Deum quærerent qui occidebantur, quia unus populus erat, et tanquam de uno corpore dicitur. « Et revertebantur, et diluculo veniebant ad Deum. Et rememorati sunt quia Deus adjutor eorum est, et Deus excelsus redemptor eorum est. » Sed hoc totum propter acquirenda temporalia bona, et vitanda temporalia mala. Nam qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, sed illa quærebant. Et modo timore servili, non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo Deus non colitur : hoc enim colitur quod diligitur. Unde quia Deus rebus omnibus major et melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur.

21. [*vers.* 36, 37.] Denique hic sequentia videamus : « Et dilexerunt eum, » inquit, « in ore suo, et in lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem ipsorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus. » Aliud in lingua eorum, aliud in corde eorum inveniebat, cui secreta hominum nuda sunt, et sine ullo obstaculo quid potius amarent videbat. Rectum itaque cor cum Deo est, quando propter Deum quærit Deum. Unam quippe concupivit a Domino, hanc requiret, ut inhabitet in domo Domini semper, et contempletur ejus delectationem (*Psal.* XXVI, 4). Cui dicit cor fidelium : Saturabor, non ollis carnium Ægyptiorum, nec melonibus et peponibus, et allio et cepis, quæ generatio prava et amaricans etiam pani cœlesti præferebat (*Exod.* XVI, 3), nec manna visibili atque ipsis volatilibus pennatis; sed saturabor, cum manifestabitur gloria tua (*Psal.* XVI, 15). Hæc est enim hæreditas Novi Testamenti, in quo illi fideles habiti non sunt, cujus tamen fides etiam tunc quando velabatur erat in electis, et nunc quando jam revelata

[1] Edd., *quod Dei Verbum corruptibiles incorruptibiliter pascit*. Regius Ms., *quos Dei Verbum incorruptibile incorruptibiliter pascit.*
[2] Aliquot Mss., *parvulorum*.
[3] Mss., *favet*.

est, non est in multis vocatis : *Multi enim sunt vocati, pauci autem electi* (*Matth.* xx, 16). Talis ergo erat generatio prava et amaricans, etiam cum Deum quærere videretur ; diligens in ore et in lingua mentiens ; in corde autem non recta cum Deo, ubi ea potius diligebat propter quæ Dei adjutorium requirebat.

22. [*vers.* 38, 39.] « Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum, et non disperdet eos. Et abundabit ut avertat iram suam, et non accendet [1] omnem iram suam. Et recordatus est quia caro sunt ; spiritus vadens, et non revertens. » In his verbis multi sibi iniquitatis impunitatem de divina misericordia pollicentur, etiamsi tales esse perstiterint, qualis *generatio* ista describitur *prava et amaricans quæ cor non direxit suum, et non est creditus cum Deo spiritus ejus :* quibus consentire non expedit. Si enim, ut secundum ipsos loquar, Deus fortasse non perdet nec malos, sine dubio non perdet bonos. Cur ergo non potius id eligimus, ubi dubitatio nulla est ? Nam qui in lingua sua mentiuntur illi, cum aliud habeat cor eorum, putant utique et volunt, quando pœnam æternam talibus comminatur, etiam Deum esse mendacem. Sed cum ipsi eum mentiendo non fallant, ille verum dicendo non fallit. Hæc itaque verba divinorum eloquiorum, de quibus sibi generatio prava blanditur, non ea depravet, sicut cor suum ; quia et illo depravato ista recta persistunt. Primo quippe secundum hoc intelligi possunt quod in Evangelio scriptum est : « Ut sitis sicut Pater vester qui in cœlis est ; qui facit oriri solem suum super bonos et malos, et pluit super justos et injustos » (*Id.* v, 45). Quis enim non videat quanta misericordiæ patientia malis parcat ! sed ante judicium. Sic ergo pepercit illi genti, ut non [2] accenderet omnem iram suam ad eam penitus eradicandam atque finiendam ; quod in verbis ejus et intercessione pro peccatis eorum Moysi servi ejus evidenter apparet, ubi Deus dicit, *Deleam eos, et faciam te in gentem magnam* (*Exod.* xxxii, 10) : ille intercedit, paratior deleri pro ipsis quam ipsos ; sciens apud misericordem se id agere, qui quoniam nullo modo deleret ipsum, etiam illis ipsis parceret propter ipsum. Videamus enim quantum pepercerit, et adhuc parcat. Nam introduxit eos in terram promissionis, et servavit eam gentem quousque se, Christum interficiendo, sceleri omnium maximo colligarent : et quod eos ex illo regno eradicatos per cuncta gentium regna [3] disseminavit, non utique delevit ; sed manet idem populus prolis successione servatus, velut Cain signo accepto, ne quis eum occidat, id est, penitus perdat (*Gen.* iv, 15). Ecce quemadmodum impletur quod dictum est : « Ipse autem est misericors, et propitius erit peccatis eorum, et non perdet eos ; et abundabit ut avertat iram suam, et non accendet omnem iram suam. » Quia si omnis ira ejus, id est, quantum digni sunt, in eos accenderetur, gens illa nulla relinqueretur. Ita Deus cui cantatur misericordia et judicium (*Psal.* c, 1), et in isto sæculo per misericordiam *facit oriri solem suum super bonos et malos*, et in fine sæculi per judicium ab æterna luce sua separatos, æternis tenebris punit malos.

23. Deinde ne vim divinis verbis inferre videamur, et ubi dictum est, *Non perdet eos*, nos dicamus, Sed postea perdet eos : de hoc ipso præsenti psalmo usitatissimam Scripturæ locutionem advertamus, unde ista quæstio multo diligentius veriusque solvatur. Certe de his ipsis loquens paulo post, cum commemorasset quæ propter eos Ægyptii perpessi fuerant, commemorans ultimam plagam, « Et percussit, » inquit, « omne primitivum in terra Ægypti, primitias laboris eorum in tabernaculis Cham. Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tanquam gregem in deserto. Et deduxit eos in spe, et non timuerunt : et inimicos eorum operuit mare. Et induxit eos in montem sanctificationis suæ ; montem quem acquisivit dextera ejus. Et ejecit a facie eorum gentes, et sorte distribuit eis terram in funiculo distributionis. » Si quis ad hæc verba nobis inferens quæstionem dicat : Quomodo eis hæc omnia collata esse commemorat, cum ipsi non fuerint perducti in terram promissionis, qui ab Ægypto liberati sunt, quoniam illi mortui sunt ? quid respondebimus, nisi eos dictos [1], quia idem ipse populus fuit per successionem filiorum ? Sic ergo, cum audimus, maxime quia futuri temporis verba sunt, « Et propitius fiet peccatis eorum, et non perdet eos ; et abundabit ut avertat iram suam, et non accendet omnem iram suam, » intelligamus in his impletum de quibus dicit Apostolus : « Sic ergo et in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. » Unde etiam dicit : « Nunquid repulit Deus plebem suam ? Absit. Nam et ego Israelita sum ex genere Israel, de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis » (*Rom.* xi, 5, 1, *et Philipp.* iii, 5). Hos igitur Scriptura prævidit qui in Christum fuerant ex isto populo credituri, et accepturi peccatorum remissionem, usque ad illud maximum quo insanientes ipsum medicum peremerunt. Hinc omnino dictum, « Ipse autem est misericors, et propitius erit peccatis eorum, et non perdet eos ; et abundabit ut avertat iram suam ; » quia etiam illud remisit, quod ab eis unicus Filius ejus occisus est : *et non accendet omnem iram suam ;* quia *reliquiæ salvæ factæ sunt*.

24. *Et recordatus est quia caro sunt ; spiritus vadens, et non revertens.* Ideo eos vocando et miserando per suam gratiam ipse revocavit, quia per seipsos redire non possent. Quomodo enim redit caro, spiritus ambulans et non revertens, urgente se in ima atque longinqua malorum pondere meritorum, nisi per electionem gratiæ ? Quæ non meritis tanquam merces redditur ; sed tanquam donum gratis datur, ut justificetur impius, et redeat ovis perdita ; non tamen in viribus suis, sed in humeris reportata pastoris (*Luc.* xv, 5), quæ se perdere potuit dum sponte vagaretur, se autem

[1] Sic meliores Mss. juxta LXX. At Edd., *et abundavit ut averteret iram suam, et non accendit :* male, quando, *futuri temporis verba esse*, dicit Augustinus infra, hujus Enarr. n. 23.
[2] Abest, *non*, a plerisque Mss.
[3] Vox, *regna*, abest a Mss.

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *ductos*.

invenire non potuit, nec omnino inveniretur, nisi pastoris misericordia quæreretur. Non enim et ille filius ad hanc ovem non pertinet, qui reversus in semetipsum dixit : *Surgam, et ibo ad patrem meum.* Occulta itaque vocatione et inspiratione etiam ipse quæsitus est et resuscitatus, nonnisi ab illo qui vivificat omnia ; et inventus, a quo, nisi ab illo qui perrexit salvare et quærere quod perierat (*Luc* XXIX, 10) ? *Mortuus enim erat, et revixit ; perierat, et inventus est* (*Id.* XV, 18, 24). Nam et illa non levis sic solvitur quæstio, quod in Proverbiis scriptum est, cum de via iniquitatis Scriptura loqueretur : *Omnes qui ambulant in ea, non revertentur* (*Prov.* II, 19). Sic enim dictum est, quasi de iniquis omnibus desperandum sit : Scriptura vero gratiam commendavit ; quia per seipsum homo potest in illa ambulare, non potest autem per seipsum redire, nisi gratia revocatus.

25. [*vers.* 40-51.] Hi ergo pravi et amaricantes, *Quoties exacerbaverunt eum in deserto, et in iram concitaverunt eum in inaquoso ! Et conversi sunt, et tentaverunt Deum, et sanctum Israel exacerbaverunt.* Eamdem illorum infidelitatem repetit quam superius jam commemoraverat ; sed repetendi causa est, ut commemorentur et plagæ quas inflixit Ægyptiis propter illos : quæ omnia utique recordari debuerant, neque existere ingrati. Denique quid sequitur ? *Non sunt recordati manus ejus, die qua redemit eos de manu tribulantis.* Et incipit dicere quæ fecit Ægyptiis : *Posuit in Ægypto signa sua, et prodigia sua in campo Thaneos. Et convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum ne biberent* ; vel potius, *manationes aquarum*, sicut nonnulli melius intelligunt quod græce scriptum est, τὰ ὀμβρήματα, quas latine scaturigines dicimus, ab imo aquas ebullientes. Foderunt enim Ægyptii, et sanguinem pro aquis invenerunt. « Misit in eos cynomyiam, et comedit eos ; et ranam, et disperdidit eos. Et dedit rubigini [1] fructum eorum, et labores eorum locustæ. Et occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina. Et tradidit grandini jumenta eorum, et possessionem eorum igni. Misit in eos iram indignationis suæ ; indignationem, et iram, et tribulationem, immissionem per angelos malos. Viam fecit semitæ iræ suæ, et non pepercit a morte animarum eorum, et jumenta eorum in morte conclusit. Et percussit omne primitivum in terra Ægypti, primitias laborum eorum in tabernaculis Cham. »

26. Hæ omnes Ægyptiorum pœnæ allegorica interpretatione exponi possunt, prout ea quisque intelligere, et rebus ad quas referendæ sunt, comparare voluerit. Quod nos quoque facere tentabimus ; tanto aptius facturi, quanto magis divinitus fuerimus adjuti. Ad hoc enim psalmi hujus illa verba constringunt, ubi dictum est, *Aperiam in parabolis os meum ; eloquar propositiones ab initio.* Propter hoc quippe etiam aliqua hic dicta sunt, quæ omnino accidisse Ægyptiis non legimus, cum omnes eorum plagæ in Exodo diligentissime ex ordine contexantur ; ut quoniam id quod ibi non dictum est, non frustra in Psalmo dictum esse certi sumus, neque id interpretari nisi figurate possumus, simul intelligamus etiam cætera quæ facta esse constat, ob aliquam figuratam significationem facta vel conscripta. Facit enim hoc Scriptura in multis locis Propheticorum eloquiorum. Dicit aliquid quod in illa re gesta, quam videtur commemorare, non invenitur, imo et aliter esse invenitur ; ut hinc intelligatur non hoc dicere quod potest putari, sed illud potius quod magis debet adverti : sicut est illud, *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ* (*Psal.* LXXI, 8). Quod in illius Salomonis regno constat non esse completum, de quo putari posset iste psalmus loqui, cum de Christo Domino loqueretur. In plagis ergo Ægyptiorum, quæ sunt in libro qui Exodus nominatur, ubi maxime Scriptura curavit ut ea quibus afflicti sunt omnia ex ordine dicerentur, non invenitur quod habet iste psalmus, *Et dedit rubigini fructus eorum.* Illud etiam quod, cum dixisset, *Et tradidit grandini jumenta eorum*, addidit, *Et possessionem eorum igni :* de jumentis grandine occisis legitur in Exodo (*Exod.* IX, 25) ; quod vero possessio eorum igne cremata sit, omnino non legitur. Quamvis voces et ignes cum grandine fierent, sicut tonitrua cum fulgoribus solent ; non tamen scriptum est aliquid traditum igni ut arderet. Denique mobilia quæ lædere grando non poterat, dicuntur non esse percussa, id est, duris ictibus læsa ; quæ postea comedit locusta (*Id.* X, 1-15). Item quod hic dicitur, *Et moros eorum in pruina*, non est in Exodo : multum enim pruina distat a grandine ; nam serenis hiemalibus noctibus pruina terra canescit.

27. Quid ergo ista significent, dicat tractator ut potest ; judicet lector et auditor ut justum est. Aqua in sanguinem conversa, mihi videtur significare de rerum causis sentire carnaliter. Cynomyia, canini mores sunt, qui nec parentes quando nascuntur, vident. Rana, est loquacissima vanitas. Rubigo occulte nocet ; quam etiam æruginem nonnulli interpretati sunt, alii caniculam [1] : quod malum cui vitiorum aptius comparatur, nisi quod difficillime apparet, sicuti est multum de se fidere ? Aura est enim noxia, quæ hoc in fructibus latenter operatur ; sicut in moribus occulta superbia, quando se quisquam putat aliquid esse, cum nihil sit (*Gal.* VI, 3). Locusta est malitia ore lædens, infideli scilicet testimonio. Grando est iniquitas res alienas auferens ; unde furta, rapinæ, prædationesque nascuntur : plus autem vitio suo vastatur ipse vastator. Pruina significat vitium, quo charitas proximi stultitiæ tenebris velut nocturno frigore congelascit. Ignis vero, si non ille hic commemoratur qui erat in grandine ex fulgurantibus nubibus, quoniam hic dixit, *Tradidit possessionem eorum igni* ; ubi eam significat utique incensam, quod ignis ille fecisse non legitur : immanitatem ergo iracundiæ mihi videtur significare, qua et homicidium admitti potest. Morte pecorum figuratum est, quantum arbitror, damnum pudicitiæ. Concupiscentiam quippe, qua fetus exori-

[1] Edd., *æruginí.* At potiores Mss., *rubigini :* quam nonnullos æruginem interpretatos esse notat Augustinus, infra, hujus Enarr. n. 27.

[1] Aliquot Mss., *caniculam.*

tur, communem cum pecoribus habemus. Hanc itaque edomitam habere et ordinatam, pudicitiæ virtus est. Mors primitivorum est amissio ipsius justitiæ, qua quisque humano generi socialis est. Sed sive ita se habeant harum rerum figuratæ significationes, sive aliter melius intelligantur; quem non moveat quod decem plagis percutiuntur Ægyptii, et decem præceptis scribuntur tabulæ, quibus regatur populus Dei? De quibus e contrario inter se comparandis, id est plagis et præceptis, quoniam alibi diximus (a), expositionem psalmi hujus in his onerare non opus est: tantum admonemus quia et hic, etsi non eodem ordine, decem tamen Ægyptiorum plagæ commemorantur; dum pro tribus quæ sunt in Exodo (*Exod.* VIII, 17, IX, 10, *et* X, 22), et hic non sunt, id est, sciniphes, ulcera, tenebræ, aliæ tres commemorantur quæ ibi non sunt, id est, rubigo, pruina et ignis, non fulgurum, sed cui dicta est tradita possessio eorum, quod ibi non legitur.

28. Satis autem hic expressum est, judicio Dei fieri hæc in illis per angelos malos, in hoc sæculo maligno, tanquam in Ægypto et in campo Thaneos, ubi humiles esse debemus, donec veniat sæculum ubi exaltari ex ista humilitate mereamur. Nam et Ægyptus in hebræa lingua Tenebras vel Tribulationes significat, in qua lingua Thanis, sicut commemoravi, humile intelligitur esse Mandatum. De angelis ergo malis in isto psalmo, cum de ipsis plagis loqueretur, sic interpositum est, quod non transitorie prætereundum est: *Misit in eos*, inquit, *iram indignationis suæ; indignationem et iram, et tribulationem, immissionem, per angelos malos.* Esse autem diabolum et angelos ejus tam malos utique, ut eis ignis præparetur æternus, nullus fidelis ignorat: sed immitti per eos immissionem super quoslibet a Domino Deo, quos hac pœna judicat dignos, durum videtur eis qui minus idonei sunt cogitare quemadmodum summa Dei justitia bene utatur et malis. Quos quidem, quantum pertinet ad eorum substantiam, quis alius quam ipse fecit? Sed malos ipse non fecit: utitur tamen eis, quoniam bonus est, bene, id est convenienter et juste; sicut e contra iniqui creaturis ejus bonis utuntur male. Utitur ergo Deus angelis malis, non solum ad puniendos malos, sicuti in istis omnibus de quibus loquitur Psalmus, sicut in rege Achab, quem fallaciæ spiritus ex Dei voluntate seduxit ut caderet in bello (III *Reg.* XXII, 22); verum etiam ad probandos et manifestandos bonos, sicuti fecit in Job. Quod autem pertinet ad istam materiam corporalem visibilium elementorum, puto quod ea possunt uti Angeli et boni et mali, quantum cuique potestas est; quemadmodum et homines boni malique utuntur talibus, quantum possunt pro modulo infirmitatis humanæ. Nam et terra utimur, et aqua, et aere, et igne, non solum in necessariis rebus sustentationis nostræ, verum etiam in multis superfluis et ludicris, et mirabiliter artificiosis operibus. Nam innumerabilia quæ appellantur μηχανήματα, his elementis arte ... ctatis modificantur. Sed in hæc Angelis longe amplior est potestas, et bonis, et malis, quamvis utique major bonis; sed quantum Dei nutu atque ordine jubetur aut sinitur, sicut et nobis. Neque enim in his omnia quæ volumus possumus. In libro autem fidelissimo legimus diabolum potuisse etiam de cœlo ignem immittere, ad sancti viri tantum pecorum numerum mirabili et horrendo impetu consumendum; quod diabolo tribuere nemo fidelium fortassis auderet, nisi sanctæ Scripturæ auctoritate legeretur. Sed ille vir, Dei dono justus, et fortis, et pie peritus, non ait, Dominus dedit, diabolus abstulit; sed, *Dominus dedit, Dominus abstulit* (*Job* I, 16, 21); optime sciens diabolum etiam quod facere de istis elementis poterat, non tamen servo Dei, nisi ejus Domino volente ac permittente fuisse facturum; malitiam diaboli confundebat[1], quoniam quis illa in se probando uteretur, sciebat. In filiis vero diffidentiæ tanquam in suis mancipiis operatur (*Ephes.* II, 2), quemadmodum homines in pecoribus suis; et illic tamen quantum Dei justo judicio sinitur. Sed aliud est quando potestas ejus etiam a suis, sicut ei placet, tractandis majore potestate prohibetur; aliud quando ei potestas etiam in eos qui ab illo alieni sunt datur. Sicut homo de pecore suo, pro humano captu, facit quod vult; nec sane facit, si prohibeatur a potestate majore: de alieno autem pecore ut faciat, exspectat sibi potestatem dari ab illo cujus est. Ibi ergo potestas quæ fuerat, prohibetur; hic autem quæ non fuerat, tribuitur.

29. Quæ cum ita sint, si per angelos malos Deus illas plagas inflixit Ægyptiis, numquid audebimus dicere, et aquam in sanguinem per eosdem angelos versam, et ranas per eosdem angelos factas, quorum similia etiam magi Pharaonis veneficiis suis facere potuerunt; ut angeli mali ex utraque parte consisterent, hinc illos affligentes, inde fallentes, secundum judicium et dispensationem[2] justissimi et omnipotentissimi Dei, juste utentis etiam iniquorum malitia? Non audeo dicere. Unde enim sciniphes facere magi Pharaonis minime potuerunt (*Exod.* VII, 20, 22, *et* VIII, 6, 7, 17, 18)? an quia hoc permissi ipsi angeli mali non sunt[3]? An, quod verius dicendum est, occulta causa est, et vires nostræ inquisitionis excedit? Nam si propterea per malos angelos illa Deum fecisse putaverimus, quia pœnæ infligebantur, non beneficia præstabantur, tanquam nemini Deus pœnas irroget per Angelos bonos, sed per illos velut militiæ cœlestis carnifices; consequens erit ut etiam Sodomam per malos angelos eversam esse credamus, et malos angelos Abraham et Lot hospitio suscepisse videantur: quod absit ut contra Scripturas apertissimas sentiamus (*Gen.* XVIII *et* XIX). Claret igitur ista hominibus fieri per bonos et malos angelos posse: quid aut quando fieri oporteat, me latet; illum vero qui facit, non latet, et cui voluerit revelare. Verumtamen quantum nostræ intentioni Scriptura divina moderatur,

(a) Serm. de decem Plagis et Præceptis.

[1] Sic aliquot Mss. Alii, *malitiam diaboli contemnebat*: et quidam, *confidenter contemnebat*. At Edd. ferebant sic: *fuisse factam malitiam diaboli confidebat*.
[2] Plures Mss., *dispositionem*.
[3] Aliquot probæ notæ Mss., *possunt*.

malis pœnas irrogari et per bonos Angelos, sicut Sodomitis, et per malos angelos, sicut Ægyptiis, legimus : justos vero corporalibus pœnis per bonos Angelos tentari et probari, non mihi occurrit.

30. Quod vero pertinet ad præsentem psalmi hujus locum : si ea quæ mirabiliter de creaturis facta sunt, malis angelis tribuere non audemus, habemus quod eis tribuere sine dubitatione possumus; mortes pecorum, mortes primitivorum, et illud maxime unde religata sunt omnia, obdurationem cordis illorum, ut populum Dei nollent dimittere. Hanc enim iniquissimam et malignissimam obstinationem Deus cum facere dicitur (*Exod.* IV, 21), non instigando et inspirando, sed deserendo facit, ut illi operentur in filiis diffidentiæ (*Ephes.* II, 2), quod Deus debite justeque permittit. Nam et illud quod Isaias propheta dicit, *Domine, ecce tu iratus es, et nos peccavimus; propterea erravimus, et facti sumus sicut immundi omnes* (*Isai.* LXIV, 5, 6), ea ratione intelligitur : præcessit enim aliquid, unde Deus justissime iratus ab eis suum lumen auferret, ut in peccata quæ nulla tergiversatione defendi possunt non esse peccata, cæcitas humanæ mentis offenderet, ab itinere justitiæ deviando et errando. Et quod in alio psalmo scriptum est de his ipsis Ægyptiis, quod Deus converterit cor eorum ut odissent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus (*Psal.* CIV, 25), bene creditur Deus fecisse per illos angelos malos; ut jam [1] vitiosæ mentes filiorum infidelitatis per eos angelos, quibus eadem amica sunt vitia, excitarentur in odium populi Dei, atque ad terrendos et corrigendos bonos illa mirabilia sequerentur. Illa etiam mala morum, quæ his corporalibus plagis significata esse diximus, propter quod prædictum est, *Aperiam in parabolis os meum*, per malos angelos exerceri in eos qui illis divina æquitate subduntur, convenientissime creditur. Neque enim cum fit quod ait Apostolus, *Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* I, 24), non illic mali angeli tanquam in materia sui operis versantur et gaudent; quibus justissime subdita est vitiositas humana, præter eos quos liberat gratia. Et ad hæc quis idoneus (II *Cor.* II, 16)? unde, cum dixisset, *Misit in eos iram indignationis suæ; indignationem, et iram, et tribulationem, immissionem per angelos malos*, illud quod addidit, *Viam fecit semitæ iræ suæ?* cujus tandem acies sufficit penetrare, ut intelligat capiatque sententiam in tanta profunditate latitantem? Erat enim semita iræ Dei, qua Ægyptiorum impietatem occulta æquitate puniret; sed eidem semitæ viam fecit, ut eos tanquam ex abditis per malos angelos in manifesta scelera producens [2], in evidentissimos impios evidentissime vindicaret. Ab hac potestate malorum angelorum non liberat hominem nisi gratia Dei, de qua dicit Apostolus, *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii charitatis* [3] *suæ* (*Coloss.* I, 13) : cujus rei populus iste figuram gerebat, cum esset erutus de potestate Ægyptiorum, et translatus in regnum terræ promissionis fluentis lac et mel, quod suavitatem significat gratiæ.

31. [*vers.* 52, 53.] Sequitur ergo post commemorationem plagarum Ægyptiorum Psalmus, et dicit : *Et abstulit sicut oves populum suum, et perduxit eos tanquam gregem in deserto. Et deduxit eos in spe, et non timuerunt, et inimicos eorum operuit mare.* Tanto fit hoc melius, quanto interius, ubi eruti de potestate tenebrarum in regnum Dei mente transferimur, et secundum pascua spiritualia efficimur oves Dei, ambulantes in hoc sæculo velut in deserto, quoniam nemini est fides nostra conspicua; unde dicit Apostolus : *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III, 3). Deducimur autem in spe, quoniam *spe salvi facti sumus : nec timere debemus; si enim Deus pro nobis, quis contra nos* (*Rom.* VIII, 24, 31)? Et inimicos nostros operuit mare; abolevit in Baptismo remissione peccatorum [1].

32. [*vers.* 54.] Deinde sequitur : *Et induxit eos in montem sanctificationis suæ.* Quanto melius in sanctam Ecclesiam? *Montem quem acquisivit dextera ejus.* Quanto est Ecclesia sublimior quam acquisivit Christus, de quo dictum est : *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isai.* LIII, 1)? *Et ejecit a facie eorum Gentes :* et a facie fidelium suorum; nam quodammodo Gentes sunt, gentilium errorum maligni spiritus. *Et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.* Et in nobis *omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult* (I *Cor.* XII, 11).

33. [*vers.* 55-58.] *Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.* In tabernaculis, inquit, Gentium habitare fecit tribus Israel. Quod spiritualiter sic melius disserendum puto, ut ad cœlestem gloriam, unde peccantes angeli ejecti atque dejecti sunt, per Christi gratiam subvehamur. Illa enim *generatio prava et amaricans,* quoniam istis beneficiis corporalibus non ponebat tunicam vetustatis, *tentaverunt* adhuc *et exacerbaverunt Deum excelsum, et testimonia ejus non custodierunt : et averterunt se, et non servaverunt pactum, quemadmodum patres eorum :* pacto enim quodam et placito dixerunt, *Omnia quæ locutus est Dominus Deus noster, faciemus et audiemus* (*Exod.* XIX, 8). Notandum sane quod ait, *quemadmodum patres eorum :* cum per totum Psalmi textum tanquam de hominibus eisdem loqui videretur, apparet tamen nunc de illis dici qui jam erant in terra promissionis, et patres eorum dictos qui in eremo amaricaverunt.

34. *Conversi sunt,* inquit, *in arcum pravum :* vel, sicut alii codices habent, *in arcum perversum.* Quid autem hoc sit, in eo quod sequitur magis apparet, ubi ait : *Et in iram concitaverunt eum in collibus suis.* In idololatriam eos prosiluisse significat. Arcus ergo perversus est, non pro nomine Domini, sed contra nomen Domini, qui dixit eidem populo : *Non erunt tibi dii alii præter me* (*Id.* XX, 3). Per arcum autem significat animi intentionem. Hoc ipsum denique pla-

[1] Sic Mss. At Edd., *etiam.*
[2] Edd., *perducens.* At Mss., *producens.*
[3] Sic meliores Mss. Alii cum Edd., *claritatis suæ.*

[1] Plerique Mss., *remissio.* Regius, *remissione peccata.*

unius exprimens, *Et in sculptilibus suis*, inquit, *ad æmulationem eum provocaverunt*.

35. [*vers*. 59, 60.] *Audivit Deus, et sprevit* : id est, advertit, et vindicavit. *Et ad nihilum redegit nimis Israel*. Deo quippe spernente quid remanserunt, qui Deo adjuvante fuerunt quod fuerunt? Nimirum autem rem illam gestam commemorat, quando victi sunt ab Allophylis tempore Heli sacerdotis, et Arca Domini capta est, et magna strage vastati sunt (I *Reg*. IV, 10, 11). Hoc est quod dicit, *Et repulit tabernaculum Selom, tabernaculum suum ubi habitavit in hominibus*. Eleganter exposuit quare repulerit tabernaculum suum, cum ait, *ubi habitavit in hominibus*. Cum ergo digni non essent in quibus habitaret, cur non repelleret tabernaculum, quod utique non propter se instituerat, sed propter ipsos, quos jam judicabat indignos in quibus habitaret?

36. [*vers*. 61.] *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici*. Ipsam Arcam unde sibi videbantur invicti, et unde sibi plaudebant [1], virtutem et pulchritudinem eorum dicit. Denique et postea male viventes, et de templo Domini gloriantes, terret per prophetam, dicens : *Videte quid feci Selom, ubi erat tabernaculum meum* (*Jerem*. VII, 12).

37. [*vers*. 62, 63.] *Et conclusit in gladio populum suum, et hæreditatem suam sprevit. Juvenes eorum comedit ignis* : id est, ira. *Et virgines eorum non sunt lamentatæ* : quia neque hoc vacabat in hostili metu.

38. [*vers*. 64.] *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, et viduæ eorum non plorabantur*. Ceciderunt enim in gladio filii Heli, quorum unius uxor viduata, et mox in partu mortua, propter eamdem perturbationem plangi non potuit honore funeris (I *Reg*. IV, 19, 20).

39. [*vers*. 65.] *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus*. Videtur enim dormire, quando populum suum dat in manus eorum quos odit, ubi eis dicatur : *Ubi est Deus tuus* (*Psal*. XLI, 11)? *Excitatus* ergo *est tanquam dormiens, tanquam potens crapulatus a vino*. Nullus hoc de Deo dicere auderet, nisi Spiritus ejus. Dixit enim, sicut videtur impiis insultantibus, quod velut ebrius diu dormiat, quando non tam cito quam putant [2] homines, subvenit.

40. [*vers*. 66.] *Et percussit inimicos suos in posteriora* : illos utique qui gaudebant quod Arcam ejus captivare potuerunt; percussi enim sunt in sedibus suis (I *Reg*. V, 6). Quod ejus pœnæ signum mihi videtur, qua quisque cruciabitur, si in posteriora respexerit; quæ, sicut Apostolus, æstimare debet ut stercora (*Philipp*. III, 8). Qui enim sic suscipiunt testamentum Dei, ut vetere vanitate non se exuant, similes sunt hostilibus populis qui Arcam testamenti captivatam juxta sua idola posuerunt. Et illa quidem vetera etiam illis nolentibus cadunt, quia *omnis caro fenum, et claritas hominis ut flos feni. Fenum aruit, et flos decidit : Arca autem Domini manet in æternum* (*Isai*. XL, 6, 7); secretum scilicet testamenti regnum cœlorum, ubi est æternum *Verbum* Dei. Sed illi qui posteriora dilexerunt, ex ipsis justissime cruciabuntur : *Opprobrium* enim *sempiternum dedit illis*.

41. [*vers*. 67, 68.] *Et repulit*, inquit, *tabernaculum Joseph, et tribum Ephræm non elegit. Et elegit tribum Juda*. Non dixit, Repulit tabernaculum Ruben, qui fuit primogenitus Jacob; nec eos qui sequuntur, et Judam nascendo præcedunt, ut illis repulsis et non electis, tribus Juda eligeretur. Poterat enim dici merito illos repulsos, quia et in benedictione Jacob, qua suos filios benedixit, peccata eorum commemorata graviter detestatur (*Gen*. XLIX, 1-7); quamvis in eis tribus Levi sacerdotalis tribus esse meruerit, unde etiam Moyses fuit (*Exod*. II, 1). Nec dixit, Repulit tabernaculum Benjamin; vel, Tribum Benjamin non elegit, ex qua rex esse jam cœperat; nam inde fuerat electus Saül (I *Reg*. IX, 1, 2) : unde ex ipsa vicinitate temporis, quando ille repulsus est atque reprobatus, et David electus (*Ibid*. XVI, 1, 13), convenienter posset hoc dici; nec tamen dictum est : sed eos potissimum nominavit, qui clarioribus meritis videbantur excellere. Nam Joseph pavit in Ægypto patrem et fratres suos, et impie venditus, merito pietatis, castitatis, sapientiæ, justissime sublimatus est (*Gen*. XLI, 40); et Ephræm majori fratri avi sui Jacob benedictione prælatus est (*Id*. XLVIII, 19) : et tamen Deus *repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephræm non elegit*. Ubi per hæc præclari meriti nomina, quid aliud quam universum populum illum vetusta cupiditate a Domino terrena præmia requirentem, repulsum et reprobatum intelligimus; electam autem tribum Juda, non pro meritis ipsius Judæ? Longe quippe majora sunt merita Joseph; sed per tribum Juda, quoniam inde exstitit Christus secundum carnem, novum populum Christi illi populo veteri prælatum Scriptura testatur, aperiente Domino in parabolis os suum. Jam inde etiam quod sequitur, *Montem Sion quem dilexit*, Ecclesiam Christi melius intelligimus, non propter præsentis temporis beneficia carnalia Deum colentem, sed futura et æterna præmia oculis fidei longe speculantem : nam et Sion Speculatio interpretatur.

42. [*vers*. 69.] Denique sequitur, *Et ædificavit sicut unicornuorum sanctificationem suam* : vel, sicut quidam interpretes verbum novum fecerunt, *sanctificium suum*. Unicornui recte intelliguntur, quorum firma spes in unum illud erigitur, de quo alius dicit psalmus, *Unam petivi a Domino; hanc requiram* (*Psal*. XXVI, 4). Sanctificium vero Dei est, secundum apostolum Petrum, intellecta *plebs sancta, et regale sacerdotium* (I *Petr*. II, 9). Quod vero sequitur, *In terra quam fundavit in æternum* : quod habent græci codices, εἰς τὸν αἰῶνα, utrum in *æternum*, an *in sæculum* dicatur a nobis, in latinorum interpretum potestate est, quoniam utrumque significat; et ideo hoc in latinis codicibus, illud in aliis invenitur. Habent aliqui etiam pluraliter, id est, *in sæcula*; quod in

[1] Plerique Mss., *placebant*.
[2] Duo Mss., *petunt*.

græcis quos habuimus, non invenimus. Quis vero fidelium dubitet Ecclesiam, etiamsi aliis abeuntibus, aliis venientibus, ex hac vita mortaliter transit, tamen in æternum esse fundatam?

43. [*vers.* 70, 71.] *Et elegit David servum suum.* Tribum ergo Juda propter David; David autem propter Christum: tribum igitur Juda propter Christum, quo transeunte clamaverunt cæci, *Miserere nobis, fili David;* et continuo misericordia ejus lumen receperunt (*Matth.* xx, 30, 34), quia verum erat quod clamaverunt. Hoc ideo non transeunter dicit, sed attente commendat Apostolus, scribens ad Timotheum: *Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum, in quo laboro usque ad vincula, tanquam malefaciens; sed sermo Dei non est alligatus* (II *Tim.* II, 8, 9). Ipse itaque Salvator secundum carnem factus ex semine David, figuratur in hoc loco nomine David, aperiente Domino in parabolis os suum. Nec moveat quod cum dixisset, *Et elegit David,* quo nomine Christum significavit, addidit, *servum suum;* non, filium suum: imo vero hinc agnoscamus, non Patri coæternam Unigeniti substantiam, sed formam servi susceptam ex semine David.

44. *Et sustulit eum de gregibus ovium; de post fetantes accepit eum, pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam.* Ille quidem David, ex cujus semine caro Christi est, ab officio pastorali pecorum ad hominum regnum translatus est: noster autem David, ipse Jesus, ab hominibus ad homines, a Judæis ad Gentes; tamen secundum parabolam ab ovibus ad oves ablatus atque translatus est. Non sunt enim modo in terra illa Ecclesiæ Judææ in Christo, quæ fuerunt circumcisorum recenti passione et resurrectione Domini nostri; de quibus dicit Apostolus: *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ quæ sunt in Christo: tantum autem audiebant quia is qui aliquando nos persequebatur, nunc evangelizat fidem quam aliquando vastabat; et in me magnificabant Dominum* (*Gal.* I, 22-24). Jam hinc illæ Ecclesiæ transierunt populorum circumcisorum; ac per hoc in Judæa quæ modo in terra est, non est modo Christus: ablatus est inde; nunc Gentium greges pascit. Sane *de post fetantes* inde acceptus est. Illæ quippe priores fuerunt tales, de qualibus dicitur in Cantico canticorum uni Ecclesiæ quæ constat ex multis, id est uni gregi cujus membra sunt multi greges; de talibus ergo dicitur: *Dentes tui,* id est, per quos loqueris, vel per quos in corpus tuum, velut manducando, cæteros trajicis; hoc itaque significantes *dentes tui, sicut grex detonsarum ascendens de lavacro, quæ omnes geminos creant, et sterilis non est in eis* (*Cant.* IV, 2). Deposuerunt enim tunc velut vellera onera sæculi, quando ante pedes Apostolorum venditarum rerum suarum pretia posuerunt (*Act.* II, 45, *et* IV, 34), ascendentes de lavacro illo, de quo eos admonet apostolus Petrus, sollicitos quod Christi sanguinem fuderint, et dicit: *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi, et dimittentur vobis peccata vestra* (*Act.* II, 38). Geminos autem creaverunt, opera scilicet duorum præceptorum geminæ charitatis, dilectionis Dei, et dilectionis proximi: unde sterilis non erat in eis. De post has oves fetantes David noster acceptus, nunc alios greges pascit in Gentibus, et ipsos Jacob et Israel: sic enim dictum est, *Pascere Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam.* Non enim, quia ex Gentibus sunt istæ oves, ideo ab illo semine alienatæ sunt, quod est Jacob et Israel. Semen est enim Abrahæ, semen promissionis, de quo ei Dominus dixit: *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Gen.* XXI, 12). Quod exponens Apostolus: *Non,* inquit *filii carnis, sed filii promissionis deputantur in semine* (*Rom.* IX, 8). Ex gentibus enim erant fideles quibus dicebat, *Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundum repromissionem hæredes* (*Gal.* III, 29)? Quod vero ait, *Jacob servum suum, et Israel hæreditatem suam,* more suo Scriptura repetivit eamdem sententiam. Nisi forte quispiam sic distinguere velit, ut hoc tempore Jacob serviat; tunc autem sit æterna hæreditas Dei quando videbit Deum facie ad faciem, unde Israel nomen accepit (*Gen.* XXXII, 28).

45. [*vers.* 72.] *Et pavit eos,* inquit, *in innocentia cordis sui.* Quid illo innocentius, qui ullum peccatum, non solum a quo vinceretur, sed etiam quod vinceret non habebat? *Et in intellectu manuum suarum deduxit eos:* vel, sicut aliqui codices habent, *in intellectibus manuum suarum.* Alius putaret ita congruentius potuisse dici, In innocentia manuum et intellectu cordis: hic autem qui magis quam alii quid loqueretur sciebat, cordi maluit adjungere innocentiam, et manibus intelligentiam. Illud propterea, quantum existimo, quia multi sibi videntur innocentes, qui non faciunt mala, cum timent ne patiantur si fecerint; vellent autem facere, si impune potuissent. Tales videri possunt habere innocentiam manuum, non tamen cordis. Et quæ tandem aut qualis est ista innocentia, si cordis non est, ubi homo factus est ad imaginem Dei? Quod vero ait, *In intellectu,* vel *intelligentia manuum suarum deduxit eos,* videtur mihi eam dixisse intelligentiam quam ipse facit in credentibus; ideo *manuum suarum:* facere quippe ad manus pertinet: sed sicut [1] possunt intelligi manus Dei, quia et Christus sic homo, ut etiam Deus. Hoc certe ille David, de cujus est iste semine, facere non poterat in populo cui sicut homo regnabat; sed ille hoc facit, cui recte anima fidelis dicere potest: *Intelligere me facito, et perscrutabor legem tuam* (*Psal.* CXVIII, 34). Proinde, ne ab illo erremus, dum de nostra, velut ex nobis sit, intelligentia fidimus, ejus manibus nos credendo subdamus. Ipse in nobis eam faciat, ut in intelligentia manuum suarum nos deducat erutos ab errore, eoque perducat ubi jam non possimus errare. Hic est fructus populi Dei, attendentis legem Dei, et inclinantis aurem suam in verba oris ejus, ut dirigat in eo cor suum [2], et sit cum illo creditus

[1] Ita Mss. At Edd., *sed si sic possunt.*

[2] Edd., *cor sursum.* Melius Mss., *cor suum:* quod ex hujus Psalmi ỷ. 8 acceptum est.

spiritus ejus, ne immutetur in [1] generationem pravam et amaricantem; sed his omnibus sibi annuntiatis, non solum ad præsentem vitam, verum etiam ad æternam, nec tantum ad recipienda bonorum operum præmia, sed etiam in ipsa bona opera facienda, ponat in Deo spem suam.

IN PSALMUM LXXVIII

ENARRATIO (a).

1. [*vers.* 1.] In titulo psalmi hujus tam brevi et simplici immorandum esse non puto. Prophetiam vero quam hic præmissam legimus, evidenter scimus impletam. Cum enim ista canerentur temporibus regis David, nihil tale adhuc contigerat ex adversitate Gentium civitati Jerusalem, nec templo Dei, quod nec ædificatum adhuc erat. Post mortem quippe David, filium ejus Salomonem Deo templum fecisse quis nesciat? Dicitur ergo tanquam præteritum, quod in spiritu videbatur esse futurum: *Deus, venerunt Gentes in hæreditatem tuam.* Qua loquendi consuetudine etiam illud est prophetatum de Domini passione, *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII, 22); et alia quæ in eodem psalmo ventura velut facta narrantur. Nec illud mirandum est, quod Deo ista dicuntur. Non enim nescienti indicantur, quo revelante præsciuntur; sed anima cum Deo loquitur pietatis affectu quem novit Deus [2]. Nam et Angeli quæ hominibus nuntiant, nescientibus nuntiant; quæ autem Deo nuntiant, scienti nuntiant, quando illi offerunt orationes nostras, et ineffabili modo de actibus suis æternam veritatem, tanquam legem incommutabilem consulunt. Et iste ergo homo Dei dicit Deo quod discat a Deo, tanquam discipulus magistro non ignoranti, sed judicanti; ac sic, aut probanti quod docuit, aut quod non docuit reprehendenti: maxime quia specie precantis [3] Propheta eos in se transfigurat, qui tunc futuri essent quando ista ventura. Solent autem in oratione dici Deo quæ vindicans fecerit, et adjungi petitio ut jam misereatur et parcat. Hoc modo et hic dicuntur a quo prædicuntur, tanquam ab eis dicantur quibus acciderunt; et ipsa deploratio atque precatio, prophetatio est.

2. « Deus, venerunt Gentes in hæreditatem tuam; polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum sicut aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret. » Si in ista prophetia quisquam nostrum eam vastationem Jerusalem intelligendam putaverit, quæ facta est a Tito imperatore Romano, cum jam Dominus Jesus Christus post resurrectionem et ascensionem suam prædicaretur in Gentibus; non mihi occurrit quomodo dici potuerit jam ille populus hæreditas Dei, non tenens Christum, quo reprobato et occiso factus est reprobus, qui in eum nec post ejus resurrectionem credere voluit, et insuper martyres ejus occidit. Ex illo enim populo Israel quicumque in Christum crediderunt, quibus facta est Christi præsentatio, et quodammodo promissi redditio salubris atque fructuosa, de quibus et ipse Dominus dicit, *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24), ipsi ex illis *sunt filii promissionis*, ipsi *deputantur in semine* (*Rom.* IX, 8), ipsi pertinent ad hæreditatem Dei. Hinc sunt Joseph, homo justus, et virgo Maria quæ peperit Christum (*Matth.* I, 16): hinc Joannes Baptista, amicus sponsi, et parentes ejus Zacharias et Elizabeth (*Luc.* I, 5): hinc Simeon senex et Anna vidua, qui Christum non loquentem sensu corporis audierunt; sed adhuc infantem non loquentem, spiritu cognoverunt (*Id.* II, 25, 36): hinc beati Apostoli: hinc Nathanael in quo dolus non erat (*Joan.* I, 47): hinc alius Joseph qui exspectabat etiam ipse regnum Dei (*Id.* XIX, 38, *et Luc.* XXIII, 51): hinc tanta illa multitudo quæ præcedebat et sequebatur jumentum ejus, dicens, *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXI, 9); in qua erat et congregatio puerorum in quibus dixit impletum, *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Psal.* VIII, 3). Hinc etiam illi post ejus resurrectionem, quorum die uno tria, et alio quinque millia baptizati sunt (*Act.* II, 41, *et* IV, 4), in animam unam et cor unum charitatis igne conflati; quorum nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia (*Id.* IV, 32): hinc sancti diaconi, quorum Stephanus ante Apostolos martyrio est coronatus (*Id.* VII, 58): hinc tot Ecclesiæ Judææ quæ in Christo erant, quibus erat facie Paulus ignotus (*Gal.* I, 22), notus autem sævitia famosissima, sed notior Christi misericordissima gratia: hinc et ipse secundum præmissam de se prophetiam, *Lupus rapax, mane rapiens, et ad vesperum dividens escas* (*Gen.* XLIX, 27), id est, prius rapiens persecutor ad mortem, postea pascens prædicator ad vitam. Hi erant ex illo populo hæreditas Dei. Unde et ait ipse minimus Apostolorum (I *Cor.* XV, 9), doctor Gentium: « Dico ergo, Numquid repulit Deus plebem suam? Absit. Nam et ego Israelita sum ex semine Israel, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam quam præscivit. » Hæc plebs quæ ex illa gente Christi corpori accessit, hæreditas Dei est. Nam quod ait Apostolus, *Non repulit Deus plebem suam quam præscivit*, illi psalmo utique respondet, ubi scriptum est, *Quoniam non repellet Dominus plebem suam:* ibi autem sequitur, *Et hæreditatem suam non derelinquet* (*Psal.* XCIII, 14); ubi evidenter apparet, talem plebem esse hæreditatem Dei. Ut enim hoc diceret Apostolus, supra commemoraverat propheticum testimonium de prænuntiata futura incredulitate populi Israel: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem* (*Rom.* X, 21, *et Isai.* LXV, 2). Hic ergo ne quisquam male intelligens, universum illum populum crimine incredulitatis et contradictionis arbi-

[1] Tres Mss., *ne imitetur generationem*, etc.
[2] Plures Mss., *quæ enim non videt Deus?*
[3] Sic aliquot Mss. At Edd., *specie præsenti.*
(a) Dicta post expositum Psalm. LXXVII, de quo infra, n. 3.

titetur esse damnatum, continuo subjecit: *Dico ergo, Numquid repulit Deus plebem suam? Absit. Nam et ego Israelita sum ex genere Israel, de tribu Benjamin.* Hic ostendit quam plebem dixerit, utique populi prioris, quam si totam Deus reprobasset atque damnasset, non utique ipse Christi esset apostolus, Israelita ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Adhibet autem valde necessarium testimonium, dicens: « An nescitis in Elia quid dicit Scriptura, quemadmodum interpellat Deum adversus Israel? Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, et ego derelictus sum solus, et quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum divinum? Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic ergo et in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. » Istæ reliquiæ sunt ex illa gente hæreditatis Dei; non illi de quibus paulo post dicit: « Cæteri vero excæcati sunt. » Sic enim ait: « Quid ergo? Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus: electio autem consecuta est; cæteri vero excæcati sunt » (*Rom.* XI, 1-7). Ista igitur electio, istæ reliquiæ, ista plebs Dei quam non repulit Deus, hæreditas ejus dicitur. In illo autem Israel qui hoc non est consecutus, in illis cæteris excæcatis, non erat jam hæreditas Dei de qua dici posset, post Christi in cœlis glorificationem, tempore Titi imperatoris, *Deus, venerunt Gentes in hæreditatem tuam*, et cætera quæ de illius populi et templi et civitatis vastatione videntur in hoc psalmo esse prædicta.

3. Proinde aut ea debemus intelligere quæ facta sunt ab aliis hostibus, antequam Christus venisset in carne (non enim erat alia tunc hæreditas Dei, ubi et Prophetæ sancti erant, quando facta est transmigratio in Babyloniam, graviterque gens illa vastata est [IV *Reg.* XXIV, 14]; et sub Antiocho etiam Machabæi horrenda perpessi, gloriosissime coronati sunt [II *Machab.* VII]. Ea quippe dicta sunt in hoc psalmo, quæ solent fieri etiam strage bellorum); aut certe si post resurrectionem et ascensionem Domini accipienda est hic commemorata hæreditas Dei; ea sunt intelligenda quæ a cultoribus idolorum et inimicis nominis Christi, Ecclesia ejus in tanta martyrum numerositate perpessa est. Quanquam enim Asaph Synagoga interpretetur, quæ est congregatio, idque nomen usitatius insederit genti Judæorum; tamen et Ecclesiam istam posse dici congregationem, et illum veterem populum dictum esse Ecclesiam, jam in alio psalmo satis aperteque monstravimus (*a*). Hæc igitur Ecclesia, hæc hæreditas Dei ex circumcisione et præputio congregata est, id est ex populo Israel et ex cæteris Gentibus, per *lapidem quem reprobaverunt ædificantes*, et *factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII, 22); in quo angulo tanquam duo parietes de diverso venientes copularentur. *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, ut duos conderet in se in unum novum hominem, faciens pacem, et coadunaret*[1] *utrosque in uno corpore Deo* (*Ephes.* II, 14-16); in quo corpore sumus filii Dei, clamantes, *Abba, Pater* (*Rom.* VIII, 15, et *Gal.* IV, 6): *Abba* propter illorum linguam, *Pater* propter nostram; hoc est enim *Abba*, quod *Pater*. Unde Dominus qui dixit, *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24), ostendens illi genti redditam præsentiæ ipsius promissionem; ait tamen alio loco, *Habeo alias oves quæ non sunt de hoc ovili; oportet me et ipsas adducere, ut sit unus grex et unus pastor* (*Joan.* X, 16): Gentes significans, quas erat adducturus, non quidem per suam præsentiam corporalem[1], ut illud verum sit, « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel; » sed tamen per Evangelium suum, quod erant disseminaturi « speciosi pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bona » (*Rom.* X, 15): « In omnem » enim « terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum » (*Psal.* XVIII, 5). Hinc et Apostolus ait, « Dico ergo Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum: » ecce quod est, « non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. » Deinde subjungit Apostolus, « Gentes autem super misericordia glorificare Deum: » ecce quod est, « Habeo alias oves quæ non sunt de hoc ovili; oportet me et ipsas adducere, ut sit unus grex et unus pastor. » Quod utrumque breviter dictum est in eo quod de propheta idem apostolus commemorat: *Lætamini, Gentes, cum plebe ejus* (*Rom.* XV, 8-10). Iste ergo unus grex sub pastore uno, hæreditas Dei est, non solum Patris, sed etiam Filii. Nam Filii vox est, *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi* (*Psal.* CXV, 6): et ipsius hæreditatis vox est apud prophetam, *Domine Deus noster, posside nos* (*Isai.* XXVI, 13, *sec.* LXX). Hanc hæreditatem non moriens Pater Filio reliquit; sed ipse Filius eam sua morte mirabiliter acquisivit, quam resurrectione possedit.

4. Si ergo de hac intelligendum est quod in psalmi hujus prophetia canitur, *Deus, venerunt Gentes in hæreditatem tuam*, ut venisse Gentes accipiamus in Ecclesiam, non credendo, sed persequendo, id est, eam invasisse voluntate delendi atque omnino perdendi, sicut tot persecutionum exempla monstrarunt; oportet ut quod sequitur, *Polluerunt templum sanctum tuum*, non in lignis et lapidibus, sed in ipsis intelligatur hominibus, de quibus, tanquam lapidibus vivis, construi dicit apostolus Petrus domum Dei (I *Petr.* II, 5). Unde et apostolus Paulus apertissime dicit, *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (I *Cor.* III, 17). Hoc itaque templum persecutores in his utique polluerunt, quos ad negandum Christum, terrendo vel cruciando cogerunt, atque ut idolis supplicarent, vehementer instando fecerunt: quorum multos pœnitentia reparavit, atque ab illa inquinatione mundavit. Pœnitentis enim vox est: « Et a delicto meo munda me; » et, « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis » (*Psal.*

[1] Mss., *commutaret*.

(*a*) Supra, in Enarr. Psal. LXXVII, n. 3.

[1] Aliquot Mss., *per se præsentia corporali*.

L. 4, 12). Jam vero quod sequitur, « Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam : » et ipsa Ecclesia hoc nomine recte intelligitur, « Jerusalem libera, mater nostra, de qua scriptum est, Lætare sterilis quæ non paris, erumpe et exclama, quæ non parturis; quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum » (*Gal.* IV, 26, *et Isai.* LIV, 1). « In custodiam pomorum, » quod dictum est, desertionem intelligendam existimo quam fecit vastitas persecutionis : id est, velut custodiam pomorum; quia deseruntur pomorum custodiæ, cum poma transierint. Et certe quando Gentilibus persequentibus Ecclesia deserta visa est, in cœlestem mensam spiritus martyrum, tanquam de horto dominico multa[1] et suavissima poma, transierunt.

5. [*vers.* 2.] *Posuerunt*, inquit, *morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ*. Quod dictum est, *morticina*, hoc repetitum est, *carnes*; et quod dictum est, *servorum tuorum*, hoc repetitum est, *sanctorum tuorum*: illud tantummodo variatum est, *volatilibus cœli*, et *bestiis terræ*. Melius sane interpretati sunt qui *morticina* posuerunt, quam sicut quidam *mortalia*. Morticina enim non dicuntur nisi mortuorum; mortalia vero etiam vivorum corporum nomen est. Cum ergo, sicut dixi, ad agricolam suum spiritus martyrum velut poma transissent, morticina eorum et carnes eorum posuerunt volatilibus cœli, et bestiis terræ : quasi quidquam eorum resurrectioni deperiret, ex occultis naturæ sinibus totum redintegraturo illo, cui et capilli nostri numerati sunt (*Matth.* x, 30).

6. [*vers.* 3.] *Effuderunt sanguinem eorum sicut aquam*, id est, abundanter et viliter : *in circuitu Jerusalem*. Si Jerusalem terrenam urbem hic accipimus, eorum sanguinem intelligimus effusum in circuitu ejus, quos hostes extra muros reperire potuerunt. Si autem Jerusalem illam intelligimus, de qua dictum est, *Multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum*, circuitus ejus est per universam terram : in ea quippe lectione prophetica, ubi scriptum est, *Multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum*, paulo post ei dicitur, *Et qui eruit te, Deus Israel universæ terræ vocabitur* (*Isai.* LIV, 1, 5). Circuitus ergo hujus Jerusalem in hoc psalmo intelligendus est quousque tunc fuerat eadem Ecclesia dilatata, fructificans et crescens in universo mundo, quando in omni parte ejus persecutio sæviebat, et martyrum stragem, quorum sanguis sicut aqua effundebatur, cum magnis lucris thesaurorum cœlestium faciebat. Quod vero adjunctum est, *Et non erat qui sepeliret :* aut non incredibile debet videri tam magnum in aliquibus locis fuisse terrorem, ut sepultores sanctorum corporum nulli prorsus existerent; aut certe quia insepulta cadavera in multis locis diu jacere potuerunt, donec a religiosis quodammodo furata sepelirentur.

7. [*vers.* 4.] *Facti sumus*, inquit, *opprobrium vicinis nostris*. Ideo pretiosa, non in conspectu hominum, a quibus hoc erat opprobrium, sed in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal.* CXV, 15). *Subsannatio et irrisio :* vel, ut quidam interpretati sunt, *illusio*, *eis qui in circuitu nostro sunt*. Repetitio est sententiæ superioris : nam quod supra dictum est, *opprobrium*, hoc repetitum est, *subsannatio et irrisio*; et quod supra dictum est, *vicinis nostris*, hoc repetitum est, *eis qui in circuitu nostro sunt*. Proinde secundum Jerusalem terrenam vicini, et in circuitu gentis ejus, utique aliæ gentes intelliguntur : secundum autem Jerusalem liberam matrem nostram, vicini sunt et in circuitu ejus, inter quos inimicos suos habitat Ecclesia in circuitu orbis terrarum.

8. [*vers.* 5.] Deinde jam manifestam precem fundens, unde intelligatur superioris afflictionis commemoratio non esse quasi indicatio, sed deploratio : *Usquequo*, inquit, *Domine, irasceris in finem, exardescet velut ignis zelus tuus?* Rogat utique ne Deus usque in finem irascatur, id est, ne illa tanta pressura, et tribulatio, atque vastatio usque in finem perseveret; sed temperet correptionem suam, secundum illud quod in alio psalmo dicitur : *Cibabis nos pane lacrymarum*, *et potabis nos in lacrymis in mensura* (*Psal.* LXXIX, 6). Nam, *quousque, Domine, irasceris in finem?* ita dictum est, ac si diceretur, Noli, Domine, irasci in finem. Et in eo quod sequitur, *Exardescet velut ignis zelus tuus*, utrumque subaudiendum est, et, *quousque*, et, *in finem*; ac si diceretur, Quousque exardescet velut ignis zelus tuus in finem? Nam ita hic duo ista subaudienda sunt, sicut superius unum illud quod dictum est, *posuerunt :* nam cum habeat prior sententia, *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli*, hoc verbum posterior non habet, ubi dictum est, *Carnes sanctorum tuorum bestiis terræ;* sed subauditur utique quod habet superior, *posuerunt*. Ira porro et zelus Dei, non sunt perturbationes Dei, sicut nonnulli Scripturas quas non intelligunt arguunt (a) : sed nomine iræ intelligitur vindicta iniquitatis; nomine zeli exactio castitatis, ne anima legem Domini sui contemnat, et a Deo suo fornicando dispereat. Hæc ergo ipso effectu[1] in hominum afflictione sunt turbulenta; in Dei autem dispositione tranquilla sunt, cui dictum est : *Tu autem, Domine virtutum, cum tranquillitate judicas* (*Sap.* XII, 18). Satis autem his ostenditur verbis, propter peccata hominibus, licet fidelibus, has fieri tribulationes; quamvis hinc florescat martyrum gloria merito patientiæ, et pie sustentato in flagello Domini[2] moderamine disciplinæ. Hoc Machabæi inter sæva tormenta (II *Mach.* VII), hoc tres viri inter innoxias flammas (*Dan.* III, 21), hoc Prophetæ sancti in captivitate testantur. Quamvis enim paternam correptionem fortissime et piissime perferant; non tamen tacent hæc accidere meritis peccatorum : horum enim vox est et in Psalmis, *Emendans emendavit me Dominus, et morti non tradidit me* (*Psal.* CXVII, 18). Flagellat enim omnem filium quem recipit : et quis est filius cui non det disciplinam

[1] Nonnulli probæ notæ Mss., *Domini cumulata*.

[1] Sic meliores Mss. At Edd., *affectu*.

[2] Plures probæ notæ Mss., *sustentato flagello Domini*, omissa particula, *in*.

(a) Manichæi.

pater ejus (*Hebr.* xii, 6, 7)?

9. [*vers.* 6.] Quod vero adjungit, *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, et in regna quæ non invocaverunt nomen tuum*, etiam ista prophetatio est, non optatio. Non malevolentiæ voto ista dicuntur, sed spiritu prævisa prædicuntur; sicut de Juda traditore, quæ mala illi fuerant pro suis meritis eventura, ita prophetata sunt, quasi optata sint. Quemadmodum enim Propheta non imperat Christo, quamvis modo imperativo pronuntiet quod dicit, *Accingere gladium tuum circa femur, potentissime; specie tua, et pulchritudine tua, et intende, et prospere procede, et regna* (*Psal* xliv, 4 *et* 5): ita non optat, sed prophetat qui dicit, *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt.* Quod more suo repetit, dicens, *Et in regna quæ non invocaverunt nomen tuum*: nam gentes per regna repetitæ sunt; et quod eum non noverunt, per hoc repetitum est, quod non invocaverunt nomen ejus. Quomodo ergo intelligendum est quod ait Dominus in Evangelio, *Servus qui nescit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit paucis; servus autem qui scit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit multis* (*Luc.* xii, 48, 47), si major ira Dei est in gentes quæ Dominum non cognoverunt? In eo quippe quod ait, *Effunde iram tuam*, satis hoc verbo indicavit quam multam iram voluerit intelligi: unde postea dicit, *Redde vicinis nostris septies tantum.* An quia multum interest inter servos, qui licet nesciant voluntatem Domini sui, tamen invocant nomen ejus, et alienos a familia tanti patrisfamilias, qui sic ignorant Deum, ut nec invocent Deum? Invocant enim pro eo vel simulacra, vel dæmonia, vel quamlibet creaturam; non Creatorem, qui est benedictus in sæcula. Neque enim istos, de quibus hoc prophetat, ita nescientes significat Domini sui voluntatem, ut tamen ipsum Dominum timeant; sed ita ipsum Dominum nescientes, ut nec invocent eum, et inimici nominis ejus existant. Multum ergo distat inter servos voluntatem domini sui nescientes, et tamen in familia ejus atque in domo viventes, et inimicos non solum ipsum dominum scire nolentes, sed et non ejus nomen invocantes, atque in servis [1] insuper oppugnantes.

10. [*vers.* 7.] Denique sequitur: *Quia comederunt Jacob, et locum ejus desolaverunt.* Jacob quippe figuram gestavit Ecclesiæ, sicut Esau veteris Synagogæ; unde dictum est: *Et major serviet minori* (*Gen.* xxv, 23). Potest in hoc nomine intelligi ea, de qua loquebamur, hæreditas Dei, in quam invadendam atque vastandam post resurrectionem et ascensionem Domini Gentes persequendo venerunt. Sed, *locum Jacob*, quomodo intueamur intelligendum est. Magis enim locus Jacob illa civitas putari potest, in qua erat et templum quo universam illam gentem, sacrificandi et adorandi causa et Pascha celebrandi, Dominus præceperat convenire. Nam si Christianorum conventus inhibitos [2] atque compressos a persecutoribus Propheta vellet intelligi, loca desolata videretur dicere debuisse, non locum. Sed possumus accipere pro numero plurali numerum singularem positum, sicut vestem pro vestibus, militem pro militibus, pecus pro pecoribus: multa enim hujusmodi moris est dici, nec solum vulgo loquentium, verum etiam disertissimorum auctorum eloquentiæ. Nec ab ipsa divina Scriptura hoc genus locutionis alienum est: posuit enim et ipsa ranam pro ranis, locustam pro locustis (*Psal.* lxxvii, 45), et innumerabilia talia. Quod vero dictum est, *Comederunt Jacob*, hoc bene intelligitur, quod multos in suum malignum corpus, hoc est in suam societatem, terrendo transire coegerunt.

11. [*vers.* 8.] Meminit sane, quamvis illis pro merito pessimæ voluntatis ex ira Dei digna reddenda sint, non tamen eos aliquid adversus hæreditatem ejus valere potuisse, nisi eam voluisset ipse pro peccatis ejus flagellando emendare. Unde subjungit: *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.* Non ait præteritarum, quæ possent esse etiam recentiores; sed *antiquarum*, hoc est a parentibus venientium: talibus quippe iniquitatibus damnatio, non correptio debetur. *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ.* Anticipent utique ad judicium tuum: *Superexaltat* enim *misericordia in judicio* [1]; *judicium* autem *sine misericordia*, sed *ei qui non fecit misericordiam* (*Jacobi* ii, 13). Quod autem adjungit, *Quia pauperes facti sumus nimis*, ad hoc vult intelligi anticipare nos misericordias Dei, ut nostra paupertas, id est infirmitas, eo miserante adjuvetur ad ejus præcepta facienda, ne ad judicium ejus damnandi veniamus.

12. [*vers.* 9.] Ideo sequitur: *Adjuva nos, Deus salutaris noster.* Hoc verbo quod ait, *Salutaris noster*, satis exponit quam voluerit paupertatem intelligi in eo quod dixerat, *Quoniam pauperes facti sumus nimis*: ipsa est quippe infirmitas, cui *Salutaris* est necessarius. Cum vero adjuvari nos vult, nec ingratus est gratiæ, nec tollit liberum arbitrium: qui enim adjuvatur, etiam per seipsum aliquid agit. Addidit etiam, *Propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos*, ut qui gloriatur, non in seipso, sed in Domino glorietur (I *Cor.* i, 31). *Et propitius esto*, inquit, *peccatis nostris propter nomen tuum*: non propter nos; nam quid aliud merentur peccata nostra, quam debita et digna supplicia? sed *propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.* Sic ergo nos liberas, id est, eruis a malis, cum et adjuvas nos ad faciendam justitiam, et propitius es peccatis nostris, sine quibus in hac vita non sumus: *Quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* cxlii, 2). *Peccatum* autem *iniquitas est* (I *Joan.* iii, 4); et *si iniquitates observaveris, quis sustinebit* (*Psal.* cxxix, 3)?

13. [*vers.* 10.] Quod autem adjungit, *Nequando dicant in Gentibus, Ubi est Deus eorum?* magis pro ipsis Gentibus est accipiendum. Male enim pereunt qui de Deo vero desperaverint, putantes eum vel non esse, vel suos non adjuvare, nec eis esse propitium. Illud vero quod sequitur, *Et innotescat in nationibus coram oculis nostris vindicta sanguinis servorum tuorum qui*

[1] Sic Mss. At Edd., *atque servos.*
[2] Lov., *inhabitatos.* At Er. et Mss., *inhibitos*, vel, *inhabitos.*

[1] Plures Mss., *misericordia judicium*; omisso, *in.*

effusus est, vel sic intelligitur, cum credunt in verum Deum, qui persequebantur ejus hæreditatem; quia et ipsa vindicta est, qua perimitur sæva iniquitas eorum gladio verbi Dei, de quo dictum est, *Accingere gladium tuum* (*Psal.* XLIV, 4); vel cum perseverantes inimici in fine puniuntur. Nam mala corporalia quæ in hoc sæculo patiuntur, communia possunt habere cum bonis. Est et aliud vindictæ genus, quo Ecclesiæ dilatationem et fecunditatem in hoc sæculo, post tantas persecutiones quibus eam omnino perituram putabant, peccator, et incredulus, et inimicus videt et irascitur, dentibus suis frendet et tabescet (*Psal.* CXI, 10): quis enim negare audeat hanc etiam esse gravissimam pœnam? Sed nescio utrum satis eleganter accipiatur quod ait, *ante oculos nostros*, si hoc pœnæ genus intelligamus quod in intimis cordis agitur, et torquet etiam illos qui nobis adulanter arrident, nec a nobis videri potest quid in homine interiore patiantur. Illud autem quod sive eis credentibus iniquitas eorum interimitur, sive in malignitate perseverantibus supplicium novissimum redditur, sine scrupulo quæstionis intelligitur dictum, *Innotescat ante oculos nostros vindicta in nationibus.*

14. Et hæc quidem, ut diximus, prophetatio est, non optatio: sed propter illud quod scriptum est in Apocalypsi, sub ara Dei martyres ad Deum clamare et dicere, *Quousque, Domine, non*[1] *vindicas sanguinem nostrum* (*Apoc.* VI, 9, 10)? non est prætereundum quemadmodum accipi oporteat; ne propter exsaturandum odium credantur sancti desiderare vindictam, quod ab eorum perfectione longe abest. Et tamen scriptum est, « Lætabitur justus, cum viderit vindictam impiorum; manus suas lavabit in sanguine peccatoris » (*Psal.* LVII, 11): et Apostolus ait, « Non vos ipsos vindicantes, charissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim, Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus » (*Rom.* XII, 19) Nec ipse itaque præcipit ut nolint vindicari, sed ut non se ipsi vindicantes dent *locum iræ* Dei qui dixit, *Mihi vindictam, et ego retribuam.* Et Dominus in Evangelio viduam proponit in similitudinem, quæ vindicari desiderans, judicem interpellabat injustum, qui eam tandem aliquando non justitia ductus, sed tædio victus audivit (*Luc.* XVIII, 3-5): hoc autem Dominus proposuit, ut ostenderet multo magis Deum justum cito facturum judicium electorum suorum, qui ad eum clamant die ac nocte. Inde est et ille sub ara Dei martyrum clamor, ut Dei judicio vindicentur. Ubi est ergo illud, « Diligite inimicos vestros, benefacite eis qui vos oderunt, et orate pro eis qui vos persequuntur » (*Matth.* V, 44)? ubi est et illud, « Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto » (I *Petr.* III, 9); et, « Nulli malum pro malo reddentes » (*Rom.* XII, 17)? Si enim malum pro malo non est cuiquam reddendum, non solum factum malum pro facto malo, sed nec votum malum reddendum est pro facto vel voto malo. Reddit autem votum malum, qui etiamsi non ipse vindicat, tamen ut ejus inimicum Deus puniat, exspectat atque optat. Quapropter cum et homo justus et homo malus de inimicis suis velint a Domino vindicari, unde discernentur, nisi quia justus et magis cupit inimicum suum corrigi quam puniri; et cum in eum videt a Domino vindicari, non ejus delectatur pœna, quia non eum odit, sed divina justitia, quia Deum diligit? Denique si in hoc sæculo in eum vindicatur, vel pro illo etiam lætatur, si corrigitur; vel certe pro aliis, ut eum timeant imitari. Ipse quoque fit melior, non supplicio illius odia sua pascendo, sed errata emendando. Ac per hoc de benevolentia, non de malitia est quod lætatur justus, cum videt vindictam, et manus suas lavat, id est, opera mundiora efficit in sanguine, hoc est in exitio peccatoris; sumens inde non mali alieni gaudium, sed divinæ admonitionis exemplum. Si autem in futuro sæculo, ultimo Dei judicio vindicatur, hoc ei placet quod Deo; ne bene sit malis, ne piorum præmiis etiam impii perfruantur: quod utique injustum est, et a regula veritatis, quam justus diligit, alienum. Cum enim nos ad diligendos inimicos Dominus hortaretur, exemplum proposuit Patris nostri qui in cœlis est, *qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V, 45); numquid tamen ideo vel temporalibus correptionibus non emendat, vel pertinaciter duros in fine non damnat? Sic ergo inimicus diligatur, ut non displiceat Domini justitia qua punitur; et sic placeat justitia qua punitur, ut non de malo ejus, sed de bono judice gaudeatur. Malevolus vero animus contristatur, si ejus inimicus correctus evaserit pœnam: et cum puniri eum videt, vindicari se ita gaudet, ut non justitia Dei quem non diligit, sed illius quem odit, miseria delectetur: et cum Deo dimittit judicium, ut plus noceat Deus quam ipse nocere posset exoptat: et cum dat cibum inimico esurienti, potumque sitienti, malitiose sapit quod scriptum est, *Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus.* Agit enim ut amplius aggravet, et ei excitet indignationem Dei, quam carbonibus ignis significari putat; non intelligens illum ignem esse pœnitentiæ urentem dolorem[1], quousque caput erectum superbiæ, beneficiis inimici ad humilitatem salubrem deponitur, et in bono illius hujus malum vincitur. Unde Apostolus vigilanter adjunxit, *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum* (*Rom.* XII, 20, 21). Quomodo autem potest vincere in bono malum in superficie bonus, et in alto[2] malus; qui opere parcit, et corde sævit; manu mitis, voluntate crudelis? Sic ergo specie poscentis in hoc psalmo futura in impios vindicta prophetatur, ut intelligamus sanctos homines Dei suos inimicos dilexisse, nec cuiquam voluisse nisi bonum, quod est pietas in hoc sæculo, æternitas in futuro: in pœnis autem malorum, non malis eorum, sed Dei bonis judiciis fuisse delectatos; et ubicumque in Scripturis sanctis leguntur in homines odia eorum, odia fuisse vitiorum, quæ ipse etiam unusquisque ho-

[1] Aliquot Mss., *non judicas et vindicas.*

[1] Edd., *dolore.* At aliquot Mss., *dolorem.*
[2] Sic Mss. At Edd., *abdito.*

minimum oderit oportet in se, si diligit se.

15. [*vers.* 11.] Jam vero quod sequitur, *Intret ante conspectum tuum*, vel sicut alii codices habent, *in conspectu tuo gemitus compeditorum* : non facile quisquam reperit conjectos in compedes a persecutoribus sanctos; et si accidit in tam magna atque multiplici varietate pœnarum, tam raro accidit, ut non sit credendum hoc in isto versu quod commemoraret potissimum elegisse Prophetam. Sed nimirum compedes sunt infirmitas, et corruptibilitas corporis, quæ aggravant animam. Per ejus enim fragilitatem, velut quorumdam dolorum molestiarumque materiam, ad impietatem poterat compellere persecutor. Ab his compedibus concupiscebat dissolvi Apostolus, et esse cum Christo; manere autem in carne necessarium propter illos quibus Evangelium ministrabat (*Philipp.* I, 23). Donec ergo corruptibile hoc induat incorruptionem, et mortale hoc induat immortalitatem (I *Cor.* XV, 53), velut compedibus caro infirma promptum impedit spiritum. Has ergo compedes non sentiunt, nisi qui in semetipsis ingemiscunt gravati (II *Cor.* V, 4), habitaculum quod de cœlo est superindui cupientes, quia et mors horrori est, et mœrori vita mortalis. Pro his Propheta gementibus ingemit, ut intret in conspectu Dei gemitus eorum. Possunt et illi intelligi compediti, qui præceptis sapientiæ colligati sunt, quæ patienter sustentata in ornamenta vertuntur; unde scriptum est: *Injice pedem tuum in compedes ejus* (*Eccli.* VI, 25). *Secundum magnitudinem*, inquit, *brachii tui*, *recipe in adoptionem filios mortificatorum*, vel sicut in aliis codicibus legitur, *posside filios morte punitorum* [1]. Ubi satis mihi videtur ostendisse Scriptura, quis fuerit gemitus compeditorum, qui pro nomine Christi persecutiones gravissimas pertulerunt, quæ in isto psalmo apertissime prophetantur. In diversis enim passionibus constituti orabant pro Ecclesia, ne infructuosus esset posteris sanguis illorum; ut dominica seges, unde inimici eam putabant perituram, inde feracius pullularet. *Filios* quippe *mortificatorum* dicit, qui non solum non sunt territi præcedentium passionibus, sed in eum pro cujus nomine passos eos noverant, exhortante illorum gloria ad imitandum accensi, copiosissimis agminibus crediderunt. Ideo dixit, *Secundum magnitudinem brachii tui*. Res enim tam magna secuta est in populis christianis, ut eam qui se aliquid persequendo proficere putabant, nullo modo crederent secuturam.

16. [*vers.* 12.] *Redde*, inquit, *vicinis nostris septies tantum in sinus eorum*. Non mala optat; sed justa prænuntiat, et ventura [2] prophetat. Septenario autem numero, id est septupla retributione, perfectionem pœnæ vult intelligi, quia isto numero plenitudo significari solet. Unde et illud est in bonis, *Accipiet* [3] *in hoc sæculo septies tantum* (*Marc.* X, 30) : quod positum est pro omnibus; *Quasi nihil habentes, et omnia possidentes* (II *Cor.* VI, 10). Vicinos dicit, quia inter illos habitat Ecclesia usque in diem separationis : non enim modo fit discessio corporalis. *In sinus eorum* dicit, utique nunc in occultis; ut vindicta quæ in hac vita agitur in occulto, post *innotescat in nationibus ante oculos nostros*. Homo namque cum datur in reprobum sensum, in interiore sinu accipit suppliciorum meritum futurorum. *Opprobrium eorum*, *quod exprobraverunt tibi*, *Domine*. Hoc eis redde septuplum in sinus eorum, id est, pro isto opprobrio eos in occultis eorum plenissime reproba. Ibi enim exprobraverunt nomen tuum, te arbitrantes in servis tuis delere de terra.

17. [*vers.* 13.] *Nos autem populus tuus* : generaliter accipiendum de omni genere piorum et verorum christianorum. *Nos* ergo quos perdere se posse putaverunt, *populus tuus, et oves gregis tui*, ut qui gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31), *confitebimur tibi in sæculum*. Alii autem codices habent, *confitebimur tibi in æternum*. Ex ambiguo græco facta est ista diversitas : quod enim habet græcus, εἰς τὸν αἰῶνα, et *in æternum*, et *in sæculum* interpretari potest; sed pro loco intelligendum quid melius interpretandum sit. Sensus ergo hujus loci magis mihi videtur ostendere, *in sæculum* dici oportere, id est usque in finem sæculi. Sequens autem versus more Scripturarum, maximeque Psalmorum, repetitio superioris est ordine commutato, prius habens quod ibi est posterius, et posterius quod ibi est prius. Nam quod ibi dictum est, *confitebimur tibi*, pro ipso hic dictum est, *annuntiabimus laudem tuam*. Quod itaque ibi dictum est, *in sæculum*, pro ipso hic dictum est, *in generationem et generationem*. Ista quippe generationis repetitio perpetuitatem significat : sive, ut nonnulli intelligunt, quia duæ sunt generationes, vetus et nova. Sed in hoc fit sæculo utraque : quoniam qui non renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum (*Joan.* III, 5); deinde quia in isto sæculo annuntiatur laus Dei, nam in futuro sæculo cum videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2), cui deinceps annuntietur, non erit. *Nos* ergo, *populus tuus, et oves gregis tui*, quas persequendo illi crediderunt se posse consumere, *confitebimur tibi in sæculum*, permanente utique Ecclesia usque in finem, quam illi delere conati sunt : *in generationem et generationem annuntiabimus laudem tuam*; quæ laus ut taceretur, nos finire conati sunt. Multis autem jam locis sanctarum Scripturarum insinuavimus confessionem etiam pro laude poni : sicuti est illud, *Hæc dicetis in confessione, Opera Domini universa quoniam bona valde* (*Eccli.* XXXIX, 39); maximeque illud quod ait ipse Salvator, qui nullum habebat omnino peccatum quod pœnitendo confiteretur : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI, 25). Hoc dixi, ut apertius intelligatur, id esse repetitum in eo quod dictum est, *annuntiabimus laudem tuam*, quod superius dictum erat, *confitebimur tibi*.

[1] Omnes nostri Mss., *mortificatorum*.
[2] Edd., *futura*. Plerique Mss., *vera*. Quidam, *ventura*.
[3] Sic meliores Mss. At Edd., *in bonis accipiendum. Et in hoc*, etc.

IN PSALMUM LXXIX ENARRATIO.

SERMO (*a*).

1. [*vers.* 1.] Non adeo multa sunt in hoc psalmo [1], in quibus sermo noster patiatur difficultatem, vel intentio auditorum intelligendi impedimentum. Proinde adjuvante Domino, cum affectu audiendi et videndi jam quæ prophetata et prædicta sunt, tanquam eruditi in schola Christi, currere debemus quæ plana sunt; ut si forte obscura exigunt officium interpretandi, ea quæ plana sunt legendi officium a me debeant flagitare. Cantatur hic de adventu Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, et de vinea ejus. Sed cantat ille Asaph, quantum apparet, illuminatus atque correctus, cujus nomine nostis significari Synagogam. Denique titulus Psalmi est, *In finem pro his qui immutabuntur :* utique in melius, quoniam Christus finis Legis (*Rom.* x, 4) ideo venit, ut immutet in melius. Et addit, *testimonium ipsi* [2] *Asaph :* bonum testimonium veritatis. Denique hoc testimonium et Christum et vineam confitetur; hoc est caput et corpus, regem et plebem, pastorem et gregem, et totum omnium Scripturarum mysterium Christum et Ecclesiam. Concludit autem titulus Psalmi, *pro Assyriis.* Assyrii interpretantur, Dirigentes. Jam ergo non sit generatio quæ cor non direxit suum (*Psal.* LXXVII, 8), sed generatio jam dirigens. Ergo audiamus quid dicat in hoc testimonio.

2. [*vers.* 2.] *Qui pascis Israel, intende.* Quid est, *Qui pascis Israel, intende, qui deducis velut oves Joseph?* Invocatur ut veniat, exspectatur ut veniat, desideratur ut veniat. Ergo dirigentes inveniat : *Qui deducis*, inquit, *velut oves Joseph :* ipsum Joseph velut oves. Ipse Joseph oves sunt, et ipse Joseph ovis est. Audito Joseph, quanquam et interpretatio ejus nominis multum juvet; significat enim Augmentum, et ideo utique venit ille, ut mortificatum granum multipliciter surgeret (*Joan.* XII, 25), hoc est, augeretur populus Dei : tamen ex eo quod jam nostis contigisse Joseph, veniat in mentem a fratribus venditus, veniat a suis exhonoratus, apud alienigenas exaltatus (*Gen.* XXXVII, 28, *et* XLI, 40), et intelligetis in cujus grege esse debeamus, simul cum illis qui jam dirigunt cor suum, ut lapis reprobatus ab ædificantibus fiat in caput anguli (*Matth.* XXI, 42, *et Psal.* CXVII, 22), tenens duos parietes de diverso venientes, sed in angulo concordantes. *Qui sedes super Cherubim.* Cherubim sedes est gloriæ Dei, et interpretatur Plenitudo scientiæ. Ibi sedet Deus in plenitudine scientiæ. Licet intelligamus Cherubim sublimes esse cœlorum potestates atque virtutes; tamen si vis, eris Cherubim. Si enim Cherubim sedes est Dei, audi quid dicat Scriptura : *Anima justi sedes est sapientiæ* (*Sap.* VII). Quomodo, inquis, ero plenitudo scientiæ? quis hoc implet? Habes unde impleas : *Plenitudo Legis charitas* (*Rom.* XIII, 10). Noli per multa ire atque distendi. Terret te ramorum diffusio; radicem tene, et de magnitudine arboris noli cogitare. Sit in te charitas, et necesse est plenitudo scientiæ consequatur. Quid enim nescit qui charitatem scit, quandoquidem dictum est : *Deus charitas est* (I *Joan.* IV, 8).

3. [*vers.* 3.] *Qui sedes super Cherubim, appare.* Ideo enim erravimus, quia non apparebas. *Coram Ephræm, et Benjamin, et Manasse.* Appare, inquam, coram gente Judæorum, coram populo Israel : ibi enim Ephræm, ibi Manasses, ibi Benjamin. Sed interpretationem videamus. Ephræm, Fructificatio; Benjamin, Filius dexteræ; Manasses, Oblitus. Appare enim coram fructificato, coram filio dexteræ, appare coram oblito, ut jam non sit oblitus, sed venias illi in mentem qui liberasti. Si enim Gentes commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universæ fines terræ (*Psal.* XXI, 28); populus ipse de Abraham veniens, non habuit parietem suum qui gaudeat in angulo, cum scriptum sit, *Reliquiæ salvæ fient* (*Rom.* IX, 27)? *Excita potentiam tuam.* Nam infirmus eras, quando dicebatur : *Si filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII, 40). Nihil valere videbaris : prævaluit super te persecutor; et demonstrasti hoc antea, quia et Jacob ipse prævaluit in lucta, homo Angelo. Quando, nisi vellet Angelus? et prævaluit homo, et victus est Angelus; et victor homo tenet Angelum, et dicit : *Non dimittam te, nisi benedixeris me.* Magnum sacramentum! Et stat victus, et benedicit victorem : victus, quia voluit; carne infirmus, majestate fortis. Et benedixit : *Vocaberis*, inquit, *Israel.* Tetigit tamen et femoris latitudinem, et aruit, eumdemque hominem unum fecit et benedictum et claudum (*Gen.* XXXII, 26, 28, 25). Vides claudicasse populum Judæorum : vide ibi et benedictum genus Apostolorum. *Excita* ergo *potentiam tuam :* quamdiu videris infirmus? Crucifixus ex infirmitate, resurge in virtute (II *Cor.* XIII, 4) : *Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos.*

4. [*vers.* 4.] *Deus, converte nos.* Aversi enim sumus a te, et nisi tu convertas, non convertemur. *Et illumina faciem tuam, et salvi erimus.* Numquid ille obscuram habet faciem? Non habet obscuram faciem, sed apposuit [1] ei nubem carnis, et tanquam velum infirmitatis, et non est putatus ipse cum penderet in ligno, agnoscendus cum sederet in cœlo. Nam ita factum est. Præsentem in terra Christum et miracula facientem non agnovit Asaph; mortuum tamen, posteaquam resurrexit et ascendit in cœlum, agnovit, compunctus est : dixerit et de illo totum hoc testimonium quod modo agnoscimus in hoc psalmo, *Illumina faciem tuam, et salvi erimus.* Obtexisti faciem tuam, et ægrotavimus : illumina illam, et salvi erimus.

5. [*vers.* 5.] *Domine, Deus virtutum, usquequo irasceris in orationem servi tui?* Jam *servi tui.* Irascebaris in orationem inimici tui, adhuc irasceris in orationem servi tui! Convertisti nos, agnovimus, et adhuc irasceris in orationem servi tui! Ita plane irasceris,

[1] Plerique et meliores Mss. *non adeo sunt in hoc psalmo;* omisso, *multa.*

[2] Edd., *ipsius Asaph.* Melius Mss., *ipsi*, juxta LXX.

(*a*) Ad populum habitus post expositum Psalmum LXXIII, de quo infra, n. 10.

[1] Sic Mss. At Edd., *opposuit.*

ut pater corrigens, non ut judex damnans. Ita plane irasceris, quia scriptum est, *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 1). Ne putes jam transisse iram Dei quia conversus es; transiit, sed ne damnet in æternum. Flagellat autem, non parcit, quia flagellat omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 6). Si flagellari detrectas, recipi quare desideras? Flagellat omnem filium quem recipit: flagellat omnem, qui et Unico non pepercit. Sed tamen *quamdiu irasceris in orationem servi tui?* non jam inimici tui; sed *irasceris in orationem servi tui.* Quamdiu?

6. [*vers.* 6.] Sequitur: *Cibabis nos pane lacrymarum, et potabis nos in lacrymis in mensura.* Quid est, *in mensura?* Apostolum audi: *Fidelis Deus qui non vos permittit tentari supra quam potestis ferre* (I *Cor.* X, 13). Ipsa est mensura, pro viribus tuis: ipsa est mensura, ut erudiaris, non ut opprimaris.

7. [*vers.* 7.] *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris.* Plane factum est; nam de Asaph electi sunt qui irent ad Gentes, et prædicarent Christum, et diceretur eis: *Quis est iste novorum dæmoniorum annuntiator* (*Act.* XVII, 18)? *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris.* Eum enim prædicabant cui contradicebatur. Quem prædicabant? Mortuum resurrexisse Christum. Quis hoc audiat? quis hoc noverit? Nova res! sed signa consequebantur; et incredibili rei fidem miracula faciebant. Contradicebatur, sed contradictor vincebatur, et ex contradictore fidelis efficiebatur. Ibi tamen magna flamma: ibi martyres cibati de pane lacrymarum, et potati in lacrymis; sed in mensura, non amplius quam poterant ferre ut post mensuram lacrymarum sequeretur corona gaudiorum. *Et inimici nostri subsannaverunt nos.* Et ubi sunt qui subsannaverunt? Diu dictum est: Qui sunt isti colentes mortuum, adorantes crucifixum? diu dictum est. Ubi est nasus subsannantium? Nonne nunc qui reprehendunt, in cavernas fugiunt, ne videantur? *Et inimici nostri subsannaverunt nos.*

8. [*vers.* 8, 9.] Sed videtis quid sequitur: *Domine, Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus. Vineam ex Ægypto transtulisti; ejecisti Gentes, et plantasti eam.* Novimus, factum est. Quot gentes ejectæ sunt! Amorrhæi, Cethæi, Jebusæi, Gergesæi, et Evæi: quibus expulsis et victis, introductus est populus ex Ægypto liberatus in terram promissionis. Unde vinea ejecta sit, et ubi plantata sit, audivimus. Videamus quid deinde factum est; quomodo crediderit, quantum creverit, quid occupaverit. *Vineam ex Ægypto transtulisti; ejecisti gentes, et plantasti eam.*

9. [*vers.* 10-12.] *Viam fecisti in conspectu ejus, et plantasti radices ejus, et implevit terram.* Numquid impleret terram, nisi via fieret in conspectu ejus? Quæ via facta est in conspectu ejus? *Ego sum*, inquit, *via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). Merito implevit terram. Hoc dictum est modo de vinea ista, quod perfectum est usque in finem: verumtamen quid prius? *Operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus cedros Dei. Extendisti palmites ejus usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus.* Hoc desiderat officium expositoris, non sufficit lectoris et laudatoris: adjuvate me intendendo; solet enim vineæ hujus commemoratio in hoc psalmo caliginem facere minus intentis. Etenim magnitudo vineæ hujus jam a nobis explicata est; et unde facta est [1], et unde facta sit magna, prædictum est. *Viam fecisti in conspectu ejus, et plantasti radices ejus, et implevit terram:* hoc de perfectione ipsius dictum est. Sed tamen prima gens Judæa fuit ista vinea. Gens autem Judæa usque ad mare, et usque ad flumen regnavit. Usque ad mare: apparet in Scriptura quod mare ibi vicinum sit (*Num.* XXXIV, 5). Et usque ad flumen Jordanem. Trans Jordanem enim aliquid Judæorum collocatum est; intra [2] Jordanem autem tota gens. Ergo *usque ad mare, et usque ad flumen* regnum Judæorum, regnum Israel: non autem *a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ*, illa jam perfectio vineæ est de qua hic prædixit, *Viam fecisti in conspectu ejus, et plantasti radices ejus, et implevit terram.* Cum tibi ergo prædixisset perfectionem, rediit ad initium, de quo initio sit facta perfectio. Initium vis audire? *Usque ad mare et usque ad flumen.* Finem vis audire? *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ* (*Psal.* LXXI, 8): hoc est, *implevit terram.* Videamus ergo testimonium Asaph; quid factum est primæ vineæ, quid est exspectandum secundæ vineæ, imo eidem vineæ: ipsa est enim; non enim altera est. Inde Christus salus ex Judæis (*Joan.* IV, 22), inde Apostoli, inde primi credentes, et pretia rerum suarum ante pedes Apostolorum ponentes (*Act.* II, 45, *et* IV, 35); inde omnia hæc. Et si aliqui ex ramis *fracti sunt, propter incredulitatem fracti sunt: tu autem*, populus Gentium, *fide sta; noli altum sapere, sed time. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parcet. Si autem altum sapis, non tu radicem portas, sed radix te* (*Rom.* XI, 18-21). Quid ergo, vinea ante cujus conspectum facta est via, ut impleret terram, primo ubi fuit [3]? *Operuit montes umbra ejus.* Qui sunt montes? Prophetæ. Quare operuit illos umbra ejus? Quia obscure locuti sunt quæ futura annuntiata sunt. Audis a Prophetis, Observa sabbatum, Octavo die circumcide infantem, Offer sacrificium arietis, vituli, hirci: noli moveri; umbra ejus est cooperiens montes Dei, veniet post umbram manifestatio. *Et arbusta ejus cedros Dei:* id est, cooperuit cedros Dei, altissimas, sed [4] Dei. Sunt enim cedri significantes superbos evertendos. Cedros Libani, altitudines mundi [5] operuit crescendo vinea ista, et montes Dei, omnes sanctos Prophetas, Patriarchas.

[1] Isthæc verba, *et unde facta est*, absunt a nonnullis Mss.
[2] Er. et Mss., *infra*.
[3] Sic aliquot Mss. At Edd.: *Quid ergo vinea ante cujus conspectum facta est via? Facta est ut impleret terram. Primo*, etc.
[4] Sic omnes prope Mss. At Edd., *sedes* Dei.
[5] In Remig. Ms. repetitur hoc loco, *cedros Dei*: quod abest a cæteris libris. An forte legendum: *Cedri Libani altitudines mundi*; subaudi, *significant*: ut inde sequatur: *cedros Dei operuit crescendo*, etc.

10. [*vers.* 13.] Sed quousque *extendisti palmites ejus? Usque ad mare, et usque ad flumen propagines ejus.* Inde quid? *Utquid destruxisti maceriam ejus?* Jam videtis eversam illam gentem Judæorum; jam ex alio psalmo audistis, *In dolabro et fractorio dejecerunt eam* (*Psal.* LXXIII, 6). Quando fieret, nisi ejus maceria destrueretur? Quæ est maceria ejus? Munitio ejus. Exstitit enim superba adversus plantatorem suum. Servos ad se missos et petentes mercedem coloni flagellaverunt, ceciderunt, occiderunt. Venit et unicus Filius; dixerunt, *Hic est hæres, venite occidamus eum, et nostra erit hæreditas : occiderunt et extra vineam projecerunt* (*Matth.* XXI, 34-39). Projectus, magis possedit unde projectus est. Sic enim ei minatur per Isaiam : *Destruam maceriam ejus.* Quare? *Exspectavi enim ut faceret uvam; fecit autem spinas :* exspectavi inde fructum, et inveni peccatum. Quid ergo quæris, o Asaph, *Utquid destruxisti maceriam ejus?* Tu enim nescis quare? *Exspectavi ut faceret judicium, et fecit iniquitatem* (*Isai.* V, 5, 2, 7) : non erat destruenda maceria ejus? Et venerunt Gentes, destructa maceria, invasa est vinea, ac deletum regnum Judæorum. Hoc primo plangit, sed non sine spe. De directione enim cordis jam loquitur, id est, pro Assyriis, pro dirigentibus Psalmus est. *Utquid destruxisti maceriam ejus; et vindemiant eam omnes transeuntes viam?* Quid est, *viam transeuntes?* Temporaliter dominantes.

11. [*vers.* 14.] *Devastavit eam aper de silva.* Aprum de silva quid intelligimus? Judæis porcus adversus est, et in porco ponunt tanquam immunditiam Gentium. A Gentibus autem eversa est gens Judæa : sed rex ille qui evertit, non tantum porcus immundus, sed etiam aper fuit. Quid enim aper, nisi porcus sævus, porcus superbus? *Aper de silva vastavit eam. De silva :* de Gentibus. Etenim illa vinea erat; Gentes autem silvæ erant. Sed quando crediderunt Gentes, quid dictum est? « Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum (*Psal.* XCV, 12). Devastavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam. » Quid est, « singularis ferus? » Ipse aper qui devastavit eam, singularis ferus. Singularis, quia superbus. Hoc enim dicit omnis superbus : Ego sum; ego sum, et nemo.

12. [*vers.* 15, 16.] Sed quo fructu hæc? « Deus virtutum convertere vero. » Quamvis hæc facta sint, « convertere vero. Respice de cœlo, et vide, et visita vineam istam. Et perfice eam quam plantavit dextera tua. » Non aliam institue, sed hanc perfice. Ipsum est enim semen Abraham, ipsum est semen in quo benedicuntur omnes Gentes (*Gen.* XXII, 18) : ibi est radix, ubi portatur oleaster insertus. *Perfice vineam istam quam plantavit dextera tua.* Sed ubi perficit? *Et super filium hominis quem confirmasti tibi.* Quid evidentius? quid adhuc exspectatis ut vobis disputando exponamus, et non potius vobiscum admirando clamemus : *Perfice vineam istam quam plantavit dextera tua, et super filium hominis* eam perfice? Quem filium hominis? *Quem confirmasti tibi.* Magnum firmamentum! ædifica quantum potes. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter quam quod positum est, quod est Christus Jesus* (I *Cor.* III, 11).

13. [*vers.* 17.] *Succensa igni et effossa, ab increpatione vultus tui peribunt.* Quæ sunt succensa igni et effossa, quæ peribunt ab increpatione vultus ejus? Videamus et intelligamus quæ sint igni succensa et effossa. Quid increpavit Christus? Peccata : ab increpatione vultus ejus peccata perierunt. Quare ergo peccata igni succensa et effossa? Omnia peccata duæ res faciunt in homine; cupiditas, et timor. Cogitate, discutite, interrogate corda vestra, perscrutamini conscientias; videte utrum possint esse peccata, nisi aut cupiendo, aut timendo. Proponitur præmium ut pecces, id est, quod te delectat; facis propter quod cupis. Sed forte non induceris donis, terreris minis; facis propter quod times. Corrumpere te vult aliquis, ut dicas, verbi gratia, falsum testimonium. Innumerabilia sunt, sed planiora propono, de quibus cætera conjiciatis. Attendisti tu Deum, et dixisti in animo tuo : *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur* (*Matth.* XVI, 26)? Non adducor præmio, ut perdam animam meam pro lucro pecuniæ. Convertit ille se ad incutiendum metum; qui præmio corrumpere non valuit, incipit minari damnum, expulsionem, cædes fortassis et mortem : ibi jam, si cupiditas non valuit, forte timor valebit ut pecces. Porro autem si de Scripturis contra cupiditatem venit tibi in mentem, *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur;* veniat etiam contra timorem in mentem, *Nolite timere eos qui corpus occidunt; animam autem non possunt occidere* (*Id.* X, 28). Quicumque te vult occidere, usque ad corpus ei licet; usque ad animam non licet. Anima tua non morietur, nisi tu eam volueris occidere. Perimat aliena iniquitas carnem tuam, dum servet veritas animam tuam. Si autem a veritate resilieris, quid tibi amplius facturus est inimicus, quam tu tibi ipse facis? Inimicus sæviens carnem potest occidere : tu autem dicendo falsum testimonium animam occidis. Audi Scripturam : *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I, 11). Itaque, fratres mei, ad omne recte factum amor et timor ducit : ad omne peccatum amor et timor ducit. Ut facias bene, amas Deum, et times Deum : ut autem facias male, amas mundum, et times mundum. Hæc duo convertantur ad bonum : amabas terram, ama vitam æternam; timebas mortem, time gehennam. Quidquid tibi iniquo promiserit mundus, numquid potest dare quantum dabit justo Deus? Quidquid tibi justo minatus fuerit mundus, numquid potest facere quod facit iniquo Deus? Vis videre quid daturus est Deus, si juste vixeris? *Venite, benedicti Patris mei; percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Vis videre quid facturus est impiis? *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 34, 41). Bene quidem nihil tu aliud vis, quam ut bene tibi sit. Nam in eo quod amas, vis ut bene tibi sit; et in eo quod times, non vis ut male tibi sit : sed non in ea regione quæris, in qua quærendum est. Festinas; nam et sine indigentia vis esse, et sine molestia : bonum est quod

vis, sed tolera quod non vis, ut assequaris quod vis. Proinde illius facies delens peccata, quid faciet? quæ sunt peccata succensa igni et effossa? Quid fecerat amor malus? Tanquam ignem succenderat. Quid fecerat timor malus? Tanquam effoderat. Amor quippe inflammat; timor humiliat: ideo peccata mali amoris, igne succensa sunt; peccata mali timoris, effossa sunt. Humiliat et bonus timor, accendit et bonus amor; sed aliter, atque aliter. Nam et colonus intercedens pro arbore, quæ fructus non dabat, ne subverteretur, ait: *Circumfodio eam, et adhibeo cophinum stercoris* (*Luc.* XIII, 8). Fossa significat piam humilitatem timentis, et stercoris cophinus sordes utiles pœnitentis. De igne autem boni amoris Dominus dicit, *Ignem veni mittere in mundum* (*Id.* XII, 49). Quo igne inardescant spiritu ferventes, et Dei ac proximi charitate flagrantes. Ac per hoc, sicut omnia justa opera bono timore et bono amore fiunt; sic malo amore et malo timore omnia peccata committuntur. Ergo, *Succensa igni et effossa*, omnia scilicet peccata, *ab increpatione vultus tui peribunt*.

14. [*vers.* 18-20.] *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis quem confirmasti tibi. Et non discedimus a te*. Quamdiu generatio prava et amaricans, et quæ cor non dirigit suum (*Psal.* LXXVII, 8, 9)? Dicat Asaph: Ostendat se misericordia tua; fac bene cum vinea tua, perfice illam, *quoniam cæcitas ex parte Israel facta est, ut plenitudo Gentium introiret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI, 25, 26). Demonstrata facie tua *super virum dexteræ tuæ quem confirmasti tibi, non discedimus a te*: quamdiu nos increpas? quamdiu accusas? Hoc fac, *et non discedimus a te: Vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus*. Tu nobis dulcis eris; *vivificabis nos*. Nam prius amabamus terram, non te; sed mortificasti membra nostra quæ sunt super terram (*Coloss.* III, 5). Illud enim Vetus Testamentum habens promissa terrena, hoc videtur suadere, ne gratis colatur Deus; sed quia aliquid dat in terra, ideo diligatur. Quid amas, ut Deum non ames? dic mihi. Ama, si potes, aliquid quod ille non fecit. Circumspice universam creaturam; vide utrum alicubi cupiditatis visco tenearis, et a diligendo Creatore impediaris, nisi ea re quam creavit ipse quem negligis. Quare autem amas ista, nisi quia pulchra sunt? Possunt esse tam pulchra, quam ille a quo facta sunt? Miraris hæc, quia illum non vides: sed per ea quæ miraris, ama quem non vides. Interroga creaturam; si a seipsa est, remane in illa: si autem ab illo est, non ob aliud perniciosa est amatori, nisi quia præponitur Creatori. Quare hoc dixi? Propter versum istum, fratres. Mortui ergo erant, qui propterea Deum colebant ut eis secundum carnem bene esset: sapere enim secundum carnem mors est (*Rom.* VIII, 6); et mortui sunt qui non Deum gratis colunt, id est, quia ipse bonus est, non quia dat talia bona quæ dat et non bonis. Pecuniam vis a Deo? Habet et latro. Uxorem, fecunditatem filiorum, salutem corporis, dignitatem sæculi? Attende quam multi mali habent. Hoc est totum propter quod eum colis? Nutabunt pedes tui, putabis te sine causa colere, quando in eis vides ista qui eum non colunt (*Psal.* LXXII, 2). Ergo ista dat omnia etiam malis; se solum servat bonis. *Vivificabis nos*: nam mortui eramus, quando terrenis rebus inhærebamus; mortui eramus, quando terreni hominis imaginem portabamus. *Vivificabis nos*: innovabis nos; vitam interioris hominis dabis nobis. *Et nomen tuum invocabimus*: id est, te diligemus. Tu nobis dulcis eris remissor peccatorum nostrorum; tu eris totum præmium justificatorum. *Domine Deus virtutum, converte nos; et ostende faciem tuam, et salvi erimus*.

EXPLICIT TOMI QUARTI PARS PRIOR.

Parisiis. — Ex Typis J.-P. MIGNE.

PATROLOGIÆ
CURSUS COMPLETUS,

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA CONCILII TRIDENTINI (ANNO 1545) PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. LATINA, JAM PENITUS EXARATA, QUOAD PRIMAM SERIEM VIGINTI-QUINQUE ET DUCENTIS VOLUMINIBUS MOLE SUA STAT, MOXVE POST PERACTOS INDICES STABIT, AC QUINQUE-VIGINTI-CENTUM ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM UNA CUM VERSIONE LATINA LATERALIS AMPLECTITUR, ET AD NOVEM ET CENTUM VOLUMINA PERVENIT, SED SINE INDICIBUS; POSTERIOR AUTEM HANC VERSIONEM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA QUINQUE ET QUINQUAGINTA VOLUMINA RETINETUR; UTRAQUE VIGESIMA QUARTA DIE DECEMBRIS 1860 OMNINO APPARUERAT, UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR: UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUJUSBENEFICIO FRUATUR EMPTOR, COLLECTIONEM INTEGRAM, SIVE GRÆCAM SIVE LATINAM 326 VOLUMINIBUS PRO AMPLIORI EDITIONE ET 272 PRO MINORI ABSQUE INDICIBUS CONSTANTEM, COMPARET NECESSE ERIT; SECUS ENIM CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT. ATTAMEN, SI QUIS EMAT INTEGRE ET SEORSIM COLLECTIONEM GRÆCO-LATINAM, VEL EAMDEM EX GRÆCO LATINE VERSAM, TUM QUODQUE VOLUMEN PRO NOVEM VEL PRO SEX FRANCIS OBTINEBIT. ISTÆ CONDITIONES SERIEI QUÆ NUNC INCIPIT APPLICANTUR.

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS XXXVII.

S. AURELIUS AUGUSTINUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1861

SÆCULA IV-V. ANNI 387-430.

SANCTI AURELII

AUGUSTINI,

HIPPONENSIS EPISCOPI,

OPERA OMNIA,

POST LOVANIENSIUM THEOLOGORUM RECENSIONEM,

CASTIGATA DENUO AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICOS, VATICANOS, BELGICOS, ETC.,

NECNON AD EDITIONES ANTIQUIORES ET CASTIGATIORES,

OPERA ET STUDIO

MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

E CONGREGATIONE S. MAURI.

EDITIO NOVISSIMA, EMENDATA ET AUCTIOR,

ACCURANTE ET DENUO RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS QUARTUS.

PARS ALTERA.

VENEUNT 16 VOL. 86 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1861

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC QUARTO TOMO CONTINENTUR.

ENARRATIONES IN PSALMOS

Parisiis. — Ex typis J.-P. MIGNE.

IN PSALMUM LXXX ENARRATIO.

SERMO (a).

1. [*Vers.* 1.] Loqui ad vos de præsenti psalmo suscepimus : adjuvet vocem nostram quies vestra [1]; etenim aliquanto est obtunsior : dabit ei vires intentio audientium, et adjutorium jubentis ut loquar. Titulum habet psalmus iste : *In finem pro torcularibus, quinta sabbati, Psalmus ipsi Asaph.* In unum titulum multa sunt congesta mysteria; ita tamen ut limen Psalmi indicet interiora. Cum de torcularibus locuturi sumus, nemo vestrum aliquid exspectet nos dicturos esse de lacu, de prelo, de fiscinis; quia nec ipse psalmus hoc habet, et ideo magis indicat mysterium. Nam et si aliquid tale Psalmi textus contineret, non deesset qui putaret ad litteram esse accipienda torcularia, nec aliquid illic amplius requirendum, nec mystice aliquid positum, et sacrate significatum; sed diceret : Simpliciter Psalmus de torcularibus loquitur, et tu mihi nescio quid aliud suspicaris. Nihil hic tale audistis, cum legeretur. Ergo accipite torcularia mysterium [2] Ecclesiæ, quod nunc agitur. In torcularibus animadvertimus quædam tria : pressuram, et de pressura quædam duo; unum recondendum, alterum projiciendum. Fit ergo in torculari conculcatio, tribulatio, pondus : et in his oleum eliquatur occulte in gemellarium; amurca publice per plateas currit. Intendite ad magnum hoc spectaculum. Non enim desinit Deus dare [3] nobis quod cum magno gaudio spectemus : aut circi insania huic spectaculo comparanda est? Illa ad amurcam pertinet, hoc ad oleum. Quando ergo auditis contumaciter garrire blasphemos, et dicere, abundare pressuras temporibus christianis; scitis enim quia hoc amant dicere : et vetus quidem, sed a temporibus christianis cœpit proverbium, Non pluit Deus, duc ad Christianos. Quanquam priores ista dixerunt. Isti autem modo dicunt et quia pluit Deus, Duc ad Christianos : non pluit Deus, non seminamus; pluit Deus, non trituramus [4]. Et inde volunt superbire, unde deberent amplius supplicare; eligentes blasphemare quam orare. Cum ergo ista commemorant, cum ista jactant, cum ista dicunt, et contumaciter dicunt, non cum timore, sed cum elatione, non vos perturbent. Puta enim quia pressuræ abundant, tu oleum esto. Nigra tenebris ignorantiæ amurca insultet, et illa tanquam per plateas projecta publice insultet : tu apud te in corde tuo, ubi qui videt in occulto reddet tibi (*Matth.* VI, 6), liquare in gemellarium. Oliva in arbore quibusdam quidem tempestatibus agitatur, non tamen pressuris torcularis atteritur; ideo utrumque simul pendet ex arbore, et quod projiciendum est, et quod recondendum est : at ubi ad torcular et pressuras ventum fuerit, utrumque discernitur, dirimitur; et aliud appetitur, aliud respuitur. Vultis nosse vim torcularium istorum? Ut unum aliquid dicam, unde et ipsi murmurant qui ea faciunt : Quantæ, inquiunt, rapinæ temporibus nostris, quantæ pressuræ innocentium, quantæ exspoliationes rerum alienarum! Ita sane in amurcam attendis, quia rapiuntur res alienæ; in oleum non attendis, quia pauperibus donantur et propriæ. Non habebat antiquitas tales raptores rerum alienarum; sed non habebat antiquitas tales donatores rerum suarum. Aliquanto esto curiosior in torculari; noli hoc solum videre quod publice fluit : est aliquid quod quærendo invenias. Discute, audi, cognosce quam multi faciunt quod ex ore Domini cum audisset unus dives, tristis abscessit. Ex Evangelio multi audiunt, *Vade, vende omnia quæ possides, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis; et veni, sequere me* (*Id.* XIX, 21) : non attendis quam multi id faciunt? Pauci, inquiunt, sunt. Ipsi tamen pauci oleum sunt; et qui bene utuntur his rebus quas possident, ad oleum pertinent : adjunge omnia, et videbis patrisfamilias tui plenas apothecas. Vides raptorem qualem nunquam vidisti; vide contemptorem rerum suarum qualem nunquam vidisti. Lauda torcularia, impletur prophetia de Apocalypsi : *Justus justior fiat, et sordidus sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII, 11). Ecce torcularia in hac sententia : *Justus justior fiat, et sordidus sordescat adhuc.*

2. Quare et *quinta sabbati?* quid est hoc? Recurramus ad prima opera Dei, ne forte ibi aliquid inveniamus quo et sacramentum intelligamus. Sabbatum enim septimus dies est quo requievit Deus ab omnibus operibus suis (*Gen.* II, 2), magnum intimans mysterium quietis nostræ futuræ ab omnibus operibus nostris. Prima sabbati dicitur primus dies, quem dominicum etiam nominamus : secunda sabbati, secundus dies; tertia sabbati, tertius dies; quarta sabbati, quartus; *quinta* ergo *sabbati*, quintus a dominico die : post quem sexta sabbati, sextus dies; et ipsum sabbatum, septimus dies. Videte itaque quibus loquatur hic psalmus : videtur enim mihi quoniam bapti-

[1] Sic meliores Mss. At Edd., *qui et vestram.*
[2] Remig. Ms., *martyrium.*
[3] Sic Remig. Ms. At Edd., *deserit* (forte pro, *deerit*) *Deus dare*, etc.
[4] Editio Er. hic : *dic ad Christianos.* Lov. autem : *dicat Christianus.* Et altero infra loco, pro, *duc ad Christianos*, utraque editio habet, *dicant Christiani.* Quidam vero libri, scilicet Gemm. Pratell., etc., alio verborum ordine proverbium referunt hunc in modum : *cœpit proverbium, Non pluit Deus, non seminamus : pluit Deus, non trituramus. Et sequitur, Non pluat Deus, dicat Christianus; et pluat Deus, dicat Christianus. Quanquam priores ista dixerunt : hi autem et modo dicunt, et inde volunt superbire*, etc. Et qui omnium vetustissimus atque optimæ notæ est, Corb. habet sic : *cœpit proverbium, Non pluit Deus, non seminamus : pluit Deus, non trituramus : et non pluit Deus, dicat Christianus. Quanquam priores ista dixerunt : hi autem modo dicant et quia pluit Deus, dicat Christianus. Inde volunt superbire*, etc. Sed apta præ cæteris faciliorque visa est lectio Mss. Reg. et Remig. : *Non pluit Deus, duc ad Christianos*, etc., *et quia pluit Deus, duc ad Christianos;* id est causam in Christianos refer, juxta illud quod etiam in lib. 2 de Civitate Dei, c. 3, ait : « ortum esse vulgare proverbium, Pluvia defit, causa Christiani. » Hinc quoque Tertullianus in Apologetico, c. 40 : « Si Tiberis, inquit, ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arva, etc., statim, « Christianos ad leonem, acclamatur. » Et Cyprianus ad Demetrianum : « Sed enim cum dicas plurimos conqueri, quod « bella crebrius surgant, quod lues, quod fames sæviant, « quodque imbres et pluvias serena longa suspendant nobis imputari, tacere ultra non oportet. »

(a) Ad plebem Carthaginensem.

zatis loquitur. Quinto enim die Deus ex aquis creavit animalia; quinto die, id est, *quinta sabbati* dixit Deus: *Producant aquæ reptilia animarum vivarum* (*Gen.* I, 20). Videte ergo vos, in quibus jam produxerunt aquæ reptilia animarum vivarum. Vos enim ad torcularia pertinetis; et in vobis quos produxerunt aquæ, aliud eliquatur, aliud projicitur. Sunt enim multi non digne viventes Baptismo quod perceperunt: quam multi enim baptizati hodie circum implere, quam istam basilicam maluerunt! quam multi baptizati, aut casas in vicis faciunt, aut non fieri conqueruntur! Psalmus autem iste *pro torcularibus* et *quinta sabbati*, in pressura discretionis, et in sacramento Baptismi, cantatur *ipsi Asaph*. Asaph homo quidam fuit hoc nomine appellatus, sicut Idithun, sicut Core, sicut alia nomina quæ invenimus in titulis Psalmorum: interpretatio tamen nominis mysterium intimat occultæ veritatis. Asaph quippe latine dicitur Congregatio. Ergo *pro torcularibus, quinta sabbati*, cantatur *ipsi Asaph;* id est, pro pressura discernente, baptizatis ex aqua renatis, cantatur Psalmus dominicæ congregationi. Titulum in limine legimus, et in his prelis [1] quid sibi velit, intelleximus: jam si placet etiam ipsam domum operis, id est, ipsius torcularis interiora videamus. Intremus, inspiciamus, gaudeamus, timeamus, appetamus, fugiamus. Omnia enim hæc inventuri estis in hac interiore domo, id est, in textu ipsius psalmi, cum legere, et adjuvante Domino, quod donaverit loqui cœperimus.

3. [*vers.* 2.] Ecce vos, o Asaph, congregatio Domini, *Exsultate Deo adjutori nostro.* Vos qui congregati estis hodie, vos hodie Asaph Domini, si quidem vobis canitur Psalmus, ipsi Asaph, *Exsultate Deo adjutori nostro.* Exsultant alii circo; vos Deo: exsultant alii deceptori suo; exsultate vos adjutori vestro: exsultant alii Deo suo ventri suo; exsultate vos Deo vestro adjutori vestro. *Jubilate Deo Jacob:* quia et vos pertinetis ad Jacob; imo vos estis Jacob, minor populus cui servit major (*Id.* xxv, 23). *Jubilate Deo Jacob.* Quidquid verbis explicare non poteritis, non ideo tamen ab exsultatione cessetis: quod poteritis explicare, clamate; quod non potestis, *jubilate.* Etenim ex abundantia gaudiorum, cui verba sufficere non possunt, in jubilationem solet erumpere: *Jubilate Deo Jacob.*

4. [*vers.* 3.] *Accipite psalmum, et date tympanum.* Et *accipite*, et *date*. Quid *accipite?* quid *date? Accipite psalmum, et date tympanum.* Dicit quodam loco apostolus Paulus, reprehendens et dolens, quod nemo illi communicaverit *in ratione dati et accepti* (*Philipp.* IV, 15). Quid est, *in ratione dati et accepti*, nisi quod alio loco aperte exposuit: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos vestra carnalia metamus* (I *Cor.* IX, 11)? Et verum est quod tympanum quod de corio fit, ad carnem pertinet. Psalmus ergo spiritualis est, tympanum carnale. Ergo plebs Dei, congregatio Dei, *accipite psalmum, et date tympanum:* accipite spiritualia, et date carnalia. Hoc est quod vos et ad illam mensam beati Martyris (*a*) exhortati sumus, ut accipientes spiritualia, daretis carnalia. Hæc enim quæ exstruuntur ad tempus, ad recipienda corpora vel vivorum vel mortuorum necessaria sunt, sed tempore prætereunti. Numquid post judicium Dei istas fabricas in cœlum levabimus? Sine his tamen hoc tempore agere quæ ad possidendum cœlum pertinent non poterimus. Si ergo avidi estis in spiritualibus accipiendis, devoti estote in carnalibus erogandis. *Accipite psalmum, et date tympanum:* accipite [1] vocem nostram, reddite manus vestras.

5. *Psalterium jucundum cum cithara.* Memini nos aliquando differentiam psalterii et citharæ intimasse Charitati vestræ: studiosi qui meminerunt, recognoscant; qui vel non audierunt, vel non meminerunt, discant. Istorum duorum organorum musicorum, et psalterii et citharæ hæc differentia est, quod psalterium lignum illud concavum, unde canoræ chordæ redduntur, in superiore parte habet; deorsum feriuntur chordæ, ut desuper sonent: in cithara vero hæc eadem concavitas ligni partem inferiorem tenet; tanquam illud sit de cœlo, hoc de terra. Cœlestis enim est prædicatio verbi Dei: sed si exspectamus cœlestia, non simus pigri ad operanda terrena; quia *psalterium jucundum*, sed *cum cithara.* Hoc alio modo dictum est quod supra, *Accipite psalmum, et date tympanum:* hic pro psalmo psalterium, pro tympano cithara posita est. Hoc tamen admoniti sumus, ut prædicationi verbi Dei corporalibus respondeamus operibus.

6. [*vers.* 4.] *Tuba canite.* Hoc est, clarius et fidentius prædicate; ne terreamini: sicut ait propheta quodam loco, *Exclama, et exalta sicut tuba vocem tuam* (*Isai.* LVIII, 1). *Tuba canite in initio mensis tubæ.* Præceptum erat ut in initio mensis tuba caneretur; et hoc usque nunc Judæi corporaliter faciunt, spiritualiter non intelligunt. Initium enim mensis, nova luna est; nova luna, nova vita est. Quid est nova luna? *Si qua igitur in Christo nova creatura* (II *Cor.* v, 17). Quid est, *Tuba canite in initio mensis tubæ* (*b*)? Cum tota fiducia novam vitam prædicate; strepitum vitæ veteris nolite metuere.

7. [*vers.* 5.] *Quia præceptum ipsi Israel est, et judicium Deo Jacob.* Ubi præceptum, ibi judicium. Qui enim in lege peccaverunt, per legem judicabuntur (*Rom.* II, 12). Et ipse præcepti dator Dominus Christus, Verbum caro factum, *In judicium*, inquit, *veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (*Joan.* IX, 39). Quid est, *ut qui non vident videant, qui vident cæci fiant*, nisi humiles exaltentur,

[1] Lov. et Mss., *prædiis*. Melius Er., *prelis*. Id est torcularibus.

[1] Mss. plures: *Exigitis*. Alii: *Accipitis*.

(*a*) Scilicet ad mensam Cypriani martyris, nominatim designati postea, n. 23. Nempe apud Carthaginem quo loco martyrium consummavit Cyprianus, « In eodem loco, » inquit Aug. Serm. 113 de Diversis, c. 2, « mensa Deo constructa est; quæ mensa dicitur Cypriani, non quia ibi est unquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus; et quia ipsa immolatione sua paravit hanc mansam, non in qua pascat sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui et ipse oblatus est, offeratur. »

(*b*) Hanc ℣. 4 partem omittit, *In insigni die solemnitatis vestræ.*

superbi dejiciantur? non enim qui vident cæci fiant, sed qui sibi videre videntur, de cæcitate convincantur. Hoc agit mysterium torcularis, *ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant.*

8. [*vers.* 6.] *Testimonium in Joseph posuit illud.* Eia, fratres, quid est? Joseph interpretatur Augmentatio. Meministis, nostis Joseph in Ægyptum venditum: Christus ad Gentes transiens. Ibi Joseph post tribulationes exaltatus (*Gen.* XXXVII, 28; *et* XLI, 37, *etc.*), et hic Christus post passionem martyrum glorificatus. Ergo ad Joseph magis Gentes pertinent: et ideo augmentatio; quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum (*Isai.* LIV, 1). *Testimonium in Joseph posuit illud, dum exiret de terra Ægypti.* Videte et hic significari quintam sabbati: Quando exiit de terra Ægypti Joseph, id est, populus multiplicatus per Joseph, per mare Rubrum trajectus est (*Exod.* XIV, 22 31). Et tunc ergo produxerunt aquæ reptilia animarum vivarum. Nihil aliud tunc in figura portendebat transitus populi per mare, nisi transitum fidelium per Baptismum; testis est Apostolus: *Nolo enim vos,* inquit, *ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moysen baptizati sunt in nube et in mari* (I *Cor.* X, 1, 2). Nihil ergo aliud significabat transitus per mare, nisi Sacramentum baptizatorum; nihil aliud insequentes Ægyptii, nisi abundantiam præteritorum delictorum. Videtis evidentissima sacramenta: premunt Ægyptii, urgent; instant ergo peccata, sed usque ad aquam. Quid ergo times, qui nondum venisti, venire ad baptismum Christi, transire per mare Rubrum? Quid est rubrum? Sanguine Domini consecratum. Quid times venire? Conscientia forte aliquorum immanium delictorum stimulat, et excruciat in te animum, et dicit tibi tam magnum esse illud quod commisisti, ut desperes tibi dimitti: time ne remaneat aliquid peccatorum, si vixit aliquis Ægyptiorum. Cum autem transieris rubrum mare, cum eductus fueris a delictis tuis in manu potenti et brachio forti (*Psal.* CXXXV, 12), percepturus es mysteria quæ non noveras; quia et ipse Joseph, *cum exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat, audivit.* Audies linguam quam non noveras: quam modo audiunt et recognoscunt, testantes et scientes qui norunt. Audies ubi debeas habere cor: quod modo cum dicerem, multi intellexerunt, et acclamaverunt; reliqui muti steterunt, quia nondum linguam quam non noverant, audierunt. Accelerent ergo, transeant, discant: *Linguam quam non noverat, audivit.*

9. [*vers.* 7.] *Avertit ab oneribus dorsum ejus.* Quis avertit ab oneribus dorsum ejus, nisi ille qui clamavit: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis* (*Matth.* XI, 28)? Alio modo hoc idem significatur. Quod faciebat insecutio Ægyptiorum, hoc faciunt sarcinæ peccatorum. *Avertit ab oneribus dorsum ejus.* Et quasi diceres, Quibus oneribus? *Manus ejus in cophino servierunt.* Per cophinum significantur opera servilia. Mundare, stercorare [1], terram portare, cophino fit; servilia sunt opera; quia omnis qui facit peccatum servus est peccati; et si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis (*Joan.* VIII, 34, 36). Merito et abjecta mundi quasi cophini deputantur: sed et cophinos Deus buccellis implevit; duodecim cophinos buccellarum implevit (*Matth.* XIV, 20); quia abjecta hujus mundi elegit, ut confunderet fortia (I *Cor.* I, 27). Sed et quando in cophino serviebat Joseph, terram ibi portabat, quia lateres faciebat: *Manus ejus in cophino servierunt.*

10. [*vers.* 8.] *In tribulatione invocasti me, et erui te.* Recognoscat se unaquæque conscientia christiana, si devote transierit mare rubrum, si cum fide credendi et observandi linguam quam non noverat, audivit; recognoscat se in tribulatione exauditam. Ipsa enim magna tribulatio erat, premi sarcinis peccatorum; quantum gaudet relevata conscientia! Ecce baptizatus es; conscientia quæ heri premebatur, hodie gratulatur. Exauditus es in tribulatione; memento tribulationis tuæ. Antequam accederes ad aquam, quid sollicitudinis gerebas? quid jejuniorum exhibebas? quid tribulationum in corde gestabas, orationum internarum, piarum, devotarum? Occisi sunt hostes tui, omnia peccata tua deleta sunt: *In tribulatione invocasti me, et erui te.*

11. *Exaudivi te in abscondito tempestatis:* non in tempestate maris, sed in tempestate cordis. *Exaudivi te in abscondito tempestatis; probavi te in aqua contradictionis.* Revera, fratres, revera, qui exauditus est in abscondito tempestatis, debet probari in aqua contradictionis. Cum enim crediderit, cum baptizatus fuerit, cum viam Dei carpere cœperit, cum in gemellarium eliquari intenderit, et ab amurca publice currente se extraxerit, habebit multos exagitatores, multos insultatores, multos detractores, dehortatores, minantes etiam ubi possunt, deterrentes, deprimentes: hæc tota aqua contradictionis est. Puto hodie esse hic sic; arbitror esse hic nonnullos quos amici sui volebant rapere ad circum, et ad nescio quas hodiernæ festivitatis nugas; forte ipsi illos adduxerunt ad ecclesiam. Sed sive ipsi illos adduxerunt, sive ab eis ad circum abduci non potuerunt, in aqua contradictionis probati sunt. Non ergo erubescas prædicare quod nosti, defendere et inter blasphemos quod credidisti: si enim exaudiris in abscondito tempestatis, corde creditur ad justitiam; si probaris in aqua contradictionis, ore confessio fit ad salutem (*Rom.* X, 10). Quanta est enim ipsa aqua, contradictionis? jam pene siccata est. Senserunt illam majores nostri, quando verbo Dei, quando mysterio Christi acriter resistebant gentes; turbabatur aqua; aquas enim pro populis aliquando intelligendas evidenter Apocalypsis scriptura demonstrat, ubi aquæ multæ cum viderentur, et quæreretur quid essent, responsum est, *Populi sunt* (*Apoc.* XVII, 15). Pertulerunt ergo illi aquam contradictionis, quando fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania; quando astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Chri-

[1] Sic Mss. At Edd., *mundare stercora.*

stum ejus (*Psal.* II, 1, 2). Quando fremuerunt gentes, tunc leo ille viro forti Samson venienti ad ducendam de alienigenis uxorem, Christo scilicet descendenti ad habendam Ecclesiam de Gentibus, fremens ibat in obviam. Sed quid egit? Accepit, tenuit, fregit, dissipavit leonem; factus est in manibus ejus velut hædus caprarum. Quid enim fieret populus fremens, nisi languidus peccator? Occisa autem illa feritate, jam non sic fremit regia potestas, non sic fremit populus Gentium [1] in obviam Christo: imo vero in ipso regno Gentium invenimus leges pro Ecclesia, tanquam favum in ore leonis (*Judic.* XIV, 5-8). Quid ergo jam metuam aquam contradictionis, quæ prope jam tota siccata est? Illa pene jam silet, si amurca non contradicat. Quantumlibet mali sæviant alieni, o si eos non adjuvent mali nostri! *Exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te in aqua contradictionis.* Recolitis quid de Christo dictum sit, sic natum eum esse in multorum ruinam, et multorum resurrectionem, et in signum cui contradicetur (*Luc.* II, 34). Novimus, videmus: signum crucis erectum est, et contradictum est ei. Contradictum est gloriæ crucis; sed titulus erat super crucem, qui non corrumpebatur. Est enim titulus in psalmo: *In tituli inscriptionem, ne corrumpas* (*Psal.* LIX, 1). Signum erat cui contradiceretur: dixerunt enim Judæi, *Noli facere, Rex Judæorum; sed fac quod ipse dixerit regem se esse Judæorum.* Victa est contradictio; responsum est, *Quod scripsi, scripsi* (*Joan.* XIX, 19-22). *Exaudivi te in abscondito tempestatis, probavi te in aqua contradictionis.*

12. [*vers.* 9, 10.] Hoc totum ab initio Psalmi usque ad hunc versum, de oleo torcularis audivimus. Quod restat magis dolendum est et cavendum: ad amurcam enim torcularis pertinet usque ad finem; fortasse non frustra et interposito diapsalmate. Sed etiam hoc audire utile est, ut qui se jam in oleo videt, gaudeat; qui periclitatur ne in amurca currat [2], caveat. Utrumque audi: unum dilige, alterum time. *Audi, populus meus, et loquar, et testificabor tibi.* Non enim populo alieno, non enim populo non pertinenti ad torcular: *Judicate*, inquit, *inter me et vineam meam* (*Isai.* V, 3). *Audi populus meus, et loquar, et testificabor tibi.*

13. *Israel, si me audieris, non erit in te deus recens.* Deus recens, est ad tempus factus: Deus autem noster non recens, sed ab æternitate in æternitatem. Et Christus noster recens forte homo, sed sempiternus Deus. Quid enim ante principium? Et utique in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: et ipse Christus [3] noster Verbum caro factum, ut habitaret in nobis (*Joan.* I, 1, 14). Absit ergo ut sit in aliquo deus recens: deus recens, aut lapis, aut phantasma est. Non est, inquit, lapis: ego argenteum habeo et aureum. Merito ipsa pretiosa voluit nominare, qui dixit, *Idola Gentium argentum et aurum.* Magna sunt, quia aurea et argentea sunt; pretiosa sunt; lucida sunt: sed tamen oculos habent, et non vident (*Psal.* CXIII, 4, 5). Recentes hi dii. Quid recentius deo ex officina? Licet illos jam vetustos aranearum casses contexerint; qui sempiterni non sunt, recentes sunt: hoc de Paganis. Nescio quis alius, in vanitatem accipiens nomen Domini Dei sui, fecit sibi Christum creaturam, Christum imparem et inæqualem generanti; Filium Dei dicens, et Filium Dei negans. Si enim Filius unicus est, hoc quod Pater est, et hoc est ex æternitate: tu autem nescio quid aliud cogitasti in corde tuo; deum recentem posuisti. Fecit sibi alius deum pugnantem contra gentem tenebrarum, timentem ne invadatur, satagentem ne corrumpatur; ex parte tamen corruptum, ut posset esse totus salvus; sed non totus, quia ex parte corruptus. Manichæi ista dicunt; faciunt sibi et isti in corde recentem deum. Non est talis Deus noster, non est talis portio tua Jacob: sed qui fecit cœlum et terram, ipse est Deus tuus; qui non eget bonis, qui non timet a malis.

14. Multi ergo hæretici cum Paganis alios et alios deos sibi ipsi fecerunt, alios et alios deos sibi finxerunt; et eos etiamsi non in templis, tamen quod est pejus in suo corde posuerunt, et falsorum ridendorumque simulacrorum templa ipsi facti sunt. Magnum opus est, intus hæc idola frangere; et locum Deo viventi, non recenti mundare. Omnes enim isti aliud atque aliud sentientes, alios atque alios deos sibi facientes, ipsamque fidem falsitate variantes, videntur dissentire; sed omnes a terrenis cogitationibus non recedunt, in terrenis cogitationibus consentiunt sibi: opinio diversa est, vanitas una est. De illis in alio psalmo dicitur, *Ipsi de vanitate in unum* (*Psal.* LXI, 10): quamvis opinionum varietate discordent, simili tamen vanitate colligantur. Et nostis quia vanitas retro est, posterior est: ideo ille quæ retro oblitus, id est vanitatem oblitus, in ea quæ ante sunt, id est in veritatem extentus, sequitur ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu (*Philipp.* III, 13, 14). Ergo in pejus sibi isti consentiunt, quamvis dissentire a se invicem videantur. Ideo Samson caudas vulpium colligavit (*Judic.* XV, 4). Vulpes insidiosos, maximeque hæreticos significant; dolosos, fraudulentos, cavernosis anfractibus latentes et decipientes, odore etiam tetro putentes. Contra quem odorem dicit Apostolus: *Christi bonus odor sumus* [1] *in omni loco* (II *Cor.* II, 15). Istæ vulpes significantur in Canticis canticorum, ubi dicitur: *Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas, latentes in cavernis tortuosis* (*Cant.* II, 15). *Capite nobis*, convincite nobis; capis enim eum quem de falsitate convincis. Contradicentibus denique vulpeculis Domino, et dicentibus, *In qua potestate ista facis? Respondete mihi et vos*, inquit, *unum sermonem: Baptismus Joannis unde est? de cœlo, an ex hominibus?* Vulpes autem solent habere tales foveas, ut ex una parte intrent, et ex alia parte exeant: ad utrumque foramen captor vulpium retia posuit. Dicite mihi, *de cœlo est, an ex hominibus?* Senriunt illi eum ex utraque parte tetendisse unde caperet; et aiunt apud se: *Si dixerimus*, in-

[1] Aliquot Mss., *non it in obviam Christo.*
[2] Edd., *in amurcam incurrat.* At omnes Mss., *currat*: et ex his plures, *in amurca*; id est, cum amurca currat de torculari.
[3] Sic Mss. At Edd., *Deus.*

[1] Hic additur in Edd., *Deo*, quod a Mss. abest.

quiunt, *De cœlo; dicturus est nobis, Quare ergo non credidistis?* ille enim testimonium Christo perhibuit. Si *dixerimus*, *De terra; lapidat nos populus, quia ut prophetam eum habent.* Sentientes ergo hac atque hac esse unde caperentur, responderunt, *Nescimus.* Et Dominus: *Nec ego vobis dico in qua potestate ista facio* (*Matth.* XXI, 23-27). Vos dicitis vos nescire quod scitis; ego vobis non dico quod quæritis: quia ex nulla parte exire ausi estis, in vestris tenebris remansistis. Obtemperemus ergo et nos, si possumus, dicenti verbo Dei *Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas:* videamus si et nos quasdam vulpeculas capere possumus; proponamus ad foramen utrumque, ut unde vulpes exire voluerit, capiatur. Verbi gratia, manichæo facienti sibi deum recentem, et in corde suo ponenti quod non est, dicamus et interrogemus eum: Substantia Dei corruptibilis est, an incorruptibilis? Elige quod vis, et exi qua vis, sed non effugies. Si dixeris, Corruptibilis; non a populo, sed a teipso lapidaberis: si autem dixeris incorruptibilem Deum; incorruptibilis quomodo timuit gentem tenebrarum? quid factura erat incorruptibili gens corruptionis? Quid restat nisi ut dicatur, *Nescimus?* Sed tamen si hoc non dolo, sed ignorantia dicitur, non remaneat in tenebris: ex vulpe fiat ovis, credat invisibili, incorruptibili soli Deo, non recenti; soli, ab eo quod est solus, non ab eo quod est sol, ne nos ipsi vulpi fugienti aliam cavernam aperuisse videamur. Quanquam nec nomen solis formidabimus. Est enim in Scripturis nostris: *Sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus* (*Malach.* IV, 2). Ab æstu solis hujus umbra appetitur: sub alas autem solis hujus ab æstu fugitur; sanitas enim in pennis ejus. Iste est sol de quo dicturi sunt impii: *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non est ortus nobis* (*Sap.* V, 6). Dicturi sunt adoratores solis, *Sol non ortus est nobis;* quia cum adorent solem quem facit oriri super bonos et malos (*Matth.* V, 45), non est eis ortus sol qui solos illuminat bonos. Faciunt sibi ergo deos recentes quique quales volunt: quid enim impedit officinam decepti cordis fabricare phantasma quale voluerit? Sed omnes hi in posterioribus consentiunt, id est, simili vanitate detinentur. Unde Samson noster, qui etiam interpretatur Sol ipsorum, eorum scilicet quibus lucet; non omnium, sicuti est oriens super bonos et malos, sed sol quorumdam, sol justitiæ (figuram enim habebat Christi), colligavit, ut dicere cœperam, caudas vulpium, et ibi ignem alligavit; ignem ad incendendum, sed messes alienigenarum. Proinde tales consentientes in posterioribus, tanquam caudis colligati, trahunt ignem corrumpentem; sed non incendunt nostrorum segetes. « Novit » enim « Dominus qui sunt ejus; et recedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia: et alia quidem sunt in honorem, alia vero in contumeliam. Si quis autem mundaverit se ab hujusmodi, erit vas in honorem, utile Domino, ad omne opus bonum paratum » (II *Tim.* II, 19-21); et ideo nec caudas vulpium, nec faces vulpium pertimescet. Sed videamus de populo isto: *Si me audieris,* inquit, *non erit in te deus recens.* Movet me, quod dixi, *in te:* non enim dixit, A te, quasi simulacrum forinsecus adhibitum; sed, *in te,* in corde tuo, in imagine phantasmatis tui, in deceptione erroris tui tecum portabis deum tuum recentem, remanens vetustus. *Si* ergo *me audieris; me,* inquit, quia ego sum qui sum (*Exod.* III, 14); *non erit in te deus recens, nec adorabis deum alienum.* Si enim in te non sit, *non adorabis deum alienum:* Si tu non cogites deum falsum, non adorabis deum fabricatum; *non enim erit in te deus recens.*

15. [*vers.* 11.] *Ego enim sum.* Quid vis adorare quod non est? *Ego enim sum Dominus Deus tuus:* quia ego sum qui sum. Et ego quidem sum, inquit, qui sum super omnem creaturam: tibi tamen temporaliter quid præstiti? *Qui eduxi te de terra Ægypti.* Non illi tantum populo dicitur: omnes enim educti sumus de terra Ægypti, omnes per mare Rubrum transivimus, inimici nostri persequentes nos in aqua perierunt. Non simus ingrati Deo nostro; non obliviscamur Deum manentem, et fabricemus in nobis deum recentem. *Qui eduxi te de terra Ægypti:* loquitur Deus. *Dilata os tuum, et adimplebo illud.* Angustias pateris in te propter deum recentem constitutum in corde tuo; frange vanum simulacrum, dejice de conscientia tua fictum idolum: *dilata os tuum,* confitendo, amando; *et adimplebo illud,* quoniam apud me fons vitæ. (*Psal.* XXXV, 10).

16. [*vers* 12.] Hoc quidem dicit Dominus; sed quid sequitur? *Et non obaudivit populus meus vocem meam.* Non enim loqueretur ista, nisi populo suo: scimus enim quia quæcumque Lex dicit, his qui in Lege sunt dicit (*Rom.* III, 19). *Et non obaudivit populus meus vocem meam; et Israel non intendit mihi.* Quis? cui? *Israel mihi.* O ingrata anima! per me anima, a me vocata anima, a me in spem reducta, a me a peccatis abluta: *Et Israel non intendit mihi.* Baptizantur enim et transeunt per mare Rubrum; sed in via murmurant, contradicunt, conqueruntur, seditionibus conturbantur, ingrati ei qui liberavit a persequentibus hostibus, qui ducit per siccum, per eremum, cum cibo tamen et potu, cum lumine nocturno et umbraculo diurno: *Et Israel non intendit mihi.*

17. [*vers.* 13.] *Et dimisi eos secundum affectiones cordis eorum.* Ecce torcular: aperta sunt foramina, currit amurca. *Et dimisi eos,* non secundum salutem præceptorum meorum; sed, *secundum affectiones cordis eorum:* donavi eos sibi. Dicit et Apostolus: *Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum* (*Id.* I, 24). *Dimisi eos secundum affectiones cordis eorum; ibunt in affectionibus suis.* Inde est quod horretis: si tamen eliquamini in gemellaria abscondita Domini, si tamen apothecas ejus adamastis, inde est quod horretis. Alii defendunt circum, alii amphitheatrum, alii casas in vicis, alii theatra, alii illud, alii illud; alii postremo deos recentes suos: *Ibunt in affectionibus suis.*

18. [*vers.* 14, 15.] *Si plebs mea audisset me; Israel*

si in viis meis ambulasset. Dicit enim fortasse iste Israel, Ecce pecco, manifestum est; eo post affectiones cordis mei: sed quid facio? Diabolus hoc facit, dæmones hoc faciunt. Quid est diabolus? qui sunt dæmones? Certe inimici tui. *Israel si in viis meis ambulasset; in nihilum omnes inimicos eorum humiliassem.* Ergo, *Si plebs mea, audisset me:* quare enim *mea*, si non audit me? *Si plebs mea, audisset me.* Quid est, *plebs mea? Israel.* Quid est, *audisset me? Si in viis meis ambulasset.* Queritur, et gemit sub inimicis: *In nihilum inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.*

19. [*vers.* 16.] Nunc vero quid queruntur de inimicis? Ipsi facti sunt pejores inimici. Quomodo enim? quid sequitur? De inimicis querimini; vos quid estis? *Inimici Domini mentiti sunt ei.* Renuntias? Renuntio: et redit ad quod renuntiat. Utique quibus rebus renuntias, nisi factis malis, factis diabolicis, factis a Deo damnandis; furtis, rapinis, perjuriis, homicidiis, adulteriis, sacrilegiis, sacris abominandis, curiositatibus? His omnibus renuntias, et rursus his inflexus superaris. Facta sunt tibi posteriora deteriora prioribus: canis reversus ad vomitum suum, et sus lota in volutabris cœni (II *Petr.* II, 20, 22). *Inimici Domini mentiti sunt ei.* Et quanta patientia Domini! Quare non prosternuntur? quare non trucidantur? quare non terra dehiscente sorbentur? quare non cœlo flagrante incenduntur? Quia magna patientia Domini. Et erunt impuniti? Absit. Non sibi tantum de Dei misericordia blandiantur, ut sibi ejus injustitiam polliceantur. Ignoras quia Dei patientia ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam cordis tui et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (*Rom.* II, 4-6). Et si modo non reddit, tunc reddet: si enim modo reddit, ad tempus reddit; non converso autem nec correcto, in æternum reddet. Vide ergo quia non erunt impuniti; attende quod sequitur: *Inimici Domini mentiti sunt ei.* Dicturus es, Et quid eis fecit? Non vivunt? non auras carpunt? non lucem hauriunt? non fontes potant? non fructus terræ edunt? *Et erit tempus eorum in æternum.*

20. Nemo sibi ergo blandiatur, quia quasi ad torcular pertinet: bonum est illi, si ad oleum in torculari pertineat. Non sibi polliceatur unusquisque habens facta nefaria, quæ regnum Dei non possidebunt, et dicat sibi: Quoniam habeo signum Christi et Sacramenta [1] Christi, non delebor in æternum; et si purgor, per ignem salvus ero. Nam quid est quod ait Apostolus de his qui habent fundamentum? *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Quid est, inquiunt, quod sequitur? « Unusquisque autem super fundamentum videat quid superædificat. Alius enim superædificat aurum, argentum, lapides pretiosos; alius ligna, fenum, stipulam: uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur. Si cujus opus permanserit quod superædificavit, mercedem accipiet: » hoc est, quia super fundamentum justa opera ædificavit; *aurum, argentum, lapides pretiosos.* Si autem peccata; *lignum, fenum, stipulam: tamen propter fundamentum ipse salvus erit; sic tamen tanquam per ignem* (I *Cor.* III, 10-15). Fratres, nimis timidus esse volo: melius est enim non vobis dare securitatem malam. Non dabo quod non accipio, timens terreo: securos vos facerem, si securus fierem; ego ignem æternum timeo. *Et erit tempus eorum in æternum*, non accipio nisi ignem æternum; de quo alio loco Scriptura dicit: *Ignis eorum non exstinguetur, et vermis eorum non morietur* (*Isai.* LXVI, 24). Sed de impiis dixit, ait aliquis, non de me; qui quamvis peccator sim, quamvis adulter, quamvis fraudator, quamvis raptor, quamvis perjurus; habeo tamen in fundamento Christum, christianus sum, baptizatus sum: ego per ignem purgor, et propter fundamentum non pereo. Dic mihi iterum, Quid es? Christianus, inquis. Interim transi. Quid aliud? Raptor, adulter, et cætera de quibus Apostolus dicit: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (*Galat.* V, 21). Certe ergo a talibus non correctus, de talibus commissis pœnitentiam non agens, regnum cœlorum speras? Non opinor; *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Et ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu nescio quid tibi pollicens, secundum duritiam tuam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua. Attende ergo ipsum judicem venientem. Bene; Deo gratias: non tacuit sententiam definitivam, non misit foras reos et duxit velum. Ante voluit prænuntiare quod disposuit facere. Nempe *congregabuntur ante eum omnes gentes.* Quid de illis faciet? *Separabit eos; et alios ponet ad dexteram, alios ad sinistram.* Numquid medius locus servatus est? Quid dextris dicturus est? *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum.* Quid sinistris? *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 32, 33, 34, 41). Si non times mitti quo, vide cum quo. Si ergo opera illa omnia regnum Dei non possidebunt; imo non opera, sed qui talia agunt; nam opera talia in igne non erunt: non enim illo igne ardentes furaturi sunt et adulteraturi; sed *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt:* non ergo erunt a dextris cum illis quibus dicetur, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum;* quia *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Si ergo a dextris non erunt, non restat nisi ut sint a sinistris: sinistris quid dicet? *Ite in ignem æternum:* quia *erit tempus eorum in æternum.*

21. Expone ergo, inquit, nobis, ligna, fenum, stipulam qui ædificant super fundamentum, quomodo non pereant, sed salvi fiant; sic tamen quasi per ignem. Obscura quidem illa quæstio, sed, ut possum, breviter dico. Fratres, sunt homines omnino contemptores sæculi hujus, quibus non est gratum [1] quid-

[1] Plerique Mss., *Sacramentum.*

[1] Sic Er. et aliquot Mss. Alii, *natum*; aut cum Lov., *notum.*

quid temporaliter fluit; non hærent dilectione aliqua terrenis operibus [1], sancti, casti, continentes, justi, fortassis et omnia sua vendentes et pauperibus distribuentes, aut possidentes tanquam non possidentes, et utentes hoc mundo tanquam non utentes (I *Cor.* VII, 30, 31). Sunt autem alii qui rebus infirmitati concessis inhærent aliquantum dilectione. Non rapit villam alienam; sed sic amat suam, ut si perdiderit, conturbetur. Non appetit uxorem alienam; sed sic inhæret suæ, sic miscetur suæ, ut modum non ibi teneat præscriptum tabulis, liberorum procreandorum causa. Non tollit aliena; sed repetit sua, et habet cum fratre suo judicium: talibus enim dicitur, *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quia judicia habetis vobiscum* (*Id.* VI, 7). Verum ipsa judicia in Ecclesia jubet agi, non ad forum trahi; tamen delicta esse dicit: contendit enim christianus pro rebus terrenis amplius quam decet eum cui promissum est regnum cœlorum; non totum cor sursum levat, sed aliquam partem ejus trahit in terra. Denique si veniat tentatio docendi [2] martyrii, illi qui habent in fundamento Christum, et ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos, quid dicunt ex hac opportunitate? Bonum est mihi dissolvi, et esse cum Christo (*Philipp.* I, 23): alacres currunt, aut nihil aut modice de terrena fragilitate contristantur. Illi autem amantes res proprias, domos proprias, graviter conturbantur; fenum, et stipula, et ligna ardent. Habent ergo ligna, fenum, stipulam super fundamentum; sed rerum concessarum, non illicitarum. Dico enim, fratres: possides fundamentum; hære cœlo, calca terram. Si talis es, non ædificas nisi aurum, argentum, et lapides pretiosos. Cum autem dixeris, Amo possessionem istam, timeo ne pereat; et imminet damnum, et tu contristaris: non quidem præponis eam Christo; nam sic amas possessionem istam, ut si dicatur tibi, Ipsam vis, an Christum? etsi tristis eam perdis, plus tamen amplecteris Christum, quem posuisti in fundamento: salvus eris tanquam per ignem. Audi aliud: non potes tenere possessionem istam, nisi dixeris falsum testimonium. Et hoc non facere, Christum in fundamento ponere est: Veritas enim dixit, *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I, 11). Ergo si possessionem tuam diligis, non tamen propter illam facis rapinam, non propter illam dicis falsum testimonium, non propter illam facis homicidium, non propter illam falsum juras, non propter illam Christum negas; eo quod non propter illam facis hæc, Christum habes in fundamento. Sed tamen quia diligis illam, et contristaris si perdas illam; super fundamentum posuisti, non aurum, aut argentum, aut lapides pretiosos, sed ligna, fenum, stipulam. Salvus ergo eris, cum ardere cœperit quod ædificasti; sic tamen quasi per ignem. Nemo enim super fundamentum hoc ædificans adulteria, blasphemias, sacrilegia, idololatrias, perjuria, putet se salvum futurum per ignem, quasi ista sint ligna, fenum, stipula: sed qui ædificat amorem terrenorum super fundamentum regni cœlorum, id est, super Christum; ardebit amor rerum temporalium, et ipse salvus erit per idoneum fundamentum.

[1] Ferrariensis Ms., *opibus*.
[2] Plures optimæ notæ Mss., *dicendi*.

22. [*vers.* 17.] *Inimici Domini mentiti sunt ei*, dicendo, Eo ad vineam, et non eundo (*Matth.* XXI, 30): *et erit tempus eorum*, non ad tempus, sed *in æternum*. Et qui sunt isti? *Et cibavit illos ex adipe frumenti*. Nostis adipem frumenti, unde cibantur multi inimici qui mentiti sunt ei. *Et cibavit illos ex adipe frumenti*; miscuit eos Sacramentis suis. Et Judam, quando dedit buccellam (*Joan.* XIII, 26), ex adipe frumenti cibavit: et inimicus Domini mentitus est ei, et erit tempus ejus in æternum. *Et cibavit illos ex adipe frumenti; et de petra melle saturavit eos*. O ingratos! *Cibavit ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos*. In eremo de petra aquam produxit (*Exod.* XVII, 6), non mel. Mel sapientia est, primatum dulcoris tenens in escis cordis. Quam multi ergo inimici Domini mentientes Domino cibantur, non solum ex adipe frumenti, sed etiam de petra melle, de sapientia Christi! quam multi delectantur verbo ejus et cognitione sacramentorum ejus, solutione parabolarum ejus, quam multi delectantur, quam multi clamant! Et non est hoc mel de quolibet homine, sed de petra: petra autem erat Christus (I *Cor.* X, 4). Quam multi ergo satiantur de melle isto, clamant, dicunt, Suave est; dicunt, Nihil melius, nihil dulcius vel intelligi vel dici potuit! et tamen inimici Domini mentiti sunt ei. Nolo amplius immorari in rebus dolendis: quanquam terribiliter Psalmus ad hoc finitus sit, tamen a fine ejus, obsecro vos, recurramus ad caput: *Exsultate Deo adjutori nostro*, conversi ad Deum [1].

Et post verbum:

23. Non parum vestras mentes in nomine Christi divina spectacula tenuerunt, et suspenderunt vos, non solum ad appetenda quædam, sed ad quædam etiam fugienda. Ista sunt spectacula utilia, salubria, ædificantia, non destruentia: imo et destruentia, et ædificantia; destruentia recentes deos, ædificantia fidem in verum et æternum Deum. Etiam in crastinum diem invitamus Charitatem vestram. Cras illi habent, ut audivimus, mare in theatro: nos habeamus portum in Christo. Sed quoniam perendino die, id est, quarta sabbati, non possumus ad mensam Cypriani convenire, quia festivitas est sanctorum Martyrum; crastino ad ipsam mensam conveniamus.

IN PSALMUM LXXXI
ENARRATIO.

1. [*vers.* 1.] Psalmus *ipsi Asaph*. Psalmo huic titulum, sicut aliis qui similiter prænotantur, vel nomen ejus hominis indidit, a quo scriptus est, vel ejusdem nominis interpretatio; ut ad Synagogam, quod est Asaph, ejus intelligentia referatur: præsertim

[1] In Edd. omissa fuerant hæc verba: *Conversi ad Deum. Et post verbum:* quæ nos restituimus ex Mss.

quia hoc et primus ejus versus assignat. Sic enim incipit : *Deus stetit in synagoga deorum* (a). Quos utique deos absit ut intelligamus deos Gentium, sive idola, sive aliquam præter homines cœlestem terrestremve creaturam : cum paulo post hunc versum idem iste psalmus asserat, et quos deos intelligi velit, in quorum synagoga stetit Deus, apertius exprimat, ubi ait : *Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes; vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.* In horum ergo synagoga filiorum Altissimi, de quibus idem Altissimus per Isaiam dicit, *Filios genui et exaltavi; ipsi autem me spreverunt* (*Isai.* I, 2), stetit Deus. *In synagoga* populum Israel accipimus; quia et ipsorum proprie Synagoga dici solet, quamvis et Ecclesia dicta sit. Nostram vero Apostoli nunquam synagogam dixerunt, sed semper Ecclesiam : sive discernendi causa, sive quod inter congregationem unde Synagoga, et convocationem unde Ecclesia nomen accepit, distet aliquid; quod scilicet congregari et pecora solent, atque ipsa proprie, quorum et greges proprie dicimus; convocari autem magis est utentium ratione, sicut sunt homines. Unde ex persona ipsius Asaph in alio psalmo canitur, *Quasi pecus factus sum apud te, et ego semper tecum* (*Psal.* LXXII, 23) : quando utique, quamvis uni vero Deo mancipatus videretur, pro magnis tamen ac summis bonis ab illo carnalia, terrena, temporalia requirebat. Invenimus eos sæpe etiam filios appellatos; non ea gratia quæ ad Novum Testamentum pertinet, sed illa quæ ad Vetus : quia et ipsa gratia est qua elegit Abraham, et ex ejus carne tam magnum populum propagavit; qua nondum natos, Jacob dilexit, Esau autem odio habuit (*Malach.* I, 2, 3); qua liberavit ex Ægypto, qua in terram promissionis, ejectis Gentibus, introduxit. Nisi enim et ipsa esset gratia, non utique de nobis, quibus non ad terrenum, sed ad regnum cœlorum capessendum data est potestas filios Dei fieri, in eodem mox Evangelio diceretur quod accepimus gratiam pro gratia (*Joan.* I, 12, 16); id est, pro Testamenti Veteris promissionibus, Testamenti Novi promissiones. Liquet igitur, quantum existimo, in qua deorum synagoga steterit Deus.

2. Deinceps requirendum est utrum Patrem, an Filium, an Spiritum sanctum, an ipsam Trinitatem accipere debeamus stetisse *in synagoga deorum; in medio autem deos discernere* : quia et singulus quisque Deus, et ipsa Trinitas unus Deus. Non quidem facile est hoc eliquare; quia et non corporalem, sed spiritualem Dei præsentiam, quæ congruit ejus substantiæ, negari non potest adesse conditis rebus, mirabili videlicet et vix paucis intelligibili modo, cui dicitur : *Si ascendero in cœlum, tu ibi es; si descendero in infernum, ades* (*Psal.* CXXXVIII, 8). Unde merito perhibetur stare Deus in congregatione hominum invisibiliter, sicut cœlum et terram ipse implet, quod per prophetam de se ipse prædicat (*Jerem.* XXIII, 24) : nec tantum perhibetur, sed pro captu mentis humanæ utcumque cognoscitur stare in eis quæ creavit, si et homo stet et audiat eum, et gaudio gaudeat propter ejus intimam vocem (*Joan.* III, 29). Verumtamen, quantum arbitror, psalmus iste insinuare aliquid molitur, quod ex quodam tempore factum est, ut staret Deus in synagoga deorum. Nam illa statio qua cœlum et terram implet, nec ad Synagogam proprie pertinet, nec tempore variatur. *Deus* itaque *stetit in synagoga deorum*, nimirum ille qui de se dixit : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Dicitur et causa : *In medio autem deos discernere.* Agnosco igitur Deum stetisse in synagoga deorum, *quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem* : ut enim staret Deus in synagoga deorum, ad hoc ex ipsis secundum carnem. Sed quid Deus? Neque enim quales illi, in quorum deorum synagoga stetit; sed, sicut illic Apostolus sequitur, *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5). Agnosco, inquam, stetisse; agnosco et in medio Deum sponsum, de quo amicus ejus quidam dicit : *In medio vestrum stat, quem vos nescitis* (*Joan.* I, 26). Quippe de quibus paulo post in hoc psalmo dicitur, *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant* : testificatur et Apostolus, *Quoniam cæcitas ex parte Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret* (*Rom.* XI, 25). Stantem quippe in medio sui videbant eum; sed non eum videbant Deum, qualem se volebat videri, dicens : *Qui me vidit, vidit* [1] *et Patrem* (*Joan.* XIV, 9). Discernit autem deos, non eorum meritis, sed gratia sua; ex eadem conspersione faciens alia vasa in honorem, alia in contumeliam (*Rom.* IX, 21). Quis enim te discernit? Quid enim habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis (I *Cor.* IV, 7)?

3. [*vers.* 2, 3.] Audi et vocem Dei discernentis, audi et vocem Domini dividentis flammam ignis (*Psal.* XXVIII, 7) : *Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccantium sumitis?* Sicut alibi : *Usquequo graves corde* (*Psal.* IV, 3)? Numquid et usque ad adventum ejus qui lumen est cordis? Dedi legem; duriter restitistis : misi Prophetas; injuriis affecistis, aut interfecistis, aut hæc agentibus connivistis [2]. Sed ut illis nec loqui dignum sit, qui occiderunt servos Dei præmissos ad se; vos qui cum hæc fierent tacuistis, id est, vos qui eos qui tunc tacuerunt, velut innocentes imitari voluistis, *Usquequo judicatis iniquitatem, et facies peccantium sumitis?* Numquid etiam nunc et ipse hæres veniens occidendus est? Nonne ipse propter vos sine patre esse voluit tanquam pupillus? nonne propter vos esurivit et sitivit ut egenus? nonne ad vos clamavit, *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29)? Nonne pauper factus est, cum dives esset, ut ipsius paupertate ditaremini (II *Cor.* VIII, 9)? *Judicate* ergo *pupillo et egeno; humilem et pauperem justificate.* Non illos propter se superbos et divites, sed

(a) Hunc ℣. 1 habes item expositum in Enarr. Psal. XCIV, n. 6.

[1] Sic Mss. At edd., *Qui me videt, videt*, etc.

[2] Er., *conhibuistis*; et infra, loco, *conniverunt*, habet, *conhibuerunt*. Atque ita veteres libri, in quibus pro verbo, *conniveo*, constanter scriptum est, *conhibeo*.

istum propter vos humilem et pauperem, justum credite, justum prædicate.

4. [*vers.* 4.] Sed invidebunt ei, nec omnino parcent, dicentes, *Hic est hæres, venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas* (*Matth.* XXI, 38). *Auferte* ergo *inopem, et pauperem de manu peccatoris eruite.* Hæc dicta sunt, ut sciretur in eo populo in quo natus et occisus est Christus, nec illos fuisse immunes a tanto scelere, qui cum essent tantæ multitudinis, ut eos sicut Evangelium loquitur, timerent Judæi, et propterea in Christum manum mittere non auderent (*Luc.* XXII, 2), postea conniverunt, eumque interimi a malignis et invidis Judæorum principibus permiserunt; qui si voluissent, timerentur semper, ut nunquam in illum sceleratorum prævalerent manus. De his quippe et alibi dicitur : *Canes muti nescierunt latrare* (*Isai.* LVI, 10). De his etiam illud : *Ecce quomodo justus periit, et nemo considerat* (*Id.* LVII, 1). Periit, quantum in ipsis est, qui eum perdere voluerunt : nam quomodo ille posset perire moriendo, qui eo modo potius quod erat perditum requirebat? Porro, si isti juste increpantur, meritoque arguuntur, qui tantum scelus fieri dissimulando siverunt [1]; quomodo increpandi, aut ne increpandi quidem, sed qua severitate damnandi sunt qui hoc consilio malitiaque fecerunt?

5. [*vers.* 5.] Verumtamen omnibus, quod sequitur, rectissime congruit : *Nescierunt, et non intellexerunt, in tenebris ambulant.* Quia et illi, si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I *Cor.* II, 8); et illi, si cognovissent, nunquam Barabbam liberandum, et Christum crucifigendum petere consensissent. Sed quoniam supra memorata *cæcitas ex parte Israel facta est, donec plenitudo Gentium intraret;* per hanc utique illius populi cæcitatem crucifixo Christo, *movebuntur omnia fundamenta terræ.* Sic mota sunt, et movebuntur, donec intret quæ prædestinata est Gentium plenitudo. Nam et in ipsa morte Domini terra mota est, et petræ scissæ sunt (*Matth.* XXVII, 51). Et si intelligamus fundamenta terræ, terrenorum bonorum copia felices : recte prædictum est quod moverentur, vel admirando sic amari, sic coli humilitatem, paupertatem, mortem, velut magnam secundum ipsos miseriam Christi; vel ipsi quoque, hujus mundi vana felicitate contempta, illam diligendo atque sectando. Ita moventur omnia fundamenta terræ, cum partim mirantur, partim etiam commutantur. Sicut enim non absurde dicimus fundamenta cœli, quibus regnum cœlorum superædificatur in sanctis et fidelibus, quos dicit Scriptura lapides vivos (I *Petr.* II, 5) : quorum fundamentum est primitus ipse Christus ex virgine; de quo dicit Apostolus, *Fundamentum aliud nemo potest ponere præterquam quod positum est, quod est Christus Jesus* (I *Cor.* III, 11) : deinde ipsi Apostoli et Prophetæ, quorum auctoritate locus cœlestis eligitur, ut eam sectando coædificemur ; unde dicit ad Ephesios, « Jam non estis peregrini et inquilini; sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide existente Christo Jesu, in quo omnis ædificatio compacta crescit in templum sanctum in Domino » (*Ephes.* II, 19-22) : ita non inconvenienter fundamenta terræ intelliguntur, quorum terrenam felicitatem præpollentem atque potentem homines invidendo, eorum auctoritate ad hujusmodi bona concupiscenda pertrahuntur, et adipiscendo coædificantur tanquam terra super terram, sicut in illo superno ædificio cœlum super cœlum; quia et peccatori dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19); et, *Cœli enarrant gloriam Dei,* cum *in omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 2, 5).

6. [*vers.* 6, 7]. Terrenæ autem felicitatis regnum superbia est, contra quam venit humilitas Christi, exprobrans eis quos vult ex humilitate filios Altissimi facere, atque increpans : *Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus ex principibus cadetis.* Sive ad illos dixerit, *Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes,* ad eos utique qui prædestinati sunt in vitam æternam; ad alios vero, *Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus ex principibus cadetis,* hoc modo etiam deos discernens : sive omnes simul increpat, ut obedientes correctosque discernat, *Ego,* inquit, *dixi, Dii estis et filii Altissimi omnes;* id est, omnibus vobis promisi cœlestem felicitatem; *vos autem,* per infirmitatem carnis, *sicut homines moriemini, et,* per elationem animi, *sicut, unus ex principibus,* id est diabolus, non extollemini, sed *cadetis.* Velut si diceret : Cum tam pauci sint dies vitæ vestræ, ut cito sicut homines moriamini, non vobis prodest ad correctionem; sed tanquam diabolus, cujus dies in hoc sæculo multi sunt, quia carne non moritur, extollimini, ut cadatis. Per diabolicam quippe superbiam factum est, ut Christi gloriæ perversi et cæci principes Judæorum invidissent : per hoc vitium factum est et fit, ut Christi usque ad mortem crucifixi humilitas vilescat eis qui hujus sæculi diligunt excellentiam.

7. [*vers.* 8.] Proinde ut hoc vitium sanetur, ex ipsius prophetæ persona dicitur : *Surge, Deus, judica terram.* Tumuit [1] enim terra, cum te crucifigeret; surge a mortuis, et judica terram. *Quoniam tu disperdes in omnibus gentibus :* quid, nisi terram? hoc est, eos qui terrena sapiunt; sive ipsum affectum in credentibus terrenæ cupiditatis et elationem absumens [2]; sive non credentes, terram conterendam perdendamque discernens. Sic per membra sua, quorum conversatio in cœlis est, judicat terram, et disperdit in omnibus gentibus. Nec prætereundum, quod nonnulli codices habent, *Quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus :* quia et hoc non inconvenienter accipitur, neque ut simul utrumque sit quidquam repugnat. Fit ergo hæreditas ejus per charita-

[1] Edd., *siluerunt.* Melius Corb. Mss., *siverunt.*

[1] Sic meliores Mss. At Edd., *Timuit.*
[2] Edd., *assumens.* Emendantur auctoritate Mss.

tem, quam suis præceptis et gratia misericorditer excolendo, terrenam disperdit cupiditatem.

IN PSALMUM LXXXII
ENARRATIO.

1. [*vers.* 1.] Psalmi hujus titulus est, *Canticum Psalmi Asaph.* Jam sæpe diximus quid interpretetur Asaph, id est, Congregatio. Homo ergo ille qui vocabatur Asaph, in figura congregationis populi Dei in multorum psalmorum titulis ponitur. Græce autem congregatio synagoga dicitur, quod velut proprium nomen Judæorum populus tenuit, ut Synagoga appellaretur; sicut populus Christianus usitatius vocatur Ecclesia, cum et ipse utique congregetur.

2. [*vers.* 2.] Populus itaque Dei in isto psalmo dicit: *Deus, quis similis erit tibi?* Quod ego arbitror accommodatius accipi in Christo, quia in similitudine hominum factus, putatus est ab eis a quibus contemptus est, cæteris hominibus comparandus: nam et inter iniquos deputatus est (*Isai.* LIII, 12); sed ad hoc ut judicaretur. Cum autem veniet judicaturus, tunc fiet quod hic dicitur, *Deus, quis similis erit tibi?* Si enim Psalmi non solerent loqui ad Dominum Christum, non diceretur etiam illud, quod ipsi dictum esse nullus potest dubitare fidelium: « Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui: dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis » (*Psal.* XLIV, 7, 8). Huic ergo et nunc dicitur, *Deus, quis similis erit tibi?* Multis enim similis in humilitate esse voluisti, usque et latronibus qui tecum sunt crucifixi (*Luc.* XXIII, 33); sed in claritate cum venies, *quis similis erit tibi?* Quid enim magnum dicitur, cum Deo dicitur, *Quis similis erit tibi;* nisi illi dicatur, qui similis esse hominibus voluit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Philipp.* II, 7)? Et ideo non ait, Quis similis est tibi? quod utique recte diceretur, si hoc ad divinitatem referretur. Quia vero ad formam servi relatum est, tunc ejus a cæteris hominibus dissimilitudo apparebit, quando apparebit in gloria. Ideo sequitur, *Ne taceas, neque compescaris, Deus:* quia primo tacuit, ut judicaretur; quando sicut agnus coram tondente se fuit sine voce, sic non aperuit os suum (*Isai.* LII, 7), et suam compescuit potestatem. Quam ut se compescere ostenderet, ad illam ejus vocem qua dixit, *Ego sum*, hi qui eum apprehendendum quærebant, redierunt retro, et ceciderunt (*Joan.* XVIII, 5, 6). Quando ergo teneretur atque pateretur, nisi se ipse cohiberet atque compesceret, et quodam modo mitigaret? Nam et sic quidam interpretati sunt quod hic positum est, *Neque compescaris Deus*, ut dicerent, *Neque mitescas Deus.* Ipse alibi dicit, *Tacui; numquid semper tacebo* (*Isai.* XLII, 14)? Cui dicitur hic, *ne taceas;* de illo alibi dicitur, *Deus manifestus veniet, Deus noster, et non silebit* (*Psal.* XLIX, 3). Dicitur hic, *Ne taceas:* tacuit enim, ut judicaretur, quando venit occultus; non autem tacebit, ut judicet, quando veniet manifestus.

3. [*vers.* 3.] *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt; et qui oderunt te extulerunt caput.* Novissimos dies significare mihi videtur, quando hæc quæ nunc metu comprimuntur, in liberam vocem erruptura sunt, sed plane irrationabilem, ut sonitus magis quam locutio vel sermo dicendus sit. Non itaque tunc odisse incipient, sed qui oderunt te, tunc levabunt caput. Nec capita, sed *caput;* quando eo perventuri sunt, ut etiam illud caput habeant quod extollitur super omne quod dicitur Deus et quod colitur: ut in illo maxime impleatur, *qui se exaltat, humiliabitur* (*Luc.* XIV, 11); et cum eum ille cui dicitur, *Ne taceas, neque mitescas Deus*, interficiet spiritu oris sui, et evacuabit illuminatione præsentiæ suæ (II *Thess.* II, 4, 8).

4. [*vers.* 4.] *Super populum tuum malignaverunt consilium;* vel, sicut alii codices habent, *astute cogitaverunt consilium, et cogitaverunt adversus sanctos tuos.* Irridenter ista dicuntur: quando enim valerent nocere populo vel plebi Dei, vel sanctis ejus qui noverunt dicere, *Si Deus pro nobis, quis contra nos* (*Rom.* VIII, 31)?

5. [*vers.* 5.] *Dixerunt, Venite, et disperdamus eos de gente.* Singularem numerum posuit pro plurali; sicut dicitur, Cujus est hoc pecus, etiamsi de grege interrogetur, et intelliguntur pecora: denique alii codices, *de gentibus*, habent; ubi magis interpretes intellectum quam verbum secuti sunt. *Venite, et disperdamus eos de gente.* Ipse est ille sonus quo sonuerunt magis quam locuti sunt, quoniam inaniter inania strepuerunt. *Et non memoretur nominis Israel ultra.* Hoc alii planius dixerunt, *Et non sit memoria nominis Israel adhuc.* Quia *memoretur nominis*, in latina lingua inusitata locutio est; potius enim dici solet, memoretur nomen: sed eadem ipsa sententia est; nam qui dixit, *memoretur nominis*, græcam transtulit locutionem. *Israel* autem hic debet intelligi utique semen Abrahæ, cui dicit Apostolus, *Ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes* (*Galat.* III, 29): non Israel secundum carnem, de quo dicit, *Videte Israel secundum carnem* (I *Cor.* X, 18).

6. [*vers.* 6.] *Quoniam cogitaverunt unanimiter, simul adversus te testamentum disposuerunt:* quasi possent esse fortiores. Testamentum sane in Scripturis non illud solum dicitur, quod non valet nisi testatoribus mortuis; sed omne pactum et placitum testamentum vocabant. Nam Laban et Jacob testamentum fecerunt (*Gen.* XXXI, 44), quod utique etiam inter vivos valeret: et innumerabilia talia in divinis leguntur eloquiis.

7. [*vers.* 7, 8.] Deinde incipit inimicos Christi commemorare sub quibusdam vocabulis Gentium: quorum vocabulorum interpretatio satis indicat quid velit intelligi. Talibus enim nominibus convenientissime figurantur veritatis inimici. Idumæi quippe interpretantur, vel Sanguinei, vel Terreni: Ismaelitæ, Obedientes sibi; utique non Deo, sed sibi. Moab, Ex patre: quod in malo non intelligitur melius, nisi cum ipsa historia cogitatur, quod pater Lot filiæ suæ illicite se utenti permixtus eum genuit; quia ex ipsa re

tale nomen accepit (*Gen.* XIX, 36 *et* 37). Bonus autem pater, sed sicut Lex [1], si quis ea legitime utatur (I *Tim.* I, 8); non inceste et illicite. Agareni, Proselyti, id est, advenæ: quo nomine significantur inter inimicos populi Dei, non illi qui cives fiunt; sed qui in animo alieno atque adventitio perseverant, et nocendi occasione inventa se ostendunt. Gebal, Vallis vana, id est, fallaciter humilis: Amon, Populus turbidus, vel Populus mœroris: Amalech, Populus lingens; unde alibi dictum est, *Et inimici ejus terram lingent* (*Psal.* LXXI, 9). Alienigenæ, quamvis et ipso nomine latino se indicent alienos, et ob hoc consequenter inimicos, tamen in hebræo dicuntur Philistiim; quod interpretatur Cadentes potione, velut quos fecit ebrios luxuria sæcularis. Tyrus lingua hebræa dicitur Sor; quod sive Angustia sive Tribulatio interpretetur, secundum illud accipiendum est in his inimicis populi Dei, quod ait Apostolus: *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum* (*Rom.* II, 9). Omnes ergo hi sic enumerantur in hoc psalmo: *Tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ, Moab et Agareni, Gebal et Amon et Amalech, et alienigenæ cum habitantibus Tyrum.*

8. [*vers.* 9.] Et tanquam indicans causam quare sint inimici populo Dei, adjungit et dicit: *Etenim Assur venit cum illis.* Assur autem pro ipso diabolo figurate intelligi solet, qui operatur in filiis diffidentiæ (*Ephes.* II, 2), tanquam in vasis suis, ut oppugnent populum Dei. *Facti sunt*, inquit, *in adjutorium filiis Lot:* quia omnes inimici, operante in se principe suo diabolo, *facti sunt in adjutorium filiis Lot*, qui interpretatur Declinans. Angeli autem apostatici bene intelliguntur tanquam filii declinationis; a veritate quippe declinando, in satellitium diaboli discesserunt. Hi sunt de quibus dicit Apostolus: « Non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes et potestates et rectores mundi tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus » (*Id.* VI, 12). Quapropter [2] istos invisibiles inimicos adjuvant homines infideles, in quibus operantur ad oppugnandum populum Dei.

9. [*vers.* 10-13.] Jam nunc videamus quid imprecetur propheticus spiritus, magis prædicens quam maledicens. *Fac illis*, inquit, *sicut Madian et Sisaræ, sicut Jabin in torrente Cison. Disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terræ.* Hos omnes secundum historiam populus Israel, qui tunc erat populus Dei, debellavit et vicit; sicut etiam illos quos deinceps commemorat, dicens, *Pone principes eorum sicut Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana* (*Judic.* IV, VII, VIII). Interpretationes autem eorum nominum istæ sunt: Madian interpretatur Declinans judicium; Sisara, Gaudii exclusio; Jabin, Sapiens. Sed in his inimicis a populo Dei superatis, ille intelligendus est sapiens, de quo Apostolus dicit: *Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi* (I *Cor.* I, 20)? Oreb, Siccitas: Zeb, Lupus: Zebee, Victima, sed lupi; habet enim et ipse victimas suas: Salmana, Umbra commotionis. Hæc omnia congruunt malis, quos in bono vincit populus Dei. Porro autem Cison, in quo torrente victi sunt, interpretatur Duritia eorum. Endor, ubi perierunt, interpretatur Fons generationis, sed utique carnalis, cui dediti perierunt: non curantes regenerationem, quæ perducit ad vitam, ubi non nubent, neque uxores ducent; non enim incipient mori (*Luc.* XX, 35, 36). Merito ergo de his dictum est, *Facti sunt ut stercus terræ;* de quibus nihil propagatum est, nisi terrena fecunditas. Sicut ergo illi omnes in figura superati sunt a populo Dei; sic istos inimicos precatur in veritate superari.

10. *Omnes*, inquit, *principes eorum, qui dixerunt, Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.* Ipse est sonitus inanis, quo, ut supra dictum est, *inimici tui sonuerunt.* Sanctuarium autem Dei quid intelligendum est, nisi templum Dei, de quo Apostolus ait: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I *Cor.* III, 17)? Nam quid aliud inimici, nisi populum Dei possidere, id est, subjugare moliuntur, ut cedat [1] in eorum impias voluntates?

11. [*vers.* 14.] Sed quid sequitur? *Deus meus, pone illos ut rotam.* Convenienter quidem accipitur, ut non sint in eo quod cogitant stabiles; verumtamen etiam sic recte posse intelligi existimo, *Pone illos ut rotam*, quod rota ex his quæ retro sunt extollitur, ex his quæ ante sunt dejicitur: sic fiunt omnes inimici populi Dei. Non enim hæc optatio, sed prophetatio est. Adjungit etiam: *Sicut stipulam ante faciem venti.* Faciem dicit præsentiam: nam quæ facies est venti, cui nulla lineamenta sunt corporis; cum sit motus, id est, quasi fluctus aeris? Ponitur autem pro tentatione, qua levia et inania corda rapiuntur:

12. [*vers.* 15, 16.] Levitatem porro, qua facile consentitur ad mala, gravis sequitur cruciatus; unde deinceps dicitur: *Sicut ignis qui comburit silvam, sicut flamma comburens montes; ita persequeris illos in tempestate tua, et in ira tua conturbabis eos.* Silvam dixit propter sterilitatem, montes propter elationem: tales enim sunt inimici populi Dei; inanes justitiæ, pleni superbia. Ignem vero et flammam dicens, hoc idem alio nomine repetivit, quo intelligi voluit judicantem atque punientem Deum. Quod autem ait, *in tempestate tua;* hoc idem consequenter exposuit dicens, *in ira tua:* et quod supra dixit, *persequeris eos;* hoc postea, *conturbabis eos.* Meminerimus sane iram Dei sine ulla affectione turbulenta intelligere: ira quippe ejus dicitur, ratio justa vindictæ; tanquam si lex dicatur irasci, cum ministri ejus secundum eam commoti vindicant.

13. [*vers.* 17-19.] *Imple*, inquit, *facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum*, *Domine.* Hoc sane illis bonum et optabile prophetatur: nec prophetaretur, nisi essent in ea societate inimicorum populi Dei etiam tales homines, quibus hoc ante ultimum judicium præstaretur; quia et nunc idem ipsi sunt, et ipsum corpus est inimicorum secundum invidentiam

[1] Sic Mss. At Lov., *bonus autem pater Lex, sed sicut Apostolus ait, si quis*, etc.

[2] Edd., *Quia istos.* At Mss. alii, *Quapropter;* alii, *Quia propter.*

[1] Sic Mss. At Edd., *cadat.*

qua æmulantur populum Dei. Et nunc, ubi possunt, et sonant et levant caput; sed particulatim, non universaliter, sicut in fine sæculi, novissimo imminente judicio. Tamen ipsum corpus est et in his qui inde credituri sunt, atque in corpus aliud transituri (horum enim facies salubriter impletur ignominia, ut quærant nomen Domini); et in illis qui usque in finem in eadem malitia perseverant, qui ponuntur ut stipula ante faciem venti, et silvæ montibusque infructuosis similes comburuntur. Ad quos denuo revertitur, dicens : *Erubescant, et conturbentur in sæculum sæculi.* Non enim in sæculum sæculi conturbantur qui quærunt nomen Domini; sed respicientes ignominiam peccatorum suorum, ad hoc conturbantur, ut quærant nomen Domini, per quod non conturbentur.

14. Rursusque ad hos redit, qui in eadem societate inimicorum ad hoc confundendi sunt, ne confundantur in æternum; et ad hoc perdendi in quantum mali sunt, ut boni facti inveniantur in æternum. De his enim cum dixisset, *Et confundantur, et pereant;* statim subjecit, *Et cognoscant quia nomen tibi Dominus; tu solus altissimus in omni terra :* ad hanc cognitionem venientes sic confundantur, ut placeant; sic pereant, ut permaneant. *Cognoscant*, inquit, *quia nomen tibi Dominus :* tanquam non vero nec suo nomine nuncupentur quicumque alii domini nominantur; quoniam serviliter dominantur, et vero Domino comparati nec domini sunt : sicut dictum est, *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14); tanquam non sint ea quæ facta sunt, si comparentur ei a quo facta sunt. Quod vero adjunxit, *tu solus altissimus in omni terra*, vel, sicut alii codices habent, *super omnem terram;* utique et in omni cœlo, vel super omne cœlum : sed hoc dicere maluit, quo terrena superbia premeretur. Desinit enim superbire terra, id est homo, cui dictum est, *Terra es* (*Gen.* III, 19); et, *Quid superbit terra et cinis* (*Eccli.* x, 9)? cum cognoscit Dominum esse altissimum super omnem terram, id est, nullius hominis cogitationes valere adversus eos qui secundum propositum vocati sunt, et de quibus dicitur, *Si Deus pro nobis, quis contra nos* (*Rom.* VIII, 28, 31)?

IN PSALMUM LXXXIII

ENARRATIO.

1. [*vers.* 1.] Psalmus iste, *Pro torcularibus*, inscribitur. Et quantum advertit nobiscum Charitas Vestra (quia vos intentissime audire advertebamus), nihil in ejus textu dictum est vel de prelo, vel de fiscinis, vel de lacu, vel de instrumentis aut ædificio torcularis; omnino nihil in eo tale audivimus : unde quid sibi velit titulus ejus, quod inscribitur, *Pro torcularibus*, non parva quæstio est. Profecto enim si post istum titulum aliquid de talibus rebus diceret, quales commemoravi, crederetur a carnalibus vere ista visibilia torcularia voluisse cantare : quia vero titulum imposuit, *Pro torcularibus*, et nihil postea in omni versu Psalmi dixit de his torcularibus notissimis oculis nostris; non dubitatur esse alia torcularia quæ nos hic quærere et intelligere voluit Spiritus Dei. Quapropter quid agatur in his visibilibus torcularibus recordemur, et hoc videamus quemadmodum spiritualiter geratur in Ecclesia. Uva certe pendet in vitibus, et oliva in arboribus (his enim duobus fructibus solent torcularia præparari); et quamdiu pendent in fruticibus suis, tanquam libero aere perfruuntur; et nec uva vinum est, nec oliva oleum, ante pressuram. Sic sunt homines quos prædestinavit Deus ante sæcula conformes fieri imaginis unigeniti Filii sui (*Rom.* VIII, 29), qui præcipue in passione magnus botrus expressus est. Hujusmodi ergo homines antequam accedant ad servitutem Dei, fruuntur in sæculo tanquam deliciosa libertate, velut uvæ aut olivæ pendentes : sed quoniam dictum est, *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 1), accedens quisque ad servitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscat; contribulabitur, conteretur, comprimetur; non ut in hoc sæculo pereat, sed ut in apothecas Dei defluat. Exuitur carnalium desideriorum integumentis, quasi vinaciis : hoc enim ei contigit [1] in desideriis carnalibus, propter quæ et Apostolus dicit, *Exuite vos veterem hominem, et induite novum* (*Coloss.* III, 9, 10). Hoc totum non fit nisi de pressura : propterea torcularia nominantur Ecclesiæ Dei hujus temporis.

2. Sed in torcularibus positi qui sumus? Filii Core. Sic enim additum est, *Pro torcularibus, filiis Core.* Filios Core interpretatos habemus filios Calvi, quantum nobis qui illam linguam noverunt, per ministerium quod Deo debebant, interpretari potuerunt : et in hoc non defugio magnum mysterium intueri, et adjuvante Domino invenire vobiscum. Non enim tanquam a filiis pestilentiæ omnis est irridenda calvities; ne cum quisque sacratam calvitiem [2] irriserit, a dæmoniis dissipetur. Nam et Elisæus ibat, et insensati pueri clamaverunt post eum, *Calve, calve;* et propter sacramentum implendum, conversus ad Dominum petivit ut eos ursi de silva exeuntes comederent (IV *Reg.* II, 23, 24). Abrepta est quidem illorum infantia in exitium [3] vitæ de hoc sæculo; mortui sunt pueri, senes quandoque morituri : verumtamen sacramenti terror datus est hominibus. Elisæus enim personam cujusdam tunc gerebat, cujus filii sumus, filii Core, Domini scilicet nostri Jesu Christi. Jam occurrit Charitati vestræ ex Evangelio, quare calvus, gerebat personam Christi; recordamini quod in Calvariæ loco crucifixus est (*Matth.* XXVII, 33). Sive ergo hoc interpretatur *filiis Core*, sicut secuti priores diximus; sive aliud aliquid, quod nos forsitan latet; interim quod occurrit, videte quia plenum est sacramento. Filii Core, filii Christi : nam et filios suos dicit sponsus, cum ait, *Non possunt filii sponsi jejunare, quamdiu cum illis est sponsus* (*Id.* IX, 15). Christianorum sunt ergo ista torcularia.

[1] Sic Er. et Mss. At Lov., *contingit.*
[2] Mss. aliquot, *sacratam calvariam.* Nonnulli, *sacramentum calvi.*
[3] Plures Mss., *in exitum :* et nonnulli, *in exitus.*

3. In pressuris autem constituti, ad hoc conterimur, ut amore nostro, quo ferebamur in ista mundana, sæcularia, temporalia, fluxa atque peritura, passi in eis, in hac vita, tormenta et tribulationes pressurarum et abundantiam tentationum, incipiamus quærere illam quietem quæ non est de hac vita, nec de hac terra: et fit Dominus, ut scriptum est, *refugium pauperi* (*Psal.* IX, 10). Quid est *pauperi?* Tanquam destituto, sine ope, sine auxilio, sine aliqua re de qua in terra præsumat. Talibus enim pauperibus adest Deus. Quia homines, etsi abundent pecunia in hac terra, respiciunt quod ait Apostolus, *Præcipe divitibus hujus mundi non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum* (I *Tim.* VI, 17): et considerantes quam sit incertum unde gaudebant, antequam accederent ad servitutem Dei, id est, antequam introirent in torcularia, vident ex ipsis divitiis vel habere se pressuras cogitationum, quomodo ea gubernentur, quomodo custodiantur; vel si paululum inclinaverint cupiditatem ut ea diligant, plus eos impleri timoribus quam fructibus. Quid enim tam incertum, quam res volubilis? Nec immerito ipsa pecunia rotunda signatur, quia non stat. Tales ergo, etsi habeant aliquid, pauperes sunt. Qui vero nihil horum habent, et habere desiderant, inter reprobandos divites computantur: non enim attendit Deus facultatem, sed voluntatem. Pauperes igitur destituti omni ope sæculari, quia etsi ea circumfluant, intelligunt quam incerta sint; et ingemiscentes ad Deum, nihil habentes in hoc sæculo quo delectentur, quo teneantur, in abundantia pressurarum et tentationum tanquam in torcularibus constituti, defluunt vinum, defluunt oleum. Quæ sunt ista, nisi bona desideria? Restat enim illis desiderandus Deus; jam non amant terram. Amant enim qui fecit cœlum et terram: amant, et nondum cum eo sunt. Desiderium eorum differtur, ut crescat; crescit, ut capiat. Non enim parvum [1] aliquid daturus est Deus desideranti, aut parum exercendus est ad capacitatem tanti boni: non aliquid Deus quod fecit daturus est, sed seipsum qui fecit omnia. Ad capiendum Deum exercere; quod semper habiturus es diu desidera. Reprobati sunt in populo Israel, qui festinaverunt: assidue affectus iste reprehenditur in Scriptura festinantium. Qui sunt enim qui festinant? Qui conversi ad Deum, cum hic non invenerint requiem quam quærebant, et gaudia quæ promittebantur, tanquam in itinere deficientes, et longum sibi quiddam, donec hoc sæculum vel hæc vita finiantur, restare arbitrantes, et quærentes hic aliquam requiem, quæ si habetur, falsa est, respiciunt retro, et decidunt a proposito; nec attendunt cum quanto terrore dictum est, *Mementote uxoris Lot* (*Luc.* XVII, 32). Utquid enim statua salis effecta est (*Gen.* XIX, 26), si non homines condit, ut sapiant? Ergo exemplum illius malum, tibi fit bonum, si caveris. Mementote, inquit, uxoris Lot: respexit enim retro, unde liberata erat a Sodomis, et ibi remansit, unde respexit; ipsa in loco mansura, et transeuntes alios conditura. Liberati ergo a Sodomis præteritæ vitæ, non respiciamus retro: nam hoc festinare est, non attendere quod promisit Deus, quia longe est, et respicere ad id quod proximum est, unde jam liberatus es. De talibus quid dicit apostolus Petrus? *Contingit illis res veri proverbii: Canis conversus [1] ad suum vomitum* (II *Petr.* II, 22). Premebat enim pectus conscientia peccatorum; accepta indulgentia quasi vomuisti, et relevatum est pectus tuum; facta est bona conscientia ex mala conscientia: quid rursus converteris ad vomitum tuum? Si canis hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei?

4. Unusquisque autem, fratres charissimi, de loco itineris sui, ad quem proficiendo pervenit, et quem vovit Deo, inde respicit retro, cum ipsum dimiserit. Verbi gratia, statuit castitatem conjugalem servare (inde enim incipit justitia); recessit a fornicationibus et ab illa illicita immunditia: quando se ad fornicationes converterit, retro respexit. Alius ex munere Dei majus aliquid vovit, statuit nec nuptias pati; qui non damnaretur, si duxisset uxorem, post votum quod Deo promisit si duxerit, damnabitur: cum hoc faciat quod ille qui non promiserat; tamen ille non damnatur, iste damnatur. Quare, nisi quia iste respexit retro? Jam enim ante erat, iste autem illuc nondum pervenerat. Sic virgo, quæ si nuberet, non peccaret (I *Cor.* VII, 28), sanctimonialis si nupserit, Christi adultera deputabitur. Respexit enim retro de loco quo accesserat. Sic quibus placet, relicta omni spe sæculari et omni actione terrena, conferre se in societatem sanctorum, in communem illam vitam ubi non dicit aliquis aliquid proprium, sed sunt illis omnia communia, et est illis anima una et cor unum in Deum (*Act.* IV, 32); quisquis inde recedere voluerit, non talis habetur qualis ille qui non intravit: ille enim nondum accessit; iste retro respexit. Quapropter, charissimi, quomodo quisque potest, vovete, et reddite Domino Deo vestro (*Psal.* LXXV, 12) quod quisque potuerit; nemo retro respiciat, nemo pristinis suis delectetur, nemo avertatur ab eo quod ante est, ad id quod retro est: currat donec perveniat; non enim pedibus, sed desiderio currimus. Nullus autem in hac vita pervenisse se dicat. Quis enim potest tam perfectus esse quam Paulus? Et ait tamen, « Fratres, ego me non arbitror apprehendisse: unum autem, quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu » (*Philipp.* III, 13 *et* 14). Vides Paulum adhuc currere, et te jam existimas pervenisse?

5. [*vers.* 2.] Si ergo sentis pressuras hujus mundi, etiam cum felix es, intellexisti te esse in torculari. Putatis enim, fratres mei, infelicitatem sæculi metuendam esse, et felicitatem non esse metuendam? Imo vero nulla infelicitas frangit, quem felicitas nulla corrumpit. Quomodo ergo cavenda et timenda est ipsa corruptrix, ne te blandiendo seducat? Ne incumbas in baculum arundinis; nam et hoc scriptum

[1] Sic Remig. Ms. Alii libri, *parum.*

[1] Edd., *reversus.* At Mss., *conversus*

est, quosdam incumbere in baculum arundinis. Noli te credere (IV *Reg.* XVIII, 21); fragile est quo niteris, frangitur et interimit te. Si ergo felicitate tibi iste mundus arrideat, in pressura te computa, ut dicas, *Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi* (*Psal.* CXIV, 3, 4). Non dixit, *inveni tribulationem*, nisi quamdam quæ latet: quædam enim tribulatio quosdam in hoc sæculo latet, qui putant sibi bene esse, cum peregrinentur a Domino. *Quamdiu enim sumus in corpore*, inquit, *peregrinamur a Domino* (II *Cor.* V, 6). Si a patre tuo homine peregrinareris, miser esses: a Domino peregrinaris, et felix es? Ergo sunt qui putant bene sibi esse. Qui autem intelligunt in qualibet circumfluentia copiarum et voluptatum, quamvis ad nutum cuncta deserviant, quamvis nihil molestum irrepat, nihil adversum terreat, tamen in malo se esse quamdiu peregrinantur a Domino; acutissimo oculo tribulationem et dolorem invenerunt, et nomen Domini invocaverunt. Talis est qui cantat in hoc psalmo. Quis est? Corpus Christi. Quis est iste? Vos, si vultis; nos omnes, si volumus; omnes filii Core, et omnes unus homo, quia unum Christi corpus. Quomodo non est unus homo, qui unum caput habet? Caput omnium nostrum Christus est: corpus illius capitis omnes nos sumus. Et omnes in hac vita in torcularibus sumus: si bene sapimus, jam ad torcularia venimus. Ergo in pressuris tentationum constituti, edamus hanc vocem, et præmittamus desiderium nostrum: *Quam dilectissima* [1] *sunt*, inquit, *tabernacula tua, Domine virtutum!* Erat in tabernaculis quibusdam, id est, in torcularibus; sed desiderabat alia tabernacula, ubi nulla pressura est: in his illuc suspirabat, ab his in illa per desiderii canalem [2] quodam modo defluebat.

6. [*vers.* 3, 4.] Et quid sequitur? *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.* Parum est, *Concupiscit et deficit*; sed quo deficit? *In atria Domini.* Defecit uva pressa; sed quo defecit? In vinum et in lacum, et in apothecæ requiem, servanda in quiete magna. Hic desideratur, ibi capitur, hic suspiratur, ibi gaudetur; hic oratur, ibi laudatur; hic gemitur, ibi exsultatur. Ea quæ dixi quasi dura hic nemo aversetur; nemo quasi nolit pati. Metuendum est ne uva, dum torcular timet, ab avibus vel a feris comedatur. In magna videtur tristitia esse, cum dicit, *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini;* non enim habet quod desiderat: sed numquid sine gaudio est? Quo gaudio? Quod [3] ait Apostolus: *Spe gaudentes.* Ibi jam re gaudebit, modo adhuc spe. Ideoque qui spe gaudent, quia certi sunt se accepturos, tolerant in torculari omnes pressuras. Propterea et ipse Apostolus cum dixisset, *Spe gaudentes;* quasi his loqueretur, qui jam in torculari sunt, addidit statim: *In tribulatione patientes. In tribulatione*, inquit, *patientes:* quid deinde? *In oratione tolerantes* (*Rom.* XII, 12). Quid est, *tolerantes*? Quia differimini. Oratis et differimini: tolerate quod differimini: toleretur quod differtur; quia cum venerit, non aufertur.

7. Audisti gemitum in torculari, *Desiderat et deficit anima mea in atria Domini;* audi unde duret, spe gaudens: *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.* Exsultaverunt hic in illud. Unde exsultatio, nisi de spe? Quo exsultaverunt? *In Deum vivum.* Quæ tibi exsultaverunt? *Cor meum et caro mea.* Unde exsultaverunt? *Nam et passer*, inquit, *invenit sibi domum, et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.* Quid est hoc? Duo dixerat, et duo reddidit in similitudinibus avium: dixerat exsultasse cor suum, et carnem suam, et his duobus reddidit passerem et turturem; cor tanquam passer, caro tanquam turtur. Invenit sibi domum passer, invenit sibi domum cor meum. Exercet pennas in virtutibus hujus temporis, in ipsa fide, et spe, et charitate, quibus volet in domum suam: et cum venerit permanebit, et jam querula vox passeris quæ hic est, non erit ibi. Nam ipse est querulus passer, de quo in alio psalmo dicit, *Sicut passer singularis in tecto* (*Psal.* CI, 8). De tecto volat ad domum. Jam sit in tecto, calcet domum carnalem: habebit quemdam cœlestem locum, perpetuam domum; passer iste finiet querelas suas. Turturi autem dedit et pullos, id est carni: *invenit nidum turtur, ubi ponat pullos suos.* Passer domum, turtur nidum, et nidum utique ubi ponat pullos suos. Domus tanquam ad sempiternum eligitur, nidus ad tempus congeritur: corde cogitamus Deum, tanquam volante passere ad suam domum; carne autem agimus opera bona. Videtis enim per carnem sanctorum quanta bona fiant: per hanc enim operamur quæ jussi sumus operari, quibus adjuvamur in hac vita. *Frange esurienti panem tuum, et egenum sine tecto induc in domum tuam; si videris nudum, vesti* (*Isai.* LVIII, 7); et cætera talia quæ nobis præcepta sunt, non operamur nisi per carnem. Passer ergo ille qui cogitat domum suam, non recedit a turture quærente sibi nidum, ubi ponat pullos suos: non enim abjicit illos ubicumque, sed invenit sibi nidum, ubi eos ponat. Dicimus autem, fratres, quod nostis: quanti videntur præter Ecclesiam bona operari? quam multi etiam Pagani pascunt esurientem, vestiunt nudum, suscipiunt hospitem, visitant ægrotum, consolantur inclusum? quam multi hæc faciunt? Quasi videtur parere turtur; sed non sibi invenit nidum. Quam multa multi hæretici non in Ecclesia operantur, non in nido pullo ponunt? Conculcabuntur et conterentur; non servabuntur, non custodientur. In hujus enim carnis operatricis persona posita est quædam mulier ab apostolo Paulo, cum ait: *Adam non est seductus; mulier autem seducta est.* Postea enim Adam consensit mulieri: nam a serpente mulier seducta est (*Gen.* 3, 6). Nec modo potest aliqua mala suasio nisi carnis tuæ primo desiderium commovere [1], cui postea si mente con-

[1] Edd., *amabilia.* At nostri omnes Mss., *dilectissima.*
[2] Edd. et Mss., *per desiderium carnale:* excepto codice Remig. qui habet, *per desiderii carnalem*, haud dubie pro, *canalem.*
[3] Edd. alii, *quo;* alii, *quid.* M.

[1] Sic Mss. At editio Erasm., *commoveret.* Lov., *commoverit.*

senseris, cecidit et passer : si autem vincuntur desideria carnis, tenentur membra ad opera bona, arma concupiscentiæ auferuntur; et incipit turtur habere pullos. Propterea quid ibi ait Apostolus? *Salva autem erit per filiorum generationem.* Mulier vidua sine filiis, si perseveret, nonne beatior erit (I *Cor.* VII, 40)? numquid salva non erit, quia non parit filios? Virgo Dei non melior erit? numquid salva non erit, quia filios non habet? aut ad Deum non pertinet? Salva ergo erit mulier, quæ in typo carnis accipitur, per filiorum generationem, id est, si faciat opera bona. Sed non ubicumque turtur inveniat nidum sibi, ubi ponat pullos suos : in fide vera, in fide catholica, in societate unitatis Ecclesiæ pariat opera sua. Propterea et de illa cum loqueretur Apostolus, ita subjecit : *Salva autem erit per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione, cum sobrietate* (I *Tim.* II, 14, 15). Permanendo ergo in fide, ipsa fides nidus est pullorum tuorum. Nam propter infirmitatem pullorum turturis tuæ dignatus est Dominus præbere tibi unde nidum faceres : indutus est enim feno carnis, ut ad te veniret. In ista fide pone pullos tuos; in isto nido operare opera tua. Qui enim sunt nidi, vel quis est nidus, sequitur statim ; *Altaria tua, Domine virtutum.* Cum dixisset, *Et turtur invenit sibi nidum, ubi ponat pullos suos;* quasi quæsisses, Quem nidum? *Altaria tua, Domine virtutum, rex meus et Deus meus.* Quid est, *rex meus et Deus meus?* Qui regis me, qui creasti me.

8. [*vers.* 5.] Sed hic nidus est, et hic peregrinatio, et hic suspirium, et hic tritura, et hic pressura, quia hic torcular : quid est autem quod desiderat? quid concupiscit? quo it? quo tendit desiderium nostrum? quo nos rapit? Hic positus illa meditatur, positus inter tentationes, positus inter pressuras, positus in torcularibus, suspirans in superna promissa; quasi quid ibi acturus, jam præmeditatur gaudia futura. *Beati*, inquit, *qui habitant in domo tua.* Unde beati? quid habituri? quid acturi? Omnes qui beati dicuntur in terra, habent aliquid et agunt aliquid. Beatus est homo ille, tot prædiis, tanta familia, tanto auro et argento : habendo beatus dicitur. Beatus est; ad illos honores pervenit, ad proconsulatum, ad præfecturam : agendo beatus dicitur. Ergo aut habendo, aut agendo. Unde autem ibi beati? quid habituri? quid acturi? Quid habituri, jam supra dixi : *Beati qui habitant in domo tua.* Domum tuam si habueris, pauper es : domum Dei si habueris, dives es. In domo tua timebis latrones; domui Dei murus ipse Deus est. *Beati* ergo *qui habitant in domo tua.* Possident Jerusalem cœlestem sine angustia, sine pressura, sine diversitate et divisione limitum : omnes habent eam, et singuli habent totam. Magnæ illæ divitiæ. Non angustat frater fratrem; nulla ibi indigentia est. Quid ergo ibi acturi? Omnium enim actionum humanarum mater necessitas. Jam, fratres, breviter dixi : currite animo per quaslibet actiones, videte, si eas parit, nisi necessitas. Ipsæ memorabiles artes quæ magnæ videntur in subveniendo, patrocinia linguæ et adjutoria medicinæ; ipsæ sunt enim in hoc sæculo excellentes actiones : tolle litigatores; quibus opitulatur advocatus? tolle vulnera et morbos; quid curat medicus? Et omnes istæ actiones nostræ ad quotidianam vitam quæ exiguntur et fiunt, ex necessitate veniunt. Arare, seminare, novellare, navigare; talia omnia opera quæ parit, nisi necessitas et indigentia? Tolle famem, sitim, nuditatem; cui opus sunt ista omnia? Hæc etiam quæ nobis jubentur bona opera : nam ista quæ commemoravi, honesta sunt, sed omnium hominum (exceptis operibus pessimis loquor, detestabilibus operibus, flagitiis et facinoribus, homicidiis, effracturis, adulteriis; illa nec deputo inter actiones humanas); hæc honesta loquor, non parit nisi necessitas fragilitatis carnalis. Hæc etiam quæ dixi juberi nobis, *Frange esurienti panem tuum* : cui frangis, ubi nemo esurit? *Egenum sine tecto induc in domum tuam :* quem hospitem suscipis, ubi omnes in patria sua vivunt? quem visitas ægrotum, ubi perpetua sanitate gaudent? quem concordas litigiosum, ubi pax sempiterna est? quem sepelis mortuum, ubi semper vivitur? Nihil ergo horum acturus es ex operibus honestis illis omnium hominum : nihil acturus es ex istis bonis operibus; quia isti pulli turturis jam volabunt de nido. Quid ergo? Jam dixisti quid habituri sumus : *Qui habitant in domo tua, beati* sunt. Dic etiam quid acturi sunt, quia non ibi video aliquas necessitates quæ me impellant ad agendum. Ecce modo quod loquor et disputo, necessitas parit. Numquid enim ibi talis disputatio erit, quasi quæ doceat ignaros, quasi quæ commemoret obliviosos? aut vero in illa patria Evangelium recitabitur, ubi ipsum Dei Verbum contemplabitur? Ergo quia dixit iste desiderans et suspirans ex voce nostra, quid habituri sumus in illa patria cui suspiratur, et ait, *Beati qui habitant in domo tua;* dicat et quid acturi sumus. *In sæcula sæculorum laudabunt te.* Hoc erit totum negotium nostrum, sine defectu Alleluia. Non vobis, fratres, videatur quasi fastidium ibi futurum : quia si modo hoc diu dicatis, non duratis; ab illo gaudio necessitas vos avertit. Et quia non tantum delectat quod non videtur; si tanta alacritate in ipsa pressura et fragilitate carnis laudamus quod credimus, quomodo laudabimus quod videbimus? Cum absorpta fuerit mors in victoriam, cum mortale hoc induerit immortalitatem, et corruptibile hoc induerit incorruptionem (I *Cor.* XV, 53, 54), nemo dicet, Diu steti; nemo dicet, Diu jejunavi, diu vigilavi. Stabilitas enim magna ibi, et ipsa immortalitas jam corporis nostri suspendetur in contemplationem[1] Dei. Et si modo verbum hoc quod vobis erogamus, tam diu fragilitatem carnis nostræ stantem tenet; quid nobis faciet illud gaudium? quomodo nos mutabit? Similes enim ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2). Jam similes illi, quando deficiemus? quo avertemur? Securi ergo simus, fratres; non nos satiabit laus Dei[2], amor Dei.

[1] Mss., *contemplatione.*
[2] Edd., *nisi laus Dei.* Abest, *nisi*, a melioribus Mss. Et ex his, Corb. omittit etiam, *laus Dei*, quod alii plerique habent : sed non addunt, *amor Dei;* neque hoc habet Er.

Si deficies ab amore, deficies a laude : si autem amor sempiternus erit, quia illa insatiabilis pulchritudo erit; noli timere ne non possis semper laudare, quem semper poteris amare. Ergo, *Beati qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te.* Huic vitæ suspiremus.

9. [*vers.* 6, 7.] Sed quomodo illuc veniemus? *Beatus vir cujus est susceptio ejus abs te, Domine.* Intellexit ubi esset, quia per fragilitatem carnis suæ ad illam beatitudinem volare non posset : circumspexit pondera sua; quia dicitur alio loco, *Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam; et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Spiritus sursum vocat, pondus carnis deorsum revocat : inter duos conatus suspensionis et ponderis colluctatio quædam est; et ipsa colluctatio ad pressuram pertinet torcularis. Audi ipsam luctam de torculari ab Apostolo expressam; quia et ipse ibi conterebatur, ibi premebatur : « Condelector, » inquit, « legi Dei secundum interiorem hominem : video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. » Magna lucta, et evadendi magna desperatio, nisi subveniat[1] de consequenti : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 22-25). Ergo et hic in psalmo isto vidit illa gaudia, cogitavit animo : *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te.* Sed quis illuc ascendet? quid facio de carnis pondere? « Beati qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. » Sed quid faciam? quomodo volabo? quomodo perveniam? *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Dixit se infelicem, et dixit : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus*, ut inhabitem in domo Domini, et in sæcula sæculorum laudem eum? *quis me liberabit? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Sicut ergo in verbis Apostoli illi difficultati et quasi inextricabili luctæ subvenit quod subjecit, *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*; sic et hic cum suspiraret flammante desiderio in domum Dei et in illas laudes Dei, considerata gravedine corporis sui et mole carnis suæ, et desperatione quadam suborta, rursus in spem evigilavit, et ait : *Beatus vir cujus est susceptio ejus abs te, Domine.*

10. Quid ergo præstat Deus in hac gratia, ei quem suscepit perducendum? Sequitur, et dicit : *Ascensus in corde ejus.* Facit illi gradus quibus ascendat. Ubi illi facit gradus? In corde. Quanto ergo plus amaveris, tanto plus ascendes. *Ascensus*, inquit, *in corde ejus disposuit.* Quis? Qui suscepit eum : *Beatus* enim *cujus est susceptio ejus abs te, Domine.* Quia per se non potest, opus est ut gratia tua suscipiat. Et quid facit gratia tua? Disponit ascensus in corde. Ubi disponit ascensus? *In corde, in convalle plorationis.* Ecce habetis torcular convallem plorationis : ipsæ lacrymæ piæ contribulatorum, mustum sunt amantium. *Ascensus in corde ejus disposuit.* Ubi ergo disposuit? *In convalle plorationis.* Hic enim disposuit ascensus, *in convalle plorationis;* hic enim ploratur ubi seminatur : *Euntes*, inquit, *ibant et flebant, mittentes semina sua* (*Psal.* CXXV, 6). Ergo ascensus in corde tuo sint dispositi a Deo per gratiam ipsius. Amando ascende : inde cantatur Canticum graduum. Et ubi tibi disposuit hos ascensus? *In corde, in convalle plorationis.* Dixit ubi disposuit, quod disposuit[1]. Quid disposuit? *Ascensus.* Ubi? Intus, *in corde.* In qua regione, et quasi habitationis loco? *In convalle plorationis.* Ut quo ascendatur? *In locum quem disposuit.* Quid est hoc, fratres, *In locum quem disposuit?* Quem locum diceret quem disposuit, si dici posset. Dictum tibi est, *Ascensus disposuit in corde, in convalle plorationis.* Quæris quo? Quid tibi dicturus est? *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (I *Cor.* II, 9). Collis est, mons est, terra est, pratum est, prope omnia ista dictus est locus ille. Sed quid sit per proprietatem, non per similitudinem (videmus enim nunc per speculum in ænigmate quid sit ille locus, tunc videbimus facie ad faciem [*Id.* XIII, 12]), quis explicet? Noli ergo quærere quo disposuit, *in locum quem disposuit.* Ipse novit quo, ipse novit qui disposuit quo te ducat cujus ascensus in corde disposuit. Quid? times ascendere, ne erret qui te ducit? Ecce in convalle plorationis disposuit ascensus, *In locum quem disposuit.* Ploramus modo. Unde? Ubi dispositi sunt nostri ascensus. Unde ploramus, nisi inde unde se miserum exclamabat Apostolus, quia videbat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ? Et unde hoc nobis? Ex pœna peccati. Et putabamus nos facile justos esse posse quasi viribus nostris, antequam acciperemus mandatum; adveniente autem mandato, peccatum revixit : ego autem mortuus sum; hoc ait Apostolus. Data est enim Lex hominibus, non quæ salvaret eos jam, sed per quam cognoscerent in qua ægritudine jacebant. Audi verba Apostoli : « Si enim data esset Lex quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia; sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus » (*Galat.* III, 21) : veniret gratia post Legem, inveniret hominem non solum jacentem, sed jam etiam confitentem et dicentem, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* et opportune veniret medicus ad convallem plorationis, et diceret, Certe cognovisti quia cecidisti; audi me ut surgas, qui me contempsisti ut caderes. Data est ergo Lex ut ægrum de morbo convinceret, qui sibi sanus videbatur; ut peccata demonstrarentur, non ut auferrentur. Demonstrato peccato per datam Legem, auctum est peccatum, quia

[1] Lov., *subveniatur.* At Er. et Mss., *subveniat* : supple, *gratia.*

[1] Sic plerique editi. In B., *quo disposuit?* M.

peccatum est et contra Legem: *Occasione*, inquit, *accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam* (*Rom.* VII, 7, 8). Quid est, *occasione accepta per mandatum?* Acceptum mandatum quasi viribus suis conati sunt facere homines; victi concupiscentia, mandati etiam ipsius transgressione rei facti sunt. Sed quid ait Apostolus? *Ubi autem abundavit peccatum, super abundavit gratia* (*Id.* V, 20); id est, auctus est morbus, commendata est medicina. Propterea, fratres, quinque illæ porticus Salomonis, numquid curabant ægrotos, ubi erat piscina in medio earum? *Et jacebant*, inquit, *ægroti in quinque porticibus* (*Joan.* V, 3); in Evangelio lectum[1] habemus. Quinque illæ porticus, Lex est in quinque libris Moysi. Ad hoc producebantur ægroti de domibus suis, ut jacerent in porticibus. Ergo lex prodebat ægrotos, non sanabat; sed benedictione Dei turbabatur aqua, tanquam angelo descendente: visa aqua turbata, qui poterat unus descendebat et sanabatur. Aqua illa cincta quinque porticibus, populus Judæorum erat Lege conclusus: hunc perturbavit Dominus præsentia sua, ut occideretur. Nisi enim descensu suo Dominus perturbaret populum Judæorum, numquid crucifigeretur? Itaque turbata aqua passionem Domini significabat, quæ facta est perturbata gente Judæorum. In hanc passionem credit languidus, tanquam in aquam turbatam descendens, et sanatur. Qui non sanabatur Lege, id est porticibus, sanatur gratia, per passionis fidem Domini nostri Jesu Christi. Unus, quia unitas. Ergo et hic quid ait? *Ascensus in corde ejus disposuit, in convalle plorationis, in locum quem disposuit:* jam in illo loco gaudebimus.

11. [*vers.* 8.] Quare autem, *in convalle plorationis?* Et ex qua convalle plorationis ad illum locum gaudii veniemus? *Nam et benedictionem*, inquit, *dabit qui legem dedit.* Afflixit nos Lege, pressit nos Lege, ostendit nobis torcular; vidimus pressuram, carnis nostræ tribulationem cognovimus, ingemuimus rebellante peccato adversus mentem nostram, clamavimus, *Miser ego homo:* sub Lege gemuimus; quid restat, nisi ut benedictionem det qui Legem dedit? Adveniet gratia post Legem; ipsa est benedictio. Et quid nobis præstitit ista gratia et benedictio? « Ambulabunt a virtutibus in virtutem. » Hic enim per gratiam multæ virtutes dantur: « Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, secundum eumdem Spiritum, alii fides, alii donatio sanitatum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum, alii prophetatio » (I *Cor.* XII, 8-10). Multæ virtutes, sed hic necessariæ; et ab his virtutibus imus in virtutem. Quam virtutem? Christum, Dei Virtutem, et Dei Sapientiam (*Id.* I, 24). Ipse dat diversas virtutes in loco hoc, qui pro omnibus virtutibus necessariis in convalle plorationis et utilibus dabit unam virtutem, seipsum. Nam et virtutes agendæ vitæ nostræ quatuor describuntur a multis, et in Scriptura inveniuntur. Prudentia dicitur, qua dignoscimus inter bonum et malum. Justitia dicitur, qua sua cuique tribuimus; nemini quidquam debentes, sed omnes diligentes (*Rom.* XIII, 8). Temperantia dicitur, qua libidines refrenamus. Fortitudo dicitur, qua omnia molesta toleramus. Istæ virtutes nunc in convalle plorationis per gratiam Dei dantur nobis: ab his virtutibus imus in illam virtutem. Et quæ erit illa virtus, nisi solius contemplationis Dei? Necessaria ibi non erit ista prudentia, ubi nulla mala occursura sunt quæ vitemus. Sed quid putamus, fratres? Non ista justitia, ubi nulla erit cujusquam indigentia cui subvenire debeamus. Non ista temperantia, ubi nulla erit libido refrenanda. Non ista fortitudo, ubi nulla erunt mala toleranda. Ergo ab his virtutibus hujus actionis ibimus in virtutem illius contemplationis, qua contemplemur Deum: sicut scriptum est, *Mane astabo tibi, et contemplabor* (*Psal.* V, 5). Et audi quia ab hujus actionis virtutibus, in illam contemplationem ibimus. Sequitur ibi, *Ibunt a virtutibus in virtutem:* quam virtutem? Contemplandi. Quid est, contemplandi? *Apparebit Deus deorum in Sion. Deus deorum*, Christus Christianorum. Quomodo *Deus deorum*, Christus Christianorum? *Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Dedit enim eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 12), ille in quem credidimus, pulcher sponsus, qui hic propter deformitatem nostram deformis apparuit: quia *vidimus eum*, inquit, *et non habebat speciem neque decorem* (*Isai.* LIII, 2). Finita omni necessitate mortalitatis, sicuti est Deus apud Deum, Verbum apud Patrem, per quod facta sunt omnia, apparebit mundis corde: beati enim mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8). *Apparebit Deus deorum in Sion.*

12. [*vers.* 9.] Et rursus iste a cogitatione illorum gaudiorum redit ad suspiria sua. Videt quid prævenerit spe, et ubi adhuc sit re. *Apparebit* tunc *Deus deorum in Sion:* hoc est unde gaudebimus; ipsum in sæcula sæculorum laudabimus. Sed adhuc modo tempus est orandi, tempus deprecandi; et si aliquantum gaudendi, sed adhuc in spe: in peregrinatione sumus, in convalle plorationis sumus. Ad hujus ergo loci gemitum rediens dicit, *Domine Deus virtutum, exaudi precem meam; auribus percipe, Deus Jacob:* quia et ipsum Jacob fecisti de Jacob Israel. Apparuit enim illi Deus, et dictus est Israel (*Gen.* XXXII, 28), videns Deum. Audi ergo me, Deus Jacob, et fac me Israel. Quando fiam Israel? Cum apparebit Deus deorum in Sion.

13. [*vers.* 10.] *Protector noster aspice, Deus.* Sub umbra alarum tuarum sperabunt (*Psal.* XXXV, 8); ideo, *Protector noster aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui.* Quando enim non respicit in faciem Christi sui Deus? quid est, *Respice in faciem Christi tui?* Per faciem innotescimus: quid est ergo, *Respice in faciem Christi tui?* Fac innotescere omnibus Christum tuum. *Respice in faciem Christi tui:* notus sit omnibus Christus tuus, ut possimus ire a virtutibus in virtutem, ut possit superabundare gratia, quoniam abundavit peccatum.

14. [*vers.* 11.] *Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia.* Atria illa sunt in quæ suspirabat, in

[1] Sic Fr. et Mss. At. Lov. *dictum.*

quæ deficiebat. Desiderat et deficit anima mea in atria Domini : melior est ibi unus dies super millia dierum. Millia dierum desiderant homines, et multum volunt hic vivere : contemnant millia dierum, desiderent unum diem, qui non habet ortum et occasum; unum diem, diem sempiternum, cui non cedit hesternus, quem non urget crastinus. Ipse unus dies desideretur a nobis. Quid nobis est cum millibus dierum? Imus a millibus dierum ad unum diem [1], sicut imus a virtutibus in virtutem.

15. *Elegi abjici in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Invenit enim iste convallem plorationis, invenit iste humilitatem unde ascendat : scit quia si se extollere voluerit, cadet, si se humiliaverit, erigetur; elegit abjici, ut sublevetur. Quam multi præter tabernaculum hoc torcularis dominici, id est, præter Ecclesiam catholicam volentes sublimari, et amantes honores suos, nolunt cognoscere veritatem (*a*)? Si esset illis in corde versus iste, *Elegi abjici in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum;* nonne abjicerent honores, et currerent ad convallem plorationis, et hinc invenirent ascensus in corde, et hinc irent a virtutibus in virtutem, ponentes spem suam in Christo, non in nescio quo homine? Bona vox, gaudenda vox, eligenda vox : *Elegi abjici in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Ipse elegit abjici in domo Domini; sed ille qui invitavit ad convivium, eligentem inferiorem locum vocat ad superiorem, et dicit illi, *Ascende* (*Luc.* XIV, 10). Ipse tamen non elegit nisi esse in domo Domini, in quocumque loco, non tamen extra limen.

16. [*vers.* 12.] Quare elegit abjectus esse in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum? *Quia misericordiam et veritatem diligit Deus.* Dominus misericordiam diligit, qua mihi primo subvenit : veritatem diligit, ut credenti det quod promisit. Audi misericordiam et veritatem in apostolo Paulo, prius Saulo persecutore. Indigebat misericordia, et dixit in se factam : « Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus; sed misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Jesus omnem longanimitatem in eos qui credituri sunt illi in vitam æternam » (I *Tim.* I, 13, 16). Ut cum indulgentiam tantorum scelerum acciperet Paulus, nemo desperaret posse [2] sibi donari quæcumque peccata. Ecce habes misericordiam. Noluit tunc Deus exercere veritatem, ut puniret peccantem. Etenim si puniretur peccator, nonne veritas esset? aut auderet dicere, Non debeo puniri, qui non posset dicere, Non peccavi? Et si diceret, Non peccavi : cui diceret? quem falleret? Ergo primo Dominus in eum misericordiam prærogavit; post misericordiam, veritatem. Audi illum jam exigentem veritatem. Primo ergo inquit : « Misericordiam consecutus sum, qui prius fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus; sed gratia Dei sum quod sum » (I *Cor.* XV, 10). Postea dicit, cum passioni propinquaret : « Bonum agonem certavi, cursum consummavi, fidem servavi; superest mihi corona justitiæ ». Ille qui tribuit misericordiam, servat veritatem. Unde servat veritatem? *Quam reddet mihi Dominus in illo die justus judex* (II *Tim.* IV, 7, 8). Indulgentiam donavit, coronam reddet : donator est indulgentiæ, debitor coronæ. Unde debitor? accepit aliquid? Cui debet aliquid Deus? Ecce videmus quia tenet eum debitorem Paulus, consecutus misericordiam, exigens veritatem : *Reddet mihi,* inquit, *Dominus in illo die.* Quid tibi reddet, nisi quod tibi debet? Unde tibi debet? quid ei dedisti? Quis prior dedit illi, et retribuetur ei (*Rom.* 11, 35)? Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo : non ei dicitur, Redde quod accepisti; sed, Redde quod promisisti. Misericordiam mihi erogavit, inquit, ut faceret me innocentem : nam prius fui blasphemus et injuriosus; sed ex illius gratia factus sum innocens. Ille autem qui prærogavit misericordiam, negare poterit debitum? *Diligit misericordiam et veritatem. Gratiam et gloriam dabit.* Quam gratiam, nisi de qua ipse dixit, *Gratia Dei sum quod sum?* Quam gloriam, nisi de qua ipse dixit, *Superest mihi corona justitiæ.*

17. [*vers.* 13.] Ideo, *Dominus,* inquit, *non privabit bonis ambulantes in innocentia.* Quare ergo homines non vultis tenere innocentiam, nisi ut habeatis bona? Non vult [1] tenere innocentiam, ut non reddat quod illi assignatur : aurum vult habere et perdit innocentiam. Quid lucratur? quid damnificatur? Habet lucrum auri, passus est damnum innocentiæ. Est aliquid pretiosius innocentia? Sed si innocentiam retinebo, inquit, pauper ero. Parvæne divitiæ ipsa innocentia? Si arcam plenam auro habueris, dives eris : si cor habueris plenum innocentia, pauper eris? Sed ecce bona desiderans, modo in egestate, in tribulatione, in convalle plorationis, in pressura, in tentationibus, serva innocentiam. Erit enim postea etiam bonum tuum quod desideras; requies, æternitas, immortalitas, impassibilitas erit postea : ipsa sunt bona quæ servat Deus justis suis. Nam bona quæ modo desideras pro magno, propter quæ vis esse nocens, et non innocens, attende illa qui habeant, qui talibus abundant. Vides divitias apud latrones, apud impios, apud sceleratos, apud turpes; apud flagitiosos et facinorosos vides divitias : dat illis Deus ista propter communionem generis humani, propter abundantem affluentiam [2] bonitatis suæ; qui etiam solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V, 45). Tanta dat et malis, et tibi nihil servat? Falsum est quod tibi promisit? Servat; securus esto. Qui misertus est tui, cum esses impius; deserit te, cum factus es pius? qui peccatori donavit mortem

[1] Hic addunt Edd. : *Ad unum diem festinemus :* quo boni Mss. carent.

[2] Sic Mss. Edd. vero, *desperare posset.*

(*a*) Forte nondum prodierat Carthaginensis an. 401, die 13 septemb. concilii decretum, ut clerici donatistæ « in suis honoribus suscipiantur. »

[1] Sic plures Mss. At Edd., *non vultis :* et infra, *quod illi assignat :* ubi Mss. plerique habent, *quod illi assignatur,* id est, depositum illi creditum.

[2] Sic Er. et aliquot Mss. At Lov., *propter abundantiam affluentiæ.*

Filii sui, quid servat salvato per mortem Filii sui? Securus ergo esto. Tene debitorem, quia credidisti in promissorem. *Dominus non privabit bonis ambulantes in innocentia.* Ergo quid nobis hic restat in torculari, in afflictione, in re dura, in præsentia vitæ periculosæ? quid nobis restat, ut illuc perveniamus? *Domine Deus virtutum, beatus homo qui sperat in te* [1].

IN PSALMUM LXXXIV ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. Deprecati sumus Dominum Deum nostrum, ut ostendat nobis misericordiam suam, et salutare suum det nobis. Dictum est hoc quidem in prophetia, cum primum Psalmi isti dicerentur et scriberentur: cæterum quod attinet ad hoc tempus, jam ostendit Dominus Gentibus misericordiam suam, et dedit eis salutare suum. Ille quidem ostendit; sed multi sanari nolunt, ut videant quod ostendit. Sed quia ipse sanat oculos cordis ad videndum se; propterea cum dixisset, *Ostende nobis misericordiam tuam*, tanquam multis cæcis dicturis, Quomodo videbimus, cum cœperit ostendere? adjunxit, *Et salutare tuum da nobis.* Dando enim salutare suum, sanat in nobis unde possimus videre quod ostendit: non quomodo medicus homo ipse curat, ut lucem istam ostendat eis quos curaverit; et aliud est ista lux quam demonstraturus est, aliud autem ipse medicus qui curat oculos quibus ostendat lucem, quæ lux non est ipse. Non ergo sic Dominus Deus noster: ipse est enim medicus qui curat unde videre possimus, et ipse est lux quam videre possimus. Totum tamen Psalmum breviter, quantum possumus, quantum donat Dominus, pro angustia temporis attenti curramus.

2. [*vers.* 1.] Titulus ejus est, *In finem, filiis Core, Psalmus.* Finem non intelligamus, nisi quem dicit Apostolus, *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* x, 4). Ergo cum primo in titulo Psalmi posuit, *In finem*; direxit cor nostrum in Christum. In illum si intendamus, non errabimus; quia ipse est veritas quo festinamus, et ipse est via per quam curramus (*Joan.* xiv, 6). Quid est, *filiis Core?* Interpretatur Core ex verbo hebræo in latinum Calvus. Ergo *filiis Core*, filiis calvi. Quis est iste calvus? Non ut irrideamus illum, sed ut ploremus ante illum. Nam irriserunt quidam, et a dæmonibus vastati sunt: quomodo in Regnorum libro calvum Elisæum irriserunt pueri, dicebantque post illum, *Calve, calve;* processerunt ursi de silva, et comederunt pueros male ridentes (IV *Reg.* II, 23, 24), et plangendos a parentibus suis. Significavit hoc factum prophetia quadam, futurum Dominum nostrum Jesum Christum. Ille enim a Judæis irridentibus velut calvus irrisus est, quia in Calvariæ loco crucifixus est (*Matth.* xxvII, 31). Nos autem si in illum crediderimus, filii ipsius sumus. Nobis ergo cantatur iste psalmus, ubi inscribitur, *filiis Core:* sumus enim filii sponsi (*Matth.* IX, 15). Ille quippe sponsus, dans arrham sponsæ suæ, sanguinem suum et Spiritum sanctum, quo locupletavit nos interim in ista peregrinatione; adhuc autem servat nobis occultas divitias suas. Unde enim tale pignus dedit, quid est quod servat?

3. [*vers.* 2.] Itaque cantat ei Propheta in futurum, et utitur verbis quasi jam præteriti temporis; tanquam facta dicit, quæ futura erant; quia apud Deum et quod futurum est, jam factum est. Ibi ergo Propheta videbat futura nobis, jam vero facta in illius providentia et prædestinatione certissima, quomodo dicit et in illo psalmo ubi omnes Christum agnoscunt; sic enim recitatur [1], tanquam Evangelium legatur: « Foderunt manus meas et pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea; ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea et super vestem meam miserunt sortem » (*Psal.* xxi, 17-19). Quis non, legente lectore Psalmum, agnoscat Evangelium? Et tamen cum diceretur in Psalmo, non dictum est, Fossuri sunt manus meas et pedes; sed, *foderunt manus meas et pedes:* nec dictum est, Dinumeraturi sunt ossa mea; sed, *dinumeraverunt ossa mea:* nec dictum est, Divisuri sunt vestimenta mea; sed, *diviserunt sibi vestimenta mea.* Hæc omnia quæ futura videbat Propheta, tanquam præterita indicabat: sic et hic, *Benedixisti, Domine, terram tuam;* tanquam jam fecerit.

4. *Avertisti captivitatem Jacob.* Populus ejus antiquus Jacob, populus Israel, natus de semine Abrahæ, in repromissione futurus aliquando hæres Dei. Erat quidem ergo ille populus, cui datum est Testamentum Vetus; sed in Vetere Testamento figurabatur Testamentum Novum [2]: illa figura erat, hæc expressio veritatis. In illa autem figura secundum quamdam prænuntiationem futurorum, data est illi populo terra quædam promissionis, in quadam regione ubi habitavit populus Judæorum; ubi est etiam Jerusalem civitas, cujus nomen omnes audivimus. Hanc ergo terram cum accepisset ille populus, ab hostibus suis vicinis circumquaque inimicantibus multas molestias patiebatur: et cum peccabat in Deum suum, dabatur in captivitatem; non ad interitum, sed ad disciplinam; non damnante patre, sed flagellante. Et cum possessa esset, liberabatur, et aliquoties captivata est et liberata est illa gens: et modo in captivitate est, et hoc pro peccato magno, quod Dominum suum crucifixit. Quid igitur secundum istos accipimus, quod ait, *Avertisti captivitatem Jacob?* An forte intelligimus hic aliam captivitatem, de qua omnes nos volumus liberari? Nam omnes pertinemus ad Jacob, si pertinemus ad semen Abrahæ. Hoc enim dicit Apostolus: *In Isaac vocabitur tibi semen; id est, non hi qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis de-*

[1] Ad hæc verba Mss tres addunt: *Converso ad Dominum, o innocens, quid tibi defuerit, si innocens propter Dominum eris: quoniam ipsum Dominum possides, qui auctor est omnium virtutum, qui dat virtutes in innocentia perseverantibus. Ergo est beatus, qui sperat in te, Deus.*

[1] Sic aliquot Mss. Alii cum Edd., *recitatus est Psalmus.*

[2] Ita in Mss. At in Edd., *hæres Dei erat. Quidam ergo ille populus cui datum est Testamentum Vetus, figurabat Testamentum Novum.*

putantur in semen (*Rom.* IX, 7, 8). Si filii promissionis in semen deputantur, offendendo Deum Judæi degeneraverunt; nos promerendo Deum, de genere Abrahæ facti sumus, non pertinentes ad carnem, sed pertinentes ad fidem. Imitati enim fidem, filii facti sumus: illi autem degenerando a fide, exhæredari meruerunt. Nam, ut noveritis quia perdiderunt illud, quod nati erant de Abraham, cum se arroganter jactarent audiente Domino Jesu Christo, gloriantes de sanguine et non de vita, et dicerent Domino, *Nos patrem habemus Abraham*; ait illis Dominus tanquam degenerantibus: *Si filii Abrahæ estis, facta Abrahæ facite* (*Joan.* VIII, 39). Si ergo illi propterea jam non filii, quia non faciebant facta Abrahæ; nos propterea filii, quia facimus facta Abrahæ. Quæ sunt facta Abrahæ quæ facimus? Credidit autem Abraham Deo, et deputatum est illi ad justitiam (*Gen.* XV, 6, *et Galat.* III, 6). Ergo omnes ad Jacob pertinemus, imitantes Abrahæ fidem, qui credidit Deo, et deputatum est illi ad justitiam. Quæ est ergo illa captivitas unde nos volumus liberari? puto enim neminem nostrum modo esse apud Barbaros, nec aliquam gentem irruisse armatam, et captivos duxisse nos. Sed modo ostendo quamdam captivitatem, in qua gemimus, et unde nos liberari cupimus. Paulus apostolus procedat, ipse illam dicat; sit ipse speculum nostrum, ille loquatur, et nos ibi videamus: nemo est enim qui non hic se agnoscat. Ait ergo ille beatus apostolus, *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem*; intus delectat me lex Dei: *video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Jam audisti legem, audisti pugnam; captivitatem nondum audieras, audi quæ sequuntur: *Repugnantem*, inquit, *legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Agnovimus captivitatem: quis nostrum est qui nolit se de ista captivitate liberari? Et unde liberabitur? Quoniam hoc cantavit ipse Psalmus futurum: *Avertisti captivitatem Jacob.* Cui dixit? Christo, propter *In finem*, propter filios Core: ille enim avertit captivitatem Jacob. Audi et ipsum Paulum confitentem. Cum diceret se trahi captivum a lege in membris suis repugnante legi mentis suæ, exclamavit sub illa captivitate, et ait: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quæsivit quis esset, et statim illi occurrit, *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 22-25). De hac gratia Dei Propheta dicit huic Domino nostro Jesu Christo, *Avertisti captivitatem Jacob.* Attendite captivitatem Jacob, attendite quia hoc est, Avertisti captivitatem nostram: non liberando nos a Barbaris, in quos non incurrimus; sed liberando nos ab operibus malis, a peccatis nostris, per quæ nobis satanas dominabatur. Si quis enim liberatus fuerit a peccatis suis, non habet unde illi dominetur princeps peccatorum.

5. [*vers.* 3, 4.] Quomodo enim avertit captivitatem Jacob? Videte quia ista liberatio spiritualis est, videte quia intus agitur: *Remisisti*, inquit, *iniquitatem plebis tuæ; operuisti omnia peccata eorum.* Ecce unde avertit captivitatem, quia remisit iniquitatem: iniquitas tenebat captivum, remissa iniquitate liberaris. Confitere ergo te esse in captivitate, ut dignus sis liberari: nam qui hostem suum non intellexit, quomodo invocat liberatorem? *Operuisti omnia peccata eorum.* Quid est, *operuisti?* Ut non illa videres. Quid est, ut non illa videres? Ut non in illa vindicares. Noluisti videre peccata nostra; et ideo non vidisti [1], quia ipsa videre noluisti: *Operuisti omnia peccata eorum. Sedasti omnem iram tuam; avertisti ab ira indignationis tuæ.*

6. [*vers.* 5.] Et quoniam de futuro ista dicuntur, quamvis verba præterita sonent; sequitur, et dicit: *Converte nos, Domine* [2] *sanitatum nostrarum.* Quod modo narrabat quasi factum esset, quomodo orat ut fiat; nisi quia voluit ostendere præterita verba se in prophetia dixisse? Nondum autem factum esse quod dicebat jam factum, hinc ostendit, quia orat ut fiat: « Converte nos, Domine sanitatum nostrarum; et averte iracundiam tuam a nobis. » Non jamdudum dicebas, « Avertisti captivitatem Jacob; operuisti omnia peccata eorum: sedasti omnem iram tuam; aversus es ab ira indignationis tuæ? » Quomodo hic, « Et averte iracundiam tuam a nobis? » Respondet tibi Propheta: Illa dico quasi facta, quia video futura; quia vero nondum facta sunt, oro ut veniant, quæ jam vidi. *Averte iracundiam tuam a nobis.*

7. [*vers.* 6.] *Non in æternum irascaris nobis.* De ira Dei enim mortales sumus, et de ira Dei in ista terra in egestate et labore vultus nostri manducamus panem. Hoc enim audivit Adam, quando peccavit (*Gen.* III, 19); et Adam ille omnes nos eramus, quia in Adam omnes moriuntur: quod ille audivit, secutum est et nos. Non enim eramus jam nos, sed eramus in Adam: ideo quidquid evenit ipsi Adam, secutum est et nos, ut moreremur; omnes quippe in illo fuimus. Ea enim peccata parentum non pertinent ad filios, quæ faciunt parentes jam natis filiis: jam enim nati filii ad se pertinent, et parentes ad se pertinent. Itaque illi qui nati sunt, si tenuerint vias parentum suorum malas, necesse est portent et merita ipsorum: si autem mutaverint se, et non fuerint imitati parentes malos, incipiunt habere meritum suum, non meritum parentum suorum. Usque adeo autem non tibi obest peccatum patris tui, si te mutaveris, ut nec ipsi patri tuo obsit, si se mutaverit. Sed jam quod accepit ad mortalitatem istam radix nostra, duxit de Adam. Quid duxit? Istam fragilitatem carnis, hoc tormentum dolorum, hanc domum paupertatis, hoc vinculum mortis, et laqueos tentationum: portamus omnia ista in carne hac; et ira Dei est ista, quia vindicta Dei est. Sed quia futurum erat ut regeneraremur, et credendo novi efficeremur, atque in resurrectione omnis illa mortalitas absumeretur, et novitas totius hominis repararetur; sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur (I *Cor.* XV, 22): hoc videns Propheta ait, *Non in æternum irascaris nobis, vel extendas iram tuam a ge-*

[1] Optimæ notæ Mss. Reg. Corb., etc., *et ideo nos vidisti.*
[2] Aliquot Mss., *Deus.*

neratione in generationem. Fuit prima generatio mortalis de ira tua; erit altera generatio immortalis de misericordia tua.

8. [vers. 7.] Quid ergo? hoc tibi tu præstitisti, o homo, ut quia conversus es ad Deum, merereris misericordiam ipsius; qui autem conversi non sunt, non sunt adepti misericordiam, sed invenerunt iram? Quid autem, ut converteris, posses, nisi vocareris? Nonne ille qui te vocavit aversum, ipse præstitit ut converteris? Noli tibi ergo arrogare nec ipsam conversionem; quia nisi te ille vocaret fugientem, non posses converti. Propterea et ipsius conversionis beneficium Deo tribuens Propheta, hoc orat, et dicit: *Deus, tu convertens vivificabis nos.* Et non quasi nos ipsi nostra sponte sine misericordia tua convertimur ad te, et tu vivificabis nos: sed, *tu convertens vivificabis nos;* ut non solum vivificatio nostra a te sit, sed etiam ipsa conversio ut vivificemur. *Deus tu convertens vivificabis nos; et plebs tua lætabitur in te.* Malo suo lætabitur in se; bono suo lætabitur in te. Quando enim voluit habere gaudia de se, invenit planctum in se: nunc vero quia totum gaudium nostrum Deus est, qui vult securus gaudere, in illo gaudeat, qui non potest perire. Quid enim, fratres mei, gaudere vultis in argento? Aut argentum perit, aut tu; et nemo scit quid prius: verumtamen illud constat, quia utrumque periturum est; quid prius, incertum est. Nam nec homo hic potest manere semper, nec argentum hic potest manere semper; sic aurum, sic vestis, sic domus, sic pecunia, sic lata prædia, sic postremo lux ista. Noli ergo velle gaudere in istis: sed gaude in illa luce quæ non habet occasum; gaude in illa luce quam non præcedit hesternus dies, nec sequitur, crastinus. Quid est ista lux? *Ego sum*, inquit, *lux mundi* (*Joan.* VIII, 12). Qui tibi dicit, *Ego sum lux mundi*, vocat te ad se. Cum vocat te, convertit te; cum convertit te, sanat te; cum sanaverit te, videbis conversorem tuum, cui dicitur, *Et plebs tua lætabitur in te.*

9. [vers. 8.] *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.* Hoc est quod cantavimus [1], et jam hinc diximus. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam; et salutare tuum da nobis: salutare tuum*, Christum tuum. Felix est cui ostendit Deus misericordiam suam. Ipse est qui superbire non potest, cui Deus ostendit misericordiam suam. Ostendendo enim illi misericordiam suam, persuadet illi quia quidquid boni habet ipse homo, non habet nisi ab illo qui omne bonum nostrum est. Et cum viderit homo quidquid boni habet non se habere a se, sed a Deo suo; videt quia totum quod in illo laudatur, de misericordia Dei est, non de meritis ipsius: et videndo ista non superbit, non superbiendo non extollitur, non se extollendo non cadit, non cadendo stat, stando inhæret, inhærendo manet, manendo perfruitur, et lætatur in Domino Deo suo. Erunt illi deliciæ ipse qui fecit illum; et delicias ipsas nemo corrumpit, nemo interpellat, nemo aufert. Quis potens minabitur auferre? quis vicinus malus, quis latro, quis insidiator tibi tollit Deum? Et potest tibi tollere totum quod possides corpore, non tibi tollit eum quem possides corde. Ipsa [1] est misericordia, quam utinam Deus ostendat nobis, *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam; et salutare tuum da nobis:* Christum tuum da nobis: in illo est enim misericordia tua. Dicamus illi et nos: Da nobis Christum tuum. Jam quidem dedit nobis Christum suum: adhuc illi tamen dicamus, Da nobis Christum tuum; quia dicimus illi, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Matth.* VI, 11). Et quis est panis noster, nisi ipse qui dixit, *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41)? Dicamus illi: Da nobis Christum tuum. Dedit enim nobis Christum, sed hominem: quem nobis [2] dedit hominem, eum ipsum nobis daturus est Deum. Hominibus enim hominem dedit; quia talem illum dedit hominibus qualis posset capi ab hominibus: Deum enim Christum nullus hominum capere poterat. Factus est hominibus homo, servavit se Deum diis. An forte arroganter dixi? Revera arroganter, nisi ipse dixisset: *Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6; *et Joan.* X, 34). Ad ipsam adoptionem renovamur [3], ut efficiamur filii Dei. Jam quidem sumus, sed per fidem: sumus quidem in spe, nondum sumus in re. « Spe enim salvi facti sumus, » sicut dicit Apostolus. « Spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus » (*Rom.* VIII, 24, 25). Quid enim *exspectamus per patientiam*, nisi videre quod credimus? Modo enim credimus quod non videmus: permanendo in eo quod credentes non videmus, merebimur videre quod credimus. Propterea Joannes in Epistola sua quid ait? *Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus.* Quis non exsultet, si subito nescio cui peregrinanti et ignoranti genus suum, patienti aliquam egestatem, et in ærumna et labore constituto diceretur: Filius senatoris es; pater tuus amplo patrimonio gaudet in re vestra; revoco te ad patrem tuum? quali gaudio exsultaret, si hoc non fallax promissor diceret? Venit ergo non fallax apostolus Christi, et ait: Quid est quod de vobis desperatis? quid est quod vos affligitis, et mœrore conteritis? quid est quod concupiscentias vestras sequendo, in egestate istarum voluptatum conteri vultis? Habetis patrem, habetis patriam, habetis patrimonium. Quis est iste pater? « Dilectissimi, filii Dei sumus. » Quare ergo nondum videmus patrem nostrum? Quia « nondum apparuit quid erimus. » Jam sumus, sed in spe: nam « quid erimus, nondum apparuit. » Et quid erimus? « Scimus, » inquit, « quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est » (I *Joan.* III, 2). Sed hoc de Patre dixit, de Filio autem Domino Jesu Christo non dixit:

[1] Nonnulli Mss., *cantabimus.*

[1] Mss., *ipse.*
[2] Sic potiores Mss. Alii cum Edd., *quem novimus dedit*, etc.
[3] Ita Mss. At Edd.: *Ad hanc ipsam adoptionem revocamur.*

et forte videndo Patrem, non Filium, [1] erimus beati? Ipsum audi Christum: *Qui me vidit, vidit et Patrem.* Cum enim unus Deus videtur, Trinitas videtur, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Audi expressius quia ipsius Filii visio tribuet nobis beatitudinem, et nihil interest inter visionem ipsius et visionem Patris. Ipse ait in Evangelio: *Qui diligit me, mandata mea custodit, et ego diligam illum, et ostendam meipsum illi* (*Joan.* XIV, 9, 21). Loquebatur illis, et dicebat, *ostendam meipsum illi.* Quare? Non erat ipse qui loquebatur? Sed carnem caro videbat; divinitatem cor [2] non videbat. Ad hoc autem caro carnem vidit, ut per fidem cor mundaretur, unde Deus videretur. Dictum est enim de Domino, *Fide mundans corda eorum* (*Act.* XV, 9): et dixit Dominus, *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Ergo nobis promisit ostendere se nobis. Qualis est pulchritudo ejus, fratres, cogitate. Omnia ista pulchra quæ videtis, quæ amatis, ipse fecit. Si hæc pulchra sunt, quid est ipse? si hæc magna sunt, quantus est ipse? Ergo ex istis quæ hic amamus, illum magis desideremus; et contemnentes ista, illum diligamus: ut ipsa dilectione per fidem cor mundemus, et mundatum cor nostrum inveniat aspectus illius. Lux quæ nobis ostendetur, sanos nos debet invenire: hoc agit modo fides. Hoc ergo hic diximus. *Et salutare tuum da nobis:* da nobis Christum tuum, noverimus Christum tuum, videamus Christum tuum; non quomodo illum viderunt Judæi, et crucifixerunt, sed quomodo illum vident Angeli, et gaudent.

10. [*vers.* 9.] *Audiam quid loquetur in me Dominus Deus.* Propheta dixit. Loquebatur in illo Deus intus, et mundus faciebat illi strepitum foris. Cohibens ergo aliquantum ab strepitu mundi, et avertens se ad se, et a se in illum cujus vocem audiebat interius; quasi obturans aurem contra tumultuantem vitæ hujus inquietudinem, et contra animam corpore quod corrumpitur aggravatam, et sensum terrena inhabitatione deprimentem multa cogitantem (*Sap.* IX, 15), ait, *Audiam quid loquitur in me Dominus Deus:* et audivit, quid? *Quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Vox ergo Christi, vox Dei pax est, ad pacem vocat. Eia, dicit, quicumque nondum estis in pace, amate pacem: quid enim vobis melius de me invenire potestis quam pacem? Pax quid est? Ubi nullum bellum est. Quid est, ubi nullum bellum est? Ubi nulla est contradictio, ubi nihil resistit, nihil adversum est. Videte si jam ibi sumus; videte si jam non est conflictus cum diabolo, videte si non omnes sancti et fideles cum principe dæmoniorum luctantur. Et quomodo cum illo luctantur, quem non vident? Luctantur cum concupiscentiis suis, quibus ille suggerit peccata: et non consentiendo quod suggerit, etsi non vincuntur, tamen pugnant. Nondum est ergo pax, ubi pugna est. Aut date mihi hominem qui nihil tentationis patitur in carne sua, ut possit mihi dicere quia jam pax est. Nihil quidem tentationis forte patitur in illicitis voluptatibus, saltem suggestiones ipsas patitur: vel suggeritur illi quod respuit, vel delectat unde contineat. Sed ecce jam nihil delectat illicitum; vel contra famem et sitim pugnat quotidie: quis enim justus hinc alienus? Pugnat ergo fames et sitis, pugnat contra nos lassitudo carnis, pugnat delectatio somni, pugnat oppressio. Vigilare volumus; dormitamus: jejunare volumus; esurimus et sitimus: stare volumus; defatigamur: quærimus sedere; si et hoc diu facimus, deficimus. Quidquid nobis providerimus ad refectionem, illic rursus invenimus defectionem. Esuris, dicit tibi aliquis? respondes, Esurio. Ponit ante te cibum; ad refectionem posuerat: persevera in eo quod posuit; certe reficere te volebas, hoc age semper; hoc agendo, in eo quod adhibueras ad refectionem, ibi invenis lassitudinem. Multum sedendo fatigatus eras; surgis, deambulando reficeris: persevera in eo quo reficeris, multum deambulando lassaris; sedere iterum quæris. Inveni mihi aliquid unde te reficias, ubi non, si perseveraveris, iterum deficias. Qualis ergo est ista pax, quam hic habent homines tantis resistentibus molestiis, cupiditatibus, indigentiis, lassitudinibus? Non est ista vera, non est perfecta pax. Quæ erit perfecta pax? « Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem: tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Ubi est, mors, aculeus tuus? ubi est, mors, contentio tua » (I *Cor.* XV, 53-55)? Ubi enim adhuc mortalitas [1], quomodo est plena pax? Etenim de morte venit lassitudo ista, quam invenimus in omnibus refectionibus nostris. De morte est, quia corpus mortale portamus; quod quidem mortuum dicit Apostolus et ante animæ resolutionem: *Corpus quidem*, inquit, *mortuum est propter peccatum* (*Rom.* VIII, 10). Nam si perseveraveris in eo quo te reficis, etiam morieris. Persevera in multum manducando; ipsa res te interficiet: persevera in multum jejunando; inde morieris: sede semper, ut nolis surgere; morieris inde: ambula semper, ut nolis quiescere; morieris inde: vigila semper, ut nolis dormire; morieris inde: dormi semper, ut nolis vigilare; morieris inde. Quando ergo absorpta fuerit mors in victoriam, non erunt ista; et erit pax plena et æterna. Erimus in quadam civitate: fratres, quando de illa loquor, finire nolo, et maxime quando scandala crebrescunt. Quis non desideret illam civitatem [2], unde amicus non exit, quo inimicus non intrat, ubi nullus tentator est, nullus seditiosus, nullus dividens populum Dei, nullus fatigans Ecclesiam in ministerio diaboli; quando ipse princeps ipsorum mittitur in ignem æternum, et hi cum illo quicumque illi consentiunt, et recedere ab eo nolunt? Erit ergo pax purgata in filiis Dei, omnibus amantibus se, videntibus se plenos Deo, cum erit Deus omnia in omnibus (I *Cor.* XV, 28). Commune spectaculum habebimus Deum; communem

[1] Optimæ notæ Corb. Ms., *non erimus.*
[2] Er. et Ven., *caro.* M.

[1] Plerique Mss., *mors.*
[2] Sic tres Mss. Cæteri cum Edd., *illam pacem.*

possessionem habebimus Deum; communem pacem habebimus Deum. Quidquid enim est quod nobis modo dat, ipse nobis erit pro omnibus quæ dat : ipsa [1] erit perfecta et plena pax. Hanc loquitur in plebem suam; hanc volebat audire ille qui ait : « Audiam quid loquetur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertunt cor ad ipsum. » Eia, fratres, vultis ut ad vos pertineat ista pax quam loquitur Deus? Convertite cor ad ipsum; non ad me, aut ad illum, aut ad quemquam hominem. Quisquis enim homo voluerit convertere ad se corda hominum, cadit cum ipsis. Quid est melius, ut cadas cum illo ad quem converteris, an ut stes cum illo cum quo converteris? Gaudium nostrum, pax nostra, requies nostra, finis omnium molestiarum, non est nisi Deus : beati *qui convertunt cor ad ipsum.*

11. [*vers.* 10.] *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius.* Erant quidam qui jam timebant eum in gente Judæorum. Per omnes terras ubique idola colebantur; dæmonia timebantur, non Deus : in illa gente timebatur Deus. Sed propter quid timebatur? In Veteri Testamento timebatur, ne daret illos in captivitatem, ne tolleret illis terram, ne grandine contunderet vites ipsorum, ne faceret steriles uxores eorum, ne auferret ab eis filios ipsorum. Hæc enim carnalia promissa Dei tenebant adhuc parvas animas, et propter hæc timebatur Deus : sed prope illis erat, qui vel propter hæc ipsum timebant. Terram petebat Paganus a diabolo; terram petebat Judæus a Deo : unum erat quod petebant; sed non unus a quo petebant. Petendo iste quod Paganus petebat, discernebatur tamen a Pagano, quia ab illo ista petebat, qui omnia fecerat. Et prope illis erat Deus, qui Gentibus longe erat; tamen respexit et eos qui longe erant, et eos qui prope erant, sicut dicit Apostolus : *Et veniens evangelizavit pacem vobis qui eratis longe, et pacem his qui prope* (*Ephes.* II, 17). Quos dixit qui erant prope? Judæos, quia unum Deum colebant. Quos dixit qui erant longe? Gentes, quia dimiserant eum a quo facti erant, et colebant illa quæ ipsi fecerant. Non enim regionibus longe est quisque a Deo, sed affectibus. Amas Deum, prope es; odisti Deum, longe es. Uno loco stans, et prope es, et longe es. Ergo, fratres, respexit ista Propheta : quanquam generalem vidit misericordiam Dei super omnes; tamen aliquid speciale et proprium vidit in gente Judæa, et ait, *Verumtamen. Audiam quid loquetur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem suam :* et plebs ipsius non Judæa sola erit, sed de omnibus gentibus colligetur; *quia super sanctos suos loquetur pacem, et in eos qui convertunt cor ad ipsum*, et omnes qui conversuri sunt cor ad ipsum [2] de omni orbe terrarum. *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra :* id est, in ea terra in qua natus erat Propheta, inhabitet gloria major; quia inde cœpit prædicari [1] Christus. Inde Apostoli, et illuc prius missi : inde Prophetæ, ibi primo templum, ibi sacrificabatur Deo, ibi Patriarchæ, ibi ipse etiam venit de semine Abrahæ, ibi manifestatus est Christus, ibi apparuit Christus : inde enim virgo Maria, quæ peperit Christum. Ibi ambulavit pedibus suis, ibi mirabilia fecit. Postremo tantum honorem illi genti detulit, ut cum eum interpellaret quædam mulier Chananæa salutem quærens filiæ suæ, dixerit ei : *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Hoc ergo videns Propheta, ait : *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius, ut inhabitet gloria in terra nostra.*

12. [*vers.* 11.] *Misericordia et veritas occurrerunt sibi.* Veritas in terra nostra ex persona Judæorum, misericordia in terra Gentium. Veritas enim ubi? Ubi erant eloquia Dei. Misericordia ubi? In illis qui dimiserant Deum suum, et converterant se ad dæmonia. Numquid et ipsos despexit? Quomodo si diceret : Voca et istos longe fugitivos, qui multum a me recesserunt; voca, inveniant me quærentem se, quia ipsi nolebant quærere me. Ergo, *Misericordia et veritas occurrerunt sibi; justitia et pax osculatæ sunt se.* Fac justitiam, et habebis pacem; ut osculentur se justitia et pax. Si enim non amaveris justitiam, pacem non habebis : amant enim se duo ista, justitia et pax, et osculantur se; ut qui fecerit justitiam, inveniat pacem osculantem justitiam. Duæ amicæ sunt; tu forte unam vis, et alteram non facis : nemo est enim qui non vult pacem; sed non omnes volunt operari justitiam. Interroga omnes homines : Vis pacem? Uno ore tibi respondet totum genus humanum : Opto, cupio, volo, amo. Ama et justitiam; quia duæ amicæ sunt justitia et pax; ipsæ se osculantur : si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Quid enim magnum est desiderare pacem? Quivis malus desiderat pacem. Bona enim res est pax. Sed fac justitiam; quia justitia et pax se osculantur, non litigant. Tu quare litigas cum justitia? Ecce justitia dicit tibi, Ne fureris; et non audis : Ne adulteres; non vis audire : Non facias alteri quod tu pati non vis, non dicas alteri quod et tibi dici non vis. Inimicus es amicæ meæ, dicit tibi pax; quid me quæris? Amica sum justitiæ, quemcumque invenero inimicum amicæ meæ, non ad illum accedo. Vis ergo venire ad pacem? Fac justitiam. Ideo alius psalmus dicit tibi : *Declina a malo, et fac bonum* (hoc est amare justitiam); et cum jam declinaveris a malo, et feceris bonum, *quære pacem, et persequere eam* (*Psal.* XXXIII, 15). Jam enim non diu illam quæres, quia et ipsa occurret tibi, ut osculetur justitiam.

13. [*vers.* 12.] *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit. Veritas de terra orta est :* Christus de femina natus est. *Veritas de terra orta est :* Filius Dei de carne processit. Quid est veritas? Filius Dei. Quid est terra? Caro. Interroga unde natus est Christus, et vides quia *veritas de terra orta est.* Sed hæc veritas

[1] Sic Mss. At Edd., *ipse.*
[2] Plerique Mss. omittunt, *et omnes qui conversuri sunt cor ad ipsum.*

[1] Sic melioris notæ Mss. Alii quidam, *prophetari.* At Editi, *prædicare.*

quæ orta est de terra, erat ante terram, et per ipsam factum est cœlum et terra; sed ut justitia de cœlo prospiceret, id est, ut justificarentur homines divina gratia, veritas nata est de Maria virgine; ut posset pro illis justificandis offerre [1] sacrificium, sacrificium passionis, sacrificium crucis. Et unde offerret sacrificium pro peccatis nostris, nisi moreretur? unde autem moreretur, nisi a nobis acciperet ubi moreretur? Id est, nisi a nobis sumeret carnem mortalem, Christus mori non posset; quia Verbum non moritur, divinitas non moritur, Virtus et Sapientia Dei non moritur. Quomodo offerret sacrificium victimam salutarem, si non moreretur? quomodo autem moreretur, nisi carnem indueret? quomodo carnem indueret, nisi veritas de terra oriretur? *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit.*

14. Possumus hinc dicere alterum sensum. *Veritas de terra orta est:* confessio ab homine. Homo enim peccator eras. O terra, qui quando peccasti, audisti, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19), oriatur de te veritas, ut respiciat de cœlo justitia. Quomodo a te oritur veritas, cum tu peccator sis, cum tu iniquus sis? Confitere peccata tua, et orietur de te veritas. Si enim cum sis iniquus, dicis te justum, quomodo a te veritas oriretur? Si autem cum sis iniquus, dicis te iniquum; *veritas de terra orta est.* Intende illum Publicanum longe a Pharisæo in templo orantem, qui neque oculos ad cœlum audebat levare, sed percutiebat pectus suum, dicens, *Domine, propitius esto mihi peccatori:* ecce *veritas de terra orta est*, quia confessio peccatorum ab homine facta est. Quid ergo sequitur? *Amen dico vobis, quia descendit justificatus Publicanus ille magis quam ille Pharisæus: quia omnis qui se exultat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XVIII, 13, 14). *Orta est veritas de terra*, in confessione peccatorum; *et justitia de cœlo prospexit*, ut descenderet justificatus Publicanus ille magis quam ille Pharisæus. Nam ut noveritis quia veritas pertinet ad confessionem peccatorum, ait Joannes evangelista: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Quomodo ergo veritas de terra oritur, ut justitia de cœlo prospiciat, audi illum sequentem et dicentem: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata, et purget nos ab omni iniquitate* (I *Joan.* I, 8, 9). *Veritas* ergo *de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit.* Quæ *justitia de cœlo prospexit?* Tanquam Dei dicentis: Parcamus huic homini, quia ipse sibi non pepercit; ignoscamus, quia ipse agnoscit. Conversus est ad puniendum peccatum suum; convertar et ego ad eum liberandum. *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit.*

15. [*vers.* 13.] *Etenim Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Unus versus restat, peto sine tædio sit quod dicturus sum. Attendite rem necessariam, fratres mei; attendite, percipite, auferte [2] vobiscum, et non sit inane semen Dei in cordibus vestris. *Veritas*, inquit, *de terra orta est*, confessio peccatorum ab homine; *et justitia de cœlo prospexit*, id est, a Domino Deo data est justificatio confitenti, ut ipse agnoscat impius pium se fieri non posse, nisi ille fecerit cui confitetur, credendo in eum qui justificat impium (*Rom.* IV, 5). Tua ergo peccata potes habere; fructum bonum non habebis, nisi ille dederit cui confiteris. Ideo cum dixisset, *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit;* tanquam diceretur ei, Quid est quod dixisti, *Justitia de cœlo prospexit? Etenim*, inquit, *Dominus dabit suavitatem et terra nostra dabit fructum suum.* Nos ergo respiciamus nos; et si nihil in nobis invenerimus nisi peccata, oderimus peccata, et desideremus justitiam. Cum enim cœperimus odisse peccata, jam ipsum odium peccatorum similes nos incipit facere Deo; quia hoc odimus quod odit et Deus. Cum ergo cœperis odisse peccata et confiteri Deo, cum te delectationes illicitæ rapiunt et ducunt ad ea quæ tibi non prosunt, ingemisce ad Deum: et confitens illi peccata tua, mereberis ab illo delectationem, et suavitatem justitiæ faciendæ dabit tibi, ut incipiat te delectare justitia, quem primo delectabat iniquitas; ut qui primo gaudebas in ebrietate, gaudeas in sobrietate; et qui primo gaudebas de furtis, ut tolleres homini quod non habebas, quæras donare non habenti quod habebas; et quem delectabat rapere, delectet donare; quem delectabat spectare, delectet orare; quem delectabant cantica nugatoria et adulterina, delectet hymnum dicere Deo; currere ad ecclesiam, qui primo currebas ad theatrum. Unde nata est ista suavitas, nisi quia *Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum?* Ecce enim videte quod dico: ecce locuti sumus vobis verbum Dei, semen sparsimus devotis cordibus, tanquam sulcata invenientes pectora vestra aratro confessionis; devotione et intentione suscepistis semen, cogitate de verbo quod audistis, tanquam glebas frangentes, ne semen rapiant volatilia, ut possit ibi germinare quod seminatum est; et nisi Deus pluerit, quid prodest quod seminatur? Hoc est, *Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum.* Ille enim visitationibus suis [1], in otio, in negotio, in domo, in lecto, in convivio, in collocutione, in deambulatione visitet corda vestra, ubi nos non sumus. Veniat imber Dei, et fructificet quod ibi seminatum est; et ubi non sumus nos, et securi quiescimus, aut aliud agimus, Deus det incrementum seminibus quæ sparsimus, ut attendentes postea bonos mores vestros, etiam de fructu gaudeamus: *Quoniam Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum.*

16. [*vers.* 14.] *Justitia ante eum præibit, et ponet in via gressus suos.* Justitia illa est quæ est in confessione peccatorum: veritas enim ipsa est. Justus enim debes esse in te, ut punias te: ipsa est prima hominis justitia, ut punias te malum, et faciat te Deus bonum. Quia ergo ipsa est prima hominis justitia, ipsa fit via Deo, ut veniat ad te Deus: ibi illi fac viam,

[1] Sic Mss. At Edd., *offerri.*
[2] Edd., *ferte.* Aliquot Mss., *auferte:* fortasse pro, *conferte.*

[1] Aliquot Mss., *justificationibus suis.*

in confessione peccatorum. Ideo et Joannes cum baptizaret in aqua pœnitentiæ, et vellet ad se venire pœnitentes de suis prioribus factis, hoc dicebat: *Parate viam Domino, rectas facite semitas ejus* (*Matth.* III, 3). Placebas tibi in peccatis tuis, o homo; displiceat tibi quod eras, ut possis esse quod non eras. *Parate viam Domino;* præcedat ista justitia, ut confitearis peccata: veniet ille et visitabit te, quia *ponet in via gressus suos;* est enim jam ubi ponat gressus suos, est ubi ad te veniat. Ante autem quam confitereris peccata, intercluseras ad te viam Dei; non erat qua ad te veniret. Confitere vitam, et aperis viam; et veniet Christus, *et ponet in via gressus suos*, ut te informet vestigiis suis.

IN PSALMUM LXXXV
ENARRATIO.

SERMO (*a*).

1. Nullum majus donum præstare posset Deus hominibus, quam ut Verbum suum per quod condidit omnia, faceret illis caput, et illos ei tanquam membra coaptaret; ut esset Filius Dei et filius hominis, unus Deus cum Patre, unus homo cum hominibus: ut et quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde Filium separemus; et quando precatur corpus Filii, non a se separet caput suum; sitque ipse unus salvator corporis sui Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, qui et oret pro nobis, et oret in nobis, et oretur a nobis. Orat pro nobis, ut sacerdos noster; orat in nobis, ut caput nostrum, oratur a nobis, ut Deus noster. Agnoscamus ergo et in illo voces nostras, et voces ejus in nobis. Neque cum aliquid dicitur de Domino Jesu Christo, maxime in prophetia, quod pertineat velut ad quamdam humilitatem indignam Deo, dubitemus eam illi tribuere, qui non dubitavit se nobis adjungere. Ei quippe servit universa creatura, quia per ipsum facta est universa creatura. Et propterea, cum ejus sublimitatem divinitatemque intuemur, quando audimus, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1-3); intuentes hanc et supereminentissimam et excedentem omnia creaturarum sublimia divinitatem Filii Dei, audimus etiam in aliqua parte Scripturarum velut gementem, orantem, confitentem; et dubitamus ei tribuere verba hæc, ex eo quod cogitatio nostra de recenti ejus contemplatione quæ erat in divinitate, pigrescit descendere ad ejus humilitatem; et tanquam faciat illi injuriam, si ejus verba in homine agnoscat, ad quem verba dirigebat cum Deum deprecaretur, hæret plerumque, et conatur mutare sententiam; et non ei occurrit in Scriptura, nisi quod ad ipsum recurrat, et ab illo deviare non sinat. Expergiscatur ergo, et evigilet in fide sua; et videat quia ille quem contemplabatur paulo ante in forma Dei, formam servi accepit, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo, humiliavit se factus obediens usque ad mortem (*Philipp.* II, 5-8); et verba Psalmi voluit esse sua, in cruce pendens, et dicens: *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti* (*Psal.* XXI, 2)? Oratur ergo in forma Dei, orat in forma servi: ibi Creator, hic creatus [1], creaturam mutandam non mutatus assumens, et secum nos faciens unum hominem, caput et corpus. Oramus ergo ad illum, per illum, in illo: et dicimus cum illo, et dicit nobiscum; dicimus in illo, dicit in nobis psalmi hujus orationem, qui intitulatur, *Oratio David.* Quia Dominus noster secundum carnem filius David: secundum vero divinitatem Dominus David, et creator David; et non solum ante David, sed et ante Abraham, ex quo David; sed et ante Adam, ex quo omnes homines; sed et ante cœlum et terram, in quo omnis creatura est. Nemo ergo cum audit hæc verba, dicat, Non Christus dicit; aut rursus dicat, Non ego dico: imo si se in Christi corpore agnoscit, utrumque dicat, et, Christus dicit, et, Ego dico. Noli aliquid dicere sine illo, et non dicit aliquid sine te [2]. Nonne habemus in Evangelio? Ubi certe scriptum est, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt;* ibi certe habemus, Et contristatus est Jesus (*Matth.* XXVI, 38), et fatigatus est Jesus (*Joan.* IV, 6), et dormivit Jesus (*Matth.* VIII, 24), et esurivit (*Id.* IV, 2) et sitivit Jesus (*Joan.* IV, 7; *et* XIX, 28), et oravit, et pernoctavit in orando Jesus. *Pernoctabat*, inquit, *Jesus* (*Luc.* VI, 12), *et perstabat* [3] *in orando; et globi sanguinis decurrebant per corpus ejus* (*Id.* XXII, 43, 44). Quid ostendebat, quando per corpus orantis globi sanguinis destillabant, nisi quia corpus ejus, quod est Ecclesia, martyrum sanguine jam fluebat?

2. [*vers.* 1.] *Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me.* Ille ex forma servi dicit; tu, serve, in forma Domini tui: *Inclina, Domine, aurem tuam.* Inclinat aurem, si tu non erigas cervicem: humiliato enim appropinquat; ab exaltato longe discedit, nisi quem ipse humiliatum exaltaverit. Inclinat ergo Deus aurem suam ad nos. Ille enim sursum est, nos deorsum; ille in altitudine, nos in humilitate, sed non relicti. « Ostendit » enim « dilectionem suam Deus in nobis: etenim cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Vix enim » inquit « pro justo quis moritur; nam pro bono forsitan quis audeat mori: Dominus autem noster pro impiis mortuus est » (*Rom.* V, 6-9). Neque enim merita nostra præcesserant, pro quibus Filius Dei moreretur; sed magis quia nulla erant merita, magna erat misericordia. Quam certa ergo, quam firma promissione servat justis vitam suam, qui donavit injustis mortem suam? *Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me; quoniam egenus et inops ego sum.* Ergo non in-

(*a*) Ad plebem in pervigilio solemnitatis, forte S. Cypriani, et apud Carthaginem habitus.

[1] Vox, *creatus*, aberat a Corb. optimæ notæ Ms.
[2] Sic Mss. At Edd., *non potest aliquid dicere sine illo, et dicit aliquid sine te.*
[3] Ferrar. Ms., *prosternebatur.*

clinat aurem ad divitem : ad inopem et egenum inclinat aurem, id est, ad humilem et ad confitentem, ad indigentem misericordia : non ad saturatum et extollentem se, et jactantem, quasi nihil ei desit, et dicentem, *Gratias tibi, quia non sum sicut Publicanus iste.* Dives enim Pharisæus jactabat merita sua : inops Publicanus confitebatur peccata sua (*Luc.* XVIII, 11-13).

3. Nec sic accipiatis, fratres, quod dixi, Ad divitem non inclinat aurem suam, tanquam non exaudiat Deus eos qui habent aurum et argentum, et familiam et fundos : si sic forte nati sunt, aut eum locum[1] rerum humanarum tenent; tantum meminerint quod ait Apostolus, *Præcipe divitibus hujus mundi non superbe sapere* (I *Tim.* VI, 17). Qui enim non superbe sapiunt, in Deo pauperes sunt; et pauperibus atque inopibus et egenis inclinat aurem suam. Norunt enim spem suam non esse in auro et argento, neque in illis rebus quibus ad tempus circumfluere videntur. Sufficit ut divitiæ non illos perdant; ut non obsint sat est : nam prodesse nihil possunt. Plane prodest opus misericordiæ et in divite et in paupere : in divite ex voluntate et opere, in paupere ex sola voluntate. Cum ergo talis est contemnens in se quidquid est unde superbia solet inflari, pauper Dei est : inclinat illi aurem suam, novit enim contribulatum cor ejus. Certe, fratres, ille pauper ante januam divitis ulcerosus qui jacebat, ab Angelis ablatus est in sinum Abrahæ, sic legimus, sic credimus : dives autem ille qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, ablatus est ad inferos ad tormenta (*Luc.* XVI, 19-24). Numquid vere ille pauper merito illius inopiæ ablatus est ab Angelis; dives autem ille peccato divitiarum suarum ad tormenta missus est? In illo paupere humilitas intelligitur honorificata, in illo divite superbia damnata. Breviter probo quia non divitiæ, sed superbia in illo divite cruciabatur. Certe ille pauper in sinum Abrahæ sublatus est : de ipso Abraham dicit Scriptura quia habebat hic plurimum auri et argenti, et dives fuit in terra (*Gen.* XIII, 2). Si qui dives est, ad tormenta rapitur; quomodo Abraham præcesserat pauperem, ut ablatum in sinum suum susciperet? Sed erat Abraham in divitiis pauper, humilis, tremens omnia præcepta, et obaudiens. Usque adeo autem pro nihilo habebat illas divitias, ut jussus a Domino filium suum immolaret (*Id.* XXII, 10), cui servabat divitias. Discite ergo esse inopes et pauperes; sive qui habetis aliquid in isto sæculo, sive qui non habetis. Nam et hominem mendicum invenis superbientem, et hominem habentem divitias invenis confitentem. Resistit Deus superbis, et holosericatis et pannosis : humilibus autem dat gratiam (*Jacobi* IV, 6), et habentibus aliquam substantiam hujus sæculi et non habentibus. Interior inspector est Deus; ibi appendit, ibi examinat : stateram Dei non vides; cogitatio tua in illam levatur. Videte quia meritum exauditionis suæ, id est, quo exaudiretur, in eo posuit ut diceret, *Quoniam egenus et inops ego sum.* Observa ne non sis egenus et inops : si non fueris, non exaudieris. Quidquid est circa te vel in te unde possis præsumere, abjice a te; tota præsumptio tua Deus sit : illius indigens esto, ut ipso implearis. Quidquid enim aliud habueris sine ipso, latius inanis es.

4. [*vers.* 2] *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Hoc vero, *quoniam sanctus sum*, nescio utrum potuerit forte alius dicere, nisi ille qui sine peccato erat in hoc mundo; peccatorum omnium non commissor, sed dimissor. Agnoscimus vocem dicentis, *Quoniam sanctus sum, custodi animam meam*; utique in illa forma servi, quam assumpserat. Ibi enim caro, ibi et anima. Neque enim, ut nonnulli dixerunt (*a*), caro sola erat et Verbum; sed et caro, et anima, et Verbum : et totum hoc unus Filius Dei, unus Christus, unus Salvator; in forma Dei æqualis Patri, in forma servi caput Ecclesiæ. Ergo, *Quoniam sanctus sum*, cum audio, vocem ejus agnosco; et hic separo meam[1]? Certe inseparabiliter a corpore suo loquitur, cum sic loquitur. Et audebo ego dicere, *Quoniam sanctus sum*? Si sanctus tanquam sanctificans, et nullo sanctificante indigens; superbus et mendax : si autem sanctus sanctificatus, secundum id quod dictum est, *Sancti estote, quia et ego sanctus sum* (*Levit.* XIX, 2); audeat et corpus Christi, audeat et unus ille homo clamans a finibus terræ (*Psal.* LX, 3), cum capite suo, et sub capite suo dicere, *Quoniam sanctus sum.* Accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam Baptismi et remissionis peccatorum. *Et hæc quidem fuistis*, ait Apostolus, enumerans multa peccata, et levia et gravia, et usitata et horribilia : *Et hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis* (I *Cor.* VI, 11). Si ergo sanctificatos dicit, dicat et unusquisque fidelium, *Sanctus sum.* Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si enim dixeris te ex te esse sanctum, superbus es : rursus, fidelis in Christo, et membrum Christi, si te dixeris non esse sanctum, ingratus es. Arguens enim superbiam Apostolus, non ait, Non habes; sed ait, *Quid enim habes quod non accepisti* (*Id.* IV, 7)? Non arguebaris, quia dicebas te habere quod non[2] habes; sed quia ex te tibi volebas esse quod habes. Imo et habere te agnosce, et ex te nihil habere, ut nec superbus sis, nec ingratus. Dic Deo tuo : Sanctus sum, quia sanctificasti me; quia accepi, non quia habui; quia tu dedisti, non quia ego merui. Etenim ex alio latere incipis injuriam facere ipsi Domino nostro Jesu Christo. Si enim Christiani omnes et fideles et baptizati in illo ipsum induerunt, sicut Apostolus dicit, *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Galat.* III, 27); si membra sunt facti corporis ejus, et dicunt se sancta non esse, capiti ipsi faciunt injuriam, cujus membra sancta non sunt[3]. Jam vide ubi sis, et de capite tuo dignitatem cape. Etenim eras in tenebris, *nunc autem lux in Domino. Fuistis*, inquit, *aliquando tenebræ* (*Ephes.*

[1] Sic aliquot Mss. Edd. vero, *aut cum lucrum*

[1] Regius Mss., *separo me ab ea?*
[2] Particula, *non*, abest a Remig. probæ notæ Ms.
[3] Sic Er. et meliores Mss. At Lov., *sancta sunt.*
(*a*) Apollinaristæ.

v. 8); sed numquid tenebræ remansistis? Ad hoc illuminator venit, ut et tenebræ remaneretis, an ut in illo lux fieretis? Ergo dicat et unusquisque christianus, imo dicat totum corpus Christi, clamet ubique patiens tribulationes, diversas tentationes et scandala innumerabilia; dicat, *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.* Ecce ille sanctus non est superbus, quia sperat in Domino.

5. [*vers.* 3.] *Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die:* non una die. *Tota die,* omni tempore intellige: ex quo corpus Christi gemit in pressuris, usque in finem sæculi quo transeunt pressuræ, gemit iste homo, et clamat ad Deum; et unusquisque nostrum proportione habet clamorem suum in toto isto corpore. Clamasti tu diebus tuis, et transierunt dies tui; successit tibi alius, et clamavit diebus suis; et tu hic, ille ibi, ille alibi: corpus Christi tota die clamat, sibi decedentibus et succedentibus membris. Unus homo usque in finem sæculi extenditur: eadem membra Christi clamant, et quædam membra jam in illo requiescunt, quædam modo clamant, quædam vero cum ipsi nos requieverimus clamabunt, et post illa alia clamabunt. Totius corporis Christi hic attendit vocem, dicentis: *Ad te clamavi tota die.* Caput autem nostrum ad dexteram Patris interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34): alia membra recipit, alia flagellat, alia mundat, alia consolatur, alia creat, alia vocat, alia revocat, alia corrigit, alia redintegrat.

6. [*vers.* 4.] *Jucunda animam servi tui; quoniam ad te, Domine, levavi animam meam.* Jucunda eam, quia levavi ad te eam. In terra enim erat, et in terra amaritudinem sentiebat: ne in amaritudine contabesceret, ne omnem tuæ gratiæ suavitatem amitteret, levavi eam ad te; jucunda eam apud te. Solus enim tu es jucunditas: amaritudine plenus est mundus. Certe recte admonet membra sua ut sursum cor habeant. Audiant ergo, et faciant; levent ad illum quod male est in terra. Ibi enim non putrescit cor, si levetur ad Deum [1]. Frumentum si haberes in inferioribus, ne putresceret, levares ad superiora. Frumento mutares locum, et cor permittis in terra putrescere? Frumentum levares in superiora; cor leva in cœlum. Et unde, inquis, possum? Qui funes, quæ machinæ, quæ scalæ opus sunt? Gradus, affectus sunt; iter tuum, voluntas tua est. Amando ascendis, negligendo descendis. Stans in terra, in cœlo es, si diligas Deum. Non enim sic levatur cor, quomodo levatur corpus: corpus ut levetur, locum mutat; cor ut levetur, voluntatem mutat. *Quoniam ad te, Domine, levavi animam meam.*

7. [*vers.* 5.] *Quia tu, Domine, suavis es ac mitis.* Ideo jucunda. Tanquam tædio affectus ex amaritudine terrenorum indulcari voluit, et quæsivit fontem dulcedinis, et in terra non invenit. Quacumque enim se vertebat, scandala, timores, tribulationes, tentationes inveniebat. In quo homine securitas? de quo certum gaudium? Nec de se ipso utique; quanto magis [1] de alio? Aut mali sunt, et necesse est eos pati, et sperare quia mutari possunt; aut boni sunt, et sic eos oportet diligere, ut timeamus (quia possunt mutari) ne mali sint: ibi malitia eorum facit amaritudinem animæ; hic sollicitudo et timor, ne labatur qui bene ambulat. Quocumque ergo se converterit, in terrenis rebus amaritudinem invenit; unde dulcescat non habet, nisi levet se ad Deum. *Quoniam tu, Domine, suavis et mitis.* Quid est *mitis?* Portans me, donec perficias me. Vere enim, fratres mei, dicam tanquam homo in hominibus, et ex hominibus: ferat [2] quisque cor suum, et intueatur se sine adulatione, et sine palpatione. Nihil est enim stultius quam ut seipsum quisque palpet atque seducat. Attendat ergo et videat quanta aguntur in corde humano; quemadmodum ipsæ plerumque orationes impediantur vanis cogitationibus, ita ut vix stet cor ad Deum suum: et vult se tenere ut stet, et quodammodo fugit a se, nec invenit cancellos quibus se includat, aut obices quosdam quibus retineat avolationes suas et vagos quosdam motus, et stet jucundari a Deo suo. Vix est ut occurrat talis oratio inter multas orationes. Diceret unusquisque sibi contingere, et alteri non contingere, nisi inveniremus in Scripturis Dei David orantem quodam in loco, et dicentem: *Quoniam inveni, Domine, cor meum, ut orarem ad te* (II *Reg.* VII, 27). Invenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, et ille sequi quasi fugitivum, et non posse comprehendere, et clamare ad Deum, *Quoniam cor meum dereliquit me* (*Psal.* XXXIX, 13). Itaque, fratres mei, attendens quod hic ait, *Suavis es tu et mitis;* videor mihi videre hic quod ait, *mitis. Jucunda animam servi tui, quoniam ad te levavi animam meam; quoniam tu suavis et mitis es:* videor mihi videre ad hoc dixisse mitem Deum, quia patitur ista nostra, et exspectat tamen a nobis orationem, ut perficiat nos; et quando illi eam dederimus, accipit grate, et exaudit; nec meminit tantas quas incondite fundimus, et accipit unam quam vix invenimus. Quis enim est, fratres mei, homo, cum quo si cœperit amicus ejus colloqui, et voluerit [3] ille respondere collocutioni ejus, et viderit eum averti a se, et aliud loqui ad alium, qui hoc ferat? Aut si forte interpelles judicem, et constituas eum loco ut te audiat, et subito cum ad eum loqueris, dimittas eum, et incipias fabulari cum amico tuo; quando te tolerat? Et tolerat Deus tot corda precantium, et diversas res cogitantium: omitto dicere et noxias, omitto dicere aliquando perversas et inimicas Deo; ipsas superfluas cogitare injuria est ejus, cum quo loqui cœperas. Oratio tua locutio est ad Deum: quando legis, Deus tibi loquitur; quando oras, Deo loqueris. Sed quid? desperandum est de genere humano, et dicendum jam ad damnationem pertinere omnem hominem cui subrepserit aliqua cogitatio oranti, et interruperit orationem ipsius? Si hoc dixerimus, fratres, quæ spes remaneat non video.

[1] Aliquot Mss.: *Ibi enim putrescit cor, si non levetur ad Deum.*

[1] Unus Reg. Ms., *minus.*
[2] Gatian. Ms., *quærat.*
[3] Sic Mss. At Edd., *noluerit.*

Porro quia est aliqua spes ad Deum, quia magna est ejus misericordia, dicamus ei : *Jucunda animam servi tui, quoniam ad te, Domine, levavi animam meam.* Et quomodo eam levavi? Quomodo potui, quomodo tu vires dedisti, quomodo eam fugientem apprehendere valui[1]. Et excidit tibi, quia quotiescumque ante me stetisti (puta Deum dicere), tanta vana et superflua cogitasti, et vix mihi fixam et stabilem orationem fudisti : *Quia tu suavis es, Domine, ac mitis :* mitis es, tolerans me. Ex ægritudine defluo; cura, et stabo : confirma, et firmus ero. Donec autem facias, toleras me : *Quia tu suavis es, Domine, et mitis.*

8. *Et multum misericors.* Non enim solum misericors, sed *multum misericors :* abundat enim iniquitas nostra, abundat et misericordia tua. *Et multum misericors es omnibus invocantibus te.* Et quid est quod dicit multis locis Scriptura, quia *invocabunt, et non exaudiam eos* (*Prov.* I, 28) (certe *misericors omnibus invocantibus te*) ; nisi quia quidam invocantes, non ipsum invocant? de quibus dicitur, *Deum non invocaverunt* (*Psal.* LII, 6). Invocant, sed non Deum. Invocas quidquid amas; invocas quidquid in te vocas, invocas quidquid vis ut veniat ad te. Porro, si Deum propterea invocas, ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te hæreditas, ut veniat ad te sæcularis dignitas; illa invocas quæ vis ut veniant ad te : sed Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum, non exauditorem desideriorum. Deus bonus, si det quod vis. Quid, si male vis, nonne erit magis non dando misericors? Porro, si non dederit, jam nihil tibi Deus est; et dicis : Quantum rogavi, quam sæpe rogavi, et non sum exauditus! Quid enim petebas? Forte mortem inimici tui. Quid, si et ille petebat tuam? Qui te creavit, ipse et illum; homo es, homo est et ille : Deus autem judex est; audit ambos, et non exaudit ambos. Tristis es, quia non es exauditus contra illum; gaude, quia non est exauditus contra te. Ego, inquis, non hoc petebam; non inimici mei petebam mortem, sed vitam petebam filii mei : quid mali petebam? Nihil mali petebas, sicut tu sentiebas. Nam quid, si ille raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius (*Sap.* IV, 11)? Sed peccator, inquis, erat; et ideo volebam eum vivere, ut corrigeretur. Tu volebas eum vivere, ut melior esset : quid si Deus noverat, si viveret, pejorem futurum? Unde ergo nosti quid illi prodesset, mori an vivere? Si ergo non nosti, redi ad cor tuum, dimitte Deo consilium suum. Quid ergo, inquis, faciam? quid orem? Quid ores? Quod te docuit Dominus, quod te docuit cœlestis magister. Invoca Deum tanquam Deum, ama Deum tanquam Deum : illo melius nihil est; ipsum desidera, ipsum concupisce. Vide invocantem Deum in alio psalmo : *Unam petii a Domino hanc requiram.* Quid est quod petit? *Ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ.* Utquid hoc? *Ut contempler delectationem Domini* (*Psal.* XXVI, 4). Si ergo amator Dei esse vis, sincerissimis medullis castisque suspiriis ipsum dilige, ipsum ama, illi flagra, illi inhia quo jucundius nihil invenis, quo melius, quo lætius, quo diuturnius. Quid enim tam diuturnum, quam id quod est sempiternum? Non times ne aliquando a te pereat, qui facit ne tu pereas. Si ergo tu invocas Deum tanquam Deum, securus esto, exaudiris; pertines ad istum versum, *Et multum misericors omnibus invocantibus te.*

9. Noli ergo dicere : Illud mihi non dedit. Redi ad conscientiam tuam; libra, interroga, parcere illi noli. Si vere Deum invocasti, certus esto quia id forte quod volebas temporaliter, ideo non dedit, quia non tibi proderat. Ædificetur in hoc cor vestrum, fratres, cor christianum, cor fidele; ne incipiatis tristes facti, veluti fraudati desideriis vestris, ire in indignationem contra Deum : etenim non expedit adversus stimulum calcitrare (*Act.* IX, 5). Recurrite ad Scripturas. Exauditur diabolus, et non exauditur Apostolus : quid vobis videtur? Quomodo exaudiuntur dæmones? Petierunt se ire in porcos, et concessum est eis (*Matth.* VIII, 31, 32). Quomodo exauditus est diabolus? Petiit Job tentandum, et accepit (*Job* I, 11, 12, *et* II, 5, 6). Quomodo non exauditus est Apostolus? « In magnitudine, » inquit, « revelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet : propter quod ter Dominum rogavi ut auferret eum a me, et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur (II *Cor.* XII, 7-9). Exaudivit eum quem disponebat damnare, et non exaudivit eum quem volebat sanare. Nam et æger petit multa a medico, non dat medicus: non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem. Ergo medicum tuum pone Deum; pete ab illo salutem, et salus tua ipse erit : non quasi salutem extrinsecus, sed ut salus ipse sit; ne rursus ames aliam salutem præter ipsum, sed quomodo habes in psalmo, *Dic animæ meæ, Salus tua ego sum* (*Psal.* XXXIV, 3). Quid ad te, quid tibi dicat, ut se tibi det? Vis ut det se tibi? Quid si quod vis habere, non vult ipse ut habeas, ut se tibi det? Impedimenta removet, ut intret ad te. Bona cogitate et considerate, fratres, quæ dat Deus peccatoribus; et hinc intelligite quid servet servis suis. Peccatoribus blasphemantibus eum quotidie dat cœlum et terram, dat fontes, fructus, salutem, filios, copias, ubertatem : hæc omnia bona non dat nisi Deus. Qui talia peccatoribus dat, quid eum putas servare fidelibus suis? Hoccine de illo sentiendum est, quia qui talia malis dat, nihil servat bonis? Imo vero servat, non terram, sed cœlum. Vilius forte aliquid dico, cum dico cœlum; sed seipsum, qui fecit cœlum. Pulchrum est cœlum, sed pulchrior est fabricator cœli. Sed video cœlum, et illum non video. Oculos enim habes ad videndum cœlum; cor nondum habes ad videndum fabricatorem cœli : ideo venit de cœlo in terram, ut mundet cor, quo videatur qui fecit cœlum et terram. Sed plane cum patientia salutem exspecta. Quibus te medicamentis curet, ille novit; quibus sectionibus, quibus ustionibus, ille novit. Tu tibi ægritudinem comparasti peccando : ille venit non solum fovere, sed et secare et urere. Non vides quanta homines patiantur sub medicorum manibus, spem in-

[1] Sic Mss. At Er., *valuit.* Lov., *valuisti.*

certam homine promittente? Sanaberis, dicit medicus; sanaberis, si secuero. Et homo dicit, et homini dicit; nec qui dicit certus est, nec qui audit, quia ille dicit homini, qui non fecit hominem, et non perfecte scit quid agatur in homine: et tamen ad verba hominis plus nescientis quid agatur in homine credit homo, subdit membra, ligari se patitur, aut plerumque etiam non ligatus secatur aut uritur; et accipit forte salutem paucorum dierum, jam sanatus quando moriatur ignorans; et fortasse, dum curatur, moritur; et fortasse curari non poterit. Cui autem promisit Deus aliquid, et fefellit?

10. [*vers.* 6.] *Auribus infige, Domine, orationem meam.* Magnus orantis affectus. *Auribus infige, Domine, orationem meam:* id est, non exeat de auribus tuis oratio mea, fige illam ibi in auribus tuis. Quomodo parturivit, ut figeret orationem suam in auribus Dei? Respondeat Deus, et dicat nobis: Vis figam orationem tuam in auribus meis? Fige in corde tuo legem meam. *Auribus infige, Domine, orationem meam; et intende voci orationis meæ.*

11. [*vers.* 7.] *In die tribulationis meæ clamavi ad te, quoniam exaudisti me.* Causa ut exaudires me, quia *in die tribulationis meæ clamavi ad te.* Paulo ante dixerat: *Tota die clamavi,* tota die tribulatus sum. Nullus ergo christianus dicat esse diem in quo non sit tribulatus. Totam diem, totum tempus intelleximus: tota die tribulatur. Quid ergo, tribulatio est et quando bene est? Utique tribulatio. Unde tribulatio? Quia quamdiu in corpore sumus, peregrinamur a Domino (II *Cor.* v, 6). Quodlibet hic abundet, nondum sumus in illa patria quo redire festinamus. Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam: si dulcis est patria, amara est peregrinatio; si amara peregrinatio, tota die tribulatio. Quando non est tribulatio? Quando in patria delectatio. *Delectationes in dextera tua usque in finem. Implebis me lætitia*, ait, *cum vultu tuo* (*Psal.* xv, 11); *ut contempler delectationem Domini* (*Psal.* xxvi, 4). Ibi transiet labor et gemitus: ibi non oratio, sed laudatio; ibi Alleluia, Amen ibi, vox consona cum Angelis; ibi visio sine defectu, et amor sine fastidio. Quamdiu ergo non ibi, videtis quia non in bono. Sed abundant omnia? Abundent omnia, vide si securus es quia non pereunt omnia. Sed habeo quod non habebam; accessit pecunia quæ non erat. Forte accessit et timor qui non erat; forte tanto securior eras, quanto pauperior. Postremo sint copiæ, redundet affluentia hujus sæculi, detur securitas quod non pereant: dicat Deus desuper, Æternus in his eris, æterna tecum erunt ista, sed meam faciem non videbis. Nemo carnem consulat; spiritum consulite: respondeat vobis cor vestrum; respondeat spes, fides, charitas, quæ in vobis esse cœpit. Ergone si acciperemus securitatem nos in affluentia bonorum sæcularium semper futuros, et diceret nobis Deus, Faciem meam non videbitis, gauderemus in illis bonis? Eligeret forte aliquis gaudere, et dicere: Abundant mihi ista, bene mihi est, nihil amplius quæro. Nondum cœpit esse amator Dei; nondum cœpit suspirare tanquam peregrinus. Absit, absit: recedant omnia seductoria, recedant blandimenta falsa; recedant ea quæ nobis quotidie dicunt, Ubi est Deus tuus? Effundamus super nos animam nostram, confiteamur in lacrymis, gemamus in confessionibus, in miseriis suspiremus (*Psal.* xli, 11, 4, 5). Quidquid nobis adest præter Deum nostrum, non est dulce: nolumus omnia quæ dedit, si non dat seipsum qui omnia dedit. *Auribus infige, Domine, orationem meam, et intende voci orationis meæ. In die tribulationis meæ clamavi ad te, quoniam exaudisti me.*

12. [*vers.* 8.] *Non est similis tibi in diis, Domine.* Et quid dixit? *Non est similis tibi in diis, Domine.* Fingant sibi deos quos volunt Pagani; adducant fabros argentarios, aurifices, expolitores, sculptores, faciant deos. Quales deos? Oculos habentes, et non videntes (*Psal.* cxiii, 5); et cætera quæ dicit psalmus consequenter. Sed ista non colimus, ait; non colimus, hæc signa sunt. Et quid colitis? Aliud aliquid pejus: *Quoniam dii Gentium dæmonia* (*Psal.* xcv, 5). Et quid? Nec dæmonia, inquiunt, colimus. Plane nihil aliud habetis in templis, nihil aliud implet vates vestros quam dæmonium. Sed quid dicitis? Angelos colimus, Angelos habemus deos. Non plane nostis Angelos. Angeli enim unum Deum colunt, nec favent hominibus qui volunt colere Angelos, et non Deum. Nam invenimus honoratos Angelos, prohibentes homines ne se adorarent, sed verum Deum (*Apoc.* xix, 10). Sed Angelos dicant, homines dicant, quia dictum est, *Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes* (*Psal.* lxxxi, 6): *Non est similis tibi in diis, Domine.* Quodlibet aliud cogitet homo, non est simile quod factum est illi qui fecit. Excepto Deo, quidquid aliud est in natura rerum, factum est a Deo. Quantum interest inter eum qui fecit, et illud quod factum est, quis digne cogitet? Iste ergo dixit, *Non est similis tibi in diis, Domine:* quantum autem sit dissimilis Deus, non dixit, quia dici non potest. Intendat Charitas vestra: Deus ineffabilis est; facilius dicimus quid non sit, quam quid sit. Terram cogitas; non est hoc Deus: mare cogitas; non est hoc Deus: omnia quæ sunt in terra, homines et animalia; non est hoc Deus: omnia quæ sunt in mari, quæ volant per aerem; non est hoc Deus: quidquid lucet in cœlo, stellæ, sol et luna; non est hoc Deus: ipsum cœlum; non est hoc Deus: Angelos cogita, Virtutes, Potestates, Archangelos, Thronos, Sedes, Dominationes; non est hoc Deus. Et quid est? Hoc solum potui dicere, quid non sit. Quæris quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (I *Cor.* ii, 9). Quid quæris ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit? *Non est similis tibi in diis, Domine; et non est secundum opera tua.*

13. [*vers.* 9.] *Omnes gentes quotquot fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine.* Annuntiavit [1] Ecclesiam, *Omnes gentes quotquot fecisti.* Si est gens quam non fecit Deus, non adorabit eum: nulla est autem gens quam non fecit Deus; quia fontem omnium gen-

[1] Sic Mss. Edd. vero, *annuntiant.*

tium Adam et Evam fecit Deus, inde propagatæ sunt omnes gentes. Omnes ergo gentes Deus fecit : *Omnes* ergo *gentes quotquot fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine.* Quando dictum est? Quando coram eo non adorabant nisi pauci sancti in uno populo Hebræorum, tunc dictum est hoc; et modo videtur quod dictum est : *Omnes gentes quotquot fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine.* Quando dicebantur hæc, non videbantur, et credebantur; quando videntur, quare negantur? *Omnes gentes quotquot fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine, et glorificabunt nomen tuum.*

14. [*vers.* 10.] *Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia; tu es Deus solus magnus.* Nemo se dicat magnum. Futuri erant qui se dicerent magnos : contra hos dicitur, *Tu es Deus solus magnus.* Nam quid magnum dicitur Deo, quia ipse est solus Deus magnus? Quis hoc nescit, quia ipse est Deus magnus? Sed quia futuri erant, qui se dicerent magnos, et Deum facerent parvum; contra illos dicitur, *tu es solus Deus magnus.* Etenim quod tu dicis, impletur, non quod illi dicunt, qui se dicunt magnos. Quid dixit Deus per Spiritum suum? *Omnes gentes quotquot fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine.* Quid dicit nescio quis, qui se dicit magnum? Absit : non adoratur Deus in omnibus gentibus; perierunt omnes gentes, sola Africa remansit. Hoc tu dicis, qui te dicis magnum; aliud dicit qui est solus Deus magnus. Quid dicit qui est solus Deus magnus? *Omnes gentes quotquot fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine.* Video quod dixit solus Deus magnus; taceat homo falso magnus; ideo fallaciter magnus, quia dedignatur esse parvus. Quis parvus esse dedignatur? Iste qui hoc dicit. *Quicumque vult inter vos major esse*, dixit Dominus, *erit vester servus* (*Matth.* xx, 26). Ille si servus vellet esse fratrum suorum, non eos separaret a matre ipsorum : sed cum vult esse magnus, et non vult esse salubriter parvus; Deus qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jacobi* iv, 6), quia solus est magnus, implet omnia quæ prædixit, et contradicit maledicentibus. Christo enim tales maledicunt, qui dicunt quia periit Ecclesia de toto orbe terrarum, et remansit in sola Africa. Si diceres illi, Perdes villam tuam; forte non a te temperaret manum : et dicit Christum perdidisse hæreditatem suam redemptam sanguine suo! Quam autem faciat injuriam videte, fratres. Scriptura dicit : *In lata gente gloria regis; in diminutione populi contritio principis* (*Prov.* xiv, 28). Ergo hanc injuriam facis Christo, ut dicas populum ejus ad istam exiguitatem diminutum. Ideo natus es, ideo christianum te dicis, ut invideas gloriæ Christi, cujus signum te in fronte portare asseris, et de corde perdidisti? *In lata gente gloria regis :* agnosce regem tuum; da illi gloriam, da illi latam gentem. Quam latam gentem dabo, inquis? Noli ex tuo corde dare, et recte dabis. Unde do, inquies? Ecce hinc da : *Omnes gentes quotquot fecisti, venient, et adorabunt coram te, Domine.* Dic hoc, confitere hoc, et dedisti latam gentem : quia omnes gentes in uno una; ipsa est unitas. Quomodo enim Ecclesia et Ecclesiæ, illæ Ecclesiæ quæ Ecclesia; sic illa gens quæ gentes : antea gentes, multæ gentes; modo una gens. Quare una gens? Quia una fides, quia una spes, quia una charitas, quia una exspectatio. Postremo quare non una gens, si una patria? Patria cœlestis est [1], patria Jerusalem est : quisquis inde civis non est, ad istam gentem non pertinet; quisquis autem inde civis est, in una gente Dei est. Et hæc gens ab oriente in occidentem, ab aquilone et mari distenditur per quatuor partes totius orbis. Hoc Deus dicit : Ab oriente et occidente, ab aquilone et mari date gloriam Deo. Hoc prædixit, hoc implevit, qui solus est magnus. Desinat ergo hoc dicere contra solum magnum, qui noluit esse parvus : quia non possunt esse duo magni, Deus et Donatus.

15. [*vers.* 11.] *Deduc me, Domine, in via tua, et ambulabo in veritate tua.* Via tua, veritas tua, vita [2] tua, Christus. Ergo corpus ad illum, et corpus de illo. *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* xiv, 6). *Deduc me, Domine, in via tua.* In qua via? *Et ambulabo in veritate tua.* Aliud est, ut ducat ad viam; aliud, ut deducat in via. Vide hominem ubique pauperem, ubique adjutorio egentem. Qui præter viam sunt, christiani non sunt, aut catholici nondum sunt, deducantur ad viam : sed cum perducti fuerint ad viam, et catholici in Christo facti fuerint; ab ipso deducantur in ipsa via, ne cadant. Certe jam ambulant in via. *Deduc me, Domine, in via tua :* certe jam in via tua sum, deduc me ibi. *Et ambulabo in veritate tua :* te deducente, non errabo; si dimiseris, errabo. Ora ergo ut non dimittat, sed usque in finem deducat. Quomodo deducit? Semper monendo, semper dando tibi manum suam. Et brachium Domini cui revelatum est (*Isai.* liii, 1)? Dando enim Christum suum, dat manum suam; dando manum suam, Christum suum dat. Ad viam ducit, perducendo ad Christum suum; in via deducit, deducendo in Christo suo : Christus autem veritas. *Deduc me* ergo, *Domine, in via tua, et ambulabo in veritate tua :* in illo utique qui ait, *Ego sum via, et veritas, et vita.* Nam qui in via et veritate deducis, quo nisi ad vitam perducis? Deducis ergo in illo, ad illum. *Deduc me, Domine, in via tua, et ambulabo in veritate tua.*

16. *Jucundetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* Ergo timor in jucunditate est. Et quomodo jucunditas, si timor? Nonne timor amarus solet esse? Erit aliquando jucunditas sine timore, modo jucunditas cum timore : nondum est enim plena securitas, nec perfecta jucunditas. Si nulla jucunditas, deficimus; si plena securitas, male exsultamus. Ergo et jucunditatem aspergat, et timorem incutiat, ut de dulcedine jucunditatis perducat nos ad sedem securitatis : dando timorem, non nos faciat male exsultare, et recedere de via. Ideo dicit psalmus, *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* ii, 11) : sic

[1] Reg. Ms., *si una patriæ cœlestis est!*
[2] Nostri omnes Mss., *via.*

et apostolus Paulus dicit, *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini; Deus enim est qui operatur in vobis* (*Philipp.* II, 12, 13). Quidquid ergo prosperum venit, fratres, magis metuendum est: quæ putatis prospera, magis tentationes sunt. Venit hæreditas, venit copia rerum, abundat circumfluentia nescio cujus felicitatis: tentationes sunt istæ; cavete ne vos ista corrumpant. Quidquid etiam prosperum est secundum Christum et germanam charitatem Christi: si forte lucratus es uxorem tuam quæ fuit in parte Donati; si forte crediderunt filii tui qui fuerunt pagani; si forte lucratus es amicum tuum qui te volebat seducere [1] ad theatra, et tu eum duxisti ad ecclesiam; si forte contradictor nescio quis inimicus tuus et rabide sæviens, deposita illa rabie factus est mitis, et agnovit Deum, nec oblatrat adversus te, sed clamat tecum adversus malum: ista jucunda sunt. Unde enim gaudemus, si de his non gaudemus? aut quæ sunt alia gaudia nostra, nisi ista? Sed quia abundant et tribulationes, et tentationes, et dissensiones, et schismata, et cætera mala, sine quibus non potest esse sæculum hoc, donec transeat iniquitas; exsultatio illa non nos faciat securos, sed ita jucundetur cor nostrum, ut timeat nomen Domini, ne aliunde jucundetur, aliunde feriatur. Securitatem non exspectetis in peregrinatione: quando illam hic voluerimus, viscum erit corporis [2], non securitas hominis. *Jucundetur cor meum, ut timeat nomen tuum.*

17. [*vers.* 12, 13.] *Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, et glorificabo nomen tuum in æternum; quoniam misericordia tua magna est super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiore.* Quod dicimus, fratres, hoc si non vobis tanquam certus exposuero, ne succenseatis. Homo sum enim, et quantum conceditur de Scripturis sanctis, tantum audeo dicere: nihil ex me. Infernum nec ego expertus sum adhuc, nec vos: et fortassis alia via erit, et non per infernum erit. Incerta sunt hæc. Verum quia dicit Scriptura, cui contradici non potest, *Eruisti animam meam ex inferno inferiore;* intelligimus tanquam duo inferna esse, superius, et inferius: nam unde infernum inferius, nisi quia est infernum superius? Aliud non diceretur infernum, nisi in comparatione illius superioris partis. Videtur ergo, fratres, esse habitatio quædam cœlestis Angelorum: ibi vita ineffabilium gaudiorum, ibi immortalitas et incorruptio, ibi omnia secundum Dei donum et gratiam permanentia. Illa pars rerum superna est. Si ergo illa superna est; hæc terrena, ubi caro et sanguis, ubi corruptibilitas, ubi nativitas et mortalitas, ubi decessio atque successio, ubi mutabilitas et inconstantia, ubi timores, cupiditates, horrores, lætitiæ incertæ, spes fragilis, caduca substantia; puto quia omnis ista pars non potest comparari illi cœlo de quo loquebar paulo ante: si ergo illi parti hæc pars non comparatur, illa superna est, hæc inferna. Et post mortem quo hinc, nisi sit infernum inferius hoc inferno, in quo sumus in carne, et ista mortalitate? *Corpus* enim *mortuum est,* ait Apostolus, *propter peccatum* (*Rom.* VIII, 10). Ergo et hic sunt mortui; ut non mireris quia infernum dicitur, si mortuis abundat. Non enim ait, Corpus moriturum est; sed, *Corpus mortuum est.* Adhuc habet vitam utique corpus nostrum; et tamen comparatum corpori illi, quod futurum est qualia sunt Angelorum corpora, invenitur corpus hominis mortuum, quamvis adhuc habens animam. Sed rursus ab hoc inferno, id est ab hac parte inferni, est aliud inferius, quo eunt mortui; unde voluit Deus eruere animas nostras, etiam illuc mittens Filium suum. Etenim, fratres, propter ista duo inferna missus est Filius Dei, undique liberans. Ad hoc infernum missus est nascendo, ad illud moriendo. Propterea vox ejus est in illo psalmo, non quoquam homine conjiciente, sed Apostolo exponente, ubi ait: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno* (*Psal.* XV, 10; *Act.* II, 27). Ergo aut ipsius vox est et hic, *Eruisti animam meam ex inferno inferiore:* aut nostra vox per ipsum Christum Dominum nostrum; quia ideo ille pervenit usque ad infernum, ne nos remaneremus in inferno.

18. Aliam etiam opinionem dicam. Fortassis enim apud ipsos inferos est aliqua pars inferior, quo truduntur impii qui plurimum peccaverunt. Etenim apud inferos utrum in locis quibusdam non fuisset Abraham [1], non satis possumus definire. Nondum enim Dominus venerat ad infernum, ut erueret inde omnium sanctorum præcedentium animas, et tamen Abraham in requie ibi erat. Et quidam dives cum torqueretur apud inferos, cum videret Abraham, levavit oculos. Non eum posset levatis oculis videre, nisi ille esset superius, ille inferius. Et quid ei respondit Abraham, cum diceret, «Pater Abraham, mitte Lazarum, ut intingat digitum suum, et stillet in linguam meam, quoniam crucior in hac flamma? Fili,» ait, «memento quia recepisti bona in vita tua; Lazarus autem mala: nunc autem hic requiescit, tu vero torqueris. Et super hæc,» ait, «inter nos et vos magnum chaos firmatum est; ut nec nos possimus venire ad vos, nec inde aliquis venire ad nos» (*Luc.* XVI, 22-26). Ergo inter ista duo fortasse inferna, quorum in uno quieverunt animæ justorum, in altero torquentur animæ impiorum, attendens quidam orans hic, jam hic in corpore Christi positus, et orans in voce Christi, eruisse Deum animam suam ab inferno inferiore dixit, quia liberavit se a talibus peccatis per quæ posset deduci ad tormenta inferni inferioris. Quemadmodum si medicus videat tibi imminentem ægritudinem forte ex aliquo labore, et dicat, Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his cibis utere; nam si non feceris, ægrotabis: tu autem si feceris et salvus fueris, recte dicis medico, Liberasti me ab ægritudine; non in qua jam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem; venit alius, defendit eum: gratias agens quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. Suspenden-

[1] Nonnulli Mss., *secum ducere.*
[2] Tres Mss., *cordis.*

[1] Sic aliquot Mss. At Edd., *in locis quibusdam fuisset jam Abraham.*

dus erat debitor; solutum est pro eo: liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant; sed quia talibus meritis agebantur, ut nisi subventum esset, ibi essent; inde se recte dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perduci. Ergo, fratres, sive illud, sive illud sit; hic me scrutatorem verbi Dei, non temerarium affirmatorem teneatis. *Et eruisti animam meam ex inferno inferiore.*

19. [*vers.* 14.] *Deus, prætereuntes legem insurrexerunt super me.* Quos dicit prætereuntes legem? Non Paganos, qui non acceperunt legem. Nemo enim præterit quod non accepit: dicit Apostolus definite, *Ubi enim lex non est, nec prævaricatio* (*Rom.* IV, 15). Prætereuntes legem, prævaricatores legis dicit. Quos ergo intelligimus, fratres? Si ab ipso Domino accipiamus hanc vocem, prætereuntes legem Judæi erant. *Insurrexerunt super me prætereuntes legem:* non servaverunt legem, et accusaverunt Christum, quasi ipse præteriret legem. *Prætereuntes legem insurrexerunt super me.* Et passus est Dominus quæ novimus. Putas nihil tale patitur modo corpus ejus? Unde fieri potest? *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt; quanto magis domesticos ejus? Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum* (*Matth.* x, 25, 24). Patitur et corpus prætereuntes legem; et insurgunt super corpus Christi. Prætereuntes legem qui sunt? Numquid forte Judæi audent insurgere super Christum? Non: nam nec ipsi nobis valde faciunt tribulationem. Nondum enim crediderunt, nondum salutem agnoverunt. Insurgunt super corpus Christi mali Christiani, de quibus quotidie tribulationem patitur corpus Christi. Omnia schismata, omnes hæreses, omnes intus pessime viventes, et mores suos bene viventibus imponentes, et ad sua trahentes, et malis colloquiis bonos mores corrumpentes (I *Cor.* xv, 33); ipsi *prætereuntes legem insurrexerunt super me.* Dicat omnis anima pia, dicat omnis anima christiana. Quæ hoc non patitur, non dicat. Si autem christiana anima est, novit quia mala patitur: si agnoscit in se passionem suam, agnoscat hic vocem suam; si autem extra passionem est, et extra vocem sit; ut autem non sit extra passionem, ambulet per viam angustam (*Matth.* VII, 14), et incipiat pie vivere in Christo, necesse est ut hanc persecutionem patiatur. *Omnes* enim, inquit Apostolus, *qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patiuntur* (II *Tim.* III, 12). *Deus, prætereuntes legem insurrexerunt super me; et synagoga potentium inquisierunt animam meam.* Synagoga potentium congregatio est superborum. Synagoga potentium insurrexit super caput, id est Dominum nostrum Jesum Christum, clamantium et dicentium uno ore, *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX, 6): de quibus dictum est, *Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI, 5). Non percusserunt, sed clamaverunt: clamando ferierunt, clamando crucifixerunt. Voluntas clamantium impleta est, quando Dominus crucifixus est*: Et synagoga potentium inquisierunt animam meam. Et non proposuerunt te in conspectu suo* Quomodo non proposuerunt? Non intellexerunt Deum. Homini parcerent: ad quod videbant[1], ad hoc ambularent. Puta quia Deus non erat, homo erat: ideo occidendus erat? Parce homini, et agnosce Deum.

20. [*vers.* 15.] *Et tu, Domine Deus, miserator et misericors, longanimis et multum misericors, et verax.* Quare *longanimis et multum misericors, et miserator?* Quia in cruce pendens ait: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Quem petit? Pro quibus petit? quis petit? ubi petit? Patrem filius, pro impiis crucifixus, inter ipsas injurias, non verborum, sed mortis illatæ, pendens in cruce: tanquam ad hoc extentas manus habuerit, ut sic pro illis oraret, ut dirigeretur oratio ejus tanquam incensum in conspectu Patris, et elevatio manuum ejus sacrificium vespertinum (*Psal.* CXL, 2). *Longanimis, et multum misericors, et verax.*

21. [*vers.* 16.] Si ergo tu *verax, respice in me, et miserere mei; da potestatem puero tuo.* Quia *verax, da potestatem puero tuo.* Transeat tempus patientiæ, veniat tempus judicii. Quomodo, *da potestatem puero tuo? Pater non judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v, 22). Ille resurgens, et in terram ipse veniet judicaturus; ipse videbitur terribilis, qui visus est contemptibilis. Demonstrabit potentiam, qui demonstravit patientiam: in cruce patientia erat; in judicio potentia erit. Apparebit enim homo judicans, sed in claritate: quia *sicut eum vidistis ire*, dixerunt Angeli, *sic veniet* (*Act.* I, 11). Forma ipsa veniet ad judicium; ideo videbunt illum et impii: nam formam Dei non videbunt. *Beati* enim *mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Apparens in hominis forma, dicet, *Ite in ignem æternum;* ut impleatur quod dixit Isaias, *Tollatur impius, ut non videat claritatem Domini* (*Isai.* XXVI, 10, *sec.* LXX). Tollatur ut non videat formam Dei. Formam ergo videbunt hominis. *Qui cum in forma Dei esset æqualis Deo* (*Philipp.* II, 6): hoc non videbunt impii. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1): hoc non videbunt impii. Si enim Deus Verbum, et *beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* impii autem immundi sunt corde: procul dubio Deum non videbunt. Et ubi est, *Videbunt in quem pupugerunt* (*Id.* XIX, 37): nisi quia apparet formam hominis eos visuros, ut judicentur; formam Dei non visuros, nisi eos qui ad dexteram separabuntur? Etenim cum separati fuerint ad dexteram, hoc eis dicetur: *Venite, benedicti Patris mei; percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Impiis vero ad sinistram quid? *Ite in ignem æternum, quem paravit Pater meus diabolo et angelis ejus.* Finito autem judicio, quomodo conclusit? *Sic ibunt impii in ambustionem æternam; justi autem in vi*

[1] Edd., *ut homini parcerent, ut quod*, etc. At plerique et meliores Mss.: *Homini parcerent: ad quod*, etc. Modus loquendi est Augustino familiaris et perquamfrequens per hosce populares Tractatus; sed in prius editis libris passim vitiatus. Sic infra, n. 23, ubi Mss. habent: *Tunc relinqueres*, etc., Edd. ferebant: *Tunc relinqueres umbram, ut esses in luce*, etc.

tam æternam (*Matth.* xxv, 34, 41, 46). Jam a visione formæ hominis pergunt illi ad visionem formæ Dei. *Hæc est enim*, inquit, *vita æterna*, *ut cognoscant te unum verum Deum*, *et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3) : subaudis, Et ipsum unum verum Deum; quia Pater et Filius unus verus Deus : ut iste sit sensus, te et quem misisti Jesum Christum cognoscant unum verum Deum. Non enim illi ibunt ad visionem Patris, et non ibi videbunt et Filium. Si non esset et Filius in Patris sui visione, non diceret ipse Filius discipulis suis quia Filius in Patre est, et Pater in Filio. Dicunt illi discipuli : *Ostende nobis Patrem*, *et sufficit nobis. Ait illis : Tanto tempore vobiscum sum*, *et non me nostis? Philippe*, *qui me vidit*, *vidit et Patrem*. Videtis quia in visione Patris, et Filii visio est; et in visione Filii, et Patris visio est. Ideo consequenter subjecit, et ait : *Nescitis quia ego in Patre*, *et Pater in me?* id est, et me viso videtur et Pater, et Patre viso videtur et Filius. Patris et Filii separari non potest visio : ubi non separatur natura et substantia, visio separari non potest. Nam ut noveritis illuc debere præparari cor ad videndam divinitatem Patris et Filii et Spiritus sancti, in quam non visam credimus, et credendo, cor unde videri possit mundamus; ipse Dominus alio loco dicit : *Qui habet mandata mea et servat ea*, *ille est qui diligit me : qui autem diligit me*, *diligetur a Patre meo; et ego diligam eum*, *et manifestabo ei meipsum* (*Id.* XIV, 8, 9, 10, 21). Numquid non eum videbant cum quibus loquebatur? Et videbant, et non videbant : aliquid videbant, aliquid credebant; videbant hominem, credebant Deum. In judicio autem eumdem Dominum nostrum Jesum videbunt hominem cum impiis; post judicium videbunt Deum præter impios. *Da potestatem puero tuo*.

22. *Et salvum fac filium ancillæ tuæ*. Dominus filius ancillæ. Cujus ancillæ? Cui nasciturus quando nuntiatus est, respondit et ait : *Ecce ancilla Domini*; *fiat mihi secundum verbum tuum* [1] (*Luc.* I, 38). Salvum fecit Filium ancillæ suæ, et Filium suum : Filium suum, in forma Dei; Filium ancillæ suæ, in forma servi. De ancilla Dei natus est ergo Dominus in forma servi; et dixit, *Salvum fac filium ancillæ tuæ*. Et salvatus est a morte, sicut nostis, resuscitata carne sua quæ mortua erat. Sed ut videatis quia Deus est, et non a Patre sic est suscitatus, ut a se non sit suscitatus; quia et ipse suscitavit carnem suam, habes in Evangelio dictum, *Destruite templum hoc*, *et triduo suscitabo illud* : ne autem nos aliud suspicaremur, Evangelista secutus ait, *Hoc autem dicebat de templo corporis sui* (*Joan.* II, 19, 21). Salvus ergo factus est Filius ancillæ. Dicat et unusquisque christianus in corpore Christi positus, *Salvum fac filium ancillæ tuæ*. Forte non potest dicere, *Da potestatem puero tuo*; quia ille Filius accepit potestatem. Sed quare non dicit et hoc? Annon servis dictum est, *Sedebitis super duodecim sedes judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28)? et servi dicunt : *Nescitis quia angelos judicabimus* (I *Cor.* VI, 3)? Accipit ergo et unusquisque sanctorum potestatem, et est unusquisque sanctorum filius ancillæ ejus. Quid si de pagana natus est, et christianus factus est? filius paganæ quomodo potest esse filius ancillæ ipsius? Est quidem paganæ filius carnaliter, sed filius Ecclesiæ spiritualiter. *Et salvum fac filium ancillæ tuæ*.

23. [*vers.* 17.] *Fac mecum signum in bono*. Quod signum, nisi resurrectionis? Dominus dicit : *Generatio hæc prava et amaricans signum quærit; et signum non dabitur ei*, *nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus*, *sic erit et filius hominis in corde terræ* (*Matth.* XII, 39 *et* 40). Ergo cum capite nostro jam factum est signum in bono : dicat et unusquisque nostrum, *Fac mecum signum in bono*; quia in novissima tuba, in adventu Domini, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur (I *Cor.* xv, 52). Erit hoc signum in bono. *Fac mecum signum in bono*, *ut videant qui me oderunt*, *et confundantur*. In judicio confundentur perniciose, qui [1] modo nolunt confundi salubriter. Modo ergo confundantur; accusent vias suas malas, teneant viam bonam : quia nemo nostrum vivit sine confusione, nisi [2] prius confusus reviviscat. Præbet illis Deus modo aditum salubris confusionis, si non contemnant medicinam confessionis : si autem modo nolunt confundi, tunc confundentur, quando deducent eos ex adverso iniquitates eorum (*Sap.* IV, 20). Quomodo confundentur? Quando dicent, *Hi sunt quos aliquando habuimus in risum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam eorum æstimabamus insaniam : quomodo computati sunt inter filios Dei? Quid nobis profuit superbia?* Tunc dicent : modo dicant, et salubriter dicunt. Convertatur enim unusquisque ad Deum humilis, et modo dicat, Quid mihi profuit superbia? et audiat ab Apostolo, *Quam enim gloriam habuistis in his*, *in quibus nunc erubescitis* (*Rom.* VI, 21)? Videtis esse et modo confusionem salubrem in loco pœnitentiæ; tunc autem seram, inutilem, infructuosam. *Quid nobis profuit superbia? aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transierunt omnia tanquam umbra* (*Sap.* v, 3-9). Quid enim? quando hic vivebas, non videbas quia transiebant ista omnia tanquam umbra? Tunc relinqueres umbram, et esses in luce; non postea diceres, *Transierunt omnia velut umbra*, quando ab umbra in tenebras iturus es. *Fac mecum signum in bono*, *ut videant qui me oderunt*, *et confundantur*.

24. *Quoniam tu*, *Domine*, *adjuvisti me*, *et consolatus es me. Adjuvisti me*, in certamine; *et consolatus es me*, in tristitia. Nemo enim consolationem quærit, nisi qui est in miseria. Non vultis consolari? Dicite quia felices estis. Et auditis, *Populus meus* (jam respondetis, et audio murmur bene tenentium Scripturas. Deus qui hoc scripsit in cordibus vestris, confirmet in factis vestris. Videtis, fratres, quia qui vobis dicunt, Felices estis, seducunt vos), *Populus meus*, *qui vos felices dicunt*, *in errorem vos mittunt*, *et turbant semitas pedum vestrorum* (*Isai.* III, 12). Sic et

[1] Mss., *fiat mihi sicut vis*.

[1] Vox, *qui*, abest a Mss.
[2] Aliquot Mss., *sine*.

de Epistola Jacobi apostoli: *Miseri estote*, inquit, *et lugete; risus vester in luctum convertatur* (*Jacobi* IV, 9). Videtis quæ audistis: quando nobis hæc dicerentur in regione securitatis? Utique regio ista scandalorum est, et tentationum, et omnium malorum, ut gemamus hic, et mereamur gaudere ibi; hic tribulari, et consolari ibi, et dicere: *Quoniam exemisti oculos meos a lacrymis, pedes meos a labina*[1]; *placebo Domino in regione vivorum* (*Psal.* CXIV, 8, 9). Ista regio mortuorum est. Transit regio mortuorum, venit regio vivorum. In regione mortuorum labor, dolor, timor, tribulatio, tentatio, gemitus, suspirium: hic falsi felices, veri infelices; quia falsa felicitas, vera miseria est. Qui vero se agnoscit in vera esse miseria, erit etiam in vera felicitate: et tamen nunc quia miser es, Dominum audi dicentem, *Beati lugentes* (*Matth.* V, 5). O, *beati lugentes!* Nihil tam conjunctum miseriæ quam luctus; nihil tam remotum et contrarium miseriæ quam beatitudo: tu dicis lugentes, et tu dicis beatos! Intelligite, inquit, quod dico: beatos dico lugentes; quare beati? In spe. Quare lugentes? In re. Etenim lugent in morte ista, in tribulationibus istis, in peregrinatione sua; et quia agnoscunt se esse in ista miseria, et gemunt, beati sunt. Quare lugent[2]? Contristatus est beatus Cyprianus in passione; modo consolatus est in corona. Modo et consolatus adhuc tristis est. Dominus enim noster Jesus Christus adhuc interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34): omnes Martyres qui cum illo sunt, interpellant pro nobis. Non transeunt interpellationes ipsorum, nisi cum transierit gemitus noster: cum autem transierit gemitus noster, omnes in una voce, in uno populo, in una patria consolabimur[3], millia millium conjuncta psallentibus Angelis, choris cœlestium Potestatum in una civitate viventium. Quis ibi gemit? quis ibi suspirat? quis ibi laborat? quis ibi eget? quis ibi moritur? quis ibi misericordiam præbet? quis frangit panem esurienti, ubi omnes pane justitiæ saginantur? Nemo tibi dicit, Hospitem suscipe: peregrinus ibi nemo erit; omnes in patria sua vivunt. Nemo tibi dicit, Concorda amicos tuos litigantes: in pace sempiterna Dei vultu perfruuntur. Nemo tibi dicit, Visita ægrum: sanitas immortalitasque permanet. Nemo tibi dicit, sepeli mortuum: omnes in vita æterna erunt. Cessant opera misericordiæ, quia miseria non invenitur. Et quid ibi faciemus? Dormiemus fortasse? Si modo pugnamus contra nos, quamvis geramus domum somni carnem istam, et vigilamus in his luminaribus, et solemnitas ista dat nobis animum vigilandi; dies ille quales vigilias nobis dabit? Ergo vigilabimus, non dormiemus. Quid agemus? Opera misericordiæ ista non erunt, quia nulla miseria erit. Forte opera necessitatis erunt ista quæ hic sunt modo, seminandi, arandi, coquendi, molendi, texendi? Nihil horum, quia necessitas non erit. Sic non erunt opera misericordiæ, quia transit miseria: ubi necessitas non erit nec miseria, opera necessitatis et misericordiæ non erunt. Quid ibi erit? quod negotium nostrum? quæ actio nostra? An nulla actio, quia quies? Sedebimus ergo, et torpebimus, et nihil agemus? Si refrigescet amor noster, refrigescet actio nostra. Amor ergo quietus in vultu Dei, quem modo desideramus, cui suspiramus, cum ad eum venerimus, quomodo nos accendet? In quem nondum visum sic suspiramus, cum ad eum venerimus, quomodo illuminabit? quomodo nos mutabit? quid de nobis faciet? Quid ergo agemus, fratres? Psalmus nobis dicat: *Beati qui habitant in domo tua. Unde? In sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Hæc erit actio nostra, laus Dei. Amas[1], et laudas. Desines laudare, si desines amare. Non autem desines amare, quia talis est quem vides, qui nullo te offendat fastidio: et satiat te, et non te satiat. Mirum est quod dico. Si dicam quia satiat te, timeo ne quasi satiatus velis abscedere; quomodo de prandio, quomodo de cœna. Ergo quid dico? Non te satiat? Timeo rursus ne si dixero, Non te satiat, indigens videaris; et quasi inanior existas, et minus in te sit aliquid quod debeat impleri. Quid ergo dicam, nisi quod dici potest, cogitari vix potest? Et satiat te, et non te satiat: quia utrumque invenio in Scriptura. Nam cum diceret, *Beati esurientes, quia ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6): est rursus dictum de Sapientia, *Qui te manducant, iterum esurient: et qui te bibunt, iterum sitient* (*Eccli.* XXIV, 29). Imo vero non dixit, *iterum*; sed dixit, *adhuc*: nam, Iterum sitiet, quasi primo saginatus discesserit et digesserit et redierit bibere. Tale est, *Qui te edunt, adhuc esurient*: sic cum edunt, esurient; et qui te bibunt, sic bibendo, sitient. Quid est, bibendo sitire? Nunquam fastidire. Si ergo ista ineffabilis et sempiterna dulcedo erit; modo quid a nobis petit, fratres, nisi fidem non fictam, spem firmam, charitatem puram, et ambulet homo in via quam Dominus dedit, ferat tentationes, et suscipiat consolationes?

IN PSALMUM LXXXVI ENARRATIO.

SERMO (*a*).

1. Psalmus qui modo cantatus est, brevis est numero verborum, magnus pondere sententiarum. Nam totus lectus est, et videtis quam exiguo tempore ad terminum usque perductus. Hic nobis, quantum Dominus donare dignatur, cum vestra Charitate tractandus, modo est propositus a beatissimo præsente patre nostro (*b*). Repentina propositio me gravaret, nisi me continuo[2] proponentis oratio sublevaret. Intendat ergo Charitas vestra. Civitas quædam in isto psalmo cantata et commendata est: cujus cives sumus, in quantum christiani sumus; et unde peregrinamur, quamdiu mortales sumus; et ad quam tendi-

[1] Edd., *a ruina*. At Mss., *a labina*. Vide, supra, col. 300, Enar. in Psal. XXXVI, n. 12.
[2] Quidam libri: *et gemunt. Beati sunt, quare lugent?*
[3] Verbum, *consolabimur*, abest ab omnibus Mss.

[1] Corb. vetus codex: *Ama, et laudas.*
[2] Corb. duo Mss., *continua.*
(*a*) Ad plebem forte Carthaginensem, habitus proximo die post expositum Psalmum LXXXV, de quo infra, n. 9.
(*b*) Forte Aurelio episcopo Carthaginensi.

mus, per cujus viam[1], quæ omnino quasi dumetis et sentibus interclusa non inveniebatur, rex ipsius civitatis se fecit viam; ut ad civitatem perveniremus. Ambulantes ergo in Christo, et adhuc peregrinantes donec perveniamus, et suspirantes desiderio cujusdam ineffabilis quietis quæ habitat in illa civitate, de qua quiete dictum est hoc nobis esse promissum *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (I *Cor.* II, 9); ambulantes ergo, sic cantemus, ut desideremus. Nam qui desiderat, etsi lingua taceat, cantat corde: qui autem non desiderat, quolibet clamore aures hominum feriat, mutus est Deo. Videte quomodo erant amatores hujus civitatis ardentes, illi ipsi per quos hæc dicta sunt, per quos hæc nobis commendata sunt, quanto per eos affectu ista cantata sunt. Affectum istum generabat in eis amor civitatis; amorem autem civitatis infuderat Spiritus Dei: *Charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Hoc ergo Spiritu ferventes audiamus quæ dicta sunt de hac civitate.

2. [*vers.* 1, 2.] *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Nihil de illa adhuc dixerat Psalmus; hinc incipit, et ait: *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Cujus fundamenta? Non dubium est quia fundamenta, præsertim in montibus, civitatis alicujus sunt. Repletus ergo Spiritu sancto civis iste, et multa de amore et desiderio civitatis hujus volvens secum, tanquam plura intus apud se meditatus, erupit in hoc, *Fundamenta ejus in montibus sanctis*; quasi jam de illa dixerit aliquid. Quomodo de illa nihil dixerat, qui nunquam de illa corde tacuerat? Quomodo enim dicitur *ejus*, de qua nihil dictum est? Sed multa, ut dixi, secum in silentio de illa civitate parturiens, clamans ad Deum, erupit etiam in aures hominum: *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Et quasi homines audientes quærerent, Cujus? *Diligit*, inquit, *Dominus portas Sion.* Ecce cujus fundamenta in montibus sanctis, cujusdam civitatis Sion, cujus Dominus portas diligit, sicut consequenter dicit, *super omnia tabernacula Jacob.* Sed quid est, *Fundamenta ejus in montibus sanctis?* qui sunt montes sancti super quos fundata est ista civitas? Alter quidam civis planius hoc dixit, apostolus Paulus. Civis inde Propheta, civis inde Apostolus: et hi propterea loquebantur, ut cæteros cives exhortarentur. Sed hi, id est Prophetæ et Apostoli, quomodo cives? Fortasse ita ut etiam ipsi sint montes, super quos fundamenta sunt hujus civitatis, cujus portas diligit Dominus. Dicat ergo alius civis hoc aperte ne nos suspicari videamur. Loquens ad Gentes, et commemorans ut redirent, et quasi construerentur in fabricam sanctam, *Superædificati*, inquit, *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Et quia nec ipsi Apostoli aut Prophetæ, in quibus fundamentum est civitatis, se tenerent in se; secutus ibi ait, *Ipso summo existente lapide angulari Christo Jesu.* Ne itaque putarent Gentes non se pertinere ad Sion: erat enim quædam civitas Sion terrena, quæ per umbram gestavit imaginem cujusdam Sion de qua modo dicitur, cœlestis illius Jerusalem de qua dicit Apostolus, *Quæ est mater omnium nostrum* (*Galat.* IV, 26): ne ergo illi non pertinere dicerentur ad Sion, quia non erant de populo Judæorum, hoc eis dixit, « Igitur jam non estis peregrini et inquilini; sed estis cives sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum. » Habes constructionem tantæ civitatis. Sed omnis ista compages ubi innititur, ubi incumbit, ut nusquam cadat? *Ipso*, inquit, *summo angulari lapide existente Christo Jesu* (*Ephes.* II, 19 et 20).

3. Dicet fortasse aliquis, Si angularis lapis est Christus Jesus, in illo quidem duo parietes compaginantur. Neque enim angulum faciunt, nisi duo parietes in unum de diverso venientes: sic et populi duo ex circumcisione et ex præputio, ad pacem christianam sibimet connexi in una fide, una spe, una charitate. Sed si angulus summus Christus Jesus, quasi videntur priora fundamenta et posterior lapis angularis. Potest ergo aliquis dicere quia magis Christus super Prophetas et Apostolos incumbit, non illi super illum, si illi sunt in fundamento, ipse in angulo. Sed cogitet qui hoc dicit, angulum et in fundamento esse. Neque enim ibi est tantum angulus ubi videtur, ut surgat in apicem: a fundamento enim incipit. Nam ut noveritis quia et fundamentum Christus et primum et maximum: *Fundamentum*, inquit Apostolus, *nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (I *Cor.* III, 11). Quomodo ergo fundamenta Prophetæ et Apostoli, et quomodo fundamentum Christus Jesus, quo ulterius nihil est? Quomodo putamus, nisi quemadmodum aperte dicitur sanctus sanctorum, sic figurate fundamentum fundamentorum? Si ergo sacramenta cogites, Christus sanctus sanctorum: si gregem subditum cogites, Christus pastor pastorum: si fabricam cogites, Christus fundamentum fundamentorum. In ædificiis istis non potest esse idem lapis in imo et in summo: si fuerit in imo, in summo non erit; si in summo fuerit, in imo non erit. Angustias enim omnia pene corpora patiuntur; nec ubique esse possunt, nec semper: Divinitas autem quæ ubique præsto est, undique ad eam potest duci similitudo; et totum potest esse in similitudinibus, quia nihil horum est in proprietatibus. Numquid Christus janua est, quemadmodum videmus januas factas a fabro? Non utique: et tamen dixit, *Ego sum janua.* Aut numquid sic est pastor, quomodo videmus pastores istos præpositos pecorum? Et dixit, *Ego sum pastor.* Et uno loco ambas res dixit. In Evangelio dixit quia pastor per januam intrat: et ibi dixit, *Ego sum pastor bonus*; et ibi dixit, *Ego sum janua* (*Joan.* X, 9, 11). Pastor intrat per januam: et quis est pastor qui intrat per januam? *Ego sum pastor bonus.* Et quæ est ergo janua qua intras tu, pastor bone? *Ego sum janua.* Quomodo ergo tu omnia? Quomodo per me omnia[1].

[1] Sic Corbeienses Mss. At Edd., *per ejus viam.*

[1] Sic meliores Mss. At Edd.: *Quomodo ergo per te omnia?*

Verbi gratia, cum Paulus intrat per januam, nonne Christus intrat per januam? Quare? Non quia Paulus Christus; sed quia in Paulo Christus, et per Christum Paulus. Ipse dixit: *An experimentum ejus vultis accipere, qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? Cum sancti ejus et fideles ejus intrant per januam, nonne Christus intrat per januam? Quomodo probamus? Quia ipsos sanctos ejus persequebatur Saulus, nondum Paulus, quando ei clamavit de cœlo: *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Ergo fundamentum et lapis angularis ipse est, ab imo surgens; si tamen ab imo. Etenim origo fundamenti hujus summitatem tenet: et quemadmodum fundamentum corporeæ fabricæ in imo est; sic fundamentum spiritualis fabricæ in summo est. Si ad terram ædificaremur, in imo nobis ponendum erat fundamentum: quia cœlestis fabrica est, ad cœlos præcessit fundamentum nostrum. Ipse ergo angularis lapis, montesque Apostoli, Prophetæ magni, portantes fabricam civitatis, faciunt vivum quoddam ædificium. Hoc ædificium modo clamat de cordibus vestris? hoc agit artificiosa manus Dei etiam per linguam nostram, ut ad illius ædificii fabricam conquadremini. Non enim frustra etiam de lignis quadratis ædificata est arca Noe (*Gen.* VI, 14, *sec.* LXX), quæ nihilominus figuram gestabat Ecclesiæ. Quid est enim quadrari? Attendite similitudinem quadrati lapidis: similis debet esse christianus. In omni tentatione sua christianus non cadit; etsi impellitur, et quasi vertitur[1], non cadit: nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat. Cadere visi sunt Martyres, cum percuterentur; sed quid dixit quædam vox Cantici? *Cum ceciderit justus non conturbabitur; quoniam Dominus confirmat manum ejus* (*Psal.* XXXVI, 24). Sic ergo conquadramini, ad omnes tentationes parati; quidquid impulerit, non vos evertat. Stantem te inveniat omnis casus. Erigeris ergo in hanc fabricam affectu pio, religione sincera, fide, spe, charitate; et ipsum ædificari ambulare est. In istis civitatibus alia est fabrica ædificiorum, alii sunt cives inhabitantes in fabrica: illa civitas civibus suis ædificatur, ipsi sunt lapides qui sunt cives; lapides enim vivi sunt. *Et vos*, inquit, *tanquam lapides vivi ædificamini in domum spiritualem* (I *Petr.* II, 5). Ad nos directa vox est. Ergo sequamur de ista civitate.

4. *Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion.* Jam ideo prælocutus sum, ne putetis alia esse fundamenta, alias portas. Quare sunt fundamenta Apostoli et Prophetæ? Quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram. Quare sunt portæ? Quia per ipsos intramus ad regnum Dei: prædicant enim nobis. Et cum per ipsos intramus, per Christum intramus: ipse est enim janua. Et dicuntur duodecim portæ Jerusalem (*Apoc.* XXI, 12), et una porta Christus, et duodecim portæ Christus; quia in duodecim portis Christus: et ideo duodenarius numerus Apostolorum. Sacramentum magnum hujus duodenarii numeri. *Sedebitis*, inquit, *super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Si duodecim sellæ ibi sunt; non est ubi sedeat tertius decimus Paulus apostolus, et non erit quomodo judicet: et ipse se judicaturum dixit, non homines tantum, sed et angelos. Quos angelos, nisi apostatas angelos? *Nescitis*, inquit, *quia angelos judicabimus* (I *Cor.* VI, 3)? Responderet ergo turba: Quid te jactas judicaturum? Ubi sedebis? Duodecim sedes dixit Dominus duodecim Apostolis; unus cecidit Judas, in locum ipsius Matthias ordinatus est, impletus est duodenarius numerus sedium (*Act.* I, 15-26): primo locum inveni ubi sedeas, et sic te minare judicaturum. Duodecim ergo sedes quid sibi velint, videamus. Sacramentum est cujusdam universitatis; quia per totum orbem terrarum futura erat Ecclesia, unde vocatur hoc ædificium ad Christi compagem: et ideo quia undique venitur ad judicandum, duodecim sedes sunt; sicut quia undique intratur in illam civitatem, duodecim portæ sunt. Non solum ergo illi duodecim et apostolus Paulus, sed quotquot judicaturi sunt, propter significationem universitatis, ad sedes duodecim pertinent; quemadmodum quotquot intrabunt, ad duodecim portas pertinent. Partes enim mundi quatuor sunt, Oriens, Occidens, Aquilo et Meridies. Istæ quatuor partes assidue nominantur in Scripturis. Ab omnibus istis quatuor ventis, sicut dicit Dominus in Evangelio a quatuor ventis se collecturum electos suos (*Marc.* XIII, 27); ab omnibus ergo istis quatuor ventis vocatur Ecclesia. Quomodo vocatur? Undique in Trinitate vocatur: non vocatur nisi Baptismo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quatuor ergo ter ducta, duodecim inveniuntur.

5. Pulsate ergo affectu ad has portas, et clamet in vobis Christus: *Aperite mihi portas justitiæ* (*Psal.* CXVII, 19). Præcessit enim in capite; sequitur se[1] in corpore. Videte quid dixit Apostolus, quia in ipso Christus patiebatur: *Ut adimpleam*, inquit, *quæ desunt pressurarum Christi in carne mea* (*Coloss.* I, 24). *Ut adimpleam:* Quid? *Quæ desunt.* Cui desunt? *Pressurarum Christi.* Et ubi desunt? *In carne mea.* Numquid aliquid pressurarum deerat in illo homine, quod factum est Verbum Dei, nato de Maria virgine? Passus enim est quidquid pati deberet, ex sua voluntate, non ex peccati necessitate; et videtur quia omnia: in cruce enim positus accepit acetum ultimum, et ait, *Perfectum est; et inclinato capite emisit spiritum* (*Joan.* XIX, 30). Quid est, *Perfectum est?* Jam de mensura passionum nihil mihi deest; omnia quæ de me prædicta sunt, completa sunt: tanquam ideo exspectaret ut complerentur. Quis est qui sic proficiscatur, quomodo ille de corpore egressus est? Sed quis est qui hoc potuit? Qui primo dixerat: « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam a me sed ego pono eam a me, et iterum sumo eam » (*Id.* X, 17, 18). Posuit quando voluit; sumpsit quando voluit: nemo abstulit, nemo extorsit. Ergo impleta

[1] Sic Mss. Edd. vero, *et si qua vertitur.*

[1] Er. et edit. Veneta non habent, *se.* M.

erant omnes passiones, sed in capite: restabant adhuc Christi passiones in corpore. Vos autem estis corpus Christi et membra (I *Cor.* XII, 27). In his ergo membris cum esset Apostolus, dixit: *Ut adimpleam quæ desunt pressurarum Christi in carne mea.* Ergo illuc imus quo Christus præcessit, et adhuc Christus illuc pergit quo præcessit: præcessit enim Christus in capite, sequitur in corpore. Et adhuc Christus hic laborat; et Christus hic patiebatur a Saulo, quando audivit Saulus: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Quomodo solet lingua dicere, Calcato pede calcas me. Linguam nullus tetigit; compassione clamat, non attritione. Adhuc Christus hic eget, Christus hic peregrinatur, Christus hic ægrotat, Christus hic in carcere includitur. Injuriam ei facimus, si non ipse dixit: « Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et potastis me; hospes, et collegistis me; nudus, et vestistis me; æger, et visitastis me. Et illi: Quando te vidimus hæc patientem, et ministravimus tibi? Et ille: Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis » (*Matth.* XXV, 35-40). Ergo ædificemur in Christum[1] super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide existente; quia *diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Quasi vero et ipsa Sion non inter tabernacula Jacob. Et ubi erat Sion nisi in populo Jacob? Jacob enim nepos Abrahæ, unde natus populus Judæorum, dicitur populus Israel, quia ipse Jacob appellatus est et Israel (*Gen.* XXXII, 28). Hæc bene novit Sanctitas vestra. Sed quia erant quædam tabernacula temporalia et imaginaria; loquitur autem iste de civitate quadam, quam spiritualiter intelligit, cujus umbra et figura erat illa terrena: ait, *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.* Diligit illam spiritualem civitatem super omnia figurata, quibus intimabatur illa civitas semper manens, et semper cœlestis in pace.

6. [*vers.* 3, 4.] *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Quasi intuebatur civitatem illam Jerusalem in terra. Nam videte quam civitatem dicit, de qua dicta sunt quædam gloriosissima. Nam illa destructa est in terra; hostes passa cecidit in terram, jam non est quod erat: expressit imaginem, transivit umbra. Unde igitur, *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei?* Audi unde: *Memor ero Raab et Babylonis, scientibus me.* In illa civitate, inquit jam ex persona Dei, memor ero Raab, et memor ero Babylonis. Raab non pertinet ad populum Judæorum; Babylon non pertinet ad populum Judæorum. Nam sequitur: *Etenim alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, hi fuerunt ibi.* Merito *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei:* ubi non solus est ille populus Judæorum natus ex carne Abrahæ; sed ibi omnes gentes, quarum quædam nominatæ sunt, ut omnes intelligantur. *Memor ero*, inquit, *Raab:* quæ ista est meretrix, illa in Jericho meretrix quæ suscepit nuntios et alia via ejecit; quæ præsumpsit in promissione, quæ timuit Deum, cui dictum est ut per fenestram mitteret coccum, id est, ut in fronte haberet signum sanguinis Christi. Salvata est ibi (*Josue* II et VI, 25), et Ecclesiam Gentium significavit. Unde Dominus superbientibus Pharisæis: *Amen dico vobis, publicani et meretrices præcedunt vos in regnum cœlorum* (*Matth.* XXI, 31). Præcedunt, quia vim faciunt: impellunt credendo, et ceditur fidei, nec obsistere potest quisquam; quia qui vim faciunt, diripiunt illud. Ibi enim positum est: *Regnum cœlorum vim patitur, et qui vim faciunt, diripiunt illud* (*Id.* XI, 12) Hoc fecit ille latro, fortior in cruce (*Luc.* XXIII, 40-43) quam in fauce[1]. *Memor ero Raab et Babylonis.* Babylon civitas dicitur secundum sæculum. Quomodo una civitas sancta, Jerusalem; una civitas iniqua, Babylon: omnes iniqui ad Babyloniam pertinent; quomodo omnes sancti ad Jerusalem. Sed delabitur[2] de Babylone in Jerusalem. Unde, nisi per eum qui justificat impium (*Rom.* IV. 5)? Piorum civitas Jerusalem; impiorum civitas Babylon. Sed venit ille qui justificat impium; quia, *Memor ero*, inquit, non solum *Raab*, sed etiam *Babylonis.* Sed quorum memor erit Raab et Babylonis? *Scientibus me.* Ideo quodam loco dicit Scriptura: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non cognoverunt;* (*Psal.* LXXVIII, 6). Hic ait, *Effunde iram tuam in gentes quæ te non cognoverunt;* et alibi, *Prætende misericordiam tuam scientibus te* (*Psal.* XXXV, 11). Et ut noveritis quia in Raab et Babylone Gentes significavit; quasi diceretur, Quid est quod dixisti, *Memor ero Raab et Babylonis, scientibus me?* quare hoc dixisti? *Etenim alienigenæ*, inquit, id est, pertinentes ad Raab, pertinentes ad Babylonem, *et Tyrus.* Sed quousque Gentes? Usque ad fines terræ. Elegit enim populum qui in fine terræ est: *Et populus*, inquit, *Æthiopum, hi fuerunt ibi.* Si ergo ibi Raab, ibi ex Babylone, quia ibi alienigenæ, ibi Tyrus, ibi populus Æthiopum; merito, *gloriosissima de te dicta sunt, civitas Dei.*

7. [*vers.* 5.] Jam attendite sacramentum magnum. Per eum illic Raab, per quem illic Babylon, jam non Babylon; caret enim Babylone, et incipit esse Jerusalem. Dividitur filia adversus matrem suam, et erit in membris reginæ illius cui dicitur: *Obliviscere populum tuum et domum patris tui; concupivit rex speciem tuam* (*Psal.* XLIV, 11, 12). Nam unde Babylon aspiraret ad Jerusalem? unde Raab ad illa fundamenta perveniret? unde alienigenæ, unde Tyrus, unde populus Æthiopum? Audi unde: *Mater* (a) *Sion, dicet homo.* Est quidam homo qui dicit, *Mater Sion;* et per hunc veniunt isti omnes. Sed iste homo quis est? Dicit, si audiamus, si capiamus: *Mater Sion, dicet homo.* Sequitur ibi, quasi quæreres, per quem venerit Raab, Babylon, alienigenæ, Tyrus, Æthiopes. Ecce per quem venerunt, *Mater Sion, dicet homo; et homo factus est in ea. et ipse fundavit eam Altissimus.* Quid apertius, fratres? Vere quia *gloriosissima de te dicta sunt, civitas Dei.* Ecce, *Mater Sion, dicet homo.* Quis homo? Qui *homo factus est in ea.* In ea factus est homo, et ipse eam

[1] Sic Mss. At Edd., *Christo.*

[1] Aliquot libri, *in falce*: mendose, uti observatum est supra, col. 655, n. 12, circa finem.
[2] Duo Mss., *derivatur.* Alii prope omnes, *delibatur.*
(a) Apud LXX pro *mêti*, *numquid*, legebant olim, *mêtêr*, *mater*: sic ante Augustinum Tertullianus, Ambrosius, etc.

fundavit. Quomodo in ea factus est, et ipse eam fundavit? Ut in ea fieret homo, jam fundata erat. Sic intellige, si potes. Etenim, *Mater Sion, dicet*; sed, *homo, Mater Sion, dicet; homo* autem *factus est in ea : ipse* autem *fundavit eam*, non homo, sed *Altissimus*. Sic fundavit civitatem in qua nasceretur, quomodo creavit matrem, de qua nasceretur. Quid est hoc, fratres? Quales promissiones, quantam spem tenemus! Ecce propter nos Altissimus qui fundavit civitatem, *Mater*, dicit ipsi civitati; et *homo in ea factus est, et Altissimus eam fundavit*

8. [*vers.* 6.] Quasi diceretur, Unde ista scitis? Cantavimus [1] hæc omnes, et cantat homo in omnibus Christus : homo propter nos, Deus ante nos. Sed quid magnum ante nos? Ante terram et cœlum, ante sæcula. Hic ergo homo propter nos factus in ea, idem ipse Altissimus fundavit eam. Unde ista scimus? *Dominus narrabit* [2] *in Scriptura populorum*. Hoc enim sequitur in Psalmo : *Mater Sion, dicet homo; et homo factus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus. Dominus narrabit in Scriptura populorum et principum*. Quorum principum? Illorum qui facti sunt in ea. Principes qui facti sunt in ea, in ea facti sunt principes : nam antequam in ea fierent principes, abjecta mundi elegit Deus, ut confunderet fortia. Numquid princeps piscator? numquid princeps publicanus? Principes plane; sed quia facti sunt in ea. Quales isti principes? Venerunt de Babylone principes, credentes de sæculo principes venerunt ad urbem Romam, quasi caput Babylonis; non ierunt ad templum Imperatoris, sed ad memoriam Piscatoris. Unde enim isti principes? Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia : et ignobilia elegit Deus, et ea quæ non sunt tanquam quæ sunt, ut quæ sunt evacuentur (I *Cor*. I, 27, 28). Hoc facit qui erigit de terra inopem, et de stercore exaltat pauperem. Utquid erigit? Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui (*Psal*. CXII, 7, 8). Magna res, magnum gaudium, magna lætitia. Postea venerunt in hanc civitatem et oratores; sed non venirent nisi præcederent piscatores. Magna hæc; sed ubi hæc, nisi in illa civitate Dei, de qua gloriosissima dicta sunt.

9. [*vers.* 7.] Ideo collatis omnibus gaudiis atque conflatis, quomodo clausit? *Tanquam jucundatorum omnium habitatio in te*. Tanquam jucundatorum habitatio omnium jucundatorum in hac civitate. In peregrinatione ista conterimur : habitatio nostra, jucunditas sola erit. Peribit labor et gemitus; transeunt orationes, succedunt laudationes. Ibi ergo habitatio jucundatorum, non erit gemitus desiderantium, sed lætitia perfruentium. Aderit enim cui modo suspiramus; similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (I *Joan*. III, 2) : ibi totum negotium nostrum non erit, nisi laudare Deum, et frui Deo. Et quid aliud quæremus, ubi solus sufficit, per quem facta sunt omnia? Habitabimur et habitabimus : subjicientur illi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus (I *Cor*. XV, 28). *Beati* ergo *qui habitant in domo tua*. Unde beati? Habendo aurum, habendo argentum, numerosam familiam, multiplicem prolem? Unde beati? *Beati qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal*. LXXXIII, 5). Hoc uno beati otioso negotio. Hoc ergo unum desideremus, fratres, cum venerimus ad hoc; nos paremus gaudere ad Deum, laudare Deum. Opera bona quæ modo nos perducunt, non ibi erunt. Diximus et hesterno die (*a*), quantum potuimus; non ibi erunt opera misericordiæ, ubi nulla erit miseria : egentem non invenies, nudum non invenies, nemo tibi occurret sitiens, nullus peregrinus erit, nullus ægrotus quem visites, nullus mortuus quem sepelias, nullus litigatorum inter quos pacem componas. Quid facturus es? An forte propter necessitates corporis nostri novellabimus, et arabimus, et negotiabimur, et peregrinabimur? Magna ibi quies : nam ibi omnia opera, quæ necessitas flagitat, subtrahentur; mortua necessitate, peribunt opera necessitatis. Quid ergo erit? Quomodo potuit, dixit lingua humana : *Tanquam jucundatorum omnium habitatio in te*. Quid est, *tanquam*? quare, *tanquam*? Quia talis ibi erit jucunditas, qualem hic non novimus. Video hic multas jucunditates, et multi gaudent in sæculo, alii hinc, alii inde; et non est quod illi gaudio comparem, sed tanquam jucunditas erit. Nam si dicam, Jucunditas; incipit homini occurrere talis jucunditas, qualem solet habere in poculis, in prandiis, in avaritia, in honoribus sæculi. Extolluntur enim homines, et lætitia quadam insaniunt : sed *non est gaudere impiis*, dicit Dominus (*Isai*. XLVIII, 22, *sec*. LXX). Est quædam jucunditas quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (I *Cor*. II, 9). *Tanquam jucundatorum omnium habitatio in te*. Ad aliud gaudium nos paremus; quia hic tanquam simile invenimus, et non est hoc : ne quasi paremus nos talibus ibi perfrui, qualibus hic gaudemus; alioquin continentia nostra avaritia erit. Sunt enim homines qui invitantur ad cœnam opimam, ubi multa et pretiosa ponenda sunt; non prandent : jam si quæras ab eis quare non prandeant, (*b*) Jejunamus. Magnum opus, christianum opus jejunium. Noli cito laudare : quære causam; negotium ventris agitur, non religionis. Quare jejunant? Ne ventrem præoccupent vilia, et non possit admittere pretiosa. Ergo negotium gutturis gerit in jejunio. Magna res utique jejunium : contra ventrem et guttur pugnat; aliquando illis militat. Itaque, fratres mei, si putatis aliquid tale habituros nos in illa patria, ad quam nos exhortatur tuba cœlestis, et propterea vos a præsentibus abstinetis, ut illic talia copiosius recipiatis; sic estis quomodo illi qui jejunant propter epulas majores, et continent se majore incontinentia. Nolite ergo sic : ad aliquid vos ineffabile præparate; mundate cor ab omnibus affectionibus vestris terrenis et sæcularibus. Visuri sumus quiddam, quo viso beati erimus, et hoc solum nobis sufficiet. Et quid? non manducabimus? Imo manducabimus; et ipse erit ci-

[1] Sic aliquot Mss. At Edd., *cantabimus*.
[2] Sic meliores Mss. juxta LXX. At Edd., *narravit in Scripturis*.

(*a*) In superiorem Psal., n 24.
(*b*) Supple, *respondent*.

ius noster, qui et reficiat, et non deficiat. *Tanquam jucundatorum omnium habitatio in te.* Jam dictum est unde jucundabimur: *Beati qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te.* Laudemus et modo Dominum, quantum possumus, mixtis gemitibus; quia laudando eum desideramus eum, et nondum tenemus: cum tenuerimus, subtrahetur omnis gemitus, et remanebit sola et pura et æterna laudatio. Conversi ad Dominum.

IN PSALMUM LXXXVII
ENARRATIO (*a*).

1. [*vers.* 1.] Psalmi hujus octogesimi et septimi titulus habet aliquid quod novum negotium disputatori afferat. Nusquam enim aliorum psalmorum positum est quod hic legitur: *Pro melech ad respondendum.* Nam de Psalmo cantici et cantico psalmi alias jam quid nobis videretur diximus (*b*): et, *filiis Core*, usitatum in titulis psalmorum sæpissimeque tractatum est, et quid sit, *in finem;* sed quod sequitur, *Pro melech ad respondendum*, hoc inusitatum habet iste titulus. *Pro melech* autem, latine pro choro dici potest: *melech* enim verbo Hebræo chorus significatur. Quid est ergo, Pro choro ad respondendum; nisi forte ut canenti chorus consonando respondeat? Sicut non istum solum, sed alios quoque psalmos credendum est esse cantatos, quamvis alios titulos acceperint; quod factum existimo causa varietatis, qua fastidium levaretur. Non enim solus iste psalmus dignus est habitus, ubi responderet chorus, cum utique non sit solus de Domini passione conscriptus. Aut si est alia causa cur tanta sit varietas titulorum, qua possit ostendi ita Psalmos omnes esse prænotatos, qui sunt aliter atque aliter prænotati, ut nullius titulus valeat alicui alteri convenire; ego eam, fateor, cum multum conatus essem, penetrare non potui: et si quid de hac re legi ab eis dictum, qui ante nos ista tractarunt, non satisfecit exspectationi, sive tarditati meæ. In quo igitur mysterio dictum mihi videatur, Pro choro ad respondendum, id est, ut canenti per chorum respondeatur, exponam. Domini hic passio prophetatur. Dicit autem apostolus Petrus, *Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus* (I *Petr.* II, 21): hoc est respondere. Dicit etiam apostolus Joannes, *Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, ita et nos debemus animam pro fratribus ponere* (I *Joan.* III, 16): hoc est respondere. Chorus autem concordiam significat, quæ in charitate consistit. Quisquis ergo quasi æmulator dominicæ passionis tradiderit corpus suum ut ardeat, si charitatem non habeat, non respondet in choro; et ideo nihil ei prodest (I *Cor.* XIII, 3). Proinde quemadmodum dicuntur in arte musica, sicut ea docti homines latine dicere potuerunt, præcentor et succentor; præcentor scilicet qui vocem præmittit in cantu, succentor autem qui subsequenter canendo respondet: ita in hoc cantico passionis, præcedentem Christum subsequitur chorus martyrum in finem cœlestium coronarum. Hoc enim canitur *filiis Core*, id est imitatoribus passionis Christi: quoniam in Calvariæ loco crucifixus est Christus (*Matth.* XXVII, 33); quæ illius Hebræi nominis interpretatio perhibetur, id est, Core. Et hic est *intellectus Æman Israelitæ* (*a*): quod in tituli hujus ultimo positum est. Æman quippe interpretari dicitur, Frater ejus. Eos enim fratres suos Christus facere dignatus est, qui sacramentum crucis ejus intelligunt, et non solum de illa non erubescunt, verum etiam in illa fideliter gloriantur, non se de suis meritis extollentes, sed ejus gratiæ non ingrati; ut unicuique eorum dici possit, *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I, 47): sicut ipsum Israel Scriptura sine dolo fuisse commendat (*Gen.* XXV, 27). Jam itaque Christi vocem in prophetia præcinentis audiamus, cui suus chorus vel imitatione, vel gratiarum actione respondeat.

2. [*vers.* 2, 3.] *Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te. Intret in conspectu tuo oratio mea; inclina aurem tuam ad precem meam.* Oravit enim et Dominus, non secundum formam Dei, sed secundum formam servi: secundum hanc enim et passus est. Oravit autem et cum in lætis rebus ageret quod diei nomine; et cum in adversis, quod noctis nomine significari arbitror. Ingressus orationis in conspectu Dei, acceptatio ejus est; inclinatio auris Dei, misericors exauditio est: nam membra talia qualia nos habemus in corpore, non habet Deus. Est autem solita repetitio: nam quod est, *Intret in conspectu tuo oratio mea;* idipsum est, *Inclina aurem tuam ad precem meam.*

3. [*vers.* 4.] *Quoniam repleta est malis anima mea, et vita mea in inferno appropinquavit.* Audemusne dicere animam Christi repletam malis, cum illa passionis afflictio in carne valuerit, quidquid valuit? Unde et ipse suos ad tolerantiam passionis accendens, et tanquam ad respondendum exhortans chorum suum: *Nolite*, inquit, *timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X, 28). An occidi a persecutoribus anima non potest, malis autem repleri potest? Quod si ita est, quærendum quibus. Non enim vitiis, per quæ homini dominatur iniquitas, animam illam repletam possumus dicere; sed forte doloribus, quibus anima suæ carni in ejus passione compatitur. Non enim vel ipse qui dicitur corporis dolor, potest esse sine anima, quem inevitabiliter imminentem præcedit tristitia, quæ solius animæ dolor est. Dolere ergo anima, etiam non dolente corpore, potest; dolere autem corpus sine anima non potest. Cur itaque non dicamus non humanis peccatis, sed tamen humanis malis repletam fuisse animam Christi? De quo alius propheta dicit quod pro nobis doluerit (*Isai.* LIII, 4): et evangelista, *Assumpto*, in-

(*a*) Dictata post expositum Psal. XLI, de quo infra n. 7, et forte post Psal. LXVII.

(*b*) De hac re dixit in Psal. LXVII, expositum an. 415, quo forte remittit, propter hujus psalmi titulum qui habet: *Canticum Psalmi, filiis Core*, etc.

(*a*) Ex interpretandi ratione liquet Aug. legisse, *Israelitæ:* at in Vulgata est *Ezrahitæ;* forte pro, *Zaraitæ*, Vid. infra, Psal. 88, col. 1120, not. (*b*).

quit, *Petro et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mæstus esse;* et ipse Dominus de seipso tunc ait illis, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 37, 38). Hæc futura prævidens Propheta, psalmi hujusce conscriptor, inducens eum loquentem : *Quoniam repleta est,* inquit, *malis anima mea, et vita mea in inferno appropinquavit.* Nam ipsam sententiam omnino verbis aliis explicavit, qua dictum est, *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Quod enim ait, *Tristis est anima mea;* hoc dictum est, *Repleta est malis anima mea :* et quod sequitur, *usque ad mortem;* hoc dictum est, *et vita mea in inferno appropinquavit.* Hos autem humanæ infirmitatis affectus, sicut ipsam carnem infirmitatis humanæ, ac mortem carnis humanæ Dominus Jesus, non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit, ut transfiguraret in se corpus suum, quod est Ecclesia, cui caput esse dignatus est, hoc est membra sua in sanctis et fidelibus suis : ut si cui eorum inter humanas tentationes contristari et dolere contingeret, non ideo se ab ejus gratia putaret alienum ; et non esse ista peccata, sed humanæ infirmitatis indicia, tanquam voci præmissæ concinens chorus, ita corpus ejus ex ipso suo capite disceret. In hoc quippe corpore præcipuum membrorum apostolum Paulum legimus et audimus confitentem talibus malis repletam animam suam, cum dicit tristitiam sibi esse magnam, et continuum dolorem cordi suo pro fratribus suis secundum carnem, qui sunt Israelitæ (*Rom.* IX, 2-4). Pro quibus si contristatum dicamus et Dominum, cum ejus passio propinquaret, in qua illi se immanissimo scelere fuerant obligaturi, non incongrue nos dicere existimo.

4. [*vers.* 5, 6.] Denique illud quod in cruce dixit, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34); etiam in isto psalmo deinceps dicitur, *Deputatus sum cum descendentibus in lacum :* utique a nescientibus quid facerent, qui eum sic mori putaverunt, ut moriuntur homines cæteri, tanquam necessitati subditum atque illa necessitate devictum. *Lacum* enim dixit, vel miseriæ vel inferni profunditatem.

5. *Factus sum,* inquit, *sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.* In his verbis maxime persona Domini apparet. Quis enim alius inter mortuos liber, nisi in similitudine carnis peccati (*Rom.* VIII, 3) inter peccatores solus sine peccato? Unde illis qui se insipienter liberos putabant, *Omnis,* ait, *qui facit peccatum, servus est peccati.* Et quia per eum qui non habebat peccatum, oportebat liberari a peccatis : *Si vos,* inquit, *Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Joan.* VIII, 34, 36). Hic ergo *inter mortuos liber,* qui in potestate habebat ponere animam suam, et iterum sumere eam ; a quo eam nemo tollebat, sed eam ipse voluntate ponebat (*Id.* X, 18) ; qui etiam carnem suam tanquam solutum ab eis templum, resuscitare poterat, cum volebat (*Id.* II, 19) ; quem passurum cum omnes deseruissent, solus non remansit, quia Pater eum non deseruit, sicut ipse testatur (*Id.* VIII, 29) : ab inimicis tamen pro quibus oravit nescientibus quid faciebant, et dicentibus, *Alios salvos fecit, seipsum non potest. Si Filius Dei est, descendat nunc de cruce, et credimus ei. Salvum faciat eum, si vult eum* (*Matth.* XXVII, 40-43); factus est, id est existimatus est, *tanquam homo sine adjutorio. Tanquam vulnerati dormientes in sepulcro.* Sed addit, *quorum non meministi adhuc :* ubi est Domini Christi a cæteris mortuis animadvertenda discretio. Nam et ipse vulneratus est, et mortuus positus in sepulcro (*Ibid.*, 50, 60) : sed illi qui nesciebant quid faciebant, quis esset utique nescientes, similem illum putaverunt aliis vulnere occisis et dormientibus in sepulcro, quorum Deus adhuc non meminit, id est, quorum nondum tempus resurgendi advenit. Ideo namque mortuos consuevit Scriptura dicere dormientes, quia evigilaturos, id est, resurrecturos vult intelligi. Sed hic vulneratus et dormiens in sepulcro, die tertio evigilavit, et factus est sicut passer singularis in tecto (*Psal.* CI, 8), id est, ad dexteram Patris in cœlo; nec jam moritur, et mors ei ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9). Unde longe distat ab eis quorum ad talem resurrectionem Deus non meminit adhuc : quod enim præcedere oportebat in capite, corpori servatur in fine. Tunc autem dicitur Deus meminisse, quando facit; tunc oblivisci, quando non facit : nam neque oblivio cadit in Deum, quia nullo modo mutatur; neque recordatio, quia non obliviscitur. *Factus sum* ergo, ab eis nescientibus quid faciebant, *tanquam homo sine adjutorio; cum essem inter mortuos liber :* factus sum ab eis nescientibus quod faciebant, *velut vulnerati dormientes in sepulcro. Et ipsi expulsi sunt de manu tua :* id est, cum hæc ab eis factus sum, *ipsi expulsi sunt de manu tua;* ipsi adjutorio manus tuæ privati sunt, qui me sine adjutorio esse putaverunt. *Foderunt* enim, sicut dicit in alio psalmo, *ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam*(*Psal.* LVI, 7). Melius enim sic intelligendum existimo, quam ut id quod dictum est, *Et ipsi expulsi sunt de manu tua,* ad illos referatur dormientes in sepulcro, quorum non meminit adhuc : cum sint in eis justi, quorum licet non meminerit adhuc ut resurgant; de his tamen dictum est, *Justorum animæ in manu Dei sunt* (*Sap.* III, 1), hoc est, habitant in adjutorio Altissimi, et in protectione Dei cœli commorantur (*Psal.* XC, 1). Sed illi expulsi sunt de manu Dei, qui Dominum Christum de manu ejus expulsum esse crediderunt, quia eum inter iniquos deputatum occidere potuerunt.

6. [*vers.* 7.] *Posuerunt me,* inquit, *in lacu inferiore;* vel potius, *in lacu infimo :* sic enim est in græco (*a*). Quid est autem lacus infimus, nisi profundissima miseria, qua non sit profundior? Unde alibi dicitur, *Eduxisti me de lacu miseriæ* (*Psal.* XXXIX, 3). *In tenebrosis et in umbra mortis :* posuerunt utique id existimantes, quando quid faciebant nesciebant, et ignorabant eum quem nemo principum hujus sæculi cognovit (I *Cor.* II, 8). Umbra enim mortis, nescio utrum mors corporis hic intelligenda sit : an illa potius de qua scriptum est, *Qui sedebant in tenebris et umbra mortis,*

(*a*) Græc. *katôtatô.*

lux orta est eis (*Isai.* IX, 2); quia credendo in lucem et in vitam, ex tenebris et morte impietatis educti sunt. Talem ergo illi qui nesciebant quid faciebant, Dominum putaverunt, et inter tales nesciendo posuerunt, qualibus ne hoc essent ipse subvenit.

7. [*vers.* 8.] *In me confirmata est indignatio tua;* vel, sicut alii codices habent, *ira tua;* vel sicut alii, *furor tuus.* Quod enim græce positum est θυμὸς, diverse interpretati sunt nostri. Nam ubi græci codices habent ὀργὴ, ibi iram latine dicere nullus fere dubitavit interpres; ubi autem θυμὸς positum est, plerique non putaverunt iram esse dicendam, cum magni auctores latinæ eloquentiæ de philosophorum græcorum libris etiam hoc iræ nomine verterint in latinum: neque de hac re diutius disputandum est; cui tamen si et nos aliud nomen adhibere debemus, tolerabilius indignationem dixerim quam furorem. Furor quippe, sicut se latinum habet eloquium, non solet esse sanorum. Quid ergo est, *In me confirmata est ira tua;* nisi quemadmodum illi putaverunt, qui Dominum gloriæ non cognoverunt? Apud eos enim sic erat, quod ira Dei non solum commota, verum etiam confirmata fuerit super eum, quem usque ad mortem, nec quamlibet mortem, sed quam præ cæteris exsecrabilius habebant, id est, usque ad mortem crucis perducere potuerunt. Unde dicit Apostolus: *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum; scriptum est enim, Maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Galat.* III, 13). Et ideo cum ejus obedientiam usque ad extremam humilitatem commendare vellet, *Humiliavit*, inquit, *semetipsum, factus obediens usque ad mortem:* quod cum parum videretur, adjecit, *mortem autem crucis* (*Philipp.* II, 8). Propter hoc, quantum mihi videtur, etiam in isto psalmo talis versus sequitur: *Et omnes suspensiones tuas;* vel, sicut quidam sunt interpretati, *omnes fluctus tuos;* aut, sicut alii, *omnes elationes tuas super me induxisti.* Scriptum est et in alio psalmo, *Omnes suspensiones tuæ, et fluctus tui super me ingressi sunt* (*Psal.* XLI, 8): vel, sicut quidam melius transtulerunt, *super me transierunt;* διῆλθον enim est in græco, non εἰσῆλθον. Ubi ergo utrumque positum est, et *suspensiones* et *fluctus*, non ibi potuerunt poni pro suspensionibus fluctus. Quæ duo sic exposuimus, ut suspensiones diceremus comminationes, fluctus autem jam ipsas passiones (*a*): quæ utraque veniunt de judicio Dei. Sed illic dictum est, *Omnes super me transierunt;* hic vero, *Omnes super me induxisti.* Illic ergo etsi quædam acciderunt; omnia tamen mala quæ illis verbis intelligi voluit, *super me transierunt*, dixit: hic vero, *super me induxisti.* Transeunt enim, sive quæ non attingunt, sicut suspensiones; sive quæ attingunt, sicut fluctus. Cum autem, *Omnes suspensiones*, non ait, super me transierunt, sed *super me induxisti;* omnia quæ impendebant evenisse significat: impendebant autem, quamdiu in prophetia futura imminebant, omnia quæ de illius passione prædicta sunt.

8. [*vers.* 9, 10.] *Longe*, inquit, *fecisti notos meos a me.* Si eos quos noverat acceperimus dictum esse *notos meos*, omnes erunt: nam quem ille non noverat? Sed eos dicit *notos*, quibus et ipse notus erat, quantum eum tunc nosse potuerunt; certe vel hactenus quod sciebant eum innocentem, etiamsi hominem tantummodo, non et Deum putabant. Quamvis et bonos quos probaret, *notos* dicere potuerit; sicut malos quos improbaret, ignotos, quibus in fine dicturus est, *Non novi vos* (*Matth.* VII, 23). Quod vero adjungit, *Posuerunt me abominationem sibi:* possunt et illi quidem intelligi quos notos suos dixit, quia et ipsi genus illius mortis horrebant; sed melius intelligitur de his de quibus suis persecutoribus superius loquebatur. *Traditus sum*, inquit, *et non egrediebar.* Utrum quia foris erant discipuli ejus, quando ipse intus judicabatur? an potius, *non egrediebar*, altius dictum debemus accipere, id est, in interioribus meis latebam, non ostendebam quis essem, non propalabar, non manifestabar? et ideo sequitur: *Oculi mei infirmati sunt ab inopia.* Nam quos ejus oculos intellecturi sumus? Si exteriores in carne in qua patiebatur positos, non eos in ejus passione legimus infirmatos ab inopia, id est, tanquam fame, ut assolet, languisse: post cœnam quippe suam traditus, et eodem die crucifixus est. Si interiores, quomodo infirmati sunt ab inopia, cum in eis esset lux indeficiens? Sed nimirum oculos suos dixit membra quæ in suo corpore cui caput est ipse, clariora et eminentiora et præcipua diligebat. De quo corpore Apostolus loquens, et de nostro corpore similitudinem adhibens, ait: « Si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus? si fuissent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa membra, unum autem corpus. Non potest dicere oculus manibus, Opus vobis non habeo. Et si dixerit manus, Quia non sum oculus, non sum de corpore; num ideo non est de corpore? » Quid autem his verbis vellet intelligi, evidentius expressit dicens, *Vos autem estis corpus Christi et membra* (I *Cor.* XII, 12-27). Quapropter et illi oculi, id est sancti Apostoli, quibus non revelaverat caro et sanguis, sed Pater ejus qui in cœlis est, ut Petrus diceret, *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16, 17), videntes eum tradi, ac tanta perpeti mala; quoniam non eum videbant qualem volebant, quia non egrediebatur, id est, non manifestabatur in virtute et potentia sua, sed in suis interioribus occultus [1], omnia quasi superatus atque impotens perferebat, *infirmati sunt ab inopia*, velut subtracto sibi cibo suo, lumine suo.

9. *Et clamavi*, inquit, *ad te, Domine.* Hoc quidem et apertissime fecit, cum penderet in ligno. Sed quod sequitur, *Tota die expandi* [2] *manus meas ad te*, quomodo oporteat accipi, merito quæritur. Si enim in eo quod ait, *Expandi manus meas*, crucis patibulum intellexerimus; quomodo intellecturi sumus, *Tota die?* Numquid tota die pependit in ligno, cum et nox ad totum diem pertineat? Si autem hoc loco diem voluit intelligi, qui præter noctem dies appellari solet;

(*a*) Supra, col. 474, n. 13.

[1] Sic meliores Mss. Edd. vero, *occultis*.

[2] Plerique Mss. hoc et proximo loco, *extendi*.

etiam talis diei, quando crucifixus est, jam pars prima et non parva transierat. Si autem diem pro tempore positum velimus accipere (maxime quia hoc nomen genere feminino posuit, quod in latino eloquio nonnisi tempus significare solet : quamvis in græco non ita sit; semper quippe in ea lingua dies feminino genere dicitur, et ideo nostros sic interpretari puto), arctius quæstio colligabitur. Quomodo enim toto tempore, si nec saltem uno toto die manus extendit in cruce? Porro si totum pro parte accipiendum esse dicamus, quia isto genere locutionis uti etiam sancta Scriptura consuevit; non mihi occurrit exemplum, totum pro parte etiam tunc posse accipi, quando ipsum verbum additur et dicitur totum. Nam et in eo quod dixit Dominus in Evangelio, *Sic erit et Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (*Matth.* XII, 40); ideo totum pro parte non insolenter accipitur, quia non ait, Totis tribus diebus et totis tribus noctibus : unus quippe medius fuit totus dies, duorum autem partes; primi ultima, ultimi prima. Si autem non crucem suam in hac prophetia Psalmi significavit his verbis, sed orationem, quam eum ex forma servi fudisse Deo Patri, Evangelio teste, didicimus, ubi eum et longe ante passionem, et sub die passionis, et in ipsa cruce orasse meminimus; nusquam hoc eum toto die fecisse legimus. Proinde convenienter per extentas manus tota die continuationem bonorum operum intelligere possumus, a quorum nunquam intentione cessavit.

10. [*vers.* 11.] Sed quia solis prædestinatis ad æternam salutem, non autem omnibus hominibus, nec ipsis inter quos facta sunt, ejus bona opera profuerunt; ideo consequenter adjecit : *Numquid mortuis facies mirabilia?* Hoc enim si de his dictum putaverimus, quorum caro exanimis facta est; magna mirabilia facta sunt mortuis, cum quidam eorum etiam revixerunt (*Id.* XXVII, 52) : et quod Dominus penetravit inferna, atque inde mortis victor ascendit, magnum mortuis miraculum factum est. Significat ergo isto verbo quo ait, *Numquid mortuis facies mirabilia*, homines corde ita mortuos, ut eos ad vitam fidei tanta Christi mirabilia non moverent. Neque enim propterea dixit non eis fieri mirabilia, quia non ea vident; sed quia non eis prosunt. Nam sicut hic ait, *Tota die expandi manus meas ad te;* quia omnia opera sua nonnisi ad voluntatem referat Patris, sæpissime contestans ideo se venisse, ut voluntatem Patris impleret (*Joan.* VI, 38): ita, quia eadem opera etiam infidelis populus vidit, alius propheta dicit, *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem* (*Isai.* LXV, 2). Ipsi sunt mortui, quibus non sunt facta mirabilia; non quod ea non viderunt, sed quod per ea non revixerunt. Quod autem sequitur, *Aut medici exsuscitabunt, et confitebuntur tibi?* id est, quia non a medicis exsuscitabuntur homines, ut confiteantur tibi. In hebræo quidem aliter se habere firmatur; non enim medici, sed gigantes esse perhibentur : verum Septuaginta interpretes, quorum auctoritas tanta est, ut non immerito propter mirabilem consonantiam divino Spiritu interpretati esse credantur; de vocis similitudine, qua in hebræa lingua gigantes et medici pene eodem modo sonant, et exigua differentia distinguuntur, non errore, sed potius occasione, quomodo isto loco accipiendi essent gigantes, significare voluerunt. Si enim superbos gigantum nomine insinuatos intelligamus, de quibus dicit Apostolus, *Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi* (I *Cor.* I, 20)? non fuit incongruum eosdem medicos nuncupari, velut per artem sapientiæ suæ promittentes animarum salutem : contra quos dicitur, *Domini est salus* (*Psal.* III, 9). Si autem in bono acceperimus gigantes, quia et de ipso Domino dictum est, *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII, 6); quod ita sit gigas gigantum, magnorum scilicet et fortissimorum, qui in ejus Ecclesia spirituali robore excellunt; sicuti est mons montium, quia de illo scriptum est, *Erit in novissimis temporibus manifestus mons Domini, paratus in cacumine montium* (*Isai.* II, 2); sicut etiam sanctus sanctorum : non est absurdum ut iidem ipsi magni et fortes etiam medici vocentur. Unde dicit apostolus Paulus : *Si quo modo æmulari potero carnem meam, ut salvos faciam aliquos ex illis* (*Rom.* XI, 14). Sed etiam tales medici, quamvis non de suo curent, quia nec medici corporis curant de suo; tamen quantumlibet per fidele ministerium opitulentur saluti, viventes curare possunt, non mortuos excitare : de quibus dictum est, *Numquid mortuis facies mirabilia?* Nimis enim occulta Dei gratia est, qua hominum mentes quodam modo reviviscunt, ut possint a quibuslibet ejus ministris præcepta sanitatis audire. Quam gratiam commendat in Evangelio dicens, « Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum :» et paulo post apertius hoc ipsum repetens, ait, « Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt; sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. » Deinde interponit Evangelista, « Sciebat enim ab initio Jesus qui essent credentes [1], et quis traditurus eum esset : » et secutus atque ipsius Domini verba conjungens, ait, « Et dicebat, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo » (*Joan.* VI, 44, 64, 65, 66). Supra dixerat, *Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt;* et tanquam hujus rei causam exponens, *Propterea dixi*, inquit, *vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo :* ut ostenderet etiam ipsam fidem qua credit, et ex morte sui cordis anima reviviscit, dari nobis a Deo. Quantumlibet ergo [2] excellentes verbi prædicatores, et veritatis etiam per miracula suasores, tanquam magni medici, agant cum hominibus; si mortui sunt et tua gratia non revixerunt, *Numquid mortuis facies mirabilia; aut medici exsuscitabunt, et* hi quos exsuscitabunt, *confitebuntur tibi?* Hæc enim confessio indicat vivos : non sicut alibi scriptum est, *A mortuo, velut qui non sit, perit confessio* (*Eccli.* XVII, 26).

[1] Edd., *crediturn*. Mss., *credentes*. At in Evangelio, *non credentes*.

[2] Sic Mss. At Edd. addunt hic, *existant*; et paulo post habent, *per miracula sua fortes, tanquam*, etc.

11. [*vers.* 12.] *Numquid enarrabit quis in sepulcro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione?* Subauditur quod supra dictum est, ut etiam iste versus ita se habeat, ac si dictum sit, Numquid enarrabit quis veritatem tuam in perditione? Misericordiam quippe et veritatem amat Scriptura conjungere, maxime in Psalmis. Quod vero ait, *in perditione*, alio verbo repetivit quod supra dixerat, *in sepulcro*. Sic autem dictum est, *in sepulcro*, ut intelligantur ii qui sunt in sepulcro, qui et superius significati sunt nomine mortuorum, ubi ait, *Numquid mortuis facies mirabilia?* Animæ namque mortuæ corpus sepulcrum est. Unde Dominus in Evangelio talibus dicit: « Similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia: sic et vos aforis quidem paretis hominibus justi; intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate (*Matth.* XXIII, 27 *et* 28).

12. [*vers.* 13.] *Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et justitia tua in terra oblita?* Quod est, *in tenebris*; hoc est, *in terra oblita*. Infideles enim significantur nomine tenebrarum: hinc dicit Apostolus, *Fuistis enim aliquando tenebræ* (*Ephes.* V, 8). Sic et terra oblita, homo est qui oblitus est Deum: potest namque anima infidelis usque ad tantas tenebras pervenire, ut dicat stultus in corde suo, *Non est Deus* (*Psal.* XIII, 1). Totus ergo iste sensus ita continuatur atque contexitur: *Clamavi ad te, Domine*, inter passiones meas; *tota die expandi manus meas ad te:* id est, non destiti ad te glorificandum extendere opera mea. Cur ergo in me impii sæviunt, nisi quia mortuis non facies mirabilia? id est, non eis commoventur ad fidem, nec medici eos exsuscitabunt, ut confiteantur tibi, in quibus occulta gratia tua non operatur, qua trahantur ut credant; quia nemo venit ad me, nisi quem tu attraxeris. Nam *quis enarrabit in sepulcro misericordiam tuam;* id est, animæ mortuæ, cujus mors jacet[1] sub corporis pondere? *et veritatem tuam in perditione;* hoc est, in tali morte nihil horum[2] valenti credere atque sentire? *Numquid* enim *in tenebris* hujus mortis, hoc est, in homine qui te obliviscendo vitæ lumen amisit, *tua mirabilia et justitia cognoscentur?*

13. [*vers.* 14.] Occurrebat autem quæstio, quisnam sit usus istorum mortuorum; quid ex his agat Deus ad utilitatem corporis Christi, quod est Ecclesia: ut in eis demonstretur quæ sit Dei gratia in prædestinatis, qui secundum propositum vocati sunt. Unde ipsum corpus in alio psalmo dicit: *Deus meus, misericordia ejus præveniet me.* Deus meus demonstrabit mihi in inimicis meis (*Psal.* LVIII, 11 *et* 12). Ergo et hic sequitur ac dicit, *Et ego ad te, Domine, clamavi.* In quibus verbis jam intelligendus est Dominus Christus ex voce corporis sui loqui, id est, Ecclesiæ: quid est enim, *Et ego;* nisi quia fuimus et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* II, 3)? Sed *ad te clamavi*, ut salvus essem. Quis enim me discernit ab aliis filiis iræ, cum Apostolum audiam ingratos terribiliter increpantem, ac dicentem: *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem et accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV. 7)? Domini est salus: gigas autem in multitudine virtutis suæ non erit salvus (*Psal.* XXXII, 16); sed, sicut scriptum est, « Qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? aut quomodo prædicabunt, si non mittantur? sicut scriptum est, Quam speciosi pedes eorum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona » (*Rom.* X, 13-15)! Ipsi sunt medici curantes a latronibus sauciatum; sed Dominus eum perduxit ad stabulum (*Luc.* X, 34): quia ipsi sunt etiam operantes in agro Dominico; nec tamen qui plantat est aliquid, aut qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (I *Cor.* III, 7). Ideo et ego ad Dominum clamavi; hoc est, Dominum ut salvus essem invocavi. Quomodo autem invocarem, nisi crederem? quomodo crederem, nisi audirem? Sed ut audita crederem, ipse me attraxit; quia in occulto a morte cordis non quilibet medici, sed ipse excitavit. Nam multi audierunt; quia in omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum (*Psal.* XVIII, 5): sed non omnium est fides (II *Thess.* III, 2); et novit Dominus qui sunt ejus (II *Tim.* II, 19). Ac per hoc, nec credere potuissem, nisi me Dei misericordia prævenisset; et quia mortuos suscitat, et vocat ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt, me in occultis vocando, et suscitando, et trahendo, a tenebris eduxisset, et ad lumen fidei perduxisset. Ideo sequitur: *Et mane oratio mea præveniet te.* Jam mane, posteaquam nox infidelitatis et tenebræ transierunt. Quod mane ut mihi esset, misericordia quidem tua prævenit me: sed quia restat illa clarificatio, ubi illuminabuntur occulta tenebrarum, et manifestabuntur cogitationes cordis, et laus erit unicuique a te (I *Cor.* IV, 5); nunc in ista vita, in ista peregrinatione, in hac luce fidei, quæ in comparatione tenebrarum infidelium jam dies est, sed in comparatione diei ubi videbimus facie ad faciem, adhuc nox est, adhuc *oratio mea præveniet te.*

14. [*vers.* 15.] Ut autem ista fervescat et exerceatur oratio, quod nobis quantum expediat, nullis, ut opinor, verbis explicari potest; differtur bonum quod in æternum dabitur, et mala transitura crebrescunt. Ideo sequitur: *Utquid, Domine, repulisti orationem meam?* Hoc et in illis verbis dictum est, *Deus, Deus meus, respice in me; utquid me dereliquisti* (*Psal.* XXI, 2)? Causa cognoscenda proposita est, non tanquam sine causa hoc faceret Dei culpata[1] sapientia: ita et hic, *Utquid, Domine, repulisti orationem meam?* Hujus tamen rei causa si diligenter advertatur, jam superius indicata est: ad hoc enim oratio sanctorum dilatione tanti beneficii, et tribulationum adversitate quasi repellitur, ut tanquam ignis flatu repercussus inflammetur ardentius.

[1] Forte, *latet*.
[2] Sic Mss. At Edd., *bonum*.

[1] Sic Mss. Edd. vero, *occulta*.

15. [*vers.* 16-19.] Exsequitur itaque breviter etiam tribulationes corporis Christi. Neque enim in solo capite factæ sunt, cum et Saulo dictum sit, *Quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? et ipse jam Paulus tanquam electum membrum in eodem corpore positus dicat, « Ut suppleam quæ desunt pressurarum Christi in carne mea » (*Coloss.* I, 24). « Utquid » ergo « Domine, repulisti orationem meam, avertis [1] faciem tuam a me? Inops sum ego, et in laboribus a juventute mea; exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus [2]. In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me. Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul. Longe fecisti a me amicum [3], et notos meos a miseria. » Contigerunt et contingunt omnia hæc in membris corporis Christi. Et avertit Deus ab orantibus faciem, non exaudiendo ad id quod volunt, quando sibi nesciunt non expedire quod petunt. Et inops est Ecclesia, cum esurit et sitit peregrina, unde satietur in patria. Et in laboribus est a juventute sua: ipsum enim corpus Christi et in alio psalmo dicit, *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea* (*Psal.* CXXVIII, 1). Et ad hoc exaltantur etiam in sæculo isto quædam membra ejus, ut in eis sit major humilitas. Et super ipsum corpus, id est unitatem sanctorum atque fidelium, cui caput est Christus, transeunt iræ Dei; non autem manent: quia non de fideli, sed de infideli dictum est, *Ira Dei manet super eum* (*Joan.* III, 36). Et terrores Dei conturbant infirmitatem fidelium; quia omne quod accidere potest, etiamsi non accidat, prudenter timetur. Et aliquando terrores ipsi ita conturbant animum cogitantis circumpendentibus malis, ut sicut aqua undique circumfluere videantur, et simul circumdare metuentem. Et quia Ecclesiæ in hoc mundo peregrinanti ista non desunt, dum modo in his, modo in illis membris ejus usquequaque contingunt; ideo dixit, *tota die*, continuationem significans temporis, donec finiatur hoc sæculum. Et sæpe amici et noti periclitantes secundum sæculum, sanctos formidine deserunt: de quibus dicit Apostolus, *Omnes me reliquerunt; non illis imputetur* (II *Tim.* IV, 16). Sed utquid hæc omnia, nisi ut oratio hujus sancti corporis mane, id est, post noctem infidelitatis in luce fidei præveniat Deum, donec veniat salus illa, in cujus nondum re, sed jam spe salvi facti sumus, eamque cum patientia fideliter exspectamus (*Rom.* VIII, 24, 25)? Ubi nec repellet Dominus orationem nostram, quoniam tunc nihil erit petendum, sed quidquid recte petitum est, obtinendum: nec faciem suam avertet a nobis, quoniam videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2): nec inopes erimus, quia copia nostra ipse Deus erit omnia in omnibus (I *Cor.* XV, 28): nec laborabimus, quia nulla remanebit infirmitas: nec exaltati humiliabimur et conturbabimur, quia nulla ibi erit adversitas: nec iram Dei vel transeuntem sustinebimus, quia in ejus benignitate manente [1] manebimus: nec terrores ejus nos conturbabunt, quia promissa reddita nos beabunt [2]: nec territus longe fiet a nobis notus et amicus, ubi nullus erit qui timeatur inimicus.

[1] Sic Mss. At Edd., *avertisti.*
[2] Melioris notæ Mss., *confusus*, juxta LXX. Attamen infra huic respondet illud, *nec exaltati humiliabimur et conturbabimur.*
[3] Edd. addunt, *et proximum:* quod abest a Mss. et a LXX.

IN PSALMUM LXXXVIII
ENARRATIO.
SERMO I (*a*).
De prima parte Psalmi.

1. [*vers.* 1.] Psalmum istum, de quo loqui proposuimus Charitati Vestræ, donante Domino, accipite de spe quam habemus in Christo Jesu Domino nostro: et erigite animos, quia ille qui promisit, ita cætera completurus est, ut multa complevit. Dat enim nobis ad eum fiduciam, non meritum nostrum, sed illius misericordia. Et ipse est, quantum arbitror, *Intellectus Æthan Israelitæ* (*b*); unde iste psalmus titulum accepit. Videris [3] enim quis homo fuerit, qui vocabatur Æthan; interpretatio tamen nominis hujus Robustum indicat. Et nemo in hoc sæculo robustus est, nisi in spe promissionis Dei: quantum enim attinet ad merita nostra, infirmi sumus; quantum ad ejus misericordiam, robusti sumus. Itaque iste infirmus in se, robustus in misericordia Dei, inde cœpit.

2. [*vers.* 2.] *Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo: in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.* Obsequantur membra, inquit, mea Domino meo: loquor, sed tua loquor; *annuntiabo veritatem tuam in ore meo.* Si non obsequor, servus non sum; si a me loquor, mendax sum. Ergo ut et abs te dicam, et ego dicam, duo quædam sunt: unum tuum, unum meum; veritas tua, os meum. Quam ergo veritatem annuntiet, quas misericordias cantet, audiamus.

3. [*vers.* 3.] *Quoniam dixisti, In æternum misericordia ædificabitur.* Hoc canto; hæc est veritas tua, huic annuntiandæ servit os meum: *Quoniam dixisti, In æternum misericordia ædificabitur.* Sic, inquis, ædifico, ut non destruam: quoniam quosdam sic destruis, ut non ædifices; quosdam vero sic destruis, ut ædifices. Nisi enim quidam destruerentur, ut ædificarentur, non diceretur Jeremiæ, *Ecce posui te ad destructionem, et ædificationem* (*Jerem.* I, 10). Et utique omnes qui idola colebant et lapidibus serviebant, in Christo non ædificarentur, nisi in pristino errore destruerentur. Rursus, nisi quidam ita destruerentur, ut non ædificarentur, non diceretur: *Destrues eos, et non ædificabis illos* (*Psal.* XXVII, 5). Propter eos ergo qui destruuntur et ædificantur, ne putarent ædificationem qua ædificantur, esse temporalem,

[1] Sic potiores Mss. At Edd., *manentes.*
[2] Sic Mss. At Edd., *nobis obviabunt.*
[3] Edd., *audieras.* Melius Mss., *videris.*
(*a*) Habitus matutinis horis in Martyrum quorumdam celebritate.
(*b*) Vulgata hic, ut in superioris psalmi titulo, *Ezrahitæ:* forte pro *Zaraitæ.* Quippe I Paralip. II, 6, censentur Æthan et Æman filii Zaræ; et III Reg. IV, 31, Salomon dicitur in Vulgata *sapientior Ethan Ezrahita et Heman;* ubi LXX pro *Ezrahita*, habent *Zaritem.*

sicut temporalis fuit ruina in qua destruuntur: tenuit se iste, cujus os servit veritati Dei, ad ipsam veritatem Dei. Ideo annuntiabo, ideo dico, *Quoniam dixisti;* securus homo dico, quoniam tu Deus dixisti: quia, etsi ego in verbo meo fluctuarem, verbo tuo confirmarer. *Quoniam dixisti.* Quid dixisti? *In æternum misericordia ædificabitur. In cœlis præparabitur veritas tua.* Quomodo superius, ita in sequentibus. *Misericordias tuas, Domine,* inquit, *in æternum cantabo: in generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.* Dixit misericordias, dixit veritatem; ita rursus utrumque conjunxit: *Quoniam dixisti, In æternum misericordia ædificabitur. In cœlis præparabitur veritas tua.* Et hic repetivit misericordiam et veritatem. Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10). Neque enim exhiberetur veritas in impletione promissorum, nisi præcederet misericordia in remissione peccatorum. Deinde, quoniam populo Israel etiam secundum carnem venienti de semine Abrahæ promissa erant multa prophetice, et ita ille populus propagatus est, in quo implerentur promissa Dei; non autem clausit Deus fontem bonitatis suæ etiam in alienigenas gentes, quas sub Angelis constituerat, portionem sibi faciens populum Israel: in hæc duo et Apostolus distincte distribuit misericordiam Domini et veritatem. Ait enim *Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum.* Ecce quia non fefellit Deus; ecce quia non repulit plebem suam, quam præscivit. Etenim cum de casu Judæorum ageretur, ne quis putaret sic illos improbatos, ut nihil frumenti ex illa ventilatione in horreum mitteretur, ait Apostolus: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit; nam et ego Israelita sum* (*Rom.* XI, 1, 2). Si totum illud spinæ fuerunt, unde [1] granum vobis loquor? Ergo impleta est veritas Dei in iis qui ex Israelitis crediderunt, et venit unus paries de circumcisione applicans se ad lapidem angularem (*Ephes.* II, 20). Sed ille lapis angulum non faceret, nisi alium parietem ex Gentibus susciperet. Ille itaque paries tanquam proprie pertinet ad veritatem, iste autem alius ad misericordiam. *Dico enim,* inquit, *Jesum Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum; Gentes autem super misericordia glorificare Deum* (*Rom.* XV, 8, 9). Merito, *In cœlis præparabitur veritas tua.* Etenim omnes illi Israelitæ vocati Apostoli, cœli facti sunt qui enarrant gloriam Dei. De his cœlis dicitur, *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Et ut noveritis de his cœlis dici, certe de his in consequenti expressius dictum est, *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Quære quorum, non invenies supra nisi cœlorum. Si ergo Apostoli sunt, quorum in omnibus loquelis vox audita est, ipsi sunt de quibus dictum est, *In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 2, 4, 5); quia etsi assumpti hinc sunt antequam Ecclesia impleret orbem terrarum, tamen verba eorum pervenerunt usque ad terminos orbis terræ: bene accipimus in his impletum quod nunc legimus, *In cœlis præparabitur veritas tua.*

4. [*vers.* 4.] *Disposui testamentum electis meis.* Dixisti (intelligitis [1]) hoc totum: dixisti, *Disposui testamentum electis meis.* Quod testamentum, nisi novum? Quod testamentum, nisi quo renovamur ad novam hæreditatem? Quod testamentum, nisi cujus hæreditatis desiderio et amore cantamus canticum novum? *Disposui,* inquit, *testamentum electis meis. Juravi David servo meo.* Quam securus loquitur iste, qui intelligit, cujus os servit veritati? Quoniam dixisti, securus loquor. Si securum me facis, quia dixisti; quanto securiorem, quia jurasti? Dei quippe juratio, promissionis est confirmatio. Bene prohibetur homo jurare (*Matth.* V, 34); ne consuetudine jurandi, quia potest homo falli, etiam in perjurium prolabatur. Deus solus securus jurat, quia falli non potest.

5. [*vers.* 5.] Videamus ergo quid juraverit Deus. *Juravi,* inquit, *David servo meo: usque in æternum præparabo semen tuum.* Semen David quod est, nisi semen Abrahæ? Quod autem semen Abrahæ? *Et semini,* inquit, *tuo, quod est Christus* (*Galat.* III, 16). Sed forte ille Christus caput Ecclesiæ, salvator corporis (*Ephes.* V, 23), semen est Abrahæ, et ideo David; nos autem non sumus semen Abrahæ? Imo vero sumus, sicut Apostolus ait: *Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes* (*Galat.* III, 29). Sic ergo hic accipiamus, fratres, *Usque in æternum præparabo semen tuum;* non tantum illam carnem Christi natam ex virgine Maria, sed etiam nos omnes credentes in Christum: illius enim capitis membra sumus. Non potest hoc corpus decollari: si in æternum caput, in æternum gloriantur et membra, ut sit ille Christus integer in æternum. *Usque in æternum præparabo semen tuum; et ædificabo in generationem et generationem sedem tuam.* Putamus, hoc dixit, *in æternum,* quod *in generationem et generationem;* quoniam et supra dixerat, *In generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.* Quid est *in generationem et generationem?* In omnem generationem. Non enim toties repetendum erat verbum, quoties generatio venit et transit. Ergo multiplicatio generationum in repetitione significata et commendata est. An forte duæ generationes sunt intelligendæ, sicut nostis, sicut jam insinuatum vestræ Charitati retinetis? Est enim generatio nunc carnis, et sanguinis; erit generatio futura in resurrectione mortuorum. Prædicatur hic Christus; prædicabitur ibi: sed hic prædicatur, ut credatur; ibi prædicabitur, ut videatur. *Ædificabo in generationem et generationem sedem tuam.* Nunc Christus habet in nobis sedem, ædificata est sedes ejus in nobis: nisi enim sederet in nobis, non nos regeret; si autem ab illo non regeremur, a nobis ipsis præcipitaremur. Sedet ergo in

[1] Edd., *hoc granum.* Abest, *hoc,* a melioribus Mss.

[1] Edd., *Dixisti, intellexisti: hoc totum dixisti.* At Mss., *intelligitis;* quidam, *intelligimus:* nec aliud vult intelligi, nisi quod præmissum verbum in ℣. 3, *dixisti,* spectet istos etiam subsequentes versus.

nobis, regnans in nobis : sedet etiam in alia generatione, quæ fuerit ex resurrectione mortuorum. In æternum Christus regnabit in sanctis suis. Hoc promisit Deus, hoc dixit Deus : si parum est, hoc juravit Deus. Quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio; nemo debet cum trepidatione prædicare, unde non potest dubitare. Fiat ergo in cordibus nostris robur illud, unde Æthan nomen accepit, Robustus corde : prædicemus veritatem Dei, eloquium Dei, promissa Dei, jurationem Dei; et his modis omni ex parte firmati prædicemus, et portando Deum, cœli simus.

6. [*vers.* 6.] *Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine.* Non merita sua confitebuntur cœli, sed *confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine.* In omni enim misericordia perditorum, in justificatione impiorum, quid laudamus nisi mirabilia Dei? Laudas quia resurrexerunt mortui; plus lauda quia redempti sunt perditi. Quæ gratia, quæ misericordia Dei! Vides hominem heri voraginem ebriositatis, hodie ornamentum sobrietatis : vides hominem heri cœnum luxuriæ, hodie decus temperantiæ : vides hominem heri blasphematorem Dei, hodie laudatorem Dei : vides hominem heri servum creaturæ, hodie cultorem Creatoris. Ab istis omnibus desperationibus ita homines convertuntur : non respiciant ad merita sua; fiant cœli, confiteantur cœli mirabilia ejus a quo facti sunt cœli. *Quoniam videbo*, inquit, *cœlos, opera digitorum tuorum* (*Psal.* VIII, 4). *Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine.* Et ut noveritis qui cœli confitebuntur, videte ubi confiteantur : sequitur enim, *Et veritatem tuam in ecclesia sanctorum.* De cœlis ergo nulla dubitatio est, quoniam intelliguntur prædicatores verbi veritatis. Et ubi confitebuntur cœli mirabilia tua et veritatem tuam? *In ecclesia sanctorum.* Excipiat Ecclesia rorem cœlorum; sitienti terræ pluant cœli, et germinet excipiens pluviam germina bona, opera bona : ne pro bona pluvia det spinas, et pro horreo exspectet ignem. *Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine, et veritatem tuam in ecclesia sanctorum.* Cœli ergo confitebuntur mirabilia tua et veritatem tuam. Totum quidquid prædicant cœli, ex te est, de te est; et ideo securi prædicant : norunt enim quem prædicant, quia non possunt de prædicato erubescere.

7. [*vers.* 7.] Quid prædicant cœli? quid confitebuntur in ecclesia sanctorum? *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino?* Hoccine cœli confitebuntur, hoc cœli pluent? Quid? *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino?* Inde securi prædicatores, quoniam nemo in nubibus æquabitur Domino. Magna laus vobis videtur, fratres, non æquari nubes Creatori. Si intelligatur sine mysterio ad litteram, non magna laus est, Domino non æquari nubes. Quid enim? stellæ quæ sunt supra nubes æquantur Domino? Quid enim? sol, luna, Angeli, cœli, vel comparari poterunt Domino? Quid est quod pro magno ait, *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino?* Intelligimus, fratres, nubes istas sicut cœlos, prædicatores esse veritatis; Prophetas, Apostolos, annuntiatores verbi Dei. Nam ista omnia genera prædicatorum nubes esse dictas, ex illa prophetia intelligimus, ubi Deus iratus vineæ suæ dixit, *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem :* quam vineam explicat et designat apertissime, dicens, *Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est* (*Isai.* v, 6, 7). Ne tu aliter intelligas vineam, et relictis hominibus [1] significatis terram scruteris : *Vinea*, inquit, *Domini Sabaoth, domus Israel est.* Non intelligat aliud, se intelligat domus Israel esse vineam meam; se intelligat mihi non dedisse uvam, sed spinas; se intelligat ingratam exstitisse plantatori atque cultori, ingratam exstitisse irrigatori. Ergo si *vinea Domini Sabaoth, domus Israel est*, quid dixit iratus? *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem.* Et revera ita fecit : missi sunt Apostoli tanquam nubes, ut pluerent Judæis; et illi verbum Dei repellentes quia pro uva spinas dederunt, dixerunt Apostoli, *Ad vos missi eramus; sed quia repulistis verbum Dei, imus ad Gentes* (*Act.* XIII, 46). Ex illo cœperunt nubes non pluere pluviam super vineam illam. Si igitur nubes sunt prædicatores veritatis, quæramus primo quare sint nubes. Iidem quippe cœli, iidem nubes : cœli propter fulgorem veritatis, nubes propter occulta carnis : nubes enim omnes nebulosæ sunt, propter mortalitatem; et veniunt, et transeunt. Propter ipsa occulta carnis, id est, occulta nubium, ait Apostolus : *Nolite ante tempus quidquam judicare, donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum* (I *Cor.* IV, 5). Nunc ergo quid loquatur homo, vides; quid gestet in corde, non vides : quod exprimitur de nube, vides; quod servatur in nube, non vides. Cujus enim oculi nubem penetrant? Ergo nubes in carne prædicatores veritatis. Venit et ipse omnium Creator in carne. Sed *quis in nubibus æquabitur Domino? Quis ergo in nubibus æquabitur Domino? et quis similis erit Domino in filiis Dei?* Ergo nemo in filiis Dei similis erit Filio Dei. Et ipse dictus est Filius Dei, et nos dicti sumus filii Dei; sed *quis similis erit Domino in filiis Dei?* Ille unicus, nos multi; ille unus, nos in illo unum; ille natus, nos adoptati; ille ab æterno Filius genitus per naturam, nos a tempore facti per gratiam; ille sine ullo peccato, nos per illum liberati a peccato. *Quis ergo in nubibus æquabitur Domino? aut quis similis erit Domino in filiis Dei?* Dicimur nubes propter carnem, et sumus prædicatores veritatis propter imbrem nubium; sed caro nostra aliter venit, caro illius aliter. Dicimur et filii Dei, sed ille aliter Filius Dei. Illius nubes ex virgine, ille Filius ex æternitate, Patri æqualis. *Quis ergo in nubibus æquabitur Domino? aut quis similis erit Domino in filiis Dei?* Dicat ipse Dominus utrum similem inveniat. *Quem me dicunt homines esse filium hominis?* Ecce enim quia videor, quia conspicior, quia inter vos ambulo, et fortasse præsentia vilui; dicite *quem me dicunt homines esse filium hominis?* Certe quia filium hominis vident, nubem vident : dicant, vel dicite

[1] Sic potiores Mss. At Edd., *omnibus*.

quem me dicunt homines esse. Et responderunt dicta hominum: *Alii dicunt Jeremiam, alii Eliam, alii Joannem Baptistam, aut unum ex Prophetis.* Nominatæ sunt multæ nubes et filii Dei. Etenim quia justi et sancti, utique et ipsi filii Dei: Jeremias, Elias, Joannes, filii Dei; et nubes, quia prædicatores Dei. Dixistis quas nubes me homines esse putent, et in quibus filiis Dei me homines numerent: dicite et vos *quem me dicitis esse.* Respondens Petrus pro omnibus, pro unitate unus: « Tu es, » inquit, « Christus Filius Dei vivi (*Matth.* XVI, 13-16). Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? aut quis similis erit Domino inter filios Dei? Tu es Christus Filius Dei vivi; » non quomodo filii Dei qui tibi non æquantur: venisti in carne; sed [1] non quomodo nubes quæ tibi non æquantur.

8. [*vers.* 8.] Quis enim tu, cui respondetur, *Tu es Christus Filius Dei vivi;* quem putaverunt alii homines non sancti, non justi, unum ex Prophetis, aut Eliam, aut Jeremiam, aut Joannem Baptistam: quis ergo tu? Audi quod sequitur: « Deus glorificandus in consilio justorum. Quis » ergo « in nubibus æquabitur Domino? aut quis similis erit Domino in filiis Dei, quando ille Deus » est « glorificandus in consilio justorum?» Quoniam non possunt æquales illi esse; consilium ipsorum sit credere in illum: quoniam non possunt æquales illi esse nubes et filii Dei; restat consilium humanæ fragilitati, ut qui gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31). *Deus glorificandus in consilio justorum: magnus et terribilis in omnes qui in circuitu ejus sunt.* Ubique Deus. Qui ergo in circuitu ejus sunt, qui ubique est? Si enim habet aliquos in circuitu, quasi undique finitus intelligitur. Porro si verum dictum est Deo et de Deo, *Magnitudinis ejus non est finis* (*Psal.* CXLIV, 3); qui remanent, qui sunt in circuitu ejus, nisi quia ille qui ubique est, voluit per carnem in uno loco nasci, in una gente conversari, in uno loco crucifigi, ex uno loco resurgere, ex uno loco in cœlum ascendere? Ubi hoc fecit, in circuitu ejus Gentes sunt. Si ibi remaneret ubi ista fecit, non esset *magnus et terribilis in omnes qui in circuitu ejus sunt:* quia vero ibi sic prædicavit, ut inde sui nominis mitteret prædicatores per omnes Gentes toto orbe terrarum; faciendo miracula per servos suos, factus est *magnus et terribilis in omnes qui in circuitu ejus sunt.*

9. [*vers.* 9, 10.] *Domine Deus virtutum, quis similis tibi? Potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.* Magna potentia tua; tu fecisti cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt: sed plus est misericordia tua, quæ exhibuit veritatem tuam in circuitu tuo. Si enim ibi solum prædicareris, ubi nasci, ubi pati, ubi resurgere, unde ascendere voluisti; impleta esset illa veritas promissi Dei, *ad confirmandas promissiones patrum:* sed non impleretur, *Gentes autem super misericordia glorificare Deum* (*Rom.* XV, 8 *et* 9), nisi illa veritas expanderetur, et ab illo loco ubi apparere voluisti, in circuitu diffunderetur. Tu quidem in illo loco de nube propria intonuisti, sed ad rigandum in circuitu Gentium alias nubes misisti. Vere potens implesti quod dixisti, *Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli* (*Matth.* XXVI, 64). *Potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.*

10. Sed cum cœpit veritas tua in circuitu prædicari, utique fremuerunt Gentes, et populi meditati sunt inania; astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus (*Psal.* II, 1, 2). Utique cum cœpisset veritas tua prædicari in circuitu tuo, tanquam venires ad ducendam conjugem ex alienigenis, occurrit leo fremens, et suffocatus est a te. Hoc enim præfiguratum est in Samson (*Judic.* XIV, 5, 6): et illis [1] verbis meis, sine nomine illius dictis, non acclamaretis, nisi agnosceretis; audistis enim, ut illi qui soletis compluі a nubibus Dei. Ergo *veritas tua in circuitu tuo.* Sed quando sine persecutionibus, quando sine contradictionibus, cum dictum sit eum natum in signum cui contradicetur (*Luc.* II, 34)? Quia ergo illa gens, ubi nasci, ubi conversari voluisti, tanquam terra erat separata a fluctibus Gentium, ut appareret arida compluenda, reliquæ autem Gentes mare erant in amaritudine sterilitatis suæ; quid faciunt prædicatores tui spargentes veritatem tuam in circuitu tuo, quoniam fremunt fluctus maris? quid faciunt? *Tu dominaris potestati maris.* Nam quid fecit mare sæviendo, nisi diem quem hodie celebramus? Martyres occidit, semina sanguinis sparsit, seges Ecclesiæ pullulavit. Securæ ergo pergant nubes; diffundant veritatem tuam in circuitu tuo, non timeant rabidos fluctus: *Tu dominaris potestati maris.* Movetur quidem mare, contradicit mare, perstrepit mare; sed fidelis Deus, qui non vos sinat tentari supra id quod potestis (I *Cor.* X, 13). Quia ergo fidelis est qui non vos sinit tentari supra id quod potestis: *Motum autem fluctuum ejus tu mitigas.*

11. [*vers.* 11.] Denique ut placaretur mare, imo ut enervaretur rabies maris, quid in ipso mari fecisti? *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum.* Est quidam superbus draco in mari, de quo alia Scriptura dicit, *Mandabo draconi ibi ut mordeat eum* (*Amos* IX, 3); est draco de quo dicitur, *Draco hic quem finxisti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII, 26): cujus caput contundit super aquam. *Tu*, inquit, *humiliasti sicut vulneratum superbum.* Humiliasti te, et humiliatus est superbus. Superbus enim per superbiam superbos tenebat: humiliatus est magnus, credens autem in eum factus est parvus. Dum nutritur parvus exemplo magni facti parvi, perdidit quod tenebat diabolus; quia superbus nonnisi superbos tenebat. Dato tanto humilitatis exemplo, didicerunt homines damnare superbiam suam, imitari humilitatem Dei. Ita ergo ille perdendo quos tenebat, etiam ipse humiliatus est; non correctus, sed prostratus. *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum.* Humiliatus es, et humiliasti; vulneratus es, et vulnerasti: neque enim eum non vulneraret sanguis tuus, qui fusus est ut deleret chirographum peccato-

[1] Ita Er. Ven. et Lov. Deest, *sed*, in B. M.

[1] Sic aliquot Mss. Alii cum Edd., *illius.*

rum. Unde enim superbiebat, nisi quia cautionem contra nos tenebat? Hanc tu cautionem, hoc chirographum tuo sanguine delevisti (*Coloss.* II, 14) : illum ergo vulnerasti, cui tot abstulisti. Vulneratum enim intelligas diabolum, non penetrata carne, quam non habet; sed percusso corde, ubi superbus est. *Et in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.*

12. [*vers.* 12, 13.] *Tui sunt cœli, et tua est terra.* A te pluunt, super tuam pluunt [1]. *Tui sunt cœli*, per quos prædicata est veritas in circuitu tuo : *tua est terra*, quæ excepit veritatem in circuitu tuo. Denique quid de illa pluvia factum est? *Orbem terrarum et plenitudinem ejus tu fundasti; aquilonem et maria tu creasti.* Non enim aliquid contra te valet, contra Creatorem suum. Et malitia quidem sua, per suæ voluntatis perversitatem sævire potest mundus; numquid tamen excedit modum positum a Creatore, qui fecit omnia? Quid ergo timeo aquilonem? quid timeo maria? Est quidem in aquilone diabolus, qui dixit, *Ponam sedem meam in aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV, 13, 14); sed humiliasti sicut vulneratum superbum. Ergo quod in illis tu fecisti, plus valet ad dominationem tuam, quam illorum voluntas ad malitiam suam. *Aquilonem et maria tu creasti.*

13. *Thabor et Hermon* [2] *in nomine tuo exsultabunt.* Montes isti intelliguntur, sed aliquid significant. *Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt.* Thabor interpretari dicitur Veniens lumen. Sed unde venit lumen de quo dictum est, *Vos estis lumen mundi* (*Matth.* V, 14); nisi ab illo de quo dictum est, *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9)? Illud ergo lumen quod est lumen mundi, ab illo lumine venit quod non aliunde accenditur, ut timendum sit ne exstinguatur. Ergo venit lumen ab illo, lucerna illa quæ non ponitur sub modio, sed super candelabrum, veniens lumen Thabor. Hermon autem interpretatur Anathema ejus. Merito venit lumen et factum est anathema ejus. Cujus, nisi diaboli, vulnerati, superbi? Ut ergo illuminaremur, abs te datum est; ut anathema nobis esset qui nos in suo errore et superbia detinebat, a te nobis est. Ergo *Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt*: non in meritis suis, sed *in nomine tuo*. Dicent enim isti, *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*; propter mare sæviens : *ne forte dicant Gentes, Ubi est Deus eorum* (*Psal.* CXIII *secund.* 1, 2)?

14. [*vers.* 14.] *Tuum brachium cum potentia.* Nemo sibi aliquid arroget. *Tuum brachium cum potentia* : a te facti sumus, a te defensi sumus. *Tuum brachium cum potentia; confirmetur manus tua, et exaltetur dextera tua.*

15. [*vers.* 15.] *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ.* Apparebit in fine justitia tua et judicium tuum : nunc occulta sunt ista. Et de judicio tuo dicitur in alio psalmo, *Pro occultis filii* (*Psal.* IX, 1). Erit manifestatio judicii tui et justitiæ tuæ. Ponentur quidam ad dexteram, et quidam ad sinistram (*Matth.* XXV, 33): et expavescent infideles, cum viderint quod modo deridentes non credunt; gaudebunt justi, cum viderint quod modo non videntes credunt. *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ* : utique in die judicii. Nunc ergo quid? *Misericordia et veritas præcunt ante faciem tuam.* Præparationem sedis tuæ, justitiam tuam et judicium tuum venturum timerem, nisi antecederet te misericordia et veritas tua : quid timeam in fine judicia tua, quando præcedente misericordia tua deles peccata mea, et exhibendo veritatem imples promissa tua? *Misericordia et veritas præcunt ante faciem tuam.* Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10).

16. [*vers.* 16, 17.] In his omnibus non exsultabimus? aut quod exsultamus capiemus? aut verba sufficient lætitiæ nostræ? aut lingua idonea erit explicare gaudium nostrum? Si ergo nulla verba sufficiunt; *Beatus populus sciens jubilationem.* O beate popule! putas, intelligis jubilationem? Nullo modo beatus es, nisi intelligas jubilationem. Quid est, intelligas jubilationem? Scias unde gaudeas quod verbis explicare non possis. Gaudium enim tuum non de te, ut qui gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31). Noli ergo exsultare in superbia tua, sed in gratia Dei. Vide ipsam gratiam tantam esse, cui lingua explicandæ non sit idonea, et intellexisti jubilationem.

17. Denique si intellexisti in gratia jubilationem, ipsius gratiæ audi commendationem. *Beatus* certo *populus sciens jubilationem.* Quam jubilationem? Vide si non de gratia, vide si non de Deo, et omnino non de te. *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt.* Thabor ille, Veniens lumen, nisi in lumine vultus tui ambulet, vento superbiæ lucerna exstinguitur. *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt; et in nomine tuo exsultabunt tota die.* Thabor ille et Hermon *in nomine tuo exsultabunt* : si volunt *tota die*, in nomine tuo; sin autem exsultabunt in nomine suo, non tota die exsultabunt. Non enim in gaudio perseverabunt, quando de seipsis gaudebunt, et per superbiam cadent. Ergo ut tota die exsultent, *in nomine tuo exsultabunt; et in tua justitia exaltabuntur.* Non in sua justitia, sed *in tua* : ne sint zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam. Quidam enim notantur ab Apostolo, quod zelum Dei habeant, sed non secundum scientiam; *ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere*, et non in lumine tuo exsultantes, *justitiæ Dei non sunt subjecti.* Sed unde? Quia *zelum Dei habent, sed non secundum scientiam* (*Rom.* X, 2 *et* 3). Populus autem sciens jubilationem (illi enim non secundum scientiam; beatus autem populus non nesciens, sed sciens jubilationem), unde debet jubilare, unde debet exsultare, nisi in nomine tuo, ambulans in lumine vultus tui? Et exaltari quidem merebitur, sed in tua justitia : auferat de medio justitiam suam, et humilietur; veniet Dei justitia, et exaltabitur. *Et in tua justitia exaltabuntur.*

18. [*vers.* 18.] *Quoniam gloria virtutis eorum tu es, et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum* : quia tibi beneplacuit, non quia nos digni sumus.

[1] Sic Mss. At Edd., *pluant, super terram pluant*

[2] Quidam Mss. hic et infra, *Hermonim*: et nonnulli, *Hermonim*.

19. [*vers.* 19.] *Quoniam Domini est susceptio.* Nam ego ut cumulus arenæ impulsus sum, ut caderem; et cecidissem, nisi Dominus suscepisset me. *Quoniam Domini est susceptio; et sancti Israel regis nostri.* Ipse susceptio, ipse te illuminat : in ejus lumine tutus es, in ejus lumine ambulas, justitia ejus exaltaris [1]. Ipse te suscepit, infirmitatem tuam ipse custodit; ipse te facit robustum de se, non de te.

20. [*vers.* 20.] *Tunc locutus es in aspectu filiis tuis, et dixisti. Locutus es in aspectu tuo*, revelasti hoc Prophetis tuis. Ideo locutus es eis in aspectu, id est, in revelatione : unde Prophetæ Videntes dicebantur (I *Reg.* IX, 9). Viderunt quiddam intus quod dicerent foris; et in occulto audierunt quod palam prædicaverunt. *Tunc locutus es in aspectu filiis tuis, et dixisti, Posui adjutorium super potentem.* Intelligitis quem potentem. *Exaltavi electum de populo meo.* Intelligitis quem electum; quem jam gaudetis exaltatum.

21. [*vers.* 21.] *Inveni David servum meum* : istum [2] David ex semine David. *In oleo sancto meo unxi eum* : de illo enim dicitur, *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8).

22. [*vers.* 22.] *Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum* : secundum quod susceptio hominis facta est, secundum quod caro in utero virginis assumpta est (*Luc.* I, 31), secundum quod ab illo qui in forma Dei æqualis est Patri, forma servi suscepta est, et factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II, 6-8).

23. [*vers.* 23.] *Non proficiet inimicus in eo.* Sævit quidem inimicus, sed non proficiet in eo : solet quidem nocere, sed non nocebit. Quid est ergo quod affliget? Exercebit, non nocebit : proderit sæviendo, quia in quos sævit, coronabuntur vincendo. Quid enim vincitur, si nihil contra nos sævit? aut ubi adjutor noster Deus, si nos non dimicamus? Inimicus ergo faciet quod suum est; sed *non proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei.*

24. [*vers.* 24.] *Et concidam inimicos ejus a facie illius.* Conciduntur a conspiratione sua, et quod credunt conciduntur. Paulatim enim credunt; tanquam comminuto capite vituli, venient in potum populi Dei. Comminuit enim caput vituli Moyses, sparsit in aqua, et dedit bibere filiis Israel (*Exod.* XXXII, 20). Comminuuntur omnes infideles, credunt paulatim; et a populo Dei bibuntur, in corpus Christi trajiciuntur. *Et concidam inimicos ejus a facie illius; et eos qui oderunt eum, fugabo* : ne noceant. Sed fugatorum istorum forte aliqui dicunt : *Quo ibo a spiritu tuo? et a facie tua quo fugiam* (*Psal.* CXXXVIII, 7)? Et videntes non se habere quo fugiant ab Omnipotente, conversi fugiunt ad Omnipotentem. *Et eos qui oderunt eum, fugabo.*

25. [*vers.* 25.] *Et veritas mea et misericordia mea cum ipso est.* Universæ viæ Domini misericordia et veritas. Mementote, quantum potestis, quam sæpe nobis commendentur duo hæc, ut reddamus illa Deo. Sicut enim ipse exhibuit nobis misericordiam, ut deleret peccata nostra; et veritatem, ut impleret promissa sua : sic et nos ambulantes in via ejus, debemus ei reddere misericordiam et veritatem; misericordiam, ut miserorum misereamur; veritatem, ut non inique judicemus. Non tibi tollat veritas misericordiam, nec misericordia impediat veritatem : si enim per misericordiam judicaveris contra veritatem, aut quasi rigida veritate oblitus fueris misericordiam; non ambulabis in via Dei, ubi misericordia et veritas occurrerunt sibi (*Psal.* LXXXIV, 11). *Et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.* Quid opus est ut immoremur? Christiani estis, Christum agnoscite.

26. [*vers.* 26.] *Et ponam in mari manum ejus* : hoc est, dominabitur Gentibus. *Et in fluminibus dexteram ejus.* Flumina currunt in mare; cupidi homines in amaritudinem hujus sæculi prolabuntur : omnia tamen genera ista Christo subdita erunt.

27. [*vers.* 27, 28.] *Ipse invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus et susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam eum, excelsum apud reges terræ.* Martyres nostri, quorum natalitia celebramus, sanguinem suum propter hæc credita et nondum visa fuderunt : quanto fortiores nos esse debemus, videndo [1] quod illi crediderunt? Excelsum enim apud reges terræ illi nondum viderant Christum; adhuc principes conveniebant in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus : nondum impletum erat quod in ipso psalmo sequitur, *Et nunc, reges, intelligite; erudimini omnes qui judicatis terram* (*Psal.* II, 2, 10). Jam ergo factus est Christus excelsus apud reges terræ.

28. [*vers.* 29.] *In æternum servabo ei misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi.* Propter ipsum, fidele testamentum; in ipso mediatum est testamentum; ipse mediator testamenti, ipse signator testamenti, ipse fidejussor testamenti, ipse testis testamenti, ipse hæreditas testamenti, ipse cohæres testamenti.

29. [*vers.* 30.] *Et ponam in sæculum sæculi semen ejus.* Non tantum in hoc sæculo, sed *in sæculum sæculi*; quo transibit utique semen ejus, quæ est hæreditas ejus, semen Abrahæ quod est Christus. Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis (*Galat.* III, 16 *et* 29) : et si in æternum accepturi hæreditatem, ponet *in sæculum sæculi semen ejus. Et thronum ejus sicut dies cœli.* Throni regum terrenorum sicut dies terræ. Alii sunt dies cœli, alii sunt dies terræ. Dies cœli anni sunt illi de quibus dicitur : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28). Dies terræ succedentibus urgentur, præcedentes excluduntur, nec qui succedunt manent; sed veniunt ut eant, et pene antequam veniant eunt. Ita sunt dies terræ. Dies autem cœli et illi anni non deficientes, nec initium habent nec terminum; nec ullus ibi dies angustatur inter hesternum et crastinum : nemo ibi exspectat futurum, nemo ibi perdit præteritum; sed dies cœli semper præsentes sunt, ubi erit thronus ejus in æternum. Quod restat, si placet, servemus; quoniam longus est Psalmus, et adhuc vobiscum aliquid in nomine Christi acturi su-

[1] Mss., *exsultas.*
[2] Sic plerique Mss. Edd. vero, *justum.*

[1] Edd., *videndo per quod*, etc. Abest, *per*, a Mss.

mus. Reficite ergo vires; non dico animi vestri, nam video quod animo infatigabiles estis : sed propter servos animæ [1], ut durent in ministerio corpora vestra, aliquantulum reficimini, et refecti ad cibos redite.

SERMO II (a).
De secunda parte Psalmi.

1. Ad reliqua psalmi de quo in matutino locuti sumus, animum intendite, et pium debitum exigite; eo reddituro per nos, qui fecit et nos et vos. Dominus Christus in superioribus Psalmi ex promisso Dei annuntiabatur, et adhuc in his etiam verbis quæ tractaturi sumus, ipse annuntiatur. De illo enim inter cætera paulo superius dictum erat : *Et ego primogenitum ponam eum, excelsum apud reges terræ. In æternum servabo illi misericordiam meam, et testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, et thronum ejus sicut dies cœli.* De his et de omnibus supra ab ipso exordio, quæ potuimus, diximus.

2. [*vers.* 31-35.] Sequitur autem, « Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint; si justificationes meas profanaverint, et mandata mea non custodierint : visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis delicta eorum. Misericordiam vero meam non dispergam ab eo, neque nocebo [2] in veritate mea : neque profanabo testamentum meum; et quæ procedunt de labiis meis, non reprobabo. » Magnum firmamentum promissionis Dei. Filii hujus David, filii sunt sponsi : omnes ergo Christiani, filii ejus dicuntur. Multum est autem quod promittit Deus, quia *Si* Christiani, hoc est, *filii ejus dereliquerint*, inquit, *legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint; si justificationes meas profanaverint, et mandata mea non custodierint;* non contemnam eos, neque in perditione dimittam eos : sed quid faciam? *Visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis delicta eorum.* Non ergo tantum misericordia vocantis est, sed et verberantis et flagellantis. Sit [3] itaque manus paterna super te, et si filius bonus es, noli repellere disciplinam : quis est enim filius, cui non dat disciplinam pater ejus? Det disciplinam, dum non auferat misericordiam; cædat contumacem, dum tamen reddat hæreditatem. Tu si promissa patris bene agnovisti, non timeas flagellari, sed exhæredari : quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 5-7). Peccator filius dedignatur flagellari, cum sine peccato videat Unicum flagellatum? *Visitabo* ergo, ait, *in virga iniquitates eorum.* Sic et Apostolus comminatur : *Quid vultis? in virga veniam ad vos* (I *Cor.* IV, 21)? Absit ut dicerent pii filii, Si cum virga venturus es, noli venire. Melius est enim erudiri in virga patris, quam in blandimento perire prædonis.

3. *Visitabo*, inquit, *in virga iniquitates eorum, et in flagellis delicta eorum. Misericordiam vero meam non dispergam ab eo.* A quo? Ab illo scilicet David cui talia promisi, quem unxi in oleo sancto meo præ participibus suis (*Psal.* XLIV, 8). Agnoscitis eum a quo non disperget Deus misericordiam suam? Ne quis forte sollicitus dicat, Quandoquidem Christum dicit, a quo se misericordiam suam non dispersurum esse confirmat, quid ergo peccator? Numquid enim hoc dixit, Misericordiam autem meam non dispergam ab eis? *Visitabo*, inquit, *in virga iniquitates eorum, et in flagellis delicta eorum.* Exspectabas ad securitatem tuam, *Misericordiam vero meam non dispergam ab* eis. Et quidem hoc nonnulli codices habent, sed emendatiores non habent : tamen et qui hoc habent, nihil ab re habent. Quomodo enim a Christo misericordiam suam non dispergit? Numquid ipse Salvator corporis vel in terra vel in cœlo peccavit; qui sedet ad dexteram ejus, et interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34)? A Christo tamen : sed a membris ejus, a corpore ejus quod est Ecclesia. Sic enim pro magno dicit quod ab illo non dispergat misericordiam suam, quasi non agnoscimus [1] unigenitum Filium qui est in sinu Patris : non enim pro persona sua ibi computatur homo, sed una persona est Deus et homo. Ergo ab eo non dispergit misericordiam suam, cum a membris ejus, cum a corpore ejus non dispergit misericordiam suam, in quo et ipse in terra persecutiones patiebatur, cum jam sederet in cœlo; et de cœlo clamabat, *Saule, Saule*, non, Quid persequeris servos meos; non, Quid persequeris sanctos meos; non, Quid persequeris discipulos meos : sed, *Quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Sicut ergo, cum eum sedentem in cœlo nemo persequeretur, clamavit, *Quid me persequeris?* cum caput membra sua cognosceret, et a compage corporis sui caput charitas non separaret : sic, cum misericordiam suam non dispergit ab eo, a nobis utique non dispergit, qui sumus membra ejus et corpus ejus. Nec ideo tamen debemus securi peccare, et perverse nobis polliceri quoniam quidquid fecerimus, non perimus. Sunt enim quædam peccata et quædam iniquitates de quibus quidem disserere atque definire aut impossibile nobis est, aut, si jam esset possibile, certe tempori longum esset. Nemo enim potest dicere esse se sine peccato; quia si dixerit, mentietur : *Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8). Ergo unusquisque pro peccatis suis necessario flagellatur; sed ab eo, si christianus est, Dei misericordia non dispergitur. Plane si in tantas ieris iniquitates, ut repellas a te virgam verberantis, si repellas manum flagellantis, et de disciplina Dei indigneris, et fugias a Patre cædente, et nolis eum patrem pati, quia non parcit peccanti; tu te alienasti [2] ab hæreditate, ipse te non abjecit : nam si maneres flagellatus, non remaneres exhæredatus. *Misericordiam vero*, inquit,

[1] Tres Mss., *sensus animæ :* et paulo post, *et refecti a cibo redite.* Regius Ms., *a cibis :* atque idem codex aliique plures addunt : *Conversi ad Dominum.*

[2] Edd. hoc tantum loco addebant, *eis*, vel, *eos :* quod a plerisque Mss. et a LXX abest. — Paulo supra, pro, *ab eo*, in B, *ab eis*, subjecta nota in hunc modum : « Forte legendum, *ab eo*, quam lectionem postea explicando præfert, et vulgarem fuisse significat. » M.

[3] Aliquot Mss., *si.*

(a) Habitus eodem die cum superiori sermone.

[1] Sic Mss. Edd. vero, *agnoscamus :* ac paulo post habebant, *comparatur homo;* ubi ex nonnullis optimæ notæ Mss. reponimus, *computatur.*

[2] Ferrar. Ms., *alienas.*

meum non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Ad hoc enim non dispergetur misericordia liberantis, ne noceat veritas vindicantis.

4. *Neque profanabo testamentum meum; et quæ procedunt de labiis meis non reprobabo.* Non quia filii ejus peccant, ideo ego mendax inveniar: promisi, facio. Pone quia volunt illi etiam cum desperatione peccare, et sic ire omnino in peccata, ut offendant oculos Patris, et exhæredari mereantur; nonne ipse est Deus de quo dictum est: *De lapidibus istis suscitabit filios Abrahæ* (*Matth.* III, 9)? Itaque dico vobis, fratres: multi christiani tolerabiliter peccant, multi flagello a peccato corriguntur, et emendantur, et sanantur; multi omnino aversi, dura cervice obnitentes adversus disciplinam Patris, et ipsam omnino Dei paternitatem [1] recusantes, habentes tamen signum Christi, eunt in tales iniquitates, ut non possit nisi recitari contra eos, *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (*Galat.* V, 21). Non tamen propter hos remanebit Christus sine hæreditate: non propter paleam etiam frumenta interibunt (*Matth.* III, 12); non propter pisces malos nihil ex illa sagena mittetur in vascula (*Id.* XIII, 47, 48). Novit Dominus qui sunt ejus (II *Tim.* II, 19). Securus enim promisit, qui nos antequam essemus prædestinavit: *Quos autem prædestinavit, illos et vocavit; quos autem vocavit, illos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.* Peccent quantum volent desperati: respondeant membra Christi, *Si Deus pro nobis, quis contra nos* (*Rom.* VIII, 29-31)? Non ergo nocebit Deus in veritate sua, nec profanabit testamentum suum. Manet immobile testamentum ejus, quia ipse sibi præsciens prædestinavit hæredes: et quæ procedunt de labiis ejus, non reprobabit.

5. [*vers.* 36-38.] Audi ad confirmationem tuam, audi ad securitatem tuam, si te in membris Christi esse cognoscis. *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar.* Exspectas ut iterum juret Deus? Quoties juraturus est, si semel jurando mentitur? Unam jurationem pro vita nostra habuit, qui pro nobis ad mortem Unicum suum misit. *Semel juravi in sancto meo, si David mentiar: semen ejus in æternum manebit.* In æternum manet semen ejus; quia novit Dominus qui sunt ejus. *Et sedes ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum; et testis in cœlo fidelis.* Sedes ejus, quibus dominatur, in quibus sedet, in quibus regnat. Si sedes ejus, et membra ejus; quia etiam membra nostra sedes sunt capitis nostri. Videte quemadmodum cætera omnia membra nostra caput portent: caput autem ipsum super se non portat aliquid, sed ipsum portatur a cæteris membris nostris, quasi totum corpus hominis sedes sit capitis. Sedes ergo ejus, omnes in quibus regnat Deus, sic erunt, inquit, in conspectu meo sicut sol: quia justi fulgebunt in regno Patris mei [2] sicut sol (*Matth.* XIII, 43). Sed sol spiritualiter; non corporaliter, sicut lucet iste de cœlo, quem facit oriri super bonos et malos (*Matth.* V, 45). Denique iste sol in conspectu est non solum hominum, verum etiam pecorum minutissimarumque muscarum: quod enim quorumlibet vilissimorum animalium non videt solem istum? At vero de illo sole quid ait proprie? *Sicut sol in conspectu meo.* Non in conspectu hominum, non in conspectu carnis, non in conspectu mortalium animalium, sed *in conspectu meo. Et sicut luna*: sed quæ luna? *Perfecta in æternum.* Etenim, etsi perficitur luna ista quam novimus, alio die incipit minui, posteaquam perfecta fuerit. *Sicut luna*, inquit, *perfecta in æternum:* sic perficietur sedes ejus tanquam luna; sed luna in æternum perfecta. Si sol, quare et luna? Per lunam solent significare Scripturæ mortalitatem carnis hujus, propter augmenta et decrementa, propter transitoriam speciem. Denique et Jericho Luna interpretatur: et utique quidam qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, incidit in latrones (*Luc.* X, 30); descendebat enim ab immortalitate ad mortalitatem. Similis est ergo caro ista lunæ, quæ omni tempore et omni mense patitur augmenta et decrementa: sed erit caro ista nostra in resurrectione perfecta; *et testis in cœlo fidelis.* Itaque si in solo animo perficeremur, tantummodo soli nos compararet; rursus, si in solo corpore perficeremur, tantummodo lunæ nos compararet: sed quia perficiet nos Deus et in animo et in corpore, secundum animum dictum est, *sicut sol in conspectu meo*; quia animum non videt nisi Deus: *et sicut luna*, jam caro; *perfecta in æternum*, in resurrectione mortuorum: *et testis in cœlo fidelis;* quia vera dicebantur omnia de resurrectione mortuorum. Obsecro vos, audite hoc iterum planius, et mementote: scio enim quosdam intellexisse, alios vero fortassis quid dixerim adhuc inquirere. In nulla re sic contradicitur fidei christianæ, quam in resurrectione carnis. Denique ille qui natus est in signum cui contradicitur (*Id.* II, 34), et ipsam carnem suam resuscitavit, ut obviam iret contradictori; et qui posset membra sua sic sanare, ut ea vulnerata fuisse non appareret, cicatrices servavit in corpore, ut vulnus dubitationis sanaret in corde. In nulla ergo re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe et contentiose contradicitur fidei christianæ, sicut de carnis resurrectione. Nam de animi immortalitate multi etiam philosophi Gentium multa disputaverunt, et immortalem esse animum humanum pluribus et multiplicibus libris conscriptum memoriæ reliquerunt: cum ventum fuerit ad resurrectionem carnis, non titubant, sed apertissime contradicunt, et contradictio eorum talis est, ut dicant fieri non posse ut caro ista terrena possit in cœlum ascendere. Ideo luna ista perfecta in æternum, et adversus omnes contradictores testis in cœlo fidelis.

6. [*vers.* 39-46.] Hæc de Christo promissa sunt, quam certa, quam firma, quam aperta, quam indubitata. Nam, etsi quædam sunt tecta mysteriis, quædam tamen sic manifesta, ut ex ipsis facillime aperiantur obscura. Hæc cum ita sint, videte quid sequitur: « Tu vero repulisti, et ad nihilum deduxisti,

[1] Sic Mss. At Edd., *hæreditatem.*
[2] Corb. Ms., *sui.*

distulisti Christum tuum. Evertisti testamentum servi tui; profanasti in terra sanctitatem ejus. Destruxisti omnes macerias ejus; posuisti munitiones ejus formidinem. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam; factus est opprobrium vicinis suis. Exaltasti dexteram inimicorum ejus; jucundasti omnes inimicos ejus. Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es opitulatus ei in bello. Dissolvisti eum ab emundatione: sedem ejus in terram collisisti[1]. Minuisti dies sedis ejus; perfudisti eum confusione. » Quid est hoc? Illa omnia promisisti; tu vero ista contraria fecisti. Ubi sunt promissiones ad quas paulo ante gaudebamus, de quibus tam alacriter plaudebamus, de quibus securi gratulabamur? Quasi alius promiserit, alius everterit. Quod mirandum est, non alius; sed, *Tu vero*, tu qui promittebas, tu qui confirmabas, tu qui propter dubitationem humanam etiam jurabas, illa promisisti, et ista fecisti. Ubi tenebo jusjurandum tuum, ubi inveniam promissum tuum? Quid est hoc? ita vero falsum promitteret Deus, aut falsum juraret? Quare ergo illa promisit, et ista fecit? Ego dico quia ista fecit, ut promissa firmaret. Sed quis ego qui hoc dico? Videamus si hoc veritas dicit; tunc non erit inane quod dico. David positus erat cui promitterentur hæc omnia in semine ejus, quod est Christus, implenda. Propter promissa ergo quæ dicta sunt ad David, exspectabant homines ea impleri in David. Proinde, ne quisquam christianus cum diceret, De Christo dixit; alius diceret, Non, sed de illo David dixit; et erraret, cum videret impleta omnia esse in David: destruxit ea in David, ut cum vides ea in illo non impleta, quæ necesse est impleri, quæras alterum in quo ostendantur impleri. Ita etiam de Esau et Jacob, invenimus majorem adoratum a minore, cum scriptum sit, *Major serviet minori* (*Gen.* XXV, 23); ut cum in illis duobus præcedentibus videris non impletum, exspectes duos populos, in quibus impleatur quod non mendax Deus polliceri dignatur. *Ecce ex semine tuo*, dixit David, *ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI, 11). Promisit ex semine ejus in æternum aliquid; et natus Salomon, factus est tantæ sapientiæ, ut promissio Dei de semine David in illo putaretur impleta: sed cecidit Salomon, et dedit locum sperando Christo; ut quoniam Deus nec falli posset, nec fallere, quem sciebat casurum, non in eo poneret promissum suum, sed post casum ejus respiceres tu Deum, et flagitares promissum. Ergo, Domine, mentitus es? Non imples quod promisisti? non exhibes quod jurasti? Forte hic dicturus tibi erat Deus: Juravi quidem et promisi, sed iste noluit perseverare. Quid ergo? tu, Domine Deus, non præsciebas istum non perseveraturum? Utique sciebas. Quare ergo in non perseveraturo mihi quod æternum esset promittebas? Nonne tu dixisti: *Si dereliquerint legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, et mandata mea non custodierint, et testamentum meum profanaverint;* manebit tamen promissio mea, implebitur juratio mea? *Semel juravi in sancto meo*, intus in secreto quodam, in ipso fonte unde Prophetæ biberunt, qui nobis hæc ructaverunt: *Semel*, inquit, *juravi, si David mentiar.* Exhibe ergo quod jurasti, redde quod promisisti. Sublatum est de isto David, ne exspectaretur in isto David. Exspecta ergo quod promisi[1].

7. Novit illud et ipse David. Vide enim quid dicat: *Tu vero repulisti, et ad nihilum deduxisti.* Ergo ubi est quod promisisti? *Distulisti Christum tuum.* Quamvis tristitia quædam enumeret, in hoc tamen verbo reficit nos: manet omnino, Deus, quod promisisti; nam Christum tuum non abstulisti, sed *distulisti.* Huic ergo David, in quo sperabant ignari promissa sua Deum completurum, videte quid accidit, ut promissa Dei firmius in alio sperata compleantur: *Distulisti Christum tuum: evertisti testamentum servi tui.* Ubi est enim testamentum vetus Judæorum? ubi est terra illa promissionis, in qua habitantes peccarunt, qua deleta migrarunt? Regnum Judæorum quæris, non est: altare Judæorum quæris, non est: sacrificium Judæorum quæris, non est: sacerdotium Judæorum quæris, non est. *Evertisti testamentum servi tui; profanasti in terra sanctitatem ejus.* Sancta illa quæ habebant, terrena esse ostendisti. *Destruxisti omnes macerias ejus*, quibus eum munieras: quando enim diriperetur, nisi maceriæ dirutæ fuissent? *Posuisti munitiones ejus formidinem.* Quid est, *formidinem?* Ut dicatur peccantibus, *Si Deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parcet* (*Rom.* XI, 21). *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam:* omnes scilicet Gentes, per *viam*, hoc est, per vitam istam transeuntes diripuerunt Israel, diripuerunt David. Primum videte frusta ejus in omnibus gentibus: de ipsis enim dictum est, *Partes vulpium erunt* (*Psal.* LXII, 11). Reges quippe impios vulpes appellavit Scriptura, dolosos et timidos quos terret virtus aliena. Ideo ipse Dominus cum de Herode comminante loqueretur: *Dicite*, inquit, *vulpi illi* (*Luc.* XIII, 32). Rex qui neminem hominum timet, ipse vulpes non est: leo ille de tribu Juda, cui dicitur, *Ascendisti recumbens, dormisti sicut leo* (*Gen.* XLIX, 9). Potestate ascendisti, potestate dormisti; quia voluisti, dormisti[2]. Ideo in alio psalmo dicit, *Ego dormivi.* Nonne plena erat sententia[3], *Dormivi, et somnum cœpi: et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me* (*Psal.* III, 6)? quare additum est, *Ego?* Et cum magno pondere pronuntiandum est[3], *Ego*; *Ego dormivi.* Illi sævierunt, illi persecuti sunt, sed si noluissem, non dormissem. *Ego dormivi.* Ergo de quibus dictum erat, *Partes vulpium erunt;* de his nunc dictum est, *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam; factus est opprobrium vicinis suis. Exaltasti dexteram inimicorum ejus; jucundasti omnes inimicos ejus.* Advertite Judæos, et videte omnia impleta quæ prædicta sunt. *Avertisti adjutorium gladii ejus.* Quomodo solebant pauci dimicare, multos prosternere? *Avertisti adjutorium gladii ejus,*

[1] Sic Mss. juxta LXX. At Edd., *et sedem ejus in terra collisisti.*

[1] Sic Mss. Edd. vero, *promisit.*
[2] Hic addunt Edd., *quia voluisti, ascendisti:* quod a Mss. abest.
[3] Sic Mss. Edd. vero, *pronuntiatum est.*

et non es opitulatus ei in bello. Merito victus, merito captus, merito a regno suo alienatus, merito dispersus: eam enim terram perdidit, pro qua Dominum occidit. *Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es opitulatus ei in bello. Dissolvisti eum ab emundatione.* Quid est hoc? Inter omnia mala magnus hic terror. Quantumcumque enim cædat Deus, quantumlibet irascatur, quantumlibet verberet, flagellet; ligatum tamen flagellet, quem mundet, non dissolvat ab emundatione: si enim dissolvit ab emundatione; jam non habet mundandum, sed projiciendum. A qua ergo emundatione dissolvitur Judæus? A fide. Ex fide enim vivimus (*Galat.* III, 11); et de fide dictum est, *Fide mundans corda eorum* (*Act.* XV, 9): et quia sola fides Christi mundat, non credendo in Christum soluti sunt ab emundatione. *Dissolvisti eum ab emundatione; sedem ejus in terram collisisti:* merito et fregisti. *Minuisti dies sedis ejus:* putabant se in æternum regnaturos[1]. *Perfudisti eum confusione.* Hæc omnia evenerunt Judæis, non tamen ablato Christo, sed dilato.

8. [*vers.* 47.] Videamus ergo utrum impleat Deus promissa sua. Post hæc dura quæ commemoravit evenisse illi populo et illi regno, ne ibi putaretur Deus implevisse quod promiserat, et[2] non daret alterum regnum in Christo, cujus regni non erit finis; alloquitur eum Propheta, et dicit: *Quousque, Domine, averteris in finem?* Forte enim non in finem et ab ipsis; quia cæcitas ex parte Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret (*Rom.* XI, 25). Interea tamen, *Exardescet sicut ignis ira tua*

9. [*vers.* 48, 49.] *Memento quæ est substantia mea.* David iste dicit positus in carne in Judæis, positus in spe in Christo, *Memento quæ est substantia mea.* Non enim quia Judæi defecerunt, defecit substantia mea. Etenim de illo populo virgo Maria, de virgine Maria caro Christi; et caro illa non peccatrix; sed peccatorum mundatrix: ibi est, inquit, substantia mea. *Memento quæ est substantia mea.* Non enim omnino interiit radix; veniet semen cui promissum est, dispositum per Angelos in manu Mediatoris (*Galat.* III, 19). *Memento quæ est substantia mea: non enim vane constituisti omnes filios hominum.* Ecce omnes filii hominum ierunt in vanitatem; tu tamen non vane illos constituisti. Cum ergo ierunt omnes in vanitatem, quos tu non vane constituisti; unde eos mundares a vanitate, numquid nihil tibi servasti? Illud quod tibi servasti unde mundares homines a vanitate, sanctus ille tuus, in eo substantia mea. Ex illo enim mundantur omnes, quos non frustra constituisti a propria vanitate: quibus dicitur, *Filii hominum quousque graves corde? utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* Forte solliciti facti converterentur a vanitate, invenirent se vanitate inquinatos, quærerent unde mundarentur; succurre, fac securos. *Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum* (*Psal.* IV, 3, 4). Sanctum suum admirabilem fecit; inde omnes a vanitate mundavit: ibi est, inquit, substantia mea, memento ejus. *Non enim vane constituisti omnes filios hominum.* Ergo servasti aliquid unde mundarentur. Quis est iste quem servasti? *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem?* Ergo ille homo qui vivet et non videbit mortem, ipse mundat a vanitate. Non enim in vanitate constituit omnes filios hominum, aut potest illos contemnere qui fecit illos, ut[1] non eos converteret et non mundaret.

10. *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem?* Surgens enim a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9). Denique cum in alio psalmo scriptum legatur, *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XV, 10), assumit hoc testimonium apostolica disciplina, et ita in Actibus Apostolorum contra infideles disputat, dicens: *Viri fratres, scimus quia David patriarcha mortuus est, et caro ejus vidit corruptionem;* non ergo de illo dictum est, *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Act.* II, 27-31). Si ergo non de illo dictum est, de quo dictum est, *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem?* Sed forte nullus est. Imo, *Quis est,* ut quæras dictum est, non ut desperes. Sed forte est aliquis homo *qui vivet et non videbit mortem;* non tamen de Christo dixit, qui mortuus est? Nullus omnino homo est qui *vivet et non videbit mortem,* nisi qui jam pro mortalibus mortuus est. Nam ut scias quia de illo dixit, vide quid sequitur. *Quis est homo qui vivet et non videbit mortem?* Ergo nunquam fuit in morte? Fuit. Quomodo ergo *vivet et non videbit mortem? Eruet animam suam de manibus inferni.* Ecce vere solus, omnino singulariter solus *vivet et non videbit mortem; eruet animam suam de manibus inferni:* quia etsi cæteri fideles ejus resurgent a mortuis, et vivent et ipsi in æternum, et non videbunt mortem; non tamen animam suam ipsi eruent de manibus inferni. Ille qui eruit animam suam de manibus inferni, ipse eruit animas fidelium suorum; ipsi se eruere non possunt. Proba quia ipse animam suam eruit. *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit eam a me;* quia *ego dormivi* (*Psal.* III, 6): sed *ipse eam pono a me, et iterum sumo eam* (*Joan.* X, 17, 18), quia ipse est qui eruit animam suam de manibus inferni.

11. [*vers.* 50.] Sed et in ipsa fide Christi laboratum est aliquantum, et diu dixerunt Gentes frementes, *Quando morietur, et peribit nomen ejus* (*Psal.* XL, 6)? Propter hos ergo jam in Christum credentes, sed aliquandiu laboraturos, sequitur et dicit: *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine?* Jam agnovimus Christum mundatorem, jam tenemus in quo comples promissa; exhibe in illo quod promisisti. Ipse est qui vivet et non videbit mortem, ipse est qui eruit animam suam de manibus inferni: et nos tamen adhuc laboramus. Dixerunt ista martyres, quorum natalitia celebramus. Ipse vivet et non videbit mortem, ipse eruit animam suam de manibus inferni; et nos

[1] In Edd. repetebatur hic: *Minuisti dies sedis ejus:* sed abest a Mss.
[2] Forte, *ut.*

[1] Mss. omittunt particulam, *ut.*

propter te mortificamur tota die, deputati sumus velut oves occisionis (*Psal.* XLIII, 22) : *Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, quas jurasti David in veritate tua?*

12. [*vers.* 51.] *Memento, Domine, opprobrii, servorum tuorum.* Jam illo vivente, jam in cœlo ad dexteram Patris sedente, opprobria objecta sunt Christianis : crimen de Christo Christiani diu habuerunt. Vidua illa pariens, et habens filios abundantiores quam illa quæ habebat virum (*Isai.* LIV, 1; *Galat.* IV, 27), audivit ignominias, audivit opprobria : sed Ecclesia multiplicata, extendens in dexteram atque sinistram, ignominiæ viduitatis suæ jam non est memor. *Memento, Domine,* apud quem est abundantia suavitatis memoriæ tuæ; *Memento*, noli oblivisci. Quid, *Memento? Memento opprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo multarum gentium.* Ibam, inquit, prædicare, et opprobria audiebam, et in sinu meo continebam; quia implebam, *Blasphemamur, rogamus; quasi purgamenta mundi facti sumus, omnium peripsema* (I *Cor.* IV, 13). Diu continuerunt Christiani opprobria in sinu suo, in corde suo; nec audebant resistere conviciantibus : antea cum crimen videretur respondere pagano, nunc jam crimen est remanere paganum. Gratias Domino; memor fuit opprobriorum nostrorum : exaltavit cornu Christi sui, fecit admirabilem apud reges terræ. Jam modo nemo insultat Christianis, aut si insultat, non publice insultat : sic loquitur [1], ut plus timeat audiri, quam velit credi. *Quod continui in sinu meo multarum gentium.*

13. [*vers.* 52.] *Quod exprobraverunt inimici tui, Domine :* et Judæi et Pagani. *Quod exprobraverunt :* quid exprobraverunt? *Commutationem Christi tui.* Hoc exprobraverunt, *commutationem Christi tui :* hoc enim objecerunt, quia mortuus est Christus, quia crucifixus est Christus. Quid objicitis insani? Quamvis jam nemo est qui objiciat; tamen si qui reliqui remanserunt, quid objicitis quia mortuus est Christus? Ille non perimebatur, sed commutabatur. Mortuus dicitur propter triduum. Ecce quid exprobraverunt inimici tui : non amissionem, non perditionem : sed plane *commutationem Christi tui.* Mutatus est ille a temporali vita ad æternam, mutatus est a Judæis ad Gentes, mutatus est etiam a terra in cœlum. Eant nunc vani inimici tui, et adhuc exprobrent *commutationem Christi tui.* Utinam et ipsi mutentur; commutationem Christi non exprobrabunt. Sed displicet Christi mutatio, quia ipsi mutari nolunt : neque enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum (*Psal.* LIV, 20). *Quod exprobraverunt inimici tui, commutationem Christi tui.*

14. [*vers.* 53.] Exprobraverunt illi commutationem : tu autem quid? *Benedictio Domini* [2] *in æternum : fiat, fiat.* Gratias misericordiæ ipsius; gratias gratiæ ipsius [3] Nos enim gratias agimus; non damus, nec reddimus, nec referimus, nec rependimus : gratias [1] verbis agimus, re tenemus. Ipse nos gratis salvos fecit, ipse impietates nostras non [2] attendit; ipse nos non eum quærentes quæsivit, invenit, redemit, liberavit a dominatu diaboli et potestate dæmoniorum : alligavit nos fide mundandos, unde solvit illos inimicos qui non credunt, et ideo mundari non possunt. Dicant qui remanserunt quotidie quidquid volunt, in dies singulos minus minusque remanebunt : objiciant, irrideant, exprobrent, non interitum, sed *commutationem Christi tui.* Non vident quia cum ista dicunt, deficiunt aut [3] credendo, aut moriendo? Illorum enim maledictio temporalis est; *benedictio* autem *Domini in æternum.* Et ad confirmandam benedictionem, ne quis timeat : *fiat, fiat.* Ista subscriptio est cautionis Dei. Securi ergo de promissionibus ejus, præterita credamus, præsentia cognoscamus, futura speremus. Non nos avertat inimicus a via, ut qui colligit nos tanquam pullos suos sub alis suis, foveat nos; ne aberremus ab alis ejus, ne accipiter aereus rapiat implumes adhuc pullos. Non enim de se debet sperare christianus : si vult esse firmus, vapore materno nutriatur. Illa est enim gallina colligens pullos suos, de qua improperatur illi civitati infideli Jerusalem : « Quoties volui colligere filios tuos tanquam gallina pullos suos sub alas suas, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta » (*Matth.* XXIII, 37 *et* 38). Hinc dictum est, *Posuisti munitiones ejus formidinem.* Quia ergo illi noluerunt contegi sub alis gallinæ hujus, et tale exemplum dederunt, quo timere debeamus a volaticis spiritibus immundis, quærentibus quotidie quod rapiant; intremus sub alas gallinæ hujus divinæ Sapientiæ, quoniam propter pullos suos infirmata est usque ad mortem. Amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam ejus : illum sicut patrem, istam sicut matrem; illum sicut dominum, hanc sicut ancillam ejus; quia filii ancillæ ipsius sumus. Sed matrimonium hoc magna charitate compaginatur : nemo offendit unum, et promeretur alterum. Nemo dicat, Ad idola quidem vado, arreptitios et sortilegos consulo : sed tamen Dei Ecclesiam non relinquo; catholicus sum. Tenens matrem, offendisti patrem. Alius item dicit, Absit a me; non consulo sortilegum, non quæro arreptitium, non quæro divinationes sacrilegas, non eo ad adoranda dæmonia, non servio lapidibus : sed tamen in parte Donati sum. Quid tibi prodest non offensus Pater, qui offensam vindicat matrem? quid prodest si Dominum confiteris, Deum honoras, ipsum prædicas, Filium ejus agnoscis, sedentem ad Patris dexteram confiteris; et blasphemas Ecclesiam ejus? Non te corrigunt exempla humani conjugii? Si haberes aliquem patronum, cui quotidie obsequereris, cujus limina serviendo contereres,

[1] Edd., *sic loquitur mala.* Abest, *mala*, a melioribus Mss.
[2] Lov. hoc tantum loco : *Benedictus Dominus.* Er.: *Benedictionem autem Domini.* At melioris notæ Mss. constanter : *Benedictio Domini.*
[3] Sic plerique Mss. At Edd.: *Quid dicam aliud, quam gratias gratiæ ipsius?*

[1] Sic optimæ notæ Mss. Alii, *nec rependimus gratias, sed tantum verbis agimus*, etc. At editio Lov., *nec rependimus gratiam : si tantum verbis agimus;* et mox loco, *re tenemus*, habet cum Er., *retribuimus.*
[2] Particula, *non*, deerat in Edd., nec reperta hic est nisi in Regio Ms.
[3] Edd., *aut non credendo.* Particula, *non*, abest a Mss. et abesse debet.

quem quotidie, non dico salutares, sed et adorares, cui impenderes fidelia obsequia; si unum crimen de ejus conjuge diceres, numquid domum ejus intrares? Tenete ergo, charissimi, tenete omnes unanimiter Deum patrem, et matrem Ecclesiam. Natalitia sanctorum cum sobrietate celebrate, ut imitemur eos qui præcesserunt et gaudeant de vobis qui orant pro vobis; ut [1] *benedictio Domini in æternum* maneat super vos: *fiat, fiat.*

IN PSALMUM LXXXIX

ENARRATIO.

1. [*vers.* 1.] *Oratio Moysi hominis Dei*, psalmus iste prænotatur: per quem hominem suum Deus Legem dedit populo suo, quem per eumdem hominem suum de domo servitutis liberans, quadraginta annos per eremum duxit. Fuit ergo Moyses minister Testamenti Veteris, et propheta Testamenti Novi. *Omnia* quippe *illa in figura contingebant in illis*, sicut ait Apostolus: *scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos finis sæculorum obvenit* (I *Cor.* x, 11). Secundum hanc ergo dispensationem quæ facta est per Moysen, inspiciendus est iste psalmus, qui ex ejus oratione titulum accepit.

2. *Domine*, inquit, *refugium factus es nobis in generatione et generatione:* sive in omni generatione, sive in duabus generationibus, vetere et nova; quia, sicut dixi, minister fuit ille Testamenti pertinentis ad generationem veterem, et Propheta Testamenti pertinentis ad generationem novam. Cujus Testamenti sponsor, sponsusque conjugii quod de illa generatione sortitus est, ait ipse Jesus: *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan.* v, 46). Non enim credendum est ab ipso omnino Moyse istum psalmum fuisse conscriptum, qui ullis ejus litteris inditus non est, in quibus ejus cantica scripta sunt: sed alicujus significationis gratia tam magni meriti servi Dei nomen adhibitum est, ex quo dirigeretur legentis vel audientis intentio. *Factus es* ergo *nobis*, inquit, *Domine, refugium in generatione et generatione.*

3. [*vers.* 2.] Quale autem refugium factus sit, quoniam scilicet nobis cœpit esse quod non erat, id est refugium, non autem ipse non erat antequam nobis esset refugium, secutus adjunxit: *Priusquam montes fierent, et formaretur terra et orbis terræ, et a sæculo* [2] *usque in sæculum tu es.* Tu ergo qui semper es, et antequam essemus, et antequam mundus esset, refugium ex quo ad te conversi sumus factus es nobis. Non mihi autem videtur utcumque intelligendum quod ait, *Priusquam montes fierent, et formaretur terra;* vel, sicut alii codices habent, quod de uno verbo græco expressum est, *fingeretur terra.* Montes quippe partes terræ sunt altiores: et utique si antequam formaretur terra Deus est, a quo terra formata est; quid magnum de montibus vel quibuslibet aliis ejus partibus dicitur, cum sit Deus non solum ante terram, sed et ante cœlum et terram, et ante omnem corporalem spiritualemque creaturam? Sed nimirum universa creatura rationalis hac differentia fortasse distincta est, ut montium nomine significentur celsitudines Angelorum, et terræ nomine humilitas hominum. Et ideo quamvis omnia quæ creata sunt, non incongrue vel facta vel formata dicantur; tamen si verborum istorum est ulla proprietas, facti sunt Angeli, qui cum in ejus cœlestibus enumerarentur operibus, ita enumeratio ipsa conclusa est, *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII, 5): unde autem homo secundum corpus fieret, terra formata est. Nam hoc verbo Scriptura utitur, ubi legimus, vel, *Finxit Deus;* vel, *Formavit Deus hominem de limo terræ* (*Gen.* II, 7). Ergo priusquam fierent ea quæ in creatura tua summa atque magna sunt; quid enim majus rationali cœlesti creatura? et priusquam fingeretur terra, ut esset qui te agnosceret et laudaret in terra: et hoc parum est, quia ista cœperunt, sive in tempore, sive cum tempore; sed *a sæculo et usque in sæculum tu es.* Quod convenientius diceretur, Ab æterno in æternum: non enim a sæculo Deus, qui est ante sæcula; aut usque in sæculum, cujus est finis, cum sit ille sine fine. Sed ex ambiguo verbo græco fit plerumque in Scripturis ut vel sæculum pro æterno, vel æternum pro sæculo ponat latinus interpres. Optime autem non ait, A sæculo tu fuisti, et usque in sæculum tu eris: sed præsentis significationis verbum posuit, insinuans Dei substantiam omni modo incommutabilem, ubi non est, Fuit, et Erit; sed tantum, Est. Unde dictum est; *Ego sum qui sum;* et, *Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III, 14); et, *Mutabis ea, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 27, *et* 28). Ecce quæ æternitas facta est nobis refugium, ut in ea mansuri, ad eam de hac temporis mutabilitate fugiamus.

4. [*vers.* 3.] Sed quoniam cum hic sumus, in magnis et multis tentationibus vivimus, quibus ne avertamur ab isto refugio metuendum est; intueamur quid consequenter oratio poscat hominis Dei. *Ne avertas hominem in humilitatem:* id est, ne a tuis æternis atque sublimibus homo aversus, temporalia concupiscat, sapiatque terrena. Et hoc a Deo petit quod Deus ipse præcepit; simili omnino sententia qua in oratione dicimus, *Ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* VI, 13). Denique et hic adjungit: *Et dixisti, Convertimini, filii hominum.* Tanquam diceret, Hoc a te peto quod ipse jussisti: dans ejus gratiæ gloriam, ut qui gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31); sine cujus adjutorio, per arbitrium voluntatis tentationes hujus vitæ superare non possumus. *Ne avertas*, inquit, *hominem in humilitatem:* et tamen tu *dixisti, Convertimini, filii hominum.* Sed da quod jussisti, precem petentis exaudiendo, et adjuvando volentis fidem.

5. [*vers.* 4.] *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit.* Ideo debemus ad refugium tuum, ubi sine ulla mutabilitate tu es, ab

[1] Corb. Ms., *et.*
[2] Aliquot Mss., *et a sæculo et usque*, etc.

illis prætereuntibus labentibusque converti; quoniam quantumlibet huic vitæ longum tempus optetur, *mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesternus est, qui præteriit;* non saltem tanquam dies crastinus, qui venturus est: ita omnia quæ temporis fine clauduntur, pro transactis habenda sunt. Unde et ea sibi Apostoli postposuit intentio, quæ retro sunt obliviscentis, ubi temporalia cuncta oportet intelligi; et in ea quæ ante sunt extenti (*Philipp.* III, 13), quæ appetitio est æternorum. Ne putarent autem aliqui mille annos sic computari apud Deum pro uno die, quasi tam longos dies Deus habeat, cum hoc ad contemnendam temporis longitudinem dictum sit: ideo addidit, *Et sicut vigilia in nocte;* cum vigiliæ [1] spatium non habeat amplius quam tres horas. Et tamen ausi sunt homines præsumere scientiam temporum; quod scire cupientibus discipulis Dominus ait, *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I, 7): et definierunt hoc sæculum sex annorum millibus, tanquam sex diebus posse finiri. Nec attenderunt quod dictum est, *tanquam dies unus, qui præteriit:* non enim, quando dictum est, soli mille anni præterierant. Et [2] eos maxime debuit admonere, ne temporum luderentur [3] incerto, quod est, *sicut vigilia in nocte:* neque enim, sicut de sex diebus aliquid verisimile videntur opinati, propter sex dies primos quibus Deus perfecit opera sua; sic etiam sex vigilias; id est horas decem et octo, possunt illi opinationi coaptare.

6. [*vers.* 5, 6.] Deinde iste homo Dei, vel potius propheticus spiritus, velut Dei legem in secreta ejus sapientia conscriptam, ubi vitæ mortalium peccatrici constituit procurrendi modum ac mortalitatis ærumnam, videtur quodam modo recitare, cum dicit, *Quæ pro nihilo habentur, anni erunt eorum. Mane sicut herba transeat, mane floreat, et prætereat; vespere decidat, durescat, et arescat.* Felicitas ergo hæredum Veteris Testamenti, quam pro magno bono expetiverunt a Domino Deo suo, hanc legem accipere meruit in occulta ejus providentia, quam videtur recitare Moyses: *Quæ pro nihilo habentur, anni erunt eorum.* Pro nihilo enim habentur, quæ antequam veniant, adhuc non sunt; cum venerint, jam non erunt: non enim ut adsint veniunt, sed ut non sint. *Mane,* id est prius, *sicut herba transeat, mane floreat, et prætereat; vespere,* id est, postea, *decidat, durescat, et arescat. Decidat,* utique in morte; *durescat,* in cadavere; *arescat* in pulvere. Quæ, nisi caro, ubi est concupiscentia damnata carnalium? Omnis enim caro fenum, et claritas hominis ut flos feni: fenum aruit, flos decidit; verbum autem Domini manet in æternum (*Isai.* XL, 6, 8).

7. [*vers.* 7.] Hanc autem pœnam de peccato venisse non tacens, continuo subjecit: *Quoniam defecimus in ira tua, et in indignatione tua conturbati sumus. Defecimus,* in infirmitate; *conturbati sumus,* mortis timore. Infirmi enim facti sumus, et infirmitatem finire trepidamus. *Alter te,* inquit, *cinget, et feret quo tu non vis* (*Joan.* XXI, 18); quamvis martyrio non puniendum, sed coronandum [1]: et ipsius Domini anima nos in se transfigurans, tristis erat usque ad mortem (*Matth.* XXVI, 38); quoniam et Domini exitus nonnisi mortis (*Psal.* LXVII, 21).

8. [*vers.* 8.] *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo:* id est, non ab eis dissimulasti. *Sæculum nostrum in illuminatione vultus tui:* subauditur, *posuisti. In illuminatione* autem *vultus tui* dixit, quod superius, *in conspectu tuo,* et *sæculum nostrum,* quod superius, *iniquitates nostras.*

9. [*vers.* 9, 10.] *Quoniam omnes dies nostri defecerunt, et in ira tua defecimus.* Satis in his verbis ostenditur pœnalis esse ista mortalitas. Defecisse dies dicit, sive quod in eis deficiant homines amando quæ transeunt, sive quod ad paucitatem redacti sint; quod videtur in consequentibus aperire, cum dicit: « Anni nostri sicut aranea meditabantur [2]. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni: si autem in potentatibus octoginta anni, et amplius eorum labor et dolor. » Hæc quidem verba videntur exprimere brevitatem miseriamque vitæ hujus; quia longævi appellantur hoc tempore etiam qui septuaginta annos vixerunt. Usque ad octoginta autem videntur aliquas vires habere: his vero amplius si vixerint, multiplicatis labore doloribus vivunt. Sed multi et intra [3] septuaginta annos gerunt infirmissimam et ærumnosissimam senectutem, et sæpe ultra octoginta annos senes mirabiliter vigere probati sunt. Melius est ergo in his numeris spirituale aliquid perscrutari. Neque enim super filios Adam, per quem unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit (*Rom.* V, 12), major ira est Dei, quia multo brevius vivunt quam vixerunt antiqui; cum et vitæ ipsorum irrisa sit longitudo, ubi mille anni comparati sunt diei hesterno atque præterito, et horis tribus: et utique tunc multum vivebant, quando iram Dei provocaverunt usque ad diluvium quo perierunt.

10. Septuaginta porro anni et octoginta, fiunt centum quinquaginta; quem sacratum esse numerum satis insinuat liber iste Psalmorum. Hanc enim habent in significatione rationem centum quinquaginta, quam quindecim: qui numerus fit septem et octo conjunctis; quorum primus insinuat propter sabbati observationem Testamentum Vetus, secundus Testamentum Novum propter Domini resurrectionem. Hinc sunt in templo quindecim gradus; hinc sunt in Psalmis quindecim cantica graduum; hinc quindecim cubitis summos montes aqua diluvii superavit (*Gen.* VII, 20); et si quibus aliis locis sacratus commendatur hic numerus. Ergo, *Anni nostri,* inquit, *sicut aranea meditabantur.* In rebus corruptibilibus laboramus,

[1] Plerique Mss., *vigilia.*
[2] Er. Venet. Lov.: *Et quod eos.* M.
[3] Er. Venet., *clauderentur.* M.

[1] Sic aliquot Mss. Alii, *martyri non puniendo, sed coronando.* At Edd., *martyrio non puniendo, sed coronando.*
[2] Edd., *meditabuntur.* Legendum cum nonnullis Mss., *meditabantur,* juxta LXX, *emeletôn:* nam id postea explicat verbis non futuri temporis, sed præteriti imperfecti, *laborabamus, texebamus.*
[3] Reg. Ms. *ante.* Forte leg., *infra.*

corruptibilia opera texebamus : quæ nos, secundum Isaiam prophetam, minime contegebant (*Isai.* LIX, 6). *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni : si autem in potentatibus octoginta anni.* Aliud est *in ipsis*, aliud *in potentatibus*. *In ipsis*, hoc est in annis vel diebus ipsis quod datur intelligi in temporalibus rebus : ideo *septuaginta;* quia temporalia promitti videntur in Vetere Testamento. *Si autem*, non in ipsis annis, sed *in potentatibus*, id est, non in rebus temporalibus, sed in æternis, *octoginta anni;* quod Novum Testamentum in spe est renovationis et resurrectionis in æternum : *et amplius eorum labor et dolor;* id est, quisquis hanc fidem transgreditur, et amplius aliquid quærit, labores invenit et dolores. Potest et sic intelligi : Quia licet in Novo Testamento constituti simus, quod octogenarius significat numerus, amplius habet hæc vita nostra laborem et dolorem, dum in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes redemptionem corporis nostri : spe enim salvi facti sumus; et quod nondum videmus, per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 23-25). Et hoc ad misericordiam Dei pertinet : unde sequitur, et dicit, *Quoniam supervenit super nos mansuetudo, et corripiemur.* Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit (*Hebr.* XII, 6) : et dat etiam magnis quibusdam stimulum carnis, a quo colaphizentur, ne extollantur in magnitudine revelationum suarum, ut virtus in infirmitate perficiatur (II *Cor.* XII, 7, 9). Quidam sane codices non habent, *corripiemur;* sed *erudiemur*, quod ad eamdem mansuetudinem revocatur. Non enim potest erudiri quisquam sine labore et dolore; quia virtus in infirmitate perficitur.

11. [*vers.* 11, 12]. *Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Valde paucorum hominum est, inquit, nosse iræ tuæ potestatem; quia plerisque ita magis, cum parcis, irasceris, ut non ad iram, sed potius ad mansuetudinem tuam pertinere intelligatur labor et dolor, quo corripis erudisque quos diligis, ne pœnis excrucientur æternis : sicut enim legitur in alio psalmo, *Irritavit Dominum peccator; pro magnitudine iræ suæ non exquiret* (*Psal.* X, 4). *Quis ergo novit*, id est, quotusquisque reperitur qui noverit *potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Etiam hic subauditur, *quis novit.* Quam difficile invenitur qui noverit ita præ timore tuo dinumerare iram tuam, ut etiam hoc addat, et ad eam intelligat pertinere, quod nonnullis, quibus plus irasceris, parcere videaris, ut prosperetur peccator in via sua, et majora recipiat in novissimo? Potestas quippe humanæ iræ cum corpus occiderit, amplius non habet quid faciat; Deus vero habet potestatem et hic punire, et post corporis mortem mittere in gehennam (*Matth.* X, 28). Et a paucis eruditis major ejus ira intelligitur vana et seductoria felicitas impiorum. Hanc ille non noverat, cujus pene commoti sunt pedes, quia zelavit in peccatoribus, pacem peccatorum intuens : sed didicit eam, cum intraret in sanctuarium Dei, et intelligeret in novissima (*Psal.* LXXII, 2, 3, 17); quo pauci intrant, ut discant præ timore Dei dinumerare iram ejus, et prosperitatem hominum malorum numero applicare pœnarum.

12. *Dexteram tuam sic notam fac.* Hoc enim magis habent codices græci; non sicut quidam latini, *Dexteram tuam notam fac mihi.* Quid est ergo, *Dexteram tuam sic notam fac;* nisi Christum tuum, de quo dictum est, *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isai.* LIII, 1), sic notum fac, ut in eo discant fideles tui ea magis a te poscere et sperare præmia fidei quæ non apparent in Vetere Testamento, sed revelantur in Novo; ne arbitrentur pro magno habendam et cupiendam vel adamandam esse terrenorum ac temporalium bonorum felicitatem, et commoveantur pedes eorum, cum eam viderent et in eis qui te non colunt; et gressus eorum effundantur in lapsum, dum nesciunt dinumerare iram tuam? Denique secundum hanc orationem hominis sui, sic notum fecit Christum suum, ut suis passionibus demonstraret, non ea munera quæ videntur sonare in Vetere Testamento, ubi sunt umbræ futurorum, sed æterna esse concupiscenda. Potest in isto sensu etiam Dei dextera intelligi, in qua justos suos ab impiis segregabit : quia et ipsa bene sic innotescit, cum flagellat omnem filium quem recipit, nec in peccatis suis prosperari sinit plus irascendo, sed in mansuetudine, sinistra [1] flagellat, ut emendatum ad dexteram ponat (*Matth.* XXV, 32, 33). Et illud quod plerique codices habent, *Dexteram tuam notam fac mihi*, ad utrumque referri potest, sive ad Christum, sive ad æternam felicitatem : nam Deus ita non habet corporalis formæ dexteram, sicut nec iram commotionibus turbulentam.

13. Quod vero adjungit, *Et compeditos corde in sapientia :* alii codices non habent, *compeditos*, sed, *eruditos.* Verbum enim græcum ita in utraque significatione similiter sonat, ut una syllaba paululum differat. Sed cum illi erudiantur in sapientia, qui injiciunt, sicut scriptum est, *pedem in compedes ejus* (*Eccli.* VI, 25) (non utique pedem corporis, sed pedem cordis), et ejus velut aureis vinculis illigati a via Dei non exorbitant, nec fiunt ab illo fugitivi; quodlibet horum legatur, salva est sententia veritatis. Et ipsos enim *compeditos*, vel *eruditos corde in sapientia* sic notos Deus fecit in Novo Testamento, ut pro fide quam Judæorum et Gentilium detestabatur impietas, omnia contemnerent; et eis se privari paterentur, quæ magna putant promissa in Vetere Testamento qui carnaliter judicant.

14. [*vers.* 13.] Et quoniam cum sic noti fierent, ut illa contemnerent, et desiderandis æternis per suas passiones testimonium perhiberent (unde et testes dicti sunt; sic enim græce martyres appellantur), multa et multum mala et acerba temporalia pertulerunt; hoc attendit iste homo Dei, et spiritus propheticus per Moysi vocabulum figuratus, et ait : *Convertere, Domine; quousque? et deprecabilis esto super servos tuos.*

[1] Edd., *sinistram.* Aliquot Mss., *sinistrum :* et quidam, *sinistra.*

Vox est eorum, vel pro eis, qui multa, persequente isto sæculo, mala tolerantes, innotescunt compediti corde in sapientia, ut nec tantis malis coacti refugiant a Domino ad hujus sæculi bona. Secundum autem illud quod alibi scriptum est, *Quousque avertis faciem tuam a me* (*Psal.* XII, 1)? Etiam hoc dictum est, *Convertere, Domine; quousque?* Et ut sciant qui multum carnaliter [1] Deo tribuunt humani corporis formam, aversionem vultus ejus et conversionem non fieri motu simili motibus corporis nostri; in hoc eodem psalmo recolant superiora : *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Quomodo ergo hic dicit, *Convertere*, ut sit propitius, quasi faciem avertisset iratus; cum ibi sic insinuet iratum, ut non averterit faciem ab iniquitatibus et sæculo eorum quibus irasceretur, sed ea potius in conspectu suo et in illuminatione vultus sui posuerit? Quod autem dicitur, *quousque*, verbum est orantis justitiæ, non indignantis impatientiæ. Sane quod hic positum est, *deprecabilis esto;* alii verbum e verbo, *deprecare*, interpretati sunt. Sed qui ait, *deprecabilis esto*, vitavit ambiguum; quia deprecari commune verbum est: nam et ille deprecatur qui deprecationem fundit, et ille cui funditur; dicimus enim, Deprecor te, et, deprecor a te.

15. [*vers.* 14, 15.] Deinde illa bona quæ futura sunt, spe anticipans, et velut jam facta deputans : *Repleti sumus*, inquit, *mane misericordia tua.* Ergo in his velut nocturnis laboribus et doloribus prophetia nobis accensa est, sicut lucerna in obscuro loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus nostris (II *Petr.* I, 19). Beati enim mundi corde, quia ipsi Deum videbunt. Tunc replebuntur eo bono justi, quod nunc esuriunt et sitiunt (*Matth.* V, 8, 6), cum per fidem ambulantes peregrinantur a Domino (II *Cor.* V, 6). Unde et illud dicitur, *Replebis me lætitia cum vultu tuo* (*Psal.* XV, 11). Mane astabunt et contemplabuntur (*Psal.* V, 5); et, sicut alii dixerunt interpretes, *Satiati sumus mane misericordia tua*, tunc satiabuntur : sicut enim alibi ait, *Satiabor, dum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI, 15). Unde dicitur, *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis;* atque ipse Dominus ait, *Ostendam meipsum illi* (*Joan.* XIV, 8, 21) : quod donec fiat, nihil boni nobis sufficit; nec sufficere debet, ne desiderium nostrum in via remaneat, quod donec perveniat extendendum est. *Repleti sumus mane misericordia tua; et exsultavimus, et jucundati sumus* [2] *in omnibus diebus nostris.* Dies ille, dies est sine fine. Simul sunt illi omnes dies; ideo satiant. Non enim succedentibus cedunt, ubi non est aliquid quod non veniendo nondum sit, et veniendo jam non sit. Omnes simul sunt, quia unus est qui stat et non transit : ipsa est æternitas. Hi sunt dies de quibus dicitur : *Quis est homo qui vult vitam, et diligit videre dies bonos* (*Psal.* XXXIII, 13)? Hi dies et alio loco anni appellantur, ubi Deo dicitur : *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.* Non enim anni sunt qui pro nihilo habentur, aut dies sunt qui sicut umbra declinaverunt (*Psal.* CI, 28, 12) : sed dies sunt qui sunt, quorum numerum notum sibi fieri precabatur qui dicebat, *Notum fac mihi, Domine, finem meum* (quo perveniendo maneam, et nihil ulterius jam requiram), *et numerum dierum meorum qui est;* utique *qui est*, non qui non est. Quia dies isti, de quibus et illic consequenter dicit, *Ecce veteres posuisti dies meos* (*Psal.* XXXVIII, 5, 6), non sunt, quia non stant, non manent, celerrima mutabilitate transcurrunt; nec una hora in eis invenitur in qua ita simus, ut non alia pars ejus transierit, alia ventura sit, nulla stet ut sit. Illi autem anni et dies non deficiunt, in quibus nec nos deficiemus, sed sine defectu reficiemur. Exæstuet anima nostra illorum dierum desiderio, sitiat ardenter atque vehementer; ut illic repleamur, ibi satiemur, ibi dicamus quod hic prædicimus : *Satiati sumus mane misericordia tua; et exsultavimus, et jucundati sumus in omnibus diebus nostris. Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.*

16. [*vers.* 16.] Nunc autem in diebus adhuc malignis dicamus quod sequitur : *Et respice in servos tuos, et in opera tua.* Ipsi enim servi tui opera tua sunt, non solum ut homines sint, sed etiam ut sint servi tui, id est obedientes jussis tuis. Ipsius enim sumus figmentum, non solum in Adam, sed etiam creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus (*Ephes.* II, 10). Deus est enim qui operatur in nobis et velle et operari, pro bona voluntate (*Philipp.* II, 13). *Et dirige filios eorum :* ut sint recti corde, quibus bonus est Deus. Bonus enim Deus Israel, sed rectis corde. Non sicut ille cui commoti sunt pedes, quia pacem peccatorum intuenti displicere cœperat Deus, quasi ista nesciens, quasi ista non curans, et ab humani generis gubernatione [1] dissimulans (*Psal.* LXXII, 1-14).

17. [*vers.* 17.] *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos.* Unde dicitur, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV, 7). *Et opera manuum nostrarum dirige super nos :* ut non ea pro rerum terrenarum mercede faciamus; tunc enim non directa, sed curva sunt. Huc usque psalmum istum multi codices habent; sed in nonnullis legitur alius ultimus versus, *Et opus manuum nostrarum dirige.* Cui versui diligentes et docti prænotant stellam, quos asteriscos vocant, quibus significant ea quæ in hebræo vel aliis interpretibus græcis reperiuntur, in Septuaginta vero interpretatione non sunt. Quem versum si velimus exponere, id mihi videtur habere sententiæ, quod omnia bona opera nostra, unum opus est charitatis : plenitudo enim Legis charitas (*Rom.* XIII, 10). Nam superiore versu cum dixisset, *Et opera manuum nostrarum dirige super nos;* isto ultimo non *opera*, sed *opus* dixit *manuum nostrarum dirige :* tanquam ultimo versu volens ostendere ipsa opera unum opus esse, id est, ad unum opus dirigi. Tunc enim recta sunt opera, cum ad hunc unum finem diriguntur : finis enim præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona,

[1] Hic in Edd. additur, *sapientes;* quod a Mss. abest.
[2] Plures Mss., *delectati sumus.*

[1] Plerique Mss., *et ab humana generatione dissimulans.*

et fide non ficta (I *Tim.* I, 5). Opus ergo unum est, in quo sunt omnia, fides quæ per dilectionem operatur (*Galat.* V, 6): unde etiam Dominus in Evangelio dicit, *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit* (*Joan.* VI, 29). Cum ergo in isto psalmo, et vita vetus et vita nova, et vita mortalis et vita vitalis, et anni qui pro nihilo habentur et dies habentes plenitudinem misericordiæ veræque lætitiæ, id est, et pœna primi hominis et regnum secundi, satis aperteque distincta sint; ad hoc existimo hominis Dei Moysi nomen titulo ejus inscriptum, ut eis qui pie recteque scrutantur Scripturas, eo modo intimaretur etiam legem Dei, quæ per Moysen ministrata est, ubi pro bonis operibus sola vel pene sola præmia terrenorum bonorum Deus polliceri videtur, sine dubio habere sub velamento tale aliquid, quale iste psalmus ostendit. Sed cum quisque transierit ad Christum, auferetur velamen (II *Cor.* III, 16), et revelabuntur oculi ejus, ut consideret mirabilia de lege Dei; donante illo cui dicimus, *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Psal.* CXVIII, 18).

IN PSALMUM XC
ENARRATIO.
SERMO I.

1. Psalmus iste est de quo Dominum nostrum Jesum Christum diabolus tentare ausus est. Audiamus ergo, ut possimus instructi resistere tentatori, non præsumentes in nobis, sed in ipso qui prior tentatus est, ne nos in tentatione vinceremur. Illi enim tentatio non erat necessaria: tentatio Christi, nostra doctrina est. Si autem attendamus quid responderit diabolo, ut hoc et nos respondeamus, quando similiter tentat; intramus per januam, sicut audistis lectionem Evangelii. Quid est enim intrare per januam? Intrare per Christum. Ipse enim dixit, *Ego sum janua* (*Joan.* X, 7). Quid est autem intrare per Christum? Imitari vias Christi. In quo imitaturi sumus vias Christi? numquid in ea magnificentia qua Deus erat in carne? aut ad hoc nos exhortatur, aut hoc a nobis exigit, ut talia miracula, qualia fecit ipse, faciamus? Aut vero Dominus noster Jesus Christus non et modo et semper cum Patre totum mundum gubernat? Et numquid vel ad hoc vocat hominem faciens eum imitatorem suum, ut cum illo gubernet cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt; aut ut sit et ipse creator, per quem fiant omnia, sicut per Christum facta sunt omnia? Neque ad ista opera te invitat Deus salvator Dominus noster Jesus Christus, quæ fecit ab initio, de quibus scriptum est, *Omnia per ipsum facta sunt* (*Id.* I, 3), neque ad illa quæ fecit in terra. Non hoc tibi dicit, Non eris discipulus meus, nisi ambulaveris super mare (*Matth.* XIV, 25), aut nisi suscitaveris mortuum quatriduanum (*Joan.* XI, 38-44), aut nisi oculos cæci nati aperueris (*Id.* IX, 1-7). Nec hoc. Quid est ergo intrare per januam? *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Quod factus est propter te, hoc in eo debes attendere, ut imiteris. Miracula enim et nondum natus de Maria fecit: quis enim unquam fecit, nisi ipse de quo dictum est, *Qui facit mirabilia magna solus* (*Psal.* LXXI, 18)? In ipsius enim virtute, et antea qui fecerunt, potuerunt aliquid facere: in virtute Christi Elias mortuum suscitavit (III *Reg.* XVII, 22). Nisi forte major est Petrus quam Christus, quia Christus voce suscitavit ægrotantem (*Joan.* V, 5-9), Petrus autem cum transiret, umbra ipsius tangendi proferebantur ægroti (*Act.* V, 15). Potentior ergo Petrus quam Christus? Quis hoc dementissimus dixerit? Quare ergo tanta potentia in Petro? Quia Christus in Petro. Ideo dixit, *Omnes qui venerunt, fures sunt et latrones* (*Joan.* X, 8): id est, qui venerunt sua sponte, a me non sunt missi, qui venerunt sine me, in quibus ego non fui, quos ego non introduxi. Quotquot ergo miracula facta sunt, sive a præcedentibus, sive a consequentibus, idem ipse Dominus fecit, qui fecit et præsentia sua. Nec ad ipsa ergo miracula hortatur, quæ ipse fecit et antequam esset homo: sed quo te hortatur? Ut imiteris quod non posset, nisi factus homo. Tolerare enim passiones numquid posset, nisi homo? Mori et crucifigi et humiliari non posset, nisi homo. Sic [1] ergo et tu molestias hujus sæculi cum pateris, quas facit diabolus, sive aperte per homines, sive occulte sicut Job, sis fortis, sis tolerans [2]; habitans [3] in adjutorio Altissimi, sicut dicit iste psalmus: quia si recedas ab adjutorio Altissimi, te ipsum non valens adjuvare, cades.

2. Multi enim fortes sunt, quando ab hominibus patiuntur persecutionem, et vident eos aperte sævire in se; et putant quia tunc imitantur passiones Christi, si aperte eos homines persequantur: si autem occulta diaboli persecutione feriantur, putant se non coronari a Christo. Noli timere quando imitaris Christum. Nam et quando tentavit diabolus Dominum, nullus homo fuit in eremo, occulte illum tentavit; sed superatus est, et aperte sæviens superatus est (*Matth.* IV, 1 11). Sic et tu fac [4], si vis intrare per januam, quando occulte tentat inimicus, quando postulat hominem ut aliquid ei noceat per corporales molestias, per febres, per ægritudines, per aliquos labores corporis, sicut laboravit Job. Diabolum non videbat, sed potestatem Dei intelligebat. Noverat quia diabolus in eum nihil posset, nisi ab illo cujus summa potestas est, permitteretur: totam gloriam Deo dabat, potentiam diabolo non dabat. Nam et quando abstulit diabolus omnia, hoc dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Non dixit, Dominus dedit, diabolus abstulit: quia nihil abstulisset diabolus, nisi permisisset Dominus. Ideo autem permisit Dominus, ut homo probaretur, diabolus vinceretur. Et quando eum plaga percussit, ille permisit. Quia cum a capite usque ad pedes in putredine [5] vermium flueret, nec tunc tribuit diabolo aliquam potestatem Job: sed cum ei suggessisset uxor

[1] Sic nonnulli editi. In B., *si*. M.
[2] Duo Mss., *sicut Job fortissime toleras.*
[3] In B., *habitabis.* Er. Ven. et Lov. secuti sumus. M.
[4] In B. omittitur verbum, *fac*, quod ex Er. Ven. et Lov. restituimus. M.
[5] Melioris notæ Mss., *putredinem.*

ejus, quam solam reliquerat diabolus, non consolatricem mariti, sed adjutricem sui, et dixisset ei, *Dic aliquod verbum in Deum, et morere;* dixit ei, *Locuta es tanquam una de insipientibus mulieribus : si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus* (*Job* II, 9-10)?

3. [*vers.* 1, 2.] Ergo qui sic imitatur Christum, ut toleret omnes molestias hujus sæculi, spes ejus in Deo sit, ut nec illecebra capiatur, nec timore frangatur, ipse est *qui habitat in adjutorio Altissimi, et in protectione Dei cœli commorabitur :* sicut audistis psalmum, et cantastis; nam inde incipit Psalmus. Quibus autem verbis tentavit Dominum diabolus, cum ad ipsa venerimus, agnoscetis : nota sunt enim. *Dicet Domino, Susceptor meus es tu, et refugium meum, Deus meus.* Quis hoc dicit Domino? *Qui habitat in adjutorio Altissimi.* Quis est *qui habitat in adjutorio Altissimi?* Qui non habitat in adjutorio suo. Quis est *qui habitat in adjutorio Altissimi?* Qui non est superbus, quomodo illi qui manducaverunt ut essent quasi dii, et perdiderunt quod erant facti homines immortales. In adjutorio enim suo habitare voluerunt, non in adjutorio Altissimi : ideo suggestionem serpentis audierunt, præceptum Dei contempserunt; et invenerunt hoc evenisse in se quod minatus est Deus, non quod promisit diabolus (*Gen.* III).

4. [*vers.* 3.] Ergo sic et tu dic, *Sperabo in eum; quoniam ipse eruet me*, non ego me. Vide si aliud aliquid docet, nisi ut tota spes nostra non sit in nobis, non sit in homine. Unde te eruet? *De muscipula venantium, et a verbo aspero. De muscipula venantium*, magnum aliquid est : *a verbo aspero*, quid magnum? Multi in muscipulam venantium per verbum asperum ceciderunt. Quid est quod dico? Tendit diabolus et angeli ejus, tanquam venantes tendunt muscipulas; et longe ab ipsis muscipulis ambulant homines qui in Christo ambulant : non audet enim in Christo tendere muscipulam; circa viam ponit, in via non ponit. Via autem tua Christus sit, et tu non cades in muscipulam diaboli. Aberranti a via, jam ibi est muscipula. Hinc atque hinc ponit laqueos, hinc atque inde ponit muscipulam; inter laqueos ambulas. Sed vis securus ambulare? Noli declinare in dexteram neque in sinistram; et sit tibi via ille qui tibi [1] factus est via (*Joan.* XIV, 6), ut perducat te ad se per se; et non timebis laqueos venantium. Sed quid est, *a verbo aspero?* Multos per verbum asperum misit in muscipulam diabolus : verbi gratia, qui voluerint esse Christiani inter Paganos, insultatores patiuntur Paganos; erubescunt inter insultatores, et a verbo aspero recedentes de via, incidunt in laqueos venantium. Et quid tibi facturum est verbum asperum? Nihil. Numquid nihil tibi facturus est laqueus, quo te compellit inimicus per verbum asperum? Quomodo retia plerumque tenduntur, ad caput sepis tenduntur avibus, et lapides mittuntur in sepem : lapides illi nihil facturi sunt avibus. Quando enim ferit avem, qui lapidem mittit in sepem? Timens autem avis inanem sonum, cadit in retia : sic homines timentes insultatorum verba vana et inania, et erubescentes conviciis superfluis, cadunt in laqueos venantium, et captivantur a diabolo. Sed cur non dico, fratres, quod non est tacendum, quod me cogit Deus dicere? Quomodolibet hoc accipiatis, cogit me Deus dicere; et si non dixero, ego cado in laqueos venantium : si enim detractiones hominum timeo, ut non dicam; ego ipse a verbo aspero cado in laqueos venantium, qui vos moneo ut non timeatis verba hominum. Quid est ergo quod dicturus sum? Quomodo inter Paganos qui fuerit Christianus, a Paganis audit verba aspera, quibus si erubuerit, cadit in muscipulam venantium : sic inter Christianos qui voluerint esse diligentiores et meliores, ab ipsis Christianis audituri sunt insultationes. Et quid prodest, frater, quod aliquando invenis civitatem, ubi nullus est paganus? Nemo ibi insultat christiano quod christianus est, quia non ibi invenitur paganus : sed sunt multi male viventes christiani, inter quos qui voluerit bene vivere, et inter ebriosos sobrius esse, et inter fornicarios castus esse, et inter consultores mathematicorum Deum sinceriter colere et nihil tale requirere, et inter spectatores nugacium theatrorum [1] noluerit ire nisi ad ecclesiam, patitur insultatores ipsos christianos, et patitur verba aspera; et dicunt, Magnus tu, justus, tu es Elias, tu es Petrus, de cœlo venisti. Insultant; quocumque se verterit, audit hinc atque inde verbum asperum. Quod si timet et recedit a via Christi, cadit in laqueos venantium. Quomodo autem cum audiuntur hæc verba, non receditur a via? Quid est, non recedere a via? Quando audit verba aspera, unde sibi habet facere solatium, ut non curet verba aspera, nec recedat a via, et intret per januam? Dicat : qualia verba audio, servus, peccator? Dominus meus audivit : *Dæmonium habes* (*Joan.* VIII, 48). Modo audistis verbum asperum quod dictum est in Dominum : non opus erat ut Dominus hoc audiret, sed te monuit adversus verba aspera ne incidas in laqueos venantium.

5. [*vers.* 4.] *Inter scapulas suas obumbrabit tibi, et sub alis ejus sperabis.* Hoc dicit, ne tua protectio a te tibi sit, ne putes quia tu te potes protegere : ille te proteget, ut eruat; et eruet de muscipula venantium, et a verbo aspero. *Inter scapulas suas obumbrabit tibi*, et a tergo potes intelligere, et a pectore : scapulæ enim circa caput sunt. Sed quia dicit, *sub alis ejus sperabis*, manifestum est quia protectio alarum expansarum facit te esse inter scapulas Dei, ut hinc atque hinc alæ Dei te ponant in medio : et non timebis ne quis tibi noceat; tantum tu noli inde recedere, quo nullus inimicus audet accedere. Si gallina protegit pullos suos sub alis suis; quanto magis tu sub alis Dei tutus eris, et adversus diabolum et angelos ejus, quæ aereæ potestates tanquam accipitres circumvolitant, ut infirmum pullum auferant? Neque enim sine causa comparata est gallina ipsi Sapientiæ Dei; nam Christus ipse Dominus noster et salvator tanquam gallinam se dixit : *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui*

[1] Hic Edd. addunt, *pro te;* quod a Mss. abest.

[1] Alter e Corb. Mss., *nugarum theatricarum*

colligere filios tuos, tanquam gallina pullos suos, et noluisti (*Matth.* XXIII, 37)? Noluit illa Jerusalem; velimus nos. Illa rapta est ab aereis potestatibus fugiens alas gallinæ, præsumens de viribus suis, cum esset infirma: nos confitentes infirmitatem nostram, sub alas Dei fugiamus; erit nobis enim tanquam gallina protegens pullos suos. Non est enim injuriosum nomen gallinæ. Attendite cæteras aves, fratres: multæ aves ante nos fetant, calefaciunt pullos suos; nulla sic avis infirmatur cum pullis, quomodo gallina. Attendat Charitas vestra: hirundines, passeres [1] et ciconias videmus extra nidos suos, nec cognoscimus utrum fetus habeant; at vero gallinam cognoscimus in infirmitate vocis, in relaxatione plumarum: tota mutatur affectu pullorum; quia illi infirmi sunt, infirmam se facit. Quia ergo et nos infirmi eramus, infirmam se fecit Sapientia Dei; quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14), ut sub alis ejus speremus.

6. [*vers.* 5, 6.] *Scuto circumdabit te veritas ejus.* Quæ sunt alæ, hoc est scutum; quia nec alæ sunt, nec scutum. Si aliquid horum proprie esset, numquid alæ scutum esse possent, vel scutum alæ? Sed quia figurate per similitudines dici omnia ista possunt, ideo et alæ et scutum esse potuerunt. Si vere lapis esset Christus, leo non esset; et si leo esset, agnus non esset: ideo et leo (*Apoc.* V, 5), et agnus (*Joan.* I, 29), et lapis (*Act.* IV, 10, 11), et vitulus, et si quid hujusmodi; quia nec lapis, nec leo, nec agnus, nec vitulus, sed salvator omnium Jesus Christus. Istæ enim similitudines sunt, non proprietates. *Veritas ejus*, inquit, *circumdabit te.* Tanquam scutum veritas ejus est; ut non misceat eos qui in seipsis sperant, cum eis qui in Deo sperant. Peccator est, et peccator: sed da peccatorem de se præsumentem, contemnentem, peccata sua non confitentem, et dicet, Si Deo displicerent peccata mea, non permitteret me vivere. Alius autem oculos non audebat levare, sed percutiebat pectus suum, dicens, *Domine, propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII, 13). Et ille peccator, et ille: sed ille irridens, iste plangens; ille contemptor, hic confessor peccatorum suorum. Veritas autem Dei quæ non personas accipit, discernit pœnitentem a defendente, discernit humilem a superbo, discernit præsumentem de seipso a præsumente de Deo. Ergo *veritas ejus* tanquam *scuto circumdabit te.*

7. *Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante per diem, a negotio perambulante in tenebris, a ruina et dæmonio meridiano.* Duobus quæ supra dixit, redduntur duo quæ infra dixit. *Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante per diem*: et propter timorem nocturnum, *a negotio perambulante in tenebris;* et propter sagittam volantem per diem, *a ruina et dæmonio meridiano.* Quid est timendum in nocte, et quid in die? Cum quisque ignorans peccat, tanquam in nocte peccat: cum autem sciens peccat, tanquam in die peccat. Duo ergo illa leviora; ipsa sunt graviora, quæ repetita sunt. Intendite, ut diligenter hoc, si Dominus annuerit, exponatur vobis: obscurum est enim, et erit magnus fructus si intellexeritis. Tentationem quæ fit in ignorantibus levis, timorem nocturnum appellavit; et tentationem quæ fit in scientibus levis, sagittam volantem per diem appellavit. Quæ sunt leves tentationes? Quæ non sic instant, non sic urgent, ut cogant, sed possunt cito declinata transire. Eadem rursus fac gravia. Si persecutor instat, et vehementer terret ignorantes, id est nondum firmos in fide, nec scientes quod ad hoc sunt christiani, ut futuram vitam sperent; cum cœperint terreri de malis temporalibus, putant quod deseruit illos Christus, et sine causa sunt christiani; non norunt enim, ut dixi, quia ad hoc sunt christiani, ut præsentia superent, et futura sperent: invenit illos negotium perambulans in tenebris, et capit eos. Sunt autem quidam qui noverunt se ad futuram spem vocatos; quia quod nobis promisit Deus, non est de ista terra, non est de ista vita; quia istæ omnes tentationes tolerandæ sunt, ut illud accipiamus, illud acquiramus quod nobis promisit Deus in æternum; norunt ista: sed quando cœperit persecutor instare vehementius, agere minis, pœnis, tormentis, aliquando cedunt, et scientes tanquam in die cadunt.

8. Quare autem in meridie? Quia multum fervet persecutio: majores æstus dixit meridiem. Attendat hoc Charitas vestra de Scripturis me probantem. Quando de seminante dicebat Dominus, quia exiit seminans seminare, et aliud cecidit in viam, aliud in petrosa, aliud inter spinas; dignatus est ipse exponere similitudinem, et cum venisset ad petrosa, hoc ait: *Hi sunt qui audiunt verbum, et ad horam gaudent ad verbum; et in tribulatione quæ fit propter verbum, continuo scandalizantur.* Quid enim dixerat de his quæ exierant in petrosis? *Exorto sole*, inquit, *aruerunt, quia non habebant altam radicem* (*Matth.* XIII, 3-23). *Hi sunt* ergo *qui ad horam gaudent ad verbum, et cum persecutio facta fuerit propter verbum, arescunt.* Quare arescunt? *Quia non habebant firmam radicem.* Quæ est radix? Charitas: hoc enim dicit Apostolus, *Ut in charitate radicati et fundati* (*Ephes.* III, 17). Quomodo enim radix omnium malorum cupiditas (I *Tim.* VI, 10), sic radix omnium bonorum charitas est. Nostis hoc, et sæpe dictum est: sed quare hoc volui commemorare? Ut intelligatis Psalmum, quia dæmonium meridianum propter æstum vehementis persecutionis positum est. Sic enim Dominus dicit: *Ortus est sol, et aruit herba, quia radicem non habebat.* Et exponens nobis quid est a sole herbam arescere, dixit, quia persecutione facta non manent illi [1], *quia altam radicem non habebant.* Recte hic intelligimus dæmonium meridianum persecutionem vehementem. Qualis fuit illa persecutio aliquando, fratres, commemorem, unde Dominus liberavit Ecclesiam suam, dignetur attendere Charitas vestra. Primo, quod imperatores et reges sæculi putaverunt se persequendo tollere posse de terra nomen Christi et nomen Christianorum, jusserunt ut quisquis se confiteretur christianum, feriretur. Quicumque

[1] Mss., *anseres.*

[1] Hic Edd. addunt, *in fide;* quod a Mss. plerisque abest.

noluit feriri, negavit se christianum, sciens quid mali faceret; pervenit ad illum sagitta volans per diem. Quicumque autem non curavit præsentem vitam, sed certus speravit futuram, declinavit sagittam volantem per diem, confessus est se christianum: percussus carne, liberatus est spiritu; exspectare cœpit positus apud Deum in quiete, etiam redemptionem corporis sui in resurrectione mortuorum: evasit a tentatione illa, a sagitta volante per diem. Ergo, Quicumque se confessus fuerit christianum, feriatur; quomodo sagitta volans per diem fuit. Nondum erat dæmonium meridianum, flagrans vehementi persecutione, et faciens magnos æstus etiam fortibus. Audite enim quid secutum sit: cum vidissent inimici quod multi festinarent ad martyrium, et tanto plures crederent in Christum, quanto plures patiebantur, dixerunt apud se, Nos occisuri sumus genus humanum, tot millia quæ credunt in hoc nomine, si occiderimus omnes, prope nullus in terra remanebit. Cœpit fervere sol, cœpit fervere æstus. Audite enim quid jusserint: quomodo antea jusserant, Quicumque confessus se fuerit christianum, feriatur; jusserunt postea, Quicumque confessus se fuerit christianum, torqueatur, et tamdiu torqueatur, donec neget se esse christianum (*a*). Comparate sagittam volantem per diem, et dæmonium meridianum. Sagitta volans per diem quid erat? Qui se confessus fuerit christianum, feriatur. Quis fidelis eam mortis celeritate non declinaret [1]? Illud autem, Si se confitetur christianum, non occidatur; sed torqueatur, donec neget; si se negaverit, dimittatur: dæmonium meridianum erat. Multi ergo non negantes, in tormentis deficiebant; tamdiu enim torquebantur, donec negarent. Perseverantibus autem in non negando Christum, quid facturus erat gladius, uno ictu occidendo corpus, animam ad Deum mittendo? Hoc faciebant et diuturna tormenta: sed quis tandem inveniretur qui duraret adversus tantos et tam longos cruciatus? Multi defecerunt: et, credo, illi defecerunt qui de se præsumpserunt, qui non habitabant in adjutorio Altissimi, et in protectione Dei cœli; qui non dixerunt Domino, *Susceptor meus es;* qui non sub umbra alarum ejus speraverunt, sed viribus suis multum dederunt. Dejecti sunt a Deo, ut ostenderet illis quia ipse protegit, ipse temperat tentationes, ipse tantum venire permittit, quantum potest ferre cui venit.

9. [*vers.* 7.] Multi ergo ceciderunt a dæmonio meridiano. Quam multi, vultis nosse? Sequitur, et dicit: *Cadent a latere tuo mille, et dena millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.* Cui dicitur hoc? cui, fratres, nisi Domino Jesu Christo? Dominus enim Jesus, non solum in se, sed et in nobis. Recordamini verba illa: *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Quando ipsum nemo tangebat, et dicebat, *Quid me persequeris?* numquid non in nobis seipsum computabat? Quando dicebat, *Qui fecit uni ex minimis meis, mihi fecit* (*Matth.* XXV, 40); nonne in nobis seipsum computabat? Non enim divisa sunt ab invicem membra, caput et corpus. Quid est caput et corpus? Salvator et Ecclesia. Quomodo ergo dictum est, *Cadent a latere tuo mille, et dena millia a dextris tuis?* Cadent enim a dæmonio meridiano. Magnus terror, fratres, a latere Christi cadere, a dextris Christi cadere. Quomodo cadent a latere? Quare illi a latere, illi a dextris? Quare mille a latere, et dena millia a dextris? Quid est, a latere mille? Quia pauciores sunt mille, quam dena millia quæ a dextris cadent. Qui sunt isti? Modo planum erit in nomine Christi, modo apertum erit. Quibusdam promisit Christus quia cum illo judicabunt; Apostolis scilicet, qui dimiserunt omnia, et secuti sunt eum. Nam Petrus ait illi, *Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te;* et hoc illis promisit, *Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel* (*Id.* XIX, 27, 28). Nolite putare quia ipsis solis promisit Dominus. Ubi enim sedebit Paulus apostolus, qui plus omnibus illis laboravit (I *Cor.* XV, 10), si non ibi sedebunt nisi duodecim? Ille enim tertius decimus est. Nam de duodecim cecidit Judas; in locum autem Judæ traditoris Matthias ordinatus est: in Actibus Apostolorum legimus (*Act.* I, 15-26). Impletæ sunt duodecim sedes. Non ibi sedebit qui plus omnibus illis laboravit? An duodecim sedes perfectio est tribunalis (*a*)? Nam millia sedebunt in duodecim sedibus. Sed unde mihi probas, ait aliquis, quia et Paulus inter judices erit? Audi illum dicentem: *Nescitis quia angelos judicabimus* (I *Cor.* VI, 3)? *Judicabimus*, inquit. Et ipse non dubitavit in præsumptione, qua credidit, computare [1] se inter illos qui judicabunt cum Christo. Qui ergo judicabunt cum Christo, principes Ecclesiæ sunt, perfecti sunt. Talibus dixit: *Si vis esse perfectus, vade, vende omnia tua, et da pauperibus.* Quid est, *Vis esse perfectus?* Vis mecum judicare, et non judicari. Ille contristatus abscessit (*Matth.* XIX, 21, 22); sed multi hoc fecerunt, et multi hoc faciunt: ergo isti cum illo judicabunt. Sed multi promittunt sibi quia judicabunt cum Christo, quia dimittunt omnia sua et sequuntur Christum, sed habent præsumptionem de se, habent quemdam typhum et superbiam, quam Deus solus potest nosse, et non possunt evitare dæmonium meridianum, id est, casum ferventis caloris nimiæ persecutionis. Tales multi cum essent illo tempore, qui distribuerant omnia sua pauperibus, et sibi jam promittebant quia sessuri erant cum Christo, et judicaturi gentes, fervente calore persecutionis tanquam a dæmonio meridiano defecerunt in tormentis, et negaverunt Christum. Ipsi sunt qui a latere ceciderunt: tanquam sessuri cum Christo ad mundum judicandum, ceciderunt.

10. A dextris autem dicam qui cadunt. Nostis quia cum apparuerit ipsum tribunal, ubi cum Christo Domino judicabunt qui voluerunt esse et vere fuerunt

[1] Lov., *celeritatem declinaret.* Er., *celeritatem non declinaret.* At meliores Mss., *celeritate non declinaret*, scilicet sagittam volantem per diem.

(*a*) Vid. Tertullianum in Apologetico, c. 2.

[1] Sic Mss. At Edd., *quia credidit computari se.*

(*a*) Hinc Magister, Sent. 4, dist. 47, cap. *Non autem:* « *Perfectio tribunalis*, id est, universalitas judicantium intelligitur, scilicet omnes perfecti, qui, relictis omnibus, secuti sunt Christum. »

perfecti, radicati et fundati in charitate, ut non arescerent de sole et dæmonio meridiano, hoc ait Dominus, *Congregabuntur ante eum omnes gentes, et dividet illos ab invicem, sicut pastor dividit oves ab hædis; et oves ponet a dextris, hædos autem a sinistris*; et judicabuntur. Multi erunt qui judicabunt, sed pauciores erunt quam illi qui ante tribunal stabunt: quia illi tanquam mille, illi tanquam dena millia. A dextris positis quid dicturus est? *Esurivi, et dedistis mihi manducare; hospes fui, et suscepistis me.* Manifestum est quia his dicet qui habent substantiam hujus sæculi, unde ista humana faciant. Tamen et ipsi cum illis regnabunt: quia illi tanquam milites, illi tanquam annonam præbentes Provinciales (a), sub uno tamen Imperatore et miles et provincialis in regno est. Miles fortis, provincialis devotus: miles fortis orationibus pugnat adversus diabolum, devotus provincialis annonam tribuit militibus. Intelligat Charitas vestra. Et audient in fine ad dexteram positi: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Erant ergo illo tempore multi, quando graviter inferbuerat sol persecutionis et dæmonium meridianum, erant qui sibi promittebant quia judicaturi erant cum Christo; non potuerunt ferre æstum persecutionis, et ceciderunt a latere ipsius: erant ibi alii, qui non sibi promittebant sedes judicantium; sed per eleemosynas promittebant sibi quia ad dexteram futuri erant, quibus dicturus erat Christus, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Et quia multi de spe illa judicandi ceciderunt, multi autem et multo plures de spe illa dexteræ ceciderunt, ideo dictum est Christo: *Cadent a latere tuo mille, et dena millia a dextris tuis.* Et quia multi erunt cum illo, qui omnia illa non curarunt, cum quibus tanquam membris unus est Christus: *Ad te autem*, inquit, *non appropinquabit.* Numquid ad solum caput dixit, *non appropinquabit?* Non utique; sed nec ad Petrum, nec ad Paulum, nec ad omnes Apostolos, nec ad omnes martyres, qui in tormentis non defecerunt. Quomodo ergo *non appropinquabit?* cur sic torti sunt. Propinquavit carni tormentum, sed non pervenit ad locum fidei. Itaque longe erat fides ipsorum a terrore torquentium. Torqueant, nec appropinquabit terror; torqueant, sed irridebunt tormentum, præsumentes in illo qui prior vicit, ut cæteri vincerent. Et qui vincunt, nisi qui de se non præsumpserunt? Intendat Charitas vestra; ad hoc enim dixit omnia superiora. *Dicet Domino, Susceptor meus es tu, et refugium meum*; et, *Sperabo in eum; quoniam ipse eruet me de muscipula venantium. Ipse eruet me*, non ego me. *Inter scapulas suas obumbrabit tibi*: sed quando? Quando *sub alis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus.* Quia ergo in illo præsumpsisti, et totam spem tuam in illo posuisti, sequitur, quid? *Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante per diem, a negotio perambulante in tenebris, a ruina et dæmonio meridiano.* Quis non timebit? Qui non in se, sed in Christo præsumit. Qui autem de se præsumunt, etsi jam sibi sperabant latus Christi tanquam judicaturi, etsi futuros se jam sperabant a dextris Christi, quasi diceret illis, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*; venit dæmonium meridianum, id est, fervens æstus persecutionis, vehementer terrens, et ceciderunt multi a spe sedis judiciariæ, de quibus dictum est, *Cadent a latere tuo mille;* et multi a spe remunerationis obsequiorum suorum, de quibus dictum est, *Et dena millia a dextris tuis. Ad te autem*, id est, ad caput et corpus, *non appropinquabit*, ruina et dæmonium meridianum; quoniam novit Dominus qui sunt ejus (II *Tim.* II, 19).

11. [*vers.* 8.] *Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.* Quid est hoc? quare *verumtamen?* Quia licuit impiis superbire in servos tuos, licuit impiis persequi servos tuos. Impune ergo erit impiis, quia persecuti sunt servos tuos? Non erit impune. Quamvis enim tu permiseris, et magis inde tui coronati sint; *Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.* Malum enim quod voluerunt, non bonum quod per nescientes actum est, eis retribuetur. Modo opus est ut oculos fidei habeamus, et videamus quia exaltantur ad tempus, et plangent in æternum; et quibus datur potestas in servos Dei temporaliter, dicetur eis: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 32-41). Sed si habeat quisque oculos, sicut dixit, *oculis tuis considerabis;* non est leve videre impium florentem in hoc sæculo, et habere ad illum oculos, ut consideres fide quid ille passurus est in fine, si se non correxerit: quia qui modo tonare volunt, postea fulminantur. *Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.*

12. [*vers.* 9.] *Quoniam tu es, Domine, spes mea.* Ecce venit ad illud, quare non cadat a ruina et dæmonio meridiano: *Quoniam tu es, Domine, spes mea; altissimum posuisti refugium tuum.* Quid est quod in alto est refugium tuum? Multi enim sic sibi faciunt refugium Dei, quo fugiant a temporalibus æstibus. In alto est enim refugium Dei, valde in occulto est, quo fugias ab ira ventura. Intus « altissimum posuisti refugium tuum. Non accedent ad te mala, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus tollent te, nequando offendas ad lapidem pedem tuum. » Ista sunt verba quæ diabolus dixit Domino Jesu Christo, quando illum tentavit. Sed quia diligentius consideranda sunt, ne vos fatigemus, differamus in crastinum (quia et crastino debetur vobis sermo [1]), ut ab isto loco Psalmi rursus incipiamus, propter tædium vestrum; ne cum volumus finire res obscuras, præcipitemus, et non perveniant ad intelligentiam vestram.

SERMO II.

1. Sicut non dubito meminisse Charitatem vestram,

(a) Confer Tractatum 122 in Joannem, n. 3, ubi Evangelii prædicatores, milites Christi; fideles vero a quibus illi stipendium debitum accipiunt, provinciales Christi appellat.

[1] Sic potiores et plerique Mss. Alii quidam cum Edd., *quia et crastino, si Dominus voluerit, inde vobis erit sermo.*

qui hesterno die sermoni adfuistis, psalmum quem cœperamus exponere, ne ad terminum perveniret, angustia temporis impedivit; et dilata est pars ejus in hodiernum diem. Hoc qui heri adfuistis, recordamini, qui non adfuistis, cognoscite. Propterea fecimus ipsam lectionem Evangelii recitari, ubi Dominus tentatus est per ea verba Psalmi, quæ hic audistis (*Matth.* IV, 6). Ideo tentatus est Christus, ne vincatur a tentatore christianus. Ille quippe magister in omnibus tentari voluit, quia tentamur; sicut mori voluit, quia morimur; sicut resurgere voluit, quia resurrecturi sumus. Illa enim quæ ostendit in homine, qui factus est propter nos homo, cum esset Deus per quem facti sumus, propter nos ostendit. Et sæpe commendavimus Charitati vestræ, quod nos sæpe iterare non piget; ut quia forte multi vestrum legere non possunt, quia non eis vacat legere, aut litteras non norunt, saltem assidue audiendo non obliviscantur salubrem fidem suam. Certe ea repetendo quibusdam molesti videamur, dum tamen quosdam ædificemus. Novimus enim multos esse et memoria prævalentes, et lectionis divinæ studiosos, qui ea quæ dicturi sumus noverunt; et forte nos ea volunt dicere quæ non noverunt. Sed si celeriores sunt, intueantur quia cum tardioribus ambulant viam. Quando autem duo comites unam viam ambulant, quorum est unus celerior, alter tardior, in potestate celerioris est ut cum illo ambulet tardior, non in potestate tardioris; quia si velit celerior tantum facere quantum potest, tardior illum non sequitur. Opus est ergo ut celerior refrenet celeritatem suam, et non relinquat comitem tardiorem. Hoc est ergo quod dixi me sæpe dixisse, et nunc iterum dico: sicut dicit Apostolus, *Eadem scribere vobis, mihi quidem non pigrum, vobis autem tutum* (*Philipp.* III, 1). Dominus noster Jesus Christus, tanquam totus perfectus vir, et caput, et corpus: caput in illo homine agnoscimus, qui natus est de Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, sepultus, resurrexit, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, inde illum exspectamus judicem vivorum atque mortuorum; hoc est caput Ecclesiæ (*Ephes.* V, 23). Corpus hujus capitis Ecclesia est, non quæ hoc loco est, sed et quæ hoc loco et per totum orbem terrarum: nec illa quæ hoc tempore, sed ab ipso Abel usque ad eos qui nascituri sunt usque in finem et credituri in Christum, totus populus sanctorum ad unam civitatem pertinentium; quæ civitas corpus est Christi, cui caput est Christus. Ibi sunt et Angeli cives nostri: sed quia nos peregrinamur, laboramus; illi autem in civitate exspectant adventum nostrum. Et de illa civitate unde peregrinamur, litteræ nobis venerunt: ipsæ sunt Scripturæ, quæ nos hortantur ut bene vivamus. Quid dicam venisse litteras? Ipse rex descendit, et factus est nobis via in peregrinatione; ut in illo ambulantes, nec erremus, nec deficiamus, nec in latrocinantes incidamus, nec in laqueos irruamus, qui ponuntur juxta viam. Talem ergo scientes Christum totum atque universum simul cum Ecclesia; ipsum autem solum natum de virgine, caput Ecclesiæ, mediatorem scilicet inter Deum et homines Christum Jesum (I *Tim.* II, 5): ad hoc mediatorem, ut eos qui recesserant, per re reconciliet; medius enim non est nisi inter duos. Recesseramus a majestate Dei, et peccato nostro offenderamus eum: missus est Filius mediator, qui sanguine suo solveret peccata nostra, quibus separabamur a Deo; et interpositus redderet nos ei et reconciliaret, a quo aversi in peccatis nostris et delictis tenebamur. Ipse est caput nostrum, ipse est Deus æqualis Patri, Verbum Dei per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 3): sed Deus ut crearet, homo ut recrearet [1]; Deus ut faceret, homo ut reficeret. Hunc intuentes, sic audiamus Psalmum: intendat Charitas Vestra. Disciplina est ista et doctrina scholæ hujus, quæ vobis valeat non ad unum psalmum intelligendum, sed ad multos, si teneatis hanc regulam. Aliquando psalmus, non solum psalmus, sed et omnis prophetia, aliquando sic loquitur de Christo, ut caput solum commendet, et aliquando a capite it ad corpus, id est ad Ecclesiam, et non videtur mutasse personam; quia non separatur caput a corpore, sed tanquam de uno loquitur. Videat enim Charitas Vestra quod dico. Manifestus est certe omnibus psalmus ubi de passione Domini dicitur: « Foderunt manus meas et pedes; dinumeraverunt omnia ossa mea: diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestimentum meum miserunt sortem. » Hoc et Judæi quando audiunt erubescunt; evidentissime enim prophetia de passione Domini nostri Jesu Christi prolata est. Delicta autem non habebat Dominus noster Jesus Christus; et tamen in capite ipsius psalmi dicit: *Deus, Deus meus, utquid me dereliquisti? Longe a salute mea verba delictorum meorum* (*Psal.* XXI, 17, 18, 19, 2). Videtis ergo quid dicatur ex persona capitis, quid ex persona corporis. Delicta ad nos pertinent, passio pro nobis ad caput pertinet: sed propter passionem illius pro nobis, et quod ad nos pertinet delictorum solvitur [2]. Sic et in isto psalmo.

2. [*vers.* 1-8.] Jam istos versus hesterna die tractavimus: breviter commemoremus illos. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.* Hoc commendavimus Charitati Vestræ in istis versibus, ne quisquam in se spem ponat, sed totam spem suam in illo ponat, in quo sunt vires nostræ; ex adjutorio enim ejus vincimus, non ex nostra præsumptione. Protegit ergo nos Deus cœli, si dicamus Domino quod sequitur: *Dicet Domino, Susceptor meus es tu, et refugium meum, Deus meus, sperabo in eum; quoniam ipse eruet me de muscipula venantium, et a verbo aspero.* Diximus quia multi timentes asperum verbum incidunt in muscipulam venantium. Insultatur homini, quia christianus est; et pœnitet illum, quia christianus factus est, et ab aspero verbo incidit in muscipulam diaboli. Insultatur etiam homini, quia inter multos christianos melius vivit; et timens aspera verba insultatorum, incidit in laqueos diaboli, ut non sit triticum in area, sed paleam sequatur. Qui autem

[1] Mss., *Deus ut crearemur, homo ut recrearemur.*
[2] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *delictorum debitum solvit*

in Deo sperat, eruitur a muscipula venantium et a verbo aspero. Quomodo autem te protegit Deus? *Inter scapulas suas obumbrabit tibi :* id est, ante pectus suum te ponet, ut alis suis te protegat ; si modo agnoscas infirmitatem tuam, ut quasi pullus infirmus fugias sub alas matris, ne a milvo rapiaris. Milvi sunt enim aereæ potestates, diabolus et angeli ejus : rapere volunt infirmitatem nostram. Fugiamus sub alas matris Sapientiæ, quia et ipsa Sapientia infirmata est propter nos ; quia Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14). Sicut infirmatur gallina cum pullis suis, ut protegat eos alis suis (*Matth.* XXIII, 37) : sic Dominus noster Jesus Christus, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, ut infirmaretur nobiscum, et alis suis protegeret nos, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Philipp.* II, 6 *et* 7). *Et sub alis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus ; non timebis a timore nocturno.* Tentationes ignorantiæ, timor nocturnus ; peccata scientiæ, sagitta volans per diem : in nocte enim ignorantia intelligitur, in die manifestatio. Sunt qui ignorantes peccant, sunt qui scientes peccant : qui ignorantes peccant, a timore nocturno supplantantur ; qui scientes peccant, a sagitta volante per diem percussi sunt. Hæc autem cum in gravioribus persecutionibus fiunt, quousque perveniatur tanquam ad meridiem, quicumque illo calore ceciderit, tanquam a dæmonio meridiano cadet. Et multi a calore isto ceciderunt, sicut jam exposuimus hesterno die Charitati vestræ ; quia fervente persecutione dictum est, Torqueantur Christiani, donec negent quod christiani sunt. Cum antea solerent confessi percuti, ad hoc postea torquebantur ut negarent : et cum omnis reus tamdiu torqueatur, quamdiu neget ; Christianorum confessio torquebatur, negatio dimittebatur. Erat ergo tunc magnus æstus persequentium. Quicumque in illa tentatione ceciderunt, tanquam a dæmonio meridiano ceciderunt. Et quanti ceciderunt ! Multi qui se sperabant sessuros cum Domino et judicaturos, illi a latere ceciderunt. Item multi qui se sperabant ad dexteram futuros, in plebe sancta stipendiaria tanquam provinciales, qui annonam militibus præbent, quibus dici habet, *Esurivi, et dedistis mihi manducare* (ad dexteram enim erunt multi) ; et de ipsa spe ceciderunt, et plures inde, quia plures ibi. Pauciores enim qui cum Domino judicabunt, et plures qui stabunt ante illum : sed non una conditio eorum. Alii ad sinistram, alii ad dexteram ; alii ut regnent, alii ut puniantur ; alii ut audiant, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum ;* alii ut audiant, *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 32-41). Ergo qui [1] *a ruina et dæmonio meridiano cadent, mille a latere, et dena millia a dextris. Ad te autem non appropinquabit :* quid ? Dæmonium meridianum te non dejicit. Quid mirum si caput non dejicit ? Sed non dejicit et illos qui sic hærent capiti, quomodo ait Apostolus, *Novit Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19). Sunt enim quidam ita prædestinati, ut noverit Dominus qui pertineant ad corpus ipsius. Cum ergo ad hos non accedet illa tentatio, ut dejiciat eos ; isti intelliguntur in eo quod scriptum est, *Ad te autem non appropinquabit.* Sed ne illi peccatores quibus tanta licuit exercere in Christianos, attendantur a quibusdam infirmis, et dicatur, Ecce, quid voluit Deus, ut tantum impiis et sceleratis liceat in servos Dei ? modicum considera oculis tuis, oculis fidei, et videbis retributionem peccatorum in fine, quibus modo tanta permittuntur, ut exercearis. Hoc enim sequitur : *Verumtamen oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis.*

3. [*vers.* 9-12.] *Quoniam tu es, Domine, spes mea, altissimum posuisti refugium tuum. Non accedent ad te mala.* Domino dicit : *Quoniam tu es, Domine, spes mea ; altissimum posuisti refugium tuum. Non accedent ad te mala ; et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Deinde jam verba quæ audistis dicta a diabolo : *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus tollent te, nequando offendas ad lapidem pedem tuum.* Cui hoc dicit ? Cui dixit, *Quoniam tu es, Domine, spes mea.* Jam puto non esse exponendum Christianis quis sit Dominus. Si Deum Patrem intelligunt, quomodo illum tollent Angeli in manibus, ne offendat ad lapidem pedem suum ? Videtis ergo quia et Christus Dominus, dum loqueretur de corpore, subito cœpit loqui de capite. Caput nostrum appellatum est modo, cum diceretur : *Quoniam tu es, Domine, spes mea ; altissimum posuisti refugium tuum.* Ideo *posuisti altissimum refugium tuum, quoniam tu es, Domine, spes mea.* Quid sibi hoc vult ? Attendat Charitas vestra : *Quoniam tu es, Domine, spes mea ; altissimum posuisti refugium tuum.* Jam non est mirandum : propterea enim sequitur, *Non accedent ad te mala,* quia *altissimum posuisti refugium tuum ; et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo,* quia *altissimum posuisti refugium tuum.* Non autem legimus in Evangelio quia alicubi Angeli portaverunt Dominum, ne offenderet ad lapidem : et tamen intelligimus. Hæc enim jam facta sunt, et non sine causa prophetata sunt, nisi quia futura erant. Et non possumus dicere, Postea venturus est Christus, ut non offendat ad lapidem pedem suum : judicaturus enim veniet. Ubi ergo completum est ? Intendat Charitas vestra.

4. Primo hos versus audite : *Quoniam tu es, Domine, spes mea ; altissimum posuisti refugium tuum.* Genus humanum mori hominem noverat, resurgere non noverat : ideo quod timeret habebat, quod speraret non habebat. Ut ergo ille qui propter disciplinam fecit timorem mortis, propter præmium futuræ vitæ æternæ daret spem resurrectionis, prior resurrexit Dominus noster Jesus Christus. Mortuus est post multos ; resurrexit ante omnes. Hoc passus est moriendo quod jam multi passi erant ; hoc jam fecit resurgendo, quod nullus ante illum : quando enim hoc accipiet Ecclesia, nisi in fine ? Præcessit in capite quod membra sperent : novit enim Charitas ve-

[1] Apud Fr. Ven. et Lov. deest, *qui.* M.

stra quomodo inter se dicant. Dicat ergo Ecclesia Domino suo Jesu Christo, dicat corpus capiti suo, *Quoniam tu es, Domine, spes mea; altissimum posuisti refugium tuum* : id est, ideo resurrexisti a mortuis, et in cœlum ascendisti, ut altum poneres refugium tuum ascendens, et fieres spes mea, qui in terra desperabam, et me resurrecturum esse non credebam; modo jam credo, quia ascendit in cœlum caput meum; quo caput præcessit, et membra secutura sunt. Puto jam manifestum esse quod dictum est, *Quoniam tu es, Domine, spes mea; altissimum posuisti refugium tuum.* Hoc planius dixerim. Ut haberem spem resurrectionis quam non habebam, ideo prior resurrexisti, ut quo præcessisti, illuc me secuturum sperarem. Vox enim est Ecclesiæ ad Dominum suum, vox est corporis ad caput suum.

5. Noli ergo mirari: *Non accedent ad te mala, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Tabernaculum Dei caro est. In carne inhabitavit Verbum, et caro facta est tabernaculum Deo: in ipso tabernaculo Imperator militavit pro nobis; in ipso tabernaculo ab hoste tentatus est, ne miles deficeret. Et quia ipsam carnem ostendit oculis nostris, quia oculi nostri ista luce gaudent, et visibili lumine isto delectantur, quia in manifestatione posuit carnem suam, ut omnes viderent; ideo psalmus dicit, *In sole posuit tabernaculum suum.* Quid est, *in sole?* In aperto, in manifesto, in luce terrena; id est, in luce quæ terras de cœlo perfundit, ibi posuit tabernaculum suum. Sed quomodo ibi poneret tabernaculum suum, si non tanquam sponsus procederet de thalamo suo? hoc enim sequitur. *In sole posuit tabernaculum suum* : et quasi diceretur ei, Quomodo? *Et ipse*, inquit, *tanquam sponsus procedens de thalamo suo; exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII, 6). Quod est tabernaculum, ipsa est sponsa. Verbum sponsus, caro sponsa, et thalamus uterus virginis. Et quid dicit Apostolus? *Et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 31 *et* 32). Et quid ipse Dominus in Evangelio? *Igitur jam non sunt duo, sed una caro* (*Matth.* XIX, 6). Ex duobus unum, ex Verbo et carne unus homo, unus Deus. Hoc autem tabernaculum ejus sensit flagella in terra; manifestum est quia flagellatus est Dominus (*Id.* XXVII, 26). Numquid in cœlo sentit [1] flagella? Nequaquam [2]. Quare? Quia altissimum posuit refugium suum, ut esset spes nostra; et non ad eum accedent mala, nec flagellum propinquabit tabernaculo ejus. Longe est super omnes cœlos, sed pedes habet in terra: caput in cœlo est, corpus in terra. Cum autem pedes ipsius flagellarentur et calcarentur a Saulo, clamavit caput: *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Ecce caput nemo persequitur, ecce caput in cœlo: quia Christus resurgens a mortuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9), *Non accedent ad te mala, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Sed ne putemus quia separatum est caput a corpore: discretum est enim locis, sed junctum est affectu; ipsa affectus conjunctio clamavit de cœlo, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Prostravit enim eum voce objurgante, et levavit dextera miserante. Qui corpus Christi persequebatur, factus est membrum Christi; ut quod faciebat, ipse ibi pateretur.

6. Quid ergo, fratres? de capite nostro quid dictum est? « Quoniam tu es, Domine, spes mea; altissimum posuisti refugium tuum. Non accedent ad te mala, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. » Dicta sunt hæc. « Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. » Audistis modo, cum Evangelium recitaretur (*Matth.* IV, 1-11): attendite. Baptizatus Dominus jejunavit. Quare baptizatus? Ut non aspernaremur baptizari. Nam cum ipse Joannes diceret Domino, *Tu ad me venis baptizari; ego a te debeo baptizari*; et Dominus, *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam* (*Id.* III, 14 *et* 15): voluit implere humilitatem, ut ablueretur qui sordes non habebat. Utquid hoc? Propter superbiam futurorum. Existit enim aliquando aliquis catechumenus qui forte doctrina et moribus vincit multos fideles; attendit jam baptizatos multos imperitos, et multos non sic viventes quomodo ipse vivit, non in tanta continentia, non in tanta castitate; jam ille nec uxorem quærit, et videt aliquando fidelem, si non fornicantem, tamen uxore intemperantius utentem: potest erigere cervicem superbiæ, et dicere, Quid mihi jam opus est baptizari, ut hoc accipiam quod iste habet, quem jam et vita et doctrina præcedo? Huic Dominus, Quid præcessisti? quantum præcessisti? tantumne quantum ego te? *Non est servus super dominum suum, neque discipulus super magistrum suum: sufficit servo ut sit sicut dominus ejus, et discipulo ut sit sicut magister ejus* (*Id.* X, 24 *et* 25). Noli extolli, ut non quæras Baptismum. Baptismum quæres Domini, ego servi quæsivi. Baptizatus est ergo Dominus, et post baptismum tentatus est, jejunavit quadraginta diebus in mysterio, quod sæpe vobis commemoravi. Non omnia uno tempore dici possunt, ne occupent necessaria tempora. Post quadraginta dies esurivit. Poterat et nunquam esurire: sed quomodo tentaretur? Aut si ille non vinceret tentatorem, quomodo disceres tu cum tentatore pugnare? Esurivit: et jam tentator, *Dic lapidibus istis ut panes fiant, si Filius Dei es.* Quid magnum erat Domino Jesu Christo de lapidibus panem facere, qui de quinque panibus tot millia saturavit (*Id.* XIV, 17-21)? De nihilo fecit panem. Tanta enim multitudo escæ, quæ saturaret tot millia, unde processit? Fontes panis [1] erant in manibus Domini. Non est mirum: nam ipse fecit de quinque panibus multum panis unde saturaret tot milla, qui facit quotidie in terra de paucis granis messes ingentes. Ipsa enim sunt miracula Domini; sed assiduitate viluerunt. Quid ergo,

[1] Er. Ven. et Lov., *sensit.* M.
[2] In B. deest vox, *nequaquam*; hanc ferunt Er. Ven. et Lov. M.

[1] Edd., *fontes panes erant*: et paulo post, *de quinque panibus multos panes.* At Reg. et Remig. probæ notæ Mss., *fontes panis erant*: atque infra cum aliis Mss. habent, *multum panis.*

fratres, impossibile erat Domino de lapidibus panes facere? Homines fecit de lapidibus, dicente ipso Joanne Baptista: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* III, 9). Quare ergo non fecit? Ut te doceret respondere tentatori, ut si forte in aliqua angustia positus fueris, et suggesserit tibi tentator, Si christianus esses et ad Christum pertineres, desereret te modo? non tibi misisset auxilium? Et forte adhuc medicus secat, et ideo deserit: sed non deserit. Quomodo Paulum ipsum ideo non exaudivit, quia exaudivit. Nam dicit Paulus non se esse exauditum de stimulo carnis suæ angelo satanæ, a quo colaphizari se dixit: *Propter quod Dominum ter rogavi ut auferret eum a me, et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 7-9). Tanquam medico diceretur, posito forte epithemate: Molestum est mihi hoc emplastrum; rogo te, tolle illud. Et medicus: Non, opus est diu ibi sit; non enim aliter sanari poteris. Ægrotum non exaudivit medicus ad voluntatem, quia exaudivit ad salutem. Ideoque fortes estote, fratres; et quando aliqua inopia tentamini, Deo flagellante et erudiente vos, quibus et parat et servat æternam hæreditatem, non vobis suggerat diabolus: Si justus esses, nonne tibi per corvum mitteret panem, quomodo misit Eliæ (III *Reg.* 17, 6)? ubi est quod legisti, *Nunquam vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem* (*Psal.* XXXVI, 25)? Tu responde diabolo: Verum dicit Scriptura, *Nunquam vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem*; habeo enim panem meum quem tu non nosti. Quem panem? Audi Dominum: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei*. Putasne verbum Dei panem[1]? Si non esset panis Verbum Dei per quod facta sunt omnia, non diceret: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41). Didicisti ergo quid respondeas tentatori in angustia famis.

7. Quid, si te sic tentat, ut dicat tibi: Si christianus esses, faceres miracula, quomodo fecerunt multi christiani? Tu jam suggestione mala deceptus, tentares Dominum Deum tuum, ut diceres Domino Deo nostro: Si christianus sum, et sum ante oculos tuos, et in aliquo numero tuorum me computas, faciam et ego aliquid, qualia multa fecerunt sancti tui? Tentasti Deum, quasi non sis christianus si hoc non facias. Multi talia desiderantes ceciderunt. Nam Simon ille magus talia desideravit ab Apostolis, qui Spiritum sanctum pecunia voluit comparare (*Act.* VIII, 18, 19). Amavit potentiam miraculorum, et non amavit imitationem humilitatis. Ideo quidam discipulus, vel quidam de turba cum vellet sequi Dominum, attendens miracula quæ faciebat; vidit illum Dominus superbum non quærere viam humilitatis, sed typhum potentiæ, et ait: *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* (*Matth.* VIII, 20). Vulpes in te foveas habent; volucres cœli nidos in te habent. Vulpes dolus est; volucres cœli superbia est: sicut enim volucres alta petunt, sic superbi; ut et vulpes cavernas habent dolosas, ita omnes insidiatores. Quid ergo respondit Dominus? Potest in te habitare superbia et dolus; Christus non habet ubi in te habitet, ubi reclinet caput suum. Quia reclinatio capitis, humilitas Christi est. Nisi reclinaret caput, non justificareris. Talia desiderantes et discipuli, et volentes jam appetere[1] sedem regni, antequam viam humilitatis caperent, quando illi suggestum est a matre discipulorum, *Dic ut unus sedeat ad dexteram, et alius ad sinistram tuam*; potentiam quærebant: sed per passionem[2] humilitatis venitur ad potentiam regni. Ait Dominus: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum* (*Matth.* XX, 21, 22)? Quid cogitatis altitudinem regni, et non imitamini humilitatem meam? Ergo quid, si sic te tentet, Fac miracula? ne tu tentes Deum, quid debes respondere? Quod respondit Dominus. Ait illi diabolus. *Mitte te deorsum; quia scriptum est, Angelis suis mandavit de te, ut in manibus tollant te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. Si te miseris, Angeli te suscipient. Et posset quidem fieri, fratres, ut si se misisset Dominus, obsequia Angelorum susciperent carnem Domini: sed quid illi ait? *Iterum scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum*. Hominem me putas. Ad hoc enim accessit diabolus, ut tentaret utrum Filius Dei ipse esset. Videbat carnem; sed majestas in operibus apparebat. Angeli testimonium dixerant. Ille videbat mortalem, ut tentaret, ut Christo tentato doceretur christianus. Quid ergo scriptum est? *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Itaque non tentemus Dominum, ut dicamus: Si ad te pertinemus, miraculum faciamus.

8. Redeamus propter verba Psalmi. *Angelis suis*, inquit, *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus tollent te, nequando offendas ad lapidem pedem tuum*. Sublatus est Christus in manibus Angelorum, quando assumptus est in cœlum; non quia, si non portarent Angeli, ruiturus erat; sed quia obsequebantur regi. Ne forte dicatis: Meliores sunt qui portabant, quam ille qui portabatur. Ergo meliora sunt jumenta quam homines? Sed quia infirmitatem hominum portant jumenta; nec hoc debemus dicere: etenim jumenta si se subtrahant, cadunt qui sedent. Sed quomodo debemus dicere? Nam et de Deo dictum est: *Cœlum mihi sedes est* (*Isai.* LXVI, 1; *Act.* VII, 49). Quia ergo cœlum portat, et Deus sedet, ideo melius est cœlum? Sic ergo et de obsequio Angelorum in hoc psalmo intelligere poterimus, non ad infirmitatem Domini pertinet, sed ad illorum[3] honorificentiam, ad illorum servitutem. Resurrexit autem Dominus Jesus Christus, propter quid? Apostolum audite. *Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV, 25). Item de Spiritu sancto Evangelium: *Spiritus*, inquit, *nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus* (*Joan.* VII, 39). Quæ est clarificatio Jesu? Resurrexit, et ascendit in cœlum. A Deo clarificatus ascensione in cœlum, misit Spiritum suum sanctum die Pentecostes. In

[1] Sic Mss. At Edd., *Putasne verbum Dei non sit panis?*

[1] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *apparere*.
[2] Duo Mss., *patientiam*.
[3] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *illius*.

Lege autem, in libro Moysi Exodo, a die agni occisi et manducati quinquaginta dies numerantur; et data est Lex in tabulis lapideis scripta digito Dei (*Exod.* XII, 19, *etc.*). Quid sit digitus Dei, Evangelium nobis exponit: quia digitus Dei Spiritus sanctus est. Quomodo probamus? Dominus respondens eis qui illum dicebant in nomine Beelzebub ejicere dæmonia, ait, *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia* (*Matth.* XII, 28): alius evangelista cum hoc narraret, *Si ego*, inquit, *in digito Dei ejicio dæmonia* (*Luc.* XI, 20). Quod ergo positum est in uno aperte, positum est in altero obscure: nesciebas quid sit digitus Dei, exponit alius evangelista, dicens eum esse Spiritum Dei. Digito ergo Dei scripta Lex data est die quinquagesimo ab occisione agni, et Spiritus sanctus venit die quinquagesimo a passione Domini nostri Jesu Christi. Occisus est agnus, factum est Pascha, impleti sunt quinquaginta dies, data est Lex. Sed Lex illa ad timorem, non ad amorem: ut autem timor converteretur in amorem, occisus est justus jam in veritate; cujus typus erat ille agnus quem occidebant Judæi. Resurrexit; et a die Paschæ Domini, sicut a die Paschæ agni occisi, numerantur quinquaginta dies; et venit Spiritus sanctus (*Act.* II, 1-4), jam in plenitudine amoris, non in pœna timoris. Quare hoc dixi? Ad hoc ergo resurrexit Dominus et glorificatus est, ut mitteret Spiritum sanctum. Et dixeram jamdudum quia caput in cœlo est, pedes in terra. Si caput in cœlo, pedes in terra; quid est, pedes Domini in terra, nisi [1] sancti Domini in terra? Qui sunt pedes Domini? Apostoli missi per totum orbem terrarum. Qui sunt pedes Domini? Omnes Evangelistæ, in quibus peragrat Dominus universas gentes. Metuendum erat ne Evangelistæ offenderent in lapidem: illo enim in cœlo posito capite, pedes qui in terra laborabant, possent offendere in lapidem. In quem lapidem? In Legem in tabulis lapideis datam. Ne ergo Legis rei fierent, non accepta gratia, et in Lege rei tenerentur; ipsa est enim offensio reatus: quos Lex tenebat reos, absolvit Dominus, ut jam in Legem non offenderent. Ne pedes hujus capitis incurrerent in Legis reatum, missus est Spiritus sanctus ut amorem faceret, et solveret a timore. Timor Legem non implebat, amor implevit. Timuerunt homines, et non impleverunt; amaverunt et impleverunt. Quomodo timuerunt, et non impleverunt; amaverunt, et impleverunt? Timebant homines, et rapiebant res alienas; amaverunt, et donaverunt suas. Ergo non est mirandum quia ideo in manibus Angelorum assumptus est Dominus in cœlum, ne offenderet ad lapidem pes ejus: ne illi qui in terra laborabant in corpore ejus, peragrantes totum orbem terrarum fierent rei Legis, subtraxit ab eis timorem, et implevit eos amore. Timore Petrus ter negavit (*Matth.* XXVI, 69-75); nondum enim acceperat Spiritum sanctum: accepto postea Spiritu sancto, cum fiducia cœpit prædicare. Qui ad vocem ancillæ ter negavit; accepto Spiritu sancto, inter flagella principum confessus est quem negaverat (*Act.* II, V, *etc.*). Non mirum; quia Dominus ipsum trinum timorem trino amore dissolvit. Resurgens enim a mortuis ait Petro: *Petre, amas me?* Non dixit: Times me? Nam si adhuc timeret, offenderet ad lapidem pedem suum. *Amas me?* inquit; et ille: *Amo.* Sufficiebat semel. Forte mihi sufficeret, qui cor non video; quanto magis sufficeret Domino, qui videbat quibus medullis viscerum suorum dicebat Petrus: *Amo?* Non sufficit Domino respondere semel; interrogat iterum, et respondet ille: *Amo* [1]. Interrogat tertio, et jam tædio affectus Petrus, quasi dubitaret Dominus de amore ipsius: *Domine, tu*, inquit, *scis omnia, tu scis quia amo te* (*Joan.* XXI, 15-17). Sed Dominus cum illo sic egit, tanquam diceret: Ter me negasti timendo, ter confitere amando. Isto amore et ista charitate replevit discipulos suos. Quare? Quia altissimum posuit refugium suum: quia clarificatus misit Spiritum sanctum, solvit credentes a reatu Legis, ne in lapidem offenderent pedes ejus.

9. [*Vers.* 13.] Jam cætera manifesta sunt, fratres, quia sæpe tractata sunt. *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem* (a). Quis sit serpens, nostis: quomodo super illum calcet Ecclesia, quæ non vincitur, quia cavet astutias ipsius. Quemadmodum autem sit leo et draco, puto et hoc nosse Charitatem vestram. Leo aperte sævit; draco occulte insidiatur: utramque vim et potestatem habet diabolus. Quando martyres occidebantur, leo erat sæviens: quando hæretici insidiantur, draco est subrepens. Vicisti leonem, vince et draconem: non te fregit [2] leo, non te decipiat draco. Probemus quia leo erat, quando aperte sæviebat. Exhortans martyres Petrus ait: *Nescitis quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (I *Petr.* V, 8)? Aperte sæviens leo quærebat quem devoraret: draco quomodo insidiatur? Per hæreticos. Tales timens Paulus, ne ab illis corrumperetur Ecclesia a virginitate fidei, quam gestat in corde, ait: « Desponsavi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo; et timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita et mentes vestræ corrumpantur a castitate quæ est in Christo » (II *Cor.* XI, 2 *et* 3). Virginitatem corporis paucæ feminæ habent in Ecclesia; sed virginitatem cordis omnes fideles habent. In ipsa fide virginitatem cordis timebat corrumpi a diabolo; quam qui perdiderint, sine causa sunt virgines corpore. Corrupta corde quid servat in corpore? Adeo mulier catholica præcedit virginem hæreticam. Illa enim non est virgo in corpore, ista mulier facta est in corde; et mulier non a marito Deo, sed a serpente. Quid autem Ecclesia? *Super aspidem et basiliscum ambulabis.* Rex est serpentium basiliscus, sicut diabolus rex est dæmoniorum. *Et conculcabis leonem et draconem.*

10. [*Vers.* 14.] Jam verba Dei ad Ecclesiam: *Quo-*

[1] In B. omittitur vox, *nisi*, quam ex Er. Ven. et Lov. restituimus. M.

[1] Sic Er. Ven. et Lov. In B. deest, *Amo.* M.

[2] Nostri omnes Mss., *frangat.*

(a) De hoc versu jam supra, in Enarr. Psal. XXXIX, n. 1.

niam in me speravit, eruam eum. Non solum ergo caput, quod modo sedet in cœlo, quia altissimum posuit refugium suum, ad quod non accedent mala, et flagellum non appropinquabit tabernaculo ejus; sed et nos qui laboramus in terra, et adhuc in tentationibus vivimus, quorum gressus timentur, ne in laqueos incidant, audiamus vocem Domini Dei nostri consolantis nos, et dicentis nobis : *Quoniam in me speravit, eruam eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.*

11. [*vers.* 15.] *Invocabit* [1] *me, et ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione.* Noli timere quando tribularis, ne quasi non tecum sit Deus. Fides sit tecum, et tecum est Deus in tribulatione. Fluctus sunt maris, turbaris in navigio, quia dormit Christus. Dormiebat in navi Christus, peribant homines (*Matth.* VIII, 24, 25). Si fides tua dormit in corde tuo, tanquam in navi tua dormit Christus : quia Christus per fidem in te habitat. Cum turbari cœperis, excita Christum dormientem; erige fidem tuam, et noveris quia non te deserit. Sed ideo putas te deseri, quia non quando (*a*) vis eripit. Eripuit tres pueros de igne (*Dan.* III, 49, 50). Qui eripuit tres pueros, deseruit Machabæos (II *Machab.* VII)? Absit. Et illos eripuit, et illos : illos corporaliter, ut infideles confunderentur; istos spiritualiter, ut fideles imitarentur. *Cum ipso sum in tribulatione; et eximam eum, et glorificabo eum.*

12. [*vers.* 16.] *Longitudine dierum replebo eum.* Quæ est longitudo dierum? Vita æterna. Fratres, nolite putare longitudinem dierum dici, sicut sunt hieme dies minores, æstate dies majores. Tales dies nobis habet dare? Longitudo illa est quæ non habet finem, æterna vita quæ nobis promittitur in diebus longis. Et vere, quia sufficit, non sine causa dixit, *replebo eum.* Non nobis sufficit quidquid longum est in tempore, si habet finem; et ideo nec longum dicendum est. Et si avari sumus, vitæ æternæ debemus esse avari : talem vitam desiderate, quæ non habet finem. Ecce ubi extendatur avaritia nostra. Argentum vis sine fine? Vitam æternam desidera sine fine. Non vis ut habeat finem possessio tua? Vitam æternam quære. *Longitudine dierum replebo eum.*

13. *Et ostendam illi salutare meum.* Nec hoc, fratres, breviter prætereundum est. *Ostendam illi salutare meum :* hoc dicit, Ostendam illi ipsum Christum. Quare? non est visus in terra? Quid magnum nobis habet ostendere? Sed non est visus tali visu, quali videbimus. Tali visu visus est, quali qui viderunt, crucifixerunt : ecce qui viderunt, crucifixerunt; nos non vidimus, et credidimus [2]. Illi oculos habebant, nos non habemus? Imo et nos cordis habemus; sed per fidem adhuc videmus [3], non per speciem. Quando erit species? Quando videbimus *facie ad faciem,* quod dicit Apostolus (I *Cor.* XIII, 12) : quod nobis promittit Deus in magno præmio omnium laborum nostrorum. Quidquid laboras, ad hoc laboras, ut videas. Nescio quid magnum est quod visuri sumus, quando tota merces nostra visio est : et ipsum magnum visum hoc est, Dominus noster Jesus Christus. Ipse qui humilis visus est, ipse videbitur magnus, et lætificabit nos, quomodo videtur modo ab Angelis · *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Attendite qui hoc promisit, ipsum Dominum in Evangelio dicentem : *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.* Et quasi diceretur ei, Et quid ei dabis qui diligit te? *Ostendam,* inquit, *meipsum illi* (*Id.* XIV, 21). Desideremus, et amemus : flagremus, si sponsa sumus. Sponsus absens est, sustineamus : veniet quem desideramus. Tantum pignus dedit, non timeat sponsa ne deseratur ab sponso : non dimittit pignus suum. Quod pignus dedit? Sanguinem suum fudit. Quod pignus dedit? Spiritum sanctum misit. Talia pignora dimittet ille sponsus? Si non amaret, talia pignora non daret. Jam amat. O si sic amaremus! Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis (*Joan.* XV, 13) : et nos quomodo possumus ponere animas nostras pro illo? Quid illi prodest, quando jam altissimum posuit refugium suum, et flagellum non appropinquat tabernaculo ejus? Sed quid dicit Joannes? *Sicut Christus pro nobis animam posuit, sic et nos debemus pro fratribus animam ponere* (I *Joan.* III, 16). Unusquisque ponens pro fratre animam, pro Christo ponit; quomodo pascens fratrem, Christum pascit : *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40). Amemus, et imitemur; curramus post unguenta ejus, quomodo dicitur in Canticis canticorum : *Post odorem unguentorum tuorum curremus* (*Cant.* I, 3). Venit enim et olevit, et odor ipsius implevit mundum. Unde odor? De cœlo. Sequere ergo ad cœlum, si non falsum respondes cum dicitur, Sursum cor, sursum cogitationem, sursum amorem, sursum spem; ne putrescat in terra. Triticum non audes ponere in humida terra, ne putrescat, quia laborasti et messuisti, triturasti et ventilasti. Quæris locum tritico tuo, et non quæris locum cordi tuo? non quæris locum thesauro tuo? Fac quidquid poteris in terra : eroga : non perdes, sed recondes. Et quis servat? Christus qui et te servat. Te novit servare, thesaurum tuum non novit servare? Quare autem vult ut locum mutes thesauro tuo, nisi ut locum mutes cordi tuo? Nemo enim cogitat nisi de thesauro suo. Quam multi hic sunt qui me modo audiunt, et non est cor eorum nisi in saccellis suis? In terra estis, quia in terra est quod amatis : mittatur in cœlum, et erit ibi cor vestrum. Ubi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum (*Matth.* VI, 21).

[1] Sic Reg. Ms. At Edd., *Invocavit.*
[2] Edd., *videmus et credimus.* Plures Mss., *vidimus et credidimus.*
[3] Omnes prope Mss., *vivimus.*
(*a*) Forte, *quomodo :* id est, quia non corporaliter eripit.

IN PSALMUM XCI
ENARRATIO.
SERMO (a).

1. Attendite ad Psalmum : det nobis Dominus aperire mysteria quæ hic continentur; cum propter fastidium animorum eadem diverse varieque tractantur. Nam nullum aliud canticum nos docet Deus, nisi fidei, spei, et charitatis : ut fides nostra firma sit in ipso, quamdiu non illum videmus, credentes in eum quem non videmus, ut gaudeamus cum viderimus, et fidei nostræ succedat species lucis ejus, ubi jam non nobis dicatur, Crede quod non vides; sed, gaude quia vides. Spes etiam nostra incommutabilis sit, et figatur in illo, et non nutet et fluctuet, non agitetur; sicut ipse Deus in quo figitur, non potest agitari. Spes enim modo vocatur; tunc non spes, sed res erit. Tamdiu enim vocatur spes, quamdiu non videtur quod speratur, dicente Apostolo : *Spes autem quæ videtur, non est spes : quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 24 *et* 25). Modo ergo patientia necessaria est, quamdiu veniat quod promissum est. Nemo autem patiens est in bonis. Quando exigitur de homine patientia, in malis agit : quando dicitur, Patiens esto, tolera, sustine, molestia est, sub qua te Deus vult esse fortem, tolerantem, longanimem, patientem. Sed numquid decipit qui promisit? Medicus exserit ferrum ad secandum vulnera, et dicit ei quem secturus est, Patiens esto, sustine, tolera : in doloribus exigit patientiam, sed post dolores promittit salutem. Et ille qui tolerat dolores in ferro medici, nisi sibi proponat sanitatem, quam nondum habet, deficit in dolore quem patitur. Multa ergo mala sunt in isto sæculo, intus, foris; prorsus non cessant, abundant scandala : nemo illa sentit, nisi qui graditur viam Dei. Ei dicitur in omnibus divinis paginis, ut toleret præsentia, speret futura, amet quem non videt, ut amplectatur cum viderit. Charitas enim quæ tertia nobis adjungitur ad fidem et spem, major est supra fidem et spem (I *Cor.* XIII, 13) : quia fides rerum est quæ non videntur; erit autem species [1] cum visæ fuerint : et spes rei est quæ non tenetur; quæ adveniente ipsa re, non erit jam spes, quia tenebimus, non sperabimus : charitas autem non novit nisi crescere magis magisque. Si enim amamus quem non videmus, quomodo amaturi sumus cum viderimus? Desiderium ergo nostrum crescat. Christiani non sumus [2], nisi propter futurum sæculum : nemo præsentia bona speret, nemo sibi promittat felicitatem mundi, quia christianus est; sed utatur felicitate præsenti, ut potest, quomodo potest, quando potest, quantum potest. Cum adest, consolationi Dei gratias agat : cum deest, justitiæ Dei gratias agat. Ubique sit gratus, nusquam ingratus : et Patri consolanti et blandienti gratus sit; et Patri emendanti et flagellanti et disciplinam danti gratus sit; amat enim ille semper, sive blandiatur, sive minetur : et dicat quod audistis in Psalmo, *Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime.*

2. [*vers.* 1.] Titulus Psalmi habet, *Psalmus cantici in diem* [1] *sabbati*. Ecce et hodiernus dies sabbati est : hunc in præsenti tempore otio quodam corporaliter languido et fluxo et luxurioso celebrant Judæi. Vacant enim ad nugas; et cum Deus præceperit sabbatum (*Exod.* XX, 8), illi in his quæ Deus prohibet exercent sabbatum. Vacatio nostra a malis operibus, vacatio illorum a bonis operibus est. Melius est enim arare, quam saltare. Illi ab opere bono vacant; ab opere nugatorio non vacant. Nobis sabbatum indicit Deus. Quale? Primo ubi sit videte. Intus est, in corde est sabbatum nostrum. Multi enim vacant membris, et tumultuantur conscientia. Omnis homo malus, sabbatum habere non potest : nusquam enim illi conquiescit conscientia; necesse est in perturbationibus vivat. Cui autem bona est conscientia, tranquillus est; et ipsa tranquillitas sabbatum est cordis. Attendit enim promissorem Dominum; et si laborat in præsenti, extenditur spe futuri, et serenatur omne nubilum tristitiæ; sicut dicit Apostolus, *Spe gaudentes* (*Rom.* XII, 12). Ipsum autem gaudium in tranquillitate spei nostræ, sabbatum nostrum est. Hoc commendatur, hoc cantatur in isto psalmo, quomodo sit homo christianus in sabbato cordis sui, id est, in vacatione et tranquillitate et serenitate conscientiæ suæ non perturbatus. Inde dicit hic, unde solent perturbari homines, et docet te agere sabbatum in corde tuo.

3. [*vers.* 2.] Primum est, ut tu ipse, si aliquid profecisti, Deo confitearis ex eo quod profecisti, quia munera ipsius sunt, non merita tua. Hinc incipe sabbatum, non tibi tribuendo quasi non acceperis quod accepisti (I *Cor.* IV, 7); neque excusando te ab eo quod facis mali, quia ipsa sunt tua. Perversi enim homines et perturbati, qui non agunt sabbatum, mala sua Deo tribuunt, bona sua sibi. Si quid boni fecerit, Ego feci, dicit : si quid mali fecerit, quærit quem accuset, ne confiteatur Deo [2]. Et quid est, Quærit quem accuset? Si non est valde impius, ad manum habet satanam quem accuset : Satanas fecit, dicit, ipse mihi persuasit : quasi satanas habeat potestatem cogendi. Astutiam suadendi habet. Sed si satanas loqueretur, et taceret Deus, haberes unde te excusares : modo aures tuæ positæ sunt inter monentem Deum, et suggerentem serpentem. Quare huc flectuntur, hinc avertuntur? Non cessat satanas suadere malum; sed nec Deus cessat admonere bonum. Satanas autem non cogit invitum : in tua potestate est consentire, aut non consentire. Si aliquid persuadente satana mali feceris; dimitte satanam, accusa te, ut accusatione tua Dei misericordiam merearis. Expetis [3] illum accusare qui non habet veniam? Te accusa, et accipis indulgentiam. Deinde multi non accusant satanam,

[1] Sic Mss. Edd. vero, *erunt autem species*.
[2] Sic Am. et aliquot Mss. At Er. et Lov., *non simus*.
(a) Ad populum habitus die sabbati, ex n. 2.

[1] Sic meliores Mss. juxta Græc. LXX. At Edd., *in die*.
[2] Plures Mss., *non confitetur Deo*.
[3] Mss., *Exspectas*.

sed accusant fatum. Fatum meum me duxit, dicit. Cum dixeris illi, Quare fecisti? quare peccasti? Et ille: Fato meo malo. Ne dicat, Ego feci, jam manus ad Deum tendit; lingua blasphemat. Nondum quidem hoc aperte dicit, sed tamen attende, et vide quia hoc dicit. Quæris ab illo quid sit fatum; et dicit, Stellæ malæ. Quæris ab illo quis fecit stellas, quis ordinavit stellas; non habet quid tibi respondeat, nisi Deus. Restat ergo ut sive per transennam, sive per cannam longam, sive per proximum [1], Deum accuset; et cum Deus puniat peccata, Deum faciat auctorem peccatorum suorum. Non potest enim fieri ut puniat quod fecit: punit quod facis, ut liberet quod fecit. Aliquando autem, dimissis omnibus, omnino directe eunt in Deum; et quando peccant, dicunt: Deus hoc voluit; si nollet Deus, non peccarem. Ad hoc monet ut non solum non audiatur ut non pecces, sed accusetur quia peccas? Quid ergo nos docet psalmus iste? *Bonum est confiteri Domino*. Quid est, *confiteri Domino?* In utraque re, et in peccato tuo, quia tu fecisti, et in bono facto, confitere Domino, quia ipse fecit. Tunc psalles nomini Dei altissimi: quærens gloriam Dei, non tuam; nomen ipsius, non tuum. Si enim tu quæris nomen Dei, quærit et ipse nomen tuum: si autem tu neglexeris nomen Dei, delet et ipse nomen tuum. Quomodo autem dixi, Quærit nomen tuum? Quomodo dixit discipulis suis venientibus, posteaquam misit eos evangelizare. Cum fecissent multa miracula, et in nomine Christi dæmonia ejecissent, redeuntes dixerunt: *Domine, ecce dæmonia nobis subjecta sunt*. Dixerunt quidem, *in nomine tuo;* sed ille vidit in eis quia ipsa glorificatione gaudebant, et extollebant se, et ibant inde in superbiam, quia licuit illis expellere dæmonia. Vidit illos quærere gloriam suam, et ait illis, quærens ipse, imo conservans nomina eorum apud se: *Nolite gaudere in hoc; gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* x, 17, 20). Ecce ubi habes nomen, si tu nomen Dei non negligas. Psalle ergo nomini Dei, ut fixum sit apud Deum nomen tuum. Psallere autem quid est, fratres? Psalterium organi genus est; chordas habet. Opus nostrum, psalterium nostrum est: quicumque manibus operatur opera bona, psallit Deo; quicumque ore confitetur, cantat Deo. Canta ore, psalle operibus. Ad quam rem?

4. [*vers.* 3.] *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem.* Quid sibi vult quia mane annuntianda est misericordia Dei, et per noctem veritas Dei? Mane dicitur, quando nobis bene est: nox dicitur, quando tristitia tribulationis est. Quid ergo dixit breviter? Quando tibi bene est, gaude Deo, quia misericordia ipsius est. Jam tu forte diceres: Si ergo gaudeo Deo, quando mihi bene est, quia misericordia ipsius est; quando in tristitia, in tribulatione sum, quid facio? Misericordia ipsius est, quando mihi bene est; crudelitas ergo ipsius, quando male est? Si laudo misericordiam, quando bene est; reprehendam ergo crudelitatem, quando male est? Non. Sed quando bene est, lauda misericordiam; quando male, lauda veritatem: quia peccata flagellat, non est iniquus. In nocte erat Daniel, quando orabat: erat enim in captivitate Jerusalem, erat in potestate hostium. Tunc multa mala sancti patiebantur: tunc ipse in lacum leonum missus est, tunc tres pueri in ignem præcipitati sunt (*Dan.* vi, iii). Hæc patiebatur in captivitate populus Israel: nox erat. Per noctem confitebatur Daniel veritatem Dei; dicebat in oratione, *Peccavimus, impie egimus, iniquitatem fecimus: tibi, Domine, gloria, nobis confusio* (*Id.* ix, 5, 7). Veritatem Dei annuntiabat per noctem. Quid est, veritatem Dei annuntiare per noctem? Non accusare Deum, quia pateris aliquid mali; sed tribuere illud peccatis tuis, emendationi ipsius: *Ad annuntiandum mane misericordiam ipsius, et veritatem per noctem*. Cum misericordiam annuntias mane, et veritatem per noctem, semper laudas Deum, semper confiteris Deo, et psallis nomini ejus.

5. [*vers.* 4.] *In decachordo psalterio, cum cantico in cithara*. Decachordum psalterium non modo audistis. Decachordum psalterium significat decem præcepta Legis. Sed cantare in illo opus est, non portare psalterium. Nam et Judæi habent Legem; portant, non psallunt. Qui sunt qui psallunt? Qui operantur. Parum est: qui operantur cum tristitia, nondum psallunt. Qui sunt qui psallunt? Qui cum hilaritate faciunt bene. In psallendo enim hilaritas est. Et quid dicit Apostolus? *Hilarem enim datorem diligit Deus* (II *Cor.* ix, 7). Quidquid facis, cum hilaritate fac: bonum tunc et bene facis. Si autem cum tristitia facis, fit de te, non facis; et portas magis psalterium, non cantas. *In psalterio decachordo, cum cantico in cithara:* hoc est, verbo et opere. *Cum cantico*, verbo; *in cithara*, opere. Si verba sola dicis, quasi canticum solum habes, citharam non habes: si operaris, et non loqueris, quasi solam citharam habes. Propter hoc et loquere bene, et fac bene, si vis habere canticum cum cithara.

6. [*vers.* 5.] *Quia jucundasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo*. Videtis quid dicat. Tu me fecisti bene viventem, tu me formasti: si quid forte boni facio, in factura manuum tuarum exsultabo: quomodo dicit Apostolus, *Ipsius enim sumus figmentum, creati in operibus bonis* (*Ephes.* ii, 10). Nisi enim te formaret ad opera bona, non nosses nisi opera tua mala. *Qui enim loquitur mendacium, de suo loquitur* (*Joan.* viii, 44): hoc Evangelium dicit. Omne peccatum mendacium est. Contra legem enim et contra veritatem quidquid est, mendacium dicitur. Ergo quid ait? *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur;* id est, qui peccat, de suo peccat. Attendite sententiam contra. Si enim qui loquitur mendacium, de suo loquitur; restat ut qui loquitur veritatem, de Dei [1] loquatur. Ideo dicitur in alio loco: *Deus solus verax; omnis autem homo mendax* (*Rom.* iii, 4). Non tibi dicitur in hac sententia, Vade, securus mentire, quia homo es: imo vide te hominem, quia mendax es; et ut sis verax, bibe veritatem,

[1] Plures optimæ notæ Mss., *proximam*.

[1] Sic Mss. At Edd., *de Deo:* mendum quod jam supra correximus.

ut de Deo ructes, ut sis verax. Quia de tuo illam non potes habere [1], restat ut inde illam bibas, unde fluit. Quomodo si a luce recesseris, in tenebris es: quomodo lapis non de se fervet, sed vel a sole vel ab igne, si eum calori subtraxeris [2], frigescit; ibi apparet, quia quod fervebat, non erat ipsius; sed fervebat vel a sole vel ab igne: sic et tu si a Deo recesseris, frigesces; si ad Deum accesseris, fervesces; sicut dicit Apostolus, *Spiritu ferventes* (*Rom.* xii, 11). Item de luce quid dicit? Si ad eum accesseris, in lumine eris; ideo psalmus dicit: *Accedite ad eum, et illuminamini; et vultus vestri non erubescent* (*Psal.* xxxiii, 5). Quia ergo nihil boni potes operari, nisi illuminatus a lumine Dei, et fervefactus a Spiritu Dei; quando videris te bene operantem, confitere Deo, et dic quod ait Apostolus, dic tibi ne extollaris: *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* iv, 7)? Hic ergo confitetur Deo et docet nos bonam confessionem, quia dicit [3]: *Jucundasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exsultabo.*

7. Quid agimus de illis qui male vivunt, et florent? Hinc enim perturbatum animum habet qui perdit sabbatum [4]: videt se in bonis operibus quotidie versantem, et laborantem in angustia rerum, forte in inopia rei familiaris, forte in fame et siti et nuditate, forte se in carcere bona facientem, et illum a quo in carcerem missus est et mala facientem et exsultantem; et subintrat cor pessima cogitatio adversus Deum, et dicit: Deus, quare tibi servio? quare obedio verbis tuis? Non rapui aliena, non furtum feci, non hominem occidi, non cujusquam rem concupivi, non falsum testimonium adversus aliquem dixi, non patri vel matri injuriam feci, non ad idola inclinatus sum, non accepi nomen Domini Dei in vanum: servavi me a peccato. Enumerat decem chordas, id est, decem præcepta Legis (*Exod.* xx, 1-17), et interrogat se secundum singula, et videt se non peccasse, nec in uno; et contristatur quia talia mala patitur. Et illi qui, non dico, aliquas chordas tangunt, sed nec tangunt ipsum psalterium, et nihil boni operantur, consulunt idola: et forte tunc videntur christiani, quando nihil mali patitur domus eorum; quando autem aliqua ibi tribulatio est, currunt ad pythonem, aut sortilegum, aut mathematicum. Dicitur illi nomen Christi; subsannat, torquet os. Dicitur illi: Fidelis, consulis mathematicum? Et ille: Recede a me: ipse mihi prodidit res meas; nam perdidissem, et in planctu remansissem. Homo bone, nonne signas te signo crucis Christi? Et lex omnia ista prohibet. Gaudes quia res tuas invenisti; non es tristis quia tu peristi? Quanto melius tunica tua periret quam anima tua? Subsannat in his omnibus; contumeliosus est parentibus, odit inimicum, insectatur usque ad mortem, furatur ubi occasionem invenerit, a falso testimonio non cessat, insidiatur matrimonio alieno, concupiscit rem proximi sui: facit hæc omnia, et floret in divitiis, in honoribus, in excellentia mundi hujus. Videt cum ille miser bene operans, et mala patiens; perturbatur et dicit: Deus, puto, mali tibi placent, et bonos odisti, amas eos qui faciunt iniquitatem. Si commotus fuerit, et illi cogitationi consenserit, perdet sabbatum de corde: jam incipit ad psalterium hoc non attendere; deviavit inde, sine causa cantat, *Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime.* Jam perdito sabbato ab interiore homine et exclusa quiete cordis, et bona cogitatione repulsa, incipit jam imitari illum quem videt in malis florentem; et convertit se et ipse ad facienda mala. Deus autem patiens est, quia æternus est, et novit diem judicii sui, ubi omnia examinat.

8. [*vers.* 6.] Hoc nos docens quid ait? *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.* Revera, fratres mei, nullum mare tam profundum est quam est ista cogitatio Dei, ut mali floreant, et boni laborent: nihil tam profundum, nihil tam altum; ibi naufragat omnis infidelis, in isto alto, in isto profundo. Vis transire profundum hoc? A ligno Christi noli resilire; non mergeris: tene te ad Christum. Quid est quod dico, tene te ad Christum? Ideo voluit ipse in terra laborare. Audistis, cum propheta legeretur, non avertisse eum scapulas a flagellis, non avertisse eum faciem a sputis hominum, non avertisse maxillam a psalmis eorum (*Isai.* l, 6): quare omnia ista pati voluit, nisi ut consoletur patientes? Et poterat et ipse in fine resuscitare carnem suam; sed tu qui non videras, non esset quod sperares: non distulit resurrectionem suam, ne tu adhuc dubitares. Eo ergo fine patere et tolera tribulationes in mundo, quem [1] attendisti in Christo; et non te moveant qui faciunt mala, et in isto sæculo florent. *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes Dei.* Ubi est [2] cogitatio Dei? Ad præsens habenas laxat; sed postea astringet. Noli gaudere ad piscem qui in esca sua exsultat; nondum traxit hamum [3] piscator: nam jam ille hamum habet in faucibus. Et quod tibi videtur longum, breve est: omnia ista cito transeunt. Quid est longa vita hominis ad æternitatem Dei? Vis esse longanimis? Vide æternitatem Dei. Nam attendis ad dies tuos paucos, et diebus tuis paucis vis impleri omnia. Quæ omnia? Ut damnentur omnes impii, et coronentur omnes boni. Istis diebus tuis vis hæc impleri? Implet illa Deus tempore suo. Quid tu tædium pateris et facis [4]? Æternus est; tardat, longanimis est: tu autem dicis, Ideo ego non sum longanimis, quia temporalis sum. Sed in potestate habes: junge cor tuum æternitati Dei, et cum illo æternus eris. Quid enim dictum est de temporali-

[1] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *bibere.*
[2] Tres Mss., *si ei calorem subtraxeris.*
[3] Aliquot Mss., *qua dicit.*
[4] Sic potiores Mss. At Lov., *Hi enim perturbatum animum habent, et perdunt sabbatum. Et qui perdit sabbatum, videt se*, etc. Nec secus Er., nisi quod habet, *Et perdit sabbatum, qui videt se*, etc.

[1] Er., *quemadmodum.* Am. et Lov., *quas.* At Mss., *quem;* subintellige, *finem.*
[2] Aliquot Mss, *ibi est*, etc.
[3] Plerique Mss., *manum.*
[4] Plures probæ notæ Mss., *Quod autem diu pateris et facis.*

bus? *Omnis caro fenum, et omnis claritas carnis ut flos feni: fenum aruit, et flos decidit* (*Isai.* XL, 6-8). Omnia ergo arescunt et decidunt; non verbum illud: *Verbum enim Domini manet in æternum*. Transit fenum, transit claritas feni; sed habes quo te teneas: *Verbum Domini manet in æternum*. Dic ergo illi: *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*. Tenuisti lignum, transis per istam profunditatem. Vides ibi aliquid? intelligis ibi aliquid? Intelligo, dicis. Si fam christianus es, et bene eruditus, dicis: Deus judicio suo reservat omnia. Boni laborant, quia flagellantur ut filii: mali exsultant, quia damnantur ut alieni. Duos filios habet homo; alterum castigat, alterum dimittit: facit unus male, et non corripitur a patre; alter mox ut se moverit, colaphis cæditur, flagellatur. Unde ille dimittitur, ille cæditur, nisi quia huic cæso hæreditas servatur, ille autem dimissus exhæredatus est? Videt eum non habere spem, et dimittit eum ut faciat quod vult. Puer autem qui flagellatur, si cor non habuerit, et imprudens fuerit et stultus, gratulatur fratri suo qui non vapulat; et gemit de se, et dicit in corde suo: Tanta mala facit frater meus, quidquid vult facit contra præcepta patris mei, et nemo illi facit verbum durum; ego, mox ut me movero, cædor. Stultus est, imprudens est; attendit quid patitur, non attendit quid illi servatur.

9. [*vers.* 7, 8.] Ideo cum dixisset, *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ;* subjecit statim, *Vir imprudens non cognoscet, et stultus non intelliget ea*. Quæ sunt quæ non intelliget stultus, et quæ non cognoscet imprudens? *Cum exoriuntur peccatores sicut fenum*. Quid est, *sicut fenum?* Virent cum hiems est; sed arescent æstate. Attendis florem feni. Quid citius transit? Quid lucidius? quid viridius? Non te delectet viriditas ipsius, sed time ariditatem ipsius. Audisti *peccatores sicut fenum*, audi et justos: *Quoniam ecce* [1]. Interim videte peccatores; sicut fenum florent, bene: sed qui sunt qui non cognoscunt? Stulti et imprudentes. *Cum exoriuntur peccatores sicut fenum, et prospexerint omnes qui operantur iniquitatem*. Omnes qui in corde suo non recta sentiunt de Deo, prospexerunt peccatores exorientes sicut fenum, id est, florentes ad tempus. Quare illos prospiciunt? *Ut intereant in sæculum sæculi*. Attendunt enim florem ipsorum temporalem, imitantur illos, et volentes cum illis florere ad tempus, intereunt in æternum: hoc est, *Ut intereant in sæculum sæculi*.

10. [*vers.* 9, 10.] *Tu autem Altissimus in æternum es, Domine*. Expectans desuper ex æternitate tua quando transeat tempus iniquorum, et veniat tempus justorum. *Quoniam ecce*. Intendite, fratres. Jam et ipse qui loquitur [2] (loquitur enim ex persona nostra, loquitur ex persona corporis Christi: Christus enim loquitur in corpore suo, id est, in Ecclesia sua), jam junxit se æternitati Dei: sicut vobis paulo ante dicebam, longanimis est Deus et patiens, omnia ista quæ videt mala a malis fieri tolerat. Quare? Quia æternus est, et videt quid illis servet. Vis et tu esse longanimis et patiens? Junge te æternitati Dei; cum illo exspecta illa quæ infra te sunt: cum enim adhæserit cor tuum Altissimo, infra te erunt omnia mortalia; et dic quod sequitur, *Quoniam ecce inimici tui peribunt*. Qui modo florent, postea peribunt. Qui sunt inimici Dei? Fratres, forte illos solos putatis inimicos Dei qui blasphemant? Sunt quidem et ipsi, et atroces isti qui nec lingua nec cogitationibus malis parcunt injuriis Dei. Et quid faciunt Deo excelso, æterno? Si pugno in columnam ferias, tu læderis: et putas quia blasphemia Deum percutiens non tu disrumperis? nam nihil facis Deo. Sed inimici Dei aperte blasphematores sunt, et quotidie occulti inveniuntur. Cavete tales inimicitias Dei. Quosdam enim occultos inimicos Dei Scriptura aperit; ut quia non illos potes nosse corde tuo, noveris illos in Scriptura Dei, et caveas inveniri cum illis. Aperte dicit Jacobus in Epistola sua: *Nescitis quia amicus hujus mundi, inimicus Dei constituitur* (*Jacobi* IV, 4)? Audisti. Non vis esse inimicus Dei? Noli esse amicus hujus mundi: nam si amicus fueris hujus mundi, inimicus eris Deo. Quomodo enim non potest fieri adultera conjux, nisi inimica sit viro suo: sic anima adultera amore rerum sæcularium, non potest nisi inimica esse Deo. Timet, sed non amat: pœnam timet, non justitia delectatur. Ergo inimici Dei omnes amatores mundi, omnes inquisitores nugarum, omnes consultores sortilegorum, mathematicorum, pythonum. Intrent [1] ecclesias, non intrent ecclesias; inimici Dei sunt. Ad tempus possunt florere sicut fenum; peribunt autem, cum ille inspicere cœperit, et judicium suum in omnem carnem adduxerit. Junge te Scripturæ Dei, et dic illud cum isto psalmo: *Quoniam ecce inimici tui peribunt*. Non ibi inveniaris, ubi peribunt. *Et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem*.

11. [*vers.* 11.] Quid tu qui laboras modo, si inimici Dei peribunt, et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem? tu qui inter ista scandala, inter iniquitates humanas gemis, qui tribularis in carne, sed gaudes in corde, quid tu? quæ tibi spes, o corpus Christi? O Christe, qui in cœlis sedes ad dexteram Patris, sed pedibus tuis et membris tuis laboras in terra, et dicis, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? tu quam spem habebis, si inimici Dei peribunt, et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem? quid tibi erit? *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum*. Quare dixit, *sicut unicornis?* Aliquando unicornis significat superbiam, aliquando unicornis exaltationem unitatis significat: quia unitas exaltatur, omnes hæreses cum inimicis Dei peribunt. *Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum*. Et quando erit? *Et senectus mea in misericordia pingui*. Quid dixit, *senectus mea?* Novissima mea. Quomodo in ætatibus nostris novissima senectus est; sic totum hoc quod modo patitur corpus Christi in laboribus, in ærumnis, in vigiliis, in fame, in siti, in scandalis, in iniquitatibus, in pressuris, juventus

[1] Apud Er. Ven. et Lov., *Quomodo? Ecce interim*, etc. M.
[2] Sic Mss. præter alterum e Corb. qui habet, *et ipsum qui*. At Edd., *et ipse loquitur*; omisso, *qui*.

[1] Sic Am. Er. et plerique Mss. At Lov., *Intrant*.

ipsius est : senectus ipsius, id est, novissima ipsius in lætitia erunt. Et intendat Charitas vestra, quia dixit senectutem, ne putetis et mortem : homo enim in carne ideo senescit, ut moriatur. Senecta Ecclesiæ candida erit recte factis, morte autem non corrumpetur. Quod est caput senis, hoc erunt opera nostra. Videtis quemadmodum canescat caput, et inalbescat, quantumcumque senectus accedit. Qui bene senescit ordine suo, quæris illi aliquando in capite capillum nigrum, et non invenis : sic cum fuerit vita nostra talis, ut quæratur nigritudo peccatorum, et non inveniatur; senecta ista juvenilis est, senecta ista viridis est, semper virebit. Audistis de feno peccatorum, audite de senecta justorum : *Senectus in mea misericordia pingui.*

12. [*vers.* 12.] *Et respexit oculus meus in inimicis meis* [1]. Quos dicit inimicos suos? Omnes qui operantur iniquitatem. Noli attendere quia amicus tuus est iniquus [2] : incurrat negotium, et ibi illum probas. Incipis venire contra iniquitatem ipsius, et ibi videbis, quia quando tibi blandiebatur, inimicus erat; sed nondum pulsaveras, non ut institueretur in corde quod non erat, sed ut erumperet quod erat. *Et respexit oculus meus in inimicis meis; et in eis qui insurgunt in me malignantibus, audiet auris mea.* Quando? In senecta. Quid est, in senecta? In novissimo. Et quid audiet auris nostra? Stantes ad dexteram audiemus quod dicetur eis qui sunt ad sinistram : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 41). Ab isto auditu malo justus non timebit. Scitis quia dictum est in quodam psalmo : « In memoria æterna erit justus; ab auditu malo non timebit» (*Psal.* cxi, 7). Quo auditu malo? Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Et in eis qui insurgunt in me malignantibus, audiet auris mea. »

13. [*vers.* 13.] Transit fenum, transit flos peccatorum : quid de justis? *Justus ut palma florebit.* Illi exoriuntur sicut fenum; *justus ut palma florebit.* In palma altitudinem significavit. Forte et hoc significavit in palma, quia in novissimis suis pulchra est; ut initium ejus a terra ducas, finem ipsius in cacumine, ubi habet totam pulchritudinem : aspera radix videtur in terra, pulchra coma sub cœlo est. Erit ergo et tua pulchritudo in fine. Radix tua fixa sit : sed sursum versus habemus [3] radicem nostram. Radix enim nostra Christus est, qui ascendit in cœlum. Humiliatus exaltabitur. *Velut cedrus in Libano, multiplicabitur.* Videte quas arbores dixit : *Justus ut palma florebit; velut cedrus in Libano, multiplicabitur.* Numquid cum sol exierit, arescit palma? numquid arescit cedrus? Cum autem sol candens aliquando fuerit, arescit fenum. Veniet ergo judicium, ut arescant peccatores, et virescant fideles. *Velut cedrus in Libano, multiplicabitur.*

14. [*vers.* 14-16.] *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi : et tranquilli erunt, ut annuntient.* Hoc est sabbatum quod vobis paulo ante commendavi, unde habet titulum Psalmus. *Tranquilli erunt, ut annuntient.* Quare tranquilli annuntiant? Non illos movet fenum peccatorum : cedrus et palma nec in tempestatibus curvantur. Ergo tranquilli sint, ut annuntient : et vere, quia modo annuntiandum est et subsannantibus hominibus. O miseri homines amatores mundi! annuntiant vobis qui plantati sunt in domo Domini; qui confitentur Domino in cantico et cithara, in verbo et opere, annuntiant vobis, et dicunt vobis : Nolite seduci felicitate iniquorum, nolite attendere florem feni; nolite attendere ad tempus beatos, in æternum miseros. Nec ista beatitudo quæ modo foris videtur, vera est; nec in corde beati sunt, quia torquentur mala conscientia. Tu autem tranquillus esto, sperans de promissis Domini Dei tui. Quid enim annuntiabis in tranquillitate? *Quoniam rectus Dominus Deus, et non est iniquitas in eo.* Attendite, fratres, si plantati estis in domo Domini, si vultis florere sicut palma, et multiplicari sicut cedrus Libani, et non arescere sicut fenum sole candente; sicut hi qui videntur florere sole absente. Si ergo non vultis esse fenum, sed palma et cedrus, quid annuntiabitis [1]? *Quoniam rectus Dominus Deus, et non est iniquitas in illo.* Quomodo non est iniquitas? Tanta mala facit [2]; sanus est, filios habet, plenam domum, abundat gloria, exaltatur honoribus, de inimicis vindicatur, et omnia mala committit : alius innocens sui negotii [3], non rapiens aliena, non contra quemquam faciens, laborat in vinculis, in carceribus, in inopia æstuat et suspirat. Quomodo *non est iniquitas in eo?* Esto tranquillus, et intelliges; nam perturbaris, et in cubiculo tuo obscuras tibi lucem. Radiare tibi vult æternus Deus; noli tibi facere nubilum de perturbatione. Esto tranquillus in te, et vide quid tibi dicam. Quia Deus æternus est, quia modo parcit malis, adducens illos ad pœnitentiam; flagellat bonos, erudiens illos ad regnum cœlorum; *non est iniquitas in eo :* noli timere. Ecce ego flagellatus sum tantum, manifestum est, confiteor, peccavi : non enim dico me justum. Hoc enim dicunt plerique. Quando est forte quisquam in aliqua miseria, in doloribus, intras consolari illum : et ille, Peccavi, fateor, sunt peccata mea, agnosco illa; sed numquid tanta peccavi, quanta ille? Ego novi quanta fecit ille, ego novi quanta commisit : peccata mea sunt, fateor illa Deo, sed minora sunt quam illius; et ecce ille nihil mali patitur. Noli turbari, tranquillus esto, ut scias *quoniam rectus Dominus, et non est iniquitas in eo.* Quid, si te propterea flagellat modo, quia non tibi servat ignem sempiternum? Quid, si illum propterea dimittit modo, quia auditurus est, *Ite in ignem æternum?* Sed quando? Cum tu positus fueris ad dexteram, tunc dicetur positis ad sinistram : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Non

[1] Sic meliores Mss. juxta LXX. At Edd., *oculus meus inimicos meos.*
[2] Er. Ven. et Lov., *quia iniquus est tibi amicus.* M.
[3] Sic Am. Et Mss. At Er. et Lov., *habeamus.*

[1] Aliquot Mss., *et cedrus qui annuntietis.* Regius liber, *et cedrus, videte quid annuntietis.*
[2] Er. Ven. et Lov., *facit quis.* M.
[3] Probæ notæ Mss., *innocens negotii*, omisso, *sui.*

te ergo ista moveant: tranquillus esto, sabbatiza, et annuntia *quoniam rectus Dominus Deus, et non est iniquitas in eo.*

IN PSALMUM XCII
ENARRATIO.
SERMO AD PLEBEM.

1. Psalmi hujus titulum, cum pronuntiaretur, audivimus; et quid sibi velit, de Scriptura Dei, hoc est ex libro Genesis, non est difficile cognoscere: in titulo enim tanquam admonemur in limine quid intus quæramus. Inscriptus ergo est ita: *Laus cantici ipsi*[1] *David, in diem ante sabbatum, quando fundata est terra.* Recordantes ergo per omnes dies quid fecerit Deus, quando creavit et ordinavit universa a primo die usque ad sextum diem (septimum enim sanctificavit, quia in illo requievit post omnia opera, quæ fecit bona valde), et invenimus eum sexto die fecisse (qui dies hic commemoratur, quia dicit, *ante sabbatum*) omnia animalia in terra: deinde ipso die fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam. Non autem sine causa illi dies sic sunt ordinati, nisi quia et sæcula sic cursura erant, antequam requiescamus in Deo. Tunc autem requiescimus, si facimus opera bona. Ad hoc exemplum scriptum est de Deo, *Requievit Deus septimo die*, cum fecisset omnia opera bona valde (*Gen.* I, *et* II, 1-3). Non enim fatigatus est, ut requiesceret, aut modo non operatur; cum aperte Dominus Christus dicat: *Pater meus usque nunc operatur* (*Joan.* V, 17). Dicit illud enim Judæis, qui carnaliter sentiebant de Deo, nec intelligebant quia Deus cum quiete operatur, et semper operatur, et semper quietus est. Ergo et nos, quos in se voluit Deus tunc figurare, post omnia opera bona habebimus requiem. Et quidem opera bona nostra, fratres, quæ hic operamur in sæculo ante requiem, quasi cum labore sunt; et requies illa in spe est, nondum tenetur in re: et nisi esset in spe, deficeremus in labore; sed transeunt opera laboriosa et bona. Quid enim tam bonum, quam porrigere panem esurienti? et quod audiebamus modo, cum Evangelium legeretur, quid tam bonum, quam id quod admonebat generaliter, *Omnis qui habet duas tunicas, det non habenti; et qui habet escas, pascat esurientem* (*Luc.* III, 11)? Nudum vestire, bonum opus est: numquid semper erit hoc opus bonum? Habet aliquantulum laborem, sed habet solatium in spe futuræ quietis. Quantum autem laborem habet quod vestis nudum? Bonum opus non multum laborat: malum opus habet laborem. Qui enim vestit nudum, si habet unde faciat, non laborat: si non habet unde faciat, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Id.* II, 14). Qui autem vult spoliare vestitum, quantum laboret, quis numerat? Et tamen et ista transitura sunt, cum venerimus ad illam requiem, ubi nemo esurit qui pascatur, nemo nudus est qui vestiatur. Ideo quia et ista transitura sunt opera bona, et sextus iste dies, quando perficiuntur opera bona valde, habet vesperam. In sabbato autem non invenimus esse vesperam, quia requies nostra non habebit finem: vespera enim pro fine ponitur. Sicut ergo sexto die fecit Deus hominem ad imaginem suam; sic invenimus sexto sæculo venisse Dominum Jesum Christum, ut reformaretur homo ad imaginem Dei. Primum enim tempus, tanquam primus dies, ab Adam usque ad Noe: secundum tempus, tanquam secundus dies, a Noe usque ad Abraham: tertium tempus, tanquam tertius dies, ab Abraham usque ad David: quartum tempus, tanquam quartus dies, a David usque ad transmigrationem Babyloniæ: quintum tempus, tanquam quintus dies, a transmigratione Babyloniæ usque ad prædicationem Joannis. Sextus dies jam a prædicatione Joannis agitur usque ad finem, et post finem sexti diei pervenimus ad requiem. Modo ergo sextus dies agitur. Si sextus dies agitur, videte quid habeat titulus: *In diem ante sabbatum, quando fundata est terra.* Jam audiamus[1] ipsum Psalmum; ipsum interrogemus quomodo fundata est terra, ne forte tunc facta est terra: nec in Genesi sic legimus. Quando ergo fundata est terra? Quando, nisi cum fit quod lectum est modo in Apostolo: *Si tamen statis in fide*, ait, *stabiles et immobiles* (I *Cor.* XV, 58)? Cum omnes qui credunt per universam terram immobiles sunt in fide, fundata est terra: tunc fit homo ad imaginem Dei. Quod significat sextus ille dies de Genesi. Sed quomodo illud fecit Deus? quomodo fundata est terra? Christus venit, ut fundaret terram. *Fundamentum enim nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*Id.* III, 11). De illo ergo cantat Psalmus:

2. [*Vers.* 1.] *Dominus regnavit, decorem induit; induit Dominus fortitudinem, et præcinctus est.* Videmus quia duas res induit, decorem et fortitudinem. Utquid autem? Ut fundaret terram. Sequitur enim: *Etenim confirmavit orbem terræ, qui non commovebitur.* Unde confirmavit? Quia decorem induit. Non confirmaret, si solum decorem indueret, non et fortitudinem. Quare ergo decorem? quare fortitudinem? Utrumque enim dixit: *Dominus regnavit, decorem induit; induit Dominus fortitudinem; et præcinctus est.* Nostis, fratres, quia Dominus noster cum venisset in carne, his quibus[2] prædicabat Evangelium regni, aliis placebat, aliis displicebat. Nam divisæ sunt adversus se linguæ Judæorum: *Alii dicebant, Quia bonus est; alii dicebant, Non, sed seducit turbas* (*Joan.* VI, 12). Alii ergo bene loquebantur; alii detrahebant, lacerabant[3], mordebant, conviciabantur. Ad eos ergo quibus placebat, *decorem induit:* ad eos quibus displicebat, *fortitudinem induit.* Imitare ergo et tu Dominum tuum, ut possis esse vestis ipsius: esto cum decore ad eos quibus placent bona opera tua; esto fortis adversus detractores. Audi apostolum Paulum imitantem Dominum suum, quomodo et ipse habuit decorem, habuit fortitudinem. *Christi bonus odor su-*

[1] Sic Mss. Edd. vero, *ipsius.*

[1] Vetus liber Corb., *audivimus.*
[2] Plerique Mss., *in carnem, quibus.*
[3] Hic addunt Edd., *latrabant;* quod abest a Mss.

mus, inquit, *in omni loco, et in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt.* Quibus enim placet bonum, salvi fiunt; qui detrahunt bono, pereunt. Quod suum erat, ille odorem habebat bonum; imo bonus odor erat: sed væ miseris qui et bono odore moriuntur. Non enim ait, Illis bonus odor sumus, illis malus odor sumus; sed, *Christi bonus odor sumus*, ait, *in omni loco, et in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt.* Subjecit statim, *Aliis quidem sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (II *Cor.* II, 14-16). Quibus erat odor vitæ in vitam, decorem induerat: quibus erat odor mortis in mortem, fortitudinem induerat. Si autem tunc gaudes, quando te laudant homines, et placent illis bona opera tua; cum autem vituperaverint, deficis in bonis operibus, et quasi fructum bonorum te perdidisse arbitraris, quia invenis reprehensores: non stetisti immobilis; non pertines ad *orbem terrarum, qui non commovebitur. Induit Dominus fortitudinem, et præcinctus est.* De ipso decore et fortitudine habet alium locum apostolus Paulus: *Per arma justitiæ dextra et sinistra.* Vide ubi decorem, ubi fortitudinem: *Per gloriam, et ignobilitatem.* In gloria decorus, in ignobilitate fortis. Apud alios gloriosus prædicabatur; apud alios ignobilis contemnebatur. Decorem afferebat eis quibus placebat, fortitudinem adversus eos quibus displicebat. Et sic enumerat omnia usque in finem, ubi dicit: *Quasi nihil habentes, et omnia possidentes* (*Id.* VI, 7, 8, 10). Cum omnia possidet, decorus est; cum nihil habet, fortis est. Non ergo mirum, si sequitur, *Etenim confirmavit orbem terræ, qui non commovebitur.* Quomodo enim non commovebitur orbis terrarum? Cum credunt in Christum omnes fideles, et parati sunt ad utrumque; gaudere cum laudantibus, fortes esse adversus vituperantes; non mollescere linguis laudantium, nec frangi linguis vituperantium.

3. Forte quæramus et de hoc verbo, quare dixit, *præcinctus est.* Cinctio opera significat: tunc enim se quisque cingit, cum operaturus est. Sed quare non dixit, Cinctus est; sed, *præcinctus est?* Dicit enim in alio psalmo: *Accingere gladium tuum circa femur, potentissime; populi sub te cadent* (*Psal.* XLIV, 4, 6). Nec ibi dixit, Cingere, neque, præcingere, sed, *accingere:* accingeris enim quando aliquid adjungis lateri tuo per cinctionem; ideo, *Accingere gladium tuum.* Gladius Domini unde debellavit orbem terrarum, occidendo nequitiam, Spiritus Dei est[1] in veritate sermonis Dei. Quare circa femur accingere dicitur gladium? Aliud quidem ex alio[2] de alio psalmo ad cinctionem diximus; sed tamen quia commemoratum est, non est prætermittendum. Quid est accinctio gladii circa femur? Per femur carnem significat. Non enim aliter debellaret Dominus orbem terrarum, nisi in carnem veniret gladius veritatis. Hic ergo quare *præcinctus est?* Qui se præcingit, ante se ponit aliquid quo præcingitur: unde dictum est, *Præcinctus est linteo, et lavit pedes discipulorum suorum.* Quia enim tunc humilis fuit, quando linteo præcinctus est, lavit pedes discipulorum suorum. Omnis autem fortitudo in humilitate; quia fragilis est omnis superbia: ideo cum de fortitudine diceret, addidit, *præcinctus est;* ut recolas Deum præcinctum humilem, quando pedes discipulorum lavit. Et exhorruit Petrus Dominum suum, magistrum suum (minus dixi magistrum suum, cum dixissem Dominum suum) curvantem se ad pedes suos, et lavantem sibi pedes, expavit, et dixit: *Domine, non lavabis mihi pedes.* Et ille: *Quod ego facio, tu nescis modo; scies autem postea.* Et ille: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Et ille: *Si non lavero te, non habebis partem mecum.* Qui primo Petrus expaverat Dominum lavantem sibi pedes, plus expavit, *Non habebis partem mecum;* et credidit non sine causa hoc facere Dominum, nisi quia aliquod erat illud forte sacramentum, et ait: *Domine, non pedes tantum, sed et caput, et totum.* Et ille: *Qui lotus est semel, non habet necessitatem iterum lavandi, sed est mundus totus.* Non ergo ad sacramentum tanquam[1] mundationis pertinebat, quod lavit eis pedes, sed ad exemplum humilitatis: hoc enim dixerat, *Quod enim ego facio, nescis; scies autem postea.* Videamus si scierunt postea, videamus si aperuit illis quod faciebat, ut videamus Dominum præcinctum fortitudine; quia in humilitate est tota fortitudo. Cum lavisset eis pedes, rursus discubuit, et ait illis: *Dicitis me Magistrum, et verum dicitis; sum enim: dicitis me Dominum, et verum dicitis; sum enim: si ergo ego Magister et Dominus vester lavi vobis pedes, quomodo oportet vobis invicem faciatis* (*Joan.* XIII, 4-15)? Si ergo in humilitate est fortitudo, nolite timere superbos. Humiles tanquam petra sunt: petra deorsum videtur, sed solida est. Superbi quid? Quasi fumus: etsi alti sunt, evanescunt. Ergo ad humilitatem Domini referre debemus quod præcinctus est, secundum commemorationem Evangelii, quod præcinctus est, ut lavaret pedes discipulis suis.

4. Est aliud quod in hoc verbo possimus intelligere. Diximus quia qui se præcingit, ante se ponit quod sibi adjungit, ut se cingat. Quia ergo illi qui detrahunt nobis, aliquando nobis absentibus faciunt, tanquam post dorsum; aliquando coram in faciem, sicut Domino faciebant pendenti in cruce, *Si filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII, 40): non opus habes fortitudine quando tibi aliquis detrahit absenti, quia non audis, nec sentis; si autem in faciem tibi dicat, opus est ut fortis sis. Quid est, Fortis sis? Ut feras: ne forte ideo te putes fortem, cum audieris, quia percutis pugno victus convicio. Non est ista fortitudo, si conviciatus percutias, quoniam ab ira victus es[2]: et valde stultum est, hominem victum fortem dicere, cum dicat Scriptura, *Melior est qui vincit iram, quam qui capit civitatem* (*Prov.* XVI, 32). Meliorem dixit iræ victorem, quam civitatis captivatorem. Habes ergo

[1] Mss. omittunt, *est;* et post vocem, *sermonis*, non addunt, *Dei*. At Regius liber habet sic: *Unde debellavit orbem terrarum? Occidendo nequitias spiritus in veritate sermonis.*

[2] Am omittit, *ex alio*: sed est in Mss. e quibus nonnulli infra habent, *accinctionem diximus*, vel, *dicimus.*

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *tantum.*

[2] Am. et nostri omnes Mss., *si victus percutias, cum ab ira victus es.*

adversarium magnum in teipso. Cum audito convicio ira cœperit surgere, ut reddas malum pro malo, recordare verba Apostoli: *Non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto* (I *Petr.* III, 9). Illis verbis recordatis frangis iram, tenes fortitudinem; et quia coram te ille tibi maledixit, non post dorsum tuum, præcinctus es illa.

5. Jam cætera audiamus: brevis est Psalmus, *Etenim confirmavit orbem terræ, qui non commovebitur.* Videtis, fratres, multi credunt in Christum, magna turba est: et tamen in hac magna turba, audistis modo cum Evangelium legeretur, quia veniet Dominus fereas palam in manu sua, et mundabit aream suam; frumentum recondet in horreo, paleas comburet igni inexstinguibili (*Matth.* III, 12). Sunt ergo per totam terram et boni et mali: boni grana sunt, mali palea. In aream intrat tribula; paleam concidit, triticum purgat. Quis est ergo orbis terrarum *qui non commovebitur?* Quod utique non diceret, nisi esset et orbis terrarum qui commovebitur. Est orbis terrarum qui non commovebitur, est orbis terrarum qui commovebitur. Quia et boni qui stabiles sunt in fide, orbis terrarum est; ne quis diceret, In parte sunt: et mali, qui non stant in fide cum senserint aliquam tribulationem, per orbem terrarum sunt. Est ergo orbis terrarum mobilis, est orbis terrarum immobilis: de quo [1] dicit Apostolus. Vide orbem terrarum mobilem. Rogo te, de quibus dicebat Apostolus, « Ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui circa veritatem aberraverunt, dicentes resurrectionem jam factam esse, et fidem quorumdam subvertunt? » Numquid isti ad orbem terrarum pertinebant, qui non commovebitur? sed palea erant: *Et fidem*, inquit, *quorumdam subvertunt.* Non dixit, Omnium; et si omnium diceret, omnes intelligere deberemus pertinentes ad civitatem Babyloniam, quæ habet damnari cum diabolo: tamen *fidem quorumdam* dixit. Et quasi diceretur ei, Et quis eis potest resistere? subjecit statim: *Firmum autem fundamentum Dei stat.* Ecce habes orbem terrarum qui non commovebitur. *Habens signaculum hoc.* Quod signaculum habet firmum fundamentum? *Novit Dominus qui sunt ejus.* Iste est orbis terrarum qui non commovebitur: *Novit Dominus qui sunt ejus.* Et quod signaculum habet? *Et recedat ab injustitia omnis qui nominat nomen Domini* (II *Tim.* II, 17-19). Modo ab iniquitate recedat: ab iniquis enim non potest recedere, quia mixta est palea tritico usque dum ventiletur. Quid dicimus, fratres? Et in ipsa area, mira res est de tritico: recedit a palea, cum exspoliatur; et non recedit ab area, cum trituratur. Quando autem omnino separabitur? Cum venerit ventilator. Ergo modo area in orbe terrarum est: necesse est ut, si proficis, inter iniquos vivas. Ab iniquis recedere non potes; ab iniquitate recede. *Recedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*; et erit in orbe terrarum qui non commovebitur.

6. [*vers.* 2.] *Parata est sedes tua, Deus, ex illo* [2]. *Ex illo*, quid est? Ex tunc. Tanquam si diceret, Quæ est sedes Dei? ubi sedet Deus? In sanctis suis. Vis esse sedes Dei? Para locum in corde tuo ubi sedeat. Quæ est sedes Dei, nisi ubi habitat Deus? Ubi habitat Deus, nisi in templo suo? Quod est templum ejus? Parietibus instruitur? Absit. Mundus iste est forte templum ipsius, quia valde magnus est, et digna res quæ capiat Deum? Nec capit eum a quo factus est. Et ubi capitur? In anima quieta, in anima justa: ipsa illum portat. Magna res, fratres: certe magnus est Deus; fortibus gravis, infirmis levis est. Quos dixi fortes? Superbos, qui quasi habent præsumptionem virium suarum. Nam infirmitas illa in humilitate major fortitudo est. Audi Apostolum dicentem, *Quando infirmor, tunc potens sum* (II *Cor.* XII, 10). Hoc est quod commendavi [1], quia Dominus præcinctus est fortitudine, quando humilitatem docebat. Ergo ipsa est sedes Dei, quæ aperte alio loco in propheta dicitur, *Super quem requiescet Spiritus meus?* id est, ubi requiescet Spiritus Dei, nisi in sede Dei? Audi quomodo describat ipsam sedem. Forte auditurus eras marmoratam domum, ampla spatia atriorum, in magna altitudine et fulgore tectorum [2]. Audi quid sibi paret Deus: *Super quem requiescet Spiritus meus? Super humilem et quietum, et trementem verba mea* (*Isai.* LXVI, 2). Ecce humilis es et quietus, et in te habitat Deus [3]. Altus est Deus, non in te habitat, si altus esse volueris. Certe altus vis esse, ut habitet in te: humilis esto et tremens verba ejus, et ibi habitat. Non timet trementem domum, quia ipse illam firmat. *Parata est sedes tua, Deus, ex illo. Ex illo*, id est, ex tunc; id est, quasi quoddam tempus significat. Ex tunc, ex quo? Forte ex die *ante sabbatum. Ex illo*, quia titulus Psalmi præscribit nobis ex quo. Sexto enim die, id est, tempore hujus mundi sexto, venit Dominus in carne. Ex illo ergo, plane ex illo secundum hominem, ex illo ex utero. Quid enim dicit alius psalmus? *In splendore sanctorum ex utero. In splendore sanctorum*, id est, ut illuminentur sancti, ut videant Deum in carne; et purgetur cor, unde videatur in divinitate. *In splendore sanctorum ex utero.* Sed quid ibi sequitur? Ne forte ex utero inde incipere putares esse Christum: *Ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3). Cum dixisset, *In splendore sanctorum ex utero*, subjecit statim, ne putares Christum a tempore esse cœpisse ex quo natus est, sicut cœpit Adam, sicut Abraham, sicut David, *Ante luciferum genui te*: ante omne quod illuminatur [4]. Per luciferum enim, aut stellas omnes significat, et per stellas tempora, quia fecit Deus stellas in signa temporum (*Gen.* I, 14), ut ante tempora invenias natum esse Christum: et utique qui natus est ante tempora, non potest videri natus ex tempore; quia et tempora creatura Dei sunt. Et utique si omnia per

[1] Forte, *de utroque*.
[2] In plerisque Mss., *Parata est sedes tua ex illo, sedes tua Deus ex illo. Ex illo quid est.*

[1] Edd., *commendavit Evangelium*. At Mss. quidam, *commendavi*; et nonnulli cum Am., *commendavit*: sed non addunt, *Evangelium*.
[2] Sic Mss. Edd. vero, *amplam, spatiosam, atriorum magnitudine et fulgore tectorum.*
[3] Er. Ven. et. Lov. sic legunt hunc locum: *Ecce humilis esto et quietus, ut et in te habitet Deus.* M.
[4] Regius Ms., *ante omnia quæ illuminant.*

ipsum facta sunt (*Joan.* I, 3) et tempora per ipsum facta sunt. Aut certe ante omnem spiritum qui illuminatur, de Sapientia dixit, *Ante luciferum genui te*. Intendat Charitas vestra. Quomodo ergo cum dixisset, *Ex utero*, veluti præcavens fidei nostræ, ne inde putaremus cœpisse Christum ex quo ex utero virginis natus est; subjecit statim, *Ante luciferum genui te:* sic et hic cum dixisset, *Ex illo*, id est, ex quodam tempore, ex die ante sabbatum, ex illa sexta ætate mundi, quando venit Dominus Christus, et in carne natus est, quia dignatus est, homo factus propter nos, Deus[1] non solum ante Abraham, sed ante cœlum et terram, qui dixit, *Ante Abraham ego sum* (*Id.* VIII, 58): non solum ante Abraham, sed ante Adam; non solum ante Adam, sed ante omnes Angelos, ante cœlum et terram, quia omnia per ipsum facta sunt: subjecit, ne tu intendens diem nativitatis Domini ex quo natus est, putares ex illo esse cœpisse, *Parata est sedes tua, Deus*. Sed quis Deus? *A sæculo tu es:* ab æterno dixit ἀπὸ αἰῶνος; sic habet græcus: αἰὼν aliquando sæculum ponitur, aliquando æternum ponitur. Ergo, o tu qui ex illo videris natus, ex æterno es. Non autem nativitas humana cogitetur, sed cogitetur æternitas divina. Ergo cœpit ex quo natus est, crevit: audistis Evangelium. Elegit discipulos, implevit illos, cœperunt prædicare discipuli. Forte hoc est quod consequenter dicit.

7. [*vers.* 3-4.] *Elevaverunt flumina voces suas*. Quæ sunt ista flumina quæ elevaverunt voces suas? Non audivimus: neque quando natus est Dominus, audivimus locuta flumina, neque quando baptizatus est, neque quando passus est; non audivimus flumina locuta. Legite Evangelium, non invenitis quia locuta sunt flumina. Parum est quia locuta sunt, *elevaverunt voces suas:* non solum locuta sunt, sed fortiter, magne, excelse. Quæ sunt ista flumina quæ locuta sunt? Diximus quod in Evangelio non legimus; tamen ibi quæramus. Nam si ibi non invenimus, ubi inveniemus? Ego vobis fingere potero: et subito ero non certus dispensator[2], sed ineptus fabulator. In Evangelio quæramus, simul quæramus quæ sunt flumina quæ elevaverunt voces suas. *Stabat Jesus, et clamabat*, dictum est in Evangelio. Quid clamabat? Ecce jam ipsum caput fluminum clamat; ipse fons vitæ unde sunt flumina cursura, levavit prior vocem suam. Et quid stans Jesus clamabat[3]? « Qui credit in me, sicut Scriptura dicit, flumina aquæ vivæ de ventre ejus fluent. » Evangelista sequitur statim: « Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant hi qui in eum erant credituri. Spiritus autem nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus (*Joan.* VII, 37-39). Cum autem glorificatus esset Jesus in resurrectione et ascensione in cœlos, sicut nostis, fratres; impletis ibi decem diebus propter quoddam sacramentum, misit Spiritum suum sanctum, implevit discipulos (*Act.* II, 4). Ipse Spiritus magnum flumen, unde impleta sunt multa flumina. De ipso flumine dicit psalmus alio loco: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Psal.* XLV, 5). Ergo facta sunt flumina currentia de ventre discipulorum, cum acceperunt Spiritum sanctum: ipsa flumina accepto Spiritu sancto. Unde flumina[1] elevaverunt voces suas? quare elevaverunt? Quia primo timuerunt. Petrus nondum fuit flumen, quando interrogatione ancillæ ter Christum negavit: *Nescio hominem* (*Matth.* XXVI, 69-74). Hic[2] timens mentitur; nondum elevat vocem, nondum est flumen. Ubi autem impleti sunt Spiritu sancto, accersierunt eos Judæi, et præceperunt eis ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu. Petrus autem et Joannes dixerunt ad eos: « Si justum est coram Deo, ut vobis obediamus magis quam Deo, judicate: non enim possumus quæ vidimus et audivimus non loqui. Elevaverunt » ergo « flumina vocem suam, a vocibus aquarum multarum. » Ad ipsam elevationem vocis pertinet quod ibi scriptum est, « Stetit autem Petrus cum undecim, et elevata voce dixit ad eos, Viri Judæi » (*Act.* II, 14); et cætera quibus annuntiat Jesum sine timore cum magna fiducia. *Elevaverunt enim flumina vocem suam, a vocibus aquarum multarum.* Nam et cum dimissi essent Apostoli de concilio Judæorum, venerunt ad suos, et indicaverunt quanta eis sacerdotes et seniores dixerunt: at illi audientes levaverunt vocem unanimes omnes ad Dominum, et dixerunt, *Domine, tu es qui fecisti cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt* (*Id.* IV, 18-24); et cætera quæ dicere potuerunt flumina elevantia vocem suam. *Mirabiles suspensuræ maris.* Cum enim illi elevassent voces suas discipuli, crediderunt multi, et acceperunt multi Spiritum sanctum, et cœperunt multa flumina clamare de paucis. Ideo sequitur, *A vocibus aquarum multarum mirabiles suspensuræ maris:* id est, hujus sæculi. Cum cœpisset Christus tantis vocibus prædicari, cœpit irasci mare, cœperunt crebrescere persecutiones. Cum elevassent ergo *flumina vocem suam, a vocibus aquarum multarum mirabiles suspensuræ maris.* Suspensuræ, exaltationes sunt; quia quando irascitur mare, suspenduntur fluctus. Suspendantur fluctus quantum volunt, fremat mare quantum vult; *mirabiles* quidem *suspensuræ maris*, mirabiles minæ, mirabiles persecutiones, sed vide quid sequitur: *Mirabilis in excelsis Dominus.* Compescat se ergo mare, et aliquando tranquilletur, detur pax Christianis. Turbabatur mare, fluctuabat navicula. Navicula Ecclesia est, mare sæculum est. Venit Dominus, ambulavit super mare, et pressit fluctus (*Matth.* XIV, 24, 25). Quomodo ambulavit Dominus super mare? Super capita istorum fluctuum magnorum spumantium. Potestates, et reges crediderunt, subjugati sunt Christo. Ergo non terreamur, quia *mirabiles suspensuræ maris: Mirabilis in excelsis Dominus.*

8. [*vers.* 5.] *Testimonia tua credita facta sunt nimis.*

[1] Sic meliores Mss. At Er. et Lov., *Et quia dignatus est homo fieri propter nos Deus, non solum*, etc.
[2] Quatuor Mss., *disputator*.
[3] In B., *stabat Jesus et clamabat*. Er. Ven. et Lov. secuti sumus. M.

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *Ipsa flumina accepto Spiritu sancto, unde elevaverunt*, etc.
[2] Quidam Mss., *Nescio hominem hunc. Timens*, etc. Et nonnulli, *Hoc timens mentitur*.

Magis quam [1] mirabiles erant suspensuræ maris, et mirabilis in excelsis Dominus. « Testimonia tua credita facta sunt nimis. Testimonia tua, » quia dixerat illud ante : « Hæc dico vobis, ut in me pacem habeatis, in mundo autem pressuram. » Ergo quia mundus pressuram vobis facturus est, dico vobis. Cœperunt pati, et confirmarunt in se quod illis prædixerat Dominus, et magis fortes sunt facti. Cum enim videbant impleri in se passiones, sperabant compleri in se et coronas : et ideo « mirabiles suspensuræ maris; mirabilis in excelsis Dominus. Ut in me, » inquit, « pacem habeatis, in mundo autem pressuram. » Ergo quid facimus? Sævit mare, extolluntur fluctus, et rabidi fremunt; pressuras patimur : nonne forte deficimus? Absit. « Mirabilis in excelsis Dominus. » Adeo et ibi cum diceret, « ut in me pacem habeatis, in mundo autem pressuram; » quasi dicerent, Putas non premet nos mundus, et exstinguet nos? statim subjecit, *Sed gaudete, quia ego vici sæculum* (*Joan.* XVI, 33). Si ergo ait, *ego vici sæculum*, adhærete illi qui vicit sæculum, qui vicit mare. Gaudete ad eum, quia [2] mirabilis est in excelsis Dominus, et *testimonia tua credita facta sunt nimis*. Et quid factum est de his omnibus? *Domum tuam decet sanctificatio, Domine*. Domum tuam, totam domum tuam : non hic, aut hic, aut ibi; sed domum tuam totam, per totum orbem terrarum. Quare per totum orbem terrarum? Quia correxit orbem terræ, qui non commovebitur (*Psal.* XCV, 10). Domus Domini fortis erit; per totum orbem terrarum erit : multi cadent, sed domus illa stat; multi turbabuntur, sed domus illa non movebitur. *Domum tuam decet sanctificatio, Domine*. Numquid parvo tempore? Absit. *In longitudinem dierum*.

IN PSALMUM XCIII ENARRATIO.

SERMO (a).

1. Sicut intentissime audivimus, cum psalmus iste legeretur; ita intente audiamus, cum revelat Dominus quæ hic dignatus est opacare mysteria. Ad hoc enim clauduntur quædam sacramenta Scripturarum, non ut denegentur, sed ut pulsantibus aperiantur. Si ergo affectu pio et sincera cordis charitate pulsetis, ille aperiet (*Matth.* VII, 7) qui videt unde pulsetis. Notum est omnibus nobis (atque utinam de numero eorum non simus), multos murmurare adversus Dei patientiam, et dolere iniquos homines et impios vel vivere in hac terra, vel etiam plurimum posse; et quod est amplius, plerumque plurimum posse malos adversus bonos, et sæpe malos premere bonos; malos exsultare, bonos laborare; malos superbire, bonos humiliari. Attendentes talia in genere humano (abundant enim), pervertuntur impatientes et infirmi animi, quasi frustra sint boni; quia Deus avertit vel avertere videtur oculos suos a bonis operibus piorum et fidelium, et augere malos in his quæ diligunt. Putantes ergo infirmi frustra se bene vivere, aut invitantur ad imitandam malitiam eorum quos quasi florere conspiciunt : aut si per infirmitatem vel personæ suæ vel animi, timent male facere, ne aliquid illis secundum leges sæculi mali accidat; non quia justitiam diligunt, sed, ut dicam apertius, timentes damnari inter homines ab hominibus, abstinent se quidem a factis malis, sed non se abstinent a cogitationibus malis. Et inter cogitationes eorum iniquas, præcipue caput iniquitatis illa tenet impietas, qua videtur eis Deus negligere et non curare res humanas; et aut æqualiter habere bonos et malos; aut etiam, quod est perniciosius cogitare, insectari bonos et malis favere. Qui talia cogitat, etsi nihil mali alicui faciat, facit plurimum sibi, et in seipsum impius est; et iniquitate sua non lædit Deum, sed interficit se. Neque nocent hominibus, quia timidi sunt qui talia cogitant; sed tamen homicidia eorum, adulteria eorum, fraudes et rapinas eorum videt Deus, et punit in cogitationibus eorum. Quid enim velint, ille attendit, cujus oculus non repellitur carne, ut non videat voluntatem. Tales si occasiones inveniant, non mali fiunt, sed manifestantur : non ut sentias quod [1] natum sit manifestum, sed ut intelligas quod latebat inclusum. Paucis his annis, et prope hesterno die viderunt hæc homines, et probaverunt etiam qui tarde intelligunt. Erat enim hic una domus potentissima ad tempus, de qua flagellum fecerat Deus generi humano, et castigatum est inde genus humanum; si cognoscat flagellum patris, et timeat sententiam judicis. Cum ergo esset hic eadem domus magna, multi sub illa gemebant, murmurabant, reprehendebant, detestabantur, blasphemabant. Quomodo se arctant homines, et dantur divino illo judicio multi in concupiscentias cordis sui (*Rom.* I, 24)? Subito fiebant ipsius domus [2] illi qui murmurabant de ipsa domo; et ab eis talia homines patiebantur, qualia se pati ipsi a talibus paulo ante querebantur. Bonus ergo ille est, qui et quando potest male facere, non facit; de quo scriptum est : *Qui potuit transgredi, et non est transgressus; et facere mala, et non fecit. Quis est hic, et laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua* (*Eccli.* XXXI, 10, 9). Loquebatur Scriptura de potentibus innocentibus. Et lupus enim tantum vult nocere, quantum leo : dissimiliter nocent, sed non dissimiliter cupiunt. Leo enim non solum contemnit canem latrantem; sed etiam fugat, et venit ad ovile, et obmutescentibus canibus rapit quod potest : lupus non audet inter latratus canum. Numquid propterea quia non potuit auferre a canibus territus, innocentior remeavit? Docet ergo Deus innocentiam, ut quisque innocens sit non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Tunc enim liber est innocens, et verus est innocens. Qui autem timore innocens fit, non est innocens, quamvis non noceat cui vult nocere. Non enim nocet alteri per factum malum, sed sibi plurimum per cupiditatem malam. Nam quomodo sibi noceat, audi Scripturam : *Qui autem amat*

[1] Aliquot Mss., *quia*.
[2] Nonnulli, *qui*.
(a) In aliena diœcesi habitus, rogante episcoporum cœtu, sicuti ex fine intelligitur.

[1] Er. Ven. Lov., *quid*. M.
[2] Sic probæ notæ Mss. At Edd., *subito evertebant ipsam domum*.

iniquitatem, odit animam suam (*Psal.* x, 6). Et revera multum errant homines qui putant injustitiam suam aliis nocere, et sibi non nocere. Ad alios procedit iniquitas cujuslibet, ut corpori noceat, ut rem familiarem lædat, ut villam invadat, ut mancipium abducat, ut aurum auferat, aut argentum, vel si quid aliud possidet [1]. Ad hoc profertur ad alterum illa iniquitas. Ergo iniquitas tua alieno corpori nocet, tuo animo non nocet?

2. Contra istam simplicem veracemque doctrinam, qua insinuatur hominibus bonis, ut ipsam justitiam diligant, et ex ea placere Deo velint; ab illo [2] intelligant luce quadam intelligibili perfundi animam suam, ut faciant justa opera, et illam lucem sapientiæ omnibus quæ in sæculo diliguntur præponant: contra istam doctrinam talia murmura sunt hominum; et si non procedunt in voce, roduntur in corde. Quid ergo dicunt? Vere placiturus sum Deo per justitiam? aut justi illi placent, sub cujus imperio mali florent? Tanta mala committunt, et nihil illis evenit mali. Aut si forte evenit aliquid mali; quid tibi dicunt illi, cum eis cœperis dicere: Ecce quanta fecit mala, quomodo illi redditum est? qualem exitum habuit? Incipiunt illi cogitare justos quibus mala evenerunt, et opponunt nobis, et dicunt: Si illi propterea mali aliquid accidit, quia iniquus fuit; illi quare accidit, qui tam juste vixit? Qui eleemosynas tantas fecit, qui tam multa bona operatus est in Ecclesia, quare talem sortem invenit? quare talem exitum habuit, qualem ille homo qui multa iniqua commisit? Ad hoc autem ista dicunt, ut ostendant se propterea non facere male, quia non possunt, aut quia non audent. Nam quid velit cor, lingua testatur: et quidem, etiamsi lingua obmutesceret et ipsa timore compressa, Deus videret intus quid cogitaret homo, etiamsi alium hominem lateret. Tacitas ergo cogitationes hominum tales, aut etiam erumpentes in verba vel facta, curat iste psalmus, si curari velint. Intendant ergo, et curentur. Atque utinam in hac multitudine tota quæ nunc est inter istos parietes, et audit per nos verbum Domini, nulla sint talia vulnera quæ curentur; utinam nulla sint. Non tamen rem superfluam facimus dicere, si nulla ibi sunt vulnera. Instruantur corda ad sanandos alios, cum audire talia cœperint. Credo enim quia unusquisque christianus, cum audierit aliquem talia dicentem, si bonus fidelis est, et bene credit Deo, et spes ejus est in futuro sæculo, non in hac terra, non in hac vita est, et non frustra audit ut sursum cor habeat; irridet et dolet talia murmurantes, et dicit sibi: Deus novit quid agat, nos non possumus nosse consilium ipsius, quare parcit malis ad tempus, vel quare laborant boni ad tempus; sufficit mihi tamen hoc scire, quia et ad tempus laborat bonus, et ad tempus floret malus. Qui ergo talis est, securus est; et patienter fert omnes felicitates malorum, et labores bonorum patienter fert, tolerat, donec finiatur hoc sæculum, donec transeat iniquitas. Jam talis beatus est, et erudivit eum Deus de lege sua, et mitigavit eum a diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea. Qui vero nondum est talis, audiat per nos quod Domino placet. Plura autem ipse dicat in corde, qui melius videt vulnus quod curet.

3. Psalmus hunc titulum habet, id est hanc inscriptionem: *Psalmus ipsi David, quarta sabbatorum* [1]. Docturus est psalmus iste patientiam in laboribus justorum: contra iniquorum felicitates patientiam docet, patientiam ædificat. Hoc habet totus a capite usque in finem. Quare ergo talem habet titulum, *in quarta sabbati?* Una sabbati, dies dominicus est; secunda sabbati, secunda feria, quem sæculares diem Lunæ vocant; tertia sabbati, tertia feria, quem diem illi Martis vocant. Quarta ergo sabbatorum, quarta feria, qui Mercurii dies dicitur a Paganis, et a multis Christianis: sed nollemus; atque utinam corrigant, et non dicant sic. Habent enim linguam suam qua utantur. Non enim et in omnibus gentibus ista dicuntur: multæ gentes aliæ atque aliæ aliter atque aliter vocant. Melius ergo de ore christiano ritus loquendi ecclesiasticus procedit. Tamen si quem forte consuetudo traxerit, ut illud exeat ex ore quod improbat corde, intelligat illos omnes, de quorum nominibus appellata sunt sidera, homines fuisse, nec ex eo esse cœpisse ista sidera in cœlo, ex quo illi cœperunt: et ante ibi fuerunt; sed per beneficia quædam mortalium mortalia, illi homines pro tempore suo, quia plurimum potuerunt et eminuerunt in hoc sæculo, cum chari essent hominibus, non propter vitam æternam, sed propter commodum temporale, deferebantur eis divini honores. Veteres enim sæculi decepti [2], et decipere volentes, in eorum adulationem qui sibi aliquid secundum amorem sæculi præstitissent, sidera ostendebant in cœlo, dicentes quod illius esset illud sidus, et illud illius: homines autem qui antea non aspexerant, ut viderent quia ibi erant et illa sidera antequam nascerentur, decepti crediderunt; et concepta est opinio vanitatis. Hanc opinionem erroris diabolus confirmavit, Christus evertit. Nos ergo secundum quod loquimur, *quarta sabbatorum* quartus dies intelligitur a die dominico. Attendat itaque Charitas vestra quid sibi velit iste titulus: hic grande mysterium, et revera occultum. Nam pleraque ipsius Psalmi manifeste sonant, et manifeste movent, et cito intelliguntur; hic autem titulus, quod fatendum est, habet non parum obscuritatis: sed aderit Dominus, serenabit nubilum, et videbitis Psalmum, et ex fronte Psalmi cognoscetis eum. In fronte enim habet psalmus iste, *Psalmus ipsi David, quarta sabbatorum.* In limine est titulus, in postibus fixus est. Volunt homines titulum cognoscere, et sic domum intrare. Recolamus ergo Scripturam sanctam in Genesi, primo die quid sit factum; invenimus lucem: secundo die quid sit factum; invenimus firmamentum, quod appellavit Deus cœlum: tertio die quid sit factum; invenimus

[1] Lov., *si quid aliud possit.* Cæteri libri, *si quid aliud possidet.*
[2] Mss., *ab illa.*

[1] Sic Mss. At Edd. hic, *sabbati*: deinceps vero conveniunt cum Mss.
[2] Sic Am. et Mss., paucis exceptis qui habent, *a sæculo decepti.* At Er. et Lov., *Veteres enim vates decepti.*

speciem terræ et maris, et segregationem, ut omnis congregatio aquarum vocaretur mare, te arida vocaretur terra. Quarto die, luminaria fecit Deus in cœlo (*Gen.* I, 3-19); solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis (*Psal.* CXXXV, 8, 9): hoc quarto die fecit. Quid sibi ergo vult quod de quarto die accepit Psalmus titulum; in quo psalmo docetur patientia adversus felicitates malorum, et labores bonorum? Habes Paulum apostolum dicentem sanctis fidelibus roboratis in Christo: « Omnia facite sine murmuratione et disceptatione; ut sitis irreprehensibiles, et sinceres [1], immaculati filii Dei in medio nationis tortuosæ et perversæ, in quibus apparetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ habentes » (*Philipp.* II, 14-16). Similitudo de luminaribus data est ad sanctos, ut sine murmuratione sint in natione tortuosa et perversa.

4. Sed ne quisquam propterea putet colenda esse et adoranda luminaria cœli, quia inde aliqua similitudo ducta est ad significationem sanctorum; prius hoc explicemus in nomine Christi, quam non sit consequens, ut propterea tibi videatur adorandus sol, aut luna, aut stellæ, aut cœlum, quia aliqua de illis similitudo ducta est, qua significarentur sancti; quia multa sunt de quibus ducta est similitudo ad significandos sanctos, quæ non adorantur. Si enim quidquid est unde similitudo ducitur ad sanctos, adorandum tibi putas; adora montes et colles, quia dictum est: *Montes exsultaverunt velut arietes, et colles velut agni ovium* (*Psal.* CXIII, 4). Tu de sanctis dicis, ego de ipso Christo dico. Adora leonem, quia dictum est, *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* V, 5): adora petram, quia dictum est, *Petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 4). Si autem non adoras in Christo ista terrena, quamvis de illis similitudo quædam data est; ad significandos sanctos de quacumque creatura ducta fuerit similitudo, tu intellige similitudinem creaturæ, et adora artificem creaturæ. Dictus est sol Dominus noster Jesus Christus (*Sap.* V, 6): numquid iste sol quem et minutissima animalia nobiscum vident? Sed de quo dictum est: *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Nam lux ista non hominem solum illuminat, sed et jumenta et pecora et omnia animalia: quod autem illuminat omnem hominem, in corde illuminat, ubi intellectum solum habet.

5. Intelligat ergo Charitas Vestra, quibus dixit Apostolus, *In natione tortuosa et perversa*, id est, inter iniquos, *in quibus apparetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ habentes*: quodam modo admonuit nos et istum psalmum intelligere, et prænoscere titulum ipsius. Tales enim sancti in quibus est verbum vitæ, de conversatione quam habent in cœlo, despiciunt omnia iniqua quæ fiunt in terra: et quomodo luminaria in cœlo per diem et per noctem procedunt, peragunt itinera sua, cursus suos certos habent, et committuntur tanta mala, nec deviant desuper stellæ fixæ in cœlo, agentes per tractus cœlestes, quæ illis præstituit et constituit Creator ipsarum; sic debent sancti, sed si in cœlo figantur corda eorum, si non frustra audiant et respondeant sursum se habere cor, si imitentur eum qui ait, *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III, 20). Quia ergo sunt in supernis, et de supernis cogitant, sicut dictum est, *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (*Matth.* VI, 21); de ipsis cogitationibus supernorum patientes fiunt; et quidquid in terra committitur, sic non curant, donec peragant itinera sua, quemadmodum non curant luminaria cœli, nisi quomodo exerceant dies et noctes, quamvis tanta mala videant fieri super terram. Sed facile est forte, ut ferant justi iniquitates malorum, quæ non in ipsos fiunt: sed sicut ferunt quæ in alios fiunt, sic ferant et quæ in ipsos fiunt. Non enim propterea debent ferre et tolerare, quia in alios fiunt: et si in se fiant, non debent perdere tolerantiam. Nam qui perdiderit tolerantiam, cecidit de cœlo: qui autem fixum habet cor in cœlo, terra ipsius laborat in terra. Quanta et de ipsis luminaribus fingunt homines, et patienter ferunt? Quo modo justi patienter debent ferre omnes etiam de se falsas criminationes. Hoc ipsum quod jam dudum dixi, quia illa stella Mercurii est, et illa stella Saturni est, et illa stella Jovis est, convicia fiunt stellis. Quid? illæ cum audiunt tanta convicia, numquid moventur, aut non exercent cursus suos? Sic et homo qui in natione perversa et tortuosa habet verbum Dei, sicut luminare est fulgens in cœlo [1]. Quanti qui sibi videntur honorare solem, de illo mentiuntur? Qui dicunt, Christus est sol, mentiuntur de sole. Novit sol Dominum suum esse Christum et Creatorem suum. Et si indignari potest, acerbius indignatur contra falso honorantem, quam contra contumeliosum. Servo enim bono major contumelia est injuria Domini. Quanta falsa de ipsis luminaribus quidam dicunt? Et ferunt, tolerant, et non moventur. Quare? Quia in cœlo sunt. Cœlum autem quid est? Nec hoc prætermittamus: quanta mentiuntur homines, quando vident obscurari lunam, et dicunt, Malefici illam deponunt? cum certis temporibus defectum suum habeat secundum Dei dispositionem. Non curat tamen ista verba hominum illa quæ in cœlo est. Sed quid est, In cœlo? In firmamento cœli est. Cujus ergo cor in firmamento libri Dei est, ista non curat.

6. Nam cœlum, id est, firmamentum, intelligitur per figuram Liber Legis. Ideo quodam loco dicitur, *Extendit cœlum sicut pellem* (*Psal.* CIII, 2). Si extenditur sicut pellis, tanquam liber est extentus, ut legatur. Transacto autem tempore non legitur [2]. Propterea enim legitur Lex, quia nondum venimus ad illam Sapientiam quæ implet corda et mentes intuentium: et non opus erit ut aliquid ibi nobis legatur. Quia in eo quod nobis legitur, syllabæ sonant et transeunt: illa lux veritatis non præterit, sed fixa permanens inebriat corda videntium; quomodo dictum est, *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente deliciarum*

[1] Sic Am. Er. et nostri omnes Mss. At Lov., *sinceri*.

[1] Sic duo Mss. Alii cum Edd.; *in sæculo*.

[2] Er. Ven. et Lov., *tempore quo legitur lex propterea*. M.

tuarum potabis eos; quoniam apud te est, Domine, fons vitæ. Et vide ipsum fontem : *In lumine*, inquit, *tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV, 9, 10). Modo ergo lectio necessaria est, quamdiu *ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus*, sicut dicit Apostolus : *cum autem venerit quod perfectum est, auferetur quod ex parte est* (I *Cor.* XIII, 9, 10). Non enim [1] in illa civitate Jerusalem, ubi Angeli vivunt, unde nos modo peregrinamur, et peregrinatio nostra gemit; gemit autem, si scimus quia peregrinamur; nam odit valde patriam, qui putat sibi bene esse cum peregrinatur : numquid in illa civitate ubi sunt Angeli, Evangelium legitur, aut Apostolus? Verbo Dei pascuntur : quod Verbum Dei, ut sonaret nobis ad tempus, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14). Sed tamen ipsa Lex, quæ scripta est, firmamentum nobis est : ibi si sit cor nostrum, non convellitur [2] iniquitatibus hominum. Dictum est ergo, *Extendit cœlum sicut pellem.* Cum autem transeunt tempora necessitatis librorum, quid dictum est? *Cœlum plicabitur ut liber* (*Isai.* XXXIV, 4). Qui ergo sursum habet cor, ipsum cor ipsius luminare est : in cœlo fulget, nec vincitur tenebris. Infra enim sunt tenebræ : tenebræ autem iniquitas; non incommutabiles tenebræ. Jam et hesterno die commemoravimus. Sed qui hodie tenebræ sunt, si velint, cras lux erunt : qui tenebræ huc ingressi sunt, si velint, jam lux esse possunt. Aperte enim Apostolus, ne quis putaret naturales esse iniquitates, quæ mutari non possunt : *Fuistis enim*, inquit, *aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino : sicut filii lucis ambulate* (*Ephes.* V, 8). *Lux*, inquit, *in Domino :* non in vobis. Cor ergo in libro : si cor in libro, cor in firmamento cœli. Si ibi est cor, inde luceat, et non movebitur iniquitatibus subterpositis : non quia ibi est in cœlo per carnem, sed quia ibi est per conversationem, secundum quod dictum est, *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Non potes cogitare illam civitatem, quia nondum vides. Vis cogitare cœlum? Librum Dei cogita. Audi psalmum : *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Et ibi *beatus* dictus est *qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit; sed in lege Domini fuit voluntas ejus* (*Psal.* I, 1, 2). Vide luminare in cœlo : *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte.* Vult patienter ferre omnia? Non descendat de cœlo, et in lege ejus meditetur die ac nocte. Ergo in cœlo cor ejus : si in cœlo cor ejus, omnes iniquitates quæ fiunt in terra ad tempus, omnes felicitates malorum hominum, omnes labores justorum meditanti die ac nocte legem Dei, nulli sunt; et patienter tolerat omnia, et erit beatus eruditus a Deo. Et quomodo in firmamento cœli? Quia lex firmamentum est. *Beatus vir quem tu erudieris, Domine, et ex lege tua docueris eum : ut mitiges eum a diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea.* Attendite ergo luminaria quomodo procedunt, et occidunt, et redeunt, agunt cursus suos, distinguunt diem et noctem, volvunt annos et tempora; et tanta mala fiunt in terra, illis quietem in cœlo habentibus. Quid est ergo quod nos docet Deus? Jam attendamus Psalmum.

7. [*vers.* 1.] *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum fidenter egit.* Tu putas quia non vindicat? Vindicat *Deus ultionum.* Quid est, *Deus ultionum?* Deus vindictarum. In eo certe murmuras, quia non vindicatur in malos. Noli murmurare, ne inter illos sis in quos vindicatur. Facit ille furtum, et vivit : tu murmuras adversus Deum, quia non moritur qui tibi furtum fecit. Si jam non facis furtum, vide : si enim jam non facis, vide ne aliquando fecisti. Si jam dies es, recole noctem tuam : si jam fixus in cœlo es, recole terram tuam. Invenis te furem forte fuisse aliquando; et aliquem alium forte stomachatum, quia et tu furtum faciens vixisti, et non es mortuus : quomodo autem tu quando faciebas, ideo vixisti ut postea non faceres; noli quia tu transisti, velle misericordiæ Dei pontem subvertere. Nescis illac multos transituros, qua et tu transisti? Esses modo qui murmurares, si adversus te audiretur qui prior de te murmuravit? Et tamen et nunc optas vindictam Dei in malos, ut fur moriatur, et murmuras adversus Deum, quia fur non moritur. Appende in statera æquitatis furem et blasphemum : jam dicis quia fur non es; sed murmurando adversus Deum, blasphemus es. Ille captat somnum hominis, ut aliquid involet; et tu dicis quia dormit Deus, et hominem non videt. Ergo vis ille ut corrigat manum, prior tu linguam corrige : vis ille ut corrigat cor adversus hominem, tu corrige cor adversus Deum; ne forte cum optas vindictam Dei, si venerit, te priorem inveniat. Nam ille veniet, veniet et judicabit perseverantes in nequitia sua, ingratos prærogationi misericordiæ ipsius, ingratos patientiæ ipsius, thesaurizantes sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (*Rom.* II, 4-6): quia *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum*, ideo *fidenter egit.* Nulli enim pepercit, quando hic locutus est : ipse Dominus erat in carnis infirmitate, sed in virtute sermonis. Non accepit personas principum Judæorum. Quanta in illos dicit? et, quomodo dictum est [1], vere in fiducia : quia scriptum est in Psalmi de illo, *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus.* Qui sunt pauperes? qui sunt inopes? Qui spem non habent nisi in illo solo, in quo solo spes non fallitur. Attendite, fratres, qui sunt pauperes et inopes. Non omnino pauperes qui nihil habent, videntur dici ab Scriptura quando laudantur pauperes. Invenis enim pauperem hominem, qui quando patitur aliquam injuriam, non attendit nisi patronum suum, in cujus forte domo manet, cujus inquilinus est, cujus colonus est, cujus cliens est; et ideo se indigne pati asserit, quia ad illum pertinet : cor ipsius in homine, spes ipsius in

[1] Hic additum fuit apud Am. *legemus*; et in aliis excusis, *liber necessarius erit, neque legemus*, quod a Mss. abest.

[2] Sic potiores Mss. Alii vero cum Am. et Er., *compellitur*, Lov., *impellitur.*

[1] Ita Am. et Mss. At Lov., *quomodo dictum est, fidenter egit? Vere in fiducia.* — Er. Lov., *quomodo dictum est, fidenter? Egit vere in fiducia.* M.

homine, cinis in cinere. Sunt autem alii qui opulenti sunt, et honoribus secundum tempus humanis fulciuntur; et tamen nec in pecunia sua spem ponunt, nec in fundis suis spem ponunt, nec in familia sua spem ponunt, nec in claritate transitoriæ dignitatis; sed totam spem in illo ponunt, cui non succeditur, qui mori non potest, qui falli et qui fallere non potest: tales etsi multa videntur habere secundum sæculum, bene ea tamen gubernant ad refectionem indigentium; inter pauperes Domini numerantur. Vident enim periculose se vivere in hac vita, sentiunt se esse peregrinos: sic diversantur in opulentia divitiarum suarum, quomodo viator in stabulo, transiturus, non possessurus. Ergo quid Dominus? *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus: ponam in salutari.* Salutaris noster, Salvator noster est: in illo voluit ponere spem omnium inopum et egentium [1]. Et quid ait? *Fiducialiter agam in eo* (*Psal.* xi, 6). Quid est, *Fiducialiter agam?* Non timebit, non parcet vitiis et concupiscentiis hominum. Vere medicus fidelis, medicinali ferro sermonis instructus, secuit omnia vulnera. Ideo qui talis prædictus et prænuntiatus, talis etiam inventus est. Loquebatur in monte, ubi dixit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ibi *beati* dicti sunt *qui persecutionem patiuntur propter justitiam:* in ipso sermone dixit, *Quia ipsorum est regnum cœlorum.* Et ut faceret illos luminaria, id est, patienter tolerantes omnia ista iniqua, quæ transeunt: *Beati eritis,* inquit, *cum vos persecuti fuerint, et dixerint omne malum adversum vos: gaudete et exsultate, quia merces vestra magna est in cœlis* (*Matth.* v, 3, 10, 11, 12). Deinde in progressu sermonis cum docere inciperet, quamvis eum turba circumdaret, dixit talia discipulis suis, quæ ferirent faciem Pharisæorum et Judæorum, qui quasi primatus habebant exponendarum Scripturarum omnium; qui sibi quasi justi videbantur, vel videri se arbitrabantur, et ad quorum primatum plebis obsequium videbatur obtemperare: non pepercit, et dixit, *Quando oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus* (*Id.* vi, 5); et cætera talia. Tetigit omnes, non timuit aliquem. Et cum terminasset ipsum sermonem, conclusit de illo scriptura Evangelii sic: « Factum est, » inquit, « cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus. Erat enim docens eos tanquam potestatem habens; non quasi Scribæ eorum et Pharisæi » (*Id.* vii, 28 *et* 29). Quanta ergo ille de quo dictum est, *Erat docens eos tanquam potestatem habens,* quanta dixit: *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ* (*Id.* xxiii, 13, *etc.*); quanta in illos coram in faciem? Neminem timuit. Quare? Quia Deus ultionum est. Ideo non parcebat in verbo, ut essent postea quibus parceret in judicio: quia si nollent accipere verbi medicinam, incursuri erant utique et inventuri [2] judicis sententiam. Quare? Quia dixit, *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum fidenter egit:* id est, nulli pepercit in verbo. Qui in verbo non pepercit passurus, parcet in sententia judicaturus? qui neminem timuit in humilitate, timebit quemquam in claritate? Ex eo quod jam fidenter egit, cogita quomodo sit acturus in fine sæculi. Noli ergo murmurare adversus Deum, qui quasi parcit malis; sed esto bonus cui forte ad tempus in flagello non parcat, et in fine parcat in judicio. *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum fidenter egit.*

[1] Sic Mss. At Edd., *spem et gemitum omnium inopum.*

[2] Aliquot Mss., *in venturi*: recte, si expungatur particula, *et.*

8. [*vers.* 2.] Et quia fidenter egit, illi non tulerunt fiduciam ejus: et quia humilis venerat, et carne mortali indutus erat, et mori venerat; non facere quod peccatores, sed pati quod peccatores; quia propterea venerat, cum fidenter egisset, et illi ferre non possent fiduciam ejus in verbo, quid fecerunt? Tenuerunt, flagellaverunt, illuserunt, colaphizaverunt, sputis illinierunt, spinis coronaverunt, in cruce levaverunt, postremo occiderunt. Sed quid sequitur quod fidenter egerit? *Exaltare, qui judicas terram.* Puta quia tenuerunt humilem, tenebunt excelsum? Puta quia judicaverunt mortalem, nonne ab immortali judicabuntur? Quid ergo ait? *Exaltare*, tu qui fidenter egisti, et fiduciam verbi tui non sunt passi iniqui, et putaverunt se aliquid egisse, quia te comprehendentes crucifixerunt; qui te deberent fide comprehendere, comprehenderunt persecutione: tu ergo qui fidenter egisti inter iniquos, et neminem timuisti, et quia passus es, *Exaltare;* id est, resurge, vade in cœlum. Patiatur et Ecclesia patienter, quod passum est caput Ecclesiæ patienter. *Exaltare, qui judicas terram; redde retributionem superbis.* Redditurus est, fratres. Quid est enim quod dictum est, *Exaltare, qui judicas terram; redde retributionem superbis?* Prophetia est prædicentis, non audacia jubentis. Non enim quia dixit Propheta, *Exaltare, qui judicas terram,* obtemperavit Prophetæ Christus, ut resurgeret et iret in cœlum; sed quia hoc facturus erat Christus, hoc prædixit Propheta: non ideo fecit Christus, quia Propheta prædixerat; sed ideo Propheta prædixerat, quia ille facturus erat. Videt humilem Christum in spiritu, videt humilem; neminem timentem, nulli parcentem in verbo, et dicit: *Fidenter egit.* Videt illum quam fidenter egit, videt illum comprehensum, videt illum crucifixum, videt illum humiliatum, videt illum resurgentem et euntem in cœlum, et venturum inde ad judicium eorum, inter quorum manus passus est omnia mala: *Exaltare,* inquit, *qui judicas terram; redde retributionem superbis.* Superbis reddet, non humilibus. Qui sunt superbi? Quibus parum est quod mala faciunt, et defendere peccata sua volunt. Namque de his qui crucifixerunt Christum facta sunt postea miracula, quando de ipso numero Judæorum crediderunt, et donatus est illis sanguis Christi. Impias manus et cruentas de sanguine Christi portabant: lavit eas ipse cujus sanguinem fuderant. Adjuncti sunt corpori ipsius, id est Ecclesiæ, qui corpus ejus mortale, quod viderant, persecuti sunt. Fuderunt pretium suum, ut biberent pretium suum. Namque postea plures conversi sunt. Cum multa miracula fie-

rent ab Apostolis, aliquot hominum millia una die crediderunt : et tam in propinquo inventi sunt, ut omnia sua quæ habebant venderent, et pretium rerum suarum ad pedes Apostolorum ponerent; et unicuique distribuebatur quomodo opus erat; et erat illis una anima et cor unum in Deum; de ipsis crucifixoribus Domini [1]. Sed quare non illis redditum est? Quia, *Redde retributionem superbis*, dictum est; illi autem noluerunt esse superbi. Etenim cum viderent multa miracula fieri per nomen Christi, quem se putabant interfecisse; commoti miraculis, audierunt a Petro in cujus nomine illa fierent : non enim sibi arrogare servi voluerunt potentiam Domini sui, ut dicerent a se factum esse quod ille in ipsis faciebat. Honorem ergo dederunt servi Domino suo : dixerunt quia quæ illi mirabantur, in nomine fierent ejus quem illi crucifixerunt. Et facti sunt humiles, compuncti sunt corde, conturbati sunt confitentes peccatum suum; et consilium quæsierunt, dicentes : *Quid ergo faciemus?* Non desperant de salute, sed quærunt medicinam. Tunc ait illis Petrus : *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi* (*Act.* II, IV). Qui egerunt pœnitentiam, humiles fuerunt : non ergo illis redditum est. Quia, vide quid dicat psalmus iste : *Exaltare, qui judicas terram; redde retributionem superbis.* Ab illo numero ergo excepti erant illi; in illis valuit vox illa Domini pendentis in cruce, et dicentis : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). *Exaltare, qui judicas terram; redde retributionem superbis.* Ergo redditurus est retributionem? Redditurus, sed superbis.

9. [*vers.* 3, 4.] Sed quando? quando reddet? Interim mali triumphant, et exsultant mali, blasphemant mali, omnia mala faciunt. Movet te? Cum pietate quære, non cum superbia reprehende. Movet te? Compatitur tibi et Psalmus, quærit tecum, non quia nescit; sed ideo tecum quærit quod scit, ut in illo invenias quod nesciebas. Quomodo qui vult aliquem consolari, nisi condoleat cum illo, non illum erigit : prius cum illo dolet, et sic eum reficit sermone consolatorio. Si autem intret ad illum ridens luctum ejus, non facit quod modo lectum est, dicente Apostolo : *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* (*Rom.* XII, 15). Ergo ut gaudeat tecum, prius fles cum illo; contristaris cum illo, ut reficias eum : sic et Psalmus et Spiritus Dei, utique omnia sciens, quærit tecum, quasi verba tua dicit. *Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur; respondent, et loquentur iniquitatem; loquentur omnes qui operantur injustitiam?* Quid loquentur, nisi contra Deum, qui dicunt : Quid nobis prodest quia sic vivimus? Quid dicturus es? Vere curat ista quæ facimus Deus? Quia enim vivunt, putant Deum nescire quod faciunt. Vide quid mali illis contingat! Quia si stationarius (*a*) sciret, teneret illos; et ideo vitant oculos stationarii, ne statim teneantur : oculos enim Dei vitare nemo potest; quia non solum in cubiculo videt, sed et intima cordis tui. Cogitant et ipsi quia nihil potest latere Deum; et quia faciunt, et sciunt quid fecerunt, et vident se vivere sciente Deo, qui non viverent sciente stationario, dicunt sibi : Placent ista Deo; et revera si illi displicerent facta nostra, quomodo displicent judicibus, quomodo displicent regibus, quomodo displicent imperatoribus, et quomodo displicent commentariensibus (*a*), numquid quomodo illorum oculos vitamus, vitare possemus oculos Dei? Ergo placent ista Deo. Ideo in alio psalmo peccatori dicitur, *Hæc fecisti, et tacui; suspicatus es iniquitatem, quod ero tibi similis.* Quid est, *ero tibi similis?* Ut quomodo tibi placet factum tuum malum, sic putes quia et mihi placet. Et minatur in posterum : *Arguam te* (*Psal.* XLIX, 21). Ergo non tacet qui dixit, *tacui.* Cum diceret, *Hæc fecisti, et tacui; suspicatus es iniquitatem, quod ero tui similis;* et non tacuit [1]. Cum enim nos loquimur, ille non tacet; cum enim lector legit, ille non tacet; cum Psalmus ista cantat, ille non tacet : et istæ omnes voces Dei per orbem terrarum fiunt. Quomodo ergo tacet, quomodo non tacet? Non tacet in verbo, tacet in vindicta. Quid est ergo, *Hæc fecisti, et tacui?* Hæc fecisti, et non vindicavi. *Suspicatus es iniquitatem, quod ero tui similis.* De ipsa vindictæ taciturnitate, id est, de cessatione vindictæ, alio loco dicit : *Tacui; numquid semper tacebo* (*Isai.* XLII, 14). *Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur; respondent, et loquentur iniquitatem; loquentur omnes qui operantur injustitiam?* Et dicit omnia opera. *Respondent, et loquentur iniquitatem.* Quid est, *respondent?* Contra justum habent quod respondeant. Venit justus aliquis, et dicit : Noli facere iniquitatem. Quare? Ne moriaris. Ecce feci iniquitatem; quare non morior? Ille fecit justitiam, et mortuus est : quare mortuus est? Ego feci iniquitatem; quare me non abstulit Deus? Ecce, ille fecit justitiam; et quare sic in illum vindicavit? quare ille sic laborat? respondent; hoc est, *respondent*, quia habent quod dicant; quia parcitur illis, de patientia Dei inveniunt argumentum responsionis suæ. Parcit ille propter aliud, respondent illi propter aliud, quia vivunt. Quare enim parcat ille, dicit Apostolus, exponi consilium patientiæ Dei : *Existimas*, inquit, *qui talia agis quia tu effugies judicium Dei? An divitias benignitatis et longanimitatis ejus contemnis, ignorans* [2] *quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem*, id est, ille qui respondet et dicit, Si displicerem Deo, non mihi parceret Deus : vide quid sibi facit, audi Apostolum : *Tu autem secundum duritiam cordis tui et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua* (*Rom.* II, 3-6). Ille ergo auget longanimitatem, et tu

[1] Hic in tribus Mss. additur, *erant.*

(*a*) Stationarios vocabant milites et apparitores præsidum certis locis per provincias et civitates constitutos, qui notoria crimina denuntiabant magistratibus, ex l. 1, C. de curios. et stationar. libro 12, et ex l. 31, de episc. et cler. in Cod. Theod.

[1] Er. Ven. et Lov.: *cum dicit, hæc.... non tacet.* M.

[2] Edd., *ignoras.* At melioris notæ Mss., *ignorans.*

(*a*) Commentarienses dicebantur carcerum præfecti, et notarii, quorum erat rationes custodiarum ac reorum conficere, et criminum inscriptiones recipere.

-ges iniquitatem. Erit illius thesaurus in sempiterna [1] misericordia in eos qui non contempserunt misericordiam; tuus autem thesaurus in ira invenietur, et quod ponis quotidie per modicum, postea massam inventurus es: minutatim ponis, sed cumulum invenies. Noli attendere minuta peccata tua quotidiana; de minutissimis guttis flumina implentur.

10. [*vers.* 5, 6.] Quid autem illi faciunt, qui respondent et loquentur iniquitatem, quia faciunt et parcitur eis? *Populum tuum, Domine, humiliaverunt:* id est, omnes qui juste vivunt, in quos volunt superbire omnes mali. *Populum tuum, Domine, humiliaverunt, et hæreditatem tuam vexaverunt: viduam et pupillos interfecerunt, et proselytum occiderunt:* id est, peregrinum, advenam, adventitium; ipsum dicit proselytum. Manifesta sunt ista singula, nec opus est in his immorari.

11. [*vers.* 7.] *Et dixerunt, Non videbit Dominus.* Non attendit ista, negligit ista, alias res curat, non intelligit. Hæ enim duæ voces sunt malorum: una quam jam dixi, *Hæc fecisti, et tacui: suspicatus es iniquitatem, quod ero tibi similis.* Quid est, *quod ero tibi similis?* Putas quia video facta tua, et placent mihi, quia non vindico. Alia est vox iniquorum: Quia nec attendit ista Deus, nec advertit ut sciat quemadmodum vivam, non me curat Deus. Ergo inter aliqua me computat Deus? aut vere me numerat Deus? aut ipsos homines numerat? Infelix homo! ut esses curavit; ut bene vivas non curat? Istorum ergo ista vox est. *Et dixerunt, Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Jacob.*

12. [*vers.* 8.] *Intelligite nunc qui insipientes estis in populo, et stulti aliquando sapite.* Populum suum erudit, cui possunt commoveri pedes, quando felicitates iniquorum videt homo, jam bene vivens in numero sanctorum Dei, id est in numero filiorum Ecclesiæ: videt quia florent mali, et faciunt iniquitatem, et æmulatur eos, et adducitur ut imitetur facta ipsorum; quia videt quasi nihil sibi prodesse quod bene vivat humilis, hic sperans mercedem. Nam si illam speret futuram, non illam perdit; quia nondum venit tempus ut accipiat eam. In vinea operaris, fac opus tuum, et accipies mercedem tuam. A patrefamilias non exigeres antequam operareris, et a Deo exigis antequam opereris? Et ista tolerantia ad opus tuum pertinet, et hoc ad mercedem pertinet: minus vis facere in vinea, qui non vis tolerare; quia et ipsa tolerantia ad ipsam operationem pertinet, ut invenias mercedem. Quod si dolosus es, vide ne non solum non accipias mercedem, sed et pœnam invenias; quia voluisti esse operarius dolosus. Et quidem operarius dolosus ut incipiat non bene facere, oculos patrisfamilias attendit, ad illum aspicit qui conduxit ad vineam, ut cum ille averterit oculos, cesset, et non bene operetur; cum autem ille converterit oculos, bene operetur. Deus autem qui te conduxit, non avertit oculos; non tibi licet dolose operari: super te semper sunt oculi patrisfamilias; quære ubi illum fallas, et cessa si potes. Ergo si qui forte aliquid cogitabatis, quando videbatis malos florere, et cogitationes vestræ faciebant nutare pedes vestros in via Dei; vobis loquitur psalmus iste: si autem nullus vestrum talis est, per vos aliis loquitur, dicens, *Intelligite nunc;* quia dixerunt illi, *Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Jacob. Intelligite,* inquit, *nunc qui insipientes estis in populo, et stulti aliquando sapite.*

13. [*vers.* 9, 10.] *Qui plantavit aurem, non audiet?* Non habet unde audiat, qui tibi fecit unde audias? *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui erudit gentes, non arguet?* Attendite hoc magnopere, fratres mei, *Qui erudit gentes, non arguet?* Hoc modo facit Deus, erudit gentes: ideo misit verbum suum per orbem terrarum hominibus, misit per Angelos, per Patriarchas, per Prophetas, per servos, per tot præcones antecedentes judicem. Misit et ipsum Verbum suum, misit et ipsum Filium suum; misit servos Filii sui, et in ipsis servis Filium suum. Per totum orbem terrarum prædicatur ubique verbum Dei. Ubi non dicitur hominibus: Relinquite iniquitates vestras priores, convertite vos ad itinera recta? Ideo parcit, ut vos corrigatis; ideo heri non vindicavit, ut hodie bene vivatis. Erudit gentes; non ergo arguet? non auditurus est quos erudit? non judicaturus est quibus sermonem præmisit et præseminavit? In schola si esses, acciperes, et non redderes? Utique quando accipis a magistro, erudiris: committit tibi magister quod præbet; et non exiget quando reddis? aut cum cœperis reddere, sine metu eris plagarum? Modo ergo accipimus; postea statuimur ante magistrum, ut reddamus omnes præteritas nostras [1], id est, ut rationem reddamus de his omnibus quæ nobis modo erogantur. Audi Apostolum dicentem: « Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut illic recipiat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum (*Rom.* XIV, 10; *et* II *Cor.* V, 10). Qui erudit gentes, non arguet; qui docet hominem scientiam? » Ipse non scit qui te fecit scire; « qui docet hominem scientiam? »

14. [*vers.* 11.] *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Nam etsi tu nescis cogitationes Dei, quoniam justæ sunt; ille *scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Et homines scierunt cogitationes Dei: sed quibus jam amicus factus est, prodit consilium suum. Et vos, fratres mei, nolite vos contemnere: si cum fide acceditis ad Dominum, auditis cogitationes Dei; eas modo discitis, hoc vobis dicitur, et ad hoc instruimini quare parcat modo Deus malis, ne murmuretis adversus Deum, *qui docet hominem scientiam. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Relinquite ergo cogitationes hominum, quæ vanæ sunt; ut comprehendatis cogitationes Dei, quæ sapientes sunt. Sed quis est qui comprehendit cogitationes Dei? Qui ponitur in firmamento cœli. Jam hoc cantavimus, jam hoc diximus et exposuimus.

15. [*vers.* 12, 13.] *Beatus vir quem tu erudieris, Do-*

[1] Sic Mss. Edd. vero, *in sempiternum.*

[1] Duo Mss., *præterita nostra.*

mine, et ex lege tua docueris eum : ut mitiges eum a diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea. Ecce habes consilium Dei, quare parcat malis : foditur fovea peccatori. Tu jam vis illum sepelire : adhuc fovea illi foditur; noli festinare sepelire. Quid est, *donec fodiatur peccatori fovea?* Aut quem ponit peccatorem? unum hominem? Non. Quid ergo? Omne genus hominum peccatorum, sed superborum; jam enim præmisit, *Redde retributionem superbis.* Nam et ille peccator fuit Publicanus, qui oculos eliserat in terram, et percutiebat pectus suum, dicens, *Deus, propitius esto mihi peccatori :* sed quia non superbus erat, Deus autem reddet retributionem superbis; non illi, sed talibus foditur fovea, donec reddat retributionem superbis. Ergo quod ait, *Donec fodiatur peccatori fovea,* superbos intellige. Quis est superbus? Qui non confessione peccatorum agit pœnitentiam, ut sanari per humilitatem possit. Quis est superbus? Qui illa ipsa pauca quæ videtur habere bona, sibi vult arrogare, et derogat misericordiæ Dei. Quis est superbus? Qui etiamsi Deo tribuat bona quæ facit, insultat tamen eis qui illa non faciunt, et extollit se super illos. Nam et ille Pharisæus, *Gratias tibi ago,* inquit : non dixit, Ego facio. De his quæ faciebat, gratias Deo agebat : sentiebat ergo et bene se facere, et ab illo se facere. Unde ergo improbatus est? Quia insultabat Publicano. Ut perficiamini attendite. Primo præcedere debet, sive virum, sive feminam confessio peccatorum, salubris pœnitentia quæ valeat ad corrigendum hominem, non ad irridendum Deum : cum autem post pœnitentiam bene vivere cœperit, habet adhuc quod cogitet, ne sibi tribuat quod bene facit, sed illi agat gratias, cujus gratia factum est ut bene viveret; quia ille illum vocavit, ille illum illuminavit. Ergo iste jam perfectus est? Non; adhuc deest illi aliquid. Quid illi deest? Ut non superbiat super eos qui necdum sic vivunt, quomodo ipse vivit. Qui talis fuerit, securus sit; non illi redditur retributio de qua dictum est, *Redde retributionem superbis :* non est inter illos quibus foditur fovea. Nam videte illum qui dicebat, *Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines, injusti, raptores, adulteri, sicut et Publicanus iste :* quantum se extulit, cum dicit, *Quia non sum sicut et Publicanus iste?* Ille autem elisa facie, percutiebat pectus suum, dicens : *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Ille superbus erat in bonis factis, ille humilis in malis factis. Videte, fratres, placuit Deo magis humilitas in malis factis, quam superbia in bonis factis : sic odit Deus superbos. Et ideo sic conclusit : *Amen dico vobis, descendit justificatus Publicanus magis quam Pharisæus.* Et dicit quare : *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et omnis qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XVIII, 10-14). Fratres mei, vel hinc solum nos discimus [1] quia humilitatem nos docuit Christus, quia Deus factus est homo. Ipsa est humilitas quæ displicet Paganis; unde nobis insultant : Qualem Deum colitis qui natus est? qualem Deum colitis qui crucifixus est? Humilitas Christi superbis displicet : tibi autem christiano si placet, imitare. Si imitatus fueris, non laborabis; quia ipse dixit, *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et discite a me, quoniam mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 28, 29). Hæc est ergo disciplina christiana : nemo facit aliquid bene, nisi gratia ipsius. Quod facit homo male, ipsius est hominis : quod facit bene, de beneficio Dei facit. Cum cœperit facere bene, non sibi tribuat : cum non sibi tribuerit, gratias agat ei a quo acceperit. Cum autem bene facit, non insultet illi qui illud non facit, aut extollat se super eum : non enim in illo finita est gratia Dei, ut ad alium non perveniat.

[1] Plerique Mss. *non discimus.* Quidam, *non dicimus.*

16. *Ut mitiges eum a diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea.* Mitis ergo esto, quisquis christianus es, a diebus malignis. Maligni enim sunt dies quibus videntur florere peccatores et laborare justi; sed labor justorum flagellum est Patris, et felicitas peccatorum fovea ipsorum est. Quia enim mitigat vos Deus a diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea; non cogitetis quia modo in aliquo loco stant Angeli cum bidentibus, et fodiunt istam foveam magnam quæ possit capere omne genus iniquorum; et quia videtis multos esse iniquos, et dicatis vobis carnaliter : Revera tantam multitudinem iniquorum, tantam turbam peccantium quæ fovea potest capere? quando foditur talis quæ omnes capiat, quando exhauritur? ideo parcit Deus. Non est hoc : fossa peccatorum, ipsa felicitas peccatorum est; in illam enim cadent tanquam in foveam. Intendite, fratres, quia magna res ut felicitas fovea dicatur : *Donec fodiatur peccatori fovea.* Parcit enim illi Deus, quem novit peccatorem et impium, occulta justitia sua; et hoc ipsum quod ei parcit Deus, per impunitatem facit eum elatum. Ille se altum putat, et cadit : in eo ipso cadit, quo se altum putat. Hoc se ille putat sublimiter ire, et Deus hoc fossam vocat. Fossa ad ima tendit, non ad cœlum : peccatores autem superbi quasi in cœlum eunt, et in terram merguntur. Contra, humiles quasi in terram se deprimunt, et in cœlum ascendunt. Mitesce ergo, quisquis es fidelis, si eruditus es ex lege Dei, ut sit cor tuum in firmamento cœli : quia Deus fecit luminaria quarto die, qui dicitur *quarta sabbati,* unde titulum psalmus iste percepit. Quomodo vides luminaria cum tota patientia dirigere cursus suos, et non curare quæ in se dicant homines; sic et tu non cures quidquid tibi fecerit caro. Omnis enim homo caro et sanguis est. Non enim vilis es in comparatione alterius carnis, a qua videris premi; quia pro te ille suscepit carnem, et pro te ille fudit sanguinem, qui et te et illum ad suum est perducturus examen [1] : et si tanta prærogavit, cum esses impius, quid servat fideli? Hinc mitesce. Quemadmodum mitescis? Cum dicis : Quia Deus hoc vult, ideo florent mali [2]; parcere vult malis, ad pœnitentiam adducit eos quibus parcit, sed illi non corriguntur : novit ille quomodo de illis judicet. Immitis est autem homo, cum vult contradicere aut bonitati Domini, aut patientiæ, aut potestati, aut justitiæ

[1] Am. et nostri Mss. carent his verbis, *qui te et illum ad suum est perducturus examen.*

[2] Istud, *ideo florent mali,* abest a Mss. et ab Am.

judicis. **Erigitur superbus in Deum, mergit illum** Deus; et in eo ipso mergitur, quo erigitur in Deum. Nam in alio psalmo sic ait: *Dejecisti eos, dum extollerentur* (*Psal.* LXXII, 18). Non dixit, Dejecisti eos, quia elati sunt; aut, Dejecisti eos, posteaquam elati sunt; ut aliud sit tempus elationis eorum, aliud tempus dejectionis: sed in eo ipso quo extollebantur, ibi dejiciebantur. Quantum enim superbum cor hominis, tantum recedit a Deo; et si recedit a Deo, in profundum it. Contra, cor humile de cœlo adducit Deum, ut proximus fiat. Certe altus est Deus, super omnes cœlos est Deus, transcendit omnes Angelos: quantum habes erigi, ut attingas ad illum excelsum? Nolo te rumpas extendendo te; aliud consilium tibi do, ne in ista extensione forte crepes per superbiam: certe altus est Deus; tu humilia te, et descendet ad te.

17. [*vers.* 14.] Audivimus quare parcat malis; hoc ipsum fossa ipsorum est. Dicit tibi Deus: Quomodo illis foditur, et quare illis foditur fovea, non est tuum cognoscere; sed ex lege mea disce patientem te esse debere, *donec fodiatur peccatori fovea.* Et quid de me, inquis, qui laboro, et laboro inter ipsos peccatores? Respondetur tibi quod sequitur: *Quia non repellet Dominus plebem suam.* Exercet, non repellit. Quomodo enim dicit alio loco Scriptura? *Quoniam quem diligit Deus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Ille flagellatum recipit, tu dicis quia repellit? Videmus homines in filiis suis facere illud: aliquando jam desperatos filios suos dimittunt vivere quomodo volunt; eos qui spem habent, flagellant; illos quos omnino viderint sine spe et indomitos esse, dimittunt ut faciant quod volunt. Jam quem dimittit facere quod vult, non vult admittere ad hæreditatem suam: eum autem flagellat filium cui ipsam hæreditatem servat. Cum autem flagellat Deus filium, currat sub manu [1] Patris flagellantis; quia qui flagellat, ad hæreditatem erudit: ab hæreditate non repellit filium suum quem castigat; sed ideo flagellat, ut recipiat. Non sit tam vano sensu et puerili, ut dicat: Plus amat pater meus fratrem meum, cui permittit facere quidquid vult; ego si me movero contra jussionem patris mei, flagella invenio. Tu gaude sub flagellis; quia tibi servatur hæreditas, *Quia non repellet Dominus plebem suam.* Ad tempus emendat, non in æternum damnat: illis autem ad tempus parcit, in æternum illos damnabit. Elige tibi: temporalem vis laborem, an sempiternam pœnam? temporalem felicitatem, an sempiternam vitam? Quid minatur Deus? Sempiternam pœnam. Quid promittit Deus? Sempiternam requiem. In quo flagellat bonos, temporale est: in quo parcit malis, temporale est. *Quia non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet.*

18. [*vers.* 15.] *Quousque justitia*, inquit, *convertatur in judicium et qui habent eam omnes recto sunt corde.* Attende modo, et habe justitiam; quia judicium nondum potes habere. Prius est ut habeas justitiam; sed ipsa justitia tua convertetur in judicium. Habuerunt hic justitiam Apostoli, et pertulerunt iniquos. Sed quid illis dicitur? *Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Ergo justitia ipsorum convertetur in judicium. Modo enim justus quisquis hic fuerit, ad hoc est ut patiatur mala et toleret: patiatur tempus passionis, et venit dies judicationis. Sed quid dico de servis Dei? Ipse Dominus qui judex est omnium vivorum et mortuorum, primo judicari voluit, et sic judicare. *Quousque justitia convertatur in judicium: et qui habent eam omnes recto sunt corde.* Qui habent modo justitiam, nondum judicant. Primo est enim habere justitiam, et postea judicare: primo patitur malos, et postea judicat malos. Modo justitia sit; postea convertetur in judicium. Et tamdiu patitur homines malos, quamdiu vult Deus, quamdiu illos perferet Ecclesia Dei, ut erudiatur per malitiam ipsorum. Non tamen repellet Deus plebem suam, *quousque justitia convertatur in judicium: et qui habent eam, omnes recto sunt corde.* Qui sunt *recto corde?* Qui hoc volunt quod Deus vult. Parcit peccatoribus, tu vis ut jam perdat peccatores. Distorti cordis es et pravæ voluntatis, quando aliud vis, aliud vult Deus. Vult autem Deus parcere malis, tu non vis parci: patiens est Deus peccatoribus, tu non vis tolerare peccatores. Sed ut dicere cœperam, aliud vis tu, aliud Deus: converte cor tuum, et dirige ad Deum; quia et Dominus infirmis compassus est. Vidit in corpore suo, id est in Ecclesia sua infirmos, qui primo voluntatem suam sequi tentarent; sed cum viderent [1] voluntatem Dei aliam esse, dirigerent se et cor suum ad suscipiendam et sequendam voluntatem Dei. Ne voluntatem Dei velis torquere ad voluntatem tuam, sed tuam corrige ad voluntatem Dei. Voluntas Dei sic est quomodo regula: ecce, puta, torsisti regulam; unde habes corrigi? Illa autem integra manet: regula est enim incommutabilis. Quamdiu integra est regula, habes quo te convertas et corrigas pravitatem tuam, habes unde corrigas quod in te tortum est. Quid autem volunt homines? Parum est, quia voluntatem suam tortuosam habent; etiam volunt voluntatem Dei tortam facere secundum cor suum, ut hoc faciat Deus quod ipsi volunt, cum ipsi hoc debeant facere quod Deus vult.

19. Quomodo autem complexus est Dominus ex duabus voluntatibus unam factam in homine quem portabat? Præfigurans in corpore suo, id est in Ecclesia sua, futuros quosdam qui voluntatem suam vellent facere, sed sequerentur postea Dei; quia infirmos quosdam ostendit quod ad ipsum pertineant, et eos præfiguravit in se. Nam ideo et toto corpore sanguinem sudavit (*Luc.* XXII, 44), quia in corpore suo, id est in Ecclesia sua, martyrum sanguinem ostendit. Toto corpore sanguis exibat: ita Ecclesia ejus habet martyres; per totum corpus ejus fusus est sanguis. Quosdam ergo infirmos in se præfigurans, vel [2] in corpore suo; ex persona infirmorum, compatiens illis, ait: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.*

[1] Aliquot Mss., *sub manum.*

[1] Er. Ven. et Lov., *vident*, et paulo post, *dirigunt.* M.
[2] Er. Ven. et Lov., *id est*, pro, *vel.* M.

Ostendit hominis voluntatem : si in ipsa voluntate permaneret, jam pravum cor videretur ostendere. Sed si compassus est tibi, et te liberat in se; imitare quod sequitur, dicens : *Verum, non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater* (*Matth.* xxvi, 39). Si cœperit tibi subrepere voluntas humana, O, si occidat Deus inimicum istum meum, ut non me persequatur! o, si posset fieri ut non ab illo paterer tanta! jam si perseveraveris, et hoc tibi placuerit, et vides quia non hoc vult Deus, pravus corde es, non habes justitiam quæ convertetur in judicium : *qui* enim *illam habent, omnes recti sunt corde.* Et qui sunt, *recti corde?* Qui sic inveniuntur quomodo inventus est Job, qui ait : *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (*Job* i, 21). Ecce rectum cor. Iterum in gravi vulnere quid dixit uxori, quam propterea reliquerat diabolus et non occiderat, ut ipse haberet adjutricem, non ut maritus consolatricem? Meminerat enim quia per illam Evam deceptus erat Adam (*Gen.* iii, 6), et necessariam sibi putabat hanc Evam. Accessit ad Job illa, tanquam Eva; sed Adam [1] melior fuit in stercore victor quam Adam victus in paradiso : quid enim respondit illi mulieri? Vide cor paratum, vide cor rectum. Numquid non patiebatur persecutiones, et graves? Et omnes Christiani patiuntur; et si non sæviunt homines, sævit diabolus : et si christiani facti sunt imperatores, numquid diabolus christianus factus est? Intendat ergo Sanctitas Vestra quid sit rectum cor. Accessit ad eum, et ait : *Dic aliquid in Deum, et morere.* Enumeravit omnes ærumnas vel ipsius vel suas : *Dic aliquid*, inquit, *in Deum, et morere.* Et ille jam cognoscens Evam, redire volens unde lapsus est, fixo corde in Deo tanquam luminare in firmamento, habitans corde in libro Dei : *Locuta es*, inquit, *tanquam una ex insipientibus mulieribus; si bona suscepimus de manu Domini, mala non tolerabimus* (*Job* ii, 9, 10)? Quia fixum cor in Deo, ideo rectum : quia enim rectus est Deus, quando in illo figis cor, forma tibi sit, ut sit tibi cor rectum. Fige ergo cor tuum in illo, et rectum cor erit. Sed subrepebat voluntas humana; nescio quid de carnis infirmitate lactabat [2] mentem tuam : noli jam desperare. Te præsignavit Dominus in sua infirmitate, non se : non enim timebat Dominus pati, tertio die resurrecturus. Si prorsus quomodo homo pateretur, et non quomodo Deus pati veniret, et si sciret se post triduum resurrecturum, nullo modo formidaret moriturus, quod non formidavit apostolus Paulus, in fine sæculi resurrecturus. Ait enim : *Compellor autem ex duobus : concupiscentiam habens dissolvi et esse cum Christo, multo enim magis optimum; manere in carne necessarium propter vos* (*Philipp.* i, 23 *et* 24). Tædium enim illi erat manere in carne, ex duobus patiebatur ardorem; dissolvi et esse cum Christo, multo magis optimum dicebat. Adeo cum appropinquaret ipsa passio, quomodo exsultabat! quomodo gloriabatur! *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cætero superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex* (II *Tim.* iv, 7 *et* 8). Iste gaudet coronandus, et tristis est ille coronaturus : gaudet sic Apostolus, et dicit Christus Dominus noster, *Pater, si fieri potest, transeat hic calix.* Sed tristitiam sic assumpsit quomodo carnem. Nolite enim putare quia hoc dicimus, non fuisse tristem Dominum. Si enim hoc dixerimus, quia non erat tristis, cum Evangelium dicat, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* xxvi, 38, 39) : ergo et quando dicit Evangelium, Dormivit Jesus (*Id.* viii, 24), non dormivit Jesus; et quando Evangelium dicit, Manducavit Jesus (*Luc.* xiv, 1, *etc.*), non manducavit Jesus : subrepit vermiculus putredinis, et nihil sanum relinquit, ut dicatur quia et corpus non erat verum, et carnem veram non habuit. Quidquid ergo de illo scriptum est, fratres, factum est, verum est. Ergo tristis fuit? Prorsus tristis, sed voluntate suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens carnem; quomodo voluntate carnem veram, sic voluntate tristitiam veram. Sic ergo voluntate [1] ostendit in se, ut si forte subrepserit tibi humana infirmitas, et cœperit aliud velle quam Deus vult, videas pravitatem cordis tui extra regulam, figas illud ad regulam, et dirigatur in Deum cor tuum, quod in homine cœperat esse pravum. Sic ergo Dominus te ostendens dixit, *Tristis est anima mea usque ad mortem;* et dixit, *Pater, si fieri potest transeat a me calix iste.* Sed statim fac quod ideo fecit ut te doceret : *Verum, non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater.* Si enim hoc feceritis, justitiam habebitis : si justitiam habebitis, rectum est cor; si rectum est cor, justitia illa quæ modo tolerat, convertetur in judicium, et postea judicante Domino tuo, non solum non expavesces mala, sed etiam gloriaberis de corona. Tunc videbis [2] quomodo profecerit patientia Dei, vel ad illorum pœnam, vel ad tuam coronam : modo non vides; crede quod nondum vides, ne erubescas cum videris. *Quousque justitia convertatur in judicium : et qui habent eam, omnes recto sunt corde.*

20. [*vers.* 16.] *Quis exsurget mihi adversus malignantes? aut quis consistet mihi adversus operantes iniquitatem?* Persuadent multi multa mala, susurrare serpens non desinit, ut facias iniquitatem : quacumque te converteris, forte si profecisti, quæris cum aliquo bene vivere, et vix invenis; multi mali te circumdant, quia pauca grana, multa palea. Habet hæc area grana sua, sed adhuc laborant. Separata ergo a palea tota massa grandis erit : pauca grana sunt, sed in comparatione palearum; multa autem in se. Ergo cum undique mali perstrepant, et dicant, Quare sic vivis? tu solus christianus es? Quare non facis quod faciunt et alii? quare non spectas, quemadmodum et alii? quare non remedia et ligaturas adhibes? quare non mathematicos et aruspices consulis, sicut et alii?

[1] Sic Mss. At Edd., *Job.*
[2] Omnes prope Mss., *jactabat.*

[1] Edd.: *Sic tristitiam ergo voluntate.* At Mss. carent voce, *tristitiam;* et loco, *voluntate*, nonnulli habent, *voluntatem :* et sic Am.
[2] Sic alter e Corb. Mss. Alii cum Edd., *vides.*

et tu signas te, et dicis, Christianus sum, ut repellas istos nescio quos : sed adversarius premit, urget; quod pejus est, exemplo christianorum suffocat christianos. Sudatur, æstuatur; tribulatur anima christiana : vincere habet tamen; sed numquid de se? Ideo vide quid dicat. Respondet enim, Quid mihi prodest quia modo mihi facio remedia, et lucror paucos dies? exeo hinc de isto sæculo, et vado ad Dominum meum [1], et mittet me in ignem; quia præposui paucos dies vitæ futuræ, mittet me in gehennas. Quas gehennas? Æterni judicii Dei. Vere, nisi putas quia Deus curat quomodo vivant homines? Et hoc forte non in platea tibi dicit amicus, sed in domo uxor, aut forte maritus uxori fideli bonæ et sanctæ, deceptor ipsius. Si mulier marito, Eva est illi; si vir uxori, diabolus est illi : aut ipsa tibi Eva est, aut tu illi serpens es. Aliquando vult convertere pater cogitationem suam vel ad filium : invenit et ipsum malum, nequissimum; æstuat, fluctuat, quærit quomodo vincat, prope sorbetur, prope consentit, sed adsit Deus. Audite ergo Psalmum : *Quis exsurget mihi*, inquit, *adversus malignantes?* Tam multi sunt; quacumque respicio, ipsi occurrunt. Quis occurret principi iniquitatis diabolo, et angelis ejus, et hominibus seductis ab eo?

21. [*vers.* 17.] *Nisi quia Dominus*, inquit, *adjuvit me, paulo minus habitaverat in inferno anima mea.* Prope rueram in illam fossam quæ paratur peccatoribus : hoc est, *paulo minus in inferno habitaverat anima mea.* Quia jam nutabat, jam prope consentiebat, respexit ad Dominum. Ut puta, verbi gratia, insultabatur illi, ut faceret iniquitatem. Aliquando enim congregant se mali, et insultant bonis; maxime si fuerint illi plures, et ceperint illum unum, quomodo aliquando multa palea est circa unum granum (tunc non erunt simul cum fuerit massa ventilata) : capitur inter multos iniquos ille, insultatur illi, circumvenitur; superponere se volunt illi, exagitant quasi justum, et insultant quasi de ipsa justitia : Magnus, inquiunt, apostolus; in cœlum volasti, quomodo Elias. Faciunt homines ista, ita ut aliquando attendens ad linguam humanam, erubescat esse bonus inter malos. Resistat ergo malis; sed non de viribus suis, ne efficiatur superbus, cum vult evadere superbos, et augeat numerum superborum. Sed quid dicat? « Quis exsurget mihi adversus malignantes? aut quis consistet mihi adversus operantes iniquitatem? Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaverat in inferno anima mea. »

22. [*vers.* 18, 19.] *Si dicebam, Motus est pes meus; misericordia tua, Domine, adjuvabat me.* Vide quomodo confessionem amat Deus. Movetur pes tuus, et non dicis, Movetur pes meus; sed stare te dicis, cum jam ruas. Imo si jam cœpisti moveri, si jam cœpisti fluctuare, confitere motum, ne plangas ruinam; ut adjuvet te ille, ne in inferno sit anima tua. Confessionem vult Deus, humilitatem vult. Motus es, ut homo; adjuvat te ille, ut Deus : sed dic tamen, *Motus est pes meus.* Quare jam moveris, et dicis, Sto? *Si dicebam, Motus est pes meus; misericordia tua, Domine, adjuvabat me.* Quomodo præsumpsit Petrus, non in viribus suis. Videbatur Dominus ambulare super mare, calcans capita omnium superborum in isto sæculo. Ipsum iter suum calcantis capita superborum, significavit ambulans super tumidos fluctus. Calcat et Ecclesia : nam ipsa est Petrus. Non tamen ausus est Petrus per seipsum ambulare super aquas : sed quid ait? *Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas.* Ille in potestate sua, Petrus in jussu illius. *Jube*, inquit, *venire me ad te.* Respondit ille : *Veni.* Calcat enim et Ecclesia capita superborum; sed quia Ecclesia est et habet infirmitatem humanam, ut compleretur, *Si dicebam, Motus est pes meus*, titubavit Petrus in mari, et exclamavit : *Domine, pereo.* Quod ergo hic positum est, *Si dicebam, Motus est pes meus*; hoc ibi positum est, *Domine, pereo.* Et quod hic positum est, *Misericordia tua, Domine, adjuvabat me;* hoc ibi positum est, *Porrexit manum Jesus dicens, Modicæ fidei, utquid dubitasti* (*Matth.* XIV, 25-31)? Mirum est quomodo probat Deus homines : ipsa pericula nostra [1] dulciorem nobis faciunt liberantem. Nam videte quod sequitur. Quia dixit, *Si dicebam, Motus est pes meus; misericordia tua, Domine, adjuvabat me :* dulcis illi utique factus est Dominus, eripiens illum a periculis; et ideo exponens ipsam dulcedinem Domini, exclamat dicens, *Domine, secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, exhortationes tuæ jucundaverunt animam meam.* Multi dolores, sed multæ consolationes : amara vulnera, sed suavia medicamenta.

23. [*vers.* 20.] *Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis dolorem in præcepto?* Hoc dixit, Nemo sedet tecum iniquus, nec tu sedem iniquitatis habebis. Et unde hoc intelligat, reddit rationem : *Qui fingis*, inquit, *dolorem in præcepto.* Ex hoc enim intelligo quod non tibi adhæret sedes iniquitatis, quia nec nobis pepercisti. Habes hoc in Epistola apostoli Petri, et ad hoc testimonium posuit de Scriptura : *Tempus est*, ait, *inchoationis judicii ex domo Domini;* id est, tempus est ut modo judicentur qui pertinent ad domum Domini. Si flagellantur filii, quid debent sperare servi nequissimi? Ideoque addidit : *Si autem initium a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio?* Deinde adjungit illud testimonium : *Et si justus vix salvabitur, peccator et impius ubi parebunt* (I *Petr.* IV, 17, 18)? Quomodo ergo erunt tecum iniqui, quando nec tuis fidelibus parcis, ut exerceas et erudias eos? Sed quia propter hoc non parcit, ut erudiat; ideo dixit, *Qui fingis dolorem in præcepto. Fingis* enim est, Facis formas, plasmas; unde et figuli dicuntur, et vas fictile dicitur : non fictum illud quod mendacium est; sed quod formatur ut sit, et habeat aliquam formam, sicut jamdudum dixit, *Qui finxit oculum, non videbit?* Numquid, *finxit oculum*, mendacium est? Sed intelligitur, Plasmavit oculum,

[1] Mss.: *Exeo illuc ad Dominum*, etc.

[1] Mss.: *Mirum est, quod Deus probat hominibus, ipsa pericula*, etc. Sic etiam editio Am.

fecit oculum. Nonne figulus est, cum fragiles, infirmos, et terrenos [1] facit? Audi Apostolum dicentem : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (II *Cor.* IV, 7). Sed forte alius nobis fecit hæc vasa? ipsum audi dicentem : « O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare sic me fecisti? Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam » (*Rom.* IX, 20, 21)? Vide et ipsum Dominum Christum, quia ostendit se figulum. Nam quia de limo hominem fecerat (*Gen.* II, 7), de limo inunxit cui minus in utero oculos fecerat (*Joan.* IX, 1-6). Ergo quod dixit, *Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis dolorem in præcepto?* sic dicamus, Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui formas dolorem in præcepto? Formas, inquit, dolorem in præcepto, id est, de dolore præceptum nobis facis, ut ipse dolor præceptum sit nobis. Quomodo nobis dolor est præceptum? Quando te flagellat qui pro te mortuus est, et non tibi promittit [2] beatitudinem in ista vita, et fallere non potest, et hic non dat quod quæris. Quid dabit? ubi dabit? quantum dabit, qui hic non dat, qui hic erudit, qui fingit dolorem in præcepto? Labor est hic tuus, et requies tibi promittitur. Attendis te habere hic laborem; sed attende qualem ille requiem pollicetur. Numquid cogitare, potes? Si illam posses cogitare, videres te nihil laborare ad compensationem. Audi eum qui illud ex parte cernebat, qui dixit, *Nunc scio ex parte* (I *Cor.* XIII, 12) : quid ait Apostolus? « Etenim quod est ad præsens temporale et leve tribulationis nostræ, juxta incredibilem modum, et in incredibilem modum, æternum gloriæ pondus operatur nobis. » Quid est, « æternum gloriæ pondus operatur nobis? » quibus operatur? « Non respicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur : quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna » (II *Cor.* IV, 17, 18). Noli esse piger in labore breviter, et gaudebis incessabiliter. Æternam vitam tibi daturus est Deus : cogita quanto labore emenda sit.

24. Intendite, fratres; venale est. Venale est quod habeo, dicit tibi Deus; eme illud. Quid habet venale? Requiem venalem habeo; eme illam de labore. Intendite, ut simus in nomine Christi fortes christiani [3] : jam modicum est quod restat in Psalmo, non fatigemur. Quomodo enim fortis poterit esse in faciendo, qui deficit in audiendo? Aderit Dominus ut vobis quod reliquum est, explicemus. Attendite : quodammodo Deus proposuit venale regnum cœlorum. Dicis illi : Quantum valet? Pretium ipsius labor est : quomodo si diceret, Pretium ipsius aurum est, non sufficeret hoc solum dicere, sed quæreres quantum aurum. Nam et solidus aurum est, et semiuncia, et libra, et tale aliquid. Ideo dixit pretium, ne laborares quærere quamdiu invenires [4]. Hujus rei pretium labor est : quantus labor est? Jam quære tu quantum laborandum sit. Nondum dicitur tibi quantus futurus sit labor iste, vel quantum laboris de te exigatur : illud tibi dicit Deus, Ego ostendo quanta sit illa requies; tu judica quanto labore emenda sit. Dicat ergo Deus quanta futura sit ipsa requies. *Beati qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te.* (*Psal.* LXXXIII, 5). Hæc est requies sempiterna : sine fine erit requies ista, sine fine erit gaudium hoc, sine fine erit lætitia ista, sine fine erit incorruptio; vitam æternam habebis; requiem quæ non habet finem. Quanto labore digna est requies quæ non habet finem? Si verum vis comparare, et verum judicare, æterna requies æterno labore recte emitur. Verum hoc est : sed noli timere, misericors est Deus. Si enim haberes æternum laborem, nunquam pervenires ad æternam quietem. Semper laborans quando perventurus eras ad illud quod digne quidem potest emi sempiterno labore, quia sempiterna requies est? Æqua pretium : æterno certe labore digna est æterna quies comparari. Sed si semper laborares, nunquam ad requiem pervenires. Ergo ut aliquando pervenias ad id quod emis, non in æternum laborandum est : non quia non valet tanti, sed ut possideatur quod emitur. Digna est quidem emi labore perpetuo; sed necesse est ut labore temporali ematur. Certe tantus debuit esse, id est sempiternus labor pro requie sempiterna. Decies centena millia annorum in labore quid valent? Decies centena millia annorum habent finem : Quod tibi dabo, dicit Deus, non habebit finem. Qualis misericordia Dei? Nec dicit, Decies centena millia annorum labora; non dicit, vel mille annos labora; non dicit, quingentos annos labora : cum vivis labora, in paucis annis; inde jam requies erit, et finem non habebit. Et adhuc audi consequentia [1] : *Domine, secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, exhortationes tuæ jucundaverunt animam meam.* Et paucos annos laboras, et in ipsis laboribus non deest consolatio, non desunt gaudia quotidiana. Sed noli gaudere in sæculo : gaude in Christo, gaude in verbo ejus, gaude in lege ejus. Ad ipsa gaudia pertinet quod loquimur, et quod auditis. Quantæ ergo sunt istæ consolationes in tantis laboribus? Verum est ergo quod dixit Apostolus, « Etenim quod ad præsens temporale est et leve tribulationis nostræ, juxta incredibilem modum, et in incredibilem modum, æternum gloriæ pondus operatur nobis. » Ecce quantum pretium damus, quodam modo unam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos : siliquam laboris ad requiem incredibilem, secundum quod dictum est, *Juxta incredibilem modum, et in incredibilem modum, æternum gloriæ pondus operatur.* Gaudes ad tempus; noli illi fidere : tristis es ad tempus; noli desperare. Non te corrumpat felicitas, et non frangat adversitas : ne forte dicas in animo tuo, Non potest fieri, ut Deus admittat ad se iniquos, qui justos ipsos emendat, ut salvet; qui ideo emendat, ut erudiat. *Si Justus vix salvus*

[1] Sic Am. Er. et nostri Mss. At Lov. cum tribus e suis Mss., *æternos*.
[2] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *permittit*.
[3] Plerique Mss., *in nomine Christi, fratres, Christiani*.
[4] Sic Regius Ms. Alii cum Edd., *quamdiu hujus rei pretium, etc.*, omisso verbo, *invenires*.

[1] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *consonantia*.

fiet; peccator et impius ubi parebunt? Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis? id est, Numquid adhæret tibi sedes impiorum; *qui fingis dolorem in præcepto*, qui et istos filios sic voluisti exercere et erudire, sic voluisti eis præcepta dare, ut non essent sine timore, ne amarent aliquid aliud, et oblivis cerentur te verum bonum suum? Bonus est Deus : si cessaret Deus, et non misceret amaritudines felicitatibus sæculi, obliviscere-mur eum.

25. Sed ubi angores molestiarum faciunt fluctus animæ, fides illa quæ ibi dormiebat, excitetur. Tranquillum enim erat, quando dormivit Christus in mari : illo dormiente tempestas orta est, et cœperunt periclitari. Ergo in corde christiano et tranquillitas erit, et pax; sed quamdiu vigilat fides nostra : si autem dormit fides nostra, periclitamur. Hoc enim significat dormiens Christus, quia quidam obliviscuntur fidem suam, et periclitantur. Sed quomodo illa navis cum fluctuaret, excitatus est Christus a fluctuantibus, et dicentibus, *Domine, perimus;* surrexit ille, imperavit tempestatibus, imperavit fluctibus, cessavit periculum, facta est tranquillitas (*Matth.* VIII, 23-26) : sic et te cum turbant concupiscentiæ malæ, persuasiones malæ, fluctus sunt, tranquillabuntur. Jam desperas, et putas te non pertinere ad Dominum : evigilet fides tua, excita Christum in corde tuo; surgente fide, jam agnoscis ubi sis : et si forte tentant fluctus concupiscentiæ, intueris quid promisit Deus; et dulcedo promissorum faciet te contemptorem dulcedinum sæculi : et si forte multæ urgent minæ potentium malorum, et ipsæ te expellunt de justitia; attendis quod minatur Deus, *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Id.* XXV, 41), et non dimittis justitiam : timens ergo ignem sempiternum, contemnis dolores temporales; et pro eo quod promisit Deus, contemnis temporalem felicitatem. Promisit requiem; patere molestiam : minatur ignem æternum; contemne dolores temporales : et evigilante Christo tranquilletur cor tuum, ut ad portum quoque pervenias. Non enim non præpararet portum, qui paravit navem. *Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis dolorem in præcepto?* De hominibus malis exercet nos, et de illorum insecutionibus nos erudit. De malitia mali flagellatur bonus, et de servo emendatur filius : ita fingitur dolor in præcepto. Quod illos posse Deus permittit, hoc faciunt mali homines,quibus ad tempus parcit.

26. [*vers.* 21.] Quid enim sequitur? *Captabunt in animam justi.* Quare captabunt? Quia verum crimen non inveniunt quod objiciant. Quid enim captaverunt in Domino? Concinnaverunt falsa crimina (*Id.* XXVI, 59), quia vera invenire non potuerunt. *Et sanguinem innocentem condemnabunt.* Quare hoc totum fiat, in consequentibus declarabit.

27. [*vers.* 22.] *Et factus est*, inquit, *mihi Dominus in refugium.* Non quæreres tale refugium, si non periclitareris : sed ideo periclitatus es, ut quæreres; quia ille fingit dolorem in præcepto. Facit mihi de malitia malorum tribulationem; punctus tribulatione cœpi quærere refugium quod in illa felicitate sæculari desieram quærere. Quis enim facile recordatur Deum, qui semper felix est, et spe præsenti gaudet? Recedat spes sæculi, et accedat spes Dei; ut possis dicere, *Et factus est mihi Dominus in refugium* : ad hoc doleam, ut fiat mihi Dominus in refugium. *Et Deus meus in auxilium spei meæ.* Modo enim Dominus spes : quamdiu enim hic sumus, in spe sumus, nondum in re. Sed ne in spe deficiamus, adest promissor erigens nos, et temperans ipsa mala quæ patimur. Non enim frustra dictum est, « Fidelis Deus, qui non sinet vos tentari supra quam potestis ferre; sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere » (I *Cor.* X, 13), sic mittat in fornacem tribulationis, ut coquatur vas, non ut frangatur. *Et factus est mihi Dominus in refugium, et Deus meus in auxilium spei meæ.* Cur ergo, quid [1] tibi videbatur quasi injustus esse, quia parcit malis? Vide quomodo jam corrigitur Psalmus, et tu cum Psalmo corrigere : ideo enim voces tuas habebat Psalmus. Quæ sunt voces? *Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur?* Psalmus voces tuas habebat : modo ergo tu habeto voces Psalmi. Quæ sunt voces Psalmi? *Et factus est mihi Dominus in refugium, et Deus meus in auxilium spei meæ.*

28. [*vers.* 23.] *Et reddet illis Dominus secundum opera eorum; et secundum malitiam eorum disperdet illos Dominus Deus noster.* Non vacat quod ait, *secundum malitiam eorum.* Mihi de illis præstatur; et tamen malitia eorum dicitur, non beneficia eorum. Certe enim de malis exercet nos, flagellat nos. Ad quam rem flagellat? Utique ad regnum cœlorum. *Flagellat enim omnem filium quem recipit : et quis est filius cui non det disciplinam pater ejus* (*Hebr.* XII, 6, 7)? Quod cum facit Deus, ad hæreditatem sempiternam nos erudit; et hoc nobis præstat sæpe de malis hominibus, in quibus exercet et perficit dilectionem nostram, quam vult extendi usque ad inimicos. Neque enim est perfecta dilectio christiani, nisi cum implet quod Christus præcepit : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, et orate pro eis qui vos persequuntur* (*Matth.* V, 44). Hinc ipse diabolus vincitur, hinc victoriæ corona percipitur. Ecce quanta nobis Deus præstat de malis hominibus : nec tamen secundum id quod de illis nobis præstat, sed secundum malitiam eorum retribuet eis. Videte enim quanta nobis præstitit de ipso immanissimo scelere Judæ traditoris. Judas quippe tradidit ad passionem Filium Dei, et per passionem Filii Dei omnes gentes redemptæ sunt ad salutem : nec tamen pro salute gentium merces reddita est Judæ, sed pro ejus malitia debitum supplicium retributum est. Nam si traditio Christi, et non tradentis animus considerandus est, hoc fecit Judas quod fecit Deus Pater, de quo scriptum est, quia *Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII, 32). Hoc fecit Judas, quod fecit ipse Dominus Christus, de quo scriptum est, *Qui seipsum tradidit pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* : et iterum, *Sicut Christus*,

[1] Er. Ven.: *Cum ergo qui tibi.* Lov.: *Cur ergo tibi.* M.

inquit, *dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea* (*Ephes.* v, 2, 25). Et tamen gratias agimus Deo Patri, qui unico Filio non pepercit, sed pro nobis tradidit eum; gratias agimus ipsi Filio, qui seipsum tradidit pro nobis, et in eo voluntatem Patris implevit: et detestamur Judam, de cujus facto nobis tantum beneficium præstitit Deus; et recte dicimus, Reddidit ei Dominus secundum iniquitatem ejus, et secundum malitiam ejus disperdidit eum. Non enim ille pro nobis tradidit Christum, sed pro argento quo vendidit eum: quamvis traditio Christi sit nostra receptio [1], et Christi venditio sit nostra redemptio. Sic et illi qui martyres persecuti sunt, persequendo in terra, in cœlum mittebant; et scientes quidem præsentis vitæ damnum inferebant, nescientes autem futuræ vitæ lucrum conferebant: quicumque tamen perseveraverunt in odio injusto justorum, reddet eis Dominus secundum iniquitates eorum, et secundum malitiam eorum disperdet eos. Sicut enim malis obest bonitas justorum, sic bonis prodest iniquitas impiorum. Nam et Dominus dicit, *Ego veni, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (*Joan.* IX, 39): et Apostolus, *Aliis quidem*, inquit, *sumus odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem* (II *Cor.* II, 16). Malitia vero iniquorum, sinistra sunt arma justorum; sicut idem dicit apostolus, *Per arma justitiæ dextra et sinistra*, id est, *per gloriam et ignobilitatem* (*Id.* VI, 7, 8): atque ita deinceps cætera exsequitur, dextra arma demonstrans, gloriam Dei, famam bonam, veritatem [2] qua cognoscebantur quod vivebant, quod non mortificabantur, quod gaudebant, quod multos ditabant, quod omnia possidebant; sinistra vero, quod ignobiles et malæ famæ habebantur, quod seductores putabantur, quod ignorabantur, occidebantur, coercebantur, contristabantur, egere ac nihil habere videbantur. Et quid mirum si milites Christi et dextris et sinistris armis diabolum expugnant? Sicut autem pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14), et quando sunt aliis odor mortis in mortem; sic interitus hominibus malæ voluntatis, et quando justis arma sinistra sunt ad salutem. Itaque reddet illis non secundum nostram utilitatem, quæ de ipsis fit; sed secundum ipsorum iniquitatem, quam diligendo oderunt animas suas: et non secundum beneficium quod nobis de ipsis præstat, honorat eos, qui etiam malis bene utitur; sed *secundum malitiam eorum disperdet eos Dominus Deus noster*.

29. Toleret ergo justus injustum; toleret temporalem impunitatem injusti, temporalis labor justi: sed justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17). Non est enim alia justitia hominis in hac vita, nisi ex fide vivere, quæ per dilectionem operatur (*Galat.* v, 6). Si autem ex fide vivit, credat et sibi futuram requiem post præsentem laborem, et illis sempiternos cruciatus post præsentem exsultationem. Et si fides per dilectionem operatur, diligat etiam inimicos, et quantum in ipso est, prodesse illis velit: ita enim faciet ne sibi obsint illi, cum hoc velint. Et quando forte potestatem acceperint quasi nocendi et dominandi; sursum cor habeat, ubi ei nemo nocet, edoctus et eruditus ex lege Dei, ut mitigetur a diebus malignis, donec fodiatur peccatori fovea. Si enim in lege Domini voluntas ejus est, et in lege ejus meditabitur die ac nocte (*Psal.* I, 2), cujus conversatio in cœlis est (*Philipp.* III, 20); de firmamento lucet super terram: unde iste psalmus titulum de *quarta sabbati* accepit, quando facta sunt luminaria (*Gen.* I, 14); ut omnia faciat sine murmuratione, verbum vitæ habens in natione tortuosa et perversa (*Philipp.* II, 14-16). Sicut enim stellas in cœlo non extinguit nox; sic mentes fidelium inhærentes firmamento Scripturæ Dei non vincit iniquitas. Et hoc ipsum quod nostra terrena dantur aliquando in potestatem malorum, non solum ad nostram pertinet eruditionem, ut fiat nobis Dominus in refugium, et Deus in auxilium spei nostræ; sed etiam ad ipsius peccatoris foveam proficit, de quo in alio psalmo dicitur: *Inclinabitur et cadet, cum dominabitur pauperum* (*Psal.* IX, 10).

30. Forte onerosa fuit vobis longitudo sermonis: quanquam in ista alacritate studii vestri non hoc appareat. Sed etsi ita est, ignoscite: primo, quia jussus feci; nam Dominus Deus noster per eos mihi fratres jussit, in quibus habitat. Non enim jubet Deus, nisi de sede sua. Deinde, quia tantum avidi fuistis nostri, confitemur, et nos avidi fuimus vestri. Consoletur ergo Deus noster laborem istum, ut sudor iste noster sit vobis in provectum salutis, non in testimonium accusationis. Hoc dico, fratres, ut ex eo quod audistis, proficiatis, et ruminetis vobiscum: non vos permittatis oblivisci, non solum ista recogitando et colloquendo, sed etiam ita vivendo. Bona vita enim ex præceptis Dei quæ agitur, tanquam stilus est, quod auditur scribens in corde. Si in cera scriberetur, facile deleretur: scribite illud in cordibus vestris, moribus vestris, et nunquam delebitur.

IN PSALMUM XCIV
ENARRATIO.

SERMO (*a*).

1. [*vers.* 1.] Ego vellem, fratres, ut patrem nostrum potius audiremus; sed et hoc bonum est ut patri obediamus. Quia ergo jussit nobis, qui dignatur orare pro nobis, de præsenti psalmo quod Dominus Deus omnium nostrum donare dignabitur, loquar Charitati Vestræ. Est autem Psalmi titulus, *Laus cantici ipsi David*. *Laus cantici* et hilaritatem significat, quia cantus est; et devotionem, quia laus est. Quid enim magis homo debet laudare, quam id quod sic placet, ut non possit sibi displicere? Securitas ergo laudis in laude Dei est. Ibi laudator securus est, ubi non timet ne de laudato erubescat. Et laudemus ergo, et canté-

[1] Sic in Mss. At in Edd., *redemptio*.
[2] Sic Regius liber. Alii Mss., *famam, veritatem*; omisso, *bonam*. At Edd., *famam veritatis qua*, etc.

(*a*) Habitus jussu Aurelii Carthaginensis; vel potius Valerii Hipponensis episcopi, adeoque Augustino recens episcopo, aut adhuc presbytero.

mus; hoc est, cum hilaritate et cum lætitia laudemus. Quid autem laudaturi sumus, ipse Psalmus sequentibus versibus indicat nobis.

2. *Venite, exsultemus Domino.* Invitat ad magnas epulas exsultandi, non sæculo, sed Domino. Nisi enim esset in hoc sæculo exsultatio mala, quæ distinguenda est ab exsultatione bona, sufficeret dicere, *Venite, exsultemus:* sed breviter distinxit. Quid est bene exsultare? Domino exsultare. Ergo exsultatio mala est, exsultare sæculo; exsultatio bona est, exsultare Domino. Pie debes Domino exsultare, si vis securus mundo insultare. Quid est autem, *Venite?* Unde vocat ut veniant, cum quibus vult exsultare Domino; nisi quia longe sunt ut veniendo propinquent, propinquando accedant, accedendo exsultent? Unde autem longe sunt? Numquid locis longe potest homo esse ab eo qui ubique est? Vis esse ab eo longe? Quo ibis, ut longe sis? Nam quidam peccator quidem, sed tamen cum spe salutis pœnitens et dolens de peccatis, et metuens iram Dei, et volens placare Deum, sic in alio psalmo loquitur: *Quo ibo ab spiritu tuo? et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu ibi es.* Quid ergo restat? Quia si ascenderit in cœlum, ibi invenit Deum: ut longe fugiat a Deo, quo iturus est? Vide quid dicat: *Si descendero ad infernum, ades* (*Psal.* CXXXVIII, 7, 8). Si ergo ascendendo in cœlum, ibi invenit Deum; descendendo in infernum, non fugit Deum: quo iturus est, quo fugiturus est ab illo irato, nisi ad ipsum placatum? Et tamen, cum omnino nemo possit fugere ab illo qui ubique est, nisi quidam longe essent a Deo, non diceretur: *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isai.* XXIX, 13). Non ergo loco quisque longe est a Deo, sed dissimilitudine. Quid est, dissimilitudine? Mala vita, malis moribus. Si enim bonis moribus propinquatur Deo; malis moribus receditur a Deo. Unus ergo idemque homo corpore stans uno loco, et amando Deum accedit ad Deum, et amando iniquitatem recedit a Deo: nusquam pedes movet, et tamen potest et accedere et recedere. Pedes enim nostri in hoc itinere, affectus nostri sunt. Prout quisque affectum habuerit, prout quisque amorem habuerit, ita accedit vel recedit a Deo. Nonne plerumque dicimus, quando invenimus aliqua dissimilia: Hoc longe est ab illo? Quando aliquos duos forte homines comparamus, duos equos, duas vestes, et dixerit aliquis, Similis est hæc vestis, talis est qualis illa; aut, Iste homo talis est qualis ille; quid aliud dicit, qui contradicit? Absit; longe est ab illo. Quid est, longe est ab illo? Dissimilis est illi. Et juxta stant, et tamen iste longe est ab illo. Duo vero iniqui pares vita et moribus, si unus sit in Oriente, alter in Occidente, juxta invicem sunt. Et duo justi similiter, alter sit in Oriente, alter in Occidente, secum sunt, quia in Deo sunt. Contra, unus justus, alter iniquus, etiamsi una catena ligentur, multum a se separati sunt. Ergo si dissimilitudine recedimus a Deo, similitudine accedimus ad Deum. Qua similitudine? Ad quam facti sumus, quam in nobis peccando corruperamus, quam peccatorum remissione recepimus, quæ in nobis renovatur intus in mente, ut tanquam resculpatur in nummo, id est, in anima nostra imago Dei nostri, et redeamus ad thesauros ejus. Nam unde, fratres, de nummo voluit Dominus noster Jesus Christus ostendere tentatoribus suis quid quærat Deus? Quando enim de tributo Cæsaris, quærentes causam calumniæ, consulere magistrum veritatis voluerunt, et consulendo tentare utrum liceret tributum dari Cæsari; quid ille ait? *Quid me tentatis, hypocritæ?* Petiit afferri sibi nummum, et allatus est. *Cujus habet*, inquit, *imaginem?* Responderunt: *Cæsaris.* Et ille: *Reddite ergo Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt* (*Matth.* XXII, 15-21). Tanquam diceret: Si Cæsar quærit in nummo imaginem suam, Deus non quærit in homine imaginem suam? Ad hanc similitudinem nos Dominus noster Jesus Christus invitans, imperat nobis ut nostros etiam inimicos diligamus; et dat exemplum de ipso Deo: *Sicut Pater vester*, ait, *qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Estote ergo sicut Pater vester perfecti* (*Id.* v, 45, 48). Cum dicit, *Estote sicut ille perfecti*, ad similitudinem nos invitat. Si ergo ad similitudinem nos invitat, constat quia dissimiles existendo recesseramus a Deo, et facti eramus longe per dissimilitudinem, et efficimur prope per similitudinem, ut jam fiat in nobis quod scriptum est, *Accedite ad Deum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 5). Ergo quibusdam longe positis et male viventibus psalmus iste dicit, *Venite, exsultemus Domino.* Quo itis? quo receditis? quo disceditis? quo fugitis, exsultando mundo? *Venite, exsultemus Domino.* Quo itis exsultare, ubi deficitis? Venite, exsultemus in illo a quo facti sumus. *Venite, exsultemus Domino.*

3. *Jubilemus Deo, salutari nostro.* Quid est jubilare? Gaudium verbis non posse explicare, et tamen voce testari quod intus conceptum est et verbis explicari non potest: hoc est jubilare. Nam consideret Charitas Vestra qui jubilant in cantilenis quibusque, et quasi in certamine quodam lætitiæ sæcularis; et videtis quasi inter cantica verbis expressa exundantes lætitia, cui lingua dicendo non sufficit, quemadmodum jubilent, ut per illam vocem indicetur animi affectus, verbis explicare non valentis quod corde concipitur. Si ergo illi de gaudio terreno jubilant; nos de gaudio cœlesti jubilare non debemus, quod vere verbis explicare non possumus?

4. [*vers.* 2.] *Præoccupemus faciem ejus in confessione.* Confessio quidem duobus modis accipitur in Scripturis. Est confessio laudantis, est confessio gementis. Confessio laudantis, ad honorem pertinet ejus qui laudatur: confessio gementis, ad pœnitentiam pertinet ejus qui confitetur. Confitentur enim homines, cum laudant Deum: confitentur, cum accusant se; et nihil dignius facit lingua. Vere puto quod ipsa sint vota, de quibus dicit in alio psalmo. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea* (*Psal.* LXV, 13, 14). Nihil ista distinctione sublimius, nihil tam necessarium et ad intelligendum et ad faciendum. Quomodo ergo distinguis vota quæ reddis Deo? Ut illum

laudes, te accuses; quia illius est misericordia, ut peccata nostra dimittat. Nam si vellet pro meritis agere, non inveniret nisi quos damnaret. *Venite* ergo dixit [1], ut recedamus jam a peccatis nostris, et non nobiscum deducat rationem de præteritis; sed tanquam tabulæ novæ fiant, incensis omnibus chirographis debitorum nostrorum. Quanta ergo illius laus, quanta misericordia, confiteamur, utique laudantes. Nam si semper confessio pœnitentis esset, non diceretur in Evangelio de ipso Domino: *In illa hora exsultavit Jesus in Spiritu sancto, et ait, Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Luc.* X, 21). Numquid quia Christus confitebatur, pœnitens erat? Illum nihil pœnitere poterat, quia nihil culpabiliter fecerat; sed confitebatur in laude Patris. Ergo quia et hic exsultationis locus est, forte illam debemus intelligere confessionem quæ est in laude Dei: unde et *Laus cantici*, ut non hic intelligamus confessionem pœnitentium, sed laudantium. Et quid est quod continuo nos admonet de quadam confessione cum ait: *Præveniamus faciem ejus in confessione?* Quid est, *Præveniamus faciem ejus in confessione?* Venturus est; *Præveniamus faciem ejus in confessione*, prius: antequam veniat, nos confitendo damnemus quod fecimus, ut ille quod coronet, non quod damnet, inveniat. Numquid autem et hoc non pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? Imo vero maxime pertinet ad laudem Dei. Quare maxime pertinet ad laudem Dei? Quia tanto amplius laudatur medicus, quanto plus desperabatur ægrotus. Confitere itaque peccata tua, quo magis desperabas de te propter iniquitates tuas. Tanto enim major laus est ignoscentis, quanto major exaggeratio est peccata confitentis. Non ergo putemus recessisse nos a laude cantici, si hanc confessionem hic intelligimus, qua confitemur peccata nostra: et hoc ad laudem cantici pertinet; quia cum peccata nostra cognoscimus, Dei gloriam commendamus. *Præveniamus faciem ejus in confessione.*

5. *Et in psalmis jubilemus illi.* Jam diximus quid sit jubilare; repetitum est, ut confirmetur in faciendo: ipsa repetitio exhortatio est. Non enim jam obliti sumus, ut jam moneri nos velimus, quæ dicta sint superius, ut jubilemus: sed plerumque in affectu animi repetitur verbum quod notum erat, non ut innotescat, sed ut ipsa repetitio faciat confirmationem; repetitur enim ad intelligendum affectum dicentis. Inde est quod dicit Dominus, *Amen, amen dico vobis* (*Joan.* I, 51); sufficiebat *Amen* unum; quare, *Amen*, *amen*, nisi quia ipsa repetitio confirmatio est? *In psalmis* ergo, inquit, *jubilemus illi.* Et quæ dicemus in psalmis? quæ dicemus, vel potius sentiemus in jubilatione? quæ sunt quæ pertinent ad laudem cantici hujus? Jam audite: *Quoniam Deus magnus est Dominus, et rex magnus super omnes deos:* propterea ergo jubilemus illi. *Quoniam non repellet Dominus plebem suam:* jubilemus illi. *Quoniam in manu ejus* [1] *fines terræ, et altitudines montium ipsius sunt:* in his omnibus jubilemus illi. *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam terram manus ejus finxerunt:* jubilemus illi. Sed hæc omnia quid sibi velint, si congruenter discutiantur, tempus forte non sufficit: sed rursus si penitus negligantur, debitores remanebimus. Breviter itaque pro tempore, quantum perstringere potuerimus, accipite; quia et pauca semina uberrimam messem referunt, si sit terra fructifera.

6. [*vers.* 3.] Primum quare jubilemus, quare laudemus, hoc posuit: *Quoniam Deus magnus est Dominus, et rex magnus super omnes deos.* Sunt ergo dii super quos sit magnus Deus noster, cui jubilamus, cui exsultamus, cui laudes cantici dicimus; sunt, sed non nobis. Apostolus enim ait: « Nam etsi sunt qui dicuntur dii, sive in cœlo, sive in terra, quemadmodum sunt dii multi et domini multi: nobis tamen unus Deus, ex quo omnia, et nos per ipsum, et unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia, et nos in ipso » (I *Cor.* VIII, 5 *et* 6). Si ergo non nobis, quibus? Audi ex alio psalmo: *Quoniam dii Gentium dæmonia; Dominus autem cœlos fecit* (*Psal.* XCV, 5). Magnificentius et brevius tibi commendare non potuit Spiritus sanctus per Prophetam Deum et Dominum tuum. Parum enim erat quia terribilis super omnia dæmonia Deus: quid magnum, esse super omnia dæmonia? *Quia dii Gentium dæmonia.* Ubi autem Deus tuus? *Dominus autem cœlos fecit.* Illud fecit Dominus tuus, ubi non possunt habitare dæmonia: de cœlis enim dejecta sunt dæmonia. Cœli præponuntur dæmoniis, Dominus tuus et cœlis; quia Dominus tuus et cœlos fecit. Quanto ergo altior dæmoniis diis Gentium, qui altior est cœlis, unde ceciderunt angeli, ut fierent dæmonia? Et tamen gentes omnes sub dæmonibus erant: dæmonibus templa fabricata sunt, dæmonibus aræ constructæ, dæmonibus sacerdotes instituti, dæmonibus oblata sacrificia, dæmonibus arreptitii tanquam vates inducti. Hæc omnia dæmonibus gentes exhibuerunt; hæc omnia vera nonnisi uni magno Deo debentur: templum fecerunt gentes dæmonibus; habet Deus templum: sacerdotes fecerunt gentes dæmonibus; habet Deus sacerdotem [2]: sacrificium exhibuerunt gentes dæmonibus; habet Deus sacrificium. Etenim illi dæmones volentes videri dii, non sibi ista exigerent ut fallerent, nisi quia sciunt ea deberi vero Deo. Hoc enim mos est deberi vero Deo, quod sibi exigit falsus deus. Ergo verum templum Dei agnoscimus. *Templum enim Dei sanctum est*, inquit, *quod estis vos* (I *Cor.* III, 17). Si ergo nos sumus templum Dei; ara Dei anima nostra est. Sacrificium Dei quid est? Forte hoc facimus modo, imponimus in ara sacrificium, quando Deum laudamus; docet enim nos psalmus, dicens: *Sacrificium laudis glorificabit me, et ibi via est, ubi ostendam illi salutare Dei* (*Psal.* XLIX, 23). At vero sacerdotem

[1] Plerique Mss.: *Venit ergo dicens.* Am. et Er.: *Venit ergo docens.*

[1] Apud Lov. additum est, *omnes;* quod ab aliis Edd. et a Mss. abest.

[2] Sic Mss. At Edd., *sacerdotes.*

si requiras, super cœlos est; interpellat pro te, qui in terra mortuus est pro te (*Rom.* VIII, 34). Ergo *Deus magnus est Dominus, et rex magnus super omnes deos.* Hic accipe homines *deos :* non enim rex Dominus super dæmonia. Et hinc habemus Scripturæ testimonium : *Deus stetit in synagoga deorum*; *in medio autem deos discernere* [1] (*Psal.* LXXXI, 1). *Deos* dixit participatione, non natura; gratia, qua voluit facere deos. Quantus Deus est qui facit deos? Aut quales dii sunt quos facit homo? Quam ille magnus deos faciendo, tam isti nihil qui ab homine facti sunt. Deus verus facit deos credentes in se, quibus dedit potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 12). Et ideo ipse verus Deus, quia Deus non factus est : nos autem facti, non veri dii, meliores tamen illis quos homo facit. Quoniam simulacra Gentium argentum et aurum, opus manuum hominum : os habent, et non loquentur; oculos habent et non videbunt (*Psal.* CXIII, 4, 5). Nobis autem Deus noster oculos videntes fecit. Nec in eo tamen nos deos fecit, quia videntes oculos nobis fecit; nam fecit hoc et pecoribus : sed ideo nos deos fecit, quia interiores oculos nostros illuminavit. Ergo sit laus illi, confessio illi, sit jubilatio illi : *Quia magnus est Dominus, et rex magnus super omnes deos.*

7. *Quia non repellet Dominus plebem suam :* laus illi, jubilatio illi, Quam plebem non repellet? Hic nobis interpretari aliquid non licet : præscriptum habemus ab Apostolo, exposuit hoc Apostolus unde sit dictum (*Rom.* XI, 1). Erat enim plebs Judæa, plebs ubi fuerunt Prophetæ, plebs ubi fuerunt Patriarchæ, plebs etiam secundum carnem propagata de semine Abrahæ; plebs in qua præcesserunt omnia sacramenta Salvatorem nostrum promittentia; plebs ubi institutum est templum, unctio, sacerdos [2] ad figuram, ut cum omnes ipsæ umbræ præterirent, ipsa lux adveniret. erat ergo ista plebs Dei; ad eam Prophetæ missi in illa nati qui missi; ei tradita et credita eloquia Dei. Quid ergo? totum illud damnatum est? Absit. Arbor olivæ ipsa dicta est Apostolo, cœpit enim ista arbor a Patriarchis : sed fuerunt ibi rami aridi, quia nimis alti per superbiam; præcisi ergo propter sterilitatem, insertus oleaster propter humilitatem. Verumtamen, charissimi, ne superbiret oleaster insertus, quid ait Apostolus? « Si tu ex naturali incisus oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam; quanto magis qui secundum naturam sunt, inserentur suæ olivæ » (*Ibid.*, 16-24)? Ut quomodo tu non permanens in infidelitate, meruisti inseri in olivam, cum esses oleaster; sic isti correcti facilius suæ olivæ naturaliter inserantur : hoc de illis Apostolus. Ergo ipsa est arbor; etsi aliqui ex ramis fracti sunt, non omnes. Nam si omnes rami frangerentur, unde Petrus? unde Joannes? unde Thomas? unde Matthæus? unde Andræas? unde illi omnes Apostoli? unde ipse Paulus apostolus qui loquebatur, et suo fructu olivam [1] testabatur? Nonne isti omnes inde? Unde etiam quingenti illi fratres quibus Dominus post resurrectionem apparuit (I *Cor.* XV, 6)? unde tot millia ad vocem Petri, quando Spiritu sancto repleti Apostoli omnium gentium linguis locuti sunt, tanta aviditate Dei laudis et suæ accusationis conversi sunt, ut qui primo sanguinem Domini fuderunt sævientes, bibere discerent jam credentes? Sic autem omnia illa conversa sunt millia hominum, ut res suas venderent, et pretia rerum suarum ante pedes Apostolorum ponerent (*Act.* II, IV). Quod dives unus non fecit, quando ore Domini audivit, et a Domino tristis abscessit (*Matth.* XIX, 21, 22), hoc fecerunt subito tot millia eorum hominum, quorum manibus Christus fuerat crucifixus. Quanto majus vulnus erat in corde ipsorum, tanto avidius medicum quæsierunt. Cum ergo inde illi omnes fuerunt, de ipsis dicit modo Psalmus : *Quoniam non repellet Dominus plebem suam.* Nam hoc testimonio Psalmi, cum hinc loqueretur, usus est Apostolus, et dixit : « Quid ergo dicemus, fratres? Numquid Deus repulit plebem suam; quam præscivit? Absit : nam et ego Israelita sum, ex semine Abrahæ, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit » (*Rom.* XI, 1 *et* 2). Utique si repelleret Dominus plebem suam, non esset unde esset ipse Apostolus : unde autem ipse, inde et alii. In his plebs Domini, non in omnibus; sed, quemadmodum scriptum est, *Reliquiæ salvæ erunt* (*Isai* X, 22; *et Rom.* IX, 27). Non in omnibus; sed area ventilata, massa intro missa est, palea jacet (*Matth.* III, 12). Totum quidquid vides Judæorum reproborum, paleam vides. Unde vides istam paleam, jam inde exiit massa, jam in horreo recondita est. Ambas res videamus, ambas discernamus.

8. [*vers.* 4.] Quid Psalmus adjungit? *Quoniam in manu ejus fines terræ.* Agnoscimus lapidem angularem; lapis angularis, Christus. Non potest esse angulus, nisi duos in se copulaverit parietes : ad angulum de diverso veniunt, sed in angulo sibi non adversantur. Venit ex una parte circumcisio, venit ex alia parte præputium : in Christo ambo populi concordaverunt; quia ille factus est lapis, de quo scriptum est, *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII, 22). Si ergo Christus in caput anguli, non attendamus diversitatem de longe venientium, sed propinquitatem in Christo cohærentium. Ibi agitur, ibi videamus, *Quoniam non repellet Dominus plebem suam.* Ecce unus paries, in quo jam, ut diximus, *non repulit Dominus plebem suam.* Inde Apostoli, inde Israelitæ omnes qui crediderunt, ac venditarum rerum suarum pretia ante pedes Apostolorum posuerunt; voluntate pauperes, de Deo divites. Agnovimus unum parietem; impletum esse ibi quod diximus, *Quia non repellet Dominus plebem suam :* videamus et alium parietem. *Quoniam in manu ejus fines terræ.* Ecce alius paries in omnibus gentibus : *In manu ejus fines terræ.* Venerunt etiam omnes gentes ad lapidem angularem, ubi osculum

[1] Edd., *discernit.* At Mss., *discernere :* et sic Augustinus in Psal. 81.
[2] Aliquot Mss., *unctio sacerdotis.*

[1] Sic Mss. At Edd., *olivæ.*

pacis agnoverunt; in illum unum qui de duobus fecit unum : non quemadmodum hæretici, qui de uno fecerunt duo. Hoc enim idem ait apostolus de Domino Christo : *Ipse est enim*, inquit, *pax nostra*, *qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). Ergo jubilemus illi. Quare? *Quia non repellet Dominus plebem suam.* Iterum quare? *Quoniam in manu ejus fines terræ, et altitudines montium ipsius sunt.* Altitudines montium, sublimitates terrarum. Aliquando istæ sublimitates, id est, ipsæ terrenæ potestates, adversatæ sunt Ecclesiæ; leges contra Ecclesiam promulgarunt, nomen christianum de terra delere conati sunt : sed posteaquam impletum est quod prophetatum est, *Adorabunt eum omnes reges terræ* (*Psal.* LXXI, 11); factum est quod hic dictum est, *Altitudines montium ipsius sunt.*

9. [*vers.* 5.] Sed forte tu de tentationibus satagis, ut constitutus in tanta gratia promissionum Dei, propter scandala mundi turberis? Nec ipsa scandala aliquid tibi faciunt; quoniam mensuram a Domino acceperunt : *Quoniam ipsius est mare.* Est enim mare mundus iste, sed et mare Deus fecit : nec sævire fluctus possunt, nisi usque ad littus, ubi ipse terminum posuit. Nulla ergo tentatio, nisi acceperit mensuram a Domino. Sint ergo tentationes, sint tribulationes; consummaris eis, non consumeris. Vide utrum ipsæ tentationes non prosint. Attende Apostolum : *Fidelis Deus*, *qui non vos sinet tentari supra quam potestis ferre; sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere* (I *Cor.* X, 13). Non ait, Non vos sinet tentari omnino. Si enim recusares tentationem, recusares refectionem. Ergo reficeris; et si reficeris, in manibus artificis es. Aliquid tibi tollit, aliquid corrigit, aliquid complanat, aliquid mundat : agit quibusdam ferramentis suis; ipsa sunt scandala hujus sæculi : tu tantum de manu artificis noli cadere. Nihil tentationis accedet ultra vires tuas. Hoc permittit Deus ad utilitatem tuam, unde tu possis proficere. Denique ipsum Apostolum audi hoc conjungentem : *Sed faciet cum tentatione etiam exitum ut possitis sustinere.* Ergo mare forte metuendum tibi erat? Noli timere : *Quoniam ipsius est mare*, *et ipse fecit illud.* A gentibus times scandala? Et ipsas gentes ipse fecit; non permittet illas ultra eam sævire quam novit ille mensuram, ex qua proficias. Nonne dicit alius psalmus, *Omnes gentes quotquot fecisti*, *venient et adorabunt coram te, Domine* (*Psal.* LXXXV, 9)? Si omnes gentes quotquot fecisti, manifestum est quia et gentes ipse fecit : ideo, *Ipsius est mare*, *et ipse fecit illud*, *et aridam terram manus ejus finxerunt.* Esto tu arida terra, siti gratiam Dei, ut veniat super te imber dulcis, inveniat in te fructum. Non permittit fluctus operire quod sevit [1] : *Et aridam terram manus ejus finxerunt.* Ergo et hinc jubilemus illi.

10. [*vers.* 6.] Nam quoniam hæc ita sunt, quoniam tanta explicavimus ad laudem Dei pertinentia, redite ad illud unde cœperat : *Venite*, *adoremus*, *et procidamus ei*, *et ploremus ante Dominum qui fecit nos.* Ideo enim exsultemus, quia fecit illud et illud. Et commemoravit multa, et nunc repetit exhortationem : *Venite, adoremus*, *et procidamus ei*, *et ploremus ante Dominum qui fecit nos.* Jam commemoratis a me laudibus Dei, nolite pigri esse, et longe vita et moribus stare: *Venite, adoremus, et procidamus ei.* Sed forte de peccatis vestris, quæ vos longe fecerant a Deo, solliciti estis; faciamus sequentia : *Et ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Ardes forte conscientia delicti; lacrymis exstingue flammam peccati, plora ante Dominum : securus plora ante Deum, qui te fecit; non enim opus manuum suarum contemnit in te. Noli putare quia potes a te refici. A te deficere potes, tu teipsum reficere non potes : ille reficit qui te fecit. *Ploremus ante Dominum qui nos fecit :* lacrymare ante illum, confitere illi, præveni faciem ejus in confessione. Quis enim es tu qui illi ploras, et illi confiteris, nisi quem fecit? Non parvæ fiduciæ est ad factorem res facta, et non quomodocumque facta, sed ad imaginem et similitudinem ipsius : *Venite*, *adoremus*, *et procidamus ei*, *et ploremus ante Dominum*, *qui fecit nos.*

11. [*vers.* 7.] *Quoniam ipse est Dominus Deus noster.* Ut autem securi ante illum procidamus et ploremus, nos quid sumus? *Nos autem populus pascuæ ejus*, *et oves manuum ejus.* Vide quam eleganter verborum ordinem commutavit, et tanquam non propria reddidit, ut ipsos intelligamus oves, qui sunt et populi. Non dixit, Oves pascuæ ejus et populus manuum ejus, quod magis putabatur posse congruere, quia oves ad pascua pertinent : sed ait, *populus pascuæ.* Ergo populus oves sunt, quia dicit, *populus pascuæ ejus*; ipse populus oves sunt. Sed rursus, quia nos habemus oves quas emimus, non quas fecimus; dixerat autem superius, *Procidamus ei qui fecit nos :* recte dictum est, *oves manuum ejus.* Nullus hominum sibi facit oves: emere potest, donari possunt, invenire potest, aggregare potest, postremo furari potest; facere oves non potest. At vero Dominus noster fecit nos; ideo *populus pascuæ ejus et oves manuum ejus*, ipsæ sunt quas sibi ipse facere dignatus est gratia sua. Has enim oves laudat et in Canticis canticorum, perfectos quosdam [1] dicens tanquam dentes Ecclesiæ sanctæ sponsæ suæ : *Dentes tui sicut grex detonsarum ascendentium de lavacro, quæ geminos pariunt, et sterilis non est in illis* (*Cant.* IV, 2; *et* VI, 5). Quid est, *Dentes tui?* Per quos loqueris : dentes enim Ecclesiæ, per quos loquitur Ecclesia. Quales dentes tui? *Tanquam grex detonsarum.* Quare *detonsarum?* Quia sarcinas sæculi posuerunt. Nonne detonsæ erant oves illæ, de quibus paulo ante dicebam, quos præceptum Dei totonderat, dicentis : *Vade, vende omnia tua, da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis; et veni, sequere me* (*Matth.* XIX, 21)? Fecerunt hoc præceptum; detonsi venerunt. Et quia baptizati sunt credentes in Christum, quid ibi dicitur? *Ascendentium de lavacro;* id est, ascendentium de mundatione. *Et omnes geminos creant :* quos geminos? Duo illa præcepta, in quibus tota Lex pe-

[1] Sic aliquot Mss. At Am. et Er., *quod servit.* Lov., *quos servat.*

[1] Duo Mss., *perfectus quidam.*

det et Prophetæ. *Nos* ergo *populus pascuæ ejus, et oves manuum ejus.*

12. [*vers.* 8.] Ergo, *Hodie si vocem ejus audieritis.* O plebs mea, plebs Dei! Alloquitur plebem suam Deus, non solum illam plebem suam quam non repellet, sed etiam omnem plebem suam. Loquitur enim in angulo utrique parieti (*Ephes.* II, 20); id est, in Christo prophetia loquitur, et populo Judæorum, et populo Gentium. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Aliquando enim audistis vocem illius per Moysen, et obdurastis corda vestra. Per præconem locutus est, quando obdurastis corda vestra; per se nunc loquitur, mollescant corda vestra. Qui præcones ante se mittebat, ipse venire dignatus est; ore suo hic loquitur, qui loquebatur per ora Prophetarum. *Hodie* ergo *si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

13. [*vers.* 9.] Quare dixisti, *Nolite obdurare corda vestra?* Quia meministis quid soleant facere patres vestri. *Nolite obdurare corda vestra: quemadmodum in illa amaricatione, secundum diem tentationis in deserto.* Recolitis certe, fratres, quod ille populus tentarit Deum (*Exod.* XVI, 2, 3; *et* XVII, 2-7), acceperit disciplinam, et rectus sit in deserto tanquam ab optimo sessore, frenis legum, frenis præceptorum; nec sit desertus tamen a Deo etiam indomitus, non solum beneficiis præsentibus, sed etiam virga emendationis non desistente. *Nolite* ergo *obdurare corda vestra: sicut in amaricatione, secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri.* Jam tales non sint patres vestri; nolite eos imitari. Patres vestri erant; sed si non imitati fueritis, patres vestri non erunt: tamen quia de his nati estis, patres vestri erant. Et si Gentes venientes ab extremo terræ, sicut dicit Jeremias, *Ad te Gentes venient ab extremo terræ, et dicent, Vere mendacia coluerunt patres nostri, simulacra in quibus non est utilitas* (*Jerem.* XVI, 19): si Gentes dimiserunt simulacra sua, ut venirent ad Deum Israel; quos ipse Deus Israel de Ægypto per mare rubrum duxit, in quo inimicos eorum consequentes operuit (*Exod.* XIV, 21-31); quos in desertum eduxit, manna pavit (*Id.* XVI, 13-35), nunquam virgam suam ab eorum disciplina tulit, nunquam beneficia misericordiæ subtraxit; ipsi debent deserere Deum suum, cum Gentes venerint ad Deum ipsorum? *Ubi tentaverunt me patres vestri; probaverunt*[1], *et viderunt opera mea.* Quadraginta annis viderunt opera mea, quadraginta annis exacerbaverunt me: ante illos miracula in manu Moysi faciebam, et ipsi magis magisque corda obdurabant.

14. [*vers.* 10.] *Quadraginta annis proximus fui generationi huic.* Quid est, *proximus fui?* Præsentavi me in signis et virtutibus meis: non uno die, non duobus; sed, *Quadraginta annis proximus fui generationi huic; et dixi, Semper isti errant corde.* Hoc significaverunt quadraginta anni, quod et *semper.* Quadragenarius enim iste numerus indicat integritatem sæculorum, tanquam perficiantur sæcula per hunc numerum. Ideo Dominus quadraginta diebus jejunavit, quadraginta diebus tentatus est in eremo (*Matth.* IV, 1-11), et quadraginta diebus fuit cum discipulis post resurrectionem (*Act.* I, 3). Primis quadraginta diebus tentationem, posterioribus quadraginta diebus consolationem ostendit; quia cum tentamur, sine dubio consolamur. Corpus enim ejus, id est Ecclesia, necesse est tentationes patiatur in hoc sæculo; sed non deest ille consolator qui dixit: *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). *Et dixi, Semper isti errant corde.* Ad hoc cum illis fui quadraginta annis, ut ostenderem genus tale hominum, quod me semper exacerbat usque in finem sæculi: quia per illos quadraginta annos, totum sæculum significare voluit.

15. [*vers.* 11.] Quid ergo? pro illis non erunt alii qui intrent in requiem Dei? Improbati sunt illi quibus displicuit misericordia Dei, qui restiterunt Deo corde indurato; illis improbatis, numquid perdidit Deus populum suum? Non erit verum, *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Id.* III, 9)? Ergo, *dixi, Semper isti errant corde. Et isti non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam. Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam:* magnus terror. Ab exsultatione cœpimus, sed ad magnum timorem conclusit psalmus iste: *Quibus juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam.* Loqui Dominum magnum est; quanto magis jurare Deum? Jurantem hominem debes timere, ne propter jurationem faciat quod contra voluntatem ejus est; quanto magis Deum, qui nihil temere jurare potest? Jurationem ad confirmationem voluit esse. Et per quem jurat Deus? Per semetipsum: non enim habet majorem per quem juret (*Hebr.* VI, 13). Per semetipsum confirmat promissa sua, per semetipsum confirmat minas suas. Nemo dicat in corde suo: Verum est quod promittit; falsum est quod minatur. Sicut verum est quod promittit, sic certum est quod minatur. Tam certus esse debes de requie, de felicitate, de æternitate, de immortalitate, si feceris præcepta ipsius, quam certus esse debes de interitu, de ardore ignis æterni, de damnatione cum diabolo, si contempseris præcepta ejus. Juravit ergo illis in ira sua, ne intrent in requiem ipsius: et tamen oportet aliquos intrare in requiem ipsius; non enim nulli dabitur requies ipsius. Illis ergo reprobatis, nos intrabimus: quia etsi aliqui ex ramis fracti sunt propter dissimilitudinem et infidelitatem, nos propter fidem et humilitatem inseremur (*Rom.* XI, 19 *et* 20). Nos ergo intremus in requiem ejus. Unde autem intrarunt illi qui intrarunt, illi qui electi sunt, qui non corde obdurato restiterunt? Quia verum est quod *non repellet Dominus plebem suam.*

[1] Edd., *probaverunt me.* Abest, *me*, a Mss. qui plerique sic prosequuntur, *et viderunt opera mea quadraginta annis. Viderunt opera mea quadraginta annis, et exacerbaverunt me.*

IN PSALMUM XCV ENARRATIO.

SERMO (a).

1. [*vers.* 1.] Dominus et frater meus Severus (b) adhuc differt lætitiam nostram de sermone quem nobis debet: nam quod debitor teneatur, agnoscit. Omnes enim Ecclesias quacumque transitum fecit, lætificavit Dominus per os ipsius: multo magis ergo ista lætificanda est, de qua cæteris eum Dominus propagavit. Sed quid facturi sumus, nisi ut serviamus voluntati ipsius? Differre illum tamen dixi, fratres, non fraudare. Itaque tenete debitorem, nec dimittatis, nisi cum solverit. Advertat itaque Charitas vestra: quantum donat Dominus, de isto psalmo dicamus aliquid quod quidem jam nostis; sed dulcis est commemoratio veritatis. Forte cum pronuntiaretur titulus ejus, cum admiratione aliqui audierunt. Inscribitur enim titulus Psalmi: *Quando domus ædificabatur post captivitatem.* Hoc titulo prædicto, jam in ipso textu Psalmi exspectabatis fortasse qui lapides præciderentur de montibus, quæ moles attraherentur, quæ fundamenta jacerentur, quæ trabes imponerentur, quæ columnæ erigerentur. Nihil horum cantat: et si aliud aliquid, non ergo consonat Psalmus titulo suo, et aliud portat in fronte, aliud in voce? Imo nihil aliud, sed intellectores quærit. Loquitur enim de ædificatione domus. Omnes lapides ipsius domus intelligant[1] quod cantarunt. Ædificatur enim domus Deo, non illo loco ubi ædificavit Salomon. Ædificavit enim templum (III *Reg.* VI, 1): et de ipso templo audistis modo quæ dixerit Dominus. Cum saxa templi et moles ingentes admirarentur discipuli, indicaverunt Domino admirationem et stuporem suum; et Dominus illis: *Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruetur* (*Matth.* XXIV, 1, 2). Non talis ædificatur domus. Nam videte ubi ædificatur, quia non uno loco, aliqua in parte. Sic enim incipit:

2. *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.* Si canticum novum cantat omnis terra; sic ædificatur, cum cantat: ipsum cantare, ædificare est; sed si non vetus cantet. Vetus cantat cupiditas carnis: novum cantat charitas Dei. Quidquid cantaveris de cupiditate, vetus cantas; etsi[2] sonant in ore verba cantici novi, non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* XV, 9). Melius est ut novus taceas, quam ut vetus cantes; quia si fueris novus, et tacueris, auribus hominum non sonat: nam cor tuum non tacet canticum novum; et pervenit ad aures Dei, qui te fecit hominem novum. Diligis, et taces: dilectio ipsa vox est ad Deum, et ipsa dilectio canticum novum est. Audi quia canticum novum est: Dominus dicit, *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII, 34). Omnis ergo terra cantat canticum novum: ibi ædificatur domus[3]. Omnis ergo terra est domus Dei. Si omnis terra domus Dei, qui non hæret omni terræ, ruina est, non domus; ruina illa vetus, cujus umbram habebat templum illud vetus. Ibi enim diruebatur vetustas, ut novitas ædificaretur. Et quomodo diruitur vetustas? *Amen dico vobis*, inquit, *non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruetur.* Lapis Christus est: dicit autem Apostolus, *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Galat.* III, 27). Si Christum induit quisquis baptizatur in Christo, quis ponit lapidem super lapidem, nisi qui Baptismum super Baptismum imponit? Sed nolite terreri; *non relinquetur qui non destruetur.* Lapides enim ad fabricam novam, quæ ædificatur post captivitatem, sic colliguntur, et sic illos charitas in unitate constringit, ut non sit lapis super lapidem, sed unus lapis sint omnes lapides. Ne miremini: hoc fecit canticum novum, id est, hoc fecit innovatio charitatis. Ad ipsam structuram nos compingit Apostolus, et in illa unitate nos constrictos compaginat, dicens: *Sufferentes invicem in dilectione, studentes servare unitatem spiritus, in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 2, 3). Ubi unitas Spiritus, unus lapis; sed unus lapis de multis factus. Quomodo de multis unus factus? Sufferendo invicem in dilectione. Ædificatur ergo domus Domini Dei nostri, ædificatur: hoc fit, hoc agitur, hoc voces istæ agunt, hoc lectiones, hoc prædicatio Evangelii toto orbe terrarum; adhuc ædificatur. Crevit multum domus hæc, et multas gentes implevit: nondum tamen omnes gentes occupavit: crescendo multas tenuit, omnes occupatura est; et contradicitur ab eis qui domesticos ejus se esse gloriantur, et dicitur, Jam decrevit. Adhuc crescit, adhuc crediturae sunt omnes gentes quæ nondum crediderunt: ne quis dicat, Et illa lingua creditura est? et Barbari credituri sunt? Et quid sibi vult quod Spiritus sanctus apparuit in linguis igneis (*Act.* II, 3), nisi quia nullius linguæ duritia est quæ non illo igne solvatur? Neque enim non habemus jam multas gentes Barbaras credidisse Christo: quo nondum porrectum est Romanum imperium, jam Christus possidet; quod adhuc clausum est eis qui ferro pugnant, non est clausum illi qui ligno pugnat. Dominus enim regnavit a ligno. Quis est qui ligno pugnat? Christus. De cruce sua vicit reges, et subjugatis ipsam crucem in fronte fixit; et gloriantur de illa, quia ibi est salus eorum. Hoc agitur, sic crescit domus, sic ædificatur: et ut noveritis, sequentia Psalmi audite; videte operantes et fabricantes domum. *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.*

3. [*vers.* 2, 3]. *Cantate Domino*[1], *benedicite nomen ejus, bene nuntiate de die in diem salutare ejus.* Quomodo crescit ædificium? *Bene*, inquit, *nuntiate de die in diem salutare ejus.* De die in diem prædicetur; de die in diem, inquit, ædificetur; crescat, inquit

[1] Plerique Mss., *intelligunt.*
[2] Edd., *et si non sonant.* Abest, *non*, a Mss.
[3] Sic Mss. At Edd., *ubi ædificatur domus?*
(a) Habitus forte ante an. 405, quando per vim Circumcellionum regnabant Donatistæ, ex n. 11.
(b) Scilicet Milevitanus episcopus, qui etiam in Psalmi 131 enarratione, proximo ante hunc sermonem die habita, laudatur hisce verbis: « Justum quidem erat, charissimi, ut « fratrem potius audiremus collegam meum, præsentem « omnibus nobis: et modo non negavit; sed distulit, » etc.

[1] Edd., *et benedicite.* Particula, *et*, abest a Mss. qui paulo post habent, *bene nuntiate diem ex die*: sed aliis locis, *de die in diem.*

Deus, domus mea. Et quasi diceretur ab operariis, Ubi jubes ædificari? ubi vis crescere domum tuam? Elige nobis aliquem locum æqualem, aliquem locum spatiosum, si tibi amplam domum vis ædificari. Ubi jubes ut bene nuntiemus de die in diem? Ostendit locum : *Annuntiate in gentibus gloriam ejus. Gloriam*, inquit, *ejus annuntiate in gentibus :* gloriam ejus, non gloriam vestram. O structores, gloriam ejus bene nuntiate in gentibus. Si gloriam vestram annuntiare volueritis, cadetis ; si ejus ædificabimini, cum ædificatis. Ideo qui gloriam suam annuntiare voluerunt, noluerunt esse in ista domo ; et propterea non cantant canticum novum cum omni terra. Non enim communicant universo orbi terrarum : et ideo non sunt ædificantes in domo, sed parietem dealbatum erexerunt. Quanta minatur Deus parieti dealbato? Sunt testimonia Prophetarum innumera, unde maledicit parieti dealbato[1]? Quid est paries dealbatus, nisi hypocrisis, id est simulatio? Foris lucet, intus lutum est. Quod dicturus sum, jam dictum est, sed quia eo spiritu dictum est, quem nobis quoque Dominus impertire dignatus est, nos illud diximus; et quidquid modo eodem Spiritu dicimus, illi dixerunt qui fuerumt ante nos. Non est ergo prætermittendum, sed dicendum est, quia dono Dei dictum est. Quidam de isto pariete dealbato cum diceret, hoc ait : « Quomodo in pariete non conjuncto aliis parietibus, sed singulariter erecto, si ostium facias, quisquis intraverit foris est; sic in illa parte quæ noluit cantare cum domo[2] canticum novum, sed parietem voluit struere, et hunc dealbatum, non solidatum[3] quid valet quod habet januam? Si intraveris, foris inveniris. » Quia enim ipsi non per januam introierunt, et janua ipsorum non intromittit. Dominus enim dicit : *Ego sum janua; per me intratur*. Qui sunt qui intrant per januam? Qui gloriam Domini quærunt, non suam. Qui intrant per januam? Qui faciunt quod dictum est, *Bene nuntiate in gentibus gloriam ejus. Qui intrat per januam, pastor ovium est*, ait Dominus; *qui autem per aliam partem ascendit, ille fur est et latro* (*Joan.* x, 7, 9, 1, 2). Qui per januam intrat, humilis est; qui per aliam partem ascendit, superbus est : ideo illum dixit intrare, illum ascendere. Sed ille intrando recipitur; ille ascendendo præcipitatur. *Annuntiate in gentibus gloriam ejus*. Quid est, *in gentibus?* Forte gentes nominantur et paucæ; et adhuc habet quod dicat illa pars quæ erexit parietem dealbatum : Quare non gentes sunt Getulia, Numidia, Mauritania, Byzacium? Provinciæ gentes sunt[4]. Auferat sermonem hypocrisi[5] parieti dealbato, sermo Dei, ædificans domum toto orbe terrarum. Parum est quod dixit, *Annuntiate in gentibus gloriam ejus;* ne aliquas gentes exceptas putares, sequitur et dicit, *In omnibus populis mirabilia ejus*.

4. [*vers.* 4.] *Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis*. Quis *Dominus*, nisi Jesus Christus, *magnus et laudabilis nimis?* Nostis certe quia homo apparuit; nostis certe quia in utero feminæ conceptus est, nostis quia ex utero natus est, nostis quia lactatus est, quia manibus portatus est, quia circumcisus, quia hostia pro illo oblata est, quia crevit; postremo nostis quia expalmatus est, consputus, spinis coronatus, crucifixus est, mortuus est, lancea percussus est; nostis quia hæc omnia passus est : *Magnus* est *et laudabilis nimis*. Nolite contemnere parvum, intelligite magnum. Parvus factus est, quia parvi eratis; intelligatur magnus, et in illo magni eritis. Sic enim ædificatur domus, sic eriguntur moles in ipsa domo : crescunt lapides qui ducuntur ad ædificium. Crescite ergo, intelligite Christum magnum : et parvus magnus est, magnus nimis. Finivit verba : volebat dicere quantum magnus; etsi tota die diceret, Magnus, magnus, quid diceret? Tota die dicens, Magnus finiret aliquando; quia finitur dies : magnitudo illius ante dies, ultra dies, sine die. Ergo quid diceret? *Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis*. Quid enim dictura est lingua parva ad laudandum magnum? Dicendo, *nimis*, emisit vocem, et dedit cogitationi quod sapiat : tanquam dicens, Quod sonare non possum, tu cogita; et cum cogitaveris, parum erit. Quod cogitatio nullius explicat, lingua alicujus explicat? *Magnus Dominus et laudabilis nimis*. Ipse laudetur, ipse prædicetur, ejus gloria nuntietur, et ædificatur domus[1].

5. *Terribilis est super omnes deos*. Sunt enim dii super quos sit terribilis ille? Videamus[2] quos dicat, et videbimus quare dicat. Interim antequam dicat, charissimi, advertite. Ille qui quasi territus videtur inter homines, *terribilis est super omnes deos*. Numquid non fremuerunt gentes? numquid non populi meditati sunt inania adversus Dominum et adversus Christum ejus (*Psal.* II, 1)? Numquid illi tauri pingues non circumdederunt eum? numquid non leo ille rugiens fremuit super illum (*Psal.* XXI, 13, 14), et intrans in corda sævientium exclamavit, *Crucifige, crucifige* (*Matth.* XXVII, 23) ; quasi ille isto fremitu terreretur qui *terribilis est*, non super omnes homines, sed *super omnes deos?* Ubi enim vult ædificare domum, locus ipse silvosus est, unde dictum est hesterno die, *Invenimus eam in campis silvæ* (*a*). Domum enim ipsam quærebat, cum diceret, *In campis silvæ*. Et unde silvosus est locus ille? Simulacra colebant homines : non mirum quia porcos pascebant. Filius enim ille erat qui dimisit patrem, et omnia sua consumpsit in meretricibus, vivens prodige; pascebat porcos (*Luc.* xv, 12-15), id est, colebat dæmonia : et ipsa superstitione Gentilium, silva

[1] Plerique Mss., *imminere se dicit parieti dealbato*.
[2] Lov., *cum Domino*. Verius Edd. alii et Mss., *cum domo*.
[3] Sic Mss. At Edd., *partem voluit struere, et hanc dealbatam, non solidatam :* ac paulo post, *janua ipsos non intromittit*.
[4] Edd., *Non gentes sunt..... Byzantium provincia? Gentes sunt*. Emendavimus ad Mss.
[5] Sic aliquot Mss. At Edd., *hypocrisis*.

[1] Sic aliquot Mss. At Edd., *et ædificetur domus*.
[2] Mss. quidam hoc et proximo loco, *videbimus*. Nonnulli autem utroque loco, *videamus* : et sic Am.
(*a*) Vid. Enarr. in Psal. CXXXI, n. 11.

facta erat omnis terra. Sed exstirpat silvam qui ædificat domum; et propterea dictum est, *Cum domus ædificaretur post captivitatem*. Tenebantur enim homines captivi sub diabolo, et dæmonibus serviebant; sed redempti sunt a captivitate. Vendere se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, et dedit pretium; fudit sanguinem suum, emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, et invenite quid emerit. Sanguis Christi, pretium est. Tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? quid, nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parvum esse, ut solos Afros emerit; aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum (*a*). Non ergo exsultent [1], non superbiant : pro toto dedit, quantum dedit. Novit quid emerit, quia novit quanti emerit. Inde quia redempti sumus post captivitatem ædificatur domus. Et qui sunt qui nos tenebant in captivitate? Quia illi quibus dicitur, *Annuntiate*, exstirpatores silvæ sunt : ut exstirpent silvam, liberent de captivitate terram, et struant, ædificent, annuntiando magnitudinem domus Domini. Unde silva dæmonum exstirpatur, nisi prædicetur ille qui super omnes est? Ergo omnes gentes dæmonia habebant deos : quos dicebant deos, dæmonia erant, Apostolo dicente apertius, *Quoniam quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo* (I *Cor.* x, 20). Quia ergo ideo erant in captivitate, quia dæmoniis immolabant, et propterea tota terra silvosa remanserat; annuntiatur iste *magnus et laudabilis nimis*.

6. [*vers.* 5.] Et quomodo ostenditur magnitudo ejus, ut eradicet illas superstitiones, sub quibus captivus populus tenebatur, quem redimere advenit *terribilis super omnes deos?* Et quasi diceretur illi, Quare dixisti, *super omnes deos?* sunt enim dii? sequitur et dicit, *Quoniam omnes dii Gentium dæmonia*. Intendat Charitas vestra. Magnum aliquid dicebat paulo ante, *Magnus Dominus;* et tanquam deficiens in laudi ipsius, *et laudabilis nimis*. Nonne hoc dixeram, quia dimisit tibi cogitare quod non poterat ipse verbis explicare? Explicans autem ipse verbis, quid magnum mihi dixit de Domino Jesu Christo? An quia super omnia dæmonia est? Cum enim dixisset, *Terribilis super omnes deos;* subjunxit, *Quoniam omnes dii Gentium dæmonia*. Non est magnum, esse super dæmonia : et tu; si volueris, eris; sed si in illum credideris. Itane ipsa est illa magnitudo laudis, *Magnus Dominus et laudabilis nimis?* Volens enim explicare, ut poterat humana lingua, et quamvis magnus sit tactor organi Spiritus sanctus, tamen per angustias [2] spiritus humani syllabas sonat, sed cogitationes generat : explicare ergo per hanc linguam volens, quid ait? *Magnus Dominus et laudabilis nimis*. Dic, dic, quantum laudabilis; dic. *Terribilis est*, inquit, *super omnes deos*. Quare dixisti, *super omnes deos? Quoniam omnes dii Gentium dæmonia*. Et ipsa est tota laus illius qui laudabilis est nimis, quia superat omnes deos Gentium, qui sunt dæmonia? Exspecta, et audi quod sequitur : *Dominus autem cœlos fecit*. Jam ergo non super dæmonia solum, sed super omnes cœlos quos fecit. Si diceret, *Super omnes deos, quoniam omnes dii Gentium dæmonia*, et ibi tantummodo remaneret laudatio Domini, minus dixerat quam nos solemus de Christo cogitare : cum autem dixit, *Dominus autem cœlos fecit;* videte quid intersit inter cœlos et dæmonia; et videte quid intersit inter ipsos cœlos et illum qui fecit cœlos; ecce quantum excelsus est Dominus. Non dixit, Dominus autem super cœlos sedet; fortasse enim alius illos fecisse putaretur, super quos sederet : sed dixit, *Dominus autem cœlos fecit*. Si cœlos fecit, etiam Angelos fecit : ipse fecit Angelos, ipse fecit Apostolos. Apostolis cedebant dæmonia : sed ipsi Apostoli cœli erant, qui Dominum portabant. Et quem Dominum portabant? A quo facti erant. Audi quia cœli sunt : *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII, 2). Ipsis cœlis dicitur, *Annuntiate in gentibus gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus. Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis, terribilis est super omnes deos*. Quos deos? *Quoniam omnes dii Gentium dæmonia*. Et ipse est terribilis super omnes istos deos. *Dominus autem cœlos fecit*. O cœli, quos fecit, annuntiate in gentibus gloriam ejus! Ædificetur domus per omnem terram, cantet omnis terra canticum novum.

7. [*vers.* 6.] *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus*. Pulchritudinem amas? vis esse pulcher? Confitere. Non dixit, Pulchritudo et confessio; sed, *Confessio et pulchritudo*. Fœdus eras, confitere ut sis pulcher : peccator eras, confitere ut sis justus. Fœdare te potuisti; formosum te facere non potes. Qualis autem est sponsus noster, qui fœdam amavit, ut pulchram faceret? Quomodo, ait aliquis, fœdam amavit? *Non veni*, inquit, *vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* IX, 13). Quos vocas peccatores, ut remaneant peccatores [1]? Non, inquit. Et quomodo non erunt peccatores? *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus*. Confitentur enim peccata sua, vomunt mala quæ avide voraverant; non redeunt ad vomitum suum, sicut canis immundus (II *Petr.* II, 22) : et erit confessio et pulchritudo. Amamus pulchritudinem; prius eligamus confessionem, ut sequatur pulchritudo. Iterum existit qui amat potentiam, amat et magnificentiam; vult esse magnus quomodo Angeli sunt. Magnificentia quædam est in Angelis; et tanta potentia, ut si faciant Angeli quidquid possunt, sustineri non possit. Et omnis homo desiderat potentiam Angelorum, sed justitiam Angelorum non amat. Prius justitiam dilige, et sequetur te potentia. Quid enim sequitur et hic? *Sanctitas et magnificentia in sanctificatione ejus*. Tu jam quærebas magnificentiam : prius dilige sanctitatem; cum sanctificatus fueris, eris et magnificus. Nam si præpostere prius esse volueris

[1] Tres Mss., *insultent*.
[2] Sic Am. Er. et nostri Mss. At Lov., *per angustas*.
(a) Donatistæ.

[1] Er. Ven. Lov., *Quos vocas peccatores? An ideo vocas ut remaneant peccatores*. M.

magnificus, ante cadis quam surgas : non enim surgis, sed extolleris. Melius surgis, si te ille erigat qui non cadit. Descendit enim ad te ille qui non cadit : tu cecideras, ille descendit, porrexit tibi manum; non potes viribus tuis surgere, amplectere manum descendentis, ut erigaris a forti.

8. [*vers.* 7.] Quid ergo? Si *confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctitas et magnificentia in sanctificatione ejus* (hoc annuntiamus, cum ædificamus domum; ecce jam annuntiatum est gentibus); quid debent facere gentes, quibus annuntiaverunt [1] illi qui silvam exstirpaverunt? Jam ad ipsas gentes dicit, *Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem :* nolite vobis; quia et illi qui vobis annuntiaverunt, non suam, sed illius gloriam annuntiaverunt : et vos *afferte Domino gloriam et honorem;* et dicite, *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII, 1). Nolite spem in homine ponere. Si baptizatur unusquisque vestrum, dicat : Ille me baptizat, de quo amicus sponsi dixit, *Hic est qui baptizat* (*Joan.* I, 33). Si enim hæc dixeritis, afferetis Domino gloriam et honorem : *Afferte Domino gloriam et honorem.*

9. [*vers.* 8.] *Afferte Domino gloriam nomini ejus.* Non nomini hominum, non nomini vestro, sed nomini ejus afferte gloriam. *Tollite hostias, et introite in atria ejus. Tollite hostias :* quid allaturi estis, ut introeatis in atria ejus? Jam enim crevit domus, et facta sunt atria; qui afferunt hostias, intrent [2] in atria. Tauros allaturi sumus, hircos vel oves? Absit. *Si voluisses sacrificium, dedissem utique.* Ille nobis hostiam commendabat, quam offerre debemus. Videte ne illa sit hostia, de quo jamdudum dixit, *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus.* Confessio hostia est Deo. O ergo gentes, si vultis intrare in atria ejus, nolite vacuæ intrare, *Tollite hostias.* Quas hostias nobiscum portaturi sumus? *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Psal.* L, 18, 19). Cum humili corde intra in domum Dei, et cum hostia intrasti. Si autem superbus es, inanis intras. Nam unde superbires, nisi inanis esses? Nam si plenus esses, non inflareris. Quomodo plenus esses? Si tecum tolleres hostiam, quam portares ad atria Domini. Jam ne diu teneamus, curramus cætera. Videte crescentem domum, videte ædificium ire per totum orbem terrarum. Gaudete, quia intrastis in atria; gaudete, quia ædificamini in templum Dei. Qui enim intrant, ipsi ædificantur, ipsi sunt domus Dei : ille est inhabitator, cui ædificatur domus toto orbe terrarum, et hoc post captivitatem. *Tollite hostias, et introite in atria ejus.*

10. [*vers.* 9, 10.] *Adorate Dominum in atrio sancto ejus :* in catholica Ecclesia; hoc est atrium sanctum ejus. Nemo dicat, *Ecce hic est Christus, ecce illic. Exsurgent enim pseudoprophetæ.* Dic eis istud, *Lapis super lapidem non relinquetur, qui non destruatur* (*Matth.* XXIV, 23, 24, 2) : ad parietem dealbatum vocatis; in atrio sancto adoro Deum meum.

11. *Commoveatur a facie ejus universa terra : dicite in nationibus, Dominus regnavit a ligno. Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur.* Quæ testimonia ædificationis domus Dei! Intonant nubes cœlorum per totum orbem terrarum ædificari domum Dei; et clamant ranæ de palude, Nos soli sumus christiani. Quæ testimonia profero? Psalterii. Profero quod surdus cantas : aperi aures, tu cantas ista; cantas mecum, et non concordas mecum; lingua tua sonat quod sonat mea, et cor tuum dissonat a corde meo. Nonne tu cantas ista? Vide testimonia orbis terrarum : *Commoveatur a facie ejus universa terra :* et tu dicis non commoveri? *Dicite in nationibus, Dominus regnavit a ligno.* An forte hic obtinebunt, et dicent se regnare a ligno, quia fustibus Circumcellionum regnant? De cruce Christi regna, si a ligno regnaturus es. Nam lignum hoc tuum ligneum te facit : lignum Christi per mare te trajicit. Audis Psalmum dicentem, *Correxit orbem terræ, qui non commovebitur;* et tu dicis non solum motum post correctionem, sed etiam diminutum. Tu verum dicis; iste mentitur? Pseudoprophetæ clamantes, *Ecce hic est Christus, ecce illic,* verum dicunt; et propheta iste mentitur? Fratres, contra istas apertissimas voces auditis in angulis strepitum, Ille tradidit, et ille tradidit. Quid dicis? Voces tuæ audiendæ sunt, an voces Dei? *Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur.* Ego tibi orbem terrarum ostendo ædificatum; tolle hostiam, intra in atria Domini. Hostias non habes, propterea non vis intrare. Quid est hoc? Si hostiam tibi indiceret Deus taurum, hircum, arietem, invenires quod afferres : indixit tibi humile cor, et non vis intrare. Hoc enim in te non invenis, quia superbia tumuisti. *Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur. Judicabit populos in æquitate.* Tunc se illi plangent, qui nolunt modo diligere [1] æquitatem.

12. [*vers.* 11.] *Jucundentur cœli, et exultet terra,* Jucundentur cœli, qui enarrant gloriam Dei; jucundentur cœli, quos Dominus fecit : exsultet terra, quam compluunt cœli. Cœli enim prædicatores, terra auditores. *Commoveatur mare et plenitudo ejus.* Quod mare? Sæculum. Commotum est mare, et plenitudo maris : omne sæculum concitatum est adversus Ecclesiam, cum dilataretur et ædificaretur toto orbe terrarum. De ipsa commotione audistis in Evangelio, *Tradent vos ad judicia* (*Marc.* XIII, 9). Commotum est mare : sed quando vinceret mare eum qui cœlos fecit?

13. [*vers.* 12, 13.] *Gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.* Omnes lenes, omnes mites, omnes æqui, campi sunt Dei. *Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum.* Ligna silvarum, Pagani sunt. Quare jam gaudent? Quia præcisi sunt de oleastro [2], et inserti in oliva (*Rom.* XI, 17). *Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum:* quia præcisæ sunt ingentes arbores cedrinæ et cypa-

[1] Sic Mss. At Edd., *quid debeant gentes. Quid annuntiaverunt illi,* etc.
[2] Sic plures Mss. At Edd., *intrant.*

[1] Præcipui Mss., *eligere.*
[2] Am. et nostri Mss., *præcisi sunt oleastri.*

rissinæ, et imputribilia ligna translata sunt ad ædificationem domus. Ligna silvarum erant, sed antequam irent in ædificium; ligna silvarum erant, sed antequam olivam parerent [1].

14. *Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum, ante faciem Domini, quoniam venit, quoniam venit judicare terram.* Primo venit, et postea venturus est. Primo venit in Ecclesia sua in nubibus. Quæ sunt nubes quæ eum portaverunt? Apostoli prædicantes, de quibus audistis, cum legeretur Apostolus: *Legatione*, inquit, *pro Christo fungimur, obsecrantes pro Christo reconciliari Deo* (II *Cor.* v, 20). Ipsæ sunt nubes in quibus venit, excepto adventu suo posteriore, quo venturus est judicare vivos et mortuos. Venit primo in nubibus. Hæc primo vox ipsius sonuit in Evangelio: *Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus.* Quid est, *Amodo?* Nonne Dominus postea venturus est, quando se plangent omnes tribus terræ? Prius venit in prædicatoribus suis, et implevit totum orbem terrarum. Non resistamus primo adventui, ut non expavescamus secundum. *Et væ tunc prægnantibus et mammantibus.* Audistis modo in Evangelio: *Cavete, quia nescitis qua hora veniat* (*Marc.* XIII, 26, 17, 33). In figura dicta sunt. Quæ sunt prægnantes, et quæ sunt lactantes? Prægnantes animæ dicuntur, quæ habent spem in sæculo. Quæ autem adeptæ sunt jam quod sperabant, pro lactantibus sunt positæ. Verbi gratia: emere vult villam; prægnans est, nondum enim factum est, tumet uterus in spe: emit; peperit, adeo lactat quod emit. *Væ prægnantibus et mammantibus:* væ qui habent spem in sæculo, væ qui hærent his rebus quas de sæculi spe pepererunt [2]. Quid ergo debet facere christianus? Uti mundo, non servire mundo. Quid est hoc? Habentes tanquam non habentes. Sic dicit, sic hortatur quos non vult inveniri a die illa tanquam prægnantes et mammantes, sic eos hortatur: « De cætero, fratres, tempus breve est: reliquum est ut et hi qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui emunt, quasi non tenentes [3]; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes: præterit enim figura hujus mundi. Volo vos sine sollicitudine esse » (I *Cor.* VII, 29-32). Qui sine sollicitudine est, securus exspectat quando veniat Dominus ipsius. Nam qualis amor est Christi, timere ne veniat? Fratres, non erubescimus? Amamus, et timemus ne veniat. Certe amamus? an peccata nostra plus amamus? Ergo ipsa oderimus peccata, et amemus eum qui venturus est ad punienda peccata. Veniet, velimus, nolimus: non enim quia modo non venit, ideo venturus non est. Veniet, et quando nescis; et si paratum te invenerit, nihil tibi obest quia nescis. *Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum, ante faciem Domini, quoniam venit:* prius. Et postea quid? *Quoniam venit judicare terram.* Et exsultabunt *omnia ligna silvarum.* Venit primo, et postea judicare terram: exsultantes inveniet eos qui primo ejus adventui crediderunt, *quoniam venit.*

15. Nam, *Judicabit orbem terrarum in æquitate:* non partem, quia non partem emit. Totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit. Audistis Evangelium, quia cum venerit, inquit, *congregabit electos suos a quatuor ventis* (*Marc.* XIII, 27). Congregat electos omnes a quatuor ventis: ergo de toto orbe terrarum. Quia et ipse Adam [aliquando hoc dixeram (a)] orbem terrarum significat secundum græcam linguam. Quatuor enim litteræ sunt, A, D, A, et M. Sicut autem Græci loquuntur, quatuor orbis partes has in capite litteras habent, Ἀνατολὴν dicunt Orientem; Δύσιν, Occidentem; Ἄρκτον, Aquilonem; Μεσημβρίαν, Meridiem: habes, Adam. Ipse ergo Adam toto orbe terrarum sparsus est. In uno loco fuit, et cecidit, et quodam modo comminutus implevit orbem terrarum: sed misericordia Dei undique collegit fracturas, et conflavit igne charitatis, et fecit unum quod fractum erat. Novit illud facere artifex ille; nemo desperet: multum quidem est, sed qui sit artifex, cogitate. Ille refecit, qui fecit; ille reformavit, qui formavit. *Judicabit orbem terrarum in æquitate, et populos in veritate sua.* Quæ est æquitas et veritas? Congregabit secum electos suos ad judicandum, cæteros autem separabit ab invicem: positurus est enim alios ad dexteram, alios ad sinistram. Quid autem æquius, quid verius, quam ut non exspectent misericordiam de judice, qui noluerunt facere misericordiam, antequam veniret judex? Qui autem voluerunt facere misericordiam, cum misericordia judicabuntur. Dicetur enim eis ad dexteram positis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Et imputat opera misericordiæ: *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et potastis me*, et cætera. Rursus ad sinistram positis quid imputatur? Quia noluerunt facere misericordiam. Et quo ibunt? *Ite in ignem æternum.* Iste auditus malus magnum gemitum faciet [1]. Sed quid dixit alius psalmus? *In memoria æterna erit justus; ab auditu malo non timebit* (*Psal.* CXI, 7). Quid est, auditus malus? *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 31-46). Qui gaudebit ad auditum bonum, non timebit ab auditu malo. Quomodo gaudebunt ad auditum bonum? *Venite, benedicti Patris mei.* Et a quo auditu non timebunt? *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Hæc est æquitas, hæc veritas. *Judicabit* enim *orbem terrarum in æquitate, et populos in veritate sua.* An quia tu injustus es, justus non erit judex? aut quia tu mendax es, verax non erit veritas? Sed si vis habere misericordem, esto misericors antequam veniat: dimitte si quid in te commissum est, da ex eo quo abundas. Et de cujus das, nisi de illius? Si de tuo dares, largitio esset: cum de illius das, redditio est. Quid enim habes, quod non accepisti (I *Cor.* IV, 7)? Hæ sunt hostiæ Deo gratissimæ, misericordia, humilitas, confessio,

[1] Lov., *pararent*. At plerique Mss., *parerent*.
[2] Sic Mss. At Edd., *de sæculo pepererunt*.
[3] Sic meliores Mss. At Am., *non utentes*. Lov., *non ementes*, Er., *non ementes nec utentes*.

[1] Duo Mss., *habet*.
(a) Vid. Tract. 9 in Joan., n. 14; et Tract. 10, n. 12.

pax. charitas. Has apportemus, et securi exspectabimus adventum judicis, qui *judicabit orbem terrarum in æquitate, et populos in veritate sua.*

IN PSALMUM XCVI
ENARRATIO.

SERMO AD POPULUM.

1. Magna spectacula Deus præbet cordi christiano, et quibus vere nihil possit jucundius inveniri; si tamen adsit palatum fidei, cui sapiat mel Dei. Credimus omnibus vobis, qui in Salvatorem nostrum toto corde credidistis, inesse Spiritum ejus, qui vos delectet cum leguntur prophetiæ, ante tot annos prolatæ ex ore sanctorum, et post tot annos impletæ in fide gentium. Magnam enim jucunditatem tunc carpebant ipsi sancti Prophetæ, cum ea videbant in spiritu, non jam impleta, sed adhuc futura. Erat eis magna delectatio: sed tamen et ipsi pro charitate qua in nos accensi erant, quos nondum videbant, et spiritu parturiebant; volebant, si fieri posset, in hoc tempore nobiscum vivere, et videre impleta quæ in spiritu prophetabant. Inde Dominus discipulis suis, jam ista videre incipientibus, ait: *Multi justi et prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt* (*Matth.* XIII, 17). Quamvis enim viderent ista in spiritu, tamen futura illis quodam modo formabantur: Apostolis autem jam præsentia reddebantur. Unde ille Simeon, justus quidam senex, multum exsultavit videns infantem Jesum, et agnoscens in parvo magnum, et in exigua carne cognoscens cœli et terræ Creatorem. Multum ergo exsultavit, quia responsum acceperat non se exiturum esse de hac vita, priusquam videret salutare Dei. Agnovit ergo illum, jucundatus est, exsultavit gaudio; et hoc ait: *Domine, nunc dimittis servum tuum in pace; quoniam viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 25-30). Magna est ergo ista jucunditas; et hanc facit charitas. Delectati sumus, cum psalmus iste cantaretur: et quædam ibi ab omnibus intellecta sunt; quædam vero, quantum arbitramur, aut a paucis, aut certe non ab omnibus. Simul ergo illum in isto sermone, in quo vobis servimus, consideremus; et videamus quanta dignatione nos Deus lætificare voluit, præsentando quæ promisit, et nobis exhibens veritatem promissis suis.

2. [*vers.* 1.] Inscribitur Psalmus, *Ipsi David, cum terra ejus restituta est.* Totum ad Christum revocemus, si volumus iter rectæ intelligentiæ tenere: non recedamus a lapide angulari (*Ephes.* II, 20), ne intellectus noster ruinam faciat: in illo solidetur, quod instabili motu nutabat; in illo incumbat, quod per incerta pendebat. Quidquid dubitationis habet homo in animo auditis Scripturis Dei, a Christo non recedat; cum ei fuerit in illis verbis Christus revelatus, intelligat se intellexisse: antequam autem perveniat ad Christi intellectum, non se præsumat intellexisse. *Finis enim Legis Christus est, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Quid est ergo, et quomodo accipitur in Christo, *Cum terra ejus restituta est?* Nam quomodo David intelligatur Christus, facile est agnoscere. Christus enim ex Maria, et ex semine David; et quia ex semine ejus futurus erat, propterea nomine ejus in figura prophetabatur. Ergo David Christus: quia et interpretatio David manu fortis est; et quis tam manu fortis, quam qui de cruce mundum vicit? Nam post resurrectionem et ascensionem ejus, accepto Spiritu sancto, loquentibus Apostolis variis linguis, commota multitudo eorum ipsorum qui eum crucifixerant, consilium quæsivit salutis; accepit, credidit; ignotum est, donatus est reatus sanguinis Christi, impertitus est potus sanguinis Christi; facti sunt fideles ejus cujus fuerant persecutores; crediderunt in eum quem crucifixerunt, et ante quem insultantes caput agitaverunt, eum ipsum caput habere voluerunt (*Act.* II). Ita ergo *restituta est terra ejus*, quod habet titulus Psalmi. Terra enim ejus Judæa: et perierat omnis Judæa, quando crucifixerunt Dominum suum ignorantes, phrenetici sævientes in medicum, et salutem insania repellentes. Tanquam ergo perierat Judæa tota: quam tota [1]? Ipsi etiam Apostoli trepidaverunt. Petrus qui audaci dilectione sequebatur, timida trepidatione ter negavit. Resurgens, in via quosdam loquentes secum de se, tales invenit ipse Dominus Jesus Christus, ut dicerent illi quærenti unde colloquerentur: « Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo; et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes [2] et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel » (*Luc.* XXIV, 18-21). Jam spem Christi perdiderant. Non enim dixerunt, Speramus eum redempturum; sed, *Sperabamus quod esset redempturus Israel.* Ipse cum eis erat, et spes illius in illis non erat. Ostendit se illis, manifestatus est etiam cæteris discipulis, visus, contrectatus, et inventus illis quibus jam perisse videbatur: revocata est fides eorum qui ceciderant; *restituta est terra ejus.* Deinde factis cum eis quadraginta diebus, ascendit in cœlum (*Act.* I, 3, 9); et, sicut paulo ante commemoravi, misso Spiritu sancto fecit discipulos suos, idiotas homines, loqui omnium gentium linguis. Tunc illi pro quibus non frustra dixerat, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34), commoti, ut diximus, quæsierunt salutem, consilium acceperunt ut in eum crederent; crediderunt uno die tria millia, et rursus quinque millia (*Act.* II, 41; *et* IV, 4); cœpit fervere per Judæam Ecclesia Christi, ubi ferbuerat opprobrium Christi; et *restituta est terra ejus.* Sed quia dixerat ipse, *Habeo alias oves quæ non sunt de hoc ovili; oportet me et eas adducere, ut sit unus grex et unus pastor* (*Joan.* X, 16); etiam ad Gentes, ad quas Prophetæ missi non erant, Apostoli missi sunt.

[1] Sic Mss. At Edd., *cum qua tota ipsi etiam*, etc.
[2] Mss., *summi sacerdotum.*

Quæsiti sunt qui non quæsierant, inventi sunt qui nihil exspectabant: quem non tenebant Deum pollicitatorem, invenerunt redemptorem. Jam enim Judæi tenebant Deum pollicitatorem, quia ibi Prophetæ Christum prædicaverant, ibi Christum promiserant; sed quem promissum audierant, præsentem non cognoverant: illis autem promissum nihil erat; sed tamen in Prophetis etiam de fide ipsorum dictum erat. Non dictum erat ipsis, sed dictum erat de ipsis. Missum est et ad illos: et audistis ex dispensatione Dei; ipsa enim lectio modo vobis lecta est in Actibus Apostolorum, quomodo centurio Cornelius credidit. Cornelius enim centurio non erat de gente Judæorum. Orabat, jejunabat, eleemosynas faciebat. Non illum deseruit Deus quamvis in Gentibus constitutum; et missus est ei angelus, qui illi nuntiaret quod eleemosynæ et orationes ipsius acceptæ fuerint apud Deum: credidit, advocato ad se Petro (*Act.* x). Numquid non illum poterat docere angelus? Misit illum ad Petrum, ut magis per hominem illi fides fieret; quia homines dignatus erat Dominus visitare: nec dedignabatur docere per hominem, qui dignatus est esse homo. Sic ergo *restituta est terra ejus*, uno pariete veniente de Judæis, altero pariete veniente de Gentibus; quibus duobus parietibus de diverso venientibus esset ipse lapis angularis, ubi ambo copularentur (*Ephes* II, 20).

3. Iterum quomodo accipimus, *Cum terra ejus restitueretur?* Cum caro ejus resuscitaretur. Alius enim intellectus, tamen a Christo non recedens, sic potest nobis occurrere: terra restituta, caro resuscitata. Post resurrectionem enim ipsius facta sunt ista omnia quæ cantantur in Psalmo. Audiamus jam de terræ restitutione Psalmum plenum gaudio. Excitet nobis ipse Dominus Deus noster dignam tantæ rei exspectationem et jucunditatem; ipse sermonem nostrum moderetur aptum cordibus vestris, ut quiquid hic exsultat cor nostrum in talibus spectaculis, perducat ad linguam, et inde in aures vestras, deinde in cor vestrum, inde in facta vestra.

4. *Dominus regnavit.* Ille qui stetit ante judicem, ille qui alapas accepit, ille qui flagellatus est, ille qui consputus est, ille qui spinis coronatus est, ille qui colaphis cæsus est, ille qui in ligno suspensus est, ille cui pendenti in ligno insultatum est, ille qui in cruce mortuus est; ille qui lancea percussus est, ille qui sepultus est, ipse resurrexit. *Dominus regnavit.* Sæviant quantum possunt regna; quid sunt factura Regi regnorum, Domino omnium regum, Creatori omnium sæculorum? An ideo contemnitur, quia tam submissus, et tam humilis apparuit? Misericordia est, non impotentia: ille enim humilis apparuit, ut eum caperemus. Sed jam videamus: *Dominus regnavit; exsultet terra, jucundentur insulæ multæ.* Est quidem, quia verbum Dei non in sola continenti terra prædicatum est, sed etiam in insulis quæ constitutæ sunt in medio mari: et ipsæ plenæ christianis, plenæ sunt servis Dei. Non enim separat mare eum qui fecit mare. Quo naves possunt accedere, verba Dei non possunt? Impletæ sunt insulæ. Veruntamen possunt et in figura recte accipi insulæ, omnes Ecclesiæ. Quare insulæ? Quia circumlatrantur fluctibus omnium tentationum. Sed quomodo insula undique circumstrepentibus fluctibus tundi potest, frangi non potest, magisque ipsa frangit fluctus venientes, quam frangitur ab eis: sic et Ecclesiæ Dei pullulantes per totum orbem terrarum, passæ sunt persecutiones undique frementium infidelium, et ecce stant insulæ, et jam placatum est mare. *Jucundentur insulæ multæ.*

5. [*vers.* 2.] « Nubes et caligo in circuitu ejus; justitia et judicium directio sedis ejus. » Quibus « nubes et caligo in circuitu ejus? » Quibus « justitia et judicium directio sedis ejus? » Nubes et caligo impiis, qui eum non intellexerunt; justitia et judicium fidelibus, qui in eum crediderunt: illi enim per superbiam non viderunt, illi per humilitatem dirigi meruerunt. Audi nubes et nebulam, et audi justitiam et judicium. Ipse Dominus ait: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (*Joan.* IX, 39). Quid est, *qui vident cæci fiant?* Qui sibi videre videntur, qui se sapientes putant, qui non sibi arbitrantur necessariam medicinam, ipsi cæci fiant, ipsi non intelligant. Qui autem *non vident, videant:* qui cæcitatem confitentur, illuminari mereantur. Sit[1] ergo *in circuitu ejus nubes et caligo*, his qui eum non cognoverunt; confitentibus autem et humiliantibus se, *justitia et judicium directio sedis ejus.* Sedem ejus dicit eos ipsos qui in eum crediderunt: de ipsis enim sibi fecit sedem, quia in eis sedet Sapientia; Filius enim Dei, Sapientia Dei est (I *Cor.* I, 24). Audivimus[2] autem ex alia Scriptura magnum hujus intelligentiæ documentum. *Anima justi, sedes sapientiæ.* Ergo quia isti facti sunt justi, qui in eum crediderunt; justificati ex fide, facti sunt sedes ipsius: sedet in ipsis, judicans ex ipsis, et dirigens eos. Quare? Quia mansuetos invenit, veluti jumenta mitia, non recalcitrantia, non collum superbum adversus jugum ejus excutientia, non flagellum ejus recusantia: facta sunt jumenta ejus bona, mansueta; et meruerunt quod dictum est in alio psalmo, *Diriget mites in judicio, docebit mansuetos vias suas* (*Psal.* XXIV, 9). Propterea ergo illis *nubes et caligo*, quia non sunt recti[3]; mansuetis autem, *justitia et judicium directio sedis ejus.*

6. [*vers.* 3.] *Ignis ante eum præibit, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* De quo igne dicit, fratres, *Ignis ante eum præibit, et inflammabit in circuitu inimicos ejus?* Non arbitror de illo igne dici, in quem mittendi sunt impii illa ultima judicii sententia, quibus ad sinistram separatis, sicut in Evangelio lectum meminimus, dicturus est, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41): non puto de illo igne dici. Unde hoc non puto? Quia de quodam igne dicit, qui præibit ante illum, antequam veniat ad judicium. Dictum est enim præire ignem et inflammare in circuitu, id est per totum orbem terrarum, inimicos ejus. Ille ignis post ejus adventum erit;

[1] Ita Mss. At Edd., *Sic.*
[2] Quatuor Mss., *audiamus.*
[3] Aliquot Mss., *directi*: et quidam, *mansueti.*

iste autem ignis ante eum præibit. Quis est ergo iste ignis? Possumus eum accipere in pœnam malorum, possumus in salutem redemptorum. In pœnam malorum, quomodo? Quia cum prædicaretur Christus, iratæ sunt gentes, et commoverunt persecutionem: quæ ira ignis fuit, magis consumens eos qui persequebantur, quam eos quos persequebantur. Cum enim videmus duos, unum irascentem, alterum patienter ferentem, quis eorum ardeat, vestrum est judicare. Potestis in genere humano tale spectaculum contueri. Ponite vobis ante oculos hominem iniquum, commotum animo, trucem vultu, flammantibus oculis, scintillantibus verbis, ferri in hominis necem, in deprædationem, in injurias, in contumelias, non se capere, non se tenere; alterum patienter excipientem verba, plagas [1], quidquid ille inferre voluerit, et percutienti maxillam, parantem et alteram: cum videris hinc furias, inde lenitatem; hinc iram, inde patientiam; hinc flammas, inde tolerantiam; dubitabis pronuntiare quis eorum ardeat pœnamque patiatur? illene cujus corpus vexatur, an cujus animus vastatur? Propterea et Isaias propheta dixit: *Et nunc ignis adversarios comedet* (*Isai.* XXVI, 11). Quid est, *Et nunc?* Antequam veniat dies ille judicii magnus, jam furore suo ardent qui postea supplicio sempiterni illius ignis arsuri sunt. Nisi forte putatis, fratres mei, quia injustitia, quæ procedit ex homine ad lædendum alterum hominem, illi ad quem procedit nocet, et illi de quo procedit non nocet. Unde fieri potest? Aliquando facula ardens apponitur ad lignum humidum et viride, et non illud incendit, ipsa tamen ardet; sic et inimicus tuus. Si quis forte existit injustus qui tibi moliatur insidias, vel præparet aliquam molestiam, injustus est: tu si viride lignum fueris, id est, si succo spirituali vigens et virens, flammis inimicitiarum restiteris, orando pro illo qui te persequitur; ille ardet, tu manes integer; et injustitia illius illi nocet, tibi nihil nocet. Nisi forte putas quia nocet tibi, si corpori tuo aliquid fecerit, et anima patiens et incorrupta ad Deum coronanda pervenerit, sequens exemplum Domini sui, qui pati maluit a Judæis, et qui poterat non mori, mortuus est, quia et qui poterat non nasci, natus est. Tu enim conditione natus es, ille voluntate; tu conditione moreris, ille misericordia. Quomodo ergo illi nihil nocuerunt Judæi; sic nec tibi quisquam persecutor inimicus, si tu elegeris esse membrum capitis illius.

7. Ecce intelleximus ignem ante eum præeuntem, id est, hoc tempore intelligendum in pœnam quamdam infidelium et iniquorum: intelligamus ignem, si possumus, et in salutem redemptorum; ita enim proposueramus. Idem ipse Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII, 49). Sic ignem, quomodo gladium: nam et quodam loco ait non se venisse pacem mittere in terram, sed gladium (*Matth.* X, 34). Gladium ad separationem, ignem ad ustionem: sed utrumque salubrem, quia et gladius verbi ipsius salubriter nos separavit a consuetudine mala. Gladium enim attulit, et separavit unumquemque fidelium aut a patre suo qui in Christum non crediderat, aut a matre similiter infideli; aut certe, si de parentibus christianis natus est, saltem a progenie sua priore. Nemo enim nostrum non aut avum, aut proavum, aut aliquam antiquam originem in Gentibus habuit, et in illa exsecrabili Deo infidelitate: separati sumus ab eo quod eramus; sed gladius intercessit secernens, non interficiens. Hoc modo et ignis: *Ignem veni mittere in terram.* Exarserunt homines credentes in eum, acceperunt flammam charitatis; propterea et ipse Spiritus sanctus cum missus esset Apostolis, sic apparuit: *Visæ sunt illis*, inquit, *linguæ divisæ velut ignis*, *qui et insedit super unumquemque illorum* (*Act.* II, 3). Isto igne inflammati cœperunt ire per mundum, et inflammare, et incendere in circuitu inimicos ejus. Quos inimicos ejus? Qui deserto Deo a quo facti erant, adorabant simulacra quæ fecerant. Ipsi incendebantur, si mali erant, ad consumptionem; si boni erant, ad reparationem: aut ipse incendebatur, qui nolebat credere, illo igne, audito verbo Dei factus pejor, invidia sua exustus atque consumptus; aut si converteretur et crederet, nec sic in illo nihil arsisset. Arserat enim fenum, ut purgaretur aurum. Aurum fides est, fenum carnalis concupiscentia est. *Omnis caro fenum*, Isaias dicit, *et omnis honor carnis ut flos feni* (*Isai.* XL, 6). Quidquid est ergo in homine carnali appetens vana et sæcularia, fenum est. Quam multi forte, et fratres nostri ierunt ad theatrum? feno ducti sunt. Nonne optandus est illis iste ignis, ut fenum ardeat, et aurum purgetur? Quod enim illis inest fidei, feno premitur. Bonum est ergo eis ardere sancto igne, ut feno consumpto, splendeat pretiosum quod redemit Christus. Ergo, *Ignis ante eum præibit, et inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Sunt qui salubriter arserunt, hodie fideles ejus sunt; inimici ejus erant, et nunc jam fideles ejus sunt: quæris inimicos, non sunt; consumpti sunt, arserunt; charitas consumpsit in eis quod persequebantur [1] Christum, et purgavit in eis quod crederent in Christum: *Et inflammabit in circuitu inimicos ejus.*

8. [*vers.* 4.] *Apparuerunt fulgura ejus orbi terræ.* Magna exsultatio. Nonne videmus? nonne manifestum est? Apparuerunt fulgura ejus universæ terræ; inflammati sunt inimici, incensi sunt inimici. Arsit quidquid contradicebat, et *apparuerunt fulgura ejus orbi terræ.* Quomodo apparuerunt? Ut jam crederent. Unde fulgura? De nubibus. Quæ sunt nubes Dei? Prædicatores veritatis. Vides autem nubem, in cœlo nebulosam, obscuram, et habet intus nescio quid latens. Si coruscet de nube, emicat splendor: ex eo ipso quod contemnebas, inde exsilivit quod expavescas. Misit ergo Dominus noster Jesus Christus Apostolos suos, prædicatores suos, velut nubes: videbantur homines et contemnebantur; quomodo videntur nubes, et contemnuntur, antequam de eis exsiliat quod mireris.

[1] Sic Mss. At Lov., *verbera ac plagas.*

[1] Am. et Mss., *quod persequebatur*: et infra, *quod crederet.* Sed videtur leg., *quo persequebantur, quo crederent.*

Erant enim illi primum homines carnem portantes, infirmi; deinde idiotæ, indocti, ignobiles : sed erat in illis quod fulguraret, erat in illis quod coruscaret. Accedebat Petrus homo piscator, orabat, et surgebat mortuus (*Act.* IX, 40). Forma humana nubes erat, splendor miraculi coruscatio erat. Sic in verbis, sic in factis, cum miranda dicunt, et miranda faciunt, *Apparuerunt fulgura ejus orbi terræ. Vidit et commota est terra.* Si enim non est verum? si non tota terra jam christiana clamat, Amen, commota fulguribus de illis nubibus erumpentibus? *Vidit, et commota est terra.*

9. [*vers.* 5.] *Montes fluxerunt sicut cera a facie Domini.* Qui sunt montes? Superbi. Omnis altitudo extollens se adversus Deum, factis Christi et Christianorum contremuit, succubuit, et quando dico quod dictum est, Fluxit, melius verbum inveniri non potest. *Montes fluxerunt velut cera a facie Domini.* Ubi est altitudo potestatum? ubi duritia infidelium? *Montes fluxerunt sicut cera a facie Domini.* Ignis eis fuit Dominus, illi ante faciem ejus sicut cera fluxerunt; tamdiu duri, donec ignis ille admoveretur. Complanata est omnis altitudo; modo blasphemare Christum non audet : et paganus non in eum credit, non eum tamen blasphemat; etsi nondum factus est vivus lapis, tamen victus est durus mons. *Montes fluxerunt sicut cera a facie Domini, a facie Domini omnis terræ :* non Judæorum tantum, sed et Gentium, sicut dicit Apostolus (*Rom.* III, 29); non enim est Judæorum tantum Deus, sed et Gentium. Dominus ergo universæ terræ, Dominus Jesus Christus in Judæa natus, sed non Judææ tantum natus : quia et antequam natus omnes fecit; et qui omnes fecit, omnes refecit. *A facie Domini omnis terræ.*

10. [*vers.* 6.] *Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, et viderunt omnes populi gloriam ejus.* Qui cœli annuntiaverunt? *Cœli enarrant gloriam Dei* (*Psal.* XVIII, 2). Qui sunt cœli? Qui facti sunt sedes ipsius. Quomodo enim in cœlis sedet Deus, sic sedet in Apostolis, sic sedet in prædicatoribus Evangelii. Et tu si vis, cœlum eris. Vis esse cœlum? Purga de corde tuo terram. Si terrenas concupiscentias non habueris, et non frustra responderis sursum te habere cor, cœlum eris. *Si resurrexistis cum Christo* (fidelibus Apostolus loquitur), *quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (*Coloss.* III, 1 *et* 2). Cœpisti sapere quæ sursum sunt, et non quæ super terram sunt; nonne factus es cœlum? Carnem portas, et corde jam cœlum es : conversatio enim tua in cœlis erit (*Philipp.* III, 20). Talis annuntias et tu Christum : quis enim fidelium tacet Christum? Intendat Charitas vestra : putatis quia nos soli stantes hic annuntiamus Christum, et vos non annuntiatis? Unde ad nos veniunt, christiani volentes esse, quos nunquam vidimus, quos non novimus, quibus nunquam prædicavimus? An forte crediderunt nullo annuntiante? Apostolus dicit : *Quomodo credent quem non audierunt, quomodo audient sine prædicante* (*Rom.* X, 14)? Ergo tota Ecclesia prædicat Christum, et annuntiant cœli justitiam ipsius; quia omnes fideles quibus cura est lucrari Deo eos qui nondum crediderunt, et faciunt hoc ex charitate, cœli sunt. Intonat de illis Deus judicii sui terrorem; et tremit qui infidelis erat, et pavescit, et credit. Ostendite hominibus quid potuit Christus per totum orbem terrarum, loquendo eis, et adducendo eos ad amandum Christum. Quanti enim hodie adduxerunt amicos suos, aut ad pantomimum, aut ad choraulam? Quare, nisi amando illum? Et vos amate Christum. Tanta enim spectacula præbuit, in quo nemo potest dicere aliquid se reprehensionis invenire, ille qui vicit sæculum. Nam et aliquando quem amat quisque in theatro, vincitur in illo. Nemo vero vincitur in Christo : non est de quo erubescere. Arripite, adducite, attrahite quos potestis : securi estote, ad eum adducitis, qui non displicet videntibus; et rogate illum ut illuminet eos, et bene spectent [1]. *Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, et viderunt omnes populi gloriam ejus.*

11. [*vers.* 7.] *Confundantur omnes qui adorant sculptilia.* Nonne factum est? Nonne confusi sunt? Nonne quotidie confunduntur? Sculptilia enim sunt manu facta [2] idola. Quare jam confunduntur omnes qui adorant sculptilia? Quia viderunt omnes populi gloriam ejus. Jam omnes populi gloriam Christi confitentur : erubescant qui adorant lapides. Quia lapides illi mortui erant, nos vivum lapidem invenimus : imo lapides illi nunquam vixerunt, ut nec mortui dicantur; lapis autem noster vivus est, et semper vixit apud Patrem, et pro nobis mortuus revixit, et modo vivit, et mors ei ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9). Hanc gloriam ipsius cognoverunt populi; dimittunt templa, currunt ad ecclesias. *Confundantur omnes qui adorant sculptilia.* Adhuc quærunt adorare sculptilia? Noluerunt deserere idola; deserti sunt ab idolis. *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulacris suis.* Sed existit nescio quis disputator qui doctus sibi videbatur et ait : Non ego illum lapidem colo, nec illud simulacrum quod est sine sensu; non enim Propheta vester potuit nosse quia oculos habent et non vident (*Psal.* CXIII, 5), et ego nescio quia illud simulacrum nec animam habet, nec videt oculis, nec audit auribus : non ego illud colo; sed adoro quod video, et servio ei quem non video. Quis est iste? Numen quoddam, inquit, invisibile quod præsidet illi simulacro. Hoc modo reddendo rationem de simulacris suis, diserti [3] sibi videntur, quia non colunt idola, et colunt dæmonia. Etenim, fratres, sicut dicit Apostolus, *Quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo vos*, inquit, *socios fieri dæmoniorum* (I *Cor.* X, 19, 20) : nam *scimus quia nihil est idolum* (*Id.* VIII, 4). Ipse hoc dixit Apostolus, *Scimus quia nihil est idolum, sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo :* dixit, *Nolo vos fieri socios dæmoniorum.* Non ergo hinc se excusent, quia quasi ido-

[1] Sic vetustissimus liber Corb. At Edd., *exspectent* : et sic plerique Mss. sed qui hoc scribendi more, pro, *specto* et *spectacula*, passim præferunt, *exspecto* et *exspectacula*.
[2] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *manifesta*.
[3] Sic Er. et plerique Mss. At Am. et Lov., *descrti*.

lis insensatis dediti non sunt; dæmoniis magis dediti sunt, quod est periculosius. Nam si tantum idola colerent, sicut eos non adjuvarent, ita illis nihil nocerent; si autem adores et servias dæmonibus, erunt domini tui. Et qui erunt domini tui? Invidi tui: libertati tuæ necesse est invideant, semper te velint possidere, semper talem facere, qualem possint secum trahere. Est enim insita malevolentia quædam et pernicies nocendi istis malis spiritibus: gaudent de malo hominum; et de fallacia nostra, si nos fefellerint, pascuntur. Et quid quærunt? Non quibus in æternum dominentur, sed cum quibus in æternum damnentur; quomodo solet malevolus latro nominare innocentem. Numquid si fuerit vivus incensus, minus ardet, si duo ardeant? minus moritur, si duo moriantur? Pœna illi non minuitur, sed malevolentia pascitur. Mecum moriatur, non se minus moriturum dicens, sed solatium habet malum alterius. Talis est diabolus; seducere vult illos qui cum illo puniantur: et quia non potest fallere judicem Deum (non enim nominat apud illum innocentem), vera crimina volens habere quæ objiciat, peccata persuadet. Ecce quales dominos sibi faciunt qui colunt idola et dæmonia: *Quæ* enim *immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo: nolo vos socios fieri dæmoniorum.*

12. Nos autem qualem Deum habemus? Audite quid sequatur. Cum enim dixisset, *Confundantur omnes qui adorant sculptilia* [1], *qui gloriantur in simulacris suis:* ne existerent quasi reddentes rationem de simulacris, et dicerent, Non lapides, sed numina colimus; Quæ numina colis? dic mihi, dæmonia colis, an spiritus bonos, quales sunt Angeli? Sunt enim Angeli sancti, et sunt spiritus maligni. Ego dico quia in templis tuis non coluntur nisi spiritus maligni: qui sibi exigunt superbe sacrificium, et volunt se coli tanquam Deos, maligni sunt, superbi sunt. Tales sunt etiam homines non boni, qui suam gloriam quærunt, et Dei gloriam contemnunt. Homines autem sanctos attendite, qui sunt similes Angelis. Cum inveneris hominem aliquem sanctum servum Dei, si volueris illum colere et adorare pro Deo, prohibet te: non vult sibi arrogare honorem Dei, non vult tibi esse pro Deo, sed tecum esse sub Deo. Fecerunt hoc apostoli sancti Paulus et Barnabas. Prædicabant verbum Dei in Lycaonia. Mirabilia cum fecissent Lycaoniæ, cives ejusdem regionis adduxerunt victimas, et voluerunt illis sacrificare, dicentes Barnabam Jovem, et Paulum Mercurium, illi non sunt delectati. An forte ideo sibi immolari noluerunt, quia dæmonibus se comparari exsecrati sunt? Non, sed quia honorem divinum exhiberi hominibus horruerunt. Verba ipsorum indicant, non suspicamur. Sequitur enim lectio libri ejusdem, et dicit quomodo moti sunt: *Tunc Paulus et Barnabas consciderunt vestimenta sua, et dixerunt, Viri fratres, quid facitis? Et nos homines sumus passibiles, similes vobis* (*Act.* XIV, 13 *et* 14). Intendite. Quomodo ergo homines boni prohibent eos qui illos voluerant colere tanquam deos, et volunt potius ut Deus unus colatur, Deus unus adoretur, Deo uni sacrificium offeratur, non sibi: sic et omnes sancti Angeli [1], illius gloriam quærunt, quem diligunt; ad ejus cultum, ad ejus adorationem, ad ejus contemplationem omnes quos diligunt rapere et inflammare student; ipsum illis annuntiant, non se, quoniam Angeli sunt: et quia milites sunt, non norunt gloriam quærere nisi Imperatoris sui; si autem suam gloriam quæsierint, ut tyranni damnantur. Talis exstitit diabolus et dæmonia, id est angeli ejus: arrogavit sibi honorem divinum et omnibus dæmoniis; et implevit templa Paganorum, et persuasit simulacra, et persuasit illa sacrificia offerri sibi. Nonne melius erat ut Angelos sanctos, quam ut dæmones colerent? Respondent: Non colimus mala dæmonia; Angelos quos dicitis, ipsos et nos colimus, virtutes Dei magni et ministeria Dei magni. Utinam ipsos colere velletis: facile ab ipsis disceretis non illos colere. Audite angelum doctorem. Docebat quemdam discipulum Christi, et ostendebat illi multa miracula in Apocalypsi Joannis: ille autem quodam sibi demonstrato miraculo visionis expavit, et misit se ad pedes Angeli; et ille angelus qui non quærebat nisi gloriam Domini sui, *Surge, quid facis?* inquit, *illum adora; nam et ego conservus tuus sum, et fratrum tuorum* (*Apoc.* XIX, 10). Quid ergo, fratres mei? Nemo dicat: Timeo ne irascatur mihi angelus, si non illum colo pro deo meo. Tunc tibi irascitur, quando ipsum colere volueris: bonus est enim, et Deum amat. Quomodo dæmones irascuntur, si non colantur; sic Angeli indignantur, si pro Deo colantur. Sed ne forte dicat sibi cor infirmum, cor trepidum: Ergo si irascuntur dæmonia quia non coluntur, timeo offendere dæmonia. Quid tibi facturus est vel princeps ipsorum diabolus? Si posset aliquid, nullus nostrum remaneret. Nonne quotidie tanta in illum dicuntur ore Christianorum, et crescit seges Christianorum? Quando irasceris nequissimo servo tuo, hoc nomen illi imponis: Satanas, diabole; hoc illi dicis. Fortasse in hoc erras, quia homini hoc dicis, et immoderata ira raperis ad conviciandam imaginem Dei: et tamen hoc eligis quod ei dicas, quod valde detestaris. Si posset ille, non se vindicaret? Sed non permittitur: et tantum facit, quantum permittitur. Nam et Job tentare voluit, et nonnisi potestatem quæsivit (*Job* I, 11); et nihil faceret, nisi potestatem accepisset. Quare non ergo securus Deum adoras, quo nolente nemo tibi nocet, et quo permittente emendaris, non everteris? Si enim placuerit Domino Deo tuo permittere ut aliquis homo tibi noceat, aut aliquis spiritus tibi noceat, emendabit te, ut clames ad eum: *Emendans emendavit me Dominus, sed morti non tradidit me* (*Psal.* CXVII, 18). Ergo, *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, qui gloriantur in simulacris suis. Adorate*

[1] Hic in excusis habetur, *addidit*: quod merito abest a Mss. Quippe præmisso superius, *Cum enim dixisset*, notantur duæ istæ priores partes hujus ℣. 7; moxque ostenditur contra idololatras, ne se non lapides, sed numina colere causarentur, subjuncta esse isthæc verba, *Adorate eum omnes Angeli ejus.*

[1] Edd., *sancti vel Angeli.* Particula, *vel*, abest a Mss.

eum omnes Angeli ejus. Discant Pagani adorare Deum. Angelos volunt adorare; Angelos imitentur, et illum adorent qui ab Angelis adoratur. *Adorate eum omnes Angeli ejus.* Adoret angelus ille qui missus est ad Cornelium; nam eum adorans, Cornelium misit ad Petrum (*Act.* x, 3, *etc.*): adoret Christum Dominum Petri [1], et ipse conservus Petri. *Adorate eum omnes Angeli ejus.*

13. [*vers.* 8.] *Audivit, et jucundata est Sion.* Quid audivit Sion? Quia adorant eum omnes Angeli ejus. Quid audivit Sion? ecce quid audivit: *Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, et viderunt omnes populi gloriam ejus: confundantur omnes qui adorant sculptilia, qui glorianlur in simulacris suis.* Etenim Ecclesia necdum erat in Gentibus; in Judæa crediderant ex Judæis, et putabant ipsi Judæi qui crediderant solos se pertinere ad Christum: missi sunt Apostoli ad Gentes, prædicatum est Cornelio; credidit Cornelius, baptizatus est, baptizati sunt et illi qui cum Cornelio erant. Sed ut baptizarentur, quid factum est, scitis: non quidem huc usque pervenit Lector, sed tamen aliqui recordantur; et qui non recordantur, audiant a me breviter. Missus est angelus ad Cornelium, angelus Cornelium misit ad Petrum, Petrus venit ad Cornelium. Et quia de Gentibus erat Cornelius, et ipse et qui cum illo erant, non erant circumcisi: ne dubitarent ergo illi tradere Evangelium non circumcisis; antequam baptizaretur ipse Cornelius et illi qui cum illo erant, venit Spiritus sanctus, et implevit illos, et cœperunt loqui linguis. In nullum autem ceciderat Spiritus sanctus, nisi qui fuerat baptizatus: in istos autem ante Baptismum cecidit. Posset enim Petrus dubitare utrum incircumcisos baptizaret: venit Spiritus sanctus, cœperunt loqui linguis; donatum est donum invisibile, et tulit dubitationem de Sacramento visibili; baptizati sunt omnes. Et habes ibi scriptum: *Audierunt autem Apostoli, et qui erant in Judæa fratres, quoniam et Gentes receperunt verbum Dei, et benedicebant Deum.* Hoc est quod hic commemorat: *Audivit, et jucundata est Sion; et exsultaverunt filiæ Judææ* [2]. Quid *audivit, et jucundata est Sion? Quia receperunt Gentes verbum Dei.* Unus paries venerat, sed angulus nondum erat. Sion ipsa Ecclesia quæ erat in Judæa, proprie hic nominata est. *Audivit, et jucundata est Sion; et exsultaverunt filiæ Judææ.* Sic scriptum est: *Audierunt Apostoli, et qui erant in Judæa fratres.* Videte si non *exsultaverunt filiæ Judææ.* Quid audierunt? *Quia et Gentes receperunt verbum Dei.* Ubi illud dixit iste psalmus? *Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, et viderunt omnes populi gloriam ejus.* Et quia Gentes crediderunt, a quibus colebantur idola; secutus ait: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, qui glorianlur in simulacris suis. Audivit, et jucundata est Sion; et exsultaverunt filiæ Judææ.* Postea quidam de circumcisis calumniari voluerunt Petro, et dixerunt illi: *Quare intrasti ad Gentiles incircumcisos, et manducasti cum eis?* Ille autem reddidit eis rationem, quomodo cum oraret demonstratus est illi discus pendens quatuor lineis. Discus ille qui habebat omnia animalia, significabat omnes Gentes. Ideo autem quatuor lineis pendebat, quia quatuor partes sunt orbis, unde futuri populi erant: et ideo quatuor Evangelia prædicant Christum, ut gratia ipsius ad omnes quatuor partes orbis pertinere intelligatur. Quia ergo tale visum demonstratum fuerat Petro, indicavit, aperuit illis omnia, quomodo credidit Cornelius, quia priusquam baptizaretur homo gentilis, venit super eum Spiritus sanctus. Hæc cum audissent, tacuerunt, et magnificaverunt Deum, dicentes: *Utique et Gentibus Deus pœnitentiam ad vitam dedit* (*Act.* xi, 1-18). Ecce, *Audivit, et jucundata est Sion; et exsultaverunt filiæ Judææ, propter judicia tua, Domine.* Quæ judicia? Quia non est personarum acceptor Deus. Namque ipse Petrus cum vidisset Cornelium centurionem, et eos qui cum illo erant, adimpletos Spiritu sancto, exclamavit, et ait, *In veritate comprehendo quia non est personarum acceptor Deus.* Ergo, *Exsultaverunt filiæ Judææ, propter judicia tua, Domine.* Quid est, *propter judicia tua?* Quia *in omni gente, et in omni populo, quicumque illi servierit, acceptus est illi* (*Id.* x, 34, 35). Quia non Judæorum Deus tantum, sed et Gentium (*Rom.* iii, 29).

14. [*vers.* 9.] Videte si non hoc est unde exsultaverunt filiæ Judææ. *Et exsultaverunt filiæ Judææ, propter judicia tua, Domine. Quoniam tu es Dominus altissimus super omnem terram.* Non super solam Judæam, non super solam Jerusalem, non super solam Sion, sed *super omnem terram.* Huic universæ terræ judicia Dei viguerunt, ut undique populos convocaret: quibus non communicant, qui se præciderunt; nec audiunt prædictum, nec vident impletum, *Quoniam tu es Dominus altissimus super omnem terram. Nimis exaltatus es super omnes deos.* Quid est, *nimis?* Nam de Christo dicitur. Quid est ergo, *nimis*, nisi ut intelligaris æqualis Patri? Quid est, *super omnes deos?* qui sunt? Idola non habent sensum, non habent vitam: dæmonia habent sensum, habent vitam; sed mala sunt. Quid magnum est quia exaltatus est Christus super idola? Exaltatus est super dæmonia; sed nec hoc valde magnum est: dæmonia quidem dii Gentium (*Psal.* xcv, 5), sed ille nimis exaltatus est super omnes deos. Et homines dicti sunt dii, *Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes:* item scriptum est, *Deus stetit in synagoga deorum; in medio autem deos discernens* (*Psal.* lxxxi, 6, 1). Super omnes exaltatus est Jesus Christus Dominus noster: nec tantum super idola, nec tantum super dæmonia; sed super omnes homines justos. Et hoc parum est; super omnes etiam Angelos: nam unde est, *Adorate eum omnes Angeli ejus? Nimis exaltatus es super omnes deos.*

15. [*vers.* 10.] Quid ergo facimus omnes qui ad illum convenimus, ad eum qui nimis exaltatus est super omnes deos? Breve præceptum nobis dedit. *Qui diligitis Dominum, odite malignum.* Non est dignus

[1] Edd., *nam eum adorans Cornelius misit ad Petrum, adorare Christum Dominum Petri*, etc. Locum emendamus ad Mss.

[2] Edd., *filiæ Judæ.* At plures Mss. juxta LXX, *filiæ Judææ.* Sic etiam melioris notæ codices in Psal. 47, ȳ. 12.

Christus cum quo diligas avaritiam. Amas illum; debes odisse quod odit. Homo est inimicus tuus, hoc est quod tu; creati estis ab uno Creatore, in una conditione: et tamen si filius tuus loquatur inimico tuo, et veniat ad domum inimici tui, et assiduas collocutiones habeat cum illo, exhæredare illum vis; quia loquitur cum inimico tuo. Et quomodo? Quia justam vocem videris tibi habere: Amicus es inimici mei, et quæris aliquid de re mea! Ergo attende. Diligis Christum, inimica Christi est avaritia; quare cum illa loqueris? Non dico, loqueris cum illa; quare illi servis? Nam multa jubet Christus, et non facis; jubet ipsa, et facis. Jubet Christus ut vestias pauperem, et non facis; jubet avaritia ut facias fraudem, et hoc potius facis. Si hæc ita sunt, si talis es, noli tibi multum promittere hæreditatem Christi. Sed dicis: Diligo Christum. *Qui diligitis Dominum, odite malignum.* Hinc apparet te diligere quod bonum est, si inventus fueris odisse quod malum est: *Qui diligitis Dominum, odite malignum.*

16. Sed cum cœperimus odisse malignum, subsequentur persecutiones. Odimus malignum; dicit nobis aliquis persecutor, Fac fraudem; dicit nobis, Adora idolum, dicit nobis, Thus pone dæmoniis: sed nos audivimus, *Qui diligitis Dominum, odite malignum.* Audivimus quidem, sed si non fecerimus, sævit ille. Usquequo sævit? quid est ablaturus? Responde; quare Christianus es? propter æternam hæreditatem, an propter terrenam felicitatem? Interroga fidem tuam, pone in catasta [1] conscientiæ animam tuam, torque teipsum timore judicii, responde cui credideris, quare credideris. Dicis mihi: In Christum credidi. Quid tibi promisit Christus, nisi quod ostendit in se? Quid ostendit in se? Mortuus est, et resurrexit, ascendit in cœlum. Vis sequi? Imitare passionem, exspecta promissionem. Quid ergo tibi ablaturus est sæviens, cum cœperis odisse malignum, quia diligis Dominum? quid ablaturus? Patrimonium: numquid cœlum? Postremo quidquid tibi dedit Deus, tollat ille (non tollit quidem, si non vult Deus, si autem vult Deus, tollit quod dedit Deus, ne se tibi auferat ipse Deus): Deum tibi nemo tollet, tu tibi illum tollis, si illum fugis.

17. Forte respondes: Non curo de patrimonio meo; *Dominus dedit, Dominus abstulit;* possum dicere, *Sicut Domino placuit, ita factum est* (*Job* I, 21); sed timeo ne occidat me. Hoc est totum. Audi ergo Psalmum consolantem: *Custodit Dominus animas servorum suorum.* Quia ergo dixerat superius, *Qui diligitis Dominum, odite malignum;* ne ideo timeres odisse malignum, ne occideret te malignus, subjecit statim, *Custodit Dominus animas servorum suorum* [2]. Audi illum custodientem animas servorum suorum, et dicentem: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X, 28). Occidit et corpus, qui in te plurimum potuerit: quid tibi fecit? Quod et Domino Deo tuo. Quare amas habere quod Christus, si times pati quod Christus? Ille venit ferre vitam tuam temporalem, infirmam, morti obnoxiam. Certe time mori, si potes non mori. Quod per naturam vitare non potes, quare propter fidem non suscipis? Tollat tibi istam vitam qui minatur adversarius, dat tibi Deus aliam vitam: quia et istam ipse tibi dedit, et si ipse noluerit, nec ipsa tolletur; si autem voluerit ut tollatur tibi, habet quod tecum mutet; noli timere spoliari pro illo. Non vis exui veste pannosa? Stolam gloriæ tibi daturus est. Quam stolam dicis mihi? *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (I *Cor.* XV, 53). Hæc ipsa caro tua non peribit. Usque ad mortem potest sævire inimicus: potestatem ultra non habet, nec in animam, nec in ipsam carnem; quia etsi dissipet carnem, non impedit resurrectionem. De anima sua timebant homines, et quid eis Dominus ait? *Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt* (*Matth.* X, 30). Times ne animam perdas, qui capillum non perdis? Deo omnia numerata sunt. Omnia redintegrabit, qui omnia creavit. Non erant, et creata sunt: erant, et non reparabuntur? Credite ergo toto corde, fratres mei, et *qui diligitis Dominum, odite malignum.* Fortes estote, non solum in diligendo Deum, sed etiam in odiendo malignum. Nemo vos terreat; potentior est qui vos vocavit, omnipotens est [1]; fortior est omni forti, superior est omni excelso. Filius Dei pro nobis mortuus est; securus esto accepturum te vitam ipsius, qui pignus habes mortem ipsius. Pro quibus enim mortuus est? numquid pro justis? Paulum interroga. *Etenim Christus pro impiis mortuus est* (*Rom.* V, 6). Impius eras, et mortuus est pro te, justificatus es, et deseret te? Qui justificavit impium, relinquet pium? *Qui diligitis Dominum, odite malignum.* Nemo timeat: *Custodit Dominus animas servorum suorum, de manu peccatoris eruet eas.*

18. [*vers.* 11.] Sed forte dicturus es: Perdo lucem istam. *Lux orta est justo.* Quam lucem times ne perdas? times ne in tenebris sis? Noli timere ne perdas lucem, imo time ne dum caves perdere istam lucem, perdas illam lucem veram. Quam times enim perdere, videmus quibus donata est, cum quibus tibi communis est. Numquid soli boni vident istum solem, cum faciat oriri solem suum super bonos et malos, et pluat super justos et injustos (*Matth.* V, 45)? Istam lucem vident tecum iniqui, vident tecum latrones, vident tecum impudici, vident tecum bestiæ, muscæ, vermiculi. Qualem lucem justo servat, qui et istis istam donat? Merito hanc lucem in fide martyres viderunt. Qui enim istam contempserunt, aliquam viderunt quam desideraverunt, qui hanc respuerunt. *Lux orta est justo, et rectis corde jucunditas.* Nolite putare quia vere in miseria fuerunt, cum in catena ambulaverunt. Latus fuit carcer fidelibus, leves [2] fuerunt

[1] Mss., *catista,* et *catæsta,* vel *cathasta;* sed plerique, *catasta.* Isidoro lectus ferreus est, in quo martyres subjecto igne torquebantur: aliis etiam, machina proprie seu locus, in quo servi vincti exponebantur venditioni, aut etiam operi faciendo includebantur.

[2] Vetus cod. Corb. hoc tantum loco, *animas justorum suorum.*

[1] Am. Er. et aliquot Mss., *nam non vos terreant potentiores: qui vos vocavit omnipotens est.*

[2] Plerique Mss., *lenes.*

catenæ confitentibus. Habebant gaudia in catasta, qui Christum prædicabant inter tormenta. *Lux orta est justo*. Quæ lux orta est justo? Quæ non oritur injusto; non ista lux quam facit oriri super bonos et malos. Est alia lux quæ oritur justo; de qua luce non sibi orta, in fine dicent injusti: *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non ortus est nobis* (*Sap.* v, 6). Ecce amando istum solem, in tenebris cordis jacuerunt. Quid profuit oculis videre istum, et mente non videre illum? Tobias [1] cæcus erat, et filium suum viam Dei docebat. Nostis hoc, quia Tobias filium suum admonebat, et dicebat, *Fili, fac eleemosynas, quia eleemosynæ non permittunt ire in tenebras* (*Tob.* iv, 7, 11): et loquebatur ille qui in tenebris erat. Videtis quia est alia lux quæ oritur justo, et rectis corde jucunditas? Oculos non habebat, et filio suo dicebat, *Fac eleemosynas; eleemosynæ non sinunt ire in tenebras:* nec timuit, ne diceret sibi in corde suo filius ipsius, Tu enim eleemosynas non fecisti: quare cæcus mihi loqueris? Ecce eleemosynæ ad tenebras te perduxerunt, et quomodo mihi dicis: *Eleemosynæ non sinunt ire in tenebras?* Quare ille ista cum fiducia dicebat, nisi quia aliam lucem videbat? Filius patri manum tenebat, ut ambularet: sed pater filium viam docebat, ut viveret. Est ergo alia lux, quæ oritur justo: *Lux orta est justo, et rectis corde jucunditas*. Vis illam nosse? Esto rectus corde. Quid est, Esto rectus corde? Noli torto corde esse ad Deum, resistens voluntati ipsius, et volens illum curvare ad te, et non te dirigere ad illum, et senties jucunditatem, quam norunt omnes qui recto sunt corde. *Lux orta est justo, et rectis corde jucunditas.*

19. [*vers.* 12.] *Jucundamini, justi.* Jam forte fideles audientes, *Jucundamini*, convivia meditantur, calices præparant, rosarum tempus exspectant; quia dictum est, *Jucundamini, justi*. Vide quid sequitur: *in Domino. Jucundamini, justi, in Domino*. Exspectas tempus veris, ut jucunderis: Dominum habes jucunditatem, Dominus semper tecum est, non habet tempus; habes illum nocte, habes illum die. Esto rectus corde, et semper est tibi de illo jucunditas. Non enim jucunditas quæ est secundum sæculum, vera jucunditas est. Audi prophetam Isaiam: *Non est gaudere impiis, dicit Dominus* (*Isai.* XLVIII, 22; *et* LVII, 21). Gaudere quod vocant impii, non est gaudere. Quale gaudium noverat qui hoc gaudium improbabat? Credamus illi, fratres. Homo erat, sed ambo gaudia noverat. Utique noverat gaudia calicis, quia homo erat, noverat gaudium mensæ, noverat gaudium lecti, noverat gaudia ista sæcularia et luxuriosa. Ille qui noverat illa, ait præsumens: *Non est gaudere impiis, dicit Dominus.* Sed non dicit homo; *Dominus dicit:* ex veritate Domini [2], *Non est gaudere impiis.* Nam illi sibi videntur gaudere: *Non est* autem *gaudere impiis, dicit*, non homo, sed *Dominus*. Unde ille ipsum gaudium videns, ait: *Et diem hominum non concupivi, tu scis* (*Jerem.* XVI, 16). Qui mihi alium diem ostendis, qui me aliam lucem doces, qui me alia jucunditate perfundis, qui aliud mihi intus insinuas, fecisti me non concupiscere diem hominum. Utique videbat Isaias homines in potatione, in luxuria, in theatris, et spectaculis, totum mundum luxuriari variis nugis; et tamen clamabat, *Non est gaudere impiis, dicit Dominus.* Si hoc non est gaudere, quale gaudium videbat, in cujus comparatione non erat hoc gaudium? Tanquam si tu nosses solem, et alicui laudanti lucernam diceres: Non est ista lux. Quare lux non est? Ille pro magno habet, gaudet, exsultat; et tu dicis: Non est ista lux. Aut si quis simiam miraretur, diceres: Non est ista pulchritudo. Et si forte ille occupatus esset circa compositionem membrorum in illa bestia, et omnes illas congruentias miraretur; tu qui noveras aliam pulchritudinem, negares istam, et diceres: Non est. Quare? Quia aliam nosti. Sed dicis: Ego illam quam videbat Isaias, non video. Crede, et videbis. Forte enim non habes unde videas; est enim oculus unde illa pulchritudo videatur. Nam quomodo est oculus carnis, unde lux ista videatur, sic est oculus cordis, unde illa jucunditas videatur: forte ille oculus saucius est, sordidatus est, turbatus est ab ira, ab avaritia, a cupiditate, a libidine insensata; turbatus est oculus tuus, non potest videre illam lucem. Crede, antequam videas: sanaberis, et videbis. *Lux orta est justo, et rectis corde jucunditas.*

20. *Jucundamini*, ait, *justi in Domino: et confitemini memoriæ sanctitatis ejus.* Jam jucundati in Domino, jam gaudentes in Domino, illi confitemini; quia nisi vellet, non in illo gauderemus. Ait enim ipse Dominus: *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, in mundo autem pressuram* (*Joan.* XVI, 33). Si christiani estis, pressuras in isto mundo sperate; tranquilliora et meliora tempora nolite sperare. Fratres, fallitis vos; quod vobis Evangelium non promittit, nolite vobis promittere. Quid dicat Evangelium, scitis: christianis loquimur; fidei prævaricatores esse non debemus. Evangelium hoc dicit, quia in novissimis temporibus multa mala, multa scandala, multæ pressuræ, multæ iniquitates abundabunt: sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. *Refrigescet*, inquit, *charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 3-13). Qui ergo perseveranter spiritu ferbuerit, secundum Apostolum, qui ait, *Spiritu ferventes* (*Rom.* XII, 11), ejus charitas non refrigescet; quia ipsa charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Id.* v, 5). Nemo sibi ergo promittat quod Evangelium non promittit. Ecce venient lætiora tempora, et facio illud, et emo illud. Bonum est tibi ut attendas illum qui non fallitur [1], nec fefellit aliquem, qui tibi promisit non hic lætitiam, sed in se; et cum transierint ista, speres quia cum illo regnabis in æternum; ne cum hic vis regnare, neque hic habeas jucunditatem, neque illic invenias.

[1] In veteribus libris constanter scribitur, *Tobis*. Apud LXX vero, *Tobit*.

[2] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *Ex veritate Dominus dicit, Non est gaudere*, etc.

[1] Am. et Mss., *fallit*.

IN PSALMUM XCVII
ENARRATIO.
SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] *Cantate Domino canticum novum.* Novus homo novit, vetus non novit. Vetus homo est vetus vita, et novus homo nova vita : vetus vita ex Adam trahitur, nova vita in Christo formatur. Dicitur autem in hoc psalmo universo orbi terrarum ut cantet canticum novum. Nam apertius alibi sic dicitur, *Cantate Domino canticum novum; cantate Domino, omnis terra* (*Psal.* xcv, 1); ut intelligant qui se præcidunt a communione totius orbis terrarum, non se posse cantare canticum novum, quia canticum novum in toto, non in parte cantatur. Et hic attendite et videte hoc dici. Et cum dicitur universo orbi terrarum ut cantet canticum novum, hoc intelligitur, quia pax cantat canticum novum. *Cantate Domino canticum novum; quoniam mirabilia fecit Dominus.* Quæ mirabilia? Ecce modo legebatur Evangelium, et audivimus mirabilia Domini. Efferebatur mortuus unicus matris suæ, quæ erat vidua : misertus Dominus fecit illos stare; deposuerunt illum; et dixit, *Juvenis, tibi dico, surge.* Et sedit ille mortuus, et cœpit loqui, et reddidit illum matri suæ (*Luc.* vii, 12-15). Ecce mirabilia fecit Dominus; sed multo majora mirabilia sunt, quod totum orbem terrarum a morte sempiterna erexit, quam quod unicum filium matris viduæ resuscitavit. *Cantate* ergo *Domino canticum novum ; quoniam mirabilia fecit Dominus.* Quæ mirabilia? Audi : *Sanavit ei dextera ejus et brachium sanctum ejus.* Quod est brachium sanctum Domini? Dominus noster Jesus Christus. Audi Isaiam : *Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est* (*Isai.* liii, 1)? Brachium ergo sanctum et dextera ipsius, idem ipse est. Ergo Dominus noster Jesus Christus brachium Dei, et dextera Dei : propterea, *Sanavit ei.* Non dictum est tantum, Sanavit orbem terrarum dextera ejus; sed, *Sanavit ei.* Multi enim sanantur sibi, non ei. Ecce quam multi cupiunt sanitatem istam corporalem, et ab illo accipiunt; ab illo sanantur, et non illi sanantur? Quomodo ab illo sanantur, et non illi sanantur? Accepta sanitate lasciviunt : qui ægroti casti erant, sanati adulteri fiunt; qui cum ægrotarent, neminem lædebant, receptis viribus invadunt et opprimunt innocentes : sanati sunt, sed non ei. Quis est qui sanatur ei? Qui intus sanatur. Quis est qui intus sanatur? Qui credit in eum ut cum [1] interius fuerit sanatus, in novum hominem reformatus, postea et hoc quod languet ad tempus caro ista mortalis, recipiat in fine et ipsa suam perfectissimam sanitatem. Sanemur ergo ei. Ut autem sanemur ei, credamus in dexteram ejus; quia *sanavit ei dextera ejus et brachium sanctum ejus.*

2. [*vers.* 2.] *Notum fecit Dominus salutare suum.* Ipsa dextera, ipsum brachium, ipsum salutare Dominus noster Jesus Christus, de quo dictum est, *Et videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc.* iii, 6) : de quo etiam dixit ille Simeon qui infantem accepit in manus, « Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace; quoniam viderunt oculi mei salutare tuum (*Id.* ii, 28-30). Notum fecit Dominus salutare suum. » Cui notum fecit? parti, an universo? Non parti alicui. Nemo fallat, nemo decipiat, nemo dicat, *Ecce hic est Christus, ecce illic* (*Matth.* xxiv, 23) : qui dicit, *Ecce hic est, ecce illic*, partes ostendit. Cui *notum fecit Dominus salutare suum?* Audi quid sequitur : *Ante conspectum gentium revelavit justitiam suam.* Dextera Dei, brachium Dei, salutare Dei, et justitia Dei, Dominus est salvator noster Jesus Christus.

3. [*vers.* 3.] « Memor fuit misericordiæ suæ Jacob, et veritatis suæ domui [1] Israel. » Quid est, « Memor fuit misericordiæ et veritatis? » Ut promitteret, misertus est; quia promisit et exhibuit misericordiam, veritas consecuta est : misericordia præmisit promissionem, promissio reddidit veritatem. *Memor fuit misericordiæ suæ Jacob, et veritatis suæ domui Israel.* Et quid? tantum Jacob, et tantum domui Israel? Domus Judæorum et propago illa Abrahæ secundum carnem solet dici domus Israel, et Israel Jacob. Jacob enim filius Isaac, Isaac autem ipse filius Abrahæ. Ergo Jacob nepos Abrahæ fuit; et de Jacob duodecim filii, et de duodecim filiis universa propago Judæorum. Numquid illis tantum promissus est Christus? Si discutias quid sit Israel, Israeli promissus est Christus. Israel est Videns Deum. Videbimus per speciem, si nunc videamus per fidem. Habeat oculos fides nostra, et exhibebitur veritas fidei : credamus in eum quem non videmus, et gaudentes videbimus; desideremus non visum, et fruemur viso. Ergo et modo Israel per fidem; tunc autem Israel per speciem, facie ad faciem. Non jam per speculum, non in ænigmate (I *Cor.* xiii, 12); sed, quemadmodum dictum est a Joanne, « Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus : scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est » (I *Joan.* iii, 2). Ad hanc visionem parate corda vestra, ad hoc gaudium parate animas vestras : quomodo si solem vellet Deus ostendere, moneret ut oculos pararetis carnis; sed quia sapientiæ suæ speciem vobis dignatur ostendere, parate oculos cordis. Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v, 8). *Memor fuit misericordiæ suæ Jacob, et veritatis suæ domui Israel.* Quis est iste Israel? Ne forte unam gentem cogites Judæorum, audi quod sequitur : *Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Non dictum est, omnis terra; sed, *omnes fines terræ :* quomodo dicitur, a termino usque ad terminum. Nemo concidat, nemo dissipet; fortis est unitas Christi. Totum emit, qui tantum pretium dedit : *Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.*

4. [*vers.* 4.] Quia ergo viderunt, *Jubilate Deo, universa terra.* Jam nostis quid sit jubilare. Gaudete et loquimini. Si quod gaudetis loqui non potestis, jubilate: gaudium vestrum exprimat jubilatio, si non potest

[1] Sic Mss. At Edd., *et cum :* paulo post, *reformatur :* et infra, *recipiet.*

[1] Sic plures Mss. At Edd., *domus.*

locutio : non sit tamen mutum gaudium ; cor non taceat Deum suum, non taceat munera ejus. Si tibi loqueris, tibi sanatus es ; si ei te sanavit dextera ejus, ei loquere cui sanatus es. « Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Jubilate Deo, universa terra ; cantate, et exsultate, et psallite.

5. [*vers.* 5.] *Psallite Domino Deo nostro in cithara, in cithara et voce psalmi.* Psallite, non voce sola ; assumite opera, ut non tantum cantetis, sed et operemini. Qui cantat et operatur, psallit in cithara et in psalterio.

6. [*vers.* 6.] Et vide qualia organa adjunguntur [1] in similitudinibus : *In tubis ductilibus et voce tubæ corneæ.* Quid sibi volunt tubæ ductiles et tubæ corneæ? Ductiles tubæ æreæ sunt, tundendo producuntur. Si tundendo, ergo vapulando. Eritis tubæ ductiles, ad laudem Dei productæ, si cum tribulamini proficiatis : tribulatio tunsio, profectus productio est. Tuba ductilis erat Job, quando repente percussus tantis damnis et orbitate filiorum, tunsione illa tantæ tribulationis factus tuba ductilis, sonuit : *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit ita factum est : sit nomen Domini benedictum.* Quomodo sonuit! quam suavem sonum dedit! Ista ductilis tuba adhuc tunditur : datus est in potestatem, ut et caro ejus perculeretur ; percussa est, cœpit putrescere, scatere vermibus. Supposita Eva ad seductionem, uxor ejus servata ad ministerium diaboli, non ad solatium mariti, suggerit blasphemiam ; non obtemperat ille. Obtemperavit Adam Evæ in paradiso (*Gen.* III, 6) ; repellit Adam Evam in stercore. In stercore enim sedebat Job, cum flueret et putresceret vermibus. Melior Job putris in stercore, quam ille integer in paradiso. Sed adhuc illa Eva erat, jam ille Adam non erat. Respondit Evæ præparatæ ad istam supplantationem et tentationem, et ait illi : (Ecce audivimus quomodo tunditur tuba ista. Percussit eum diabolus a capite usque ad pedes gravi vulnere, et putrescens vermibus, sedebat in stercore. Audivimus quemadmodum tunsus est ; audiamus quomodo sonet : tubæ hujus ductilis dulcem vocem, si placet, audiamus.) *Locuta es,* inquit, *tanquam una ex insipientibus mulieribus. Si bona percepimus de manu Domini, mala non sustinebimus* (*Job* I, 11)? O sonum fortem! o sonum dulcem! Quem non dormientem excitet sonus iste? quem non excitet præsumptio in Deo, ut adversus diabolum securus procedat in prælium ; non suis viribus obtenturus, sed illius qui probat? Quia ipse etiam tundit ; non enim faceret malleus [1] de seipso. De illius enim diaboli pœna futura propheta commemorans ait : *Contritus est malleus universæ terræ* (*Jerem.* L, 23). Malleum universæ terræ, diabolum voluit intelligi. De ipso malleo in manu Dei posito, id est in potestate Dei, tunduntur ductiles tubæ, ut resonent laudes Dei. Videte quemadmodum (audeo dicere, fratres mei,) de isto malleo etiam Apostolus tundebatur : *In magnitudine,* inquit, *revelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet.* Ecce tunditur ; videamus quemadmodum sonet : *Propter quod,* inquit, *ter Dominum rogavi, ut auferret eum a me; et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea ; nam virtus in infirmitate perficitur.* Ego tubam, inquit ille fabricator, perficere volo ; non perficiam nisi tundam : *in infirmitate virtus perficitur.* Et audi jam ipsam tubam ductilem bene sonantem : *Quando infirmor, tunc potens sum* (II *Cor.* XII, 7-10). Et ipse Apostolus, tanquam apostolus hærens Christo, hærens illi dexteræ de qua tenetur malleus ut producat tubam, in illa dextera positus facit et ipse de ipso malleo ; dicit de quibusdam, *Quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare* (I *Tim.* I, 20). Tradidit malleo tundendos. Male sonabant antequam producerentur ; forte producti et facti tubæ ductiles, amissa blasphemia, laudes Domini sonuerunt. Hæ sunt tubæ ductiles.

7. Vox tubæ corneæ quid est? Cornu excedit carnem : necesse est ut carnem superando sit firmum ad perdurandum, et capax vocis. Sed unde hoc? Quia carnem superavit. Qui vult esse tuba cornea, superet carnem. Quid est, superet carnem? Transcendat carnales affectus, vincat carnales libidines. Audi tubas corneas : « Si autem resurrexistis cum Christo, » Apostolus dicit, « quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram » (*Coloss.* III, 1 *et* 2). Quid est, « quæ sursum sunt quærite? » Id est, carnem excedite, nolite carnalia cogitare. Nondum erant tubæ corneæ, quibus adhuc ita loquebatur : « Fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam ; neque enim poteratis : sed nec adhuc quidem potestis ; estis enim adhuc carnales. » Ergo non erant tubæ corneæ, quia non excesserant carnem. Cornu et carni hæret, et carnem excedit ; et quanquam de carne oriatur, superat carnem. Si es [1] ergo ex carnali spiritualis ; adhuc carne calcas terram, et spiritu erumpis in cœlum : *In carne enim ambulantes,* inquit, *non secundum carnem militamus* (II *Cor.* X, 3). Nam illud quibus dixit Apostolus, fratres, non prætermittamus. Quid illis ait, unde probaret illos carnales carnalia sapere, et nondum factos tubas corneas? « Cum enim dicit unusquisque vestrum, Ego sum Pauli ; alius, Ego Apollo ; alius autem, Ego Cephæ : nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? Quid est autem Apollo? quid autem Paulus? Ministri Dei, per quos credidistis. Ego plantavi, Apollo rigavit ; sed Deus incrementum dedit » (I *Cor.* I, 12, *et* III, 1-6). Vult illos ergo erigi ab spe quam in homine posuerant, et contingere spiritualia Christi ; ut possent esse tubæ corneæ, si superarent carnem. Fratres, nolite insultare fratribus quos nondum convertit misericordia Dei ; noveritis quia quamdiu hoc facitis, carnem sapitis. Tuba non est illa quæ delectat aures Dei : insultationis tuba infructuosum bellum facit. Tuba cornea te erigat adversus diabolum, non tuba carnea adver-

[1] Sic potiores Mss. Alii, *malleum.* At Edd., *malleos.*

[1] Sic Mss. At Edd., *Fies ergo,* etc. Pauloque post, *erumpes in cœlum.*

sus fratrem tuum. *In tubis ductilibus et voce tubæ corneæ jubilate in conspectu regis Domini*[1].

8 [*Vers.* 7-9.] Et vobis jubilantibus et exsultantibus in tubis ductilibus et in voce tubæ corneæ, quid sequitur? *Commoveatur mare et plenitudo ejus.* Fratres, prædicantibus veritatem Apostolis, tanquam tubis ductilibus et tubis corneis, commotum est mare, surrexerunt fluctus, creverunt tempestates, factæ sunt persecutiones Ecclesiæ. Unde commotum est mare? Cum jubilabatur, cum psallebatur Deo; Dei aures delectabantur, maris fluctus excitabantur. *Commoveatur mare et plenitudo ejus, orbis terræ et omnes habitantes in eo.* Commoveatur mare in persecutionibus. *Flumina plaudent manibus in idipsum.* Moveatur mare, et flumina plaudent manibus in idipsum: fiunt persecutiones, et gaudent sancti in Deum. Unde flumina plaudent manibus? quid est, plaudere manibus? Gaudere operibus. Plaudere, gaudere est; manibus, operibus. Quæ flumina? Quos Deus fecit flumina, dando illis illam aquam Spiritum sanctum. *Si quis sitit*, inquit, *veniat et bibat. Qui credit in me, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus* (*Joan.* VII, 37-39). Ista flumina manibus plaudebant, ista flumina operibus gaudebant, et Deum benedicebant.

9. *Montes exsultabunt a facie Domini*[2], *quoniam venit, quoniam venit judicare terram.* Magni, *montes.* Venit Deus judicare terram, et gaudent. Sunt enim montes, qui venturo Domino judicare terram, contremiscent. Ergo sunt montes boni, sunt montes mali: montes boni, magnitudo spiritualis; montes mali, tumor superbiæ. *Montes exsultabunt a facie Domini, quoniam venit, quoniam venit judicare terram.* Quare veniet, et quomodo veniet? *Quoniam venit judicare terram. Judicabit orbem terræ in justitia, et populos in æquitate.* Gaudeant ergo montes; ille enim non injuste judicabit. Venturo forte aliquo judice homine, cui non potest patere conscientia, contremiscant homines etiam innocentes, si ab ipso exspectant præmium laudis, vel timent pœnam damnationis: quando ille veniet qui falli non potest, gaudeant montes, securi gaudeant; illuminabuntur ab eo, non damnabuntur; gaudeant, quia veniet Dominus judicare orbem terrarum in æquitate; ac si montes justi gaudent, iniqui contremiscant. Sed ecce nondum venit, quid opus est ut tremant? Corrigantur, et gaudeant. In potestate tua est quomodo exspectes venturum Christum. Ideo differt venire, ut cum venerit non te damnet. Ecce nondum venit, ille in cœlo est, tu in terra: ille differt adventum, tu noli differre consilium. Adventus ipsius durus est duris, mitis est piis. Vide ergo modo tu qui sis: si durus, licet tibi mitescere; si mitis, jam gaude venturum. Christianus enim es. Ita, inquis. Credo quod oras, et dicis: *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* VI, 10). Optas ut veniat, quem timeas ne veniat. Corrige te, ut non ores contra te.

[1] Mss. plerique: *Jubilate Domino in conspectu regis Domini*; et quidam: *Jubilate Deo in conspectu regis Domino.* Apud LXX legitur: *Jubilate in conspectu regis Domino.*

[2] Mss., *a facie Dei.*

IN PSALMUM XCVIII
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. Fratres, notum esse jam debet Charitati vestræ, tanquam filiis Ecclesiæ, et eruditis in schola Christi per omnes Litteras antiquorum patrum nostrorum, qui scripserunt verba Dei, et magnalia Dei, nobis eos consulere voluisse, qui futuri eramus hoc tempore jam credentes in Christum; qui opportuno tempore venit ad nos, primo humilis, postea venturus excelsus. Primo enim venit ante judicem staturus: postea venturus est judex sessurus, ut ante illum stet pro merito suo genus humanum. Præcesserunt autem illum multi præcones, tanquam judicem magnum, et hunc adhuc in humilitate venturum. Multi præcones præcesserunt adhuc nasciturum de virgine Maria, futurum infantem, et sucturum[1] lac; futurum parvulum, Verbum Dei per quod facta sunt omnia, præcesserunt multi præcones, et dixerunt futura ista tempora: sed ita dixerunt, ut quibusdam figuris rerum tegerent sententias suas, ipsumque velamen quo tecta est veritas in Libris antiquorum, tunc tolleretur, quando jam ipsa veritas de terra oriretur. Sic enim dicitur in psalmo: *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit* (*Psal.* LXXXIV, 12). Modo ergo tota intentio nostra est, quando Psalmum audimus, quando Prophetam, quando Legem, quæ omnia antequam veniret in carne Dominus noster Jesus Christus, conscripta sunt, Christum ibi videre, Christum ibi intelligere. Intendat ergo nobiscum Charitas vestra ad istum psalmum, et quæramus hic Christum: utique apparebit quærentibus, qui primo apparuit non quærentibus; et non deseret desiderantes se, qui redemit negligentes se. Ecce de illo cœpit Psalmus, de illo dicitur:

2. [*Vers.* 1.] *Dominus regnavit, irascantur populi.* Cœpit enim regnare Dominus noster Jesus Christus, cœpit prædicari, postquam resurrexit a mortuis et ascendit in cœlum, posteaquam implevit discipulos suos fiducia Spiritus sancti, ut non timerent mortem, quam ille jam occiderat in se. Cœpit ergo prædicari Dominus Christus, ut in illum crederent qui salutem habere vellent; et irati sunt populi qui idola colebant. Irascebantur qui colebant quod fecerant, quia annuntiabatur ille a quo facti sunt. Utique ille annuntiabat per discipulos suos seipsum, qui illos volebat converti ad eum a quo facti erant, et averti ab eis quæ ipsi fecerant. Illi pro idolo suo irascebantur Domino suo, qui si pro idolo suo irascerentur servo suo, damnandi erant. Melior enim servus eorum, quam idolum eorum: servum enim eorum Deus fecit, idolum eorum faber fecit. Sic irascebantur pro idolo suo, ut irasci non timerent Domino suo. Sed *irascantur*, prædictum est, non jussum; in prophetia enim dicitur, *Dominus regnavit, irascantur populi.* Est quod fiat et de populis irascentibus: illi irascantur, et in ira

[1] Sic Mss. Edd. vero, *sugiturum.*

(*Quarante.*)

ipsorum martyres coronentur. Quid fecerunt annuntiatoribus verbi veritatis, nubibus Christi circumeuntibus orbem terrarum et compluentibus agrum Dei? Quid illis fecerunt qui irascebantur, nisi ut inter manus eorum caro affligeretur, et in manibus Christi spiritus coronaretur? Nec ipsa caro quam persecutores occidere potuerunt, ita mortua est ut in æternum interiret: habebit enim tempus suum quo resurgat et ipsa; quia resurrectionem carnis jam ostendit Dominus in seipso. Inde illam voluit a nobis accipere, ut de nostra possemus non desperare. Ergo, fratres, caro servorum quam occiderunt cultores idolorum, resurget in tempore suo: idola quæ fregit Christus, nunquam iterum faciet faber. Audistis, cum Jeremias legeretur ante apostolicam lectionem, si aurem apposuistis; vidistis ibi tempora præsentia quæ nunc agimus. Dixit enim: *Dii qui cælum et terram non fecerunt, pereant de terra et de sub cælo* (*Jerem.* x, 11). Non dixit, Dii qui cœlum et terram non fecerunt, pereant de cœlo et de terra; quia nunquam fuerunt in cœlo: sed quid dixit? *Dii qui cælum et terram non fecerunt, pereant de terra.* Quasi respondit ad terram, et defuit quod responderet de cœlo, quia illi non fuerunt in cœlo: ipsam terram bis dixit, quia ipsa est sub cœlo. *Pereant de terra et de sub cælo*, de templis suis. Videte si non fit, si non ex magna parte jam factum est: quid enim remansit, aut quantum remansit? Magis remanserunt idola in cordibus Paganorum, quam in locis templorum.

3. Ergo, *Dominus regnavit, irascantur populi. Qui sedet super Cherubim:* subaudis, *regnavit. Commoveatur terra.* Iterum dixit, *Irascantur populi.* Quod enim dixit, *Dominus;* hoc repetivit, *Qui sedet super Cherubim:* et quod dixit, *regnavit*, subaudiri fecit in alio versu: et quod ait, *Irascantur populi;* hoc dixit, *Commoveatur terra.* Quid sunt enim populi, nisi terra? Quantum potest irascatur terra ei qui jam sedet in cœlo. Fuit enim Dominus et in terra, et assumpsit terram in qua esset in terra. Induit se carnem, et prior voluit pati irascentes populos. Ne iram populorum timerent servi ejus, prior illam pati voluit: et quia necessaria erat ira populorum servis ejus, ut a peccatis suis omnibus per ipsas tribulationes curarentur, et sanarentur; amarum poculum prior medicus bibit, ne bibere timeret ægrotus. Ergo, *Dominus regnavit, irascantur populi:* irascantur populi, quia de ira ipsorum multa bona facit Deus. Illi irascuntur, et servi Dei purgantur; quia exercentur, coronantur. *Irascantur populi. Qui sedet super Cherubim* regnavit; *commoveatur terra.* Cherubim sedes Dei est, sicut Scripturæ tradunt, cœlestis quædam sedes sublimis, quam nos non videmus; sed verbum Dei novit illam, novit tanquam sedem suam, et ipsum Verbum Dei et Spiritus Dei dixit servis Dei ubi sedeat Deus. Non quia sic sedet Deus, quomodo homo: sed tu si vis ut sedeat in te Deus, si bonus eris, sedes Dei eris; sic enim scriptum est, *Sedes sapientiæ, anima justi.* Thronus enim, latine sedes dicitur. Nam et ipsum Cherubim interpretati sunt quidam quid diceretur latine, qui noverunt linguam illam hebræam; quia hebræa lingua dictum est Cherubim; et dixerunt esse Cherubim Plenitudinem scientiæ. Ergo quia superat Deus omnem scientiam, super plenitudinem scientiæ sedere dicitur. Sit in te ergo plenitudo scientiæ, et eris et tu sedes Dei. Sed forte dicturus es: Et quando in me erit plenitudo scientiæ? et quis potest ad tantum culmen [1] pervenire, ut sit in illo plenitudo scientiæ? Putas hoc velle Deum, ut sit in nobis ista plenitudo scientiæ, ut noverimus aut quot sint stellæ, aut quot sint grana, non dico arenæ, sed tritici, aut quot poma pendeant in arbore? Ille novit omnia; quia capilli nostri numerati sunt Deo (*Matth.* x, 30). Sed alia est plenitudo scientiæ quam voluit hominem nosse; ad legem Dei pertinet scientia quam te voluit habere. Et quis potest, forte dicas mihi, perfecte nosse Legem, ut habeat in se plenitudinem scientiæ Legis, et possit esse sedes Dei? Noli turbari; breviter tibi dicitur quid habeas, si vis habere plenitudinem scientiæ, et esse sedes Dei: ait enim Apostolus, *Plenitudo autem Legis charitas* (*Rom.* XIII, 10). Quid ergo est? Perdidisti totam excusationem. Interroga cor tuum, vide utrum habeat charitatem. Si est ibi charitas, est ibi plenitudo Legis; jam in te habitat Deus, sedes Dei factus es. *Irascantur populi;* quid facient irascentes populi ei qui factus est sedes Dei? Qui contra te sæviant, attendis; qui in te sedeat, non attendis. Cœlum factus es, et terram times? Dicit enim alio loco Scriptura Dominum Deum nostrum dicere, *Cælum mihi sedes est* (*Isa.* LXVI, 1). Si ergo et tu habendo plenitudinem scientiæ, et habendo charitatem, utique sedes Dei factus es, cœlum factus es. Non enim hoc cœlum oculis his nostris quod suspicimus, valde pretiosum est Deo. Cœlum Dei, animæ sanctæ sunt; cœlum Dei, mentes Angelorum sunt, et omnes mentes servorum ejus. Ergo *irascantur populi, commoveatur terra;* quid facturi, aut quid factura sedi Dei, et cœlo ubi sedet Deus?

4. [*vers.* 2.] *Dominus in Sion magnus, et excelsus est super omnes populos.* Dominus in Sion magnus et excelsus est. Ecce, si obscurum tibi erat, quia dictum est, *Qui sedet super Cherubim*, nesciebas quid est Cherubim; et forte tibi figurabas animo quamdam cathedram cœlestem, ingentem, gemmatam, et ipsam dicebas Cherubim, carnali sensu volitans per phantasmata: dictum est tibi quia Cherubim plenitudo scientiæ est; et dictum est quia plenitudo scientiæ, non cujuslibet scientiæ, sed plenitudo scientiæ Legis utilis est homini; et ne desperares de ipsa scientia Legis, breviter tibi dictum est, *Plenitudo Legis charitas.* Habeto ergo charitatem in Deum et in proximum, et eris sedes Dei; pertinebis ad Cherubim. Sed si adhuc non intelligis, audi quid sequatur: *Dominus in Sion magnus.* Quem tibi dixi super Cherubim, in Sion magnus est. Jam quære quid est Sion? Sion novimus civitatem Dei esse. Sion dicta est civitas quæ est Jerusalem; dicta autem ex interpretatione quadam nomen

[1] vox, *culmen*, abest a Mss. et loco, *ad tantum*, quidam habent, *ad tuntum.*

accipiens, quia Sion Speculatio dicitur, id est visio et contemplatio. Speculari enim prospicere est, vel conspicere, vel intendere ut videas. Est autem Sion omnis anima, si intendit videre lucem quæ videnda est [1]. Nam si ad suam attenderit, tenebratur: si ad lucem illius attenderit, illuminatur. Quia tamen manifestum est Sion civitatem Dei esse; quæ est civitas Dei, nisi sancta Ecclesia? Homines enim amantes se invicem, et amantes Deum suum qui in illis habitat, faciunt civitatem Deo. Quia lege quadam civitas continetur; lex ipsa eorum, charitas est; et ipsa charitas, Deus est: aperte enim scriptum est, *Deus charitas est* (I *Joan.* IV, 8). Qui ergo plenus est charitate, plenus est Deo; et multi pleni charitate, civitatem faciunt Deo. Ista civitas Dei vocatur Sion: ergo Ecclesia est Sion. In illa est magnus Deus. In illa esto, et non erit præter te Deus. Cum autem fuerit in te Deus, quia tu factus es de Sion, membrum de Sion, civis de Sion, pertinens ad societatem populi Dei; excelsus in te erit Deus super omnes populos, super illos qui irascuntur, aut super illos qui irascebantur. Putatis enim quia tunc irascebantur, et modo non irascuntur? Irascebantur tunc: sed quia plures erant, aperte irascebantur; modo quia pauci facti sunt, occulte irascuntur. Interim fracta est audacia; finietur et iracundia.

5. Putatis enim, fratres, quia illi quorum hesterno die organa concrepabant, non irascuntur de jejuniis nostris? Non autem eis irascamur, sed pro eis jejunemus. Dixit enim nobis Dominus Deus noster qui sedet in nobis, ipse nobis mandavit ut oremus pro inimicis nostris, oremus pro persequentibus nos (*Matth.* V, 44): et cum hoc facit Ecclesia, prope finiti sunt persecutores. Exaudita est enim cum hoc faceret, et exauditur cum hoc facit: prævalebant malo suo, finiti sunt bono suo. Quomodo enim finiti sunt, vultis nosse? Manducati sunt ab Ecclesia. Quæris illos in se, et non invenis; quære in ea quæ illos manducavit, et in visceribus ejus inveniuntur. Transeuntes enim ad Ecclesiam, christiani facti sunt; perierunt persecutores, creverunt prædicatores. Ideo per dies festos ipsorum, quia videmus eos qui reliqui facti sunt, insanire adhuc in voluptatibus [2] suis malis et perversis, rogamus pro illis Deum, ut qui delectabiliter audiunt organum, delectabilius audiant vocem Dei. Non enim quod sonat sine ratione delectat aurem, et verbum Dei non delectat cor. Sed ideo pro illis oramus, quando diebus illorum festis non jejunamus, ut fiant sibi ipsi spectaculum. Quando enim viderint se, displicebunt sibi; sed ideo non sibi displicent, quia non se attendunt. Ebrius non sibi displicet, sed sobrio displicet. Da hominem qui jam jucundatur in Deo, vivit graviter, suspirat in illam pacem æternam quam illi promisit Deus; et vide quia quando respexerit hominem saltantem ad organum, plus illum dolet insanientem, quam phreneticum febrientem. Ergo si novimus mala illorum, quia de ipsis malis et nos liberati sumus, doleamus illos; et si dolemus illos, oremus pro illis; et ut exaudiamur, jejunemus pro illis. Non enim nos nostra jejunia celebramus per dies festos illorum. Alia sunt jejunia nostra quæ celebramus per dies Paschæ futuros, per alia atque alia quæ solemnia nobis sunt in Christo: per istos autem dies ad hoc jejunamus, ut quando ipsi lætantur, nos pro illis gemamus. Lætitia enim sua admonent [1] dolorem nostrum, et faciunt nos recordari quam miseri sint adhuc. Sed quia videmus multos inde liberatos, ubi et nos fuimus, nec de illis desperare debemus. Et si adhuc irascuntur, nos oremus; et si adhuc commovetur particula terræ quæ remansit, nos permaneamus in gemitu pro ipsis, ut et illis Deus tribuat intellectum, et nobiscum audiant voces istas, de quibus modo gaudemus. *Dominus in Sion magnus, et excelsus est super omnes populos.*

6. [*vers.* 3, 4.] *Confiteantur nomini tuo magno.* Ipsi omnes populi, super quos magnus es in Sion, jam *confiteantur nomini tuo magno.* Parvum fuit nomen tuum, quando irascebantur: factum est magnum; jam confiteantur. Quomodo dicimus parvum fuisse nomen Christi, antequam præclare diffamaretur Christus? Quia nomen ipsius fama ipsius dicitur. Parvum nomen erat; jam modo nomen magnum factum est. Quæ gens est quæ non audivit nomen Christi? Jam ergo magno nomini tuo confiteantur populi qui ante parvo nomini tuo irascebantur: *Confiteantur nomini tuo magno.* Quare confiteantur? *Quoniam terribile et sanctum est.* Ipsum nomen tuum terribile et sanctum est. Sic prædicatur crucifixus, sic prædicatur humiliatus, sic prædicatur judicatus, ut veniat et excelsus, veniat vivus, in virtute veniat judicaturus. Modo parcit populis blasphemantibus, quia patientia Dei ad pœnitentiam adducit (*Rom.* II, 4). Non enim qui modo parcit, semper habet parcere; aut qui modo prædicatur ut timeatur, non est venturus ut judicet. Venturus est, fratres mei, venturus est: timeamus illum, et sic vivamus, ut ad dexteram illius inveniamur. Venturus est enim, et judicaturus, ut alios ponat ad sinistram, alios ad dexteram (Matth. XXV, 31-33). Et non illud facit ipse quomodocumque, ut erret forte in hominibus, ut qui ad dexteram ponendus est, ad sinistram ponatur; aut qui ad sinistram debet stare, errante Deo ad dexteram ponatur: non potest errare, ut ibi ponat malum, ubi ponere debet bonum; nec ibi ponet bonum, ubi debet ponere malum. Si errare non potest, nos erramus, si non timemus; si aut ni timuerimus modo, tunc quod timeamus non habebimus. *Quoniam terribile et sanctum est; et honor regis judicium diligit.* Sic ergo timeant eum populi, ut corrigant se: non quasi multum præsumentes de misericordia ipsius, dimittant se, et male vivant; diligit enim misericordiam, sed diligit et judicium. Quæ est misericordia? Ut modo prædicet tibi veritatem, ut modo clamet ad te ut convertaris. Parva misericordia est, quia vixisti in malis factis, et adhuc non te tulit cum peccares, ut credenti ignosceret peccata tua? parva misericordia est? Putas quia sic semper erit

[1] Veteres Mss., *videre quod videndum est.*
[2] Sic Mss. At Edd., *voluntatibus.*

[1] Duo Mss., *movent.*

misericordia, ut neminem puniat? Noli sic putare [1]. Terribile et sanctum nomen ejus; *et honor regis judicium diligit.* Injustum est enim judicium, et omnino non est judicium, nisi merita reddantur sua cuique, quemadmodum quisque gessit in corpore, sive bonum, sive malum (II *Cor.* v, 10) : *et honor regis judicium diligit.* Ergo timeamus, ergo faciamus justitiam, ergo faciamus æquitatem.

7. Sed quis facit æquitatem? quis facit justitiam? Homo peccator, homo iniquus, homo perversus, homo aversus a luce veritatis? Quid debet facere homo? Convertere se tantum ad Deum, ut ipse in illo formet æquitatem, quam ipse formare non potest, sed deformare. Idoneus est homo ad vulnerandum se; numquid idoneus est ad sanandum se? Quando vult ægrotat, non quando vult surgit. Si vult, vivat intemperanter vel in frigore vel in calore; eo die ægrotat, quo voluerit : cum autem vivendo intemperanter cœperit ægrotare, surgat quando vult; qui jacuit quando voluit, surgat, si potest, quando vult. Ut jaceret ægrotus, intemperantiam suam habuit necessariam : ut surgat autem, necessariam habet artificis medicinam. Sic ergo ut peccet homo, ipse sibi sufficit ad peccandum : ut justificetur, non sibi sufficit, nisi ab illo justificetur, qui solus est justus. Ut ergo illi se homines dent formandos ad justitiam, cum terruisset populos psalmus iste, et dixisset, *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile et sanctum est; et honor regis judicium diligit;* veluti quærentes jam populos territos [2] quomodo justi vivere debeant, quia in seipsis non possunt habere justitiam, commendavit illis et plasmatorem justitiæ illorum, et secutus ait : *Tu parasti æquitatem; judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.* Debemus enim et nos habere judicium, debemus habere justitiam; sed ille in nobis facit judicium et justitiam, qui nos fecit in quibus faceret. Quomodo et nos debemus habere judicium et justitiam? Judicium habes, quando discernis malum a bono; justitiam autem, quando sequeris bonum, et declinas a malo. Discernendo, judicium habes; faciendo, justitiam habes. *Declina a malo,* ait, *et fac bonum; quære pacem, et sequere eam* (*Psal.* xxxiii, 15). Primo debes habere judicium, et postea justitiam. Quod judicium? Ut primo judices quid sit malum, et quid sit bonum. Et quam justitiam? Declines a malo, et facias bonum. Hoc autem non a te habebis; quia vide quid dixit : *Judicium et justitiam in Jacob tu fecisti.*

8. [*vers.* 5.] *Exaltate Dominum Deum nostrum.* Vere exaltate, bene exaltate. Laudemus illum, exaltemus illum qui fecit ipsam justitiam quam habemus; ipse in nobis fecit. Quis enim in nobis fecit justitiam, nisi qui nos justificavit? De Christo autem dictum est, *Qui justificat impium* (*Rom.* iv, 5). Nos ergo impii, ille justificator, quando et ipsam justitiam ipse in nobis fecit qua illi placeamus, ut ad dexteram nos ponat, et non ad sinistram : ut dicat ad dexteram positis, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi;* non autem ponat ad sinistram, inter eos quibus dicturus est, *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 34, 41). Qui in nobis coronaturus est non merita nostra, sed dona sua, quantum debet exaltari? *Exaltate Dominum Deum nostrum.*

9. *Et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctus est* [1]. Quid habemus adorare? *Scabellum pedum ejus.* Suppedaneum dicitur scabellum. Quod dicunt Græci ὑποπόδιον, dixerunt Latini *scabellum;* et alii dixerunt, *suppedaneum.* Sed videte, fratres, quid nos jubeat adorare. Alio loco Scripturarum dicitur : *Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum* (*Isai.* lxvi, 1). Ergo terram nos jubet adorare, quia dixit alio loco quod sit scabellum pedum Dei? Et quomodo adorabimus terram, cum dicat aperte Scriptura : *Dominum Deum tuum adorabis* (*Deut.* vi, 13)? Et hic dicit, *Adorate scabellum pedum ejus;* exponens autem mihi quod sit scabellum pedum ejus, dicit, *Terra autem scabellum pedum meorum.* Anceps factus sum : timeo adorare terram, ne damnet me qui fecit cœlum et terram; rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit, *Adorate scabellum pedum ejus.* Quæro quod sit scabellum pedum ejus; et dicit mihi Scriptura : *Terra scabellum pedum meorum.* Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic; et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram; quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit : inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Numquid autem caro vivificat? Ipse Dominus dixit, cum de ipsa commendatione ejusdem terræ loqueretur : *Spiritus est qui vivificat; caro autem nihil prodest.* Ideo et ad terram quamlibet cum te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum Sanctum cujus pedum scabellum est quod adoras; propter ipsum enim adoras : ideo et hic subjecit, *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctus est.* Quis sanctus est? In cujus honore adoras scabellum pedum ejus. Et cum adoras illum, ne cogitatione remaneas in carne, et a spiritu non vivificeris : *Spiritus est enim,* inquit, *qui vivificat; caro autem nihil prodest.* Tunc autem, quando hoc Dominus commendavit, de carne sua locutus erat, et dixerat : *Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit in se vitam æternam.* Scandalizati sunt discipuli ejus quidam, septuaginta ferme, et dixerunt : *Durus est hic sermo; quis potest eum intelligere?* Et recesserunt ab eo, et amplius cum eo non ambulaverunt. Durum illis visum est quod ait, *Nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vi-*

[1] Ex Er. Ven. et Lov. restituimus, *putare*, quod in B. supplendum in margine dicitur. M.
[2] Tres Mss., *terruit.*

[1] Edd., *sanctum est.* At melioris notæ Mss. juxta LXX, *sanctus est.*

tam æternam : acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitaverunt, et putaverunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, et daturus illis, et dixerunt, *Durus est hic sermo.* Ipsi erant duri, non sermo. Etenim si duri non essent, sed mites essent, dicerent sibi : Non sine causa dicit hoc, nisi quia est ibi aliquod sacramentum latens. Manerent cum illo lenes, non duri; et discerent ab illo, quod, illis discedentibus, qui remanserunt, didicerunt. Nam cum remansissent cum illo discipuli duodecim, illis recedentibus, suggesserunt illi, tanquam dolentes illorum mortem, quod scandalizati sunt in verbo ejus et recesserunt. Ille autem instruxit eos, et ait illis, *Spiritus est qui vivificat; caro autem nihil prodest : verba quæ locutus sum vobis, spiritus est et vita* (*Joan.* VI, 54-64). Spiritualiter intelligite quod locutus sum : non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis; et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi; spiritualiter intellectum vivificabit vos. Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi. *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctus est.*

10. [*vers.* 6-8.] *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel in his qui invocant nomen ejus. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos; in columna nubis loquebatur ad eos.* Isti antiqui Moyses et Aaron et Samuel, servi Dei, magni apud antiquos. Nostis quia Moyses eduxit in virtute Dei populum Israel ex Ægypto per Rubrum mare; et duxit in eremo; et quanta mirabilia fecerit illo tempore Deus per manum Moysi, noverunt omnes qui istas Scripturas libenter audiunt in Ecclesia, vel apud se legunt, vel quoquo modo didicerunt. Aaron frater ipsius fuit, quem ordinavit etiam sacerdotem. Et ibi quidem non videtur sacerdos esse, nisi Aaron. Aperte enim in illis Litteris Aaron nominatur sacerdos Dei (*Exod.* XXVIII, 1, *etc.*) : de Moyse non ibi dicitur quod sacerdos erat. Sed si hoc non erat, quid erat? numquid major sacerdote esse poterat? Exprimit [1] psalmus iste quia et ipse sacerdos erat : *Moyses, et Aaron in sacerdotibus ejus.* Ergo erant illi Domini sacerdotes. Samuel postea jam in libro Regnorum legitur : iste est Samuel temporibus David; nam ipse unxit sanctum David. Samuel ab initio ætatis suæ in templo crevit. Mater ejus sterilis fuit : volens habere filium, oravit ad Dominum cum gemitu magno, et petens ut daret ei Deus filium, ostendit quia non carnaliter habere voluit, quem natum illi dedit, qui eum esse voluit. Vovit enim eum Domino Deo, et ait, *Si mihi masculus natus fuerit, templo tuo serviet :* et ita fecit. Natus sanctus Samuel fuit apud matrem tempore lactis; mox ut eum ablactavit, dedit in templum, ut ibi cresceret, ibi roboraretur [2] in spiritu, ibi Deo serviret : factus est sacerdos magnus, sacerdos sanctus illo tempore (I *Reg.* I, *etc.*). Commemorat istos, et per istos omnes sanctos nos vult intelligere. Quare autem hic illos nominavit? Quoniam diximus Christum hic nos debere intelligere. Advertat Sanctitas vestra. Dixit superius, *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctus est :* commendans quemdam, id est Dominum nostrum Jesum Christum, cujus scabellum pedum adorandum est, quia carnem assumpsit, in qua appareret generi humano; et volens nobis ostendere et antiquos patres ipsum prædicasse, quia ipse est verus sacerdos Dominus noster Jesus Christus, commemoravit istos, quia in columna nubis ad illos loquebatur Deus. Quid est, *in columna nubis?* Loquebatur per figuras. Si enim in quadam nubecula loquebatur; obscura illa dicta nescio quem manifestum præsignabant. Ille autem nescio quis, jam non est nescio quis; quia scitur a nobis, Dominus noster Jesus Christus. « Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel in his qui invocant nomen ejus. Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos; in columna nubis loquebatur ad eos. » Qui primo loquebatur in columna nubis, ipse nobis locutus est in scabello pedum suorum; id est, in terra assumpta carne, unde adoramus scabellum pedum ejus, quoniam sanctus est. Ipse de nube loquebatur quod tunc non intelligebatur; locutus est in scabello pedum suorum, et intellecta sunt verba nubis ejus. *In columna nubis loquebatur ad eos.*

11. Attendamus ergo, fratres : videte quos et quales sanctos nominaverit. « Custodiebant testimonia ejus, et præcepta ejus quæ dedit eis. » Custodiebant certe, intendite. « Custodiebant testimonia ejus, et præcepta ejus quæ dedit eis. » Hoc dicit, et negari non potest. Nihilne habebant peccati? Quomodo? Quando custodiebant præcepta ejus, custodiebant testimonia ejus. Videte quales nos velit formari, ne quasi de perfecta justitia præsumamus. Ecce Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel in his qui invocant nomen ejus, ad quos de columna nubis loquebatur, tam aperte illos exaudiebat, qui custodiebant testimonia et præcepta ejus quæ dedit eis. *Domine*, inquit, *Deus noster, tu exaudisti eos; Deus, tu propitius fuisti illis.* Propitius non dicitur Deus, nisi peccatis : quando dat veniam, tunc dicitur propitius. Et quid habebat in istis quod vindicaret, ut esset propitius ignoscendo? Propitius erat donando peccata, propitius erat et vindicando. Quid enim sequitur? *Tu propitius fuisti illis, et vindicans in omnes affectiones eorum.* Etiam vindicans propitius fuisti : non solum donans peccata, sed etiam vindicans propitius fuisti. Videte, fratres mei, quid hic commendavit; advertite. Illi Deus irascitur, quem peccantem non flagellat : nam cui vere propitius est, non solum donat peccata, ne noceant ad futurum sæculum; sed etiam castigat, ne semper peccare delectet.

12. Agite, fratres; quomodo in illis vindicatum est si quæramus, aderit Dominus ut dicam. Quæra-

[1] Am. Er. et quatuor MSS., *exproprtat :* quod verbum jam in MSS. et apud Am. occurrit nobis super Psalmum 73, n. 5, supra, col. 934, in not. [1].
[2] Aliquot MSS., *probaretur.*

mus enim tres istas personas, Moysen, et Aaron, et Samuelem, et quomodo in eis vindicatum sit, quia dixit, *Vindicans in omnes affectiones eorum:* utique eas affectiones dicens eorum, quas Dominus noverat in cordibus illorum, quas homines non noverant. Etenim sine querela hominum versabantur in medio plebis Dei. Sed quid dicimus? quia Moyses habuit primam vitam fortasse peccatricem? Nam et percusso homine, fugit de Ægypto (*Exod.* II, 12, 15). Habuit et Aaron primam vitam quæ displiceret Deo. Nam ipse insanienti populo et furenti idolum permisit ut fieret, et factum est populo Dei idolum quod adoraret (*Id.* XXXII, 1-4). Samuel quid fecit, infans ad templum datus? Omnes ætates suas inter sancta sacramenta Dei peregit, ab ineunte ætate famulus Dei. Nihil unquam dictum est de Samuele, nihil ab hominibus. Noverat ibi forte Deus aliquid quod purgaret; quia et quod perfectum jam videtur hominibus, illi perfectioni adhuc imperfectum est. Pleraque faciunt artifices, et ostendunt imperitis; et cum jam judicaverint imperiti esse perfecta, expoliunt illa artifices, qui noverunt adhuc quid illis desit, ut mirentur homines tantam expolitionem rebus accidisse, quas jam perfectas pronuntiaverant. Fit hoc et in ædificiis, et in picturis, et in vestibus, et prope in omni genere artium. Primo judicant illud jam quasi perfectum esse, ut oculi eorum amplius nihil desiderent: sed aliud judicat oculus imperitus, aliud judicat artis regula. Sic et illi sancti versabantur ante oculos Dei, tanquam sine culpa, tanquam perfecti, tanquam angeli: noverat autem quid illis deesset, qui vindicabat in omnes affectiones eorum. Vindicabat autem non irascens, sed propitius: ad hoc vindicabat ut perficeret cœptum, non ut damnaret ejectum [1]. Vindicans ergo in omnes affectiones eorum erat Deus. Quomodo vindicavit in Samuelem? ubi est vindicta ipsa? Hoc dico, ut noverint Christiani, qui jam hic cognoverunt Christum, ad quos venit in scabello pedum suorum, quos ita dilexit, pro quibus sanguinem fudit; noverint quomodo vapulent, cum multum profecerint. Quærimus vindictam in Moyse; prope nullam habet, nisi quod ad extremum ait illi Deus: *Ascende in montem, et morere.* Ait seni, *Morere:* jam peregerat ætates suas: numquid nunquam erat moriturus? Qualis illa vindicta? Ostendit ibi vindictam suam, ut diceret, *Non intrabis in terram promissionis* (*Deut.* XXXII, 49, 52), quo intraturus erat populus? Quamdam figuram quorumdam gerebat Moyses. Nam qui in regnum cœlorum intravit, magna illi pœna erat ad terram illam non venire, quæ ad tempus erat promissa, ut umbram ostenderet et transiret? Nonne multi perfidi intrarunt in illam terram? nonne in illa terra viventes multa mala fecerunt, et Deum offenderunt? nonne et idololatriam secuti sunt in ipsa terra? Magnum erat non dedisse terram istam Moysi? Sed Moysen voluit gestare figuram eorum qui sub Lege erant, quia per Moysen data est Lex: et ostendit eos qui sub Lege esse vellent, et sub gratia esse nollent, non intraturos in terram promissionis. Ergo illud quod dictum est Moysi, figura erat, non pœna. Seni mors quæ pœna? Non intrare in illam terram quæ pœna, quo intraverunt indigni? De Aaron autem quid dictum est? Mortuus est et ipse senex, filii sui successerunt ei in sacerdotio; filius ejus postea sacerdotium administravit (*Num.* XX, 24-28; *et* XXXIII, 38): quomodo et in istum vindicavit? Samuel et ipse sanctus senex mortuus est, relictis filiis successoribus suis (I *Reg.* VIII, 1; *et* XXV, 1). Quid est quod in illos vindicatum est quæro, et secundum homines non invenio: secundum autem quod scio pati servos Dei, quotidie in illos vindicabatur. Legite, et videte vindictas, et qui proficitis ferte vindictas. Quotidie [1] patiebantur populos contradicentes, quotidie patiebantur inique viventes; et inter illos vivere cogebantur, quorum vitam quotidie reprehendebant. Hæc erat vindicta. Nondum proficit, cui parva est. Tantum te enim torquet injustitia aliena, quantum recesseris a tua. Cum enim fueris frumentum, id est herba bona de semine bono, filius regni, cum cœperis fructum dare, tunc tibi apparebunt zizania: *cum enim crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania.* Cum cœperint apparere zizania, videbis te inter malos. Velle habes quasi separare a te malos, et separare ab Ecclesia omnes malos; respondebit tibi Domini sententia: *Sinite utraque crescere usque ad messem, ne forte cum vultis eradicare zizania, eradicetis simul et triticum* (*Matth.* XIII, 26-29). Ex sententia Domini necesse erit parcere zizaniis, ex conditione servi necesse erit vivere inter zizania: separare ea non potes, tolerare tibi necesse est. Vide quantas plagas in corde patiaris, qui corpore integro inter malos versaris. Probabitis quicumque profeceritis, probatis qui jam profecistis. Toleranda sunt ergo ista; et forte hoc pertinet ad illud: *Servus qui novit voluntatem domini sui, et non* [2] *facit digna, plagis vapulabit multis* (*Luc.* XII, 47, 48). In multis enim quantum nobis innotescit voluntas Dei, etiam reatus noster innotescit nobis; et quanto ille nobis innotescit, tanto plus imus in fletus et lacrymas. Videmus enim quam sit justum quod de nobis exigat Deus, in quanta adhuc imperfectione jaceamus; et fit in nobis quod dictum est: *Qui apponit scientiam, apponit dolorem* (*Eccle.* I, 18). Ecce abundet in te charitas, plus dolebis peccantem. Quanto in te major charitas est, tanto amplius te torquebit quem toleras: non torquebit tanquam irascentem illi, sed tanquam dolentem pro illo.

13. Vide Paulum apostolum, quid patiebatur; vide [3] quis quid patiebatur: *Præter illa,* inquit, *quæ extrinsecus sunt* (dixit enim multa quæ patiebatur, et cœpit dicere interiora, præter illa quæ extrinsecus erant,

[1] Reg. Ms., *electum.*

[1] Sic Mss. At Edd., *sed qui proficitis. Forte vindictas quotidie,* etc.

[2] Remig. Ms. caret particula, *non:* sed eam hic habent cæteri libri, etiam editi; jamque aliis locis eamdem sententiam ita nobis exhibuerunt Mss.

[3] Sic Reg. Ms. At Edd., *vidit.*

quæ patiebatur a malis persecutoribus Christi), *incursus in me quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum*. Et vide qualis sollicitudo, quam paterna, quam materna; videte quomodo cædebatur, ut vindicaretur in omnes affectiones ejus : dicemus et affectiones ejus, in quas vindicabat Deus. *Quis infirmatur*, inquit, *et non ego infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* XI, 28, 29)? Quanto major charitas, tanto majores plagæ de peccatis alienis. Acceperat quidem ille et stimulum carnis, angelum satanæ, a quo colaphizaretur. Ecce quomodo propitius erat Deus, vindicans in omnes affectiones ejus. Quæ sunt affectiones in quas sic vindicabat? Ipse exposuit, ipse dixit : *In magnitudine*, inquit, *revelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet*. Tam perfectus erat, ut tamen timendum esset ne extolleretur : nam non poneret Deus medicamentum, ubi vulnus non esset. Et rogavit ut tolleretur; æger ille rogavit ut auferretur medicamentum : *Propter quod ter Dominum rogavi*, inquit, *ut auferret eum a me*, id est, stimulum carnis a quo colaphizabatur, aliquem forte dolorem corporis : *rogavi*, inquit, *ut auferret eum a me; et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (*Id.* XII, 7-9). Ego novi quem curo; non mihi det qui ægrotat consilium. Tanquam emplastrum mordax urit te, sed sanat te. Rogat medicum ut tollat emplastrum; et non tollit, nisi cum fuerit sanatum quo posuerat. *Virtus in infirmitate perficitur*. Ergo, fratres, quicumque in Christo proficimus, non nos putemus sine flagello futuros : quia quantumlibet proficiamus, novit ipse peccata nostra; aliquando et nobis ostendit illa, et videmus et nos peccata nostra. Et cum inter tales homines versari cœperimus, ut jam homines quid in nobis reprehendant non inveniant; reprehendit ille adhuc qui omnia novit, et vindicat in omnes affectiones, quia propitius est nobis. Nam si non vindicet, et deserat, perimus. *Deus, tu propitius fuisti illis, et vindicans in omnes affectiones eorum.*

14. [*vers.* 9.] *Exaltate Dominum Deum nostrum*. Iterum exaltemus illum : qui bonus est et cum ferit[1], quomodo laudandus est, quomodo exaltandus est? Tu potes hoc exhibere filio tuo, et Deus non potest? Non enim bonus es quando blandiris filio tuo, et malus cum cædis filium tuum. Et cum blandiris, pater es; et cum cædis, pater es : ideo blandiris, ne deficiat; ideo cædis, ne pereat. *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate in monte sancto ejus : quoniam sanctus Dominus Deus noster*. Quomodo superius dixit, *Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus*; intelleximus autem quid sit adorare scabellum pedum ejus : sic et modo post exaltationem Domini Dei nostri, ne quis illum præter montem ejus exaltet, commendavit et montem ipsius. Mons ipsius quis est? Legimus alibi de hoc monte quia lapis fuit præcisus de monte sine manibus, et confregit omnia regna terræ, et crevit lapis ipse. Danielis visio est ista quam narro. Crevit lapis iste qui præcisus est de monte sine manibus, *et factus est*, inquit, *mons magnus, ita ut impleret universam faciem terræ* (*Dan.* II, 34, 35). In ipso monte magno adoremus, si exaudiri volumus. Hæretici non adorant in isto monte; quia mons iste implevit universam faciem terræ : hæserunt in parte, et totum amiserunt. Si agnoscant Ecclesiam catholicam, adorabunt in isto monte nobiscum. Etenim lapis ille qui præcisus est de monte sine manibus, jam videmus quantum creverit, et quantas terræ regiones occupaverit, et usque ad quas gentes pervenerit. Quid est mons unde præcisus est lapis sine manibus? Regnum Judæorum : primo quod colebant unum Deum. Inde præcisus est lapis Dominus noster Jesus Christus. Ipse dictus est, *Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli* (*Psal.* CXVII, 22; *Act.* IV, 11). Lapis iste præcisus de monte sine manibus, confregit omnia regna terrarum : videmus confracta ab illo lapide omnia regna terræ. Quæ erant regna terræ? Regna idolorum, regna dæmoniorum fracta sunt. Regnabat Saturnus in multis hominibus : ubi est regnum ejus? Regnabat Mercurius in multis hominibus : ubi est regnum ejus? Fractum est, redacti sunt illi in regnum Christi, in quibus ille regnabat. Regnum Cœlestis[1] quale erat Carthagini! ubi nunc est regnum Cœlestis? Lapis ille fregit omnia regna terrarum, lapis præcisus de monte sine manibus. Quid est, præcisus de monte sine manibus? Natus de gente Judæorum sine opere hominum. Omnes enim qui nascuntur, de opere maritali nascuntur; ille de virgine natus, sine manibus natus est; per manus enim, opus humanum significatur : quo manus humanæ non accesserunt, ubi maritalis amplexus non fuit, fetus tamen fuit. Natus est ergo de monte sine manibus lapis ille : crevit, et crescendo fregit omnia regna terrarum. Factus est autem mons magnus, et implevit universam faciem terræ. Hæc est Ecclesia catholica, cui vos communicare gaudete. Illi autem qui non ei communicant, quia præter ipsum montem adorant et laudant Deum, non exaudiuntur ad vitam æternam; etsi ad quædam temporalia exaudiantur. Non sibi ergo blandiantur, quia eos in quibusdam exaudit Deus : nam et Paganos exaudit in quibusdam. Nonne clamant Pagani ad Deum, et pluit? Quare? Quia facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* V, 45). Noli ergo gloriari, pagane, quia te clamante ad Deum, pluit Deus, qui super justos et injustos pluit. Audivit te ad temporalia; non te audit ad æterna, nisi in monte sancto ejus adoraveris. *Adorate Dominum in monte sancto ejus, quoniam sanctus Dominus Deus noster.*

15. Hæc de Psalmo sufficiant Charitati vestræ; quantum Dominus donavit, locuti sumus. Et quidquid loquimur in nomine Dei, quoniam Dei est loquentis

[1] Am. et Er., *fuerit*. Lov., *sævierit*. Melius Mss. *ferit*.— Præterea sic habent Er. Ven. et Lov.: *Iterum exaltemus illum quia bonus est : et cum*, etc. M.

[1] Edd., *regnum Veneris*; et infra, *regnum cœleste*. At Mss. utroque loco, *cœlestis*. De hoc paganorum Carthaginensium idolo jam supra, col. 752, Enar. in Psal. LXII, n. 7.

per nos, imber Dei est : videte vos qualis terra sitis. Nam quando pluvia venit super terram, si bona terra est, fructus bonos parit; si mala terra est, spinas parit : pluvia tamen dulcis est et super fructus et super spinas. Qui istis verbis auditis pejor factus fuerit, et spinas de pluvia generaverit, ignem speret, pluviam non accuset : qui autem melior factus fuerit, et fruges de bona terra genuerit, horreum speret, pluviam laudet. Aut quid sunt nubes, aut quid est pluvia, nisi Dei misericordia, omnia facientis circa eos quos diligit, et quibus donavit ut ab eis diligatur?

IN PSALMUM XCIX ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. Psalmum, fratres, cum cantaretur, audistis; brevis est, nec obscurus : quasi securitatem dederim, ne laborem timeatis. Videamus tamen attentius, et quanto liberius, tanto diligentius, quid sibi velint ea ipsa quæ aperte sonant, ut quantum Dominus donare dignatur, spiritualiter intelligantur. Vox Dei quolibet organo sonans, tamen vox Dei; neque enim delectat aures ejus, nisi vox ejus : nam et nos cum loquimur, tunc eum delectamus, cum ipse de nobis loquitur.

2. [*vers.* 1.] *Psalmus in confessione :* sic inscribitur, hic est titulus ejus, *Psalmus in confessione*. Pauci versus sunt, magnarum rerum gravidi : pariant semina in cordibus vestris, ut paretur horreum messi dominicæ. Psalmus iste in confessione hoc nobis jubet, ad hoc nos hortatur, ut jubilemus Deo. Nec hortatur velut aliquem unum angulum terræ, aut unam aliquam habitationem congregationemve hominum; sed quia ubique novit se seminasse benedictionem, undique exigit jubilationem.

3. [*vers.* 2.] *Jubilate* ergo *Domino* [1], *universa terra*. Numquid modo vocem meam audit universa terra? Et tamen hanc vocem audivit universa terra. Jam jubilat Domino universa terra; et quæ adhuc non jubilat, jubilabit. Pertendens enim benedictio, incipiente Ecclesia ab Jerusalem per omnes gentes (*Luc.* XXIV, 47), impietatem ubique prosternit, pietatem ubique construit: et mixti sunt boni malis, et mali per omnem terram, et boni per omnem terram. In malis murmurat omnis terra, in bonis jubilat omnis terra. Quid est ergo jubilare? Multum enim nos attentos facit ad [2] hoc verbum et præsentis psalmi titulus, quia inscribitur, *In confessione*. Quid est, in confessione jubilare? Est alterius cujusdam psalmi sententia dicentis, *Beatus populus qui intelligit jubilationem* (*Psal.* LXXXVIII, 16) : profecto magnum aliquid est, quod intellectum beatos facit. Dominus ergo Deus noster beatificator hominum, det mihi intelligere quod dicam, det vobis intelligere quod auditis : *Beatus populus qui intelligit jubilationem*. Curramus ergo ad hanc beatitudinem, intelligamus jubilationem, non eam sine intellectu fundamus. Quid opus est jubilare et [1] obtemperare huic psalmo dicenti, *Jubilate Deo, omnis terra*, et non intelligere jubilationem, ut vox nostra sola jubilet, et cor non jubilet? Sonus enim cordis, intellectus est.

4. Quod nostis dicturus sum. Qui jubilat, non verba dicit, sed sonus quidam est lætitiæ sine verbis : vox est enim animi diffusi lætitia, quantum potest, exprimentis affectum, non sensum comprehendentis. Gaudens homo in exsultatione sua, ex verbis quibusdam quæ non [2] possunt dici et intelligi, erumpit in vocem quamdam exsultationis sine verbis; ita ut appareat eum ipsa voce gaudere quidem, sed quasi repletum nimio gaudio, non posse verbis explicare quod gaudet. Animadvertite hoc in eis qui cantant etiam non honeste. Non enim talis erit jubilatio nostra, qualis illorum est; nos enim in justificatione jubilare debemus, illi autem jubilant in iniquitate : itaque nos in confessione, illi in confusione. Tamen ut hoc quod dico intelligatis, imo recordemini rem cognitam, maxime jubilant qui aliquid in agris operantur; copia fructuum jucundati vel messores, vel vendemiatores, vel aliquos fructus metentes, et in ipsa fecunditate terræ et feracitate gaudentes, exsultando cantant; et inter cantica quæ verbis enuntiant, inserunt voces quasdam sine verbis in elatione exsultantis animi, et hæc vocatur jubilatio. Si quis forte propterea non recognoscit, quia nunquam advertit, advertat de cætero. Atque utinam non inveniat quos advertat, ne Deus inveniat quos evertat. Sed tamen quia non quiescunt nasci spinæ, in male exsultantibus advertamus jubilationem improbandam, et offeramus Deo jubilationem coronandam.

5. Quando ergo nos jubilamus? Quando laudamus quod dici non potest. Attendimus enim universam creaturam, terram et mare, et cœlum, et omnia quæ in eis sunt : attendimus singula habere origines et causas suas, seminum vim, nascendi ordinem, permanendi modum, intereundi decessum, currere volumina sæculorum sine ulla perturbatione, stellas volvi quodam modo ab oriente in occidentem, peragere cursus annorum, videmus dimensiones mensium, distentiones horarum; inque his omnibus nescio quid invisibile, quod spiritus vel anima dicitur, inesse omnibus animantibus ad appetendam voluptatem fugiendamque molestiam, ad conservandam incolumitatem suam vestigium quoddam unitatis; inesse etiam homini commune quiddam cum Angelis Dei; non cum pecoribus, sicut est vivere, audire, videre, et cætera, sed quod intelligat Deum, quod ad mentem proprie pertineat [3], quod sicut oculus album et nigrum, ita æquitatem iniquitatemque discernat. In hac tota consideratione creaturæ, quam nominare utcumque et percurrere potuimus, interroget se anima : Quis fecit hæc omnia? quis creavit hæc? quis in his teipsam? Quid sunt ista quæ consideras? quid

[1] Edd., *Deo*. At plerique Mss. juxta LXX, *Domino*.
[2] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov. omittunt, *ad*.

[1] Am. Er. et plerique Mss., *et non*.
[2] Hic in pluribus Mss. deest, *non*.
[3] Edd. *pertineat*. Aliquot vero Mss., *pertinet*. Forte melius.

tu quæ consideras? Quis ille qui fecit consideranda et considerantem? quis est iste? Dic illum; ut dicas illum, cogita illum. Potes enim aliquid cogitare, et forte non potes dicere; nullo modo autem poteris dicere quod non potueris cogitare. Ergo cogita illum priusquam dicas illum; ut cogites illum, accede ad illum. Quod enim vis bene videre, ut habeas quod loquaris, accedis ut inspicias, ne forte longe videndo fallaris. Sed ut oculis ista corpora, sic ille mente conspicitur, corde attenditur et videtur. Et ubi est cor unde ille videatur? *Beati*, ait, *mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Audio, credo, ut possum intelligo, corde videri Deum, nec posse nisi mundo corde conspici; sed audio aliam Scripturam: *Quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato* (*Prov.* xx, 9)? Attendi ergo universam creaturam, quantum potui; corporalem animadverti in cœlo et in terra, spiritualem autem in meipso qui loquor, qui membra vegeto, qui vocem intendo, qui linguam moveo, qui verba pronuntio, sensusque discerno. Et quando comprehendo me in me? Unde ergo possum quod supra me? Promittitur tamen cordi humano visio Dei, et indicitur [1] quædam operatio mundandi cordis; hoc dicitur ab Scriptura: Para unde videas quod amas, antequam videas. Audito enim Deo et nomine ejus, cui non dulce est quod audit, nisi impio multum remoto, multum longe facto? *Quoniam ecce*, inquit, *qui longe faciunt se abs te, peribunt*; sequitur, *Perdidisti omnem qui fornicatur abs te* (*Psal.* LXXII, 27). Nobis autem quid? Quia illi longe, et ideo in tenebris, et ita sauciatis oculis in tenebris, ut lumen non solum non desiderent, sed etiam perhorrescant; nobis in longinquo inventis quid dicitur? *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6). Ut autem accedas et illumineris, displiceant tibi tenebræ tuæ; damna quod es, ut merearis esse quod non es. Es iniquus, esse debes justus: nunquam justitiam percepturus es, si adhuc tibi placet iniquitas. Contere illam in corde tuo, et munda; expelle illam de corde tuo, ubi vult habitare [2] quem vis videre. Accedit ergo utcumque anima humana, interior homo recreatus ad imaginem Dei, quia creatus ad imaginem Dei; qui tanto erat longe factus [3], quanto ierat in dissimilitudinem. Non enim locorum intervallis acceditur ad Deum, aut receditur a Deo: dissimilis factus, longe recessisti; similis factus, proxime accedis. Vide quomodo nos vult accedere Dominus, faciens primo similes, ut accedamus. *Estote*, ait, *sicut Pater vester qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* v, 45). Disce diligere inimicum, si vis cavere inimicum [4]. Inquantum autem in te charitas crescit, efficiens te et revocans te ad similitudinem Dei, pertendit usque ad inimicos; ut sis ei similis qui facit solem suum oriri, non super bonos tantum, sed super bonos et malos; et pluit, non super justos tantum, sed super justos et injustos. Quantum accedis ad similitudinem, tantum proficis in charitate, et tanto incipis sentire Deum. Et quem sentis? qui venit ad te, an ad quem tu redis? Nam ille nunquam discessit a te: recedit a te Deus, cum tu recedis a Deo. Præsentia sunt cæcis omnia, sicut videntibus: uno loco stans cæcus et videns, iisdem formis rerum uterque circumfunditur; ille est præsens rebus, ille absens: ex duobus uno loco stantibus, unus est præsens, alius absens; non rebus ipsis ad alterum accedentibus et ab altero recedentibus, sed propter dissimilitudinem oculorum suorum. Ille qui cæcus dicitur, quia exstinctum est ibi quod contemperari solet luci [1] cuncta vestienti, frustra est præsens rebus quas non videt; imo rectius absens quam præsens dicitur: ubi enim non est sensus ejus, recte dicitur absens; hoc est enim absentem esse, sensu abesse. Sic et Deus ubique præsens est, ubique totus. Sapientia ejus attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1). Quod autem Deus Pater, hoc Verbum ejus et Sapientia ejus, lux de luce, Deus de Deo. Quid ergo optas videre? Non est a te longe quod vis videre. Apostolus dicit equidem non longe positum ab unoquoque nostrum: *in ipso enim vivimus et movemur et sumus* (*Act.* XVII, 27, 28). Quanta ergo miseria est; longe esse ab eo qui ubique est?

6. Esto ergo similis pietate, et diligens cogitatione: quoniam invisibilia ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur (*Rom.* I, 20); ea quæ facta sunt intuere, mirare, quære auctorem. Si dissimilis sis, repelleris; si similis, exsultabis. Et cum accedere cœperis similis, et persentiscere Deum, quantum in te charitas crescit, quia et charitas Deus est (I *Joan.* IV, 8), senties quiddam quod dicebas, et non dicebas. Ante enim quam sentires, dicere te putabas Deum: incipis sentire, et ibi sentis dici non posse quod sentis. Cum autem ibi didiceris dici non posse quod sentis, tacebis, non laudabis? Ergo mutus eris in laudibus Dei, et gratiarum actionem non reddes ei qui voluit se notum tibi facere? Laudabas, cum quæreres; silebis, cum inveneris? Nullo pacto: non eris ingratus. Debetur honor, debetur reverentia, debetur magna laudatio. Attende te qui sis, terra et cinis: vide quis meruerit, quid videre; vide quis, quid, homo Deum. Agnosco non meritum hominis, sed misericordiam Dei. Lauda ergo miserantem. Quomodo, inquis, laudabo? Modicum ipsum quod sentire possum ex parte in ænigmate per speculum (I *Cor.* XIII, 12), jam explicare non possum. Audi ergo Psalmum: *Jubilate Domino, omnis terra*. Intellexisti jubilationem omnis terræ, si jubilas Domino. Domino jubila [2]; noli jubilationem tuam in alias atque alias res dividere. Postremo cætera dici possunt utcumque:

[1] Edd., *inde dicitur*. At Mss., *indicitur*.
[2] Reg. Ms., *Confitere illam in corde tuo: ibi vult habitare*, etc.
[3] Quatuor Mss.: *Accedente ergo utcumque anima humana, interior homo recreatur ad imaginem Dei: quia creatus ad imaginem Dei, tanto erat longe factus*, etc.
[4] Colb. Ms., *amicum*.

[1] Sic Mss. At Edd., *luce*.
[2] Sic melioris notæ Mss. At Edd., *terræ? si jubilas, Domino jubila*.

ille solus est ineffabilis, qui dixit, et facta sunt omnia. Dixit, et facti sumus : sed nos eum dicere non possumus (*Psal.* XXXII, 9). Verbum ejus quo dicti sumus, Filius ejus est : ut a nobis utcumque infirmis diceretur, factus est infirmus. Jubilationem pro verbo possumus dicere, verbum pro verbo non possumus. *Jubilate* ergo *Domino, omnis terra.*

7. *Servite Domino in jucunditate.* Omnis servitus amaritudine plena est : omnes conditione servili [1] obligati et serviunt, et murmurant. Nolite timere illius Domini servitutem : non erit ibi gemitus, non murmur, non indignatio; nemo se petit [2] inde venalem, quia dulce est quod redempti omnes sumus. Magna felicitas, fratres, esse in ista domo magna servum, etsi cum compedibus. Noli timere, serve compedite, confitere Domino : meritis tuis attribue compedes tuas; confitere in compedibus, si vis ut in ornamenta vertantur. Non frustra, nec sine exauditione dictum est, *Intret in conspectum tuum gemitus compeditorum* (*Psal.* LXXVIII, 11). *Servite Domino in jucunditate.* Libera servitus est apud Dominum ; libera servitus, ubi non necessitas, sed charitas servit. *Vos,* inquit, *in libertatem vocati estis, fratres : tantum ne libertatem in occasionem carnis detis ; sed per charitatem spiritus servite invicem* (*Galat.* v, 13). Servum te charitas faciat [3] quia liberum te veritas fecit. *Si manseritis,* inquit, *in verbo meo, vere discipuli mei estis ; et cognoscetis veritatem , et veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII, 31, 32). Simul es et servus et liber : servus, quia factus es ; liber, quia amaris a Deo a quo factus es : imo etiam inde liber, quia amas eum a quo factus es. Noli servire cum murmure ; non enim id agunt murmura tua, ut non servias, sed ut malus servus servias. Servus es Domini, libertus es Domini ; non te sic quæras manumitti, ut recedas de domo manumissoris tui.

8. *Servite Domino in jucunditate.* Plena erit illa et perfecta jucunditas, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (I *Cor.* xv, 54) : tunc erit perfecta jucunditas, tunc illa perfecta jubilatio, tunc laus sine defectu, tunc amor sine scandalo, tunc fructus sine timore, tunc vita sine morte. Quid hic? nullumne gaudium ? Si nullum gaudium, nulla jubilatio : quomodo, *Jubilate Domino, universa terra?* Est plane et hic gaudium; de spe futuræ vitæ gustatur hic unde ibi satiemur. Sed necesse est ut multa perferant frumenta inter zizania : sunt grana inter paleam (*Matth.* III, 12 ; *et* XIII, 30), est lilium inter spinas. Quid enim audit Ecclesia? *Sicut lilium in medio spinarum , ita proxima mea in medio filiarum* (*Cant.* II, 2). Non dictum est, In medio alienarum ; sed, *in medio filiarum.* O Domine, quomodo consolaris, quomodo confortas, quomodo terres? Quid est quod dicis? *Sicut lilium in*

[1] Vox, *servili*, abest a Mss. plerisque.
[2] Er. et Colb. Ms., *putet*. Sed melius alii libri, *petit*. Sic in Tract. 41 super Joan., n. 4. « Plerumque homines, cum « dominos malos patiuntur, venales se petunt; non quæ« rentes dominum non habere, sed saltem mutare. »
[3] Sic Am. Er. et plerique Mss. At Lov., *facit*.

medio, quarum spinarum? Ita proxima mea in medio, quarum filiarum? quas dicis spinas, ipsas filias? Respondet : Spinæ sunt propter mores suos ; filiæ, propter sacramenta mea. Utinam ergo inter gemitus alienorum gemeretur ; minus gemeretur. Ille est major gemitus, *Quoniam si inimicus exprobrasset mihi, sustinuissem utique ; et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, absconderem me utique ab eo.* Psalmi voces sunt : qui Litteras nostras novit, sequitur ; qui non novit, discat, ut sequatur. *Si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, absconderem me utique ab eo : tu vero unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos* (*Psal.* LIV, 13-15). Quos dulces cibos nobiscum capiunt, qui nobiscum semper futuri non sunt? quos dulces cibos, nisi, *Gustate et videte quam dulcis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 8)? Inter illos necesse est gemamus.

9. Sed quo se separaturus est christianus, ut non gemat inter falsos fratres? Quo iturus est? quid facturus? Solitudines petat? Sequuntur scandala. Separaturus est se qui bene proficit, ut nullum omnino hominem patiatur? Quid si et ipsum, antequam proficeret, nemo vellet pati? Si ergo, quia proficit, nullum hominem vult pati, eo ipso quo non vult aliquem hominem pati, convincitur quod non profecerit. Intendat Charitas vestra : *Sustinentes invicem,* ait Apostolus, *in dilectione, satagentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 2, 3). *Sustinentes invicem :* non habes quod in te alius sustineat? Miror si non est : sed ecce non sit; eo robustior es ad cæteros sustinendos, quo jam non habes quod in te alii sustineant. Non sustineris, sustine cæteros. Non possum, inquis. Ergo habes quod et in te alii sustineant. *Sustinentes invicem in dilectione.* Tu deseris res humanas, et segregas te, ut nemo te videat ; cui proderis? Tu ad hoc pervenisses, si nullus tibi profuisset? An quia veloces pedes tibi videris habuisse ad transeundum, præcisurus es pontem? Exhortor omnes, vox Dei omnes hortatur : *Sustinentes invicem in dilectione.*

10. Separabo me, inquit aliquis, cum paucis bonis; cum illis mihi bene erit. Nam nulli prodesse impium et crudele est. Non me hoc docuit [1] Dominus meus. Non enim damnavit servum qui intervertit quod acceperit, sed qui non erogavit. Intelligatur pœna interversoris ex pœna pigri. *Serve nequam et piger,* ait Dominus damnans : non ait, Intervertisti pecuniam meam; non ait, Dedi tibi, et non mihi quod dedi integrum reddidisti : Quia non crevit, quia non erogasti, inde, inquit, te puniam (*Matt.* xxv, 14-30). Avarus est Deus salutis nostræ. Ergo separabo me, inquit, cum paucis bonis : quid mihi est rationem habere cum turbis? Bene : pauci ipsi boni, de quibus turbis sunt eliquati? Si tamen jam ipsi pauci, omnes boni : tamen bona cogitatio humana, laudabilis, esse cum talibus qui elegerunt vitam quietam ; remoti a strepitu populari, a

[1] Sic Mss. At Edd.: *Nonne hoc docuit.*

turbis inquietis, a magnis fluctibus sæculi, tanquam in portu sunt. Jam ergo ibi gaudium illud? jam ibi jubilatio illa quæ promittitur? Nondum; sed adhuc gemitus, adhuc sollicitudo tentationum. Habet enim alicunde et portus aditum: si portus aditum ex nulla parte haberet, nulla in eum navis intraret; oportet ergo ut ex aliqua parte pateat; aliquando autem per eam partem qua patet, ventus irruit; et ubi scopuli non sunt, naves se invicem collisæ confringunt. Ubi ergo securitas, si nec in portu? Et tamen utcumque feliciores[1] in portu quam in pelago, fatendum est, concedendum est, verum est. Ament se[2], naves in portu bene sibi applicentur, non sibi collidantur: servetur ibi parilitas æquabilitatis, constantia charitatis; et quando forte ventus ex illa parte qua patet, irruerit, sit ibi cauta gubernatio.

11. Nam quid dicturus est mihi quisquis talibus locis forte præest, imo servit fratribus, in his quæ monasteria dicuntur? quid dicturus est? Cautus ero, nullum malum admittam. Quomodo nullum malum admittes? Nullum hominem malum, nullum fratrem malum intrantem admissurus sum; cum paucis bonis bene mihi erit. Ubi cognoscis quem forte vis excludere? Ut cognoscatur malus, intus probandus est: quomodo ergo excludis intraturum, qui postea probandus est, et probari nisi intraverit non potest? Repelles omnes malos? Dicis enim, et nosti inspicere. Omnes nudis cordibus ad te veniunt? Qui intraturi sunt, ipsi se non noverunt; quanto minus tu? Multi enim sibi promiserunt quod impleturi essent illam vitam sanctam, in commune habentem omnia, ubi nemo dicit aliquid suum, quibus est una anima et cor unum in Deum (*Act.* IV, 32, 35): missi sunt in fornacem, et crepuerunt. Quomodo ergo cognoscis eum qui sibi ipse adhuc ignotus est? Excludes malos fratres a conventu bonorum? De corde tuo, quisquis ista dicis, omnes malas cogitationes, si potes, exclude: non intret in cor tuum vel suggestio mala. Non consentio, inquis. Sed intravit tamen, ut suggereret[3]. Nam omnes munita corda habere volumus, ut nihil intret quod male suggeratur. Unde autem intret, quis novit? Et pugnamus quotidie in uno corde nostro; unus homo in corde suo cum turba luctatur. Suggerit avaritia, suggerit libido, suggerit voracitas, suggerit lætitia ista popularis; omnia suggerunt: ab omnibus se continet, omnibus respondet, et ab omnibus aversatur; difficile est ut non ab aliqua feriatur[4]. Ubi ergo securitas? Hic nusquam; in ista vita nusquam, nisi in sola spe promissorum Dei. Ibi autem, cum illuc pervenerimus, perfecta securitas, cum clauduntur portæ, et confirmantur vectes portarum Jerusalem (*Psal.* CXLVII, 13): ibi vere plena jubilatio et magnum gaudium. Modo autem ne securus laudes quamlibet vitam; ante mortem ne laudes hominem quemquam (*Eccli.* XI, 30).

[1] Remig. Ms., *felicior es.*
[2] Sic aliquot Mss. At Edd.: *Tamen si naves:* et postea pro, *collidantur*, Er. et Gatian. Ms. habent, *colliduntur:* alius Ms., *collidentur.*
[3] Er. Venet. Lov., *suggereretur.* M.
[4] Audoen. Ms., *ab aliquo feriatur.* Reg., *aliqua feriatur*

12. Hinc autem falluntur homines, ut vel non suscipiant meliorem vitam, vel temere aggrediantur; quia et cum laudare volunt, sic laudant, ut non ibi dicant mala quæ mixta sunt; et qui vituperare volunt, tam invido animo et perverso vituperant, ut claudant oculos adversus bona, et sola mala quæ ibi vel sunt vel putantur, exaggerent. Inde fit ut unaquæque professio male laudata, id est non caute laudata, cum invitaverit homines laude sua, inveniant illi qui illuc veniunt, aliquos quales ibi esse non credebant; et offensi a malis, resiliant a bonis. Fratres, disciplinam istam ad vitam vestram conferte, et sic audite ut vivatis. Laudatur, ut generaliter dicam, Ecclesia Dei: magni homines Christiani, soli Christiani, magna Catholica[1]; diligunt se omnes, impendunt sibi quisque quod possunt, orationibus, jejuniis, hymnis vacatur per totum orbem terrarum, una consensione pacis laudatur Deus. Audit forte qui nescit tacitum esse de commixtis malis, venit laude invitatus, invenit commixtos malos, qui non illi prædicti sunt antequam veniret; offenditur a falsis Christianis, refugit a veris Christianis. Rursus odiosi, maledici, irruunt in vituperationem: Quales Christiani? qui Christiani? Avari, feneratores. Nonne ipsi sunt qui theatra et amphitheatra implent per ludos et per alia spectacula, qui implent ecclesias per dies festos? Ebriosi, voraces, invidi, insectatores alterutrum. Sunt tales, sed non soli tales. Et iste vituperator cæco animo tacet bonos; et ille laudator incauto animo tacet malos. Si autem sic laudatur in hoc tempore Ecclesia Dei, quomodo laudant Scripturæ Dei, ecce quomodo nunc dixi, *Sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum:* audit homo, considerat, placet illi lilium, intrat, adhæret lilio, tolerat spinas; merebitur esse in laude et in osculis[2] sponsi, qui dicit, *Sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum*. Ita et in clericis. Laudatores clericorum intendunt ibi bonos ministros, fideles dispensatores, omnium toleratores, viscera sua impendentes his quos volunt proficere, non quærentes quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. Laudant hæc, obliviscuntur quia mixti sunt malis. Rursus qui reprehendunt avaritiam clericorum, improbitates clericorum, lites clericorum, appetentes res alienas, ebriosos, voraces, jactant[3]. Et tu invide vituperas, et tu incaute laudas: tu qui laudas, dic mixtos malos; tu qui vituperas, vide ibi et bonos. Sic et in illa vita communi fratrum, quæ est in monasterio: magni viri, sancti, quotidie in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei, inde vivunt, cum lectione illis res est; laborant manibus suis, inde se transigunt; non avare aliquid petunt, quidquid eis infertur a piis fratribus, cum sufficientia et cum charitate utuntur; nemo sibi usurpat aliquid quod alter non habeat; omnes se di-

[1] Er. et Lov., *Ecclesia catholica.* Vox, *Ecclesia*, abest ab Am. et a Mss.
[2] Er. et Lov., *in oculis.* Am., *in osculis:* et ita Mss. præter paucos, qui habent, *in osculo.*
[3] Sic Am. et plerique Mss. At Er. et Lov., *jactantes.* Regius Ms., *jactantes se.*

ligunt, omnes invicem se sustinent. Laudasti, laudasti [1]: qui nescit quid interius agatur, qui nescit quomodo illo vento intrante etiam naves se in portu collidunt, intrat quasi securitatem sperans, neminem quem toleret habiturus; invenit ibi fratres malos, qui mali inveniri non possent, nisi admitterentur (et necesse est ut primo tolerentur, ne forte corrigantur; nec excludi facile possunt, nisi prius fuerint tolerati [2]): et fit ipse intolerandæ impatientiæ. Quis me huc quærebat? Ego putabam quia charitas est hic. Et paucorum hominum molestia irritatus, dum non perseveraverit implere quod vovit, fit desertor tam sancti propositi, et reus voti non redditi. Jamvero cum inde exierit, fit et ipse vituperator et maledicus: et dicit ea sola quæ quasi se pati non potuisse asseverat; et aliquando vera. Sed vera malorum toleranda sunt propter societatem bonorum. Dicit illi Scriptura: *Væ his qui perdiderunt sustinentiam* (*Eccli.* II, 16). Et quod est amplius, ructat indignationis malum odorem [3], unde absterreat intraturos; quia ipse cum intrasset, perdurare non potuit. Quales illi? Invidi, litigatores, neminem sustinentes, avari; ille ibi illud fecit, et ille ibi illud fecit. O male, quare taces bonos? Quos tolerare non potuisti, jactas: qui te malum toleraverunt, taces.

13. Merito illud, fratres charissimi, magnificum in Domini Evangelio, ex ore Domini: *Duo in agro; unus assumetur, et unus relinquetur: duæ in molendino; una assumetur, et una relinquetur: duo in lecto; unus assumetur, et unus relinquetur* (*Matth.* XXIV, 40, 41, *et Luc.* XVII, 34, 35). Qui sunt *duo in agro?* Quod dicit Apostolus: *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Dei agricultura estis* (I *Cor.* III, 6, 9). In agro laboramus. *Duo in agro*, clerici sunt: *unus assumetur, et unus relinquetur;* assumetur bonus, relinquetur malus. *In molendino duæ*, ad plebes retulit [4]. Quare *in molendino?* Quia devinctæ sæculo, circuitu rerum temporalium, tanquam mola detinentur. Et inde *una assumetur, et una relinquetur.* Quæ inde assumetur? Faciens opera bona, attendens indigentiam servorum Dei, indigentiam pauperum, in confessione fidelis, in lætitia spei certa, vigilans ad Deum, nulli imprecans mala, diligens quantum potest, non solum amicos, sed etiam inimicos, præter uxorem suam non sciens aliquam, præter maritum suum non sciens aliquem; assumetur et de molendino: quæ autem aliter fuerit, relinquetur. Alii autem dicunt: Quietem volumus, neminem volumus pati, removemus nos a turbis; bene erit nobis in quadam securitate. Si quietem quæris, quasi lectum quæris, ut sine aliqua sollicitudine requiescas. Et inde *unus assumetur, et unus relinquetur.* Nemo vos fallat, fratres: si non vultis falli, et vultis amare fratres, scitote omnem professionem in Ecclesia habere fictos. Non dixi omnem hominem esse fictum, sed omnem professionem habere fictas personas: sunt Christiani mali, sed sunt et boni. Quasi plures malos vides, quia palea sunt, et te ad grana pervenire non permittunt: sunt ibi et grana, accede, tenta, excute, adhibe oris judicium. Invenis sanctimoniales indisciplinatas; numquid ideo sanctimonium reprehendendum est? Multæ non stant in domibus suis, circumeunt domos alienas, curiose agentes, loquentes quæ non oportet, superbæ, linguatæ (I *Tim.* V, 13), ebriosæ: etsi virgines sunt, quid prodest integra caro, mente corrupta? Melius est humile conjugium, quam superba virginitas. Si enim nuberet, non haberet nomen unde extolleretur, et haberet frenum quo regeretur. Sed numquid propter virgines malas, damnaturi sumus sanctas et corpore et spiritu (I *Cor.* VII, 34)? aut propter istas laudabiles, etiam illas improbandas laudare cogemur? Undique unus assumetur, et unus relinquetur.

14. [*vers.* 2.] Ergo, fratres, finiamus Psalmum, quia planus est. *Servite Domino in jucunditate:* vos alloquitur, quicumque in charitate omnia toleratis, et spe gaudetis. *Servite Domino*, non in amaritudine murmurationis, sed *in jucunditate* dilectionis. *Intrate in conspectu ejus, in exsultatione.* Facile est exsultare foris; in conspectu Dei exsulta. Non valde lingua exsultet; conscientia exsultet. *Intrate in conspectu ejus, in exsultatione.*

15. [*vers.* 3.] *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus.* Quis nescit quia Dominus ipse est Deus? Sed de Domino dicit, quem non putabant homines Deum: *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus*, Dominus ille non vobis vilescat: crucifixistis, flagellastis, sputis illinistis, spinis coronastis, veste ignominiosa vestistis, in ligno suspendistis, clavis confixistis, lancea percussistis, custodes ad sepulcrum posuistis; ipse est Deus. *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus. Ipse fecit nos, et non nos* [1]. *Ipse fecit nos:* omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). Quid est quod exsultatis? quid est quod superbitis? Alius vos fecit; et qui vos fecit, ipse a vobis patitur. Sed vos sic vos jactatis et gloriamini, et extollitis, quasi a vobis ipsis facti sitis. Bonum est vobis ut qui fecit vos, perficiat [2] vos. *Ipse fecit nos, et non nos.* Non debemus superbire: totum bonum quod habemus, ab artifice nostro habemus; quod in nobis nos fecimus, inde damnamur; quod in nobis ille fecit, inde coronamur. *Ipse fecit nos, et non nos. Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus.* Oves et ovis: ipsæ oves una ovis. Et quam amantissimum nostri pastorem habemus! Dimisit nonaginta novem, descendit quærere unam, reportat in humeris suis (*Luc.* XV, 4, 5) redemptam sanguine suo. Securus mortuus est pastor pro ove, qui resurgens possidet ovem. *Nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus.*

16. [*vers.* 4, 5.] *Intrate in portas ejus in confes-*

[1] Sic Mss. At Edd.: *Laudat qui nescit*, etc.
[2] Duo Mss., *intolerandi:* et quidam cum Am., *intolerati.* Paulo post ex Mss. reposuimus, *impatientiæ;* cujus loco in Edd. erat, *patientiæ.*
[3] Sic plerique Mss. At Edd., *indignationes, malorum odorem.* Quidam Mss., *indignationes malorum odiorum.*
[4] Lov., *retuli.* Edd. alii et Mss., *retulit.*

[1] Edd., *et non ipsi nos.* Vox, *ipsi*, abest a melioris notæ Mss. et a LXX.
[2] Plures probæ notæ Mss., *reficiat.*

sione. In portis initium est; a confessione incipite. Inde *Psalmus in confessione*, ibi jubilate [1]. Confitemini vos non factos a vobis, laudate eum a quo facti estis. Ab illo sit bonum tuum, a quo recedens fecisti malum tuum. *Intrate in portas ejus in confessione.* Intret grex in portas, non foris remaneat ad lupos. Et quomodo intret? *In confessione.* Porta, id est initium, confessio tibi sit. Unde in alio psalmo dicitur: *Incipite Domino in confessione* (*Psal.* CXLVI, 7). Quod illic, dicit, *Incipite;* hoc appellavit hic, *portas: Intrate in portas ejus in confessione.* Et quid, cum jam intraverimus, non confitebimur? Semper confitere, semper habes quod confitearis. Difficile est in hac vita, ut sic homo mutetur, ut nihil inveniatur in eo quod reprehendatur: opus est ut tu te reprehendas, ne ille reprehendat qui damnaturus est. Ergo et cum intraveris in atria, confitere. Quando non erit confessio peccatorum? In illa requie, in illa æqualitate Angelorum. Sed videte quid dixerim: Non erit confessio peccatorum. Non dixi, Non erit confessio: erit enim confessio laudis. Semper confiteberis, illum Deum, te creaturam; illum protectorem, te protectum. In illo quodammodo absconditus eris, sicut dictum est, *Abscondes eos in abscondito vultus tui* (*Psal.* XXX, 21). *In atria ejus in hymnis confitemini ei* [2]. In portis confitemini; et in atria cum intraveritis, confitemini in hymnis. Hymni laudes sunt. Quando intras, te reprehende; cum intraveris, illum lauda. *Aperite mihi portas justitiæ*, dicit in alio psalmo; *ingrediens in eis* [3] *confitear Domino* (*Psal.* CXVII, 19). Numquid dixit, Cum ingressus fuero, jam non confitebor? Etiam ingressus confitebitur. Quæ enim peccata confitebatur Dominus noster Jesus Christus, quando ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ* (*Matth.* XI, 25)? Illum laudans confitebatur, non se accusans.

17. *Laudate nomen ejus, quia suavis est Dominus.* Nolite putare quia deficitis in laudando. Laudatio vestra quasi manducatio erit: quantum laudatis, tantum vires acquiritis, et tantum dulcescit quem laudatis. *Laudate nomen ejus, quia suavis est Dominus. In æternum misericordia ejus.* Non enim cum te liberaverit, desinet esse misericors: et ut protegat semper in æternam vitam, misericordiæ ejus est. *In æternum ergo misericordia ejus, et usque in generationem et generationem veritas ejus.* Aut omnem generationem accipe quod dictum est, *in generationem et generationem;* aut in duabus generationibus, unam terrenam, alteram cœlestem. Hic est generatio una quæ parit mortales; altera quæ parit æternos. Veritas ejus et hic est, et ibi. Noli putare quia hic non est veritas ejus: si non hic esset veritas ejus, non diceret in alio psalmo: *Veritas de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV, 12); nec ipsa Veritas diceret, *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20).

[1] Edd.: *Inde Psalmum*, etc. At Mss.: *Inde Psalmus in confessione:* supple, *inscribitur.* Quanquam Remig. Ms. habeat sic: *Inde Psalmum in confessione jubilate.*

[2] Sic plerique et melioris notæ Mss. At Am. Er. et duo Mss., *in hymnis confessionum confitemini ei.* Lov., *in hymnis confessionem confitemini ei.*

[3] Sic Mss. juxta Græc. LXX. At Edd., *in eas.*

IN PSALMUM C
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Psalmus iste centesimus quod habet in primo versu, hoc in toto ejus corpore quærere debemus. *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* Nemo sibi ad impunitatem blandiatur de misericordia Dei; quia est et judicium: et nemo in melius commutatus exhorreat judicium Dei; quia præcedit misericordia. Homines enim quando judicant, aliquando victi misericordia [1], faciunt contra justitiam; et videtur in eis esse misericordia, et non esse judicium: aliquando vero rigidum volentes tenere judicium, perdunt misericordiam. Deus autem nec in bonitate misericordiæ perdit judicii severitatem, nec in judicando cum severitate amittit misericordiæ bonitatem. Ecce si temporibus distinguamus hæc duo, misericordiam et judicium; forte enim non sine causa ipso ordine posita sunt, ut non diceret, Judicium et misericordiam, sed, *misericordiam et judicium:* si ergo per tempora distinguamus hæc duo, forte invenimus modo tempus esse misericordiæ, futurum autem tempus judicii. Quomodo est primo tempus misericordiæ? Primo in Deo considera, ut et tu quantum ipse tibi donaverit, imiteris Patrem. Neque enim arroganter dicimus, Patrem nostrum nos debere imitari; quandoquidem Dominus ipse unicus Dei Filius ad hoc nos hortatur, dicens: *Estote sicut Pater vester cœlestis.* Cum diceret, *Diligite inimicos vestros, orate pro eis qui vos persequuntur: ut sitis*, inquit, *filii Patris vestri qui in cœlis est; qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V, 48, 44, 45). Ecce misericordia. Quando vides justos et injustos eumdem solem intueri, eamdem lucem capere [2], eosdem fontes bibere, eadem pluvia saginari, iisdem fructibus terræ repleri, similiter aerem istum ducere, habere æqualiter bona mundi; noli putare injustum esse Deum, qui dat ista æqualiter et justis et injustis. Misericordiæ tempus est, nondum judicii. Nisi enim primo Deus per misericordiam parceret, non inveniret quos per judicium coronaret. Est ergo misericordiæ tempus, quando patientia Dei ad pœnitentiam adducit peccantes.

2. Audi Apostolum distinguentem utrumque tempus, et distingue et tu: *Existimas autem*, inquit, *o homo qui judicas eos qui faciunt ea, et eadem agis, quoniam tu effugies judicium Dei?* Intendite. Videbat enim se (sed cui hoc dicit? Non enim uni homini dicit, sed generi hominum tali), videbat se committere [3] multa mala quotidie, et tamen vivere, nihil mali sibi contingere; et putabat aut dormire Deum, aut res humanas non attendere, aut amare facta hominum mala. Tollit istam cogitationem de corde, sed bene intelligentibus. Quid ergo ait? *Existimas, o homo*

[1] Aliquot Mss., *misericordiam faciunt.*

[2] Mss., *carpere.*

[3] Edd., *sed generi humano: talia dicebat se committere*, etc. Castigantur subsidio Mss. inter quos Regius ad vocem, *tali*, subdit, *quod videbat se committere*, etc.

qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quoniam tu effugies judicium Dei? Et quasi diceret, Quare facio tanta mala quotidie, et nihil mali mihi contingit? secutus ostendit illi tempus misericordiæ: *An divitias benignitatis, et patientiæ, et longanimitatis ejus contemnis?* Et vere quia hoc contemnebat; sed fecit illum sollicitum. *Ignoras*, inquit, *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Ecce tempus misericordiæ. Ne autem hoc ille semper putaret futurum, quomodo secutus eum terruit? *Tu autem* (jam tempus judicii audi; audisti tempus misericordiæ, propter, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine*): *tu autem*, inquit, *secundum duritiam cordis tui et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua* (*Rom.* II, 3-6). Ecce, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* Sed minatus est de judicio: numquid ideo judicium Dei tantummodo formidandum est, et non amandum? Formidandum malis propter pœnam, amandum bonis propter coronam. Quia ergo terruit malos Apostolus in hoc testimonio quod commemoravi, audi ubi spem dat bonis de judicio. Seipsum ponit, et dicit, et ostendit et ipse in se tempus misericordiæ. Quia nisi et ipse inveniret tempus misericordiæ, qualem illum inveniret judicium? Blasphemum, persecutorem, injuriosum. Sic enim dicit, et commendat tempus misericordiæ, in quo modo sumus: *Qui prius*, inquit, *fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus; sed misericordiam consecutus sum.* Sed forte ipse solus consecutus est misericordiam? Audi quomodo nos erigat: *Ut in me*, inquit, *ostenderet Christus Jesus omnem longanimitatem, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam* (I *Tim.* I, 13, 16). Quid est, *in me ostenderet longanimitatem?* Ut unusquisque peccator et sceleratus videret quia Paulus accepit veniam, et non de se desperaret. Ecce ostendit se, erexit et alios. Ubi? In tempore misericordiæ. Audi in tempore judicii quid dicat de bonis, iterum dicens de se et de aliis. Primo misericordiam consecutus est. Quare? Quia fuit blasphemus, et persecutor, et injuriosus. Venit Dominus ut donaret Paulo, non ut redderet. Nam si reddere vellet, quid inveniret quod redderet peccatori, nisi pœnam et supplicium? Noluit reddere pœnam, sed donavit gratiam. Audi quia ille cui donavit, tenet Dominum etiam debitorem. Invenit eum donatorem tempore misericordiæ, tenet debitorem tempore judicii. Quomodo hoc dicit, videte. *Ego enim jam immolor*, dixit, *et tempus resolutionis meæ proximum est. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Hoc, tempore misericordiæ, audi de judicio. *De cætero superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Non dixit, donat; sed, *reddet.* Quando donabat, misericors erat; quando reddet, judex erit: quia, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* Sed donando delicta, fecit se coronæ debitorem: ibi *misericordiam consecutus sum.* Misericors ergo Dominus primo, hic autem *reddet mihi* coronam *justitiæ.* Unde reddet? Quia *justus judex* est. Quare justus judex? Quia *bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Ideo justus non potest nisi coronare ista. Invenit enim ista quæ coronaret: antea vero quid invenerat? *Qui prius fui blasphemus et persecutor.* Ista donavit, illa coronabit; donavit hæc tempore misericordiæ, coronabit illa tempore judicii: quia, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* Sed numquid solus Paulus id meruit? Hoc enim dixeram, quomodo in illo testimonio terruit, sic in isto erexit. Cum dixisset, *Reddet mihi Dominus in illo die justus judex: non solum mihi*, inquit, *sed omnibus qui diligunt manifestationem et regnum ejus* (II *Tim.* IV, 6-8).

3. Ergo, fratres, quoniam habemus tempus misericordiæ, non nobis blandiamur, non nos dimittamus, non dicamus: Semper parcit Deus. Ecce feci heri, pepercit Deus; facio et hodie, et parcit Deus; faciam et cras, quia parcit Deus. Attendis ad misericordiam, et non times judicium. Si vis cantare misericordiam et judicium, intellige quia ideo parcit, ut corrigaris, non ut in malignitate permaneas. Noli tibi thesaurizare iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei. Quia in tempore misericordiæ in alio psalmo dicitur: « Peccatori autem dixit Deus, Utquid tu enarras justificationes meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et abjecisti sermones meos post te: si videbas furem, concurrebas ei, et cum mœchis portionem tuam ponebas; sedens adversus fratrem tuum detrahebas, et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. Hæc fecisti, et tacui. » Vide tempus misericordiæ. Quid est, *tacui?* Numquid, Non corripui? Sed, Non judicavi. Quomodo enim tacet qui quotidie clamat in Scripturis, in Evangelio, in prædicatoribus suis? Tacui a supplicio, non a verbo. *Hæc fecisti, et tacui.* Et quia tacuit Deus, id est, non vindicavit: quid sibi dixit in corde peccator? Audi: *Suspicatus es*, inquit, *iniquitatem, quod ero tibi similis.* Id est, parum est quia tu talis eras; et me talem putasti. Et cum ostendisset illi tempus misericordiæ, terruit de tempore judicii: *Arguam te, et statuam te ante faciem tuam* (*Psal.* XLIX, 16-21). Tu te ponis post te, ego te ponam ante te. Omnis enim qui non vult videre peccata sua, post dorsum se ponit, et aliorum peccata acute attendit, non per diligentiam, sed per invidentiam; non volens sanare, sed accusare: se autem obliviscitur. Unde talibus Dominus dicit, *Stipulam in oculo fratris tui vides, et trabem in oculo tuo non vides* (*Matth.* VII, 3). Quia ergo misericordia et judicium cantatur nobis, et nos facientes misericordiam securi exspectemus judicium: et simus in corpore ipsius, et nos cantemus ea. Cantat enim hoc Christus: si solum caput cantat, a Domino est canticum hoc, ad nos non pertinet; si autem totus Christus, id est caput et corpus ejus, esto in membris ejus, adhære illi per fidem, et per spem, et per charitatem; et in illo cantas, in illo exsultas [1]: quia et ipse in te laborat,

[1] Sic plerique Mss. At Edd., *canta, in illo exsulta.*

in te sitit, in te esurit et tribulatur. Ille in te adhuc moritur, et tu in illo jam resurrexisti. Nam si non in te moreretur, nollet in te sibi parci a persecutore, cum diceret: *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Ergo, fratres mei, Christus cantat; sed quomodo, nostis: Christum assidue commendavimus vobis; et scio quia rudia vobis non sunt. Dominus Christus Verbum Dei est, per quod facta sunt omnia. Hoc Verbum ut redimeret nos, caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 3, 14): factus est homo Deus super omnia, Filius Dei æqualis Patri; ad hoc homo factus est, ut Deus homo mediator esset inter homines et Deum, et reconciliaret longe positos, et conjungeret separatos, et revocaret alienatos, et reduceret peregrinos; ad hoc factus est homo. Factus est ergo caput Ecclesiæ, habet et corpus et membra. Quære membra ipsius, modo gemunt per universum orbem terrarum: tunc lætabuntur in fine, in corona justitiæ, de qua dicit Paulus, *Quam reddet mihi Dominus in illo die justus judex.* Et modo ergo cantemus in spe, omnes in unum collecti. Christum enim induti Christus sumus cum capite nostro; quia utique Abrahæ semen sumus. Apostolus hoc dicit. Quia dixi, Christus sumus. Apostolus ait, *Ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes.* Abrahæ semen estis: videamus, si semen Abrahæ est Christus. « In semine tuo benedicentur omnes gentes. Non dicit, In seminibus, tanquam in multis; sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus (*Galat.* III, 29, 8, 16). » Et nobis dicit, « Ergo semen Abrahæ estis. » Manifestum quia ad Christum pertinemus; et quia membra ejus et corpus ejus sumus, cum capite nostro unus homo sumus. Cantemus ergo, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.*

4. [*vers.* 2.] *Psallam, et intelligam in via immaculata, quando venies ad me.* Nisi in via immaculata, non potes psallere, nec intelligere. Si vis intelligere, in via immaculata psalle, id est, operare in hilaritate Deo tuo. Quæ est via immaculata? Audi sequentia: *Deambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Hæc via immaculata ab innocentia cœpit, in ipsa etiam pervenitur. Quid quæris multa verba? Innocens esto, et perfecisti justitiam. Sed quid est esse innocentem? Duobus enim modis nocet homo, quantum in ipso est; aut faciendo miserum, aut deserendo miserum: quia et tu non vis ab alio fieri miser, et non vis deseri ab alio, si miser fueris. Quis est qui facit miseros? Qui infert violentias vel insidias, rapit res alienas, opprimit pauperes, furatur, conjugia aliena sollicitat, calumniosus est, vult inferre hominibus quo doleant, studio malevolentiæ. Quis est qui deserit miseros? Qui videt inopem aliquo auxilio egentem, et cum habeat quomodo præstet, contemnit, despicit, alienat cor suum. Quod si jam omnino talis esset, ut non opus haberet aliqua misericordia; superbus esset, si desereret miserum: adhuc in tribulatione carnis constitutus est, nesciens quid sibi possit cras accidere, et despicit lacrymas miserorum; non est innocens. Sed quis est innocens? Qui cum alii non nocet, nec sibi nocet. Qui enim et sibi nocet, non est innocens. Ait aliquis: Ecce non tuli alicui, nec pressi aliquem: de re mea, de justo labore meo bene mihi faciam, convivium apparatum habere volo, erogare volo quantum me delectat, bibere cum quibus volo quantum me delectat; cui aliquid tuli? quem pressi? quis de me questus est? Innocens videtur. Sed si seipsum corrumpit, si templum Dei in se evertit, quid exspectas, ut in alios faciat misericordiam, et parcat miseris? Qui in seipsum crudelis est, esse in alium misericors potest? Tota ergo justitia ad unum verbum innocentiæ redigitur. *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X, 6). Quando amabat iniquitatem, putabat quod aliis nocebat. Sed vide si aliis nocebat: *Qui diligit*, inquit, *iniquitatem, odit animam suam.* Sibi ergo prius nocet qui vult aliis nocere; nec deambulat, quia non est ubi. Angustias enim patitur omnis malitia: sola innocentia lata est, ubi deambuletur [1]. *Deambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Medium domus suæ, aut ipsam Ecclesiam dicit; Christus enim in ea deambulat: aut cor suum; domus enim nostra interior, cor nostrum est: ut hoc exposuerit quod superius dixit, *In innocentia cordis mei.* Quæ est innocentia cordis sui? Medium domus suæ. Hanc domum quisquis habet malam, pellitur ab illa foras. Quisquis enim in corde premitur mala conscientia, quomodo quisque ab stillicidio exit de domo sua, aut a fumo, non ibi se patitur habitare: sic qui non habet quietum cor, habitare in corde suo libenter non potest. Tales foras exeunt a seipsis animi intentione, et de his quæ foris sunt circa corpus delectantur; quietem in nugis, in spectaculis, in luxuriis, in omnibus malis quærunt. Quare foris sibi volunt esse bene? Quia non est illis intus bene, unde gaudeant in conscientia. Ideo Dominus cum sanasset paralyticum, ait: *Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam* (*Matth.* IX, 6). Faciat illud anima quæ quasi paralysi dissoluta est: in membris bonæ operationis constringatur, ut bene operetur, tollat grabatum suum, regat corpus suum; jam eat in domum suam, intret in conscientiam suam: jam latam inveniet, ubi deambulet, et psallat, et intelligat.

5. [*vers.* 3, 4.] *Non proponebam ante oculos meos rem malam.* Quid est, *Non proponebam ante oculos meos rem malam?* Non diligebam. Solet enim dici, quod nostis, de homine qui ab aliquo diligitur, Ante oculos illum habet: et ille qui contemnitur, sic solet queri, Non me habet ante oculos. Quid ergo est, ante oculos habere? Diligere. Quid est, non diligere? Non ibi corde habitare. Dixit ergo, *Non proponebam ante oculos meos rem malam:* non diligebam rem malam. Et exponit ipsam rem malam: *Facientes prævaricatio-*

[1] Ita Mss. Edd. vero, *quia non est ubi angustias non patitur. Arcta omnis malitia, sola innocentia lata est. Ubi deambulat?*

nem [1] *odio habui.* Intendite, fratres mei. Si deambulatis cum Christo in medio domus ejus, id est, si vel in corde vestro bene requiescitis, vel in ipsa Ecclesia bonum iter carpitis in via immaculata; non eos tantum qui foris sunt odisse debetis prævaricatores, sed et quoscumque intus inveneritis. Qui sunt prævaricatores? Qui oderunt legem Dei; qui audiunt illam, et non faciunt, prævaricatores dicuntur. Facientes prævaricationem odio habe, repelle illos a te. Sed odisse debes prævaricatores, non homines. Unus homo prævaricator, videte quia duo nomina habet, homo, et prævaricator: hominem Deus fecit, prævaricatorem ipse se fecit; ama in illo quod Deus fecit, persequere in illo quod ipse sibi fecit. Cum enim persecutus fueris prævaricationem ejus, occidis quod homo fecit, et liberatur quod Deus fecit. *Facientes prævaricationem odio habui.*

6. *Non adhæsit mihi cor pravum.* Quod est cor pravum? Cor tortum. Quod est cor tortum? Cor non rectum. Quod est cor non rectum? Vide quod est cor rectum, et ibi invenis quod est cor non rectum. Rectum cor dicitur hominis, qui omnia quæ vult Deus, non ipse non vult [2]. Intendite. Orat aliquis ut nescio quid non eveniat; orat, et non prohibetur. Petat [3] quantum potest: sed contra voluntatem ipsius evenit aliquid; subjungat se voluntati Dei, non resistat voluntati magnæ. Quia et ipse Dominus sic illud exponit: ostendens infirmitatem nostram in se, quando passurus erat, ait, *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Non enim vere ille timebat mortem, qui potestatem habebat ponendi animam suam, et potestatem habebat iterum sumendi eam (*Joan.* x, 18). Et Paulus apostolus miles ipsius, servus ipsius clamat: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die justus judex.* Exsultat quia moriturus est; et Dominus ejus et Imperator ejus tristis est, quia moriturus est! Ergo melior servus quam Dominus? Et ubi est quod ait ipse Dominus: *Sufficit servo ut sit sicut dominus ejus; sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus* (*Matth.* x, 25)? Ecce fortis est Paulus ventura morte, et Dominus tristis est! *Optabam*, inquit, *dissolvi, et esse cum Christo* (*Philipp.* I, 23). Gaudet, quia dissolvitur, ut sit cum Christo; et ipse Christus tristis est, cum quo iste futurum se esse lætatur! Sed quid erat illa vox, nisi sonus infirmitatis nostræ? Multi adhuc infirmi contristantur futura morte: sed habeant rectum cor; vitent mortem, quantum possunt; sed si non possunt, dicant quod ipse Dominus non propter se, sed propter nos dixit. Quid enim dixit? *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Ecce habes voluntatem humanam expressam; vide jam rectum cor: *Verum, non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater* (*Matth.* XXVI, 38, 39). Si ergo rectum cor sequitur Deum, pravum cor resistit Deo. Aliquid illi contingat adversum, clamat: Deus, quid tibi feci? quid commisi? quid peccavi? Se justum vult videri, Deum injustum. Quid tam pravum? Parum est quia tortus est; et tortam regulam putat. Corrige te, et invenis rectum a quo te depravasti. Ille juste, tu injuste; et ideo perversus es, quia hominem justum dicis, et Deum injustum. Quem hominem justum dicis? Teipsum. Quando enim dicis, Quid tibi feci? justum te putas. Sed respondeat tibi Deus: Verum dicis, mihi nihil fecisti; omnia enim tibi fecisti. Si enim mihi aliquid fecisses, bonum fecisses. Quidquid enim bene fit, mihi fit; quia ex præcepto meo fit: quidquid autem mali fit, tibi fit, non mihi fit; quia non facit malus aliquid nisi sibi, quia hoc non ego jubeo. Tales quando videritis, fratres, corripite, arguite, corrigite: et si non potestis corripere aut corrigere, nolite consentire; ut possitis dicere, *Non adhæsit mihi cor pravum.*

7. *Cum declinaret a me malignus, non cognoscebam.* Quid est, *non cognoscebam?* Non approbabam, non laudabam, non mihi placebat. Cognoscere enim invenimus in Scripturis aliquando dici, pro eo quod est placere nobis. Quid enim latet Deum, fratres? Numquid novit justos, et non novit injustos? Quid cogitas quod ille nesciat? Non dico, quid facis; sed, quid cogitas quod ille nesciat? Non dico, quid cogitas; sed, quid cogitaturus es quod ille non ante viderit? Omnia ergo novit Deus: et tamen in fine, id est in judicio post misericordiam, de quibusdam dicit: « In illa die multi venturi sunt, et dicent, Domine, Domine, in nomine tuo dæmonia ejecimus, in nomine tuo virtutes multas [1] fecimus, in nomine tuo manducavimus et bibimus; et dicam illis, Discedite a me, operarii iniquitatis; non novi vos » (*Matth.* VII, 22 *et* 23). Ille non novit aliquem? Sed quid est, *Non novi vos?* In regula mea non vos agnosco. Novi enim regulam justitiæ meæ: non illi congruitis, declinastis ab illa, distorti estis. Ideo et hic dixit, *Non cognoscebam. Cum declinaret a me malignus, non cognoscebam.* Quid est, *non cognoscebam?* Numquid forte quia malignus quando obviam fit justo in vico angusto, dicit sibi quod est scriptum in Sapientia Salomonis, *Gravis est nobis etiam ad videndum* (*Sap.* II, 15); et mutat viam ne videat quem non vult? Sed quam multi sunt maligni quos videmus, et qui nos vident, et non solum non a nobis declinant, sed currunt ad nos, et aliquando iniquitates suas per nos impleri cupiunt [2]? Plerumque nobis contingit. Quomodo ergo declinant? Declinat a te, qui dissimilis est tibi. Quid est, declinat a te? non te sequitur. Quid est, non te sequitur? Non te imitatur. Ergo, *Cum declinaret a me malignus*, id est, cum mihi dissimilis esset malignus, et vias meas nollet imitari, nollet sic vivere malignus, quomodo me illi proposui

[1] Ita Mss. At Edd., *prævaricationes.*

[2] Am. et Lov., *ipse vult.* At Er. et Mss., *non ipse non vult.*

[3] Lov., *petit*: dissentientibus Edd. aliis et Mss.

[1] Mss., *magnas.*

[2] Er. et Lov. post verbum, *cupiunt*, sic prosequuntur: *plerumque se nobis conjungunt? Plerumque nobis contingit.* Regius liber non habet nisi, *Plerumque se nobis conjungunt.* Alii vero Mss. cum Am. nonnisi: *Plerumque nobis contingit*; quibus forte minus intellectis verbis priora illa substituenda quispiam existimaverat. Hic porro Augustinus respicere videtur ad improbos litigatores, qui iniqua judicia impetrare ab episcopis cupiebant.

ad imitationem; *non cognoscebam*. Quid est, *non cognoscebam?* Non quia nesciebam, sed quia non approbabam.

8. [*vers.* 5.] *Detrahentem proximo suo occulte, hunc persequebar*. Ecce persecutor bonus, non hominis, sed peccati. *Superbo oculo et insatiabili corde, huic non convescebar*. Quid est, *non convescebar?* Non cum illo manducabam. Attendat Charitas vestra; quia mirum aliquid audituri estis. Si non convescebatur cum illo, non manducabat; vesci enim, manducare est: cur ergo ipsum primo Dominum invenimus manducasse cum superbis[1]? Non cum publicanis illis et peccatoribus, nam ipsi humiles erant: cognoscebant enim languorem suum, et medicum requirebant. Cum ipsis superbis Pharisæis invenimus illum manducasse. Nam superbus quidam invitaverat illum: ipse est cui displicuit quia mulier peccatrix, quæ erat in civitate famosa, accessit ad pedes Domini; et ait in corde suo (quia talis erat munditia Pharisæorum, ut nemo eos iniquus tangeret; si quis illos immundus vel modice tetigisset, exhorrebant, ne quasi immundos eos faceret tactus immundus. At ubi peccatrix illa, quæ erat in civitate famosa, accessit flere ad pedes Domini, ille cum videret eam, dixit in corde suo): *Hic si esset propheta, sciret quæ mulier illi accessit ad pedes*. Unde sciebat quia Christus nescivit, nisi inde suspicatus est eum nescisse, quia non a se repulit? Quia si ipse esset, repelleret a se. Dominus autem non solum mulierem illam peccatricem noverat, sed et illius superbi[2] vulnera medicus insanabilia videbat. Ait enim cum audisset cogitantem, ut ostenderet illum superbum: « Simon, habeo aliquid tibi dicere: Duo debitores erant cuidam feneratori; unus ei debebat quinquaginta denarios, alius quingentos; cum non haberent unde redderent, dimisit ambobus: quis eum plus dilexit? » Et ille contra se dixit sententiam, extorquente sibi confessionem veritate: « Credo, Domine, cui plus donavit. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides istam mulierem? Intravi in domum tuam; aquam mihi ad pedes non dedisti: ista autem lacrymis suis lavit pedes meos » (*Luc.* VII, 36 44); et cætera quæ nostis. Non opus est in aliis propter quæ ad testimonium adhibuimus, diutius immorari. Iste pharisæus superbus erat, convescebatur cum illo Dominus; quid est ergo quod ait, *Superbo oculo et insatiabili corde, huic non convescebar?* Quid est, *non convescebar?* Non cum illo manducabam. Quomodo nobis proponit hæc quæ ipse non fecit? Ad imitationem suam nos hortatur: videmus eum convivatum esse cum superbis, quomodo nos prohibet ne convivemur cum eis? Nos quidem, fratres, propter correptionem aliquam tenemus nos etiam a fratribus nostris, et non cum eis convivamur, ut corrigantur. Cum extraneis potius convivamur, cum Paganis, quam cum his qui nobis hærent[1], si viderimus eos male vivere, ut erubescant, et corrigantur; sicut dicit Apostolus: *Si quis non obaudit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et nolite commisceri cum eo; et non ut inimicum eum existimetis, sed corripite ut fratrem* (II *Thess.* III, 14, 15). Facimus hoc plerumque propter medicinam; et tamen cum extraneis multis et cum impiis sæpe vescimur.

9. Quid est hoc quod ait, *Superbo oculo et insatiabili corde, huic non convescebar?* Habet epulas suas cor pium, habet epulas suas cor superbum: nam propter cibos ipsos cordis superbi, ideo dixit, *insatiabili corde*. Cor superbum unde pascitur? Si superbus est, invidus est: aliter esse non potest. Superbia, mater invidentiæ est: non potest nisi generare hanc, et cum illa semper esse. Omnis ergo superbus, invidus est: si invidus est, malis alienis pascitur. Unde dicit Apostolus: *Si mordetis et comeditis invicem; videte ne ab invicem consumamini* (*Galat.* V, 15.) Videtis ergo comedentes; nolite his convesci, fugite tale convivium; neque enim se satiant gaudendo de malis alienis, quia insatiabili corde sunt. Cave ne capiaris in epulis eorum laqueo diaboli. Cibis talibus pascebantur Judæi, quando crucifixerunt Dominum: sed quia pascebantur tanquam de pœna Domini. (Nam et nos de cruce Domini pascimur, quia corpus ipsius manducamus.) Dicebant enim, cum viderent eum pendentem in cruce, insultantes, quia insatiabiles corde erant; dicebant ergo: *Si Filius Dei est, descendat de cruce; alios salvavit, se salvare non potest* (*Matth.* XXVII, 40, 42). Pascebantur cibo crudelitatis suæ, et ille pascebatur cibo misericordiæ suæ. *Pater*, inquit, *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Illi ergo habebant alias epulas, ille alias. Sed quid dictum sit de mensa superborum, audite: *Fiat mensa eorum coram ipsis in muscipulam, et in retributionem, et in scandalum* (*Psal.* LXVIII, 23). Pasti sunt, capti sunt. Quomodo enim aves ad muscipulam, aut pisces ad hamum pascuntur, sed capiuntur; sic et ipsi. Habent ergo impii epulas suas, habent et pii epulas suas. Audi epulas piorum: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6). Si ergo pius pascitur cibo justitiæ, et impius superbiæ; non mirum si insatiabilis corde[2]. Pascitur cibo iniquitatis: noli pasci cibo iniquitatis, et non tibi convescitur superbus oculo et insatiabilis corde.

10 [*vers.* 6.] Et unde tu pascebaris? et quid te delectabat, ubi ille tibi non convescebatur? *Oculi mei*, inquit, *super fideles terræ, ut considerent hi mecum*, Dominus dicit, *Oculi mei super fideles terræ, ut considerent hi mecum*: id est, ut mecum sederent. Quomodo sederent? *Sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Id.* XIX, 28). Judicant

[1] Am. Er. et Lov., *cum superbis et non cum publicanis illis et peccatoribus?* Nos auctoritate Mss. removemus particulam, *et*, notamque interrogationis collocamus ante hanc sententiam: *Non cum publicanis*, etc., ut sensus sit: *Non dico cum publicanis*, etc.

[2] Nostri omnes Mss., *illius superbiæ*: et paulo post plerique, loco, *ut ostenderet*, habent, *et ostenderet*.

[1] Sic Mss. At Er et Lov., *qui nobiscum erant, et nobis adhærent*.

[2] Am. Er. et Lov. interpungebant sic: *non mirum si insatiabilis corde pascitur cibo iniquitatis*. Minus bene; nam Augustinus proposuit probandum, *propter cibos ipsos cordis superbi, ideo dictum esse, insatiabili corde*.

fideles terræ, quibus dicitur : *Nescitis quia angelos judicabimus* (I *Cor.* VI, 3)? *Oculi mei super fideles terræ, ut considerent hi mecum. Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Mihi* ait, non sibi. Multi enim ministrant Evangelium, sed sibi ministrant; quia sua quærunt, non quæ Jesu Christi (*Philipp.* II, 21). Quid est, Christo ministrare? Ea quæ Christi sunt, quærere. Et quidem quando mali annuntiant Evangelium, alii salvantur, illi puniuntur. Dictum est enim : *Quæ dicunt, facite; quæ faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII, 3). Non timeas ergo quando a malo audis Evangelium. Væ illi qui sibi ministrat, id est, qui sua ibi quærit : tu, Christi accipe. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.*

11. [*vers.* 7.] *Non habitavit* [1] *in medio domus meæ faciens superbiam.* Referte [2] ad domum illam, id est, ad cor. Non habitabat in corde meo faciens superbiam : nullus talis habitabat in corde meo; resiliebat enim inde. Nemo habitabat in corde meo, nisi mitis et quietus; superbus non illic habitabat. Non enim habitat in corde justi injustus. Sit a te justus remotus nescio quot millibus et mansionibus; simul habitatis, si unum cor habetis. *Non habitavit in medio domus meæ faciens superbiam. Loquens iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.* Hæc est via immaculata, ubi intelligimus quando ad nos veniat Dominus.

12. [*vers.* 8.] *In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ.* Hoc obscurum est; dignamini advertere : jam finis Psalmi est. *In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ.* Quare? *Ut disperdam de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Sunt ergo in civitate Domini operantes iniquitatem, et quasi parcitur eis modo. Quare? Quia misericordiæ tempus est : sed veniet et judicii; quia sic cœpit Psalmus, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* Jam enumeravit superius quia non illi adhæserunt nisi boni. Malis non adhæsit, nec delectabatur epulis iniquitatis eorum qui sibi ministrabant, non Domino, id est, sua quærebant. Et quasi diceretur illi, Et utquid tales in civitate tua tanto tempore tolerasti? Tempus misericordiæ est, ait. Quid est, tempus misericordiæ? Adhuc nondum revelatum est judicium : nox est; apparebit dies, apparebit judicium. Audi Apostolum : *Itaque nolite ante tempus quidquam judicare.* Quid est, *ante tempus?* Ante diem. Audi quia ante diem dixit : *Donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis; et tunc laus erit unicuique a Deo* (I *Cor.* IV, 5). Nam modo, quamdiu non vides cor meum et non video cor tuum, nox est. Nescio quid ab homine petisti; non accepisti, contemni te putas : et forte non contemneris; cor enim non vides : et cito blasphemas; in nocte danda est tibi venia erranti. Diligit te homo nescio quis, et putas quia odit te; aut odit te, et putas quia diligit te : sed quodlibet sit, nox est. Noli timere, præsume in Christo, in illo habeto diem : non est quid mali de illo sentias, quia securi sumus, et certi sumus quia falli non potest; amat nos. De nobis autem invicem nondum [1] certi sumus. Deus enim novit dilectionem nostram in invicem : nos autem etiamsi diligimus nos invicem, quis videt qua dispensatione a nobis fiant ista? Quare nemo videt cor? Quia nox est. In ista nocte tentationes abundant. Quasi de ipsa nocte dixit psalmus : *Posuisti tenebras, et facta est nox; in ea pertransibunt omnes bestiæ silvæ : catuli leonum rugientes ut rapiant, et ut quærant a Deo escam sibi* (*Psal.* CIII, 20, 21). In nocte quærunt escam catuli leonum. Qui sunt catuli leonum? Principum et potestatum aeris hujus, dæmones et angeli diaboli (*Ephes.* II, 2). Quomodo sibi quærunt escam? Quando tentant. Sed quia non accedunt, nisi Deus eis dederit potestatem; ideo dictum est, *Quærentes a Deo escam sibi.* Petiit Job tentandum. Qualem escam? Opulentam [2], pinguem, justum Dei, cui ipse Deus testimonium perhibuit, et ait : *Homo sine querela, verus Dei cultor fuit.* Petivit illum tentandum, quærens a Deo escam : et accepit tentandum, sed non opprimendum (*Job* I, 8. 12); purgandum, non evertendum; aut forte nec purgandum, sed probandum. Tamen et qui tentantur, aliquando traduntur occulto merito suo in manus tentatoris, quia traditi sunt forte in concupiscentias suas. Nam diabolus nulli nocet, nisi acceperit potestatem a Deo. Sed quando? In nocte. Quid est, in nocte? In isto tempore. Cum autem transierit nox, et venerit dies, mittuntur mali cum illo in ignem æternum, justi vero in vitam æternam (*Matth.* XXV, 46). Nullus illic erit tentator, quia non sunt illic catuli leonum; quia transacta est nox. Ideo Dominus discipulis suis ait : *Hac nocte postulavit satanas vexare vos sicut triticum; et ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua* (*Luc.* XXII, 31, 32). Quid est, *vexare sicut triticum?* Quomodo ab homine triticum non manducatur, nisi primo attritum, ut panem faciat; sic neminem manducat diabolus, nisi primo per tribulationem everterit. Conterit, ut manducet : tu autem quando tribularis, si maneas granum, non conturberis; nihil tibi contingit. Quomodo quando boves triturant, numquid in solum triticum intrant? Simul mittuntur cum tribula in aream. Sed numquid timendum est tritico? Absit. Non conciditur nisi palea; triticum spoliatur superfluis [3], et veniat ventilatio, et inveniet puram massam : quem invenit granum mittit in horreum suum; et acervum paleæ comburet igni inexstinguibili (*Matth.* III, 12).

13. Unde dixi hoc? Quia diem in spe habemus. Dies nobis in Christo debet esse. Nam quamdiu inter tentationes sumus, nox est. In ista nocte parcit Deus peccatoribus, ut non illos tollat; flagellat illos tentationibus, ut corrigantur; tolerat illos in civitate sua.

[1] Sic Am. Er. et præcipui Mss. juxta LXX. At Lov., *habitabit.*

[2] Sic Mss. At Edd., *revertere.*

[1] Sic Am. et aliquot Mss. At Er. et Lov., *nondum tam certi sumus.*

[2] Remig. probæ notæ Ms., *pulentem* : et huic favent quidam habentes, *opulentem.*

[3] Sic meliores Mss. At Er. et Lov.: *Non conciditur nisi palea, a tritico spoliatur, superfluit, et veniet,* etc. Am., *nisi palea a tritico spolietur, superfluit,* etc.

putamus semper tolerabit? Si semper misericordia est, non est judicium : si autem, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine;* modo parcit, tunc judicabit. Sed quando judicabit? Cum transierit nox. Ideo dixit, *In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ.* Quid est, *In matutinis?* Cum jam dies venerit, nocte transacta. *In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ.* Quare eis parcit usque ad matutinum? Quia nox erat. Quid est, nox erat? Quia tempus erat parcendi : parcebat, cum corda hominum essent occulta. Vides aliquem male vivere, toleras illum : nescis enim qualis erit, quia nox est; utrum qui hodie male vivit, cras bene vivat; et utrum qui hodie bene vivit, cras malus sit. Nox est enim, et omnes tolerat Deus, quia longanimis est. Tolerat, ut convertantur ad illum peccatores. Sed qui non se correxerint in isto tempore misericordiæ, interficientur. Et quare interficientur? Ut dispergantur de civitate Domini, de societate Jerusalem, de societate sanctorum, de societate Ecclesiæ. Quando autem interficientur? *In matutinis.* Quid est, *In matutinis?* Cum nox transacta fuerit. Quare modo parcit? Quia tempus est misericordiæ. Quare non semper parcit? Quia, *Mirericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* Fratres, nemo sibi blandiatur : interficientur omnes operantes iniquitatem; interficiet eos Christus in matutinis, et disperdet eos de civitate sua. Sed modo cum tempus misericordiæ est, audiant eum. Ubique clamat per Legem, per Prophetas, per Psalmos, per Epistolas, per Evangelia : videte quia non tacet, quia parcit, quia erogat misericordiam; sed cavete, quia venturum est judicium.

IN PSALMUM CI
ENARRATIO.
SERMO I (*a*).
De prima parte Psalmi.

1. [*vers.* 1.] Ecce unus pauper orat, et non orat in silentio. Licet ergo audire eum, et videre quisnam sit : ne forte ille sit, de quo dicit Apostolus, *Qui propter vos pauper factus est, cum dives esset, ut illius paupertate vos ditaremini* (II *Cor.* VIII, 9). Si ergo ipse est, quomodo pauper? Nam quomodo dives, quis non videt? Unde enim homines sunt divites? Puto auro, argento, familia, terra : sed *omnia per ipsum facta sunt.* Quid ergo illo ditius, per quem factæ sunt divitiæ, etiam illæ quæ non sunt veræ divitiæ? Per illum enim et illæ divitiæ, ingenium, memoria [1], mores, vita, ipsius corporis sanitas, sensus, conformatioque membrorum : etenim cum hæc salva sunt, et pauperes divites sunt. Per illum et illæ majores divitiæ, fides, pietas, justitia, charitas, castitas, mores boni : nemo enim et has habet, nisi per eum qui justificat impium (*Rom.* IV, 5). Ecce quam dives. Quis enim dives, qui habet quod vult alio faciente, an qui facit quod vult et alio habente? Puto quia ditior ille qui fecit quod habes; quia quod ille habet, tu non habes. Ecce quam dives. In hoc tam divite unde agnituri sumus hæc verba : *Cinerem sicut panem manducavi, et potum meum cum fletu miscebam?* Huccine illæ tantæ divitiæ pervenerunt? Multum illud excelsum, multum hoc abjectum. Quid faciemus? quemadmodum ista ima illis summis contemperabimus? Nimis ab invicem longe sunt. Nondum agnosco istum pauperem; alius est fortasse : sed adhuc quæramus. Unde enim nobis non videtur ipse, mirum si interrogas et non expavescis divitias : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Qui ista dixit, cum diceret, dives erat; quanto magis ille de quo dicebat, *In principio erat Verbum :* et non qualecumque Verbum, sed *Verbum Deus;* et non ubicumque, sed *apud Deum;* et non vacans, sed *omnia per ipsum facta sunt?* Cinerem sicut panem manducavit, et potum suum cum fletu commiscuit? Metuendum est ne tantis divitiis nostra paupertas faciat injuriam. Quære adhuc tamen ne ipse sit pauper iste; quoniam *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 2, 3, 14). Respice et illam vocem : *Ego servus tuus et filius ancillæ tuæ* (*Psal.* CXV, 16). Attende ancillam illam castam, et virginem, et matrem : ibi enim accepit paupertatem nostram, ubi servi forma indutus est, semetipsum exinaniens; ne divitias ejus expavesceres, et ad eum accedere cum tua mendicitate non auderes. Ibi accepit, inquam, formam servi, ibi nostra indutus est paupertate; ibi se pauperavit, ibi nos ditavit. Jam ergo propinquamus de illo hæc intelligere : verumtamen adhuc non est temere pronuntiandum. Partus virginis est lapis sine manibus de monte præcisus (*Dan.* II, 34), ubi nullus hominum operatus est, nulla transfusa concupiscentia, sed sola fides accensa, et Verbi caro concepta. Deinde processit ex utero; locuti sunt cœli, Angeli pastoribus nuntiaverunt (*Luc.* II, 7-14), stella ad adorandum regem magos traxit (*Matth.* II, 1, 2), Simeon impletus Spiritu infantem Deum in matris manibus agnovit. Accessit ætas, non divinitati, sed carni. Horrent, miranturque sapientiam pueri duodennis [1], imperiti senes (*Luc.* II, 25-47). Aut etiamsi periti senes, quid illorum peritia ad Verbum Dei? quid illorum peritia ad Sapientiam Dei? Nonne et periti, nisi illo subveniente, utique perituri? Crescit adhuc ætate corporis : venit ad fluvium baptizandus; baptizator Deum agnoscit, indignum se solvendæ calceamenti corrigiæ confitetur (*Marc.* I, 7-11). Jam inde cæci illuminantur, surdis aperitur auditus, loquuntur muti, mundantur leprosi, stringuntur paralytici, convalescunt languidi, resurgunt mortui (*Matth.* XI, 5).

2. Jam quidem in Verbi illius per quod facta sunt omnia comparatione, divitiarum agnosco paupertatem; sed quam longe adhuc a cinere et fletu cum

[1] Am. et plures Mss. non habent vocem, *memoria.* Alii quidam omittunt, *mores.* Paulo post in Edd. legebatur, *confirmatioque membrorum :* sed melius in Fuliensium Ms., *conformatioque,* etc.

(*a*) Habitus post anni 405 leges in Donatistas, de quibus serm. 2, n. 9.

[1] Ita sex Mss. Alii cum Edd., *sapientiam Dei pueri duodennis.*

potu? Adhuc timeo dicere, Ipse est; et tamen volo. Sunt hic enim quæ me cogant velle, et rursus quædam quæ me cogant timere. Ipse est, et non est ipse. Jam in forma servi est, jam mortalem fragilemque carnem portat, jam moriturus advenit, et tamen nondum intelligitur in hac egestate. *Cinerem sicut panem manducavi, et potum meum cum fletu miscebam.* Addat ergo paupertatem paupertati, et transfiguret in se corpus humilitatis nostræ (*Philipp.* III, 21): sit caput nostrum, simus membra ejus, sint duo in carne una. Jam enim ut primitus pauper esset, formam servi accipiens (*Id.* II, 7), dimisit Patrem: quod autem de virgine natus est, dimittat et matrem, et adhæreat uxori suæ, et sint duo in carne una (*Ephes.* v, 31, 32). Ita enim erunt duo et in voce una, et in illa una voce jam non mirabimur nostram vocem: *Cinerem sicut panem manducavi, et potum meum cum fletu miscebam.* Dignatus est enim habere nos membra. Sunt et pœnitentes in membris ejus. Non enim exclusi, et separati sunt ab Ecclesia ejus: nec omnino sibi adjungeret conjugem, nisi illa voce, *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 2). Jam ergo audiamus quid oret caput (*Ephes.* IV, 15) et corpus, sponsus (*Joan.* III, 29) et sponsa, Christus et Ecclesia, utrumque unus: sed Verbum et caro non utrumque unum; Pater et Verbum utrumque unum; Christus et Ecclesia utrumque unus, unus quidam [1] vir perfectus in forma plenitudinis suæ: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, in agnitionem Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV, 13). Sed donec occurramus, agitur hic paupertas nostra, agitur hic adhuc labor et gemitus. Gratias misericordiæ ipsius. Unde illi labor, unde gemitus Verbo, per quod facta sunt omnia? Si dignatus est habere mortem nostram, non nobis dabit vitam suam? In magnam spem erexit, cum magna spe gemimus. Gemitus habet tristitiam; sed est gemitus qui habet et gaudium. Ego puto Saram sterilem lætam gemuisse [2], cum pareret: et nos a timore tuo concepimus et parturivimus spiritum salutis (*Isai.* XXVI, 18). Audiamus ergo Christum pauperem in nobis et nobiscum, et propter nos. Titulus enim ipse indicat pauperem. Postremo putate me suspicatum quisnam sit iste pauper; orationem audiamus, et personam agnoscamus: necubi erres, quando audieris aliquid quod coaptari capiti illius non possit; ideo prælocutus sum, ut quod tale audieris, ex infirmitate corporis advertas sonare, et vocem membrorum agnoscas in capite. *Oratio inopis*, hoc habet titulus, *cum angeretur, et in conspectu Domini effudit precem suam.* Ipse ille pauper est, qui alibi dicit: *A finibus terræ ad te clamavi, cum angeretur cor meum* (*Psal.* LX, 3). Iste ipse pauper est, quia idem ipse Christus est; qui se apud prophetam, et sponsum dixit, et sponsam: *Sicut sponso alligavit mihi mitram; et sicut sponsam induit me ornamento* (*Isai.* LXI, 10). Se dixit sponsum, se dixit sponsam; unde hoc, nisi quia sponsum propter caput, sponsam propter corpus? Vox ergo una, quia caro una. Audiamus, et potius in his vocibus nos quoque agnoscamus; et si nos extra esse viderimus, ibi esse laboremus.

3. [*vers.* 2, 3.] « Exaudi, Domine, orationem meam, et clamor meus ad te perveniat. » Hoc est, « Exaudi, Domine, orationem meam; » quod est, « clamor meus ad te perveniat. » in geminatione affectus petentis est. *Ne avertas faciem tuam a me.* Quando Deus a Filio? quando Pater (*a*) a Christo? Sed propter membrorum paupertatem, *Ne avertas faciem tuam a me. In quacumque die tribulor, inclina aurem tuam ad me.* Tribulor enim deorsum; tu autem es sursum: si me extollo, longe fis; si me humilio, inclinas aurem tuam ad me. Sed quid est, *In quacumque die tribulor?* Nunc enim non tribulatur? aut ista [1] diceret, nisi tribularetur? Sufficeret ergo, Inclina aurem tuam ad me, quoniam tribulor. *In quacumque die tribulor, inclina aurem tuam ad me:* tanquam unitas corporis; si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra (I *Cor.* XII, 26). Tribularis tu hodie, ego tribulor; tribulatur alius crastino, ego tribulor; post istam generationem alii posteri, qui succedunt posteris, tribulantur, ego tribulor; usque in finem sæculi, quicumque in meo corpore tribulantur, ego tribulor. « In quacumque » ergo « die tribulor, inclina aurem tuam ad me. In quacumque die invocavero te, cito exaudi me. » Hoc idem est. Jam nunc invoco; sed, « In quacumque die invocavero te, cito exaudi me. » Oravit Petrus, oravit Paulus, oraverunt cæteri Apostoli; oraverunt fideles temporibus illis, oraverunt fideles consequentibus temporibus, oraverunt fideles martyrum temporibus, orant fideles nostris temporibus, orabunt fideles posterorum temporibus: *In quacumque die invocavero te, cito exaudi me. Cito exaudi:* jam enim hoc rogo quod dare vis. Non terrena quasi terrenus, sed ex prima captivitate jam redemptus, regnum cœlorum desidero; *Cito exaudi me:* non enim nisi tali desiderio dixisti, *Adhuc te loquente dicam, Ecce adsum* (*Isai.* LVIII, 9). *In quacumque die invocavero te, cito exaudi me.* Unde invocas? de qua tribulatione? de qua egestate? O pauper ante januam divitis Dei, quo desiderio mendicas? qua inopia requiris? qua egestate pulsas, ut aperiatur tibi? Dic, audiamus ipsam egestatem; in illa et nos ipsos inveniamus, et tecum rogemus. Audi, et agnosce, si potes.

4. [*vers.* 4.] *Quia defecerunt sicut fumus dies mei.* O dies! si dies: ubi enim dies auditur, lux intelligitur. *Sed defecerunt sicut fumus dies mei. Dies mei*, tempora mea: unde *sicut fumus*, nisi propter elationem superbiæ? Tales dies dignus fuit accipere superbus Adam, unde carnem Christus accepit. Ergo in Adam Christus, et Adam in Christo. Liberavit profecto et a diebus fumi, qui dignatus est habere vocem dierum fumi. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei.* Videte fumum superbiæ similem, ascendentem, tumescentem, vanescentem: merito ergo deficientem, non utique

[1] Sic Mss. At Edd., *quidem*.
[2] Er. et Lov., *gemisse*. Verius Am. et Mss., *gemuisse*.

[1] Vetus liber Corb. optimæ notæ: *Aut ista non diceret.*
(*a*) Subaudi, *faciem avertit.*

permanentem. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei; et ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt.* Et ipsa ossa mea, et ipsa fortitudo mea, non sine tribulatione, non sine ustione. Ossa corporis Christi, fortitudo corporis Christi, ubi major quam in sanctis Apostolis? Et tamen vide ossa frigi: *Quis scandalizatur, et non ego uror* (II *Cor.* XI, 29)? Fortes sunt, fideles, boni intellectores et prædicatores verbi, viventes ut loquuntur, loquentes ut audiunt: fortes plane sunt, sed omnes qui scandala patiuntur, frixorium ipsorum sunt. Est enim ibi charitas, et magis in ossibus. Interiora sunt ossa omnibus carnibus, et portant omnes carnes. Verum si quisquam patiatur aliquod scandalum, et in anima periclitetur; tantum os frigitur, quantum amat. Desit amor, nemo frigitur: adsit charitas, et si membrum compatitur, patiente uno membro; quomodo friguntur qui portant universa membra? *Ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt.*

5. [*vers.* 5.] *Percussum est sicut fenum, et aruit cor meum.* Respice ad Adam, unde genus humanum. Unde enim nisi ab illo propagata miseria est? Unde enim nisi ab illo hæreditaria ista paupertas? Dicat ergo cum spe jam in corpore Christi positus, ille aliquando in suo corpore desperatus, *Percussum est sicut fenum, et aruit cor meum.* Merito, quia omnis caro fenum (*Isai.* XL, 6). Sed tamen unde tibi hoc contigit? *Quoniam oblitus sum manducare panem meum.* Dederat enim Deus panem præcepti. Nam panis animæ quid, nisi verbum Dei? Suggerente serpente, prævaricante muliere [1], tetigit vetitum (*Gen.* III, 6), oblitus est præceptum: merito percussum est sicut fenum, et aruit cor ejus, quoniam oblitus est manducare panem suum. Oblitus manducare panem, bibit venenum; percussum est cor ejus, et aruit sicut fenum. Ipse est ille percussus in Isaia, de quo dicitur, et cui dicitur: « Non in æternum tempus irascar vobis: spiritus enim a me procedit, et omnem flatum ego feci. Propter peccatum modicum quid contristavi illum, et percussi illum, et averti faciem meam ab illo. » Merito hic, « Ne avertas faciem tuam a me: » hoc est, a percusso, de quo dixisti, « Percussi illum; » de quo dixisti, « Vias ejus vidi, et sanavi eum (*Isai.* LVII, 16-18). Percussum est sicut fenum, et aruit cor meum, quoniam oblitus sum manducare panem meum. » Modo manduca quem oblitus eras [2]. Sed venit et ipse panis, in cujus corpore tibi licet recordari vocem oblivionis tuæ, et clamare ex paupertate, ut sumas divitias. Modo manduca; in ejus enim corpore es, qui ait: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41). Oblitus eras manducare panem tuum; sed jam illo crucifixo, commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ (*Psal.* XXI, 28). Post oblivionem veniat commemoratio, manducetur panis de cœlo, ut vivatur; non manna, sicut illi manducaverunt et mortui sunt (*Joan.* VI, 49): panis de quo dicitur, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* V, 6).

6. [*vers.* 6.] *A voce gemitus mei adhæserunt ossa mea carni meæ.* A voce quam intelligo, a voce quam novi [1]: *A voce gemitus mei*, non a voce gemitus illorum quibus compatior. Multi enim gemunt, gemo et ego; et hoc gemo, quia male gemunt. Amisit nummum, gemit; amisit fidem, non gemit: ego appendo nummum et fidem, et invenio majorem gemitum de male gemente, aut non gemente. Facit fraudem, et gaudet. Quo lucro? quo damno? Acquisivit pecuniam, perdidit justitiam. Gemit hinc qui gemere novit; qui capiti propinquat, qui recte (*a*) hæret corpori Christi, gemit inde. Carnales autem non inde gemunt, et gemendos se faciunt, quia non inde gemunt: nec eos possumus, vel non gementes, vel male gementes contemnere. Volumus enim eos corrigere, volumus emendare, volumus reparare [2]: et quando non possumus, gemimus; et cum gemimus, non ab ipsis separamur. *A voce* enim *gemitus mei adhæserunt ossa mea carni meæ:* adhæserunt fortes invalidis, adhæserunt firmi infirmis. Unde adhæserunt? A voce gemitus sui, non a voce gemitus illorum. Qua lege adhæserunt, nisi qua dictum est: *Debemus enim nos firmi infirmitatem infirmorum portare* (*Rom.* XV, 1)? *Adhæserunt ossa mea carni meæ.*

7. [*vers.* 7, 8.] *Similis factus sum pelicano* [3] *qui habitat in solitudine; factus sum sicut nycticorax in parietinis. Vigilavi, et factus sum sicut passer singularis in tecto.* Ecce tres aves, et tria loca; quid sibi velint, donet Dominus ut dicamus, et ut audiatis utiliter quod dicitur salubriter. Quid sibi volunt tres aves, et tria loca? Quæ tres aves? Pelicanus, nycticorax, et passer: et tria loca, solitudo, parietinæ, et tectum. Pelicanus in solitudine, nycticorax in parietinis, passer in tecto. Primo quid sit pelicanus, dicendum est. In ea quippe regione nascitur, ut nobis ignota hæc avis sit. Nascitur in solitudinibus, maxime Nili fluminis, in Ægypto. Quælibet sit avis hæc, quod de illa Psalmus dicere voluit, hoc intueamur. *Habitat*, inquit, *in solitudine.* Quid quæris formam ejus, membra ejus, vocem ejus, mores ejus? Quantum tibi Psalmus dicit [4], avis est habitans in solitudine. Nycticorax, avis est amans noctem. Parietinæ dicuntur, quas vulgo dicimus ruinas, ubi parietes stant sine tecto, sine habitantibus: ibi habitat nycticorax. Jam vero passer et tectum quid sit, nostis. Invenio ergo aliquem de corpore Christi, prædicatorem verbi, compatientem infirmis, quærentem lucra Christi, reminiscentem Domini sui venturi, ne dicat: *Serve nequam et piger, dares pecuniam meam nummulariis* (*Matth.* XXV, 26, 27). Ex hujus dispensatoris officio videamus hæc tria. Venerit inter aliquos ubi christiani non sunt; pelicanus est in solitudine: venerit ad eos qui fuerunt et ceciderunt, nycticorax est in parietinis; non enim dese-

[1] Aliquot Mss., *prævaricata mulier.* Alii, *prævaricata muliere.*
[2] Mss., *quod oblitus eras.*

[1] Hic Edd. addunt, *probabiliter:* quod a præcipuis Mss. abest.
[2] Plerique Mss., *separare.*
[3] Corb. Ms., *pelicani:* et loco, *pelicanus,* semper habet, *pelicanis.*
[4] Am. et omnes Mss., *dedit.*
(*a*) Forte, *stricte.*

rit et tenebras eorum qui habitant in nocte, et ipsos lucrari vult : venerit ad eos qui christiani sunt quidem habitantes in domo, non quasi qui non crediderint, aut quod crediderant dimiserint, sed in eo quod credunt tepide ambulantes; clamat ad eos passer, non in solitudine, quia christiani sunt; nec in parietinis, quia non ceciderunt; sed tamen in tecto sunt; sub tecto potius, quia sub carne sunt. Ille super carnem clamat passer, præcepta Dei non tacet, nec fit carnalis, ut subjiciatur tecto. *Qui* enim *in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo* (*Matth.* XXIV, 17); et, *Quod in aure auditis, prædicate super tecta* (*Id.* X, 27). Istæ tres aves et tria loca; et unus homo potest habere personam trium avium, et tres homines possunt habere personam trium avium; et tria genera locorum, tria genera sunt [1] hominum : tamen solitudo, parietinæ, et tectum, nonnisi tria genera hominum sunt.

8. Sed quid de his plurimum? Ipsum Dominum videamus, ne forte ipse sit, et melius ipse agnoscatur, et pelicanus in solitudine, et nycticorax in parietinis, et passer singularis in tecto. Dicat nobis pauper iste, caput nostrum: pauper voluntate, loquatur pauperibus in necessitate. Quod enim dicitur, vel etiam legitur de hac ave, id est pelicano, non taceamus; non aliquid affirmantes temere, sed tamen non tacentes quod qui scripserunt, et legi et dici voluerunt. Vos sic audite, ut si verum est, congruat; si falsum est, non teneat. Dicuntur hæ aves tanquam colaphis rostrorum occidere parvulos suos, eosdemque in nido occisos a se lugere per triduum : postremo dicunt matrem seipsam graviter vulnerare et sanguinem suum super filios fundere, quo illi superfusi reviviscunt [2]. Fortasse hoc verum, fortasse falsum sit : tamen si verum est, quemadmodum illi congruat, qui nos vivificavit sanguine suo, videte. Congruit illi quod matris caro vivificat sanguine suo filios suos; satis congruit. Nam et ipse gallinam se dicit super pullos suos : *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, tanquam gallina pullos suos sub alas suas, et noluisti* (*Id.* XXIII, 37)? Habet enim paternam auctoritatem, maternum affectum : sicut et Paulus et pater est et mater est; non per seipsum, sed per Evangelium : pater ubi dicit, « Etsi habeatis multos pædagogos in Christo, sed non multos patres; in Christo enim Jesu per Evangelium ego vos genui » (I *Cor.* IV, 15); mater autem ubi ait, « Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis » (*Galat.* IV, 19). Habet ergo hæc avis, si vere ita est, magnam similitudinem carnis Christi, cujus sanguine vivificati sumus. Sed quomodo congruat Christo, quod ipsa occidit filios suos? An et illi non congruit : *Ego occidam, et ego vivificabo; ego percutiam, et ego sanabo* (*Deut.* XXXII, 39)? An vero Saulus persecutor moreretur, nisi de cœlo percuteretur (*Act.* IX, 4); aut prædicator excitaretur, nisi illius sanguine vivificaretur? Sed hoc viderint qui scripserunt; non in incerto intellectum nostrum constituere nos debemus. Hanc avem potius in solitudine agnoscamus; hoc enim inde Psalmus voluit ponere, *Pelicanus in solitudine*. Puto ego hic intelligi Christum natum de virgine. Solus enim sic, ideo solitudo : in solitudine natus, quia solus ita natus. Post nativitatem ventum est ad passionem : a quibus crucifigebatur? numquid ab stantibus? numquid a lugentibus [1]? Ergo tanquam in nocte ignorantiæ ipsorum, et tanquam in parietinis ruinæ ipsorum. Ecce nycticorax et in parietinis, amat et noctem [2]. Nam nisi amaret, unde diceret, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34)? Deinde natus in solitudine, quia solus ita natus; passus in tenebris Judæorum tanquam in nocte, in prævaricatione tanquam in ruinis : quid postea? *Vigilavi*. Ergo dormieras in parietinis, et dixeras : *Ego dormivi*. Quid est, *Ego dormivi?* Quia volui, dormivi; noctem amando dormivi : sed ibi sequitur, *Et exsurrexi* (*Psal.* III, 6). Ergo hic, *Vigilavi*. Sed posteaquam vigilavit, quid egit? Ascendit in cœlum, factus est *sicut passer* volando, id est ascendendo : *singularis in tecto*, id est in cœlo. Ergo pelicanus nascendo, nycticorax moriendo, passer resurgendo : ibi in solitudine, velut solus; hic in parietinis, velut ab eis occisus, qui stare non potuerunt in ædificio; hic vero jam vigilans et volans singularis in tecto, ibi interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34). Caput enim nostrum passer est, corpus illius turtur. *Etenim passer invenit sibi domum*. Quam domum? In cœlo est, interpellat pro nobis. *Et turtur nidum sibi*, Ecclesia Dei nidum de lignis crucis ipsius; *ubi ponat pullos suos* (*Psal.* LXXXIII, 4), parvulos suos. *Vigilavi, et factus sum sicut passer singularis in tecto*.

9. [*vers.* 9.] *Tota die exprobrabant mihi inimici mei, et qui laudabant me, adversus me jurabant*. Ore laudabant, corde insidias præparabant. Audi laudem ipsorum. *Magister, scimus quia viam Dei in veritate doces, et personam non accipis : licet tributum dare Cæsari* (*Matth.* XXII, 16, 17)? Quem laudas, supplantas. Quare nisi quia *qui laudabant me, adversus me jurabant?* Unde autem hoc opprobrium, nisi quia veni facere membra mea peccatores, ut agendo pœnitentiam sint in corpore meo? Inde totum opprobrium, inde persecutio : *Quare magister vester cum peccatoribus et publicanis manducat? Non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus* (*Id.* IX, 11 *et* 12). Utinam vos ægrotare nossetis, ut medicum quæreretis; non occideretis, et per superbam dementiam falsa sanitate periretis.

10. [*vers.* 10.] *Mihi* autem unde *tota die exprobrabant inimici mei?* unde *qui laudabant me, adversus me jurabant? Quoniam cinerem sicut panem manducavi, et potum meum cum fletu miscebam*. Quia hæc genera hominum habere in suis membris sananda voluit et liberanda, inde opprobrium. Hodieque Paganorum opprobrium quale in nos est? quid putatis, fratres, quid eos putatis dicere nobis? Vos corrumpitis disci-

[1] Aliquot Mss. omittunt hæc verba, *locorum, tria genera sunt*.
[2] Mss., *quo illi superfuso reviviscunt*.

[1] Unus Ms., *a ludentibus*. Forte leg., *ab intelligentibus*.
[2] Aliquot Mss., *et in parietinis amat, et in nocte*.

plinam, moresque generis humani pervertitis. Quid invehetis? dic quamobrem; quid fecimus? Dando, inquit, hominibus pœnitentiæ locum, promittendo impunitatem omnium delictorum : ideo homines mala faciunt, securi quod eis, cum conversi fuerint, omnia dimittuntur. Hinc ergo opprobrium, *Quoniam cinerem sicut panem manducavi, et potum meum cum fletu miscebam.* O qui insultas, invito te ad istum panem. Non enim audes te dicere non esse peccatorem. Discute conscientiam tuam, ascende tribunal mentis tuæ, noli tibi parcere, examina te, loquatur tibi medulla cordis; vide utrum audeas innocentiam profiteri. Hic plane si se respexerit, conturbabitur; si se non palpaverit, confitebitur. Et quid agis miser, si non erit portus impunitatis? Si sola fuit peccandi licentia, et nulla peccatorum est indulgentia, ubi eris? quo ibis? Certe et pro te factum est, ut pauper iste cinerem sicut panem manducaret, et potum suum cum fletu misceret. Non te jam delectat tale convivium? Sed tamen, inquit, augent homines peccata spe veniæ. Imo augerent peccata desperatione veniæ. Nonne attendis quam licentiosa crudelitate vivant gladiatores? Unde hoc, nisi jam tanquam ad ferrum et victimam destinati, explere volunt libidinem, antequam fundant sanguinem? Nonne et tu hoc tibi diceres : Jam peccator sum, jam iniquus, jam damnandus, nulla veniæ spes est; cur jam non faciam quidquid libet, etsi non licet? Cur non impleam, quantum possum, quæcumque desideria, si post hæc non restant nisi sola tormenta? Nonne hoc tibi diceres, et desperatione ipsa pejor fieres? Potius ergo te corrigit qui indulgentiam promittit, et dicit : *Redite prævaricatores ad cor* (*Isai.* XLVI, 8). *Nolo mortem impii; quantum* [1] *ut revertatur, et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11). Hoc procul dubio portu proposito, deponis vela iniquitatis, convertis proram, velificas ad justitiam, et sperans vitam, non negligis medicinam. Nec in hoc tibi displiceat Deus, tanquam per istam indulgentiæ promissionem securos fecerit peccatores. Etenim ne desperatione homines pejus viverent, promisit indulgentiæ portum, rursus, ne spe veniæ pejus viverent, fecit diem mortis incertum : providentissime utrumque constituens, et revertentes quo recipiantur, et differentes unde terreantur. Manduca cinerem velut panem, et fletum tuum cum potu misce; per hoc convivium venies ad mensam Dei. Noli desperare; promissa est indulgentia tibi. Deo gratias, inquit, quia promissa est; teneo promissum Dei. Ergo jam bene vive. Cras, inquit, bene vivam. Indulgentiam tibi Deus promisit; crastinum diem tibi nemo promisit. Si male vixisti, bene vive jam hodie. Stulte, *hac nocte auferetur a te anima tua.* Non dico, *Quæ præparasti, cujus erunt* (*Luc.* XII, 20)? sed, Secundum quod vixisti, ubi eris? Corrige ergo te, ut possis in corpore Christi habere vocem istam, quam, nisi fallor, libenter agnoscis : *Quoniam cinerem sicut panem manducavi, et potum meum cum fletu miscebam.*

[1] Sic Mss. At Edd., *tantum.*

11. [*vers.* 11.] *A facie iræ tuæ* [1] *et indignationis tuæ, quoniam levasti, elisisti me.* Ipsa est illa ira tua, Domine, in Adam; ira cum qua omnes nati sumus, cui nascendo cohæsimus; ira de propagine iniquitatis, ira de massa peccati : secundum quam dicit Apostolus, *Fuimus et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri;* et unde dicit Dominus, *Ira Dei manet super eum, quia non credidit in unigenitum Filium Dei* (*Joan.* III, 36). Non enim ait, Ira Dei veniet super eum; sed, *manet super eum :* quia non tollitur in qua natus est. Quare ergo, et quid sibi vult vox ista, *Quoniam levasti, elisisti me :* Non enim ait, Quoniam levasti, et elisisti me; sed, *Quoniam levasti, elisisti me.* Ideo elisisti, quia levasti. Unde hoc? Homo in honore positus, factus est ad imaginem Dei : levatus in hunc honorem, erectus a pulvere, erectus a terra, accepit animam rationalem, præpositus est rationis ipsius vivacitate omnibus bestiis, pecoribus, volatilibus, piscibus (*Gen.* I, 26). Quid enim horum habet intelligentiæ rationem? Quia nullum horum factum est ad imaginem Dei. Quomodo nullum horum habet hunc honorem, sic nullum horum habet hanc miseriam. Quod enim pecus plangit de peccato? quæ avis timet gehennam ignis æterni? Quia nulla ei participatio beatæ vitæ, nulli stimuli miseriarum. Homo autem, quia factus est qui sit in beata vita, si bene vixerit; ideo erit in misera vita, quia male vixit. Ergo, *Quia levasti, elisisti me :* ideo sequitur me pœna, quia dedisti mihi liberum arbitrium. Si enim mihi non dedisses liberum arbitrium, et per hanc rationem pecoribus me non faceres meliorem, non me sequeretur damnatio justa peccantem. Ergo per arbitrium liberum levasti me, et per justitiæ judicium elisisti me.

12. [*vers.* 12.] *Dies mei sicut umbra declinaverunt.* Potuerunt enim esse dies tui non declinantes, si tu a die vero non declinasses : declinasti, et accepisti dies declinantes. Quid mirum si dies tui facti sunt similes tui? Ipsi sunt enim dies declinantes, quia deviasti, qui sunt dies fumi, quia tumuisti. Supra enim dixerat, *Defecerunt sicut fumus dies mei;* et nunc dicit, *Dies mei sicut umbra declinaverunt.* In hac umbra agnoscendus est dies, in hac umbra videnda est lux; ne postea sera et infructuosa pœnitentia dicatur : *Quid nobis profuit superbia? et divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam umbra* (*Sap.* V, 8, 9). Modo dic, Transibunt omnia tanquam umbra, et tu non transeas tanquam umbra. *Dies mei sicut umbra declinaverunt; et ego velut fenum arui.* Quia et supra dixerat, *Percussum est sicut fenum, et aruit cor meum.* Sed revirescet fenum irrigatum sanguine Salvatoris. *Ego sicut fenum arui :* ego homo, post illam prævaricationem; hoc ego justo judicio tuo : tu autem quid?

13. [*vers.* 13.] *Tu vero, Domine, in æternum manes.* Mei dies sicut umbra declinaverunt, et tu in æternum manes : temporalem salvet æternus. Non enim quia ego cecidi, et tu senuisti : nam viges ad me liberan-

[1] Edd. omittunt, *tuæ :* quod Mss. habent, juxta LXX.

dum, qui viguisti ad me humiliandum. *Tu vero, Domine, in æternum manes; et memoriale tuum in generationem et generationem. Memoriale tuum*, quia non oblivisceris; *in generationem*, non unam, sed *generationem et generationem*: promissionem quippe habemus vitæ præsentis et futuræ (I *Tim*. IV, 8).

14. [*vers*. 14.] *Tu exsurgens misereberis Sion, quoniam tempus ut miserearis ejus*. Quod tempus? *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege*. Et ubi Sion? *Ut eos qui sub Lege erant redimeret* (*Galat*. IV, 4, 5). Primitus ergo Judæi: inde enim Apostoli, inde illi plus quam quingenti fratres (I *Cor*. XV, 6), inde illa deinceps multitudo, cui erat anima una et cor unum in Deum (*Act*. IV, 32). Ergo, *Tu exsurgens misereberis Sion, quoniam tempus ut miserearis ejus, quoniam venit tempus*. Quod tempus? *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (II *Cor*. VI, 2). Quis hoc dicit? Servus Dei ædificator, qui dicebat, *Dei ædificium estis;* qui dicebat, *Sicut sapiens architectus fundamentum posui;* et, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præterquam quod positum est, quod est Christus Jesus*. (I *Cor*. III, 9-11).

15. [*vers*. 15.] Ergo et hic quid dicit? *Quoniam beneplacitum habuerunt servi tui in lapides ejus*. In lapides cujus? In lapides Sion. Sed sunt ibi et non lapides. Cujus non lapides? Ergo quid sequitur? *Et pulveris ejus miserebuntur*. Agnoscamus[1] lapides in Sion, agnoscamus pulverem in Sion. Non enim dicit, Lapidum ejus miserebuntur; sed quid ait? *Quoniam beneplacitum habuerunt servi tui in lapides ejus, et pulveris ejus miserebuntur*. Beneplacitum habuerunt in lapides ejus; pulveris autem miserebuntur. Intelligo lapides Sion, omnes Prophetas: ibi præmissa est vox prædicationis, inde assumptum Evangelicum officium, per illud præconium cognitus Christus. Ergo servi tui beneplacitum habuerunt in lapides Sion. Sed illi prævaricatores, recedentes a Domino, malisque factis suis offendentes Creatorem, in terram unde sumpti sunt, redierunt. Pulvis facti sunt, impii facti sunt: de quibus dicitur, *Non sic impii, non sic; sed tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ* (*Psal*. I, 4). Sed exspecta, Domine; sustine, Domine; patiens esto, Domine: non irruat ventus, et auferat hunc pulverem a facie terræ. Veniant, veniant servi tui, agnoscant in lapidibus eloquia tua, misereantur pulveris Sion, formetur homo ad imaginem tuam: dicat pulvis ne pereat, *Memento quia pulvis sumus* (*Psal*. CII, 14). *Et pulveris ejus miserebuntur*. Hoc de Sion. Numquid non erat pulvis, qui Dominum crucifixit? Quod pejus est, pulvis de parietinis ruinarum. Pulvis erat prorsus: verumtamen non frustra de pulvere dictum erat, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc*. XXIII, 34). De ipso pulvere venit paries tot millium credentium, et pretia rerum suarum ad pedes Apostolorum ponentium. Ergo exstitit de illo pulvere humanitas et formata et formosa. Quis enim de Gentibus sic? Quam paucos miramur hoc fecisse ad illorum tot millia? Subito primo tria, postea quinque millia; omnes in unitate viventes, omnes venditarum rerum suarum pretia ad pedes Apostolorum ponentes, ut distribueretur unicuique sicut cuique opus erat, quibus erat anima una et cor unum in Deum (*Act*. II, 41, *et* IV, 4, 32, *etc*.). Quis hoc fecit etiam de isto pulvere, nisi qui et ipsum Adam fecit ex pulvere? Hoc ergo de Sion, sed non tantum in Sion.

16. [*vers*. 16.] Quid igitur sequitur? *Et timebunt Gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam*. Jam quoniam misertus es Sion, jam quoniam servi tui beneplacitum habuerunt in lapides ejus, cognoscendo fundamentum Apostolorum et Prophetarum; jam quoniam miserti sunt pulveris ejus, ut formaretur, vel potius reformaretur homo vivus ex pulvere; hinc prædicatio crevit in Gentibus: timeant nomen tuum Gentes, et omnes reges terræ gloriam tuam; veniat et alius paries de Gentibus, agnoscatur lapis angularis (*Ephes*. II, 20), ibi hæreant duo de diverso venientes, sed jam non adversa sentientes.

17. [*vers*. 17.] *Quoniam ædificabit*[1] *Dominus Sion*. Hoc agitur nunc. Eia lapides vivi in structuram currite, non in ruinam. Ædificatur Sion; cavete parietinas: ædificatur turris, ædificatur arca; observate diluvium. Hoc agitur nunc, *Quoniam ædificabit Dominus Sion*. Sed ædificata Sion, quid fiet? *Et videbitur in gloria sua*. Ut ædificaret Sion, ut esset fundamentum in Sion, visus est a Sion, sed non in gloria sua: *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem* (*Isai*. LIII, 2). At vero cum venerit judicare cum Angelis suis, quando congregabuntur ante eum omnes gentes, quando oves ad dexteram, hædi ad sinistram separabuntur (*Matth*. XXV, 31-33), nonne tunc videbunt in quem pupugerunt (*Zach*. XII, 10)? Et confundentur sero, qui prima pœnitentia et salubri confundi noluerunt. *Ædificabit Dominus Sion, et videbitur in gloria sua:* qui in illa primo visus est in infirmitate sua.

18. [*vers*. 18.] *Respexit in orationem humilium, et non despexit precem eorum*. In ædificatione Sion hoc agitur modo; ædificantes Sion orant, gemunt: ille unus pauper, quod pauperes multi; quia millia in tot gentibus unus, quia unitas pacis Ecclesiæ. Ipse unus, ipse multi: unus, propter charitatem; multi, propter latitudinem. Ergo nunc oratur, nunc curritur; nunc, si quis aliter erat, et aliter se habebat, manducet cinerem sicut panem, et potum suum cum fletu commisceat. Nunc tempus est, cum ædificatur Sion; nunc intrant lapides in structuram: perfecto ædificio et dedicata domo, quid curris, sero quæsiturus, inaniter petiturus, frustra pulsaturus, foris remansurus cum quinque virginibus fatuis (*Matth*. XXV, 12)? Nunc ergo curre: *Respexit* enim *in orationem humilium, et non despexit precem eorum*.

19. [*vers*. 19, 20.] *Scribantur hæc in generationem alteram*. Quando scribebantur hæc, non ita proderant eis inter quos scribebantur: scribebantur enim ad

[1] Hic Lov., *agnoscimus:* dissentientibus Edd. aliis et Mss.

[1] Mss. plerique, *ædificavit*.

prophetandum Novum Testamentum, inter homines qui vivebant ex Vetere Testamento. Sed et illud Vetus Testamentum Deus dederat, et in illa terra promissionis populum suum collocaverat. Sed quoniam *memoriale tuum in generationem et generationem*, non iniquorum est, sed justorum : in una generatione pertinet ad Vetus Testamentum ; in alia autem generatione pertinet ad Novum Testamentum. Et quia hoc quod prophetatum est, Novum Testamentum prænuntiat ; *Scribantur hæc in generationem alteram : et populus qui creabitur, laudabit Dominum.* Non populus qui creatus est, sed *populus qui creabitur.* Quid evidentius, fratres mei ? Hic prædicta est illa creatura de qua dicit Apostolus : *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova ; omnia autem ex Deo* (II *Cor.* v, 17 *et* 18). Quid est, *omnia autem ex Deo ?* Et vetera et nova, quia memoriale tuum in generationem et generationem : *Et populus qui creabitur, laudabit Dominum. Quoniam prospexit ex alto sancto suo.* Prospexit ex alto, ut veniret ad humiles : ex alto factus est humilis, ut humiles exaltaret.

SERMO II

De secunda parte Psalmi.

1. Hesterno die audivimus cujusdam pauperis gemitum in oratione ; eumque esse cognovimus, qui propter nos pauper factus est, cum dives esset (II *Cor.* VIII, 9), eique membra cohærentia et per suum caput loquentia [1]. Vidimus enim ibi et nos ipsos ; si tamen per ejus gratiam aliquid et nos. Finita autem jam erant verba gemituum, et cœperant consolationum ; sed ea finiri hesterno die tractando minime potuerunt : in iis quæ restant, audiamus hodie non jam gementem pauperem, sed gaudentem ; ideo gaudentem, quia sperantem ; ideo sperantem, quia non de se præsumentem. Prænuntiavit felicitatem rerum humanarum in Scriptis Dei, et adjecit : *Scribantur hæc in generationem alteram : et populus qui creabitur, laudabit Dominum. Quoniam prospexit ex alto sancto suo.* Huc usque sermo hesternus perductus est ; videte quæ sequantur.

2. [*vers.* 20-22.] *Dominus de cœlo in terram prospexit, ut audiret gemitum compeditorum, ut solvat filios mortificatorum.* Invenimus in alio psalmo dictum, *Intret in conspectum tuum gemitus compeditorum* (*Psal.* LXXVIII, 11) ; et in eo loco dictum, ubi vox martyrum intelligebatur [2]. Unde martyres compediti ? Nonne catenati potiusquam compediti ? Ductos enim sanctos Dei martyres post judices, per provincias circumeuntes, in catenas [3] novimus missos ; in compedes autem non novimus. Agnoscuntur et compedes disciplinæ Dei et timoris ejus, de quo dictum est : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Eccli.* I, 16). Per hunc enim timorem non timuerunt servi Dei eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere ; quia eum timebant qui habet potestatem et corpus et animam occidere in gehennam ignis (*Matth.* x, 28). Nisi enim compedibus timoris hujus ligati essent martyres, quando illa omnia dura et molesta sustinerent a persecutoribus suis, cum eis liberum fuerit facere quod cogebantur, et evadere quod patiebantur ? Sed alligaverat eos Deus istis compedibus, duris quidem et molestis ad tempus, sed tolerandis propter promissa ejus, cui dicitur : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal.* XVI, 4). Gemendum quidem est in his compedibus ad impetrandam misericordiam Dei ; unde vox martyrum est in alio psalmo, *Intret in conspectum tuum gemitus compeditorum :* non tamen evitandæ sunt tales compedes, ut appetatur perniciosa libertas, et temporalis vitæ brevisque dulcedo, quam sequatur amaritudo perpetua. Proinde Scriptura, ne recusemus esse compediti sapientiæ, sic nos alloquitur : « Audi, fili, et excipe sententiam meam, et ne abjicias consilium meum ; et infer pedem tuum in compedes illius, et in torquem ejus collum tuum : subjice humerum tuum et porta illam, et ne oderis vincula illius. In omni anima tua accede ad illam, et in omni virtute tua serva vias ejus : investiga et quære, et innotescet tibi ; et continens factus, ne derelinquas eam. In novissimis enim invenies requiem ejus, et convertetur tibi in lætitiam, et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, et torques illius in stolam gloriæ. Decus enim aureum est in illa, et vincula illius fila hyacinthina : stolam gloriæ indues eam, et coronam exsultationis superpones tibi » (*Eccli.* VI, 24-32). Clament ergo compediti, quamdiu sunt in vinculis disciplinæ Dei, in qua sunt exercitati martyres : solventur compedes, et volabunt, et eædem ipsæ in ornamentum postea convertentur. Factum est hoc de martyribus. Quid enim persecutores occidendo fecerunt, nisi ut compedes solverentur, et in coronas converterentur.

3. *De cœlo* ergo *respexit Dominus, ut audiret gemitum compeditorum, ut solvat filios mortificatorum.* Mortificati illi ; filii autem mortificatorum qui, nisi nos ? Quomodo autem solvimur nos, nisi cum dicimus ei : *Disrupisti vincula mea ; tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV, 16 *et* 17) ? Solvitur enim unusquisque a vinculis cupiditatum malarum, vel a nodis peccatorum suorum. Remissio peccatorum, solutio est. Quid enim prodesset Lazaro, quia processit de monumento, nisi diceretur : *Solvite eum, et sinite abire* (*Joan.* XI, 44) ? Ipse quidem voce de sepulcro suscitavit, ipse clamando animam reddidit, ipse terrenam molem sepulto impositam vicit, et processit ille vinctus : non ergo pedibus propriis, sed virtute producentis. Fit hoc in corde pœnitentis : cum audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit ; cum audis hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus est. Quando solvitur ? a quibus solvitur ? *Quæ solveritis*, inquit, *in terra, erunt soluta et in cœlo* (*Matth.* XVI, 19). Merito per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest ; suscitari

[1] Er. Ven. et Lov. sic exhibent hunc locum : *cum dives esset, ut illius paupertate nos ditaremur, eique membra cohærentia et per suum caput loquentia vidimus. Vidimus*, etc. M.

[2] Tres Mss., *intelligatur.*

[3] Plerique Mss., *per provinciam circumeuntes in catenas*, etc.

autem ipse mortuus nonnisi intus clamante Domino potest; hæc enim Deus interius agit. Loquimur ad aures vestras; unde scimus quid agatur in cordibus vestris? Quod autem intus agitur, non a nobis, sed ab illo agitur.

4. Respexit ergo *ut solvat filios mortificatorum.* Quorum mortificatorum audistis, quos filios audistis. Quid enim inde? *Ut annuntietur in Sion nomen Domini.* Primo enim premebatur Ecclesia, quando mortificabantur compediti: post illas pressuras annuntiatur in Sion nomen Domini, cum magna libertate, in ipsa Ecclesia. Ipsa enim Sion: non ille unus locus primo superbus, postea captivatus; sed Sion cujus umbra erat illa Sion, quæ interpretatur Speculatio; propterea quia in carne positi videmus in priora, extendentes nos non ad præsens quod est, sed ad id quod futurum est. Ideo speculatio. Omnis enim speculator longe prospicit. Specula dicitur, ubi ponuntur custodes: fiunt istæ speculæ in saxis, in montibus, in arboribus, ad hoc ut de loco eminentiore longe videatur. Sion ergo speculatio, Ecclesia speculatio. Unde speculatio? Longe videre, hoc est speculatio. *Labor est* enim *ante me, donec introeam in sanctuarium Dei, et intelligam in novissima* (*Psal.* LXXII, 16 *et* 17). Qualis speculatio, intelligere in novissima? Transire mare videndo, non navigando, et habitare in extrema [1] maris (*Psal.* CXXXVIII, 9); id est, ibi ponere spem, in eo quod erit finito sæculo. Ergo si Ecclesia speculatio, ibi jam annuntiatur nomen Domini. Non solum nomen Domini in hac Sion annuntiatur, sed *et laus ejus*, inquit, *in Jerusalem.*

5. [*vers.* 23.] Et quomodo annuntiatur? *In conveniendo populos in unum, et regna, ut serviant Domino.* Unde hoc factum, nisi sanguine mortificatorum? unde hoc factum, nisi gemitibus compeditorum? Exauditi ergo sunt qui erant in pressura et humilitate; ut esset nostris temporibus Ecclesia in tanta gloria, quam videmus, ut jam regna quæ persequebantur, ipsa serviant Domino.

6. [*vers.* 24.] *Respondit ei in via fortitudinis suæ.* Cui respondit, nisi Domino? Quis respondit, supra videamus: *Et laus ejus*, inquit, *in Jerusalem; in conveniendo populos in unum, et regna, ut serviant Domino. Respondit ei in via fortitudinis suæ.* Quæ illi respondit, aut quis illi respondit, in via fortitudinis suæ? Quæramus ergo primo quis respondit, et sic quæremus quæ sit via fortitudinis ejus. Superiora verba indicant respondisse ei, aut laudem ejus, aut Jerusalem: supra enim dixerat, *Et laus ejus in Jerusalem; in conveniendo populos in unum, et regna, ut serviant Domino. Respondit ei*, non possumus dicere, Regna; quia, Responderunt dixisset. *Respondit ei*, non possumus dicere, Populi; quia et hic, Responderunt dixisset. Quia ergo *respondit ei*, singularem numerum quærimus superius, et non invenimus, nisi aut laudem ejus, aut Jerusalem. Et quia hoc ambiguum est, utrum laus ejus, an Jerusalem, secundum utrumque tra-ctemus. Quomodo ei respondit laus ejus? Quando ei gratias agunt vocati ab illo. Ille enim vocat, nos respondemus; non voce, sed fide; non lingua, sed vita. Si enim vocat te Deus, et præcipit ut bene vivas, et tu male vivis, vocationi ejus non respondes, nec laus ejus respondet ei de te; quia sic vivis, ut ille non laudetur, sed potius blasphemetur per te: cum autem sic vivimus, ut per nos laudetur Deus, respondit ei laus ejus. De vocatis et sanctis ejus, respondit et Jerusalem. Vocata est enim et Jerusalem, et prima Jerusalem noluit audire, et dictum est ei: *Ecce dimittetur vobis domus vestra deserta. Jerusalem, Jerusalem* (clamat, et non respondetur), *quoties volui congregare filios tuos, tanquam gallina pullos suos sub alas suas, et noluisti* (*Matth.* XXIII, 38, 37)! Non respondetur: pluitur desuper, et pro fructu spinæ proferuntur. At vero illa Jerusalem, de qua dictum est, *Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe et exclama, quæ non parturis, quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum* (*Isai.* LIV, 1; *Galat.* IV, 27); *respondit ei.* Quid est, *respondit ei?* Non contempsit vocantem. Quid est, *respondit ei?* Ille pluit, illa fructum dedit.

7. *Respondit ei*, sed ubi? *In via fortitudinis suæ.* Numquid in se? Nam quid esset in se, aut quam vocem haberet in se, de se, nisi solam vocem peccati, vocem iniquitatis? Excute vocem ipsius, quid invenis nisi ut multum [1], *Ego dixi, Domine, miserere mei; sana animam meam, quia peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5)? Porro, si justificata est, *respondit ei*, non ex meritis suis, sed ex manibus [2] ipsius. Ubi? *In via fortitudinis suæ.* Christus est, ipse est: *Ego sum*, inquit, *via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Sed ante resurrectionem non agnoscebatur a populo suo; et maxime crucifixus ex infirmitate (II *Cor.* XIII, 4) latuit quis esset, donec fortis resurgendo appareret. Non ei ergo respondit Ecclesia in via infirmitatis, sed *in via fortitudinis suæ;* quia post resurrectionem vocavit Ecclesiam de toto orbe terrarum, jam non infirmus in cruce, sed fortis in cœlo. Non enim laus fidei Christianorum est, quia credunt mortuum Christum; sed quia credunt resurrexisse Christum. Nam mortuum et paganus credit; et hoc tibi pro crimine objicit, quia in mortuum credidisti. Quæ igitur laus tua? Credere resurrexisse Christum, et sperare te resurrecturum esse per Christum: hæc est laus fidei. *Si enim credideris in corde tuo quia Dominus est Jesus, et confessus fueris ore tuo quia eum Deus suscitavit a mortuis, salvus eris.* Non ait, Si confessus fueris quia Deus eum tradidit occidendum; sed, *quia eum Deus suscitavit a mortuis si confessus fueris*, tunc *salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 9, 10). Quare autem credimus et mortuum? Quia credere eum resurrexisse non possumus, nisi prius mortuum fuisse credamus. Quis enim resurgit, nisi mortuus fuerit? quis expergiscitur, nisi prius dormierit? Sed *numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat* (*Psal.* XL, 9)? Hæc fides est Christianorum. In

[1] Edd., *in extremis.* At Mss., *in extrema:* et sic infra in Psal. 138.

[1] Sic meliores Mss. Edd. vero, *nisi tumultum.*
[2] Forte, *muneribus.*

hac ergo fide, qua congregata est Ecclesia, *multi illi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum; respondit ei*, dixit ei laudem secundum ejus præcepta; *in via fortitudinis ejus*, non in via infirmitatis ejus.

8. Quomodo ei responderit, jam supra audistis: *In conveniendo populos in unum, et regna, ut serviant Domino.* In hoc ei ergo respondit, in unitate: qui autem non est in unitate, non ei respondet. Ille enim unus est, Ecclesia unitas: non respondet uni, nisi unitas. Sed existunt qui dicant. Jam hoc factum est; respondit ei in omnibus gentibus Ecclesia, pariens filios plures quam illa quæ habebat virum, *respondit in via fortitudinis ejus;* credidit enim Christum resurrexisse, crediderunt in eum omnes gentes: sed illa Ecclesia quæ fuit omnium gentium, jam non est; periit. Hoc dicunt qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non est? Vide ne tu ideo non sis; nam illa erit, etsi tu non sis. Hanc vocem abominabilem, detestabilem, præsumptionis et falsitatis plenam, nulla veritate suffultam, nulla sapientia illuminatam, nullo sale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam, prævidit Spiritus Dei, et tanquam contra illos cum annuntiaret unitatem: *In conveniendo populos in unum, et regna, ut serviant Domino.* Cumque subdidisset, *Respondit ei*, utique laus ejus, utique Jerusalem mater nostra de peregrinatione revocanda, fetosa cum multis filiis, magis quam ea quæ habebat virum; quoniam quidam dicturi erant contra, Fuit, et non est: *Exiguitatem*, inquit, *dierum meorum annuntia mihi.* Quid est, quod nescio qui recedentes a me, murmurant contra me? quid est, quod perditi me perisse contendunt? Certe enim hoc dicunt, quia fui, et non sum: *Annuntia mihi exiguitatem dierum meorum.* Non a te quæro illos dies æternos: illi sine fine sunt, ubi ero; non ipsos quæro: temporales quæro, temporales dies mihi annuntia: *Exiguitatem dierum meorum*, non æternitatem dierum meorum, *annuntia mihi.* Quamdiu ero in isto sæculo, annuntia mihi. Propter illos qui dicunt, Fuit, et jam non est: propter illos qui dicunt, Impletæ sunt Scripturæ, crediderunt omnes gentes, sed apostatavit et periit Ecclesia de omnibus gentibus. Quid est hoc, *Exiguitatem dierum meorum annuntia mihi?* Et annuntiavit, nec vacavit [1] ista vox. Quis annuntiavit mihi, nisi ipsa via? Quomodo annuntiavit? *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20).

9. Sed hic existunt, et dicunt: *Vobiscum sum*, inquit, *usque in consummationem sæculi;* quia nos prævidebat, quia pars Donati erit in terra. Numquid ipsa est quæ dixit, *Exiguitatem dierum meorum annuntia mihi;* ac non illa potius quæ superius loquebatur, *In conveniendo populos in unum, et regna, ut serviant Domino?* Unde vobis [2] cor dolet? Quia et imperatores contra hæreticos leges proponunt: ibi impletum est, *Et regna, ut serviant Domino.* Non enim vos filii estis illorum mortificatorum, quorum vox compeditorum exaudita est a Domino. Absit: non hoc indicant facta vestra, non hoc indicat superbia vestra, non hoc indicat vanitas vestra: non sapitis, et foris estis; sal infatuatum estis, ideo et ab hominibus conculcamini (*Matth.* V, 13). Audite quid dicat: quæ Ecclesia? Quæ congregavit *populos in unum.* Quæ Ecclesia? Quæ congregavit *regna, ut serviant Domino.* Mota vocibus vestris et falsis opinionibus vestris, quærit a Deo ut exiguitatem dierum suorum annuntiet sibi, et invenit Dominum dixisse: *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi.* Hic vos dicitis: De nobis dixit; nos sumus, nos erimus usque in consummationem sæculi. Interrogetur ipse Christus, cui dictum est, « Exiguitatem dierum meorum annuntia mihi. Et prædicabitur, » inquit, « hoc Evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet finis » (*Id.* XXIV, 14). Quid est quod dicebas: Hoc certe fuit et periit? Dominum audi annuntiantem exiguitatem dierum meorum. *Prædicabitur*, inquit, *hoc Evangelium.* Ubi? *In toto orbe terrarum.* Quibus? *In testimonium omnibus gentibus.* Quid postea? *Et tunc veniet finis.* Non vides adhuc esse gentes in quibus nondum est prædicatum Evangelium? Cum ergo necesse sit impleri quod Dominus dixit, exiguitatem dierum meorum annuntians Ecclesiæ, ut prædicetur hoc Evangelium in omnibus gentibus, et tunc veniat finis; quid est quod dicis jam perisse Ecclesiam de omnibus gentibus, quando ad hoc prædicatur Evangelium, ut possit esse in omnibus gentibus? Ergo usque in finem sæculi Ecclesia in omnibus gentibus; et ipsa est exiguitas dierum, quia exiguum est omne quod finitur; ut jam in æternitatem ab ista exiguitate transeatur. Pereant hæretici, pereant quod sunt, et inveniantur ut sint quod non sunt. Exiguitas dierum usque in finem sæculi erit: exiguitas ideo, quia totum hoc tempus, non dico ab hodierno die usque in finem sæculi, sed ab Adam usque in finem sæculi, exigua gutta est comparata æternitati.

10. [*vers.* 25.] Non ergo blandiantur sibi contra me hæretici, quia dixi, *Exiguitatem dierum meorum*, quasi non permansuram usque in finem sæculi. Quid enim addidit? *Ne revoces me in dimidium dierum meorum.* Noli, quomodo hæretici loquuntur, sic mecum agere. Usque in finem sæculi me perduc, non in dimidium dierum meorum; et perfice mihi dies exiguos, ut dones mihi postea dies æternos. Quare ergo de exiguitate dierum requisisti? Quare? Vis audire? *In generatione generationum anni tui.* Ideo ego de diebus exiguis quæsivi, quia licet usque in finem sæculi durent mecum isti dies, exigui sunt in comparatione dierum tuorum: *Anni* enim *tui in generatione generationum.* Quare non ait, Anni tui in sæcula sæculorum; sic enim magis solet æternitas significari in sanctis Scripturis: sed ait, *In generatione generationum anni tui?* sed qui *anni tui?* Qui, nisi qui non veniunt et transeunt? qui, nisi qui non ideo veniunt, ut non sint? Omnis enim dies in hoc tempore ideo venit, ut non

[1] Edd., *vacua fuit.* Duo Mss., *tacuit.* Reliqui, *vacavit.*
[2] Edd., *nobis.* Melius Mss., *vobis*: scilicet Donatistis, contra quos leges datæ sunt an. 405

sit; omnis hora, omnis mensis, omnis annus : nihil horum stat; antequam veniat, erit [1]; cum venerit, non erit. Illi ergo anni tui æterni, anni tui qui non mutantur, *in generatione generationum* erunt. Est quædam generatio generationum; in illa erunt anni tui. Quæ est ista? Est quædam, et si bene agnoscamus, in illa erimus, et anni Dei in nobis erunt. Quomodo in nobis erunt? Quomodo ipse Deus in nobis erit : unde dictum est, *Ut sit Deus omnia in omnibus* (I *Cor.* xv, 28). Non enim aliud anni Dei, et aliud ipse : sed anni Dei, æternitas Dei est : æternitas, ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile; ibi nihil est præteritum, quasi jam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit. Non est ibi nisi, Est; non est ibi, Fuit et erit; quia et quod fuit, jam non est; et quod erit, nondum est : sed quidquid ibi est, nonnisi est. Merito sic misit Deus famulum suum Moysen. Quæsivit enim nomen mittentis se; quæsivit, et audivit, nec desertum est desiderium concupiscentiæ bonæ. Quæsivit autem, non quasi curiositate præsumendi, sed necessitate ministrandi. *Quid*, inquit, *dicam filiis Israel, si dixerint mihi : Quis te misit ad nos?* Et ille indicans se creaturæ Creatorem, Deum homini, immortalem mortali, æternum temporali : *Ego*, inquit, *sum qui sum.* Tu diceres, Ego sum. Quis? Gaius; alius, Lucius; alius, Marcus. Aliudne diceres, nisi nomen tuum diceres? Hoc exspectabatur de Deo. Hoc enim erat quæsitum. Quid vocaris? A quo me missum esse respondebo quærentibus? *Ego sum.* Quis? *Qui sum.* Hoc est nomen tuum? hoc est totum quod vocaris? Esset tibi nomen ipsum esse, nisi quidquid est aliud, tibi comparatum, inveniretur non esse vere? Hoc est nomen tuum : exprime hoc idem melius. *Vade*, inquit, *et dic filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. Ego sum qui sum : qui est, misit me ad vos.* Magnum ecce *Est*, magnum *Est!* Ad hoc homo quid est? Ad illud tam magnum *Est*, homo quid est, quidquid est? Quis apprehendat illud esse? quis ejus particeps fiat? quis anhelet? quis aspiret? quis ibi se esse posse præsumat? Noli desperare, humana fragilitas. *Ego sum*, inquit, *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III, 13-15). Audisti quid sim apud me, audi et quid sim propter te. Hæc igitur æternitas vocavit nos, eterupit ex æternitate Verbum. Jam æternitas, jam Verbum, et nondum tempus. Quare nondum tempus? Quia factum est et tempus. Quomodo factum est et tempus? *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3). O Verbum ante tempora, per quod facta sunt tempora, natum et in tempore, cum sit vita æterna, vocans temporales, faciens æternos! Hæc generatio generationum. Generatio enim vadit, et generatio venit (*Eccle.* I, 4). Et videtis generationes hominum sic esse in terra, tanquam in arbore folia; sed in arbore olivæ, vel lauri, vel cujusque alterius quæ toto tempore fronde vestita est. Sic tanquam folia genus humanum terra portat : plena est hominibus, sed dum aliis morientibus alii nascendo succedunt. Semper enim arbor illa veste viridi ornata est : sed subter attende quam multa calces arida folia.

11. Ergo fuit generatio sub Adam, transiit. Nati sunt inde quidam futuri participes æternitatis Dei etiam illo tempore : inde enim Abel, inde Seth, inde Enoch. Transiit illa generatio, venit diluvium, remansit una domus. Et illa generatio dedit aliquos, ipsum Noe, et tres [1] filios ejus, et tres nurus ejus : in tota enim domo ista octonaria solus unus peccator inventus est. Accessit numerus superiori generationi. Deinde de tribus filiis Noe, tanquam de tribus mensuris farinæ, impletus est orbis. Electus est Abraham, Isaac, et Jacob; sancti viri, patriarchæ, placuerunt Deo (*Gen.* IV-XXVIII). Dedit et illa generatio sequentes etiam generantes [2], dederunt Prophetas, dederunt præcones Dei. Venit etiam postea et ipse Dominus noster Jesus Christus, misit fermentum in tres mensuras farinæ, quousque fermentaretur [3] totum (*Matth.* XIII, 33). Temporibus in terra carnis illius fuerunt Apostoli, fuerunt sancti; post illos alii sancti : et nunc in nomine Christi quicumque sunt sancti, et post nos quicumque erunt, et usque in finem sæculi quicumque sancti. De tot generationibus colliges omnes sanctas proles omnium generationum, et facies inde unam generationem : *In ista generatione generationum anni tui*, id est, æternitas illa in illa generatione erit, quæ de omnibus generationibus colligitur, et in unam redigitur; ipsa particeps erit æternitatis tuæ. Cæteræ generationes implendis temporibus generantur, ex quibus illa in æternum regeneratur; mutata vivificabitur, erit idonea portare te, vires accipiens a te. *In generatione generationum anni tui.*

12. [*vers.* 26-28.] *In principio terram tu fundasti, Domine.* Novi æternitatem tuam, qua præcedis omnia quæ fecisti. *Principio terram tu fundasti, Domine; et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt; tu autem permanes : et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu vero idem ipse* [4] *es.* Tu quis es? *Idem ipse es.* Tu qui dixisti, *Ego sum qui sum, idem ipse es.* Et quamvis etiam ipsa non essent nisi ex te, et per te, et in te, tamen non quod ipse es : *Tu enim idem ipse es. Et anni tui non deficient.* Illi anni tui non deficient, illi anni tui qui erunt in generatione generationum, non deficient. Hæc ergo sciens, exiguitatem dierum meorum quærerem a te, nisi scirem omnes dies sæculi ab initio usque in finem exiguos esse in comparatione æternitatis tuæ. Novi ergo unde interrogaverim. Non se extollant hæretici, quasi exigui dies fuerint Ecclesiæ, toto orbe diffusæ; nam et usque in finem cum sint, exigui sunt. Quare exigui sunt? Quoniam quandoque finiendi sunt. Anni illi qui erunt *in generatione generationum*, hi amandi, hi desiderandi, his suspirandum; propter

[1] Sic Am. Er. et plures Mss. At Lov., *non erit.* Quidam Mss., *non erat.*

[1] Melioris notæ Mss., *duos.*
[2] Lov., *generationes* : cujus loco Edd. alii, et Mss., *generantes.*
[3] Mss., *fermentetur.*
[4] Vox, *ipse*, abest a præcipuis Mss.

hos in unitate permanendum, propter hos quidquid hæreticorum mali est devitandum, propter hos perditis respondendum, propter hos lucrandi qui erraverant, et revocandi qui perierant : illic debet esse desiderium. Sed tamen ut verbosis, ut male garrulis, ut calumniosis, susurrantibus, detractoribus respondeam, ideo *mihi annuntia exiguitatem dierum meorum ;* et *ne me revoces in dimidium dierum meorum*, ut ante me auferas de terra, quam totus orbis Evangelio repleatur, contra responsionem Domini mei, dicentis : *Oportet prædicari hoc Evangelium in toto orbe terrarum, in testimonium omnibus gentibus ; et tunc veniet finis* (*Matth.* xxiv, 14). Quid ad hæc, fratres? Plana sunt, manifesta sunt : Deus fundavit terram, scimus ; opera manuum ejus sunt cœli. Ne putetis enim quasi aliud Deum facere manu, aliud verbo. Quod facit verbo, hoc facit manu ; non enim distinctus est corporeis membris, qui dixit, *Ego sum qui sum.* Et forte verbum ejus est manus ejus. Certe manus ejus est virtus ejus. Quia enim dictum est, *Fiat firmamentum*, et factum est firmamentum ; verbo intelligitur fecisse : quia vero dixit, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* i, 6, 26) ; quasi manu videtur fecisse. Audi ergo : *Opera manuum tuarum sunt cœli.* Ecce quod verbo fecit, utique etiam manibus fecit ; quia virtute sua, quia potestate sua fecit. Attende potius quid fecerit, et noli quærere quomodo fecerit. Multum est ad te comprehendere quomodo fecerit, cum teipsum sic fecerit, ut prius sis servus obediens, et postea fortasse amicus intelligens. Ergo, *Opera manuum tuarum sunt cœli.*

13. *Ipsi peribunt ; tu autem permanes.* Aperte dixit hoc apostolus Petrus : *Cœli erant olim de aqua et per aquam constituti Dei verbo ; per quæ*[1] *qui factus est mundus, aqua inundatus deperiit : terra autem et cœli qui nunc sunt, eodem verbo repositi sunt igni reservandi* (II *Petr.* iii, 5-7). Jam ergo dixit perisse cœlos per diluvium : perisse autem novimus cœlos secundum quantitatem et spatia aeris hujus. Excrevit enim aqua, et totam istam capacitatem ubi aves volitant, occupavit; ac sic utique cœli perierunt propinqui terris : cœli, secundum quos dicuntur aves cœli. Sunt autem et cœli cœlorum superiores in firmamento : sed utrum et ipsi perituri sint igne, an hi soli cœli qui etiam diluvio perierunt, disceptatio est aliquanto scrupulosior inter doctos, nec facile, maxime in angustia temporis, explicari potest. Dimittamus ergo eam vel differamus ; noverimus tamen perire ista, Deum manere. Et si manent quædam cum Deo, quæ facta sunt a Deo, non manent in se, sed in Deo, non recedendo a Deo. Quid enim ? dicturi sumus, fratres, quod Angeli perituri sunt igne, quo incendetur mundus ? Absit. Sed quid ? dicemus quod Angelos Deus non fecerit ? Absit. Sed quid dicemus ? Et unde essent, si non ab illo facti essent? *Ipse dixit, et facta sunt ; ipse mandavit et creata sunt* (*Psal.* xxxii, 9). Dictum est enim hoc, cum operum ejus commemoratio fieret, in quibus et Angeli nominati sunt. Erunt ergo cum illo Angeli, etiam mundo igne flagrante ; et erit incendium mundi, non incendens sanctos Dei : quod fuit caminus regis tribus pueris (*Dan.* iii), hoc erit ardens mundus justis in Trinitate signatis.

14. Forte hic cœlos etiam non importune intelligimus ipsos justos, sanctos Dei, in quibus manens Deus intonuit præceptis, coruscavit miraculis, imbrificavit terram sapientia veritatis ; cœli enim enarraverunt gloriam Dei (*Psal.* xviii, 2). Sed numquid etiam ipsi peribunt ? An secundum quemdam modum peribunt ? Secundum quem modum ? Secundum vestimentum. Quid est, secundum vestimentum? Secundum corpus. Vestimentum enim animæ corpus ; Dominus enim vestimentum nominavit, ubi ait : *Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum* (*Matth.* vi, 25) ? Quomodo ergo perit vestimentum? *Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem* (II *Cor.* iv, 16). Ergo ipsi peribunt, sed secundum corpus : *Tu autem permanes.* Si ergo secundum corpus peribunt, ubi ergo resurrectio carnis? ubi exemplum membrorum quod præcessit in capite? ubi? Vis audire? Mutabitur ; non tale erit quale fuit. Audi Apostolum dicentem : *Et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur.* Quomodo immutabimur? *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale* (I *Cor.* xv, 52, 4). Ergo seminatur mortale, resurget immortale ; seminatur corruptibile, resurget incorruptibile. Mutationem itaque exspectamus : ita peribunt cœli, et immutabuntur cœli. Sed fortasse sanctorum corpora non recte dicuntur cœli ? Si non portant Deum, non sint cœli. Et unde, inquit, mihi probas quia portant Deum ? Usque adeone excidit tibi, *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (*Id.* vi, 20)? Ergo tales cœli peribunt, sed non in æternum ; peribunt ut mutentur. An non hoc dicit Psalmus? Lege sequentia : « Et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur ; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. » Vestem audis, coopertorium audis, et aliud quam corpus intelligis ? Speremus ergo etiam immutationem corporum nostrorum, sed tamen ab illo qui erat et ante nos, et manet post nos ; a quo sumus quod sumus, ad quem veniemus cum fuerimus mutati ; mutantem, non mutatum ; facientem, non factum ; et moventem, sed manentem ; et quomodo intelligi a carne et sanguine potest, *Ego sum qui sum : Tu vero idem ipse es, et anni tui non deficient.* Sed nos ad illos annos cum his pannosis annis quid sumus ? Et illi qui sunt ? Nec tamen desperare debemus. Jam enim magnitudine quadam et excellentia sapientiæ dixerat, *Ego sum qui sum ;* et tamen ad nos consolandos, *Ego sum*, inquit, *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob :* et nos Abrahæ semen sumus (*Galat.* iii, 29) : et nos quamvis abjecti, quamvis terra et cinis, in illo speramus. Servi sumus ; sed propter nos Dominus noster formam servi accepit (*Philipp.* ii, 7) : propter nos mor-

[1] Er. Ven. et Lov., *quod* M.

tales [1] immortalis mori voluit, propter nos hoc exemplum resurrectionis ostendit. Ergo speremus venturos nos ad hos annos stantes, in quibus non circuitu solis peraguntur dies, sed manet quod est sicuti est, quia hoc solum vere est.

15. [*vers.* 29.] Nos autem utrum aliquando ibi esse possimus dic. Audi, et vide utrum debeas desperare; audi quod sequitur : *Filii servorum tuorum inhabitabunt*. Ubi nisi in annis non deficientibus? *Filii servorum tuorum inhabitabunt; et semen eorum in sæculum dirigetur* [2] : in sæculum sæculi, in sæculum æternum, in sæculum manens. Sed *filii*, inquit, *servorum tuorum :* metuendum ne nos servi Dei simus, et filii nostri ibi futuri sint, non nos? Aut si nos filii sumus servorum, quia filii sumus Apostolorum, quid dicturi sumus? Quænam tandem audacia tam infelix filiorum subnascentium, et recenti successione gloriantium, quæ audeat dicere : Nos ibi erimus; Apostoli ibi non erunt? Absit hoc a pietate filiorum, absit a fide parvulorum, absit ab intelligentia grandium. Ibi erunt et Apostoli : arietes præcedunt, agni sequuntur. Quare ergo, *Filii servorum tuorum;* et non de compendio, Servi tui? Et illi servi tui, et filii eorum servi tui, et istorum filii nepotes illorum, quid, nisi servi tui? Omnes compendio includeres, si diceres : Servi tui inhabitabunt. Videamus quid nos voluerit admonere. Est enim quiddam gestum in prioribus sæculis. Per quadraginta annos filii Israel attriti sunt in eremo : nullus eorum intravit in terram promissionis, sed filii eorum; Intrarunt sane, quia ita recordamur, nisi fallor, duo, cæteri non (*Num.* XIV, 29, 30). Intrarunt de tot millibus duo. Laboratum est cum eis tantum : sed Deus non laborat; certe laboraverunt servi ipsius. Quanta pertulit, quanta audivit Moyses pro hominibus non intraturis in terram promissionis? Intrarunt filii eorum, quid significat? Intrarunt novi homines, veteres non intrarunt. Inde tamen intrarunt duo, unus et unitas, tanquam caput et corpus, Christus et Ecclesia, cum omni illa novitate, id est filiorum. Ergo, *Filii servorum tuorum inhabitabunt. Filii servorum*, opera servorum sunt; nemo ibi habitabit, nisi per opera sua. Quid igitur est, et filii habitabunt? Nemo glorietur se habitaturum, si dicit se servum Dei, et opera non habet; non enim habitabunt nisi filii. Quid est ergo, *Filii servorum tuorum inhabitabunt?* Servi per opera sua inhabitabunt, servi per filios suos inhabitabunt. Noli ergo esse sterilis, si vis habitare; præmitte fetus quos sequaris, præmittendo, non efferendo. Filii tui te deducant ad terram promissionis, terram viventium, non morientium : cum hic vivis in hac peregrinatione, illi antecedant, suscipiant te [3]. Propter refectionem carnalem, filius antecessit Jacob in Ægyptum, et ait patri suo et fratribus suis : *Ego præveni præparare vobis escas* (*Gen.* XLV, 7). Præcedant ergo filii tui, præcedant te opera tua : quales filios præmiseris, tales [1] et sequeris.

[1] Hic vox, *mortales*, et proximo infra loco, *nos*, non est in Mss.

[2] Edd., *in sæculum sæculi dirigetur*. Abest, *sæculi*, a Mss.

[3] Sic aliquot Mss. Alii, *suscipiente te propter refectionem carnalem filios. Antecessit Joseph Jacob*, etc. Edd. vero ferebant : *suscipiant te propter refectionem carnalem. Filius Joseph antecessit Jacob*, etc.

IN PSALMUM CII
ENARRATIO.
SERMO (*a*).

1. [*vers.* 1.] In omni munere Domini Dei nostri, in omni ejus consolatione, in omni correptione, in gratia quam donare dignatus est, in indulgentia qua nobis non hoc reddidit quod debebat, in omnibus operibus ejus, benedicat anima nostra Dominum. Hoc enim cantavimus; inde incipit Psalmus, de quo loquemur, donante ipso, quod possumus, quem nostra anima benedicit. Unusquisque nostrum excitet et exhortetur animam suam, et dicat ei : *Benedic, anima mea, Dominum*. Et omnes nos, et qui ubique sunt fratres in Christo, unus homo, cujus caput in cœlo est, exhortetur ipse unus homo animam suam, et dicat ei : *Benedic, anima mea, Dominum*. Obaudit, obtemperat, facit hoc, persuadetur ei, non ex donis nostris, sed ex illius quem benedicit anima nostra. Suscepit enim psalmus iste ostendere nobis quare benedicat anima nostra Dominum, quasi ei respondisset anima sua : Quare mihi dicis, Benedic Dominum? Audiamus ergo, audiat ipsa anima nostra, consideret omnia quibus excitetur, ne pigra sit in benedictione Domini; et videat an justum sit quod ei dicitur, *Benedic, anima mea, Dominum :* videat si debet aliud benedicere præter Dominum. *Benedic*, inquit, *anima mea, Dominum*.

2. Repetit hoc, et expressius dicit quod dixerat, *Benedic, anima mea, Dominum : et omnia interiora mea, nomen sanctum ejus*. Puto quia non ad interiora corporis loquitur; puto eum non hoc dicere, ut pulmo noster et jecur, et si qua sunt intestina carnis, erumpant in vocem benedictionis Domini. Est quidem pulmo pectoris nostri quasi follis quidam anhelans [2] spiritum reciprocum, qui spiritus concepti aeris in vocem et sonum exprimitur, cum verba digerimus [3]; nec potest aliquid vocis sonare ab ore nostro, nisi quod pulmo expressus emiserit : sed non hinc agitur; hoc totum ad aures hominum. Habet aures Deus, habet et sonum cor. Interiora sua alloquitur homo, ut benedicant Dominum, et dicit eis : Omnia interiora mea nomen sanctum ejus benedicite. Quæris quæ sunt interiora tua? Ipsa anima tua. Quod ergo ait, *Benedic, anima mea, Dominum;* hoc ait, *omnia interiora mea, nomen sanctum ejus :* subauditur enim, Benedicite. Clama [4] voce, si est homo qui audiat : sile voce, quando non est qui audiat; interiora tua nunquam deest qui audiat. Itaque sonabat jamdudum benedictio de ore nostro, et hæc ipsa verba cantabamus : *Benedic, anima mea, Dominum; et omnia inte-*

[1] Ita Mss. At Edd., *talis*.

[2] Sic aliquot Mss. At Edd., *anhelantis*.

[3] Plerique Mss., *dirigimus*.

[4] Sic Mss. At Am. et Er., *clamat :* et infra, *silet*. Ed autem Lov., *clamas : siles*.

(*a*) In Martyrum festivitate habitus.

riora mea, nomen sanctum ejus. Quantum satis fuit tempori [1] cantavimus, et siluimus: numquid interiora nostra silere debent a benedictione Domini? Alternet pro tempore sonus vocum, perpetua sit vox interiorum. Cum convenis ad ecclesiam hymnum dicere, sonat vox tua laudes Dei: Dixisti quantum potuisti, discessisti; sonet anima tua laudes Dei. Negotium agis; laudet Deum anima tua. Cibum capis; vide quid ait Apostolus: *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite* (I *Cor.* x, 31). Audeo dicere: cum dormis, benedicat anima tua Dominum. Non te excitet cogitatio flagitii, non te excitet dispositio [2] furti, non te excitet condicta forte corruptio. Innocentia tua etiam in dormiente vox est animæ tuæ. *Benedic, anima mea, Dominum; et omnia interiora mea, nomen sanctum ejus.*

3. [*vers.* 2.] *Benedic, anima mea, Dominum, et noli oblivisci omnes retributiones ejus. Benedic,* inquit, *anima mea Dominum.* Quid est anima tua? Omnia interiora tua. *Benedic, anima mea, Dominum.* Repetitio ad exhortationem valet. Ut autem benedicas semper Dominum. *Noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Si oblivisceris, tacebis. Non autem poterunt ante oculos tuos esse retributiones Domini, nisi ante oculos tuos fuerint peccata tua. Non sit ante oculos tuos delectatio præteriti peccati, sed sit ante oculos tuos damnatio peccati: damnatio a te, remissio a Deo. Hæc enim retribuit Dominus, ut possis dicere: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi* (*Psal.* cxv, 12)? Hoc enim considerantes martyres, quorum etiam memoriam hodie celebramus, et omnes omnino sancti qui vitam istam contempserunt, et sicut audistis in Epistola Joannis, animas suas pro fratribus posuerunt (I *Joan.* III, 16), quæ est perfectio charitatis, dicente Domino, *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis* (*Joan.* xv, 13): hoc ergo considerantes sancti martyres, contempserunt animas suas hic, ut ibi eas invenirent, sequentes verba Domini dicentis, *Qui amat animam suam, perdet eam; et qui perdiderit eam propter me, in vitam æternam inveniet eam* (*Id.* XII, 25). Voluerunt enim retribuere: qui? et quid? et cui? Homines ministerium suum usque ad mortem Deo retribuerunt. Quid, quod ille non donaverit? Quid dederunt, quod non acceperint? Retribuit ergo ille vere, qui solus donat: sed non retribuit peccatis nostris; nam retributiones nobis aliæ debebantur, et aliæ redditæ sunt. *Noli,* inquit, *oblivisci omnes retributiones ejus:* non tributiones, sed *retributiones.* Aliud enim debebatur, et redditum est quod non debebatur. Unde et ille: *Quid retribuam Domino, pro omnibus,* inquit, *quæ retribuit mihi* (*Psal.* cxv, 12)? Non ait, quæ tribuit mihi; sed, *quæ retribuit mihi.* Retribuisti tu mala pro bonis; retribuit ipse bona pro malis. Quomodo retribuisti tu, o homo, Deo mala pro bonis? Qui prius fuisti blasphemus, et persecutor, et injuriosus (I *Tim.* I, 13), retribuisti blasphemias. Pro quibus bonis? Primo, quia es: sed est et lapis. Deinde, quia vivis: sed vivit et pecus. Quid retribues Domino, pro eo quod super omnia pecora et super omnia volatilia fecit te ad imaginem et similitudinem suam (*Gen.* I, 26)? Noli quærere quid ei retribuas: similitudinem ipsius retribue illi, non plus quærit; nummum suum exigit (*Matth.* XXII, 21). Tu autem pro gratiis agendis, pro humilitate, pro obsequio, pro cultu religioso, id est, pro his omnibus bonis quæ debebas Deo tuo, pro bonis quæ accepisti, quæ dixi, retribuisti blasphemias. Quid ergo ille? Confitere, ignosco. Retribuo et ego, sed non quod tu retribuisti: tu retribuisti mala pro bonis; ego retribuo bona pro malis.

4. Cogita ergo, anima, omnes retributiones Dei, cogitando omnia mala facta tua: quam multa enim mala facta tua, tam multæ bonæ retributiones ejus. Et quid illi offeres forte xeniorum? quid munerum? quid sacrificiorum? Quoniam non oblivisceris retributiones ejus, hoc sacrificio delectatur: *Benedic, anima, Dominum. Sacrificium laudis glorificabit me: immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua* (*Psal.* XLIX, 14, 23). Laudari se vult Deus; et hoc, ut tu proficias, non ut ille sublimetur. Non est omnino quod illi retribuere [1]: et quod exigit, non sibi, sed tibi exigit; tibi proderit, tibi servatur. Non hoc a te amat, quod illum augeat, sed quod te ad illum perducat. Propterea quærebant martyres, deficiebant quodammodo non inveniendo, et dicebant, *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et non invenerunt quid retribuerent, nisi, *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* cxv, 12, 13). Quid retribues Domino? Cogitabas enim, et non inveniebas: *Calicem salutaris accipiam.* Quid? *calicem salutaris* nonne ipse Dominus dedit? De tuo aliquid retribue, si potes. Non, dixerim; ne feceris, noli de tuo retribuere; non vult Deus de tuo sibi retribui. Si de tuo retribuis, peccatum retribuis. Omnia enim quæ habes, ab illo habes: tuum peccatum solum habes. Non vult sibi retribui de tuo, de suo vult. Quomodo agricolæ, de terra quam seminavit, si segetem attuleris, de agricolæ fructu retribuisti; si spinas, de tuo obtulisti. Veritatem retribue, in veritate Dominum lauda: si de tuo volueris, mentieris. Qui loquitur mendacium, de suo loquitur (*Joan.* VIII, 44). Si qui loquitur mendacium, de suo loquitur; qui loquitur veritatem, de Deo loquitur. Quid est autem accipere calicem salutaris, nisi passiones Domini imitari? Hoc martyres fecerunt. Hoc superbientibus dixit, et sedes sublimes jam quærentibus, et convallem plorationis devitantibus, qui volebant sedere, unus ad dexteram, alius ad sinistram. Quid ergo ait? *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum* (*Matth.* xx, 22)? Jam ergo martyr paratus ad victimam sanctam dicit. *Calicem salutaris accipiam:* accipiam calicem Christi, bibam passionem Domini. Cave ne deficias. Sed *nomen Domini invocabo.* Quid ergo defecerunt, Dominum non invocaverunt; de sua fortitudine præsumpserunt.

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *temporis.*
[2] Sic Mss. At Edd., *depositio.*

[1] Ita præcipui Mss. Quidam vero, *retribuere possis.* A Edd., *retribuas.*

Tu sic redde, ut te accepisse quod reddis memineris. Sic ergo benedicat anima tua Dominum, ut non obliviscatur omnes retributiones ejus.

5. [*vers.* 3-5.] Audite omnes retributiones ejus. « Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes languores tuos. Qui redimit[1] de corruptione vitam tuam, qui coronat te in miseratione et misericordia. Qui satiat in bonis desiderium tuum : renovabitur sicut aquilæ juventus tua. » Ecce retributiones. Quid debebatur peccatori, nisi supplicium? quid debebatur blasphemo, nisi gehenna ignis ardentis? Non ipsa retribuit : ne expavescas, ne exhorrescas, ne sine amore timeas. Noli oblivisci omnes retributiones ejus bonas; et mutare jam, ne experiaris retributiones ejus : quid dicam? malas? Si justas, non malas. Ad te ergo malas; ad Deum autem nec hæc[2] quæ pateris mala, mala sunt : si enim justa sunt, bona sunt; sed tibi patienti hæc mala sunt. Non vis ut mala sint tibi, quæ justa sunt Dei? Non sit mala in conspectu Dei iniquitas tua. Non enim cessavit vocare, aut vocatum neglexit instruere, aut instructum cessavit perficere, aut perfectum neglexit coronare. Quid dicis? Quia es peccator? Convertere, et accipe retributiones istas; *propitius fit omnibus iniquitatibus tuis*. Post remissionem peccatorum corpus infirmum geris : necesse est sint quædam desideria carnalia quæ te titillent, et quæ tibi suggerant delectationes illicitas; de languore tuo veniunt. Adhuc enim infirmam carnem geris, nondum est absorpta mors in victoriam, nondum corruptibile hoc induit incorruptionem (I *Cor.* xv, 53, 54) : adhuc quibusdam perturbationibus etiam ipsa anima quatitur post remissionem peccatorum; adhuc in periculis tentationum versatur, quibusdam suggestionibus delectatur, quibusdam non delectatur, et in eis quibus delectatur, aliquando quibusdam consentit, capitur. Languor est; *sanat* et *omnes languores tuos*. Sanabuntur omnes languores tui, noli timere. Magni sunt, inquies : sed major est medicus. Omnipotenti medico nullus languor insanabilis occurrit : tantum tu curari te sine, manus ejus ne repellas; novit quid agat. Non tantum delecteris cum fovet, sed etiam toleres cum secat : tolera medicinalem dolorem, futuram cogitans sanitatem. Videte, fratres mei, in istis languoribus corporis quanta homines tolerent, ut paucos dies victuri moriantur, et hos paucos dies incertos. Multi enim post tolerantiam magnorum dolorum, cum a medicis secarentur, aut inter manus medicorum mortui sunt, aut jam sani, irruente aliqua ægritudine, defuncti sunt. Si tam sibi propinquam mortem sperarent, illos immensos dolores susciperent tolerandos? Tu non toleras ad incertum : qui promisit sanitatem, non potest falli. Fallitur medicus aliquando, et promittit sanitatem de corpore humano. Quare fallitur? Quia non hoc curat quod fecit. Deus fecit corpus tuum, Deus fecit animam tuam; novit quemadmodum recreet quod creavit, novit quemadmodum reformet quod ipse formavit : tu tantum sub manibus medici esto; odit enim repellentem manus suas. Non fit hoc in medici hominis manibus. Ligari se volunt homines, et secari; daturi pro incerta sanitate certum dolorem, magnam mercedem. Deus te, quem fecit, et certus curat, et gratis. Ferto ergo manus ejus, o anima, quæ benedicis eum, non obliviscens retributiones ejus; *sanat* enim *omnes languores tuos*.

6. *Qui redimit de corruptione vitam tuam*. Inde sanat omnes languores tuos, quia redimit de corruptione vitam tuam. Ecce corpus quod corrumpitur, aggravat animam (*Sap.* ix, 15). Vitam ergo habet anima in corpore corruptibili. Qualem vitam? Onera patitur, pondera sustinet. Ad ipsum Deum cogitandum, sicut dignum est ab homine cogitari Deum, quanta impediunt, veluti interpellantia de necessitate corruptionis humanæ? quanta revocant? quanta a sublimi intentione detorquent? quanta interpellant? quæ turba phantasmatum? qui populi suggestionum? Totum hoc in corde humano, tanquam de vermibus corruptionis hujus scatet. Exaggeravimus morbum, laudemus et medicum. Non ergo te sanabit, qui fecit talem qualis non ægrotares, si legem sanitatis acceptam servare voluisses? Nonne tibi et disposuit et mandavit quid tangeres, quid non tangeres, ad retinendam salutem (*Gen.* ii, 16, 17)? Noluisti audire ad retinendam, audi ad recipiendam. Languore tuo expertus es quam vera ille jussisset. Jam tandem aliquando homo quod non tenuit monitus, audiat vel expertus. Quæ duritia est, quam nec experientia docet? Non ergo te sanabit qui talem fecerat ut nunquam ægrotares, si ejus præcepta servare voluisses? non te sanabit, qui fecit Angelos, et te refectum æquaturus est Angelis? non sanabit factum ad imaginem suam, qui fecit cœlum et terram? Sanabit te; opus est ut sanari velis. Sanat omnino ille quemlibet languidum, sed non sanat invitum. Quid autem te beatius, quam ut tanquam in manu tua[1], sic habeas in voluntate sanitatem tuam? Si velles esse in aliquo sublimi honore in hac terra; ducatum, proconsulatum, præfecturam si concupisceres : numquid continuo posses ut velles? numquid voluntatem tuam potestas sequeretur? Multi ad ista volunt pervenire, et non possunt : sed si pervenirent, quid prodest honos ægrotis? Quis enim non ægrotat in hac vita? quis non languorem longum trahit? Nasci hic in corpore mortali, incipere ægrotare est. Quotidianis medicamentis fulciuntur indigentiæ nostræ, quotidiana medicamenta sunt refectiones omnium indigentiarum. Fames nonne te occideret, nisi medicamentum ejus apponeres? sitis nonne te perimeret, nisi eam tu bibendo, non penitus exstingueres, sed differres? Reditura est enim sitis paululum temperata. Temperamus ergo istis fomentis ærumnam ægritudinis nostræ. Stando lassatus eras, sedendo reficeris; ipsum sedere medicina est lassitudinis : in ipsa me-

[1] Plerique Mss. constanter habent, *redimet*.

[2] Sic meliores Mss. At Lov.: *A te ergo malas, a Deo autem bonas. Nec hæc quæ pateris*, etc. Am. et Er.: *A te ergo mala, a Deo autem bona. Nec hæc quæ*, etc.

[1] Er. et Lov., *in manu tua vitam*. Abest, *vitam*, ab Am. et a Mss.

dicina rursus lassaris; diu sedere non poteris. Quidquid est ubi fatigationi[1] succurritur, alia fatigatio inchoatur. Quid ergo ista desideras languidus? Prius de salute tua cogita. Aliquando ægrotat homo in domo sua, in lecto suo, ægritudine manifestiore; quanquam et ista manifesta sit, quam nolunt homines intueri: tamen ea ægritudine, ad quam quæruntur medici homines, ægrotat quisque in domo sua, anhelat febribus in lecto suo; velit forte cogitare de re familiari, aliquid jubere vel in domo, vel in fundo, aut disponere; statim cura suorum circumstrepente et murmurante revocatur a talibus curis, et dicitur illi, Dimitte ista, prius de salute tua cogita. Ergo hoc tibi dicitur: Omnis homo, si non ægrotas, alia cogita; si te ægrotantem languor ipse convincit, prius de salute tua cogita. Salus tua Christus est: Christum ergo cogita. Accipe calicem salutaris ejus, *Qui sanat omnes languores tuos:* hanc salutem si volueris, obtinebis. Honores et divitias cum requisieris, non continuo si volueris, habebis: hoc et pretiosius est, et sequitur voluntatem[2]. *Qui sanat omnes languores tuos, qui redimit de corruptione vitam tuam.* Ibi sanabitur omnis languor tuus, cum corruptibile hoc induet incorruptionem. Redempta est enim vita tua de corruptione; jam securus esto: initus est bonæ fidei contractus; nemo fallit redemptorem tuum, nemo circumvenit, nemo premit. Egit hic commercium, jam pretium solvit, sanguinem fudit. Sanguinem, inquam, fudit unicus Filius Dei pro nobis: o anima, erige te, tanti vales. *Redimit de corruptione vitam tuam.* Ostendit exemplo, quod promisit in præmio. Mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* IV, 25). Sperent membra quod in capite demonstratum est. Non curabit membra sua, quorum caput levavit in cœlum? Ergo *redimit de corruptione vitam tuam.*

7. *Qui coronat te in miseratione et misericordia.* Jam enim forte quasi arrogans esse cœperas, cum audires, *coronat te.* Ergo magnus sum, ergo luctatus sum. Cujus viribus? Tuis, sed ab illo subministratis. Nam luctaris, manifestum est; et ideo coronaberis, quia vinces: sed vide quis prior vicerit, vide quis te faciat etiam secundo victorem. *Ego*, inquit, *vici sæculum*, *gaudete* (*Joan.* XVI, 33). Et unde gaudemus, si ille vicit sæculum? quasi nos vicerimus? Ita plane gaudeamus, quia nos vicimus. Qui in nobis victi sumus, in illo vicimus. Ergo coronat te, quia dona sua coronat, non merita tua. *Plus omnibus illis laboravi,* ait Apostolus: sed vide quid adjungit, *Non ego autem, sed gratia Dei mecum* (I *Cor.* XV, 10). Et post labores omnes exspectat ipsam coronam, et dicit, « Bonum agonem certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de cætero superest mihi corona justitiæ, quam mihi reddet Dominus in illa die justus judex » (II *Tim.* IV, 7, 8). Quare? Quia *agonem certavi.* Quare? Quia *cursum consummavi.* Quare? Quia *fidem servavi.* Unde certasti? unde fidem servasti? *Non ego autem*, *sed gratia Dei mecum.* Ergo et quod coronaris, illius misericordia coronaris. Nusquam sis superbus; semper lauda Dominum, omnes retributiones ejus noli oblivisci. Retributio est, cum peccator et impius vocatus es, ut justificareris. Retributio est, cum erectus[1] et gubernatus es ne caderes. Retributio est, cum tibi vires subministratæ sunt, ut usque in finem perseverares. Retributio est, ut etiam caro ista tua qua premebaris, resurgat, et nec capitis tui capillus intereat. Retributio est, ut post resurrectionem coroneris. Retributio est, ut in æternum Deum ipsum sine defectu laudes. Omnes retributiones ejus noli oblivisci, si vis ut benedicat anima tua Dominum, *qui coronat te in miseratione et misericordia.*

8. Et quid agam coronatus? Ecce adjuvabar cum luctarer, finito certamine coronabor; jam nulla residua erit inimica suggestio vel corruptio cum qua lucter. Semper enim in hac vita luctamur cum corruptione ista: sed quid scriptum est? *Novissima inimica destruetur mors.* Post destructionem mortis, nullum timebis inimicum: inde *absorpta est mors in victoriam* (I *Cor.* XV, 26, 54). Tunc ergo erit victoria, tunc corona. Post certamen ergo coronabor, post coronam quid agam? *Qui satiat in bonis desiderium tuum.* Modo enim audis bonum, et anhelas; audis bonum, et suspiras: et hoc ipsum quod forte peccas, eligendi boni aviditate falleris; et in eo reus detineris, quod bonum consilium Dei non audis, quid contemnendum et quid eligendum sit; quod forte negligis discere, si in eligendo bono fallebaris. Ubicumque peccas quasi bonum quæris, quasi refectionem desideras. Bona sunt ista quæ quæris; sed mala tibi erunt, deserto illo a quo bona facta sunt. Bonum tuum quære, o anima. Est enim bonum aliud alteri, et omnes creaturæ habent quoddam bonum suum, integritatis suæ, et perfectionis naturæ suæ: interest quid cuique rei imperfectæ necessarium sit, ut perficiatur; quære tuum bonum. *Nemo bonus nisi unus Deus* (*Matth.* XIX, 17). Summum bonum, hoc est tuum bonum. Quid ergo deest cui summum bonum bonum est? Sunt enim et inferiora bona, quæ aliis et aliis bona sunt. Pecori quid bonum est, fratres, nisi implere ventrem, carere indigentia, dormire, gestire, vivere, sanum esse, generare? Bonum illi est, et usque ad quemdam modum habet boni sui mensuram tributam, et concessam ab omnium rerum creatore Deo. Tale tu bonum quæris? Dat et hoc Deus; sed noli solum quærere. Cohæres Christi, quid gaudes, quia socius es pecori? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium. Ipse erit bonum tuum, a quo tu in tuo genere factus es bonus, et omnia in suo genere facta sunt bona. Fecit enim Deus omnia bona valde. Ergo illud bonum quod Deus est, si dicamus valde bonum, jam et de creatura dictum est: *Fecit Deus omnia bona valde* (*Gen.* I, 31). Quid ergo illud bonum de quo dictum est, *Nemo bonus nisi unus Deus?* dicimus quia bonum est valde? Recurrit nobis recordatio de omnibus creaturis, quia dictum est, *Fecit Deus omnia valde bona.* Quid ergo dicturi sumus? Deficimus in voce, sed non in affectu.

[1] Mss., *fatigato.*
[2] Edd. addunt hic, *ejus, unde et subditur:* quod a plerisque Mss. abest.

[1] Mss., *rectus.*

Veniat in mentem recens illa tractatio Psalmi: explicare non possumus, jubilemus. Bonum est Deus. Quale bonum, quis dicat? Ecce non possumus dicere, et non permittimur tacere. Ergo si non possumus dicere, et præ gaudio non permittimur tacere; nec loquamur, nec taceamus. Quid ergo faciamus, non loquentes et non tacentes? Jubilemus. Jubilate Deo salutari nostro, *Jubilate Deo, omnis terra* (a). Quid est, *Jubilate?* Efferte vocem ineffabilem gaudiorum vestrorum, et eructate in eum lætitias vestras. Et quid erit illa ructatio post saginam, si modo post modicas istas refectiones tantum afficitur anima nostra? quid erit, quando fiet post redemptionem ab omni corruptione, quod dictum est in isto psalmo, *Qui satiat in bonis desiderium tuum?*

9. Et quasi quæreres, Quando satiat? modo enim non satior; ad quodcumque me convertero, vilescit mihi adeptum, quamvis accenderit desideratum: cum omnia quæ dum non habeo amo, cum habuero contemno, quod bonum me satiabit? Laus Dei. Et ipsa, cum corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, non impletur anima mea [1], non perficitur: aliæ de corruptione delectationes [2] indigentiarum detorquent me ab illa. Quando satiabitur desiderium meum in bonis? quando, quæris? *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua.* Quæris ergo quando satietur in bonis anima tua? Quando renovata fuerit juventus tua. Et addidit, *sicut aquilæ.* Profecto hic aliquid latet: quod tamen dici de aquila solet, non tacemus, quia non est abs re hoc intelligere. Illud tantummodo insinuatum sit cordibus nostris, non sine causa dictum esse a Spiritu sancto, *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua.* Resurrectionem enim quamdam significavit nobis. Et quidem renovatur et juventus aquilæ, sed non ad immortalitatem. Data est enim similitudo, quantum de re mortali potuit trahi ad rem utcumque significandam immortalem, non ad demonstrandam. Dicitur aquila, cum senectute corporis pressa fuerit, immoderatione rostri crescentis cibum capere non posse. Pars enim rostri ejus superior, quæ supra partem inferiorem aduncatur, cum præ senecta immoderatius creverit, longitudo ejus incrementi non eam sinit os aperire, ut sit aliquod intervallum inter inferiorem partem et uncum superiorem. Nisi enim aliquod intervallum pateat, non habet morsus quasi forcipem, unde velut tondeat quod transmittat in fauces. Crescente itaque superiore parte, et nimis aduncata, non poterit os aperire et aliquid capere. Hoc ei facit vetustas. Prægravatur languore senectutis, et inopia comedendi languescit nimis; utraque re, et ætatis et egestatis, accedente [3]. Itaque modo quodam naturali in mensura [4] reparandæ quasi juventutis, aquila dicitur collidere et percutere ad petram ipsum quasi labium suum superius, quo nimis crescente edendi aditus clauditur: atque ita conterendo illud ad petram excutit, et caret prioris rostri onere, quo cibus impediebatur. Accedit ad cibum, et omnia reparantur: erit post senectutem tanquam juvenis aquila; redit vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum, volat excelsa sicut antea, fit in ea quædam resurrectio. Ad hoc enim exposita est ista similitudo: sicut de luna ponitur, quia deminuta et quodammodo intercepta luna rursus nascitur et impletur; et significat nobis resurrectionem; sed impleta illa non permanet; rursus minuitur, ut semper significet. Sic ergo et hoc quod de aquila dictum est: non ad immortalitatem aquila reparatur, nos autem ad vitam æternam; sed tamen propterea inde ducta est similitudo, ut quod nos impedit, petra nobis auferat. Non ergo præsumas de viribus tuis; firmitas petræ tibi excutit vetustatem: *Petra autem erat Christus* (I *Cor.* x, 4). In Christo renovabitur sicut aquilæ juventus nostra. Etenim inveteravimus inter inimicos nostros, sicut nota est vox psalmi: *Inveteravi*, inquit, *in omnibus inimicis meis* (*Psal.* vi, 8). Unde inveteravimus? Carne mortali, carne ista fenea: et ideo, « Percussum est sicut fenum, et aruit cor meum, quoniam oblitus sum manducare panem meum » (*Psal.* ci, 5). « Oblitus sum, » inquit, « manducare panem meum. » Crevit vetustas, os clausit, atteratur in petra.

10. Sic ergo et in hoc psalmo unde agimus, cum præmisisset, *Qui satiat in bonis desiderium tuum;* quasi responderet anima, Non satiabor de mortalibus, non satiabor de temporalibus; aliquid æternum donet, aliquid æternum concedat: Sapientiam suam mihi det, Verbum suum mihi det, Deum apud Deum, et se Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Mendicus ante januam ejus sto, non dormit quem invoco, det mihi tres panes. Evangelium recordamini: ecce quid sit nosse Dei Litteras; qui legerunt moti sunt. Nam recordamini quemdam inopem venisse ad domum amici sui, et petiisse tres panes. Et ille, inquit, dormiens respondebat ei, et dicebat: *Jam requiesco, et pueri mei intus mecum dormiunt.* Ille perseverans in petendo, extorsit tædio quod non posset merito (*Luc.* xi, 5-8). Deus autem dare vult; sed non dat nisi petenti, ne det non capienti. Non [1] tædio tuo vult excitari. Non enim cum oras tanquam dormienti molestus es: *Non dormiet, neque dormitabit, qui custodit Israel* (*Psal.* cxx, 4). Semel Christus dormivit, ut illi de latere conjux fieret: dormivit in cruce, manifestum est. Mortuus est enim, ut diceret, *Ego dormivi, et somnum cepi.* Sed numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat (*Psal.* xl, 9)? Propterea ibi sequitur, *Et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me* (*Psal.* iii, 6). Quid vero jam Apostolus? *Christus*, inquit, *surgens a mortuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* vi, 9). Ipse ergo non dormit; vide ne fides tua dormiat. Dicat ergo anima jam desiderans satiari quodam excelso, inenarrabili bono, cui jubilatur potius, et de quo jubilatur, quam aliquid explicatur; jam enim vult, jam sentit inde aliquid: videt se impediri prægravatione corporis, non se posse in hac

[1] Nostri omnes Mss., *in anima mea.*
[2] Aliquot Mss., *cogitationes.*
[3] Er. Ven. et Lov., *utraque re, ætate et egestate accedente.*
[4] Morel, Elem. Critic., p. 160, conjicit sic legendum hunc locum: *Itaque modo quodam naturali, imo cura,* etc. M.
(a) Vide Enarr. in Psal. xcix, nn. 4, 5.

[1] Sic Am. Er. et plures Mss. At Lov., *nam.*

vita satiari; et quasi respondeat, et dicat, Quid mihi dicis, Satiabitur in bonis desiderium tuum? Novi bonum ejus quod desiderem, novi quid mihi sufficiat, video hoc in Philippo: *Ostende*, inquit, *nobis Patrem, et sufficit nobis*. Solum Patrem quasi desiderabat: ostendit Dominus tres panes desiderandos; qui est unus panis ostendit et dixit: *Tanto tempore vobiscum sum, et Patrem non nostis? Philippe, qui me videt, videt et Patrem*. Promisit et Spiritum: *Quem mittet*, inquit, *Pater in nomine meo* (*Joan.* XIV, 8, 9, 26); itemque ait, *Quem ego mittam vobis a Patre* (*Id.* XV, 26): donum suum æquale sibi. Novi quid desiderem; sed quando inde satiabor? Ecce modo de Trinitate cogito, quomodocumque de Trinitate, vix in ænigmate per speculum, ex parte audeo aliquid sentire; quando satiabor? *Renovabitur sicut aquilæ juventus tua*. Non satiaris modo, quia non est idonea anima tua ad solidum illum et magnum cibum; sed rostro clauso, non est idonea. Vetustas tibi os clausit, propterea petra data est, ubi vetustate contrita, renovetur juventus tua sicut aquilæ; ut possis manducare panem tuum, illum qui ait: *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Id.* VI, 41). *Renovabitur juventus tua sicut aquilæ*: tunc satiaberis in bonis.

11. [*vers.* 6.] *Faciens misericordias Dominus, et judicium eis qui injuriam accipiunt*. Facit modo, fratres, antequam veniamus ad renovationem sicut aquilæ, antequam satiemur in bonis. Quid enim hic, quid in ista peregrinatione, quid in ista vita [1]? numquid deserimur? Non. *Faciens misericordias Dominus*. Et videte quomodo faciat misericordias, non nos relinquens in deserto, non nos relinquens in eremo, donec perveniamus ad patriam: *faciens* [2] *misericordias*; sed quibus? *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Modo audistis, fratres, cum Evangelium legeretur. Non ergo putet aliquis futuram in se esse misericordiam Dei, si est ipse immisericors. Sed audi quæ sit mensura misericordiæ, ne quasi in amicum sit, et non sit in inimicum. Dictum est: *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* V, 7, 44). Satiari vis bonis Dei; satiata sit in te misericordia. Plena misericordia [3] ipsa est perfecta misericordia; ipsa est quæ amat, quæ diligit etiam habentem se odio. Nam quid faciam, inquis? Si cœpero diligere inimicum meum, injurias accipiam, et injurias perferam, et non me vindicabo, cum adsint leges? Justum est ut vindices te; conceditur, quia justum est: vide utrum non habeas quod in te vindicetur, et vindica. Sic enim dicis, Itane me non vindicabo? quasi Deus justitiam vindictæ reprimat, et non superbiam vindicantis exstinguat [4]. Aut vero adultera illa non erat lapidanda? aut si lapidaretur, iniquum aliquid fieret? Si inique fieret, inique jussum est; Lex autem jussit, Deus jussit: sed, o vos ultores, videte si non estis peccatores. Adducta est adultera mulier lapidanda ex Lege, sed adducta est ad latorem Legis. Sævis qui adduxisti: vide qui sævias, et in quam sævias; si peccator in peccatricem, desine sævire, prius confitere: si peccator sævis in peccatricem, relinque illam; novit ille quid de illa sentiat, quid judicet, quomodo parcat, quomodo sanet. Ex Lege sævis? Melius novit quid agat lator Legis, ex qua sævis. Jam Dominus eo tempore quo illi oblata est, inclinato capite scribebat in terra. Tunc scripsit in terra, quando se inclinavit in terram: antequam se inclinaret in terram, non in terra scripsit, sed in lapide. Jam fructuosum aliquid erat terra de Domini Litteris paritura. In lapide Legem scripserat, significans duritiam Judæorum: in terra scripsit, significans fructum Christianorum. Venerunt ergo illi adducentes adulteram, tanquam sævientes fluctus in petram: sed ejus responsione confracti sunt. Ait enim illis, *Qui in vobis sine peccato est, prior in illam lapidem jactet*. Et rursum inclinato capite, scribebat in terra. Et unusquisque jam interrogans conscientiam suam, non comparuerunt (*Joan.* VIII, 3-9). Repulit eos, non infirma mulier adultera, sed adulterata conscientia. Vindicare volebant, judicare cupiebant: venerunt ad petram, absorpti sunt juxta petram judices eorum (*Psal.* CXL, 6).

12. *Faciens misericordias Dominus*: sed quibus? *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. In omnes fac misericordiam. Quam misericordiam facturus es justo? In necessitatibus tantum corporalibus; quibus si defuerint supplementa a te, non deerunt a Deo. Quod ergo facis, tibi plus prodest. Das mendico transeunti et petenti: quæris et justum cui des, per quem recipiaris in tabernacula æterna; quia *qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet* (*Matth.* X, 41). Mendicus te quærit, justum tu quære. De alio enim dictum est, *Omni petenti te da* (*Luc.* VI, 30): et de alio dictum est, Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum, cui eam tradas. Et si diu non invenitur; diu quære, invenies [1]. Sed quid præstabis? Nonne plus tibi præstatur? *Si nos vobis*, inquit, *spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus?* Inde est et illud quod pridem exposuimus in nutu Domini, quia producit terra fenum jumentis (*Psal.* CIII, 14), id est, carnalia eis qui triturant: quia, *Bovi trituranti os non infrenabis* (I *Cor.* IX, 11, 9). Unde vos adhortati sumus ut in hac re diligentes sitis, cauti, sobrii; opera vestra thesauros vestros deputetis. Numquid autem hæc, fratres, ideo dicimus, ut ita fiant in nos? Puto in nomine Domini posse esse istam quamvis infirmorum vocem, apostolicam tamen, sed vobis prodest, sicut ait ipse Apostolus: *Non quia quæro datum, sed requiro fructum* (*Philipp.* IV, 17). Quam ergo eleemosynam facturus es justo? Non pascebat vidua, pascebat corvus; quia pascebat qui fecit corvum (III *Reg.* XVII, 6, 12): Eliam dico. Non ergo deest unde Deus det suis: tu vide quid emas, quando emas, quanti emas. Emis enim regnum cœlorum; et non est emendi tempus, nisi in hac vita. Et quam vili emas, attende. Tanti tibi valet, quantum habere potueris.

13. Fac misericordiam iniquo, non tanquam ini-

[1] Aliquot Mss., *via*.
[2] Sic Er. Ven. et Lov. In B., *faciat*. M.
[3] In Edd., *misericordia Dei*. Abest *Dei* a præcipuis Mss.
[4] Verbum, *exstinguat*, a plerisque Mss. abest.

[1] Præcipui Mss.: *Etsi diu, invenitur: diu quære, invenis*.

quo. Nam ipsum iniquum in quantum iniquus est, ne suscipias : id est, ne quasi intentione et amore iniquitatis illius suscipias eum. Nam et prohibitum est dari peccatori, et suscipere peccatores. Et quomodo, *Omni petenti te da?* et quomodo, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum* (*Rom.* XII, 20)? Quasi contraria videntur, sed aperiuntur in nomine Christi pulsantibus, et manifesta erunt quærentibus. *Ne tradas peccatori*, et *Ne suscipias peccatorem* (*Eccli.* XII, 4-6); et tamen, *Omni petenti te da.* Sed peccator est qui me petit. Da, non tanquam peccatori. Quando das tanquam peccatori? Quando in quo peccator est, hoc tibi placet ut des. Paululum attendat Charitas vestra, donec evolvatur res etiam exemplis, multum utilis ad intelligendum. Hoc dixit [1], Cum esurierit nescio quis, si habes unde des, da; si vides dandum esse ad subveniendum, da. Ne pigrescant in hoc viscera misericordiæ, quia tibi peccator occurrit : tibi enim homo peccator occurrit. Cum dico, Occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi; hæc duo nomina non superflua sunt : duo nomina, aliud quod homo, aliud quod peccator; quod homo, opus est Dei; quod peccator, opus hominis est : da operi Dei, noli operi hominis. Et quomodo, inquis, me prohibes dare operi hominis? Quid est dare operi hominis? Peccatori dare propter peccatum, placenti tibi propter peccatum. Et quis hoc faciet, inquis? Quis hoc faciet? Utinam nemo, utinam pauci, utinam non publice. Qui venatoribus donant, quare donant, dicant mihi? Quare donat venatori? Hoc in illo amat, in quo nequissimus est; hoc in illo pascit, hoc in illo vestit, ipsam nequitiam publicam spectaculis omnium. Qui donat histrionibus, qui donat aurigis [2], qui donat meretricibus, quare donat? Numquid non et ipsi hominibus donant? Non tamen ibi attendunt naturam operis Dei, sed nequitiam operis humani. Vis videre quid honores in venatore, quando illum vestis? Dicatur tibi, Sis talis : amas illum, gaudes ad illum, vis quodammodo exspoliare te, et illum vestire; noli cum injuria accipere, si tibi dicatur, Tales sint filii tui [3]. Injuria est, inquis. Quare injuria est, nisi quia illa iniquitas? quare injuria, nisi quia illa turpitudo? Non ergo donas, cum donas [4], fortitudini, sed turpitudini. Quomodo ergo qui venatori donat, non homini donat, sed arti nequissimæ (nam si homo tantum esset, et venator non esset, non donares; honoras in eo vitium, non naturam) : sic contra, si des justo, si des prophetæ, si des discipulo Christi aliquid cujus indiget, et non ibi cogites quia discipulus Christi est, quia minister est Dei, quia dispensator est Dei; sed cogites ibi aliquod commodum temporale, ut fortasse causæ tuæ necessarius quando fuerit, venalis tibi sit, quia ei aliquid porrexisti; tam tu non dedisti justo, si sic dederis, quam ille non dedit homini, quando dedit venatori. Res ergo, charissimi, in promptu posita est, et puto quia etsi obscura fuit, jam manifesta est. Ad hoc Dominus te astrinxit, cum diceret, *Qui receperit justum :* sufficeret. Sed quia potest recipi justus alia intentione, cum putatur prodesse posse ad aliquid temporale, forte ad supplendam cupiditatem, forte ad adjuvandum, ut homo circumveniatur, aut opprimatur; quia tale ministerium de illo quæris, forte propterea suscipis : negavit tibi mercedem justi, nisi cum additamento. Ait enim, *Qui receperit justum in nomine justi;* id est, ideo recipiens quia justus est : et, *Qui receperit prophetam;* non tantum receperit prophetam, sed, *in nomine prophetæ*, hoc in illo honorans quod propheta est : ad extremum, *Qui dederit calicem aquæ frigidæ uni ex minimis istis, tantum in nomine discipuli*, id est propterea quia discipulus Christi est, propterea quia dispensator sacramenti est; *amen dico vobis, non perdet mercedem suam* (*Matth.* X, 41, 42). Quomodo ergo intelligis, *Qui receperit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet;* sic intellige, Qui receperit peccatorem in nomine peccatoris, perdet mercedem.

14. Ergo, fratres, exercete misericordiam. Non est aliud vinculum charitatis, non est aliud vehiculum quo perducamur ex hac vita ad illam patriam; extendite dilectionem usque ad inimicos : securi estote. Ideo venit Christus, cui tanto ante dictum est, « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem, ut destruas inimicum et vindicatorem » (*Psal.* VIII, 3) : quod nonnulli codices « defensorem » habent; sed verius, « vindicatorem. » Destruere voluit Dominus vindicatorem, id est, eum qui se voluit vindicare, ut non illi dimittantur peccata sua. Quid ergo, inquis? dormiet disciplina? auferetur omnis correptio? Non auferetur. Quid enim de luxurioso filio facturus es? non castigabis, non verberabis? Servumque ipsum tuum, si male viventem videris, non pœna aliqua, non verberibus refrenabis? Fiat hoc, fiat : admittit Deus, imo reprehendit, si non fiat; sed animo dilectionis fac, non animo ultionis. Ubi autem potentiores aliquos injuriosos passus fueris, ubi tibi nec corrigere disciplina licet, nec forte etiam monere aut præcipere; tolera, securus tolera : audi Evangelium quod modo lectum est, *Beati eritis, cum vos persecuti fuerint homines, et dixerint adversus vos omne malum, mentientes, propter nomen meum* (*Matth.* V, 11). Et ibi addidit propter quid, ne merito tuo accipias maledicta, non causa justificationum Dei. Non enim qui maledictus fuerit, justus est : sed qui justus est, et injuste maledictus; et si injuste maledicitur, præmium illi redditur. Propterea itaque securus esto misericors, extende dilectionem usque ad inimicos : qui forte pertinent ad gubernationem tuam, vindica, coerce cum dilectione, cum charitate, attendens salutem æternam; ne cum parcis carni, anima pereat. Fac hoc : et multos passurus es [1], in quos non potes exercere disciplinam,

[1] Edd., *dixi.* At plures Mss., *dixit :* refer ad allata testimonia ex Luc. 6, et Rom. 12.

[2] Am. et Er., *auguribus.* At Lov. et Mss., *aurigis.* Confer Enarr. Psal. 39. n. 8, etc. ubi jam de aurigis, de venatoribus et histrionibus dixit.

[3] Edd., *si tibi de meretricibus dicatur, Tales sint filiæ tuæ. Injuria est*, etc. Locum ad melioris notæ Mss. restituimus.

[4] Sic Mss. At Edd., *cum non das*, etc.

[1] Quinque Mss., *et non inultus passurus es iniquos, in quos*, etc.

quia non pertinent ad jura gubernationis tuæ; ferto injurias, securus esto. *Faciet* enim *misericordias Dominus, et judicium omnibus injuriam accipientibus.* Sic in te faciet misericordiam, si misertus fueris: sic eris misericors, ut quod pateris injuriam non sit impunitum, *Mihi vindicta, et ego retribuam* (*Deut.* XXXII, 35), dicit Dominus.

15. [*vers.* 7.] *Notas fecit vias suas Moysi.* Quas vias suas notas fecit Moysi? Quare Moysen elegit? Ex Moyse, intellige omnes justos, omnes sanctos: unum posuit, omnes occurrant. Tamen per Moysen data est Lex, et habet aliquid obscurum traditio ipsa Legis. Ad hoc enim data est Lex, ut convinceretur languidus, et medicum imploraret. Ipsa est via occulta Dei. Jamdudum audieras, *Qui sanat omnes languores tuos.* Languores in ægrotis latebant, dati sunt quinque libri Moysi: cincta est piscina quinque porticibus; produxit languidos, ut ibi jacerent, ut proderentur, non ut sanarentur. Quinque porticus prodebant languidos, non curabant; piscina curabat descendente uno, et hoc piscina turbata (*Joan.* v, 2-4): turbatio piscinæ in passione Domini. Veniens enim et ignotus factus, cum dicitur ab aliis, Ipse est Christus; ab aliis, Non est Christus; justus est, peccator est; magister est, seductor est: turbavit aquam, id est, turbavit populum; et in tota illa perturbatione aquæ unus sanabatur, quia in passione Domini unitas sanatur. Qui præter unitatem fuerit, etsi jacebit in porticibus, sanari non poterit: etsi Legem tenet, ad salutem non pervenit. Ergo quia hoc ibi mysterium est, ideo docet datam Legem, ut convincerentur peccatores, et ad gratiam accipiendam medicum invocarent. Unde ille convictus est, quem in se transfigurat Paulus apostolus, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Per mandatum enim demonstrata illi erat quædam rixa in seipso, unde dicit, « Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem sub lege peccati, quæ est in membris meis. » Cognovit se in miseria, in gemitu, in rixa et contentione; ipse secum sibi non concordans, a se dissonans, a se resiliens: et quid ait, optans pacem, pacem veram, pacem supernam? « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum » (*Rom.* VII, 23-25). « Ubi » enim « abundavit peccatum, superabundavit gratia. » Unde autem abundavit peccatum? *Lex autem subintravit, ut abundaret peccatum* (*Id.* v, 20). Quare Lege subintrante abundavit peccatum? Quia nolebant se confiteri homines peccatores, addita Lege facti sunt et prævaricatores. Prævaricator enim non est quisque, nisi cum legem transgressus fuerit. Ipse Apostolus hoc dicit: *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio* (*Id.* IV, 15). Abundavit ergo peccatum, ut superabundaret gratia. Ergo, ut dicere cœperam, quia hoc est in Lege magnum mysterium, ideo eam datam, ut crescente peccato, humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur: istæ sunt viæ occultæ, quas notas fecit Moysi, per quem Legem dedit, qua peccatum abundaret, ut superabundaret gratia. Non crudeliter hoc fecit Deus, sed consilio medicinæ. Aliquando enim videtur sibi homo sanus, et ægrotat; et in eo quod ægrotat et non sentit, medicum non quærit: augetur morbus, crescit molestia, quæritur medicus, et totum sanatur. *Notas fecit vias suas Moysi; filiis Israel voluntates suas.* Numquid omnibus filiis Israel? Sed veris filiis Israel; imo omnibus filiis Israel. Qui enim dolosi, qui insidiosi, qui hypocritæ, non filii Israel. Et qui filii Israel? *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I, 47). *Filiis Israel voluntates suas.*

16. [*vers.* 8.] *Miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericordiæ*[1]. Quid tam longanimem? quid tam multum in misericordia? Peccatur et vivitur; accedunt peccata, augetur vita: blasphematur quotidie, et facit solem suum oriri super bonos et malos (*Matth.* v, 45). Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis: *Longanimis et multum misericordiæ.* Sed observa ne longitudine misericordiæ Dei male utendo, tu tibi thesaurizes, quod ait Apostolus, iram in die iræ. Nam hoc ait Apostolus: « An divitias benignitatis et longanimitatis ejus contemnis, ignorans quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit » (*Rom.* II, 5, 4)? Quod tibi parcit, putas quia places ei? « Hæc fecisti, » inquit, « et tacui; suspicatus es iniquitatem, quod ero tui similis » (*Psal.* XLIX, 21). Non mihi placent peccata, sed longanimitate quæro recte facta. Si punirem peccatores, non invenirem confessores. Ergo te Deus longanimitate sua parcendo ad pœnitentiam adducit: tu autem cum quotidie dicis, Finitur hodiernus dies, et sic ero et crastino die, non enim cras erit ultimus; et tertio die: et subito venit ira ejus. Frater, non tardes converti ad Dominum (*Eccli.* v, 8). Sunt enim qui præparant conversionem, et differunt, et fit in illis vox corvina, Cras, cras. Corvus de arca missus, non est reversus (*Gen.* VIII, 7). Non quærit Deus dilationem in voce corvina, sed confessionem in gemitu columbino. Missa columba reversa est. Quamdiu, Cras, cras? Observa ultimum cras: quia ignoras quod sit ultimum cras, sufficiat quod vixisti usque ad hodiernum peccator. Audisti, sæpe soles audire, audisti et hodie: quam quotidie audis, tam quotidie non corrigeris. « Tu » enim « secundum duritiam cordis tui et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua » (*Rom.* II, 5, 6). Non tibi sic videatur Deus misericors, ut non videatur justus. *Misericors et miserator Dominus.* Audio, et gaudeo: ita dicis. Audi, et gaude; adhuc addidit, *Longanimis et multum misericors:* et in extremo, *Et verax.* Gaudes ad verba su-

[1] Edd., *multæ misericordiæ.* At præcipui Mss., *multum misericordiæ:* sic, putamus, latinus interpres reddiderat vocem græcam, *polueleos.*

periora, ad ultimum treme. Sic misericors et longanimis est, ut sit et verax. Cum tibi thesaurizaveris iram in die iræ, nonne experieris justum, quem contempsisti benignum?

17. [*vers.* 9.] *Non in finem irascetur, neque in æternum indignabitur.* Quia et quod vivimus in flagellis et corruptione[1] mortalitatis, de indignatione ipsius est: de pœna hoc habemus primi peccati. Fratres mei, non solum cogitare debemus, ut futuras minas ipsius evadamus, sed et præsentem iram; quia et ista ira ipsius est, cujus et se et nos fuisse dicit filios Apostolus: ait quippe, *Fuimus enim et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3). Ergo ex ira ipsius est quod hic homo peregrinatur, quod laborat. Non est ex ira ipsius, fratres mei, *In sudore et in labore edes panem tuum, et terra spinas et tribulos pariet tibi* (*Gen.* III, 19, 18)? Auctori nostro[2] dictum est. Aut si est aliud vita nostra; si potes, convertere ad aliquam voluptatem, ubi spinas non sentias. Elige quod volueris, avarus, luxuriosus, ut duo ista sola dicamus[3]; adde et tertium, ambitiosus: in honorum cupiditate quantæ spinæ? in luxurie libidinum quantæ spinæ? in ardore avaritiæ quantæ spinæ? Amores turpes quantas molestias habent? quantas sollicitudines hic in ista vita? Omitto gehennas. Vide ne jam ipse tibi gehenna sis. Hoc ergo totum, fratres mei, de ira ipsius est: et cum te converteris, ut juste agas, non poteris nisi laborare in terra; et non finitur labor, nisi cum finita fuerit via. Oportet in via laborare, ut in patria gaudeamus. Ergo consolatur promissione sua laborem tuum, sudorem tuum, molestias tuas, et dicit tibi: *Non in finem irascetur, neque in æternum indignabitur.*

18. [*vers.* 10, 11.] *Non secundum peccata nostra fecit nobis.* Deo gratias, quia hoc voluit. Non quod merebamur accepimus: « Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cœli a terra, confirmavit Dominus misericordiam suam super timentes eum. Confirmavit Dominus misericordiam suam super timentes eum: » secundum quid? « Secundum altitudinem cœli a terra. » Quid dixit? Si aliquando potest cœlum abscedere a protectione terræ, aliquando poterit Deus non protegere timentes se. Attende et cœlum: ubique, undique protegit terram, et nulla pars terræ est quæ non cœlo protegatur. Peccant homines sub cœlo, faciunt omnia mala sub cœlo; tamen proteguntur cœlo. Inde lux ad oculos, inde aer, inde spiritus, inde pluvia ad terram propter fructus, inde omnis misericordia a cœlo. Tolle auxilium cœli a terra, statim deficiet. Sicut ergo protectio cœli permanet super terram, sic protectio Domini permanet super timentes eum. Times Deum, supra te est protectio ipsius. Sed forte flagellaris, et putas quia deseruit te Deus. Si deseruit protectio cœli terram: *Quoniam secundum altitudinem cœli a terra, confirmavit Dominus misericordiam suam super timentes eum.*

19. [*vers.* 12.] Et quid fecit? Quia non secundum peccata nostra retribuit nobis. *Quantum distat oriens ab occidente, longe fecit a nobis peccata nostra.* Secundum altitudinem cœli a terra, confirmavit Dominus misericordiam suam super nos. Dixi quare: propter protectionem. Unde? *Quantum distat oriens ab occidente, longe fecit* esse *a nobis peccata nostra.* Noverunt qui sacramenta sciunt; tamen quod omnes audire possunt dico. Quando peccatum remittitur, occidunt peccata tua, oritur gratia tua: peccata tua tanquam in occasu sunt; gratia qua liberaris, in ortu est. *Veritas de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV, 12). Quid est, *Veritas de terra orta est?* Nata est gratia tua, occidunt peccata tua, innovaris quodammodo. Ad ortum attendere debes, ab occasu averti debes. Avertere a peccatis tuis, convertere ad gratiam Dei; illis occidentibus surgis, et proficis. Sed pars cœli quæ surgit, rursum in occasum it. Non undecumque possunt similitudines duci ad perfectum, possunt collineari ipsæ res rebus ad quas adhibentur: sicut dixit de aquila, sicut de luna, sic et hic. Occidit pars una cœli, oritur altera: sed pars quæ oritur modo, post duodecim horas occasura est. Non sic est gratia quæ nobis oritur: et peccata in æternum occidunt, et gratia in æternum manet.

20. [*vers.* 13.] Quare autem, *Quantum distat oriens ab occidente,* tantum *longe fecit a nobis peccata nostra,* ut illa occidant, et gratia oriatur? quare putatis? *Sicut miseratur pater filios, sic miseratus est Dominus timentes eum.* Jam sæviat quantum vult, pater est. Sed flagellavit nos, et afflixit nos, et contrivit nos: pater est. Fili, si ploras, sub patre plora; noli cum indignatione, noli cum typho superbiæ. Quod pateris, unde plangis, medicina est, non pœna; castigatio est, non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate: noli attendere quam pœnam habeas in flagello, sed quem locum in testamento. *Sicut miseratur pater filios, sic miseratus est Dominus timentes eum.*

21. [*vers.* 14.] *Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum:* id est, infirmitatem nostram. Novit quid fecerit, quomodo lapsum sit, quomodo reficiendum sit, quomodo adoptandum sit, quomodo ditandum sit. Ecce facti sumus de limo: *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis* (I *Cor.* XV, 47). Misit et Filium suum, qui factus est secundus homo, qui ante omnia Deus. Secundus enim in adventu, prior in reditu: post multos mortuus est, ante omnes resurrexit. *Ipse cognovit figmentum nostrum:* quod figmentum? Nos. Unde loqueris quia cognovit? Quia miseratus est. *Memento quia pulvis sumus.* Ad ipsum Deum conversus ait, *Memento,* quasi obliviscatur Deus: sic cognoscit, sic novit, ut non obliviscatur. Sed quid est, *Memento?* Perseveret erga nos misericordia tua. Cognovisti figmentum nostrum quodam modo; ne obliviscaris figmentum no-

[1] Am. et aliquot Mss, *correctione.* Alii plures cum Er., *correptione.*
[2] Am. et Er.: *Ab auctore nostro.*
[3] Sic Mss. At Edd.: *Esto avarus luxuriosus; ut duo ista sola non dicamus,* etc.

strum, ne obliviscamur gratiam tuam. *Memento quia pulvis sumus.*

22. [*vers.* 15.] *Homo, tanquam fenum dies illius.* Attendat quid sit homo; non superbiat homo: *tanquam fenum dies illius.* Quid superbit fenum modo florens, post paululum arescens? quid superbit fenum ad tempus virens [1], et hoc ad parvum tempus, donec sol candescat? Bonum est ergo nobis ut misericordia ipsius sit super nos, et de feno aurum faciat. Nam *homo, tanquam fenum dies ejus; sicut flos agri, ita efflorebit.* Totus splendor generis humani; honores, potestates, divitiæ, typhi, minæ [2], flos feni est. Floret illa domus, et magna illa domus, floret illa familia; et quam multi florent [3], aut quam multis annis vivunt? Multi anni tibi; breve tempus Deo. Deus non sic numerat, quomodo tu numeras. In comparatione longorum et longe viventium sæculorum, omnis flos cujusque domus sic est, quomodo flos agri. Vix est annua omnis pulchritudo anni. Quidquid ibi viget, quidquid ibi candet, quidquid ibi pulchrum est, non perannat [4]; imo per totum annum duci non potest. Quam exiguo tempore transeunt flores, et hoc est pulchrum in herbis. Hoc quod valde pulchrum est, hoc cito cadit. « Omnis caro fenum, et claritas hominis ut flos feni. Fenum aruit, et flos decidit: Verbum autem Domini manet in æternum » (*Isai.* XL, 6-8). Quia ergo quomodo Pater cognovit figmentum nostrum, quia fenum sumus, et ad tempus florere possumus; misit nobis Verbum suum, et Verbum suum quod manet in æternum, feno quod non manet in æternum fratrem fecit: natura Unigenitum, unicum natum de substantia sua fratrem adoptatis tot fratribus fecit. Noli mirari quia particeps eris æternitatis illius; factus est ipse prior particeps feni tui. Quod excelsum est a te, tibi denegabit, qui quod humile erat ex te suscepit? Ergo *homo,* quantum ad hominem attinet, *sicut fenum dies ejus; sicut flos agri, ita florebit.*

23. [*vers.* 16.] *Quoniam spiritus pertransibit in eo, et non erit, et non cognoscet amplius locum suum.* Quasi perditio quædam, quasi interitus quidam. Ecce qui se inflat, ecce qui tumet, ecce qui se extollit, *Spiritus pertransiet in eo, et non erit, et non cognoscet amplius locum suum.* Videte quotidie morientes; et hoc erit totum, ipse erit finis. Non alloquitur enim fenum, sed propter quod et Verbum fenum factum est. Tu enim homo; propter te autem et Verbum factum est homo: tu caro, et propter te Verbum caro factum est. *Omnis caro fenum, et Verbum caro est factum* (*Joan.* I, 14). Quanta ergo spes feni, quando Verbum caro factum? Illud quod manet in æternum, non dedignatum est suscipere fenum, ne de se desperaret fenum.

24. [*vers.* 17.] Ergo quod ad te attendis, humilitatem tuam cogita, pulverem tuum cogita; noli extolli: quidquid melius eris, gratia illius eris, misericordia illius eris. Audi enim quod sequitur: *Misericordia vero Domini in sæculo et in sæculum, super timentes eum.* Qui non timetis eum, fenum, et in feno, et in tormento cum feno eritis: resurget enim caro ad tormentum. Gaudeant illi qui timent eum, quia super eos misericordia ejus.

25. [*vers.* 18.] *Et justitia ejus super filios filiorum* Retributionem dicit, *super filios filiorum.* Quam multi sunt servi Dei non habentes filios, quanto minus *filios filiorum?* sed filios nostros dicit opera nostra; *filios filiorum,* mercedem operum nostrorum. *Justitia ejus super filios filiorum, custodientibus testamentum ejus.* Videant ne putent omnes ad se pertinere quod dictum est: eligant, cum licet. *Custodientibus,* inquit, *testamentum ejus, et memoria retinentibus mandata ejus, ut faciant ea.* Jam te disponebas extollere, et forte reddere mihi Psalterium, quod ego non teneo, aut totam Legem memoriter pronuntiare. Plane in memoria melior me, melior quovis justo, si justus ad verbum Legem non tenet: sed vide ut præcepta teneas. Sed quomodo teneas? Non memoria, sed vita. *Memoria retinentibus mandata ejus:* non ut reddant ea; sed, *ut faciant ea.* Jam forte modo perturbatur uniuscujusque anima. Quis tenet omnia mandata Dei? quis tenet omnes Litteras Dei? Ecce volo non solum memoria tenere, sed et operibus meis facere: sed quis tenet omnia memoria? Noli timere; non te onerat. *In duobus præceptis tota Lex pendet, et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 40). Sed totam Legem volo tenere. Tene, si potes, quando potes, quomodo potes. Quamcumque paginam interrogaveris, hoc tibi respondebit: Quod tenes, tene; charitatem tene: *Finis præcepti est charitas* (1 *Tim.* I, 5). Noli cogitare de multitudine ramorum; radicem tene, et tota arbor in te est. *Et memoria retinentibus mandata ejus ut faciant ea.*

26. [*vers.* 19.] *Dominus paravit in cœlo thronum suum.* Quis, nisi Christus, paravit in cœlo thronum suum? Qui descendit et ascendit, qui mortuus est et resurrexit, qui hominem assumptum in cœlum levavit, ipse paravit in cœlo thronum suum. Thronus sedes est judicis: observate ergo qui auditis, quia *paravit in cœlo thronum suum.* Faciat quisque quod vult in terra, non erit impunitum peccatum, non erit infructuosa justitia; quia Dominus qui ante thronum judicis hominis irrisus est, in cœlo paravit thronum suum. *Dominus in cœlo paravit thronum suum; et regnum ejus omnium dominabitur.* Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium (*Psal.* XXI, 29). *Et regnum ejus omnium dominabitur.*

27. [*vers.* 20.] *Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus, potentes fortitudine, facientes verbum ejus.* Ergo tu verbo Dei nondum justus es aut fidelis, nisi cum facis. *Potentes fortitudine, facientes verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus* [1].

28. [*vers.* 21.] *Benedicite Dominum, omnes virtutes ejus, ministri ejus, facientes voluntatem ipsius.* Omnes

[1] Sic aliquot Mss. Alii cum Edd., *vigens.*
[2] Hic in Edd. additur, *timores:* quod a Mss. abest.
[3] Edd., *quam multis floret.* Aliquot Mss., *quam multi florent,* etc.
[4] Melius forte: *perennat.*

[1] Nostri Mss. omittunt. *ad audiendam vocem sermonum ejus.*

Angeli, omnes potentes fortitudine [1], facientes verbum ejus, omnes virtutes ejus, omnes ministri ejus, facientes voluntatem ipsius, vos, vos benedicite Dominum. Omnes enim male viventes, etsi lingua taceant, vita Domino maledicunt. Quid prodest quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua? Male vivendo multas linguas misisti in blasphemiam. Lingua tua vacat hymno, et cæteræ te intuentium vacant blasphemiis. Si ergo vis benedicere Dominum, fac verbum ejus, fac voluntatem ejus. In petra ædifica, noli in arena. Audire et non facere, in arena ædificare est: audire et facere, in petra ædificare est: nec audire, nec facere, nihil ædificare est. Si in arena ædificas, ruinam ædificas: si nihil ædificas, expositus pluviæ, fluminibus, ventis, ante rapieris quam steteris (*Matth.* VII, 24-27). Ergo non est cessandum, sed ædificandum: nec sic ædificandum, ut ruina ædificetur; sed in petra ædificandum, ut tentatio non evertat. Si sic est, benedic Dominum: si non est sic, noli blandiri linguæ tuæ; vitam tuam interroga, ipsa tibi respondeat. Invenis [2] quid sis mali; geme, confitere: confessio tua potest Dominum benedicere; sed mutatio tua in benedictione perseveret.

29. [*vers.* 22.] *Benedicite Dominum, omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus.* Ergo in omni loco. Ubi non benedicatur, ubi non dominatur: *In omni loco dominationis ejus.* Ne forte aliquis dicat: Non possum benedicere Dominum in oriente, quia ad occidentem profectus est; aut, Non possum in occidente, quia in oriente est. *Non ab oriente et ab occidente, non a desertis montibus; quoniam Deus judex est* (*Psal.* LXXIV, 7, 8). Sic ubique est, ut ubique benedicatur: sic undique est, ut illi undique jubiletur: sic undique benedicitur, ut undique bene vivatur. *Benedicite Dominum, omnia opera ejus.* Quia cum cœperis in bona vita benedicere Dominum, opera ejus eum benedicunt, non merita tua. Ipse enim per te et in te bonum operatur, dicente Apostolo: *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini; Deus enim est qui operatur in vobis* (*Philipp.* II, 12, 13). Ergo ne te extolleres, quia facis verbum ejus, quia facis voluntatem ejus, voluit te humiliari, respiciendo gratiam ejus, unde hoc consecutus es. *In omni loco dominationis ejus. Benedic, anima mea, Dominum.* Ipse ultimus versus est qui primus: benedictio a capite, benedictio in fine; a benedictione profecti sumus, ad benedictionem redeamus, in benedictione regnemus.

IN PSALMUM CIII

ENARRATIO.

SERMO I (*a*).

1. Die quidem nudiustertiano, quantum meminisse dignamini, abundanter refecti estis: sed quia nos etiam post longum sermonem avidissimi [1] dimisistis, non putavimus Sanctitatem Vestram hodierni diei debito fraudandam; ut hoc sit de debito, illud de lucro. Psalmus qui lectus est, prope totus figuris rerum mysteriisque contexitur, et opus habet non solum nostra, sed etiam vestra non parva intentione: quanquam etiam cuncta quæ dicta sunt, possint ad litteram religiose accipi. Enumerantur enim etsi non omnia, multa tamen opera Dei, quæ nota sunt omnibus intuentibus, qui norunt et ex his quæ facta sunt et videntur, illius invisibilia intellectu conspicere (*Rom.* I, 20). Videmus enim fabricam mundi amplam quamdam ex cœlo et terra, et omnium quæ in eis sunt; et ex hujus fabricæ magnitudine ac pulchritudine, fabricatoris ipsius inæstimabilem magnitudinem et pulchritudinem, etsi nondum videmus, jam tamen amamus. Non enim cessavit, qui nondum potest nostri cordis puritate conspici, ante oculos nostros ponere opera sua, ut videntes quæ possumus, amemus quem videre non possumus, ut ipsius amoris merito aliquando videre possimus. Tamen in omnibus quæ dicta sunt, quærendus est etiam intellectus spiritualis, ad quem perscrutandum adjuvabunt nos in Christi nomine desideria vestra; quibus quasi manibus invisibilibus ad invisibilem januam pulsatis, ut invisibiliter vobis aperiatur, et invisibiliter intretis, et invisibiliter sanemini.

2. [*vers.* 1.] Ergo dicamus omnes: *Benedic, anima mea, Dominum.* Alloquamur omnes animam nostram: quia omnium nostrum anima, per unam fidem una anima est; et omnes nos quicumque in Christum credimus, propter unitatem corporis ejus unus homo sumus. Benedicat anima nostra Dominum, pro tantis beneficiis ejus, pro tam multis et magnis muneribus gratiarum ejus: quæ munera invenimus in hoc psalmo intenti, et excussa nebula carnalis cogitationis, quantum possumus erecta mente, et quantum possumus directa acie, et quantum possumus puro oculo cordis nostri, quantum non impedit præsens vita, quantum non occupant rerum præsentium desideria, quantum non excæcat cupiditas sæculi. Erecti ergo audituri sumus magna, læta et pulchra, desiderabilia [2] et plena lætitiæ gaudiorumque munera ejus; quæ jam ille qui conceperat istum psalmum, videbat animo, et ipsius visionis exsultatione ructabat dicens: *Benedic, anima mea, Dominum.*

3. *Domine, Deus meus, magnificatus es nimis.* Vide magnifica quæ dicturus est; in quibus magnificis non utique nisi ille laudandus est auctor omnium magnificorum. *Confessionem et decorem induisti.* O Domine, Deus meus, qui *magnificatus es nimis*, unde *magnificatus es nimis?* Nonne semper magnus? nonne semper magnificus? Numquid perfectus non es, ut crescas? numquid deficis, ut aliquando minuaris? Sed quia es quod es, et vere es, utique nomen tuum dixisti famulo tuo Moysi, *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14): utique magnus es, et magnitudo tua sempiterna est, nec cœpit, nec desinit; nec ab initio temporis incipit,

[1] Plures Mss., *potestates fortitudinis* Alii, *potestates, fortitudines.*
[2] Aliquot Mss., *inveni.*
(*a*) Habitus Carthagine, ex n. 13; Augustino jam sene, ex serm. 2, n. 7.

[1] Edd., *avidissime.* Melius Mss., *avidissimi.*
[2] Aliquot Mss., *magnalia, et pulchra desideria.*

nec usque ad finem temporis excurrit, nec in medio aliquid patitur: incommutabilis enim magnitudo est. Quomodo ergo *magnificatus es nimis?* Alius psalmus admonet nos; ait enim, *Mirificata est scientia tua ex me* (*Psal.* CXXXVIII, 6). Si recte dicitur, *Mirificata est scientia tua ex me*; recte dicitur, *Magnificatus es nimis, Domine Deus meus*, ex me. Sed et hoc adhuc quærendum. Ex me magnificatur Deus meus? Ergo ex me fit magnus. Docet nos aliquid et quotidiana oratio salutis nostræ. *Sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* VI. 9): quotidie petimus, quotidie rogamus ut fiat. Si nos quisquam interroget, Quid est quod petitis, ut sanctificetur nomen Dei? aliquando enim sanctum non est, ut modo sanctificetur? Et tamen nisi vellemus fieri, non peteremus ut fieret. Alia est enim gratulatio, alia oratio: gratulamur, ex eo quod est; oramus, ut sit quod nondum est. Quid est ergo, *Sanctificetur nomen tuum?* et intelligimus, quod hic dictum est, *Domine Deus meus, magnificatus es nimis*. Hoc est, *Sanctificetur nomen tuum*, sanctum sit apud homines nomen tuum. Sanctum est enim semper nomen tuum, sed quibusdam immundis nondum est sanctum nomen tuum. Dicit enim Apostolus, *Omnia munda mundis, immundis autem et infidelibus nihil est mundum*. Si immundis et infidelibus nihil est mundum, quæro causam [1]: *Sed polluta sunt*, inquit, *eorum et mens et conscientia* (*Tit.* I, 15). Si nihil est mundum eis, nec Deus; nisi forte putatis mundum videri Deum illis, qui quotidie blasphemant eum. Si mundus est, placeat; si placet, laudetur: si autem blasphematur, displicet; et si displicet, quomodo tibi potest mundus esse qui displicet? Quid ergo rogamus, *Sanctificetur nomen tuum?* Ut illis hominibus qui per infidelitatem nondum habent, nomen Dei sanctum sit, quibus nondum est ille sanctus qui per se, et in se, et in sanctis suis sanctus est. Rogamus pro genere humano, rogamus pro orbe terrarum, pro omnibus gentibus, quotidie sedentibus et disputantibus quia non est rectus Deus, et non recte judicat Deus; ut aliquando ipsi se corrigant, et rectum cor ad illius rectitudinem ducant; et adhærentes ei, directi ad rectum [2], non jam vituperent, sed placeat rectis rectus: quia, *Quam bonus Deus Israel*, sed *rectis corde* (*Psal.* LXXII, 1). Ergo cum videret iste qui cantat, iste ipse nos ipsi, id est corpus Christi, membra Christi; cum videret quanta præstiterit Deus generi humano, cui antea aut nullus, aut falsus, aut non tam magnus videbatur Deus, in operibus ejus eum videns; *Domine Deus meus*, inquit, *magnificatus es nimis*: id est, qui nondum te intelligebam, intelligo te magnum. Magnus semper, etiam occultus; sed mihi tunc magnus, quando apparuisti. Magnificatus es ergo ex me: quo modo *Mirificata est scientia tua ex me*; mira enim facta est ex me. Ego illam miror conversus ad illam; illa autem etsi non convertar, etsi post conversionem avertar, integra permanet. Sed ego jam magnus factus in ea, et ex deminuto factus integer in ea, miror quod non noveram; non quod modo magnum factum est ex quo didici, sed quia magnus factus sum ex quo didici. Audi jam et ubi videtur magnificatus Deus nimis, semper magnus; magnificatus enim nimis in operibus suis ad nos.

4. *Confessionem et decorem induisti.* Ante decorem confessionem posuit, decus in pulchritudine. Quæris pulchritudinem; bonam rem quæris. Sed quare quæris pulchritudinem, o anima? Ut amet te sponsus tuus; etenim displices ei fœda. Ille enim qualis est? *Speciosus forma præ filiis hominum.* Osculari vis fœda pulchrum; sed non attendis quia tu iniquitatibus plena es. *Diffusa est* autem *gratia in labiis tuis.* Sic enim de illo dictum est: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis; propterea adolescentulæ dilexerunt te* (*Psal.* XLIV, 3). Est ergo quidam formosus, est quidam pulcher *præ filiis hominum*; etsi filius hominis, tamen *præ filiis hominum*. Huic tu placere vis, o anima humana, o una in multis? Audiamus Ecclesiam; quia erat illis anima una et cor unum in Deum (*Act.* IV, 32): hanc alloquitur Psalmus. Vis ei placere? Non potes, quamdiu deformis es: quid facies ut pulchra sis? Prius tibi displiceat deformitas tua, et tunc ab illo ipso cui vis placere pulchra, mereberis pulchritudinem. Ipse enim erit reformator tuus, qui fuit formator tuus. Ergo prius attende quæ sis, ne audeas ire fœda in pulchri oscula. Et quid intuens, inquis, me videbo? Posuit tibi speculum Scripturam suam; legitur tibi: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Speculum in hac lectione propositum est: vide si hoc es quod dixit; si nondum es, geme ut sis. Renuntiabit tibi speculum faciem tuam: sicut speculum non senties adulatorem, sic nec te palpes. Hoc tibi ostendit nitor ille quod es: vide quod es; et si tibi displicet, quære ut non sis. Si enim cum fœda sis, tibi ipsi adhuc displices, pulchro jam places. Quid ergo? Quoniam displicet tibi fœditas tua, incipis ei in confessione; sicut alibi dicitur: *Incipite Domino in confessione* (*Psal.* CXLVI, 7). Primo accusa fœditatem tuam: fœditas enim animæ de peccatis, de iniquitatibus. Accusando fœditatem tuam incipe confiteri, a confessione incipis decorari: quo decorante, nisi specioso forma præ filiis hominum?

5. Ut autem et decoram faceret, audeo dicere, amavit et fœdam. Quid est, amavit et fœdam? *Etenim Christus pro impiis mortuus est* (*Rom.* V, 6). Quam vitam tibi servat justificato, qui suam mortem donavit et impio? Ecce pulcher ille et *speciosus forma præ filiis hominum*, quia justissimus præ filiis hominum, quoniam veniebat ad fœdam, ut faceret pulchram, (dicam et hoc, quia in Scripturis invenio) fœdus factus est. Non me in hoc audiatis, ne in hoc verbum temere lapsus sim. Sicut enim dixeram, Amavit et fœdam; non autem quasi congruenter dixeram quibusdam illum amantibus, nisi mihi testis procederet; et dixi quod dixit Apostolus: vis nosse quod amarit et fœdam? *Christus pro impiis mortuus est*: sic et modo quod dixi, Ut veniret ad fœdam, fœdus factus est,

[1] Hic in Edd. additur, *sed quibusdam immundis nondum est causa*: quod a melioris notæ Mss. abest.
[2] Sic probæ notæ Mss. At Edd., *et adhærentes eidem de recto ad rectum.*

deformis factus est, quomodo probabo; quando jam mihi prædixit divinum eloquium, *Speciosus forma præ filiis hominum?* Sed in ipso divino eloquio rursus habeo, *Vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem* (*Isai.* LIII, 2). *Speciosus forma præ filiis hominum : Vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem.* Non dixit, Non vidimus, et ideo nesciebamus utrum haberet speciem vel decorem : ecce *vidimus, et non habebat speciem, neque decorem.* Ubi ergo illum vidit qui dixit, *Speciosus forma præ filiis hominum?* et ubi illum vidit qui dixit, *Non habebat speciem, neque decorem?* Audi ubi eum vidit qui dixit, *Speciosus forma præ filiis hominum. Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Merito *præ filiis hominum,* quia æqualis Deo : ecce accepi et agnovi ubi eum viderit qui dixit, *Speciosus forma præ filiis hominum.* Respondit enim nobis, Ubi viderim, quæris? *In forma Dei.* Et unde vidisti in forma Dei? quomodo vidisti in forma Dei? Quia *invisibilia ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I, 20). Bene, optime; accepi, agnovi et quem videris, et qualem videris, et ubi videris, et unde videris. Quem vidisti? Sponsum nostrum. Qualem vidisti? Speciosum *forma præ filiis hominum.* Ubi vidisti? *Cum in forma Dei esset.* Unde vidisti? *Per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Videamus et de isto [1] quid dicat alius propheta, sed non alius spiritus; non enim discordant inter se. Exhibuit nobis ille speciosum forma præ filiis hominum, exhibeat et iste quod ait, *Vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem.* Unus apostolus Paulus prophetam utrumque conjungit; unum capitulum Pauli utrique prophetæ perhibet testimonium. Ibi habeo speciosum forma præ filiis hominum : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Ibi dixit, quod vidit et alius, non habentem speciem neque decorem : quia *semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo; humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* II, 6-8). Merito viderunt eum, et non habebat speciem neque decorem. Merito ante crucem agitabant caput : Hiccine est totus Filius Dei? *Si Filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII, 40). Sed non habebat speciem neque decorem. Etiam sic, o quibus displicet, quia non habebat speciem neque decorem! O agitantes caput ante crucem, et non figentes caput [2] in capite quod pendebat in cruce! Merito nutat insultantium caput, donec sit eorum caput ille ipse cui insultabatur. Ecce resumit decorem, et magnum decorem. Ecce quod dicis tu, minus est quam quod fecit. Dicis tu, *Si Filius Dei est, descendat de cruce :* ecce de cruce non descendit, sed de sepulcro resurrexit.

6. Ergo, anima, decora esse non potes, nisi confessa fueris fœditatem ei qui semper pulcher, et propter te ad tempus non pulcher; et sic ad tempus non pulcher in forma servi, ut nunquam defecerit a pulchritudine quæ est in forma Dei. Ergo tu, Ecclesia, habes decorem : dicitur et tibi in Canticis canticorum, *O decora inter mulieres* (*Cant.* V, 9). Dicitur de te : *Quæ est ista quæ ascendit dealbata* (*Id.* VIII, 5, *sec.* LXX)? Quid est, *dealbata?* Illuminata : non dealbata, sicut fucata, quemadmodum se dealbant feminæ quæ volunt videri quod non sunt : non dealbata, sicut paries dealbatus; destruetur enim, sicut dicit Apostolus, paries dealbatus (*Act.* XXIII, 3), hypocrisis et simulatio. Paries dealbatus, foris tectorium, intus lutum. Non ergo illa sic dealbata; sed dealbata, illuminata, quia non per se alba. *Prius,* inquit, *fui blasphemus* (I *Tim.* I, 13); et item, *Fuimus enim et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3). Accedit gratia illuminans et dealbans : primo nigra fuisti, sed facta es alba ex gratia illius. *Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.* Dicitur ergo et de te, *Quæ est ista quæ ascendit dealbata?* Jam mirabilis, jam vix contemplabilis. Admirantis est enim dicere, *Quæ est ista quæ ascendit dealbata,* tam pulchra, tam luminosa, tam sine macula et ruga (*Id.* V, 8, 27)? Nonne ista est quæ jacebat in cœno iniquitatum? nonne ista est quæ jacebat in fornicatione idolorum? nonne ista est quæ immunda erat in omni cupiditate desiderioque carnali? *Quæ est* ergo *ista quæ ascendit dealbata?* Attende quis sit ille qui pro ea factus est non habens speciem neque decorem, et intelligis hujus claritatis honorem [1]. Si miraris illius humilitatem propter hanc, noli jam mirari hujus celsitudinem propter illum. Quantæ felicitatis est ista dealbata, ut et cum esset nigra, pulchrum ad se deponeret, qui pro impiis moreretur? Ergo induit se Dominus Deus noster confessionem et decorem, induit se Ecclesiam : ipsa enim Ecclesia confessio et decor. Ante confessio, postea decor; confessio peccatorum, decor recte factorum : *Confessionem et decorem induisti.*

7. [*vers.* 2.] *Circumamictus lucem, sicut vestimentum.* Ipsa est vestis ejus, de qua jam dixi : *Non habens maculam, neque rugam.* Lux vocatur; et hoc jam dixi : *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.* Non ergo in vobis; nam tenebræ in vobis, lux autem in Domino. Ergo, *Circumamictus lucem, velut vestimentum. Extendit cœlum sicut pellem.* Quomodo fecerit hoc, ut indueret se sicut vestimentum lucem Ecclesiam, enumerare vult figuratis quibusdam sacramentis : quomodo lux facta sit Ecclesia, quomodo facta sit sine macula et ruga, quomodo facta sit candida, dealbata, fulgens in vestitu sponsi sui, inhærens illi, quomodo facta sit, audiamus. *Extendit cœlum sicut pellem.* Et hoc quidem video. Quis enim extendit hoc cœlum, quod nostris carnalibus oculis intuemur, nisi Deus? Et, *Extendit sicut pellem,* ad facilitatem redegit [2], si ad litteram accipias. Etenim cum videris istam fabricam magnam, quia quisquis hominum unam vel parvam cameram extenderit, ma-

[1] Sic Fr. Ven. et Lov. In B., *et iste quid dicat.* M.
[2] Aliquot Mss., *crucem.*

[1] Aliquot Mss. omittunt, *et intelligis hujus claritatis honorem.*
[2] Quidam Mss., *redigit.* Alii, *redigis.*

gno molimine, magno labore et difficultate ac diuturna operatione id facit; ne hujusmodi laborem in Dei operibus infirmitas suspicaretur humana, attulit quamdam facilitatem pro tua capacitate, ut sic quodammodo incipias credere facile operantem Deum, et non putare sic eum extendisse cœlum, sicut tu tectum domus tuæ; sed quam tibi facile est extendere unam pellem, tam facile illi fuisse extendere tam magnum cœlum. Mira facilitas, et tamen adhuc Spiritus tibi tardo [1] loquitur. Tibi, inquam, adhuc tardo loquitur Spiritus. Nam nec sic extendit Deus cœlum, sicut et tu pellem. Si enim sic extendit, ecce ante te pellis vel rugosa, vel plicata ponitur; dic ut extendatur, dicto tuo extende pellem. Non possum, inquis. Ergo et tu extendenda pelle multum longe es a facilitate Dei. *Ipse* enim *dixit, et facta sunt* (*Psal.* CXLVIII, 5). Dixit, *Fiat firmamentum inter aquam et aquam; et sic factum est* (*Gen.* I, 6). Tamen propter facilitatem significandam, secundum sensum tuum acceperis aliquid interim ad litteram.

8. Figurate autem si aliquid tectum retegi volumus, et pulsare ad clausum, invenimus extendisse Deum cœlum sicut pellem, ut intelligamus cœlum sanctam Scripturam. Hanc auctoritatem primo posuit Deus in Ecclesia sua; inde cœpit exsequi cætera: posuit enim cœlum, et extendit sicut pellem, et non frustra sicut pellem. Primo istam famam prædicantium extendit sicut pellem: pellis mortalitatem significat: propterea et illi duo homines primi parentes nostri, auctores peccati generis humani, Adam et Eva, cum in paradiso, contempto Dei præcepto, ad suggestionem suasionemque serpentis transgressi essent quod jusserat Deus, facti mortales dimissi sunt de paradiso; ut autem significaretur ipsa mortalitas eorum, induti sunt tunicis pelliceis; de pellibus enim tunicas factas acceperunt (*Id.* III): pelles autem detrahi non solent, nisi animalibus mortuis: ergo pellium nomine mortalitas illa figurata est. Quid ergo, hic si divina Scriptura significatur pellis nomine, quomodo Deus de pelle fecit cœlum, et *extendit cœlum sicut pellem?* Quia per quos nobis Scriptura prædicata est, mortales fuerunt. Illud quidem Verbum Dei semper idem, semper incommutabile atque indeficiens. Ecce, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Numquid erat, et modo non est? Et est, et semper erit. Si ergo est Verbum Dei Deus apud Deum, lege si potes. Sed quid dicis? quia sursum est, et ideo legere non potes? Ubique est Verbum Dei; pertendit a fine usque ad finem fortiter, et attingit omnia propter suam munditiam (*Sap.* VIII, 1; *et* VII, 24). *In hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est* (*Joan.* I, 1, 10): et cum venit, hic erat. Venit enim in carne, nunquam absens divinitate. Quare ergo legere non poteras? *Quia in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum*, ibi constitutus in sapientia Dei; omnia enim ibi, et, ipsa subtracta, nulla sunt; ibi constitutus non poteras cognoscere per sapientiam Deum: ergo necessarium erat quod sequitur, *Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* (I *Cor.* I, 21). Si per stultitiam prædicationis salvi futuri erant credentes, elegit Deus quædam mortalia, elegit homines mortales et morituros; adhibita lingua mortali exhibuit sonos mortales, adhibita dispensatione mortalium adhibuit instrumenta mortalia, et in eo tibi factum est cœlum, ut in re mortali cognosceres Verbum immortale, et fieres tu quoque ejusdem Verbi participatione immortalis. Vixit [1] Moyses, et mortuus est: ait enim illi Deus, *Ascende in montem, et morere* (*Deut.* XXXII, 49). Mortuus est Jeremias, et tot Prophetæ mortui sunt; et mortuorum dicta, quia non eorum, sed per eos illius erant, qui *extendit cœlum sicut pellem*, manent usque ad posteritatem nostram. Ecce Apostolus solutus de hac vita, qui dixit, dissolvi et esse cum Christo, multo magis esse optimum (*Philipp.* I, 23), vivit nunc cum Christo, sicut illi Prophetæ omnes vivunt cum Christo: sed per quid nobis dispensavit id quod legimus? Per id quod moriturum erat, per os, per linguam, dentes, manus. Omnia ista quibus operatus est Apostolus totum quod legimus, corporis officia sunt, sed jubente anima cui jubebat Deus: propterea extentum est cœlum sicut pellis. Nos sub cœlo, tanquam sub pelle divinarum Scripturarum legimus modo, cum tenditur. Etenim postea *cœlum plicabitur ut liber* (*Isai.* XXXIV, 4). Non frustra, fratres, hic ut pellis, ibi ut liber; figuratum ibi quiddam nobis est. Quod ad divinam Scripturam attinet, extenditur sermo mortuorum: ergo ideo tenditur sicut pellis; et multo magis tenditur, quia illi mortui sunt. Nam post mortem plus innotuerunt Prophetæ et Apostoli; non erant tam noti cum viverent: Prophetas vivos sola Judæa habuit, mortuos omnes gentes. Cum enim viverent, nondum erat extenta pellis, nondum erat extentum cœlum, ut tegeret orbem terrarum. *Extendit* ergo *cœlum sicut pellem.*

9. [*vers.* 3.] *Qui protegit* [2] *in aquis superiora ejus.* Et hoc legimus, et ad litteram bene intelligitur. Quando enim jussit ut fieret firmamentum inter aquas et aquas, factum est, ut sint aquæ inferiores quæ perfundunt terras, et sint aquæ superiores remotæ ab aspectibus, tamen fidei commendatæ. *Et aquæ*, inquit, *quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini: quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII, 4, 5). Ergo explicatus est sensus ad litteram; *protegit* enim *in aquis superiora ejus.* Quid ad figuram? Quoniam in figura accepimus pellem Scripturam sanctam, et auctoritatem divini verbi dispensatam nobis per mortales, quibus mortuis ejusdem dispensationis fama extenditur; secundum hoc, quomodo *protegit in aquis superiora ejus?* Cujus superiora? Cœli. Et quid cœlum? Sancta Scriptura. Quæ sunt superiora sanctæ Scripturæ? quid invenimus in Scripturis sanctis superius? Paulum interroga: *Supereminentiorem*, inquit, *viam vobis demonstro* (I *Cor.* XII, 31). Quam dicit supereminentiorem viam?

[1] Plures Mss. hic et infra, *tarde.*

[1] Potiores Mss., *dixit.*
[2] Sic Am. Er. et plerique Mss. At Lov., *protegis.*

« Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens » (I *Cor.* XIII, 1). Si ergo nihil supereminentius in Scriptura sancta inveniri potest quam charitas, superiora cœli quomodo in aquis proteguntur, si superiora Scripturæ præcepta charitatis sunt? Audi quemadmodum : *Charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Jam nomine diffusionis intellige aquas in charitate Spiritus sancti. Hæ sunt aquæ, de quibus dicitur in quadam Scriptura : *Et in plateis tuis discurrant aquæ tuæ; nemo alienus communicet tibi* (*Prov.* V, 16 *et* 17). Alieni enim omnes a via veritatis, sive Pagani, sive Judæi, sive hæretici, et mali quique christiani, habere multa dona possunt, charitatem non possunt. Hoc ipsum quare donum est? ut non loquamur de donis aliis foris, quæ dona habent omnes homines, quia facit solem suum oriri super bonos et malos (*Matth.* V, 45) : dona Dei sunt, et non tantum bonis et malis communia, sed etiam bestiis et pecoribus. Ipsum esse, vivere, videre, sentire, audire, et cæteris fungi sensuum muneribus, dona Dei sunt : sed videte cum qualibus et quam multis communia, et cum eis quos nolis imitari. Ipsum ingenium acutum habent et pessimi homines, solertem artium industriam habent et turpissimi scenici, divitias habent et latrones, conjugia, filios, multi mali habent. Pulchra dona Dei omnia, nemo negat; sed vide cum quibus communia. Respice ad munera ipsius Ecclesiæ. Munus Sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris sanctis Sacramentis, quale munus est? Hoc munus adeptus est et Simon magus (*Act.* VIII, 13). Prophetia quale munus est? Prophetavit et Saül malus rex, et tunc prophetavit, cum David sanctum persequeretur. Intendite : non dixi, cum persecutus fuisset. Fortassis enim eum persecutus pœnitentiam gessit, et dignus fuit spiritu prophetandi. Non persecutus, neque persecuturus, sed persequens prophetavit. Misit ad comprehendendum David ministros suos : David vero eo tempore inter prophetas erat, ubi erat et sanctus Samuel; impleti sunt spiritu prophetiæ qui missi sunt, et prophetaverunt. Sed forte bono illi animo venerant, vel ob necessitatem officii sui, vel non facturi quod jussum est. Misit et alios : hoc et in eis factum est; et eorum hoc modo animum interpretemur. Cum illi tardarent, venit ipse furens, anhelans cædem, sanguinem sitiens innocentis sancti, cui etiam ingratus erat; et ipse impletus est spiritu prophetandi, et prophetavit (I *Reg.* XIX, 18-24). Non ergo se jactent qui forte sine charitate habuerint hoc munus Dei sanctum, sicut sanctum baptismum; sed videant qualem rationem habituri sunt cum Deo, qui sanctis non sancte utuntur. Ex his erunt qui dicturi sunt : *In nomine tuo prophetavimus*. Non illis dicetur, Mentimini; sed dicetur, *Non novi vos; recedite a me, qui operamini iniquitatem* (*Matth.* VII, 22, 23). Quia *si habeam omnem prophetiam, charitatem autem non habeam, nihil sum* (I *Cor.* XIII, 2). Prophetavit et Saül, sed operabatur iniquitatem. Quis autem operatur iniquitatem, nisi qui non habuerit charitatem? Plenitudo enim Legis charitas (*Rom.* XIII, 10). Ergo *protegit in aquis superiora ejus*. quid dixit? In omnibus Scripturis supereminentissimam viam, supereminentissimum locum charitas obtinet; non ad eam aspirant nisi boni, hanc nobiscum non communicant mali : possunt communicare Baptismum, possunt communicare cætera Sacramenta, possunt communicare orationem, possunt communicare istos parietes, et istam conjunctionem; charitatem nobiscum non communicant. Ipse est enim fons proprius bonorum, proprius sanctorum, de quo dicitur : *Nemo alienus communicet tibi*. Qui sunt alieni? Omnes qui audiunt, *Non novi vos*. Si enim non cognoscuntur, utique alieni sunt, quibus dicitur, *Non novi vos*. Supereminens ergo via charitatis tenet eos qui proprie pertinent ad regnum cœlorum. Ergo præceptum charitatis super cœlos, super omnes libros : ei enim subduntur libri, ei militat omnis lingua sanctorum, et omnis motus dispensatorum Dei, et animi et corporis. Supereminens est ergo via, et merito protegit in aquis superiora cœli; quia nihil invenis eminentius charitate in divinis Libris.

10. Sed adhuc evidentius audi quid aqua sit. Diximus enim quod charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis : diximus etiam, *In plateis discurrant aquæ tuæ*. Et ait mihi aliquis, Non ibi expresse dictum est, utrum charitatem intelligere debeam : quid si alius aliud aliquid intelligat? Tantum memento quod ait Apostolus, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*. Unde? *Per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Audi jam Dominum magistrum Apostolorum : *Si quis sitit, veniat, et bibat*. Dicat adhuc : *Qui credit in me, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus*. Quid est hoc? Exponat Evangelista : « Hoc autem dicebat, » inquit, « de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Spiritus enim nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. » Ergo, fratres, si propterea Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus; glorificato eo et ascendente in cœlos, missus est Spiritus sanctus (*Joan.* VII, 37-39), et charitate impleti sunt Apostoli, diffusa in cordibus eorum per Spiritum sanctum, qui datus est eis; quia superiora cœli aquis proteguntur. Et bene, quia Dominus in cœlos ascendit, ut superior esset cœlis, et inde mitteret charitatem. Non enim sic Deus protegit, ut quasi sustentetur ab eo quem protegit : sublevat quem protegit, non onerat. Ita ergo cœlum aquis protegit, ut magis illud divino Spiritu sublevetur. Quod sublevat, sursum est; quod sublevatur, infra est : illud suspendit, hoc pendet. Si ergo illud suspendit, hoc pendet; audi quia hoc cœlum Scripturarum ex charitate pendet. Duo sunt nempe illa notissima præcepta dilectionis : « In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII, 40). Qui protegit in aquis superiora ejus. »

11. *Qui ponit nubes ascensum ejus*. Accipitur et hoc

bene ad litteram. Dominus visibiliter ascendit in cœlum. Quomodo positæ sunt nubes ascensus cœli? *Hæc cum dixisset, nubes suscepit eum* (*Act.* I, 9). Habes item de resurrectione nostra prædictum : « Et mortui », inquit, « in Christo, resurgent primi ; deinde et nos qui vivimus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, atque ita semper cum Domino erimus » (I *Thess.* IV, 15, 16). Habes nubes ascensum cœli : ostendam et nubes ascensum cœli hujus, id est divinarum Scripturarum. Quid est hoc, fratres? Utinam me Dominus Deus meus inter illas qualescumque nubes numerare dignetur ; viderit quam nebulosa nubes sim : omnes tamen prædicatores verbi veritatis nubes accipite. Quicumque ergo infirmi non possunt ascendere in hoc cœlum, id est ad intellectum Scripturarum, per nubes ascendant. Forte enim et modo fit vobis [1] ; si aliquid agimus, si labor sudorque noster non est infructuosus, ascenditis in cœlum Scripturarum divinarum, hoc est in intellectum earum per prædicationem nostram. Quam altum erat cœlum in psalmo isto ! Nemo enim vestrum videbat quid esset in figura : *Extendit cœlum sicut pellem, qui protegit in aquis superiora ejus.* Hoc ipsum quod dictum est, *Qui ponit nubes ascensum ejus;* ecce jam intellectum est, quantum Dominus donavit, prædicantibus nobis; non enim nubes de suo munere pluunt. Vos intelligendo ascendite, in intellectu ipso fructificate ; ne sitis qualis illa vinea, de qua dicitur apud prophetam : *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam.* Accusabatur enim quædam vinea, quod pro uva spinas dederat, non reddiderat dignam gratiam dulci pluviæ. Qui enim bona audit, et mala operatur, dulci pluvia compluitur, et spinas generat. Non est ut suspicemur, fratres, de aliqua terrena et ista visibili vinea Dominum locutum. Namque ibi ne sub obscuritate sermonis lateret excusatio iniquitatis, ipse Dominus per ipsum prophetam exposuit cui vineæ loqueretur, et de qua vinea ista diceret : *Vinea*, inquit, *Domini Sabaoth, domus Israel est.* Quid vagantur, o iniqui, corda vestra per montes et colles vinitorum? Novi, inquit, de qua vinea loquar, novi ubi quærebam uvam, et inveni spinas ; sine causa aliud atque aliud suspicamini et opinamini, nolentes intelligere ut bene agatis. Nam et hoc scriptum est : *Noluit intelligere ut bene ageret* (*Psal.* XXXV, 4). Tollite omnes suspiciones vestras de medio : *Vinea Domini Sabaoth, domus Israel est ; et homo Juda, novellum dilectum* (*Isai.* V, 1-7). Dilectum, cum plantatum est; damnatum, cum spinas creavit. Ergo, fratres, forte vinea fuit domus Israel, et nos non sumus vinea? Cum timore audiamus quod Judæis dictum videmus. Videte quemadmodum Apostolus terreat ramos insertos de ramis fractis, et in ramis fractis commendet timendam severitatem, in ramis insertis commendet amandam bonitatem (*Rom.* XI, 20-22). Noli esse infructuosus in bonitate, ne sterilis sentias severitatem. Sed non sum vitis, dicis mihi. Ubi est Domini vox : *Ego sum vitis, vos estis sarmenta ; Pater meus agricola* (*Joan.* XV, 1, 5)? Ubi vox Apostoli : *Quis plantat vineam, et de fructu ejus non percipit* (I *Cor.* IX, 7)? Vinea ergo es, o Ecclesia, et habes agricolam Deum. Nemo agricola homo compluit vineam suam. Fratres ergo dilectissimi, viscera Ecclesiæ, pignora Ecclesiæ, filii matris cœlestis, audite, cum tempus est. Minatus est Deus illi vineæ atrocissima comminatione : *Mandabo nubibus meis,* inquit, *ne pluant super eam.* Et factum est : venerunt Apostoli ad Judæos, respuerunt eos; et dixerunt illis, *Ad vos missi eramus, sed quia repulistis verbum Dei, imus ad Gentes* (*Act.* XIII, 46). Videtis quomodo in eodem Spiritu Dei, illo jubente intrinsecus qui habitat in cordibus suorum, mandatum sit nubibus Dei ne compluerent vineam, quæ cum exspectaretur ut faceret uvam, fecit spinas. Ideo et nubes fecit ascensum ejus, et cœlum tetendit sicut pellem. Non est quod queramini : auctoritas Scripturarum extenta est super orbem terrarum, nubes non desunt, prædicatur verbum veritatis, exponuntur omnia quæ obscura sunt, ut corda vestra per nubes ascendant. Videte quomodo credatis, videte quid suscipiatis : post prædicatorem veniet judex, post dispensatorem veniet exactor. *Qui ponit nubes ascensum ejus.*

12. *Qui ambulat super pennas ventorum.* Hoc jam periculosum est accipere ad litteram. Aut quæ sunt pennæ ventorum? aut vero [1] quomodo in pictura, facturi nobis sumus ventos volantes, et alas habentes? Ventus non est, fratres, nisi quem sentimus, motus quidam et quasi fluctus aeris, impellens quod potest pro viribus. Quæ pennæ ventorum sunt? Sed et quæ alæ Dei? Et tamen dictum est : *Sub umbra alarum tuarum sperabunt* (*Psal.* XXXV, 8). Conemur ergo et hoc accipere ad litteram, veluti proprie factum in creatura ista. Velocitatem verbi fortasse commendat Scriptura ; de qua velocitate jampridem in alio psalmo locuti sumus, ubi scriptum est : *Usque in velocitatem currit verbum ejus* (*Psal.* CXLVII, 15). Quia nihil ventis velocius norunt homines. Quomodo illa facilitas [2] commendabatur in pelle ; nihil enim facilius ab homine quam pellis extenditur : sic et hic insinuans Deum vel Verbum [3] ejus ubique præsentem, velocitate motus nihil deserere, quia tu non noveras aliquid vento velocius, *Ambulat*, inquit, *super pennas ventorum*, id est, velocitas ejus superat velocitatem ventorum : ut per pennas ventorum intelligas velocitatem ventorum, et verbum Dei intelligas velocius omnibus ventis. Et sic in prima facie considerationis : pulsemus ad aliquid interius, et figurate aliquid nobis indicent istæ litteræ.

13. Ventos quidem intelligimus in figura non absurde animas : non quia ventus est anima, sed quia invisibilis est ventus, quamvis res corporea, corpora impellens, tamen quia humani oculi aciem fugit ; est

[1] Sic plerique Mss., At Am. et Er., *satis sit vobis*, Lov., *satis fit vobis.*

[1] Mss., *vere.*
[2] Sic Mss. Edd. vero : *Quia nihil ventis velocius. Nostis omnes quantum illa facilitas*, etc.
[3] Sic Mss. At Edd., *Deum per verbum.*

autem anima invisibilis, propterea bene intelligimus animas ventos. Inde est quod et Deus insufflasse dicitur spiritum vitæ formato homini; *et factus est homo in animam viventem* (*Gen.* II, 7). Ergo venti, animæ in allegoria non absurde accipiuntur. Videte autem ne putetis nominata allegoria, pantomimi aliquid me dixisse. Nam quædam verba, quoniam verba sunt, et ex lingua procedunt, communia nobis sunt etiam cum rebus ludicris, et non honestis: tamen locum suum habent verba ista in Ecclesia, et locum suum in scena. Non enim ego dixi quod Apostolus non dixit, cum de duobus filiis Abrahæ diceret: *Quæ sunt*, inquit, *in allegoria* (*Galat.* IV, 24). Allegoria dicitur, cum aliquid aliud videtur sonare in verbis, et aliud in intellectu significare. Quomodo dicitur agnus Christus (*Joan.* I, 29): numquid pecus? Leo Christus (*Apoc.* V, 5): numquid bestia? Petra Christus (I *Cor.* X, 4): numquid duritia? Mons Christus (*Dan.* II, 35): numquid tumor terræ? Et sic multa aliud videntur sonare, aliud significare; et vocatur allegoria. Nam qui putat me de theatro dixisse allegoriam, putet et Dominum de amphitheatro dixisse parabolam. Videtis quid faciat civitas (*a*) ubi abundant spectacula: in agro securius loquerer; quid sit enim allegoria, non ibi forte didicissent homines, nisi in Scripturis Dei. Ergo quod dicimus allegoriam figuram esse, sacramentum figuratum allegoria est. Et quid hic accipimus, *Ascendit super pennas ventorum?* Diximus, bene accipi figurate ventos animas. Pennæ ventorum, pennæ animarum quæ sunt, nisi a quibus sursum attolluntur? Pennæ ergo animarum virtutes, bona opera, recte facta. In duabus alis habent omnes pennas; omnia enim præcepta in duobus præceptis sunt. Quisquis dilexerit Deum et proximum, animam habet pennatam, liberis alis, sancto amore volantem ad Dominum. Quicumque implicatur amore carnali, viscum habet in pennis. Nam si anima non habet alas et pennas, unde ille gemens in tribulationibus dicit: « Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ? » Et sequitur: » Et volabo, et requiescam » (*Psal.* LIV, 7). Item alio loco: « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu ibi es; si descendero ad infernum, ades; si accepero pennas meas sicut columba, et volabo in extrema maris. » Tanquam diceret: Sic possum fugere a facie iræ tuæ, si accepero pennas ut columba, et volavero in extrema maris. In extrema maris volare, est spem jam prætendere in finem sæculi, quomodo ille qui ait: *Hoc labor est ante me, donec introeam in sanctuarium Dei, et intelligam in novissima* (*Psal.* LXXII, 16, 17). Et quomodo venit in extrema maris, etiam acceptis pennis? *Etenim illuc*, inquit, *manus tua deducet me, et perducet me dextera tua* (*Psal.* CXXXVIII, 7-10). Nam et cum pennis meis casura sum, nisi tu deducas. Ergo alas habent bonas et liberas, et nullo visco obligatas, animæ bene operantes præcepta Dei, habentes charitatem de conscientia pura et fide non ficta (I *Tim.* I, 5). Sed quantumvis sint præditæ virtutibus charitatis, quid ad illam dilectionem Dei, qua sunt dilectæ, etiam cum visco essent implicatæ? Major ergo in nos dilectio Dei, quam nostra in illum. Nostra dilectio pennæ nostræ sunt: sed ille *ambulat* et *super pennas ventorum*.

(*a*) Carthago.

14. Jam dicebat quibusdam Apostolus: « Flecto genua mea pro vobis ad Patrem, ut det vobis secundum interiorem hominem habitare Christum per fidem in cordibus vestris, ut in charitate radicati et fundati. » Jam dat illis charitatem [1], jam dat illis alas et pennas. *Ut possitis*, inquit, *comprehendere quæ sit latitudo, longitudo, altitudo et profundum.* Fortassis crucem Domini significat. Erat enim latitudo, in qua porrectæ sunt manus; longitudo a terra surgens, in qua erat corpus infixum; altitudo, ab illo devexo ligno sursum quod eminet; profundum, ubi fixa erat crux, et ibi omnis spes vitæ nostræ. Latitudo enim est in bonis operibus, longitudo in perseverando usque in finem, altitudo propter Sursum cor, ut omnia bona opera nostra, in quibus perseveramus usque in finem, habentes latitudinem qua [2] bene operamur, et longitudinem qua perseveramus usque in finem, non faciamus nisi spe cœlestium præmiorum. Ipsa est enim altitudo, non hic quærere mercedem, sed sursum; ne dicatur nobis: *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 2). Profundum autem quod dixi, ubi fixa erat pars crucis, et non videbatur; inde surgebant quæ videbantur. Quid est quod occultum est, et non publicum in Ecclesia? Sacramentum Baptismi, sacramentum Eucharistiæ. Opera enim nostra bona vident et Pagani, Sacramenta vero occultantur illis: sed ab his quæ non vident, surgunt illa quæ vident [3]; sicut a profundo crucis quod in terra figitur, surgit tota crux quæ apparet et cernitur. Et quid postea? Cum hoc dixisset Apostolus, adjecit, *Scire etiam supereminentem scientiam charitatis Christi* (*Ephes.* III, 14-19); cum jam dictum fuisset, *In charitate radicati et fundati.* Amatis enim Christum, et ideo in cruce operamini. Sed numquid amatis quantum vos ille amavit? Amando autem quantumcumque amatis, volatis ad ipsum, ut cognoscatis quemadmodum ipse vos amaverit; hoc est, ut sciatis supereminentiam charitatis Christi. Amatis enim vos quantum potestis, et volatis quantum potestis: sed ille ambulat et super pennas ventorum. *Qui ambulat super pennas ventorum.*

15. [*vers.* 4.] *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem flagrantem.* Et hoc, quamvis non videamus apparitionem Angelorum; abscondita est enim ab oculis nostris, et est in quadam republica magna imperatoris Dei, tamen esse Angelos novimus ex fide, et multis apparuisse scriptum legimus, et tenemus, nec inde dubitare fas nobis est. Spiritus autem Angeli sunt; et cum spiritus sunt, non sunt angeli; cum mittuntur, fiunt angeli. Angelus enim officii nomen est, non naturæ. Quæris nomen hujus naturæ, spiritus est; quæris officium, angelus est: ex eo quod est,

[1] Hic in Edd. additur, *Deus*: quod a Mss. abest.
[2] Aliquot Mss. hoc et proximo loco, *quia*.
[3] Sic Mss. At Edd., *sed ab his quæ vident, surgunt ad illa quæ non vident.*

spiritus est; ex eo quod agit, angelus est. Vide illud in homine. Nomen naturæ homo, officii miles: nomen naturæ vir, officii præco; homo enim fit præco, id est, qui homo erat fit præco; non qui erat præco fit homo. Sic ergo qui erant jam spiritus conditi a creatore Deo, facit eos angelos, mittendo eos nuntiare quod jusserit; et ignem flagrantem facit ministros suos. Legimus apparuisse ignem in rubo (*Exod.* III, 2), legimus etiam missum ignem desuper, et implesse quod præceptum est. Ministravit ergo, cum impleret: cum esset, in natura sua erat; cum egit quod jussum est, ministerium implevit. Sic secundum litteram in creatura.

16. Quid est autem in Ecclesia figurate? Quomodo accipimus, *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem flagrantem?* Spiritus spirituales dicit. Bene facit angelos suos spirituales, id est nuntios verbi sui. *Spiritualis enim omnia judicat; ipse autem a nemine dijudicatur* (I *Cor.* II, 15). Vide spiritualem factum angelum Dei. *Non potui*, inquit, *vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus* (*Id.* III, 1). De spirituali quadam affectione [1] missus est ad carnales, tanquam angelus de cœlo ad terram. Quomodo dicit, *et ministros suos ignem flagrantem*, nisi quomodo dicit, *Spiritu ferventes* (*Rom.* XII, 11)? Sic enim fervens spiritu, ignis ardens est omnis minister Dei. Nonne ardebat Stephanus? Quo igne ardebat? et quis ille ignis erat, quando lapidabatur, et pro eis a quibus lapidabatur rogabat (*Act.* VII, 59)? Cum audis, Ignis est minister Dei; incensurum illum putas? Incendat licet, sed fenum tuum; id est, carnalia omnia desideria tua urat minister Dei, prædicans verbum Dei. Audi illum: *Sic nos existimet homo, quasi ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei* (I *Cor.* IV, 1). Quomodo autem ardebat, cum diceret: *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii; cor nostrum dilatatum est* (II *Cor.* VI, 11)? Ardebat et flagrabat charitate, et ibat in eos, ut incenderet. Hunc ignem se missurum Dominus in terram dicebat, cum ait: *Ignem veni mittere in terram* (*Luc.* XII, 49). Quomodo gladium (*Matth.* X, 34), sic ignem. Gladius dividit affectum carnalem, ignis absumit. Totum in verbo Dei intellige, totum in spiritu Dei cognosce. Incipe fervere charitate per verbum quod audis, et vide quid in te fecerit ignis minister Dei. *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem flagrantem.*

17. [*vers.* 5.] *Fundavit terram super firmitatem ejus; non inclinabitur in sæculum sæculi.* De terra ista hoc accipere, nescio utrum habeat ullum exitum, utrum recte dicatur, *Non inclinabitur in sæculum sæculi*; de qua dictum est, *Cœlum et terra transibunt* (*Id.* XXIV, 35). Laboratur hic, si ad litteram quæras accipere. Nam quod ait, *Fundavit terram super firmitatem ejus*, fortasse quædam est firmitas occulta nobis, quæ continet terram, et hoc dixit, *Fundavit.* Super quid? Super firmitatem ipsius terræ, quam ei supposuit, ut contineretur, quæ latet forte oculos tuos. Sint ista occulta in creatura, non de obscuritate creaturæ Creator laudetur: quæ possumus videamus, ex his quæ videmus, illum laudemus et amemus. Convertamus nos ad quærendum aliquid hic in figura positum. *Fundavit terram*, intelligo Ecclesiam. *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* XXIII, 1); intelligo Ecclesiam terram. Ipsa est terra sitiens, ipsa est quæ dicit in Psalmis; una enim dicit ex omnibus: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII, 6). Quid est, *sine aqua?* Sitiens. Sic sitit anima mea ad te, tanquam terra sine aqua: nisi enim sitiat, non recte irrigabitur. Animæ ebriæ pluvia diluvium est; sitiat oportet: *Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam* (*Matth.* V, 6): et dicat, *Anima mea tanquam terra sine aqua tibi*; quia dicit alibi, *Sitivit anima mea in Deum vivum* (*Psal.* XLI, 3). Terram ergo intelligo Ecclesiam. Quæ est firmitas ejus super quam fundata est, nisi fundamentum ejus? an incongrue intelligimus firmitatem super quam fundata est terra, fundamentum ubi constituta est Ecclesia? Quod est illud fundamentum? *Fundamentum*, inquit, *nemo potest ponere præterquam quod positum est, quod est Christus Jesus* (I *Cor.* III, 11). Ibi ergo firmati sumus. Merito quia ibi firmati, non inclinabimur in sæculum sæculi; nihil enim firmius isto fundamento. Infirmus tu eras, sed firmum fundamentum te portat. In te firmus esse non poteras; firmus eris semper, si ab illo firmo fundamento non recedas. *Non inclinabitur in sæculum sæculi.* Ipsa est prædestinata columna et firmamentum veritatis (I *Tim.* III, 15).

18. [*vers.* 6-17.] « Abyssus sicut vestimentum amictus ipsius: super montes stabunt aquæ. Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrus tui formidabunt. Ascendunt montes, et descendunt campi, in locum quem fundasti eis. Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque revertentur tegere terram. Qui emittis fontes in convallibus; inter medium montium pertransibunt aquæ. Potabunt omnes bestiæ agri, suscipient onagri in sitim suam. Super illos volatilia cœli inhabitabunt, de medio petrarum dabunt vocem suam. Rigans montes de superioribus suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra. Producens fenum jumentis, et herbam servituti hominum. Ut educat [1] panem de terra; et vinum lætificat [2] cor hominis. Ut exhilaret faciem in oleo; et panis cor hominis confirmat. Satiabuntur [3] ligna campi, et cedri Libani quas plantavit. Illic passeres nidificabunt; fulicæ domus dux est eorum. » Animadvertitis extentum cœlum, vultis intellectu ascendere, et ego video. Quam tamen altum sit puto quod mecum consideret Charitas vestra. Nam ideo multos versus volui pronuntiare, ut videatis quam alte sint posita sacramenta Dei; ne fastidiamus oblata, ne prompta vilescant, ut semper quæsita etsi cum difficultate, cum majori jucunditate inveniantur. Inter cætera tamen, fratres, quæ possunt accipi ad litteram; numquid et hoc quod dictum est,

[1] Aliquot Mss., *effectione.*

[1] Am. Er. et plures Mss., *ut educas.*
[2] Edd., *et vinum lætificet cor hominis*: pauloque post, *et panis cor hominis confirmet.* At melioris notæ Mss. habent, *lætificat, confirmat*, juxta Græcum LXX: quem hebraismum esse observat Nobilius.
[3] Hic in Edd. additur, *omnia*: quod abest a Mss.

Illic passeres nidificabunt; fulicæ domus dux est eorum? Numquid domus fulicæ dux est passerum? aut domus fulicæ dux est cedrorum? Et hoc enim ibi est, *Et cedri Libani quas plantavit : illic passeres nidificabunt; fulicæ domus dux est eorum.* Et quidem latina locutione, *eorum* cedrorum, non possumus intelligere; cedri enim feminini generis sunt. Fulicæ itaque domus quomodo est dux passerum? Hoc enim in ista creatura, quæ oculis nostris adjacet, intelligi nullo pacto potest. Fulicas enim aves esse marinas vel stagnenses novimus. Domus fulicæ sit nidus fulicæ : quomodo ergo domus fulicæ dux passerum? Quare quædam in rebus visibilibus quasi absurda miscet Spiritus sanctus, nisi ut ex eo quod non possumus accipere ad litteram, cogat nos ista spiritualiter quærere?

19. Ergo si ad cœlum intellectu, ut dixi, ad extentam pellem vultis ascendere, et nubes fecit ascensionem ejus; nubes ista quæ vobis loquitur, invalida est hodie ad omnia ista exponenda. Date veniam, etsi non vestræ, meæ certe infirmitati. Aviditatem quidem vestram tantam video, ut semper parati sitis audire : sed duæ res sunt, quarum ratio non contemnenda est. Nam et infirmitas corporis nostri consideranda est, et ipsarum rerum quæ exponuntur memoria. Interim quæ audistis cogitate. Quid dixi? Quæ manducastis ruminate. Sic enim eritis munda animalia, et apta epulis Dei. Fructum autem vestrum in operibus vestris advertite. Valde enim male digerit is qui bene audit, et non bene operatur : quia Dominus Deus noster non deest pascere. Notum est omnibus quia de pane quem accepimus, et quem erogamus, reddituri sumus rationem. Optime novit Charitas vestra; non enim tacet nobis Pagina divina, aut adulatur [1] nos Deus. De isto loco quam liberi simus ad vos, potestis advertere : et si forte ego minus liber sum, vel omnes qui in hoc loco vobis loquuntur, si minus liberi sumus, certe ipse sermo Dei neminem timet. Nos autem sive timeamus, sive liberi simus, eum cogimur annuntiare, qui neminem timet : hoc vobis non homines, sed Deus præstitit, ut et per tumidos liberum audiatis. Excusationem in judicio Dei non habebitis, nisi vos in bonis operibus exercueritis, et eorum quæ audistis tanquam pluviæ fructum congruum dederitis. Fructus congruus opera bona; fructus congruus sincera dilectio, non solum fratris, sed et inimici. Supplicem nullum spernas, et cui dare non potes quod petierit, non eum spernas : si potes dare, da; si non potes, affabilem te præsta. Coronat Deus intus voluntatem [2], ubi non invenit facultatem. Nemo dicat : Non habeo. Charitas non de saccello erogatur : quia quidquid dicimus, et quidquid diximus, et quidquid dicere potuerimus, vel nos, vel post nos, vel qui ante nos, finem non habent nisi charitatem : quia finis præcepti charitas est, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (I *Tim.* I, 5). Interrogate, quando rogatis Deum, corda vestra; videte quomodo transmittatis versum istum : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Non eris orans, nisi istam (*a*) dicas : si aliam dicas, non te exaudit ille; quia non ipsam tibi dictavit Jurisperitus quem misit. Necesse est ergo ut et quando verba nostra dicimus in oratione, secundum ipsam dicamus; et quando ipsa verba dicimus, bene intelligamus quod dicimus, quia manifestam illam esse Deus voluit. Si ergo non oraveritis, spem non habebitis : si aliter quam Magister docuit oraveritis, non exaudiemini; aut si in oratione mentiti fueritis, non impetrabitis. Ergo, et orandum, et verum dicendum est, et sic orandum est, quomodo ille docuit. Velis nolis, quotidie dicturus es : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Vis securus dicere? Fac quod dicis.

SERMO II.

1. Scio quia debitores nos tenetis, non necessitate, sed quod est vehementius, charitate. Debemus autem hoc primo Domino Deo nostro, qui habitans et in vobis exigit ista de nobis : deinde domno [1] et patri, præsenti et jubenti et oranti pro me; deinde vestræ violentiæ qua extorquetis etiam infirmis viribus nostris. Tamen, quantum Dominus donat, qui et ipsis vires vobis orantibus donare dignetur, quoniam psalmi hujus primas partes die jam nuper præcedente tractavimus; etiam sequentia suscipienda sunt, et illo adjuvante, in cujus nomine cœpimus, terminanda sunt. Commendaveramus autem Charitati vestræ, qui adfuistis, totum istum psalmum figuratis mysteriis esse contextum. Unde quod difficilius quæritur, solet dulcius inveniri. Nec putetis ista vobis obscuritate subtracta, sed difficultate condita; ad hoc, quod sæpe jam diximus, ut detur petentibus, inveniatur a quærentibus, intretur a pulsantibus (*Matth.* VII, 7 et 8). Sed opus est nobis aliquanto majore et silentio vestro, et patientia vestra, ut pauca quæ dicturi sumus, non per strepitum tempus amplius occupent. Pauca enim nos dicere temporis cogit angustia, quod novit et Charitas vestra debere nos exsequiis fidelis corporis solemne obsequium. Ecce jam quæ dicta sunt repetere, et rursus exponere non cogamur : si defuerunt aliqui, qui non audierunt, non deessent; prodest autem illis fortasse, quod non audiunt modo [2] quod audierunt qui adfuerunt, ut et ipsi discant adesse. Legamus ergo cursim.

2. [*vers.* 1, 2.] *Benedic, anima mea, Dominum.* Omnium nostrum anima dicat, una facta in Christo. *Domine Deus meus, magnificatus es nimis.* Unde magnificatus es? *Confessionem et decorem induisti.* Confitemini, ut decoremini, ut induat vos. *Circumamictus lucem sicut vestimentum.* Circumamictus Ecclesiam suam; quia ipsa facta est lux in illo, quæ prius erat tenebræ in se, dicente Apostolo : *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8). *Extendens cœlum sicut pellem* : vel tam facile quam tu pel-

[1] Plures Mss., *adulat.*
[2] Am. Er. et plerique Mss, *bonitatem.*

[1] Sic Mss. At Edd., *domino.*
[2] Sic probæ notæ Mss. Edd. autem, *sed si defuerint aliqui, qui non audierunt, qui utinam non deessent : prodest autem illis fortasse qui non audiunt modo*, etc.
(*a*) Subaudi, *precem.*

lem, si tam facile sit, tanquam ad litteram accipias : vel auctoritatem Scripturarum intelligamus distentam per totum mundum nomine pellis; quia mortalitas in pelle significatur, dispensata est autem nobis omnis auctoritas Scripturarum divinarum per homines mortales, quorum jam mortuorum fama distenditur.

3. [*vers.* 3.] *Qui protegit in aquis superiora ejus.* Cujus superiora? Cœli. Quid est cœlum? Figurate duntaxat diximus Scripturam divinam. Quæ superiora Scripturæ divinæ? Præceptum, quo nihil est eminentius, charitatis. Quare autem aquis comparata est charitas? *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* v, 5). Unde aqua ipse Spiritus? Quia *stabat Jesus, et clamabat : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus.* Unde probamus quia de Spiritu dictum est? Dicat ipse Evangelista, qui sequitur et ait : *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant hi qui in eum fuerant credituri* (*Joan.* vi, 37-39). *Qui ambulat super pennas ventorum :* id est, super virtutes animarum. Quæ est virtus animæ? Ipsa charitas. Quomodo autem ille super illam ambulat? Quia major est charitas Dei in nos, quam nostra in Deum.

4. [*vers.* 4.] *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem flagrantem :* id est, eos qui jam spiritus sunt, qui spirituales, non carnales sunt, facit angelos suos, mittendo ut prædicent ejus Evangelium. *Et ministros suos ignem flagrantem.* Nisi enim ardeat minister prædicans, non accendit eum cui prædicat.

5. [*vers.* 5, 6.] *Fundavit terram super firmamentum ejus.* Firmavit Ecclesiam super firmamentum Ecclesiæ. Quod est firmamentum Ecclesiæ, nisi fundamentum Ecclesiæ? Quod est fundamentum Ecclesiæ, nisi de quo dicit Apostolus : *Fundamentum nemo potest ponere præterquam quod positum est, quod est Christus Jesus* (I *Cor.* iii, 11)? Et ideo tali fundamento suffulta, quid meruit audire? *Non inclinabitur in sæculum sæculi. Fundavit terram super firmitatem ejus,* id est, firmavit Ecclesiam super fundamentum Christum. Nutabit Ecclesia si nutaverit fundamentum : sed unde nutabit Christus, qui antequam veniret ad nos, et carnem susciperet, *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* i, 3); qui omnia continet majestate, et nos bonitate? Non nutante Christo, *non inclinabitur in sæculum sæculi.* Ubi sunt qui dicunt perisse de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest?

6. Sed unde cœpit Dominus asserere istam Ecclesiam, revelare, incipere, ostendere, diffundere? unde cœpit hoc? quid erat primo? *Quia fundavit terram super firmamentum ejus, non inclinabitur in sæculum sæculi. Abyssus sicut vestimentum amictus ipsius.* Cujus? numquid forte Dei? Sed jam de amictu ejus dixerat, *Circumamictus lucem, velut vestimentum.* Audio Deum luce vestitum, et lux ipsa si volumus, nos sumus. Quid est, si volumus? Si jam tenebræ non sumus [1]. Ergo si Deus luce vestitus est, cujus rursum vestimentum est abyssus? Abyssus enim dicitur immensa aquarum copia : omnis aqua, omnis humida natura, atque substantia circumquaque diffusa per maria, et flumina, et antra occulta, simul uno nomine abyssus vocatur. Ergo terram intelligimus, de qua dixit, *Fundavit terram super firmamentum ejus; non inclinabitur in sæculum sæculi;* de illa dictum credo, *Abyssus sicut vestimentum amictus ipsius.* Terræ enim quasi vestimentum est aqua, circumdans eam et contegens eam. Sed aliquando in diluvio ita crevit hæc vestis terræ, ut omnia omnino cooperiret, et transcenderet altissimos montes, sicut Scriptura testatur, cubitis ferme quindecim (*Gen.* vii, 20). Fortasse ipsum tempus significavit iste psalmus, cum diceret, *Abyssus sicut vestimentum amictus ipsius.*

7. *Super montes stabunt aquæ :* id est vestimentum terræ, quod est abyssus, ita crevit, ut etiam super montes aquæ starent. Legimus hoc, ut dixi, factum in diluvio. Inde loquebatur Propheta? narrabat nobis præterita, an prænuntiabat futura? Sed si narraret præterita, non nobis diceret, *Super montes stabunt aquæ;* sed, Super montes steterunt aquæ. Præteritum enim tempus pro futuro solere poni in Scripturis, ita prævidente Spiritu quæ ventura sunt, quasi jam facta sint, solemus legere. Inde est quod illud in alio psalmo novimus omnes, ubi tanquam Evangelium recitatur : *Foderunt manus meas et pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea; super vestimentum meum miserunt sortem* (*Psal.* xxi, 17-19). Omnia quasi jam facta commemorantur, quæ utique adhuc ventura cernebantur. Sed quantum potest nostra diligentia? quantum autem potest tanta occupatio? aut quando sic vacat, ut possimus pro certo dicere : Ita est? Animadvertimus sæpe Prophetas præterito tempore verborum dicere quæ futura sunt; figura autem futuri dicere præterita, non facile occurrit legenti. Non audeo dicere, Non est; sed certe studiosis earum Litterarum indixerim quid quærant. Si invenerint, et ad nos attulerint, gratulabimur adolescentium studiis otiosorum occupati senes, et ex eorum ministerio et nos aliquid discemus. Non enim dedignamur; quando Christus de omnibus docet. Hoc ergo dicit : *Super montes stabunt aquæ.* Propheta curans futura prædicere, non narrare præterita, propterea dixit, quia Ecclesiam futuram in diluvio persecutionum volebat intelligi. Fuit enim tempus aliquando, quo terram Dei, Ecclesiam Dei cooperuerant aquæ persequentium; et ita cooperuerant, ut non apparerent nec ipsi magni, qui sunt montes. Quando enim ubique fugiebant, quomodo non minus apparebant? Et fortasse de illis aquis est vox illa : *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam* (*Psal.* lxviii, 2). Maxime aquæ quæ mare faciunt, procellosæ, infructuosæ. Non enim quamcumque terram cooperuerit aqua marina, fecundabit eam potiusquam ad sterilitatem perducet. Erant enim et montes sub aquis, quia super montes stabant aquæ : populi resistentes superaverant auctoritatem omnium ubique fortiter evangelizantium verbum Dei, cooperuerant eos aquæ,

[1] Meliores Mss.: *si jam tenebræ fuimus.* Nonnulli : *si jam tenebras fugimus.*

et super illos stabant aquæ, dicebant, Preme, preme; et premebant : Exstingue, non appareant. Dicebant ista, et prævalebant super martyres, et fugiebant ubique Christiani, et fuga quadam occultabantur Apostoli. Unde fuga occultabantur Apostoli? Quia super montes stabant aquæ. Erat potestas aquarum magna. Sed quamdiu? Audi quod sequitur.

8. [*vers.* 7.] *Ab increpatione tua fugient.* Et hoc factum est, fratres; ab increpatione Dei fugerunt aquæ : hoc est, a pressura montium recesserunt. Jam montes ipsi exstant Petrus et Paulus : quomodo eminent? Qui ante a persecutoribus premebantur, nunc ab imperatoribus venerantur. Fugerunt enim aquæ ab increpatione Dei : quia cor regum in manu Dei; deflexit quo voluit (*Prov.* XXI, 1), jussit per eos pacem dari Christianis; emicuit et eminuit auctoritas apostolica. Numquid et quando supra erant aquæ, montium defecerat magnitudo? Sed tamen, fratres mei, ut omnes viderent eminentiam montium, per quos montes salus esset generi humano, quia, *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi* (*Psal.* CXX, 1); ab increpatione Dei fugerunt aquæ. *A voce tonitrus tui formidabunt.* Jam quis non terreatur a voce Dei per Apostolos, voce Dei per Scripturas, per nubes ejus? Conquievit mare, formidaverunt aquæ, nudati sunt montes, jussit imperator. Sed quis jussisset, nisi Deus tonuisset? Quia voluit Deus, illi jusserunt, et factum est. Ergo nullus sibi hominum arroget aliquid; formidaverunt aquæ, sed *a voce tonitrus tui.* Nam ecce, cum voluit Deus, fugerunt aquæ, ne premerent montes; antequam id fieret, et sub aquis firmi erant montes.

9. [*vers.* 8-10.] *Ascendunt montes, et descendunt campi, in locum quem fundasti eis.* Adhuc de aquis loquitur. Non hic montes accipiamus, quasi terrenos; neque campos, quasi terrenos : sed fluctus tam magnos, ut montibus comparentur. Fluctuavit aliquando mare, et fluctus ejus tanquam montes fuerunt, qui montes illos Apostolos operirent. Sed quamdiu *ascendunt montes, et descendunt campi?* Sævierunt, et placati sunt. Cum sæviebant, montes erant : cum placati sunt, campi facti sunt; fundavit enim eis locum. Est quidam meatus [1], quasi profundus locus, quo recepta sunt quodammodo omnia sævientia corda mortalium. Quam multi modo, et salsi, et amari sunt; et tamen quieti? Quam multi sunt qui dulcescere nolunt? Qui sunt qui dulcescere nolunt? Qui in Christum adhuc credere nolunt. Et quamvis multi sunt qui nondum crediderunt, quid faciunt Ecclesiæ? Montes erant aliquando, modo campi sunt : tamen, fratres mei, et malacia [2] mare est. Quare enim non sæviunt modo? quare non insaniunt? quare non dant operam? Si non possunt evertere terram nostram, certe contegere [3]. Quare non? Audi : *Terminum posuisti quem non transgredientur, neque revertentur tegere terram.*

[1] Omnes Mss., *metus.*
[2] Edd., *malitia.* Sed legendum, *malacia*, quod mare Mortuum dicitur, cum stat sine ventis et sine motu.
[3] Supple, *possunt.*

10. Quid ergo, quia jam fluctus amarissimi modum acceperunt, ut liceat nobis talia etiam libere prædicare; quia terminum acceperunt debitum, quia transgredi non possunt impositum finem, neque revertentur tegere terram; quid fit in ipsa terra? quæ operationes ibi fiunt, quam jam mare nudavit? Etsi ad ejus oram tenues fluctus perstrepunt, etsi adhuc murmurant Pagani; sonitum littorum audio, diluvium non perhorresco. Quid ergo, quid fit in terra? *Qui emittis fontes in convallibus. Emittis,* inquit, *fontes in convallibus.* Convalles nostis quid sint, depressa loca terrarum. Nam collibus et montibus contraria figura opponuntur valles vel convalles. Colles et montes, tumores terrarum sunt; valles autem vel convalles, humilitates terrarum. Noli contemnere humilitates; inde fluunt fontes : *Emittis fontes in convallibus.* Audi montem : dicit Apostolus, *Plus illis omnibus laboravi.* Magnitudo quædam commendatur; statim tamen, ut profluant aquæ, convallem se fecit : *Non ego autem, sed gratia Dei mecum* (I *Cor.* XV, 10). Non repugnat ut qui sunt montes, sint et convalles; sicut enim montes dicuntur propter spiritualem magnitudinem, ita et convalles propter sui spiritus humilitatem. *Non ego,* inquit, *sed gratia Dei mecum. Non ego,* convallis est; et *gratia Dei mecum,* fons est. *Qui emittis fontes in convallibus.* De Spiritu dicebatur quod modo commemoravi, *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant hi qui in eum fuerant credituri.* Videamus si convalles sunt, ut emittantur fontes in convallibus. Audi prophetam : *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem verba mea* (*Isai.* LXVI, 2)? Quid est, *Super quem requiescet Spiritus meus, super humilem et quietum?* Quis habebit fontem meum? Convallis.

11. *Inter medium montium pertransibunt aquæ.* Huc usque a Lectore pronuntiatus est Psalmus, huc usque Charitati vestræ sufficiat. Hoc dicemus, et in nomine Dei sermonem terminabimus. Quid est, *Inter medium montium pertransibunt aquæ?* Audivimus qui sint montes, magni prædicatores verbi, sublimes angeli Dei, quamvis adhuc in carne mortali : excelsi non sua virtute, sed illius gratia; quantum autem ad ipsos attinet, convalles sunt, humiliter emittunt fontes. Et *inter medium montium,* inquit, *pertransibunt aquæ.* Putemus hoc ita dictum, Inter Apostolorum medium pertransibunt prædicationes [1] verbi veritatis. Quid est, Inter medium Apostolorum? Quod medium dicitur, commune est. Res communis, unde omnes æqualiter vivunt, media est, nec attinet ad me; sed nec attinet ad te, nec ad me. Propterea loquimur et sic de aliquibus hominibus : Habent inter se pacem, habent inter se fidem, habent inter se charitatem; sic certe dicimus. Quid est, inter se? In medio sui. Quid est, in medio sui? Commune est illis. Audi aquas inter medium montium. Quia communis illis fides erat, nec quisque aquas quasi proprias et suas habe-

[1] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *prædicatores.*

bat. Si enim non sunt in medio, quasi privatæ sunt, non publice fluunt; et ego habeo meam, et ille habet suam, non est in medio quod et ego et ipse habeat; sed talis non est pacifica prædicatio. At vero ut inter medium montium fluant aquæ, audi vocem montis: *Deus*, inquit, *pacis det vobis idipsum sapere in invicem* (*Rom.* xv, 5). Et iterum: *Ut idipsum sapiatis omnes, et non sint in vobis schismata* (I *Cor.* I, 10). Quod sentio, sentis; in medio fluit aqua: non habeo quasi privatum meum, nec tu privatum tuum [1]. Veritas nec mea sit propria, nec tua, ut et tua sit et mea: *Inter medium montium pertransibunt aquæ*. Audi ipsum montem, ut dixi, quia *inter medium montium pertransibunt aquæ. Sive autem ego, sive illi, sic prædicamus, et sic credidistis* (*Id.* xv, 11). Securus dixit, *Sive ego, sive illi, sic prædicamus, et sic credidistis*: inter medium enim montium fluebant aquæ; nulla de aquis discordia montium, sed pax consensionis, et societas charitatis: si quis autem vellet aliud prædicare, jam de suo prædicaret, non de medio. Et audi quid de illo dicatur ab ipso qui emisit fontes in convallibus: *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur* (*Joan.* VIII, 44). Itaque ne acciperetur aliquis mons non de medio, sed de suo manans, ait Apostolus: *Quisquis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit*. Et vide quemadmodum noluerit de monte præsumi: ne forte mons discedat ab aquis per medium currentibus, et aliquid proprium velit influere. *Licet si nos* (Et quantus mons dixit hoc! quam uberrime aqua fluebat de convalle ejus! Tamen hoc volebat ut medios inter montes curreret, et ibi esset fides certa [2] populorum, quod inter se medium atque commune Apostoli retinebant). *Licet si nos*, inquit. Et tu, Paule, potes aliquid aliter prædicare? de Paulo quæstio; audi quod sequitur: *Licet si nos, aut angelus de cœlo annuntiaverit vobis præterquam quod accepistis; anathema sit* (*Galat.* I, 9, 8). Si veniat mons aliud evangelizans, anathemetur; si veniat angelus aliud evangelizans anathemetur. Unde hoc? Quia de privato vult fluere, non de medio. Et hoc forte homo carnali nebula præpeditus, et a fonte communi ad propriam suam falsitatem redactus, possit hoc facere; numquid et angelus? vere numquid et angelus? Si angelus de proprio fluens in paradiso non esset auditus, non præcipitaremur in mortem. Media aqua posita erat hominibus, præceptum Dei: aqua media, aqua quodam modo publica, sine fraude valebat, quod diximus Charitati vestræ [3], sine labe, sine cœno fluebat. Si ipsa aqua semper biberetur, semper viveretur. Venit angelus lapsus de cœlo, factus serpens, quia insidiose jam venena spargere cupiebat: emisit venenum, de proprio locutus est, de suo; quia *qui loquitur mendacium, de suo loquitur*: et miseri audiendo dimiserunt quod commune erat, unde beati erant; et ad suum proprium redacti, cum volunt perverse esse similes Deo (hoc enim eis dixerat, *Gustate, et eritis sicut dii* [*Gen.* III, 5]), appetentes quod non erant, quod acceperant amiserunt. Ergo, fratres, ad hoc valeat quod diximus Charitati vestræ, propter fontes: ut fluant de vobis, convalles estote, et cum omnibus conferte quod de Deo habetis. Inter medium fluant aquæ, nulli invideatis; bibite, saturamini; manate saturati [1]. Ubique communis aqua Dei habeat gloriam, non hominum privata mendacia.

[1] Plures Mss., *quasi privatam meam, nec tu privatam tuam*.
[2] Sic omnes Mss. Edd. vero, *recta*.
[3] Plures Mss. non habent, *valebat, quod diximus Charitati vestræ*.

SERMO III.

1. Reliquarum partium psalmi hujus pertractandarum debitores nos esse meminit Charitas Vestra. Non ergo opus est ut intentionem vestram aliquo prooemio moveam [2]. Video enim vos ad intelligenda sacramenta prophetica omni alacritate suspensos; nec opus est ut intentos faciat sermo meus, quos jam fecit Spiritus Dei. Hoc potius agamus quod urget. De fontibus emissis in convallibus, et de aquis inter medium montium pertranseuntibus jam dictum est: sed hucusque dictum; hinc deinceps ordiamur.

2. [*vers.* 11.] Sequitur enim: *Potabunt omnes bestiæ silvæ*. Quid potabunt? Aquas pertranseuntes inter medium montium. Quid potabunt? Fontes emissos in convallibus. Et qui potabunt? Bestiæ silvæ. Videmus quidem hoc etiam in ista creatura, bestias silvæ bibere de fontibus et de rivis inter montes currentibus: sed jam quoniam Deo placuit talium rerum figuris abscondere sapientiam suam, non auferre studiosis, sed claudere negligentibus, aperire pulsantibus; placuit etiam ipsi Domino Deo nostro ad hoc hortari vos per nos, ut in his omnibus, quæ velut de corporali et de visibili creatura dicuntur, quæramus aliquid spiritualiter absconditum, quo invento gaudeamus. Bestias silvæ, Gentes intelligimus; et multis hoc locis Scriptura testatur. Sed tamen evidentissima duo maxime occurrunt documenta, quod in arca Noe, qua nemo nostrum dubitat Ecclesiam esse præfiguratam, non includerentur omnia genera animalium (*Gen.* VII, 2, 14), nisi in illa unitate compaginis omnes gentes significarentur: nisi forte putamus, si omnia talia penitus diluvio delerentur, defuturam fuisse Deo potestatem jubendi ut terra ea produceret, sicut primo verbo ejus produxerat (*Id.* I, 24). Non ergo frustra, non temere, non aliqua indigentia Dei vel inopia potestatis jussa sunt animalia illa in arca includi. Nam posteaquam venit tempus (jam enim debemus et alterum evidentissimum adjungere testimonium): cum ergo venit tempus, ut illud quod in arca erat præfiguratum, jam in Ecclesia compleretur, Petrus apostolus dubitans dare sacramentum evangelicum Gentibus incircumcisis; imo non dubitans, sed omnino dandum esse non putans, quodam die esuriens cum prandere vellet, ascendit ut oraret. Hoc in Actibus Apostolorum omnibus bene legentibus et bene audientibus notum est. Illo igitur orante facta est illi

[1] Sic meliores Mss. At Edd., *manate, saturate*.
[2] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *moneam*.

mentis alienatio, quam Græci ecstasin dicunt : id est, aversa est mens ejus a consuetudine corporali ad visum quemdam contemplandum, alienata [1] a præsentibus. Tunc vidit vas quoddam veluti linteum quatuor lineis submitti de cœlo, ubi erant omnia animalia, omnis generis bestiæ; et sonuit ei vox : *Petre, macta, et manduca*. Ille autem qui in Lege fuerat eruditus, et in consuetudine Judaica creverat, præceptumque per Moysen Dei famulum retinebat, totamque vitam suam fideliter custodierat, respondit : *Absit a me, Domine; nunquam commune aliquid intravit in os meum*. Commune autem immundum dici a Judæis et a Lege, bene noverunt qui ecclesiasticas litteras didicerunt. Et vox ad illum : *Quæ Deus mundavit, tu immunda ne dixeris*. Hoc autem factum est ter, et ablatus est ille discus qui demonstrabatur ter de cœlo submissus (*Act.* x, 9-16). Discus qui quatuor lineis continebatur, orbis terrarum erat in quatuor partibus. Has quatuor partes sæpe Scriptura commemorat, orientem et occidentem, aquilonem et meridiem. Ideo quia totus orbis per Evangelium vocabatur, quatuor Evangelia conscripta sunt. Ter autem submissum de cœlo vas hoc significat, quia dictum est Apostolis : *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Inde colligitur, sicut jam nostis, duodenarius etiam numerus discipulorum. Non enim frustra duodecim habere voluit; et ita numerus ille sacratus est, ut in locum unius qui ceciderat, non posset nisi alter ordinari. Quare duodecim Apostoli? Quia enim quatuor sunt orbis partes, et totus orbis in Evangelio vocabatur, unde quatuor Evangelia conscripta sunt, et totus orbis in nomine Trinitatis vocatur, ut congregetur Ecclesia : quatuor ter ducta, duodecim fiunt. Ergo non miremur si de illis aquis inter medium montium pertranseuntibus, in illa doctrina apostolica fluente in medio propter concordiam communionis, omnes bestiæ silvæ bibunt. Omnes enim erant in arca, omnes in disco, omnes mactat et manducat Petrus; quia Petrus petra, petra Ecclesia. Quid est mactare et manducare? Occidere in eis quod erant, et in sua viscera assumere. Dissuasisti pagano sacrilegia, occidisti quod erat; dato sacramento Christi incorporasti Ecclesiæ, manducasti.

3. Ipsæ ergo bestiæ potant istas aquas, pertranseuntes tamen : non manentes, sed pertranseuntes. Omnis enim doctrina quæ toto isto tempore dispensatur, transit. Inde dicit Apostolus : *Et scientia destruetur, et prophetia evacuabitur*. Quare ista evacuabuntur? *Ex parte enim scimus, et ex parte prophetamus : cum autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est evacuabitur* (I *Cor.* XIII, 8-10). Nisi forte putat Charitas Vestra quia in illa civitate cui dicitur, *Collauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion; quoniam confirmavit vectes portarum tuarum* (*Psal.* CXLVII, 12 *et* 13), jam confirmatis vectibus et clausa civitate, unde, ut jampridem diximus, nemo exit amicus, et quo nemo intrat inimicus (*a*); quod codex ibi nobis legendus est, aut tractandus sermo, quemadmodum vobis modo tractatur. Ideo modo tractatur, ut ibi teneatur; ideo modo per syllabas dividitur, ut ibi totus atque integer contempletur. Non ibi deerit verbum Dei; sed tamen non per litteras, non per sonos, non per codices, non per lectorem, non per tractatorem. Quomodo ergo? Sicut *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Non enim sic ad nos venit, ut inde discederet; quia *in hoc mundo erat, et mundus per eum factus est* (*Joan.* I, 1, 10). Tale verbum contemplaturi sumus. *Apparebit* enim *Deus deorum in Sion* (*Psal.* LXXXIII, 8). Sed hoc quando? Post peregrinationem finita via; si tamen post finitam viam non judici tradamur, ut judex mittat in carcerem. Sed si finita via, sicut speramus, et optamus, et studemus, ad patriam venerimus, ibi contemplabimur quod semper laudabimus : nec illud deficiet quod nobis præsto est, nec nos qui fruimur; nec fastidiet qui manducabit, nec deficiet quod manducabit [1]. Magna illa et mira contemplatio erit. Et quis de illa digne dicit isto tempore, cum inter montes fluunt aquæ? Interim ergo fluant aquæ inter montes, et pertranseant : cum pertranseunt aquæ, bibitur in peregrinatione, ne siti in via deficiamus. *Potabunt omnes bestiæ silvæ*. Inde venistis, de silva collecti estis. Et quali silva? Nullus hominum ibi transibat, quia nullus propheta illuc missus erat. Sed ad arcam construendam concisa sunt ligna de silvis : inde ligna, inde bestiæ, inde venistis. Ergo bibite. *Potabunt omnes bestiæ silvæ*.

4. *Suscipient onagri in sitim suam*. Onagros magnas quasdam bestias dicit. Quis enim nesciat onagros dici agrestes asinos? Magnos ergo quosdam dicit indomitos. Nullum enim habebant Gentes jugum Legis; vivebant multæ gentes moribus suis, superba jactantia vagantes, tanquam in deserto. Et omnes quidem bestiæ ita, sed onagri positi sunt ad significationem magnitudinis. Potabunt et ipsi in sitim suam; fluunt enim et illis aquæ. Inde bibit lepus, inde onager : lepus parvus, et onager magnus; lepus timidus, et onager ferus; uterque inde bibit, sed quisque *in sitim suam*. Non dicit aqua, Lepori sufficio, et repellit onagrum : neque hoc dicit, Onager accedat, lepus si accesserit, rapietur. Tam fideliter et temperate fluit, ut sic onagrum satiet, ne leporem terreat. Sonat strepitus vocis Tullianæ, Cicero legitur, aliquis liber est, dialogus ejus est, sive ipsius, sive Platonis, seu cujuscumque talium : audiunt imperiti, infirmi minoris cordis; quis audet illuc aspirare? Strepitus aquæ, et forte turbatæ; certe tamen tam rapaciter fluentis, ut animal timidum non audeat accedere et bibere. Cui sonuit, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1), et non ausus est bibere? Cui sonat Psalmus et dicat : Multum est ad me? Ecce modo quod sonat Psalmus, certe occulta sunt mysteria; tamen ita so-

[1] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *alienum*.

[1] Edd., *manducabitur*. At Mss., *manducabit*.

(*a*) Confer Enarr. in Psal. LXXXIV, n. 10, et in Psal. CXLVII, ad ℣. 13; quibus locis hoc ipsum dictum reperies.

nat, ut et pueros audire delectet, et imperiti accedant ad bibendum, et satiati ructent in psallendo. Bibunt ergo minores bestiæ et majores; sed capacius majores, quia *suscipient onagri in sitim suam*. Bibant minores quod dictum est: *Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam. Mulieres viris suis subditæ sint* (*Ephes.* v, 25, 24). Bibant minores. Dictum est autem Domino: *Si licet dimittere uxorem ex omni causa?* Prohibuit Dominus, et dixit non licere. « Non scitis, » inquit, « quia Deus ab initio masculum et feminam fecit? Quod Deus conjunxit, homo non separet. » Deinde addidit: « Qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari; et si aliam duxerit, mœchatur (*Matth.* xix, 3, etc.). » Confirmavit compedem: hoc expedit colligato; prius ageret ne ligaretur. *Alligatus es uxori? ne quæsieris solutionem. Solutus es ab uxore? ne quæsieris uxorem* (I *Cor.* vii, 27). Si nondum es onager, et solutus ab uxore, habes ibi quod et lepus bibas: et si acceperis uxorem, non peccasti. Discipuli autem cum audirent dictum a Domino, non licere ullo modo præter causam fornicationis disjungi conjugia: *Si talis est*, inquiunt, *causa cum uxore, non expedit ducere*. Et Dominus: *Non omnes capiunt verbum hoc* (*Matth.* xix, 10-12). Nam verum dicitis, quia si talis est causa cum uxore, non expedit ducere; sed numquid soli onagri bibituri sunt? Non omnes capiunt verbum hoc, multi non capiunt. Et qui sunt qui capiunt? *Suscipient onagri in sitim suam*. Quid est, *Suscipient onagri in sitim suam? Qui potest capere, capiat*.

5. [*vers.* 12.] Deinde sequitur in contextione sua Psalmus: *Super illos volatilia cœli inhabitabunt*. Super quos? super onagros, an potius super montes? Illinc enim sensus iste dirigitur: « Inter medium montium pertransibunt aquæ; potabunt omnes bestiæ silvæ; suscipient onagri in sitim suam: super illos volatilia cœli inhabitabunt. » Congruentius intelligimus super montes, quia hoc est etiam huic simile creaturæ. Super montes possunt habitare volatilia, super onagros non: hoc intelligeremus, si necessitas cogeret [1]. Super montes ergo volatilia cœli inhabitabunt. Videmus aves istas habitare super montes: sed multæ earum habitant in campis, multæ in convallibus, multæ in nemoribus, multæ in hortis, non omnes super montes. Sunt quædam volatilia quæ non habitant nisi super montes. Spirituales quasdam animas significat hoc nomen: volatilia, spiritualia corda sunt, quæ aere libero perfruuntur. Gaudent serenitate cœli aves istæ: sed tamen pastus earum in montibus; illic inhabitabunt. Nostis montes; jam tractati sunt. Montes Prophetæ, montes Apostoli, montes omnes prædicatores veritatis. Quicumque vult esse spiritualis, ibi inhabitet: non in corde suo aberret; habitet, perferat volando [2]. Habemus aves significantes aliquid spirituale. Non frustra dictum est: *Renovabitur juventus tua sicut aquilæ* (*Psal.* cii, 5). Non frustra dictum est de Abraham: *Aves autem non divisit*. Abraham in illo sacrificio satis mystico accepit tria animalia; arietem trimum, vaccam trimam, capram trimam, et turturem, et columbam. Divisus est aries, et adversus invicem partes constitutæ; divisa capra, nihilominus adversus se partes constitutæ; divisa vacca, sic etiam de ipsius carne factum est: et subjecit Scriptura, *Aves autem non divisit*. Deinde dicitur trimus aries, trima vacca, trima capra: de avium ætate tacetur. Unde, rogo vos, nisi quia significantur in avibus quidam spirituales, quorum ætas temporalis propterea tacetur, quia æterna meditantur, et transgrediuntur desiderio et intellectu omnia temporalia? Spirituales viri qui de omnibus judicant, et a nemine judicantur (I *Cor.* ii, 15): itaque ipsi soli non dividuntur in hæreses et schismata. In ariete intelliguntur præpositi; ducunt enim greges: in vacca plebs intelligitur Judæorum; habuit enim jugum Legis, sub quo laborabat: in capra intelligitur Ecclesia de Gentibus; quibusdam enim liberis saltibus insultabat, et amaro pascebatur oleastro. Trima sunt dicta hæc animalia, quia tertio tempore gratia revelata est. Nam primum fuit ante Legem; secundum, ex quo Lex data est; tertium, quod nunc est, ex quo regnum cœlorum prædicatur. Quid ergo dicimus, quod aries non dividatur? Nonne episcopi fuerunt auctores schismatum et hæresum? Porro autem si plebes ipsæ non dividerentur, id est, si vacca non divideretur, si capra non divideretur; erubuissent fortasse illi in divisionibus suis, et ad compagem remeassent. Dividuntur duces, dividuntur et plebes, ut cæcus cæcum sequatur, et simul in foveam cadant (*Matth.* xv, 14): ponuntur adversus invicem. *Aves autem non divisit*. Spirituales non habent divisionem, non cogitant schismata: pax est in eis, custodiunt eam in cæteris quantum possunt; ubi in aliis deficiunt, in se tenent. *Si erit ibi*, inquit, *filius pacis, requiescet super eum pax vestra; si quo minus, ad vos revertetur* (*Luc.* x, 6). Non est illius pacis, dividi voluit, revertetur ad te pax tua; quia aves non divisit. Veniet et caminus: nam consedit ibi Abraham usque ad vesperam, et venit magnus terror diei judicii. Vespera enim illa finis est sæculi; et caminus ille, veniens dies judicii. Divisit inter media illa quæ divisa erant, etiam caminus (*Gen.* xv, 9-17). Si inter media transiit caminus, alia in dextram, alia in sinistram separavit. Sunt ergo quidam carnales, et tamen Ecclesiæ gremio continentur, viventes secundum quemdam modum suum, quibus timemus ne seducantur ab hæreticis: quamdiu enim carnales sunt, divisibiles sunt. *Aves* quippe *non divisit*; carnales dividuntur. *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus*. Et quomodo probatur quia carnales dividuntur? Adjungit: « Cum enim dicit unusquisque vestrum, Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ; nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? » Rogo vos, fratres, audite, et proficite; excutite vos de loco carnali, pergite in turturem et columbam: *Aves* enim *non divisit*. Sed quicumque talis permanserit, et secundum quemdam modum vitæ aptum carnalibus, et de gre-

[1] Sic potiores Mss. At Edd., *non super onagros. Non hoc intelligeremus, si non necessitas cogeret*.

[2] Aliquot Mss., *unde aberret volando*: cumque his alii plures verba, *habitet, perferat*, omittunt.

mio Ecclesiæ non recesserit, et non fuerit seductus ab hæreticis, ut ex contraria parte dividatur; veniet caminus, et ad dextram poni sine camino non poterit. Sed si caminum pati non vult, pergat in turturem et columbam. Qui potest capere, capiat. Si autem non sic erit, et *ædificaverit super fundamentum ligna, fenum, stipulam*, id est, amores sæculares fundamento fidei suæ superædificaverit; tamen si in fundamento sit Christus, ut primum locum ipse habeat in corde, et ei nihil omnino anteponatur; portantur et tales, tolerantur et tales: veniet caminus, incendet ligna, fenum, stipulam: *Ipse autem*, inquit, *salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* I, 12, 13; *et* III, 1-15). Hoc aget caminus; alios in sinistram separabit, alios in dextram quodammodo eliquabit. *Aves autem non divisit.* Sed aves videant, si aves tales sunt quæ super montes illos inhabitent; non debent sequi altitudinem cordis sui, de qualibus dicitur: *Posuerunt in cœlum os suum* (*Psal.* LXXII, 9). Ne a ventis tollantur, in montibus requiescant. Habent auctoritatem sanctorum, requiescant in montibus, in Apostolis, in Prophetis: illic inhabitent tales aves, quia in montibus petras inveniunt, firmamenta quædam præceptorum. Sicut enim una illa petra, Christus Verbum Dei; sic multa verba Dei, multæ petræ, et istæ petræ in montibus. Vide aves ibi habitantes: *Super illos volatilia cœli inhabitabunt.*

6. Sed noli putare quia ista volatilia cœli auctoritatem suam sequuntur; vide quid dicat Psalmus: *De medio petrarum dabunt vocem suam.* Modo si dicam vobis, Credite, hoc enim dixit Cicero, hoc dixit Plato, hoc dixit Pythagoras; quis vestrum non irridebit me? Ero enim avis, quæ non de petra emitto vocem meam. Quid mihi unusquisque vestrum debet dicere? quid debet dicere ille qui sic instructus est? *Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* I, 9). Quid mihi dicis de Platone, et de Cicerone, et de Virgilio? Habes ante te petras montium, de medio petrarum mihi da vocem tuam. *De medio petrarum dabunt vocem suam.* Audiantur qui a petra audiunt[1]: audiantur, quia et in illis multis petris petra auditur: *Petra enim erat Christus* (I *Cor.* X, 4). Audiantur ergo libenter, de medio petrarum dantes vocem suam. Nihil suavius tali voce alitum. Illæ sonant, et petræ resonant: sonant illæ, disputant spirituales; resonant petræ, testimonia respondent Scripturæ. Ecce inde volatilia de medio petrarum dant vocem suam; habitant enim in montibus.

7. [*vers.* 13.] Ipsi montes et illæ petræ unde habent vocem? Ut enim rigemur Scripturis, confugimus ad apostolum Paulum. Ille unde habet? Confugimus ad Isaiam. Isaias unde? Audi unde: *Rigans montes de superioribus suis.* Modo si ad nos venerit homo gentilis incircumcisus, crediturus Christo, damus ei Baptismum, nec revocamus ad illa opera Legis. Et si nos interroget Judæus quare ita faciamus, sonamus de petra, dicimus, Hoc fecit Petrus, hoc fecit Paulus: de medio petrarum damus vocem nostram. Illa autem petra, ipse Petrus mons magnus, quando orabat et illum visum videbat, de superioribus rigabatur. Paulus apostolus dicit Gentibus: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (*Galat.* V, 2). Dicit hoc Paulus, tanquam mons: inde nos dicimus, sonantes de petra. Riget Dominus ipsam petram de superioribus suis. Nam cum ista petra adhuc esset in infidelitate aspera, volens eam rigare de superioribus suis, ut flueret aqua in convalle, clamavit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Non ei legit prophetam, non ei legit alterum apostolum; omnia enim ista contemneret mons magnus: rigavit illum de superioribus suis; et statim rigatus et manare jam volens: *Domine*, ait, *quid me jubes facere* (*Act.* IX, 4, 6)? Accipe illum montem vel petram, unde possis dare vocem tuam; accipe illum, et vide rigari de superioribus, et effluere in inferioribus. Audi hoc et in uno loco: *Sive*, inquit, *mente excessimus Deo, sivi temperantes sumus vobis.* Quod ait, *mente excessimus*, vos capere non potestis: excessimus enim omnia ista carnalia, vos adhuc carnales estis. Deo ergo mente excessimus; et quod videmus cum mente excedimus, effari non possumus: ibi enim *audivit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui* (II *Cor.* XII, 4). Quid ergo, inquiunt illi carnales, illi lepores, nos non irrigabimur? ad nos nihil perveniet? Et quomodo emittit fontes in convallibus? et quomodo in medio montium pertransibunt aquæ? Ad hoc ergo pertinet, *Sive temperantes sumus vobis.* Unde hoc[1]? quem imitamur? *Charitas*, inquit, *Christi compellit nos* (*Id.* V, 13, 14). Tu particeps Verbi, etsi hodie spiritualis, heri carnalis, ad carnales dedignaris descendere, cum ipsum Verbum caro factum sit, ut habitaret in vobis (*Joan.* I, 14).

8. Benedicamus ergo Dominum, et laudemus eum qui rigat montes de superioribus suis. Inde veniet irrigatio ad terram, inde et humilia satiabuntur: sequitur enim, *De fructu operum tuorum satiabitur terra.* Quid est, *De fructu operum tuorum?* Nemo glorietur in operibus suis; sed qui gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31). Gratia tua satiatur, cum satiatur: non dicat meritis suis datam gratiam fuisse. Si gratia dicitur, gratis datur: si operibus redditur, merces redditur (*Rom.* IV, 4, 5). Gratis ergo accipe, quia impius justificaris. *De fructu operum tuorum satiabitur terra.*

9. [*vers.* 14.] *Producens fenum jumentis, et herbam servituti hominum.* Verum est, video, agnosco creaturam: producit terra fenum jumentis, et herbam servituti hominum. Sed video et alia jumenta Domini, quæ significantur, cum dicitur, *Bovi trituranti os non infrenabis:* dicit enim ipsum jumentum, *Numquid de bobus pertinet ad Deum?* Propter nos ergo Scriptura dicit. Quomodo ergo producit terra fenum jumentis? Quia *Dominus constituit ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant.* Misit prædicatores, et ait illis: *Omnia quæ ab ipsis apponuntur vobis, manducate;*

[1] Sic aliquot Mss. Alii quidam: *Audiant, qui à petra audiunt.* At Edd.: *Audiantur, quia petræ audiuntur.*

[1] Sic plerique Mss. quibus Am. et Er. favent. At editio Lov. habet: *Unde et hic quem imitatur.*

dignus est enim operarius mercede sua (*Luc.* x, 7 *et* 8). Cum enim dixisset, *Quæ apponuntur vobis, manducate*; ne illi dicerent, Improbi erimus ad mensas alienas cum[1] indigebimus, vis nos ita esse frontosos? Non, inquit, non est illa donatio eorum, sed vestra merces. Cujus rei merces? Quid dant? quid accipiunt? Dant spiritualia, accipiunt carnalia; dant aurum, accipiunt fenum. *Omnis enim caro fenum, et claritas carnis ut flos feni* (*Isai.* xl, 6). Omnia temporalia quæ tibi superfluunt et redundant, fenum jumentorum est. Quare? Quia carnalia sunt. Audi quorum jumentorum sit fenum. *Si nos vobis spiritualia, seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus?* Hoc Apostolus dixit, talis annuntiator tam laboriosus, tam impiger, tam exercitatus, ut ipsum fenum donaret terræ. *Ego*, inquit, *nullius horum usus sum*. Ostendit sibi deberi, et non accepit; nec condemnavit eos qui acceperunt quod debebatur. Condemnandi enim erant exigentes indebita, non accipientes mercedem suam: ille tamen et ipsam mercedem suam donavit. Non quia alius tibi donavit, non debes alteri; alioquin non eris irrigata terra quæ producit fenum jumentis. *De fructu operum tuorum*, inquit, *satiatibur terra: producens fenum jumentis*. Tu noli esse sterilis, produc fenum jumentis: si nolunt jumenta fenum tuum, non te tamen sterilem inveniant. Accipis spiritualia, redde carnalia: debita sunt militi, militi reddis; provincialis (a) Christi es. *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, et de lacte ejus non percipit?* Non ideo dico, ut ista fiant in me. Fuit quidam miles qui etiam provinciali donaret annonam: sed tamen reddat provincialis annonam. Ut autem hinc dicam potius; jumenta sunt: *Bovi trituranti os non infrenabis. Producens*, inquit, *fenum jumentis;* et quasi hoc exponens adjecit, *Et herbam servituti hominum:* ne non intelligeres quod dictum est, *Producens fenum jumentis*, repetitione exposuit quod præmisit. Quod enim dixit supra *fenum*, postea *herbam* nominavit; quod autem dixerat *jumentis*, hoc *servituti hominum* dixit. Ergo servituti, et non libertati. Ubi ergo est, *Vos in libertatem vocati estis?* Sed audi eumdem ipsum: *Cum enim liber sim ex omnibus, omnium servum me feci, ut plures lucrifacerem* (I *Cor.* ix, 7-19). Et quibus dixit, *In libertatem vocati estis?* et quid adjunxit? *Tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem servite invicem* (*Gal.* v. 13). Quos liberos fecerat, servos fecit; non conditione, sed tamen Christi redemptione; non necessitate, sed charitate: *Per charitatem*, inquit, *servite invicem*. Sed Christo servimus invicem, ait; non populis, non carnalibus, non infirmis. Bene Christo servis, si servis quibus Christus servivit. Nonne de illo dictum est: *Bene servientem plurimis?* Propheta legitur: de nullo nisi de Christo accipi solet. Audiamus tamen proprie et in Evangelio vocem ejus: *Quicumque*, inquit, *in vobis vult major esse, erit vester servus*. Servum meum[1] te fecit, qui te suo sanguine liberum fecit. Dicite hoc nobis, quia verum dicitis. Audi illum alio loco: *Nos autem servos vestros per Jesum* (II *Cor.* iv, 5). Bene diligite servos vestros, sed in Domino vestro. Præstet nobis ut bene serviamus. Nam velimus, nolimus, servi sumus: et tamen si volentes sumus, non necessitate, sed charitate servimus. Quodammodo enim quasi superbia servorum stomachata videbatur, cum diceret Dominus: *Erit vester servus qui voluerit inter vos major esse.* Jam enim filii Zebedæi sedes altissimas quærebant: unus volebat sedere ad dexteram, alter ad sinistram, dicentes per matrem quod ipsi cupiebant. Dominus non illis sedes invidit, sed convallem prius plorationis ostendit, quasi diceret, Illuc vultis venire, ubi sum ego? venite qua ego. Quid est, venite qua ego? Per humilitatem. Ego de sublimi descendi, et humilitatus ascendo: vos in terra inveni, et ante vultis volare quam pasci; prius nutrimini, educamini, ferte nidum. Quid enim ait? quomodo illos revocavit ad humilitatem, jam quærentes altitudinem? *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Et illi, etiam in hoc superbi: *Possumus*. Quomodo Petrus: *Tecum usque ad mortem*. Fortis vir, donec femina diceret: *Et iste cum illis erat* (*Matth.* xxvi, 35, 69). Sic et isti: *Possumus. Potestis? Possumus.* Et ille, *Calicem quidem meum bibetis*, etsi modo non potestis, *bibetis*: quomodo Petro, « Non potes me modo sequi; sequeris me postea (*Joan.* xiii, 36). Calicem quidem meum bibetis; sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis » (*Matth.* xx, 20-27). Quid est, *Non est meum dare vobis?* Non est meum dare superbis. Modo quibus loquor, superbi estis; ideo dixi, *Non est meum dare vobis*. Sed forte dicerent, Erimus humiles. Non ergo eritis vos: ego, *Vobis* dixi. Non dixi, Non dabo humilibus: sed, non dabo superbis. Qui autem rex superbo fit humilis, non erit qui erat.

10. Ergo prædicatores verbi, et jumenta et servi sunt. Producat terra, si irrigata est, *fenum jumentis, et herbam servituti hominum*. Ipse est enim fructus, ut possit fieri quod dictum est in Evangelio: *Ut et ipsi recipiant vos in tabernacula æterna* (*Luc.* xvi, 9). Vide de feno quid facias, vide de re vili quid emas. *Ut recipiant vos*, inquit, *in tabernacula æterna:* ubi erunt ipsi, illuc vos recipiant. Quare hoc? Quia *qui suscipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet: et qui suscipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: et qui dederit calicem aquæ frigidæ uni ex his minimis, tantum in nomine discipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem suam* (*Matth.* x, 41-42). Quam mercedem non perdet? Recipient vos in tabernacula æterna. Quis non festinet? qui non alacrius currat? Si terra estis, rigamini de fructu operum Dei: ne dicatis, Non sunt cum quibus faciamus; prædicatores nostri, jumenta triturantia, homines servientes non indigent nostri. Quære tamen, ne quis indigeat;

[1] Sic aliquot Mss. At alii cum Edd. carent particula, *cum*.
(a) De hoc nomine vide Enarr. in Psal. xc, serm. i, n. 10 et not.

[1] Sic in Mss. At in Edd., *suum*.

postremo, et qui non indiget, inveniat in te quod nolit [1] accipere. Accipit enim bonam voluntatem, cum tu accipias pacem : etsi enim non quærit datum, sed requirit fructum (*Philipp.* IV, 17). Quære tamen, ne quis indigeat; et noli dicere : Si petierit, dabo. Exspectas ergo ut petat? Sic pascis bovem Dei, quomodo transeuntem mendicum? Illi petenti das, quia scriptum est, *Omni petenti te, da* (*Luc.* VI, 30). De isto quid scriptum est? *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem* (*Psal.* XL, 2). Quære cui des : *Beatus* enim *qui intelligit super egenum et pauperem*, qui præoccupat vocem petituri. Si sic inter vos indigent milites Christi, ut etiam petant; videte ne vos judicent, antequam petant. Quomodo, inquis, quæro? Esto curiosus, esto providus; prospice, attende unde quisque vivat, unde se transigat, unde habeat : non reprehendetur ista curiositas tua; terra eris *producens fenum jumentis, et herbam servituti hominum.* Curiosus esto, et intellige super egenum et pauperem. Alius ad te venit, ut petat; alium tu præveni, ne petat. Sicut enim de illo qui te quærit dictum est, *Omni petenti te, da;* sic de illo quem tu debes quærere dictum est, Sudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum cui eam tradas. Cum enim dandum sit et istis pauperibus petentibus [2]; non enim ab eis inhibuit Deus eleemosynas, cum Christus de ipsis dicat, *Quando facis epulum, convoca cæcos, claudos, debiles, non habentes unde tibi reddant; retribuetur autem tibi in resurrectione justorum* (*Luc.* XIV, 13 *et* 14) : voca et ipsos, pasce et ipsos; epulare, cum illi epulantur; delectare, cum illi saginantur; illi enim pane tuo, tu justitia Dei. Nemo vobis dicat : Præceptum est a Christo ut servo Dei detur, mendico non detur. Absit; prorsus impius ista loquitur. Da illi, sed multo magis illi. Ille enim petit, et in voce petentis agnoscis cui des : ille autem quanto minus petit, tanto magis tibi vigilandum est ut præoccupes petiturum; aut forte modo non petiturum, et aliquando damnaturum. Itaque curiosi estote ad ista, fratres mei; invenietis multorum Dei servorum indigentiam, tantum ut velitis invenire. Sed quia delectat vos excusatio qua vultis dicere, Nesciebamus; propterea non invenitis.

11. Ipse Dominus loculos habebat, quo mittebantur necessaria, et possidebantur nummi propter usus eorum qui cum illo erant et ejus : non enim cum dicitur, *Esurivit* (*Matth.* IV, 2; *et* XXI, 18), evangelista mentitur. Voluit esurire propter te, ne tu esurias in illo, qui pauper factus est, cum dives esset, ut illius paupertate nos ditaremur (II *Cor.* VIII, 9). Habuit enim loculos; et dictum est de quibusdam feminis religiosis, quod ambulabant qua ibant pedes ejus evangelizantes, et ministrabant ei de substantia sua. Nominantur illæ mulieres in Evangelio, ubi erat quædam etiam uxor cujusdam Chuzæ procuratoris Herodis (*Luc.* VIII, 3). Vide quæ fiebant. Futurus erat Paulus nihil tale aliquando quærens, et omnia provincialibus donans. Sed quia multi infirmi ista quæsituri erant, magis infirmorum personam suscepit Christus. Sublimius Paulus, numquid et Christo! Sublimius Christus, quia misericordius. Cum enim videret Paulum ista non esse quæsiturum, providit ne damnaret quæsiturum, et præbuit exemplum infirmo : quomodo cum videret multos pronos et gaudentes ituros ad martyrium passionis, exsultaturos in ipsa passione, fortes [1], centenarios maturos ad horreum; quorumdam tamen infirmorum, quos videbat posse conturbari ventura passione, ne deficerent tamen, sed potius voluntatem humanam voluntati Creatoris conjungerent, ipsorum personam voluit suscipere in passione Christus, dicens, *Tristis est anima mea usque ad mortem ;* et iterum, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Docuit quid esset dicturus infirmus, sed secutus ostendit quid facere deberet infirmus : *Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater* (*Matth.* XXVI, 38, 39). Quomodo ergo in passione infirmorum personam sustinuit, præfigurata illa in corpore suo, quia et illa membra ejus; neque enim frustra dictum est, *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur* (*Psal.* CXXXVIII, 16) : sic et in loculis habendis, et in exigenda quodam modo annona, non petenda, sed præbenda [2], indigentiam suscepit. Suscepit eum Zacchæus, et gaudet (*Luc.* XIX, 6). Cui hoc bonum? Christo, an Zacchæo? Vere, si non susciperet Zacchæus, non erat ubi maneret mundi fabricator? aut si non pasceret Zacchæus, indigeret is qui de quinque panibus tot millia hominum saturavit? Cum ergo quisque sanctum suscipit, non suscepto, sed susceptori præstatur. Numquid in illa fame non pascebatur Elias? nonne corvus afferebat panem et carnem, servo Dei serviente creatura (III *Reg.* XVII, 6)? Missus est tamen pascendus ad viduam; non ut militi, sed ut provinciali aliquid præstaretur.

12. Ergo quia dicebamus, fratres, et de pascendis pauperibus; cum Dominus loculos haberet, tamen quando dixit Judæ eum tradituro, *Quod facis, fac velociter ;* non intelligentes cæteri quid dixisset, arbitrati sunt eum dixisse, ut aliquid præpararet quod daretur pauperibus. Ille enim loculos habebat, hoc in Evangelio scriptum est (*Joan.* XIII, 27-29). Possent hoc suspicari, nisi hoc haberet in consuetudine Dominus? De his ergo quæ dabantur et in loculos mittebantur, dabatur tamen et illis pauperibus, quos Deus docuit non contemnendos. Sed si illum non contemnis, quanto magis bovem per quem trituratur hæc area? quanto magis servum tuum? Non indiget cibo, forte veste indiget. Non indiget veste, forte tecto indiget, forte ecclesiam fabricat, forte aliquid utile in domo Dei molitur; exspectat ut attendas, exspectat ut intelligas super egentem et pauperem. Tu contra, terra dura, lapidea, non irrigata, aut frustra irrigata, servas tibi dicere : Non sciebam, non noveram, nemo mihi dixit. Nemo tibi dixit! Christus non cessat dicere, propheta non cessat dicere : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* Non vides arcam inanem

[1] Sic melioris notæ Mss. At Edd., *velit.*
[2] Hic in Edd. additur, *patet :* quod a Mss. abest.

[1] Sic Mss. Edd. vero, *forte.*
[2] Am. Er. et plerique Mss., *non petendo, sed præbendo.*

præpositi tui : vides certe vel surgentem fabricam, quo intraturus et oraturus es. Nonne admovetur oculis tuis? Nisi forte putatis, fratres, quia præpositi vestri thesaurizant : et novimus multos non thesaurizare, et ad quotidiana egere, de quibus omnino non creditur; quos et vos inveniretis, si velletis, si circumspiceretis, si ad hoc vigilaretis, ut fructum daretis. Dixi quod potui, quantum potui. Puto autem manifestos nos esse vobis, sicut ait Apostolus, non ideo nos dicere, ut in nos ista faciatis. Præstet Deus ut hæc non frustra dixerim : præstet Deus ut terra irrigata sitis, non lapidea, sicut Judæorum, unde tabulas lapideas accipere meruerunt; sed terra fructifera, terra quæ irrigata reddat agricolæ. Illi ipsi corde lapideo, quod significatum est lapideis tabulis, decimas dabant. Etiam gemitis, et nihil adhuc exit [1]. Si gemitis, parturite; si parturitis, parite. Quare gemitus inanis? quare gemitus sterilis? Viscera torquentur, an non est intus quod edatur? *Rigans montes de superioribus suis : de fructu operum tuorum satiabitur terra.* Beati qui faciunt, beati qui ista fructuose audiunt, beati qui non inaniter clamant. *De fructu operum tuorum satiabitur terra : producens fenum jumentis, et herbam servituti hominum.* [2] Utquid hoc? *Ut educat panem de terra.* Quem panem? Christum. De qua terra? De Petro, de Paulo, de cæteris dispensatoribus veritatis. Audi quia de terra : *Habemus*, inquit, *thesaurum istum in vasis fictilibus, ut eminentia sit virtutis Dei* (II *Cor.* IV, 7). Ipse est panis qui de cœlo descendit (*Joan.* VI, 41), ut e terra educatur, cum per servorum suorum carnem prædicatur. Terra fenum producit, ut panem de terra educat. Quæ terra fenum producit? Plebes piæ, plebes sanctæ. Ut de qua terra panis educatur? Verbum Dei de Apostolis, de dispensatoribus Sacramentorum Dei, adhuc in terra ambulantibus, adhuc corpus terrenum portantibus.

13. [*vers.* 15.] *Et vinum lætificat cor hominis.* Nemo se ad ebrietatem paret; imo se omnis homo ad ebrietatem paret. *Calix tuus inebrians quam præclarus est* (*Psal.* XXII, 5)! Nolumus dicere : Nemo se inebriet. Inebriamini, sed videte unde. Si vos inebriat calix Domini præclarus, videbitur ista inebrietas in operibus vestris, videbitur in sancto amore justitiæ, videbitur postremo in alienatione mentis vestræ, sed a terrenis in cœlum. *Ut exhilaret faciem ejus in oleo.* Video quæ terra quantum fructum educat, si producat fenum jumentis. Non isti servi vendunt quod dant; non enim venditores Evangelii sunt : gratis dant, quia gratis acceperunt. Gaudent bonis operibus vestris; hoc enim vobis prodest : non enim quærunt datum, sed requirunt fructum. Quid est exhilaratio faciei in oleo? Gratia Dei, nitor quidam in manifestationem; sicut dicit Apostolus : *Unicuique autem datur Spiritus ad manifestationem* (I *Cor.* XII, 7). Gratia quædam quæ est hominum ad homines perspicua, ad conciliandum sanctum amorem, oleum dicitur, in nitore divino; et quoniam excellentissima in Christo apparuit, totus orbis eum diligit : qui cum contemptus hic esset, adoratur modo ab omni gente : *Quoniam ipsius est regnum, et ipse dominabitur gentium* (*Psal.* XXI, 29). Tanta est enim ejus gratia, ut multi qui in eum non credunt, laudent eum, et propterea dicant nolle se in eum credere, quia nemo potest implere quod jubet. Laudando impediuntur, qui in illum vituperando sæviebant. Amatur tamen ab omnibus, prædicatur ab omnibus; quia excellenter unctus, ideo Christus. Christus enim unctus, a chrismate dictus Christus. Messias hebraice, græce Christus, latine Unctus : sed corpus suum totum perunguit. Omnes ergo venientes accipiunt gratiam, ut exhilaretur facies in oleo.

14. *Et panis cor hominis confirmat.* Quid est hoc, fratres? Quasi coegit intelligi de quo pane diceret. Panis enim iste visibilis stomachum confirmat, ventrem confirmat : est alius panis qui cor confirmat, quia panis est cordis. Jam enim dixerat de pane superius, *Ut educat panem de terra*, sed non dixerat qualis panis sit ille. *Et vinum lætificat cor hominis.* Videtur jam dicere de spirituali vino; nam id lætificat cor hominis. Sed adhuc putetur de vino isto dici, quia ebrii quasi læti corde videntur apparere. Utinam lætentur, et non rixentur. Dicis mihi : Quid lætius ebrio? Imo quid insanius ebrio? quid plerumque iracundius? Est ergo vinum quod vere lætificat cor, et non novit aliud nisi lætificare cor. Sed ne putes hoc quidem de spirituali vino debere accipi, de illo pane autem non; quod et ipse spiritualis sit, exposuit et ipsum : *Et panis*, inquit, *cor hominis confirmat.* Ergo sic accipe de pane, quomodo accipis de vino; intus esuri, intus siti : *Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6). Panis ille justitia est, vinum illud justitia est : veritas est, veritas Christus est (*Joan.* XIV, 6). *Ego sum*, inquit, *panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Id.* VI, 41); et, *Ego sum vitis, vos sarmenta* (*Id.* XV, 5). *Et panis cor hominis confirmat.*

15. [*vers.* 16.] *Satiabuntur ligna campi :* sed de ista gratia educta de terra. *Ligna campi*, plebes populorum. *Et cedri Libani quas plantavit.* Cedri Libani, potentes in sæculo, et ipsi satiabuntur. Pervenit panis, et vinum, et oleum Christi ad senatores, ad nobiles, ad reges; satiata sunt ligna campi. Prius humiles satiati sunt, deinde etiam cedri Libani, sed *quas plantavit* ipse : piæ [1] cedri, religiosi fideles; tales enim plantavit. Nam et impii sunt cedri Libani, quia, *Conteret Dominus cedros Libani* (*Psal.* XXVIII, 5). Libanus enim mons est; ibi istæ arbores etiam secundum litteram annosissimæ sunt et excellentissimæ. Libanus autem interpretatur, sicut legimus in eis qui ista scripserunt, Candidatio. Libanus dicitur candidatio : videtur autem candidatio esse sæculi hujus, modo nitentis et fulgentis in pompis suis. Sunt ibi cedri Libani quas plantavit Dominus; ipsæ satiabun-

[1] Am. Er. et Mss.: *Etiam gemite, et nihil huc exeat.*
[2] Sic præcipui Mss. At Edd.: *Utquid vocat? utquid hoc?*

[1] Edd. omittunt vocem, *piæ*.

tur quas plantavit Dominus. Nam *arbor*, inquit, *quam non plantavit Pater meus, eradicabitur* (*Matth.* xv, 13). *Et cedri Libani quas plantavit.*

16. [*vers.* 17.] *Illic passeres nidificabunt. Fulicæ domus dux est eorum.* Ubi passeres nidificabunt? In cedris Libani. Jam audivimus quæ sint cedri Libani, nobiles sæculi, excelsi genere, opibus, honoribus: et ipsæ cedri satiantur, illæ tamen quas plantavit ipse. In his cedris passeres nidificant. Qui sunt passeres? Aves quidem et volatilia cœli sunt passeres, sed minuta volatilia solent dici passeres. Sunt ergo quidam spirituales nidificantes in cedris Libani: id est, sunt quidam servi Dei audientes in Evangelio, *Dimitte omnia tua*, vel, *vende omnia tua, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis; et veni, sequere me* (*Id.* xix, 21). Et non tantum hoc audierunt magni, sed audierunt et parvi, et voluerunt hoc facere et parvi, et esse spirituales; non jungi uxoribus, non macerari cura filiorum, non habere proprias sedes quibus deligarentur, sed ire in vitam quamdam communem. Sed quid dimiserunt isti passeres? Minuti enim sæculi hujus passeres videntur. Quid dimiserunt? quid magnum dimiserunt? Alius se convertit, dimisit cellam patris sui inopem, vix unum lectum et unam arcam. Convertit se tamen, factus est passer, quæsivit spiritualia. Bene, optime; non illi insultemus, non dicamus: Nihil dimisisti. Non superbiat qui multa dimisit. Petrus ut sequeretur Dominum, novimus quod piscator erat, quid potuit dimittere? Vel frater ejus Andreas, vel filii Zebedæi Joannes et Jacobus, etiam ipsi piscatores (*Id.* iv. 18, 21); et tamen quid dixerunt? *Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te* (*Id.* xix, 27). Non ei dixit Dominus: Oblitus es paupertatem tuam; quid dimisisti ut totum mundum acciperes? Multum dimisit, fratres mei, multum dimisit, qui non solum dimisit quidquid habebat, sed etiam quidquid habere cupiebat. Quis enim pauper non turgescit in spem sæculi hujus? quis non quotidie cupit augere quod habet? Ista cupiditas præcisa est: ibat in immensum, accepit modum, et nihil dimissum est? Prorsus totum mundum dimisit Petrus, et totum mundum Petrus accepit. Quasi nihil habentes, et omnia possidentes (II *Cor.* vi, 10). Faciunt hoc multi: ista faciunt qui parum habent, et veniunt, et fiunt passeres utiles. Minuti videntur, quia non habent altitudinem dignitatis sæcularis: nidificant in cedris Libani. Etenim et cedri Libani, nobiles et divites et excelsi hujus sæculi, quoniam cum timore audiunt, *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem*; attendunt res suas, villas suas, et omnes superfluas copias, quibus videntur excelsi, et præbent illas servis Dei; dant agros, dant hortos, ædificant ecclesias, monasteria, colligunt passeres, ut in cedris Libani nidificent passeres. Ergo satiantur *cedri* [1] *Libani quas plantavit* Dominus, et *illic passeres nidificabunt.* Attendite totam terram, si non ita est. Ut loquerer ista, non solum credidi, sed et vidi; dedit mihi intellectum ipsum experimentum. Interrogate latissimas terras qui nostis, et videte in quam multis cedris Libani passeres illi, de quibus locutus sum, nidificant.

17. Sed tamen, fratres mei, ipsi passeres si spirituales sunt, quamvis nidificent in cedris Libani, non pro magno habere debent cedros Libani, et putare illos esse superiores, a quibus eorum necessaria complentur. Passeres enim sunt; illæ autem cedri Libani sunt. Ergo *fulicæ domus dux est* passerum. Quamvis in cedris Libani nidificent passeres, non tamen cedri Libani duces sunt passerum. Ecce satiabuntur ligna campi, omnes populi; et cedri Libani satiabuntur, quas plantavit Dominus, omnes nobiles et excelsi fideles. Illic, id est in cedris Libani, passeres nidificabunt; præbebunt ramos facultatum suarum colligendis minutis spiritualibus. Præbent ista, faciunt hæc cedri Libani quas plantavit Dominus; faciunt, et libenter faciunt; noverunt quid faciant, noverunt quid accipiant. Sed passeres quamvis in cedris Libani nidificabunt, *Fulicæ domus dux est eorum.* Quæ est fulicæ domus? Fulica, sicut omnes novimus, marina avis est; vel in stagnis est, vel in mari est. Habet quamdam domum non facile in littore terræ, aut nunquam; sed in iis quæ in media aqua sunt: plerumque ergo in petris quas aqua circumdat. Intelligimus ergo petram esse idoneam fulicæ domum, nusquam fortius et firmius habitat, quam in petra. In quali petra? In mari constituta. Etsi tunditur fluctibus, frangit tamen fluctus, non frangitur: hoc habet magnum petra in mari constituta. Quanti fluctus contuderunt petram nostram, Dominum Christum? Elisi sunt in illum Judæi; illi fracti sunt, ille integer mansit. Et unusquisque imitans Christum, ita sit in isto sæculo, id est in isto mari, ubi non potest nisi procellas tempestatesque sentire, ut nulli vento cedat, nulli fluctui, sed omnia excipiat, et integer maneat. Ergo fulicæ domus et fortis est, et humilis. Non habet domum fulica in excelsis; nihil illa domo firmius, et nihil humilius. In cedris quidem nidificant passeres, propter præsentem necessitatem: sed petram illam habent ducem, quæ fluctibus tunditur, et non frangitur; imitantur enim Christi passiones. Et si forte cedri Libani iratæ fuerint, et aliquid molestiæ vel scandali servis Dei in ramis suis commoverint, volabunt quidem inde passeres; sed væ cedro remanenti sine nidis passerum. Passeres enim non naufragabunt, non peribunt; quia *fulicæ domus dux est eorum.*

18. [*vers.* 18.] Quid ergo sequitur? *Montes altissimi cervis.* Cervi, magni, spirituales, transcendentes in cursu omnia spinosa veprium atque silvarum. *Qui perficit*, inquit, *pedes meos sicut cervi, et super excelsa statuet me* (*Psal.* xvii, 34). Teneant montes altos, alta præcepta Dei; sublimia cogitent, teneant ea quæ multum eminent in Scripturis, justificentur in summis: cervis enim sunt illi montes altissimi. Quid de humilibus bestiis? quid de lepore? quid de ericio? Lepus minutum animal et infirmum, ericius etiam spinosum [2]: illud animal timidum, illud animal spinis coopertum. Spinæ quid significant, nisi peccato

[1] Sic Mss. At Edd.: *Passeres ergo satiantur cedris.*

[2] Hic in Edd. additur, *minor eorum*, quod a Mss. abest.

res? Qui peccat quotidie, etiamsi non magna peccata, minutissimis spinis coopertus est. In eo quod timet, lepus est; in eo quod minutissimis peccatis operitur, ericius est: et non potest tenere excelsa illa et perfecta præcepta. Illi enim *montes altissimi cervis*. Quid ergo? isti pereunt? Non. Sic enim *montes altissimi cervis*, ut et his videas quid sequatur: *Petra refugium ericiis et leporibus*. Quia factus est Dominus refugium pauperi (*Psal.* IX, 10). Ponas petram illam in terra, refugium est ericiis et leporibus: ponas illam in mari, domus est fulicæ. Ubique utilis petra. Et in montibus ipsa utilis: montes sine petræ fundamento ruerent in profundum. Nonne jamdudum de montibus dicebatur: *Illic volatilia cœli inhabitabunt; de medio petrarum dabunt voces suas?* Ubique ergo petra refugium nostrum: sive in montibus excelsa sit, sive in mari tundatur fluctibus, non frangatur [1], sive in terra solidetur; ad illam cervi, ad illam fulica, ad illam lepus et ericius. Tundant pectora lepores, et ericii confiteantur peccata sua: licet cooperti sint minutis quidem quotidianisque peccatis; non eis tamen deest petra, quæ illos docuit dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). *Petra refugium ericiis et leporibus.*

19. [*vers.* 19.] *Fecit lunam in tempora.* Intelligimus spiritualiter Ecclesiam crescentem de minimo, et ista mortalitate vitæ quodammodo senescentem; sed ut propinquet ad solem. Non istam lunam dico visibilem oculis, sed quæ hoc nomine significatur. Ista quando obscura erat Ecclesia, quando nondum apparebat, nondum eminebat, seducebantur homines, et dicebatur, Hæc est Ecclesia, hic est Christus; *ut sagittarent in obscura luna rectos corde* (*Psal.* X, 3). Modo quam cæcus est qui plena luna errat? *Fecit lunam in tempora.* Hic enim temporaliter transit Ecclesia; non enim hic erit semper ista mortalitas: augeri et minui aliquando transibit [2]; in tempora facta est. *Sol agnovit occasum suum.* Et hic quis sol, nisi sol ille justitiæ, quem sibi non ortum impii plangent in die judicii? Qui dicturi sunt in illo die, *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non ortus est nobis* (*Sap.* V, 6). Ei sol iste oritur, qui intelligit Christum. Recedit autem ab intellectu ejus Christus, qui sic iratus fuerit fratri suo, ut teneat odium. Itaque *irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* IV, 5). Charitas etsi irascitur aliquando, ut corrigat, non tenetur rea; quia non inveteravit ira, ut verteretur in odium. Si autem ira conversa fuerit in odium, occidit sol super iracundiam vestram. *Non igitur occidat sol super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV, 26).

20. Nec putetis, fratres, ideo nonnullis solem esse adorandum, quia sol in Scripturis aliquando Christum significat. Talis est enim dementia hominum; quasi adorandum aliquid dicatur, cum dicitur, Sol Christum significat. Adora ergo et petram, quia Christum significat (I *Cor.* X, 4). *Sicut ovis ad victimam ductus est* (*Isai.* LIII, 7); adora et ovem, quia Christum significat. *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* V, 5); adora et leonem, quia Christum significat. Videte quam multa Christum significent; omnia ista Christus in similitudine, non in proprietate. Quæris proprietatem Christi? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Ecce proprietas Christi, per quam factus es. Vis audire et proprietatem per quam refectus es? *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 14). Cætera similitudines sunt. Intellige, esto Scripturæ capax, ut aliud videas objici oculis tuis, aliud innui cordi tuo.

21. Sol ergo ille, jam securi dicimus, sol ille justitiæ, non sine causa impiis non oritur, etsi volunt: ipsa enim Sapientia dicit, *Quærent me mali, et non invenient. Quærent, et non invenient.* Et quare? Oderunt enim sapientiam. Ipsa Sapientia loquitur, et dicit: *Quærent me mali, et non invenient; oderunt enim sapientiam* (*Prov.* I, 28, 29). Si ergo oderunt, quare quærunt? Quærunt, non ut fruantur, sed ut inflentur; quærunt sermonibus, oderunt moribus. *Spiritus enim sanctus disciplinæ fugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (*Sap.* I, 5). Non ergo sol ille oritur impiis, non oritur malis. At vero de isto sole quid dictum est? *Qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V, 45). Ergo de illo sole justitiæ nescio quid significat psalmus iste secundum mysterium; nam videmus ista fieri in creatura etiam secundum speciem rerum visibilium: *Sol agnovit occasum suum.* Quid est, *Sol agnovit occasum suum?* Christus agnovit passionem suam: occasus Christi, passio Christi. Sed numquid sic sol occidit, ut non oriatur? *Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat* (*Psal.* XL, 9)? nonne ipse dixit, *Dormivi turbatus?* et de illo dictum est, *Exaltare super cœlos, Deus* (*Psal.* LVI, 5, 6)? Ergo, *Sol agnovit occasum suum*: quid est, *agnovit?* Approbavit, placuit ei. Et unde ostendimus quia agnovit, hoc est, placuit ei? Quid enim non novit Deus? quid non novit Christus? Et tamen dicturus est in fine quibusdam: *Non novi vos* (*Matth.* VII, 23). Quomodo ergo ibi, *Non novi vos*, non est quasi, Mihi ignoti estis, sed, non mihi placetis; sic et hic, *agnovit occasum suum*, placuit illi occasus suus. Si enim ei displiceret, quomodo pateretur? Homini enim, quia non est ille sol, etiamsi displiceat passio sua, patitur et quod non vult. Ille autem non pateretur, nisi ei placeret: id est, nisi agnosceret occasum suum, non occideret; quia ipse ait, « Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam a me, sed ego ipse eam pono a me » (*Joan.* X, 18). Ergo, *agnovit occasum suum.*

22. [*vers.* 20, 21.] Et quid, cum occidit sol, cum passus est Dominus? Factæ sunt quædam tenebræ in Apostolis, defecit spes eorum, quibus primo magnus et redemptor omnium videbatur. Quare? « Posuisti tenebras, et facta est nox: ibi pertransibunt omnes bestiæ silvæ. Catuli leonum rugientes, ut rapiant,

[1] Sic Er. Lugd. Venet. Lov. In B., *frangatur*. M.
[2] Sic Mss. At Edd.: *augeri et minui potest, aliquando pertransibit.*

quærentes a Deo escam sibi » (*a*). Quid intelligam spiritualiter catulos leonum, nisi spiritualia nequitiæ (*Ephes.* vi, 12)? quid intelligam nisi mala dæmonia, quæ dæmonia pascuntur erroribus hominum? Sunt enim principes dæmoniorum, et sunt dæmonia quædam contemptibilia. Ista dæmonia seducere animas quærunt, sed ubi sol non ortus est; tenebræ enim sunt. Et cum tenebræ sunt, quærunt catuli leonum quos devorent. Ipse leo major, princeps omnium talium leonum, quid de illo dictum est? « Nescitis quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret » (I *Petr.* v, 8)? Ideo « quærentes a Deo escam sibi; » quia nec tentari quis potest a diabolo, nisi permittente Deo. Job sanctus ante diabolum erat, et tamen longe ab illo erat: aspectu ante illum, potestate remotus ab illo. Quando auderet tentare vel carnem, vel facultates ejus quas possidebat, nisi accepisset potestatem? Quare autem datur potestas? Aut ad damnandos impios, aut ad probandos pios. Juste hoc totum Dominus agit; et in neminem habet diabolus potestatem, vel in aliquid ejus, nisi ille concedat, cui est potestas summa et sublimis. Sic diabolo, sic homini nulla est potestas in hominem, nisi desuper detur. Stabat judex vivorum et mortuorum ante hominem judicem, et inflavit se homo judex videns ante se Christum, et ait: *Nescis quia potestatem habeo occidendi et dimittendi te?* At ille qui venerat et eum docere, a quo judicabatur: *Non haberes*, inquit, *in me potestatem, nisi esset tibi desuper data* (*Joan.* xix, 10, 11). Et homo et diabolus et quælibet dæmonia nonnisi accepta potestate nocent: sed proficientibus non nocent. Malis ita sunt tanquam ignis feno; bonis ita sunt tanquam ignis auro. Manducatus est Judas ut fenum; probatus est Job ut aurum. *Posuisti tenebras, et facta est nox: illic pertransibunt omnes bestiæ silvæ.* Jam bestiæ silvæ alio modo: alio enim et alio modo semper [1] ista intelliguntur; quomodo Dominus ipse agnus, ipse leo. Quid tam diversum quam agnus et leo? Sed qualis agnus? Qui vinceret lupum, vinceret leonem. Ipse petra, ipse pastor, ipse janua. Pastor intrat per januam: et dicit, *Ego sum pastor bonus*; et dicit, *Ego sum janua* (*Id.* x, 7, 11). Ipsum leonis nomen Dominum significat; quia, *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* v, 5), et diabolum; quia, *Conculcavit leonem et draconem* (*Psal.* xc, 13). Discite sic intelligere, cum figurate ista dicuntur; ne forte ubi legeritis quod Christum significat petra (I *Cor.* x, 4), ubique petram Christum putetis. Significat alia atque alia, sicut littera quo loco ponatur vide, ibi intelligis ejus vim. Si audieris litteram primam in nomine Dei, et putaveris eam semper ibi ponendam, delebis eam in nomine diaboli. Ab eadem enim littera incipit nomen Dei, a qua incipit nomen diaboli; et nihil tam disjunctum, quam Deus et diabolus. Vide ergo quam absurdus est a rebus et humanis et divinis, qui dixerit de littera singulari D, Non debet haberi in capite nominis diaboli, et cum quæsieris, quare? respondeat: Ego in nomine Dei legi istam litteram. Ridetur iste; nam nec talis est cui digneris reddere rationem. Nolite ergo tam pueriliter sapere etiam ista divina, ut forte aliquis vestrum, quia dixi superius bestias silvæ significare Gentes, modo autem dico bestias silvæ significare dæmonia et angelos prævaricationis, putet iis me aliquid contrarium dicere. Similitudines enim sunt, et in quocumque loco sunt, circumstantia sui exponuntur. *Illic pertransibunt omnes bestiæ silvæ.* Ubi? In nocte quam posuit Dominus, quia *sol agnovit occasum suum. Catuli leonum rugientes, ut rapiant, quærentes a Deo escam sibi.* Merito Dominus venturus ad occasum suum, ipse sol justitiæ agnoscens occasum suum, ait discipulis, tanquam tenebris futuris [1], circuituro leone, ut quæreret quem devoraret, quod ille leo neminem devoraret, nisi peteret: *Hac nocte*, inquit, *postulavit satanas vexare vos sicut triticum; et ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua* (*Luc.* xxii, 31, 32). Nonne Petrus cum ter negavit (*Matth.* xxvi, 70-74), jam inter dentes leonis erat? *Catuli leonum rugientes, ut rapiant, et ut quærant a Deo escam sibi.*

23. [*vers.* 22.] *Ortus est sol.* Qui dixit, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam; agnovit occasum suum*, et posuit eam; *ortus est sol*, et recepit eam. *Ortus est sol*, quia occidit sol, sed non exstinctus est sol. Adhuc eis qui non intelligunt Christum, ipsa nox est; adhuc eis sol ortus non est: instent, ut intelligant, ne rapiantur a rugiente leone. Nam ecce quibus ortus est, non eos audent invadere catuli leonum. Sequitur enim: *Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis cubabunt.* Magis magisque ubi [2] oritur sol iste, ut intelligatur ab orbe terrarum, et clarificetur Christus in toto mundo, congregantur catuli leonum; illa dæmonia recedunt a persecutione Ecclesiæ, quæ instigabant persequi domum Dei, operando in filiis diffidentiæ. Nam dictum est: *Secundum principem potestatis aeris, qui nunc operatur in filiis infidelitatis* (*Ephes.* ii, 2). Modo jam quia nemo eorum persequi audet Ecclesiam, *ortus est sol, et congregati sunt.* Et ubi sunt? *Et in cubilibus suis cubabunt.* Cubilia eorum, corda infidelium. Quam multi gerunt leones cubantes in cordibus suis? Non inde erumpunt, non faciunt impetum in istam peregrinantem Jerusalem. Quare non faciunt? Quia jam *ortus est sol*, et splendet in toto orbe terrarum.

24. [*vers.* 23.] Ergo vide quid sequatur, quia *ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis cubabunt.* Quid tu, o homo Dei? quid tu, o Ecclesia Dei? quid tu, o corpus Christi, cujus caput in cœlo est? quid tu facis, o homo, unitas ejus? *Exiet*, inquit, *homo ad opus suum.* Operetur ergo iste homo opera bona in securitate pacis Ecclesiæ, operetur usque in

[1] Tres Mss., *sæpe*.
(*a*) Hosce versus jam supra exposuit, in Enarr. Psal. C, nn. 12, 13.

[1] Tres Mss., *ait discipulis suis*. Et quatuor prosequuntur: *tanquam in tenebris futuris*.
[2] Sic Mss. At Edd., *ibi*.

finem. Aliquando enim erit quædam contenebratio [1], et fiet quidam impetus, sed in vespera, id est in fine mundi : modo autem in pace et tranquillitate operatur Ecclesia ; quia *exiet homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam.*

25. [*vers.* 24.] *Quam magnificata sunt opera tua, Domine!* Merito magna, merito excelsa. Ubi facta sunt opera ista tam magna? quæ illa statio Dei ubi stetit, vel quæ illa sessio ubi [2] sedit, et ista operatus est? quis locus ubi ista operatus est? unde processerunt primo ista tam pulchra ? Si ad litteram accipias, omnis ordinata creatura, ordinate currens, ordinate pulchra, ordinate oriens, ordinate occidens, ordinate peragens omnia tempora, unde processit ? Ipsa autem Ecclesia quomodo accepit incrementa, successus, perfectionem ? Quomodo destinatur ad finem quemdam immortalitatis? Quibus præconiis prædicatur ? quibus mysteriis commendatur ? quibus sacramentis occultatur ? qua prædicatione revelatur ? Ubi fecit hæc Deus? Video magna opera : *Quam magnificata sunt opera tua, Domine !* Quæro ubi fecerit, locum non invenio ; sed video quid sequatur : *Omnia in sapientia fecisti.* Ergo omnia in Christo fecisti. Ille contemptus, ille expalmatus, ille consputus, ille spinis coronatus, ille crucifixus, omnia in illo fecisti. Audio, audio quid de illo tuo milite nunties hominibus ; quid de illo præcone sancto prædices gentibus, Christum Dei Virtutem, et Dei Sapientiam. Irrideant Judæi crucifixum Christum, quia scandalum est eis ; irrideant Pagani crucifixum Christum, quia stultitia est eis : *Nos autem*, inquit, *prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam ; ipsis vero vocatis Judæis et Græcis Christum Dei Virtutem, et Dei Sapientiam* (I *Cor.* I, 23, 24). *Omnia in sapientia fecisti.*

26. *Repleta est terra creatura tua.* Repleta est terra creatura Christi [3]. Et quomodo? Quomodo videmus : quid enim non a Patre per Filium creatum est? Quidquid ambulat et repit in terris, quidquid natat in aquis, quidquid volat in aere, quidquid in cœlo circumagitur, quanto magis terra, totus mundus creatura Dei est. Sed nescio quid hic significat de quadam creatura nova, de qua dicit Apostolus, *Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt ; ecce facta sunt omnia* [4] *nova : omnia autem ex Deo* (II *Cor.* V, 17, 18). Nova creatura quæ facta est, omnes credentes in Christum, exuentes veterem hominem, et induentes novum (*Ephes.* IV, 22, 24). *Repleta est terra creatura tua.* In uno loco terræ crucifixus erat, in uno exiguo loco cecidit granum illud in terram, et mortificatum est ; sed magnum fructum attulit. Singularis eras, Domine Jesu, donec transires ; agnosco in alio psalmo vocem tuam, qua dixisti : *Singularis ego sum, donec transeam* (*Psal.* CXL, 10). Singularis ergo eras, donec transires ; singularis eras, cum agnovisti occasum tuum : sed ab occasu in ortum transisti. Ortus es, splenduisti, clarificatus es, cum in cœlum ascendisti, et *repleta est terra creatura tua.* Psalmum, fratres, nondum finivimus ; sed aliquid inde in nomine Christi etiam ad diem Dominicum differamus.

[1] Plures Mss., *contenebricatio.*
[2] Mss. carent his verbis, *stetit, vel quæ illa sessio, ubi.*
[3] Sic aliquot Mss. At Edd., *creatura tua Christe.*
[4] Vox, *omnia*, hoc loco in Mss. omitti solet.

SERMO IV.

1. Meminit Charitas vestra, cum sit unus sermo Dei in Scripturis omnibus dilatatus, et per multa ora sanctorum unum Verbum sonet, quod cum sit in principio Deus apud Deum, ibi non habet syllabas, quia non habet tempora ; nec mirandum nobis sit, quia propter infirmitatem nostram descendit ad particulas sonorum nostrorum, cum descenderit ad suscipiendam infirmitatem corporis nostri (*Joan.* I, 1, 14) : istum tamen psalmum jam multos nobis fecisse sermones, mysteriaque ipsa quæ hic clausa tenentur, ut pulsantibus aperirentur, attulisse nobis non parvas per aliquot dies moras temporis, cum pronuntiantur, cum commendantur, cum clausa esse monstrantur, cum aperiuntur, cum eruuntur, cum ostenduntur ; ac per hoc meminit, ut dixi, Charitas vestra, nec præterito die ad ejus terminum psalmi nos pervenire potuisse, et distulisse in hunc diem. Voluit Dominus et tempus redditionis nobis exhibere, et me debitorem debito satisfacere, et exactores securiores efficere : det ergo ipse bonum quod reddamus, qui non reddidit quidquid mali feceramus.

2. [*vers.* 24, 25.] Exclamaverunt, ut nostis, ut cum pietate gaudioque recolitis, exclamaverunt cum Psalmo viscera cordis nostri, et dixerunt : *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti : repleta est terra creatura tua.* Quidquid a Deo factum est, in sapientia factum est, et per sapientiam factum est. Quidquid novit sapientiam, et quidquid non novit sapientiam, et tamen in creatura Dei est, in sapientia factum est, et per sapientiam factum est. Qui cognoscunt sapientiam, lucem habent sapientiam ; qui non cognoscunt, habent tamen artificem sapientiam, cum sint ipsi detenti insipientia [1] : et qui eam lucem habent ; etiam artificem habent ; non quicumque artificem habent, etiam lucem habent. Et quidem in hominibus multi sunt qui ejus participes fiunt, et sapientes vocantur ; multi ejus expertes, stulti nominantur. Propter hoc vitioso nomine stulti appellantur, quia si studeant sapientiæ, si petant, si quærant, si pulsent, possunt pervenire ad ejus participationem : non enim naturæ, sed negligentiæ denegatur. Sunt autem aliæ creaturæ, quæ non possunt fieri participes sapientiæ ; sicut omnes bestiæ, omnia pecora, omnes arbores, quæ nec sensum habent ullum. Numquid quia participes sapientiæ esse non possunt, ideo non in sapientia et per sapientiam facta sunt? Non ergo exigit Deus intellectum de equo et mulo : sed hominibus dicit, *Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI, 9).

[1] Plures Mss. omittunt, *cum sint ipsi detenti insipientia.* Nonnulli loco, *insipientia*, habent, *sapientia.* Alii cum Am. et Er., *in sapientia.*

Quod equo natura est, homini crimen est. Hoc ergo dicit Deus: Non exigo participationem sapientiæ meæ ab eis quæ non feci ad imaginem meam; sed ubi feci, inde exigo, et usum ejus rei postulo, quam donavi. Homines ergo reddentes Deo quæ Dei sunt, si Cæsari reddunt quod Cæsaris est (*Matth.* xxii, 21); id est, reddentes Cæsari imaginem suam, et reddentes Deo imaginem suam, erigunt ipsam mentem suam, non ad se, sed ad artificem suum, et ad lumen unde sunt, et ad calorem quemdam spiritualem unde fervescunt, et unde remoti frigescunt, et unde recedentes contenebrantur, et quo revertentes illuminantur: et quia pie illi dixerunt, *Tu illuminabis lucernam meam, Domine; Deus meus, illuminabis tenebras meas* (*Psal.* xvii, 29); discussis tenebris terrenæ stultitiæ, aperientes os et ducentes spiritum, erigunt, ut dixi, fidentem oculum cordis; et circumspiciunt mente universum mundum, terram, mare et cœlum, et videntes omnia pulchre disposita, ordinata currere, digeri generibus, fulciri seminibus, mutari successionibus, currere temporibus placet eis in his artifex, ut et ipsi placeant in artificio[1] artifici; et exclamant præ magno gaudio, quia vere huic lætitiæ nihil comparari potest: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti.* Ubi est ipsa sapientia in qua omnia fecisti? quo sensu attingitur? quo oculo videtur? quo studio quæritur? quo merito possidetur? Quo putatis, nisi gratia sua? Qui donavit ut simus, donat ut boni simus. Donat conversis, qui antequam converterentur, et cum aversi irent post vias suas, nonne quæsivit eos? nonne descendit? nonne Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* i, 14)? nonne accendit lucernam carnis suæ, dum penderet in cruce, et quæsivit perditam drachmam (*Luc.* xv, 8)? Quæsivit, et invenit, vicinis congratulantibus, id est omni creatura spirituali quæ Deum proxime attingit. Vicinis lætantibus inventa est drachma; Angelis lætantibus inventa est anima humana. Inventa est, ergo gaudeat, et dicat: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti.*

3. *Repleta est terra creatura tua.* Qua creatura tua repleta est terra? Omnibus arboribus et frutetis, omnibus animalibus et pecoribus; et universo ipso genere humano, repleta est terra creatura Dei. Videmus, novimus, legimus, agnoscimus, laudamus, et in his prædicamus; et in his non sufficimus laudare tantum, quantum abundat ex bona inspectione cor nostrum. Sed ad illam magis creaturam debemus attendere, unde dicit Apostolus, *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt; ecce facta sunt omnia nova* (II *Cor.* v, 17). Quæ *vetera transierunt?* In Gentibus omnis idololatria, in ipsis Judæis omnis illa servitus Legis, omnia illa sacrificia prænuntiantia præsens sacrificium. Abundabat tunc vetustas hominis; venit qui renovaret opus suum, venit qui conflaret argentum suum, qui formaret monetam suam, et attendimus plenam terram Christianis credentibus in Deum, avertentibus se a prioribus immunditiis suis et idololatria, a spe præterita ad spem novi sæculi: et ecce nondum est in re, et jam tenetur in spe, et per ipsam spem jam cantamus et dicimus, *Repleta est terra creatura tua.* Nondum enim in patria cantamus hoc, nondum in illa requie quæ promittitur, nondum confirmatis vectibus portarum Jerusalem (*Psal.* cxlvii, 13); sed adhuc in peregrinatione intuentes mundum istum totum, et undique homines currentes ad fidem, timentes gehennas, contemnentes mortem, amantes vitam æternam, spernentes præsentem, et tali spectaculo completi gaudio dicimus, *Repleta est terra creatura tua.*

4. Hoc autem sæculum adhuc tentationum fluctibus quatitur, adhuc tempestatibus et procellis tribulationum et tumorum[1] turbatur: hac tamen itur. Minetur licet mare, et tumeat fluctibus, procellasque parturiat; hac itur, datum est nobis lignum in quo navigemus: *Repleta est terra creatura tua.* Sed nondum sumus in terra viventium, adhuc ista terra morientium est; clamamus autem, et dicimus: *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium* (*Psal.* cxli, 6). In terra morientium spes mea, in terra viventium portio mea. Ecce ista terra quæ repleta est creatura Dei. Qui adhuc est in ista terra morientium, nondum in terra viventium, qua transit? Audi sequentia: *Hoc mare magnum et spatiosum, ibi repentia quorum non est numerus; animalia pusilla et magna.* Terribile mare significat: *ibi* sunt *repentia quorum non est numerus.* Insidiæ repunt in hoc sæculo, et incautos repente occupant: repentes autem tentationes quis numerat? Repunt, sed cave, ne subripiant. Vigiletur in ligno; etiam in aquis[2], etiam in fluctibus tuti sumus: non dormiat Christus, non dormiat fides; et si dormierit, excitetur; imperabit ventis, placabit mare (*Matth.* viii, 24-26); finietur via, gaudebitur in patria. *Ibi repentia quorum non est numerus; animalia pusilla et magna.* Video enim adhuc in mari isto formidoloso nondum credentes: ipsi enim versantur in amaris aquis et sterilibus; illi autem et pusilli et magni sunt. Novimus hoc; multi pusilli sæculi nondum crediderunt, multi primates sæculi nondum crediderunt: *animalia pusilla et magna* sunt in hoc mari. Oderunt Ecclesiam, premuntur Christi nomine; non sæviunt, quia non permittuntur: in manus non erumpens, clausa est in corde sævitia. Nam omnes sive pusilli, sive magni, *animalia pusilla et magna,* quæ modo dolent templa clausa esse, aras eversas, simulacra confracta, leges latas ut sacrificare idolis capitale sit crimen; omnes qui dolent hæc, in mari sunt adhuc. Quid ergo nos? ad patriam qua ituri sumus? Per ipsum mare, sed in ligno. Noli timere periculum; lignum te portat quod continet sæculum. Ergo attendite: *Hoc mare magnum et spatiosum, ibi repentia quorum non est numerus; animalia pusilla et magna.* Noli timere, noli terreri; desidera patriam, intellige peregrinationem.

5. [*vers.* 26.] *Illic naves commeabunt.* Ecce in eo quod terrebat, naves natant, et non merguntur. Naves

[1] Sic plures Mss. At Edd., *in artifice.*

[1] Aliquot Mss., *timorum;* et quidam, *tumore.*
[2] Hic in Edd. additur, *in cruce navigamus:* quod a melioribus Mss. abest.

Ecclesias intelligimus; commeant inter tempestates, inter procellas tentationum, inter fluctus sæculi, inter animalia pusilla et magna. Gubernator est Christus in ligno crucis suæ. *Illic naves commeabunt.* Non timeant naves, non valde attendant ubi natent, sed a quo gubernentur. *Illic naves commeabunt.* Quem commeatum reperiunt tristem, quando gubernatorem sentiunt Christum? Commeabunt secure, commeent[1] perseveranter, venient ad finem debitum, perducentur ad terram quietis.

6. Est in isto mari aliquid etiam quod superat omnia animalia pusilla et magna. Quid est hoc? Psalmum audiamus : *Draco hic quem finxisti ad illudendum ei.* Ibi repentia quorum non est numerus, ibi animalia pusilla et magna; illic naves commeabunt, et non timebunt, non solum repentia, quorum non est numerus, et animalia pusilla et magna, sed nec draconem qui ibi est : *Quem finxisti*, inquit Deo, *ad illudendum ei.* Magnum secretum, et tamen quod nostis dicturus sum. Nostis inimicum Ecclesiæ quemdam draconem : non vidistis oculis carnis, sed videtis oculis fidei. Ipse est qui et leo dicitur : de illo Scriptura dicit, *Conculcabis leonem et draconem* (*Psal.* XC, 13). Subditus est iste capiti tuo, subdetur et corpori ejus; hæreant tantum membra capiti suo, ut membra ejus sint. Dictum est de prima femina, quam seduxit hic draco; Eva scilicet illa cui consilium mortis dedit, et persuasione astuta in cor femineum more serpentis irrepsit. Factum est quod novimus, quod ibi et nos fecimus, quod dolemus. In illis enim duobus hominibus totum genus humanum : inde propago mortis, inde et in parvulis debita, delicta. *Quis enim mundus*, ait Scriptura, *in conspectu tuo? Nec infans cujus est unius diei vita super terram* (*Job* XIV, 4 *et* 5). Tradux peccati, tradux mortis de primo peccato. Nostis enim et quid dictum est mulieri, vel potius serpenti, cum audiret Deus peccatum primi hominis : *Ipsa tuum observabit caput, et tu ejus observabis calcaneum* (*Gen.* III, 15). In magno mysterio dictum, in figura dictum Ecclesiæ futuræ, factæ de latere viri sui, et hoc dormientis. Erat autem Adam forma futuri. Hoc Apostolus dicit : *Qui est forma futuri* (*Rom.* V, 14). Præfiguratum est quod futurum erat, facta est Ecclesia de latere Domini dormientis in cruce. Nam de latere crucifixi percusso (*Joan.* XIX, 34), Sacramenta Ecclesiæ profluxerunt. Quid ergo dictum est Ecclesiæ? Jam modo audite, intelligite, cavete : *Ipsa tuum observabit caput, et tu ejus calcaneum.* O Ecclesia, caput serpentis observa. Quod est caput serpentis? Prima peccati suggestio. Venit tibi in mentem nescio quid illicitum; noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire. Hoc quod venit in mentem, caput serpentis est; caput calca, et evades cæteros motus. Quid est, caput calca? Ipsam suggestionem contemne. Sed lucrum suggessit : magnum ibi lucrum est, magnum ibi aurum est; si hanc fraudem feceris, dives eris. Caput serpentis est, calca. Quid est, calca? Contemne quod suggessit. Sed magnum aurum suggessit. Et quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur (*Matth.* XVI, 26)? Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. Hæc dicens, observasti caput serpentis, et calcasti. Ille autem diabolus calcaneum tuum observat. Quid est, observat calcaneum tuum? Quando labaris a via Dei. Tu observas primam suggestionem, ille observat lapsum tuum. Si enim lapsus fueris, cades; si cecideris, possidebit. Ut autem non cadas, noli exire de via. Angustam tibi semitam stravit Deus; quidquid extra illam, lubricum est. Propterea lumen est Christus, et via est Christus : *Erat lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9); et, *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Id.* XIV, 6). Per me is,[1] ad me is. Si ergo ipse est lumen, et ipse est via; si ab illo recesseris, nec in lumine eris, nec in via. Et quid te sequitur? Quod dicit de impiis quidam psalmus : *Fiat via illorum tenebræ et lubricum* (*Psal.* XXXIV, 6).

7. Hic ergo draco, antiquus hostis noster, ira fervidus, insidiis astutus, in mari magno est. *Draco hic quem finxisti ad illudendum ei.* Jam tu illude draconi : ad hoc enim hic factus est draco. Ipse cadens peccato suo de sublimi habitatione cœlorum, et ex angelo factus diabolus, accepit quemdam locum suum in hoc mari magno et spatioso. Regnum ejus quod putas, carcer ejus est. Multi enim dicunt : Quare tantam potestatem diabolus accepit, ut dominetur in isto sæculo, et tantum valeat, tantum possit? Quantum valet, aut quantum potest? Nisi permissus, nihil potest. Tu sic age, ne permittatur in te; aut si permissus fuerit ad tentandum, victus abscedat, et non possideat. Permissus est enim ad tentandos quosdam sanctos viros famulos Dei : superaverunt eum, quia de via non recesserunt, non lapsi sunt, quorum observabat calcaneum. Job ille sanctus sedebat in stercore, et currebat in via : videte quomodo observaverit caput ejus, et quemadmodum ille calcaneum ejus attendebat. Ille repellebat suggerentem, ille sperabat labentem : cepit et ejus mulierculam; subtraxit omnia quæ habebat, solam dimisit adjutricem suam, non mariti consolatricem, sed potius tentatricem[2]; cepit etiam ipsam non observantem caput ejus. Adhuc enim illa Eva erat; sed jam ille Adam non erat. Ablatis omnibus, remansit Job cum uxore, per quam tentaretur; et cum Deo, a quo regeretur. Quid illo pauperius subito factum, si domum ejus consideres? Quid illo ditius, si cor ejus cogites? Vide paupertatem domus : ablata sunt omnia. Vide divitias cordis : *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum. Dominus dedit, Dominus abstulit* : noverat rectorem suum, et tentatorem suum; permissorem tentatoris sui noverat. Nihil sibi, inquit, diabolus tribuat; voluntatem habet nocendi, potestatem autem nisi acciperet, non haberet; quantum accepit ille potestatis, tantum ego patior : non ergo ab illo patior, sed ab eo qui pote-

[1] Sic plerique Mss. At editi, *commeabunt.*

[1] Edd., *si ad me is.* Particula, *si*, abest a Mss.
[2] Aliquot Mss. omittunt, *sed potius tentatricem.*

statem dedit, contemnatur superbia tentatoris mei, sustineantur flagella patris mei. Repulsus est tentator, observatum est caput ejus, penetrare non potuit in cor. Muratam civitatem forinsecus oppugnavit, sed non expugnavit. Accessit alia tentatio : permissus est ad corpus ejus, percussit gravi vulnere a capite usque ad pedes; contabescebat putredine, scatebat vermibus, amissa domo sedebat in stercore. Ibi Eva captivata, a diabolo non ad adjutorium marito supposita, sed ad lapsum [1], suggerit ut blasphemetur Deus. Primo suggessit in paradiso ut contemneretur Deus, modo ut blasphemetur Deus. Valuit tunc in integrum, nunc victus est a putri : in paradiso dejecit, in stercore superatus est. Attendebat autem ille draco utrum Job lingua laberetur. Omnis enim homo in actu suo pedes habet in eo quod agit; in quo movetur, ibi tanquam ambulat. Dicebat ille multa; quanta enim dixit Job, qui legunt, noverunt : in tam multis illis verbis observabat serpens calcaneum labentis. Ille autem qui caput observabat serpentis, repulit omnem suggestionem. Respondit et mulieri, sicut dignum erat respondere mulieri : *Locuta es*, inquit, *tanquam una de insipientibus mulieribus : si bona percepimus de manu Domini, mala non sustinebimus? Et inter illa omnia quæ dixit, nusquam lapsus est* (*Job* II, 10). Quod multi in illis verbis non intelligunt, et quædam ibi sic accipiunt, quasi aliquid durum dixerit Job in Deum.

8. Nam inter multa etiam hoc dixit, velut stomachans adversus Deum, sicut videbatur non intelligentibus : ille autem gestabat personam magnam magnæ prophetiæ : *Utinam*, inquit loquens ad Deum, *utinam esset nobis arbiter* (*Id.* IX, 33, *sec.* LXX)! Quid est, *Utinam nobis esset arbiter* (*a*)? Quasi qui inter nos judicaret, et quo judicante causa mea vinceret. Sic accipitur ad primum sonum : sed discute te, ne labaris; attendit enim serpens ille semper calcaneum tuum. Quid visus est dixisse Job? *Utinam esset nobis arbiter!* utinam esset medius aliquis qui judicaret inter me et te! Hoc Deo homo, hoc in stercore homo, hoc vel in cœlo angelus Deo : Utinam esset nobis arbiter! Sed quid prævidebat? quid optabat? *Multi*, inquit Dominus, *justi et prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt* (*Matth.* XIII, 17). Arbitrum desiderabat. Quid est arbiter? Medius ad componendam causam. Nonne inimici eramus Dei, et malam causam habebamus adversus Deum? Quis finiret causam istam malam, nisi ille medius arbiter, qui nisi veniret, misericordiæ perierat iter? De quo Apostolus dicit, *Unus enim Deus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5). Si non homo, non mediator; quia æqualis Patri Deus. Dicit alio loco : *Mediator autem unius non est; Deus autem unus est* (*Galat.* III, 20). Inter duos mediator : ergo Christus mediator inter hominem et Deum. Non quia Deus, sed quia homo : nam quia Deus, æqualis Patri; sed æqualis Patri, non mediator [1]. Ut autem sit mediator, descendat a superiore ad inferiorem, ab æqualitate Patris; faciat quod ait Apostolus : *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philipp.* II, 7). Fundat sanguinem suum, deleat chirographum nostrum (*Coloss.* II, 14), componat [2] inter nos et Deum; nostram voluntatem corrigens ad justitiam, illius sententiam flectens ad misericordiam. Sicut ergo hoc unum exposuimus, quantum Dominus dedit, quod durum videtur dictum a Job; sic et cætera quæ ibi videntur quasi aspera et blasphema, habent intellectus suos. Quod putaremus aliter esse, nisi Deus perhiberet testimonium, et antequam loqueretur Job, et posteaquam totum locutus est. Perhibuit Deus primo testimonium, dicens : *Homo sine querela, verax Dei cultor* (*Job*, I, 8). Dixit hoc Deus, dixit hoc ante tentationem illius. Ne quis autem in illis verbis forte male intelligens scandalizaretur, et putaret justum quidem virum fuisse Job ante tentationem, in tentatione autem gravi defecisse, et lapsum esse in sacrilegam blasphemiam; finitis omnibus sermonibus, et ipsius Job, et amicorum ejus a quibus ei consolatio reddebatur, dicit Dominus testimonium, illos non verum locutos, sicut servum ejus Job. *Non enim locuti estis*, inquit, *coram me verum quidquam, sicut servus meus Job*. Deinde jubet ut ille pro eis offerat hostias, quibus eorum peccata solvantur (*Id.* XLII, 7, 8).

9. Eia, fratres mei, qui vult observare caput serpentis, et securus transire hoc mare; quia necesse est habitet hic serpens iste, et, ut dicere cœperam, lapsus diabolus de cœlo hunc locum accepit; observet caput ejus, a timore sæculi, et a cupiditate sæculi. Hinc enim suggerit aliquid, aut unde times, aut unde cupis; aut amorem tuum tentat, aut timorem. Tu si timueris gehennas, amaveris regnum Dei, observabis caput ejus. Evitato capite, securus eris; nec ille lapsum tuum tenebit, nec de tua ruina gaudebit. Nemo autem dicat, ut dixi : Magnam habet potestatem. Vident enim homines quasi quantum acceperit potestatis; quid perdiderit [3], non vident. Ipse autem sanctus Job in verbis suis mysticis et alte secretis, dicens de ista potestate quam dicitur diabolus habere, et describens illum multis modis in figuris similitudinum, exponens quid ille sit, vel quid valeat, hoc quoque ait : « Non est quidquam simile ei factum super terram, ad illudendum ei ab Angelis meis. » Deus ibi loquitur in libro Job : « Non est quidquam ei super terram simile factum, ad illudendum ei ab Angelis meis. Omne altum videt; et ipse rex omnium quæ in aquis sunt » (*Id.* XLI, 24 *et* 25, *sec.* LXX). Cui testimonio congruit hoc in Psalmo. Cum enim diceret de mari magno et spatioso, ubi

[1] Plures Mss.: *ibi Eva captivata, diabolo ad adjutorium, marito supposita ad lapsum.* Ad hanc lectionem prope accedunt Am. et Er.

(*a*) O mesitês êmôn.

[1] Sic aliquot Mss. At Er. et Lov., *non quia Deus æqualis Patri; sed si æqualis Patri, non mediator.* Nonnulli Mss., *non quia Deus æqualis Patri, sed quia homo minor Patre. Si æqualis Patri, non mediator.*

[2] Edd., *componat pacem.* Vox, *pacem*, abest a Mss.

[3] Hic Edd. addunt, *majestatis* : quod a præcipuis Mss. abest.

animalia pusilla et magna, ubi repentia quorum non est numerus, ubi naves navigant ligno tutæ, ait : *Draco hic quem finxisti ad illudendum ei*. Sed si ad illudendum, quomodo Deus illi illudit ? An tradidit eum illudendum, hoc est, ut illudatur ? Putaremus quod Deus illi illuderet, nisi Scriptura Job solvisset quæstionem; ibi enim dictum est : *Ad illudendum ei ab Angelis meis*. Vis illudere draconi ? Esto angelus Dei. Sed nondum es angelus Dei. Donec sis, si eum cursum tenes ut sis, sunt angeli qui illudant draconi, ne tibi noceat. Præpositi enim sunt Angeli cœlorum super potestates aereas, et inde procedit verbum quod fit hic. Intuentur enim legem fixam, legem æternam, jubentem sine scriptura, sine syllabis, sine strepitu, fixam semper et stantem; intuentur Angeli corde mundo, et ex illa faciunt quidquid hic fit, et potestates ex illa ordinantur a summis usque in ima. Et si potestates summorum cœlorum reguntur verbo Dei, quanto magis inferiores atque terrenæ ? Remanet ergo in malis sola nocendi cupiditas. Hanc habet homo in potestate cupiditatem nocendi, voluntatem ad perniciem. Si autem cuiquam nocere potuerit, non glorietur; non ipse nocuit, data est ei potestas. Semel dictum est, sententia firma est : *Non est potestas, nisi a Deo* (*Rom.* XIII, 1). Quid ergo times ? In aquis sit draco, in mari sit draco; illac transiturus es. Sic est fictus ut illudatur, hic ad hunc locum ordinatus est, in his sedibus deputatus est. Magnum aliquid illi putas esse has sedes, quia non nosti sedes Angelorum unde lapsus est [1] : quæ tibi videtur ejus gloriatio, damnatio est.

10. Similitudinem accipite breviter; quia revera magnum aliquid est hoc nosse et intelligere. Domum magnam aliquam putate totam istam administrationem creaturæ : domus ista magna habet dominum, habet servos, et in ipsis servis habet circa se proximos sibi in apparatibus melioribus vestium, thesaurorum, horreorum, magnarum possessionum; habet etiam servos in infimis ministeriis, ita subditis sibi potestatibus, ut quosdam habeat et ad mundandas cloacas : a summis procuratoribus usque ad extrema ista et infima ministeria quam multi sunt gradus. Si ergo aliquis magnus procurator offendat, et pœna domini sui, verbi gratia, fiat ostiarius in aliquo loco extremo; si exercens sibi datam potestatem, volentes intrare vel exire perturbet, secundum modum potestatis quem accepit a domino, illi autem nesciant eum fuisse aliquando magnum procuratorem; magnam potestatem illius esse arbitrantur, quia quid perdiderit nesciunt. Et tamen, fratres mei, ostiarius ille de quo dixi, ad similitudinem domus magnæ hujus terrenæ, potest aliquid facere nesciente domino suo, et turbare aliquem illo non jubente : iste autem nec ad illam januam positus est, qua intramus ad Deum. Christus est enim illa janua, et per Christum intramus ad vitam æternam (*Joan.* X, 9). Sed est quædam janua, qua intratur in hoc sæculum, janua quædam mortalitatis : circa ista infirmæ [1] carnis hujus detrimenta et supplementa, ad istam januam quasi quidam ostiarius est; hic habet potestatem in isto mari, qua naves commeant, sed non tantam ut faciat aliquid nesciente aut nolente Domino suo. Ne forte aliquis dicat : Perdidit quidem ille magnam potestatem superiorum apparatuum; sed ego in his infimis sum, hic me potest habere in potestate, opus est ut serviam illi. Noli falli; novit te Dominus tuus, et sic te novit, ut capillos tuos habeat numeratos (*Matth.* X, 30). Quid ergo times ? Tentaturus est forte carnem tuam : flagellum est Domini tui, non potestas tentatoris tui. Vult nocere saluti quæ promittitur; sed non permittitur : ut autem non permittatur, habe caput Christum; repelle caput draconis, suggestioni ejus noli consentire, a via tua noli labi. *Draco hic quem finxisti ad illudendum ei*.

11. [*vers.* 27-29.] Nam vis videre quam non tibi noceat, nisi permissus ? *Omnia*, inquit, *a te exspectant, Domine, ut des illis cibum in tempore opportuno*. Et iste draco manducare vult, sed non manducat quem vult. *Omnia a te exspectant, Domine, ut des illis cibum in tempore opportuno. Omnia* : et repentia quorum non est numerus, et animalia pusilla et magna, et ipse draco, et omnis creatura tua, qua implesti terram; *Omnia a te exspectant ut des illis cibum in tempore opportuno*, unicuique cibum suum. Habes cibum tuum, habet et draco cibum suum. Si bene vixeris, cibum Christum habebis; si a Christo recesseris, cibus draconis eris. *Omnia a te exspectant ut des illis cibum in tempore opportuno*. Quid dictum est ipsi draconi ? *Terram manducabis*. Draconi dictum est : *Terram manducabis cunctis diebus vitæ tuæ*. Audisti cibum draconis. Non vis ut det te Deus manducandum draconi; noli esse cibus draconis, id est, noli relinquere verbum Dei. Ubi enim dictum est draconi, *Terram manducabis;* ibi jam dictum erat et prævaricatori, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 14, 19). Cibus serpentis esse non vis ? noli esse terra. Quomodo, inquis, non ero terra ? Si terrena non sapias. Audi Apostolum, ut non sis terra. Nam corpus quod geris terra est, sed tu noli esse terra. Quid est hoc ? *Si resurrexistis*, inquit, *cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextra Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (*Coloss.* III, 1 *et* 2). Si non sapis terrena, non es terra; si non es terra, non manducaris a serpente, cui cibus data est terra. Cibum suum dat Deus serpenti, quando vult, quem vult : bene autem judicat, falli non potest, non ei dat aurum pro terra. *Omnia a te exspectant, Domine, ut des illis cibum in tempore opportuno. Cum dederis eis, colligent*. Ante illos sunt; sed non colligent, nisi cum dederis. Ante diabolum Job erat; et quidem non devoravit Job, sed vel tentare non ausus est, nisi cum ille dedisset.

[1] Sic meliores Mss., et ex his nonnulli omittunt, *deputatus est* : post quæ verba sic habebant Edd., *Si magnum aliquid putas esse has sedes; quia non nosti sedes Angelorum unde lapsus est, miraris sedes mortuorum unde dejectus est. Quæ tibi videtur*, etc.

[1] Am. et Mss., *infirma*.

A te exspectant : cum dederis eis, colligent; si non dederis, non colligent.

12. Et quid nos, fratres? quem cibum habemus? Sequitur et de cibo nostro. *Aperiente autem te manum tuam, universa implebuntur bonitate.* Quid est, o Domine, quod aperis manum tuam? Manus tua Christus est. *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isai.* LIII, 1)? Cui revelatur, illi aperitur : revelatio enim apertio est. *Aperiente autem te manum tuam, universa implebuntur bonitate.* Revelante te Christum tuum, *universa implebuntur bonitate.* Non autem habent a se bonitatem; nam aliquando [1] probatur illis : *Avertente autem te faciem tuam, turbabuntur.* Multi repleti bonitate, sibi tribuerunt quod habebant, et voluerunt gloriari quasi in justificationibus suis, et dixerunt sibi, Justus sum, magnus sum; et facti sunt sibi placentes. Et sonuit eis Apostolus : *Quid enim habes quod non accepisti* (I *Cor.* IV, 7)? Volens autem probare Deus homini quod ab illo habeat quidquid habet, ut cum bonitate habeat et humilitatem, aliquando eum perturbat; avertit ab illo faciem suam, et decidit in tentationem; et ostendit illi quia quod justus erat, et recte ambulabat, ipso regente fiebat. *Avertente autem te faciem tuam, turbabuntur.* Videte quid dicat et in alio psalmo : *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum.* Præsumpsit de se; impletus erat bonitate, et putabat a se sibi esse totam bonitatem, et dixit in corde suo : *Non movebor in æternum.* Sed quia jam senserat Dei gratiam se percepisse, pro eo quod erat expertus, reddidit gratiarum actionem : *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti autem faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (*Psal.* XXIX, 7, 8). Sic et hic, *Aperiente te manum tuam;* aperies manum, et *universa implebuntur bonitate;* non manu sua, sed manu tua aperta : *Avertente autem te faciem tuam, turbabuntur.*

13. Sed quare hoc facis? quare avertis faciem tuam, ut turbentur? *Auferes spiritum eorum, et deficient.* Spiritus eorum, superbia eorum erat : gloriantur, sibi tribuunt, seipsos justificant. Averte ergo faciem tuam, ut turbentur : aufer spiritum eorum, et deficiant; clament ad te, *Cito exaudi me, Domine; defecit spiritus meus. Ne avertas faciem tuam a me* (*Psal.* CXLII, 7). *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum convertentur.* Invenit se homo pœnitens de peccato suo, quia non habebat vires ex se; et confitetur Deo, dicens se esse terram et cinerem. O superbe, conversus es in pulverem tuum, ablatus est spiritus tuus; jam non te jactas, non te extollis, non te justificas; vides quia de pulvere factus es, et avertente faciem suam Domino, in tuum pulverem recidisti. Roga ergo, confitere pulverem tuum et infirmitatem tuam.

14. [*vers.* 30.] Et vide quid sequatur : *Emittes spiritum tuum, et creabuntur.* Auferes spiritum eorum, emittes tuum : *auferes spiritum eorum*, non habebunt spiritum suum. Ergo deserti sunt? *Beati pauperes spiritu : non sunt autem deserti, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3). Noluerunt habere spiritum suum, habebunt spiritum Dei. Hoc enim dixit martyribus futuris : *Cum vos ceperint et adduxerint* [1], *nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Id.* X, 19, 20). Nolite vobis tribuere fortitudinem. Si vestra est, inquit, et mea non est; duritia est, non fortitudo. *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum convertentur : emittes spiritum tuum, et creabuntur. Ipsius enim sumus figmentum*, dixit Apostolus, *creati in operibus bonis* (*Ephes.* II, 10). A spiritu ejus accepimus gratiam, ut justitiæ vivamus; quia ipse est qui justificat impium (*Rom.* IV, 5). *Auferes spiritum eorum, et deficient : emittes spiritum tuum, et creabuntur; et innovabis faciem terræ :* id est, novis hominibus, confitentibus se justificatos esse, non a se justos, ut gratia Dei sit in illis. Vide quales sint, quibus innovata est facies terræ. Paulus dicit : *Plus omnibus illis laboravi.* Quid est, Paule? Attende si tu, si spiritus tuus. *Non ego*, inquit, *sed gratia Dei mecum* (I *Cor.* XV, 10).

15. [*vers.* 31.] Quid ergo? Quia cum abstulerit [2] spiritum nostrum, in pulverem nostrum convertemur, utiliter intuentes infirmitatem nostram, ut accepto spiritu ejus recreemur. Vide quid sequitur : *Sit gloria Domini in æternum.* Non tua, non mea, non illius, aut illius; *gloria Domini sit*, non ad tempus, sed *in æternum. Lætabitur Dominus in operibus suis.* Non in tuis, quasi tuis : quia et opera tua si mala, per iniquitatem tuam; si bona, per gratiam Dei. *Lætabitur Dominus in operibus suis.*

16. [*vers.* 32.] *Qui aspicit terram, et facit eam tremere; qui tangit montes, et fumigabunt.* O terra, exsultabas de bonitate tua, tibi tribuebas vires opulentiæ tuæ; ecce respicit Dominus, et facit te tremere. Respiciat te, et faciat te tremere : melior est enim tremor humilitatis, quam confidentia superbiæ. Videte quomodo aspiciat Deus terram, et faciat eam tremere. Ad terram quasi præfidentem sibi et exsultantem loquitur Apostolus : « Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini. Cum timore et tremore : Deus enim est qui operatur in vobis » (*Philipp.* II, 12, 13). Dicis, o Paule, *Operamini;* dicis ut operemur : quare *cum tremore? Deus enim est*, inquit, *qui operatur in vobis.* Ideo ergo *cum tremore*, quia *Deus operatur.* Quia ipse dedit, non ex te est quod habes, cum timore et tremore operaberis : nam si non tremueris eum, auferet quod dedit. Cum tremore ergo operare. Vide alium psalmum : *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11). Si cum tremore exsultandum est, Deus aspicit, fit terræ motus : aspiciente Deo, tremant corda nostra; tunc ibi requiescet Deus. Audi illum alio loco : « Super quem requiescet spiritus meus? Super humilem, et quietum, et trementem verba mea » (*Isai.* LXVI, 2). « Qui aspicit terram, et facit eam tremere; qui tangit montes, et fumigabunt »

[1] Sic Mss. At Edd., *nam illi quando bo[illegible]? Probatur illis.*

[1] Plerique Mss., *abduxerint.*
[2] Edd., *abstuleris.* At plures Mss., *abstulerit.*

Montes superbi erant, jactabant se, non eos tetigerat Deus : tangit illos, et fumigabunt. Quid est fumigare montes ? Precem Domino reddere. Ecce magni montes, superbi, montes ingentes, non rogabant Deum : se rogari volebant, et superiorem non rogabant. Quis enim potens, et tumidus, et superbus in terra, qui dignetur humiliter rogare Deum ? De impiis loquor, non de cedris Libani quas plantavit Dominus. Impius quilibet, infelix anima, rogare Deum nescit, et vult se rogari ab hominibus. Mons est, opus est ut tangat illum Deus, et fumiget : quando cœperit fumigare, dabit Deo precem, tanquam sacrificium cordis. Fumigat ad Deum, deinde tundit pectus : incipit et flere, quia et fumus excutit lacrymas. *Qui tangit montes, et fumigabunt.*

17. [*vers.* 33.] *Cantabo Domino in vita mea.* Quid cantabit? Totum quidquid est[1], cantabit. Cantemus Domino in vita nostra. Vita nostra modo spes est; vita nostra postea æternitas erit : vita vitæ mortalis, spes est vitæ immortalis. *Cantabo Domino in vita mea; psallam Deo meo, quamdiu sum.* Quoniam in illo sine fine sum, quamdiu sum, psallam Deo meo. Ne forte cum cœperimus psallere Deo in illa civitate, putemus nos aliquid aliud acturos : tota vita nostra erit psallere Deo. Si veniet in fastidium quod laudamus, potest venire in fastidium et nostra laudatio. Si semper ille amatur, semper a nobis laudatur : *Psallam Deo meo, quamdiu sum.*

18. [*vers.* 34.] *Suavis sit ei disputatio mea : ego autem jucundabor in Domino. Suavis sit ei disputatio mea :* quæ est disputatio hominis ad Deum, nisi confessio peccatorum? Confitere Deo quod es, et disputasti cum illo. Disputa cum illo, fac bona opera, et disputa. « Lavamini, mundi estote, » Isaias dicit, « auferte nequitias ab animis vestris, a conspectu oculorum meorum; cessate a nequitiis vestris, discite benefacere, judicate pupillo, et justificate viduam, et venite, disputemus, dicit Dominus » (*Isai.* I, 16-18). Quid est disputare cum Deo? Te illi indica scienti, ut indicet se tibi nescienti. *Suavis sit ei disputatio mea.* Ecce hoc est Domino suave, disputatio tua; sacrificium humilitatis tuæ, contribulatio cordis tui, holocaustum vitæ tuæ, hoc est suave Deo. Tibi autem quid est suave? *Ego autem jucundabor in Domino.* Ipsa est mutua disputatio quam dixi : indica te ei scienti, et indica se tibi nescienti. Suavis est ei confessio tua, suavis est tibi gratia ipsius. Dixit se tibi. Unde se tibi dixit? Per Verbum. Quod Verbum? Christum. Et tibi dixit, et se dixit. Quia misit Christum, seipsum dixit. Ita plane, audiamus ipsum Verbum : *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9). *Ego autem jucundabor in Domino.*

19. [*vers.* 35.] *Deficiant peccatores a terra.* Sævire videtur. O sancta anima, quæ hic cantat et gemit! Utinam cum ipsa anima sit anima nostra! utinam copuletur ei, et societur, et conjungatur ei! videbit etiam misericordiam sævientis. Quis enim capit hoc, nisi qui impletus fuerit charitate? *Deficiant peccatores a terra.* Contremiscis, quia maledicit. Et quis maledicit? Sanctus. Sine dubio exauditur. Sed dictum est sanctis : *Benedicite, et nolite maledicere* (*Rom.* XII, 14). Quid est ergo quod dicit, *Deficiant peccatores a terra?* Plane deficiant; auferatur spiritus eorum, et deficiant, ut emittat spiritum suum, et recreentur. *Deficiant peccatores a terra, et iniqui, ita ut non sint.* Quid non sint, nisi iniqui? Ergo justificentur, ut non sint iniqui. Vidit hoc, et impletus est gaudio, et revocat versum primum psalmi : *Benedic, anima mea, Dominum.* Benedicat anima nostra Dominum, fratres, quia dare dignatus est et facultatem et sermonem nobis, et vobis intentionem et studium. Unusquisque ut potest recordetur quod audivit; collocutione invicem ructate saginam vestram, ruminate quod accepistis, non eat in viscera oblivionis vestræ. Thesaurus desiderabilis requiescat in ore vestro (*Prov.* XXI, 20). Magno labore quæsita et inventa sunt, magno labore nuntiata et disputata sunt; sit labor noster fructuosus vobis, et benedicat anima nostra Dominum.

[1] Mss. omittunt, *est;* cujus loco Colb. Ms. habet, *vivit.*

IN PSALMUM CIV
ENARRATIO.

1. [*vers.* 1.] Psalmus centesimus quartus, primus est in eis quibus prænotatur *Alleluia.* Cujus verbi, vel potius duorum verborum, interpretatio est, Laudate Deum. Et ideo inde cœpit : *Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.* In laude enim intelligenda est ista confessio, sicut est, *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ* (*Matth.* XI, 25). Præmissa enim laude, invocatio sequi solet, ubi desideria precator alligat[1] : unde et ipsa oratio dominica habet a capite brevissimam laudem, quod est, *Pater noster qui es in cœlis* (*Id.* VI, 9). Tunc quæ petuntur, deinceps consequuntur. Unde et alibi in psalmo dicitur : *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur, et invocabimus nomen tuum* (*Psal.* LXXIV, 2). Quod alibi est planius : *Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero* (*Psal.* XVII, 4) : ita et hic, *Confitemini,* inquit, *Domino, et invocate nomen ejus;* quod tale est, ac si diceret, Laudate Dominum, et invocate nomen ejus. Exaudit quippe invocantem, quem laudantem videt : laudantem videt, quem probat amantem. Et in quo voluit Dominus boni servi amorem circa se ostendi maxime, nisi in eo quod illi ait, *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17)? Unde et hic sequitur, *Annuntiate inter gentes opera ejus;* vel potius, ut de græco ad verbum exprimatur, quod et alii latini codices habent, *Evangelizate*[2] *in gentibus opera ejus.* Quibus hoc dicitur, nisi Evangelistis in prophetia?

2. [*vers.* 2, 3.] *Cantate ei, et psallite ei.* Verbo et opere laudate : ore quippe cantatur; psalterio autem, hoc est manibus, psallitur. *Narrate omnia mirabilia ejus : laudamini in nomine sancto ejus.* Possunt hi duo versus ex duobus verbis superioribus dicti non ab-

[1] Er. Ven. et Lov., *peccatorem alligant.* M.
[2] Omnes Mss., *Annuntiate.*

surde videri : ut quod ait : *Narrate omnia mirabilia ejus*, referatur ad id quod dictum est, *Cantate ei;* quod vero sequitur, *Laudamini in nomine sancto ejus*, referatur ad id quod dictum est, *Et psallite ei :* illud scilicet ad verbum bonum, quo cantatur ei, et narrantur omnia mirabilia ejus; illud autem ad opus bonum, quo psallitur ei, ne velit quisque de opere bono tanquam in sua virtute laudari. Ideo cum dixisset, *Laudamini*, quod utique bene operantes merito possunt; addidit, *in nomine sancto ejus :* ut qui gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31). Qui ergo non sibi, sed ei volunt psallere, caveant facere justitiam suam coram hominibus, ut videantur ab eis; alioquin mercedem non habebunt apud Patrem, qui in cœlis est (*Matth.* VI, 1) : sed luceant opera eorum coram hominibus, non eo fine ut ipsi videantur ab eis, sed ut videant bona opera eorum, et glorificent Patrem eorum, qui in cœlis est (*Id.* V, 16). Hoc est laudari in nomine sancto ejus. Unde et in alio psalmo legitur : *In Domino laudabitur anima mea; audiant mites, et jucundentur* (*Psal.* XXXIII, 2, 3). Quod et hic quodammodo sequitur, *Lætetur cor quærentium Dominum :* sic enim mites jucundantur, qui non amaro zelo eos jam bene operantes æmulantur.

3. [*vers.* 4.] *Quærite Dominum, et confortamini.* Hoc enim de græco expressius interpretatum est, quamvis verbum minus latinum videatur : unde et alii codices habent, *confirmamini;* alii, *corroboramini.* Et quippe dicitur, *Fortitudo mea* (*Psal.* XVII, 2); et, *Fortitudinem meam ad te custodiam* (*Psal.* LVIII, 10) : ut eum quærendo atque ad eum accedendo, et illuminemur et confortemur; ne cæcitate quid faciendum sit non videamus, aut infirmitate non faciamus etiam quod videmus. Quod ergo est ad videndum, *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 5); hoc est ad faciendum, *Quærite Dominum, et corroboramini. Quærite*, inquit, *faciem ejus semper.* Quæ est facies Domini, nisi præsentia Dei? Sicut facies venti, et facies ignis : dictum est enim, *Sicut stipulam ante faciem venti* (*Psal.* LXXXII, 14); et, *Sicut fluit cera a facie ignis* (*Psal.* LXVII, 3). Et multa talia ponit Scriptura, nihil aliud quam earum rerum præsentiam volens intelligi, quarum nominat faciem. Sed quid est, *Quærite faciem ejus semper?* Scio quidem quia mihi adhærere Deo bonum est (*Psal.* LXXII, 28); sed si semper quæritur, quando invenitur? An *semper* dixit, in tota vita ista qua hic vivitur, ex quo id nos facere debere cognovimus, quando et inventus quærendus est? Jam quippe illum invenit fides, sed adhuc eum quærit spes. Charitas autem et invenit eum per fidem, et eum quærit habere per speciem : ubi tunc sic invenietur, ut sufficiat nobis, et ulterius non quæratur. Nisi enim eum in ista vita inveniret fides, non diceretur, *Quærite Dominum;* et cum inveneritis eum, *Derelinquat impius vias suas, et vir iniquus cogitationes suas* (*Isai.* LV, 6, 7). Item si fide inventus, non adhuc esset perquirendus, non diceretur, « Si enim quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus » (*Rom.* VIII, 25) : et quod Joannes ait, « Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est » (I *Joan.* III, 2). An forte etiam cum facie ad faciem viderimus eum sicuti est, adhuc perquirendus erit, et sine fine quærendus, quia sine fine amandus? Dicimus enim etiam præsenti alicui, Non te quæro; id est, non te diligo. Ac per hoc qui diligitur, etiam præsens quæritur, dum charitate perpetua, ne fiat absens, agitur [1]. Proinde quem quisque diligit, etiam cum eum videt, sine fastidio semper vult esse præsentem, hoc est, semper quærit esse præsentem. Et nimirum hoc est, *Quærite faciem ejus semper*, ut non huic inquisitioni, qua significatur amor, finem præstet inventio, sed amore crescente inquisitio crescat inventi.

4. [*vers.* 5.] Jam deinceps temperat se laudator iste ardens, et ad capacia verba descendit; infirmum amorem atque lactentem temporalibus Dei mirabilibus nutriens. *Mementote*, inquit, *mirabilium ejus quæ fecit, prodigia ejus et judicia oris ejus.* Qui locus similis videtur illi loco, ubi ad Moysen quærentem quis esset, cum dixisset, *Ego sum qui sum*, et, *Dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos :* quod ex quantulacumque particula rara mens capit : deinceps nomen suum commemorans, erga homines gratiam suam misericorditer temperavit, dicens, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob; hoc mihi nomen est in æternum* (*Exod.* III, 14, 15). Ubi intelligi voluit, et illos quorum se Deum dixit, vivere secum in æternum, et hoc dixit quod capi etiam a parvulis posset : ut, *Ego sum qui sum*, illi pro captu intelligerent, qui grandibus viribus charitatis nossent quærere faciem ejus semper. Si ergo quod est ipse, multum est ad vos vel videre vel quærere, *Mementote mirabilium ejus quæ fecit, prodigia ejus et judicia oris ejus.*

5. [*vers.* 6, 7.] Et quibus dicitur? *Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi ejus.* Vos semen Abraham, vos filii Jacob, *mementote mirabilium ejus quæ fecit, prodigia ejus et judicia oris ejus.* Ne quis autem uni genti hoc tribueret Israelitarum secundum carnem, et non intelligeret magis esse semen Abrahæ filios promissionis quam filios carnis, quibus Apostolus dicit, cum Gentibus loqueretur, « Vos ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes » (*Galat.* III, 29); sequitur et dicit, « Ipse Dominus Deus noster; in omni terra judicia ejus. » Hoc dicitur per Isaiam ad Jerusalem liberam, matrem nostram : *Et qui eruit te, ipse Deus tuus, universæ terræ vocabitur* (*Isai.* LIV, 5). An Judæorum Deus tantum? Absit (*Rom.* III, 29). *Ipse Dominus Deus noster; in omni terra judicia ejus :* quia in omni terra Ecclesia ejus, ubi prædicantur judicia ejus. Quid ergo ait in alio psalmo : « Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel; non fecit sic omni genti, et judicia sua non manifestavit eis » (*Psal.* CXLVII, 19, 20). Ideo dictum est, quia unam gentem voluit intelligi pertinentem ad semen Abrahæ; quæ vocata est quidem ex omnibus gentibus, et sic in ea dicuntur omnes gentes,

[1] Sic Mss. At Edd., *optatur.*

ut una sit gens in adoptionem vocata. Extra istam nulli genti manifestavit judicia sua : quoniam qui ea non crediderunt, etiamsi annuntiata sunt, manifestata eis utique non sunt; quia nisi credant, non intelligent.

6. [*vers.* 8-11.] *Memor fuit in sæculum testamenti sui.* Alii codices habent, *in æternum;* quod ex ambiguo græco factum est. Sed si in hoc sæculum intelligendum est, non in æternum; quomodo exponens cujus testamenti memor fuerit, adjungit et dicit : *Verbi quod mandavit in mille generationes?* Quod adhuc cum aliquo fine potest intelligi; sed deinde dicit : « Quod disposuit ad Abraham, et juramenti sui ad Isaac; et statuit illud Jacob in præceptum, et Israel in testamentum æternum. » Ubi nullus est ambiguitatis locus : αἰώνιον quippe habet græcus, quod nusquam nostri nisi æternum interpretati sunt; vix autem aliqui alicubi αἰώνιον æternale dixerunt. Nisi forte quia αἰῶνα familiarius interpretantur sæculum, αἰώνιον non æternum, sed sæculare interpretari velint; quod neminem ausum fuisse commemini. Si autem hoc loco Testamentum Vetus intelligendum est, propter terram Chanaan; sic enim sermo contexitur, « Et statuit illud » ipsi « Jacob in præceptum, et » ipsi « Israel in testamentum æternum, dicens, Tibi dabo terram Chanaan [1], funiculum hæreditatis vestræ : » quomodo intelligendum est *æternum*, cum terrena illa hæreditas æterna esse non possit? Et ideo Vetus Testamentum vocatur, quia per Novum aboletur. *Mille* vero *generationes*, nec æternum videntur aliquid significare; quia utique finem habent, et ad ipsa temporalia nimis multæ sunt. Quamlibet enim paucis annis generatio determinetur, quam Græci γενεὰν dicunt; quam minimam quidam quindecim annis terminaverunt, ex qua homo incipit posse generare; quæ sunt istæ mille generationes, non solum a tempore Abraham, quando ei facta est ista promissio, usque ad tempus Novi Testamenti, sed ab ipso Adam, usque ad terminum sæculi? Quis enim audeat dicere quindecim annorum millibus hoc sæculum extendi?

7. Proinde mihi videtur non hic Vetus Testamentum intelligendum, quod Novo esse tollendum dicitur per prophetam, « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et confirmabo domui Jacob Testamentum Novum; non secundum Testamentum quod constitui patribus eorum, cum eduxissem eos de terra Ægypti » (*Jerem.* XXXI, 31, 32) : sed testamentum fidei, quod laudat Apostolus, cum Abraham nobis proponit imitandum, et de Legis operibus gloriantes inde convincit, quod Abraham etiam ante circumcisionem credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam (*Galat.* III, 5, 6) : Denique cum dixisset, *Memor fuit in sæculum testamenti sui;* quod in æternum intelligere debemus, testamenti scilicet justificationis et hæreditatis æternæ, quam fidei promisit Deus : *Verbi,* inquit, *quod mandavit in mille generationes.* Quid est, *mandavit?* Quod enim ait, *Tibi dabo terram Chanaan*, non mandatum est, sed promissum : mandatum est autem quod facere debemus, promissum quod accipere. Mandatum ergo fides est, ut justus ex fide vivat (*Rom.* I, 17); et huic fidei hæreditas æterna promittitur. *Mille* ergo *generationes*, propter numeri perfectionem, pro omnibus intelligendæ sunt; id est, quamdiu generatio generationi sequendo succedit, tamdiu mandatum est vivendum ex fide. Quod observat populus Dei, filii promissionis nascendo venientes, et moriendo abeuntes, donec omnis generatio finiatur; quod millenario numero significatum est, quia denarii numeri solidum quadratum decem decies, et hoc decies, ad mille pervenit. *Quod disposuit*, inquit, *ad Abraham, et juramenti sui ad Isaac. Et statuit illud Jacob*, id est ipsi Jacob, *in præceptum.* Ipsi sunt tres patriarchæ quorum specialiter se dicit Deum, quos et Dominus nominat in Testamento Novo, ubi dicit : *Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cælorum* (*Matth.* VIII, 11). Ista est hæreditas æterna. Nam et hic, ubi ait, *Statuit illud Jacob in præceptum;* manifestat præceptum esse fidei : non enim promissum appellaret præceptum. Si enim opus est in præcepto, merces in promisso : *Hoc est opus Dei*, Dominus ait, *ut credatis in eum quem ille misit* (*Joan.* VI, 29). Hoc ergo verbum quod mandavit, *memor in æternum testamenti sui*, hoc est, verbum fidei quod prædicamus (*Rom.* X, 8), *statuit illud* ipsi *Jacob in præceptum; et* ipsi *Israel in testamentum æternum*, id est, quod ex ipso verbo et præcepto impleto daturus esset aliquid æternum. *Dicens, Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ.* Quomodo ergo est hoc æternum, nisi aliquid æternum significet? Ipsa enim dicta est terra promissionis, terra fluens lac et mel (*Exod.* III, 8, 17). Quod totum significat gratiam, in qua gustatur quam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII, 8); ad quam non omnes homines pertinent : non enim omnium est fides (II *Thess.* III, 2). Ideo addidit, *Funiculum hæreditatis vestræ.* Unde in alio psalmo, semel Abrahæ, quod est Christus, intelligitur loqui, ubi dicit : *Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi* (*Psal.* XV, 6). Cur autem dicta sit terra Chanaan, interpretatio hujus nominis aperit; Chanaan quippe interpretatur Humilis. Quod si ad illam referatur sententiam sancti Noe, qua eumdem Chanaan dixit futurum servum fratrum suorum (*Gen.* IX, 25), hinc est etiam servilis timor. *Servus autem non manet in domo in æternum; filius manet in æternum* (*Joan.* VIII, 35). Ideo excluso Chananæo, datur terra promissionis semini Abrahæ. Consummata enim charitas foras mittit timorem (I *Joan.* IV, 18), ut filius maneat in domo in æternum. Unde dictum est, *Et ipsi Israel in testamentum æternum.*

8. [*vers.* 12.] Deinceps exsequitur historiam in Librorum sanctorum veritate notissimam. *Cum essent numero brevi, paucissimi et incolæ in ea:* id est, in terra Chanaan. Quando ibi patres habitaverunt Abraham, Isaac et Jacob, antequam eam acciperent hæreditatem, in semine suo paucissimi erant, et incolæ in ea. Non-

[1] In antiquioribus Mss. constanter est, *Chanan.*

nulli autem codices habent, non, *paucissimi et incolæ*; sed, *paucissimos et incolas*. Ubi apparet eos qui ista ita interpretati sunt, græcam fuisse locutionem secutos, quæ transferri non potest in latinum, nisi cum ea absurditate, quæ ferri omnino non possit. Si enim totam ipsam locutionem transferre conemur, dicturi sumus, *In eo esse illos numero brevi, paucissimos et incolas in ea* (a). Quod autem ait græcus, *In eo esse illos*, hoc est latine, *Cum essent*: quod verbum non potest casus accusativus sequi, sed nominativus. Quis enim dicat, Cum essent paucissimos? sed, Cum essent paucissimi.

9. [*vers.* 13-15.] « Cum » ergo « essent numero breves, » vel, « numero brevi, paucissimi et incolæ in ea, transierunt de gente in gentem, et de regno in populum alterum. » Repetitio est ejus quod dixerat, « de gente in gentem. Non dimisit hominem nocere eis: » id est, non permisit. Græca autem locutio est, *nocere illos*; latina vero, *nocere illis*. *Et corripuit pro eis reges. Nolite*, inquit, *tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari*. Verba dixit Dei corripientis vel arguentis reges, ne læderent [1] sanctos patres, cum essent numero breves, et paucissimi atque incolæ in terra Chanaan. Quæ verba licet in libris ejus historiæ non legantur, tamen intelligenda sunt vel latenter dicta, sicut Deus in hominum cordibus loquitur occultis et veracibus visis, vel etiam per Angelum expressa. Nam et rex Gerarum et rex Ægyptiorum divinitus admoniti sunt ne nocerent Abrahæ (*Gen.* XII, 17-20; *et* XX, 3), et rex alius ne noceret Isaac (*Id.* XXVI, 8-11), et alii ne nocerent Jacob (*Id.* XXXI-XXXIII); cum essent paucissimi et incolæ, antequam ad incolendam Ægyptum cum filiis suis transiret Jacob: quod intelligitur in eo commemoratum, quod ait, *Transierunt de gente in gentem, de regno in populum alterum*. Sed quia occurrebat quærere, antequam transirent et in Ægypto multiplicarentur, quomodo numero breves, paucissimi et incolæ in aliena terra perdurare potuerunt, secutus adjunxit, *Non permisit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges. Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari*.

10. Potest autem merito movere quomodo fuerint christi appellati, antequam esset unctio, ex qua hoc nomen impositum est regibus: quod a Saüle cœpit, cui David successit in regno; atque inde cæteri et reges Judæ et reges Israel continuatione sacratæ consuetudinis ungebantur: in qua unctione figurabatur unus verus Christus, cui dictum est, *Unxit te Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8). Unde ergo illi jam tunc christi appellabantur? Nam prophetas eos fuisse, legimus de Abraham; et utique, quod de illo manifeste dictum est, hoc et de illis intelligendum est. An ideo christi, quia etiamsi latenter, jam tamen christiani? quamvis enim caro Christi ex illis, tamen Christus ante illos: quod et Judæis respondit, dicens, *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Quomodo autem hunc illi ignorarent, aut in eum non crederent; cum propterea prophetæ dicerentur quia licet occultius, tamen Dominum prænuntiabant? Unde aperte ipse dicit: *Abraham concupivit videre diem meum, et vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII, 58, 56). Non enim quisquam præter istam fidem quæ est in Christo Jesu, sive ante ejus incarnationem, sive postea, reconciliatus est Deo, cum sit ab Apostolo veracissime definitum: *Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5).

11. [*vers.* 16.] Deinde jam narrare incipit quomodo factum sit ut transirent de gente in gentem, et de regno in populum alterum. « Et vocavit, » inquit, « famem super terram; omne firmamentum panis contrivit. Misit ante eos virum; in servum venundatus est Joseph. » Per hoc factum est ut transirent de gente in gentem, de regno in populum alterum. Sed non sunt negligenter prætereundæ Scripturarum sanctarum locutiones. *Vocavit*, inquit, *famem super terram*: quasi fames aliqua persona sit, vel aliquod animatum corpus, vel aliquis spiritus qui obedire posset vocanti; cum sit fames ex inedia contracta pernicies, atque ita sit in eis qui eam patiuntur, ut aliquis morbus. Sicut enim morbus ut esse desinat, fit plerumque per medicamentum, sic et fames sanatur quodammodo per alimentum. Quid est ergo, *Vocavit famem?* An forte ista mala quæ patiuntur homines, habent quosdam præpositos suos angelos malos (nam et in alio psalmo dicit immissione per angelos malos Deum homines afflixisse [*Psal.* LXXVII, 49], non utique errante judicio), et hoc est forte, *Vocavit famem*, id est angelum propositum famis, et ejus rei nomine cujus est præpositus, appellatum? Ex qua opinione Romani veteres quosdam deos tales consecrarunt, sicut deam Febrem, deumque Pallorem. An quod est credibilius, *Vocavit famem*, intelligendum est, Dixit ut fames esset; ut hoc sit vocare, quod appellare; hoc appellare quod dicere; hoc dicere, quod jubere? Nam ille vocavit famem, qui *vocat ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt* [1]. Nec ibi Apostolus dixit, *Qui vocat ea quæ non sunt*, ut sint; sed, *tanquam sint* (*Rom.* IV, 17). Apud Deum quippe jam factum est quod ejus dispositione futurum est; quia de illo alibi dicitur, *Qui fecit quæ futura sunt* (*Isai.* XLV, 11, *sec.* LXX). Et hic quando fames facta est, tunc dicta est vocata, id est, ut adesset quæ jam fuerat in ejus occulta gubernatione disposita. Denique quomodo vocaverit famem, statim exposuit, dicens, *Omne firmamentum panis contrivit*. Et hæc inusitata locutio est: *contrivit* enim dixit, pro eo quod est, consumpsit.

12. [*vers.* 17.] *Misit ante eos virum*. Quem virum? Joseph. Quomodo misit? *In servum venundatus est Joseph*. Nempe quando factum est, peccatum erat fratrum, et tamen Deus misit Joseph in Ægyptum. Intuenda est ergo res magna et pernecessaria, quomodo Deus bene utatur malis operibus homi-

[1] Sic Am. Er. et plures Mss. Alii vero cum Lov., *ne negligerent*.

(a) *En tô einai autous arithmô bracheis, oligostous kai paroikous en autê*.

[1] Er. Ven. et Lov., *tanquam sint*. M.

num, sicut illi contra male utuntur bonis operibus Dei.

13. [*vers.* 18, 19.] Contexit deinde narrationem, commemorans quæ pertulerit Joseph in humilitate sua, et quomodo fuerit sublimatus. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus; ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus.* Compedes quidem accepisse Joseph, non legimus; sed factum esse, minime dubitandum est. Aliqua enim prætermitti potuerunt in illa historia, quæ tamen Spiritum sanctum non laterent, qui in his loquitur Psalmis. Ferrum autem quod dicit pertransisse animam ejus, tribulationem duræ necessitatis accipimus: non enim corpus, sed *animam* dixit. Talis enim locutio est quædam in Evangelio, ubi Simeon dixit ad Mariam: « Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur; et tuam ipsius animam pertransiet gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes (*Luc.* II, 34, 35). Passio quippe Domini, quæ multis ruina fuit, et in qua multorum cordium occulta patuerunt, quoniam expressum est quid de Domino sentiebant, et ipsam ejus matrem graviter carnali orbitate percussam sine dubio contristavit. In illa vero tribulatione fuit Joseph, *donec veniret verbum ejus*, quo fuerat interpretatus veraciter somnia: unde commendatus est regi, ut etiam illi de somniis ejus futura prædiceret (*Gen.* XLI). Sed quoniam dixit, *donec veniret verbum ejus*, ne omni modo *ejus* sic intelligeremus, ut quisquam rem tantam homini tribuendam putaret; continuo subjecit, *Eloquium Domini inflammavit eum*: vel, quod magis de græco expressum alii codices habent, *Eloquium Domini ignivit eum*; ut etiam ipse inter eos computaretur, quibus dictum est, *Laudamini in nomine sancto ejus. Eloquium Domini ignivit eum.* Merito Spiritus sanctus quando a Domino missus est, visæ sunt illis linguæ divisæ velut ignis (*Act.* II, 3): et Apostolus dicit, *Spiritu ferventes* (*Rom.* XII, 11). A quo igne discedunt, de quibus dicitur: *Refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12).

14. [*vers.* 20-22.] Denique sequitur, *Misit rex, et solvit eum; princeps populorum, et dimisit eum.* Ipse est *rex*, qui *princeps populorum*: *solvit* compeditum, *dimisit* inclusum. *Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ. Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret.* Græcus habet, *Et seniores ejus sapientiam doceret.* Quod omnimodo ad verbum ita dici posset: *Erudiret principes ejus sicut semetipsum, et seniores ejus sapientes faceret*: πρεσβυτέρους enim habet, quos dicere solemus seniores, non γέροντας, id est senes; σοφίσαι autem, quod uno verbo latine dici non potest, a sapientia dictum est, quæ σοφία græce dicitur, non a prudentia, quæ φρόνησις appellatur. Neque hoc tamen legimus in illa sublimitate Joseph, sicut nec compedes in ejus humilitate. Sed unde fieri posset ut vir tantus, unius veri Dei cultor, in Ægypto alendis tantummodo corporibus, et rebus tantum corporalibus gubernandis esset intentus, et quo eos meliores redderet, curam non gereret animorum? Sed ea conscripta sunt in illa historia, quæ secundum intentionem scribentis, in quo erat Spiritus sanctus, rebus futuris illa narratione significandis sufficere judicata sunt.

15. [*vers.* 23.] *Et intravit Israel in Ægyptum, et Jacob accola fuit in terra Cham.* Quod est Israel, hoc est Jacob; et quod est Ægyptus, hoc est terra Cham. Hic enim apertissime demonstratum est, de semine Cham filii Noe, cujus primitivus fuit Chanaan, exortam fuisse etiam gentem Ægyptiorum. Proinde in quibus codicibus hoc loco legitur *Chanaan*, emendandum est. Melius autem interpretatum est, *accola fuit*, quam, sicut alii codices habent, *inhabitavit*: quod tantumdem esset, si et incola diceretur; nihil enim aliud significat. Nam idipsum est verbum in græco isto loco, quod est et superius, ubi dictum est, *Paucissimi et incolæ in ea.* Incolatus porro, vel accolatus, non indigenam, sed advenam ostendit. Ecce quomodo *transierunt de gente in gentem, de regno in populum alterum.* Quod breviter propositum fuerat, breviter narrando explicatum est. Sed de quo regno transierunt in populum alterum, merito quæri potest. Nondum enim regnabant in terra Chanaan, quia nondum ibi fuerat regnum constitutum populi Israel. Quomodo ergo potest intelligi, nisi forte secundum anticipationem, quia ibi regnum futurum erat seminis eorum?

16. [*vers.* 24.] Deinceps narrantur quæ in Ægypto gesta sunt. *Et auxit*, inquit, *populum suum vehementer, et firmavit eum super inimicos ejus.* Etiam hoc totum breviter propositum est, ut quemadmodum factum sit, deinde narretur. Non enim tunc firmatus est populus Dei super Ægyptios inimicos suos, quando eorum masculini fetus necabantur, vel quando in faciendis lateribus conterebantur; sed quando in manu potenti, per signa et portenta Domini Dei sui, metuendi et honorandi facti sunt, donec duri regis contentio vinceretur, et mare Rubrum persecutorem cum exercitu ejus obrueret.

17. [*vers.* 25.] Quod ergo breviter positum est, *Firmavit populum suum super inimicos ejus*, velut quæreremus quomodo factum sit, incipit dicere, donec etiam id narrando determinet. *Et convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus.* Numquidnam intelligendum est, vel credendum quod Deus cor hominis ad facienda peccata convertat? an peccatum non est, vel parvum peccatum est, odisse populum Dei, et dolum facere in servos ejus? Quis hoc dixerit? Numquid ergo istorum tam gravium peccatorum auctor est Deus, qui nullius vel levissimi peccati auctor credendus est? Quis sapiens, et intelliget hæc (*Psal.* CVI, 43)? Nam ipsa est illa mirabilis Dei bonitas, qua bene utitur etiam malis, vel angelis, vel hominibus. Cum enim ipsi vitio suo mali sint, ille de malo eorum bene facit. Non enim antequam odissent populum ejus boni erant; sed maligni et impii tales erant, qui facile incolis suis felicibus inviderent. In eo ergo quod populum

suum multiplicavit, hoc beneficio suo malos ad invidendum convertit. Invidia est enim odium felicitatis alienæ. Sic ergo convertit cor eorum, ut per invidentiam odissent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus. Non itaque cor illorum malum faciendo, sed populo suo benefaciendo, cor illorum sponte malum convertit ad odium. Non enim rectum cor pervertit, sed sponte perversum ad odium populi, ubi eo malo bene uteretur, convertit; non illos malos faciendo, sed istis bona, quibus mali facillime possent invidere, largiendo. Quo illorum odio, et ad exercitationem populi sui, et ad gloriam nominis sui, quæ nobis est utilis, quomodo sit usus, consequentia docent: quæ in ejus laude commemorantur, cum cantatur Alleluia.

18. [*vers.* 26] *Misit Moysen servum suum, Aaron quem elegit ipsum.* Sufficeret, *quem elegit;* sed nihil in eo quærendum est, quod additum est, *ipsum.* Locutio Scripturarum est, sicuti est, *In qua habitabunt in ea* (*Num.* XIII, 20; *et Levit.* XVIII, 3, *sec.* LXX): qua locutione divinæ paginæ plenæ sunt.

19. [*vers.* 27.] *Posuit in eis verba signorum suorum et prodigiorum in terra Cham.* Non ita debemus accipere, *verba signorum et prodigiorum*, quasi verba, quibus verbis fierent signa et prodigia, id est, quæ dicerent ut fierent signa et prodigia. Multa enim sine verbis facta sunt, vel virga, vel manu extenta, vel favilla in cœlum missa. Sed quia illa ipsa quæ facta sunt, non erant alicujus significationis inania, sicut et verba quæ loquimur; ideo et ipsa dicta sunt verba, non vocum et sonorum, sed signorum et prodigiorum. *Posuit in eis*, id est, fecit per eos.

20. [*vers.* 28.] *Misit tenebras, et obscuravit.* Scriptum est et hoc inter plagas quibus Ægyptii percussi sunt. Quod autem sequitur, in diversis codicibus varie legitur. Alii namque habent, *Et exacerbaverunt sermones ejus;* alii vero, *Et non exacerbaverunt sermones ejus:* sed quod prius dixi, in pluribus invenimus; ubi autem addita est negativa particula, vix duos codices potuimus reperire. Sed ne forte mendositas propter sensum faciliorem abundaverit; quid enim facilius intelligitur quam id quod dictum est, *Et exacerbaverunt sermones ejus,* utique contumacibus contradictionibus suis? conati sumus secundum aliquam rectam sententiam etiam illud exponere: et hoc interim occurrit, *Non exacerbaverunt sermones ejus,* id est, in Moyse et Aaron; quia eos etiam durissimos patientissime pertulerunt, donec omnia quæ Deus in eis facere disposuerat, ex ordine complerentur.

21. [*vers.* 29, 30.] *Convertit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum. Dedit terram eorum ranas, in penetralibus regnum ipsorum:* tanquam diceret, Terram eorum convertit in ranas. Tanta enim ranarum fuerat multitudo, ut hoc per ὑπερβολὴν convenienter diceretur.

22. [*vers.* 31.] *Dixit, et venit cynomyia et sciniphes in omnibus finibus eorum.* Si quæritur quando dixerit, in verbo ejus erat antequam fieret; et sine tempore ibi erat, quo tempore fieret: quanquam et per Angelos, et per servos suos Moysen et Aaron, etiam tunc quodammodo dixit ut fieret, quando fuerat faciendum.

23. [*vers.* 32.] *Posuit pluvias eorum grandinem.* Similis locutio est illi ubi ait, *Dedit terram eorum ranas;* nisi quod ibi non utique in ranas tota terra conversa est, pluvia vero in grandinem etiam tota potuit. *Ignem comburentem in terra ipsorum:* subauditur, *posuit.*

24. [*vers.* 33] *Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum, et contrivit omne lignum finium eorum.* Hoc vi grandinis et fulminibus factum est; unde et *ignem* dixit *comburentem.*

25. [*vers.* 34.] *Dixit, et venit locusta et bruchus, cujus non erat numerus.* Una plaga est locustæ et bruchi; quoniam altera est parens, altera est fetus.

26. [*vers.* 35.] *Et comedit omne fenum in terra eorum, et comedit omnem fructum terræ eorum.* Et fenum fructus est, sicut loqui Scriptura consuevit, quæ fenum appellat etiam segetes frugum, sed ut duo diceret, duobus fortasse quæ dixerat, numero voluit consonare, id est, locustæ et brucho. Hoc autem totum pertinet ad elocutionis varietatem medentem fastidio, non ad diversitatem sententiarum.

27. [*vers.* 36.] *Et percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum.* Hæc plaga novissima est, excepta morte in mari Rubro. Primitias vero laborum, propter primogenita pecorum, dictum arbitror. Quæ plagæ cum sint decem, nec omnes commemoratæ sunt, nec eodem ordine quo ibi factæ leguntur. Libera enim est laudatio a lege narrantis et texentis historiam. Cujus laudationis auctor et dictor cum sit per Prophetam Spiritus sanctus; eadem utique auctoritate qua per eum egit hominem qui illam scripsit historiam, et commemorat aliquid factum quod ibi non legitur, et quod ibi legitur præterit.

28. [*vers.* 37.] Adjungit autem etiam hoc laudibus Dei, quod argento et auro ditatos Israelitas eduxit ex Ægypto; quia et ipsi tales erant, qui nondum possent contemnere laborum suorum licet temporalem, tamen debitam justamque mercedem: nec in eo quod Ægyptios deceperunt, a quibus sibi ut commodaretur aurum argentumque petiverunt, putandus est Deus hujusmodi dolos, eis qui sursum cor habent, vel jubere, vel, si fecerint, approbare. Magis enim per illa Dei verba, utique ab illo qui cor eorum videbat et cupiditates examinabat, permissi sunt facere ista, quam jussi: non tamen sine aliquo provectu animæ carnalis, quod et his fecerunt qui talia jure passi sunt, et quamvis per dolum, ab iniquis hominibus tamen quod sibi reddi debuit, abstulerunt. Sicut autem Ægyptiorum iniquitate, sic istorum infirmitate, ad id quod opus erat illis factis figurandum et prænuntiandum divine usus est Deus. *Et eduxit eos in argento et auro.* Et ista locutio Scripturarum est. Pro eo quippe dictum est, *in argento et auro*, ac si diceretur, cum argento et auro. *Et non erat in tribu-*

bus eorum infirmus : sed corpore, non animo. Etiam hoc magnum Dei beneficium fuit, ut in illa necessitate migrandi nullus esset ægrotus.

29. [*vers.* 38.] *Lætata est Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos.* Timor utique Hebræorum super Ægyptios. Non enim *timor eorum,* quo timebant Hebræi, sed quo timebantur. Dicet aliquis : Quomodo ergo nolebant eos dimittere Ægyptii? quomodo tanquam redituros dimiserunt? quomodo tanquam redituris et reddituris aurum et argentum petentibus commodaverunt, si *lætata est Ægyptus in profectione eorum?* Sed intelligendum est, post illam ultimam Ægyptiorum mortem, et tantam stragem in mari Rubro tam magni persequentis exercitus, Ægyptios timuisse residuos ne redirent Hebræi, et eorum reliquias magna facilitate contererent. Tunc impletum est quod superius, cum dixisset, *Et auxit populum suum vehementer,* mox addidit, *Et firmavit eum super inimicos ejus.* Hanc enim sententiam uno versiculo propositam ut explicaret, quomodo id factum sit, adjunxit cætera quæ in hac laude cladis [1] narravit, usque ad istum locum, ubi ait, *lætata est Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos;* velut assignans quod proposuerat, quia firmavit populum suum super inimicos ejus.

30. [*vers.* 39.] Proinde jam dicit quæ iter agentibus in eremo beneficia divina collata sunt. *Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem.* Tam sunt hæc manifesta quam nota.

31. [*vers.* 40.] *Petierunt* [2], *et venit coturnix.* Non coturnicem concupiverunt, sed carnes. Quia vero et coturnix caro est, et in isto psalmo non loquitur de amaricatione illorum in quibus non est beneplacitum Deo, sed de fide electorum, quod est verum semen Abrahæ; ipsi intelligendi sunt petiisse ut veniret unde amaricantium murmur opprimeretur. Jam in versu qui sequitur, *Et pane cœli saturavit eos,* manna quidem non nominavit, sed nulli obscurum est qui illas litteras legit.

32. [*vers.* 41.] *Disrupit petram, et fluxerunt aquæ; abierunt in sicco flumina.* Et hoc factum tam cito intelligitur, quam legitur.

33. [*vers.* 42-44.] His autem omnibus beneficiis suis, Deus commendat in Abraham meritum fidei. Sequitur enim et dicit : « Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum. Et eduxit populum suum in exsultatione, et electos suos in lætitia. » Quod ait, *populum suum,* hoc repetivit, *electos suos :* et quod ait, *in exsultatione,* hoc repetivit, *in lætitia. Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt.* Quod sunt, *regiones gentium,* hoc sunt, *labores populorum :* et quod dictum est, *dedit illis,* hoc repetitum est, *possederunt.*

34. [*vers.* 45.] Et tanquam quæreremus cui bono ista data sunt, ne hoc ipsum putaretur summum bonum, quod ista felicitas rerum temporalium populo Dei data est; continuo eam ad aliud retulit, ubi summum bonum oportet inquiri : *Ut custodiant,* inquit, *justificationes ejus, et legem ejus requirant.* Ubi intelligendum est Dei servos et electos filios promissionis, verum et germanum semen Abrahæ, imitantes fidem Abrahæ, propterea ista bona terrena sumere a Deo, ut non in eis luxu diffluant, sive perversa securitate torpescant; sed ideo habeant divina misericordia hæc omnia præparata, in quibus quærendis possent negotiosissimis laboribus occupari, ut ad hoc vacent unde bonum æternum possit acquiri, hoc est, *Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant.* Denique, quoniam semen Abrahæ tales hic intelligi voluit, qui vere essent semen Abrahæ, quales utique nec in illo populo defuerunt : quod etiam apostolus Paulus satis ostendit, cum dicit, *Sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo* (I *Cor.* x, 5); si enim *non in omnibus,* profecto fuerunt ibi quidam in quibus *beneplacitum est Deo :* quia ergo tales psalmus iste commendat, nihil hic dixit de iniquitatibus et irritationibus et amaricatione eorum in quibus non est beneplacitum Deo. Sed quia et iniquis non sola justitia, verum etiam misericordia Dei omnipotentis et clementis apparuit, de illis sequens loquitur psalmus cum laudibus Dei. Et tamen utrique in uno populo fuerunt, nec istos illi suarum iniquitatum contagione polluerunt. *Novit enim Dominus qui sunt ejus :* et si in hoc sæculo non potest ab injustis, *recedat ab injustitia omnis qui nominat nomen Domini* (II *Tim.* II, 19).

35. Ut ergo tanquam in corpore psalmi hujus velut latentem quodammodo ejus animam commendemus, hoc est, in verbis quasi exterioribus interiorem intellectum, videtur mihi admoneri semen Abrahæ, qui sunt omnes filii promissionis pertinentes ad æternam hæreditatem testamenti æterni, ut tanquam ipsam hæreditatem sibi eligant Deum, et eum gratis colant, id est, propter ipsum, non propter aliquod emolumentum mercedis extra ipsum; et hoc faciant laudantes, invocantes, annuntiantes, nec in suam, sed in ejus gloriam per fidem bene operantes, spe gaudentes, charitate ferventes (*Rom.* XII, 11, 12). Hoc totum sonat his versibus : « Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, annuntiate in gentibus opera ejus. Cantate ei, et psallite ei, narrate omnia mirabilia ejus. Laudamini in nomine sancto ejus; lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum, et confirmamini; quærite faciem ejus semper. »

36. Deinde ad parvulorum corda nutrienda, ut roborentur in fide, de Patriarchis proponuntur exempla et illorum fidei et promissionis Dei [1], ut imitando et sperando simus semen illorum, non de sola gente Hebræorum, sed quotquot istam gratiam suscipiunt in omni terra. Quod totum his versibus continetur : « Mementote mirabilium ejus quæ fecit, prodigia ejus et judicia oris ejus. Semen Abraham servi ejus,

[1] Vox, *cladis,* abest a Mss.
[2] Edd., *Petierunt carnes.* Vox, *carnes,* abest a Mss.

[1] Plerique Mss., *proponuntur et illorum fides et promissiones Dei.*

filii Jacob electi ejus. Ipse Dominus Deus noster, in omni terra judicia ejus. Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi quod mandavit in mille generationes. Quod disposuit ad Abraham, et juramenti sui ad Isaac. Et statuit illud ipsi Jacob in præceptum; et ipsi Israel in testamentum æternum, dicens, Tibi dabo terram Chanaam, funiculum hæreditatis vestræ. » Quæ omnia, pro modulo meo, quemadmodum accipienda essent, exposui.

37. Hic occurrebat animo parvulæ fidei : Si ergo Deus gratis est colendus, et testamenti æterni hæreditas ipse a seipso requirendus; mortalem istam vitam quærentium eum, et temporales necessitates, an et ipsa suæ misericordiæ [1] multiplicatione non deserit? Nam intente audite quid præstiterit patribus nostris, vel in quibus fidei exempla constituit, vel qui ex illorum carne propagati etiam fidem imitati sunt. *Cum essent ipsi numero brevi, paucissimi et incolæ in ea :* id est, in terra Chanaan. *Et pertransierunt de gente in gentem, et de regno in populum alterum. Non reliquit hominem nocere eis, et arguit pro eis reges. Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.*

38. Si autem quæritis quomodo « transierunt de gente in gentem, et de regno in populum alterum, » audite : « Et vocavit famem super terram, omne firmamentum panis contrivit. Misit ante eos virum; in servum venundatus est Joseph. Humiliaverunt in compedibus pedes ejus; ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus. Eloquium Domini ignivit eum : misit rex, et solvit eum; princeps populorum, et dimisit eum. Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ. Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et seniores ejus prudentiam doceret. Et intravit Israel in Ægyptum, et Jacob accola fuit in terra Cham. » Ecce quomodo « pertransierunt de gente in gentem, et de regno in populum alterum. »

39. *Et auxit populum suum vehementer, et firmavit eum super inimicos ejus.* Si autem scire vultis quomodo eum firmaverit super inimicos ejus, audite : « Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus. Misit Moysen servum suum, Aaron quem elegit ipsum. Posuit in eis verba signorum suorum, et prodigiorum in terra Cham. Misit tenebras, et obscuravit, et exacerbaverunt sermones ejus. Convertit aquas eorum in sanguinem, et occidit pisces eorum. Dedit terram eorum ranas, in penetralibus regum ipsorum. Dixit, et venit cynomyia et sciniphes in omnibus finibus eorum. Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum. Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum, et contrivit omne lignum finium eorum. Dixit, et venit locusta et bruchus, cujus non erat numerus. Et comedit omne fenum in terra eorum, et comedit omnem fructum terræ eorum. Et percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum. Et eduxit eos in argento et auro, et non erat in tribubus eorum infirmus. Lætata est Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos. » Ecce quomodo populum suum firmavit super inimicos ejus.

40. Cum autem inimicis eorum ista mala justitia ejus inflixerit, quæ ipsis largita sit etiam temporalia misericordia ejus, accipite : « Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem. Petierunt, et venit coturnix, et pane cœli saturavit eos. Disrupit petram, et fluxerunt aquæ; abierunt in sicco flumina. Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum. Et eduxit populum suum in exsultatione, et electos suos in lætitia. Et dedit illis regiones gentium, et labores populorum possederunt. » Non ut propter ista eum colant, sed ut ea quoque ad bonum æternum referant atque convertant; id est, *Ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant.* Quæcumque igitur alia bona dat Deus, referenda sunt ad gratuitum cultum ejus : ipse autem cultus ejus non est referendus ad alia bona, quæ dat Deus; tunc enim erit gratuitus. Ad quod certamen provocans hostis, ausus est dicere Deo : *Numquid Job gratis colit Deum* (*Job* I, 9)? Porro si in servum venundatus Joseph, et humiliatus, et exaltatus, locum fecit ad temporalia bona populo Dei, ut firmaretur super inimicos ejus, quanto magis Jesus venundatus et humiliatus a fratribus suis secundum carnem, et exaltatus in cœlis, locum facit ad æterna bona populo Dei, triumphanti de diabolo et angelis ejus? Audi ergo, semen Abrahæ, non de carne glorians, sed imitans fidem; audite, servi Dei, et electi Dei, promissionem habentes vitæ præsentis et futuræ (I *Tim.* IV, 8). Si tentationes duræ sunt in hoc sæculo, Joseph in carcere, Jesum in cruce cogitate. Si rerum temporalium prosperitas adjacet, non propter ipsam Deo, sed ipsa utimini propter Deum: nec eum existimetis propter vitæ hujus necessaria coli a cultoribus suis [1], quæ donat et blasphematoribus suis; sed quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis (*Matth.* VI, 33).

IN PSALMUM CV
ENARRATIO.

1. Psalmus centesimus quintus etiam ipse prænotatur, *Alleluia :* et hoc dupliciter. Sed quidam dicunt unum Alleluia pertinere ad finem psalmi superioris, alterum ad hujus principium. Et hoc asserunt quod omnes Alleluiatici psalmi habeant in fine Alleluia, non omnes in capite : unde quicumque psalmus non habet in fine Alleluia, nec in capite volunt eum habere; quod autem in ejus capite videtur esse, ad finem superioris pertinere. Sed nos quousque nobis aliquibus certis documentis id verum esse per-

[1] Sic vetustiores Mss. Alii vero cum Edd., *mortalem istam vitam cur præstat quærentibus eum, et temporales necessitates? An et ipsas suæ misericordiæ*, etc.

[1] Plerique Mss., *propter hujus vitæ necessaria, necessarium cultoribus suis.*

suadeant, multorum consuetudinem sequimur, qui ubicumque legunt Alleluia, eidem psalmo attribuunt, in cujus hoc capite inveniunt. Paucissimi enim codices sunt (quod quidem in nullo græcorum reperi, quos inspicere potui), qui habeant Alleluia in fine centesimi et quinquagesimi psalmi [1]; post quem jam nullus est qui ad eumdem canonem pertinet. Sed neque hoc posset præscribere consuetudini, etiamsi omnes codices id haberent. Fieri enim potuit ut aliqua ratione laudationis Dei totus Psalmorum liber, qui libris quinque constare perhibetur (nam ubi scriptum est, *Fiat, fiat*, ibi fines librorum esse dicunt), post omnia quæ cantata sunt, ultimo Alleluia clauderetur: nec propter finem centesimi et quinquagesimi psalmi necesse esse video, ut omnes Alleluiatici psalmi in fine habeant Alleluia. Cum vero in capite psalmi geminatur Alleluia, cur Dominus aliquando semel, aliquando bis dicit *Amen*, et eo modo non possit aliquando semel, aliquando bis *Alleluia* dici, nescio: præsertim quia post numeri notam, quo psalmus inscribitur quotus sit, veluti iste centesimus quintus, utrumque Alleluia positum est. Debuit autem unum poni ante ipsum numerum, si ad finem pertinet superioris; et post numerum Psalmi scribi alterum Alleluia, quod ad Psalmum ipsius numeri pertinet. Sed fortasse et in hoc imperita prævaluit consuetudo, et aliquid afferri potest, quod adhuc ignoramus, unde nos magis docere debeat judicium veritatis, quam præjudicium consuetudinis. Nunc tamen antequam hoc perdiscamus, ubicumque post numerum psalmi, sive semel, sive bis conscriptum invenimus Alleluia, secundum celeberrimam Ecclesiæ consuetudinem, ei psalmo tribuimus, qui eodem numero prænotatur; confitentes nos arcana omnium titulorum qui sunt in Psalmis, et ordinis eorumdem Psalmorum, et magna esse credere, et nondum, sicut volumus, penetrare potuisse.

2. [*vers.* 1.] Video autem istos duos centesimum quartum et centesimum quintum ita inter se conjunctos, ut in uno eorum, qui præcedit, commendetur populus Dei in electis ejus, de quibus nulla querela fit, quos ego arbitror ibi fuisse in quibus beneplacitum est Deo (I *Cor.* x, 5): in isto autem qui sequitur, eos commemoratos qui in eodem populo amaricaverunt; nec tamen etiam ipsis Dei misericordiam defuisse. Dicuntur autem ista ex eorum persona qui veniam conversi precantur; et exempla commemorantur illorum in quos etiam peccatores dives apparuit misericordia Dei. Incipit ergo etiam iste psalmus sicut ille: *Confitemini Domino*. Sed ibi sequitur, *Et invocate nomen ejus;* hic autem, *Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Quapropter potest hic quidem intelligi etiam confessio peccatorum; nam et post paucos versus sequitur, *Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus:* sed in eo quod dicit, *Quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*, laus utique Dei est, atque in ejus laude confessio. Quanquam etiam cum sua quisque confitetur peccata, cum Dei laude confiteri debet; nec aliter pia est confessio peccatorum nisi non desperans, et poscens misericordiam Dei. Habet ergo ejus laudem, sive etiam in verbis, cum eum bonum et misericordem dicit; sive in solo affectu, cum hoc credit. Nam et ille publicanus, cujus sola illa verba commemorata sunt, *Domine, propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* xvi, xviii, 13), etsi non dixit, Quoniam bonus et misericors es, vel aliquid hujusmodi; non tamen illud diceret, nisi hoc crederet; quoniam cum spe oravit, quæ sine illa fide esse non posset. Potest ergo esse laus Dei vera et pia, ubi non sit confessio peccatorum; quæ laus multo crebrius in Scripturis confessio vocatur: nulla est autem peccatorum confessio pia et utilis, ubi non laudatur Deus, sive corde, sive etiam ore atque sermone. Quod autem habent alii codices, *Quoniam bonus*, alii habent, *Quoniam suavis:* ita unum verbum græcum, quod dicitur χρηστὸς, diversa interpretatio secuta est. Item quod dictum est, *Quoniam in sæculum misericordia ejus;* græcus habet εἰς τὸν αἰῶνα, quod potest etiam *in æternum* interpretari. Proinde si illa misericordia hic intelligitur, qua nemo sine Deo beatus esse potest; melius accipimus *in æternum:* si autem illa est misericordia quæ miseris exhibetur, ut vel consolentur in miseria, vel ab illa etiam liberentur; melius *in sæculum*, hoc est, usque in finem sæculi, in quo non deerunt miseri quibus misericordia præbeatur. Nisi forte quis audeat dicere, etiam his qui damnabuntur cum diabolo et angelis ejus, aliquam misericordiam Dei minime defuturam; non qua ex illa damnatione liberentur, sed ut eis aliquatenus mitigetur: atque ita æternam posse intelligi Dei misericordiam super illorum æternam miseriam. Sed tolerabiliorem quosdam excepturos damnationem in quorumdam comparatione legimus; alicujus vero mitigari eam cui est traditus pœnam, vel quibusdam intervallis habere aliquam pausam, quis audacter dixerit, quandoquidem unam stillam dives ille non meruit (*Id.* xvi, 24-26)? Sed de hac tanta re diligentius ex otio disserendum est; nunc quod ad istum psalmum attinet, hactenus de illa dictum esse suffecerit.

3. [*vers.* 2.] *Quis loquetur potentias Domini?* Impletus consideratione divinorum operum, qui misericordiam ejus exposcit, *Quis*, inquit, *loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?* Subaudiendum est quod supra dictum est, ut etiam ista sententia ita sit plena, Quis *auditas faciet omnes laudes ejus?* id est, quisnam sufficiat auditas facere omnes laudes ejus? *Auditas faciet*, dixit, id est faciet, ut audiantur; ostendens ita loquendas potentias Domini et laudes ejus, ut prædicentur audientibus. Sed quis potest omnes? An forte quia sequitur, *Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore*, eas dixit laudes ejus, quæ intelliguntur opera ejus in præceptis ejus? *Deus est enim*, ait Apostolus, *qui operatur in vobis.* Et dictum est semini Abrahæ, *Cantate ei, et psallite ei:* quod intelleximus ita dictum,

[1] Sic meliores Mss. At Edd., *præter centesimi et quinquagesimi psalmi connextionem.*

ac si diceretur, Bona in ejus laudem et dicite, et facite. Quibus duobus verbis, id est, cantandi et psallendi, convenire duos consequentes versus, ut quod dictum est, *Narrate omnia mirabilia ejus;* hoc sit, *Cantate ei:* quod vero dictum est, *Laudamini in nomine sancto ejus* (*Psal.* CIV, 2, 3); hoc sit, *Psallite ei.* Huic quippe semini etiam ipse Dominus dicit: *Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16). Hic ergo ipsa Dei præcepta considerans, quorum præceptorum opera laudes sunt ejus qui operatur in suis, ait, *Quis loquetur potentias Domini?* quoniam hæc ineffabiliter operatur. Quis *auditas faciet omnes laudes ejus?* id est quis cum audierit, facit omnes laudes ejus? quæ sunt opera præceptorum ejus. Quia in quantum fiunt, etsi non omnia quæ audita sunt fiunt, ille laudandus est, *qui operatur in nobis et velle et operari, pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 13). Ideo cum posset dicere, Omnia mandata ejus, vel, omnia opera mandatorum ejus; maluit dicere, *laudes ejus:* quia, ut dictum est, in quantum fiunt, ipse laudandus est. Quas tamen laudes, quisnam sufficit auditas facere? id est, cum auditæ fuerint, facere omnes quis est idoneus?

4. [*vers.* 3.] *Beati qui custodiunt judicium, et faciunt justitiam in omni tempore:* utique ex quo incipiunt et vivunt in tempore. Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X, 22). Potest autem videri ejusdem sententiæ repetitio, ut hoc sit facere justitiam, quod est custodire judicium: ut etiam in superiore versu subaudiatur, *in omni tempore;* sicut in posteriore subauditur, *beati;* et redditis quæ subaudiuntur, ita dicatur, *Beati qui custodiunt judicium* in omni tempore, beati qui *faciunt justitiam in omni tempore.* Sed nisi aliquid interesset inter judicium et justitiam, non in alio psalmo diceretur, *Quousque justitia convertatur in judicium* (*Psal.* XCIII, 15). Amat quidem Scriptura, ista duo simul ponere: sicuti est, *Justitia et judicium directio sedis ejus* (*Psal.* XCVI, 2); et illud, « Et educet sicut lumen justitiam tuam, et judicium tuum sicut meridiem » (*Psal.* XXXVI, 6); cum et illic ejusdem sententiæ repetitio videatur. Et fortasse propter vicinitatem significationis etiam alterum pro altero poni potest, vel judicium pro justitia, vel justitia pro judicio: tamen si proprie dicantur, aliquid interesse non dubito, ut judicium custodire dicatur qui recte judicat, justitiam vero facere qui recte agit. Nec absurde existimo intelligi secundum illud quod dictum est, *Quousque justitia convertatur in judicium,* etiam hic eos dictos beatos qui judicium custodiunt in fide, justitiam faciunt in opere. Veniet enim tempus ut judicium quod modo custoditur in fide, etiam exerceatur in opere, cum justitia conversa fuerit in judicium, id est, cum acceperint justi potestatem judicandi eos recte, a quibus modo non recte judicantur. Unde alibi ipsum corpus Christi intelligitur dicere, *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo* (*Psal.* LXXIV, 3). Quod verbum e verbo magis diceretur, *Æquitates judicabo.* Non autem dixit, Cum accepero tempus, justitiam faciam; quia omni tempore facienda est, sicut etiam hic dicit, *Qui faciunt justitiam in omni tempore.*

5. [*vers.* 4, 5.] Deinde, quia Deus justificat, id est, justos facit, sanando eos ab iniquitatibus suis, sequitur oratio, *Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui:* id est, ut in eis simus in quibus beneplacitum est tibi; quia non in omnibus illis beneplacitum est Deo. *Visita nos in salutari tuo.* Ipse est enim Salvator, in quo peccata dimittuntur, et animæ sanantur, ut possint custodire judicium, et facere justitiam; quos cum beatos esse intelligerent qui hæc loquuntur, hoc sibi consequenter orando petunt. De isto salutari alibi dicitur, *Ut cognoscamus in terra viam tuam:* et quasi quæreremus in qua terra, secutus est, *In omnibus gentibus;* rursum, quasi quæreremus quam viam, secutus est, *Salutare tuum* (*Psal.* LXVI, 3). De illo quippe dixit Simeon senex, *Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 30); qui de seipso dixit, *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6). *Visita* ergo *nos in salutari tuo,* hoc est, in Christo tuo. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ:* id est, ad hoc nos visita in salutari tuo, ut videamus in bonitate electorum tuorum, et lætemur in lætitia gentis tuæ. Quod autem hic positum est, *in bonitate;* alii codices habent, *in suavitate:* sicut illud, *Quoniam bonus;* alii habent, *Quoniam suavis.* Idipsum autem verbum in græco est, quod et alibi legitur, *Dominus dabit suavitatem* (*Psal.* LXXXIV, 13): quam et aliqui interpretati sunt bonitatem, aliqui benignitatem. Sed quid est, *Visita nos, ut videamus in bonitate electorum tuorum,* id est, in ea bonitate quam præstas electis tuis; nisi ut non remaneamus cæci, sicut illi quibus dictum est: *Nunc autem dicitis, Quia videmus; peccatum vestrum manet* (*Joan.* IX, 41)? *Dominus* enim *illuminat cæcos* (*Psal.* CXLV, 8), non meritis eorum, sed *in bonitate electorum suorum,* id est, quam exhibet vel donat electis suis: sicut *Salus vultus mei,* non a meipso, sed *Deus meus* (*Psal.* XLII, 5); et *panem nostrum* dicimus *quotidianum,* sed tamen addimus, *da nobis* (*Matth.* VI, 11). *Visita* ergo *nos in salutari tuo, ad videndum,* id est ut videamus, *in bonitate electorum tuorum; ad lætandum,* id est ut lætemur, *in lætitia gentis tuæ.* Unam gentem Dei intelligere debemus universum semen Abrahæ; sed filios promissionis, non carnis. Ili ergo, quorum vox est, optant ejusdem gentis habere lætitiam. Et quæ hujus gentis lætitia, nisi Deus ejus? Cui dicitur, « Exsultatio mea, redime me » (*Psal.* XXXI, 7): et cui dicitur, « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti lætitiam in cor meum » (*Psal.* IV, 7); summo scilicet, vero, incommutabili et beatifico bono, quod ipse Deus est. *Ut lauderis cum hæreditate tua.* Miror istum versum sic interpretatum in multis esse codicibus, cum sit una atque eadem in tribus his versibus græca locutio, ut si hoc recte dictum est quod legitur, « Ut lauderis cum hæredi-

tate tua ; » possel recte dici, « Ut videas in bonitate electorum tuorum, et læteris in lætitia gentis tuæ : » toto ipso sensu ita contexto, « Visita nos in salutari tuo, ut videas in bonitate electorum tuorum, ut læteris in lætitia gentis tuæ, et lauderis cum hæreditate tua. » Secundum hoc autem quod diximus, « Visita nos, ut videamus in bonitate electorum tuorum, et lætemur in lætitia gentis tuæ ; » consequenter et hic dici debuit, « Ut laudemur cum hæreditate tua : » cui hæreditati dictum est, « Laudamini in nomine sancto ejus. » Porro autem quoniam hæc ambigua videtur locutio ; si verus est iste sensus quo maluerunt interpretes dicere, « Ut lauderis ; » etiam duo versus superiores ita intelligendi sunt, quia, ut dixi, una est in his tribus versibus græca locutio : ut hoc totum ita dictum accipiatur, « Visita nos in salutari tuo, ut videas in bonitate electorum tuorum, » id est, ad hoc nos visita, ut illic nos esse facias, et illic nos videas ; « ut læteris in lætitia gentis tuæ, » id est, tu dicaris lætari, cum illi lætantur ex te ; « ut lauderis cum hæreditate tua, » id est, cum ea lauderis, quoniam non laudatur nisi propter te. Sive ergo illo, sive isto modo intelligendum sit quod dictum est, « ad videndum, ad lætandum, ad laudandum ; » ideo se optant visitari in salutari Dei, id est in Christo ejus, ut non alienentur a populo ejus, et ab eis in quibus beneplacitum est Deo.

6. [*vers*. 6, 7.] Quid autem deinceps confiteantur, audiamus : « Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. » Quid est, *cum patribus nostris ?* An sicut habet Epistola ad Hebræos, quia et Levi cum Abraham decimatus est, quoniam in lumbis ejus fuit, quando decimas dedit sacerdoti Melchisedec (*Hebr*. VII, 1-10); sic et isti peccaverunt cum patribus suis, in quorum lumbis erant quando illi in Ægypto fuerunt ? Nam qui fuerunt eo tempore, cum psalmus iste conscriptus est, maximeque posteri eorum (quia vel ab eis qui tunc erant dici, vel de post futuris potuit prophetari), longe aberant ab ætate illorum qui in Ægypto peccaverunt, non intelligentes mirabilia Dei. Hoc enim sequitur, exponendo quomodo peccaverunt cum patribus suis : *Patres nostri*, inquit, *in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua* ; et cætera, quæ de peccatis eorum multa commemorat. An sic potius accipiendum est quod ait, *Peccavimus cum patribus nostris*, tanquam diceret, Peccavimus sicut patres nostri, eorum videlicet imitando peccata ? Quod si ita est, astruendum est aliquo hujusmodi locutionis exemplo : quod cum in præsentia quærerem, non occurrit, ut cum illo se quisquam peccasse, vel cum illo se aliquid fecisse dicat, quem in simili facto etiam post multum temporis fuerit imitatus.

7. Quid est ergo, *Patres nostri non intellexerunt mirabilia tua ;* nisi, non cognoverunt quid per illa mirabilia eis præstare volueris ? Quid utique nisi vitam æternam, et non temporale sed incommutabile bonum, quod per patientiam exspectatur ? Ideo impatienter murmuraverunt, et amaricaverunt, et bonis præsentibus fallacibus atque fugacibus beatos se fieri quæsierunt. *Non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ*. Et intellectum redarguit, et memoriam. Intellectu quippe opus erat, ut cogitarent ad quorum bonorum æternitatem per illa temporalia vocaret Deus : memoria vero, ut saltem quæ temporaliter mirabilia facta sunt, non obliviscerentur, fideliterque præsumerent quod eadem potestate quam fuerant jam experti, Deus illos ab inimicorum persecutione liberaret ; obliti sunt autem quid eis in Ægypto ad inimicos eorum conterendos per tanta prodigia præstitisset. *Et irritaverunt, ascendentes in mari* [1], *mare Rubrum*. Codex quem intuebar, sic habebat : et his quidem duobus verbis ultimis, quod dictum est, *mare Rubrum*, stella fuerat prænotata ; qua significantur quæ in hebræo sunt, et in interpretatione Septuaginta non sunt. Plures autem codices, quos inspicere potui, et græci et latini sic habent : *Et irritaverunt*, vel, quod expressius de græco est, *Et amaricaverunt, ascendentes in Rubro mari*. Qui illam legit historiam, quando exierunt de Ægypto, et per mare Rubrum transierunt, dolet eorum infidelitatem, in quanta trepidatione et desperatione fuerint, post recentia tot et tanta miracula in Ægypto ; cujus multitudinis misericordiæ Dei non eos fuisse memores dicit. *Ascenderunt* autem, propterea dictum est, quia ita est terræ positio, ut descensio dicatur in Ægyptum de terra Chanaan, et in eam illinc ascensio. Notandum est sane quemadmodum Scriptura culpare voluerit, non intelligere quod intelligendum est, et non meminisse quod memoria retinendum est : quod homines suæ culpæ deputari nolunt, ad nihil aliud nisi ut minus supplicent, minusque sint humiles Deo, in cujus conspectu confiteantur quod sunt, atque impetrato adjutorio possint esse quod non sunt. Nam etiam peccata ignorantiæ vel negligentiæ melius accusantur ut pereant, quam excusantur ut maneant ; meliusque purgantur invocato Deo, quam firmantur irritato [2].

8. [*vers*. 8.] Adjungit tamen non secundum eorum infidelitatem Deum fecisse. *Et salvavit eos*, inquit, *propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam :* non propter ulla bona merita eorum.

9. [*vers*. 9.] *Et increpavit mare Rubrum, et exsiccatum est*. Non legimus ullam, qua increparetur mare, emissam cœlitus vocem ; sed potentiam divinam qua id factum est, increpationem appellavit : nisi forte quis dicat latenter increpatum, sic ut aqua posset audire, et homines non possent. Valde occulta et abstrusa vis est qua Deus agit, ut etiam illa quæ sensu carent, confestim ejus obtemperent voluntati. *Et eduxit eos in abyssis, sicut in deserto*. Abyssos dixit multitudinem aquarum. Nam quidam volentes istum versiculum totum interpretari, dixerunt, *Et eduxit eos in aquis multis*. Quid est ergo, *in abyssis, sicut in deserto*, nisi quia factum erat siccitate velut desertum, ubi fuerant abyssi aquarum ?

[1] Sic Mss. At Edd., *in mare*.
[2] Mss., *irato*.

10. [*vers.* 10.] *Et salvavit eos de manu odientium.* Hunc versum per circuitum quidam interpretati sunt, verba minus latina vitantes : *Et salvos fecit eos de manu eorum qui oderant eos. Et redemit eos de manu inimici.* Quid pretii datum est in hac redemptione? An prophetia est, quod in figura Baptismi hoc factum est, ubi redimimur de manu diaboli magno pretio, quod sanguis est Christi? Unde non quocumque mari, sed mari Rubro id convenientius figuratum est : sanguis enim rubrum colorem habet.

11. [*vers.* 11.] *Et operuit aqua tribulantes eos; unus ex eis non remansit :* non ex omnibus Ægyptiis, sed ex eis qui persequebantur profectos, apprehendere vel interimere cupientes.

12. [*vers.* 12.] *Et crediderunt in verbis ejus.* Minus latina videtur locutio, quia non ait, Verbis ejus, vel, in verba ejus, sed, *in verbis ejus;* tamen Scripturis usitatissima. *Et laudaverunt laudem ejus.* Tales sunt locutiones, cum dicimus, Hanc servitutem servivit, talem vitam vixit. Laudem porro Dei notissimam illam commemorat, ubi dicitur : *Cantemus Domino; gloriose enim magnificatus est : equum et equitem projecit in mare* (*Exod.* xv, 1).

13. [*vers.* 13.] *Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus.* Alii codices intelligibilius habent, *Festinaverunt, obliti sunt operum ejus : non sustinuerunt consilium ejus.* Debuerunt enim cogitare tanta erga se opera Dei non esse inania, sed vocare ad aliquam sine fine felicitatem, quæ per patientiam sustinenda est; sed festinaverunt beati fieri temporalibus rebus, quæ ideo nemini conferunt veram felicitatem, quia non exstinguunt insatiabilem cupiditatem : *Qui* enim *biberit,* inquit, *ex hac aqua, sitiet iterum* (*Joan.* iv, 13).

14. [*vers.* 14.] Denique, *Et concupierunt concupiscentiam in deserto, et tentaverunt Deum in inaquoso.* Quod est, *in deserto;* hoc repetitum est, *in inaquoso,* id est, in loco sine aqua : quod vero, *concupierunt concupiscentiam;* hoc, *tentaverunt Deum.* Talis sane locutio est, *Concupierunt concupiscentiam;* qualis superior, *Laudaverunt laudem.*

15. [*vers.* 15.] *Et dedit eis petitionem ipsorum :* id est, quod petitione petierunt. *Et misit saturitatem in animam eorum.* Nec ideo beatos fecit; quia non erat illa saturitas de qua dicitur : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* v, 6). Itaque hoc loco animam non secundum id quod rationalis est, dixit, sed secundum id quod animans corpus animal facit. Ad cujus animalis sustentationem pertinet cibus et potus, secundum hoc quod in Evangelio dicitur, *Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum* (*Id.* vi, 25)? tanquam ad animam pertineat vesci, ad corpus vestiri. Secundum hoc dicitur apud Isaiam : *Quid est quod jejunavimus, et non vidisti; defraudavimus animas nostras, et nescisti* (*Isai* lviii, 3)?

16. [*vers.* 16.] *Et irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini.* Quam dicat irritationem, vel, sicut expressius alii interpretati sunt, amaricationem, consequentia satis indicant.

17. [*vers.* 17.] *Aperta est,* inquit, *terra, et deglutivit Dathan, et superoperuit super congregationem Abiron.* Quod est, *deglutivit,* hoc est, *superoperuit.* Amborum autem, id est, Dathan et Abiron, una erat causa superbissimi et sacrilegi schismatis.

18. [*vers.* 18.] *Et exarsit ignis in synagoga eorum: flamma combussit peccatores.* Non est hoc nomen in Scripturis usitatum eorum, qui licet juste ac laudabiliter vivant, non sunt sine peccato. Magis enim sicut interest inter irridentes et irrisores, inter murmurantes et murmuratores, inter scribentes et scriptores, et cætera similia; ita Scriptura peccatores appellare consuevit valde iniquos et grandibus [1] peccatorum sarcinis oneratos.

19. [*vers.* 19-20.] « Et fecerunt vitulum in Horeb; et adoraverunt sculptile. Et mutaverunt gloriam suam in similitudine vituli comedentis fenum. » Non ait, in similitudinem, sed, *in similitudine.* Talis est locutio, qualis illa ubi ait, *Et crediderunt in verbis ejus.* Eleganter sane non ait, Et mutaverunt gloriam Dei, cum hoc fecerint; sicut etiam Apostolus loquitur, *Et immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis* (*Rom.* i, 23): sed *gloriam suam* dixit. Deus enim erat gloria eorum, si ejus sustinerent consilium, et non festinarent; cui dicitur, *Gloria mea, et exaltans caput meum* (*Psal.* iii, 4). Istam *gloriam suam,* id est Deum, *mutaverunt in similitudine vituli comedentis fenum,* ut ab eo comederentur, a quo comeduntur qui sapiunt secundum carnem : *Omnis* enim *caro fenum* (*Isai.* xl, 6).

20. [*vers.* 21, 22.] *Obliti sunt Deum qui salvavit eos.* Quomodo salvavit eos? *Qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro.* Quæ sunt mirabilia, ipsa sunt terribilia; nulla quippe admiratio est sine quadam formidine : quamvis ista etiam hinc terribilia dici potuerint, quod adversarios afflixerunt, et istis quid deberent timere, monstrarunt.

21. [*vers.* 23.] *Et dixit ut disperderet eos.* Quia obliti sunt eum qui salvos fecit eos, faciens magnalia, et fecerunt et adoraverunt sculptile, hoc utique tam immani scelere et incredibili impietate, digni fuerant qui perirent. *Dixit* ergo *ut disperderet eos; si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus.* Non ita dixit stetisse *in confractione,* quasi ut frangeret iram Dei; sed *in confractione,* id est, in plaga qua erant illi feriendi : id est, nisi objecisset seipsum pro eis, dicens, *Si dimittis illis peccatum, dimitte; sin autem, dele me de libro tuo* (*Exod.* xxxii, 31, 32). Ubi demonstratum est intercessio sanctorum quantum pro aliis valeat apud Deum. Securus enim Moyses de justitia Dei, qua eum delere non posset, impetravit misericordiam, ne illos quos juste posset, deleret. Ita stetit *in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus, ne disperderet eos.*

22. [*vers.* 24.] *Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Sed numquid viderant eam? Quomodo ergo pro nihilo, quam non viderant, habuerunt, nisi quo-

[1] Omnes prope Mss., *gravibus.*

modo sequitur : *Nec crediderunt in verbis ejus?* Profecto nisi terra illa significaret aliquid magnum, quæ terra dicebatur fluens lac et mel (*Exod.* III, 8), per quod visibile sacramentum ad invisibilem gratiam regnumque cœlorum duceret eos qui mirabilia ejus intelligebant; nullo modo isti culparentur, quia pro nihilo habuerunt illam terram, cujus temporale regnum etiam nos pro nihilo habere debemus, ut Jerusalem liberam matrem nostram, quæ in cœlis est (*Galat.* IV, 26), vere desiderabilem diligamus. Sed potius hic infidelitas merito redarguitur, quia in eo quod terram desiderabilem pro nihilo habuerunt, verbis Dei non crediderunt, per quædam parva ducentis ad magna, et festinantes beari temporalibus rebus, quas secundum carnem sapiebant, *non sustinuerunt*, sicut supra dictum est, *consilium ejus*.

23. [*vers.* 25.] *Et murmurarunt in tabernaculis suis; non exaudierunt vocem Domini :* vehementer eos a murmuratione prohibentis.

24. *Et elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto : et ut dejiceret semen eorum in nationibus, et dispergeret eos in regionibus.*

25. [*vers.* 28, 29.] Hic antequam diceret quod tantæ indignationi Dei quisquam intercesserit, eumque aliquo modo placaverit, secutus adjunxit: *Et initiati sunt Beelphegor;* id est, idolo Gentium consecrati : *Et manducaverunt sacrificia* [1] *mortuorum. Et irritaverunt eum in adinventionibus suis, et multiplicata est in eis ruina.* Tanquam ad hoc distulerit, quod levaverat manum super eos prosternendos in deserto, et dejiciendum semen eorum in nationibus, et dispergendos eos in regionibus, ut dati in reprobum sensum, etiam illud admitterent, in quo immaniore crimine evidenti justitia punirentur, quemadmodum dicit Apostolus : *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* I, 28).

26. [*vers.* 30.] Denique tantum fuit scelus eorum, quod consecrati sunt idolo, et comederunt sacrificia mortuorum (id est, quia mortuis hominibus tanquam diis sacrificabant Gentes [2]), ut aliter se placari Deus nollet, nisi quomodo eum placavit Phinees sacerdos, qui masculum et feminam in complexu adulterino deprehensos pariter interemit (*Num.* XXV, 8). Quod si odio eorum, non dilectione fecisset, dum eum comederet zelus domus Dei, non ei reputaretur ad justitiam. Hoc enim facto, illum populum cujus futurus erat major interitus, tanquam unum hominem quasi virga percussit, ut animam ejus salvaret a morte. Leniorem quidem revelato Testamento Novo Dominus Christus esse voluit disciplinam; sed atrocior est comminatio gehennæ, quam tunc in illis comminationibus Dei pro temporum dispensatione non legimus. *Multiplicata est* ergo *in eis ruina*, cum pro suis gravibus peccatis graviter vastarentur. *Et stetit Phinees, et placavit, et cessavit quassatio.* Breviter totum dixit, quia non hic nescientes docet, sed commemorat scientes. Quæ autem hic posita est quassatio, hæc superius confractio : nam in græco unum verbum est.

27. [*vers.* 31.] *Et reputatum est ei in justitiam, in generationem et generationem usque in sempiternum.* Deus hoc reputavit sacerdoti suo [1] in justitiam, non solum quamdiu generatio est, sed *usque in sempiternum;* qui cor scrutatur, et novit appendere quanta id factum sit populi charitate.

28. [*vers.* 32, 33.] « Et irritaverunt eum ad aquam contradictionis, et vexatus est Moyses propter eos; quia exacerbaverunt spiritum ejus. Et distinxit in labiis suis. » Quid est, *distinxit?* Quasi illud non posset Deus facere, qui tanta jam fecerat, ut aqua de petra proflueret. Dubitanter enim petram virga percussit, et ideo hoc miraculum distinxit a cæteris miraculis, in quibus non dubitaverat. Hinc offendit, hinc audire meruit ut moreretur, ne intraret in terram promissionis (*Deut.* XXXII, 49-52). Perturbatus enim murmure populi infidelis, non tenuit fiduciam qualem debuit. Cui tamen Deus tanquam electo suo, etiam post mortem ejus bonum perhibet testimonium, ut intelligamus illam fidei ejus titubationem hac sola pœna fuisse correptam, quod in eam terram, quo populum ipse ducebat, non est permissus intrare. Absit autem ut eum credamus alienatum a regno gratiæ Dei, quod significabat illa terra promissionis, unde lac et mel defluere dicebatur. Hoc est enim potius testamentum æternum quod disposuit ad Abraham, non secundum carnem patrem nostrum, sed secundum fidem.

29. [*vers.* 34-36.] Illi autem de quorum iniquitatibus iste loquitur psalmus, cum in illam temporalem terram promissionis intrassent, « Non disperdiderunt Gentes, quas dixit Dominus illis. Et commixti sunt inter Gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum; et factum est illis in scandalum. » Illud quod eas non disperdiderunt, sed eis commixti sunt, factum est illis in scandalum.

30. [*vers.* 37-40.] « Et immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis : et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan. » Immolasse filios suos et filias suas dæmoniis et idolis, non eos illa narrat historia; sed neque iste psalmus mentiri potest, neque Prophetæ, qui hoc dicunt multis increpationum suarum locis. Habuisse vero istam consuetudinem Gentes, nec earum litteræ tacuerunt.

31. Sed quid est quod sequitur? *Et interfecta est terra in sanguinibus.* Putaremus enim scriptoris errorem, eumque diceremus pro eo quod est *infecta*, fecisse *interfecta*, nisi haberemus beneficium Dei, qui Scripturas suas in multis linguis esse voluit; atque ita esse scriptum, *Interfecta est terra in sanguinibus*, inspectis græcis codicibus videremus (*a*). Quid est ergo, *Interfecta est terra*, nisi hoc referatur ad homines qui habitabant in terra, tropica locutione, qua

[1] Antiquiores Mss., *sacrificium :* juxta græc. LXX.
[2] Vox, *gentes*, abest a nonnullis Mss.

[1] Sic Mss. At Edd., *sacerdotio suo.*
(*a*) Græc., *ephonoctonéthê.*

significatur per id quod continet, id quod continetur, sicut dicimus malam domum, in qua mali habitant, et bonam in qua boni? Ipsi namque interficiebant animas suas immolando filios suos, et effundendo sanguinem parvulorum a consensione illius sceleris alienorum: unde dictum est, *Effuderunt sanguinem innocentem*. Ergo, *Interfecta est terra in sanguinibus, et contaminata est in operibus eorum*, cum ipsi interfecti sunt in anima, et contaminati in operibus suis. *Et fornicati sunt in adinventionibus suis*. Has dicit adinventiones, quas Græci ἐπιτηδεύματα appellant: nam hoc verbum est in codicibus græcis et hoc loco, et superius, ubi dictum est, *Irritaverunt eum in adinventionibus suis*; cum et illic et hic eas dicat adinventiones, in quibus alios imitati sunt. Non itaque sic dictas arbitremur adinventiones, quasi ab ipsis institutas, nullo in aliis præcedente quod imitarentur exemplo. Unde alii interpretes nostri, non adinventiones, sed studia; alii vero affectiones, vel affectationes, alii voluptates dicere maluerunt: et iidem ipsi qui dixerunt adinventiones, alio loco studia posuerunt. Hoc commemorare volui, ne quæstionem faceret nomen adinventionis in ea re, quam non a seipsis excogitaverunt, sed alios imitati sunt.

32. [*vers*. 40-43.] *Et iratus est furore Dominus in populum suum*. Noluerunt quidam interpretes nostri iram ponere, in eo quod græcus habet θυμὸς: sed quidam posuerunt mentem; quidam vero indignationem, quidam animum interpretati sunt. Quodlibet autem horum dicatur, perturbatio non cadit in Deum; sed de consuetudine translatum, potentia vindicandi hoc nomen accepit.

33. « Et abominatus est hæreditatem suam. Et tradidit eos in manus Gentium, et dominati sunt eorum qui oderant eos: et tribulaverunt eos inimici eorum, et humiliati sunt sub manibus eorum. » Quando eos hæreditatem Dei vocavit, manifestum est quod non ad perditionem, sed ad disciplinam eos abominatus est, et tradidit in manus inimicorum. Denique sequitur: *Sæpe liberavit eos*.

34. *Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo*. Hoc est quod superius ait, *Non sustinuerunt consilium ejus*. Perniciosum autem est consilium hominis ipsi homini, quo ea quærit quæ sua sunt, non quæ Dei sunt (*Philipp*. II, 21). In cujus hæreditate, quod ipse nobis est, cum ad fruendum se præbere dignatur, nullas patiemur cum sanctis societatis angustias, dilectione rei nostræ quasi privatæ. Gloriosissima quippe illa civitas adepta promissam hæreditatem, in qua nullus morietur, nullus orietur, non habebit cives qui singuli gaudeant suis rebus, quia Deus erit omnia in omnibus (I *Cor*. XV, 28). Cujus societatem quisquis in hac peregrinatione fideliter et flagranter desideraverit, assuescit privatis præferre communia, non sua quærendo, sed quæ Jesu Christi: ne sibi sapiens et sibi consulens, exacerbet Deum consilio suo; sed sperans quod non videt, non festinet de his quæ videntur fieri beatus, atque illud æternum quod non videtur patienter exspectans, ejus in promissionibus sequatur consilium, cujus in tentationibus precatur auxilium. Ita erit et humilis in confessionibus suis, ne fiat istorum similis, de quibus dicitur: *Et humiliati sunt in iniquitatibus suis*.

35. [*vers*. 44, 45.] Deus tamen plenus misericordia, non neglexit eos; « Et vidit cum tribularentur, cum audiret orationem eorum. Et memor fuit testamenti sui, et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ. » *Pœnituit* dictum est, quia mutavit quod eos perditurus videbatur. Et apud Deum quidem disposita et fixa sunt omnia; nec aliud facit quasi consilio repentino, quod non ex æternitate se facturum esse præscivit: sed in creaturæ temporalibus motibus, quam gubernat mirabiliter, ipse non temporaliter motus, quasi repentina voluntate facere dicitur quod ordinatis rerum causis consilii sui secretissimi immutabilitate disposuit, qua suis quæque temporibus agnita, et præsentia facit [1], et futura jam fecit. Et ad hæc quis idoneus? Audiamus itaque Scripturam, humiliter excelsa dicentem, cum et parvulis nutriendis sumenda porrigit, et majoribus exercendis perscrutanda proponit. *Et vidit cum tribularentur, cum audiret orationem eorum; et memor fuit testamenti sui*: utique testamenti æterni *quod disposuit ad Abraham*, non veteris quod aboletur, sed novi quod etiam in vetere absconditur. *Et pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ*. Hoc fecit quod disposuerat, sed contribulatis et orantibus se id concessurum esse præsciverat; quia et ipsa oratio eorum, cum adhuc non esset, sed futura esset, Deum procul dubio non latebat.

36. [*vers*. 46.] *Et dedit eos in misericordias*. Ut essent non vasa iræ, sed vasa misericordiæ (*Rom*. IX, 22, 23). Ideo autem puto pluraliter misericordias dictas, in quas eos dedit, quia unusquisque proprium donum habet a Deo, alius sic, alius autem sic (I *Cor*. VII, 7). *Dedit* ergo *eos in misericordias, in conspectu omnium qui ceperant eos*. Age nunc, quisquis hæc legis, et gratiam Dei, qua in æternam vitam per Dominum nostrum Jesum Christum redimimur, legendo in apostolicis Litteris, in propheticis autem scrutando cognoscis, et Vetus Testamentum in Novo revelatum, in Vetere Novum velatum vides; recole quem dixerit apostolus Paulus principem potestatis aeris, *qui operatur in filiis infidelitatis* (*Ephes*. II, 2), et illud ubi ait de quibusdam, *ut resipiscant de diaboli laqueis, captivati ab ipso secundum ipsius voluntatem* (II *Tim*. II, 26): et verba Domini Jesu Christi, ubi eum expellens de fidelium cordibus ait, *Nunc princeps hujus mundi missus est foras* (*Joan*. XII, 31); et ipsius itidem Apostoli dicentis, *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii charitatis suæ* (*Coloss*. I, 13). Hæc atque hujusmodi ratiocinatus, intende animum et in litteras Veteris Testamenti, et vide quid cantetur in eo psalmo cujus est titulus, *Quando domus ædificabatur post captivitatem*: ibi enim dicitur, *Cantate Domino canticum novum*. Et ne existimes ad Judæorum populum tantummodo pertinere: *Cantate*, in-

[1] Sic Mss. At Edd., *agnita agit, ita et præsentia facit*.

quit, *Domino, omnis terra; cantate Domino, benedicite nomen ejus, annuntiate*, vel potius, *bene nuntiate*, imo ut ipsum verbum quod in græco positum est, transferam, *evangelizate diem ex die, salutare ejus*. Hinc enim Evangelium nuncupatum est, in quo annuntiatur dies ex die, Dominus Christus, lumen ex lumine, Filius ex Patre. Hoc enim est et *salutare ejus*; quia salutare Dei Christus est, sicut et superius jam demonstravimus (a). « Annuntiate in gentibus gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus. Quoniam magnus Dominus et laudabilis valde, terribilis est super omnes deos : quoniam omnes dii Gentium dæmonia » (*Psal.* xcv, 1-5). Isti ergo inimici cum rege suo diabolo captivum tenebant populum Dei. De qua captivitate cum redimimur, et princeps hujus mundi mittitur foras, ædificatur domus post captivitatem : cujus lapis angularis est Christus, qui duos condidit in se, in unum novum hominem, faciens pacem, quam dies ex die veniens evangelizavit eis qui erant prope, et eis qui erant longe, faciens utraque unum (*Ephes.* II, 15-22); et adducens alias oves quæ non sunt de hoc ovili, ut sit unus grex et unus pastor (*Joan.* x, 16). Et ita Deus *dedit in misericordias* prædestinatos suos; quia *non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16) : *in conspectu omnium qui ceperant eos*. Hi ergo inimici, diabolus et angeli ejus captivaverant prædestinatos in Dei regnum et gloriam : a Redemptore autem nostro foras missi qui dominari infidelibus solebant intrinsecus, fideles oppugnant extrinsecus. Sed oppugnant, non expugnant eos qui apprehendunt turrem fortitudinis a facie inimici (*Psal.* LX, 4). Ut autem oppugnent, sentiunt in nobis esse infirmitatis reliquias, propter quas dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*; propter quas dicimus, *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo* (*Matth.* VI, 12, 13). His itaque inimicis ejectis, perfecit Dominus Christus sanitates in corpore, cui caput est ipse Salvator corporis (*Ephes.* v, 23), ut in eo ipso corpore suo tertia consummetur. Sic enim dixit, *Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia consummor* (*Luc.* XIII, 32); id est, perficior, occurrentibus omnibus nobis in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* IV, 13).

37. [*vers.* 47, 48.] Itaque ejectis dæmoniis, a quibus captivi tenebamur, perficit sanitates. Ideo et hic cum dixisset, *Et dedit eos in misericordias, in conspectu omnium qui ceperant eos*; tanquam ejectis dæmoniis qui ceperant, fit oratio ut perficiat sanitates. *Salvos nos fac, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus*, vel, sicut alii codices habent, *de Gentibus; ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua*. Deinde breviter subjecit ipsam laudem, *Benedictus Dominus Deus Israel, a sæculo et usque in sæculum* : quod intelligimus, ab æterno usque in æternum; quia sine fine laudabitur ab eis de quibus dicitur, *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Ipsa est tertia consummatio corporis Christi, ejectis dæmoniis et perfectis sanitatibus, usque ad ipsius corporis immortalitatem, regnum sempiternum perfecte laudantium, quia perfecte amantium : perfecte autem amantium, quia facie ad faciem contemplantium. Tunc enim perficietur quod in primordio psalmi hujus oratum est : « Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui; visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua. » Non enim de Gentibus [1] solas congregat oves quæ perierunt domus Israel (*Matth.* xv, 24), sed etiam eas quæ non sunt de illo ovili; ut sit grex unus, ut dictum est, et unus pastor. Judæi vero cum putant ad suum regnum visibile istam pertinere prophetiam, quia spe invisibilium bonorum gaudere non norunt; in laqueos illius ruituri sunt, de quo Dominus ait : « Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me; alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis » (*Joan.* v, 43). De quo apostolus Paulus dicit, « Quia revelabitur homo peccati, filius interitus, qui adversatur et superextollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus. » Et paulo post, « Tunc revelabitur, » inquit, « iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et evacuabit illuminatione præsentiæ suæ eum, cujus est præsentia secundum operationem satanæ, in omni virtute et signis et prodigiis mendacii, et in omni seductione iniquitatis his qui pereunt, pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, ut salvi fierent; et ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, et judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati » (II *Thess.* II, 3-11). Per istum refugam, per istum qui se extollit supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, videtur mihi populum Israelitarum carnalium putaturum impleri istam prophetiam qua dictum est, *Salvos nos fac, Domine Deus noster, et congrega nos de Gentibus*; quod illo duce, velut in conspectu inimicorum suorum visibilium, qui eos visibiliter captivaverant, habituri sint visibilem gloriam. Sic credent mendacio, quia dilectionem veritatis non receperunt, ut non bona carnalia, sed spiritualia concupiscerent. Sic enim a diabolo decepti sunt, ut occiderent Christum, quando dixerunt, « Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani, et tollent nostrum et locum et gentem : » quando « Caiphas unus ex ipsis, cum esset pontifex anni illius, dixit eis, Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit nobis [2] ut moriatur unus homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem, » sicut Evangelista intellexit, « non a seipso dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia Jesus moriturus erat pro gente; et non tantum pro gente, » id est, pro ovibus quæ perierant domus Israel, « sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum » (*Joan.* XI, 48-52). Habebat enim alias oves quæ

(a) Supra, n. 3.

[1] Am. et Lov., *de Judæis*. Melius Er. et Mss., *de Gentibus*.

[2] Edd., *vobis*. At Mss. juxta Græc., *nobis*.

non erant de illo ovili: istas universas oves, et de Israelitis, et de Gentibus, diabolus et ejus angeli captivaverant. Expulso itaque ab eis diaboli dominatu, in conspectu malignorum spirituum qui eas captivaverant, ut salventur et perficiantur in æternum, vox earum est in prophetia: *Salvos fac nos, Domine Deus noster, et congrega nos de Gentibus*. Non sicut per antichristum compleri existimant Judæi, sed per Christum Dominum nostrum venientem in nomine Patris sui, *diem ex die, salutare ejus;* de quo et hic dictum est, *Visita nos in salutari tuo. Et dicet omnis populus:* iste populus prædestinatorum de circumcisione et præputio, gens sancta, populus in adoptionem: *Fiat, fiat.*

IN PSALMUM CVI
ENARRATIO.

1. Psalmus iste miserationes Dei commendat nobis, probatas in nobis, et ideo expertis est dulcior. Et mirum si potuerit suavis esse cuilibet, nisi illi qui id quod in isto psalmo audit, in se didicit. Non tamen uni alicui vel duobus, sed populo Dei conscriptus est, et ad se agnoscendum tanquam in speculo propositus. Cujus titulus non nunc tractandus est: est enim, *Alleluia*, et bis *Alleluia*. Quod nobis cantare certo tempore solemniter moris est, secundum Ecclesiæ antiquam traditionem: neque enim et hoc sine sacramento certis diebus cantamus. Alleluia certis quidem diebus cantamus, sed omni die cogitamus. Si enim hoc verbo significatur laus Dei, etsi non in ore carnis, certe in ore cordis, *Semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 2). Quod autem non semel, sed bis habet *Alleluia* titulus iste, non hujus psalmi proprium est, sed et alius superior sic habet. Et quantum apparet ex ejus textu, cantatus est ille de populo Israel; cantatur autem iste de universa Ecclesia Dei diffusa toto orbe terrarum. Forte non immerito bis habet *Alleluia:* propter quod clamamus et *Abba, Pater*. Cum aliud nihil sit *Abba*, quam *Pater:* non tamen frustra dixit Apostolus, *In quo clamamus, Abba, Pater* (*Rom.* VIII, 15): nisi quia unus quidem paries veniens ad lapidem angularem, clamat, *Abba;* alius ex alio latere clamat, *Pater;* in illo utique lapide angulari, qui est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14, 20). Videamus ergo hic quid admoneamur, et unde gratulemur, et unde gemamus, et unde auxilium postulemus; unde deseramur, unde nobis subveniatur; quid simus per nos, quid per misericordiam Dei; quomodo nostra superbia conteratur, ut illius gratia glorificetur. Unicuique hominum quod dicturus sum, si fieri potest, occurrat in se. Loquor autem hominibus qui ambulant viam Dei, et constituti sunt in aliquo provectu spirituali: unde si qui forte propter hoc minus me intelligunt, inveniant ubi sint, et proficiendo ad intellectum festinent. Non autem arbitror deserturum Deum conatum nostrum, ut ad omnes perveniat quod loquimur, sive expertos, sive inexpertos, ut experti approbent, inexperti desiderent, et omnibus suavis sit disputatio mea: quæ primum Domino suavis erit, si veridica erit; veridica autem erit, si non mihi a me, sed ab illo erit. Sic cœpit Psalmus.

2. [*vers.* 1.] *Confitemini Domino, quoniam suavis est, quoniam in sæculum misericordia ejus*. Hoc confitemini, quoniam suavis est: si gustastis, confitemini. Non potest autem confiteri qui gustare noluit: unde enim dicturus est suave esse quod nescit? Vos autem si gustastis quam suavis est Dominus (I *Petr.* II, 3), *Confitemini Domino, quoniam suavis est:* si gustastis aviditate, confessione eructate. *In sæculum* enim *misericordia ejus*, id est, in æternum. Hic enim ita positum est, *in sæculum*, quia et in nonnullis Scripturæ locis, *in sæculum*, id est, quod Græce εἰς αἰῶνα dicitur, in æternum intelligitur. Neque enim misericordia ejus ad tempus est, et non in æternum; cum ideo sit super homines hæc ejus misericordia, ut vivant cum Angelis in æternum.

3. [*vers.* 2-9.] *Dicant qui redempti sunt a Domino.* Redemptus quidem videtur et populus Israel de terra Ægypti, de manu servitutis, ex laboribus infructuosis, ex operibus luteis: videamus tamen utrum ipsi sint qui hæc dicunt, qui ab Ægypto liberati sunt a Domino. Non ita est. Sed qui sunt isti? *Quos redemit de manu inimicorum*. Adhuc potest quisque et illos accipere redemptos de manu inimicorum, hoc est, Ægyptiorum. Proprie exprimantur qui sint propter quos hæc vult psalmus iste cantari. *De regionibus congregavit eos*. Possunt esse adhuc regiones Ægypti, multæ enim etiam unius provinciæ regiones sunt. Aperte dicat: *Ab oriente et occasu, ab aquilone et mari*. Istos ergo jam redemptos intelligimus in toto orbe terrarum. Populus hic Dei de magna et lata Ægypto liberatus, tanquam per mare Rubrum ducitur, ut in Baptismo finiat inimicos. Sacramento enim tanquam rubri maris, Baptismo scilicet Christi sanguine consecrato, insequentes Ægyptii, peccata delentur; et te evadente, nullus qui te premebat, remanet inimicus. Isti ergo dicant hæc; et audiamus jam, fratres, (quoniam ducitur [1] iste populus Dei) quid hic agatur in congregatione omnium gentium redempta per Christum: non quasi simul contingant hæc quæ cantantur, in omnibus, sed in singulis quibusque credentibus; in populo autem illo aliter. Totus enim populus, tota illa gens ex semine Abrahæ secundum carnem, tota multitudo domus Israel semel educta est ex Ægypto, semel per Rubrum mare ducta, semel ad terram promissionis perducta; simul enim omnes erant in quibus hæc contingebant: *Hæc autem omnia in figura contingebant in illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos finis sæculorum obvenit* (I *Cor.* X, 11). Nos vero non simul omnes, sed paulatim sigillatimque credentes congregamur in unam quamdam civitatem, et in unum populum Dei; sed in unoquoque nostrum etiam singulo contingunt hæc quæ scripta sunt, contingunt in populo. Etenim populus de singulis, non singuli de populo: numquid enim unus homo ex populis? Sed populus ex singulis hominibus

[1] Sic Er. et nostri Mss. At Am., *quoniam dicitur*. Lov., *quonam ducitur*.

constat. Quidquid ergo, cum loquor, agnoveris in te, quisquis expertus es, noli cogitando quasi remanere in te, et putare quod in solo te contingit; sed crede ista contingere aut in omnibus, aut prope in omnibus qui veniunt ad hunc populum, et de manu inimicorum pretioso sanguine redimuntur.

4. Repetiturus est enim assidue quod cantavimus modo : *Confiteantur Domino miserationes ejus, et mirabilia ejus filiis hominum*. Istos versus, quantum advertere potui, quod potestis et vos, quater repetit; in quo numero, quantum Domino adjuvante scrutari valuimus, significat nobis quatuor quasdam tentationes, ex quibus nos liberat cui confitentur suæ miserationes. Fac enim hominem primo nihil quærentem, secundum vitam veterem seductoria securitate viventem, nihil putantem aliud esse post hanc vitam quandoque finiendam; negligentem quemdam et socordem, obrutum cor habentem illecebris mundi, et mortiferis delectationibus consopitum : ut excitetur iste ad quærendam gratiam Dei, ut fiat sollicitus, et tanquam de somno evigilet, nonne manus Dei excitat eum? Sed tamen a quo sit excitatus, ignorat. Incipit autem esse jam Dei [1], cum cognoverit veritatis fidem. Sed antequam cognoscat, dolet errorem suum. Invenit enim se in errore, vult cognoscere veritatem, pulsat ubi potest, tentat quod potest, vagatur qua potest, famem etiam patitur ipsius veritatis. Prima ergo tentatio est erroris et famis. Ubi in hac tentatione fatigatus exclamaverit ad Deum, perducitur ad viam fidei, unde incipiat pergere ad civitatem quietis. Perducitur ergo ad Christum, qui dixit : *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6).

5. Cum ergo ibi fuerit, jam sciens quid observare debeat, nonnunquam multum sibi tribuendo, et quasi de suis viribus præsumendo, incipit confligere velle contra peccata, et propter superbiam superari. Invenit ergo se ligatum difficultatibus cupiditatum, et non posse viam propter compedes ambulare : inclusum se sentit difficultate vitiorum; et tanquam muro impossibilitatis erecto, portisque clausis, qua evadat ut recte vivat, non invenit. Jam scit quomodo vivere debeat : prius enim in errore erat, et famem veritatis patiebatur; accepit autem jam cibum veritatis, et positus est in via : audit, Vive bene, secundum quod nosti; antea enim non noveras quemadmodum viveres, modo accepisti et nosti. Conatur, non potest; ligatum se sentit, exclamat ad Dominum. Secunda ergo tentatio est difficultatis in bene operando, sicut illa prima erroris et famis. Exclamat et in hac ad Dominum : liberat Dominus de necessitatibus, rumpit vincula difficultatis, constituit in operatione æquitatis. Incipit ei jam facile esse quod difficile fuerat, abstinere a malis, non adulterare, non furtum facere, non homicidium, non sacrilegium, non alienum concupiscere : facta est facultas quæ fuerat antea difficultas. Potuit hoc Dominus sine difficultate præstare; sed si hoc sine difficultate haberemus, largitorem hujus boni non agnosceremus. Si enim primitus, cum vellet, posset, et non sentiret adversus se obnitentes cupiditates, nec vinculis suis gravata anima collideretur; suis viribus tribueret quod se posse sentiret, et non confiterentur Domino miserationes ejus.

6. Post has duas tentationes, primam erroris atque inopiæ veritatis, secundam difficultatis bene operandi, tertia tentatio excipit hominem : ei loquor qui jam transiit has duas. Nam istæ duæ, fateor, multis notæ sunt. Quis enim nescit se ab ignorantia venisse ad veritatem, ab errore ad viam, a fame sapientiæ ad verbum fidei? Deinde multi luctantur cum difficultatibus vitiorum suorum, et adhuc consuetudine colligati gemunt tanquam in clausura et compedibus. Agnoscunt et istam tentationem, quamvis jam dicant, si forte dicunt : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24)? Nam vide arctissima vincula : *Caro*, inquit, *concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; ut non ea quæ vultis, illa faciatis* (*Galat.* V, 17). Proinde qui jam est adjutus spiritu, ut quemadmodum noluit esse adulter, sic non sit; quomodo noluit esse fur, sic non sit; et cætera illa omnia, quæ volunt homines vincere, et sæpe inflexi superantur, ut exclament ad Deum, ut de necessitatibus eorum eruat eos, et inde liberati confiteantur Domino miserationes ejus : quisquis ergo talis est, et vicit illas difficultates, et probabiliter jam conversatur inter homines, sine ulla querela malorum morum, excipitur tentatione tertia tædii cujusdam in mora hujus vitæ, ita ut aliquando eum nec legere nec orare delectet. Tertia tentatio priori contraria : prius enim periclitabatur fame, postea fastidio. Unde et hoc, nisi de quodam languore animæ? Jam non te illicit adulterium, nec tamen delectat Dei verbum. Jam post periculum imperitiæ et concupiscentiæ, de quibus duobus te evasisse lætaris, vide ne tædium fastidiumque te necet. Non est et ista levis tentatio : agnosce te in illa, et exclama ad Dominum, ut de necessitatibus tuis etiam hic liberet te; et de hac tentatione liberatus cum fueris, confiteantur illi miserationes ejus.

7. Liberatus autem ab errore, liberatus a difficultate bene operandi, liberatus a tædio fastidioque verbi Dei, fortassis dignus eris cui populus committatur; constituaris in gubernaculis navis, recturus Ecclesiam. Ibi quarta tentatio. Tempestates maris quatientes Ecclesiam, turbant gubernatorem. Denique tres illas tentationes experiri potest omnis pius fidelis in populo Dei; quarta ista nostra est. Quanto enim plus honoramur, tanto plus periclitamur. Metuendum est ne avertat aliquem vestrum a veritate periculum erroris; metuendum est ne vincat unumquemque cupiditas sua, et eligat eam sequi, quam ex ejus difficultatibus exclamare ad Dominum; metuendum est ne unicuique vestrum minus sapiat verbum Dei, et fastidio moriatur : tentatio vero gubernandi, tentatio periculorum in regenda Ecclesia nos potissimum tangit. Sed quomodo et vos alieni eritis, si tota navis periclitabitur? Quod ideo dixi, ne in hac quarta tentatione, tanquam nostra propria (ubi opus est ut ab orationibus non

[1] Sic Mss. At Am. : *Incipit autem Dei suavitatem gustare; cum cognoverit*, etc. Er. et Lov., *Incipit autem esse Dei; et ejus suavitatem gustare*, etc.

desistatis, nam vos primo naufragatis [1]), minus solliciti sitis, et pro nobis minus oretis. Quid enim, fratres, quia ad eadem gubernacula non sedetis, non in eadem navi navigatis?

8. Post has quatuor tentationes, quatuor exclamationes, quatuor liberationes, quatuor miserationum dominicarum confessiones, generaliter in hoc psalmo consequenter ipsa commendatur Ecclesia; ut evidentissime noveritis, de qua Psalmus ab exordio loquebatur. Commendatur autem ita ut nobis in omnibus [2] Dei gratia prædicetur, qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacobi* IV, 6): quia ideo ille venit, *ut qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX, 39); quia *omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur* (*Isai.* XL, 4). Quo commendato, dicitur aliquid, quod etiam de hæreticis intelligatur, quibus tanquam civilibus bellis quatitur Ecclesia; et concluditur Psalmus, quem jam exposui, brevius fortasse quam putabatis. Nam usque adeo me istum totum psalmum aliquantum prolixum exposuisse arbitror, ut jam officium a me non exspectetis disputatoris, sed pene lectoris, si tenetis quæ dixi. Puto enim, sunt ante oculos vestros constituta; sed ut melius commendentur, breviter replicentur. Prima tentatio erroris et famis verbi; secunda difficultatis vincendarum concupiscentiarum; tertia tædii atque fastidii; quarta tempestatis et periculorum in gubernandis Ecclesiis: et in his omnibus exclamationes, et liberationes, et miserationum Dei confessiones. Ad extremum ipsius Ecclesiæ fit commendatio, quæ et salva facta est per gratiam Dei nostri, non per meritum suum: et commemoratur inimicorum afflictio propter superbiam; quibus exstinctis, erecta est Ecclesia: et propter insidias quasdam deminutionis ab hæreticis, et detrimentorum quodammodo domesticorum, et ex his circa Ecclesiam divina beneficia; et Psalmi conclusio. Legamus jam magis quam disseramus.

9. « Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimicorum; de regionibus congregavit eos, ab oriente et occasu, et aquilone et mari. » Christiani ergo ipsi dicant, de toto orbe convocati. *Erraverunt in solitudine, in siccitate, viam civitatis habitationis non invenerunt.* Errorem miserabilem audivimus: quid de inopia? *Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis defecit.* Sed quare defecit? cui bono? Non enim crudelis est Deus; sed se commendat, quod expedit nobis, ut nobis deficientibus rogetur, et ut subveniens ametur. Et ideo post hunc errorem et famem et sitim, *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur; et de necessitatibus eorum eripuit eos.* Et quid illis præstitit, quia errabant? *Et deduxit eos in viam rectam.* Viam civitatis habitationis non inveniebant, fame et siti æstuabant, et deficiebant, *Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.* Quomodo subvenerit fami et siti, nondum dicit, sed et hoc exspectate. *Confiteantur Domino miserationes ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.* Dicite experti inexpertis, jam in via positi, jam ad civitatem inveniendam directi, jam denique a fame et siti liberati: *Quoniam satiavit animam inanem, et animam esurientem implevit bonis.*

10. [*vers.* 10-17.] Vive ergo bene; jam in via positus es, jam audisti quid agere debeas, quid sperare. Quid aliud excipit, quoniam conaris et superaris? *Sedentes in tenebris et in umbra mortis, compeditos in mendicitate et ferro.* Unde hoc, nisi quia tibi tribuebas, quia gratiam Dei non agnoscebas, quia consilium Domini circa te reprobabas? Nam vide quid adjungat: *Quoniam inamaricaverunt eloquia Domini;* per superbiam, justitiam Domini nescientes, et suam volentes constituere (*Rom.* X, 3). *Et consilium Altissimi exacerbaverunt. Et humiliatum est in laboribus cor eorum.* Et nunc pugna contra concupiscentiam. Deo desistente ab adjutorio, laborare potes, vincere non potes. Et cum fueris pressus consuetudine tua prava, humiliabitur cor tuum in laboribus; ut jam corde humiliato discas clamare: « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Humiliatum est » ergo « in laboribus cor eorum; infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret eos. » Quid ergo restat, nisi quare factum est? « Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia: sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus » (*Galat.* III, 21, 22). « Lex autem subintravit, ut abundaret delictum » (*Rom.* V, 20). Accepisti verbum, accepisti præceptum, nec desinis facere quod male faciebas; et accepto præcepto, auges peccata per prævaricationem. Superbe, si te ignorabas, vel disce te humiliatus [1]: clamabis, a necessitate liberaberis; liberatus miserationes Domini confiteberis. *Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum salvos fecit eos.* Liberati sunt de secunda tentatione, restat tædii atque fastidii. Sed primo quid istis præstitit liberatis, videte. « Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, et vincula eorum disrupit. Confiteantur Domino miserationes ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. » Quare? quas difficultates vicit? « Quia contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorum: propter injustitias enim suas humiliati sunt. » Quia sibi tribuebant, non Deo: quia suam justitiam constituebant, ignorantes Dei justitiam, humiliati sunt. Invenerunt se non posse sine ejus adjutorio, qui de suis solis viribus præsumebant.

11. [*vers.* 18-22.] Sed quod aliud genus restat? *Omnem escam abominata est anima eorum.* Jam fastidium patiuntur, fastidio languent, fastidio periclitantur: nisi forte putas occidi eos fame potuisse, et non posse fastidio. Vide quid sequatur, cum dixisset, *Omnem escam abominata est anima eorum;* ne quasi eos putares de satietate securos, non magis videres

[1] Verba parenthesi comprehensa non omnes Mss. habent. At Edd. post, *non desistatis*, prosequebantur sic, *non primo vos naufragetis, si minus solliciti*, etc. Emendantur ad aliquot Mss.

[2] Sic Mss. At Am., *ut nobis omnibus*. Er. et Lov., *ut in nobis omnibus*.

[1] Edd., *per prævaricationem superbiæ. Si te ignorabas, vel disce te, humiliatus clamabis*, etc. Castigantur subsidio Mss.

de fastidio morituros : *Et appropinquaverunt*, inquit, *usque ad portas mortis*. Quid ergo restat? Ut quod te delectat verbum Dei, non tibi tribuas, neque hinc aliqua infleris arrogantia, et avidus cibi, in eos qui fastidio periclitantur superbe insilias. Intellige etiam tibi præstitum esse hoc, non a te tibi esse. Quid enim habes quod non accepisti (I *Cor.* IV, 7)? Hoc ergo intelligens, et hoc vitio atque languore periclitans, fac quod sequitur : *Et exclamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos.* Et quia languor erat non delectari : *Misit verbum suum, et sanavit eos.* Vide quid mali habeat fastidium ; vide unde liberat ille, ad quem clamat fastidiens. *Misit verbum suum, et sanavit eos : et eripuit eos.* Unde? Non de errore, non de fame, non de difficultate vincendi peccata, sed *de corruptela eorum.* Quædam corruptela mentis est, fastidire quod dulce est. Ergo et de hoc beneficio, sicut de cæteris superioribus, *Confiteantur Domino miserationes ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Et sacrificent sacrificium laudis.* Jam enim ut laudetur, suavis est Dominus. *Et enuntient opera ejus in exsultatione :* non cum tædio, non cum mœrore, non cum anxietate, non cum fastidio, sed *in exsultatione.*

12. [*vers.* 23-31.] Quarta illa restat, in qua omnes periclitamur. Omnes enim in navi sumus : alii operantur, alii portantur ; simul tamen omnes et in tempestate periclitantur, et in portu salvantur. Post hæc enim omnia sequitur, *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis :* id est, in populis multis. Aquas enim sæpe pro populis poni, testis est Apocalypsis Joannis, ubi interrogans Joannes quid illæ aquæ essent, responsum est ei, *Populi sunt* (*Apoc.* XVII, 15). Qui ergo faciunt operationem in aquis multis, *ipsi viderunt opera Domini, et mirabilia ejus in profundo.* Quid enim profundius cordibus humanis? Inde plerumque venti erumpunt, tempestates seditionum, et dissensionum navem perturbant. Et quid agitur in his? Volens Deus ut ad eum clamarent et hi qui gubernant, et hi qui portantur, *Dixit, et stetit spiritus procellæ.* Quid est, *stetit?* Permansit, perduravit : adhuc turbat, diu jactat, sævit, et non transit. *Dixit* enim, *et stetit spiritus procellæ.* Et quid egit iste spiritus procellæ? *Et exaltati sunt fluctus ejus. Ascendunt usque ad cœlos*, audiendo : *descendunt usque in abyssos*, timendo. *Ascendunt usque in cœlos, descendunt usque in abyssos :* foris pugnæ, intus timores. *Anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt, et moti sunt, sicut ebrius.* Qui sedent ad gubernacula, et qui fideliter navem amant, sentiunt quod dico : *Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius.* Certe quando loquuntur, quando legunt, quando tractant, sapientes apparent : væ a tempestate! *Et omnis*, inquit, *sapientia eorum absorpta est.* Aliquando deficiunt omnia humana consilia : quacumque se quisque converterit, fluctus fremunt, tempestas sævit, brachia deficiunt ; quo prora impingatur, cui fluctui latus nudetur, quo navis impulsa dimittatur, a quibus saxis ne pereat refrenetur, omnino a rectoribus non videtur. Et quid restat, nisi quod sequitur? « Et exclamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, et de necessitatibus eorum eduxit eos. Et imperavit procellæ, et stetit in auram. » Non stetit in tempestatem, sed *in auram. Et siluerunt fluctus ejus.* Audite de hac re vocem cujusdam gubernatoris periclitati, humiliati, liberati : « Nolo », inquit, « vos ignorare, fratres, de pressura nostra, quæ facta est in Asia, quia supra vires gravati sumus, et supra modum, » (video omnem sapientiam ejus absorptam) « ita ut tæderet nos, » inquit, « etiam vivere. » Et quid? ille ita deficientes desereret? aut non propterea illi defecerunt, ut ille apud eos gloriam reperiret? Denique quid sequitur? « Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non fidentes in nobis simus, sed in Deo qui suscitat mortuos » (II *Cor.* I, 8, 9). « Et imperavit procellæ, et stetit in auram. » Jam illi de se apud se responsum mortis habuerant, quorum omnis sapientia absorpta erat. « Et siluerunt fluctus ejus. Et jucundati sunt, quoniam siluerunt : et deduxit eos in portum voluntatis eorum. Confiteantur Domino miserationes ejus. » Ubique omnino, ubique *confiteantur Domino*, non merita nostra, non vires nostræ, non sapientia nostra, sed *miserationes ejus.* Ille ametur in omni nostra liberatione, qui est invocatus in omni nostra tribulatione. *Confiteantur Domino miserationes ejus, et mirabilia ejus filiis hominum.*

13. [*vers.* 32-38.] Et videte unde dicat, unde omnia ista prælocutus sit, unde omnia hæc enumeraverit, ubi agantur hæc. « Et exaltent eum in Ecclesia populi, et in cathedra seniorum laudent eum. Et exaltent eum, » hoc est, « laudent eum : » et laudent eum, » hoc est, « exaltent eum. » Exaltent, laudent populi et seniores, negotiatores et gubernatores. Quid enim fecit in hac Ecclesia? quid constituit? unde illam eruit? quid ei præstitit? Quemadmodum superbis restitit, humilibus gratiam dedit (*Jacobi* IV, 6) : superbis, scilicet primo populo Judæorum, arroganti et extollenti se de genere Abrahæ, et quod illi genti sint credita eloquia Dei (*Rom.* III, 2). Non eis hæc valebant ad sanitatem, sed ad exaltationem cordis, ad tumorem potius quam ad magnitudinem. Quid ergo fecit Deus, superbis resistens, humilibus dans gratiam ; ramos naturales propter superbiam amputans, oleastrum propter humilitatem inserens (*Id.* XI, 17-24)? quid fecit Deus? Audite hæc duo : Deus primo quemadmodum superbis resistat, deinde quemadmodum humilibus det gratiam. *Posuit flumina in desertum.* Currebant ibi aquæ, currebant prophetiæ : quære modo apud Judæos prophetam, non invenis. « Posuit » enim « flumina « in desertum, et exitus aquarum in sitim. Posuit flu- « mina in desertum. » Dicant, « Jam non est pro- « pheta, et nos non cognoscet adhuc » (*Psal.* LXXIII, 9). « Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in « sitim, terram fructiferam in salinas. » Quæris ibi fidem Christi, non invenis ; quæris prophetam, non invenis ; quæris sacerdotem, non invenis, quæris

sacrificium, non invenis; quæris templum, non invenis. Quare hoc? Quia, « Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim; terram fructiferam in salinas. » Unde, quo merito? « A malitia inhabitantium in ea. » Ecce quomodo superbis resistit: audi quomodo humilibus det gratiam. « Posuit desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum. Et habitare fecit illic esurientes. » Quoniam illi dictum est: « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec » (*Psal.* cix, 4). Quæris enim [1] sacrificium apud Judæos; non habes secundum ordinem Aaron, quia posuit flumina in desertum: quæris secundum ordinem Melchisedec; apud illos non invenis, sed per totum orbem celebratur in Ecclesia. *A solis ortu usque ad occasum laudatur nomen Domini* (*Psal.* cxii, 3). Et dicit Deus illis quorum flumina posuit in desertum: « Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, nec accipiam sacrificium de manibus vestris, quoniam ab ortu solis usque ad occasum, sacrificium mundum offertur nomini meo » (*Malac.* i, 10 *et* 11). Ubi erant omnia immunda sacrificia, quando desertum erant, quando squalebant, quando salinæ erant omnes gentes; ibi nunc fontes, ibi nunc flumina, ibi nunc stagna aquarum, et exitus aquarum. Ergo superbis restitit, humilibus autem dedit gratiam. *Et habitare fecit illic esurientes*: quia, *Edent pauperes, et saturabuntur* (*Psal.* xxi, 27). *Et constituerunt civitatem habitationis*: interim habitationis in spe; quoniam, *Qui me audit*, inquit, *habitabit in spe* (*Prov.* i, 33, *sec.* LXX). *Et constituerunt civitatem habitationis. Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fecerunt fructum frumenti*: ad quem (*a*) gaudet operarius ille qui dicit, « Non quia quæro datum, sed requiro fructum » (*Philipp.* iv, 17). « Et benedixit eos, et multiplicati sunt nimis, et jumenta eorum non sunt deminuta. » Hoc stat. « Firmum » enim « fundamentum Dei stat, quia novit Dominus qui sunt ejus » (II *Tim.* ii, 19). Jumenta et pecora dicuntur, in Ecclesia simpliciter ambulantia, sed utilia; non multum docta, sed fide plena. Ergo et spirituales et carnales *benedixit eos, et multiplicati sunt nimis, et jumenta eorum non sunt deminuta.*

14. [*vers.* 39-42.] *Et pauci facti sunt, et vexati sunt.* Unde hoc, de transverso? Imo de interno. Ut enim pauci fierent, *ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Ideo autem tanquam de his dicit, de quibus antea loquebantur, ut cum intellectu discernantur; quia tanquam de hisdem loquitur, propter communia Sacramenta. Ad populum enim Dei pertinent, etsi non per virtutem, certe per speciem pietatis; de illis enim audivimus Apostolum: *In novissimis temporibus instabunt tempora sæva; erunt enim homines seipsos amantes* (*Id.* iii, 1, 2). Primum malum, *seipsos amantes*; utique sibi placentes. Utinam sibi displicerent, et Deo placerent [2]; utinam in difficultatibus exclamarent, et a necessitatibus liberarentur. Sed multum de se præsumentes, *pauci facti sunt.* Manifestum est, fratres; omnes qui se dividunt ab unitate, pauci fiunt. Multi enim sunt, sed in unitate, dum non [1] separantur ab unitate: cum enim cœperit ad eos non pertinere multitudo unitatis, in hæresi et in schismate pauci sunt. *Et pauci facti sunt, et vexati sunt a tribulatione malorum et dolore. Effusus est contemptus super principes.* Reprobati enim sunt ab Ecclesia Dei: et magis, quia principes esse voluerunt, ideo contempti sunt, et facti sunt sal infatuatum projectum foras; ideo conculcatur ab hominibus (*Matth.* v, 13). *Effusus est contemptus super principes. Et seduxit eos in invio, et non in via.* Illi superius in via, illi ad civitatem directi, denique deducti, non seducti: isti autem in invio seducti. Quid est, *seduxit eos? Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum* (*Rom.* i, 24). Hoc est enim, *seduxit*, donavit illos sibi. Nam si proprie quæras, ipsi se seducunt. *Qui enim putat se esse aliquid, cum nihil sit, seipsum seducit* (*Galat.* vi, 3). Quid est ergo, *seduxit eos?* Dimisit eos. *In invio, et non in via*: quomodo enim in via homines qui partem tenent, et totum relinquunt? quomodo in via? Quæ est ergo via, aut ubi agnoscitur via? « Deus, » inquit, « misereatur nostri, et benedicat nos; illuminet vultum suum super nos, ut agnoscamus in terra viam tuam. » In qua terra? « In omnibus gentibus salutare tuum » (*Psal.* lxvi, 2, 3). Utique tales ut minuantur, ut pauci fiant, hinc exeunt; a multitudine unitatis omnes exierunt, sicut paulo ante commemoravi dictum de illis: *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim ex nobis fuissent, permansissent utique nobiscum* (I *Joan.* ii, 19). Sed si forte nostri sunt in occulta præscientia Dei, necesse est ut redeant. Quam multi non nostri adhuc quasi intus, et quam multi nostri adhuc quasi foris? *Novit Dominus qui sunt ejus.* Et illi non nostri qui intus sunt, quando occasiones invenerint, exeunt; et illi nostri qui foris sunt, quando occasiones invenerint, redeunt. Illud ergo accipite quod novit Deus, secundum hoc *seduxit eos in invio, et non in via.* Et quid de illis fecit? Quod dicere cœperam, quod attente audiatis. Potuit illos pati intus semper, sed nos de illis non proficeremus: cum autem separati sunt, et per quæstiones malignas inquietant nos, propositum est nobis ex illis et inquisitionis studium, et timoris exemplum. Unusquisque tremit, cum alterum videt exisse, tanquam ex illius exitu dicatur illi: *Quapropter qui se putat stare, videat ne cadat* (I *Cor.* x, 12). Prosunt ergo quia exeunt: nam si intus essent, et tam mali essent, nihil de illis prodesset. Quid de illis dictum est in quodam psalmo? *Congregatio taurorum*, id est cervicatorum et superborum; *congregatio taurorum inter vaccas populorum. Vaccas* dicit seductiles animas, quæ facile consentiunt seductoribus tauris. Sed quare hoc? *Ut excludantur hi qui probati sunt argento* (*Psal.* lxvii, 31). Quid est, *ut excludantur?* Ut appareant, ut emi-

[1] Er. et Lov., *Quæris enim sacerdotem et sacrificium*, etc. At Am. et Mss. non habent, *sacerdotem et.*

[2] Plures Mss., *et Deum amarent.*

(*a*) Supple, *fructum.*

[1] Sic Mss. At Edd., *sed in unitate dum non sunt, separantur ab unitate.*

neant illi qui sunt probati in eloquio Dei. Cum enim respondetur hæreticis ex necessitate, ædificantur Catholici ex utilitate. Hanc sententiam plane Paulus expressit: « Oportet enim, » inquit, « hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis » (I *Cor.* xi, 19). Oportet et tauros seducentes esse, « ut qui probati sunt argento, » manifesti sint, hoc est, « excludantur. » Quid est, « argento probati? Eloquia Domini, eloquia casta; argentum igne examinatum terræ, purgatum septuplum » (*Psal.* xi, 7). Quicumque sunt probati in hoc argento, id est in eloquio Domini, non possunt plene exserere hoc argentum, nisi quæstionibus inquietati hæreticorum. Et hic attendite quia non prætermissum est: ecce *effusus est contemptus super principes*, super illos tauros. Quare contempti sunt? Aliud annuntiantes. Quid sunt contempti? Anathematizati. *Quisquis* enim *vobis annuntiaverit præterquam quod accepistis, anathema sit*. Quid tam contemptum quam sal infatuatus, qui foras projectus conculcatur? Et videte si non principes sunt; ipsum Paulum audite: *Licet si nos, aut angelus de cœlo evangelizaverit vobis præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* i, 8, 9). Principes sunt, docti sunt, magni sunt, lapides pretiosi sunt. Quid adhuc dicturus es; numquid angeli sunt? Et tamen, « etsi angelus de cœlo vobis annuntiaverit præterquam quod accepistis, anathema sit: » quia et ipse diabolus angelus de cœlo lapsus est. « Effusus est » ergo « contemptus super principes. Et adjuvit pauperem a mendicitate. » Quid est hoc, fratres, Contempti sunt principes, et adjutus est pauper? Abjecti sunt superbi, et instructus est humilis. Hoc fecit, et hoc faciendo *adjuvit pauperem a mendicitate*. Mendicus est ille, nihil sibi tribuens, totum de misericordia Dei exspectans; ante januam Dominicam quotidie clamat, pulsans ut aperiatur ei, nudus et tremens ut vestiatur, oculos in terram dejiciens, et pectus tundens. Istum mendicum, hunc pauperem, hunc humilem adjuvit Deus plurimum, etiam de ipsa separatione hæreticorum; quia pauci facti sunt, et vexati sunt, et seducti in invio et non in via. Denique quid postea ex illis deminutis, seductis, paucis factis, vexatis, in adjuto paupere quid fit? *Et posuit sicut oves familias*. Quasi unum pauperem et unum mendicum intelligebas, de quo dixit, *Et adjuvit pauperem a mendicitate*: pauper iste multæ familiæ sunt, pauper iste multæ plebes sunt; multæ Ecclesiæ una Ecclesia, una plebs, una familia, una ovis est. *Et posuit sicut oves familias*. Magna mysteria ista, magna sacramenta, quam profunda, plena mysteriorum; quam dulciter inventa, quia diu latentia. Ergo, *Videbunt recti, et jucundabuntur; et omnis iniquitas oppilabit os suum*. Iniquitas illa garriens contra unitatem, et cogens manifestari veritatem, convicta *oppilabit os suum*.

15. [*vers.* 43.] « Quis sapiens? et custodiet hæc, et intelliget miserationes Domini. » Videte quo fine clausit: « Quis sapiens? et custodiet hæc. » Et quid custoditurus est sapiens? Id est, si pauper sit, custodit; si non sit dives, id est, non sit superbus, non sit inflatus, custodit hæc. Quare enim custodit hæc, Quia *intelliget miserationes Domini*: non merita sua, non vires suas, non potentiam suam; sed *miserationes Domini*, qui errantem et egentem in viam deduxit et pavit; qui pugnantem adversus difficultatem peccatorum, et colligatum vinculis consuetudinis solvit et liberavit; qui fastidientem verbum Dei, et tædio quodam pene morientem, missa medicina verbi sui recreavit; qui periclitantem inter naufraga et procellosa discrimina, mari placato ad portum perduxit: qui eum denique constituit in eo populo, ubi humilibus dat gratiam, non in illo ubi superbis resistit; et fecit eum suum, ut intus manens multiplicaretur, non ut foras exiens minueretur. Hoc vident recti, et jucundantur. *Omnis* ergo *iniquitas oppilabit os suum*, et qui est *sapiens, custodiet hæc*. Unde custodiet? Per humilitatem, intelligendo miserationes Domini; quia ubique dictum est, *Confiteantur Domino miserationes ejus, et mirabilia ejus filiis hominum*.

IN PSALMUM CVII.

Quare hoc loco non subjicitur Enarratio.

1. Psalmum centesimum septimum exponendum non putavi; quoniam jam exposui eum in psalmo quinquagesimo sexto, et in psalmo quinquagesimo nono, ex quorum postremis partibus iste constat. Nam postrema pars quinquagesimi sexti, prima est hujus, usque ad eum versum ubi dicitur, *Et super omnem terram gloria tua*. Hinc autem usque in finem, postrema pars est quinquagesimi noni: sicut postrema pars centesimi tricesimi quarti, eadem est quæ centesimi tertii decimi, ab eo versu ubi dicitur, *Simulacra Gentium argentum et aurum*: sicut tertius decimus et quinquagesimus secundus, mutatis aliquibus mediis, eadem habent omnia a principiis usque in fines. Quæcumque igitur in hoc psalmo centesimo septimo aliquantulum aliter posita sunt, quam in illis duobus, ex quorum partibus constat, non habent intellectum difficilem: sicut in quinquagesimo sexto dicitur, *Cantabo, et psallam; exsurge, gloria mea;* in isto autem, *Cantabo, et psallam in gloria mea*. Ad hoc enim dictum est illic, *Exsurge*, ut in illa cantaretur et psalleretur. Item ibi, « Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua; » vel, sicut alii interpretati sunt, « elevata est: » hic autem, « Quoniam magna est super cœlos misericordia tua. » Ideo enim *magnificata est usque ad cœlos*, ut magna sit in cœlis; hoc enim voluit dicere, *super cœlos*. Item in quinquagesimo nono, *Lætabor, et dividam Sichimam*: hic autem, *Exaltabor*[1], *et dividam Sichimam*. Ubi ostenditur quod de dividenda Sichima significatum est, post Domini exaltationem prædictum futurum, et illam lætitiam ad hanc exaltationem pertinere; ut ideo lætetur, quia exaltatur. Unde alibi dicit, « Convertisti luctum meum in gaudium mihi; conscidisti saccum meum, et accinxisti me lætitia » (*Psal.* xxix, 12).

[1] Sic Mss. juxta LXX. At Edd., *Exsultabo*.

Item ibi, « Et Ephræm fortitudo capitis mei : » hic autem, « Et Ephræm susceptio capitis mei. » Suscipiendo enim fit fortitudo, id est, suscipiendo fortes facit, fructificans in nobis : interpretatur enim Ephræm Fructificatio. Susceptio autem ad utrumque referri potest, sive cum suscipimus Christum, sive cum ipse nos suscipit, qui est caput Ecclesiæ. Et quod ibi ait, *Tribulantes nos;* hic autem, *inimicos nostros :* utique iidem ipsi sunt.

2. Admonemur sane isto psalmo, eos titulos qui tanquam de historia positi sunt, rectissime fieri ut secundum prophetiam intelligamus, secundum quod videmus psalmos esse conscriptos. Quid enim tam diversum secundum historiam, quam id quod est in titulo quinquagesimi sexti, « In finem, ne corrumpas; ipsi David, in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saül in speluncam : » et in titulo quinquagesimi noni, « In finem, his [1] qui immutabuntur, in tituli inscriptionem, ipsi David, in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam, Syriam, et Syriam Sobal, et convertit Joab, et percussit in valle salinarum duodecim millia? » Nam præter id quod positum est, « In tituli inscriptionem, » et, « ipsi David, » et, « in finem; » cætera ita diversa sunt, ut ille habeat humilitatem David, iste fortitudinem; ille fugam, iste victorias. Et tamen ex istorum duorum posterioribus partibus, quorum tam diversi tituli sunt, psalmus iste componitur. Ubi significatur ad unum aliquid concurrere utrumque, non superficie historiæ, sed altitudine prophetiæ, copulatis utriusque finibus in hoc uno, cujus est titulus, *Canticum psalmi, ipsi David;* neutro illi titulo similis, præter quod hic etiam positum est, *ipsi David.* Quoniam multis partibus et multis modis, sicut ad Hebræos Epistola loquitur, olim Deus locutus est Patribus per Prophetas (*Hebr.* I, 1); eum [2] tamen locutus est quem misit postea, ut complerentur eloquia Prophetarum : *Quotquot enim promissiones Dei, in illo etiam* (II *Cor.* I, 20).

IN PSALMUM CVIII
ENARRATIO.

1. Psalmum istum de Christo habere prophetiam, quisquis Actus Apostolorum fideliter legit, agnoscit; ubi de Christi traditore Juda prophetatum esse quod hic scriptum est, *Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter*, quando Matthias in locum Judæ ordinatus, numero Apostolorum duodecimus adjunctus est (*Act.* I, 15-26), evidenter apparet. Sed si de illo uno homine omnia quæ hic in malo dicta sunt intelligere conemur, expositionis ratio non omnimodo, aut vix valebit occurrere; si autem de tali genere hominum malorum, id est inimicorum Christi ingratorumque Judæorum, omnia mihi videntur posse clarius aperiri. Sicut enim quædam dicuntur quæ ad apostolum Petrum proprie pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter primatum quem in discipulis habuit; sicuti est, *Tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI, 19), et si qua hujusmodi : ita Judas personam quodammodo sustinet inimicorum Christi Judæorum, qui et tunc oderant Christum, et nunc per successionem perseverante genere ipsius impietatis oderunt. De quibus hominibus et de quo populo possunt non inconvenienter intelligi, non solum ea quæ apertius de ipsis in hoc psalmo legimus, verum etiam illa quæ proprie de ipso Juda dicuntur expressius; sicuti est quod commemoravi, *Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter.* Quod apparebit, adjuvante Domino, cum ad eos versus tractandi ordine venerimus.

2. [*vers.* 2.] Incipit ergo ita Psalmus : *Deus laudem meam ne tacueris; quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est.* Unde apparet et falsam esse vituperationem quam non tacet peccator et dolosus, et veram esse laudem quam non tacet Deus. Deus enim verax, omnis autem homo mendax (*Rom.* III, 4); quia non est homo verax, nisi in quo loquitur Deus. Laus autem maxima est unigeniti Filii Dei, qua [1] hoc ipsum quod est, unigenitus Dei Filius prædicatur. Hoc autem non apparebat, sed apparente infirmitate ejus latebat, cum os peccatoris et os dolosi super eum apertum est; et ideo illud apertum est, quia operta virtus hujus fuit. Ideo autem dicit, *Apertum est os dolosi*, quia odium quod dolo tegebatur, erupit in vocem. Hoc etiam in consequentibus versibus planius dicitur.

3. [*vers.* 3.] *Locuti sunt adversum me lingua dolosa :* tunc utique quando eum tanquam magistrum bonum captiosa adulatione laudabant. Unde alibi dicitur : *Et qui laudabant me, adversus me jurabant* (*Psal.* CI, 9). Deinde quia eruperunt clamantes, *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX, 6); secutus adjunxit, *Et sermonibus odii circumdederunt me.* Illi qui lingua dolosa, quasi non odii, sed dilectionis verba locuti sunt; ideo *adversus me*, quia hoc insidiando faciebant; postea *sermonibus*, non falsæ et dolosæ dilectionis, sed aperti *odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis.* Sicut autem pii gratis amant Christum, sic impii gratis oderunt; quia sicut veritas nullo extra eam proposito commodo propter seipsam expetitur ab optimis, ita iniquitas a pessimis. Unde et apud auctores sæcularium litterarum dictum est de quodam pessimo : *Gratuito potius malus atque crudelis erat* (*Sallust., de Bello Catil.*).

4. [*vers.* 4.] *Pro eo*, inquit, *ut diligerent me, detrahebant mihi.* Sex sunt in isto genere differentiæ, quæ commemoratæ animadverti facillime possunt : reddere bona pro malis, non reddere mala pro malis; reddere bona pro bonis, reddere mala pro malis; non reddere bona pro bonis, reddere mala pro bonis. Horum duo prima, bonorum sunt, et eorum duorum prius melius; postrema duo malorum, et eorum posterius deterius; duo media quodammodo mediorum, sed eorum prius propinquum bonis, poste-

[1] Aliquot Mss., *pro his :* et paulo post, *Mesopotamiam Syriæ.*
[2] Sic meliores Mss. Alii vero, *in eum :* Edd., *in eo.*

[1] Er. Ven., *quia.* Lov., *qui.* M.

rius propinquum malis. Hæc in Scripturis sanctis oportet attendere. Reddit bona pro malis ipse Dominus, *qui justificat impium* (*Rom.* IV, 5), et pendens in cruce dixit : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Cujus vestigia secutus sanctus Stephanus, fixo genu oravit pro lapidantibus, dicens : *Domine, ne statuas illis hoc delictum* (*Act.* VII, 59). Ad quam rem præceptum pertinet, *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro eis qui vos persequuntur* (*Matth.* V, 44). Mala pro malis non esse reddenda Paulus apostolus dicit, *Nulli malum pro malo reddentes* (*Rom.* XII, 17); et apostolus Petrus, *Non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto* (I *Petr.* III, 9) : unde et in Psalmis legitur, *Si reddidi retribuentibus mihi mala* (*Psal.* VII, 5). Duorum postremorum illud mitius ad novem leprosos pertinet, qui cum mundati essent a Domino, gratias non egerunt (*Luc.* XVII, 12, 18) : illud vero ultimum quo nihil est pejus, ad hos pertinet, de quibus in isto psalmo legitur. *Pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi.* Dilectionem quippe debebant tantis Domini beneficiis; quam non solum minime reddebant, verum etiam pro illo bono irrogabant malum. Duo vero media quæ diximus hominum quodam modo esse mediorum, ita se habent, ut eorum prius, quod est reddere bona pro bonis, habeant et boni, et mediocriter boni, vel mediocriter mali. Ideo Dominus hoc non reprehendit, sed non vult in eo solo discipulos suos permanere, quos vult ad majora provehere, quibus dicit : *Si dilexeritis eos qui vos diligunt*, id est, si reddideritis bona pro bonis; *quam mercedem habebitis*, id est, quid magnum facietis? *nonne et publicani hoc faciunt* (*Matth.* V, 46)? Vult autem illos et hoc facere, et longe amplius; id est, ut non solum amicos, verum etiam inimicos diligant. Posterius autem, quod est reddere mala pro malis, habeant et mali, et mediocriter mali, vel mediocriter boni; usque adeo ut Lex eis dederit ulciscendi modum, *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Deut.* XIX, 21) : quæ, si dici potest, injustorum justitia est. Non quia iniquum est ut recipiat unusquisque quod fecerit; alioqui Lex nequaquam id constitueret : sed quia ulciscendi libido vitiosa est, magisque ad judicem pertinet inter alios hoc decernere, quam bonum hominem sibi expetere. Quapropter impii ex illa benignitatis summitate delapsi, ubi redduntur bona pro malis, ad quantam malignitatis profunditatem venerunt, retribuendo mala pro bonis! quanto præcipitio tot gradus interpositos transierunt! Nec parvum aliquid putari debet, quia non ait, Pro eo ut diligerent me, interficiebant me; sed, *detrahebant mihi* : ideo quippe interfecerunt, quia detraxerunt, negantes Dei Filium, et dicentes quod *in principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (*Luc.* XI, 15); et, *Dæmonium habet, et insanit; quid eum auditis* (*Joan.* X, 20)? et cætera talia. Qua detractione ab illo avertebant eos quorum conversionem ille quærebat : et ideo potius hoc dixit, ut ostenderet magis eos nocere qui Christo detrahunt, et per hoc animas interficiunt, quam qui ejus mortalem carnem, mox præsertim resurrecturam, sæviendo peremerunt.

5. Sed cum dixisset, *Pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi*; quid ait? *Ego autem orabam.* Non quidem dixit quid orabat; sed quid melius intelligimus, quam pro eis ipsis? Crucifixo enim maxime detrahebant, quando velut homini, quem quasi vicerant, illudebant; de qua cruce ille dixit, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* : ut quoniam in profundo malignitatis reddebant ipsi mala pro bonis, ille in summo benignitatis redderet bona pro malis. Quanquam bene intelligatur etiam pro discipulis suis orasse, quod etiam ante passionem suam dixit, ne deficeret fides eorum (*Luc.* XXII, 32), quando ipse pendens in ligno, ut commendaret patientiam, non ostendebat potentiam inter verba detrahentium, quos posset divina potestate delere. Sed nobis utilius erat quod patientiæ præbebat exemplum, quam si suos inimicos sine dilatione perdendo, ad hoc nos ædificaret, ut impatienter festinaremus de his quos malos patimur vindicari : cum scriptum sit : *Melior est patiens quam vir fortis* (*Prov.* XVI, 32). Docent igitur nos divina eloquia dominico exemplo, cum audimus, *Pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi; ego autem orabam*; ut quando aliquos sentimus ingratos, non solum non reddentes bona, sed insuper reddentes mala pro bonis, nos oremus : et ipse quidem pro aliis vel sævientibus, vel dolentibus, et in fide periclitantibus; nos vero etiam pro nobis primitus, ut animum nostrum Deo miserante atque opitulante vincamus, quo ferimur in ulciscendi cupiditatem, cum detrahitur sive præsentibus sive absentibus nobis. Deinde, cum Christi patientiam recordamur, tanquam ipso excitato, sicut factum est, cum dormiret in navi (*Matth.* VIII, 24, 25), qui perturbationem cordis nostri tempestatemque tranquillat, animo sedato atque placato oremus etiam pro ipsis detractoribus nostris, ut securi dicamus : *Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus* (*Id.* VI, 12). Sed ille dimittebat, qui peccatum quod ei dimitteretur utique non habebat.

6. [*vers.* 5.] Sequitur autem : *Et posuerunt adversum me mala pro bonis.* Et quasi quæreremus, Quæ mala? pro quibus bonis? *Et odium*, inquit, *pro dilectione mea.* Hic est omnis et magnus reatus illorum. Nam quid nocere potuerunt persequentes, voluntate, non necessitate morientem? Sed ipsum odium est crimen maximum persequentis, quamvis sit voluntaria pœna patientis. Satis autem exposuit quemadmodum supra dixerit, *Pro eo ut me diligerent*, quia dilectionem non utcumque, sed dilectioni ejus debebant; cum hic addidit, *pro dilectione mea.* Hanc dilectionem in Evangelio commemorat, ubi dicit : *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui colligere filios tuos, tanquam gallina pullos suos sub alas suas et noluisti* (*Matth.* XXIII, 27).

7. Deinde quæ pro ipsa impietate recipiant, incipit prophetare; et eo modo illa dicit, tanquam ulciscendi cupiditate optet ut fiant; cum dicantur futura certissima veritate, et per Dei justitiam super tales digne

ventura. Quem modum futura prædicendi, velut specie male optandi, quidam non intelligentes, putant odium odio, et malo animo malum animum reddi: quoniam revera paucorum est dignoscere, quomodo placeat pœna iniquorum accusatori inimicitias exsaturare cupienti, et quam longe alio modo placeat judici recta voluntate peccata punienti. Ille quippe reddit malum pro malo; iste autem etiam cum vindicat, non reddit malum pro malo, quoniam justum reddit injusto: quod autem justum est, utique bonum est. Punit ergo non delectatione alienæ miseriæ, quod est malum pro malo; sed dilectione justitiæ, quod est bonum pro malo. Itaque nec lumini Scripturarum calumnientur cæci, opinantes quod Deus peccata non puniat; nec quasi malum pro malo reddat, sibi blandiantur injusti. Audiamus ergo deinde quid divinus sermo contexat; et in verbis quasi mala optantis, intelligamus prædicta prophetantis; et Deum justa retribuentem, sublevata in ejus æternam legem mente cernamus.

8. [*vers.* 6.] *Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris ejus.* Cum superius querela de pluribus fuerit, nunc de uno loquitur Psalmus. Superius autem dixerat: *Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis: pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi; ego autem orabam: et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea.* Omnia de pluribus. Nunc vero quid digni essent pro his iniquitatibus suis, et quid eis divino judicio futurum esset prænuntians, *Constitue*, inquit, *super eum peccatorem*: tanquam intendens in eum qui se tradidit talibus, de qualibus suis inimicis loquebatur superius. Cum igitur hic Judam traditorem secundum scripturam Actuum Apostolorum supplicio debito prænuntiet puniendum (*Act.* I, 20); quid est, *Constitue super eum peccatorem*, nisi eum quem sequenti versu indicat, cum dicit, *Et diabolus stet a dextris ejus?* Hoc itaque meruit, ut super se habeat diabolum, id est, diabolo subditus sit, qui Christo subditus esse noluit. *Stet* autem *a dextris ejus*, dictum est, quia opera diaboli præposuit operibus Dei. Hoc enim cuique non immerito dextrum dicitur, quod præponit; sicut sinistræ dextra præponitur. Ideo et de illis qui sæculi hujus gaudia præponentes Deo, beatum dixerunt populum cui hæc sunt, rectissime dictum est, *Dextera eorum dextera iniquitatis.* Unde, quod dixerunt beatum populum cui hæc sunt, os eorum locutum est vanitatem; quod de illis supra dictum est. Cujus autem os loquitur veritatem, contra illud quod dixerunt isti beatum populum cui hæc sunt, debet etiam ipse dicere quod in eodem psalmo sequitur, *Beatus populus cujus Dominus Deus ipsorum* (*Psal.* CXLIII, 11, 15): huic enim non diabolus est a dextris, sed Dominus: sicut et alibi dicit, *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear* (*Psal.* XV, 8). Diabolus ergo stetit a dextris ejus, quando præposuit avaritiam sapientiæ, et pecuniam saluti suæ, ut eum traderet, a quo debuit possideri, ne ab illo possideretur, cujus opera ipse Christus solvit, a quo noluit possideri.

9. [*vers.* 7.] *Cum judicatur, exeat condemnatus.* Noluit enim talis esse cui diceretur, *Intra in gaudium domini tui*; sed talis de quo dicitur, *Projicite illum in tenebras exteriores* (*Matth.* XXV, 21, 30). *Et oratio ejus fiat in peccatum.* Quoniam non est justa oratio, nisi per Christum, quem vendidit immanitate peccati: oratio autem quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum. Quando autem Judas ita orare potuerit, ut oratio ejus [1] fieret in peccatum, quæri potest. Credo, antequam Dominum traderet, et de illo tradendo jam cogitaret: non enim jam poterat orare per Christum. Nam posteaquam illum tradidit, eumque pœnituit, si per Christum oraret, indulgentiam rogaret; si indulgentiam rogaret, spem haberet; si spem haberet, misericordiam speraret; si misericordiam speraret, non sibi desperatione collum ligaret. Proinde cum dixisset, *Cum judicatur, exeat condemnatus*; ne ab imminente condemnatione putaretur se potuisse oratione liberare, quam didicerat cum condiscipulis suis, ubi dicitur, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: Et oratio ejus*, inquit, *fiat in peccatum*; quia non fit per Christum, quem noluit sequi, sed persequi.

10. [*vers.* 8.] *Fiant dies ejus pauci. Dies ejus* dixit, dies apostolatus ejus; qui pauci fuerunt, quoniam ante passionem Domini scelere ipsius et morte consumpti sunt. Et tanquam diceretur, Quid ergo fiet de sacratissimo numero duodenario, in quo non frustra Dominus duodecim habere primos Apostolos voluit? continuo subjecit, *Et episcopatum ejus accipiat alter.* Tanquam dicens, Et ipse pro suo merito puniatur, et ille numerus, suppleatur. Quod si quis quemadmodum factum sit, scire desiderat, Actus Apostolorum legat.

11. [*vers.* 9.] *Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua.* Utique mortuo ipso, et filii ejus orphani, et uxor ejus viduata est.

12. [*vers.* 10.] *Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent. Nutantes* dictum est, incerti quo eant, omni præsidio destituti. *Ejiciantur de habitationibus suis.* Exposuit quod supra dixerat, *transferantur.* Hoc autem totum quomodo uxori ejus filiisque contigerit, sequentes indicant versus.

13. [*vers.* 11, 12.] *Scrutetur feneratur omnem substantiam ejus, et diripiant alieni labores ejus. Non sit illi adjutor*: ad tuendam ejus posteritatem dicit; ideo sequitur, *Nec sit qui misereatur pupillis ejus.*

14. [*vers.* 13.] Sed quia possent etiam pupilli sine adjutore et sine tutore in ærumnis et egestate tamen crescere, et genus propagatione servare; sequitur, et dicit, *Fiant nati ejus in interitum, in generatione una deleatur nomen ejus*: id est, quod de illo generatum est, jam non generet, et cito transeat.

15. [*vers.* 14.] Sed quid est quod deinde subjungit? *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, et peccatum matris ejus non deleatur.*

[1] Er. et Lov., *non fieret.* Abest, *non*, ab Am. et a Mss.

An intelligendum est, ut reddantur ei peccata etiam parentum suorum? Ei quippe non redduntur, qui fuerit mutatus in Christo, et cœperit esse non filius iniquorum, non imitatus mores eorum : quia et illud verissime scriptum est, *Reddam peccata patrum in filios;* et illud quod per prophetam dicitur, *Et anima patris mea est, et anima filii mea est; anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Hoc quippe dictum est de his qui convertuntur ad Deum, et non imitantur mala parentum suorum; quod ipse propheta evidenter ostendit : dicit enim parentum iniquitates eis non obesse, qui justitiam faciendo dissimiles fuerint (*Ezech.* XVIII, 4, 20). Illud autem quod dictum est, *Reddam peccata patrum in filios*, additum est, *qui oderunt me* (*Exod.* XX, 5), hoc est, sicut me oderant parentes eorum : ut quemadmodum bonorum imitatio facit ut etiam propria peccata deleantur, sic malorum imitatio faciat ut non solum sua, sed etiam eorum quos imitati sunt, merita sortiantur. Si ergo Judas teneret illud ad quod vocatus est, nullo modo ad eum vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret : quia ergo non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem vetusti generis potius elegit; rediit iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, ut in eo etiam ipsa puniretur; et peccatum matris ejus non est in eo deletum.

16. [*vers.* 15.] *Fiant contra Dominum semper :* id est, patres ejus et mater ejus *fiant contra Dominum semper*, non ut Domino adversentur, sed ut merita eorum pessima non obliviscatur in isto Dominus, cum illi et ipsa retribuet. *Contra Dominum* enim dixit, In conspectu Domini : nam et alii interpretes sic transtulerunt, *Fiant in conspectu Domini semper;* alii vero, *Fiant coram Domino semper :* sicut alibi dictum est, *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo* (*Psal.* LXXXIX, 8). *Semper* autem dicit, ut sine remissione sit tantum illud scelus, et hic, et in futuro sæculo. *Dispereat de terra memoria eorum :* patrum scilicet et matris ejus. Memoriam dicit eorum, quæ in propagine generationis custoditur : hanc prophetavit de terra perituram, quia et ipse Judas, et filii ejus qui erant tanquam memoria patrum et matris ejus, sine successione prolis, sicut superius dictum est, in brevitate unius generationis exstincti sunt.

17. Dicit aliquis : Etiamne hoc ad pœnam Judæ pertinere credendum est, quod post ejus mortem ad mendicitatem uxor ejus et filii pervenerunt, et translati sunt, ejecti de habitationibus suis, scrutante feneratore omnem substantiam ejus, et diripientibus alienis omnes labores ejus, nemine adjuvante nec miserante pupillos ejus, et quod cito sunt sine posteris mortui? Numquid etiam de his quæ in suis post mortem cujusque contingunt, ullus mortuos tangit dolor? aut hæc saltem scire putandi sunt, quorum sensus alibi est pro meritis, seu bene, seu male? Cui respondeo magnam quidem esse quæstionem, nec in præsentia disserendam, quod sit operis prolixioris, utrum, vel quatenus, vel quomodo ea quæ circa nos aguntur, noverint spiritus mortuorum. Verumtamen, quod breviter dici potest, si nulla illis esset cura de nobis, non diceret Dominus dixisse illum divitem qui tormenta apud inferos patiebatur : *Habeo ibi quinque fratres, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum.* Sed quomodolibet intelligant qui hoc aliter intelligere conantur, et quia fatendum est non esse consequens ut si sciunt mortui suos vivere, quia nec in locis pœnarum eos vident, ubi dives ille erat, nec in requie beatorum, ubi Lazarum et Abraham quamvis longe agnoscebat (*Luc.* XVI, 28, 23), ideo eos etiam quæ circa eorum charos aguntur vel læta vel tristia scire necesse sit : hoc dico, paucos esse ejus animi homines, qui post mortem suam quid suis boni malive contingat, saltem dum vivunt, negligant, atque omnino contemnant; multos autem, quod indicat etiam tanta cura commendandæ ultimæ voluntatis et qualiumcumque testamentorum, satis agere ut cum defuncti fuerint, suis bene sit. Permansionem vero posteritatis suæ per successiones generationum soli laudabiliter spernunt, qui seipsos abscidunt propter regnum cœlorum, et filios suos hoc facere cupiunt, exoptantve martyrio coronari, ita ut nullus eorum in terra remaneat : cæteri autem omnes, aut pene omnes, felices volunt suos esse in hac vita post mortem suam, et suum genus interire nolunt. Quapropter quod Juda tam infeliciter mortuo, ita uxor vidua et filii ejus orphani remanserunt, ut feneratore scrutante omnem substantiam ejus, et diripientibus alienis labores ejus, de suis habitationibus ejicerentur, nec aliquem pupilli ejus miserantem invenirent, et in una generatione sine posteris interirent; si hæc sentiunt mortui, cumulus malorum est; si hæc non sentiunt, formido vivorum. Si autem movet quomodo potuerit habere substantiam quam fenerator scrutaretur, alienique diriperent, quando jam cum aliis undecim Dominum sequebatur; credat eum omnia quæ habebat ita dimisisse filiis et uxori, ut non inde sinceriter vel perseveranter vinculum cupiditatis abruperit : qui etiamsi ea velut vendere videretur distribuenda pauperibus, profecto faceret quod Ananias post Domini ascensionem (*Act.* V, 1 *et* 2). Neque enim metueret ne hoc Dominus divinitate cognosceret, quem falli putabat, quando ea quæ mittebantur, de loculis auferebat (*Joan.* XII, 6).

18. [*vers.* 6-15.] Sed jam videamus, si possumus, quantum Dominus adjuvat, quomodo ista convenire possint etiam in populum Judæorum, cujus inimicitiæ contra dominum pertinaci odio permanserunt : cujus populi diximus Judam in figura gessisse personam, sicut Ecclesiæ gessit apostolus Petrus. *Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris ejus.* Quemadmodum in Juda, sic in isto populo intelligendum est; qui repulso a se Christo factus est subditus diabolo, cujus persuasiones in omnibus pravis et terrenis cupiditatibus præposuit æternæ saluti. *Cum judicatur, exeat condemnatus :* quia in nequitia et in infidelitate persistens thezaurizat sibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus (*Rom.* II, 5, 6). *Et oratio ejus fiat in*

peccatum; quia non fit per mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum (I *Tim*- II, 5), et sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedec (*Psal.* CIX, 4). *Fiant dies ejus pauci.* Secundum regnum accipiendum est, quia non diu postea perseveravit regnum Judæorum. *Et episcopatum ejus accipiat alter.* Ipsum Dominum Christum non incongruenter intelligi existimo episcopatum populi Judæorum, quia de tribu Juda factus est secundum carnem : et Apostolus ait, *Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum* (*Rom.* XV, 8). Et ipse ait : *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24); quia illis exhibuit in carne præsentiam. Et Magi qui ab oriente venerunt, hoc dixerunt: *Ubi est qui natus est rex Judæorum* (*Id.* II, 1, 2). Et hoc in titulo scriptum erat super crucifixum : unde illud mutare volentibus non frustra respondit Pilatus, *Quod scripsi, scripsi* (*Joan.* XIX, 19-22). Hunc ergo episcopatum populi Judæorum, id est Dominum Christum accepit alter, id est populus Gentium. *Fiant filii ejus orphani :* de quibus dicitur, *Filii autem regni ibunt in tenebras exteriores* (*Matth.* VIII, 12). Facti sunt autem orphani amisso ipso regno, quasi patre perdito; quanquam et Deum patrem bene intelliguntur amisisse : *Qui enim Filium non habet*, ait Veritas, *nec Patrem habet* (I *Joan.* II, 24). *Et uxor ejus vidua.* Uxor regni plebs intelligi potest, cui reges subditæ dominantur : vidua vero facta est amisso ipso regno. *Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent.* Nutaverunt periculis, urgentibus hostibus translati sunt, debellati filii regni Judæorum. Quid est autem mendicare, nisi ad hominum misericordiam vivere, sicut vivunt sub earum gentium regibus, in quas translati sunt? *Ejiciantur de habitationibus suis.* Ita factum est. *Scrutetur fenerator omnem substantiam ejus :* id est, populi ejus. Ubi nihil melius intelligitur, quam debita eorum non dimittantur, quia in solo Christo dimittuntur, quem respuerunt; qui etiam dicere docuit, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). *Omnem* autem *substantiam ejus* dictum est, omnem vitam ejus; ut ei nulla debita, id est, nulla peccata donentur. *Et diripiant alieni labores ejus :* diabolus et angeli ejus; quia non thesaurizant in cœlo qui non habent Christum. *Non sit illi adjutor.* Quis adjutor est ei cui Christus non est? *Nec sit qui misereatur pupillis ejus.* Qui patre perdito, id est regno, sic remanserunt, aut amisso Deo, cujus Filium persecuti sunt et oderunt, non est qui eorum misereatur, non ad temporalem vitam sumendam vel sustentandam, sed ad veram vitam, id est æternam. *Fiant nati ejus in interitum :* utique in interitum sempiternum. *In generatione una deleatur nomen ejus.* Quia generati sunt, non regenerati, ideo in una generatione delentur : nam in altera, id est in regeneratione, si eam cognoscerent et tenerent, non delerentur. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini :* ut reddat eidem populo Dominus perseveranti in malitia etiam patrum ejus iniquitatem. Sic enim eis dicit, « Testimonium estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt : » et paulo post ait, « Ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ. Et peccatum matris ejus non deleatur. » Peccatum Jerusalem, quæ servit cum filiis suis, quæ interficit Prophetas, et lapidat missos ad se (*Id.* XXIII, 31, 35, 37). *Fiant contra Dominum semper,* iniquitas et peccatum eorum; id est, ut a conspectu Domini non aboleantur, Deo in æternum vindicante. *Et dispereat de terra memoria eorum.* Terra Dei, ager Dei est; ager Dei, Ecclesia Dei est : de qua terra periit memoria eorum, qui [1] cum essent rami naturales, propter infidelitatem fracti sunt (*Rom.* XI, 20, 21).

19. [*vers.* 16, 17.] *Pro eo quod non est recordatus,* vel ille Judas, vel ipse populus, *facere misericordiam.* Sed melius de populo accipitur quod ait, *non est recordatus :* nam si Christum occidit, saltem recordaretur pœnitendo, et faceret misericordiam super membra ejus, quæ perseverantissime persecutus est. Ideo dicit quia *persecutus est hominem inopem et mendicum.* Potest quidem accipi de Juda; quia non est dedignatus Dominus pauper fieri, cum dives esset, ut illius paupertate nos ditaremur (II *Cor.* VIII, 9). Mendicum autem quomodo intelligam, nisi forte quia dixit mulieri Samaritanæ, *Da mihi bibere* (*Joan.* IV, 7), et in cruce ait, *Sitio* (*Id.* XIX, 28)? Sed quod sequitur quomodo accipiatur in ipso capite nostro, id est sui corporis Salvatore, quem Judas persecutus est, non invenio. Cum enim dixisset, *Et persecutus est hominem inopem et mendicum*, adjecit atque ait, *Et compunctum corde mortificare ;* id est, ut mortificaret : nam quidam etiam sic sunt interpretati. Compunctus autem corde non solet dici, nisi stimulis peccatorum in dolore pœnitendi; sicut de illis dictum est, qui cum audissent Apostolos post Domini ascensionem, *compuncti sunt corde*, qui occiderant Dominum. Quos allocutus est beatissimus Petrus dicens inter cætera : *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi, et dimittentur vobis peccata vestra* (*Act.* II, 37, 38). Sed quoniam iidem ipsi membra ejus facti sunt, cujus in ligno membra fixerunt, populus Judæorum non est recordatus facere misericordiam; persecutus est hominem inopem et mendicum, sed in membris suis : de quibus dicturus est, quod attinet ad ipsa opera misericordiæ, « Quando uni ex minimis meis non fecistis, mihi non fecistis » (*Matth* XXV, 45). « Et compunctum corde mortificare : » plane « compunctum corde, » sed in membris suis. De his autem qui persecuti sunt, ut compunctum corde mortificarent, erat et Saulus consentiens in necem Stephani compuncti corde (*Act.* VII, 59); quia et ipse Stephanus de illis erat qui compuncti sunt corde. Sed Saulus recordatus est facere misericordiam; et qui mane rapiebat, ad vesperum divisit escas (*Gen.* XLIX, 27) : et ipse compunctus corde, ut etiam in illo ipsi persequerentur inopem, volentes

[1] Edd., *quia*. At Mss., *qui*.

mortificare compunctum corde. Hoc quippe oderant in Paulo apostolo, quia compunctus corde prædicabat quem fuerat ante persecutus. Inopem quippe et mendicum et compunctum corde in membris suis et ipse ut mortificaret, persequens, audivit de cœlo, *Saule, Saule, quid me persequeris?* et factus compunctus corde, cœpit talia pati, qualia faciebat compunctis corde (*Act.* IX, 1-24).

20. [*vers.* 18.] Deinde sequitur Psalmus : *Et dilexit maledictionem, et veniet ei.* Quanquam et Judas maledictionem dilexerit, et furando de loculis, et Dominum vendendo atque tradendo; tamen apertius populus ille dilexit maledictionem, quando dixit : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth.* XXVII, 25). *Et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo.* Et Judas quidem, quia Christum noluit, in quo est æterna benedictio; sed apertius noluit benedictionem populus Judæorum, cui dixit ille illuminatus a Domino : *Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri?* Et noluit benedictionem, et pro maledicto habuit; et respondit, *Tu sis discipulus ejus* (*Joan.* IX, 27 *et* 28) : et longe facta est ab eo benedictio, quia transitum fecit ad Gentes. *Et induit maledictionem sicut vestimentum :* sive Judas, sive ille populus. *Et intravit sicut aqua in interiora ejus.* Ergo et foris et intus; foris sicut vestimentum, intus sicut aqua : quoniam in ejus incidit judicium, qui potest et corpus et animam occidere in gehenna (*Matth.* X, 28); corpus foris, animam[1] intus. *Et sicut oleum in ossibus ejus.* Ostendit eum cum delectatione malefacere, et comparare sibi maledictionem, hoc est, pœnam æternam; quia benedictio vita æterna est. Modo quippe malefacta delectant, sicut aqua in interiora, et sicut oleum in ossibus; sed ideo maledictio vocatur, quia talibus Deus tormenta prædixit. Tanquam in ossibus autem oleum est maledictio, cum homines inde se fortes putant, quia licet eis mala tanquam impune committere.

21. [*vers.* 19.] *Fiat et sicut vestimentum quo operitur.* Cum superius jam dixerit de vestimento, quid est quod repetit? An quia dixerat, *Induit maledictionem sicut vestimentum,* differt ab eo *vestimentum quo* non induitur, sed *operitur?* Induitur enim quisque tunica, operitur pallio. Et quid est hoc, nisi etiam in conspectu hominum de iniquitate gloriari? *Et sicut zona,* inquit, *qua semper præcingitur.* Maxime homines ideo præcinguntur, ut ad operandum sint aptiores, ne vestis sinibus præpediantur. Ergo maledictione se præcingit, qui malum non repentinum, sed dispositum aggreditur, et ita discit malefacere, ut semper paratus sit : unde et hic ait, *Et sicut zona qua semper præcingitur.*

22. [*vers.* 20.] *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum.* Non dixit, merces eorum; sed, *opus eorum* : manifestum est enim quod indumento, et opertorio, et aqua, et oleo, et zona, ipsa opera describebat quibus æterna maledictio comparatur. Non ergo est unus Judas, sed multi, de quibus dicitur, *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum.* Quanquam et pluralis numerus poni potuit pro numero singulari; sicut, Herode mortuo, dictum est ab angelo : *Mortui sunt qui quærebant animam pueri* (*Matth.* II, 20). Sed qui magis detrahunt Christo apud Dominum, nisi illi qui ipsis verbis Domini detrahunt, dicentes non esse ipsum quem Lex Domini et Prophetæ prænuntiarunt? *Et qui loquuntur,* inquit, *mala adversus animam meam :* negando eum, cum voluisset, potuisse resurgere; cum dicat, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* X, 18).

23. [*vers.* 21.] *Et tu, Domine, Domine, fac mecum.* Quidam subaudiendam putaverunt *misericordiam,* quidam vero et addiderunt; sed emendatiores codices sic habent : *Et tu, Domine, Domine, fac mecum, propter nomen tuum.* Unde sensus altior non est prætermittendus, ita dixisse Filium Patri, *Fac mecum,* quia eadem sunt opera Patris et Filii. Ubi etiamsi misericordiam intelligamus (sequitur enim, *Quia suavis est misericordia tua*), et ipsam quia non dixit, Fac in me; vel Fac super me; vel aliquid hujusmodi; sed ait, *Fac mecum;* bene intelligimus et Patrem et Filium simul facere misericordiam in vasa misericordiæ (*Rom.* IX, 23). Potest hoc etiam sic intelligi : *Fac mecum,* id est, adjuva me. Quod in quotidiana loquendi consuetudine habemus, cum de aliqua re quæ partibus nostris est, dicimus : Nobiscum facit. Pater quippe adjuvat Filium, in quantum Deus hominem, propter formam servi : cui homini Deus, et cui formæ servi etiam Dominus est Pater. Nam in forma Dei, Filius adjutorio non indiget; æqualiter enim cum Patre omnipotens est, ex quo et ipse adjutor est hominis. *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* V, 21) : nec alios Pater, alios Filius, aut aliter Pater, aliter Filius; quia et eadem facit, et similiter. Unde in quantum homo est Filius Dei, Deus suscitavit illum a mortuis, hoc est Pater, cui dicit in Psalmis, *Suscita me, et reddam illis* (*Psal.* XL, 11) : in quantum autem Deus est, etiam ipse se suscitavit; propter quod dicit, *Solvite templum hoc, et triduo suscitabo illud* (*Joan.* II, 19). Quod etiam hic significavit, si quis diligenter intendat : scrutari enim jussit Scripturas, quæ testimonium perhibent de illo (*Id.* V, 39), non in superficie pertransiri. Non enim tantummodo ait, *Tu, Domine, Domine, fac mecum;* sed ait, *Et tu.* Quid est, *Et tu,* nisi quia et ego? Quod autem non semel *Domine,* sed repetens ait, *Domine, Domine;* habet in hoc orantis affectum : sicuti est, *Deus, Deus meus* (*Psal.* XXI, 2). Quod vero, cum dixisset, *Fac mecum,* addidit, *propter nomen tuum;* gratiam commendavit. Nullis enim operum meritis præcedentibus in tantum celsitudinem subvecta est humana natura, ut totum simul Verbum et caro, hoc est Deus et homo, unigenitus Filius Dei diceretur. Hoc autem factum est, ut ab illo qui creaverat, per id quod non perierat, id quod perierat quæreretur : unde et hic sequitur, *Quia suavis est misericordia tua.*

[1] Duo melioris notæ Mss., *anima.*

24. [*vers.* 22.] *Libera me, quia egenus et pauper ego sum.* Egestas et paupertas, infirmitas est, ex qua crucifixus est. *Et cor meum conturbatum est intra me.* Hoc ad illud refertur, quod ait propinquante passione, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38).

25. [*vers.* 23.] *Sicut umbra cum declinat, ablatus sum.* Hoc ipsam mortem significavit. Sicut enim ex umbra declinante fit nox, sic ex mortali carne fit mors. *Excussus sum sicut locustæ.* Hoc jam in membris ejus, hoc est fidelibus ejus, convenientius intelligi existimo. Quod ut aliquanto apertius poneret, maluit dicere, *sicut locustæ*, quam sicut locusta : quamvis et numero singulari possent accipi etiam multæ, sicut illud est, *Dixit, et venit locusta* (*Psal.* CIV, 34); sed esset obscurius. Excussi sunt ergo, id est, fugati a persecutoribus fideles ejus, quorum vel multitudinem significari voluit nomine locustarum, vel quod transilierunt de loco in locum.

26. [*vers.* 24.] *Genua mea infirmata sunt a jejunio.* Legimus Dominum Christum quadraginta dierum habuisse jejunium (*Matth.* IV, 2): sed tantumne valuit in eo illa inedia, ut genua ejus infirmarentur? An et hoc in membris ejus, hoc est sanctis ejus, aptius intelligitur? *Et caro mea immutata est propter oleum :* propter gratiam spiritualem. Unde et Christus appellatur a chrismate : chrisma autem unctio est. Caro autem propter oleum non in deterius, sed in melius immutata est, hoc est, a mortis contumelia in gloriam immortalitatis exsurgens. Cum itaque dixisset, *Genua mea infirmata sunt a jejunio*, ubi significatum esse arbitror eos qui in membris ejus fortes videbantur, tanquam præsentia panis quo sustentabantur abstracta, in ejus passione defecisse usque ad negationem, quæ apparuit in Petro; tanquam ad eos confirmandos, ne succumbendo penitus caderent, *Et caro mea*, inquit, *immutata est propter oleum*, ut eos mea morte deficientes, mea resurrectione firmarem, et misso Spiritu sancto ungerem, qui non ad eos venisset, nisi ego abiissem. Hoc enim dixerat, *Non potest ille venire, nisi ego abiero* (*Joan.* XVI, 7) : et Evangelista dixit, *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus* (*Id.* VII, 39). Nondum erat immutata caro ejus. Sive autem per aquam propter ablutionem vel irrigationem, sive per oleum propter exsultationem et inflammationem charitatis, significetur Spiritus sanctus; non ideo est a seipso diversus, quia signa diversa sunt. Multum enim diversa sunt etiam leo et agnus, et tamen utroque significatus est Christus. Leo propter aliud, agnus propter aliud; non tamen alius : quia nec fortis est agnus, nec innocens leo; Christus autem et innocens est ut agnus, et fortis ut leo. Dicit autem apud Isaiam ipse Jesus Christus : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me* (*Isai.* LXI, 1.)

27. [*vers.* 25.] *Et ego factus sum opprobrium illis :* per mortem crucis. *Christus* enim *nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum* (*Galat.* III, 13). *Viderunt me, et moverunt capita sua.* Quia viderunt pependisse, non viderunt resurrexisse; viderunt quando genua ejus sunt infirmata, non viderunt quando est caro immutata.

28. [*vers.* 26.] *Adjuva me, Domine Deus meus, salvum me fac secundum misericordiam tuam.* Hoc ad totum referri potest, id est et ad caput, et ad corpus : ad caput, propter formam servi; ad corpus, propter ipsos servos. Potuit enim et in eis dicere Deo, « Adjuva me, » et, « salvum me fac; » in quibus Saulo dixit, « Quid me persequeris » (*Act.* IX, 4)? Quod autem addidit, « secundum misericordiam tuam; » gratuita gratia commemoratur, non ex operum debito.

29. [*vers.* 27.] *Et sciant quoniam manus tua hæc, et tu, Domine, fecisti eam.* De his dixit, *sciant*, pro quibus sævientibus et oravit; quia in eis quibus factus est opprobrium moventibus in ejus illusionem capita sua, erant etiam hi qui in eum postea crediderunt. Discant autem qui formam humani corporis Deo tribuunt, quomodo habeat Deus manum. Si enim quod facit, manu facit, numquid et ipsam manum suam manu facit? Quomodo ergo hic dictum est, *Et sciant quoniam manus tua hæc, et tu, Domine, fecisti eam?* Intelligamus itaque manum Dei esse Christum : unde alibi dicitur, *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isai.* LIII, 1)? Hæc manus et erat, et fecit eam; quia, *In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 1, 14) : et erat sine tempore secundum divinitatem, et factus est ei ex semine David secundum carnem (*Rom.* I, 3).

30. [*vers.* 28.] *Maledicent illi, et tu benedices.* Vana est ergo et falsa maledictio filiorum hominum, diligentium vanitatem, et quærentium mendacium (*Psal.* IV, 3); Deus autem cum benedicit, facit quod dicit. *Qui insurgunt in me, confundantur*[1]. Ut enim insurgant aliquid se adversus me proficere arbitrantur; sed cum exaltatus fuero super cœlos, et esse cœperit super omnem terram gloria mea, confundentur. *Servus autem tuus lætabitur :* sive in dextera Patris, sive in membris suis lætantibus, et inter tentationes in spe, et post tentationes in æternum.

31. [*vers.* 29.] *Induantur qui detrahunt mihi pudorem :* id est, pudeat eos detraxisse mihi. Sed hoc potest et in bono accipi, dum corriguntur. *Et operiantur sicut diploidem confusionem suam.* Diplois duplex pallium est. Nam quidam etiam sic interpretati sunt istum versum : *Et operiantur sicut pallium duplex confusionem suam.* Intelligitur autem, confundantur et intus et foris, id est et coram Deo et coram hominibus.

32. [*vers.* 30.] *Confitebor Domino nimis in ore meo. Nimis* dici solet in consuetudine sermonis latini, quod plus est quam debet : cui contrarium est parum, quod minus est quam debet. Sed *nimis*, græce ἄγαν dicitur; iste autem versus non habet ἄγαν, sed habet σφόδρα. Quod quidam nostri sic interpretati sunt, ut pro eo ponerent aliquando *nimis*, aliquando *valde*. Sed si *nimis* pro eo quod est *valde* intelligatur, potest et in laude poni; nam et ista confessio laudem significat.

[1] Sic Am. Er. et plures Mss. At Lov., *confundentur.*

Ita enim sequitur: *Et in medio multorum laudabo eum.* Dicit etiam in alio psalmo, *In medio Ecclesiæ cantabo te* (*Psal.* XXI, 23). Sed cum ipsa cantat Ecclesia, quæ corpus est Christi, quomodo in medio Ecclesiæ cantat Ecclesia? Ita et hic multi cum sint membra Christi, si cum ipsi laudant [1], ille laudat, quia membra sunt ejus; quomodo in medio multorum laudat, quando ipsis multis laudantibus dicitur ipse laudare? An ideo laudat in medio multorum, quia cum Ecclesia sua est hic usque in consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20); ut quod ait, *in medio multorum,* hoc accipiamus quod ab eisdem multis honoratur? In medio quippe esse dicitur, cui honor præcipuus exhibetur. Si autem cor est tanquam hominis medium; nihil melius intelligitur dictum, quam in cordibus multorum laudabo eum. Habitat enim Christus per fidem in cordibus nostris (*Ephes.* III, 17): et ideo ait, *in ore meo,* id est in ore corporis mei, quod est Ecclesia. Corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X, 10).

33. [*vers.* 31.] *Quia astitit a dextris pauperis.* De Juda dictum erat, *Et diabolus stet a dextris ejus;* qui suas divitias augere voluit Christo vendito: hic autem Dominus *astitit a dextris pauperis,* ut divitiæ pauperis sint ipse Dominus. *Astitit* quippe *a dextris pauperis,* non ut ei multiplicaret annos vitæ quandoque finiendæ, neque ut ejus augeret pecuniam, aut eum faceret corporis viribus fortem, vel ad tempus incolumem; sed *ut salvam faceret,* inquit, *a persequentibus animam meam.* Salva fit autem a persequentibus anima, si non eis consentiatur ad malum; non eis autem consentitur, cum assistit Dominus a dextris pauperis, ne ipsa paupertate, id est infirmitate, succumbat. Hoc adjutorium præstitum est corpori Christi in sanctis martyribus omnibus.

[1] Sic Mss. At Edd., *sicut ipsi laudant.*

IN PSALMUM CIX
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. Quantum Dominus donat, qui nos ministros constituit verbi et sacramenti sui servire vobis in adipe misericordiæ suæ, suscepimus psalmum istum, quem modo cantavimus, brevem numero verborum, magnum pondere sententiarum, adjuvante illo qui vos fecit intentos, ut et nos faciat idoneos, sicut possumus, considerare atque tractare. Vivat anima vestra, et vigilet in Deum. Tempus enim constituit Deus promissis suis, et tempus eis quæ promisit implendis. Promissionum tempus erat tempore Prophetarum usque ad Joannem Baptistam: ab illo autem et deinceps usque ad finem, tempus est implendi quæ promissa sunt. Fidelis Deus qui se nostrum debitorem fecit; non aliquid a nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo. Parum erat promissio, etiam scripto se teneri voluit, veluti faciens nobiscum chirographum promissorum suorum; ut cum ea quæ promisit solvere inciperet, in scriptura promissorum consideraremus ordinem solvendorum. Tempus itaque prophetiæ, prædictio erat, ut sæpe jam diximus, promissionum. Promisit salutem æternam, et beatam vitam cum Angelis sine fine, et hæreditatem immarcescibilem, gloriam sempiternam, dulcedinem vultus sui, domum sanctificationis suæ in cœlis, ex resurrectione a mortuis nullum deinceps moriendi metum. Hoc est promissum ejus tanquam finale, quo decurrit nostra omnis intentio, quo cum venerimus, nihil amplius requiramus, nihil amplius exigamus. Sed ad illud quod erit in fine quo ordine veniatur, neque hoc tacuit promittendo et prænuntiando. Promisit enim hominibus divinitatem, mortalibus immortalitatem, peccatoribus justificationem, abjectis glorificationem. Quidquid promisit, indignis promisit, ut non quasi operibus merces promitteretur, sed gratia a nomine suo gratis daretur. Quia et hoc ipsum quod juste vivit, in quantum homo potest juste vivere, non meriti humani, sed beneficii est divini [1]. Nemo enim juste vivit, nisi justificatus, id est, justus effectus: ab illo autem fit homo justus, qui nunquam potest esse injustus. Sicut enim lucerna non a seipsa accenditur, ita nec anima humana sibi præstat lucem; sed clamat ad Deum, *Tu illuminabis lucernam meam, Domine* (*Psal.* XVII, 29).

2. Cum ergo peccatoribus promissum sit regnum cœlorum, non in peccato permanentibus, sed a peccato liberatis, et justitiæ servientibus; quod ipsum ut possint, gratia, ut diximus, adjuvantur, et ab eo qui semper est justus [2], justificantur: incredibile videbatur tantam Deum curam gerere pro hominibus, hodieque qui de gratia divina desperant, atque a pessimis moribus nolunt se convertere ad Deum, ut ab illo justificentur, et per ejus indulgentiam deletis omnibus peccatis suis incipiant in illo vivere juste, qui nunquam vixit injuste, hanc habent perniciem cogitationis suæ in seipsos, ut dicant Deum res humanas non curare, nec inde posse cogitare mundi hujus artificem atque rectorem, quemadmodum quisque mortalis in terra vivat. Ita nec computari se homo putat a Deo, qui factus est a Deo. Talem hominem si alloqui possimus: si admittat nos prius ad aures suas, deinde ad cor suum; si non repellat resistendo quærentem se, et patiatur perditus inveniri se; possumus ei dicere: O homo, quomodo te Deus factum non computabit, qui ut fieres ante curavit? Cur te in ordine rerum conditarum numerari non putas? Noli credere [3] seductori: capilli tui numerati sunt conditori (*Matth.* X, 30). Hoc denique et Dominus in Evangelio discipulis ait, ne mortem timerent, ne aliquid suum in morte periturum putarent. Illi in morte de anima sua pertimescebant, ille ipsis securitatem etiam de capillis dabat. Itane vero anima perit, cujus capillus non perit? Verumtamen, fratres, quia incredibile videbatur hominibus quod promittebat

[1] Mss. plerique, *non meriti, sed beneficii est.*
[2] Vox, *justus,* abest a plerisque Mss.
[3] Sic Am. et Er. At Mss., *Noli cedere.* Lov., *Nulli crede.*

Deus, ex hac mortalitate, corruptione, abjectione, infirmitate, pulvere et cinere futuros homines æquales Angelis Dei; non solum Scripturam cum hominibus fecit, ut crederent; sed etiam fidei suæ posuit mediatorem, non quemlibet principem, aut quemlibet angelum vel archangelum, sed unicum Filium: ut qua via nos perducturus esset ad illum finem quem promisit, per eum ipsum Filium suum et ostenderet et præberet. Parum enim erat Deo si Filium suum faceret demonstratorem viæ; eum ipsum viam fecit, ut per illum ires regentem te, ambulantem per se.

3. Promisit ergo quia venturi essemus ad eum, id est ad illam ineffabilem immortalitatem, et cum Angelis ejus æqualitatem. Quam longe eramus? quam ille sursum, quam nos deorsum? quam ille in summo, quam nos in imo desperati jacebamus? Sine exspectatione salutis ægrotabamus: missus est medicus, quem non cognovit ægrotus. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I *Cor.* II, 8). Sed hoc quoque valuit ad ægroti medicamentum, quod medicum occidit ægrotus: venit ut visitaret, occisus est ut sanaret. Insinuavit se credentibus Deum et hominem; Deum per quem facti sumus, hominem per quem recreati sumus. Aliud in illo apparebat; aliud latebat; et quod latebat, multo erat præstantius quam id quod apparebat: sed quod erat præstantius, videri non poterat. Curabatur æger per id quod videri poterat; ut postea capax fieret visionis ejus, quæ latendo differebatur, non negando auferebatur. Unicus itaque Filius Dei venturus ad homines, assumpturus hominem, et per id quod sumpsit futurus homo, moriturus, resurrecturus, ascensurus in cœlum, sessurus ad dexteram Patris, et impleturus in gentibus quæ promisit, et post impletionem promissorum suorum in gentibus etiam hoc impleturus ut veniat, et quod prærogavit exigat, discernat vasa iræ a vasis misericordiæ, reddat impiis quod minatus est, justis quod pollicitus est: hoc ergo totum prophetandum fuit, prænuntiandum fuit, venturum commendandum fuit; ut non subito veniens horreretur, sed creditum exspectaretur. Ex his promissionibus est psalmus iste, Dominum et salvatorem nostrum Jesum Christum certe aperteque prophetans; ut omnino dubitare non possimus Christum annuntiari psalmo hoc: quandoquidem christiani sumus, et Evangelio jam credimus. Nam cum ipse Dominus noster et salvator Jesus Christus quæreret a Judæis, cujus filium dicerent esse Christum, et respondissent, *David;* ille continuo retulit respondentibus, et ait: « Quomodo ergo David in spiritu dicit eum Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis? Si ergo in spiritu, » inquit, « vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est » (*Matth.* XXII, 42-45)? Ab hoc versu psalmus iste incipit.

4. [*vers.* 1.] *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Hanc ergo quæstionem Judæis propositam a Domino, in ipso ingressu Psalmi pertractare debemus. Si enim quod responderunt Judæi exigatur a nobis, utrum confiteamur et nos, an negemus; absit ut negemus. Si dicatur nobis, Christus filius est David, annon est? si dixerimus non, contradicimus Evangelio; namque Matthæo scribente, sic incipit Evangelium: *Liber generationis Jesu Christi filii David* (*Matth.* I, 1). Evangelista dicit librum se scribere generationis Jesu Christi, filii David. Recte ergo Judæi interrogati a Christo, cujus esse filium crederent Christum, responderunt, *David*. Responsioni eorum congruit Evangelium. Habet hoc non solum suspicio Judæorum, sed et fides Christianorum. Adhuc alia firmamenta conspicio. Dicit Apostolus, *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3): dicit etiam ad Timotheum, *Memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum evangelium meum.* Et de ipso evangelio quid dicit? *In quo laboro usque ad vincula, tanquam malefaciens; sed sermo Dei non est alligatus* (II *Tim.* II, 8, 9). Laborabat ergo usque ad vincula Apostolus pro evangelio suo, id est pro dispensatione evangelica, quam populis prædicabat, quam populis impendebat: ille qui mane rapuerat, escas ad vesperum dividebat (*Gen.* XLIX, 27). Laborabat ergo usque ad vincula pro evangelio. Quo evangelio[1]? *Christum Jesum resurrexisse a mortuis, ex semine David.* Pro hoc evangelio Apostolus laborabat: et tamen de hoc Christus interrogabat; et respondentibus Judæis quod prædicabat Apostolus, retulit vocem tanquam contradictionis, et ait: *Quomodo ergo David in spiritu dicit eum Dominum?* et interposuit testimonium de hoc psalmo, *Dixit Dominus Domino meo. Si ergo in spiritu dicit eum Dominum, quomodo filius est ejus?* Judæi sub hac interrogatione tacuerunt; quid responderent deinceps non invenerunt: nec eum tamen Dominum quæsierunt, quia et ipsum esse illum filium David non agnoverunt. Nos autem, fratres, credamus, et dicamus: corde enim creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X, 10): credamus, inquam, et dicamus et filium David, et Dominum David. Non erubescamus de filio David, ne iratum inveniamus Dominum David.

5. Hoc enim nomine illum rectissime transeuntem appellantes cæci, illuminari meruerunt. Transibat enim Jesus, et illi audito sonitu transeuntis turbæ, aure jam cognoscentes quod nondum poterant oculis, acclamaverunt voce magna, et dixerunt: *Miserere nostri, fili David.* Turbæ autem illos increpabant, ut tacerent: et illi nihilominus, lucis desiderio, turbarum contradictionem vincentes, in clamando perseveraverunt; transeuntem tenuerunt; et a tangente illuminari meruerunt. Dicebant enim transeunti: *Miserere nostri, fili David.* Stetit ille, et victo ab eis clamore contradicentium: *Quid*, inquit, *vultis ut faciam vobis?* Et illi, *Domine, ut videamus.* Tetigit et aperuit oculos eorum; viderunt præsentem, quem senserant transeuntem (*Matth.* XX, 29-34). Aliquid ergo transitorium

[1] Edd., *quo Evangelio prædicabat.* Abest, *prædicabat,* a Mss.

Dominus fecit: est autem aliud quod stat. Aliud est, inquam, transitorium Domini, aliud stabile Domini. Transitorium Domini, Virginis partus, Verbi incarnatio, ætatum gradatio, miraculorum exhibitio, passionum perpessio, mors, resurrectio, ascensio in cœlum: hoc totum transitorium fuit. Non enim adhuc Christus nascitur, aut adhuc moritur, aut adhuc resurgit, aut adhuc ascendit in cœlum. Nonne videtis ista facta, per tempora cucurrisse, per tempora exhibuisse viatoribus quiddam transitorium, ne in via remanerent, sed ad patriam pervenirent? Denique et illi cæci ad viam sedebant, ibi transeuntem senserunt, et clamando tenuerunt. In via ergo sæculi hujus hoc transitorium sui Dominus operatus est, et hoc transitorium pertinet ad filium David. Ideo illi Domino transeunti: *Miserere nostri, fili David.* Tanquam dicerent: Filium David in transeunte [1] cognoscimus, filium David factum in transitu discimus. Agnoscamus ergo et nos, et filium David confiteamur, ut illuminari mereamur. Sentimus enim transeuntem filium David, et illuminamur a Domino David.

6. Ecce ergo quia Magister noster interrogavit Judæos, et ideo non responderunt, quia discipuli esse noluerunt; ecce si nos interrogaret, quid responderemus? Defecerunt in hac interrogatione Judæi, proficiant Christiani; non perturbentur, sed erudiantur. Non enim Dominus interrogat discere volens, sed tanquam doctor interrogat. Dicerent miseri Judæi: Tu, dic nobis. Maluerunt inflata taciturnitate disrumpi, quam humili confessione edoceri. Dicat ergo nobis Magister noster, et videamus quid interroganti respondeamus: *Quid vobis videtur de Christo? cujus est filius?* Respondeamus omnino quod Judæi, sed non remaneamus ubi Judæi. Recolamus Evangelium quod credimus: *Liber generationis Jesu Christi, filii David.* Non quia interrogamur excidat nobis Christum esse filium David, quod memoriæ commendat Apostolus: Eia, christiane, *memor esto Christum Jesum resurrexisse a mortuis, ex semine David.* Ergo interrogemur et respondeamus: *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est?* Dicant concordia ora christiana: *David.* Referat et Doctor, et revocet nobis: « Quomodo ergo David in spiritu dicit eum Dominum? Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis. » Quomodo nos diceremus, nisi a te disceremus? Nunc ergo quia didicimus, dicimus: In principio eras Verbum, et Verbum eras apud Deum, et Deus eras Verbum; omnia per te facta sunt: ecce Dominus David. Sed propter infirmitatem nostram, quia caro desperata jacebamus, Verbum caro factum es, ut habitares in nobis (*Joan.* I, 1, 3, 14): ecce filius David. Certe tu in forma Dei cum esses, non rapinam arbitratus es esse æqualis Deo; ideo Dominus David: sed temetipsum exinanisti formam servi accipiens (*Philipp.* II, 7); inde filius David. Denique et in ipsa interrogatione tua dicens, *Quomodo filius ejus est?* non te filium ejus negasti, sed modum quo id fieret inquisisti. *Dicit eum,* inquis, *David Dominum;* quomodo filius ejus est? non nego, sed dic quomodo. Illi ergo ex Litteris quas legebant, et non intelligebant, si in ista interrogatione recolerent modum, nonne responderent: Quomodo interrogas? *Ecce virgo accipiet in utero, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus* (*Isai.* VII, 14; *Matth.* I, 23). Accipiet virgo in utero, virgo ex semine David pariet filium, ut sit filius David: erant enim Joseph et Maria de domo et patria David (*Luc.* I, 27, 32; *et* II, 4, 5). Peperit ergo virgo illa, ut esset filius David. Sed ille quem peperit, *vocabunt nomen ejus Emmanuel, Nobiscum Deus:* ecce habes et Dominum David.

7. Aliquid nobis fortassis ex hac re, quomodo Christus et filius sit David, et Dominus David, etiam psalmus iste intimabit. Audiamus ergo, et pertractemus eum; pulsemus pietate, extorqueamus charitate. David ergo ipse dicit: neque enim Domino contradicere licet: *David,* inquit, *in spiritu dicit eum Dominum.* Ipse ergo David de Christo quid dicit? Nam, *Ipsi David Psalmus:* et iste est totus titulus, simplex, sine figura quæstionis, sine ullo nodo difficultatis. Quid ergo dicit David? *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quod est, *scabellum pedum tuorum;* hoc est, *sub pedibus tuis:* scabellum enim pedum sub pedibus est. *Dixit,* inquit, *Dominus Domino meo.* Audivit hoc David, audivit in spiritu: ubi nos, quando audivit, non audivimus; sed loquenti quod audivit et scribenti credidimus. Audivit ergo prorsus, audivit in quodam secretario veritatis, in quodam mysteriorum sanctuario: ubi Prophetæ in occulto audierunt, quod in aperto prædicaverunt; ibi audivit David, qui cum fiducia magna dicit, *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Novimus Christum sedere ad dexteram Patris post resurrectionem a mortuis, et in cœlos ascensionem. Factum est jam; nec vidimus, sed credidimus: in Libris legimus, prædicatum audivimus, fide retinemus. Unde et eo ipso quod erat filius David Christus, factus est Dominus David. Illud enim quod natum est ex semine David, ita honoratum est, ut esset et Dominus David. Ita admiraris hoc, quasi et in rebus humanis ista non fiant. Si enim contingat filium cujusquam regem fieri patre privato, nonne erit dominus patris? Admirabilius est quod potest contingere, ut non solum rex factus privati filius, dominus sit patris sui; sed episcopus factus laici filius, sit pater patris sui. Ergo et eo ipso quod carnem accepit Christus, quod in carne mortuus est, quod in eadem carne resurrexit, quod in eadem ascendit in cœlum et sedet ad dexteram Patris, et in eadem ipsa carne sic honorata, sic clarificata, sic in cœlestem habitum commutata, et filius est David, et Dominus est David. Secundum hanc enim dispensationem transitus [1] Christi, etiam illud ab

[1] Sic Mss. Edd. vero, *transeuntem cognoscimus.*

[1] Aliquot Mss., *transituum.*

Apostolo dicitur: *Propter quod illum exaltavit a mortuis, et donavit illi nomen quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philipp.* II, 9, 10). *Donavit*, inquit, *ei nomen quod est super omne nomen:* Christo secundum hominem, Christo secundum carnem mortuo, resurgenti, ascendenti, *donavit nomen quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.* Ubi erit David, ut non ei sit Dominus? In cœlo sit, in terra sit, in inferno sit; Dominus ejus erit qui est Dominus cœlestium, terrestrium et infernorum. Gaudeat ergo nobiscum et David, filii sui nativitate honoratus, dominatu liberatus; et gaudens dicat, a gaudentibus audiatur: *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

8. *Sede*, non solum in alto, sed et in occulto: excellens ut domineris, latens ut credaris. Quæ enim esset merces fidei, nisi lateret quod credimus? Merces autem fidei est, videre quod credidimus antequam videremus. Sicut autem Scriptura personat, *Justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17). Non ergo esset justitia fidei, nisi esset absconditum quod prædicatum crederemus, et credendo ad videndum perveniremus. *Quam* enim *multa multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Ergo *abscondisti*, et remanserunt? Absit: *Perfecisti autem sperantibus in te* (*Psal.* XXX, 20). Mirabile ergo mysterium Christi sedentis ad dexteram Dei: occultatum est ut crederetur, subtractum est ut speraretur. *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat?* Apostoli verba sunt. Recognoscitis quidem, sed propter rudes commendo. Quid ergo ait Apostolus? *Spe*, inquit, *salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, cum patientia exspectamus* (*Rom.* VIII, 24, 25). Quia ergo *quæ videtur non est spes; Abscondisti* dulcedinem *timentibus te.* Quia *quod non videmus, speramus*, et *per patientiam exspectamus; Perfecisti sperantibus in te.* Denique, charissimi, intente accipite quod dicturus sum. Quoniam justitia nostra ex fide est, et fide mundantur corda nostra, ut quod credidimus, videre possimus: utrumque enim positum est; et, *Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8); et, *Fide mundans corda eorum* (*Act.* XV, 9). Quia ergo hæc est justitia fidei [1], credere quod non vides, et ipso merito fidei ad visionem suo tempore pervenire; Dominus in Evangelio cum promitteret Spiritum sanctum, hoc ait: *Ipse arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.* De quo peccato? de qua justitia? de quo judicio? Ipse sequitur et exponit; conjecturas hominum non admittit: *De peccato quidem*, inquit, *quia non crediderunt in me.* Quanta alia peccata Judæorum! Et tamen quasi hoc unum sit, ita dixit: *De peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Hoc est illud peccatum, de quo alibi dicit: *Si non venissem, peccatum non haberent* (*Joan.* XV, 22). Quid est hoc, *Si non venissem, peccatum non haberent?* Ergo ad justos venisti, et eos peccatores fecisti? Sed exceptis aliis peccatis, quæ possent remitti per fidem, hoc unum peccatum nominavit, quod si non admitteretur, omnia relaxarentur. *De peccato quidem*, ait, *quia non crediderunt in me:* et alibi, *Si non venissem, peccatum non haberent.* Eo enim ipso quo venit et non crediderunt in eum, inciderunt in peccatum: quod si non inciderent, omnia cætera peccata dimitti possent per indulgentiam gratiæ impetratam per fidem. Ergo *de peccato, quia non crediderunt in me: de justitia, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me* (*Id.* XVI, 8-10). Hæc est justitia, quia ad Patrem vadis, et jam non videbunt te: hæc justitia enim ex fide est. *Justus* enim *ex fide vivit;* et tunc ex fide vivit, si non videat quod credit. Quia ergo ad justitiam pertinet ex fide vivere, et ex fide nemo vivit, nisi non videndo quod credit; ut ipsam justitiam faceret in hominibus, id est, ut crederent quod non viderent, *De justitia*, inquit, *quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.* Hæc, inquit, erit justitia vestra, ut credatis in eum quem non videtis, et fide mundati, eum in quem credidistis, in die resurrectionis [1] postea videatis.

9. Sedet ergo a dextris Dei Christus, a dextris Patris Filius in occulto est: credamus. Etenim duas res hic dicit, quia et dixit Deus, *Sede a dextris meis;* et addidit, *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, hoc est, sub pedibus tuis. Non vides Christum sedentem ad dexteram Patris: vel hoc potes [2] videre, quomodo ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. Cum hoc impletur in aperto, crede illud esse in occulto. Qui inimici ponuntur scabellum pedum ejus? Quibus inania meditantibus dicitur, *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus;* et dixerunt, *Disrumpamus vincula eorum, et abjiciamus a nobis jugum ipsorum:* non nobis dominentur, non nos sibi subjugent. *Qui habitat in cœlis, irridebit eos:* inimicus eras; eris sub pedibus ejus, aut adoptatus, aut victus. Quære ergo quem locum habeas sub pedibus Domini Dei tui; nam necesse est ut habeas, aut gratiæ, aut pœnæ. Sedet ergo ad dexteram Dei, donec ponantur inimici ejus sub pedibus ejus. Hoc fit, hoc agitur: etsi paulatim peragitur, indesinenter agitur. Fremuerint enim gentes, et populi meditati sint inania; astiterint reges terræ, et principes convenerint in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus: numquid fremendo, numquid meditando inania, numquid in unum adversus Christum conveniendo, efficient ut non impleatur, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ?* Impletur omnino, et illis frementibus,

[1] Sic Mss. At Edd., *Quæ ergo hæc est justitia fidei? Credere*, etc.

[1] Plures probæ notæ Mss. non habent, *in die resurrectionis.*

[2] Sic aliquot Mss. Edd. vero, *nec hoc potes.*

et illis inania meditantibus, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.* Illi enim inania meditantur: ut autem impleatur, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ;* non nescio quis inaniloquus [1], sed *Dominus dixit ad me* (*Psal.* II, 1-8). Sic et in hoc psalmo possumus dicere: *Dixit*, non quicumque, non illi qui fremunt et meditantur inania; sed *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Fremant, meditentur inania, perstrepant; numquid non implebitur? *Periit memoria eorum cum strepitu.* Loquitur certe et alius psalmus, sed non alius spiritus: *Periit memoria eorum cum strepitu, et Dominus in æternum manet* (*Psal.* IX, 7, 8). Ille ergo qui memoria eorum pereunte cum strepitu, in æternum manet, ipse *dixit Domino meo, Sede a dextris meis.* Sedet enim a dextris Patris, donec ponat omnes inimicos ejus scabellum pedum ejus.

10. [*vers.* 2.] Et quid sequitur? *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Apparet, fratres, evidentissime apparet non de illo regno Christi Prophetam loqui, quo regnat semper apud Patrem, rerum Dominum quæ per illum creatæ sunt: quando enim non regnat in principio Verbum Deus apud Deum? Dicitur enim: « Regi autem sæculorum [2] invisibili, incorruptibili, soli Deo honor et gloria, in sæcula sæculorum » (I *Tim.* I, 17). « Regi sæculorum honor et gloria, in sæcula sæculorum: » cui « regi sæculorum? Invisibili, incorruptibili. » In eo enim quod et Christus est cum Patre invisibilis et incorruptibilis, quia Verbum ejus est, et Virtus ejus, et Sapientia ejus, et Deus apud Deum, per quem facta sunt omnia; Rex est sæculorum: sed tamen illud dispensatorium et transitorium, quo nos per medietatem carnis suæ vocavit in æternitatem, regnum ejus incipit a Christianis; sed regni ejus non erit finis. Ponuntur ergo scabellum pedum ejus inimici ejus, sedentis ad dexteram Patris, ponuntur, ut dictum est; id agitur, id usque in finem omnino peragitur. Nemo dicat non posse impleri quod cœptum est. Quid finem cœpti desperas? Omnipotens cœpit, omnipotens se promisit impleturum esse quod cœpit. Unde autem cœpit? *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Quæ Sion, ipsa est Jerusalem. Audi ipsum Dominum: *Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertio die.* Hinc sedet ad dexteram Dei Patris, resurgendo ibi fuit. Deinde illo sedente ad dexteram Patris, quid agitur? ut ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus, quid agitur? Audi illum docentem et exponentem: « Et prædicabitur in nomine ejus pœnitentia et remissio peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem » (*Luc.* XXIV, 46, 47); quia, « Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. Virgam virtutis tuæ, » hoc est regnum potentiæ tuæ; quia, « Reges eos in virga ferrea » (*Psal.* II, 9): « emittet Dominus ex Sion; » quia, « Incipientibus ab Jerusalem. »

11. Cum ergo emiserit ex Sion virgam virtutis ejus, quid fiet? *Et dominare in medio inimicorum tuorum.* Prius *dominare in medio inimicorum tuorum:* inter frementes gentes. Numquid enim postea cum acceperint honorem suum sancti, et suam damnationem impii, in medio inimicorum suorum dominabitur? Et quid mirum si tunc dominabitur, secum in æternum regnantibus justis, et æternis pœnis ardentibus impiis? quid mirum si tunc? Modo in medio inimicorum tuorum, nunc in isto transitu sæculorum, in ista propagatione et successione mortalitatis humanæ, nunc dum torrens temporum præterlabitur, ad hoc directa est virga virtutis tuæ ex Sion, ut domineris in medio inimicorum tuorum. Dominare, dominare in medio Paganorum, Judæorum, hæreticorum, falsorum fratrum. Dominare, dominare, fili David, Domine David, dominare in medio Paganorum, Judæorum, hæreticorum, falsorum fratrum. *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Hunc versum non recte intelligimus, si non fieri jam videmus. Sede ergo a dextris Dei, occultare ut credaris, donec impleantur tempora gentium. Sic enim scriptum est: *Quem oportebat cœlum recipere, donec impleantur tempora gentium* (*Act.* III, 21). Ut enim resurgeres, mortuus es; ut ascenderes, resurrexisti; ut sederes ad dexteram Patris, ascendisti: ergo ut ad dexteram Patris sederes, mortuus es. De morte enim resurrectio, de resurrectione ascensio, de ascensione ad dexteram sessio: hoc totum ergo cœpit a morte. Excellentia claritatis hujus, principium habet humilitatis. Te itaque sedente ad dexteram Patris, implentur tempora gentium, ponuntur inimici omnes scabellum pedum tuorum, et ad hoc ut perveniatur, prius dominaberis in medio inimicorum tuorum: ad hoc enim *virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion.* Ut autem morereris, et per mortem tuam deleretur chirographum peccatorum (*Coloss.* II, 14), et prædicaretur pœnitentia et remissio delictorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem, cæcitas Judæorum fecit. Aliis illuminandis, aliorum cæcitas militavit: « Cæcitas » enim « ex parte Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret » (*Rom.* XI, 25). « Cæcitas ex parte Israel facta » occidit te; occisus resurrexisti, sanguine tuo peccata Gentium diluisti, ad dexteram Patris sedens undique patientes et ad te confugientes collegisti. « Facta est » ergo « cæcitas ex parte Israel, facta est ut plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret, » et omnes inimici tui essent [1] scabellum pedum tuorum. Sed hoc nunc, postea quid?

12. [*vers.* 3.] *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Quis iste dies est virtutis ejus? Quando cum illo principium, vel quod principium, vel quomodo cum illo principium; quandoquidem et ipse principium? Adjuvet Dominus, ut nec mihi dicere perturbetur, nec vobis audire. Video enim quod jam factum est, et vobiscum video oculis fidei: oculis quoque carnis

[1] Sic Mss. At in Edd., *inanis locutus est.*
[2] Hic in Edd. additur, *immortali*: quod a Mss. abest.

[1] Restituimus, *tui*, et, *essent*, ex Er. Lugd. Ven. et Lov.; quorum verborum loco in B. notatur ad marginem: « Supple, *fierent.* » M.

video quod jam fit, rursusque oculis fidei vobiscum spero quod futurum est. Quid ergo factum est? quid fit? quid futurum est? Christus passus est, mortuus est, resurrexit tertia die, ascendit in cœlum, ut novimus, quadragesimo die, sedet ad dexteram Patris: hoc jam factum est, hoc non vidimus, sed credimus. Quid nunc fit? Dominatur in medio inimicorum suorum, emissa virga virtutis ejus ex Sion; fit hoc, id agitur. Formam servi [1] et præsentem tunc viderunt servi, et absentem nunc credunt servi. Hoc credimus de forma servi, quod possumus capere, dum adhuc sumus servi. Hoc est enim illud lac parvulorum, quod temperavit, panem trajiciens per carnem. Nam panis ille Angelorum, in principio erat Verbum: ut tamen panem Angelorum manducaret homo (*Psal.* LXXVII, 25), Creator Angelorum factus est homo. Ita nobis Verbum incarnatum factum est receptibile: quod recipere non valeremus, si Filius æqualis Deo non se exinaniret formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Philipp.* II, 6 *et* 7). Ut ergo utcumque capere possemus eum qui non posset capi a mortalibus, mortalis factus est immortalis; ut peracta sua morte faceret immortales, et aliquid daret inspiciendum, aliquid credendum, aliquid post videndum. Inspiciendam dedit formam servi præsentibus, non solum oculis videndam, sed etiam manibus pertractandam. Cum eadem forma ascendit in cœlum, credere nobis jussit quod illis videre concessit. Sed et nos habemus quod videamus: illi enim viderunt virgam emissam ex Sion, nos videmus dominari in medio inimicorum suorum. Hoc totum, fratres, pertinet ad dispensationem formæ servilis, quæ tolerabiliter capitur a servis, et amatur a futuris liberis. Veritas enim incommutabilis quod est Verbum Dei, Deus apud Deum, per quem facta sunt omnia, in se manens innovat omnia (*Sap.* VII, 27). Hanc ut videamus, magna et perfecta cordis munditia necessaria est, quæ fit per fidem. Demonstrata enim forma servi, dilata [2] est ad demonstrandam formam Dei. Idem quippe in forma servi loquens servis ait: « Qui diligit me, mandata mea custodit: et qui diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et ostendam meipsum illi » (*Joan.* XIV, 21). Videntibus se promisit demonstraturum se. Quid videbant? quid promittebat? Videbant formam servi, promittebat formam Dei. *Ostendam*, inquit, *meipsum illi*. Ipsa est claritas ad quam perducitur regnum quod modo transitu sæculi hujus colligitur: ducitur enim ad quamdam visionem ineffabilem, quam non merebuntur impii. Cæterum forma servi cum hic esset, visa est ab impiis: viderunt eam qui crediderunt, viderunt et qui occiderunt. Ne aliquid magnum putes videri formam illam, viderunt amici, viderunt inimici; et quidam videntes interfecerunt, quidam non videntes crediderunt. Hanc ergo formam servi, quam hic jam in humilitate viderunt et pii et impii, videbunt et in judicio et pii et impii. Cum enim Dominus ante oculos discipulorum suorum ferretur in cœlum, sonuit vox angelica intuentibus eum: « Viri Galilæi, quid statis intuentes in cœlum? Iste Jesus sic veniet, quomodo eum vidistis euntem in cœlum » (*Act.* I, 11). *Sic* ergo, *sic*, in eadem forma: quia de impiis dictum est, *Videbunt in quem pupugerunt* (*Zach.* XII, 10). Videbunt judicaturum, quem irriserunt judicatum. Ipsa itaque forma servi in judicio conspicua erit et justis et injustis, et piis et impiis, et fidelibus et infidelibus. Quid ergo impii non videbunt? Nam de quibus dictum est, *Videbunt in quem pupugerunt*; de ipsis rursum dictum est, *Tollatur impius, ut non videat claritatem Domini* (*Isai.* XXVI, 10). Quid est hoc, fratres? Discernamus, discutiamus [1]. Excitatur impius, ut aliquid videat; tollitur impius, ut aliquid non videat. Jam quid sit visurus, ostendimus; formam illam de qua dictum est, *Sic veniet*. Quid ergo non est visurus? *Et ostendam meipsum illi*. Quid est, *meipsum*? Non formam servi. Quid est, *meipsum?* Formam Dei, in qua non rapinam arbitratus sum esse æqualis Deo (*Philipp.* II, 6 *et* 7). Quid est, « meipsum? Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est » (I *Joan.* III, 2). Hæc claritas Dei est ineffabilis lux, fons lucis sine commutabilitate, veritas sine defectu, sapientia in seipsa manens, innovans omnia: hæc substantia Dei est. Itaque tolletur impius, ut non videat hunc honorem Domini. *Beati* enim *mundicordes, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8).

13. Videtur ergo mihi, fratres, quantum nostræ capacitati Dominus impertiri dignatur, de ipso tempore: si tamen dicendum est, tempore [2]; quodam enim tempore venturi sumus ad non tempus: inde mihi videtur dictum; quod sine præjudicio dicam, si quis intelligere aliquid melius, expeditius, probabilius possit: inde mihi videtur dictum, *Tecum principium in die virtutis tuæ*. Denique hoc, quantum puto, versu consequente satis explanat. Quia enim et hic dicta est virtus ejus, qua subjecit gentes jugo suo, qua stravit populos, non ferro, sed ligno, etsi in carne, etsi in humilitate, etsi adhuc quantum servilis forma patitur, capitur tamen magna virtus ejus; quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (I *Cor.* I, 25): quia ergo dicta est et hic virtus ejus, quam commendavit dicendo, *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, et dominare in medio inimicorum tuorum*: quanta enim virtus ejus dominans in medio inimicorum suorum perstrepentium, nihil contra eum valentium, quotidie sibi dicentium, *Quando morietur, et peribit nomen ejus* (*Psal.* XL, 6)? cum crescat gloria ejus per populos, cum ejus nomini subjiciantur gentes, cum peccator videat et irascatur, dentibus suis frendat et tabescat (*Psal.* CXI, 10): quia ergo est et hæc virtus ejus, volens Propheta commendare aliter virtutem ejus, sicuti est Virtus Dei et Sapien-

[1] Sic Mss. At Edd., *id agitur in forma servi: et præsentem*, etc.
[2] Er. Lugd. Ven. et Lov., *dilatata*. M.

[1] Omnes Mss., *discamus*.
[2] Er. Ven. et Lov., *tempus*. M

tia Dei Christus in lumine perpetuo incommutabilis veritatis; ad quam visionem servamur, ad quam visionem differimur, ad quam visionem fide mundamur, a qua visione tollitur impius, ne videat honorem Domini; hoc ergo volens ostendere, *Tecum*, inquit, *principium in die virtutis tuæ*. Quid est, *Tecum principium?* Quodlibet pone principium. Si ipsum Christum; potius diceretur, Tu es principium, quam *Tecum principium*. Respondit enim interrogantibus, *Tu quis es*, et ait, *Principium, quia et loquor vobis* (*Joan.* VIII, 25): cum sit principium et Pater, de quo unigenitus Filius, in quo principio erat Verbum, quia Verbum erat apud Deum. Quid ergo, si et Pater principium, et Filius principium, duo principia? Absit. Sicut enim Pater Deus et Filius Deus, Pater autem et Filius non duo dii, sed unus Deus: sic Pater principium et Filius principium, Pater autem et Filius non duo, sed unum principium. *Tecum principium*. Tunc videberis quomodo tecum sit principium. Non enim et hic non tecum principium. Nonne enim tu dixisti: *Ecce itis quisque ad sua, et me solum relinquetis; sed non sum solus, quia Pater mecum est* (*Id.* XVI, 32)? Et hic ergo *tecum principium*. Dixisti enim et alibi, *Pater autem in me manens facit opera sua* (*Id.* XIV, 10). *Tecum principium;* nec unquam a te separatus est Pater. Sed quando videbitur tecum esse principium, tunc manifestum erit omnibus similibus jam tibi factis; quoniam videbunt te sicuti es (I *Joan.* III, 2): etenim hic Philippus te videbat, et Patrem quærebat. Tunc ergo videbitur quod nunc creditur: tunc *tecum principium* videntibus sanctis, videntibus justis; sublatis de medio impiis, ne videant honorem Domini.

14. Modo ergo credamus, fratres, quod tunc videamus. Nam et Philippus objurgatus est quod quæreret videre Patrem, cum in ipso Filio non agnosceret Patrem: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui me vidit, vidit et Patrem.* Sed *qui me vidit*, non qui formam servi in me vidit. *Qui* ergo *me vidit*, qualem me abscondi timentibus me, qualem me videndum perficio sperantibus in me (*Psal.* XXX, 20), *vidit et Patrem*. Sed quia ista visio post erit, nunc pro illa quid habebimus? Videamus quid dicat Philippo, cui dixerat, *Qui me vidit, vidit et Patrem*. Quasi ei Philippus tacitus responderet, Et quomodo te videbo, si aliter videris quam in forma servi? aut quomodo videbo Patrem, invalidus homo mortalis, pulvis et cinis? conversus ad eum, differens visionem, imperans fidem, qui dixerat, *Qui me vidit, vidit et Patrem;* quia multum erat ad Philippum, et longe ab eo erat videre: *Non credis*, inquit, *quia ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* XIV, 8-11)? Quod videre nondum potes, crede, ut videre merearis. Cum ergo ventum fuerit ut videamus, tunc apparebit, *Tecum principium in die virtutis tuæ*. *Virtutis tuæ:* non virtutis infirmitatis tuæ [1], quia ibi virtus. *Virtutis tuæ:* habent nunc homines in fide, in spe, in charitate, in bonis operibus virtutes suas; sed ibunt a virtutibus in virtutem (*Psal.* LXXXIII, 8). *Tecum* ergo *principium:* videberis cum Patre, in Patre, ut Pater *tecum principium in die virtutis tuæ*, illius virtutis tuæ quam impius non videbit. Nam et hoc infirmum tuum, fortius est hominibus: etenim *in die virtutis tuæ tecum principium*.

15. De qua virtute dicis, expone. Quia et hic, ut dictum est, nominata est virtus ejus, cum emittitur virga virtutis ejus ex Sion, ut dominetur in medio inimicorum suorum. De qua virtute dicis? *In splendore sanctorum. In splendore*, inquit, *sanctorum*. De ipsa virtute dicit, quando erunt in splendore sancti: non quando adhuc terrenam carnem gestantes et in corpore mortali atque corruptibili gementes, quod aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15); cum ipsæ cogitationes invicem non videntur, non hoc est, *In splendore sanctorum*. Sed quid est, *In splendore sanctorum?* *Donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis; et tunc laus erit unicuique a Deo* (I *Cor.* IV, 5). Hoc erit, *In splendore sanctorum;* quia *tunc justi fulgebunt in regno Patris sui, sicut sol*. Audite enim quid sit hoc, *In splendore sanctorum*. *Veniet*, inquit, *messis, veniet finis sæculi: mittet paterfamilias Angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et mittent in caminum ignis ardentis. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui* (*Matth.* XIII, 39-43). In quo regno? Videte si visio quædam servatur, de qua nobis dictum est, *Tecum principium*. In quo regno? Utique in vita æterna. Nam ad dexteram positis hoc dicturus est: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi*. Deinde damnatis impiis, segregatis justis atque laudatis, quid sequitur quod dixerat, *Percipite regnum? Tunc ibunt impii in ambustionem æternam, justi autem in vitam æternam* (*Id.* XXV, 34, 46). Quod dixerat *regnum*, hoc dixit *vitam æternam*, quo non ibunt impii. Videte si quædam visio est vita æterna: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3); quia *tecum principium in die virtutis tuæ*. Ergo, *Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendore sanctorum*.

16. Sed hoc differtur, hoc postea dabitur: quid nunc? *Ex utero ante luciferum genui te*. Quid hic, Si Deus Filium habet, numquid et uterum? Sicut carnis corpora, non habet: quia nec sinum; dictum est tamen, *Qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (*Id.* I, 18). Qui est autem sinus, ipse est uterus; et sinus et uterus pro secreto positus est. Quid est, *Ex utero?* Ex secreto, ex occulto; de meipso, de substantia mea; hoc est, *Ex utero:* quia, *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isai.* LIII, 8)? Accipiamus ergo Patrem dicentem ad Filium, *Ex utero ante luciferum genui te*. Quid est ergo *ante luciferum?* Lucifer pro sideribus positus est, tanquam a parte totum significante Scriptura, et ex eminenti stella omnia sidera. Sed illa sidera quomodo facta sunt? *Ut sint in signis, et in temporibus*,

[1] Sic Mss. At Edd., *Virtus virtutis tuæ, non virtus infirmitatis tuæ.*

et in diebus, et in annis (*Gen.* I, 14). Si ergo et in signis et in temporibus posita sunt sidera, et lucifer nominatus est pro sideribus; quod est ante luciferum, hoc est ante sidera; et quod est ante sidera, hoc est ante tempora; si ergo ante tempora, ab æternitate: noli quærere quando; æternitas non habet quando. Quando et aliquando verba [1] sunt temporum. De Patre non est natus in tempore, per quem facta sunt tempora. Dictum est ergo, ut dici oportuit, figurate, prophetice, ut et uterus pro secreta substantia, et lucifer pro temporibus poneretur. An vultis et ipsum David respiciamus, qui Dominum suum dixit filium suum? Ut enim hoc diceret, audivit a Domino suo; ab illo audivit a quo falli non potuit: et dixit jam Dominum suum, quia, *Dixit*, inquit, *Dominus Domino meo, Sede a dextris meis*. Et ipse loquitur, ipsius quasi sermo contextus est. Si ergo ipse loquitur, forte ipse potuit dicere, *Ex utero ante luciferum genui te:* ex utero virginali, *ex utero ante luciferum genui te*. Si enim illa virgo ducens propaginem de carne David, ex illo utero natus Christus, tanquam ex utero genitus a David. *Ex utero*, quo masculus non accessit: *ex utero* prorsus, proprie *ex utero*, quia solus ex solo utero. Ergo, *Ex utero*, inquit ille, qui eum Dominum suum dixerat, *Ex utero ante luciferum genui te*. Et hoc ipsum *ante luciferum* signate dictum, et proprie dictum, et sic impletum. Noctu enim natus est Dominus de utero virginis Mariæ: indicant testimonia pastorum, qui vigilias exercebant super gregem suum (*Luc.* II, 7 *et* 8). *Ex utero ante luciferum genui te*. O tu, Domine meus, sedens ad dexteram Domini mei, unde filius meus, nisi quia *Ex utero ante luciferum genui te?*

17. [*vers.* 4.] Et ad quid natus es? *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Ad hoc enim natus ex utero ante luciferum, ut esses sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Si natum ex utero, de virgine intelligimus; ante luciferum, noctu, sicut Evangelia contestantur; procul dubio inde ex utero ante luciferum, ut esset sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Nam secundum id quod natus de Patre Deus apud Deum, coæternus gignenti, non sacerdos; sed sacerdos propter carnem assumptam, propter victimam quam pro nobis offerret a nobis acceptam. *Juravit* ergo *Dominus*. Quid est, *Juravit Dominus?* Ergo Dominus jurat, qui prohibet hominem a jurando (*Matth.* v, 34)? An forte ideo magis hominem prohibet a jurando, ne in perjurium prolabatur, et ideo Deus magis jurat, quia non potest esse perjurus? Homo enim qui per consuetudinem jurandi potest lingua in perjurium prolabi, bene prohibetur jurare: tanto enim longius erit a perjurio, quanto erit longe a jurando. Qui enim jurat homo, falsum et verum jurare potest: qui autem non jurat, falsum jurare non potest; quia omnino non jurat. Cur ergo non juret Dominus, quando Domini juramentum promissionis est firmamentum? Juret omnino. Quid ergo tu facis, cum juras? Testaris Deum: hoc est jurare, Deum testari; et ideo molestum, ne ad aliquam falsitatem testem adhibeas Deum. Si ergo tu jurando testaris Deum, cur ergo non et Deus jurando testetur seipsum? *Vivo ego, dicit Dominus*, juratio Dei est. Sic juravit de semine Abrahæ: « Vivo ego, dicit Dominus; quoniam audisti vocem meam, et non pepercisti filio tuo unico propter me, nisi benedicens benedicam te, et implendo implebo semen tuum sicut stellas cœli, et sicut arenam quæ est ad labium maris, et benedicentur in semine tuo omnes gentes » (*Gen.* XXII, 16-18). Et semen Abrahæ quod est Christus, ille semen Abrahæ, accipiens carnem de semine Abrahæ, erit sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. De sacerdotio ergo secundum ordinem Melchisedec, *juravit Dominus, et non pœnitebit eum*. Quid de sacerdotio secundum ordinem Aaron? Numquid pœnitet Deum, sicut hominem, aut nolens cadit in aliquid ut faciat, aut imprudens prolabitur, ut postea eum de suo prolapsu pœniteat? Scit quid agat, scit quousque quid progrediatur; unde in aliud commutetur, in potestate rectoris est. Sed pœnitentia mutatio rerum significatur. Quomodo enim tu, cum aliquid te pœnitet, doles factum quod fecisti: sic quando aliquid Deus præter spem hominum, id est, præterquam sperant homines mutat in aliud, pœnitere se dicit; usque adeo ut et de pœna nostra pœniteat eum, si nos de vita nostra mala pœnituerit. *Juravit* ergo *Dominus; juravit*, firmavit: *non eum pœnitebit*, non mutabit. Quid? *Tu es sacerdos in æternum.* Ideo *in æternum*, quia *non pœnitebit eum*. Sed sacerdos, secundum quid? Numquid erunt illæ hostiæ, victimæ oblatæ a Patriarchis, aræ sanguinis et tabernaculum, et illa primi Testamenti Veteris sacramenta? Absit. Jam illa sublata sunt, everso jam templo, remoto illo sacerdotio, pereunte victima eorum et sacrificio: hæc nec Judæi habent. Vident perisse jam sacerdotium secundum ordinem Aaron, et non agnoscunt sacerdotium secundum ordinem Melchisedec. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Fidelibus loquor. Si quid non intelligunt catechumeni, auferant pigritiam, festinent ad notitiam. Non ergo opus est mysteria promere; Scripturæ vobis intiment quid est sacerdotium secundum ordinem Melchisedec.

18. [*vers.* 5.] *Dominus a dextris tuis.* Dominus dixerat, *Sede a dextris meis;* nunc Dominus a dextris ejus, quasi mutaverint sedes. An forte sic potius, *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum*, ad Christum dictum est? *Tu es sacerdos in æternum, juravit Dominus.* Quis Dominus? Qui dixit *Domino meo, Sede a dextris meis*, ipse juravit, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*, et ad ipsum Dominum qui juravit, sermo directus est, *Dominus a dextris tuis*. O Domine, qui jurasti et dixisti, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec;* ipse *sacerdos in æternum, Dominus* est *a dextris tuis;* ipse, inquam, *sacerdos in æternum*, de quo jurasti, *Dominus* est *a dextris tuis:* quia eidem Domino meo dixisti, *Sede a dextris meis*, quoadusque

[1] Edd., *adverbia*. At Mss., *verba*.

ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Iste ergo Dominus qui est a dextris tuis, de quo jurasti, et cui jurasti dicens, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, Conquassavit* [1] *in die iræ suæ reges.* Ipse utique Christus *Dominus a dextris tuis*, cui jurasti, et non pœnitebit te : quid agit sacerdos in æternum? quid agit, qui est ad dexteram Dei, et interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34), tanquam sacerdos intrans in interiora vel in sancta sanctorum, in secreta cœlorum, ille solus non habens peccatum, et ideo facile mundans a peccatis (*Hebr.* IX, 12, 14, 24)? Ille ergo *a dextris tuis conquassavit in die iræ suæ reges.* Quos reges, quæris? Excidit tibi, *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus* (*Psal.* II, 2)? Hos reges conquassavit gloria sua, et pondere nominis sui infirmos reddidit reges, ut non possent efficere quod volebant. Conati enim sunt multum delere nomen christianum de terra, et non potuerunt; quia *qui offenderit in lapidem illum, conquassabitur* (*Matth.* XXI, 44). Offenderunt ergo in lapidem offensionis, et ideo conquassati sunt reges, cum dicunt : Quis est Christus? Nescio quis Judæus, nescio quis Galilæus, sic occisus, sic mortuus. Lapis est ante pedes tuos, quasi viliter et humiliter jacens : ideo contemnendo offendis, offendendo cadis, cadendo quassaris. Si ergo tanta est ira occulti, quod erit judicium manifesti? Audistis iram occulti, de qua psalmus inscribitur, *Pro occultis filii* : nonus psalmus, si bene memini, inscribitur, *Pro occultis filii*; et ibi ostenditur judicium occultum iræ occultæ. Irato Deo vivunt qui in lapidem illum offendunt; conquassantur. Et quo valet quod conquassantur? Audi et de judicio futuro : *Quia qui offenderit in lapidem illum*, ait, *conquassabitur; super quem vero ceciderit lapis ille, conteret eum* (*Luc.* XX, 18). Cum ergo offenditur in eum, quasi humilis jacet; tunc conquassat : cum autem conteret, desuper veniet. Videte quemadmodum his binis verbis, conquassabit et conteret, offendit in eum et veniet super eum, distributa sunt duo tempora, humilitatis et claritatis Christi, occultæ pœnæ et judicii futuri. Eum non conteret veniens, quem non conquassat jacens. Jacens dico, tanquam contemptibilis apparens. Nam ille a dextris Dei est, et valide ex alto clamavit, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Sed tamen quamvis de cœlo, non diceret, *Quid me persequeris?* quem nemo tangebat, nisi ita in cœlo ad dexteram Patris sederet, ut et in terra in nobis quasi jaceret. *Dominus a dextris tuis, conquassavit in die iræ suæ reges.*

19. [*vers* 6.] *Judicabit in gentibus.* Sed nunc, *Pro occultis*; erit enim et judicium manifestum : *Judicabit in gentibus.* Modo enim fit, *Periit memoria eorum cum strepitu.* In ipso psalmo est, *Pro occultis : Periit memoria eorum cum strepitu, et Dominus in æternum manet; paravit in judicio sedem suam, et ipse judicabit orbem terrarum in æquitate.* Ibi dictum est, *Increpasti gentes, et periit impius; nomen eorum delesti in æternum* (*Psal.* IX, 6-9) : hoc occulte agitur. *In die* ergo *iræ suæ conquassavit reges. Judicabit in gentibus.* Quomodo? Audi quod sequitur : *Replebit ruinas.* Modo sic judicat in gentibus, ut repleat ruinas : nam quando in fine judicaverit, damnabit ruinas. *Replebit ruinas* : quas ruinas? Quisquis a nomine ejus timuerit, cadet : cum ceciderit, evertetur quod erat, ut ædificetur quod non erat. *Judicabit in gentibus, replebit ruinas.* Quisquis contumax es in Christum, casuram turrem in altum erexisti. Bonum est ut teipsum dejicias, humilis reddaris, sedentis ad dexteram Patris pedibus provolvaris, ut fiat in te ruina construenda. Nam si permanes in mala altitudine, tunc dejicieris, quando non ædificaberis. Etenim de talibus dicit in alio loco Scriptura, *Destrue eos, et non ædificabis eos* (*Psal.* XXVII, 5). Procul dubio non diceret de quibusdam, *Destrue eos, et non ædificabis eos*; nisi quosdam ita destrueret, ut ædificaret. Quod fit hoc tempore, cum Christus in gentibus ita judicat, ut repleat ruinas. *Conquassabit capita super terram multa.* Hic, *super terram*, in hac vita, *conquassabit capita multa.* De superbis humiles facit : et audeo dicere, fratres mei, utile est capite quassato hic humiliter ambulare, quam capite erecto in judicium æternæ mortis incidere. Multa capita conquassabit ruinas faciendo, sed replendo ædificabit.

20. [*vers.* 7.] *De torrente in via bibet; propterea exaltabit caput.* Videamus et in via bibentem de torrente. Primo quis est torrens? Profluxio mortalitatis humanæ. Sicut enim torrens pluvialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit, et currendo decurrit, id est, cursum finit; sic est omnis iste cursus mortalitatis. Nascuntur homines; vivunt, moriuntur; et, aliis morientibus, alii nascuntur, rursusque, illis morientibus, alii oriuntur : succedunt, accedunt, decedunt, nec manebunt. Quid hic tenetur? quid non currit? quid non quasi de pluvia collectum it in abyssum? Quomodo enim fluvius repente collectus de pluvia, de guttis imbrium, it in mare, nec apparet; nec apparebat, antequam de pluvia colligeretur : sic hoc genus humanum de occultis colligitur, et profluit; morte rursum in occultum pergit; medium hoc sonat, et transit. De hoc torrente bibit ille; non est dedignatus bibere de hoc torrente. Bibere enim de hoc torrente, illi erat nasci et mori. Hoc habet torrens iste, nativitatem et mortem : suscepit hanc Christus; natus est, mortuus est : ita *de torrente in via* bibit. *Exsultavit* enim *sicut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII, 6). *De torrente* ergo *in via* bibit; quia *in via peccatorum non stetit* (*Psal.* I, 1). Quia ergo *de torrente in via* bibit; *propterea* exaltavit *caput* : id est, quia humiliatus est, « et factus est subditus usque ad mortem, mortem autem crucis; propterea eum Deus exaltavit a mortuis, et donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (*Philipp.* II, 8-11).

[1] Plerique Mss., *conquassabit.* Et paulo post, *quid aget sacerdos in æternum, quid aget?*

IN PSALMUM CX
ENARRATIO.
SERMO (a).

1. Venerunt dies ut cantemus Alleluia : adeste animo, fratres, ad percipienda quæ Dominus suggerit ad exhortationem nostram, et nutriendam charitatem, qua nobis inhærere Deo bonum est. Adeste animo cantatores boni, filii laudis et gloriæ sempiternæ veri et incorrupti Dei. Adeste intenti, qui nostis cantare et psallere in cordibus vestris Domino, gratias semper agentes in omnibus (*Ephes.* v, 19, 20) : et laudate Deum ; hoc est enim Alleluia. Et hi quidem dies veniunt transituri, transeuntque venturi, et significant diem qui non venit et transit, quia nec hesterno præitur ut veniat, nec crastino urgetur ut transeat. Ad quem sane nos cum venerimus, inhærentes ei nec nos transibimus : et sicut quodam loco canitur Deo, *Beati qui habitant in domo tua : in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5); hoc erit otiosorum negotium, hoc opus vacantium, hæc actio quietorum, hæc cura securorum. Sicut enim dies isti præteritis diebus Quadragesimæ, quibus ante resurrectionem Dominici corporis vitæ hujus significatur mœror, solemniter grata hilaritate succedunt : sic dies ille qui post resurrectionem dabitur plenario corpori Domini, hoc est sanctæ Ecclesiæ, cunctis vitæ hujus ærumnis atque doloribus exclusis, perpetua beatitate succedet. Hæc autem vita de nobis exigit continentiam, ut etiam cum labore atque luctamine ingemiscentes gravati, et habitaculum nostrum quod de cœlo est superindui cupientes (II *Cor.* v, 2), a sæcularibus delectationibus temperemus : et significatur quadragenario numero, quo et Moyses et Elias et ipse Dominus jejunarunt (*Exod.* XXXIV, 28 ; III *Reg.* XIX, 8; *Matth.* IV, 2). Præcipitur enim nobis et ex Lege, et ex Prophetis, et ex ipso Evangelio (quod testimonium habet a Lege et Prophetis ; unde etiam in monte inter utramque personam medius Salvator effulsit [*Matth.* XVII, 3]), ut ab omnibus mundi illecebris, quibus captivi homines obliviscuntur Deum, aviditatem nostram tanquam jejunio temperantiæ, refrenemus ; quamdiu perfectio Decalogi Legis, tanquam psalterium decem chordarum, per quatuor ejusdem mundi partes, id est, toto orbe prædicatur, ut decem quater ducta quadragenarium numerum signent. Quinquagenario vero numero post resurrectionem Domini, quo cantamus Alleluia, non cujusdam temporis finis et transitus, sed beata illa significatur æternitas; quia denarius additus quadragenario, laborantibus in hac vita fidelibus merces illa persolvitur, quam et primis et novissimis paterfamilias præparavit æqualem. Audiamus itaque plenum divina laude pectus populi Dei [1]. Ecce personat in hoc psalmo quemdam exsultantem felici exsultatione, præfigurat et scaturientem corde in amore Dei populum, scilicet corpus Christi, ab omni malo liberatum.

2. [*vers.* 6.] *Confitebor tibi*, inquit, *Domine, in toto corde meo*. Non semper confessio peccatorum est, sed et laus Dei devotione confessionis expromitur. Illa luget, hæc gaudet; illa medico vulnus ostendit, hæc de sanitate gratias agit. Hæc confessio quemdam significat, non solum ab omni malo liberatum, sed etiam a malignis omnibus separatum. Et ideo videamus ubi confiteatur Domino in toto corde. *In consilio*, inquit, *rectorum, et congregatione* : credo, qui sedebunt super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28). Nullus enim jam inter eos iniquus, nullius Judæ furta tolerantur, nullus Simon magus baptizatur, Spiritum volens emere, dum cogitat vendere (*Act.* VIII, 13, 18, 19); nullus Alexander ærarius multa mala ostendit (II *Tim.* IV, 14), nullus ovina pelle tectus falsa fraternitate subrepit : inter quales nunc necesse est Ecclesia gemat, et quales tunc oportet, cum omnes justi congregabuntur, excludat. Hæc sunt *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* : per quas nullum confitentem deserat misericordia, nullius sit iniquitas impunita; quando flagellat etiam omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 6). Sed si justus vix salvatur, peccator et impius ubi parebunt (I *Petr.* IV, 18)? Eligat sibi homo quodlibet : non sic constituta sunt opera Domini, ut creatura in arbitrio libero constituta, Creatoris superet voluntatem, etiamsi contra ejus faciat voluntatem. Non vult Deus ut pecces ; nam prohibet : tamen si peccaveris, ne putes hominem fecisse quod voluit, et Deo accidisse quod noluit. Sicut enim vult ut homo non peccet, ita vult peccanti parcere, ut revertatur et vivat; ita vult postremo in peccato perseverantem punire, ut justitiæ potentiam contumax non evadat. Ita quidquid elegeris, Omnipotenti non deerit unde suam de te compleat voluntatem. *Magna enim opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus*.

3. [*vers.* 3.] *Confessio et magnificentia opus ejus*. Quid magnificentius quam justificare impium? Sed opus fortasse hominis prævenit istam magnificentiam Dei, ut cum fuerit peccata confessus, justificari mereatur. « Descendit » enim « de templo justificatus Publicanus magis quam Pharisæus; » quia « neque oculos ad cœlum audebat levare, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. » Hæc est magnificentia Domini, justificatio peccatoris : *quoniam qui se humiliat, exaltabitur; et qui se exaltat, humiliabitur* (*Luc.* XVIII, 13, 14). Hæc est magnificentia Domini; quoniam cui plurimum dimittitur, plurimum diligit (*Luc.* VII, 42-48). Hæc magnificentia Domini ; quoniam *ubi abundavit peccatum, et superabundavit gratia* (*Rom.* v, 20). Sed fortasse ex operibus. *Non*, inquit, *ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo in operibus bonis* (*Ephes.* II, 9, 10). Justitiam enim homo non operatur nisi justificatus : *credens autem in eum qui justificat impium* (*Rom.* IV, 5), a fide incipit ; ut bona opera, non præcedentia quod meruit, sed consequentia quod accepit ostendant. Unde ergo

[1] Regius Ms., *Audiamus itaque Psalmum divina laude reficientem pectus populi Dei*. Et mox cum Am. et nonnullis Mss. prosequitur, *Ecce persona*. Remig. vero liber, *Ecce personam in hoc Psalmo quamdam*, etc. Aliquot denique Mss., *Ecce personat in hoc Psalmo, et quemdam*, etc.

(a) Ad plebem, in paschali solemnitate habitus.

illa confessio? Nondum quidem opus est justitiæ, sed delicti improbatio : sed quoquo modo se habeat, nec in ipsa de te homo glorieris, *ut qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 31). *Quid enim habes quod non accepisti* (*Id.* IV, 7)? Non ergo sola magnificentia qua justificatur impius, sed et « confessio et magnificentia opus ejus. Quid ergo dicimus? » quia « cui vult miseretur, et quem vult obdurat; numquid iniquitas apud Deum? Absit. Justitia » enim « ejus manet in sæculum sæculi. Tu autem, homo » de hoc sæculo, « quis es qui respondeas Deo » (*Rom.* IX, 14, 18, 20)?

4. [*vers.* 4, 5.] *Memoriam fecit mirabilium suorum :* hunc humilians, et hunc exaltans. *Memoriam fecit mirabilium suorum :* reservans opportune inusitata prodigia, quæ [1] infirmitas hominis novitati intenta meminerit, cum sint ejus miracula quotidiana majora. Tot per universam terram arbores creat, et nemo miratur : arefecit verbo unam, et stupefacta sunt corda mortalium (*Matth.* XXI, 19, 20); sed *memoriam fecit mirabilium suorum*. Hoc enim miraculum maxime attentis cordibus inhærebit, quod assiduitas non vilefecerit.

5. Quid autem profuerunt miracula, nisi ut timeretur? Quid porro prodesset timor, nisi, *misericors et miserator Dominus escam* daret *timentibus se?* escam quæ non corrumpitur, panem qui de cœlo descendit (*Joan.* VI, 27, 51), quem nullis meritis dedit. Etenim Christus pro impiis mortuus est (*Rom.* V, 6). Nemo ergo talem escam daret, nisi misericors et miserator Dominus. Quod si tantum dedit huic vitæ, si Verbum carnem factum peccator justificandus accepit; quid in futuro sæculo glorificatus accipiet? *Memor* enim *erit in sæculum testamenti sui*. Nec totum dedit qui pignus dedit.

6. [*vers.* 6-9.] *Fortitudinem operum suorum annuntiabit populo suo.* Non contristentur Israelitæ sancti, qui dimiserunt omnia sua et secuti sunt eum; non contristentur dicentes : *Quisnam poterit salvus fieri?* Quia *facilius intrat camelus per foramen acus, quam dives in regnum cœlorum* (*Matth.* XIX, 24-26). Annuntiavit enim eis fortitudinem operum suorum; quoniam *quæ hominibus difficilia sunt, Deo facilia sunt. Ut det illis hæreditatem Gentium.* Itum est enim et ad Gentes, et præceptum divitibus hujus sæculi non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum ; sed in Deo vivo (I *Tim.* VI, 17), cui facile est quod hominibus difficile est. Sic enim multi vocati sunt, sic occupata est hæreditas Gentium, sic factum est ut etiam plurimi qui non dimiserunt omnia sua in hac vita ut sequerentur eum, vitam etiam ipsam pro nominis ejus confessione contemnerent; et tanquam cameli humiliantes se ad portanda onera pressurarum, intrarent etiam sicut per foramen acus, per compungentes passionis angustias. Ipse fecit hæc, cui omnia possibilia sunt.

7. *Opera manuum ejus veritas et judicium.* Teneatur veritas ab iis qui judicantur hic. Judicantur hic martyres, et ad judicium perducuntur, quo non solum eos a quibus judicati sunt, sed etiam angelos dijudicent, (I *Cor.* VI, 3), adversus quos eis erat colluctatio, etiam cum ab hominibus judicari viderentur. Non separet [1] a Christo tribulatio, angustia, fames, nuditas, gladius (*Rom.* VIII, 35). *Fidelia* enim *omnia mandata ejus :* non fallit, exhibet quod promisit. Non tamen quod promisit, est hic exspectandum, non hic sperandum; sed *confirmata sunt in sæculum sæculi, facta in veritate et justitia.* Hoc est verum et justum, ut hic laboretur, illic requiescatur : quia, *Redemptionem misit populo suo.* Unde autem redimuntur, nisi a captivitate peregrinationis hujus? Non ergo requies nisi in cœlesti patria requiratur.

8. Dedit quidem Deus Israelitis carnalibus terrenam Jerusalem, *quæ servit cum filiis suis :* sed hoc Vetus Testamentum est, ad veterem hominem pertinens. Qui autem ibi figuram intellexerunt, hæredes etiam tunc Novi Testamenti exstiterunt; quoniam *quæ sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra* (*Galat.* IV, 25, 26) æterna in cœlis. Vetere autem illo, reipsa probatum est transitoria promisisse : *Mandavit* quippe *in æternum Testamentum suum.* Sed quod, nisi Novum? Cujus hæres quisquis esse volueris, nolo te fallas, nec terram trahentem lac et mel carnaliter cogites, non amœna prædia, non hortos fructiferos et opacos, non tale aliquid mediteris adipisci, quale solet hic oculus avaritiæ concupiscere. Cum enim sit radix omnium malorum cupiditas (I *Tim.* VI, 10), perimenda est ut hic consumatur, non differenda ut ibi satietur. Primo pœnas fuge, gehennas devita : antequam desideres promittentem Deum, cave minantem. *Sanctum* enim *et terribile nomen ejus.*

9. [*vers.* 10.] Pro deliciis autem omnibus hujus sæculi, quales vel expertus es, vel augere ac multiplicare cogitando potes, immortalium deliciarum matrem concupisce sapientiam : sed, *Initium sapientiæ, timor Domini.* Delectabit illa, et ineffabiliter procul dubio delectabit castis atque æternis veritatis amplexibus : sed prius tibi donanda sunt debita, quam præmia flagitanda. *Initium* ergo *sapientiæ timor Domini. Bonus est intellectus.* Quis negat? Sed intelligere et non facere, periculosum est. *Bonus* ergo *facientibus.* Nec extollat mentem in superbiam. Cujus enim timor est initium sapientiæ, *Laus ejus manet in sæculum sæculi :* et hoc erit præmium, hic finis, hæc statio sedesque perpetua. Illic inveniuntur mandata fidelia, confirmata in sæculum sæculi; ipsa est hæreditas Novi Testamenti mandata in æternum. *Unam petii,* inquit, *a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ* (*Psal.* XXVI, 4). Beati enim qui habitant in domo Domini; in sæcula sæculorum laudabunt eum (*Psal.* LXXXIII, 5) : quoniam *laus ejus manet in sæculum sæculi.*

[1] Edd., *quæ non infirmitas.* Abest, *non*, a pluribus Mss.

[1] Sic Mss. At Edd., *quos non separaret a Christo*, etc.

IN PSALMUM CXI
ENARRATIO

SERMO AD POPULUM.

1. Credo quod attendistis, fratres, hujus titulum psalmi, memoriæque mandastis. *Conversio*, inquit, *Aggæi et Zachariæ.* Nondum erant hi prophetæ, cum ista cantata sunt. Namque inter tempus David, et transmigrationem populi Israel in Babyloniam, quatuordecim generationes numerantur, sicut divina Scriptura, maximeque Matthæus evangelista testatur (*Matth.* I, 17): eversi autem templi renovatio secundum sancti Jeremiæ prophetiam, ex illa transmigratione post septuaginta annos sperabatur (*Jerem.* XXV, 12; *et* XXIX, 10): qui cum complerentur, sub Dario rege Babylonis impleti sunt Spiritu sancto hi duo prophetæ, Aggæus et Zacharias; et ambo post invicem intra unum annum prophetare cœperunt, quod ad renovationem templi, sicut tanto ante prædictum est, pertinere videtur (I *Esdr.* I, V; *Agg.* I; *Zachar.* I). Sed quisquis corporaliter gestis oculum cordis infigit, neque inde in gratiam spiritualis intellectus extenditur, habitat cogitatione in lapidibus templi, quibus visibilis fabrica manibus hominum instructa consurgit; nec ipse lapis vivus efficitur, templo illi accommodatus atque aptus, quod in suo corpore primum Dominus figuravit, cum ait: *Solvite templum hoc, et triduo suscitabo illud* (*Joan.* II, 19). Est enim corpus Domini plenius ipsa sancta Ecclesia, cujus caput ascendit in cœlum, qui est maxime lapis vivus, lapis angularis, de quo beatus Petrus dicit: « Ad quem accedentes [1] lapidem vivum, ab hominibus reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum; et vos ergo tanquam lapides vivi ædificamini in domum spiritualem, in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales victimas acceptas Deo per Jesum Christum: quia continet Scriptura, Ecce pono in Sion lapidem angularem, electum, pretiosum, et qui crediderit in illum, non confundetur » (I *Petr.* II, 4-6). Ergo ut fiat quisque lapis vivus ad talem fabricam idoneus, spiritualiter intelligat templi renovationem ex ruina vetere quæ in Adam facta est, reparationem novi populi secundum novum hominem atque cœlestem: ut sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est (I *Cor.* XV, 49), quo possimus post omnes sæculi hujus ætates tanquam post septuaginta annos, qui mystico perfectionis numero præsignantur, et tanquam post captivitatem longinquæ peregrinationis, non ruitura mole construi, sed æterna immortalitate solidari. Spiritualem quippe Jerusalem, non magis Judæorum, quam vestram esse deputetis. Sicut enim dicit Apostolus, « Jam non estis peregrini et inquilini; sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide existente Christo Jesu, in quo omnis ædificatio compacta crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coædificamini in habitaculum Domini in spiritu » (*Ephes.* II, 19-22). Hoc est templum Dei, ad quod pertinet sacramentum prophetationis Aggæi et Zachariæ: cui rursus idem apostolus dicit, *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I *Cor.* III, 17). Quisquis igitur se ad opus hujus coædificationis, et ad spem sanctæ firmæque compaginis, tanquam lapidem vivum ab hujus mundi ruinosa labe convertit, intelligit titulum Psalmi, intelligit conversionem Aggæi et Zachariæ. Cantet ergo quæ sequuntur, non tam linguæ voce, quam vitæ [1]. Erit enim ædificii perfectio, ineffabilis pax illa sapientiæ, cujus initium est timor Domini (*Prov.* I, 7): inde ergo incipiat, quem coædificat ista conversio.

2. [*vers.* 1.] *Beatus enim vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.* Viderit Deus, qui solus et veraciter et misericorditer judicat, quantum iste proficiat in mandatis ejus: quoniam *tentatio est vita humana super terram*, sicut sanctus Job dicit (*Job* VII, 1). Et iterum scriptum est: « Quoniam corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem » (*Sap.* IX, 15). Qui autem dijudicat nos, Dominus est: nec ante tempus judicare debemus, donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis; et tunc laus erit unicuique a Deo (I *Cor.* IV, 4 *et* 5). Viderit ergo ille quantum quisque proficiat in mandatis ejus: tamen volet nimis qui pacem illius coædificationis adamaverit; nec jam desperare debet, quoniam *in mandatis ejus volet nimis*, et pax in terra hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14).

3. [*vers.* 2, 3.] Inde, *Potens in terra erit semen ejus.* Semen futuræ messis, opera esse misericordiæ Apostolus testis est, qui dicit, *Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim proprio metemus* (*Galat.* VI, 9): et iterum, *Hoc autem*, inquit [2], *qui parce seminat, parce et metet* (II *Cor.* IX, 6). Quid autem, fratres, potentius, quam ut regnum cœlorum, non solum Zacchæus emat dimidio rerum suarum (*Luc.* XIX, 8), sed et vidua duobus minutis (*Marc.* XII, 42), et tantumdem ibi uterque possideat? quid potentius, quam ut idem regnum et thesauris diviti, et calice aquæ frigidæ pauperi valeat? Sunt autem qui ista faciant, dum terrena conquirunt, aut hic mercedem sperantes a Domino, aut hominibus placere cupientes: sed, *Generatio rectorum benedicetur*, id est opera eorum, quorum bonus Deus Israel, qui recto sunt corde; rectum autem cor est, non resistere Patri emendanti, et credere pollicenti: non eorum quibus commoventur pedes, et effunduntur gressus atque labuntur, sicut in alio psalmo canitur, dum zelant in peccatoribus pacem peccatorum videntes, et putant perire opera sua, quia non eis merces redditur peritura (*Psal.* LXXII, 1-14). At iste vir qui timet Dominum,

[1] Mss., *accedimus.*

[1] Am. et aliquot Mss., *tam lingua et voce, quam vita.*
[2] Hic apud Lov. additur, *dico*: quod a cæteris libris abest.

et in templum sanctum Dei conversione recti cordis aptatur, nec gloriam hominum quærit, nec terrenas divitias concupiscit; et tamen, *Gloria et divitiæ in domo ejus*. Domus enim ejus, cor ejus est; ubi, Deo laudante [1], opulentius habitat cum spe vitæ æternæ, quam, hominibus adulantibus, in marmoratis laqueatisque tectis cum timore mortis æternæ. Hujus enim *justitia manet in sæculum sæculi*: ipsa ejus gloria, ipsæ divitiæ. Illius autem purpura et byssus et epulæ splendidæ, et cum præsto sunt, transeunt; et cum ad finem venerint, aquæ guttam ex digito stillante desiderans, ardens lingua clamabit (*Luc.* XVI, 19-24).

4. [*vers.* 4-9.] *Exortum est in tenebris lumen rectis corde*. Merito dirigunt cor in Deum suum, merito ambulant recti cum Deo suo, præponentes ejus voluntatem sibi; neque de sua quidquam superbe præsumentes. Meminerunt enim fuisse se aliquando tenebras, nunc autem lucem in Domino (*Ephes.* V, 8). *Misericors et miserator et justus Dominus Deus*. Delectat quod *misericors et miserator*, sed terret fortasse quod *justus Dominus Deus*. Nulla desperatione formides, beate vir qui times Dominum et in mandatis ejus voles nimis: esto suavis, miserere et commoda. Ita enim justus est Dominus Deus, ut judicium illi sine misericordia faciat, qui non fecit misericordiam (*Jacobi* II, 13): *Suavis* autem *vir qui miseretur et commodat*; non eum emovet Deus ex ore suo, tanquam insuavem. *Dimittite*, inquit, *et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis* (*Luc.* VI, 37, 38). In eo quod dimittis, ut dimittatur tibi, misereris; in eo quod das, ut detur tibi, commodas. Quamvis enim generali nomine omnis misericordia dicatur qua misero subvenitur, interest tamen ubi non impendis nec sumptum pecuniæ, nec corporalis laboris industriam, sed ignoscendo quod in te quisque peccavit, et tuorum gratis comparas veniam peccatorum. Hæc duo benignitatis officia, ignoscendorum peccatorum et beneficiorum erogandorum, sicut in Evangelio quod commemoravimus, *Dimittite, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis*; sic in isto versu arbitror esse distincta, *Suavis vir qui miseretur et commodat*. Ne pigri ad hæc simus, fratres. Gloriam quærit qui desiderat vindicari se; sed attende quod scriptum est: *Melior est qui vincit iram, quam qui capit civitatem* (*Prov.* XVI, 32). Divitias quærit qui non vult dare pauperibus; attende quod scriptum est: *Habebis thesaurum in cœlo* (*Matth.* XIX, 21). Non ergo eris inglorius ignoscendo; quia de ira victa laudabilius triumphatur: non egenus tribuendo; quia thesaurus cœlestis certius possidetur. Hunc versum parturiebat ille superior, *Gloria et divitiæ in domo ejus*.

5. Qui hæc itaque facit, *Disponet sermones suos in judicio*. Facta ipsa sermones sunt quibus in judicio defendetur; quod ei non erit sine misericordia, quia et ipse fecit misericordiam. *Quoniam in æternum non commovebitur*: qui ad dexteram segregatus audiet, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi*. Neque enim aliqua illic eorum, nisi opera misericordiæ commemorantur. Audiet ergo, *Venite, benedicti Patris mei*; quia *generatio rectorum benedicetur*. Sic, *In memoria æterna erit justus: et ab auditu malo non timebit*; quod dici audiet iis qui a sinistris erunt, *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 34, 41).

6. Itaque qui hic non sua quærit, sed quæ Jesu Christi; labores patientissime sustinet, promissa fidenter exspectat: *Paratum* est *cor ejus sperare in Domino*. Neque ullis tentationibus frangitur: *Confirmatum est cor ejus, non commovebitur, donec videat super inimicos suos*. Inimici ejus hic videre bona voluerunt, et cum eis invisibilia promitterentur, dicebant: *Quis ostendet nobis bona* (*Psal.* IV, 6). Confirmetur ergo cor nostrum, nec commoveamur, donec videamus super inimicos nostros. Illi enim volunt videre bona hominum in terra morientium; nos credimus videre bona Domini in terra viventium (*Psal.* XXVI, 13).

7. Sed magnum est, confirmatum habere cor et non commoveri, cum illi gaudent qui amant quod vident, et insultant ei qui quod non videt sperat: et *non commovebitur donec videat* et ipse, non deorsum quod inimici ejus, sed sursum *super inimicos suos*, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus diligentibus eum (I *Cor.* II, 9). Quanti valet hoc quod non videtur, et emitur tanti quantum quisque habere potuerit! Propter hoc et ille *sparsit, dedit pauperibus*: non videbat, et emebat; sed ille thesaurum servabat in cœlo, qui esurire et sitire in pauperibus dignabatur in terra. Non mirum est igitur si *Justitia ejus manet in sæculum sæculi*: custode illo qui condidit sæcula. *Cornu ejus exaltabitur in gloria*: cujus humilitas a superbis contemnebatur.

8. [*vers.* 10.] *Peccator videbit, et irascetur*: sera illa scilicet atque infructuosa pœnitentia. Nam *irascetur* cui magis quam sibi, cum dicet: *Quid nobis profuit superbia? et divitiarum jactantia quid contulit nobis?* videns cornu ejus exaltari in gloria, qui sparsit et dedit pauperibus. *Dentibus suis frendet, et tabescet*: quia illic erit ploratus et stridor dentium. Non enim frondebit [1], et virescet, sicut fieret si opportuno eum tempore pœniteret; sed tunc pœnitebit, cum *desiderium peccatorum peribit*: nullo succedente solatio. Peribit desiderium peccatorum, cum transient omnia tanquam umbra (*Sap.* V, 8, 9), cum feno arescente flos decidet. Verbum autem Domini quod manet in æternum (*Isai.* XL, 8), sicut falsorum beatorum vanitate derisum est, sic eorumdem verorum miserorum perditioni superridebit.

[1] Sic meliores Mss. At Edd., *Deo habitante*; et infra, *hominibus habitantibus*: quæ etiam lectio reluctantibus Mss. irrepserat in librum Quæst. octo ad Dulcitium, in quo libro, quæst. 4, hanc ipsam trium priorum versuum expositionem descriptam habes.

[1] Am. et Mss., *frendet*. Moxque ex his quidam, *et reviviscat*: ac nonnulli, *et revirescet*.

IN PSALMUM CXII ENARRATIO.

SERMO AD POPULUM.

1. [*vers.* 1-3.] Nostis, fratres, et sæpissime audistis in Evangelio Dominum dicere, « Sinite pueros venire ad me; talium est enim regnum cœlorum; » et iterum, « Si quis non receperit regnum Dei, sicut puer, non intrabit in illud » (*Matth.* XIX, 14; XVIII, 3; *et Marc.* X, 14, 15): et multis aliis locis Dominus noster, per singulare humilitatis exemplum superbiam veteris hominis ad innovandam humiliter vitam similitudine puerilis ætatis accusat. Quapropter, charissimi, cum cantari auditis in Psalmis, *Laudate, pueri, Dominum*, ne arbitremini ad vos istam exhortationem non pertinere, quia jam corporis pueritiam supergressi, vel juvenili decore virescitis, vel senili honore canescitis: omnibus enim vobis dicit Apostolus, *Nolite effici pueri mentibus; sed malitia parvuli estote, ut mentibus perfecti sitis* (I *Cor.* XIV, 20). Qua malitia maxime, nisi superbia? Ipsa enim de vana granditate præsumens non sinit hominem ambulare per arctam viam, et intrare per angustam portam: puer autem facile intrat per angustum; et ideo nemo, nisi ut puer, intrat in regnum cœlorum. Quid autem superbiæ malitia deterius, quæ præpositum non vult habere nec Deum? Nam scriptum est, *Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo* (*Eccli.* X, 14). Hanc se adversus præcepta divina tumidis cervicibus erigentem et suavi jugo Domini resistentem dejicite, frangite, comminuite atque consumite, et *laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini*. Illa enim prostrata et exstincta, ex ore infantium et lactentium perficitur laus (*Psal.* VIII, 3); illa oppressa atque deleta, qui gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31). Non cantant ista qui se magnos putant; non cantant ista qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: se laudant illi, non Deum; non enim pueri sunt. Nomen suum potius prædicari volunt, et non laudant nomen Domini. Itaque evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; et dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt (*Rom.* I, 21, 22): voluerunt nomen suum diutissime et latissime diffamari [1], cito ipsi in angustias transituri. Deum decet, Dominum decet et semper et ubique prædicari. Semper ergo prædicetur: « Sit nomen Domini benedictum, ex hoc et usque in sæculum. » Ubique prædicetur: « A solis ortu usque ad occasum, laudate [2] nomen Domini.

2. Quærat ex me aliquis puerorum sanctorum laudantium nomen Domini, et dicat mihi: Ecce *usque in sæculum*, accipio usque in æternum; cur autem *ex hoc*, et non ante hoc et ante omnia sæcula *sit nomen Domini benedictum?* Respondebo parvulo, qui non contumaciter quærit: Vobis dicitur, domini et pueri [1], vobis dicitur, *Laudate nomen Domini: sit nomen Domini benedictum*; sit a vobis nomen Domini benedictum, *ex hoc* utique ex quo vobis dicitur. Incipitis enim laudare, sed sine fine laudate. *Ex hoc* ergo *et usque in sæculum*, sine fine laudate. Ne dicatis: Incipimus quidem laudare Dominum, quia pueri sumus; sed cum creverimus magnique fuerimus, nos ipsos laudabimus. Non sic, pueri, non sic: propterea dicit Dominus per Isaiam, *Ego sum; et usque dum senescatis, ego sum* (*Isai.* XLVI, 4). Ille semper laudandus est qui est. *Laudate, pueri, ex hoc*, laudate, senes, *et usque in sæculum*. Quia senectus vestra albescet quidem canis sapientiæ, sed non carnis vetustate marcescet. Aut quoniam hoc loco humilitatem potius videtur significare pueritia, cui contraria est vana et falsa superbiæ magnitudo; et ideo Dominum nisi pueri non laudant, quia superbi eum laudare non norunt: sit senectus vestra puerilis, et pueritia senilis; id est: ut nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia, ut laudetis Dominum *ex hoc et usque in sæculum*. Quacumque autem in parvulis sanctis Ecclesia Christi diffunditur, *Laudate nomen Domini:* hoc est enim, *A solis ortu usque ad occasum, laudate nomen Domini*.

3. [*vers.* 4.] *Excelsus super omnes gentes Dominus.* Gentes homines sunt: quid mirum si super homines excelsus est Dominus? Illi super se excelsos quos colunt, oculis vident in cœlo fulgere, solem et lunam et stellas, qui creaturæ serviunt, deserentes Creatorem Sed non solum *excelsus super omnes gentes Dominus;* verum etiam *super cœlos gloria ejus*. Cœli supra se suspiciunt [2] eum; et humiles eum secum habent, constituti carne infra cœlum, qui pro illo non colunt cœlum.

4. [*vers.* 5, 6.] *Quis enim sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit?* Quisquam putaret quod in altis cœlis habitet, unde humilia terrena respiciat; sed *humilia respicit in cœlo et in terra*. In quibus ergo altis habitat, unde humilia respiciat in cœlo et in terra? An in quibus altis habitat, etiam ipsa humilia respicit? Sic enim exaltat humiles, ut non faciat superbos. Itaque et in altis habitat quos exaltat, facitque sibi eos cœlum, hoc est sedem suam; et eos tamen non superbos, sed semper subditos intuendo, etiam in ipso cœlo humilia respicit, in quibus excelsis habitat. Spiritus enim per Isaiam ita loquitur; « Hæc dicit Altissimus in excelsis habitans, in æternum nomen ejus, Dominus altissimus in sanctis requiem habens. » Exposuit quid dixerit, *in excelsis habitans;* hoc enim plenius elocutus, *in sanctis*, inquit, *requiem habens*. Sed qui sunt sancti, nisi humiles, qui pueri laudant Dominum? Itaque adjungit: *Et pusillanimis dans magnanimitatem, et dans vitam qui in humilitate cordis sunt* (*Id.* LVII, 15). In quibus sanctis requiem habet,

[1] Sic, ut ad subsequentia verba constet antithesis, legendum cum melioribus Mss. At Edd., *voluerunt latissime nomen suum et altissime diffamari.* [*Voluerunt nomen suum diutissime et latissime diffamari.*]

[2] Hoc loco nonnulli Mss., *laudabile*.

[1] Sic aliquot Mss. At Edd., *pueri Domini.*

[2] Am. Er. et plures Mss., *suscipiunt*.

his pusillanimis dat magnanimitatem. Dans utique magnanimitatem excelsos facit, in quibus requiem habens in excelsis habitat. Sed quia pusillanimis dat magnanimitatem, eadem excelsa in quibus habitat, humilia respicit. Sed *humilia*, inquit, *respicit in cœlo et in terra.*

5. Et excitavit nos etiam quærere utrum eadem in cœlo, quæ in terra; an alia in cœlo, alia in terra humilia respiciat Dominus Deus noster. Si enim eadem, video quemadmodum hoc intelligam secundum Apostolum dicentem: « In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus: arma enim militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo » (II *Cor.* x, 3 *et* 4). Unde ergo potentia, nisi quia spiritualia? Cum itaque Apostolus et in carne ambulet, et spiritualiter militet, non mirum si humilitas ejus et in cœlo respicitur propter spiritus libertatem, et in terra propter corporis servitutem. Idem quippe alio loco dicit, « Nostra enim conversatio in cœlis est » (*Philipp.* III, 20): ipse item dicit, « optimum » sibi « esse dissolvi et esse cum Christo, manere autem in carne necessarium, » inquit, « propter vos » (*Id.* I, 23, 24). Proinde quisquis intelligit et conversationem Apostoli in cœlis, et in carne mansionem in terris; simul oportet intelligat Dominum Deum nostrum in excelsis sanctis habitantem, quemadmodum tamen eosdem sanctos humiles sibi et in cœlo respiciat, quoniam quæ sursum sunt sapiunt, qui spe [1] resurrexerunt cum Christo (*Coloss.* III, 1); et in terra, quoniam nondum soluti sunt carnis vinculo, ut ex tota vita sua possint esse cum Christo. Si vero alia Dominus Deus noster humilia respicit in cœlo, et alia in terra; credo quod in cœlo jam respicit quos vocavit, et habitat in eis; in terra autem respicit quos vocat, ut habitet in eis. Istos enim possidet cœlestia cogitantes, illos excitat terrena somniantes.

6. Sed quia difficile obtinemus ut possint et ipsi jam humiles dici, qui nondum suavi jugo Domini pia colla junxerunt quandoquidem humilia isto loco, ut sancta [2] intelligamus, per totum textum Psalmi divinæ admonent litteræ; est et alius intellectus, quem mecum Charitas vestra consideret. Cœlos nunc significari arbitror eos qui sedebunt super duodecim thronos, et cum Domino judicabunt (*Matth.* XIX, 28); terræ autem nomine cæteram multitudinem benedictorum, qui constituentur ad dexteram, ut per opera misericordiæ collaudati recipiantur ab eis in tabernacula æterna, quos amicos sibi de mammona iniquitatis in hujus vitæ mortalitate fecerunt (*Luc.* XVI, 9). Eis quippe dicit Apostolus: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus* (I *Cor.* IX, 11)? Quod etiam his verbis dici potest: Si nos vobis cœlestia seminavimus, magnum est si terrena vestra metamus? In cœlo ergo respicit cœlestia seminantes, in terra autem terrena reddentes; tamen humiles et hos et illos. *Humilia* enim *respicit in cœlo et in terra;* quia meminerunt utrique quid fuerint per suam malitiam, quid facti sint per Domini gratiam. Neque enim illis tantummodo dicit Vas electionis, « Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino » (*Ephes.* V, 8); et iterum, « Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne forte quis extollatur »: sed etiam seipsum adjungit consequenter, dicens, « Illius enim sumus figmentum, creati in operibus bonis. » Dicit etiam seorsum de se et ipsis qui respiciuntur in cœlo: « Fuimus enim », inquit, « et nos naturaliter filii iræ, sicut et cæteri » (*Id.* II, 3-10). Et iterum: « Fuimus enim et nos », inquit, « stulti aliquando et increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, abominabiles, invicem odio habentes: cum autem benignitas et humanitas illuxit Salvatoris Dei nostri, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis » (*Tit.* III, 3-5). Ecce humilia quæ respiciuntur in cœlo. Spirituales enim sunt, et omnia judicant; sed tamen humiles, ne dejecti judicentur. Quid de seipso singulariter? nonne talia sunt quæ commemorat? « Qui non sum », inquit, « idoneus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei »(I *Cor.* XV, 9): « sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate (I *Tim.* I, 13).

7. [*vers.* 7-9.] Denique post istos versus, quibus ait in Psalmo Spiritus, « Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra: » volens docere nos quare in cœlo humilia, cum jam spirituales magni et judiciariis sedibus digni, tali significentur eloquio; subjecit statim, « Qui erigit a terra inopem, et de stercore exaltat pauperem; ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. » Non itaque dedignentur esse humilia capita excelsorum, sub dextera Domini. Quamvis enim collocetur fidelis dominicæ pecuniæ dispensator cum principibus populi Dei, quamvis sessurus sit in duodecim sedibus, et angelos quoque judicaturus; a terra tamen inops erigitur, et de stercore pauper exaltatur. An forte non est exaltatus de stercore, qui serviebat desideriis et voluptatibus variis? Sed forte cum ista jam diceret, non erat inops, non pauper. Quid ergo adhuc ingemiscit gravatus, habitaculum quod de cœlo est superindui cupiens (II *Cor.* V, 2)? Cur, ne forte se extollat, colaphizatur, et subditur angelo satanæ, stimulo carnis suæ (*Id.* XII, 7)? Altus est quidem habitante in se Domino, et habens eum Spiritum qui scrutatur omnia, etiam altitudinem Dei (I *Cor.* II, 10): itaque in cœlo est; sed et in cœlo Dominus humilia respicit.

8. Quid ergo, fratres, si jam audivimus humilia quæ in cœlo sunt, exaltata de stercore, ut cum populi collocarentur principibus; nihilo consequenter audivimus de humilibus quæ in terra respicit

[1] Plures Mss., *quippe resurrexerunt.*
[2] Sic Mss. Edd. vero, *ut sanctam Ecclesiam.*

Dominus? Pauciores enim sunt illi amici judicaturi cum Domino, plures autem isti quos recipiunt in tabernacula æterna. Quamvis enim tota frumenti massa in comparatione sejunctæ paleæ paucos habere videatur; per se tamen considerata, copiosa est. *Multi enim filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum* (*Isai.* LIV, 1): multi filii ejus quæ per gratiam in senectute concepit, quam ejus quæ ab ineunte ætate Legis vinculo maritata est. Et ego quidem dico, in senectute concepit; intuens Saram matrem nostram in uno Isaac, per omnes gentes matrem fidelium. Quæ autem persona est apud Isaiam, videte: quasi omnino non matris, nec ejus quæ peperit aliquem. Et tamen quid ei dicitur? « Dicent », inquit, « in auribus tuis filii tui quos amiseras: Angustia nobis est in isto loco, facite itaque nobis et nunc locum in quo commoremur. Tu vero dices in corde tuo: Quis generavit mihi istos, cum sciam me esse sine filiis et viduam? Quis ergo istos educavit mihi? ego enim derelicta fui sola; hi autem mihi ubi erant » (*Isai.* XLIX, 20 *et* 21)? Ex ea ergo parte ista dicit Ecclesia, qua videtur nihil parere in istis turbis quæ non dimiserunt omnia, ut sequerentur Dominum, et sederent super duodecim thronos. Sed quam multi in eadem turba facientes sibi amicos de mammona iniquitatis, per opera misericordiæ ad dexteram stabunt? Non solum ergo erigit de stercore, quem collocet cum principibus populi sui; sed etiam, *Habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem:* qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra, semen Abraham sicut stellas cœli, sanctitatem sublimem in supernis sedibus collocatam, et sicut arenam in ora maris, misericordem atque innumeram multitudinem a sinistris fluctibus atque amaritudine impia segregatam [1].

[1] Sic Am. et melioris notæ Mss. At Lov., *sanctitate sublimi in supernis sedibus collocat, et sicut arena in ora maris misericordem.... segregat.* Sic etiam Er. nisi quod loco *misericordem*, habet, *misericordiam.* Nonnulli vero Mss., *sanctitate sublime in supernis sedibus collocatum.*

IN PSALMUM CXIII ENARRATIO.

SERMO I.

De prima parte Psalmi.

1. [*vers.* 1-6.] Legimus quidem, notissimumque retinemus, dilectissimi fratres, quod narratur in libro Exodi, populum Israel liberatum ab iniqua dominatione Ægyptiorum inter divisos fluctus maris transisse per siccum (*Exod.* XIV, 22): Jordanem quoque fluvium, cum per eum in terram promissionis intrarent, tactum pedibus sacerdotum arcam Domini portantium, stetisse desuper infrenato lapsu; ab inferiore autem parte defluxisse, quod currebat in mare, donec in sicco stantibus sacerdotibus transiret populus universus (*Josue* III, 15-17): novimus hæc, nec tamen arbitrari nos oportet in hoc psalmo, cui nunc *Alleluia* pronuntiato cantatoque respondimus, id agere Spiritum sanctum, ut præterita illa gesta recolentes, nequaquam futura talia cogitemus. *Illa* enim, sicut dicit Apostolus, *in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos finis sæculorum obvenit* (I *Cor.* X, 11). Cum igitur audimus in Psalmo, *In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro, facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus; mare vidit et fugit, Jordanis conversus est retrorsum:* ne arbitremini nobis narrari præterita, sed potius futura prædici; quia illa quoque miracula cum in illo populo fierent, præsentia quidem, sed non sine futurorum significatione gerebantur. Ideoque ut ostenderet, qui psallendo ista prædicebat, eadem se verbis agere quæ illic factis [1] agebantur, uno eodemque Spiritu operante et illa facta et hæc dicta, ut id quod in fine sæculorum manifestandum reservabatur, figuris rerum atque verborum præcurrentibus nuntiaretur; non omnino ea dixit quæ ibi gesta sunt, sed aliter quædam quam illic lecta didicimus: ne vere putaretur transacta recolere, potius quam ventura prædicere [2]. Primo enim Jordanem ipsum non reversum esse retrorsum, sed stetisse legimus ab ea parte, qua aquæ desuper influebant, cum populus ille transiret; deinde gestientes montes collesque non legimus: quæ sic addidit, ut etiam omnia ista repeteret. Nam cum dixisset, « Mare vidit et fugit, Jordanis conversus est retrorsum; » contexuit, « Montes gestierunt velut arietes, et colles velut agni ovium: eademque rursus interrogat, « Quid est tibi, mare, quod fugisti; et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum? montes, quia gestiistis velut arietes; et colles, velut agni ovium? »

2. Attendamus ergo quid admoneamur; quia et illa facta figuræ nostræ fuerunt, et hæc dicta ut nos ipsos recognoscamus hortantur. Si enim gratiam Dei quæ data est nobis firmo corde retinemus, nos sumus Israel semen Abrahæ: nobis dicit Apostolus, « Ergo semen Abrahæ estis » (*Galat.* III, 29). Quia sicut alio loco dicit, « Non in circumcisione, sed in præputio deputata est Abrahæ fides ad justitiam, et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio ut deputetur et illis ad justitiam; ut sit pater circumcisionis his qui non solum ex circumcisione sunt, sed et his qui sequuntur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. » Non enim carnaliter circumcisæ genti tantummodo factus est pater, cui dictum est, *Patrem multarum gentium posui te. Multarum* autem, non quarumdam, sed omnium (*Rom.* IV, 9-17); quod aperte dicitur, cum ei dicitur: *Et benedicentur in te omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18). Nullus itaque Christianorum se a nomine Israel arbitretur extraneum. Illis enim qui crediderunt ex Judæis, in quorum numero principaliter Apostolos invenimus, in angulari lapide copulamur. Hinc ait Dominus alio loco: *Habeo alias oves quæ non sunt de hoc ovili; oportet me et illas adducere, ut sit unus grex et unus pastor* (*Joan.* X, 16). Populus ergo christianus magis Israel, et ipse potius domus Jacob. Idem quippe Israel qui Jacob. Illa vero turba Judæorum, quæ merito perfidiæ reprobata est, voluptate carnali vendidit

[1] Am. et omnes prope Mss., *figuris.*
[2] Omnes prope Mss., *prævidere.*

primogenita sua, ut non ad Jacob, sed ad Esau potius pertineret. Scitis namque in hoc mysterio dictum esse, *Quia major serviet minori* (*Gen.* xxv, 33, 23).

3. Ægyptus autem, quoniam interpretatur Afflictio, vel Affligens, vel Comprimens, sæpe in imagine ponitur hujus sæculi; a quo spiritualiter recedendum est, ne simus jugum ducentes cum infidelibus (II *Cor.* vi, 14). Sic enim quisque Jerusalem cœlestis fit civis idoneus, cum primum huic sæculo renuntiaverit; quemadmodum ille populus in terram promissionis duci non potuit, nisi prius ab Ægypto recederet. Sed sicut ille non inde discessit, nisi divino liberatus auxilio; sic nemo corde ab hoc sæculo avertitur, nisi divinæ misericordiæ munere adjutus. Quod enim illic semel præfiguratum est, hoc in isto fine sæculi, in hac, sicut beatus Joannes scribit, hora novissima (I *Joan.* ii, 18), quotidianis Ecclesiæ fetibus in unoquoque credente completur. Audite Apostolum doctorem Gentium docentem et instruentem: « Nolo enim vos, » inquit, « ignorare, fratres, quia omnes patres nostri sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moysen[1] baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eumdem cibum spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant enim de spirituali sequente petra: petra autem erat Christus. Sed non in omnibus illis bene complacuit Deo: prostrati enim sunt in deserto. Hæc autem figuræ nostræ factæ sunt » (I *Cor.* x, 1-6). Quid vultis amplius, fratres dilectissimi? Certe manifestum est non humana suspicione, sed apostolico, id est divino et dominico magisterio; Deus enim loquebatur in eis, et quamvis de carneis nubibus, tamen Dominus intonabat: certe ergo tanto testimonio manifestum est illa omnia figurate gesta, nunc in nostra salute compleri; quia tunc futura prænuntiabantur, nunc præterita leguntur, et præsentia cognoscuntur.

4. Audite quod est mirabilius, Librorum veterum sacramenta occultata atque velata, nonnulla ex parte a Libris veteribus revelari. Nam Michæas propheta ita loquitur: « Prout dies, » inquit, « profectionis eorum ex Ægypto, ostendam mirabilia illis. Videbunt nationes, et confundentur ab omni vigore eorum: manibus ora sua obstruent, aures illis obsurdabuntur, delingentes terram, velut serpentes trahentes terram; conturbabuntur de conclusionibus eorum, in Domino Deo nostro excident mente, et terrebuntur a te. Quis Deo tuo similis, auferens iniquitatem, et transgrediens impietatem residuis hæreditatis tuæ? Et non continuit in testimonium iram suam, quoniam voluntarius et misericors est; ipse convertet et miserebitur nostri, demerget delicta nostra, demerget in maris profundum omnes culpas nostras » (*Mich.* vii, 15-19). Nempe advertitis, fratres, manifestius hic aperiri sacrosancta mysteria. In hoc ergo psalmo quamvis futura intueatur mirabilis prophetiæ Spiritus, tamen videtur velut transacta narrare. *Facta est*, inquit, *Judæa sanctificatio ejus: mare vidit et fugit:* et *facta est*, et *vidit*, et *fugit*, præteriti temporis verba sunt; et *conversus est Jordanis*, et *gestierunt montes*, et *commota est terra*, eodem modo præteritum sonant; sine præjudicio tamen intelligendi futura. Alioquin contra Evangelicum testimonium cogimur etiam illa non de futuro prænuntiata, sed de præterito commemorata, intelligere: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestimentum meum miserunt sortem* (*Psal.* xxi, 19). Quæ quamvis verbis præteriti temporis dicta sint, id tamen prænuntiabant quod tanto post futurum in passione Domini compleretur. Sed tamen, dilectissimi, propheta iste quem commemoravi, etiam grossa corda limavit, et ad intelligenda de præteritis rebus gestis futura incunctanter extendit; ut non solum apostolica auctoritate figuras nostras illas fuisse credamus, sed nec ab ipsis Prophetis hoc prætermissum esse, ut etiam eorum eloquio pandente[1], videntes atque gaudentes, certi ac securi, de thesauro Dei et nova et vetera concorditer sibimet cohærentia proferamus. Cum enim tanto post egressum populi illius ex Ægypto, et tanto ante ista Ecclesiæ tempora hæc quæ commemoravi, cecinerit; tamen se futura prædicere sine ulla dubitatione testatur. *Secundum dies*, inquit, *profectionis eorum ex Ægypto, ostendam mirabilia illis. Videbunt nationes, et confundentur.* Hoc est quod hic dictum est, *Mare vidit, et fugit:* si enim hic per verba præteriti temporis, sicut est, *vidit* et *fugit*, occulte futura prædicantur; *Videbunt* certe *et confundentur*, quando futuri temporis verba sunt, quis audeat de rebus præteritis cogitare? Et paulo post, ipsos hostes nostros, qui nos fugientes ut interimerent sequebantur, id est delicta nostra, sicut Ægyptios in mari obrutos, ita in Baptismo demersa et exstincta luce clarius intimat, dicens: « Quoniam voluntarius et misericors est, ipse convertet et miserebitur nostri; demerget delicta nostra, demerget in maris profundum omnes culpas nostras. »

5. Quid est, charissimi? Qui vos cognoscitis Israelitas secundum semen Abrahæ, qui estis domus Jacob secundum promissionem hæredes, cognoscite etiam vos exiisse ab Ægypto, qui huic sæculo renuntiastis; exiisse de populo barbaro, qui confessione pietatis vos a blasphemiis gentium sejunxistis. Non est enim lingua vestra, sed barbara, quæ Deum laudare non novit, cui vos cantatis Alleluia. « Facta est » enim « Judæa sanctificatio ejus » in vobis: « Non enim qui in manifesto Judæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio; sed qui in occulto Judæus est, et circumcisione cordis (*Rom.* ii, 28, 29). Interrogate ergo corda vestra: si ea circumcidit fides, si purgavit confessio; in vobis *facta est Judæa sanctificatio ejus*, in vobis *Israel potestas ejus*. Dedit enim vobis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* i, 12).

6. Jamvero recordetur unusquisque vestrum, cum Deo vellet cor applicare, ejusque suavi jugo, recedens a pristinis ignorantiæ suæ desideriis, devotum

[1] Sic Mss. juxta Græc. At Edd., *in Moyse*.

[1] Sic aliquot, Mss. At Edd., *prætermissum est, ut etiam eorum eloquio panderetur. Videntes*, etc.

animum subdere, carnalibusque hujus mundi factis (in quibus sine fructu laborabat, tanquam in Ægypto lateres sub dura dominatione diaboli faceret), audita voce Domini dicentis, *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam* (*Matth.* XI, 28), desertis atque abjectis sub levem Christi sarcinam currere: recordetur ergo unusquisque vestrum quemadmodum omnia sæcularia impedimenta cesserunt, dissuadentium [1] voces aut erumpere non ausæ sunt, aut considerato Christi nomine per omnes terras exaltato et honorato tremefactæ siluerunt. Ergo, *Mare vidit et fugit*: ut tibi sine contradictione ad libertatem spiritualem panderetur via.

7. *Jordanis* autem quemadmodum *retrorsum conversus* sit, nolo extra vos quæratis, nolo aliquid mali suspicemini. Increpat enim Dominus quosdam qui dorsum ad eum posuerunt, et non faciem (*Jerem.* II, 27). Et quisquis principium suum deserit, et a suo Creatore avertitur, tanquam fluvius in mare, labitur in hujus sæculi amaricantem malitiam [2]. Bonum ergo est illi ut retrorsum convertatur, fiatque illi Deus ante faciem redeunti, quem sibi a tergo posuerat; et fiat illi retro mare hujus sæculi, quod sibi ante faciem, cum illuc laberetur, effecerat; et sic obliviscatur ea quæ retro sunt, ut in ea quæ ante sunt extendatur (*Philipp.* III, 13): quod jam converso utile est. Namque antequam convertatur, si ea quæ retro sunt obliviscitur, Deum obliviscitur; quia ipsum retro fecerat, ad quem dorsum posuerat: et si in ea quæ ante sunt extenditur, in sæculum extenditur; quia ipsum sibi ante faciem posuerat, quo avidus irruebat. Jordanis ergo illos significat, qui gratiam Baptismi perceperunt; et sic Jordanis convertitur retrorsum, cum illi convertuntur ad Deum, ut eum jam retro non habeant, sed revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformentur a gloria in gloriam (II *Cor.* III, 18).

8. *Montes gestierunt velut arietes*: fideles dispensatores verbi veritatis sancti Apostoli, sancti Evangelii prædicatores. *Et colles velut agni ovium.* Hi sunt quibus dicitur, *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*: hi sunt quibus dicitur, *Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo* (I *Cor.* IV, 15, 14): hi sunt de quibus dicitur, *Afferte Domino filios arietum* (*Psal.* XXVIII, 1). Attendite per omnes terras, qui nostis ista mirari, et gaudere atque cantare Domino Deo vestro; attendite ista compleri per omnes gentes, quæ ante tam longa tempora figurate gesta atque prædicta sunt.

9. Interrogate et dicite, « Quid est tibi, mare, quod fugisti; et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum? montes, quia gestiistis velut arietes; et colles, sicut agni ovium? » Quid est, o sæculum, quod tua impedimenta cesserunt? quid est, o tot millia toto orbe fidelium, huic mundo renuntiantium, quod ad vestrum Dominum convertimini? Quid est quod gaudetis, quibus in fine dicetur: *Euge, bone serve, quoniam in paucis fidelis fuisti, supra multa te constituam?* quid est quod gaudetis, quibus in fine dicetur: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 21, 34)?

10. [*vers.* 7.] Respondebunt vobis hæc omnia, vosque ipsi respondebitis vobis: *A facie Domini commota est terra, a facie Dei Jacob.* Quid est, *a facie Domini;* nisi ejus præsentia qui dixit: *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Id.* XXVIII, 20)? Commota est enim terra; sed quia male pigra remanserat, commota est, ut solidius firmaretur a facie Domini.

11. [*vers.* 8.] *Qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum.* Seipsum enim et quamdam suam duritiam liquefecit ad irrigandos fideles suos, ut fieret in eis fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV, 14); quia prius, cum ignoraretur, durus videbatur. Inde illi turbati sunt, et non exspectaverunt donec Scripturis apertis influeret atque inundaret in eos, qui dixerunt, *Durus est hic sermo, quis potest eum audire* (*Id.* VI, 61)? Ista petra, ista duritia conversa est in stagna aquarum, et ista rupes in fontes aquarum, cum resurgens exposuit eis, incipiens a Moyse per omnes Prophetas, quia sic oportebat Christum pati (*Luc.* XXIV, 26 *et* 27); et misit Spiritum sanctum, de quo dicebat, *Si quis sitit, veniat et bibat* (*Joan.* VII, 37).

IN PSALMUM CXIII ALTERUM.

12. [*vers.* 1.] *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Gratia quippe ista erumpentis aquæ de petra (*petra autem erat Christus* [I *Cor.* X, 4]), non quasi operibus præcedentibus data est, sed miserante illo qui justificat impium (*Rom.* IV, 5). Etenim Christus pro impiis mortuus est (*Id.* V, 6), ne ullam suam homines, sed nominis Dei quærerent gloriam.

13. [*vers.* 2.] *Super misericordia tua*, inquit, *et veritate tua.* Hæc duo, misericordiam et veritatem, advertite in sanctis Scripturis quam sibi sæpe jungantur. In sua quippe misericordia vocavit impios, et in veritate judicat eos qui vocati venire noluerunt. *Nequando dicant Gentes, Ubi est Deus eorum?* In novissimo enim apparebit misericordia ejus et veritas, quando signum Filii hominis apparebit in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ, nec dicent, *Ubi est Deus eorum?* cum eis non adhuc credendus prædicatur, sed jam tremendus ostenditur.

14. [*vers.* 3.] *Deus autem noster in cœlo sursum.* Non in cœlo, ubi solem et lunam vident, opera Dei quæ colunt; sed *in cœlo sursum*, quod transgreditur omnia corpora cœlestia et terrestria. Nec sic est in cœlo Deus noster, quasi subtracto cœlo ruinam sine sede formidet. *In cœlis et in terra omnia quæcumque voluit fecit.* Nec indiget operibus suis, tanquam in eis collocetur, ut maneat; sed in sua æternitate persistit, in qua manens omnia quæcumque voluit fecit in cœlis et in terra: neque enim jam eum portabant, ut

[1] Er. et Lov., *dissidentium et dissuadentium voces.* Am. omittit, *et dissuadentium.* Mss. vero non habent, *dissidentium et.*
[2] Tres Mss., *amaricantem lætitiam.*

ab eo fieri possent; quando, nisi fierent, eum portare non possent. Ergo in quibus est ipse, tanquam indigentia continet, non ab eis tanquam indigens continetur. Sive sic intelligatur, *In cœlis et in terra omnia quæcumque voluit fecit*, vel in superioribus, vel in inferioribus populi sui voluntariam gratiam suam constituit, ne quis de operum meritis glorietur: quia sive montes gestiant velut arietes, sive colles velut agni ovium; a facie Domini commota est terra, ne in terrenis sordibus perpetuo remanerent.

SERMO II.

De altera parte Psalmi.

1. [*vers.* 4.] Quanquam fortasse omnium Psalmorum sit una contextio diligenter intuentibus, ita ut nullus sequatur qui non superiori possit adjungi; tamen istum ita consideremus, tanquam uterque unus sit, iste scilicet ac superior. Namque cum in illo dictum sit, «Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: super misericordia tua et veritate tua: nequando dicant Gentes, Ubi est Deus eorum?» quia invisibilem Deum colimus, qui nullorum corporeis oculis, cordibus autem paucorum mundissimis notus est: tanquam ideo possint dicere Gentes, *Ubi est Deus eorum?* quia ipsi possunt ostendere oculis deos suos; primo admonuit operibus sentiri præsentiam Dei nostri, quia cum sit *in cœlo sursum*, *in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit fecit*. Et quasi diceret, Ostendant Gentes deos suos; *Simulacra*, inquit, *Gentium argentum et aurum, opera manuum hominum*: id est, quamvis Deum nostrum carnalibus oculis vestris non possimus ostendere, quem per opera intelligere debuistis; nolite tamen seduci vanitatibus vestris, quia vos ea quæ colitis digito potestis ostendere. Multo quippe honestius non haberetis quod possetis ostendere, quam ut in eo quod istis oculis a vobis ostenditur, vestri cordis cæcitas ostendatur: quid enim ostenditis, nisi aurum et argentum? Habent quidem et ærea, et lignea, et fictilia simulacra, et hujuscemodi alterius alteriusque materiæ; sed pretiosum eorum maluit commemorare Spiritus sanctus, quia cum in eo quisque quod illi charius est erubuerit, multo facilius avertitur a veneratione viliorum. Nam dictum est alio loco Scripturarum de simulacrorum cultoribus: *Dicentes ligno, Pater meus es tu; et lapidi, Tu me genuisti* (*Jerem.* II, 27). Sed ne sibi prudentior videatur qui hoc non ligno et lapidi dixerit, sed auro et argento; huc aspiciat, huc aurem cordis intendat: *Simulacra Gentium argentum et aurum*. Non abjectum aliquid et aspernabile nominatum est: et ei quidem animo qui terra non est, terra est et aurum et argentum; sed speciosior atque fulgentior, solidior atque firmior. Noli ergo addere manus hominum, ut ex eo metallo quod fecit verus Deus, velis facere falsum deum; imo falsum hominem, quem pro vero venereris Deo; quem quisquis pro vero homine in amicitiam reciperet, insaniret. Ducit enim, et affectu quodam infimo rapit infirma corda mortalium formæ similitudo, et membrorum imitata compago: sed sicut fabricata singula ostendis, sic ostende officia singulorum, quorum te effigies, o humana vanitas, trahit.

2. [*vers.* 5-7.] «Os» enim «habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt: aures habent, et non audient; nares habent, et non odorabunt: manus habent, et non contrectabunt; pedes habent, et non ambulabunt: non clamabunt in faucibus suis.» Jam ergo artifex melior est eis, quia ea potuit membrorum motu atque officio fabricare: quem tamen artificem te utique puderet adorare. Melior et tu, quamvis ea non feceris; quoniam quæ illa non possunt facis. Melior et bestia: ad hoc enim additum est, *Non clamabunt in faucibus suis*. Namque, cum superius dixisset, *Os habent, et non loquentur;* quid opus erat, postquam a capite usque ad pedes membra decursa sunt, de faucium clamore repetere; nisi, credo, quia illa quæ de cæteris membris commemorabat, communia esse hominibus belluisque sentimus? Nam et vident, et audiunt, et olfaciunt, et ambulant, et quædam, sicut simiæ, manibus contrectant. Illud autem quod de ore dixerat, proprium est hominis; quoniam bestiæ non loquuntur. Ne quis autem ad sola humanorum membrorum opera referret quæ dicta sunt, et diis Gentium solos homines anteponeret; post omnia subdidit, dicens, *Non clamabunt in faucibus suis:* quod rursum hominibus pecoribusque commune est. Quod si primo dixisset, cum ab ore cœpit membra percurrere, Os habent, et non clamabunt; cuncta etiam sic ad naturam hominis referrentur, nec facile ibi quidquam de communione ferarum sensus audientis adverteret. Cum vero illud de ore dixit, quod hominis proprium est, et post enumerationem partium corporis quam commemoratis pedibus terminasse videbatur, adjunxit, *Non clamabunt in faucibus suis;* lectorem vel auditorem fecit intentum, ut dum quærit cur additum sit, admoneri se inveniat simulacris Gentium non tantum homines, sed etiam belluas se debere præponere: ut si pudet adorare bestiam, quam fecit Deus videntem, audientem, odorantem, contrectantem, ambulantem, clamantem in faucibus suis, viderent quam pudendum esset adorare mutum, et carens vita sensuque simulacrum; cui ad hoc inesset similitudo membrorum, ut anima carnalibus sensibus dedita, quasi viventi atque animatæ formæ applicaret affectum, cum ea videret quæ in suo corpore viva atque animata sentiret. Quanto ergo melius mures atque serpentes, et id genus animantium cætera [1], de simulacris Gentium, si ita dicendum est, quodammodo judicant, in quibus quia non sentiunt humanam vitam, non curant humanam figuram? Itaque in eis plerumque nidificant, et nisi humanis motibus deterreantur, nulla sibi habitacula munitiora conquirunt. Movet ergo se homo, ut viventem bestiam a suo deo deterreat; et illum non se moventem, quasi potentem colit, a quo meliorem deterruit. Deterruit enim vi-

[1] Sic Mss. Edd. vero: *Quanto ergo magis vel melius mures atque serpentes, et id genus animantium colerent, quæ de simulacris*, etc.

dentem a cæco, audientem a surdo, clamantem a muto, ambulantem ab immobili, sentientem ab insensato, viventem a mortuo, imo deteriore quam mortuo. Mortuum quippe sicut manifestum est non vivere, ita manifestum est aliquando vixisse. Quapropter deum qui nec vivit nec vixit, profecto et mortuus antecedit.

3. Quid hoc manifestius, fratres mei dilectissimi? quid evidentius? Quis puer interrogatus, non hoc certum esse respondeat, quod *Simulacra gentium os habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt*, et cætera quæ divinus sermo contexuit? Cur ergo tantopere Spiritus sanctus curat Scripturarum plurimis locis hæc insinuare atque inculcare velut inscientibus, quasi non omnibus apertissima atque notissima; nisi quia species membrorum, quam naturaliter in animantibus viventem videre, atque in nobismetipsis sentire consuevimus, quanquam, ut illi asserunt, in signum aliquod fabrefacta atque eminenti collocata suggestu [1], cum adorari atque honorari a multitudine cœperit, parit in unoquoque sordidissimum erroris affectum, ut quoniam in illo figmento non invenit vitalem motum, credat numen occultum; effigiem tamen viventi corpori similem, seductus forma et commotus auctoritate quasi sapientium institutorum obsequentiumque turbarum, sine vivo aliquo habitatore esse non putat? Hinc et mala dæmonia ad possidenda Gentium simulacra talis hominum affectus invitat, quorum præsidentium [2] varia fallacia mortiferi seminantur et multiplicantur errores. Aliis itaque locis et contra ista divinæ Litteræ vigilant, ne quisquam dicat, cum irrisa fuerint simulacra : Non hoc visibile colo, sed numen quod illic invisibiliter habitat. Ipsa ergo numina in alio psalmo eadem Scriptura sic damnat : *Quoniam dii Gentium*, inquit, *dæmonia; Dominus autem cœlos fecit* (*Psal.* xcv, 5). Dicit et Apostolus : *Non quod idolum sit aliquid, sed quoniam quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo vos socios fieri dæmoniorum* (I *Cor.* x, 19 *et* 20).

4. Videntur autem sibi purgatioris esse religionis, qui dicunt : Nec simulacrum, nec dæmonium colo; sed effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo. Itaque interpretantur simulacra, ut alio dicant significari terram, unde templum solent appellare Telluris; alio mare, sicut Neptuni simulacro; alio aerem, sicut Junonis, alio ignem, sicut Vulcani; alio luciferum, sicut Veneris; alio solem, alio lunam, quorum simulacris eadem nomina sicut Telluris imponunt; alio illud, alio illud sidus, vel illam vel illam creaturam : neque enim cuncta enumerare sufficimus. De quibus rursus cum exagitari cœperint, quod corpora colant, maximeque terram, et mare, et aerem, et ignem, quorum nobis usus in promptu est (nam de cœlestibus quoniam nostro ea corpore contrectare atque contingere, nisi oculorum radiis non valemus, non ita erubescunt); respondere audent non se ipsa corpora colere, sed quæ illis regendis præsident numina. Itaque Apostoli una sententia pœnam istorum damnationemque testatur : *Qui transmutaverunt*, inquit, *veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturæ, potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula* (*Rom.* I, 25). Nam priore parte hujus sententiæ, simulacra damnavit; posteriore autem, interpretationes simulacrorum : effigies enim a fabro factas appellando nominibus earum rerum quas fabricavit Deus, transmutant veritatem Dei in mendacium; res autem ipsas pro diis habendo et venerando, serviunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula.

5. Quis autem adorat vel orat intuens simulacrum, qui non sic afficitur, ut ab eo se exaudiri putet, ab eo sibi præstari quod desiderat speret? Itaque homines talibus superstitionibus obligati, plerumque ad ipsum solem dorsum ponunt, preces fundunt statuæ quam solem vocant; et cum sonitu maris a tergo feriantur, Neptuni statuam quam pro ipso mari colunt, quasi sentientem gemitibus feriunt. Hoc enim facit et quodammodo extorquet illa figura membrorum, ut animus vivens in sensibus corporis, magis arbitretur sentire corpus quod suo corpori simillimum videt, quam rotundum solem undasque diffusas, et quidquid non eisdem lineamentis formatum conspicit, quibus illa formata sunt quæ viventia videre consuevit. Contra hunc affectum, quo humana et carnalis infirmitas facile capi potest, cantat Scriptura Dei res valde notissimas, quibus commemoret et tanquam excitet mentes hominum in consuetudine corporum dormientes. *Simulacra*, inquit, *Gentium argentum et aurum.* Sed Deus fecit argentum et aurum. *Opera*, inquit, *manuum hominum* : hoc enim venerantur quod ipsi ex auro argentoque fecerunt.

6. Sed enim et nos pleraque instrumenta et vasa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in usum celebrandorum sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata sancta dicantur, in ejus honorem cui pro salute nostra inde servitur : et sunt profecto etiam ista instrumenta vel vasa, quid aliud quam opera manuum hominum? Verumtamen numquid os habent, et non loquentur? numquid oculos habent, et non videbunt? numquid eis supplicamus, quia per ea supplicamus Deo? Illa maxime causa est impietatis insanæ, quod plus valet in affectibus miserorum viventi similis forma quæ sibi efficit supplicari, quam quod eam manifestum est non esse viventem, ut debeat a vivente contemni. Plus enim valent simulacra ad curvandam infelicem animam quod os habent, oculos habent, aures habent, nares habent, manus habent, pedes habent, quam ad corrigendam quod non loquentur, non videbunt, non audient, non odorabunt, non contrectabunt, non ambulabunt.

7. [*vers.* 8.] Itaque sequitur ut illud quoque fiat quod etiam in hoc psalmo sequitur; ut scilicet, *Similes illis fiant omnes qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis*. Videant ergo isti apertis et sentientibus oculis, et adorent clausis et mortuis mentibus, nec

[1] Er. et Lov., *in signo aliquo fabrefacto, atque eminenti collocato suggestu.* Emendantur ad Mss.
[2] Aliquot Mss., *possidentium.*

videntia, nec viventia simulacra.

8. [*vers.* 9-11.] « Domus » autem « Israel speravit in Dominum. Spes » enim « quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus » (*Rom.* VIII, 24, 25). Sed ut perduret usque in finem ipsa patientia, *Adjutor eorum et protector eorum est.* An fortasse spirituales (a quibus carnales instruuntur in spiritu mansuetudinis, quia ipsi tanquam superiores pro inferioribus supplicant) jam vident, et illis jam res est quæ adhuc inferioribus spes est? Non est ita: nam et *domus Aaron speravit in Dominum.* Ergo, ut etiam ipsi perseveranter extendantur in ea quæ ante sunt, et perseveranter currant, donec apprehendant in quo apprehensi sunt (*Philipp.* III, 12-14), et cognoscant sicut et cogniti sunt (I *Cor.* XIII, 12), *Adjutor eorum et protector eorum est.* Utrique enim *timent Dominum, et speraverunt in Dominum: adjutor eorum et protector eorum est.*

9. [*vers.* 12, 13.] Neque enim nos meritis nostris prævenimus misericordiam Domini: sed, *Dominus memor fuit nostri, et benedixit nos. Benedixit domum Israel, benedixit domum Aaron.* Utrosque autem benedicens, *Benedixit omnes timentes Dominum.* Quæris quos utrosque? respondetur, *Pusillos cum magnis.* Hoc est, domum Israel cum domo Aaron, eos utique qui ex ipsa gente crediderunt in salvatorem Jesum; quia « non in omnibus illis beneplacuit Deo (*Id.* X, 5). Sed si quidam illorum non crediderunt, numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit (*Rom.* III, 3). Neque enim omnes qui sunt ex Israel, hi sunt Israel; neque qui semen sunt Abraham, omnes filii: » sed, sicut scriptum est, *Reliquiæ salvæ factæ sunt.* Ex persona enim eorum qui inde crediderunt, dicitur: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus* (*Id.* IX, 6, 7, 27, 29). Sed ideo semen, quia sparsum per terras multiplicatum est.

10. [*vers.* 14-18.] Dixerunt enim magni [1] de domo Aaron, *Adjiciat Dominus super vos, super vos et super filios vestros* [2]. Et ita factum est. Accesserunt enim etiam de lapidibus suscitati filii Abraham (*Matth.* III, 9): accesserunt oves quæ non erant de hoc ovili, ut fieret unus grex et unus pastor (*Joan.* X, 16): accessit fides omnium gentium, et crevit numerus non solum sapientium antistitum, sed etiam obedientium populorum; adjiciente Domino non solum super patres, qui ad illum in Christo cæteros imitaturos præirent, sed etiam super filios eorum, qui patrum pia vestigia sequerentur. Nam sic ait ille his quos per Evangelium in Christo genuerat: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (I *Cor.* IV, 15 *et* 16). Adjecit itaque Dominus, non solum super montes gestientes sicut arietes, sed etiam super colles gestientes sicut agnos ovium [3].

[1] Lov., *magna*: dissentientibus cæteris libris.
[2] Mss., *super nos, super nos et super filios nostros.* Sic etiam habent in Psal. 117, n. 3.
[3] Sic Mss. At Lov., *colles, id est gentes, sicut agni ovium.*

11. Proinde his utrisque magnis et pusillis, montibus et collibus, arietibus et agnis dicit Propheta quod sequitur: *Benedicti vos Domino, qui fecit cœlum et terram.* Tanquam diceret, Benedicti vos Domino qui vos fecit cœlum in magnis, terram in pusillis: sed cœlum non istud visibile, plenum luminaribus ad hos oculos pertinentibus. *Cœlum* enim *cœli Domino;* qui erexit et sublimavit quorumdam sanctorum mentes in tantum, ut nulli hominum, sed ipsi Deo suo docibiles fierent: in cujus cœli comparatione quidquid carneis oculis cernitur, terra dicenda est; quam *dedit filiis hominum*, ut ejus consideratione sive ab ea parte quæ super illustrat, sicut est hoc quod dicitur cœlum, sive ab ea quæ subter illustratur, cui proprie terra nomen est, cum totum sicut commemoravimus, in illius comparatione quod cœlum cœli dicitur, terra sit; *terram* ergo istam totam *dedit filiis hominum*, ut ejus consideratione, quantum possunt, conjiciant Creatorem, quem infirmis adhuc cordibus sine isto conjecturæ adminiculo videre non possunt.

12. Est et alius intellectus, a quo dissimulare non debeo, verborum istorum, quibus dictum est, *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum:* ut ab eo quod diximus, non recedat intentio. Dixeramus enim magnos et pusillos significari etiam eo quod adjectum est, *Benedicti vos Domino, qui fecit cœlum et terram.* Si ergo magnos cœli, pusillos autem terræ nomine accipimus: quoniam pusilli crescendo futuri sunt cœlum, et in ipsa spe lacte nutriuntur; sic sunt illi magni cœlum terræ, cum parvulos nutriunt, ut etiam cœlum cœli se esse intelligant, dum cogitant in qua spe parvuli nutriantur. Sed tamen quia jam illi non ab homine, neque per hominem, sed per ipsum Deum carpunt sinceritatem ubertatemque sapientiæ; acceperunt parvulos futuros quidem cœlum, ut cœlum cœli se esse sciant; adhuc tamen terram cui dicant, *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit* (I *Cor.* III, 6). Ipsis enim filiis hominum quos fecit cœlum, terram dedit in qua operentur, qui novit terræ providere per cœlum. Maneant igitur cœlum et terra in Deo suo qui fecit ea, et vivant ex eo, confitentes ei et laudantes eum: nam si ex se velint vivere, morientur, sicut scriptum est, *A mortuo quasi qui non sit, perit confessio* (*Eccli.* XVII, 26). Sed, *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.* Clamat enim alio loco tua Scriptura: *Peccator, dum venerit in profundum malorum, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3). *Sed nos qui vivimus, benedicimus Dominum, ex hoc nunc et usque in sæculum.*

IN PSALMUM CXIV.

ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem deprecationis meæ.* Cantet hoc anima quæ peregrinatur a Domino, cantet hoc ovis illa quæ erraverat, cantet hoc filius ille qui mortuus fuerat et revixit,

perierat et inventus est (*Luc.* xv, 6, 24); cantet hoc anima nostra, fratres et filii charissimi. Erudiamur, et permaneamus, et cum sanctis ista cantemus : *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem deprecationis meæ.* Numquid ipsa diligendi causa est, *quoniam Dominus exaudiet vocem deprecationis meæ?* ac non potius aut ideo diligimus quia exaudivit, aut ideo diligimus ut exaudiat? Quid est ergo, *Dilexi, quoniam exaudiet?* An quia dilectionem spes solet accendere, dilexisse se dixit, quoniam speravit exauditurum Deum vocem deprecationis suæ?

2. [*vers.* 2, 3.] Unde autem hoc speravit? *Quoniam inclinavit*, inquit, *aurem suam mihi, et in diebus meis invocavi.* Ergo ideo dilexi, quoniam exaudiet; ideo exaudiet, *quoniam inclinavit aurem suam mihi.* Sed unde scis, o anima humana, quod inclinavit Deus aurem suam tibi, nisi dicas, Credidi? Manent ergo tria hæc, fides, spes, charitas (I *Cor.* xiii, 13) : quia credidisti, sperasti; quia sperasti, dilexisti. Jam si quæram unde crediderit anima inclinasse sibi aurem Deum suum; nonne respondebit : Quia « prior dilexit nos, et Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum » (*Rom.* viii, 32)? « Quomodo » enim « invocabunt in quem non crediderunt? » ait Doctor Gentium : « aut quomodo credent quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? aut quomodo prædicabunt, nisi mittantur » (*Id.* x, 14, 15)? Cum hæc omnia gesta erga me cernerem, quomodo non crederem quod inclinavit Dominus aurem suam mihi? Et sic commendavit in nobis dilectionem suam, ut Christus pro impiis moreretur (*Id.* v, 8, 9). Cum igitur hæc mihi annuntiarent speciosi pedes eorum qui annuntiaverunt pacem, qui annuntiaverunt bona (*Isai.* lii, 7), quia *omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (*Joel* ii, 32), credidi aurem ejus inclinatam mihi, *et in diebus meis invocavi.*

3. Et qui sunt dies tui, quoniam dixisti, *In diebus meis invocavi?* an forte illi quibus venit plenitudo temporis, et misit Deus Filium suum (*Galat.* iv, 4), qui jam dixerat, *Tempore acceptabili exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (*Isai.* xlix, 8)? Audisti ex ore prædicatoris venientis ad te pedibus speciosis, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (II *Cor.* vi, 2) : et credidisti, et in diebus tuis invocasti, et dixisti, *O Domine, erue animam meam.* Sunt quidem ista : sed dies meos magis, inquit, possum dicere dies miseriæ meæ, dies mortalitatis meæ, dies secundum Adam, plenos laboris et sudoris, dies secundum vetustatem putredinis. Ego enim jacens, *infixus in limo profundi* (*Psal.* lxviii, 3), et in alio psalmo exclamavi, *Ecce veteres posuisti dies meos* (*Psal.* xxxviii, 6) : *in* his *diebus meis invocavi.* Distant quippe dies mei a diebus Domini mei. Dies meos dico, quos ipse mihi feci privata audacia, qua deserui eum : et quoniam ubique ipse regnat, et est omnipotens atque omnitenens, merui carcerem; id est, ignorantiæ tenebras, et compedes mortalitatis accepi. *In* his *diebus meis invocavi;* quia ego et alibi clamo, *Educ de carcere animam meam* (*Psal.* cxli, 8) : et quoniam in die salutis, quam [1] mihi præstitit, adjuvit me; intrat in conspectum ejus gemitus compeditorum (*Psal.* lxxviii, 11). In his enim diebus meis, *Circumdederunt me dolores mortis; pericula inferni invenerunt me :* quæ nisi aberrantem abs te non invenirent me. Nunc autem illa me invenerunt : ego vero ea non inveniebam, qui gaudebam prosperis sæculi, in quibus plus fallunt pericula inferni.

4. [*vers.* 4-6.] Sed posteaquam et ego *tribulationem et dolorem inveni, nomen Domini invocavi.* Latebat enim me tribulatio et dolor utilis; tribulatio de qua dat auxilium, cui dictum est, *Da nobis auxilium de tribulatione, et vana salus hominis* (*Psal.* lix, 13). Ego enim de vana salute hominis gaudendum et exsultandum arbitrabar; sed cum audissem a Domino meo, *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v, 5), non exspectavi ut prius amitterem bona temporalia quibus male oblectabar, et tunc lugerem : sed attendi in eamdem ipsam miseriam meam [2] qua talibus oblectabar, quæ et amittere formidarem, et tenere non possem; attendi in eam vehementer et fortiter, et me non solum excruciari adversitatibus hujus sæculi, sed etiam obligari prosperitatibus vidi; atque ita *tribulationem et dolorem* qui me latebat *inveni, et nomen Domini invocavi. O Domine, erue animam meam.* Miser enim ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus, nisi gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (*Rom.* vii, 24, 25)? Dicat igitur sanctus populus Dei, *Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi :* et audiant reliquiæ gentium quæ nondum invocant nomen Domini; audiant et quærant, ut inveniant tribulationem et dolorem, et invocent nomen Domini, et salvæ fiant. Non hoc eis dicimus, ut quærant miseriam quam non habent, sed ut inveniant eam quam nescientes habent : neque hoc eis optamus, ut terrena necessaria desint eis, quibus indigent, dum mortaliter vivunt; sed ut hoc plangant, quod amissa satietate cœlesti, terrenis, non ad fruendum stabilibus bonis, sed ad sustentandum necessariis indigere meruerunt. Agnoscant et lugeant istam miseriam; faciet eos beatos lugentes, qui eos esse semper miseros noluit.

5. *Misericors Dominus, et justus, et Deus noster miseretur.* Misericors, et justus, et miseretur. *Misericors* primum, quia inclinavit aurem suam mihi; et nesciebam propinquasse aurem Dei mei ori meo, nisi per illos speciosos pedes excitarer, ut invocarem : quis enim eum invocavit, nisi quem ipse prior vocavit? Hinc ergo primum *misericors. Justus* autem, quia flagellat; et iterum *miseretur*, quia recipit : flagellat enim omnem filium quem recipit, nec tam mihi amarum debet esse quod flagellat, quam dulce quod recipit. Quomodo enim non flagellet [3], *Custodiens parvulos Dominus*, quos grandes quærit hæredes? quis enim est filius cui non det disciplinam pater ejus (*Hebr.* xii, 6, 7)?

[1] Aliquot Mss., *quem :* et loco, *adjuvit*, plures habent, *adjuvat.*
[2] Sic Am. Er. et plures Mss. At Lov., *animam meam.*
[3] Sic meliores Mss. At Er. et Lov.: *Quomodo enim nos flagellat?*

Humiliatus sum, *et salvum me fecit.* Salvum me fecit, quia humiliatus sum : non enim pœnalis, sed salutaris dolor est quem secando medicus facit.

6. [*vers* 7-9.] *Convertere* ergo, *anima mea*, *in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi :* non meritis, aut viribus tuis; sed *quoniam Dominus benefecit tibi. Quoniam exemit*, inquit, *animam meam a morte.* Mira res est, charissimi, quod cum dixisset in requiem convertendam animam suam, quoniam benefecit ei Dominus; subjecit, *Quoniam exemit animam meam a morte.* Ideone in requiem converteretur, quia exempta est a morte? Nonne magis in morte requies dici solet? Quæ tandem ejus actio est, cujus vita requies, et mors inquietudo est? Talis ergo actio debet esse animæ, quæ tendat ad quietam securitatem, non quæ augeat inquietum laborem : quoniam exemit eam de morte qui misertus ejus dixit, « Venite ad me, omnes qui laboratis, et ego vos reficiam : tollite jugum meum super vos, et discite a me, quoniam mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, et sarcina mea levis est » (*Matth.* XI, 28 30). Mitis itaque et humilis [1], tanquam viam Christum sequens, debet esse animæ actio tendentis ad requiem : non tamen pigra et desidiosa; ut cursum consummet, sicut scriptum est, *In mansuetudine opera tua perfice* (*Eccli.* III, 19). Etenim, ne mansuetudo ad segnitiem duceretur, adjunctum est, *Opera tua perfice.* Neque enim sicut in ista vita somni requies nos reparat ad actionem; sed actio bona perducit ad semper vigilantem quietem.

7. Ille autem cuncta præstat, cuncta exhibet Deus, de quo hic dicitur, *Quoniam Dominus benefecit mihi*, *quoniam exemit animam meam a morte, oculos meos a lacrymis*, *pedes meos a lapsu.* Hæc enim in spe completa erga se cantat quisquis hujus carnis vinculum intelligit. Vere quippe dictum est, *Humiliatus sum, et salvum me fecit :* sed et illud Apostolus verum dicit, Quoniam *spe salvi facti sumus* (*Rom.* VIII, 24). Et de morte quidem quod exempti sumus, recte dicitur jam esse completum, ut mortem intelligamus non credentium, de qualibus ait, *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* VIII, 22) : et illud in superiore psalmo : « Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum; sed nos qui vivimus, benedicimus Dominum » (*Psal.* CXIII, 17, 18). Ex hac ergo morte potest recte intelligere homo fidelis jam exemptam esse animam suam, eo ipso quod ex infideli fidelis effecta est : unde ipse Salvator, *Qui credit in me*, inquit, *transitum facit a morte ad vitam* (*Joan.* V, 24). Cætera vero spe completa sunt in eis qui nondum ex hac vita emigrarunt. Nunc enim cum lapsus nostros periculosissimos cogitamus, non cessant a lacrymis oculi : tunc autem eximet oculos nostros a lacrymis, quando et pedes a lapsu. Quia tunc nullus erit lapsus ambulantium pedum, quando infirmæ carnis nullum erit lubricum. Nunc vero, quamvis firma sit via [2] nostra, quæ Christus est; tamen quia carnem nobis, quam jubemur edomare, substernimus; in ipso prorsus opere quo eam subditam castigamus, non in ea cadere magnum est : non autem in ea labi, quis potest?

8. Quapropter quia et in carne sumus, et in carne non sumus (in carne enim sumus eo vinculo quod nondum solutum est, quod *dissolvi et esse cum Christo multo magis optimum* [*Philipp.* I, 23] : non autem sumus in carne ex eo quod spiritus primitias dedimus Deo, si tamen possimus dicere quia *conversatio nostra in cœlis est* [*Id.* III, 20], et tanquam capite placeamus Deo, pedibus autem tanquam extremis animæ partibus adhuc lubricum sentiamus), audi quemadmodum ad spem pertineat quod ita canitur velut jam sit effectum, *Exemit*, inquit, *oculos meos a lacrymis*, *pedes meos a lapsu :* et tamen non ait, Placeo; sed, *Placebo in conspectu Domini*, *in regione vivorum;* satis ostendens ab ea parte nondum se placere in conspectu Domini, quæ est in regione mortuorum, id est in carne mortali. *Qui* enim *in carne sunt, Deo placere non possunt.* Unde quod sequitur, et dicit idem apostolus, *Vos autem non estis in carne;* secundum id dicit, quod *corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam :* secundum quem placebant Domino, quia secundum ipsum in carne non erant. Quis autem placeat Deo vivo, in corpore mortuo? Sed quid ait? « Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter Spiritum qui habitat in vobis » (*Rom.* VIII, 8-11), Tunc erimus *in regione vivorum*, ex omni parte placentes in conspectu Domini, ex nulla ab eo parte peregrini. *Quamdiu enim sumus in corpore, peregrinamur a Domino nostro;* et in quantum inde peregrinamur, in tantum non sumus *in regione vivorum.* « Confidimus autem et bene arbitramur magis peregrinari a corpore, et immanere ad Dominum; et ideo ambimus, sive immanentes, sive peregrinantes, placentes illi esse » (II *Cor.* V, 6-9). *Ambimus* quidem nunc, qui exspectamus adhuc redemptionem corporis nostri (*Rom.* VIII, 23) : sed cum absorpta fuerit mors in victoriam, et corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (I *Cor.* XV, 53, 54); tunc nullus erit fletus, quia nullus lapsus; et nullus lapsus, quia nulla corruptio. Et ideo jam non ambiemus placere, sed omnino placebimus in conspectu Domini, in regione vivorum.

[1] Er. et Lov., *et humilis corde.* Abest, *corde*, ab aliis libris.

[2] Sic plerique Mss. At Edd., *vita.*

IN PSALMUM CXV

ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. Notissimum arbitror esse Sanctitati vestræ quod [1] ait Apostolus, *Non enim omnium est fides* (II *Thess.* III, 2); et quod major esse soleat infidelium multitudo, non ignoratis : propter quod dicitur, *Domine, quis*

[1] Sic Er. Lugd. Venet. Lov. In B., *quia.* M.

credidit auditui nostro (*Isai.* LIII, 1; *Rom.* X, 16)? Inter quos etiam illi numerantur, de quibus dicit idem apostolus, *Omnes sua quærunt, non quæ Jesu Christi* (*Philipp.* II, 21): quos alio loco dicit non ex veritate, sed ex occasione prædicare verbum Dei, non caste (*Id.* I, 17), id est, non ex animo puræ et sinceræ charitatis. Aliud enim sentiebant, quod in eorum moribus apparebat; et aliud prædicabant, ut sancto nomine placerent hominibus: nam de his iterum dicit, *Neque enim isti Deo serviunt, sed suo ventri* (*Rom.* XVI, 18). Quos tamen Christum annuntiare permittit. Quamvis enim ea potius crederent quæ ipsi faciebant, ut morerentur: ea tamen prædicabant, quæ si alii credentes facerent, salvarentur; non enim aliud annuntiabant præter regulam fidei. Eos quippe excludit Apostolus, dicens: *Si quis vobis annuntiaverit præter id quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* I, 9). Illi non Christum annuntiant qui annuntiant falsitatem; quia Christus veritas est (*Joan.* XIV, 6). De istis autem dicit quod Christum annuntient; sed non caste, id est, non animo simplici et puro, et fide sincera quæ per dilectionem operatur (*Galat.* V, 6): terrenis quippe cupiditatibus consulentes, regnum cœlorum annuntiabant, habentes in pectore falsitatem, in lingua veritatem. Sciens itaque Apostolus etiam per Judam evangelizantem credentes esse liberatos, istos quoque ita permittit: *Sive*, inquit, *occasione, sive veritate Christus annuntietur* (*Philipp.* I, 18). Veritatem quippe annuntiabant, etiamsi non veritate, id est non vero animo. Isti loquuntur quod non credunt, et ideo reprobati sunt; quamvis sint utiles eis quos instruit Dominus, dicens: *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, et non faciunt* (*Matth.* XXIII, 3). Unde, nisi quia utilia non credunt esse quæ dicunt? Sunt autem alii qui credunt, et non loquuntur quod credunt, vel pigritia, vel timore. Nam et ille servus quamvis talentum habuerit, tamen quia erogare noluit, audit a Domino judice: *Serve nequam et piger*. Et alio Evangelii loco dictum est quod multi ex principibus Judæorum credidissent in eum, sed non eum confitebantur, ne expellerentur de synagogis; sed etiam ipsi reprehensi atque improbati sunt: sequitur enim Evangelista dicens, *Amaverunt enim gloriam hominum magis quam Dei* (*Joan.* XII, 42, 43). Si ergo et illi qui verum quod loquuntur non credunt, et illi qui verum quod credunt non loquuntur, merito reprobantur; quis erit servus vere dicendus fidelis, nisi ille cui dicitur: « Euge, serve bone, quoniam in modico fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium domini tui? » Talis itaque servus nec antequam credat loquitur, nec cum crediderit tacet; ne vel sic eroget ut ipse non habeat, vel quod habet non erogando non habeat. Sic enim dictum est: *Qui habet, dabitur ei; qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo* (*Matth.* XXV, 21-29).

2. [*vers.* 10.] Dicat ergo iste bonus servus cantans *Alleluia*, id est, sacrificans Domino sacrificium laudis, a quo auditurus est, *Intra in gaudium Domini tui*, exsultet, et dicat, *Credidi, propter quod locutus sum*: hoc est, perfecte credidi. Non enim perfecte credunt qui quod credunt loqui nolunt: ad ipsam enim fidem pertinet etiam illud credere quod dictum est, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram Angelis Dei* (*Matth.* X, 32). Ex hoc enim est appellatus fidelis ille servus, non tantum quia accepit, sed quia impendit atque lucratus est. Ita et hoc loco non ait, Credidi, et locutus sum; sed propter hoc dicit se locutum esse, quia credidit. Simul enim credidit, et quod præmium loquendo sperare, et quam pœnam tacendo timere deberet. *Credidi*, inquit, *propter quod locutus sum. Ego autem humiliatus sum nimis*. Passus est enim multas tribulationes, propter verbum quod fideliter tenebat, fideliter impendebat; et humiliatus est nimis: quod illi timuerunt qui *amaverunt gloriam hominum magis quam Dei*. Sed quid est, *Ego autem?* Diceret potius, Credidi, propter quod et locutus sum, et humiliatus sum nimis: cur addidit, *Ego autem*, nisi quia homo humiliari potest ab eis qui veritati contradicunt, non ipsa veritas quam credit et loquitur? Unde et Apostolus, cum de catena sua diceret: *Sed sermo*, inquit, *Dei non est alligatus* (II *Tim.* II, 9). Sic et iste, quia ipsa est una persona sanctorum testium, hoc est, martyrum Dei, *Credidi*, inquit, *propter quod locutus sum. Ego autem*, non illud quod credidi, non sermo quem protuli; sed *Ego humiliatus sum nimis*.

3. [*vers.* 11.] *Ego autem dixi in ecstasi mea, Omnis homo mendax*. Ecstasin pavorem dicit, quem comminantibus persecutoribus, et impendentibus passionibus cruciatus aut mortis, humana infirmitas patitur. Hoc enim intelligimus, quia in isto psalmo vox martyrum apparet. Nam et alio modo dicitur ecstasis, cum mens non pavore alienatur, sed aliqua inspiratione revelationis assumitur. *Ego autem dixi in ecstasi mea, Omnis homo mendax*. Conterritus enim respexit infirmitatem suam, et vidit non de se sibi esse præsumendum. Quantum enim ad ipsum hominem pertinet, mendax est: sed gratia Dei verax effectus est, ne pressuris inimicorum cedens non loqueretur quod crediderat, sed negaret; sicut Petro accidit, quoniam de se præsumpserat, et docendus erat de homine non esse præsumendum. Et si de homine non debet quisque præsumere, utique nec de seipso; quia homo est. Bene ergo iste vidit in pavore suo omnem hominem esse mendacem; quia et illi qui nullo pavore vanescunt, ne persequentibus cedendo mentiantur, muneribus Dei tales sunt, non viribus suis. Proinde verissime dictum est, *Omnis homo mendax*; sed Deus verax, qui ait: « Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes: vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus ex principibus cadetis » (*Psal.* LXXXI, 6, 7). Consolatur humiles, et implet eos non solum fide credendæ, sed etiam fiducia prædicandæ veritatis, si perseveranter subdantur Deo, nec imitentur unum ex principibus diabolum, qui in veritate non stetit, et cecidit. Si enim omnis homo mendax, in tantum non erunt mendaces, in quantum non erunt homines; quoniam dii erunt, et filii Altissimi.

4. [*vers.* 12.] Hoc itaque considerans devotissimus

populus fidelium testium, quomodo infirmitatem humanam Dei misericordia non relinquat, in cujus infirmitatis pavore dictum est, *Omnis homo mendax;* quomodo consoletur humiles, et impleat spiritu fiduciæ trepidantes, ut pene mortuo corde reviviscant, nec in semetipsis fidentes sint, sed in eo qui suscitat mortuos (II *Cor.* I, 9), et linguas infantium facit disertas (*Sap.* x, 21); qui ait, « Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis » (*Matth.* x, 19 *et* 20): hæc ergo omnia considerans ille qui dixerat, *Ego dixi in pavore meo, Omnis homo mendax,* et videns gratia Domini se factum veracem, *Quid retribuam,* inquit, *Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Non ait, pro omnibus quæ tribuit mihi; sed *pro omnibus quæ retribuit mihi.* Quæ igitur præcesserant hominis, ut omnium donorum Dei non attributio, sed retributio vocari possit? quæ præcesserant hominis nisi peccata? Retribuit ergo Deus bona pro malis, cui homines retribuunt mala pro bonis: hæc enim retribuerunt qui dixerunt, *Hic est hæres; venite, occidamus eum* (*Id.* XXI, 38).

5. [*vers.* 13, 15.] Sed quærit iste quid retribuat Domino, et non invenit, nisi ex eis quæ ipse Dominus retribuit. *Calicem,* inquit, *salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* O homo, peccato tuo mendax, dono Dei verax, et ideo jam non homo; quis tibi dedit calicem salutaris, quem accipiens, et invocans nomen Domini, retribues ei pro omnibus quæ retribuit tibi? quis nisi ille qui ait, *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum* (*Id.* xx, 22)? Quis tibi dedit imitari passiones suas, nisi qui pro te passus est prior? Ideoque (*a*), *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Emit eam sanguine suo, quem prior fudit pro salute servorum, ne pro Domini nomine servi fundere dubitarent; quod tamen eorum, non Domini utilitati, proficeret.

6. [*vers.* 16.] Confiteatur itaque conditionem suam mancipium tanto pretio comparatum, et dicat: *O Domine, ego servus tuus; ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.* Ergo et emptus est, et vernaculus est. An cum matre simul est emptus? an quia vernaculus est, pro peccato fugæ suæ deprædatus, et ideo emptus, quia redemptus est? Filius enim est ancillæ secundum quod omnis creatura subdita Creatori est, et verissimo Domino verissimum debet famulatum: quem cum exhibet, libera est, hanc accipiens a Domino gratiam, ut ei non necessitate, sed voluntate deserviat. Ergo iste filius est Jerusalem cœlestis, quæ sursum est, mater omnium nostrum libera (*Galat.* IV, 26). Et libera quidem a peccato, sed ancilla justitiæ: cujus filiis adhuc peregrinantibus dicitur, *Vos in libertatem vocati estis;* et rursus eos servos facit, dicens, *Sed in charitate servite invicem* (*Id.* v, 13): quibus item dicitur, « Cum serviebatis peccato, liberi eratis a justitia; nunc vero liberati a peccato, facti autem servi Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam » (*Rom.* VI, 20, 22). Dicat ergo Deo servus iste, Multi se martyres dicunt, multi servos tuos, quia nomen tuum habent in variis hæresibus et erroribus; sed quia præter Ecclesiam tuam sunt, non sunt filii ancillæ tuæ: *Ego* autem *servus tuus, et filius ancillæ tuæ.*

7. [*vers.* 17.] *Disrupisti vincula mea; tibi sacrificabo sacrificium laudis.* Neque enim inveni ulla merita mea, quando tu disrupisti vincula mea; ideo sacrificium laudis tibi debeo: quia etsi gloriabor quod servus tuus sim et filius ancillæ tuæ; non in me, sed in te Domino meo gloriabor, qui disrupisti vincula mea, ut a fuga rediens religarer tibi.

8. [*vers.* 18.] *Vota mea Domino reddam.* Quæ vota redditurus es? Quas vovisti victimas? quæ incensa? quæ holocausta? An ad illud respicis, quod paulo ante dixisti, *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo;* et, *Tibi sacrificabo sacrificium laudis?* Et revera quisquis bene cogitat quid voveat Domino et quæ vota reddat, seipsum voveat, seipsum reddat: hoc exigitur, hoc debetur. Inspecto nummo Dominus dicit; *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt* (*Matth.* XXII, 21): imago sua redditur Cæsari, imago sua reddatur Deo.

9. [*vers.* 19.] Sed qui meminit non solum servum se esse Dei, sed et filium ancillæ Dei, videt [1] ubi reddat vota sua, conformatus Christo per calicem salutaris. *In atriis,* inquit, *domus Domini.* Quæ domus Dei est, hæc ancilla Dei est: et quæ domus Dei, nisi omnis populus ejus? Ideo sequitur, *In conspectu omnis populi ejus.* Et apertius jam nominat ipsam matrem. Quid est enim aliud populus ejus, nisi quod sequitur, *In medio tui, Jerusalem?* Tunc est enim quod redditur gratum, si de pace atque in pace reddatur. Qui autem filii hujus ancillæ non sunt, bellum potiusquam pacem amaverunt. Ne quis autem existimet atria domus Domini, et omnem populum ejus Judæos significari, quia ita clausit iste psalmus, ut diceret, *In medio tui, Jerusalem,* cujus nomine carnales Israelitæ gloriantur; audite sequentem psalmum, qui quatuor versiculis continetur.

IN PSALMUM CXVI
ENARRATIO.

Superioris sermonis continuatio.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Hæc sunt atria domus Domini, ille omnis populus ejus, hæc vera Jerusalem [2]. Audiant magis illi qui hujus civitatis filii esse noluerunt, cum se ab omnium gentium communione præciderunt. *Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum.* Hæc sunt duo illa, misericordia et veritas, quæ in centesimo tertio decimo psalmo memoriæ commendanda commonui (*a*). *Con-*

(*a*) Præterit versiculum 14, *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.*

[1] Plures Mss., *vide:* et quidam, *videte.*
[2] Plerique Mss., *hæc verba, Jerusalem.*
(*a*) In Enarr. Psal. CXIII, serm. 1, n. 13.

firmata est autem *super nos misericordia* Domini, cum ejus nomini, per quod liberati sumus, inimicarum gentium rabida ora cesserunt: *et veritas Domini manet in æternum*, sive in eis quæ promisit justis, sive in eis quæ minatus est impiis.

IN PSALMUM CXVII
ENARRATIO.
SERMO AD POPULUM.

1. Audivimus, fratres, admonentem nos atque hortantem Spiritum sanctum, ut sacrificium confessionis offeramus Deo. Confessio autem, vel laudis ejus est, vel peccatorum nostrorum. Et illa quidem confessio, qua peccata nostra Deo confitemur, omnibus nota est; ita ut hanc solam dici confessionem in Scripturis sanctis minus erudita existimet multitudo: nam ubi hoc verbum lectoris ore sonuerit, continuo strepitus pius pectora tundentium consequitur. Sed debent advertere quomodo dictum sit in alio psalmo: « Quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, In voce exsultationis et confessionis, soni festivitatem celebrantis » (*Psal.* XLI, 5). Hic enim certe manifestum est vocem confessionis et sonum, non ad mœrorem pœnitentiæ, sed ad lætitiam festivitatis celeberrimæ pertinere. Aut si de tam manifesto testimonio quisquam adhuc dubitat, quid dicturus est ad illud quod in Ecclesiastico scriptum est: « Benedicite Dominum omnia opera ipsius, date nomini ipsius magnificentiam, et confitemini in laudem ipsius in canticis labiorum et in citharis; et sic dicite in confessione, Quoniam omnia opera Domini bona nimis » (*Eccli.* XXXIX, 19-21)? Hic certe nullus vel tardissimus ambigit confessionem in Dei laudibus poni; nisi forte tanta est in cujusquam mente perversitas, ut dicere audeat etiam ipsum Dominum Jesum Christum peccata sua Patri esse confessum. Quod si aliquis impius propter nomen confessionis tentaret objicere, facillime refelleretur ipsa contextione verborum. Sic enim loquitur: « Confiteor tibi, » inquit, « Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis; ita, Pater, quoniam sic placitum est coram te. » Quis non eum intelligat in laude Patris hæc dicere? Quis non videat istam confessionem non ad dolorem cordis, sed ad gaudium pertinere; cum etiam præcesserit Evangelista dicens: *In ipsa hora exsultavit Spiritu sancto et dixit, Confiteor tibi, Pater* (*Luc.* x, 21)?

2. [*vers.* 1.] Quapropter, charissimi, quoniam nullo modo est omnino dubitandum, tot congruentibus testimoniis, quorum similia in Scripturis per vos ipsos potestis advertere, non tantum in peccatis, sed et in laudibus Dei confessionem divinis Litteris solere nominari; quid congruentius in hoc psalmo, quando *Alleluia* cantamus, quod est, Laudate Dominum, nos admoneri intelligimus, cum audimus, *Confitemini Domino*, quam idipsum, scilicet ut laudemus Dominum? Non potuit laus Dei brevius explicari, quam ut diceretur, *Quoniam bonus est*. Quid sit grandius ista brevitate, non video; cum ita sit proprium Deo quod bonus est, ut a quodam compellatus ipse Filius Dei, cum audiret, *Magister bone*, ab eo scilicet qui carnem ejus intuens, et divinitatis plenitudinem non intelligens, solum hominem arbitrabatur; responderet, *Quid me interrogas de bono? Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Marc.* x, 17, 18). Quod quid est aliud dicere, quam, Si me bonum vis appellare, intellige et Deum? Sed quoniam populo dicitur, in prænuntiatione futurorum liberato ab omni labore et captivitate peregrinationis et ab omni permixtione iniquorum, quod ei per gratiam Dei præstitum est, non solum non retribuentis mala pro malis, sed etiam retribuentis bona pro malis; convenientissime adjunctum est, *Quoniam in sæculum misericordia ejus*.

3. [*vers.* 2-5.] « Dicat autem domus Israel quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicat autem Domus Aaron quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. Dicant nunc omnes qui timent Dominum quoniam in sæculum misericordia ejus. » Recognoscitis, credo, charissimi, quæ sit domus Israel, quæ sit domus Aaron, et quoniam utrique [1] sunt timentes Dominum. Ipsi enim sunt pusilli cum magnis, jam in alio psalmo bene insinuati cordibus vestris: quorum numero nos omnes, in ejus gratia qui bonus est et in sæculum misericordia ejus, sociatos esse gaudeamus; quoniam exauditi sunt qui dixerunt, *Adjiciat Dominus super vos, super vos et super filios vestros* (*Psal.* CXIII, 12-14): ut Israelitis in Christum credentibus, ex quorum numero sunt Apostoli patres nostri, et ad eminentiam perfectorum et ad obedientiam parvulorum adjungeretur numerus Gentium; ut dicamus omnes facti unum in Christo, facti unus grex sub pastore uno, et corpus illius capitis tanquam unus homo dicamus, *In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine*. Angustia nostræ tribulationis finitur: latitudo autem quo transimus, non habet terminum. *Quis enim accusabit adversus electos Dei* (*Rom.* VIII, 33)?

4. [*vers.* 6, 7.] *Dominus mihi adjutor; non timebo quid faciat mihi homo.* Sed numquid solos homines habet inimicos Ecclesia? Quid est homo carni et sanguini deditus, nisi caro et sanguis? Sed ait Apostolus, *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et rectores mundi tenebrarum harum*: id est, rectores iniquorum, mundum istum diligentium, et propterea tenebrarum; quia et nos fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* v, 8). *Adversus spiritualia*, inquit, *nequitiæ in cœlestibus* (*Id.* VI, 12): id est, diabolum et angelos ejus; quem diabolum alio loco dicit principem potestatis aeris hujus (*Id.* II, 2). Audi ergo quod sequitur: *Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos.* Ex quolibet genere inimici exsurgant, sive ex numero malorum hominum, sive ex numero malorum angelorum; in Domini adjutorio despicientur cui confitemur laudem, cui cantamus Alleluia.

[1] Mss., *utique*.

5. [*vers.* 8, 9.] Despectis autem inimicis, non sic mihi tanquam bonus homo se amicus opponat, ut ipse in se spem meam jubeat collocari: *Bonum est* enim *confidere in Domino, quam confidere in homine.* Nec quisquis secundum quemdam modum dici potest angelus bonus, sic a me cogitetur, ut in eo confidere debeam: nemo enim bonus, nisi solus Deus; et cum videntur adjuvare homo vel angelus, cum hoc vera dilectione faciunt, ille per eos facit, qui eos pro modo eorum bonos fecit. *Bonum est* ergo *sperare in Dominum, quam sperare in principes.* Nam et Angeli dicti sunt principes, sicut in Daniele legimus, *Michael princeps vester* (*Dan.* XII, 1).

6. [*vers.* 10, 11.] « Omnes gentes circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum eos: circumdantes circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum eos. » Quod ait, « Omnes gentes circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum eos, » significat Ecclesiæ labores atque victoriam; sed quasi causa quæreretur unde tanta mala superare potuerit, respectum est ad exemplum, et dixit quid primo passa sit in capite suo, addendo quod sequitur, *Circumdantes circumdederunt me:* et bene ibi non repetitum est, *omnes gentes*; quod a Judæis solis factum est. *Et in nomine Domini ultus sum eos:* quia illic ipse pius populus, quod est corpus Christi, persecutores sensit [1], de quorum genere caro illa suscepta et suspensa est, et pro quo factum est quidquid ab illa interiore divinitate per exteriorem carnem virtute immortali mortaliter factum est.

7. [*vers.* 12.] « Circumdederunt me sicut apes favum, et exarserunt sicut ignis in spinis, et in nomine Domini ultus sum eos. » Hic jam ex ordine gestarum rerum, etiam verborum ordo contexitur. Nam ipsum Dominum caput Ecclesiæ recte accipimus circumdatum a persecutoribus, sicut circumdant apes favum. Quid enim ab ignorantibus gestum sit, mystica subtilitate Spiritus sanctus loquitur. Mel quippe apes operantur in favis: nescientes autem persecutores Domini, fecerunt eum nobis ipsa passione dulciorem; ut gustemus et videamus quam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII, 9), qui mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* IV, 25). Jam vero quod sequitur, *Et exarserunt velut ignis in spinis:* in ejus corpore, hoc est, in populo ubique diffuso melius intelligitur; quem circumdederunt omnes gentes, cum sit collectus de omnibus gentibus. *Exarserunt* quippe *velut ignis in spinis*, quando peccatricem carnem atque hujus mortalis vitæ molestissimas compunctiones, persecutionis incendio cremaverunt. *Et in nomine*, inquit, *Domini ultus sum eos:* sive quia et ipsi, malitia quæ in eis justos persequebatur exstincta, christiano populo sociati sunt; sive quia cæteri eorum qui contempserunt hoc tempore vocantis misericordiam, veritatem judicantis in fine sensuri sunt.

[1] Nostri omnes Mss., *senserit.* Am., *senserat.* Moxque plures libri, *de cujus genere:* et quidam, *de quibus generata.* Postremo Am. et plerique Mss. omittunt, *suscepta*, etc.

8. [*vers.* 13.] *Tanquam cumulus arenæ impulsus sum ut caderem, et Dominus suscepit me.* Quamvis enim esset jam magna multitudo credentium, quasi arenæ innumerabili comparanda, et in unam societatem tanquam in cumulum ducta; tamen quid est homo, nisi quod memor es ejus (*Psal.* VIII, 5)? Non dixit, Abundantiam numeri mei, numerus gentium superare non valuit; sed, *Dominus*, inquit, *suscepit me.* Multitudinem ergo fidelium in unitate fidei simul habitantem persecutio gentium quo impelleret, ut dejiceret, non habebat: quando in eum creditum est, qui et singulos et omnes et ubique susciperet; quia eis invocantibus nusquam deesse potuisset.

9. [*vers.* 14.] *Fortitudo mea et laudatio mea Dominus; et factus est mihi in salutem.* Qui ergo cadunt, cum impelluntur, nisi qui sua sibi fortitudo, et sua sibi volunt esse laudatio? Nullus quippe in certamine cadit, nisi cujus fortitudo et laudatio cadit. Quapropter cujus fortitudo et laudatio est Dominus, tam non cadit quam non cadit Dominus. Et ideo eis factus est in salutem; non quia ipse aliquid factus est quod ante non erat, sed quia ipsi cum in eum crederent, quod non erant facti sunt, et jam ipse non sibi, sed illis, quod aversis a se non erat, salus cœpit esse conversis.

10. [*vers.* 15.] *Vox lætitiæ et salutis in tabernaculis justorum:* ubi vocem mœroris et exitii putabant esse, qui in eorum corpora sæviebant. Non enim sentiebant interiora gaudia sanctorum de spe futura. Unde et Apostolus dicit, *Quasi tristes, semper autem gaudentes* (II *Cor.* VI, 10); et iterum, *Non solum autem, sed etiam gloriamur*, inquit, *in tribulationibus* (*Rom.* V, 3).

11. [*vers.* 16.] *Dextera Domini fecit virtutem.* Quam virtutem dicit? *Dextera*, inquit, *Domini exaltavit me.* Magna virtus exaltare humilem, deificare mortalem, præbere de infirmitate perfectionem, de subjectione gloriam, de passione victoriam, dare auxilium de tribulatione; ut afflictis vera salus Dei patesceret, affligentibus autem vana salus hominis remaneret. Magna hæc; sed quid miraris? audi quid repetat. Non homo se exaltavit, non homo se perfecit, non sibi homo gloriam dedit, non homo vicit, non homo sibi saluti fuit [1]: *Dextera Domini fecit virtutem.*

12. [*vers.* 17.] *Non moriar, sed vivam, et enarrabo opera Domini.* At illi stragem funerum ubique facientes, Ecclesiam Christi mori arbitrabantur. Ecce nunc enarrat opera Domini. Ubique Christus beatorum martyrum gloria est. Vicit vapulando ferientes; patiendo, impatientes [2]; diligendo, sævientes.

13 [*vers.* 18.] Tamen cur tanta indigna pertulit corpus Christi, sancta Ecclesia, populus in adoptionem; indicet nobis. *Emendans*, inquit, *emendavit me*

[1] Am. Er., *sed quid miraris, si aliquid repetat? Audi quid repetat.* Aliquot Mss., *sed quid miraris? Si aliquid repetat non homo se perfecit*, etc. Regius Ms., *sed quid miraris? Si aliquid te impetat: non homo vicit, non homo sibi saluti fuit. Dextera*, etc.

[2] Mss., *facientes.*

Dominus, et morti non tradidit me. Non ergo quidquam viribus suis licuisse arbitretur fremitus impiorum : non haberet istam potestatem, nisi sibi data esset desuper. Sæpe filios paterfamilias per nequissimos servos emendari jubet; cum illis hæreditatem, illis compedes præparet. Quæ est ista hæreditas? Auri est, an argenti, an gemmarum, aut fundorum, amœnorumque prædiorum? Vide qua intretur, et cognosce quid sit.

14. [*vers.* 19.] *Aperite*, inquit, *mihi portas justitiæ.* Ecce audivimus portas. Quid est intus? *Ingressus*, inquid, *in eis* [1] *confitebor Domino.* Illa confessio laudis est *admirabilis usque ad domum Dei*, *in voce exultationis et confessionis*, *soni festivitatem celebrantis* (*Psal.* XLI, 5) : hæc est æterna beatitudo justorum, qua beati sunt qui inhabitant in domo Dei, in sæcula sæculorum laudantes eum (*Psal.* LXXXIII, 5).

15. [*vers.* 20.] Sed vide quemadmodum intretur in portas justitiæ. *Hæ portæ Domini*, inquit, *justi intrabunt in eas.* Has saltem nemo intret injustus, in illam Jerusalem quæ non recipit incircumcisum, ubi dicitur, *Canes foris* (*Apoc.* XXII, 15). Satis sit quod in longinqua peregrinatione mea *inhabitavi cum tabernaculis Cedar*, et *cum his qui oderunt pacem eram pacificus* (*Psal.* CXIX, 5) : pertuli usque in finem permixtionem malorum, sed *hæ portæ Domini; justi intrabunt in eas.*

16. [*vers.* 21.] *Confitebor, tibi, Domine, quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem.* Quam sæpe ostenditur laudis esse ista confessio, non vulnera medico ostendens, sed de percepta sanitate gratias agens. Ipse autem medicus salus est.

17. [*vers.* 22.] At istum quem dicimus? « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes : » nam « hic factus est in caput anguli; ut duos conderet in se, in unum novum hominem, faciens pacem, et connecteret utrosque in uno corpore Deo (*Ephes.* II, 15, 16), circumcisionem scilicet et præputium.

18. [*vers.* 23.] *A Domino factus est ei* [2] : id est, capiti anguli a Domino factus est. Quamvis enim hoc non esset factus, nisi passus esset; non tamen hoc ab eis a quibus passus est, factus est. Nam illi qui ædificabant, reprobaverunt; sed in eo quod Dominus occulte ædificabat, fecit in caput anguli quod illi reprobaverunt. *Et est mirabilis in oculis nostris :* in oculis interioris hominis, in oculis credentium, sperantium, diligentium; non in oculis carnalibus eorum qui quasi hominem contemnendo reprobaverunt.

19. [*vers.* 24.] *Hic est dies quem fecit Dominus.* Meminit iste homo se dixisse in superioribus psalmis, *Quoniam inclinavit aurem suam mihi, et in diebus meis invocavi* (*Psal.* CXIV, 2); dies suos commemorans veteres : unde modo dicit, *Hic est dies quem fecit Dominus*; id est, quo mihi salutem dedit. Hic est dies de quo dixit, *Tempore acceptabili exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (*Isai.* XLIX, 8); id est, dies quo ille mediator factus est in caput anguli. *Exsultemus ergo et jucundemur in eo.*

20. [*vers.* 25.] *O Domine, salvum me fac; o Domine, bene prospera iter vero* [1]. Quia dies salutis est, *salvum me fac :* quia de longinqua peregrinatione revertentes sejungimur ab eis qui oderant pacem, cum quibus eramus pacifici, et cum loqueremur eis, debellabant nos gratis; *bene prospera iter* redeuntibus, quia tu nobis factus es via.

21. [*vers.* 26.] *Benedictus* enim *qui venit in nomine Domini.* Maledictus ergo ille qui venit in nomine suo; sicut in Evangelio dicit : *Ego veni in nomine Patris mei, et non accepistis me : si alius venerit in nomine suo, illum accipietis* (*Joan.* V, 43). *Benediximus vos de domo Domini.* Credo quod ista vox magnorum est ad pusillos, eorum scilicet magnorum qui Verbum Deum apud Deum, sicut in hac vita possunt, mente contingunt; et tamen sermonem suum propter parvulos temperant, ut possint sinceriter dicere quod ait Apostolus : *Sive enim mente excessimus Deo, sive temperantes sumus vobis; charitas enim Christi compellit nos* (II *Cor.* V, 13 *et* 14). Ipsi parvulos benedicunt de interiore domo Domini, ubi laus illa in sæcula sæculorum non deficit : et ideo videte quid inde annuntient.

22. [*vers.* 27.] *Deus Dominus, et illuxit nobis.* Dominus ille qui venit in nomine Domini, quem reprobaverunt ædificantes, et factus est in caput anguli (*Matth.* XXI, 9, 42); mediator ille Dei et hominum homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5), Deus est, æqualis est Patri, et illuxit nobis, ut quod credidimus intelligeremus, et vobis nondum intelligentibus, sed jam credentibus, enuntiaremus. Ut autem et vos intelligatis, *Constituite diem festum in confrequentationibus, usque ad cornua* [2] *altaris :* id est, usque ad interiorem domum Dei, de qua vos benediximus, ubi sunt altaris excelsa. *Constituite diem festum*, non tepide ac segniter, sed *in confrequentationibus.* Ipsa est enim vox *exsultationis*, *soni festivitatem celebrantis*, ambulantium in loco *tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Si enim est ibi spirituale sacrificium, sempiternum sacrificium laudis, et sacerdos sempiternus est, et altare sempiternum pacata mens ipsa justorum. Hoc apertius dicimus, fratres : quicumque Deum Verbum intelligere volunt, non eis sufficiat caro, quod propter eos Verbum factum est, ut lacte nutrirentur; nec in terra sufficiat iste dies festus quo agnus occisus est : sed constituatur in confrequentationibus, quousque perveniatur, exaltatis a Domino mentibus nostris, usque ad ejus divinitatem interiorem, qui nobis exteriorem humanitatem lacte nutriendis præbere dignatus est.

23. [*vers.* 28, 29.] Et quid ibi aliud, nisi laudes ejus cantabimus? Quid ibi aliud dicemus, nisi, *Deus meus es tu, et confitebor tibi; Deus meus es tu, et exaltabo*

[1] Sic Mss. juxta Græc. At Edd., *in eas.*
[2] Sic potiores Mss. At Am. et Er., *factum est ei.* Lov., *factus est is : id est caput anguli*, etc.

[1] Edd., *bene prosperare. Iterum vero quia dies.* Legendum cum optimæ notæ Corb. Ms., *bene prospera iter vero :* nam in Græco LXX. est, *euodôson*, addita particula, *dé*, cui supra in versiculis 2 et 3, respondet vox, *autem.*
[2] Sic Mss. juxta LXX. At Edd., *cornu :* ac paulo post, *altaria excelsa.*

te: *confitebor tibi*, *Domine*, *quoniam exaudisti me*, *et factus es mihi in salutem?* Non strepitu verborum ista dicimus, sed dilectio inhærens illi per seipsam clamat istam vocem, et dilectio ipsa vox est ista. Itaque sicut cœpit laudem, ita terminat : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Hinc cœpit Psalmus, huc desinit; quoniam sicut ab initio quod deseruimus, ita in finem quo redimus, non est aliquid quod salubrius delectet, quam laus Dei, et semper *Alleluia.*

IN PSALMUM CXVIII

ENARRATIO.

Proœmium.

Psalmos omnes cæteros, quos codicem Psalmorum novimus continere, quod Ecclesiæ consuetudine Psalterium nuncupatur, partim sermocinando in populis, partim dictando exposui, donante Domino, sicut potui : psalmum vero centesimum octavum decimum, non tam propter ejus notissimam longitudinem, quam propter ejus profunditatem paucis cognoscibilem differebam. Et cum molestissime ferrent fratres mei, ejus solius expositionem, quantum ad ejusdem corporis Psalmos pertinet, deesse opusculis nostris, meque ad hoc solvendum debitum vehementer urgerent, diu petentibus jubentibusque non cessi ; quia quotiescumque inde cogitare tentavi, semper vires nostræ intentionis excessit. Quanto enim videtur apertior, tanto mihi profundior videri solet; ita ut etiam quam sit profundus, demonstrare non possem. Aliorum quippe, qui difficile intelliguntur, etiamsi in obscuritate sensus latet, ipsa tamen apparet obscuritas : hujus autem nec ipsa; quoniam talem præbet superficiem, ut lectorem atque auditorem, non expositorem necessarium habere credatur. Et nunc quod tandem ad pertractationem ejus accedo, quid in eo possim, prorsus ignoro : spero tamen, ut aliquid possim, adfuturum atque adjuturum Deum. Sic enim fecit in [1] omnibus quæcumque sufficienter, cum prius mihi ad intelligendum vel explicandum difficilia ac pene impossibilia viderentur, exposui. Statui autem per sermones id agere, qui proferantur [2] in populis, quas Græci ὁμιλίας vocant. Hoc enim justius esse arbitror, ut conventus ecclesiastici non fraudentur etiam psalmi hujus intelligentia, cujus, ut aliorum, delectari assolent cantilena. Sed sit huc usque proœmium : jam de ipso est loquendum, de quo istuc visum est præloquendum.

SERMO I.

1. [*vers.* 1.] Ab exordio suo magnus psalmus iste, charissimi, exhortatur nos ad beatitudinem, quam nemo est qui non expetat. Quis enim usquam vel potest, vel potuit, vel poterit inveniri qui nolit esse beatus? Quid igitur exhortatione opus est ad eam rem quam sua sponte appetit animus humanus? Nam profecto qui exhortatur, id agit, ut excitetur voluntas ejus cum quo agit, ad illud propter quod exhortationis adhibetur alloquium. Utquid ergo nobiscum agitur, ut velimus quod nolle non possumus; nisi quia omnes quidem beatitudinem concupiscunt, sed quonam modo ad eam perveniatur, plurimi nesciunt? Ideoque hoc docet iste, qui dicit : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Tanquam diceret : Scio quid velis, beatitudinem quæris; si ergo vis esse beatus, esto immaculatus. Illud enim omnes, hoc autem pauci volunt, sine quo non pervenitur ad illud quod omnes volunt. Sed ubi erit quisque immaculatus, nisi in via? In qua via, nisi in lege Domini? Ac per hoc, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, non superfluo nobis dicitur, sed exhortatio necessaria nostris mentibus adhibetur. Quid enim boni sit ad quod multi pigri sunt, id est, immaculatos ambulare in via, quæ lex est Domini, sic ostenditur, cum beatos esse qui hoc faciunt, indicatur, ut propter illud quod omnes volunt, etiam hoc fiat quod plurimi nolunt. Beatum quippe esse, tam magnum est bonum, ut hoc et boni velint et mali. Nec mirum est quod boni propterea sunt boni; sed illud est mirum, quod etiam mali propterea sunt mali, ut sint beati. Nam quisquis libidinibus deditus, luxuria stuprisque corrumpitur, in hoc malo beatitudinem quærit, et se miserum putat, cum ad suæ concupiscentiæ voluptatem lætitiamque non pervenit, beatum vero non dubitat jactare cum pervenit. Et quisquis avaritiæ facibus inardescit, ad hoc congregat quocumque modo divitias, ut beatus sit : inimicorum sanguinem fundere quicumque desiderat, dominationem quisquis affectat, crudelitatem suam quisquis alienis cladibus pascit, in omnibus sceleribus beatitudinem quærit. Hos igitur errantes, et vera miseria falsam beatitudinem requirentes, revocat ad viam, si audiatur, vox ista divina, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini* : tanquam dicens, Quo itis? Peritis, et nescitis. Non illac itur qua pergitis, quo pervenire desideratis : nam utique beati esse cupitis; sed misera sunt, et ad majorem miseriam ducunt itinera ista qua curritis. Tam magnum bonum quærere per mala nolite : si ad illud pervenire vultis, huc venite, hac ite. Viæ perversæ relinquite malignitatem, qui non potestis relinquere beatitudinis voluntatem. Frustra tendendo fatigamini, quo perveniendo inquinamini. Non autem beati inquinati in errore, qui ambulant in perversitate sæculi; sed, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*

2. [*vers.* 2, 3.] Quid porro adjungat attendite : *Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum.* Non mihi videtur aliud his verbis commemoratum beatorum genus, quam illud quod ante dictum est. Nam scrutari testimonia Domini, et eum in toto corde exquirere, hoc est immaculatum in via, in lege Domini ambulare. Denique sequitur et dicit : *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* Si ergo ambulantes in via, id est in lege Domini, ipsi sunt scrutantes testimonia ejus, et in toto corde exquirentes eum; profecto qui operantur iniquitatem, non scrutantur testimonia ejus. Et tamen novimus

[1] Sic plures Mss. Edd. vero, *feci de.*
[2] Sic Mss. At Edd., *proferuntur.*

operarios iniquitatis ad hoc scrutari testimonia Domini, quia malunt docti esse quam justi : novimus et alios ad hoc scrutari testimonia Domini [1], non quod jam recte vivant, sed ut sciant quemadmodum vivere debeant. Tales ergo nondum immaculati ambulant in lege Domini, ac per hoc nondum beati. Quomodo ergo intelligendum est, *Beati qui scrutantur testimonia ejus;* cum videamus homines ejus scrutari testimonia non beatos, quia non immaculatos? Nam Scribæ et Pharisæi super cathedram Moysi sedentes, de quibus Dominus ait, *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, et non faciunt* (*Matth.* XXIII, 3); utique scrutabantur testimonia Domini, ut haberent quæ dicerent bona, quamvis facerent mala. Sed hos omittamus : recte quippe respondebitur nobis quod isti non scrutantur testimonia Domini. Non enim quærunt ipsa, sed aliud quærunt per ipsa, id est, ut glorificentur ab hominibus, vel ditentur. Non est hoc scrutari testimonia Dei, non diligere quod ostendunt, nolle pervenire quo ducunt, id est ad Deum. Aut si et ipsi scrutantur testimonia Dei, quamvis non ut ipsum, sed ut aliud ex his inveniant et acquirant; certe non *in toto corde exquirunt eum,* quod non utique frustra hic additum cernimus. Sciens enim Spiritus qui hæc dicit, multos propter aliud, non propter quod constitutum est, scrutari testimonia ejus, non tantum dixit, *Beati qui scrutantur testimonia ejus;* sed addidit, *in toto corde exquirunt eum,* tanquam docens quemadmodum, vel propter quid scrutanda sint testimonia Domini. Denique in libro Sapientiæ loquens ipsa Sapientia : *Quærunt,* inquit, *me mali, et non inveniunt; oderunt enim sapientiam* (*Prov.* I, 28 *et* 29). Quod quid est aliud, quam, Oderunt me? Quærunt ergo me, ait, et non me inveniunt qui oderunt me. Quomodo igitur dicuntur quærere quod oderunt, nisi quia non hoc, sed aliud ibi quærunt? Non enim volunt esse sapientes in Dei gloriam, sed volunt videri sapientes propter hominum gloriam. Quomodo enim sapientiam non oderunt, quæ jubet et docet contemnendum esse quod diligunt? Proinde, « Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. » Sic enim scrutando testimonia ejus, ut in toto corde exquirant eum, immaculati ambulant in lege Domini. Numquid tamen ille non scrutabatur testimonia ejus, nec quærebat eum, qui dicebat, *Magister bone, quid boni faciam, ut vitam æternam consequar?* Sed quomodo eum in toto corde quæsivit, cujus consilio divitias suas prætulit, quo audito tristis abscessit (*Matth.* XIX, 16, 22)? Nam et propheta Isaias dicit, *Quærite Dominum; et cum inveneritis eum, derelinquat impius vias suas, et vir iniquus cogitationes suas* (*Isai.* LV, 6 *et* 7).

3. Quærunt itaque Deum et impii et iniqui, ut eo invento non sint impii, nec iniqui. Quomodo ergo jam beati, cum adhuc testimonia ejus scrutantur et exquirunt eum, cum hoc facere possint et impii, possint et iniqui? Beatos autem esse impios et iniquos, quis vel impius dixerit aut iniquus? Ergo spe beati, sicut *beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam :* non propter quod adest, quamdiu mala patiuntur; sed propter quod aderit, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum :* et *beati qui esuriunt et sitiunt justitiam,* non quia esuriunt et sitiunt, sed propter quod sequitur, *quoniam ipsi saturabuntur :* et *beati qui plorant;* non quia plorant, sed propter quod sequitur, *quia ridebunt* (*Matth.* V, 10, 6, 5). Proinde, *Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum;* non quia scrutantur et exquirunt, sed quia inventuri sunt quod exquirunt : in toto enim corde, non negligenter exquirunt. Si ergo spe beati, fortassis etiam spe immaculati. Nam profecto in hac vita, licet in lege Domini ambulemus, licet scrutemur testimonia ejus, et in toto corde exquiramus eum, *si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8). Sed hoc diligentius inquirendum est. Sequitur quippe, *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* Ex quo videri potest, qui ambulant in via Domini, id est in lege Domini, scrutando testimonia ejus, et in toto corde exquirendo eum, jam esse posse immaculatos, hoc est sine peccato, propter verba sequentia : *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt. Qui* autem *peccatum facit, et iniquitatem facit,* ait beatus Joannes; et addidit, *Peccatum iniquitas est* (*Id.* III, 4). Sed jam sermo iste claudendus est, nec in angustum tanta quæstio coarctanda.

SERMO II.

1. [*vers.* 3.] Scriptum est, et legitur, et verum est, in hoc psalmo, *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* Sed elaborandum est, opitulante Deo, in cujus manu sunt et nos et sermones nostri (*Sap.* VII, 16), ne recte dictum, non recte intellectum, lectorem auditoremve perturbet [1]. Cavendum est enim, ne omnes sancti, quorum illa vox est, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est;* aut non putentur ambulare in viis Domini, quoniam *peccatum iniquitas est* (I *Joan.* III, 4), et qui operantur iniquitatem, non utique in viis ejus ambulaverunt; aut quia dubium non est eos ambulare in viis Domini, non credantur habere peccatum, quod procul dubio falsum est. Neque enim propter arrogantiam superbiamque vitandam scriptum est, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Alioquin non adderetur, *Et veritas in nobis non est;* sed diceretur, Humilitas in nobis non est : præsertim quia sequitur unde iste sensus clarius illustretur, omnesque auferat dubitationis ambages. Cum enim hoc beatus Joannes dixisset, adjunxit : « Si autem confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et justus, qui dimittat nobis peccata nostra, et mundet nos ab omni iniquitate » (*Id.* I, 8 *et* 9). Quid

[1] Apud Lov. omissa sunt hæc verba : *quia malunt docti esse, quam justi : novimus et alios ad hoc scrutari testimonia Domini* : quæ quidem exstant in cæteris Edd. et in MSS. libris.

[1] Hic in Edd. additur : *Hucusque cavendum est, plus vero habet contra Pelagianistas :* quod in MSS. quoque nonnullis e margine forte migraverat in textum.

hic dicit, quid contradicit damnabilis impietatis elatio? Si enim propter arrogantiam devitandam, non propter veritatem fatendam, non dicunt sancti se non habere peccatum; quid est quod confitentur, ut remissionem mundationemque mereantur? An et hoc fit, ut arrogantia devitetur? Quomodo ergo impetrabitur peccatorum vera mundatio, quorum est falsa confessio? Conticescat igitur et arescat elatio fenea superborum, se ipsa seducens, quæ in auribus hominum simulata humilitate dicit se habere peccatum, in corde autem suo impia elatione dicit se non habere peccatum. Qui enim hoc dicunt, seipsos seducunt, et veritas in eis non est. Sed quando in auribus hominum hoc dicunt, non tantum seipsos, sed alios quoque doctrinæ insanæ perversitate seducunt: cum vero id in corde suo dicunt, illic seipsos seducunt, illic veritas in eis non est; ac per hoc seipsos in corde suo seducunt, et in suo corde veritatis lumen amittunt. Exclamet autem sancta familia Christi, fructificans et crescens in universo mundo, humiliter verax et veraciter humilis; exclamet, inquam: « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et justus, ut dimittat nobis peccata nostra, et mundet nos ab omni iniquitate. » Hæc ut dicuntur, ita sentiantur. Tunc enim erit humilitas vera, si non sola ostentetur in lingua; ut simus secundum Apostolum, *non alta sapientes, sed humilibus consentientes* (*Rom.* XII, 16): non ait, colloquentes, sed, *consentientes;* quod non fit ore, sed corde. Hypocrita, si dicis te habere, cum credas te non habere peccatum; foris fingis humilitatem, intus amplecteris vanitatem. Ergo et in ore et in corde non habes veritatem. Quid tibi prodest videri hominibus humile esse quod dicis, si Deus videt altum esse quod sapis? Certe, si auribus divinum insonaret oraculum, Noli altum dicere; nec sic immerito damnareris, si humile in ore coram hominibus, et altum in corde coram Domino loquereris. Cum vero audias, *Noli altum sapere, sed time* (*Id.* XI, 20) (non enim ait, dicere, sed, *sapere*); cur non etiam intus es humilis ubi sapis? An ideo mens altitudine inflatur, ut humilitatem lingua mentiatur? Legis, vel audis, *Noli altum sapere, sed time:* et tu in tantum sapis altum, ut te peccatum existimes non habere; ac per hoc, quia non vis timere, nihil tibi aliud remanet quam tumere[1].

2. Et unde, inquis, scriptum est, *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt?* An vero sancti Domini non ambulant in viis Domini? Quod si ambulant, inquit, non operantur iniquitatem: si non operantur iniquitatem, non habent peccatum; quoniam *peccatum iniquitas est.* Exsurge in adjutorium mihi, Domine Jesu, et contra hæreticum superbientem opitulare mihi per Apostolum confitentem. Ecce, ubi est homo tuus exinaniens se, ut impleatur te? Ipsum audiamus, fratres mei; ipsum de hac quæstione, si placet, imo quia placet, interrogemus. Dic nobis, Paule beatissime, utrum ambulaveris in viis Domini, cum in carne adhuc viveres? Respondet: Et unde dicebam, *Verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus* (*Philipp.* III, 16)? Unde dicebam, *Numquid circumvenit vos Titus? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis* (II *Cor.* XII, 18)? Unde dicebam, *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim ambulamus, non per speciem* (*Id.* V, 6, 7)? Quæ certior via Domini, quam fides ex qua justus vivit (*Rom.* I, 17)? In cujus alterius viæ itinere ad superna tendebam, quando dicebam, « Unum autem quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu » (*Philipp.* III, 13, 14)? Postremo in qua alia via cucurreram, quando dicebam, *Bonum certamen certavi, cursum consummavi* (II *Tim.* IV, 7)? Satis sint ista responsa, quibus apostolum Paulum in viis Domini ambulasse didicimus: sed ab illo et aliud inquiramus. Dic obsecro, o Apostole, quando adhuc in carne vivens in viis Domini ambulabas; habebas peccatum, an sine peccato eras? Audiamus utrum se ipse seducat, an vero quod beatus Joannes ejus coapostolus sapiat: quoniam veritas erat in eis. Et hic ergo respondet: Nonne legistis ubi confiteor, dicens, *Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago?* Et hoc audivimus: jam itaque illud interrogamus, Quomodo in viis Domini ambulabas, si malum quod nolebas hoc agebas; cum Psalmus sanctus insonet dicens, *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt?* Audi continuo respondentem per sententiam consequentem: *Si quod nolo,* inquit, *ego hoc facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (*Rom.* VII, 15-17). Ecce quemadmodum qui ambulant in viis Domini, non operantur peccatum, et tamen non sunt sine peccato; quia jam non ipsi operantur illud, sed quod habitat in eis peccatum.

3. Hic dicet aliquis: Quomodo agebat quod nolebat malum, et quomodo ipse non id agebat, sed quod habitabat in illo peccatum? Interim jam ista quæstio soluta est, satisque apparuit Scripturæ auctoritate canonicæ, fieri posse ut ambulantes in viis Domini, quamvis non sint sine peccato, non tamen id operentur ipsi. *Non enim qui operantur iniquitatem,* hoc est peccatum, quia *peccatum iniquitas est, in viis ejus ambulaverunt.* Jam vero qua ratione possit intelligi, et agens illud propter corpus mortis hujus, in quo lex peccati habitat, et non ipse agens illud propter vias Domini in quibus ambulat; alius sermo necessarius est, quia iste claudendus est.

SERMO III.

1. [*vers.* 3.] Propter id quod in psalmo isto scriptum est, *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt,* quoniam *peccatum iniquitas est* (I *Joan.* III, 4), sicut Joannes apostolus dicit, exorta difficilis quæstio, Quomodo possint sancti in hac vita et non esse sine peccato, quia et illud verum est, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*Id.* I, 8); et tamen ambu-

[1] Sic Mss. At Edd., *timere.*

lare vias Domini, quas non ambulant qui operantur iniquitatem: soluta est, dicente apostolo Paulo, *Jam non ergo operor illud, sed id quod in me habitat peccatum*. Quomodo enim est sine peccato, in quo habitat peccatum? Ambulat tamen vias Domini, quas non ambulant qui operantur; quia jam non ipse operatur illud, sed quod in eo habitat peccatum. Verumtamen ita soluta est quæstio ista, ut difficilior altera nasceretur, Quomodo agat homo quod ipse non agit. Utrumque enim dixit; et, *Non quod volo, ago*; et, *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (*Rom.* VII, 17 *et* 20, 16). Unde intelligere debemus, quando peccatum quod habitat in nobis, operatur in nobis, tunc nos id non operari; quando nequaquam ei voluntas nostra consentit, et tenet etiam corporis membra, ne obediant desideriis ejus. Quid enim operatur peccatum nolentibus nobis, nisi sola illicita desideria? Quibus si voluntatis non adhibeatur assensus; movetur quidem nonnullus affectus, sed nullus ei relaxatur effectus. Hoc præcepit idem Apostolus, ubi dicit: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus; nec exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato* (*Id.* VI, 12, 13). Sunt itaque desideria peccati, quibus nos prohibuit obedire. Operantur [1] ergo peccatum hæc desideria; quibus si obedimus, et nos operamur: si autem obtemperantes Apostolo non obedimus eis, non illud nos operamur, sed quod in nobis habitat peccatum. Si autem desideria nulla haberemus illicita, nec nos, nec peccatum mali aliquid operaretur in nobis. Motum porro illiciti desiderii, cui non obediendo non eum nos operamur, ideo et nos agere dicimur, quoniam non est naturæ vigor alienæ, sed languor est nostræ: a quo languore omnimodo salvi erimus, cum et animo et corpore immortales facti fuerimus. Quapropter et quia in viis Domini ambulamus, non obedimus desideriis peccati; et quia non sumus sine peccato, habemus desideria peccati. Ac per hoc jam nos ea non operamur, non eis obediendo; sed quod in nobis habitat peccatum, eadem commovendo. *Non enim qui operantur iniquitatem*, id est, obediunt desideriis peccati, *in viis Domini ambulaverunt*.

2. Sed adhuc quærendum est quæ petamus dimitti nobis, quando dicimus Deo, *Dimitte nobis debita nostra*: utrum quæ nos operamur, quando peccati desideriis obedimus; an ipsa desideria nobis dimitti volumus, quæ nos non operamur, sed quod habitat in nobis peccatum. Quantum quidem ego sapere possum, languoris illius et infirmitatis, unde illicita desideria commoventur, quod *peccatum* appellat Apostolus (*Id.* VII, 7-25), universus reatus sacramento Baptismatis est solutus, cum omnibus quæ illi obedientes fecimus, diximus, cogitavimus; nec nobis deinceps languor iste obesset, quamvis inesset, si desideriis ejus illicitis nullis unquam obedientiam præberemus, sive operatione, sive locutione, sive tacita assensione; donec etiam ipse sanaretur, cum id quod poscimus esset impletum, sive dicentes, *Veniat regnum tuum*; sive dicentes, *Libera nos a malo* (*Matth.* VI, 12, 10, 13): sed quoniam tentatio est vita humana super terram (*Job* VII, 1); etiamsi a criminibus longe simus, non tamen deest ubi desideriis peccati, vel facto, vel dicto, vel cogitatu obediamus; quædam adversus majora vigilantibus, quædam incautis minuta subrepunt quæ si adversus nos colligantur, etsi non singula suis molibus [1] conterunt, omnia tamen acervo nos obruunt. Et propter hæc, etiam hi qui ambulant in viis Domini dicunt, *Dimitte nobis debita nostra*: quoniam ad vias Domini, et ipsa oratio pertinet, et ipsa confessio, quamvis non ad eas peccata pertineant.

3. Itaque in viis Domini, quas omnes fides una complectitur, qua in eum creditur qui justificat impium (*Rom.* IV, 5), qui etiam dixit, *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6); nemo peccatum operatur, sed confitetur. Deviat ergo, cum peccat; et ideo peccatum viæ non tribuitur, quod a deviante committitur: sed in via fidei pro non peccantibus habentur, quibus peccata non imputantur. De quibus apostolus Paulus justitiam fidei commendans, in psalmo scriptum esse monstravit, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata: beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum* (*Rom.* IV, 7; *et Psal.* XXXI, 1 *et* 2). Hoc præstant viæ Domini; ac per hoc, quoniam justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17), ab ista via Domini illa alienat iniquitas, quæ est infidelitas. In hac autem via, id est, in fide pia, quisquis ambulat, aut peccatum non operatur, aut si quid a deviante committitur, propter viam non imputatur, et tanquam non fuerit operatus accipitur. Et ideo bene etiam sic intelligitur, *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt*; ut hanc iniquitatem significaverit, quæ recedit a fide, aut non accedit ad fidem. Quemadmodum enim ait Dominus de Judæis, *Si non venissem, peccatum non haberent* (*Joan.* XV, 22); nec utique sine ullo peccato erant, antequam Christus veniret in carne, et ex quo venit, cœperunt habere peccatum; sed peccatum quoddam certum, id est, infidelitatis, intelligi voluit, quoniam non crediderunt in eum: ita qui operantur iniquitatem, non quamlibet, sed hanc ipsam infidelitatis, non in viis ejus ambulaverunt, quia *universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10); utrumque autem in Christo est, et præter Christum nusquam est. *Dico enim Christum*, ait Apostolus, *ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum; Gentes autem super misericordiam glorificare Deum* (*Rom.* XV, 8 *et* 9). In hoc igitur *misericordia*, quia nos redemit; in hoc *veritas*, quia id quod promisit implevit, et impleturus est quod promittit. *Qui ergo operantur iniquitatem*, id est infidelitatem, *non in viis ejus ambulaverunt*; quia in Christum non crediderunt. Ergo convertantur, et in eum qui justificat impium, pie credant, atque in illo misericordiam peccatis dimissis, et veritatem completis promissis, hoc est, universas vias Domini

[1] Tres Mss., *operatur*.

[1] Sic Mss. Edd. vero, *molibus*.

inveniant: in quibus ambulantes non operabuntur iniquitatem; quia non tenebunt infidelitatem, sed fidem, quæ per dilectionem operatur (*Galat.* v, 6), et cui peccatum non imputatur.

SERMO IV.

1. [*vers.* 4.] Quis est, charissimi, qui Domino dicit, « Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. Tunc non confundar, dum inspicio in omnia mandata tua? » Quis est qui hoc dicit, nisi unumquodque membrum Christi, vel potius universum corpus Christi? Et quid est, *Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis?* utrum, *nimis præcepisti;* an, *nimis custodiri?* Quodlibet horum intelligamus, contra illam memorabilem nobilemque sententiam hoc dictum videtur, quam Græci laudant in sapientibus suis, et Latini laudando consentiunt: « Ne quid nimis » (*Terent. Andr. Act.* I, *sc.* 1). Si enim hoc verum est, ut ne quid nimis fiat; quomodo verum est quod hic dicitur, *Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis?* quando Deus aliquid vel nimis præciperet, vel nimis custodiri vellet, si omne nimium reprehensione dignum esset? Diceremus ergo nos nulla græcorum sapientium auctoritate teneri[1], intuentes quod scriptum est, *Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi* (I *Cor.* I, 20)? et potius istam sententiam falsam esse crederemus, qua dictum est, « Ne quid nimis », quam divinum eloquium, ubi legimus atque cantamus, *Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis;* nisi nos non græca elatio, sed vera ratio revocaret. Nimis quippe dicitur, quidquid plus fuerit quam oportet. Nam parum et nimium duo sunt inter se contraria. Parum est quod minus est quam oportet; et nimium, plus quam oportet. Horum in medio modus est, quod dicitur, Sat est. Cum itaque utile sit in vita et moribus, ut amplius quam oportet nihil omnino faciamus; profecto veram esse sententiam, « Ne quid nimis, » fateri potius quam negare debemus. Sed aliquando latina lingua hoc verbo sic abutitur, ut nimis pro eo quod est valde, et positum inveniamus in Litteris sacris, et ponamus in sermonibus nostris. Nam et hic, *Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis,* nonnisi Valde intelligimus, si recte intelligimus: et, Nimis te diligo, si alicui charissimo dicimus, non utique plus quam oportet, sed valde nos diligere intelligi volumus. Denique illa græca sententia non habet hoc verbum, quod hic legitur: ibi enim est ἄγαν, quod est nimis; hic est autem σφόδρα, quod est Valde. Sed aliquando, ut diximus, Nimis pro eo quod est Valde et dictum invenimus, et dicimus: unde nonnulli etiam latini codices non habent, *Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis:* sed, *valde.* Valde itaque præcepit hoc Deus, et valde oportet Dei custodiri mandata.

2. [*vers.* 5.] Sed humilis pietas vel pia humilitas, et fides non immemor gratiæ, quid adjungat attendite: *Utinam,* inquit, *dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.* Præcepisti quidem tu, sed utinam quod præcepisti fiat mihi. Ubi audis *Utinam,* vocem optantis agnosce; at agnita voce optantis, depone superbiam præsumentis. Quis enim se dicat optare quod sic habet in arbitrii potestate, ut nullo indigens adjumento id possit efficere? Ergo si optat homo quod præcipit Deus; ut det ipse quod præcipit, rogandus est Deus. A quo enim optandum est, nisi ab illo, a quo *Patre luminum omne datum optimum et omne donum perfectum,* sancta Scriptura teste, *descendit* (*Jacobi* I, 17)? Propter eos autem qui putant hoc solo nos ad faciendam justitiam divinitus adjuvari, quod Dei præcepta nobis in notitiam proferuntur, ut ea cognita, jam sine ulla Dei gratia, solis nostræ voluntatis viribus impleantur; non optat hic dirigi vias suas ad custodiendas justificationes Dei, nisi jam ejus acceptis ipso præcipiente mandatis. Ad hoc enim pertinet quod præmisit, *Tu præcepisti mandata tua custodiri nimis.* Tanquam diceret: Jam legem accepi, jam novi; tu enim præcepisti mandata tua custodiri nimis: et mandata tua sancta, et justa, et bona; sed peccatum per bonum mihi operatur mortem (*Rom.* VII, 12, 13), nisi adjuvet tua gratia. *Utinam* ergo *dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.*

3. [*vers.* 6.] *Tunc non confundar, dum inspicio in omnia mandata tua.* Mandata Dei sive cum leguntur, sive cum memoria recoluntur, tanquam speculum intuendum est, secundum Apostolum Jacobum dicentem, « Si quis est auditor verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo; consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit: qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit » (*Jacobi* I, 23-25). Talem se iste vult esse, ut inspiciat tanquam in speculo mandata Dei, et non confundatur; quia non *auditor* eorum tantum vult esse, sed *factor.* Propterea optat dirigi vias suas ad custodiendas justificationes Dei. Unde dirigi, nisi gratia Dei? Alioquin legem Dei habebit, non ubi gratuletur, sed ubi confundatur, si voluerit mandata inspicere, quæ non facit.

4. [*vers.* 7.] *Confitebor,* inquit, *tibi, Domine, in directione cordis, in eo quod didicerim judicia justitiæ tuæ.* Non est peccatorum confessio ista, sed laudis: sicut ait etiam ipse in quo peccatum nullum erat, *Confitebor tibi, Pater, Domine cœli et terræ* (*Matth.* XI, 25); et sicut scriptum est in libro Ecclesiastico, *Hæc dicetis in confessione, Opera Domini universa quoniam bona valde* (*Eccli* XXXIX, 20 *et* 21). *Confitebor,* inquit, *tibi in directione cordis.* Utique si dirigantur viæ meæ, confitebor tibi, quoniam tu fecisti, et tua laus est ista, non mea. Tunc enim *confitebor in eo quod didicerim judicia justitiæ tuæ,* si directum cor habebo, directis videlicet viis meis ad custodiendas justificationes tuas. Nam quid mihi proderit quod ea didicerim, si corde perverso vias abibo[1] pravas? non enim lætabor in eis, sed accusabor ab eis.

[1] Am. et Mss., *terreri.*

[1] Plerique Mss., *habebo.*

5. [*vers.* 8.] Deinde adjungit : *Justificationes tuas custodiam*. Quæ omnia ex illo utique connectuntur, quod ait : « Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas : tunc non confundar, dum inspicio in omnia mandata tua ; » et « confitebor tibi in directione cordis, » et « justificationes tuas custodiam. » Sed quid est quod sequitur? *Ne derelinquas me usque valde;* vel, sicut nonnulli codices habent, *usque nimis*, pro eo quod est *valde :* nam hoc verbum græcum est et hic id est, σφόδρα : quasi relinqui se a Domino velit, sed non *usque valde*. Absit. Sed quia reliquerat Deus mundum merito peccatorum ; *usque valde* illum reliquisset, si ei nec tanta medicina profuisset, hoc est gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum : nunc vero secundum istam orationem corporis Christi, non eum reliquit *usque valde;* quia *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* v, 19). Potest hoc etiam sic intelligi, ut ejus ista sit vox, qui cum dixisset in abundantia sua, *Non movebor in æternum*, velut sua virtute confidens ; ut ostenderet ei Deus quod non merito ejus, sed in voluntate sua præstiterat decori ejus virtutem, avertit ab eo faciem suam, et factus est conturbatus (*Psal.* xxix, 7, 8). Inveniens ergo se, nec jam præsumens de se, clamat, *Ne derelinquas me usque valde*. Si enim dereliquisti, ut sine adjutorio tuo infirmus appaream, noli *usque valde*, ne peream. *Tu* ergo *præcepisti mandata tua custodiri nimis :* jam de ignorantia me excusare non possum; sed quoniam infirmus sum, « utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. Tunc non confundar, dum inspicio in omnia mandata tua ; » tunc « confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didicerim judicia justitiæ tuæ ; » tunc « justificationes tuas custodiam : » et si dereliquisti me, ne gloriarer in me, noli usque valde, et justificatus abs te gloriabor in te.

SERMO V.

1. [*vers.* 9.] Hos versus, charissimi, isto consideremus in psalmo, et sicut Dominus donat, ejus sacras Litteras perscrutemur : *In quo corrigit junior viam suam? In custodiendo verba tua*. Interrogat se, et respondet sibi. *In quo corrigit junior viam suam?* hucusque interrogatio est : deinde responsio, *In custodiendo verba tua*. Sed hoc loco custoditio verborum Dei, intelligenda est operatio præceptorum : frustra enim custodiuntur memoria, si non custodiantur et vita. Nam quidam verba Dei tenendo agunt ne obliviscantur, nec agunt vivendo ut corrigantur : non autem ait iste, In quo exercet junior memoriam suam? sed, *In quo corrigit viam suam?* atque ad hoc respondet, *In custodiendo verba tua*. Neque ullo modo dicenda est via correcta, quamdiu est vita perversa.

2. Sed quid sibi vult iste junior? Potuit enim dicere : In quo corrigit homo viam suam? aut, In quo corrigit vir viam suam? quod plerumque in Scripturis ita ponitur, ut a sexu honoratiore homo intelligatur, modo locutionis quo significatur a parte totum. Neque enim et femina non beata quæ non abiit in consilio impiorum : ubi tamen dictum est, *Beatus vir* (*Psal.* i, 1). Hic vero nec Homo ait, nec Vir, sed *junior*. Numquid desperandus est senior? aut in alio corrigit etiam senior viam suam, quam in custodiendo verba Dei? An forte admonitio est, qua ætate potissimum fieri debeat ; secundum illud quod alibi scriptum est : *Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam* (*Eccli.* vi, 18)? Est et alius intellectus, ut ille hic agnoscatur filius evangelicus junior, qui profectus a patre in regionem longinquam, effudit substantiam suam vivens cum meretricibus prodige ; et posteaquam porcos pavit, egestatem famemque perpessus, reversus est ad semetipsum, et dixit, *Surgam, et ibo ad patrem meum*. In quo enim correxit viam suam, nisi in custodiendo verba Dei, quæ tanquam panem paternum esuriens concupivit? Neque enim corrigeret viam suam frater ejus senior, qui patri suo dixit, *Ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum præterii*. Junior ergo ille correxit viam suam, quam se ita depravasse perversamque habuisse confessus est, ut patri diceret, *Jam non sum dignus vocari filius tuus* (*Luc.* xv, 12-21). Tertius quoque intellectus mihi occurrit, quem quidem ego, quantum pro modulo meo sapio, duobus superioribus antepono : ut senior agnoscatur, vetus homo : et novus, junior : senior, qui portat imaginem terreni hominis ; junior, qui cœlestis : quia *non prius quod spirituale est, sed quod animale ; postea spirituale* (I *Cor.* xv, 49, 46). Sit ergo licet quilibet, quantum ad ætatem pertinet corporis, annosa vetustate decrepitus, junior erit ad Deum percepta gratiæ novitate conversus ; et in hoc corrigit viam suam, in custodiendo verba ejus: hoc est verbum fidei quod prædicamus (*Rom.* x, 8), et ipsa est fides quæ per dilectionem operatur (*Galat.* v, 6).

3. [*vers.* 10.] Sed iste junior populus, gratiæ filius, homo novus, cantator novi cantici, hæres testamenti novi, iste junior non Cain, sed Abel ; non Ismael, sed Isaac ; non Esau, sed Israel ; non Manasses, sed Ephræm ; non Heli, sed Samuel ; non Saul, sed David ; quid adjungat attendite : *In toto*, inquit, *corde meo exquisivi te; ne repellas me a mandatis tuis*. Ecce orat, ut adjuvetur ad custodienda verba Dei, in quo dixerat viam suam corrigere juniorem. Nam utique hoc est, *Ne repellas me a mandatis tuis :* quid est enim a Deo repelli, nisi non adjuvari? Mandatis quippe ejus rectis atque arduis humana non contemperatur infirmitas, nisi præveniens ejus adjuvet charitas. Quos autem non adjuvat, hos merito perhibetur repellere, tanquam flammea framea prohibeantur indigni, ne manum extendant ad arborem vitæ (*Gen.* iii, 24). Quis est autem dignus, ex quo per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt (*Rom.* v, 12)? Sed indebita Dei misericordia sanatur debita nostra miseria. Nam iste qui loquitur et dicit, *In toto corde meo exquisivi te ;* et hoc unde posset, nisi eum aversum ad se ipse converteret, cui dicitur, *Deus, tu convertens vivificabis*

nos (*Psal.* LXXXIV, 7), et ille perditum quæreret, et errantem ille revocaret, qui dicit, *Quod perierat requiram, et quod erraverat revocabo* (*Ezech.* XXXIV, 16)?

4. [*vers.* 11, 12.] Inde est quod et corrigit viam suam in custodiendo verba Dei, illo regente, illo faciente: neque enim per se ipse posset, cum Jeremias propheta fateatur et dicat, *Scio, Domine, quoniam non est hominis via ejus, neque vir ibit et corriget viam suam* (*Jerem.* X, 23). A Domino quippe hoc etiam iste superius optavit, ubi ait, *Utinam dirigantur viæ meæ*: et hic ubi addidit, *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*; continuo divinum quæsivit auxilium, ne in corde ejus Dei eloquia sine fructu absconderentur, nisi opera justitiæ sequerentur. Cum enim hoc dixisset, adjunxit, *Benedictus es, Domine; doce me justificationes tuas*. *Doce* dixit, quomodo eas discunt qui faciunt; non quomodo hi qui ut habeant quod loquantur, tantummodo meminerunt. Nam utique jam dixerat, *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*: Quid ergo adhuc ea quærit discere, quæ abscondita jam custodit in corde? quod utique non fecisset, nisi ea didicisset. Utquid ergo addit et dicit, *Doce me justificationes tuas*, nisi quia eas vult faciendo discere, non loquendo vel memoria retinendo? Quoniam ergo, sicut in alio psalmo legitur, *Benedictionem dabit qui legem dedit* (*Psal.* LXXXIII, 8); ideo, *Benedictus es, Domine; doce me*, inquit, *justificationes tuas*. Quia enim in corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi, legem dedisti; da etiam benedictionem gratiæ, ut faciendo discam quod intimando jussisti. Hæc satis sint, ut vestræ mentes sine fastidio nutriantur: alium sermonem desiderant quæ sequuntur.

SERMO VI.

1. [*vers.* 13.] Initium sermonis hujus est nobis in psalmo de quo disputamus, hic versus: *In labiis meis enuntiavi omnia judicia oris tui*. Quid est hoc, dilectissimi? quid est hoc? Quis omnia judicia Dei enuntiare possit, cum investigare non possit? An vero cum Apostolo exclamare dubitamus, « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus » (*Rom.* XI, 33)! Dominus dicit, « Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: » et quamvis continuo promiserit eis omnem veritatem per Spiritum sanctum (*Joan.* XVI, 12, 13); clamat tamen beatus Paulus, *Ex parte scimus*; ut intelligamus Spiritu quidem sancto, unde pignus accepimus, perduci nos ad omnem veritatem; sed cum in aliam vitam, post hujus vitæ speculum et ænigma, venerimus, et facie ad faciem viderimus [1] (*I Cor.* XIII, 9, 12). Quomodo ergo iste dicit, *In labiis meis enuntiavi omnia judicia oris tui?* Et ille hoc dicit, qui paulo ante superiore versu proximo dixerat, *Doce me justificationes tuas*. Quo pacto igitur enuntiavit omnia judicia oris ejus, qui vult adhuc discere justificationes ejus? An judicia quidem cuncta jam noverat, justificationes autem adhuc discere cupiebat? Hoc vero est mirabilius, si jam sciebat inscrutabilia Dei, et ea quæ hominibus præcepit facienda nesciebat. Justificationes enim sunt, non dicta, sed facta justitiæ, opera scilicet justorum, quæ imperat Deus. Ideo autem Dei dicuntur, quamvis a nobis fiant, quia nisi ipso donante non fiunt. Judicia porro Dei sunt, quibus ab eo mundus et nunc et in fine sæculi judicatur. Sed cum eloquiis Dei omnia contineantur, et justificationes videlicet et judicia; cur quærit adhuc justificationes discere, qui eloquia Dei se abscondisse in corde dicit? Ait enim, *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi*: tum secutus adjunxit, *Benedictus es, Domine; doce me justificationes tuas*; ac deinde, *In labiis meis*, inquit, *enuntiavi omnia judicia oris tui*. Videntur quidem duo ista inter se non esse contraria, imo esse potius amica atque conjuncta, ut quoniam in corde suo abscondit eloquia Dei, in labiis suis judicia ejus enuntiet; *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 10): sed quod inter hæc duo medium posuit, *Benedictus es, Domine; doce me justificationes tuas*, quomodo conveniat homini cujus in corde jam sunt eloquia Dei, et qui labiis suis enuntiavit omnia judicia Dei, ut adhuc velit discere justificationes Dei, non invenitur, nisi ut eas discere velle intelligatur faciendo, non memoria retinendo et loquendo; et id a Domino demonstravit debere nos petere, sine quo nihil possumus facere. Sed hoc ante istum alio jam sermone tractavimus: nunc vero quomodo se dixerit omnia judicia oris Dei in labiis suis enuntiasse, cum dicta sint inscrutabilia, et de quorum profunditate alibi scriptum est, *Judicia tua abyssus multa* (*Psal.* XXXV, 7); quantum Deus donat, tractare suscepimus.

2. Quid ergo hic intelligamus, attendite. Numquid judicia Dei nescit Ecclesia? Scit plane. Nam scit utique qualibus dicturus sit judex vivorum et mortuorum, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum*; et qualibus dicturus sit, *Ite in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 34, 41). Scit, inquam, neque fornicatores, neque idolis servientes, neque illos atque illos, quos ibi apostolus Paulus enumerat, regnum Dei possessuros (*I Cor.* VI, 9, 10): scit iram et indignationem, tribulationem et angustias in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci; gloriam vero, et honorem, et pacem omni operanti bonum, Judæo primum et Græco (*Rom.* II, 9 *et* 10). Hæc atque hujusmodi judicia Dei evidenter expressa novit Ecclesia: sed non ipsa sunt omnia; cum sint quædam inscrutabilia, et sicut abyssus multa, profunda et occulta. An et ipsa nota sunt quibusdam excellentioribus membris hominis hujus, qui cum suo capite Salvatore totus est Christus? Inscrutabilia enim fortasse dicta sunt homini, quia viribus suis ea non potest perscrutari. Sed cur non possit dono Spiritus sancti, cuicumque hoc Dominus conferre dignatur? Sic enim illud dictum est, *Deus habitat lucem inaccessibilem* (*I Tim.* VI, 16); et audimus tamen, *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 5). Quæ utique ita sol-

[1] Am et Mss., *sed cum in alia vita, post hujus vitæ speculum et ænigma facie ad faciem venerimus*: nisi quod loco, *ænigma*, quidam habent, *ænigmata*.

vitur quæstio, ut inaccessibilis sit viribus nostris, accedatur autem ad eum muneribus suis. Quanquam etsi nemini omnino sanctorum, quamdiu corpus quod corrumpitur aggravat animam (*Sap.* IX, 15), omnia judicia Dei scire conceditur, quia revera multum est ad hominem, cum profecto (ut aliquid exempli gratia dicam, unde judiciorum Dei conjiciatur immensitas) nemo sine judicio Dei sit tardus in animo, vel claudus in corpore : habet tamen unde dicat Ecclesia, hoc est populus acquisitionis, et veraciter dicat, *In labiis meis enuntiavi omnia judicia oris tui;* id est, nihil judiciorum tuorum tacui, quæ mihi per eloquia tua innotescere voluisti, sed omnia prorsus in labiis meis enuntiavi. Hoc enim mihi videtur significare voluisse, quod non ait, omnia judicia tua; sed, *omnia judicia oris tui*, id est, quæ mihi dixisti : ut per os ejus eloquium ejus intelligamus, quod fecit ad nos in revelationibus sanctorum pluribus, et Testamentis duobus; quæ omnia judicia usquequaque in labiis suis enuntiare non cessat Ecclesia.

3. [*vers.* 14.] Deinde subjungit et dicit, *In via testimoniorum tuorum jucundatus sum, quasi in omnibus divitiis.* Viam testimoniorum Dei nihil citius, nihil certius, nihil brevius, nihilque grandius intelligimus esse quam Christum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss.* II, 3). Inde et iste ait se jucundatum vel delectatum in hac via, *quasi in omnibus divitiis*. Testimonia quippe Dei sunt, quibus quantum nos diligat, nobis probare dignatur. Commendat autem suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est (*Rom.* v, 8, 9). Cum ergo ipse dicat, *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6), et humilitas ejus carnalis nativitatis atque passionis, evidentia sint testimonia divinæ erga nos dilectionis; procul dubio via testimoniorum Dei Christus est. Per hæc quippe testimonia quæ in illo videmus impleta, etiam futura erga nos, quæ sempiterna promissa sunt, exspectamus et speramus implenda. Qui enim proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non et cum illo omnia nobis donavit (*Rom.* VIII, 32)?

4. [*vers.* 15, 16.] Sequitur : *In mandatis tuis garriam et considerabo vias tuas.* Quod græcus habet ἀδολεσχήσω, latini interpretes quidam *garriam*, quidam *exercebor*, interpretati sunt; quæ duo inter se videntur esse diversa : sed si exercitatio intelligatur ingenii, cum quadam delectatione disputationis, utrumque conjungitur, et quasi ex utroque unum aliquid temperatur, ut non sit aliena ab hujusmodi exercitatione garrulitas. Solent enim garruli vocari loquaces. Sic autem [1] se in Dei mandatis exercet Ecclesia, adversus omnes inimicos fidei christianæ atque catholicæ copiosis doctorum disputationibus garrula : quæ tunc fructuosæ sunt disputantibus, si non ibi considerentur nisi *viæ Domini* [2], sicut scriptum est, *misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10); quorum duorum plenitudo invenitur in Christo. Per hanc suavem exercitationem fit etiam quod adjungit : *In justificationibus tuis meditabor, non obliviscar verborum tuorum.* Ideo utique *meditabor*, ut *non obliviscar*. Unde beatus ille in primo psalmo, in lege Domini meditabitur die ac nocte (*Psal.* I, 2).

5. In his omnibus quæ, ut potuimus, disputavimus, meminerimus, charissimi, eum qui abscondit in corde suo eloquia Domini, et enuntiat in labiis suis omnia judicia oris ejus, et in via testimoniorum ejus delectatur sicut in omnibus divitiis, et garriens vel sese exercens in mandatis ejus, considerat vias ejus, et meditatur in justificationibus ejus, ne obliviscatur verborum ejus, per quæ omnia utique lege Dei atque doctrina instructus apparet; orare tamen et dicere, *Benedictus es, Domine; doce me justificationes tuas.* Ubi nihil aliud intelligitur poscere, nisi adjutorium gratiæ, ut quod jam novit sermone, discat et opere

SERMO VII.

1. [*vers.* 17.] Si hujus psalmi superiora meministis, charissimi, adjuvare nos debent ad intelligenda sequentia. Etenim quæ tanquam ex unius hominis persona loquuntur, membra sunt Christi, et ad unum caput tanquam unum pertinent [1] corpus. Nempe superius dixerat : *In quo corrigit junior viam suam? In custodiendo verba tua.* Ecce nunc apertius, ut id faciat, poscit auxilium : *Retribue*, inquit, *servo tuo; vivam, et custodibo* [2] *verba tua.* Si bona pro bonis sibi retribui postulavit, jam custodierat verba Dei. Non autem dixit, Retribue servo tuo, quia custodivi verba tua; tanquam mercedem bonam pro bono obedientiæ flagitaret : sed dixit, *Retribue servo tuo; vivam, et custodibo verba tua.* Quod quid est aliud, quam dicere mortuos ea custodire non posse? infideles videlicet, de quibus dicitur, *Sine mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* VIII, 22). Quapropter si mortuos intelligimus infideles, vivos autem fideles; quoniam justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17), nec possunt custodiri verba Dei nisi fide, quæ per dilectionem operatur (*Gal.* v, 6): hanc sibi poscit qui dicit, *Retribue servo tuo; vivam, et custodibo verba tua.* Et quoniam ante fidem non homini debentur nisi mala pro malis, retribuit autem Deus per indebitam gratiam bona pro malis; hanc retributionem rogat qui dicit, *Retribue servo tuo; vivam, et custodibo verba tua.* Quatuor sunt enim retributiones : aut mala pro malis retribuuntur, sicut Deus ignem æternum retributurus est impiis; aut bona pro bonis sicut regnum æternum retributurus est justis; aut bona pro malis, sicut Christus per gratiam justificat impium; aut mala pro bonis, sicut Judas et Judæi per malitiam persecuti sunt Christum [3]. Harum quatuor retributionum duæ priores pertinent ad justitiam, ut retribuantur mala pro malis, bona pro bonis : tertia pertinet ad misericordiam, ut retri-

[1] Ita Am. et Mss. At Er. et Lov., *si autem* : et infra, *est garrula*.
[2] Hic in Edd. additur: *Universæ autem viæ Domini* : quod a præcipuis Mss. abest.

[1] Sic Er. Lugd. Ven. et Lov. In. B., *pertinens*. M.
[2] Ita constanter antiquiores Mss. At Edd., *custodiam*.
[3] Mss., *sicut Judæus per malitiam persecutus est Christum*.

buantur bona pro malis. quartam Deus nescit; nulli enim malum pro bono retribuit. Hæc autem quam tertio loco posui, primitus necessaria est: nisi enim Deus retribueret bona pro malis, nullo modo essent quibus retribueret bona pro bonis.

2. Vide illum Saulum, postea Paulum: « Non ex operibus, » inquit, « justitiæ quæ nos fecimus, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis » (*Tim.* III, 5). Et iterum: « Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate » (I *Tim.* I, 13). Et iterum: « Consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut fidelis essem (I *Cor.* VII, 25): hoc est, ut viverem; quia justus ex fide vivit. Mortuus ergo erat prius per suam injustitiam, antequam viveret per Dei gratiam. Ipsam porro suam mortem sic confitetur: « Adveniente autem, » inquit, « mandato, peccatum revixit, ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum quod erat in vitam, hoc esse in mortem » (*Rom.* VII, 9 *et* 10). Retribuit ergo illi Deus bonum pro malo, hoc est, vitam pro morte; talem scilicet retributionem, qualis hic poscitur, ubi dicitur, *Retribue servo tuo; vivam, et custodibo verba tua.* Et vixit, et custodivit verba ejus, et pertinere cœpit ad aliam retributionem, in qua retribuuntur bona pro bonis: propter quam dicit, « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex » (II *Tim.* IV, 7 *et* 8). Utique *justus*, retribuendo bona pro bonis; quia prius misericors, retribuendo bona pro malis. Quamvis et ipsa justitia, qua retribuuntur bona pro bonis, non est sine misericordia; quia et hoc scriptum est, *Qui coronat te in miseratione et misericordia* (*Psal.* CII, 4). Qui enim dixit, *Bonum certamen certavi*, quando vinceret, nisi illo donante de quo ait, *Gratias Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum* (I *Cor.* XV, 57)? Et qui cursum consummavit, quando curreret, quando perveniret, nisi illo adjuvante de quo ait, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX, 16)? Et qui fidem servavit, quando id faceret, nisi, ut ipse ait, misericordiam consecutus ut fidelis esset?

3. Nusquam ergo se extollat humana superbia: donis suis Deus retribuit bona præmia. Sed iste qui jam orat et dicit, *Retribue servo tuo, vivam;* si penitus esset mortuus, non oraret: sed ab illo accepit initium bonæ concupiscentiæ, a quo vitam poscit obedientiæ. Habebant enim aliquam fidem, qui dicebant: *Domine, auge nobis fidem* (*Luc.* XVII, 5). Ille vero et incredulitatem suam confitebatur, nec fidem diffitebatur, qui cum esset interrogatus utrum crederet, ait: *Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* IX, 23). Jam utique vivere incipiens postulat vitam, qui credens orat obedientiam: non pro ea servata præmium [1]; sed ut servetur, auxilium. Vita quippe crescente vivescit per omnem diem, qui renovatur de die in diem (II *Cor.* IV, 16).

4. [*vers.* 18.] Sciens autem verba Dei non posse custodiri per obedientiam, nisi videantur per intelligentiam, hoc quoque orationi addit et dicit: *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua.* Ad hoc etiam illud pertinet, quod adjungit, *Inquilinus ego sum in terra*: sive, ut nonnulli codices habent, *Incola ego sum in terra; ne abscondas a me mandata tua.* Quod enim ait superius, *Revela oculos meos;* hoc postea dixit, *ne abscondas a me:* et quod ibi dixerat, *mirabilia de lege tua;* hoc alio modo repetens ait, *mandata tua.* Nihil est autem mirabilius in mandatis Dei, quam, *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* V, 44); hoc est, retribuite bona pro malis. Sed de isto inquilinatu vel incolatu non est sermo coarctandus; et ideo non iste de hac re, sed alius exspectandus, et Domino adjuvante reddendus est.

[1] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *non ut pro ea servetur præmium.*

SERMO VIII.

1. [*vers.* 19.] Exspectationi Charitatis vestræ de sequentibus hujus maximi psalmi sermo reddendus est, ab illo versu scilicet, ubi ait, *Incola ego sum in terra; non abscondas a me mandata tua:* sive, ut nonnulli codices habent, *Inquilinus ego sum in terra.* Quod enim est in græco πάροικος, aliqui nostri *inquilinus*, aliqui *incola*, nonnunquam etiam *advena* interpretati sunt. Inquilini non habentes propriam domum, habitant in aliena; incolæ autem vel advenæ, utique adventitii perhibentur. Ubi magna de anima exoritur quæstio. Neque enim secundum corpus dictum videri potest, *Incola*, vel *advena*, vel *inquilinus sum in terra;* cum de terra corpus originem ducat. Sed in hac profundissima quæstione nihil audeo definire. Sive enim propter animam (quæ absit ut putetur ex terra) merito dici potuerit, *Inquilinus*, vel *incola*, vel *advena ego sum in terra;* sive secundum totum hominem, quia paradisi aliquando civis fuit, ubi utique non erat qui ista dicebat; sive quod est ab omni controversia liberius, non omnis homo possit hoc dicere, sed cui patria promissa est æterna in cœlis: hoc scio, quia tentatio est vita humana super terram (*Job* VII, 1); et jugum grave est super filios Adam (*Eccli.* XL, 1). Verum me plus delectat secundum istam disputare sententiam, ut ideo nos in terra inquilinos vel incolas esse dicamus, quia supernam patriam, unde pignus accepimus, et quo pervenientes nunquam inde migremus, invenimus. Nam et ille qui in alio psalmo dicit, *Inquilinus ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei* (*Psal.* XXXVIII, 13); non ait, Sicut omnes homines; sed dicendo, *sicut omnes patres mei*, justos procul dubio vult intelligi, qui eum tempore præcesserunt, et in hac peregrinatione gemitu pio supernæ patriæ suspirarunt. De quibus scriptum est ad Hebræos: « Secundum fidem mortui sunt hi omnes, cum non accepissent promissiones, sed longe eas videntes et salutantes, et confitentes quia hospites et peregrini sunt super terram. Qui enim talia dicunt, ostendunt quia patriam quærunt. Et si quidem ejus memores essent a qua

discesserant, habuissent tempus revertendi; nunc autem meliorem appetunt, id est cœlestem: ideo non confunditur de his Deus vocari Deus eorum; præparavit enim eis civitatem » (*Hebr.* xi, 13-16). Et illud quod legimus, *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino;* potest intelligi hoc non esse omnium, sed fidelium: *Non enim omnium est fides* (II *Thess.* iii, 2). Et videmus quid his verbis Apostolus jungat. Cum enim dixisset, *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino: Per fidem enim ambulamus*, inquit, *non per speciem* (II *Cor.* v, 6, 7); ut intelligeremus eorum esse istam peregrinationem, qui ambulant per fidem. Infideles autem, quos Deus non præscivit nec prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui (*Rom.* viii, 29), non possunt veraciter dicere se in terra peregrinos, quando ibi sunt, ubi secundum carnem nati sunt: non enim habent alibi civitatem; ac per hoc non sunt in terra alienigenæ, sed terrigenæ. Unde ait alia Scriptura de quodam: *Posuit enim apud mortem domum suam, et apud inferos cum terrigenis axes suos* (*Isai.* xxviii, 15). Sunt autem et ipsi peregrini et inquilini, non huic terræ, sed populo Dei, a quo sunt alienigenæ. Unde credentibus, et sanctam civitatem, quæ non est de hoc mundo, habere incipientibus Apostolus dicit: *Igitur jam non estis peregrini et inquilini; sed estis cives sanctorum et domestici Dei* (*Ephes.* ii, 19). Ipsi ergo sunt cives terreni, qui sunt Dei populo peregrini: qui vero cives sunt in populo Dei, ipsi sunt in terra peregrini; quia totus idem populus, quamdiu est in corpore, peregrinatur a Domino. Dicat itaque, *Incola ego sum in terra; ne abscondas a me mandata tua.*

2. Sed qui tandem sunt a quibus Deus abscondit mandata sua? Nonne illa ubique Deus voluit prædicari? Utinam quam multis clara sunt, tam multis chara sint. Nam quid est clarius, quam, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua*; et, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum? In* quibus *duobus mandatis tota lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* xxii, 37 40). Et quis est quem lateant ista mandata? Nempe et omnibus fidelibus, et plurimis infidelibus nota sunt. Cur ergo poscit fidelis ne abscondatur sibi quod nec infideli cernit abscondi? An quia Deum nosse difficile est, consequens est utique ut, *Diliges Dominum Deum tuum*, difficile intelligatur, ne aliud pro alio diligatur? Nam proximi facilior esse videtur cognitio. Omnis quippe homo est omni homini proximus, nec ulla cogitanda est longinquitas generis, ubi est natura communis. Quanquam nec proximum noverat qui Domino ait: *Et quis est mihi proximus?* Quando illi est propositus homo quidam, qui descendens ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones: cui proximum non fuisse, nisi qui cum illo fecit misericordiam, ipse qui interrogaverat judicavit (*Luc.* x, 29-37); patuitque in facienda misericordia neminem alienum esse deputandum ab eo qui diligit proximum. Sed multi nec seipsos noverunt; quia et seipsum nosse, quemadmodum homo sibi debet innotescere, non omnium hominum est. Quomodo ergo diligit proximum tanquam seipsum, qui nescit et seipsum? Non enim frustra ille filius junior, qui profectus in regionem longinquam, ubi dissipavit substantiam suam vivens prodige, ut diceret, *Surgam, et ibo ad patrem meum*, prius reversus est in semetipsum (*Luc.* xv, 13-18), nisi quia tam longe peregrinatus est, ut relinqueret etiam semetipsum. Nec tamen reverteretur ad se, si omni modo nesciret se; nec diceret, *Surgam, et ibo ad patrem meum*, si penitus ignoraret Deum. Quocirca et aliquatenus ista sciuntur, et ut magis magisque sciantur, non immerito scienda poscuntur. Quapropter ut sciamus diligere Deum, sciendus est Deus; et ut sciat homo diligere proximum tanquam seipsum, prius debet diligendo Deum diligere seipsum: quod unde poterit, si nescit Deum, si nescit et seipsum? Recte itaque dicitur Deo, *Incola ego sum in terra; ne abscondas a me mandata tua.* Merito namque absconduntur eis qui non sunt incolæ in terra: hæc enim mandata etsi audiunt, non sapiunt; quia terrena sapiunt. Quorum autem conversatio in cœlis est (*Philipp.* iii, 19, 20), in quantum hic conversantur, profecto peregrinantur. Petant itaque ne abscondantur ab eis mandata Dei, per quæ ab hoc incolatu liberentur, diligendo Deum, cum quo in æternum erunt; et diligendo proximum, ut illic sit[1] ubi et ipsi erunt.

3. [*vers.* 20.] Quid autem diligendo diligitur, si ipsa dilectio non diligitur? Unde consequenter iste incola in terra, cum Dei mandata ne sibi absconderentur orasset, in quibus dilectio præcipitur vel sola vel maxime; et ipsius dilectionis dilectionem se velle habere proclamat, dicens: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Laudabilis est ista concupiscentia, non damnabilis. Non de hac dictum est, *Non concupisces* (*Exod.* xx, 17); sed de illa qua caro concupiscit adversus spiritum (*Galat.* v, 17). De hac autem bona concupiscentia qua concupiscit spiritus adversus carnem, quære ubi scriptum sit; et invenies, *Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum* (*Sap.* vi, 21): et multa alia reperiuntur bonæ concupiscentiæ testimonia. Sed hoc sane interest, quod non tacetur quid concupiscatur, quando bona commemoratur concupiscentia: cum autem non additur quid concupiscatur, sed sola ponitur, nonnisi mala intelligitur. Sicut in hoc quod commemoravi, *Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum;* si non adderet sapientiæ, nullo modo diceret, Concupiscentia perducit ad regnum. At vero Apostolus quod posuit, *Concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces* (*Rom.* vii, 7); non utique addidit cujus rei concupiscentiam, vel quid non concupisces: certum est enim non intelligi, cum ita dicitur, nisi malam concupiscentiam. Quid ergo hujus anima concupivit? *Desiderare*, inquit, *justificationes tuas in omni tempore.* Credo nondum eas desiderabat, quando concupivit desiderare. Justificationes autem facta sunt justa, id est, opera justitiæ. Cum itaque nondum habeat et qui jam desiderat, quam

[1] Mss., *sint.*

longe ab his erat qui adhuc eas desiderare concupiscebat? et quam longius ab eis sunt qui neque hoc adhuc concupiscunt?

4. Mirum est autem quomodo concupiscatur desiderium, nec sit in nobis cujus concupiscentia jam sit in nobis. Neque enim pulchrum aliquod corpus est, sicut aurum, vel caro aliqua speciosa, quam potest homo concupiscere, nec habere, quia extra posita non est in homine. Quis nesciat in homine esse concupiscentiam, in homine esse desiderium? Cur ergo concupiscitur ut habeatur, quasi forinsecus inferatur? Aut quomodo haberi ejus concupiscentia sine ipso potest, cum non sit et ipsum quid aliud quam concupiscentia? Nam et desiderare procul dubio concupiscere est. Quis est iste mirabilis atque inexplicabilis languor? Et tamen est. Nam et ægrotus qui fastidio laborat, et vult evadere hoc malum, concupiscit utique desiderare cibum, dum concupiscit non habere fastidium: sed hoc fastidium morbus est corporis. Concupiscentia vero qua concupiscit desiderare cibum, hoc est carere fastidio, in animo est, non in corpore: et habet eam non gutturis et faucium delectatio, quæ fastidio restringitur [1]; sed recuperandæ ratio sanitatis, qua pellendum escæ fastidium providetur. Et ideo non mirum est si appetit animus ut appetat corpus, quando appetit animus nec appetit corpus. Cum autem utrumque animi est, et utrumque concupiscentia est, cur [2] concupisco desiderium justificationum Dei? Quomodo in uno eodemque animo meo habeo concupiscentiam desiderii hujus, et ipsum non habeo desiderium? aut quomodo ista duo sunt, et non unum? Utquid enim concupisco desiderare justificationes, ac non ipsas justificationes potius quam earum desiderium concupisco? aut quo pacto possum justificationum desiderium concupiscere, et ipsas justificationes non concupiscere; cum ideo earum desiderium concupiscam, quia ipsas habere cupio? Quod si ita est, jam ipsas utique concupisco. Quid igitur opus est ut earum desiderium concupiscam, cum jam id habeam, et habere me sentiam? Non enim possem concupiscere desiderium justitiæ, nisi concupiscendo justitiam. An hoc est quod superius dixi, quod diligenda sit etiam ipsa dilectio qua diligitur quod diligi oportet; sicut odio habenda est dilectio qua diligitur quod diligi non oportet? Odio quippe habemus concupiscentiam nostram qua caro concupiscit adversus spiritum: et quid est ista concupiscentia, nisi mala dilectio? Et diligimus concupiscentiam nostram qua spiritus concupiscit adversus carnem: et quid est ista concupiscentia, nisi bona dilectio? Cum autem dicitur, Diligenda est, quid aliud dicitur quam, concupiscenda est? Quocirca quoniam recte concupiscuntur justificationes Dei, recte concupiscitur concupiscentia justificationum Dei. Hoc enim alio modo sic potest dici: si recte diliguntur justificationes Dei, recte diligitur dilectio justificationum Dei. An aliud est concupiscere, aliud desiderare? Non quod non sit concupiscentia desiderium, sed quia non omnis concupiscentia desiderium est. Concupiscuntur enim et quæ habentur, et quæ non habentur: nam concupiscendo, fruitur homo rebus quas habet; desiderando autem, absentia concupiscit. Desiderium ergo quid est, nisi rerum absentium concupiscentia? Sed Dei justificationes absentes esse quomodo possunt, nisi quando nesciuntur? An et quando sciuntur et non fiunt, absentes habendæ sunt? Nam quid sunt justificationes, nisi opera justa, non verba? Ac per hoc possunt infirmitate animæ non desiderari; et ratione mentis, ubi videtur quam sint utiles atque salubres, potest earum desiderium concupisci. Sæpe enim quid agendum sit videmus, nec agimus; quia non delectat ut agamus, et cupimus ut delectet. Prævolat intellectus; et tarde sequitur, et aliquando non sequitur humanus atque infirmus affectus. Ideo ergo desiderare concupiscebat quæ bona esse cernebat, cupiens eorum habere delectationem quorum potuit videre rationem.

5. Non autem ait, concupiscit; sed, *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas.* Fortasse quippe talis erat iste incola in terra, qui jam pervenerat ad id quod concupiverat, jamque desiderabat eas quarum se desiderium aliquando concupisse commemorat. Si autem jam desiderabat, cur non habebat? Non enim aliquid impedit quominus habeantur justificationes Dei, nisi quia non desiderantur, dum non in eas charitas fervet, quarum charitas lucet. An habebat eas, atque faciebat? Nam paulo post dicit: *Servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.* Sed quibus quasi gradibus ad eas perveniatur, ostendit. Prius est enim ut videatur quam sint utiles et honestæ; deinde, ut earum desiderium concupiscatur; postremo, ut proficiente lumine atque sanitate delectet earum et operatio, quarum sola ratio delectabat. Sed ea quæ sequuntur, quoniam jam iste prolixus est, alio sermone, adjuvante Domino, commodius disserentur.

SERMO IX.

1. [*vers.* 21.] Psalmi hujus quæ tractanda subsequuntur, admonent nos causam nostræ miseriæ recordari. Etenim cum dixisset, *concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore;* sive scilicet in rebus prosperis, sive in adversis, quia et in laboribus et doloribus debet delectare justitia, nec ita est tempore diligenda tranquillo, ut turbulento tempore deseratur, sed amplectenda est in omni tempore: continuo subjecit, *Increpasti superbos; maledicti qui declinant a mandatis tuis.* Superbi enim declinant a mandatis Dei. Aliud est quippe mandata Dei per infirmitatem vel ignorantiam non implere: aliud ab eis per superbiam declinare; sicut fecerunt qui nos mortaliter in hæc mala genuerunt. Delectavit enim eos, *Eritis sicut dii;* ac sic a mandato Dei, quod sibi eum mandasse sciebant, et quod facillime, nulla infirmitate revocante, impediente, tardante, implere poterant,

[1] Aliquot Mss., *restinguitur*.
[2] Edd., *cur non concupisco*. Abest, *non*, a melioribus Mss.

per hanc superbiam declinarunt. Et ecce tota ista dura et infelix ærumna mortalium, quodam modo hæreditaria est increpatio superborum. Quando enim dixit Deus, *Adam, ubi es* (*Gen.* III, 5, 9)? non ubi esset ignorabat, sed superbum increpabat; et ubi tunc esset, id est, ad quam miseriam pervenisset, non scire cupiebat, sed interrogando increpans admonebat. Vide autem quemadmodum, cum dixisset, *Increpasti superbos*, non ait, Maledicti qui declinaverunt a mandatis tuis; ut illud tantum primorum hominum peccatum veniret in mentem: sed ait, *Maledicti qui declinant*. Oportebat enim ut omnes illo terrerentur exemplo a divinis non declinare mandatis, et diligendo justitiam in omni tempore, in hujus mundi etiam labore recipere quod in paradisi amisimus voluptate.

2. [*vers.* 22.] Sed quoniam superbi nec in tanta deponunt increpatione cervicem, et cum sint dejecti laboris mortisque supplicio, extolluntur superbiæ typho, imitantes elationem cadentium, irridentes humilitatem surgentium; pro eis orat corpus Christi, cum dicit: *Aufer a me opprobrium et contemptum, quoniam testimonia tua exquisivi.* Testimonia græce martyria nuncupantur, quo verbo jam utimur pro latino: unde illos qui propter testimonium Christi diversis passionibus humiliati sunt, et usque ad mortem pro veritate certarunt, non testes, quod latine utique possemus, sed græce martyres appellamus. Quoniam hoc ergo familiarius auditis et dulcius, sic accipiamus hæc verba tanquam dictum sit, *Aufer a me opprobrium et contemptum, quoniam* martyria *tua exquisivi.* Christi corpus ista cum dicit, numquid ab impiis et superbis audire opprobrium atque contemptum ullam deputat pœnam, cum potius inde perveniat ad coronam? Cur ergo quasi grave aliquid et intolerabile a se poscit auferri, nisi quia, ut dixi, orat pro ipsis inimicis suis, quibus esse perspicit noxium, objicere sanctum nomen Christi tanquam opprobrium Christianis, et ejus a Judæis irrisam crucem totamque humilitatis christianæ medicinam, qua sola tumor ille sanatur quo inflati cecidimus et jacentes amplius intumuimus, eadem superbia permanente et crescente contemnere? Dicat itaque corpus Christi; jam enim diligere didicit inimicos suos; dicat Domino Deo suo, *Aufer a me opprobrium et contemptum, quia* martyria *tua exquisivi*: id est, opprobrium quod ideo audio, et contemptum quo ideo contemnor, quia martyria tua exquisivi, aufer a me. Inimici enim mei, quos a me præcipis diligi, qui magis magisque moriuntur et pereunt, cum martyria tua contemnunt et criminantur in me, profecto reviviscent et invenientur, si martyria tua venerentur in me. Ita factum est; hoc videmus. Ecce martyrium Christi, et apud homines et in hoc mundo, non solum non est opprobrium, sed magnum est ornamentum: ecce non solum in conspectu Domini, verum etiam in conspectu hominum jam pretiosa est mors sanctorum ejus (*Psal.* CXV, 15); ecce non solum non contemnuntur, verum etiam magnis honoribus præferuntur martyres ejus. Ecce filius ille junior qui pro porcis quos pascebat, id est, pro immundis dæmonibus quos colebat, particulam suam in paucissimis Christianis præcedentem persequebatur; jam nunc in tam multis et magnis populis gentium martyres, quibus ingerebat opprobrium, religiosissime prædicans, et maximis laudibus quos contemnebat exaltans, mortuus erat et revixit, perierat et inventus est (*Luc.* XV, 12-24). Hoc tam magno lucro correctionis, conversionis et redemptionis inimicorum suorum corpus Christi Deo dixit, *Aufer a me opprobrium et contemptum*: et quasi quæreretur de qua re opprobrium, de qua re contemptum; subjungit, *Quoniam* martyria *tua exquisivi.*

3. [*vers.* 23, 24.] Ubi est nunc illud opprobrium? ubi ille contemptus? Abierunt atque transierunt; et quia inventi sunt qui perierant, illa perierunt. Sed quando Ecclesia talia precabatur, illa patiebatur. *Etenim sederunt principes*, inquit, *et adversum me loquebantur.* Inde persecutio gravis erat, quia eam sedentes, hoc est judiciariis sedibus eminentes, principes decernebant. Refer hoc ad ipsum caput; invenies sedisse principes Judæorum, consilium quærentes quomodo Christum perderent (*Matth.* XXVI, 3). Refer hoc ad corpus ejus, id est Ecclesiam; invenies reges terræ excogitasse atque jussisse quomodo Christiani nusquam essent. *Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in tuis justificationibus.* Qualis exercitatio hæc fuerit, qui nosse desideras, quod adjunxit intellige: *Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ.* Recole quod superius commendavi testimonia esse martyria. Recole in justificationibus Domini nullam esse difficiliorem et mirabiliorem, quam ut suos quisque diligat inimicos. Sic ergo exercebatur corpus Christi, ut et martyria ejus meditaretur, et diligeret eos a quibus opprobrantibus et contemnentibus propter ipsa martyria persecutiones patiebatur. Non enim pro se, sicut jam commendavimus, sed pro ipsis potius orabat dicens, *Aufer a me opprobrium et contemptum. Sederunt* ergo *principes, et adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.* Quonam modo? *Nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ.* Consilium contra consilium: consilium sedentium principum fuit inventos martyres perdere; consilium patientium martyrum fuit inimicos perditos invenire. Reddebant illi mala pro bonis; isti, bona pro malis. Quid ergo mirum si illi occidendo defecerunt, isti moriendo vicerunt? Quid, inquam, mirum si martyres sævientibus Gentibus temporalem mortem patientissime pertulerunt, et Gentes martyribus orantibus ad æternam vitam pervenire potuerunt; dum corpus Christi sic exercetur, ut et martyria meditetur, et malis martyrum persecutoribus bona precetur?

SERMO X.

1. [*vers.* 25.] Sequitur in isto psalmo majore, quod considerare, et sicut Dominus dederit, pertractare debemus, *Adhæsit pavimento anima mea; vivifica me secundum verbum tuum.* Quid est, *Adhæsit pavimento anima mea?* Nam cum adjungit et dicit, *Vivifica me secundum verbum tuum;* quare se vivificari poscat, utique causam præmisit, dicendo, *Adhæsit pavimento anima mea.* Ergo quia propterea se vivificari petit, quia pavimento adhæsit anima ejus; mirum si boni aliquid hinc vult intelligi. Ita quippe se habet tota ista sententia, tanquam diceret : Mortuus sum; vivifica me. Quid est ergo pavimentum? Si tanquam unam quamdam domum magnam universum mundum velimus accipere, videmus velut ejus cameram cœlum : terra erit igitur pavimentum. Vult itaque terrenis erui, et cum Apostolo dicere, *Conversatio nostra in cœlis est* (*Philipp.* III, 20). Proinde terrenis adhærere mors animæ est; cui malo contraria poscitur vita, cum dicitur, *Vivifica me.*

2. Sed videndum est utrum congruant huic verba ista, qui superius talia dixerat, quibus magis Deo videatur adhæsisse quam pavimento, ut conversatio ejus non in terrenis, sed in cœlestibus haberetur. Quomodo enim potest intelligi terrenis adhæsisse qui dicit : *Servus autem tuus exercebatur in tuis justificationibus; nam et testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ?* Hæc sunt enim verba ejus antecedentia, quorum antecedentium ista sunt consequentia, *Adhæsit pavimento anima mea.* An ex hoc intelligere debemus, quantumlibet quisque proficiat in justificationibus Domini, habere eum mortalis carnis affectum circa ista terrena, in quibus vita humana tentatio est super terram (*Job* VII, 1); et ab hac morte si perseveranter proficit, quotidie reviviscere, vivificante illo, cujus gratia homo noster interior renovatur de die in diem ((II *Cor.* IV, 16)? Nam et illud Apostolus cum dicebat, *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino* (*Id.* V, 6), et concupiscebat dissolvi, et esse cum Christo (*Philipp.* I, 23); adhæserat pavimento anima ejus. Unde et corpus ipsum, quia ex terra est, non absurde intelligitur pavimentum; quod adhuc quia corruptibile est et aggravat animam (*Sap.* IX, 15), recte in illo congemiscitur et dicitur Deo, *Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.* Neque enim non cum corporibus nostris semper cum Domino erimus (I *Thess.* IV, 12-16); sed tunc quia non erunt corruptibilia nec animas aggravabunt, si diligenter consideremus, non eis nos, sed ipsa nobis potius adhærebunt, nos autem Deo. Unde alterius psalmi verba illa sunt, *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII, 28): ut vivant corpora ex nobis, adhærendo nobis; nos autem vivamus ex Deo, quia nobis *adhærere Deo bonum est.* Adhæsio quippe ista de qua dictum est, *Adhæsit pavimento anima mea,* non conjunctionem carnis et animæ, quamvis et ipsam quidam intellexerint; sed carnalem magis animæ affectum, quo caro concupiscit adversus spiritum (*Galat.* V, 17), significare mihi videtur. Quod si recte accipitur, profecto qui dicit, *Adhæsit pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum,* non id orat, ut de corpore mortis hujus, morte ipsius corporis interveniente solvatur; quod dies ultimus vitæ hujus, qui propter ejus brevitatem non potest esse diuturnus, quandoque facturus est : sed ut concupiscentia qua concupiscitur adversus spiritum, magis magisque minuatur, et concupiscentia qua concupiscitur adversus carnem, magis ac magis augeatur; donec ista consumatur in nobis, et illa consummetur per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

3. [*vers.* 26.] Bene autem non ait, *Vivifica me* secundum meritum meum; sed ait, *secundum verbum tuum :* quod quid est aliud, nisi, secundum promissum tuum? Filius promissionis vult esse, non filius elationis; ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini. Hoc est enim verbum promissionis : *In Isaac vocabitur tibi semen : hoc est, Non qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semine* (*Rom.* IX, 7, 8). Nam quid erat ipse per seipsum, in eo quod sequitur, confitetur : *Vias meas enuntiavi, et exaudisti me.* Nonnulli quidem codices habent, *vias tuas;* sed plures, et maxime græcis, *vias meas,* hoc est, malas. Nam hoc mihi videtur dicere, Peccata mea confessus sum, et exaudisti me, hoc est, ut dimitteres ea. *Doce me justificationes tuas.* Confessus sum vias meas, delesti eas; doce me tuas. Sic doce me, ut agam; non ut tantummodo sciam quid agere debeam. Sicut enim dictum est de Domino quod *non noverat peccatum* (II *Cor.* V, 21), et intelligitur, non fecerat; sic et justitiam ille vere dicendus est nosse, qui facit. Proficientis hæc oratio est. Nam utique si omnino non faceret, profecto illa superiora non diceret : *Servus autem tuus exercebatur in tuis justificationibus.* Non ergo in quibus exercebatur, has vult a Domino discere; sed ab istis ad alias proficiendo, velut crescendo, desiderat pervenire.

4. [*vers.* 27, 28.] Denique adjungit et dicit, *Viam justificationum tuarum insinua mihi;* vel, sicut nonnulli codices habent, *instrue me :* quod expressius de græco dicitur, *fac me intelligere* (*a*). *Et exercebor in mirabilibus tuis.* Ipsas justificationes ampliores, quas proficiendo cupit apprehendere, mirabilia Dei vocat. Sunt ergo quædam Dei justificationes ita mirabiles, ut humana infirmitas ab eis qui experti non sunt, non ad eas posse pervenire credatur. Unde laborans iste, et earum difficultate quodam modo fatigatus, adjungit : *Dormitavit anima mea præ tædio; confirma me in verbis tuis.* Quid est, *dormitavit,* nisi ab spe refriguit qua eas se apprehensuram esse crediderat? Sed, *confirma me,* inquit, *in verbis tuis,* ne ab eis quoque ad quæ pervenisse me jam sentio, decidam dormitando : confirma itaque me in eis verbis tuis quæ jam teneo, quæ jam facio, ut ex eis ad alia possim proficiendo pertendere.

5. [*vers.* 29.] Et quid impedit in via justificationum Dei sic ambulare, ut homo facile possit ad illa

(*a*) Græc., *sunetison me.*

etiam mirabilia pervenire? Quid putamus, nisi quod a se amoveri in consequentibus rogat dicens: *Viam iniquitatis amove a me?* Et quia *lex* factorum *subintravit, ut abundaret delictum* (*Rom.* v, 20); sequitur, et dicit, *Et* [1] *lege tua miserere mei.* Qua lege, nisi lege fidei? Audi Apostolum: *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non; sed per legem fidei* (*Id.* III, 27). Hæc est lex fidei, qua credimus et oramus per gratiam nobis donari, ut faciamus quod per nosmetipsos implere non possumus; ne ignorantes Dei justitiam, et nostram volentes constituere, justitiæ Dei non simus subjecti (*Id.* x, 3). In lege itaque factorum est Dei jubentis justitia; in lege autem fidei, subvenientis misericordia.

6. [*vers.* 30-32.] Cum autem dixisset, *Et lege tua miserere mei;* de beneficiis ejus quæ jam consecutus est, quodammodo, si dici potest, præscribit, ut impetret cætera quæ nondum est consecutus. Ait enim: *Viam veritatis elegi; judicia tua non sum oblitus. Adhæsi testimoniis tuis; Domine, noli me confundere. Viam veritatis elegi,* ubi currerem: *judicia tua non sum oblitus,* ut currerem. *Adhæsi testimoniis tuis,* cum currerem: *Domine, noli me confundere;* quo curro pertendam, quo tendo perveniam. Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei (*Id.* IX, 16). Denique sequitur: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Non currerem, nisi dilatasses cor meum. Prorsus isto versu exponitur quemadmodum dictum sit, *Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus, adhæsi testimoniis tuis.* Cursus est quippe iste viæ mandatorum Dei [2]. Et quia potius ejus beneficia quam sua merita Domino allegat; tanquam diceretur ei, Quomodo istam viam cucurristi [3], eligendo, et Dei judicia non obliviscendo, et ejus testimoniis adhærendo, an per teipsum ista potuisti? Non, ait. Quid ergo? *Viam mandatorum tuorum,* inquit, *cucurri cum dilatasti cor meum.* Non ergo per proprium, et quasi nullius tuæ opis indigum arbitrium meum; sed *cum dilatasti cor meum.* Cordis dilatatio, justitiæ est delectatio. Hæc munus est Dei, ut in præceptis ejus non timore pœnæ angustemur, sed dilectione, et delectatione justitiæ dilatemur. Hanc enim nobis promittit latitudinem ejus dicens: *Habitabo in eis, et deambulabo* (II *Cor.* VI, 16). Quam enim latum est ubi deambulat Deus! in hac latitudine diffunditur charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* v, 5). Unde etiam dictum est, *Et in plateis tuis discurrant aquæ tuæ* (*Prov.* v, 16): platea quippe de verbo græco a latitudine nomen accepit; quoniam græce πλατὺ dicitur latum. Hæ sunt aquæ de quibus Dominus clamat, *Qui sitit veniat ad me. Qui credit in me, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus:* et exponens Evangelista quid dixerit, *Hoc autem,* inquit, *dicebat de Spiritu quem accepturi erant qui credituri erant in eum* (*Joan.* VII, 37-39). Multa dici possent de ista cordis latitudine, sed hujus sermonis jam contradicitur longitudini.

SERMO XI.

1. [*vers.* 33.] In psalmo isto magno sequitur quod nobis, adjuvante Domino, considerandum atque tractandum est: *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper.* Apostolus dicit, *Justo lex non est posita, injustis autem et non subditis,* et cætera, quæ ibi concludens ait, *Etsi quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi* (I *Tim.* I, 9-11). Numquid ergo talis erat iste qui dicit, *Legem pone mihi, Domine,* qualibus beatus Paulus dicit positam legem? Absit. Si enim talis esset, non superius dixisset, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Quid est ergo quod orat ut sibi lex a Domino ponatur, si non ponitur justo? An eo modo non ponitur justo, quomodo posita est populo contumaci, in tabulis lapideis (*Exod.* XXXI, 18), non in tabulis cordis carnalibus (II *Cor.* III, 3); secundum testamentum vetus ex monte Sina, quod in servitutem generat (*Galat.* IV, 24), non secundum [1] testamentum novum, de quo scriptum est per Jeremiam prophetam, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo domui Israel et domui Juda testamentum novum, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo; et ego neglexi eos, dicit Dominus. Quoniam hoc est testamentum quod constituam domui Israel: Post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in mentibus eorum, et in cordibus eorum scribam eas* (*Jerem.* XXXI, 31-33)? Ecce quomodo vult iste legem sibi poni a Domino; non sicut injustis et non subditis, ad vetus testamentum pertinentibus posita est, in tabulis lapideis; sed sicut sanctis filiis liberæ, hoc est supernæ Jerusalem, filiis promissionis, filiis hæreditatis æternæ, sancto Spiritu tanquam digito Dei in mente datur, et in cordibus scribitur: non quam memoria teneant, et vita negligant; sed quam sciant intelligendo, faciant diligendo, in latitudine amoris, non in timoris angustiis. Nam qui timore pœnæ, non amore justitiæ opus legis facit, profecto invitus facit. Quod autem invitus facit, si posset fieri, mallet utique non juberi: ac per hoc legis, quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus; nec mundatur opere, qui immundus est voluntate [2]. Talis non potest dicere quod iste dixit in superioribus versibus, *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum;* quia illa dilatatio charitatem significat, quæ secundum Apostolum legis est plenitudo (*Rom.* XIII, 10).

2. Cur ergo iste adhuc poscit sibi legem poni; quæ utique si non ei posita fuisset, non viam man-

[1] Sic Am. et Mss. juxta LXX. At Er. et Lov., *et a lege.*
[2] Lov.: *Cursus quippe istæ viæ sunt mandatorum Dei:* dissentientibus Edd. aliis et Mss.
[3] Hic editio Lov. addit, *viam veritatis:* quod a nostris Mss. abest.

[1] Er. et Lov., *sed secundum.* Melius Am. et Mss., *non secundum.*
[2] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *cogitatione et voluntate.*

datorum Dei in cordis latitudine cucurrisset? Sed quia proficiens loquitur, et Dei donum novit esse quod proficit; quid aliud petit, cum sibi legem poni petit, nisi ut in ea magis magisque proficiat. Quemadmodum si poculum plenum teneas, et sitienti dare incipias; et haurit bibendo, et poscit desiderando. Quibus autem injustis et non subditis lex in lapideis tabulis ponitur, prævaricationis reos, non promissionis efficit filios. Sed et ille qui ejus meminit, nec eam diligit, eo modo reus est; quia memoria ejus lapis illi est quodammodo scriptus, non quo adornetur, sed quo prematur; pondus oneris, non titulus honoris. Hanc autem legem iste viam justificationum Dei vocavit; nec alia via est mandatorum ejus, quam se cucurrisse jam dixerat, cum dilatatum est cor ejus. Ergo et cucurrit, et currit, donec perveniat ad palmam supernæ vocationis Dei. Denique cum dixisset, *Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum;* addidit, *et exquiram eam semper.* Quid enim exquirit quod habet, nisi quia et habet agendo, et exquirit proficiendo?

3. Sed quid est, *semper?* Utrum exquirendi non erit finis; sicut dictum est, *Semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 2); quia laudandi non erit finis: neque enim Deum non laudabimus, cum ad ejus regnum pervenerimus æternum, cum legamus, *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5)? An, *semper*, dictum est, quamdiu hic vivitur, quia tamdiu proficitur; post hanc autem vitam qui bene hic proficiebat, ibi perficitur? Sicut de quibusdam feminis dictum est, *semper discentes:* sed illæ male, quia secutus adjunxit, *Et ad veritatis scientiam nunquam pervenientes* (II *Tim.* III, 7). Qui vero in melius semper hic proficit, quo proficiendo nititur, pervenit, ubi jam non proficiat, quia perfectus sine fine consistit. Nec de illis tamen ita dictum est, *semper discentes*, ut et post mortem discere perseverent vana et infructuosa; cum talibus doctrinis successerint non studia, sed supplicia sempiterna. Hic ergo exquiritur Dei lex, quamdiu in ea proficitur, et sciendo et diligendo; ibi autem plenitudo ejus manet ad fruendum, non remanet ad quærendum. Sic etiam illud dictum est, *Quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CIV, 4). Ubi *semper*, nisi hic? Non enim et ibi quæremus Dei faciem, ubi videbimus facie ad faciem (I *Cor.* XIII, 12). Aut si recte dicitur exquiri quod sine fastidio diligitur, et id agitur ne amittatur; semper omnino sine fine quæremus legem Dei, hoc est veritatem Dei: in hoc quippe ipso dicitur psalmo, *Et lex tua veritas.* Quæritur nunc, ut teneatur; tunc tenebitur, ne derelinquatur: sicut de Spiritu Dei dictum est quod omnia scrutetur, etiam altitudines Dei (*Id.* II, 10); non utique ut quod nescit inveniat, sed quia nihil relinquat omnino quod nesciat.

4. [*vers.* 34.] Gratia itaque Dei nobis præcipue commendatur, quando sibi legem poni poscit a Domino, qui utique jam legem secundum litteram noverat. Sed quia littera occidit, spiritus autem vivificat (II *Cor.* III, 6); orat ut per Spiritum[1] faciat quod per litteram sciebat; ne per scientiam mandati non observati etiam prævaricationis ei crimen accedat. Quanquam etiam ut sciatur lex quomodo scienda est, id est, ut intelligatur quid sibi velit, quare sit eis posita qui eam non erant servaturi, quid habeat utilitatis etiam hoc ipsum quod *lex subintravit, ut abundaret delictum* (*Rom.* V, 20), nemo comprehendit, nisi a Domino acceperit intellectum: unde iste adjungit et dicit, *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo.* Cum enim quisque legem scrutatus fuerit, et ad ejus alta pervenerit, in quibus tota pendet; profecto debet Deum diligere ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente; et proximum suum tanquam seipsum. In his enim duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII, 37-40). Hoc videtur promisisse, cum dixit, *Et custodiam illam in toto corde meo.*

5. [*vers.* 35.] Sed quia et hoc minus valet viribus propriis, nisi adjuvetur ab illo qui jubet, ut faciat quod jubet, *Deduc me*, inquit, *in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui.* Parum est mihi voluntas mea, nisi in eo quod volui, me ipse deducas. Et certe ipsa est semita; hoc est via mandatorum Dei, quam se, dilatato ab illo corde suo, cucurrisse jam dixerat. Quam propterea etiam semitam vocat, quia angusta est via quæ ducit ad vitam (*Id.* VII, 14); et cum sit angusta, nisi dilatato corde non curritur.

6. [*vers.* 36.] Sed quoniam adhuc proficit, adhuc currit; et ideo divinum auxilium quo deducatur inquirit, quia neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei (*Rom.* IX, 16): denique quia et ipsum velle Deus operatur in nobis[2] (*Philipp.* II, 13), præparatur enim voluntas a Domino; sequitur et dicit, *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.* Quid est inclinatum cor ad aliquid habere, nisi hoc velle? Et voluit ergo, et orat ut velit. Voluit, cum dicit, *Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ipsam volui:* orat autem ut velit, cum dicit, *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.* Hoc itaque orat, ut in ipsa voluntate proficiat. Quæ sunt autem Dei testimonia, nisi quibus sibi ipse attestatur? Testimoniis enim aliquid probatur; ac per hoc justificationes Dei et mandata Dei testimoniis Dei probantur; et quidquid nobis persuadere vult Deus, suis testimoniis persuadet: in quæ iste petit inclinari cor suum, et non in avaritiam. Testimoniis quippe suis agit nobiscum Deus, ut eum gratis colamus; quod impedit avaritia radix omnium malorum. Tali verbo græco hic appellat, a quo possit intelligi generalis avaritia, qua plus appetit quisque quam sat est: πλέον enim latine plus est: ἕξις habitus est, ab eo quod est habere. Ergo a plus habendo appellata est πλεονεξία, quam latini interpretes in hoc loco nonnulli interpretati sunt *emolumen-*

[1] Edd., *per Spiritum sanctum.* Abest, *sanctum*, a Mss.
[2] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *operatur in omnibus bonis.*

tum, quidam vero *utilitatem*; sed melius qui *avaritiam*. Dicit autem Apostolus : *Radix enim omnium malorum avaritia est* (I *Tim*. VI, 10). Sed in græco, unde in nostram linguam verba ipsa translata sunt, non legitur apud Apostolum πλεονεξία, quod in loco isto psalmi hujus; sed φιλαργυρία, quo verbo significatur amor pecuniæ. Verum Apostolus intelligendus est isto nomine genus significasse per speciem, id est, per amorem pecuniæ universalem generalemque avaritiam, quæ vere radix est malorum omnium. Nam ipsi primi homines per serpentem decepti et dejecti non fuissent, nisi plus quam acceperant habere, et plus quam facti fuerant esse voluissent. Hoc quippe ille promiserat dicens : *Eritis sicut dii* (*Gen*. III, 5). Ergo ista πλεονεξία subversi sunt. Plus enim volentes habere quam acceperant, et quod acceperant amiserunt. Cujus vestigium veritatis quæ ubique dispersa est [1], et in forensi jure deprehensum est, quo institutum est ut plus petendo causa cadat : id est, ut qui plus petierit quam ei debetur, et quod ei debebatur amittat. Omnis autem a nobis circumciditur avaritia, si gratis colatur Deus. Ad quod sanctum Job in agone tentationis ipse provocat inimicus, cum de illo dicit : *Numquid gratis colit Job Deum* (*Job*. I, 9)? Putabat enim Diabolus quod in Deo colendo vir justus cor inclinatum haberet in avaritiam, et causa emolumenti vel utilitatis rerum temporalium quibus eum ditaverat Dominus, velut mercenarius ei pro tali mercede serviret : sed quam gratis Deum coleret, tentatus apparuit. Si ergo cor non habeamus inclinatum in avaritiam, Deum non colimus nisi propter Deum, ut sui cultus ipse sit merces. Ipsum diligamus in seipso, ipsum diligamus in nobis, ipsum in proximis nostris quos diligimus sicut nosmetipsos, sive habeant eum, sive ut [2] habeant eum. Quod nobis quoniam ipso donante confertur, ideo illi dicitur. *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam*. Sed quæ sequuntur, alio sermone tractanda sunt.

SERMO XII.

1. [*vers*. 37.] Sequitur in psalmo quem suscepimus disserendum, *Averte oculos meos, ne videant vanitatem; in via tua vivifica me*. A contrario differunt inter se vanitas et veritas. Hujus autem mundi cupiditas, vanitas : sed Christus, qui ex hoc mundo liberat, veritas. Ipse est et via in qua se vult iste vivificari, quia ipse est et vita; ipse quippe ait : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan*. XIV, 6). Sed quid est, *Averte oculos meos, ne videant vanitatem?* Numquid quamdiu sumus in hoc mundo, possumus non videre vanitatem? *Omnis enim creatura vanitati subjecta est*, quæ intelligitur esse in homine; et, *Omnia vanitas : quæ abundantia hominis in omni labore suo, quo ipse laborat sub sole* (*Eccle*. I, 2 *et* 3)? An iste fortassis hoc orat, ut non sit ejus vita sub sole, ubi omnia vanitas; sed in illo sit, in quo se vivificari petit? Ille quippe *ascendit* non super solem tantum, sed *super omnes cœlos, ut adimpleret omnia* (*Ephes*. IV, 10). Et in illo magis quam sub sole vivunt qui non inaniter audiunt quod dixit Apostolus : « Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo » (*Coloss*. III, 1-3). Ac per hoc si vita nostra ibi est ubi veritas, non est vita nostra sub sole ubi vanitas. Sed hoc tam magnum bonum magis habemus in spe, non tenemus in re : et secundum spem nostram beatus Apostolus ista locutus est; quia et illud cum dixisset, *Vanitati creatura subjecta est*, adjecit atque ait, *Non sponte, sed propter eum qui subjecit in spe*. Ergo in spe, qua speramus nos adhæsuros contemplandæ veritati, subjecti sumus interim vanitati. Creatura quippe ista spiritualis, animalis, corporalisque omnis in homine est; imo homo est. Sponte peccavit, et inimica facta est veritati : sed ut merito puniretur, non sponte subjecta est vanitati. Denique post pauca, *Non solum autem*, inquit, *sed et nos ipsi primitias spiritus habentes*, id est, qui nondum quidem ex toto quod sumus, sed ex ea parte qua pecoribus meliores sumus, Deo, non vanitati subditi sumus, hoc est, per primitias spiritus : « et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes : quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus. » Quamdiu itaque hic secundum carnem sumus, cujus adoptionem et redemptionem per patientiam spei adhuc exspectamus; tamdiu secundum id per quod sub sole sumus, vanitati subjecti sumus. Quamdiu igitur ita sumus, unde possumus non videre vanitatem, cui etiam subjecti sumus in spe? Quid est ergo quod iste dicit, *Averte oculos meos, ne videant vanitatem?* An hoc petit, ut non quidem in hac vita quod in spe gerimus impleatur, sed ut in ea sorte sit, quæ in illo quandoque possit impleri, cum *liberabitur a servitute corruptionis*, et spiritu et anima et corpore, *in libertatem gloriæ filiorum Dei* (*Rom*. VIII, 20-25), ubi jam non videat vanitatem?

2. Possunt quidem verba ista sic intelligi, non præter regulam fidei; sed est hic alius sensus quem mihi fateor plus placere. Dominus in Evangelio dicit : « Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? » Proinde magni interest, cum aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum, non officio, sed fine pensandum est; ut scilicet non tantum si bonum est quod facimus, sed præcipue si bonum est propter quod facimus, cogitemus. Hos oculos quibus contemplamur quare faciamus quod facimus, averti poscit ne videant vanitatem; id est, ne hanc attendat, propter quam faciat, cum boni aliquid facit. In qua vanitate præcipuum locum obtinet

[1] Sic aliquot Mss. At Edd., *legibus quæ ubique dispersæ sunt*. Vox, *legibus*, abest ab omnibus Mss.
[2] Sic Am. et Mss. At Er., *sive non velut habeant*. Lov., *sive non habeant*.

amor laudis humanæ, propter quam multa magna fecerunt qui magni in hoc sæculo nominati sunt, multumque laudati in civitatibus gentium, quærentes non apud Deum, sed apud homines gloriam, et propter hanc velut prudenter, fortiter, temperanter, justeque viventes; ad quam pervenientes perceperunt mercedem suam, vani vanam. Ab hac vanitate volens Dominus avertere oculos suorum: « Attendite, » inquit, « ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. » Deinde cum ipsius justitiæ quasdam partes exsequeretur, præcipiens de eleemosynis, de oratione, de jejunio, ubique id admonuit, ne aliquid eorum propter gloriam hominum fiat, et ubique dicit eos qui propterea faciunt, percepisse mercedem suam (*Matth.* VI, 1-23), id est non æternam quæ sanctis reposita est apud Patrem, sed temporalem quam quærunt qui contemplantur in suis operibus vanitatem: non quia ipsa laus humana culpanda est (nam quid tam optandum est hominibus, quam ut eis placeant quæ debeant imitari?), sed propter ipsam laudem bene operari, hoc est vanitatem in suis operibus intueri. Quandoquidem et ipsa ab hominibus laus homini justo quantacumque provenerit, non ibi esse debet ejus finis boni, sed etiam ipsa referenda est ad laudem Dei, propter quem bona faciunt vero boni; quoniam non a seipsis, sed ab illo fiunt boni. Denique in eodem sermone Dominus jam dixerat eis: *Luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant vestra opera bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Id.* V, 16). Ubi finem posuit, hoc est in gloria Dei, hoc debemus quando aliquid boni facimus intueri, si avertuntur a vanitate oculi nostri. Non ergo sit finis boni operis in laudibus hominum, sed ipsas laudes hominum corrigamus, et ad Dei laudes omnia referamus, a quo nobis datur quidquid in nobis sine laudantis errore laudatur. Porro si vanum est propter hominum laudes bona facere, quanto vanius propter adipiscendam pecuniam, vel augendam, sive retinendam, et si quid hujusmodi est commodi temporalis, quod nobis accedit extrinsecus? Quia *omnia vanitas: quæ abundantia hominis in omni labore suo, quo ipse laborat sub sole?* Propter ipsam denique temporalem salutem non debemus facere bona opera nostra, sed potius propter illam quam speramus æternam, ubi bono immutabili perfruamur, quod nobis erit ex Deo, imo quod nobis est ipse Deus. Si enim sancti Dei propter hanc temporalem salutem bona opera facerent, nunquam martyres Christi bonum opus confessionis in ejusdem salutis amissione perficerent. Sed acceperunt auxilium de tribulatione, non intuentes vanitatem, quia vana salus hominis (*Psal.* LIX, 13); et diem hominum non concupierunt (*Jerem.* XVII, 16), quia homo vanitati similatus est, dies ejus sicut umbra prætereunt (*Psal*, CXLIII, 4).

3. [*vers.* 38.] Cum autem Deus rogatur, ut ea quæ videntur[1] esse in nostra potestate, id est, oculorum aversio a videnda vanitate ab illo nobis concedatur, quid nisi ejus gratia commendatur? Nonnulli enim ab ea vanitate non averterunt oculos suos, quia putaverunt a seipsis se fieri justos et bonos, et dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei (*Joan.* XII, 43); quia et ipsi homines sunt, qui sibi nimium placuerunt, et de sui arbitrii viribus præsumpserunt: sed etiam hæc vanitas et præsumptio spiritus est (*Eccle.* VI, 9): Cum ergo dixisset, *Averte oculos meos, ne videant vanitatem; in via tua vivifica me;* quæ via non vanitas, sed veritas est: deinde subjunxit, *Statue servo tuo eloquium tuum in timorem tuum*[1]. Quod quid est aliud quam, Da mihi ut faciam quod eloqueris? Neque enim statutum est eloquium Dei his qui in se movent illud contra faciendo; eis autem statutum est in quibus immobile est. Statuit itaque Deus eloquium suum in timorem suum eis quibus dat spiritum timoris sui: timoris autem non illius de quo dicit Apostolus, *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore* (*Rom.* VIII, 15); hunc enim consummata charitas foras mittit timorem (I *Joan.* IV, 18): sed illius timoris quem dicit propheta spiritum timoris Dei (*Isai.* XI, 3); timoris utique casti, permanentis in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10), timoris quo timetur offendi qui amatur. Aliter quippe timet adultera virum suum, aliter casta: adultera, ne veniat; casta, ne deserat.

4. [*vers.* 39.] *Amputa*, inquit, *opprobrium meum quod suspicatus sum, quia judicia tua suavia.* Quis est qui suum opprobrium suspicatur, et non magis novit suum quisque opprobrium, quam cujuslibet alienum? Suspicari enim potius alienum potest homo, non suum; quoniam quod suspicatur, ignorat: in suo autem opprobrio non est cujusque suspicio, sed scientia, ubi loquitur conscientia. Quid est ergo quod ait, *Opprobrium meum quod suspicatus sum?* Nimirum de superiore sensu etiam iste ducendus est: quoniam quamdiu non avertit homo oculos suos ne videant vanitatem, quod in seipso agitur, hoc de aliis suspicatur; ut propter quod ipse colit Deum, vel propter quod bona opera facit, propter hoc credat et alterum facere. Possunt quippe homines videre quod agimus; cujus autem rei contemplatione agamus occultum est: et ideo datur suspicionibus locus, ut audeat homo judicare de occultis hominum, et falsa plerumque, et, si vera, tamen incognita temere suspicari. Propterea Dominus cum de ipso fine loqueretur propter quem justitiam facere debemus, ut oculos nostros a contemplatione averteret vanitatis, monuit ne propter laudes hominum bona opera faciamus, dicens: *Attendite ne faciatis justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis.* Monuit, ne propter pecuniam, dicens: *nolite vobis thesaurizare in terra;* et, *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Monuit, ne propter ipsum necessarium victum atque vestitum, dicens: *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini* (*Matth.* VI, 1, 19, 24, 25). Et cum hæc omnia monuisset, quia possumus suspicari eos quos juste vivere videmus, et quo fine faciant non videmus, propter aliquid hujusmodi bene-

[1] Fr., videtur. M.

[1] Sic Mss. juxta Græc. LXX. At Edd., *in timore tuo.*

facere; continuo subjecit : *Nolite judicare, ne judicemini* (*Id.* VII, 1). Unde et hic cum dixisset, *Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum;* addidit, *quia judicia tua suavia*, id est, judicia tua vera. Veritatis enim amator suave clamat esse quod verum est. Hominum autem judicia de occultis hominum, non suavia, quia temeraria. Et ideo suum dixit opprobrium quod de aliis est suspicatus; quia et hoc quod [1] Apostolus ait, *Comparantes semetipsos sibimetipsis* (II *Cor.* x, 12), non intelligunt : hoc enim proclivius homo suspicatur in alio, quod sentit in seipso. Hoc itaque opprobrium suum petebat auferri, quod in se senserat, et in aliis fuerat suspicatus; ut non esset diabolo similis, qui de occultis sancti Job suspicatus est quod non gratis Deum coleret, quem poposcit tentandum, ut crimen quod objiceret inveniret (*Job* I, 9-11).

5. [*vers.* 40.] Sed cum libenter alterius opprobrium nonnisi æmulatio suspicetur, dum bonum opus reprehendi non potest, quia se asserit [2] quod apertum est; et quo fine fiat reprehenditur, quia non se exserit quod occultum est; atque ita male suspicari eum libet cui libet, non videndo quod latet, et invidendo quod eminet [3] : profecto contra hoc malum, quo quisque libenter de homine malum quod non perspicit suspicatur, charitas habenda est, quæ non æmulatur (I *Cor.* XIII, 4); quam Dominus præcipue commendat, dicens, *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis;* et, *In hoc scient omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis in invicem* (*Joan.* XIII, 34, 35) : et de dilectione Dei et proximi loquens, *In his*, inquit, *duobus mandatis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 40). Unde et iste contra suæ suspicionis opprobrium quod desiderat amputari, *Ecce*, inquit, *concupivi mandata tua; in tua justitia vivifica me.* Ecce concupivi ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligere te, et proximum sicut me : non in mea, sed *in tua justitia vivifica me*, hoc est, ista charitate quam concupivi, imple me. Adjuva ut faciam quod commendas, dona ipse quod mandas. *In tua justitia vivifica me :* quia in me unde morerer habui; unde autem vivam non invenio nisi in te. Justitia tua Christus est, « qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio; ut, quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur » (I *Cor.* I, 30, 31). Et in illo invenio mandata tua quæ concupivi, ut in tua justitia, hoc est in illo, vivifices me. Ipse est enim Verbum Deus; et Verbum caro factum est, ut esset et proximus meus (*Joan.* I, 14).

SERMO XIII.

1. [*vers.* 41.] Sermoni pristino, quem de psalmo qui est omnium prolixissimus, nuper habuimus, de verbis ejus quæ sequuntur iste jungendus est. Hæc verba sunt : *Et veniat super me misericordia tua, Domine.* Quæ sententia superiori videtur annexa : non enim ait, *Veniat super me;* sed ait, *Et veniat.* Est autem illa superior, *Ecce concupivi mandata tua; in tua justitia vivifica me :* deinde sequitur, *Et veniat super me misericordia tua, Domine.* Quid hic ergo poscit, nisi ut mandata quæ concupivit, per ejus misericordiam faciat [1], qui mandavit? Exponit enim quodammodo quid dixerit, *In tua justitia vivifica me;* cum subjungit, *Et veniat super me misericordia tua, Domine, salutare tuum secundum eloquium tuum :* hoc est secundum promissionem tuam. Unde nos vult Apostolus filios promissionis intelligi (*Rom.* IX, 8); ne arbitremur nostrum esse quod sumus, sed totum Dei gratiæ retribuamus. *Factus est* enim *nobis* Christus *sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio; ut, quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 30 *et* 31). Quod ergo ait, *In tua justitia vivifica me;* in Christo utique vivificari cupit, et ipsa est misericordia quam super se poscit venire. Ipse Christus est et *salutare* Dei; quo verbo exposuit quam misericordiam diceret ubi ait, *Et veniat super me misericordia tua, Domine.* Si ergo quærimus quæ sit ista misericordia, audiamus quod sequitur : *Salutare tuum secundum eloquium tuum.* Ab eo quippe hoc promissum est, qui *vocat ea quæ non sunt, tanquam sint* (*Rom.* IV, 17). Nondum enim erant quibus promitteretur, ne quisquam de meritis gloriaretur. Et quibus promissum est, etiam ipsi promissi sunt; ut totum corpus Christi dicat, *gratia Dei sum id quod sum* (I *Cor.* XV, 10).

2. [*vers.* 42.] *Et respondebo*, inquit, *exprobrantibus mihi verbum.* Utrum, *verbum exprobrantibus;* an, *verbum respondebo*, ambiguum est : sed quodlibet eorum Christum sonat [2]. Ipsum enim nobis exprobrant, quibus est crucifixus vel scandalum, vel stultitia [3] (*Id.* I, 23) : ignorantes quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; quod Verbum in principio erat, et apud Deum erat, et Deus erat (*Joan.* I, 14, 1). Sed etsi non ipsi Verbum exprobrent quod eos latet, quia divinitas ejus ab eis non cognoscitur a quibus ejus infirmitas in cruce contemnitur; nos tamen Verbum respondeamus, nec exprobratione terreamur aut confundamur. Verbum enim si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I *Cor.* II, 8). Ille autem respondet Verbum exprobrantibus, super quem venit misericordia Dei; hoc est, ipsum salutare ejus venit ut protegat, non ut conterat. Nam super quosdam conterendos venturus est, qui nunc in eum, dum spernunt ejus humilitatem, offendendo quassantur. Sic enim dicit in Evangelio : *Qui ceciderit super lapidem istum, conquassabitur; super quem vero ceciderit, conteret eum* (*Luc.* XX, 18). Qui ergo nobis exprobrant, offendunt, et cadunt in eum. Nos autem ne offendamus, et cadamus, opprobria eorum ne timeamus, sed respondeamus eis verbum. « Hoc est verbum fidei quod prædicamus. Quia si credideris, » in-

[1] Sic Er. Lugd. Ven. et Lov. In B., *quia hoc et Apostolus.* M.
[2] Ita hoc loco Am. et Mss. At Er. et Lov., *exserit.*
[3] Sic aliquot Mss. Alii vero, *suspicari licet cuilibet*, etc. At Er. et Lov., *suspicari non debet quilibet, non videndo quod latet, et non invidendo quod eminet.* Apud Am. et omnes Mss. absque negatione legitur, *et invidendo quod eminet.*

[1] Octo Mss., *fiant.*
[2] Mss., *sonet.*
[3] Sic potiores Mss. At Edd., *exprobrant a quibus est crucifixus, vel scandalum, vel stultitiam.*

quit, « in corde tuo quia Dominus est Jesus, et confessus fueris in ore tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis; salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit in salutem (*Rom.* x, 8-10). Parum est ergo in corde habere Christum, et nolle confiteri dum timetur opprobrium: sed exprobrantibus respondendum est verbum. Ut autem hoc martyres possent, promissum est eis, et dictum, *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 20). Ideo et iste cum dixisset, *Respondebo exprobrantibus mihi verbum;* continuo sequitur, *Quoniam speravi in verbis tuis :* quod est utique, in promissis tuis.

3. [*vers.* 43.] Sed quoniam plurimi quamvis ad ipsum corpus, cujus hæc verba sunt, pertinentes, gravi pondere persecutionis urgente non valuerunt sustinere exprobrationem, et Christum deficiendo negaverunt; ideo sequitur, *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usque valde.* Ex ore suo quippe dicit, quia unitas corporis loquitur, in cujus membris etiam illi deputantur qui defecerunt ad horam negando, sed pœnitendo postea revixerunt, vel etiam martyrii palmam quam perdiderant, reparata confessione sumpserunt. Non igitur *usque valde*, vel, sicut quidam codices habent, non *usquequaque*, hoc est non omnimodo, ex ore Petri, in quo erat typus Ecclesiæ, verbum veritatis ablatum est : quia etsi ad horam negavit timore turbatus, tamen flendo est reparatus (*Id.* xxvi, 70-75), et confitendo est postea coronatus. Totum itaque corpus Christi loquitur, id est, Ecclesiæ sanctæ universitas : in quo toto corpore sive quia, negantibus plurimis, remanserunt fortes qui usque ad mortem pro veritate certarent, sive quia et ex iis qui negaverant multi reparati sunt, non est ablatum ex ejus ore verbum veritatis *usque valde.* Quod autem ait, *ne auferas*, intelligendum est, ne auferri sinas; propter quod orando dicimus, *Ne nos inferas in tentationem* (*Id.* vi, 13). Et ipse Dominus ad Petrum, *Rogavi*, inquit, *pro te, ne deficiat fides tua* (*Luc.* xxii, 32); hoc est, ne auferatur ex ore tuo verbum veritatis *usque valde.* Sequitur, *Quia in judiciis tuis speravi;* vel, sicut de græco quidam diligentius expresserunt, *supersperavi* (*a*) : quod verbum etsi minus usitate compositum est, tamen implet veritatis interpretandæ necessitatem. Attentius ergo nobis loci hujus rimandus est sensus, ut intelligamus, quantum Deus adjuvat, quid sibi velit, *In verbis tuis speravi, In judiciis tuis supersperavi. Respondebo*, inquit, *exprobrantibus mihi verbum, quoniam speravi in verbis tuis :* id est, quoniam mihi hoc ipse promisisti. *Et ne auferas ex ore meo verbum veritatis usque valde, quoniam in judiciis tuis supersperavi :* id est, quoniam judicia tua, quibus me corripis et flagellas, non solum mihi non auferunt spem, verum augent etiam : quoniam quem diligit Dominus corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit (*Hebr.* xii, 6). Ecce enim sancti et humiles corde de te præsumendo, in persecutionibus non defecerunt; ecce etiam qui de se præsumendo defecerunt, et tamen ad ipsum corpus pertinuerunt, sibi innotescendo fleverunt, et tuam gratiam solidius invenerunt, quia suam superbiam perdiderunt. Ergo *ne auferas ex ore meo verbum veritatis usque valde, quia in judiciis tuis supersperavi.*

4. [*vers.* 44.] *Et custodiam legem tuam semper :* id est, si non abstuleris ex ore meo verbum veritatis, *custodiam legem tuam semper. In sæculum et in sæculum sæculi :* ostendit quid dixerit, *semper.* Aliquando etenim *semper* intelligitur, Quamdiu hic vivitur; sed hoc non est, *in sæculum et in sæculum sæculi :* melius quippe ita interpretatum est, quam, sicut quidam codices habent, *in æternum et in sæculum sæculi;* quia non potuerunt dicere, et in æternum æterni. Lex itaque ista intelligenda est de qua dicit Apostolus, *Plenitudo legis charitas* (*Rom.* xiii, 10). Hæc enim a sanctis, quorum ex ore non aufertur verbum veritatis, hoc est, ab ipsa Christi Ecclesia custodietur, non solum in hoc sæculum, id est, donec finiatur hoc sæculum; sed etiam in alterum, quod appellatur *sæculum sæculi.* Neque enim præcepta legis, sicut hic, etiam ibi accepturi sumus quæ custodiamus, sed ipsam legis, ut dixi, plenitudinem sine ullo peccandi timore servabimus : quia et Deum plenius, cum viderimus, amabimus, et proximum, quia Deus erit omnia in omnibus (I *Cor.* xv, 28); nec falsæ cuiquam de proximo suspicioni erit locus, ubi nullus ulli erit occultus.

SERMO XIV.

1. [*vers.* 45.] Superiores versus prolixi psalmi hujus orationem habent; hi autem qui sequuntur, de quibus nunc disputandum est, narrationem. Petebat enim homo Dei superius adjutorium gratiæ Dei, cum dicebat, *In tua justitia vivifica me; et veniat super me misericordia tua, Domine :* et alia similia vel supra vel infra. Nunc autem dicit : *Et ambulabam in latitudine, quoniam mandata tua exquisivi. Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar. Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi. Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi; et exercebar in justificationibus tuis.* Ubi narrantis verba sunt, non petentis; velut, impetratis quæ petiverat, confiteatur in Dei laudibus qualem illum fecerat misericordia Domini, quam super se venire poposcerat. Neque enim hæc ita superioribus conjunxit, ut diceret, Et ne auferas ex ore meo verbum veritatis usque valde, quia in judiciis tuis supersperavi, Et custodiam legem tuam semper, in sæculum et in sæculum sæculi, Et ambulabo in latitudine, quia mandata tua exquisivi, Et loquar in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundar; et cætera isto modo; sic enim videtur sequentia præcedentibus debuisse connectere : sed ait, *Et ambulabam in latitudine.* Ubi copulativa conjunctio, id est, *Et*, velut inconsequens posita est; quia non ait, Et ambulabo, quomodo dicebat, *Et custodiam legem tuam semper.* Aut certe si optativo modo dictum est, *Custodiam legem tuam;* non ait, Et ambulem in latitudine, quasi utrumque optaverit, et poposcerit : sed ait, *Et ambulabam in latitudine.* Ubi si conjunctio ista non esset, sed a superiorum connexione libera

(*a*) Græc., *epélpisa.*

inferretur et soluta sententia, *Ambulabam in latitudine;* nihil de inusitato loquendi modo hic deberet movere lectorem, ut occultus sensus quærendus hic aliquis putaretur. Nimirum ergo quod non dixit intelligi voluit, id est, exauditum se fuisse; ac deinde subjunxit qualis factus fuerit: tanquam diceret, Hæc cum orarem, exaudisti me, *Et ambulabam in latitudine;* et cætera quæ isto modo dicta contexuit.

2. Quid est igitur, *Et ambulabam in latitudine*, nisi, ambulabam in charitate, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* v, 5)? In hac latitudine ambulabat ille qui dicebat, *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii; cor nostrum dilatatum est* (II *Cor.* vi, 11). Hæc autem charitas duobus illis mandatis tota atque integra continetur, dilectione scilicet Dei, et dilectione proximi, in quibus tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* xxii, 40). Unde et hic cum dixisset, *Et ambulabam in latitudine;* causam subjunxit atque ait, *Quia mandata tua exquisivi.* Nonnulli autem codices non habent *mandata*, sed *testimonia;* sed *mandata* in pluribus invenimus, et maxime græcis: cui linguæ tanquam præcedenti, unde ad nos ista translata sunt, magis credendum esse quis ambigat? Si ergo scire volumus quomodo hæc mandata quæsierit, vel quærenda sint, illud intueamur quod dicit magister bonus, et doctor, et dator: *Petite, et accipietis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis.* Et paulo post: *Si ergo vos*, inquit, *cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se* (*Id.* vii, 7, 11)? Ubi evidenter ostendit quod dixerat, *Petite, quærite, pulsate*, nonnisi ad poscendi, hoc est, orandi instantiam pertinere. Alius porro evangelista non ait, *Dabit bona petentibus se*, quæ multipliciter possunt intelligi, vel corporalia, vel spiritualia; sed circumcidit inde alia, satisque diligenter expressit quid nos vehementer atque instanter voluerit poscere Dominus, et ait: *Quanto magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se* (*Luc.* xi, 13)? Hic est ille Spiritus per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, ut Deum proximumque diligendo divina mandata faciamus. Hic est ille Spiritus in quo clamamus, *Abba*, *Pater* (*Rom.* viii, 15). Ac per hoc ipse nos facit petere, quem desideramus accipere; ipse nos facit quærere, quem cupimus invenire; ipse nos facit pulsare, ad quem nitimur pervenire. Hoc docet Apostolus, qui cum dicat in Spiritu sancto nos clamare, *Abba*, *Pater;* rursus alio loco dicit, *Dedit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, Abba*, *Pater* (*Galat.* iv, 6). Quomodo nos clamamus, si ipse clamat in nobis, nisi quia clamare nos fecit, dum habitare cœpit in nobis? Etiam hoc itaque agit acceptus, ut largius accipiendus petendo, quærendo, pulsando, poscatur. Sive enim ut vita bona petatur, sive ut bene vivatur; quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei (*Rom.* viii, 14). Ergo, *Ambulabam*, inquit, *in latitudine, quoniam mandata tua exquisivi.* Exquisierat et invenerat, quoniam petierat et acceperat Spiritum bonum, quo factus bonus bene faceret bona, ex fide quæ per dilectionem operatur (*Galat.* v, 6).

3. [*vers.* 46.] *Et loquebar*, inquit, *in testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar:* tanquam ille qui petierat et acceperat, ut responderet exprobrantibus sibi verbum, et non auferretur ex ore ejus verbum veritatis. Itaque pro illa usque ad mortem certans, nec in conspectu regum confundebatur eam loqui. Testimonia quippe, in quibus dicit quod loquebatur, græce martyria nuncupantur; quo verbo jam utimur pro latino. Unde dictum est etiam vocabulum Martyrum, quibus prædixit Jesus quod et ante reges eum fuerant confessuri (*Matth.* x, 18).

4. [*vers.* 47, 48.] *Et meditabar*, inquit, *in mandatis tuis, quæ dilexi, et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi:* sive, quod nonnulli codices habent in utroque versu, *dilexi valde*, aut *nimis*, aut *vehementer*, sicut interpretari placuit quod græce dicitur σφόδρα. Mandata ergo Dei dilexit per hoc per quod ambulabat in latitudine; per Spiritum scilicet sanctum, per quem dilectio ipsa diffunditur, et dilatat corda fidelium. Dilexit autem, et cogitando et operando. Nam quod ad cogitationem pertinet, ait, *Et meditabar in mandatis tuis:* quod autem ad operationem, *Et levavi manus meas ad mandata tua.* Utrique autem sententiæ addidit, *quæ dilexi:* finis enim præcepti est charitas de corde puro (I *Tim.* i, 5). Quando isto fine, id est, hujus rei contemplatione fit mandatum Dei, tunc fit vere opus bonum; et tunc levantur manus, quia supernum est quo levantur. Propterea de ipsa charitate locuturus Apostolus ait, *Supereminentem viam vobis demonstro* (I *Cor.* xii, 31): et alio loco, *Cognoscere*, inquit, *etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi* (*Ephes.* iii, 19). Nam si de opere mandatorum Dei merces terrenæ felicitatis expetitur, deponuntur manus potius quam levantur; quia terrena emolumenta quæ non sursum, sed deorsum sunt, illo opere requiruntur. Ad utrumque autem pertinet quod sequitur, *Et exercebar in justificationibus tuis:* quod plures interpretes dicere maluerunt, quam *lætabar*, aut *garriebam*, quod aliqui interpretati sunt ex eo quod græcus habet ἠδολέσχουν. Exercetur quippe in justificationibus Dei lætus, et quodam modo garrulus, qui mandata ejus quæ diligit, et cogitandi et operandi delectatione custodit.

SERMO XV.

1. [*vers.* 49.] Consideremus, quantum donat Dominus, et pertractemus hos versus magni psalmi hujus: *Memento verbi tui servo tuo, in quo spem dedisti mihi. Hæc me consolata est in humilitate mea, quoniam verbum tuum vivificavit me.* Numquid oblivio, sicut in hominem, cadit in Deum? Cur ergo ei dicitur, *Memento?* Quamvis in aliis sanctæ Scripturæ locis ipsum verbum omnino ponatur, ut est, *Quare mei oblitus es* (*Psal.* xli, 10); et, *Oblivisceris inopiam nostram* (*Psal.* xliii, 24); et ipse Deus per Prophetam, *Omnes*, inquit, *iniquitates ejus obliviscar* (*Ezech.* xviii, 22): et alibi atque alibi sæpius hoc legitur. Sed non ut hominibus ista contingunt, ita intelliguntur in Deo. Nam sicut Deum pœnitere dicitur, quando præter hominum spem res mutat, consilio non mutato, quia consilium Domini manet in æternum (*Psal.* xxxii, 11); ita dicitur

oblivisci, quando tardare videtur adjutorium vel promissum, vel non retribuere digna peccantibus, vel si quid hujusmodi, tanquam ejus memoriæ sit elapsum quod speratur sive timetur, et non fit. Dicuntur ista locutione morali, qua humanus movetur affectus; quamvis hæc Deus faciat certa dispositione, non deficiente memoria, nec obscurata intelligentia, nec voluntate mutata. Cum itaque dicitur ei, *Memento*, orantis desiderium, quia promissum poscit, ostenditur, et extenditur; non Deus, quasi ei de mente id exciderit, admonetur. *Memento*, inquit, *verbi tui servo tuo*: hoc est, imple promissum servo tuo. *In quo spem dedisti mihi*: hoc est, in quo verbo, quoniam promisisti, me sperare fecisti.

2. [*vers.* 50.] *Hæc me consolata est in humilitate mea.* Hæc scilicet spes quæ data est humilibus, dicente Scriptura, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacobi* IV, 6; *et* I *Petr.* V, 5). Unde ore proprio etiam ipse Dominus ait: *Quoniam qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11; *et* XVIII, 14). Bene hic intelligimus etiam illam humilitatem, non qua se quisque humiliat confitendo peccata, nec sibi arrogando justitiam; sed qua quisque humiliatur aliqua tribulatione vel dejectione, quam meruit ejus superbia, aut exerceetur probaturque patientia: unde paulo post dicit hic psalmus, *Priusquam humiliarer, ego deliqui.* Et illud in libro Sapientiæ: *In dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe; quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero acceptabiles in camino humiliationis* (*Eccli.* II, 4, 5). Quod ait *acceptabiles*, ibi spem dedit quæ consolaretur in humilitate. Et Dominus Jesus hanc humilitatem cum discipulis prædiceret a persecutoribus esse venturam, non eos sine spe reliquit; sed hanc etiam, qua consolarentur, dedit dicens, *In vestra patientia possidebitis animas vestras*: de ipso quoque corpore quod ab inimicis posset occidi, et quasi penitus interire, *Capillus*, inquit, *capitis vestri non peribit* (*Luc.* XXI, 19, 18). Hæc spes data est corpori Christi, quod est Ecclesia, qua consolaretur in humilitate sua. Propter quam spem dicit et apostolus Paulus: *Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 25). Sed æternorum est spes ista præmiorum: est et alia spes quæ in humilitate tribulationis plurimum consolatur, quæ sanctis data est in verbo Dei adjutorium gratiæ pollicentis, ne quisque deficiat. De qua spe [1] dicit Apostolus: *Fidelis Deus qui non permittet vos tentari super id quod potestis; sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere* (I *Cor.* X, 13). Hanc spem dedit etiam Salvator ore suo, quando ait: *Hac nocte postulavit satanas vexare vos sicut triticum; et ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua* (*Luc.* XXII, 31, 32). Hanc spem dedit et in oratione quam docuit, ubi monuit ut dicamus, *Ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* VI, 13): quodammodo enim promisit se daturum suis periclitantibus, quod dici voluit ab orantibus. Et nimirum de hac spe magis iste psalmus intelligendus est dicere, *Hæc me consolata est in humilitate mea, quoniam verbum tuum vivificavit me.* Quod expressius interpretati sunt qui non *verbum*, sed *eloquium* posuerunt: græcus enim λόγιον habet, quod est *eloquium*; non λόγος quod est *verbum*.

3. [*vers.* 51.] Sequitur autem: *Superbi inique agebant usque valde; a lege autem tua non declinavi.* Superbos intelligi voluit persecutores piorum; et ideo subjecit, *A lege autem tua non declinavi*, quia hoc eum facere illorum persecutio compellebat. Quos *usque valde* inique dicit egisse, quia non solum erant impii, verum etiam pios impios esse cogebant. In hac humilitate, hoc est, in hac tribulatione spes consolata est, quæ data est in verbo Dei pollicentis adjutorium, ne deficiat fides martyrum; et præsentia Spiritus sui vires impertientis laborantibus, ut evadentes de muscipula venantium dicerent: *Nisi quia Dominus erat in nobis, fortasse vivos absorbuissent nos* (*Psal.* CXXIII, 2, 3).

4. An forte quod ait, *Hæc me consolata est in humilitate mea*, illam dicit humilitatem qua homo est dejectus et projectus in mortem, ex peccato illo quod valde infeliciter in paradisi felicitate commissum est? In hac quippe humilitate, in qua homo vanitati similis factus est et dies ejus sicut umbra prætereunt (*Psal.* CXLIII, 4), omnes filii iræ sunt, nisi per Mediatorem reconcilientur Deo, qui prædestinati sunt in æternam salutem ante mundi constitutionem (*Ephes.* I, 4, 5): in quo Mediatore et antiqui justi spem habebant, quando eum in carne venturum prophetiæ spiritu prævidebant. Quod ergo verbum ad eos fiebat de illo, etiam hoc bene hic intelligitur verbum, si et ipsorum accipimus istam vocem; de quo verbo dictum est, *Memento verbi tui servo tuo, in quo spem dedisti mihi. Hæc me consolata est in humilitate mea*; hoc est, in ista mortalitate mea: *quia eloquium tuum vivificavit me*; ut spem vitæ haberem projectus in mortem. *Superbi inique agebant usque valde*: quando quidem eorum superbiam nec humilitas mortalitatis edomuit. *A lege autem tua non declinavi*: quod me facere cogebant superbi.

5. [*vers.* 52.] *Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum*: vel, sicut alii codices habent, *et exhortatus sum*; id est, exhortationem accepi. Utrumque enim potuit interpretari de verbo græco, quod est παρεκλήθην. *A sæculo* ergo ex quo genus humanum sumpsit exordium, *memor fui judiciorum tuorum* super vasa iræ, quæ perfecta [1] sunt in perditionem: *et consolatus sum*, quia per hæc quoque ostendisti divitias gloriæ tuæ in vasa misericordiæ tuæ (*Rom*, IX, 22 *et* 23).

6. [*vers.* 53, 54] « Tædium detinuit me a peccatoribus relinquentibus legem tuam. Cantabiles erant mihi justificationes tuæ in loco incolatus mei: » vel, sicut alii codices habent, *in loco peregrinationis meæ.* Ipsa est illa humilitas in loco mortalitatis peregrinantis hominis de paradiso et de illa superna Jerusalem [2], unde quidam descendens in Jericho incidit in latro-

[1] Am. Er. et omnes Mss., *re*.

[1] Am. Er. et fere omnes Mss., *parata*.

[2] Sic Mss. At Er. et Lov., *et peregrinationis hominis de paradiso et de illa superna Jerusalem ejecti.*

nes : sed propter misericordiam quæ per illum Samaritanum cum illo facta est (*Luc.* x, 30, 37), cantabiles illi erant justificationes Dei in loco peregrinationis suæ; quamvis eum tædium teneret a peccatoribus relinquentibus legem Dei, quia cum eis conversari in hac vita vel ad tempus cogitur, donec area ventiletur. Possunt autem isti duo versus ad singulas partes unius superioris aptari : ut quod ait, *Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine*, ad hoc referatur, *Tædium detinuit me a pecccatoribus derelinquentibus legem tuam :* quod vero ibi ait, *Et consolatus sum ;* ad hoc referatur, *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.*

7. [*vers.* 55.] *Memor*, inquit, *fui in nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam.* Nox est illa humilitas, ubi est mortalitatis ærumna; nox est in superbis inique agentibus usque valde, nox in tædio a peccatoribus relinquentibus legem Dei; nox est postremo in loco peregrinationis hujus, donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis, et tunc laus erit unicuique a Deo (I *Cor.* IV, 5). In hac ergo nocte memor homo esse debet nominis Dei, ut qui gloriatur, in Domino glorietur (*Id.* I, 31) : propter quod et illud scriptum est, *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* CXIII, 1). Sic enim quisque non in sua, sed in Dei gloria (quia nec in sua, sed in Dei justitia, id est, a Deo sibi donata) custodit legem Dei; sicut iste ait, *Memor fui in nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam.* Quam non custodisset, si in sua virtute confidens, nominis Dei memor non fuisset : adjutorium enim nostrum in nomine Domini (*Psal.* CXXIII, 8).

8. [*vers.* 56.] Propter quod secutus adjunxit : *Hæc facta est mihi, quoniam justitias tuas exquisivi. Justitias* utique *tuas*, quibus justificas impium; non meas, quæ nunquam me pium faciunt, sed superbum. Non enim erat iste aliquis eorum qui *ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* x, 3). Has ergo justitias, quibus justificantur gratis per gratiam Dei, qui per seipsos justi esse non possunt, melius alii interpretati sunt *justificationes :* quia revera non δικαιοσύνας, id est, *justitias;* sed δικαιώματα græcus habet, quæ sunt *justificationes.* Sed quid sibi vult quod ait, *Hæc facta est mihi? Hæc* quid? An forte lex, quia dixerat, *Et custodivi legem tuam ;* quibus verbis subjunxit, *Hæc facta est mihi :* tanquam diceret, Hæc lex facta est mihi? Sed non est remorandum in exponendo quomodo sit ei facta lex Dei. Græca enim locutio unde ista translata est, satis indicat non de lege dictum esse, *Hæc facta est mihi;* quia lex in eadem lingua generis masculini est, et feminino pronomine etiam ibi scriptum est, *Hæc facta est mihi.* Quæritur ergo prius quæ illi facta sit, deinde quomodo illi facta sit, quæcumque illa sit. *Hæc*, inquit, *facta est mihi :* non utique, Hæc lex, quia hunc sensum, sicut dixi, græcus expellit. Forte ergo, Hæc nox : quia tota superior sententia sic se habet, *Memor fui in nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam;* et sequitur, *Hæc facta est mihi :* quia itaque non lex, profecto nox est quæ facta est illi. Quid est igitur, Nox mihi facta est, *quia justificationes tuas exquisivi?* Lux quippe potius est ei facta, non nox, quia justificationes exquisivit Dei. Ac sic recte intelligitur, *facta est mihi,* ac si diceretur, facta est pro me, id est factum est ut prodesset mihi. Si enim humilitas illa mortalitatis non absurde intelligitur nox, ubi invicem latent corda mortalium, ut de talibus tenebris innumerabiles et graves tentationes oriantur, ita ut in eadem nocte pertranseant etiam bestiæ silvæ, catuli leonum rugientes, quærentes a Deo escam sibi (*Psal.* CIII, 21); unde etiam de illo leone rugiente et quærente quem devoret (1 *Petr.* v, 8), Dominus ait quod jam supra commemoravi, *Hac nocte postulavit satanas vexare vos sicut triticum;* id est, hac nocte in qua pertranseunt bestiæ silvæ, vos leo ille magnus quæsivit a Deo escam sibi : profecto hæc ipsa humilitas in loco peregrinationis hujus, quæ nox recte intelligitur, prodest eis qui salubriter exercentur in ea, ut discant non superbire; propter quod malum in istam noctem pulsus est homo. Initium enim superbiæ hominis apostatare a Deo (*Eccli.* x, 14). Sed gratis justificatus, atque ut in ista humilitate proficiat variis tentationibus hujus noctis oppositus, jam intelligens dicat, quod in hoc psalmo aliquanto post dicitur, *Bonum est mihi quoniam humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Nam quid est aliud, *Bonum est mihi quoniam humiliasti me*, nisi, hæc humilitas quæ nox vocatur, *facta est mihi*, id est, factum est ut prodesset mihi? Sed quare hoc? *Quia* scilicet *justificationes tuas*, non meas *exquisivi.*

9. Possumus etiam quod dictum est, *Hæc facta est mihi*, sic intelligere, ut nec lex, nec nox subaudiatur, sed hoc pronomen quod est *Hæc,* non accipiatur aliter quam se habet ille in alio psalmo locus ubi legitur, *Unam petii a Domino, hanc requiram* (*Psal.* XXVI, 4). Nec dicit quid unam, vel quam unam, de qua dixerit, *Hanc requiram;* sed femininum genus quasi pro neutro positum est. Inusitate quippe dictum est, *Unam petii, hanc requiram;* ubi non subauditur quæ illa una sit : quod usitatius diceretur, Unum petii a Domino, hoc requiram, ut inhabitem in domo Domini. In his enim neutris non solet exigi neutrum quod subaudiendum sit, ut puta, unum bonum, aut unum donum, vel si quid hujusmodi; sed quidquid illud est, etiamsi masculino vel feminino genere nuncupetur, vel sine ullo nomine ullius generis quibuslibet verbis insinuetur, solita omnino locutione sub genere neutro intelligitur. Ita ergo et hic eo modo dici potuit, *Hæc facta est mihi,* tanquam dictum esset, Hoc factum est mihi. Si autem quæramus quid illud sit, occurrit quod supra dixerat : *Memor fui in nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam.* Hoc factum est mihi; id est, hoc quod custodivi legem tuam, non per meipsum feci, sed factum est mihi, utique abs te : *quia justificationes,* non meas, sed *tuas exquisivi. Deus est enim*, inquit Apostolus, *qui operatur in vobis et velle et operari, pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 13). Hoc etiam per prophetam Deus dicit : *Et fa-*

ciam ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis, et faciatis (*Ezech.* XXXVI, 27). Quapropter Deo dicente, *Ego faciam ut judicia mea observetis, et faciatis;* rectissime iste dicit, Hoc factum est mihi: ut cum quæsieris quid illud sit, respondeat quod supra dixerat, Ut custodirem legem Dei. Sed quia iste in longum sermo processit, ea quæ sequuntur, Domino donante, ab alio melius tractabuntur exordio.

SERMO XVI.

1. [*vers.* 57.] Hos versus psalmi hujus magni nunc aggredimur in Dei voluntate tractandos, *Pars mea Dominus;* quod habent quidam, *Portio*[1] *mea, Domine.* Quod utrum ideo dicatur, quia particeps ejus fit quisquis ei adhæret, sicut scriptum est, *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII, 28); non enim existendo sunt homines dii, sed fiunt participando illius unius qui verus est Deus: an quia[2] partes sibi eligunt homines in hoc mundo, sive sortiuntur, alius hoc, alius illud, unde quisque vivat; quodammodo portio piorum Deus est unde semper vivant: uterque non est sensus absurdus. Sed quod sequitur audiamus: *Dixi, custodire legem tuam.* Quid est, *Portio mea, Domine, dixi, custodire legem tuam;* nisi quia ita erit portio cujusque Dominus, cum legem ejus custodierit?

2. [*vers.* 58, 59.] Sed quomodo custodit, nisi hoc donet atque ad hoc adjuvet Spiritus vivificans; ne littera occidat (II *Cor.* III, 6), et peccatum occasione accepta per mandatum operetur in homine omnem concupiscentiam (*Rom.* VII, 8). Invocandus est igitur: sic enim ab eo fides impetrat quod lex imperat; quoniam qui invocaverit nomen Domini, salvus erit (*Joel* II, 32; *Rom.* X, 13). Et ideo vide quid subjungat: *Precatus sum faciem tuam in toto corde meo.* Et dicens quomodo sit precatus: *Miserere,* inquit, *mei secundum eloquium tuum.* Et tanquam exauditus atque adjutus ab eo quem precatus est: *Cogitavi,* inquit, *vias meas, et averti pedes meos in testimonia tua. Averti* scilicet a viis meis, quæ displicuerunt mihi, ut irent in testimonia tua, atque ibi haberent viam. Plures enim codices non habent, *Quia cogitavi,* sicut in quibusdam legitur; sed tantummodo, *Cogitavi.* Quod autem hic positum est, *Et averti pedes meos;* nonnulli habent, *Quia cogitavi, et avertisti pedes meos:* ut hoc Dei potius gratiæ tribuatur, secundum illud quod Apostolus ait, *Deus est enim qui operatur in vobis* (*Philipp.* II, 13): cui etiam dicitur, *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Si oculos, ne videant vanitatem, cur non et pedes, ne sectentur errorem? Propter quod et illud scriptum est: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos* (*Psal.* XXIV, 15). Sed sive *avertisti pedes meos,* sive *averti pedes meos* legatur, ab illo fit ut faciamus, cujus faciem precatus est in corde suo, et cui dixit, *Miserere mei secundum eloquium tuum,* hoc est, secundum verbum promissionis tuæ. Filii quippe promissionis in semine deputantur Abrahæ. (*Rom.* IX, 8 *et* 9).

3. [*vers.* 60.] Denique hoc impetrato gratiæ beneficio, *Paratus sum,* inquit, *et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua:* quod aliqui interpretati sunt, *ad custodiendum mandata tua;* aliqui, *ut custodirem;* aliqui, *custodire:* quod græcus posuit, τοῦ φυλάξασθαι.

4. [*vers.* 61.] Quam vero paratus factus sit ad custodienda divina mandata subdidit, dicens: *Funes peccatorum circumplexi sunt me, et legis tuæ non sum oblitus. Funes peccatorum* impedimenta sunt inimicorum, sive spiritualium, sicut diaboli et angelorum ejus, sive carnalium, in quibus filiis infidelitatis diabolus operatur (*Ephes.* II, 2). Non enim hoc nomen quod dictum est *peccatorum,* ab eo quod sunt peccata declinatum est, sed ab eo quod sunt peccatores: quod in græco evidenter apparet (*a*). Cum itaque minantur mala, quibus terreant justos, ne pro Dei lege patiantur, quodammodo funibus[1] implicant, veluti valida et robusta reste sua. Trahunt enim peccata sicut restem longam (*Isai.* V, 18). Et hinc sanctos implicare conantur, et aliquando permittuntur. Sed si implicant corpus, non implicant animum, ubi non est iste Dei legis oblitus; quia sermo Dei non est alligatus (II *Tim.* II, 9).

5. [*vers.* 62.] *Media nocte,* inquit, *surgebam ad confitendum tibi, super judicia justitiæ tuæ.* Quia et hoc ipsum quod funes peccatorum circumplectuntur justum, judicia sunt justitiæ Dei. Propter quod dicit apostolus Petrus, tempus esse *ut judicium jam incipiat a domo Domini. Et si initium,* inquit, *a nobis, qualis finis erit eis qui non credunt Domini Evangelio? Et si justus quidem vix salvus erit, peccator et impius ubi parebunt* (I *Petr.* IV, 17, 18)? Hoc enim ait de persecutionibus quas patiebatur Ecclesia, cum funes peccatorum circumplecterentur eam. Proinde mediam noctem graviora tribulationis intelligenda existimo. In qua dixit *Surgebam:* quia non eum sic affligebat, ut dejiceret; sed exercebat, ut surgeret, id est, ut ea ipsa tribulatione ad fortius confitendum proficeret.

6. [*vers.* 63, 64.] Jam vero quia ista fiunt gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, vocem personæ suæ per hanc prophetiam suo corpori adjungit ipse Salvator. Ad ipsum caput enim proprie quod sequitur pertinere arbitror, *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.* Sicut est in Epistola quæ ad Hebræos inscribitur: *Qui enim sanctificat, et qui sanctificantur, ex uno omnes; propter quam causam non confunditur fratres eos vocare.* Et paulo post: *Propterea ergo,* inquit, *quia pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse propemodum eorum participavit* (*Hebr.* II, 11, 14). Quod quid est aliud, quam, Eorum particeps factus est? Neque enim efficeremur participes divinitatis ejus, nisi ipse mortalitatis nostræ particeps fieret. Nam et in Evangelio, quod nos divinitatis ejus participes facti sumus, ita dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus,*

[1] Plerique Mss., *Pars.*
[2] Er. et Lov., *sicut partes.* Abest, *sicut,* ab Am. et Mss.

[1] Plerique Mss., *funes.*
(*a*) Græc. *amartôlôn.*

neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Ut autem hoc fieret, quia et ipse factus est particeps mortalitatis nostræ, ita ibi sequitur : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 12-14). Per hanc ejus participationem nobis gratia subministratur, ut caste timeamus Deum, et custodiamus mandata ejus. Proinde ipse Jesus loquitur in ista prophetia : sed quædam in membris suis et unitate corporis sui, tanquam in uno quodam homine diffuso toto orbe terrarum, et succrescente per volumina sæculorum; quædam vero in seipso capite nostro. Unde et hoc est quod ait, *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua.* Et quia propter hoc quod particeps factus est fratrum suorum, Deus hominum, immortalis mortalium, ideo granum cecidit in terram, ut mortificatum multum fructum faceret; de ipso fructu secutus adjunxit, *Misericordia tua, Domine, plena est terra.* Et unde hoc, nisi cum justificatur impius? In cujus gratiæ scientia ut proficiatur, adjungit, *Et justificationes tuas doce me.*

SERMO XVII.

1. [*vers.* 65.] Hi versus psalmi hujus, de quibus nunc in voluntate Dei disputaturi sumus, ab hoc incipiunt, *Suavitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum;* vel potius, *secundum eloquium tuum.* Sed quod ait græcus χρηστότητα aliquando *suavitatem*, aliquando *bonitatem* nostri interpretes transtulerunt. Verum quia suavitas potest esse et in malo, quando illicita quæque et immunda delectant, potest etiam esse et in ea quæ conceditur voluptate carnali; sic debemus intelligere *suavitatem*, quam χρηστότητα Græci vocant, ut in bonis spiritualibus deputetur : propter hoc enim eam et *bonitatem* nostri appellare voluerunt. Nihil hic ergo aliud dictum existimo, *Suavitatem fecisti cum servo tuo*, nisi, fecisti ut me delectaret bonum. Quando enim delectat bonum, magnum est Dei donum[1]. Quando autem bonum opus quod lex imperat, fit timore pœnæ, non delectatione justitiæ, cum Deus metuitur, non amatur; serviliter fit, non liberaliter. Servus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum (*Joan.* VIII, 35); quia consummata charitas foras mittit timorem (I *Joan.* IV, 18). *Suavitatem* itaque *fecisti cum servo tuo, Domine,* faciendo filium qui servus fuit : *secundum eloquium tuum*, hoc est, secundum promissum tuum; ut secundum fidem firma sit promissio omni semini (*Rom.* IV, 16).

2. [*vers.* 66.] *Suavitatem, et eruditionem, et scientiam doce me*, inquit, *quoniam mandatis tuis credidi.* Augeri sibi ista poscit et perfici : nam utique qui jam dixerat, *Suavitatem fecisti cum servo tuo;* quomodo dicit, *Suavitatem doce me*, nisi ut ei gratia Dei magis magisque innotescat dulcedine bonitatis? Habebant enim fidem qui dixerunt : *Domine, auge nobis fidem* (*Luc.* XVII, 5). Et quamdiu vivitur in hoc mundo, proficientium est ista cantatio. Addidit autem, *et eruditionem;* vel, sicut plures codices habent, *disciplinam.* Sed *disciplinam*, quam Græci appellant παιδείαν, ibi Scripturæ nostræ ponere consueverunt, ubi intelligenda est per molestias eruditio; secundum illud : *Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit.* Hæc apud ecclesiasticas Litteras dici assolet disciplina, interpretata de græco, ubi legitur, παιδεία. Hoc enim verbum in græco positum est in Epistola ad Hebræos, ubi latinus interpres ait : *Omnis disciplina ad præsens non gaudii videtur esse, sed tristitiæ; postea autem fructum pacificum his qui per eam certarunt, reddit justitiæ* (*Hebr.* XII, 6, 11). Cum quo ergo facit Deus suavitatem, id est, cui propitius inspirat boni delectationem; atque, ut apertius id explicem, cui donatur a Deo charitas Dei, et propter Deum charitas proximi, profecto instanter orare debet, quo tantum sibi augeatur hoc donum, ut non solum pro illo contemnat delectationes cæteras, sed etiam pro illo quaslibet perferat passiones. Ita suavitati salubriter additur disciplina. Non enim quantulæcumque suavitati vel bonitati, hoc est, charitati sanctæ poscenda et optanda est; sed tam magnæ, ut sub ejus pressura non possit exstingui, sed sicut ingens flamma sub impetu venti, quanto magis reprimitur, tanto ardentius excitari. Ideo parum fuit dicere, *Suavitatem fecisti cum servo tuo;* nisi rursus peteret ut eum doceat suavitatem, tantam utique ut disciplinam possit patientissime sustinere. Tertia ponitur scientia; quoniam si magnitudine sua præcedit scientia magnitudinem charitatis, non ædificat, sed inflat (I *Cor.* VIII, 1). Cum ergo tanta fuerit charitas in bonitate suavi, ut tribulationibus non possit exstingui, quas adhibet disciplina, tunc utilis erit scientia, qua innotescit etiam sibi homo quid ipse meruerit, et quæ a Deo donata sint ei, per quæ posse se sciat quæ se posse nesciebat, et per seipsum omnino non poterat.

3. Quod autem non ait, Da mihi; sed, *Doce me :* quomodo suavitas docetur, si non detur? Quandoquidem multi quod eos non delectat sciunt, et quarum rerum habent cognitionem, non habent suavitatem. Suavitas enim disci[1] non potest, nisi delectet. Item disciplina, quæ significat emendatoriam tribulationem, accipiendo discitur; id est, non audiendo vel legendo, vel cogitando, sed experiendo. At vero scientia, quam tertiam posuit in his quæ ait, *Doce me*, docendo datur. Nam quid est aliud docere, quam scientiam dare? Et hæc duo ita sibi connexa sunt, ut alterum sine altero esse non possit. Nemo enim docetur nisi discat, et nemo discit nisi doceatur. Et ideo si discipulus capax non sit eorum quæ a doctore dicuntur, non potest doctor dicere, Ego eum docui, sed ipse non didicit : dicere autem potest, Ego ei dixi quod dicendum fuit, sed ille non didicit; quia non percepit, non comprehendit, non intellexit. Nam profecto et ille didicisset, si iste docuisset. Et ideo Deus, quando vult docere, prius dat intellectum, sine quo ea quæ ad divinam doctrinam pertinent, homo non potest discere : unde et iste paulo post dicit, *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Potest itaque homo, cum docere aliquem cupit, dicere

[1] Sic Am. et Mss. At Lov., *magnum Dei bonum est.*

[1] Plerique Mss., *dici.*

illa quæ dixit Dominus discipulis suis, posteaquam resurrexit a mortuis; sed facere quod ille fecit, non potest. Ait enim Evangelium : *Tunc aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit illis* (*Luc.* XXIV, 45, 46). Quid autem illis dixerit, ibi legitur: sed ideo ceperunt quod dixit, quia unde caperetur aperuit. Docet ergo Deus suavitatem inspirando delectationem, docet disciplinam temperando tribulationem, docet scientiam insinuando cognitionem. Cum itaque alia sint quæ ideo discimus ut tantummodo sciamus, alia vero ut etiam faciamus; quando Deus ea docet, sic docet ut scienda sciamus, aperiendo veritatem, sic docet ut facienda faciamus, inspirando suavitatem. Neque enim frustra ei dicitur, *Doce me ut faciam voluntatem tuam* (*Psal.* CXLII, 10). Sic, inquit, *doce ut faciam*, non tantummodo ut sciam. Ipsa quippe recte facta, fructus est noster quem reddimus agricolæ nostro : sed Scriptura dicit, *Dominus dabit suavitatem, et terra nostra dabit fructum suum* (*Psal.* LXXXIV, 13). Quæ autem ista terra est, nisi de qua dicitur eidem ipsi qui dat suavitatem, *Anima mea velut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII, 6)?

4. Quod vero cum dixisset, *suavitatem, et disciplinam, et scientiam doce me;* adjunxit atque ait, *Quoniam mandatis tuis credidi :* non immerito quæri potest cur non dixerit, obedivi; sed, *credidi.* Alia sunt enim mandata, alia promissa. Mandata facienda suscipimus, ut accipere promissa mereamur. Promissis ergo credimus, mandatis obtemperamus. Quid est ergo, *mandatis tuis credidi*, nisi, credidi quod tu illa mandaveris, non aliquis homo, quamvis per homines hominibus ministrata sint? Quia itaque credidi tua esse mandata, ipsa fides mea qua id credidi, impetret abs te gratiam qua faciam quod mandasti. Si enim homo mihi hæc juberet forinsecus; numquid, ut etiam facerem quod jubebat, adjuvaret intrinsecus? Doce ergo me suavitatem inspirando charitatem, doce me disciplinam donando patientiam, doce me scientiam illuminando intelligentiam : *Quoniam mandatis tuis credidi.* Te illa credidi mandasse qui Deus es, et homini donas unde facias cum facere quod mandas.

5. [*vers.* 67.] *Priusquam humiliarer*, inquit, *ego deliqui; propterea verbum tuum*, vel, sicut alii expressius habent, *propterea eloquium tuum custodivi :* utique ne rursum humiliarer. Quod ad illam humiliationem melius refertur, quæ facta est in Adam, in quo omnis creatura humana tanquam in radice vitiata, quoniam veritati subjecta esse non voluit, subjecta est vanitati (*Rom.* VIII, 20). Quod vasis misericordiæ profuit experiri, ut dejecta superbia diligatur obedientia, et pereat non reditura miseria.

6. [*vers.* 68.] *Suavis es, Domine;* vel, sicut plures habent, *Suavis es tu, Domine :* aliqui etiam, *Suavis es tu*, vel, *Bonus es tu;* sicut de hoc verbo superius tractavimus. *Et in tua suavitate doce me justificationes tuas.* Vere vult facere justificationes Dei, quando eas in ejus suavitate vult discere ab ipso cui dixit, *Suavis es tu, Domine.*

7. [*vers.* 69.] Denique sequitur, *Multiplicata est super me iniquitas superborum :* eorum scilicet quibus non profuit, quod posteaquam deliquit, humiliata est humana natura. *Ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.* Quantalibet, inquit, abundet iniquitas, non in me refrigescet charitas (*Matth.* XXIV, 12). Tanquam ille hoc dicit, qui in ejus suavitate justificationes Dei discit. Quanto magis enim suavia sunt quæ jubet qui juvat, tanto magis ea scrutatur amans, ut cognita faciat et faciendo cognoscat; quia perfectius cognoscuntur, cum fiunt.

8. [*vers.* 70.] *Coagulatum est ut lac cor eorum.* Quorum, nisi superborum quorum super se multiplicatam dixit iniquitatem? Obduruisse autem cor eorum vult intelligi hoc verbo et hoc loco. Nam dicitur et in bono, sicut in psalmo sexagesimo septimo dicitur, *Mons incaseatus, mons uber* (*Psal.* LXVII, 16); et intelligitur gratia plenus : nam et illud quidam, *coagulatus*, interpretati sunt. Sed vide quid a se opponat duritiæ cordis illorum : *Ego vero*, inquit, *legem tuam meditatus sum.* Quam legem? Utique justissimam et misericordissimam : unde illi dicitur, *Et lege tua miserere mei.* Superbis resistit, ut obdurentur; humilibus autem dat gratiam (*Jacobi* IV, 6; *et* I *Petr.* V, 5), ut diligant obedientiam, et [1] recipiant excellentiam. Meditatione quippe legis hujus, voluntaria servatur humilitas, ut pœnalis humilitas evadatur, de qua mox dicit.

9. [*vers.* 71.] *Bonum mihi quoniam humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* Vicinum aliquid et superius jam dixerat, *Priusquam humiliarer, ego deliqui; propterea eloquium tuum custodivi.* Ipso quippe fructu ostendit quod bonum illi fuerit humiliari; sed illic dixit et causam, quod humilitatem pœnalem delinquendo præcesserit. Quod vero ibi ait, *Propterea eloquium tuum custodivi;* hic autem, *Ut discam justificationes tuas :* satis significasse mihi videtur hoc esse ista nosse quod custodire, hoc custodire quod nosse. Neque enim Christus non noverat quod arguebat; et tamen arguebat peccatum, cum dictum de illo sit quod *non noverat peccatum* (II *Cor.* V, 21). Noverat ergo quadam notitia, et rursus quadam ignorantia non noverat. Sic et justificationes Dei multi discunt, et non discunt. Noverunt enim eas quadam notitia; et rursus quadam ignorantia, quoniam non faciunt, non noverunt. Eo modo hic ergo intelligendus est dixisse, *Ut discam justificationes tuas;* ea notitia qua fiunt.

10. [*vers.* 72.] Hoc autem quia non fit nisi per dilectionem, ubi qui facit habet delectationem, propter quod dictum est, *In tua suavitate doce me justificationes tuas;* sequens versus ostendit, ubi ait, *Bona mihi lex oris tui, super millia auri et argenti :* ut amplius diligat charitas legem Dei, quam diligit cupiditas millia auri et argenti.

SERMO XVIII.

1. [*vers.* 73.] Quando Deus hominem fecit ex pulvere, et animavit flatu, non ibi commemoratum est

[1] Edd., *et ne recipiant.* Particula, *ne*, abest a MSS.

quod manibus fecerit. Cur itaque quibusdam visum fuerit verbo Deum fecisse cætera, hominem vero velut aliquid præcipuum fecisse manibus suis, non video: nisi forte quia ex pulvere formatum legitur hominis corpus (*Gen.* II, 7), non potuisse fieri nisi manibus arbitrantur; nec attendunt quod in Evangelio de Verbo Dei scriptum est, *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 3), non posse constare, si non per Verbum factum est etiam corpus humanum. Sed adhibent testimonium de hoc psalmo, et dicunt: Ecce ubi apertissime clamat homo, *Manus tuæ fecerunt me, et finxerunt me.* Quasi non aperte etiam dictum sit, *Videbo cœlos, opera digitorum tuorum* (*Psal.* VIII, 4); nec minus aperte, *Et opera manuum tuarum sunt cœli* (*Psal.* CI, 26); multoque apertius, *Et aridam terram manus ejus finxerunt* (*Psal.* XCIV, 5). Manus ergo Dei sunt potestas Dei. Aut si pluralis numerus eos movet, quia non dictum est, manus tua, sed, *manus tuæ;* accipiant manus Dei, virtutem et sapientiam Dei, quod utrumque unus dictus est Christus (I *Cor.* I, 24): qui etiam intelligitur brachium Domini, ubi legitur, *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isai.* LIII, 1)? Aut accipiant manus Dei, Filium et Spiritum sanctum; quia et Spiritus sanctus cooperator est Patris et Filii: unde ait Apostolus, *Omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus* (I *Cor.* XII, 11). Propterea quippe dixit, *Unus atque idem;* ne tot spiritus quot opera putarentur, non quod sine Patre et Filio Spiritus operetur. Liberum est igitur quomodo intelligantur manus Dei: dum tamen nec ea quæ facit manibus, Verbo facere negetur; nec ea quæ facit Verbo, manibus facere non putetur; nec propter manus forma corporis, aut alia manus sinistra, alia dextra, nec propter Verbum sonus oris, vel motus animi transitorius operanti Deo inesse credatur.

2. Nec defuerunt qui duo ista verba, *fecerunt me, et finxerunt me,* sic distinguerent, ut animam Deum fecisse, corpus autem finxisse dicerent; quia de anima dixit Deus, *Omnem flatum ego feci* (*Isai.* LVII, 16); de corpore autem legitur, *Et finxit Deus hominem pulverem de terra* (*Gen.* II, 7): tanquam fiat quidem omne quod fingitur, non tamen fingatur omne quod fit. Et ideo animam factam potius dicunt esse quam fictam, quia non est corpus, sed spiritus; quasi non scriptum sit, *Qui finxit spiritum hominis in ipso* (*Zachar.* XII, 1). Verumtamen quando utrumque hoc verbum de homine in loco uno ponitur, et utrumque hominis, id est, et anima et corpus divinitus conditum non negatur; non ineleganter distribuuntur singulis singula, ut anima facta, corpus autem fictum intelligatur, sive formatum, sive plasmatum. Nam quidam interpretes noluerunt dicere, *finxerunt me;* sed, *plasmaverunt me:* magis diligentes minus latine declinare de græco, quam dicere *finxerunt,* quod aliquando etiam de simulatione dici solet.

3. Sed utrum hoc secundum Adam dictum est, ex quo cum sint omnes homines propagati, quis hominum, quando ille factus est, etiam se factum non potest dicere originis seminisque ratione? An etiam secundum hoc recte dici potuit, *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me,* quoniam unusquisque non sine opere Dei etiam de parentibus fit, ipso creante, illis generantibus? Quoniam si operatoria Dei potentia rebus subtrahatur, intereunt; nec aliquid omnino sive de mundi elementis, sive de genitoribus, sive de seminibus nascitur, si ea non operetur Deus. Propter quod ait prophetæ Jeremiæ, *Priusquam te formarem in utero, novi te* (*Jerem.* I, 5). Sed numquid sine intellectu fecit hominem Deus, sive primum, sive unumquemque nascentium, et nunc dicat ei, *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me; da mihi intellectum?* Nonne ipsi naturæ humanæ intellectus est inditus, ut eo discernatur a pecore? An sic est deformata peccando, ut etiam hoc in ea reformandum sit? Propter quod et Apostolus omnibus ad regenerationem pertinentibus dicit, *Renovamini spiritu mentis vestræ:* et utique intellectus in mente est. Hinc rursus ait, *Reformamini in novitate sensus vestri* (*Rom.* XII, 2): de his autem qui hujus regenerationis consortes non erant, «Hoc» inquit, «dico et testificor in Domino, ut non jam ambuletis sicut et Gentes ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intelligentia, alienati a via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis eorum» (*Ephes.* IV, 17, 18, 23). Propter hos igitur interiores oculos, quorum cæcitas est non intelligere, ut aperiantur, et magis magisque serenentur, fide corda mundantur (*Act.* XV, 9). Quamvis enim, nisi aliquid intelligat, nemo possit credere in Deum; tamen ipsa fide qua credit, sanatur, ut intelligat ampliora. Alia sunt enim quæ nisi intelligamus, non credimus, et alia sunt quæ nisi credamus, non intelligimus. Nam cum fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi (*Rom.* X, 17); quomodo credit prædicanti fidem, qui, ut alia taceam, linguam ipsam quam loquitur non intelligit? Sed nisi essent rursus aliqua quæ intelligere non possumus, nisi ante credamus, propheta non diceret, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *sec.* LXX). Proficit ergo noster intellectus ad intelligenda quæ credat, et fides proficit ad credenda quæ intelligat; et eadem ipsa ut magis magisque intelligantur, in ipso intellectu proficit mens. Sed hoc non fit propriis tanquam naturalibus viribus, sed Deo adjuvante atque donante; sicut medicina fit, non natura, ut vitiatus oculus vim cernendi recipiat. Qui ergo dicit Deo, *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua,* non omnimodo expers ejus est, velut pecus; nec ita, quamvis homo, ut in eorum numero deputandus sit, qui *ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intelligentia, alienati a via Dei.* Nam si talis esset, nec hoc diceret. Non autem parvi est intellectus, nosse a quo poscendus sit intellectus. Et cogitandum est quanto sint altius intelligenda divina mandata; quando ad ea discenda sibi adhuc dari intellectum petit, qui jam sic intelligit, et qui eloquia Dei se custodisse ante jam dixit.

4. Quod autem interpretati sunt nostri, *Da mihi*

intellectum; brevius dixit græcus, *συνέτισόν με* : quia uno verbo complexus est, *Da mihi intellectum*, quod est *συνέτισον*, quod latine uno verbo dici non potest : tanquam si non posset latine dici, sana me ; et diceretur, da mihi sanitatem, sicut hic dictum est, *Da mihi intellectum;* aut, sanum me fac, sicut etiam hic dici potest, intelligentem me fac. Quod quidem potuit et angelus facere ; nam dixit Danieli, *Veni intellectum dare tibi* (*Dan*. x, 14) : et hoc verbum est in græco, quod etiam hic est, *συνετίσαι σε*; tanquam si diceret latinus, sanitatem dare tibi, quod græcus dixisset, sanare te. Non enim circumloqueretur latinus interpres dicendo, intellectum dare tibi : si quemadmodum dici potest a sanitate, sanare te, ita dici posset ab intellectu, intellectuare te. Sed si potest hoc et angelus facere, quid est quod iste hoc a Deo sibi poscit ut fiat? An quia Deus angelo jusserat ut faceret? Ita vero : nam Christus intelligitur hoc jussisse angelo ut faceret, eo loco ubi ait Propheta, « Et factum est, cum viderem ego Daniel visum, et quærebam intellectum, et ecce stetit in conspectu meo ut visus viri, et audivi vocem viri inter Ubal, et vocavit, et dixit[1], Fac intelligere illum visionem » (*Id*. viii, 15 *et* 16) : et ibi in græco verbum hoc est quod et hic, id est *συνέτισον*. Deus itaque per seipsum, quia lux est (*Joan*. i, 4, 9), illuminat pias mentes, ut ea quæ divina dicuntur vel ostenduntur, intelligant. Sed si ad hoc ministro utitur angelo, potest quidem aliquid agere angelus in mente hominis, ut capiat lucem Dei, et per hanc intelligat : sed ita dicitur intellectum dare homini, et quasi, ut ita dicam, intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dicitur lucem dare domui, vel illuminare domum, cui fenestram facit ; cum eam non sua luce penetret et illustret, sed tantummodo aditum quo penetretur atque illustretur, aperiat. Sed nec sol qui per fenestram illustrat domum, ipse creavit eamdem domum, aut hominem qui fenestram fecit in domo, aut ipse illi jussit ut faceret, aut adjuvit ipse facientem, aut aliquid egit ut aperiretur qua suum lumen infunderet : Deus autem et hominis mentem rationalem atque intellectualem fecit, qua posset capere lumen ejus ; et angelum talem fecit, qui operari posset aliquid unde ad capiendum lumen Dei mens adjuvaretur humana ; et eamdem sic adjuvat mentem, ut angelicam recipiat operationem ; et eam sic illuminat de seipso, ut non solum illa quæ a veritate monstrantur, sed ipsam quoque proficiendo perspiciat veritatem. Sed quoniam res quidem necessarias, quantum existimo, tamen prolixa disputatione tractavimus, dilatis sequentibus psalmi hujus versibus, sermonem istum isto fine claudamus.

SERMO XIX.

1. [*vers*. 73.] Dominus Jesus in hoc psalmo per Prophetam, tanquam sibi, petivit intellectum dari a Deo corpori suo quod est Ecclesia, ad Dei mandata discenda. Cum ipso enim vita corporis ejus, hoc est populi ejus, abscondita est in Deo (*Coloss*. iii, 3), et ipse in eodem corpore suo indigentiam patitur, et poscit quod membris suis est necessarium. *Manus tuæ*, inquit, *fecerunt me, et plasmaverunt me; da mihi intellectum, ut discam mandata tua*. Quia tu, inquit, formasti, tu reforma ; ut fiat in corpore Christi, quod ait Apostolus, *Reformamini in novitate sensus vestri* (*Rom*. xii, 2).

2. [*vers*. 74.] *Qui timent te*, inquit, *videbunt me, et jucundabuntur ;* vel, sicut habent alii codices, *lætabuntur, quoniam in verba tua speravi :* id est, in ea quæ promisisti, ut sint promissionis filii, semen Abrahæ, in quo benedicuntur omnes gentes (*Gen*. xii, 3; *et* xxvi, 4). Qui sunt autem qui timent Deum, et quem videbunt et lætabuntur, quoniam in verba Dei speravit? Si corpus Christi est, id est Ecclesia, cujus est vox ista per Christum, vel in ipsa et de ipsa, tanquam de seipso ista vox Christi est ; numquid non ipsi sunt in eis[1] qui timent Deum? Quis est ergo ille quem vident, et jucundantur? An populus ipse se videt, et jucundatur, et sic dictum est, *Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur, quia in verba tua speravi ;* vel sicut alii diligentius expresserunt, *supersperavi* (*a*) : tanquam diceret, *Qui timent te*, *videbunt* Ecclesiam tuam, *et jucundabuntur*, *quia in verba tua supersperavi;* cum ipsi sint Ecclesia, qui vident Ecclesiam et jucundantur? Sed cur non dixit, qui timent te, vident me, et jucundantur : sed *timent te*, verbum præsentis temporis posuit ; *videbunt* autem et *jucundabuntur*, futuri temporis verba sunt? An quia in præsenti tempore timor est, quamdiu tentatio est vita humana super terram (*Job* vii, 1); jucunditas autem quam voluit hic intelligi, tunc erit quando justi fulgebunt in regno Patris sui sicut sol (*Matth*. xiii, 43)? Hinc enim etiam illud in alio psalmo legitur, « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te ! » Nunc ergo quamdiu timent, nondum vident ; sed « videbunt, » et « jucundabuntur : » quia et illic sequitur, « Perfecisti autem sperantibus in te » (*Psal*. xxx, 20, 21) ; et hic, « quia in verba tua speravi, » vel, « supersperavi : » ut in verbo ita composito et cura interpretis diligentioris expresso, etiam illud intelligamus, quod *potens est Deus facere supra quam petimus et intelligimus* (*Ephes*. iii, 20) ; ut quia *supra quam petimus et intelligimus* sunt, parum sit ea sperare, sed debeamus supersperare.

3. [*vers*. 75, 76.] Quia ergo adhuc timet Ecclesia quæ in hac vita est, et nondum se videt in eo regno ubi erit ejus secura jucunditas, sed inter periculosas tentationes in hoc mundo laborat, ubi audit, *Qui se putat stare, videat ne cadat* (I *Cor*. x, 12) ; considerans hujus mortalitatis miseriam, in qua jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, sic in omnibus pertenditur usque in diem sepulturæ in matrem omnium (*Eccli*. xl, 1), ut propter carnem concupiscentem adversus spiritum (*Galat*. v, 17), etiam regenerati gemere sub ejus gravitate co-

[1] Er. et Lov., *et dixit Ubal*. Abest, *Ubal*, ab Am. et a plerisque Mss.

[1] Quinque Mss., *non ipsa est in eis*, etc.
(*a*) Græc., *epélpisa*.

gantur : hoc ergo considerans, « Cognovi, » inquit, « Domine, quia justitia judicia tua, et veritate[1] humiliasti me. Fiat misericordia tua, et consoletur me secundum eloquium tuum servo tuo. » Misericordia et veritas ita divino eloquio commendantur, ut cum in multis inveniantur locis, maxime in Psalmis, quodam etiam loco legatur, *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10). Et hic quidem primo veritatem posuit, qua humiliati sumus in mortem, judicante illo cujus judicia justitia est : deinde misericordiam, qua instauramur ad vitam, promittente illo cujus beneficium gratia est. Ideo ait, *secundum eloquium tuum servo tuo :* id est, secundum quod promisisti servo tuo. Sive ergo regeneratio qua hic in Dei Filios adoptamur, sive fides et spes et charitas quæ tria ædificantur in nobis, quamvis de misericordia Dei veniant; tamen in hac ærumnosa et procellosa vita solatia sunt miserorum, non gaudia beatorum : ideo dictum est, *Fiat misericordia tua, ut consoletur me.*

4. [*vers.* 77.] Sed quia post hæc et per hæc etiam illa ventura sunt; ideo sequitur, *Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam.* Tunc enim vere vivam, quando nihil potero timere, ne moriar. Ipsa enim et sine ullo additamento dicitur vita, nec intelligitur nisi æterna et beata, tanquam sola dicenda sit vita, in cujus comparatione ista quam ducimus, mors potius sit appellanda quam vita : quale illud est in Evangelio, *Si vis venire ad vitam, serva mandata* (*Matth.* XIX, 17). Numquid addidit, æternam, vel, beatam? Item de resurrectione carnis cum loqueretur, *Qui bene fecerunt*, inquit, *in resurrectionem vitæ* (*Joan.* V, 29) : neque hic ait, æternæ, seu, beatæ. Sic et hic, *Veniant*, inquit, *mihi miserationes tuæ, et vivam :* neque hic ait, in æternum vivam, vel, beate vivam; quasi aliud non sit vivere, quam sine ullo fine et sine ulla miseria vivere. Sed hoc quo merito? *Quia lex*, inquit, *tua meditatio mea est.* Hæc meditatio nisi esset in fide, quæ per dilectionem operatur (*Galat.* V, 6), nunquam propter eam posset ad illam vitam quispiam pervenire. Hoc dicendum putavi, ne quisquam, cum totam legem memoriæ mandaverit, eamque creberrima recordatione cantaverit, non tacens quod præcipit, nec tamen vivens ut præcipit, arbitretur se fecisse quod legit, *Quia lex tua meditatio mea est;* et hinc se adepturum existimet, quod verbis superioribus propter hoc meritum postulavit, ubi dictum est, *Veniant super me miserationes tuæ, et vivam.* Hæc meditatio amantis est cogitatio, et tantum amantis, ut charitas non frigescat hujus meditationis suæ, quantalibet abundantia constipetur iniquitatis alienæ (*Matth.* XXIV, 12).

5. [*vers.* 78.] Denique sequitur, et dicit, *Confundantur superbi, quoniam injuste iniquitatem fecerunt in me : ego autem exercebor in mandatis tuis.* Ecce quod ait[2], meditatio legis Dei, vel potius meditatio lex Dei.

6. [*vers.* 79.] *Convertantur*, inquit, *ad me qui timent te, et qui cognoscunt testimonia tua.* In nonnullis codicibus invenimus et græcis et latinis, *Convertantur mihi;* quod tantumdem valere existimo, quantum si dicatur, *ad me.* Sed quis est iste qui hoc dicit? Non enim quisquam hominum hoc dicere audebit, aut si dicat, audiendus est. Nimirum ergo ille est qui etiam superius interposuit proprietatem vocis suæ, dicens: *Particeps ego sum omnium timentium te.* Quia factus est particeps mortalitatis nostræ, ut et nos participes divinitatis ipsius fieremus; nos unius participes ad vitam, ad mortem vero particeps ille multorum. Ipse est enim ad quem convertuntur timentes Deum, et qui cognoscunt Dei testimonia, de illo per Prophetas tanto ante prædicta, in ejus præsentia per miracula paulo ante monstrata.

7. [*vers.* 80.] *Fiat*, inquit, *cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.* Redit ad vocem corporis sui, sancti scilicet populi sui, et jam immaculatum fieri cor suum precatur, hoc est cor membrorum suorum; in justificationibus Dei, non in viribus eorum : poposcit enim hoc, non præsumpsit. Quod autem addidit, *Ut non confundar;* tale aliquid et in primis hujus psalmi versibus invenitur, ubi dixit, *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas : tunc non confundar, cum inspicio in omnia mandata tua.* Quod ibi, quia dixit, *Utinam*, uno verbo significavit optantis; hoc isto loco apertioribus verbis expressit orantis, dicendo, *Fiat cor meum immaculatum :* ut nec in illa, nec in ista sententia, quæ utraque una est, inveniatur audacia de libero arbitrio contra gratiam confidentis. Quod autem ait ibi, *Tunc non confundar;* hoc ait hic, *Ut non confundar.* Fit ergo cor immaculatum membrorum et corporis Christi, gratia Dei per ipsum corporis caput, hoc est per Jesum Christum Dominum nostrum, per regenerationis lavacrum (*Tit.* III, 5), ubi abolita sunt omnia præterita peccata nostra; per spiritus adjutorium, per quod concupiscimus adversus carnem (*Galat.* V, 17), ne vincamur in pugna nostra; per dominicæ orationis effectum[1], in qua dicimus, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12). Ita donata nobis regeneratione, adjuta conflictione[2], fusa precatione, fit cor nostrum immaculatum, ut non confundamur : quia et hoc ad justificationes Dei pertinet, quando inter ejus alia præcepta præcipitur, *Dimitte, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis* (*Luc.* VI, 37 *et* 38).

SERMO XX.

1. [*vers.* 81.] Adjuvante Domino, istam magni hujus psalmi partem considerandam exponendamque suscepimus, ubi dicit, *Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum speravi.* Non omnis defectus vel culpæ putandus est esse, vel pœnæ : est etiam defectus laudabilis vel optabilis. Nam cum sint inter se duo ista contraria, proficere et deficere; usitatius profectus in bono accipitur, defectus in malo, quando non additur vel subintelligitur in quid proficiatur vel

[1] Sic potiores Mss. juxta LXX. At Edd., *et in veritate tua.*
[2] Plures Mss., *agit.*

[1] Sic Mss. At Edd., *affectum.*
[2] Sic Mss. At Am., *adjuta confessione.* Er. et Lov., *adjuti confessione.*

deficiatur : cum vero additur, potest et malum esse proficere, bonumque deficere. Aperte quippe dixit Apostolus, *Profanas autem verborum novitates evita : multum enim proficient ad impietatem* (II *Tim.* II, 16) : ait et de quibusdam, *Proficient in pejus* (*Id.* III, 13). Ita et defectus a bono in malum malus est, a malo in bonum bonus est. Bono quippe defectu dictum est, *Desiderat et deficit anima mea in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII, 3). Sic et hic non ait, Defecit a salutari tuo ; sed, *Defecit in salutare tuum*, hoc est, ad salutare tuum, *anima mea*. Bonus est ergo iste defectus : indicat enim desiderium boni, nondum quidem adepti, sed avidissime ac vehementissime concupiti. Sed quis hoc dicit nisi genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis (I *Petr.* II, 9), ab origine generis humani usque ad hujus sæculi finem, in eis qui suo quique tempore hic vixerunt, vivunt, victuri sunt, desiderans Christum? Teste sanctissimo sene Simeone, qui cum eum infantem accepisset in manus, dixit, *Nunc dimittis, Domine, servum tuum, secundum verbum tuum in pace; quoniam viderunt oculi mei salutare tuum*. Acceperat enim responsum divinum, non se gustaturum mortem, nisi vidisset Christum Domini (*Luc.* II, 29, 30, 26). Quale autem desiderium fuit in isto sene, tale fuisse credendum est in omnibus superiorum temporum sanctis. Unde et ipse Dominus discipulis ait, *Multi prophetæ et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ auditis, et non audierunt* (*Matth.* XIII, 17) : ut ipsorum etiam vox hoc loco agnoscatur, *Defecit in salutare tuum anima mea*. Nec tunc ergo quievit hoc desiderium sanctorum, nec nunc quiescit in Christi corpore quod est Ecclesia, usque ad terminum sæculi, donec veniat *Desideratus cunctis gentibus*, sicut promittitur per prophetam (*Aggæi* II, 8). Propter quod dicit Apostolus : « Superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die justus judex; non solum autem mihi, sed et omnibus qui diligunt manifestationem ejus » (II *Tim.* IV, 8). Hoc itaque desiderium de quo nunc agimus, de dilectione consurgit manifestationis ejus ; de qua item dicit : *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cum illo apparebitis in gloria* (*Coloss.* III, 4). Prima ergo tempora Ecclesiæ ante Virginis partum, sanctos habuerunt qui desiderarent incarnationis ejus adventum : ista vero tempora ex quo ascendit in cœlum, sanctos habent qui desiderent ejus manifestationem ad vivos et mortuos judicandos. Neque hoc Ecclesiæ desiderium ab initio usque in finem sæculi requievit aliquantum, nisi quamdiu hic cum discipulis in carne versatus est, ut totius corporis Christi in hac vita gementis vox [1] convenienter intelligatur, *Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum speravi :* hoc est in promissum; quæ spes facit ut per patientiam exspectetur quod a credentibus non videtur (*Rom.* VIII, 25). Etiam hic græcus illud verbum habet (*a*), quod quidam nostri interpretes *supersperavi* transferre maluerunt; quia procul dubio plus futurum est, quam dici potest.

2. [*vers.* 82.] *Defecerunt*, inquit, *oculi mei in eloquium tuum, dicentes, Quando consolaberis me?* Ecce rursus in oculis, sed utique interioribus, laudabilis et felix ille defectus, non veniens ex infirmitate animi, sed ex fortitudine desiderii in promissum Dei : hoc enim ait, *in eloquium tuum*. Quomodo autem tales oculi dicunt, *Quando consolaberis me?* nisi cum tali intentione et exspectatione oratur et gemitur? Lingua enim loqui, non oculi solent : sed oculorum quodammodo vox est desiderium orationis. Verum in eo quod ait, *Quando consolaberis me?* tanquam moras se perpeti ostendit. Unde est etiam illud, *Et tu, Domine, quousque* (*Psal.* VI, 4)? Quod aut ideo fit ut dulcior veniat dilata jucunditas, aut iste sensus est desiderantium, cum spatium temporis, etiam quod subvenienti [1] breve est, longum est amanti. Novit autem Dominus quid quando faciat, qui in mensura et numero et pondere cuncta disponit (*Sap.* XI, 21).

3. [*vers.* 83.] Ardentibus autem spiritualibus desideriis, carnalia desideria sine dubitatione frigescunt : propter hoc sequitur, *Quoniam factus sum tanquam uter in pruina; justificationes tuas non sum oblitus*. Nimirum enim per utrem carnem mortis hujus, per pruinam vero cœleste beneficium vult intelligi, quo carnis concupiscentiæ velut frigore cohibente torpescunt; et fit hinc ut justificationes Dei de memoria non labantur, dum non cogitatur aliunde; quoniam fit quod ait Apostolus, *Carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* XIII, 14). Ideo cum dixisset, *Quoniam factus sum tanquam uter in pruina ;* subjecit, *Justificationes tuas non sum oblitus :* hoc est, ideo non sum oblitus, quoniam talis factus sum. Fervor enim cupiditatis obtorpuit, ut ferveret memoria charitatis.

4. [*vers.* 84.] *Quot sunt dies servi tui? quando facies de persequentibus me judicium?* In Apocalypsi est ista vox martyrum, et eis imperatur patientia donec fratrum eorum numerus impleatur (*Apoc.* VI, 10, 11). De diebus ergo suis interrogat corpus Christi, qui futuri sunt in hoc sæculo. Et ne quisquam putaret ante hic Ecclesiam non futuram, quam finis sæculi venerit, et aliquid temporis futurum in hoc sæculo, quo Ecclesia jam non sit in terris; propterea cum quæsisset de diebus suis, adjunxit etiam de judicio, profecto demonstrans usque ad judicium, in quo de persecutoribus ejus est futura vindicta, ipsam quoque in terris futuram. Si autem quemquam movet cur quærat quod cum discipuli quærerent, Magister respondit, *Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I, 7); cur non credamus isto loco psalmi hujus esse prophetatum hoc ipsum illos fuisse quæsituros, et Ecclesiæ vocem, quæ hic tanto ante prædicta est, illorum interrogatione completam?

5. [*vers.* 85.] Quod autem sequitur, *Narraverunt mi-*

[1] In Mss. non est, *vox*, cujus loco subintelligi potest, *desiderium*.
(*a*) Græc. *epélpisa*.

[1] Lov., *subito venienti :* dissentientibus Edd. aliis et Mss.

hi iniqui delectationes; sed non sicut lex tua, Domine: eas sic transferre voluerunt interpretes nostri, quas Græci ἀδολεσχίας vocant, quod usque adeo uno verbo nequaquam dici latine potest, ut aliqui, *delectationes*, aliqui, *fabulationes* eas dicerent; ut non immerito accipiatur esse quidem illas exercitationes, sed in sermone cum quadam delectatione. Has vero habent in diversis sectis ac professionibus, et litteræ sæculares, et Judæorum quæ Deuterosis nuncupatur, continens [1] præter divinarum canonem Scripturarum millia fabularum; habet eas et hæreticorum vana atque errabunda loquacitas. Hos omnes iniquos intelligi voluit, a quibus sibi narratas dicit ἀδολεσχίας, id est exercitationes delectabiles verbis: *Sed non*, inquit, *sicut lex tua, Domine;* quia me in ea veritas, non verba delectant.

6. [*vers.* 86.] Denique adjungit: *Omnia mandata tua veritas: injuste persecuti sunt me, adjuva me.* Et pendet totus de superioribus sensus: *Quot sunt dies servi tui? quando facies de persequentibus me judicium?* Ut enim persequantur me, narraverunt mihi sermonum suorum delectationes: sed eis præposui legem tuam, quæ ideo plus me delectavit, quia *omnia mandata tua veritas;* non sicut illorum abundat sermonibus vanitas. Ac per hoc *injuste persecuti sunt me*, quia non in me persecuti sunt nisi veritatem. Ergo *adjuva me*, ut certem pro veritate usque ad mortem; quia et hoc tuum mandatum est, et ideo et hoc veritas est.

7. [*vers.* 87.] Hoc cum faceret Ecclesia, passa est quod adjunxit, *Paulo minus consummaverunt me in terra:* multa scilicet strage martyrum facta, dum confitentur et prædicant veritatem. Sed quia non frustra dictum est, *Adjuva me; Ego autem*, inquit, *non dereliqui mandata tua.*

8. [*vers.* 88.] Atque ut posset perseverare usque in finem, *Secundum misericordiam*, inquit, *tuam vivifica me, et custodiam testimonia oris tui:* quæ græcus habet, *Martyria.* Quod tacendum non fuit, propter dulcissimum martyrum nomen, qui procul dubio quando tanta persequentium crudelitas sæviebat, ut Ecclesia paulo minus consummaretur in terra, nullo modo Dei martyria custodirent, nisi fieret eis quod hic oratum est, *Secundum misericordiam tuam vivifica me.* Vivificati sunt enim, ne amando vitam negarent vitam, et negando vitam amitterent vitam: ac sic qui pro vita veritatem deserere noluerunt, moriendo pro veritate vixerunt.

SERMO XXI.

1. [*vers.* 89.] Homo qui loquitur in isto psalmo, tanquam tæderet eum mutabilitatis hominum, unde vita ista tentationibus plena est, inter tribulationes suas, propter quas supra dixerat, *Iniqui persecuti sunt me*, et, *Paulo minus consummaverunt me in terra;* inflammatus desiderio cœlestis Jerusalem; in superna suspexit, et dixit, *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo:* hoc est, in Angelis tuis custodientibus æternam sine desertione militiam.

2. [*vers.* 90.] Sequens autem versus post cœlum, pertinet consequenter ad terram. Unus enim versus est eorum octo qui ad istam litteram pertinent. Singulis quippe litteris hebræis subduntur octoni, donec psalmi hujus prolixitas terminetur. *In generationem et generationem veritas tua; fundasti terram, et permanet.* Post cœlum ergo terram contuitu fidelis mentis aspiciens, invenit in ea generationes quæ in cœlo non sunt, et ait, *In generationem et generationem veritas tua:* sive omnes generationes ista repetitione significans, a quibus nunquam defuit veritas Dei in sanctis ejus, modo paucioribus, modo pluribus, ut se temporum varietas habuit vel habebit; sive duas quasdam generationes intelligi volens, unam scilicet ad Legem et Prophetas, alteram vero ad Evangelium pertinentem. Cur autem nunquam etiam istis generationibus veritas desit, velut aperiens causam; *Fundasti*, inquit, *terram et permanet:* eos qui in terra sunt, terram nuncupans. Fundamentum autem aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (I *Cor.* III, 11). Neque enim et illius generationis ad Legem Prophetasque pertinentis fundamentum non erat Christus, testimonium habens a Lege et Prophetis (*Rom.* III, 21). Aut vero Moyses et Prophetæ filii deputandi sunt in servitutem generantis ancillæ fuisse, non liberæ, quæ est mater nostra (*Galat.* IV, 24, 26); cui, *Mater Sion*, *dicet homo; et homo factus est in ea*, *et ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI, 5)? Ipse est enim et apud Patrem altissimus, et propter nos in ista matre factus humillimus; quoniam qui Deus erat super eam, *homo factus est in ea.* Hoc itaque fundamento, Domine, *fundasti terram*, *et permanet:* quia in tali fundamento constabilita, non inclinabitur in sæculum sæculi (*Psal.* CIII, 5); in eis utique permanens quibus es vitam daturus æternam. Quos autem ancilla peperit, ad vetus testamentum pertinentes, in cujus tamen figuris latebat novum, nihil aliud sapiendo quam promissa terrena, non permanent. Servus enim non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum (*Joan.* VIII, 35).

3. [*vers.* 91.] *Ordinatione tua permanet dies.* Ista quippe omnia dies [1]: et iste est dies quem fecit Dominus, exsultemus et jucundemur in eo (*Psal.* CXVII, 24); et sicut in die honeste ambulemus (*Rom.* XIII, 13). *Quoniam omnia serviunt tibi. Omnia* scilicet de quibus loquebatur; *omnia* quæ pertinent ad hunc diem, *serviunt tibi.* Impii quippe de quibus dicitur, *Nocti similavi matrem vestram* (*Osee* IV, 5, *sec.* LXX), non serviunt tibi.

4. [*vers.* 92.] Deinde respexit unde liberetur hæc terra, ut fundata permaneat; atque subjecit, *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forsitan periissem in humilitate mea.* Ista lex fidei est; non inanis fidei, sed quæ per dilectionem operatur (*Galat.* V, 6). Per hanc impetratur gratia, quæ fortes facit

[1] Aliquot libri, *Deuterosis nuncupantur continentes*, etc. Hieron. in Isai. 59, « Traditiones, ait, hominum, quas illi, « *deuterôseis*, vocant. »

[1] Er. Lugd. Ven., *Ista quippe et omnis dies.* M.

in tribulatione temporali, ne pereant in humilitate mortali.

5. [*vers.* 93.] *In æternum*, inquit, *non obliviscar justificationum tuarum, quoniam in ipsis vivificasti me.* Ecce unde factum est ut non periret in humilitate sua. Nam Deo non vivificante, quid est homo, qui se occidere potuit, vivificare autem non potest?

6. [*vers.* 94.] Subjicit deinde ac dicit: *Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi.* Non transeunter intelligendum est quod dictum est, *Tuus sum ego.* Quid enim non est ejus? An forte quia in cœlis esse dicitur Deus, ideo putandum est aliquid non esse ejus in terra; cum clamet alius psalmus, *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terræ et omnes qui habitant in eo* (*Psal.* XXIII, 1)? Quid est ergo quod iste ita se quodammodo familiarius Deo commendandum putavit, ut diceret, *Tuus sum ego, salvum me fac;* nisi intelligi volens quod malo suo suus esse voluerit, quod est inobedientiæ primum et maximum malum? Et tanquam dicens, Meus esse volui, et perditum me feci: *Tuus sum*, inquit, *salvum me fac, quia justificationes tuas exquisivi;* non voluntates meas, quibus fui meus, sed *justificationes tuas*, ut essem jam tuus.

7. [*vers.*, 95.] *Me*, inquit, *exspectaverunt peccatores, ut perderent me; testimonia autem tua intellexi.* Quid est, *exspectaverunt, ut perderent?* an velut insidiis obsederunt viam, exspectantes ut quando transiret, occiderent? Numquid ergo morte corporis perire metuebat? Absit. Et quid est, *me exspectaverunt*, nisi ut eis ad malum consentiret? Tunc enim perderent. Unde autem non perierit dixit: *Testimonia tua intellexi.* Sed familiarius hic Ecclesiæ auribus græcum verbum sonat, *Martyria tua intellexi.* Quia scilicet me sibi non consentientem etiamsi occiderent, tua martyria confitens non perirem: sed illi qui ut perderent, exspectabant quando consentirem, torquebant etiam cum confiterer. Nec tamen quod intellexerat relinquebat intuens et videns utique sine fine finem, si perseveraret [1] usque in finem.

8. [*vers.* 96.] Denique secutus adjunxit: *Omnis consummationis vidi finem; latum mandatum tuum valde.* Intraverat quippe in sanctuarium Dei, et intellexerat in novissima (*Psal.* LXXII, 17). Omnis autem consummatio mihi videtur hoc loco intelligenda, usque ad mortem pro veritate certare (*Eccli.* IV, 33), et pro vero ac summo bono mala omnia tolerare: cujus consummationis finis est excellere in regno Christi, quod non habet finem; et habere ibi sine morte, sine dolore, et cum magno honore vitam, morte hujus vitæ ac doloribus et opprobriis acquisitam. Quod autem addidit, *Latum mandatum tuum valde;* non intelligo nisi charitatem. Quid enim profuisset quacumque morte imminente, et inter quantacumque tormenta illa martyria confiteri, si charitas in confitente non esset? Audiamus Apostolum: *Etsi tradidero*, inquit, *corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII, 3). Charitas autem Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V, 5). In hac diffusione latitudo est, in qua sine angustiis via quoque ambulatur angusta, donante illo cui dictum est, *Dilatasti gressus meos subter me, et non sunt infirmata vestigia mea* (*Psal.* XVII, 37). Latum est ergo mandatum charitatis, mandatum illud geminum, quo jubetur Deus et proximus diligi. Quid autem latius, quam ut ubi [1] pendeat tota Lex et omnes Prophetæ (*Matth.* XXII, 37-40)?

SERMO XXII.

1. [*vers.* 97.] Sæpe admonuimus laudabilem latitudinem, in qua nullas, cum mandata Dei facimus, patiamur angustias, intelligendam esse charitatem. Propter quod etiam in magno isto psalmo cum superius dixisset, *Latum mandatum tuum valde;* in hoc sequenti versu ostendit unde sit latum, dicens: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine!* Dilectio est igitur latitudo mandati. Unde quippe fieri potest ut diligatur quod Deus jubet diligi, et ipsa jussio non diligatur? Ipsa est enim lex. *Tota*, inquit, *die meditatio mea est.* Ecce quomodo eam dilexi, ut tota die meditatio mea esset: vel potius, sicut græcus habet, *totam diem* (*a*), ubi magis continuatio meditantis exprimitur. Id autem intelligitur per omne tempus, quod est semper. Tali expugnatur dilectione cupiditas, quæ sæpe faciendis legis jussionibus contradicit, concupiscente adversus spiritum carne: adversus quam spiritus concupiscens (*Galat.* V, 17) ita debet diligere legem Dei, ut totam diem meditatio ejus sit. Dicit autem Apostolus: *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non, sed per legem fidei* (*Rom.* III, 27). Hæc est fides quæ per dilectionem operatur (*Galat.* V, 6); quoniam quærendo, petendo, pulsando, impetrat Spiritum bonum (*Luc.* XI, 10, 13), per quem dilectio ipsa diffunditur in cordibus nostris (*Rom.* V, 5). Hoc enim Spiritu Dei quicumque aguntur, hi filii sunt Dei (*Id.* VIII, 14): qui recipiuntur ut recumbant cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII, 11); expulso servo, qui non manet in domo in æternum (*Joan.* VIII, 35); id est Israel secundum carnem, cui dictum est, « Cum videritis Abraham, Isaac, et Jacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab oriente, et occidente, et aquilone, et austro, et accumbent in regno Dei. Et ecce sunt novissimi qui erant primi, et sunt primi qui erant novissimi » (*Luc.* XIII, 28-30). « Gentes » autem, sicut ait Vas electionis, « quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam; justitiam autem quæ ex fide est: Israel autem persequens legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus, offenderunt in lapidem offensionis » (*Rom.* IX, 30-32). Ita facti sunt inimici hujus qui hic in prophetia loquitur.

[1] Sic aliquot Mss. Alii vero cum Edd., *etsi perseveraret:* forte pro, *ut sic perseveraret.*

[1] Lugd. Ven. et Lov., *ibi.* M.

(*a*) Græc. *olèn tèn emèran.*

2. [*vers.* 98.] Ac deinde conjungit: *Super inimicos meos sapere fecisti me mandatum tuum, quoniam in æternum mihi est.* Illi namque zelum quidem Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim Dei justitiam, et suam quærentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* x, 2 *et* 3). Iste vero qui super istos inimicos suos sapit mandatum Dei, inveniri vult cum Apostolo non habens justitiam suam, quæ ex lege est, sed justitiam per fidem Christi, quæ est ex Deo (*Philipp.* III, 9): non quia lex quam legunt inimici ejus, non est ex Deo; sed quia eam non sapiunt, sicut iste qui super inimicos suos eam sapit, cohærendo lapidi in quem illi offenderunt. Finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti (*Rom.* x, 4), ut justificentur gratis per gratiam ipsius (*Id.* III, 24): non sicut illi qui viribus suis se legem facere existimant, et ideo [1] ex lege quidem Dei, sed suam justitiam constituere quærunt; sed quomodo filius promissionis, qui esuriens et sitiens eam (*Matth.* v, 6), petendo, quærendo, pulsando quodammodo a Patre mendicat (*Id.* VII, 7), ut adoptatus per Unigenitum accipiat. Sic autem mandatum Dei quando sapuisset, nisi eum ipse sic sapere fecisset cui dicit: *Super inimicos meos sapere fecisti me mandatum tuum?* Inimici quippe ejus illi, velut ex Agar, in servitutem generati (*Galat.* IV, 24), ex eodem mandato temporalia præmia quæsierunt; et ideo non fuit illis in æternum, sicut est huic. Melius quippe intellexerunt qui interpretati sunt *in æternum*, quam qui *in sæculum*, tanquam finito isto sæculo nullum jam legis posset esse mandatum. Ita vero nullum erit, sed in tabulis visibilibus librisque conscriptum: in tabulis vero cordis, dilectio Dei et proximi manebit in æternum; in quo mandato geminato tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII, 37-40): eritque præmium custoditi mandati hujus ipse mandator, et præmium dilectionis ipse dilectus, quando erit Deus omnia in omnibus (I *Cor.* XV, 28).

3. [*vers.* 99.] Sed quid est hoc quod sequitur, *Super omnes docentes me intellexi?* Quis est iste qui super omnes docentes se intellexit? quis est, inquam, qui super omnes Prophetas, qui non solum loquendo eos qui secum vixerunt, verum etiam scribendo posteros tam excellenti auctoritate docuerunt, audet se intelligendo præponere? Salomoni quidem tanta est donata sapientia, ut etiam his omnibus qui fuerunt ante illum, videatur esse prælatus (III *Reg.* III, 12): sed non est credendum ipsum hic a patre suo David potuisse prophetari; maxime quia dici non posset ex persona Salomonis quod hic dicitur, *Ab omni via maligna prohibui pedes meos.* Porro si, quod est acceptabilius, Christum prænuntiat iste propheta, nunc a capite quod est ipse Salvator, nunc ab ejus corpore quod est Ecclesia, verba prophetica digerens, et tanquam unum loquentem faciens, propter magnum illud sacramentum, ubi dictum est, *Erunt duo in carne una* (*Ephes.* V, 31, 32); agnosco eum plane qui super omnes docentes se intellexit, quando cum esset annorum duodecim, remansit puer Jesus in Jerusalem, et a parentibus suis [1] post triduum inventus est illic in templo sedens inter doctores, audiens illos et interrogans; ubi stupebant omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus (*Luc.* II, 42-47). Nec immerito, qui per istam prophetiam tanto ante dixerat, *Super omnes docentes me intellexi.* Omnes enim utique homines vult intelligi, non Deum Patrem; de quo dicit ipse Filius, *Sicut docuit me Pater, hæc loquor* (*Joan.* VIII, 28). Quod difficillime ex persona Verbi intelligitur; nisi quis utcumque capere valeat id esse Filium a Patre doctum, quod genitum. Cui enim non est aliud esse, aliud doctum esse, sed quod illi est esse, hoc est doctum esse; profecto a quo ei est esse, ab illo simul ei est doctum esse. Ex persona vero hominis, ubi formam servi accepit (*Philipp.* II, 7), facilius intelligitur a Patre didicisse quæ dixit: in qua forma servi constitutum, maxime puerum, potuerunt eum homines majoris ætatis docendum putare, sed ille quem Pater docuit, super omnes docentes se intellexit. *Quia testimonia*, inquit, *tua meditatio mea est.* Ideo super omnes docentes se intelligebat, quia testimonia Dei meditabatur: quæ melius quam illi de seipso noverat, qui dicebat, « Vos misistis ad Joannem, et testimonium perhibuit veritati: ego autem non ab homine testimonium accipio, sed hæc dico ut vos salvi sitis. Ille erat lucerna ardens et lucens; vos autem voluistis exsultare ad horam in luce ejus: ego autem habeo testimonium majus Joanne » (*Joan.* V, 33-36). Talia testimonia meditabatur, quando super omnes docentes se intellexit.

4. [*vers.* 100.] Illi autem doctores non absurde intelliguntur etiam ipsi esse seniores, de quibus continuo dicit, *Super seniores intellexi.* Quod ideo mihi eo modo repetitum videtur, ut nobis hæc legentibus illa ætas ejus veniret in mentem, quæ nobis innotuit ex Evangelio, qua ætate puerili inter ætate majores, hoc est, junior inter seniores sedebat, et super omnes docentes se intelligebat. Solent enim junior et senior ad invicem dici minor et major, etsi neuter eorum senili accessit aut propinquavit ætati: quanquam si et expressum nomen seniorum in Evangelio velimus inquirere, supra quos intellexit, invenimus quando ei dixerunt Scribæ et Pharisæi, *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lavant manus suas, cum panem manducant.* Ecce objecta est ei transgressio traditionis seniorum. Sed qui super seniores intellexit, quid eis responderit, audiamus: *Quare*, inquit, *et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Deinde paulo post, ut non solum ipse qui est caput corporis, verum etiam corpus ipsum et membra ejus super seniores illos intelligerent, quorum traditio de lavandis manibus ferebatur; convocatis ad se turbis dixit eis: *Audite, et intelligite.* Tanquam diceret: Super seniores illos et vos intelligite, ut etiam de vobis illa prophetia clareat esse præmissa, *Super seniores intellexi*;

[1] Er. et Lov., *ideo non ex lege*, etc. Abest, *non*, a cæteris libris.

[1] Am. et MSS., *a quærentibus suis.*

nec solum capiti, verum etiam corpori, ac sic universo Christo aptata conveniat. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Hoc seniores illi non intelligebant, qui de lavandis manibus sua velut magna mandata tradiderant. Ipsa quoque membra capitis hujus super seniores intelligentis, nondum quod ab eo dictum est intellexerant. Denique post pauca respondens Petrus dixit ei: *Edissere nobis parabolam istam.* Putabat adhuc esse parabolam, quod Dominus sine figuris fuerat elocutus. At ille dixit: *Adhuc et vos sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur; quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem* (*Matth.* XV, 1-18)? Adhuc et vos sine intellectu estis, et super illos seniores non intelligitis? Sed plane jam nunc audito tali magistro, capite nostro, potest unusquisque nostrum dicere, *Super seniores intellexi.* Nam etiam corpori congruit quod secutus adjunxit, *Quia mandata tua exquisivi. Mandata tua*, non mandata hominum: *mandata tua*, non mandata seniorum, qui volentes esse legis doctores, non intelligunt neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (I *Tim.* 1, 7). Merito de mandatis Dei, quæ sunt exquirenda, ut super seniores illos intelligantur, responsum est iis qui eorum auctoritatem veritati præferebant, et dictum est, *Cur et vos transgredimini mandatum Dei, ut traditiones vestras statuatis?*

5. [*vers.* 101.] Jam vero quod adjungitur, non capiti videtur convenire, sed corpori: *Ab omni via maligna prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.* Neque enim caput illud nostrum, ipse Salvator corporis, in aliquam malignam viam carnali cupiditate ferretur, ut ei necesse esset pedes suos inde prohibere, quasi illuc euntes motibus suis: quod nos facimus, quando ea quæ ille non habuit, ne vias malignas teneant, desideria nostra prava cohibemus. Sic enim verba Dei possumus custodire, si post nostras malas concupiscentias non eamus (*Eccli.* XVIII, 30), ut ad mala concupita perveniant; sed eas potius adversus carnem spiritu concupiscente frenemus (*Galat.* v, 17), ne nos raptos atque subversos per malignas vias pertrahant.

6. [*vers.* 102.] *A judiciis*, inquit, *tuis non declinavi, quoniam tu legem posuisti mihi.* Dixit quid timuerit, ut ab omni via maligna prohiberet pedes suos. Quid est enim, *A judiciis tuis non declinavi;* nisi quod alio loco dicit, *A judiciis autem tuis timui?* Perseveranter eis credidi, *quia tu legem posuisti mihi.* Tu interior intimis meis, tu intus in corde legem posuisti mihi spiritu tuo, tanquam digito tuo; ut eam non tanquam servus sine amore metuerem, sed casto timore ut filius [1] diligerem, et dilectione casta timerem.

7. [*vers.* 103.] Et ideo vide quid sequitur: *Quam dulcia faucibus meis verba tua!* vel, quod de græco est expressius, *eloquia tua super mel et favum ori meo.* Hæc est illa suavitas quam Dominus dat, ut terra nostra det fructum suum (*Psal.* LXXXIV, 13); ut bonum vere bene, id est, non mali carnalis formidine, sed boni spiritualis delectatione [1] faciamus. Nonnulli sane codices non habent; *favum*, sed plures habent [2]. Melli est autem similis aperta doctrina sapientiæ; favo vero, quæ de abstrusioribus sacramentis, tanquam de cellis cereis, ore disserentis, velut mandentis, exprimitur: verum ori cordis, non carnis est dulcis.

8. [*vers.* 104.] Sed quid est quod ait, *A mandatis tuis intellexi?* Aliud enim est, Mandata tua intellexi; aliud est, *A mandatis tuis intellexi.* Nescio quid ergo aliud se significat intellexisse a mandatis Dei: hoc est, quantum mihi videtur, faciendo mandata Dei pervenisse se dicit ad earum rerum intelligentiam, quas concupiverat scire. Propter quod scriptum est, *Concupisti sapientiam; serva mandata, et Dominus præbebit illam tibi* (*Eccli.* 1, 33): ne quisquam præposterus, antequam habeat humilitatem obedientiæ, velit ad altitudinem sapientiæ pervenire, quam capere non potest, nisi ordine venerit. Audiat ergo: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita semper* (*Id.* III, 22). Sic homo ad occultorum sapientiam pervenit per obedientiam mandatorum. Cum autem dixisset, *Quæ tibi præcepit Dominus, illa cogita;* ideo addidit, *semper*, quia et custodienda est obedientia, ut percipiatur sapientia, et percepta sapientia non est deserenda obedientia. Spiritualium itaque membrorum Christi vox ista est, *A mandatis tuis intellexi.* Hoc enim recte dicit Christi corpus in eis, quibus mandata servantibus propter ipsam custodiam mandatorum præbetur uberior doctrina sapientiæ, *Propterea*, inquit, *odio habui omnem viam iniquitatis.* Necesse est enim ut oderit omnem iniquitatem amor justitiæ: qui tanto major est, quanto eum magis inflammat amplioris dulcedo sapientiæ, quæ præbetur ei qui obtemperat Deo, et a mandatis ejus intelligit.

SERMO XXIII.

1. [*vers.* 105.] Scrutandos atque tractandos pro viribus quas Deus donat, nunc istos versus psalmi hujus aggredimur, quorum primus est, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* Quod est, *lucerna;* hoc repetitum est, *lumen:* quod, *pedibus meis;* hoc, *semitis meis.* Quid est ergo, *verbum tuum?* Numquidnam illud quod in principio erat Deus apud Deum, Verbum scilicet per quod facta sunt omnia? Non est ita. Nam illud Verbum lumen est, sed lucerna non est. Lucerna quippe creatura est, non Creator, quæ participatione incommutabilis lucis accenditur. Hoc erat Joannes, de quo dicit Verbum Deus, *Ille erat lucerna ardens et lucens* (*Joan.* v. 35). Sed lumen est et lucerna: et tamen in comparatione Verbi, de quo dictum est, *Deus erat Verbum*, non erat ille lumen; sed missus est, ut testimonium perhiberet de lumine. Erat enim lumen verum, non quod illuminatur, ut homo, sed quod illuminat omnem hominem

[1] Apud Am. et in Mss. non est, *ut filius.*

[1] Forte, *dilectione.*

[2] Hic aliquot libri addunt, *mel:* cujus loco subintellig., *favum.*

(*Joan.* I, 1-9). Nisi autem et lucerna lumen esset, non diceret Apostolis, *Vos estis lumen mundi*. Quo audito ne id se putarent esse, quod ille qui hoc dixerat; nam et de seipso quodam loco dixit, *Ego sum lumen mundi* (*Id.* VIII, 12): ait illis de illis, *Non potest civitas abscondi super montem constituta; neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt: sic luceat lumen vestrum coram hominibus* (*Matth.* V, 14-16); ut scirent se tanquam lucernas de illo lumine quod immutabiliter lucet, accensas. Nulla quippe creatura, quamvis rationalis et intellectualis, a seipsa illuminatur, sed participatione sempiternæ veritatis accenditur: etiamsi aliquando dies vocatur, non dies Dominus, sed quem fecit Dominus; et ideo audit [1], Accedite ad eum, et illuminamini (*Psal.* XXXIII, 6). Propter quam participationem, in quantum homo est et ipse Mediator, *lucerna* in Apocalypsi nuncupatur (*Apoc.* XXI, 23). Sed singularis est ista susceptio: de nullo enim sanctorum dici divinitus potuit, aut dici ullo modo fas est; *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), nisi de uno Mediatore Dei et hominum (I *Tim.* II, 5). Cum igitur lumen dicatur unigenitum Verbum æquale gignenti, lumen dicatur et homo ab illo Verbo illuminatus, qui dicitur et lucerna, sicut Joannes, sicut Apostoli, nec ullus eorum homo sit Verbum, et illud Verbum a quo illuminati sunt lucerna non sit; quid est hoc verbum, quod ita lumen dicitur, ut lucerna sit (ait enim, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*), nisi verbum intelligamus quod factum est ad Prophetas, vel quod prædicatum est per Apostolos? Non verbum Christum, sed verbum Christi, de quo scriptum est, *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (*Rom.* X, 17). Nam et verbum propheticum lucernæ comparans apostolus Petrus: *Habemus*, inquit, *certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes, velut lucernæ lucenti in obscuro loco* (II *Petr.* I, 19). Quod itaque hic ait, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis*, verbum est quod in Scripturis sanctis omnibus continetur.

2. [*vers.* 106, 107.] *Juravi*, inquit, *et statui custodire judicia justitiæ tuæ:* tanquam bene ambulans ad illam lucernam, et rectas semitas habens. Sequenti autem verbo illud quod antecedit expositum est. Quasi enim quæreremus quid esset, *Juravi;* adjunxit, *et statui*. Hoc enim appellavit juramentum quod statuit per sacramentum; quia ita debet esse mens fixa in custodiendis judiciis justitiæ Dei, ut sit omnino pro juratione quod statuit.

3. Fide autem custodiuntur judicia justitiæ Dei; cum sub Deo justo judice, nec recte factum infructuosum, nec peccatum creditur impunitum: sed pro hac fide quia multa et gravissima mala corpus pertulit Christi, *Humiliatus sum*, inquit, *usque valde*. Non enim ait, Humiliavi me; ut humilitatem quæ in præcepto est, intelligi sit necesse: sed ait, *Humiliatus sum usque valde;* maximam scilicet passus persecutionem, pro eo quod juravit et statuit custodire judicia justitiæ Dei. Et ne in tanta humiliatione fides ipsa deficeret, addidit, *Domine, vivifica me secundum verbum tuum:* hoc est secundum promissum tuum. Nam et verbum promissorum Dei lucerna est pedibus, et semitis lumen. Sic et superius, ut eum Deus vivificaret, oravit in humiliatione persecutionis, ubi ait: *Paulo minus consummaverunt me in terra; ego autem non dereliqui mandata tua: secundum misericordiam tuam vivifica me, et custodiam testimonia*, id est martyria *oris tui*. Ubi intelligitur, si ipse non vivificet donando patientiam, propter quod dictum est, *In vestra patientia possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI, 19); et de quo dictum est, *Quoniam ab ipso est patientia mea* (*Psal.* LXI, 6): non corpus in persecutione mortificari, sed animam, non custodiendo martyria et judicia justitiæ Dei.

4. [*vers.* 108.] *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine:* hoc est, placeant tibi; noli reprobare, sed approba. Bene autem intelliguntur *oris voluntaria*, sacrificia laudis, confessione charitatis, non timore necessitatis oblata: unde dictum est, *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII, 8). Sed quid est quod adjungit, *Et judicia tua doce me?* Nonne ipse in versibus superioribus dixerat, *A judiciis tuis non declinavi?* Quomodo istud, si non ea noverat? Porro si noverat, quomodo hic dicit, *Et judicia tua doce me?* An sicut illud est, *Suavitatem fecisti cum servo tuo;* et postea dicit, *Suavitatem doce me?* Quod ita exposuimus, ut intelligeremus verba proficientis, et addi sibi ad id quod acceperat postulantis.

5. [*vers.* 109.] *Anima mea in manibus tuis semper.* Nonnulli codices habent, *in manibus meis:* sed plures, *in tuis;* et hoc quidem planum est. Justorum enim animæ in manu Dei sunt (*Sap.* III, 1); in cujus manu sunt et nos et sermones nostri (*Id.* VII, 16). *Et legis*, inquit, *tuæ non sum oblitus:* tanquam ad non obliviscendam Dei legem manibus ipsius adjuvetur ejus memoria, ubi ejus est anima. *Anima* vero *mea in manibus meis*, quomodo intelligatur, ignoro. Justi quippe ista verba sunt, non injusti; redeuntis ad Patrem, non discedentis a Patre. Nam potest videri junior ille filius animam suam in manibus suis habere voluisse, quando dixit patri, *Da mihi substantiam meam quæ me contingit:* sed ideo mortuus erat, ideo perierat (*Luc.* XV, 12, 24). An forte ita dictum est, *Anima mea in manibus meis*, tanquam eam vivificandam offerret Deo? Unde alibi dicitur: *Ad te levavi animam meam* (*Psal.* XXIV, 1). Dixerat enim et hic superius, *Vivifica me.*

6. [*vers.* 110.] *Posuerunt*, inquit, *peccatores laqueum mihi, et a mandatis tuis non erravi.* Unde hoc, nisi quia ejus anima in manibus Dei, vel in suis vivificanda offertur Deo?

7. [*vers.* 111.] *Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum.* Nonnulli uno verbo volentes dicere quod uno verbo in græco positum est, *Hæreditavi* interpretati sunt. Quod etsi latinum esse posset, magis significaret eum qui dedit hæreditatem, quam eum

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov., *Et ideo adhuc subdidit.* M.

qui accepit; ut sic esset *hæreditavi*, quomodo, Ditavi. Melius ergo duobus verbis insinuatur integer sensus; sive dicatur, *Hæreditate possedi;* sive dicatur, *Hæreditate acquisivi* : non hæreditatem, sed *hæreditate.* Si autem quæritur, quid acquisierit *hæreditate; Testimonia*, inquit, *tua.* Quid volens intelligi, nisi, ut testis Dei fieret, ejusque testimonia confiteretur; id est, ut martyr Dei fieret, atque ejus martyria diceret, sicut martyres dicunt, a Patre sibi, cujus hæres est [1], esse collatum? Multi quippe voluerunt, neque potuerunt : nulli tamen potuerunt, nisi qui voluerunt; quia non potuissent, si Dei testimonia [2] negare voluissent. Sed etiam ipsorum præparata est voluntas a Domino. Ideo hæc hæreditate se acquisisse iste testator, et hoc *in æternum;* quia non est in eis gloria temporalis hominum vana quærentium, sed æterna gloria est brevi tempore patientium, et sine fine regnantium. Unde sequitur, *Quoniam exsultatio cordis mei sunt :* etsi afflictio corporis, exsultatio tamen cordis.

8. [*vers.* 112.] Deinde subjecit : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Qui dicit, *Inclinavi cor meum;* ipse jam dixerat, *Inclina cor meum in testimonia tua*; ut intelligamus simul hoc esse et divini muneris et propriæ voluntatis. Sed numquid in æternum facturi sumus justificationes Dei? Opera illa quidem quæ operamur circa proximorum necessitates, æterna esse non possunt, sicut nec ipsæ necessitates : sed si non diligendo ista faciamus, nulla est justificatio; si autem diligendo, æterna est ipsa dilectio, eique æterna parata est retributio; propter quam retributionem dicit se inclinasse cor suum ad faciendas justificationes Dei, ut in æternum diligens, in æternum mereatur habere quod diligit.

SERMO XXIV.

1. [*vers.* 113.] Psalmi hujus locus de quo in voluntate Dei disputaturi sumus, sic incipit : *Iniquos odio habui, et legem tuam dilexi.* Non ait, Iniquos odio habui, et justos dilexi; aut, Iniquitatem odio habui, et legem tuam dilexi : sed cum dixisset, *Iniquos odio habui*, exposuit quare, addendo, *et legem tuam dilexi*, ut demonstraret, non se in hominibus iniquis odisse naturam, qua homines sunt; sed iniquitatem, qua legi quam diligit, inimici sunt.

2. [*vers.* 114.] Deinde sequitur, *Adjutor meus et susceptor meus es tu : Adjutor*, ad bona facienda; *susceptor*, ad mala evadenda. Quod autem adjungit, *In verbum tuum supersperavi*, tanquam filius promissionis loquitur.

3. [*vers.* 115.] Sed quid sibi vult versus qui sequitur : *Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei?* Non enim ait, faciam; sed, *scrutabor.* Ut ergo perfecte ea diligenterque noverit, malignos a se declinare desiderat, eosque etiam compellendo a se abigit. Nam maligni exercent ad facienda mandata, a scrutandis autem avocant; non solum cum persequuntur, aut litigare nobiscum volunt; verum etiam cum obsequuntur et honorant, et tamen suis vitiosis et negotiosis cupiditatibus adjuvandis ut occupemur, et eis nostra tempora impendamus, efflagitant; aut certe infirmos premunt, et causas suas ad nos deferre compellunt : quibus dicere non audemus, *Dic, homo, quis me constituit judicem aut divisorem inter vos* (*Luc.* XII, 14)? Constituit enim talibus causis ecclesiasticos [1] Apostolus cognitores, in foro prohibens jurgare Christianos (I *Cor.* VI, 1-6). Ne illis quidem qui non aliena rapiunt, sed sua cupide repetunt, dicimus, Cavete ab omni cupiditate, constituentes eis ante oculos hominem cui dictum est, *Stulte, hac nocte auferetur a te anima tua; quæ præparasti cujus erunt* (*Luc.* XII, 20)? quia et quando dicimus, non recedunt nec declinant a nobis; sed instant, urgent, precantur, tumultuantur, extorquent, ut ipsis potius ad ista quæ diligunt, quam scrutandis Dei mandatis quæ diligimus occupemur. O quanto tædio turbarum turbulentarum, et quanto desiderio divinorum eloquiorum dictum est, *Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei!* Ignoscant obedientes fideles qui pro suis sæcularibus causis raro nos quærunt, et judiciis nostris facillime acquiescunt; nec nos conterunt litigando, sed obtemperando potius consolantur. Certe propter eos qui et inter se pertinaciter agunt, et quando bonos premunt, nostra judicata contemnunt; faciuntque nobis perire tempora rebus erogganda divinis, certe, inquam, propter istos et nobis liceat exclamare in hac voce corporis Christi, *Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei.*

4. [*vers.* 116.] Deinde posteaquam velut ab oculis cordis sui muscas irruentes abegit, redit ad eum cui dicebat « Adjutor meus et susceptor meus es tu; in verbum tuum speravi; » precemque continuans, « Suscipe me, » inquit, « secundum eloquium tuum, et vivam; et ne confundas me ab exspectatione mea. » Qui jam dixerat, *Susceptor meus*, poscit magis magisque suscipi, et ad illud propter quod tolerat tam multa molesta, perduci; verius ibi se, quam in istis humanarum rerum somniis fidens esse victurum. Sic enim de futuro dictum est, *et vivam*, tanquam in hoc corpore mortuo non vivatur. Corpus enim mortuum est propter peccatum : et exspectantes redemptionem corporis nostri, spe salvi facti sumus, et quod non videmus sperantes, per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 10, 23-25). Sed spes non confundit, si charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* V, 5). Propter quem largius accipiendum clamatur ad Patrem, *Ne confundas me ab exspectatione mea.*

5. [*vers.* 117.] Et tanquam ei responsum fuerit in silentio [2], Non vis confundi ab exspectatione tua? non intermittas meditari justificationes meas : sentiens

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *cujus donum est.*
[2] Sic Mss. At Am., *si fidei testimonia.* Er. et Lov., *si fidei Dei*, etc.

[1] Plures Mss. omittunt, *Constituit enim talibus causis ecclesiasticos :* sed habent, *Apostolus cognitores*, etc.
[2] Er. Lugd. Ven. et Lov., *Si non.* M.

istam meditationem plerumque animæ languoribus impediri, *Adjuva me*, inquit, *et salvus ero; et meditabor in justificationibus tuis semper*.

6. [*vers* 118.] *Sprevisti omnes;* vel, quod de græco diligentius videtur expressum, *Ad nihilum deduxisti omnes discedentes a justificationibus tuis; quia injusta cogitatio eorum.* Ideo ergo clamavit: *Adjuva me et salvus ero, et meditabor in justificationibus tuis semper;* quia in nihilum redigit Deus omnes discedentes a justificationibus suis. Quare autem discedunt? *Quia injusta est*, inquit, *cogitatio eorum*. Ibi acceditur, ibi disceditur. Omnia opera, vel mala, vel bona, a cogitatione procedunt: in cogitatione quisque innocens, in cogitatione reus est. Propter quod scriptum est: *Cogitatio sancta servabit te* (*Prov.* II, 11): et alibi legitur: *In cogitationibus impii interrogatio erit* (*Sap.* I, 9): et Apostolus: *Cogitationibus*, ait, *accusantibus aut etiam defendentibus* (*Rom.* II, 15). Ubi autem felix est qui in cogitatione miser est? aut quomodo ibi non miser est qui ad nihilum redactus est? Magna quippe est sterilitas, iniquitas. Merito dictum est: *Confundantur iniqui facientes vane* (*Psal.* XXIV, 4); id est, inaniter, tanquam redacti ad nihilum.

7. [*vers.* 119.] Sequitur in Psalmo: *Prævaricantes deputavi*, vel *putavi*, vel *existimavi omnes peccatores terræ.* Multis enim modis nostri interpretati sunt unum verbum græcum, quod est ἐλογισάμην: sed profunda est illa sententia, et si adjuverit Dominus, operosius disputatione alia penetranda est. Nam et quod additum est: *Propterea dilexi testimonia tua semper*, multo amplius eam profundam facit. Dicit enim Apostolus: *Lex iram operatur*, hujusque dicti rationem reddens: *Ubi enim non est lex*, inquit, *nec prævaricatio* (*Rom.* IV, 15); ita ostendens non omnes esse prævaricatores. Non enim omnes habent legem. Non autem omnes habere legem, alio loco evidentius ait: *Qui sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (*Id.* II, 12). Quid sibi ergo vult: *Prævaricatores deputavi omnes peccatores terræ?* Sed hic quæstionem proposuisse suffecerit, alio, si Deus donaverit, sermone tractandam, ne hujus prolixitas eam cogat angustius explicari, quam ut bene possit quod explicatur intelligi.

SERMO XXV.

Psalmus cum Apostolo conciliandus.

1. [*vers.* 119.] Quærimus, si Deo largiente invenire possumus, quomodo intelligendum sit quod in isto psalmo magno dictum est: *Prævaricatores*, vel potius, *prævaricantes;* græcus enim παραβαίνοντας a t, non παραβάτας: quærimus ergo quomodo intelligendum sit, *Prævaricantes deputavi omnes peccatores terræ;* propter quod ait Apostolus: *Ubi enim lex non est, nec prævaricatio.* Hoc autem dixit, cum a lege, promissa distingueret. Nam ut de superioribus sensus plenior colligatur: *Non enim per legem*, inquit, *promissio Abrahæ aut semini ejus, ut hæres esset mundi, sed per justitiam fidei. Si enim qui per legem hæredes sunt; exinanita est fides, et evacuata est promissio: lex enim iram operatur; ubi enim non est lex, nec prævaricatio. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini; non ei tantum quod ex lege est, sed et ei quod ex fide est Abraham, qui est pater omnium nostrum* (*Rom.* IV, 13-16). Cur hoc Apostolus ait, nisi ut ostenderet legem sine promissionis gratia, non solum non auferre, verum et augere peccatum? Unde et illud est: *Lex subintravit, ut abundaret delictum.* Sed quia omnia per gratiam dimittuntur, non solum quæ sine lege, verum etiam quæ in lege commissa sunt; ideo ibi secutus adjunxit: *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia* (*Id.* V, 20). Non itaque prævaricantes deputat omnes peccatores Apostolus, sed eos tantum prævaricantes deputat qui transgrediuntur legem. *Ubi enim non est lex*, inquit, *nec prævaricatio.* Ac per hoc secundum Apostolum, omnis quidem prævaricator peccator est, quia peccat in lege, sed non omnis peccator prævaricator est, quia peccant aliqui sine lege; *Ubi* autem *non est lex, nec prævaricatio.* Porro, si nemo sine lege peccaret, non idem ipse apostolus diceret, *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Secundum istum vero psalmum, si prævaricantes sunt omnes peccatores terræ, nullum est utique sine prævaricatione peccatum: nulla est autem prævaricatio sine lege; nullum est igitur nisi in lege peccatum. Qui ergo dicit: *Prævaricantes deputavi omnes peccatores terræ*, nullos esse omnino, nisi qui legem transgressi sunt, vult intelligi peccatores; et ob hoc adversatur illi qui dixit: *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Secundum illum quippe sunt aliqui peccatores, quamvis non sint prævaricantes, id est, qui *sine lege peccaverunt: Ubi enim non est lex, nec prævaricatio:* secundum istum autem nullus est sine prævaricatione peccator; quia prævaricantes deputat omnes peccatores terræ. Nullus ergo secundum istum sine lege peccavit; *quia ubi non est lex, nec prævaricatio.* An forte dicturi sumus, verum quidem esse quod nec prævaricatio sit ubi non est lex, sed verum non esse quod aliqui sine lege peccaverint; aut verum quidem esse aliquos sine lege peccasse, sed verum non esse, ubi lex non est, prævaricationem esse non posse? At utrumque Apostolus dixit: verum est ergo utrumque, quia utrumque per Apostolum Veritas dixit. Quomodo ergo erit verum quod in psalmo isto eadem procul dubio Veritas dixit, *Prævaricantes deputavi omnes peccatores terræ?* Respondetur enim nobis: Qui sunt ergo illi qui secundum Apostolum sine lege peccaverunt? Non enim et eorum quisquam prævaricans deputandus est, cum secundum eumdem apostolum, prævaricatio non sit ubi lex non est.

2. Sed nimirum cum diceret Apostolus, *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*, de illa lege agebat quam Deus dedit per Moysen famulum suum populo suo Israel. Hoc ipsa quæ circumstant, verba ejus ostendunt. Disputabat enim de Judæis et Græcis, id est Gentibus, non ad circumcisionem, sed ad præputium pertinentibus; ideo sine lege eos dicens, quia non acceperant legem quam se accepisse gloriabantur Judæi: unde illis ait, *Si autem tu Ju-*

dæus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo. Denique unde ad hanc sententiam venerit, intuendum est, ut diceret, *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Ira*, inquit, *et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci; gloria autem et honor et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco: Non est enim personarum acceptio apud Deum.* Ad hæc addidit unde nunc quæstio est, et ait, *Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur* (*Rom.* II, 8-17). Ilos utique Judæos, illos autem Græcos volens intelligi, quoniam de his agebat; utrosque sub peccato esse demonstrans, ut egere se gratia utrique fateantur: propter quod dicit, *Non enim est distinctio: omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei; justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Quos itaque dicit omnes peccasse, nisi Judæos et Græcos, de quibus dixerat, *Non enim est distinctio?* Nam de his et paulo ante: *Causati enim sumus*, inquit, *Judæos et Græcos omnes sub peccato esse* (*Id.* III, 22, 23, 24, 9). Ac per hoc *quicumque sine lege peccaverunt*, illa scilicet de qua Judæi gloriabantur, *sine lege peribunt; et quicumque in lege peccaverunt*, id est ipsi Judæi, *per legem judicabuntur.* Nec ideo non peribunt, nisi credant in eum qui venit quærere quod perierat (*Luc.* XIX, 10).

3. Nonnulli quippe etiam catholici tractatores, in his Apostoli verbis aliter quam se res habet, parum attendendo sapuerunt, ut dicerent illos perire qui sine lege peccaverunt; hos autem qui in lege peccaverunt, judicari tantummodo, non perire: tanquam per pœnas transitorias credantur esse purgandi, sicut ille de quo dictum est, *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Sed hoc merito fundamenti bene intelligitur, de quo agebat Apostolus, ut hoc diceret. Superius quippe dixerat, *Ut sapiens architectus fundamentum posui; alius superædificat: unusquisque autem videat quomodo superædificat. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus:* et cætera usque ad eumdem locum, ubi cum dixit per ignem salvari, qui super hoc fundamentum, non aurum, argentum, lapides pretiosos, sed ligna, fenum, stipulam ædificat (*1 Cor.* III, 10-15); non tamen respuit ne recipiat, nec receptum deserit fundamentum; idque omnibus carnalibus suis, quibus capitur atque succumbit, delectationibus anteponit, cum ad hunc articulum ventum fuerit, ut aut illæ deserantur, aut Christus; ubi si non anteponitur Christus, non illi est fundamentum. Omnibus quippe structuræ posterioribus partibus anteponitur fundamentum. Nec cogitasse existimo eos qui senserunt non perire de quibus dictum est, *Per legem judicabuntur*, nisi quia fundamentum habent Christum. Parum ergo attenderunt quod demonstravimus; atque ipsa Scriptura clamat, de Judæis hoc Apostolum dicere, qui sine fundamento sunt Christo. Quis autem Christianus dixerit non perire Judæum, si non credat in Christum, sed tantummodo judicari: cum Christus ipse ad eamdem gentem, propter oves quæ inde perierant, se missum esse testetur [1] (*Matth.* XV, 24); et tolerabilius dicat futurum Sodomitis in die judicii, qui utique sine lege perierunt, quam civitati Judææ quæ in eum non credidit tanta virtute mirabilia facientem (*Id.* XI, 23, 24)?

4. Si ergo Apostolus secundum legem quam Deus per Moysen populo Israel dedit, cæteris autem gentibus non dedit, sine lege dixit esse cæteras gentes; quid intellecturi sumus in isto psalmo dictum esse, *Prævaricantes æstimavi omnes peccatores terræ*, nisi intelligamus aliquam legem non per Moysen datam, secundum quam sunt prævaricantes cæterarum gentium peccatores? *Ubi enim lex non est, nec prævaricatio.* Quæ ista lex est, nisi forte illa de qua idem dicit apostolus, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt; hi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex* (*Rom.* II, 14)? Secundum hoc ergo quod dicit, *Legem non habentes*; sine lege peccaverunt, et sine lege peribunt: secundum id vero quod ait, *Ipsi sibi sunt lex*; non immerito prævaricatores æstimantur omnes peccatores terræ. Nullus enim est qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri nolit sibi: et in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id quod facit non vult pati. Numquid autem lex ista naturalis non erat in populo Israel? Erat plane, quoniam et ipsi homines erant: sine lege autem naturali essent, si præter naturam humani generis esse potuissent. Multo magis ergo prævaricatores facti sunt lege divina, qua naturalis illa sive instaurata, sive aucta, sive firmata est.

5. Jamvero si in omnibus peccatoribus terræ non incongrue deputantur et parvuli, propter originalis vincula peccati, etiam ipsi in similitudine prævaricationis Adæ (*Id.* V, 14), ad illam prævaricationem pertinere monstrantur, quæ, data lege in paradiso, prima commissa est (*Gen.* III, 6): ac per hoc recte, nullo prorsus excepto, prævaricatores æstimantur omnes peccatores terræ. *Omnes* autem *peccaverunt, et egent gloria Dei.* Omnes igitur prævaricantes gratia Salvatoris invenit, alios magis, alios minus. Quanto enim legis major in quocumque cognitio, tanto minor peccati excusatio: quanto minor peccati excusatio [2], tanto manifestior prævaricatio. Restabat ergo, ut omnibus [3] non sua, sed Dei, id est a Deo donata, justitia subveniret. Unde ait Apostolus: *Per legem cognitio peccati.* Non ergo ablatio, sed *cognitio. Nunc autem sine lege*, inquit, *justitia Dei manifestata est, testificata per Legem et Prophetas* (*Rom.* III, 20-23). Proinde etiam iste subjunxit: *Propterea*, inquit, *dilexi testimonia tua.* Tanquam diceret: Quoniam lex sive in paradiso data, sive naturaliter insita, sive in litteris promulgata, prævaricatores fecit omnes peccatores terræ; *Propterea dilexi testimonia tua*,

[1] Er. Lov., *testetur; remissius et tolerabilius*, etc. — Lugd. Ven., *testetur; et remissius et tolerabilius*, etc. M.

[2] Plerique Mss. omittunt, *quanto minor peccati excusatio.*

[3] Mss. prope omnes, *ut hominibus.*

quæ sunt in lege tua, de gratia tua; ut non sit in me justitia mea, sed tua. Lex enim ad hoc prodest, ut mittat ad gratiam. Non solum enim quod attestatur manifestandæ justitiæ Dei, quæ sine lege est; verum etiam hoc ipso quod prævaricantes facit, ita ut etiam littera occidat; ad vivificantem Spiritum (II *Cor.* III, 6) confugere timore compellit, per quem peccatorum deleatur universitas, et recte factorum charitas inspiretur: *Propterea*, inquit, *dilexi testimonia tua*. Quidam codices habent, *semper*, quidam non habent. Sed si est, sic accipiendum est *semper*, ut sic intelligatur, Quamdiu hic vivitur. Hic sunt enim testimonia necessaria, de Lege et Prophetis, attestantia justitiæ Dei, qua justificamur gratis: hic sunt et nostra testimonia necessaria, pro quibus ipsam quæ hic agitur, vitam martyres finierunt.

6. [*vers.* 120.] Cognita itaque Dei gratia, quæ sola liberat a prævaricatione, quæ legis cognitione committitur, orando dicit: *Confige clavis a timore tuo carnes meas*. Sic enim expressius interpretati sunt quidam nostri, quod græce uno verbo dici potuit, id est, καθήλωσον. Hoc alii *confige* dicere voluerunt, nec addiderunt *clavis*; atque ita dum volunt uno verbo græco unum latinum interpretando reddere, sententiam minus explicaverunt: quoniam in eo quod est *confige*, non sonant clavi; καθήλωσον autem sine clavis intelligi non potest, nec nisi duobus verbis latine dici potest, sicut dictum est, *confige clavis*. Ubi quid vult intelligi, nisi quod ait Apostolus: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi; per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14)? Et iterum: *Christo*, inquit, *confixus sum cruci; vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Id.* II, 19, 20). Quod quid est aliud, nisi, Non est in me justitia mea, quæ ex lege est, in qua prævaricator effectus sum; sed justitia Dei, id est, quæ mihi ex Deo est (*Philipp.* III, 9), non ex me? Sic quippe in me vivit, non ego, sed Christus, « qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio: ut, quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur » (I *Cor.* I, 30, 31). Item dicit, « Qui autem sunt Jesu Christi, carnem crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis » (*Galat.* V, 24). Cum hic dictum sit quod ipsi *crucifixerunt carnem suam*, in isto tamen psalmo Deus rogatur ut id faciat, cui dicitur, *Confige clavis a timore tuo carnes meas*; ut intelligamus etiam id quod recte facimus, gratiæ Dei esse tribuendum, qui in nobis operatur et velle et operari, pro bona voluntate (*Philipp.* II, 13).

7. Sed quid sibi vult, quod cum dixisset, *Confige clavis a timore tuo carnes meas*; addidit, *a judiciis enim tuis timui*? Quid est, *Confige a timore tuo; timui enim*? Si jam timuerat, vel timebat, cur adhuc, ut a timore suo Deus crucifigeret carnes ejus, orabat? An addi sibi volebat timorem, ut tantum timeret, quantum sufficeret crucifigendis suis carnibus, id est concupiscentiis affectibusque carnalibus: tanquam dicens, Perfice in me timorem tuum; timui enim a judiciis tuis? Sed est hic alius altior sensus, quantum Deus donat, scrutato sinu Scripturæ hujus eruendus. *Confige*, inquit, *clavis a timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui*: hoc est, a timore tuo casto, qui permanet in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10), carnalia mea desideria comprimantur; *a judiciis enim tuis timui*, cum mihi lex minaretur pœnam, quæ mihi non poterat dare justitiam. Sed hunc timorem, quo pœna metuitur, consummata charitas foras mittit (I *Joan.* IV, 18); quæ non timore pœnæ, sed delectatione justitiæ liberos reddit. Timor namque iste, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est; et ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas. Cum vero pœna creditur secutura, latenter vivit: vivit tamen. Mallet enim licere, et dolet non licere quod lex vetat; quia non spiritualiter delectatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit quod minatur. Timore autem casto ipsa, quæ hunc timorem foras mittit, peccare timet charitas, etiamsi sequatur impunitas; quia nec impunitatem judicat secuturam, quando amore justitiæ peccatum ipsum deputat pœnam. Tali timore carnes crucifiguntur; quoniam carnales delectationes, quæ legis littera vetantur potiusquam vitantur, spiritualium bonorum delectatione vincuntur, et eadem usque ad perfectionem crescente victoria perimuntur. *Confige* ergo *clavis*, inquit, *a timore tuo carnes meas; a judiciis enim tuis timui*: hoc est, Da mihi castum timorem, ad quem petendum me tanquam pædagogus timor legis ille perduxit, quo timore *a judiciis tuis timui*.

SERMO XXVI.

1. [*vers.* 121.] Istos magni psalmi hujus versus considerandos nunc suscepimus atque tractandos: *Feci judicium et justitiam; ne tradas me nocentibus me*. Non mirum est eum fecisse judicium et justitiam, qui superius poposcerat a timore Dei, utique casto, configi clavis carnes suas, hoc est carnales concupiscentias, quæ solent, quominus rectum sit, nostrum impedire judicium. Quamvis autem sive rectum, sive pravum, in nostri sermonis usu judicium nuncupetur unde hominibus in Evangelio dicitur, *Nolite judicare personaliter, sed rectum judicium judicate* (*Joan.* VII, 24), tamen hoc loco ita positum est judicium, tanquam si rectum non fuerit, non debeat judicium nominari; alioquin non sufficeret dicere, *Feci judicium*, sed diceretur, Feci rectum judicium. Hoc genere locutus est Dominus Jesus, ubi ait: *Reliquistis graviora Legis; judicium, et misericordiam, et fidem* (*Matth.* XXIII, 23). Et hic enim judicium sic positum est, tanquam non sit judicium si perversum est. Et multis divinarum Scripturarum locis ita ponitur, quale illud est: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C, 1). Et illud apud Isaiam: *Exspectavi ut faceret judicium; fecit autem iniquitatem* (*Isai.* V, 7). Non ait, Exspectavi ut faceret judicium justum, fecit autem iniquum: sed tanquam ideo jam judicium sit, quia justum est; nec sit judicium, quod injustum est. Justitia vero non se-

let dici bona justitia, vel mala justitia, sicut aliquando dicitur bonum malumve judicium; sed eo ipso jam bona est, quia justitia est. Sic ergo habet consuetudo loquendi, ut dicatur et bonum judicium, et malum judicium; quemadmodum habet, ut dicatur et bonus judex, et malus judex: sic autem non dicitur bona justitia, vel mala justitia, sicut non dicitur, bonus justus, et malus justus, quia continuo bonus quisque, si justus. Justitia ergo virtus est animi magna præcipueque laudabilis, de qua nunc non est copiosius disputandi necessitas. Judicium vero, quando nonnisi in bono ponit distinctior[1] loquendi ratio, hujus virtutis est operatio. Qui enim habet justitiam, recte judicat: imo secundum istam locutionem, qui habet justitiam, judicat; quia nec judicat, si non recte judicat. Et justitiæ nomine hoc loco, non ipsa virtus, sed opus ejus significatum est. Quis enim facit in homine justitiam, nisi qui justificat impium, hoc est, per gratiam suam ex impio facit justum? Unde ait Apostolus: *Justificati gratis per gratiam ipsius* (*Rom.* III, 24). Facit ergo justitiam, id est, opus justitiæ, qui habet in se justitiam, id est opus gratiæ.

2. *Feci*, inquit, *judicium et justitiam: ne tradas me nocentibus me*: id est, Feci judicium justum; ne tradas me illis qui propterea me persequuntur. Nam etiam quidam codices habent, *Ne tradas me persequentibus me*: quod enim græce dictum est, τοῖς ἀντιδικοῦσι, quidam interpretati sunt, *nocentibus*; quidam, *persequentibus*; quidam, *calumniantibus*. Miror autem omnium quos in promptu habere potui codicum nusquam me legisse *adversantibus*; cum sine controversia quod græce ἀντίδικος, hoc latine adversarius appelletur. Orans itaque ne tradatur a Domino adversantibus sibi, quid orat, nisi quod oramus cum dicimus, *Ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* VI, 13)? Adversarius est enim de quo dicit Apostolus, *Ne forte tentaverit vos qui tentat* (I *Thess.* III, 5). Ei tradit[2] Deus quem deserit. Eum quippe ille non decipit, quem iste non deserit, in voluntate sua præstans decori hominis virtutem: ab illo autem qui dixerat in abundantia sua, *Non movebor in æternum*, avertit faciem suam, et factus est conturbatus (*Psal.* XXIX, 7, 8), sibique monstratus. Quisquis igitur a timore Dei casto crucifixas habet carnes suas, et nulla carnali corruptus illecebra facit judicium opusque justitiæ, orare debet ne adversantibus tradatur; id est, ne timendo perpeti mala, ad facienda mala persequentibus cedat. A quo enim accipit victoriam concupiscentiæ, ne voluptate pertrahatur; ab illo etiam robur patientiæ, ne dolore frangatur: quoniam de quo dicitur, *Dominus dabit suavitatem* (*Psal.* LXXXIV, 13); de illo etiam dicitur, *Ab ipso est enim patientia mea* (*Psal.* LXI, 6).

3. [*vers.* 122, 123.] Denique sequitur: *Excipe servum tuum in bonum; non calumnientur mihi superbi.* Illi impellunt, ut cadam in malum; tu excipe in bonum. Qui autem interpretati sunt, *Non calumnientur me*, græcam locutionem secuti sunt, latinæ linguæ minus usitatam. An forte habet vim cum dicitur, *Non calumnientur me*, quam haberet si diceretur, Non me capiant calumniando?

4. Multæ autem possunt intelligi calumniæ superborum, a quibus humilitas christiana despicitur; sed illa vel maxima est, si homines hoc loco accipiuntur superbi; quod a nobis mortuum calumniantur coli. Humilitas quippe ipsa christiana, Christi morte insinuatur, commendaturque divinitus. Hæc autem calumnia utrisque infidelibus, id est, Judæis Gentibusque communis est. Habent calumnias suas etiam hæretici, singulis quibusque hæresibus proprias: habent et schismatici, quos omnes superbia de membrorum Christi compage præcidit. Ipsius autem diaboli calumnia quanta vel qualis est, qua calumniatus est justo, dicens, *Numquid gratis colit Job Dominum* (*Job* I, 9)? Quorum omnium calumniæ superborum tanquam colubrorum venena vincuntur, cum vigilantissima et diligentissima pietate Christus crucifixus attenditur. Propter quod præfigurandum Moyses Deo miserante ac jubente exaltavit in eremo similitudinem serpentis in ligno (*Num.* XXI, 9; *Joan.* III, 14), ut similitudo carnis peccati crucifigenda præfiguraretur in Christo. Hanc intuentes salutiferam crucem, omne calumniantium superborum virus expellimus: quam prorsus etiam iste quodammodo valde intente intuens, ait, *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, et in eloquium justitiæ tuæ.* Christum quippe ipsum Deus propter similitudinem carnis peccati (*Rom.* VIII, 3), peccatum pro nobis fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso (II *Cor.* V, 21). In hujus igitur eloquium justitiæ Dei defecisse dicit oculos suos, ardenter et sitienter intuendo, dum memor infirmitatis humanæ, divinam in Christo[1] desiderat gratiam.

5. [*vers.* 124.] Propter quod sequitur, *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam*: non utique secundum justitiam meam. *Et justificationes*, inquit, *tuas doce me*: illas procul dubio, quibus Deus facit justos, non ipsi se.

6. [*vers.* 125.] *Servus tuus ego sum.* Neque enim bene mihi cessit, quando esse volui liber meus, non servus tuus. *Da mihi intellectum, et sciam testimonia tua.* Nunquam intermittenda est ista petitio. Non enim sufficit accepisse intellectum, et Dei testimonia didicisse, nisi semper accipiatur, et quodam modo semper bibatur de fonte lucis æternæ. Testimonia quippe Dei, quanto fit quisque intelligentior, tanto magis magisque sciuntur.

7. [*vers.* 126.] *Tempus*, inquit, *faciendi Domino.* Id enim plures codices habent; non, ut quidam, *Domine*. Quod ergo *tempus*, vel quid *faciendi* voluit intelligi *Domino?* Illud quidem quod paulo ante dixerat, *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam*: hoc *faciendi tempus Domino*. Quid est autem, nisi gratia quæ in Christo suo tempore revelata est? De quo tempore ait Apostolus, *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* (*Galat.* IV, 4). Propter quod alibi etiam testimonium propheticum adjungens, ubi

[1] Quidam Mss., *districtior*.
[2] Sic aliquot Mss. Edd. vero, *Et tradit*.

[1] Sic Mss. At Edd., *divinam Christi*.

dixit, *Tempore acceptabili exaudivi te, et in die salutis adjuvi te; Ecce nunc*, inquit, *tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*Isai*. XLIX, 8; II *Cor*. VI, 2). Sed quid est quod tanquam volens ostendere tempus Domino esse faciendi, continuo subjunxit, *Dissipaverunt legem tuam:* velut propterea tempus esset faciendi Domino, quia ejus legem dissipaverunt superbi, qui ignorantes Dei justitiam et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* X, 3)? Quid est enim, *Dissipaverunt legem tuam*, nisi, Prævaricationis iniquitate, ejus integritatem non custodierunt? Oportebat ergo ut superbis et de libertate sui arbitrii præsumentibus lex daretur, qua prævaricata quicumque compuncti humiliarentur, non jam per legem, sed per fidem ad subvenientem currerent gratiam. Dissipata ergo lege, tempus fuit ut per unigenitum Filium Dei misericordia mitteretur. Lex enim subintravit, ut abundaret delictum: quo delicto lex dissipata est; et opportuno jam tempore Christus advenit, ut ubi abundavit delictum, superabundaret gratia (*Id.* V, 20).

8. [*vers.* 127.] *Ideo*, inquit, *dilexi mandata tua super aurum et topazion.* Id agit gratia, ut dilectione impleantur mandata Dei, quæ timore non poterant. Gratia quippe Dei *diffunditur charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Ibid.* 5). Propter quod et ipse Dominus dicit, *Non veni legem solvere, sed implere* (*Matth.* V, 17); et idem apostolus, *Plenitudo legis charitas* (*Rom.* XIII, 10). Ideo, *super aurum et topazion.* Hoc enim et in alio psalmo legitur: *Super aurum et lapidem pretiosum multum* (*Psal.* XVIII, 11). Topazion quippe lapidem multum perhibent esse pretiosum. In testamento autem veteri latentem gratiam, tanquam velo interposito, non intelligentes, quod significabatur quando in faciem Moysi intendere non valebant (*Exod.* XXXIV, 33-35; II *Cor.* III, 13-16), propter mercedem terrenam atque carnalem Dei mandata facere conabantur, neque faciebant; quia non ipsa, sed aliud diligebant. Unde illa non erant opera volentium, sed onera potius invitorum. Cum vero ipsa mandata diliguntur super aurum et lapidem pretiosum multum, omnis præ ipsis mandatis terrena vilis est merces; nec ulla ex parte comparantur quæcumque alia hominis bona, his bonis quibus ipse homo fit bonus.

9. [*vers.* 128.] *Propterea*, inquit, *ad omnia mandata tua corrigebar.* Utique corrigebar, quia diligebam; atque illis rectis ut etiam ipse rectus fierem, dilectione cohærebam. Jam illud quod adjungit, consequens erat: *Omnem*, inquit, *viam iniquam odio habui.* Unde enim fieri poterat, ut iniquam viam non odisset diligens rectam? Nam sicut aurum et lapidem pretiosum si diligeret, odisset profecto quidquid ei talium rerum damnum posset inferre: ita quoniam Dei mandata diligebat, oderat iniquitatis viam, quemadmodum aliquod immanissimum marini itineris saxum, ubi tam pretiosarum rerum necesse est pati naufragium. Quod ut non contingat, longe inde velificat, qui in ligno crucis cum mandatorum divinorum mercibus navigat.

SERMO XXVII.

1. [*vers.* 129.] Verba Psalmi hæc sunt de quibus, adjuvante Domino, disputaturi sumus: *Mirabilia testimonia tua; propter hoc scrutata est ea anima mea.* Quis enumerat saltem generatim testimonia Dei? Cœlum et terra, visibilia et invisibilia opera ejus, dicunt quodammodo testimonium bonitatis et magnitudinis ejus; et ipse cursus frequens usitatusque naturæ, quo temporum rapacitas volvitur, in rerum quarumque generibus, quamvis temporalibus atque mortalibus, quæ certe consuetudine viluerunt, si pius considerator advertat, perhibet testimonium Creatori. Quid autem horum est quod non sit mirabile, si unum quodque non usu, sed ratione metiamur? Si vero tanquam sub unius contemplationis aspectu velut audeamus cuncta contueri, nonne fit in nobis quod ait propheta: *Consideravi opera tua, et expavi* (*Habac.* III, 1)? Et tamen iste non est ipsa rerum admiratione perterritus, sed eam potius dixit esse causam cur ea debuerit scrutari, quia mira sunt. Cum enim dixisset, *Mirabilia testimonia tua:* secutus adjunxit, *propter hoc scrutata est ea anima mea;* quasi factus sit ipse pervestigandi difficultate curiosior. Quanto enim quæque res abstrusiores habet causas, tanto est mirabilior.

2. Si ergo nobis homo talis occurrat, qui propter hoc dicat se scrutari testimonia Dei, quia mirabilia sunt, cum plena sit eis et quæ conspicitur, et quæ non conspicitur, universa creatura; nonne compescimus eum, dicentes: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ tibi præcepit Dominus, illa cogita semper* (*Eccli.* III, 22)? Sed si nobis respondeat, et dicat, Hæc ipsa quæ præcepit Dominus, et quæ jubetis ut cogitem, mirabilia sunt ejus testimonia; eum quippe et Dominum, quia jubet, et bonum et magnum, quia talia jubet, esse testantur: numquid audebimus hominem ab eorum scrutatione revocare, ac non potius ut sedulo id agat, et tantæ rei operam quantam potest impendat, hortabimur? An forte Dei præcepta testimonia quidem bonitatis ejus esse fatebimur, sed mirabilia esse negabimus? Quid enim mirum, si bona imperat bonus Dominus? Imo vero idipsum est omnino mirandum, et cur ita sit perscrutandum, quod cum Deus bonus bona præceperit, eis tamen dederit bonam legem, quos eadem lex vivificare non posset, nec ulla esset ex bona lege justitia. *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omnino ex lege esset justitia.* Cur ergo data est quæ vivificare non posset, et ex qua esset nulla justitia? Nempe mirandum est, nempe stupendum. Hæc sunt ergo mirabilia testimonia Dei: propter hoc hujus anima scrutata est ea, quoniam de his non ei dici posset, *Fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita semper.* Ipsa sunt enim quæ præcepit nobis Dominus; et ideo cogitanda sunt semper. Potius itaque videamus hujus anima quæ scrutata est, quid invenerit.

3. [*vers.* 130.] *Manifestatio*, inquit, *verborum tuorum illuminat, et intelligere facit parvulos* Quid est parvulus, nisi humilis et infirmus? Noli ergo super-

bire, noli de tua, quæ nulla est, virtute præsumere; et intelliges quare sit a bono Deo bona lex data, quæ tamen vivificare non possit. Ad hoc enim data est, ut te de magno parvulum faceret, ut te ad faciendam legem vires de tuo non habere monstraret; ac sic opis indigus et egenus ad gratiam confugeres, et clamares: *Miserere mei*, *Domine*, *quoniam infirmus sum* (*Psal.* VI, 3). Hoc ergo scrutando intellexit hic parvulus, quod minimus Apostolorum Paulus, id est parvulus, ostendit, ideo datam legem quæ vivificare non posset, quia *conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus* (*Galat.* III, 21, 22). Ita, Domine, ita fac, misericors Domine; impera quod non possit impleri, imo impera quod nonnisi per tuam gratiam possit impleri: ut cum homines per suas vires id implere nequiverint, *omne os obstruatur*, et nemo sibi magnus videatur. Sint omnes parvuli, et reus fiat omnis mundus tibi: quia « non justificabitur ex lege omnis caro coram te; per legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine lege justitia tua manifestata est, testimonium habens a Lege et Prophetis » (*Rom.* III, 19-21). Hæc sunt mirabilia testimonia tua, quæ scrutata est anima parvuli hujus; et ideo invenit, quia humiliatus est, et parvulus factus est. Quis enim facit mandata tua sicut facienda sunt, id est, ex fide quæ per dilectionem operatur (*Galat.* V, 6), nisi ejus in corde per Spiritum sanctum ipsa dilectio diffundatur (*Rom.* V, 5)?

4. [*vers.* 131.] Hoc etiam iste parvulus confitetur: *Os meum*, inquit, *aperui*, *et attraxi spiritum*, *quoniam mandata tua desiderabam*. Quid desiderabat, nisi facere mandata divina? Sed non erat unde faceret infirmus fortia, parvulus magna: aperuit os, confitens quod per se ipse non faceret; et attraxit unde faceret: aperuit os petendo, quærendo, pulsando; et sitiens hausit Spiritum bonum, unde faceret, quod per seipsum non poterat, mandatum sanctum et justum et bonum (*Id.* VII, 12). Si enim nos cum simus mali, novimus bona data dare filiis nostris; quanto magis Pater noster de cœlo dat Spiritum bonum petentibus eum (*Luc.* XI, 10, 13)? Non enim qui spiritu suo agunt, sed quotquot Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei (*Rom.* VIII, 14): non quia ipsi nihil agunt; sed ne nihil boni agant, a bono aguntur ut agant. Nam tanto magis efficitur quisque filius bonus, quanto largius ei datur a Patre Spiritus bonus.

5. [*vers.* 132.] Denique iste adhuc petit. Os quidem aperuit, et attraxit spiritum; sed adhuc ad Patrem pulsat, et quærit: bibit, sed quanto suavius sensit, tanto ardentius adhuc sitit. Audi verba sitientis: *Respice*, inquit, *in me*, *et miserere mei secundum judicium diligentium nomen tuum:* id est, secundum judicium quod in eos fecisti, qui diligunt nomen tuum; quoniam ut diligerent te, prius dilexisti eos. Sic enim Joannes apostolus ait, *Nos diligimus*, inquit, *Deum:* et velut causa quæreretur, quæ nos diligere fecit; adjunxit, *Quoniam ipse prior dilexit nos* (I *Joan.* IV, 19).

6. [*vers.* 133.] Vide et iste quid apertissime dicat: *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis iniquitas.* Ubi quid aliud dicit quam, Rectum et liberum me fac secundum promissum tuum? Quanto autem magis regnat in quocumque Dei charitas, tanto minus ei dominatur iniquitas. Quid ergo aliud petit, quam ut donante Deo diligat Deum? Diligendo enim Deum, diligit seipsum, ut diligere salubriter possit et proximum sicut seipsum: in quibus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII, 37-40). Quid igitur orat, nisi ut præcepta quæ Deus imponit jubendo, impleri faciat adjuvando?

7. [*vers.* 134.] Sed quid est quod dicit, *Redime me a calumniis hominum*, *et custodiam mandata tua?* Si vera illi homines crimina objiciunt, non calumniantur: si falsa, quid est quod se redimi desiderat a calumniis, id est a criminibus falsis, quæ illi nocere non possunt? Crimen quippe falsum, quod est calumnia, reum non facit hominem, nisi apud judicem hominem: ubi autem Deus judex est, nullus falso crimine læditur; quia non cui objicitur, sed objicienti potius imputatur. An hic Ecclesiæ præsignatur oratio, et universi populi christiani, qui redemptus est a calumniis hominum, quibus exagitabantur usquequaque Christiani? Sed numquid propterea Dei mandata custodit [1]? Nonne inter ipsas calumnias, quando fervebant, multo gloriosius populus sanctus in tribulationibus Dei mandata servabat, cum ad perpetrandas impietates persequentibus non cedebat? Sed nimirum hoc est, *Redime me a calumniis hominum, et custodiam mandata tua:* Tu age infuso Spiritu tuo, ne me calumniæ hominum terroribus vincant, et a tuis mandatis ad sua mala facta traducant. Si enim hoc mecum egeris, id est, hoc modo me ab eorum calumniis, ne criminationes falsas quas objiciunt pertimescam, patientia donata redemeris; inter ipsas calumnias custodiam mandata tua.

8. [*vers.* 135.] *Faciem tuam*, inquit, *illumina super servum tuum:* id est, tuam manifesta, subveniendo et opitulando, præsentiam. *Et doce me justificationes tuas.* Doce utique ut faciam: quod evidentius alibi legitur, *Doce me ut faciam voluntatem tuam* (*Psal.* CXLII, 10). Qui enim audiunt, licet memoria teneant quod audiunt, nequaquam didicisse putandi sunt, si non faciunt. Veritatis namque verbum est, *Omnis qui audivit a Patre et didicit*, *venit ad me* (*Joan.* VI, 45). Qui ergo non facit, id est non venit, non didicit.

9. [*vers.* 136.] Recolens autem iste dolorem pœnitentiæ prævaricationis suæ, *Exitus aquarum*, inquit, *descenderunt oculi mei*, *quia non custodierunt legem tuam:* id est, ipsi oculi mei. Nam in quibusdam codicibus et hoc legitur, *Quia non custodivi legem tuam. Descenderunt* ergo *exitus aquarum*, id est effusiones lacrymarum. Et ea locutione qua dicere potuit, Montes descenderunt pedes mei; etsi non diceret, per montes, vel, in montes: ea locutione dicitur, Scalas descendit, etsi non dicatur, per scalas; aut, Piscinam descendit, etsi non dicatur, in piscinam. Et bene ait, *descenderunt*, humilitate scilicet pœnitendi. Ascende-

[1] Edd., *non custodit.* Abest, *non*, a Mss.

runt enim, quando per superbiam contumacem erecti fuerant et elati. Sursum enim sibi esse videbantur, quando ignorantes Dei justitiam, constituere volebant suam (*Rom.* x, 3) : in qua fatigati et legis prævaricatione confusi, ab illa elatione descenderunt flendo, ut justitiam Dei potius impetrarent pœnitendo [1]. Sunt codices qui non habent *descenderunt*, sed *transierunt*, tanquam exaggeranter diceret transisse se flendo fontes aquarum ; ut hoc intelligamus *exitus aquarum : id est* [2], plus flevisse, quam manant aquæ de suis exitibus. Cur autem non custodita lege sic fletur, nisi ut impetretur gratia, quæ pœnitentis delet iniquitatem, et credentis adjuvat voluntatem ?

SERMO XXVIII.

1. [*vers.* 137, 138.] Dixerat superius qui cantat hunc psalmum, *Exitus aquarum descenderunt oculi mei, quoniam non custodierunt legem tuam :* ubi se multum flevisse testatus est prævaricationem suam. Proinde, velut rationem reddens cur multum flere debuerit et suum graviter dolere peccatum, *Justus es*, inquit, *Domine, et rectum judicium tuum. Mandasti justitiam testimonia tua, et veritatem tuam valde.* Hæc utique justitia Dei rectumque judicium et veritas, omni est metuenda peccanti : hac enim damnantur divinitus quicumque damnantur ; nec est omnino qui de sua damnatione contra Deum justum recte conqueri possit. Inde fletus rectus est pœnitentis ; quoniam si cor ejus impœnitens damnaretur, justissime utique damnaretur. Sane justitiam dicit testimonia Dei : justum quippe se probat mandando justitiam. Est etiam hæc veritas, ut Deus testimoniis talibus innotescat.

2. [*vers.* 139.] Sed quid est quod sequitur : *Tabefecit me zelus meus ;* vel, sicut alii codices habent, *zelus tuus ?* Habent nonnulli etiam, *domus tuæ :* et non, *tabefecit me ;* sed, *comedit me.* Quod ex alio psalmo, quantum mihi videtur, putatum est emendandum, ubi scriptum est, *Zelus domus tuæ comedit me :* quod commemoratum etiam in Evangelio novimus (*Psal.* LXVIII, 10 ; *Joan.* II, 17). Simile tamen aliquid est, *tabefecit*, ei quod ibi est, *comedit. Zelus* autem *meus*, quod plures codices habent, nullam ingerit quæstionem : quid enim mirum est si zelo suo quisque tabescit ? Quod vero habent aliqui, *zelus tuus*, significat hominem Deo zelantem, non sibi ; sed non repugnat si ipse dicatur et *meus.* Nam quid aliud dicit Apostolus, *Æmulor enim vos Deo, æmulatione Dei ?* Nam dicendo, *Æmulor vos*, quid, nisi æmulationem demonstrat suam ? Sed quia dixit, *Deo*, id est, non sibi, sed Deo ; ideo addidit, *æmulatione Dei.* Hanc quippe suo Spiritu fidelibus suis inspirat Deus : amoris enim est, non livoris. Nam quæ fuit cura [3] ut hoc Apostolus diceret ? « Aptavi enim vos, » inquit, « uni viro virginem castam exhibere Christo : timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit versutia sua, sic et vestræ mentes corrumpantur a simplicitate et castitate quæ est in Christo » (II *Cor.* XI, 2, 3). Comedebat eum zelus domus Dei, quam tamen zelabat Christo, non sibi. Sponsus enim sibi zelat sponsam suam : amicus autem sponsi non eam sibi zelare debet, sed sponso. Bonus ergo et hujus intelligendus est zelus : causam namque subjungit et dicit, *Quia obliti sunt verborum tuorum inimici mei.* Retribuebant ergo mala pro bonis ; quoniam zelabat illos Deo tam vehementer et ardenter, ut eo zelo tabefactum se diceret ; illi autem ob hoc in ipsum [1] inimicitias exercebant : quia utique ut Deum amarent volebat, quos amando zelabat. Non ingratus enim gratiæ Dei, per quam fuerat ex inimico reconciliatus Deo, etiam ipse suos diligebat inimicos, et eos zelabat Deo, dolens et tabescens quod essent verborum ejus obliti.

3. [*vers.* 140.] Deinde considerans ipse, in verbis Dei qua flamma dilectionis arderet : *Ignitum*, inquit, *eloquium tuum valde, et servus tuus dilexit illud.* Merito zelabat in suis inimicis cor impœnitens, qui fuerant obliti verborum Dei : ad hoc enim flagrabat eos adducere, quod ipse flagrantissime diligebat.

4. [*vers.* 141.] *Junior ego sum*, inquit, *et contemptus ; justificationes tuas non sum oblitus :* non sicut inimici mei, qui obliti sunt verborum tuorum. Videtur autem minor ætate non oblitus justificationes Dei dolere pro inimicis suis ætate majoribus qui obliti sunt. Nam quid est, *Junior ego non sum oblitus*, nisi, Illi majores obliti sunt ? Νεώτερος est enim græce, quod est etiam in illo loco ubi dictum est, *In quo corrigit junior viam suam ?* Hoc autem nomen comparativum est, et ideo bene intelligitur in comparatione majoris. Duos ergo populos hic agnoscamus, qui etiam in Rebeccæ utero luctabantur ; quando *non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Major serviet minori* (*Gen.* XXV, 22, 23 ; *Rom.* IX, 12, 13). Sed contemptum se dicit hic minor ; ideo factus est major : quia ignobilia et contemptibilia mundi elegit Deus, et ea quæ non sunt, tanquam sint, ut quæ sunt evacuentur (I *Cor.* I, 28) ; et ecce sunt novissimi qui erant primi, et primi qui erant novissimi (*Matth.* XX, 16).

5. [*vers.* 142.] Nec immerito obliti sunt verborum Dei, qui suam justitiam constituere voluerunt, ignorantes justitiam Dei (*Rom.* X, 3) : iste autem junior non est oblitus, qui non suam voluit habere justitiam, sed Dei, de qua etiam nunc dicit, *Justitia tua justitia in æternum, et lex tua veritas.* Quomodo enim non veritas lex, per quam cognitio peccati, et quæ testimonium perhibet justitiæ Dei ? Sic enim dicit Apostolus: *Justitia Dei manifestata est, testificata per Legem et Prophetas* (*Id.* III, 20, 21).

6. [*vers.* 143.] Propter hanc passus est persecutionem junior a majore, ut diceret junior quod sequitur : *Tribulatio et necessitas invenerunt me, mandata tua meditatio mea est.* Sæviant, persequantur ; dum tamen mandata Dei non relinquantur, et ex ipsis mandatis etiam qui sæviunt diligantur.

7. [*vers.* 144.] *Justitia testimonia tua in æternum, intellectum da mihi, et vivam.* Intellectum poscit iste junior ; quem si non haberet ; non super seniores

[1] Am. Er. et plerique Mss., *petendo.*
[2] Er. Lugd. Ven. Lov. non habent, *id est.* M.
[3] Aliquot Mss.: *Nam hæc fuit causa.*

[1] Mss.: *Ob hoc ipsum inimicitias exercebant :* omissa particula, *in.*

intelligeret: sed eum poscit in tribulatione et necessitate, quo intelligat quam sit contemnendum quod ei possunt auferre persequentes inimici, a quibus se dicit esse contemptum. Ideo dixit, *et vivam :* quia si eo usque tribulatio necessitasque pervenerit, ut per inimicorum persequentium manus vita ista finiatur; vivet in æternum, qui temporalibus præponit justitiam, quæ manet in æternum. Quæ justitia in tribulatione et necessitate martyria sunt Dei, hoc est testimonia, pro quibus sunt martyres coronati.

SERMO XXIX.

1. [*vers.* 145] Clamor ad Dominum, qui fit ab orantibus, si sonitu corporalis vocis fiat, non intento in Deum corde; quis dubitet inaniter fieri? Si autem fiat corde, etiam silente corporis voce; alium quemlibet hominem potest latere, non Deum. Sive ergo cum voce carnis, quando id opus est, sive cum silentio, ad Deum, cum oramus, corde clamandum est. Est autem clamor cordis magna cogitationis intentio; quæ cum est in oratione, magnum exprimit desiderantis et petentis affectum, ut non desperet effectum. Tunc porro in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur. Tales orationes raræ sunt multis, crebræ autem paucis; omnes vero utrum cuiquam, nescio. Talem suam commemorat orationem, qui cantat hunc psalmum, dicens: *Clamavi in toto corde meo; exaudi me, Domine.* Cui autem rei suus clamor proficiat, adjunxit: *Justificationes tuas exquiram.* Ad hoc ergo clamavit in toto corde suo, et hoc sibi desideravit a Domino exaudiente præstari, ut justificationes ejus exquirat. Proinde quod ut faciamus jubetur, ut exquiramus oratur. Quam longe est adhuc a faciente qui exquirit? Non enim est consequens ut qui exquirit, inveniat; aut qui invenit, faciat: non potest autem nisi invenerit, facere: et nisi quæsierit, invenire. Sed magnam spem Dominus Jesus dedit dicendo: *Quærite, et invenietis.* Rursus autem dicit sapientia (quæ quid est, nisi ipse?), *Quærent me mali, et non invenient.* Non ergo malis, sed bonis dictum est, *Quærite, et invenietis.* Imo vero eis dictum est, quibus eodem loco paulo post, *Si ergo vos,* inquit, *cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris* (*Matth.* VII, 7, 11). Quomodo igitur malis dicitur, *Quærite, et invenietis;* cum rursus dicatur, *Quærent me mali, et non invenient?* An aliud eos Dominus quam sapientiam quærere volebat, quando eos inventuros si quærerent promittebat? In ea quippe sunt omnia, quæ ab eis qui beati esse cupiunt, inquirenda sunt. Ibi ergo sunt et justificationes Dei. Quapropter restat ut intelligamus, non omnes malos non invenire sapientiam, si quæsierint; sed eos qui in tantum sunt mali, ut oderint eam. Sic enim et dixit: *Quærent me mali, et non invenient; oderunt enim sapientiam* (*Prov.* I, 28, 29). Ideo ergo non inveniunt, quia oderunt. Sed rursus si oderunt, quomodo quærunt; nisi quia non eam quærunt propter ipsam, sed propter aliquid quod mali amant, et ad hoc se facilius putant perventuros per ipsam? Multi enim sunt qui dicta sapientiæ studiosissime inquirunt, eamque in doctrina, non in vita volunt habere; ut non per mores quos jubet sapientia, perveniant ad Dei lucem, quod est ipsa sapientia, sed per sermones quos habet sapientia, perveniant ad hominum laudem, quod est vana gloria. Non ergo sapientiam quærunt et quando eam quærunt; quia non quærunt ipsam, alioquin viverent secundum ipsam: sed volunt verbis ejus inflari; et quanto magis inflantur, tanto magis efficiuntur extra ipsam. Iste autem hoc ipsum poscens a Domino, quod eum jubet facere Dominus, ut ipse in illo etiam quod imperat operetur; Deus est enim qui operatur in nobis et velle et operari, pro bona voluntate (*Philipp.* II, 13): *Clamavi,* inquit, *in toto corde meo; exaudi me, Domine: justificationes tuas exquiram:* utique faciendas, non tantummodo sciendas; ne similis fiat illi servo duro, qui etiamsi intellexerit, non obaudiet (*Prov.* XXIX, 19).

2. [*vers.* 146.] *Clamavi; salvum me fac:* vel, sicut nonnulli codices habent et græci et latini, *Clamavi te; salvum me fac.* Quid est, *Clamavi te*, nisi, clamando invocavi te? Sed cum dixisset, *salvum me fac*, quid adjunxit? *Et custodiam testimonia tua:* ne te scilicet per infirmitatem negem. Salus quippe animæ facit ut fiat quod faciendum esse cognoscitur, et usque ad mortem corporis, si hoc flagitat extrema tentatio, pro testimoniorum divinorum veritate certetur: ubi autem non est salus, succumbit infirmitas, et deseritur veritas.

3. [*vers.* 147.] Sed quod sequitur habet aliquid obscuritatis, quod aliquanto diutius exponendum est. *Præveni intempesta nocte, et clamavi.* Plures codices non habent, *intempesta nocte;* sed, *immaturitate:* vix autem unus inventus est qui haberet geminatam præpositionem, id est, *in immaturitate.* Immaturitas itaque hoc loco nocturnum tempus est, quod non est maturum, id est, opportunum ut agatur aliquid vigilando: quod etiam vulgo dici solet, hora inopportuna [1]. Nox quoque intempesta, id est media, quando quiescendum est, hinc procul dubio nuncupata est, quia inopportuna est actionibus vigilantium. Tempestivum enim dixerunt veteres opportunum; et intempestivum, inopportunum: a tempore ducto vocabulo, non ab illa tempestate, quæ consuetudine latinæ linguæ cœli perturbatio jam vocatur. Quanquam isto verbo libenter utuntur historici, ut dicant, Ea tempestate, quod volunt Eo tempore intelligi: et quod ait locutor egregius,

Unde hæc tam clara repente
Tempestas? (*Virg. Æn.* IX, 19, 20.)

non cœlum nimbis ventisve turbatum, sed magis subita et splendida serenitate fulgidum significavit hoc nomine. Quod ergo græce dictum est ἐν ἀωρίᾳ, non uno verbo, sed duobus, id est, præpositione et nomine; hoc interpretes nostri quidam dixerunt, *intempesta nocte*, plures, *immaturitate*, non duobus verbis, sed uno, cujus vocabuli nominativus est immaturitas; nonnulli vero in duobus verbis, sicut græcus posuit, *in immaturitate;* ἀωρία quippe immaturitas est, ἐν ἀωρίᾳ, in immaturitate: tanquam si vellet etiam ille qui dixit,

[1] Sic plures Mss. At Edd., *importuna.*

intempesta nocte, præpositione dicere geminata, *in intempesta*; ut una præpositio significet in qua hora, altera pertineat ad compositionem nominis. Nihil sane interest ad sententiam, utrum quis dicat egisse se aliquid galli cantu, an, in galli cantu: ita nihil interesset, utrum *intempesta*, an vero *in intempesta nocte*, id est, *in nocte intempesta* clamasse se diceret. Græcus tamen *in nocte intempesta* dixit, quod idem valet si dicatur, *in immaturitate*, id est, in tempore nocturno immaturo. Hactenus de obscuro verbo fuerit disputatum; nunc videamus quis ipse sit sensus.

4. *Præveni*, inquit, *in nocte intempesta, et clamavi; in verbis tuis speravi*. Si hoc ad unumquemque fidelium referamus, et ad proprietatem rei gestæ; sæpe contingit ut tali noctis tempore vigilet amor Dei, et magno urgente [1] orationis affectu, non exspectetur sed præveniatur quod post galli cantum consuevit esse tempus orandi. Si autem accipiamus hoc totum sæculum noctem; utique intempesta nocte clamamus ad Deum, et prævenimus maturitatem temporis in quo nobis redditurus est quod promisit, sicut alibi legitur: *Præveniamus faciem ejus in confessione* (*Psal.* xciv, 2). Quanquam si velimus intelligere immaturum tempus noctis hujus, antequam venisset plenitudo temporis, id est, ipsa maturitas, quando Christus manifestaretur in carne (*Galat.* iv, 4); nec tunc Ecclesia tacuit, sed præveniens istam maturitatem, prophetando clamavit, et in verbis Dei speravit potentis facere quod promisit, ut in semine Abrahæ benedicerentur omnes gentes (*Gen.* xii, 3; *et* xxii, 18).

5. [*vers.* 148.] Ipsa et quod sequitur dicit, *Prævenerunt oculi mei ad matutinum, ut meditarer eloquia tua*. Ponamus enim matutinum, quando qui sedebant in umbra mortis, lux orta est eis (*Isai.* ix, 2); nonne in sanctis qui prius erant in terra, ad hoc matutinum oculi Ecclesiæ prævenerunt, quia hoc futurum antea præviderunt, ut meditarentur eloquia Dei, quæ tunc erant, et in Lege ac Prophetis hæc futura nuntiabant?

6. [*vers.* 149.] *Vocem meam*, inquit, *exaudi, Domine, secundum misericordiam tuam: et secundum judicium tuum vivifica me*. Prius enim Deus secundum misericordiam aufert a peccatoribus pœnam, eisque postea justis secundum judicium dabit vitam; quia non frustra illi hoc ordine dicitur, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* c, 1): quamvis et ipsum tempus misericordiæ non est sine judicio, de quo dicit Apostolus, *Si enim nos ipsos judicaremus, a Domino non judicaremur: cum judicamur autem, a Domino corripimur, ne cum mundo damnemur* (I *Cor.* xi, 31, 32); et ejus coapostolus, *Tempus est*, inquit, *ut judicium incipiat a domo Domini: et si initium a nobis* [2]; *qualis finis erit eis qui non credunt Domini Evangelio* (1 *Petr.* iv, 17). Et ultimum tempus judicii non erit sine misericordia, quia *coronat te*, ait psalmus, *in miseratione et misericordia* (*Psal.* cii, 4). Judicium autem sine misericordia, sed sinistris qui non fecerunt misericordiam (*Jacobi* ii, 13).

7. [*vers.* 150.] *Appropinquaverunt*, inquit, *persequentes me iniquitate*; vel, sicut nonnulli codices habent, *inique*. Tunc appropinquant qui persequuntur, quando usque ad carnem cruciandam perimendamque perveniunt. Unde psalmus vicesimus primus, ubi passio Domini prophetata est, *Ne discedas*, inquit, *a me, quoniam tribulatio proxima est* (*Psal.* xxi, 12); cum ea dicantur quæ non imminente, sed jam præsente ipsa passione perpessus est. Sed proximam dixit tribulationem, quæ fiebat in carne; nihil est quippe animæ propius carne quam gestat. Propinquaverunt ergo persequentes, affligendo eorum carnem, quos persequebantur. Sed attende quod sequitur: *A lege autem tua longe facti sunt*. Quanto magis propinquaverunt persequendis justis, tanto magis longe facti sunt a justitia. Sed quid nocuerunt eis, quibus persequendo propinquaverunt; quando interior est propinquatio Domini eorum, a quo nullatenus deseruntur?

8. [*vers.* 151.] Denique sequitur: *Prope es tu, Domine, et omnes viæ tuæ veritas*. Etiam in tribulationibus suis, quod eas non immerito patiuntur, tribuere Deo veritatem, sanctorum est usitata confessio. Ita regina Esther (*Esther.* xiv, 6, 7), ita sanctus Daniel (*Dan.* ix, 4, 15), ita tres viri in camino (*Id.* iii, 24-31), ita eorum sanctitatis alii socii confitentur. Quæri autem potest quomodo hic dictum sit, *Omnes viæ tuæ veritas*; cum in alio psalmo legatur, *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* xxiv, 10). Sed erga sanctos et universæ viæ Domini misericordia, et universæ viæ Domini veritas: quia et in judicando subvenit, atque ita non deest misericordia; et in miserando id exhibet quod promisit, ne veritas desit. Erga omnes autem et quos liberat, et quos damnat, omnes viæ Domini misericordia et veritas; quia ubi non miseretur, vindictæ veritas exhibetur. Multos quippe immeritos liberat, immeritum autem neminem damnat.

9. [*vers.* 152]. *Ab initio cognovi*, inquit, *de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea*. Quod græcus ait, κατἀρχὰς, aliqui nostri *ab initio*, aliqui *initio*, aliqui *in initiis* interpretati sunt. Sed qui pluraliter hoc dicere maluerunt, græcam locutionem secuti sunt. Latinæ autem linguæ illud potius usitatum est, ut *ab initio* vel *initio* dicatur, quod κατἀρχὰς græce quasi pluraliter, sed adverbialiter dicitur: quale est apud nos, cum dicimus, Alias hoc facio; pluralem numerum feminini generis dicere videmur, sed adverbium est, et significat Alio tempore. Quid est ergo, *Ad initio cognovi*, vel potius, ut et nos adverbialiter id dicamus, *Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea?* Testimonia Domini in æternum ab illo dicit esse fundata, et hoc se initio cognovisse testatur, nec aliunde cognovisse quam de ipsis utique testimoniis. Quæ sunt ista testimonia, nisi quibus testatus est Deus daturum se regnum suis

[1] Aliquot Mss., *surgente*.
[2] Plerique Mss., *vobis*.

filiis sempiternum? Et quia hoc in Unigenito se daturum esse testatus est, de quo dictum est, *Et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 33); ipsa testimonia dixit in æternum esse fundata, quia id quod per ea Deus promisit, æternum est. Nam per se ipsa testimonia tunc non erunt necessaria, quando res ipsa videbitur, propter quam credendam nunc testimonia requiruntur. Et ideo bene intelligitur dictum, *fundasti ea*, quia in Christo vera monstrantur. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (I *Cor.* III, 11). Unde hoc ergo iste initio cognovit, nisi quia Ecclesia loquitur, quæ terris non defuit ab initio generis humani, cujus primitiæ Abel sanctus est, immolatus et ipse (*Gen.* IV, 8) in testimonium futuri sanguinis Mediatoris ab impio fratre fundendi? Nam et illud ab initio dictum est, *Erunt duo in carne una* (*Id.* II, 24): quod magnum sacramentum apostolus Paulus exponens, *Ego*, inquit, *dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 32).

SERMO XXX.

1. [*vers.* 153.] Nemo in Christi corpore constitutus a se alienam arbitretur esse hanc vocem (quoniam re vera totum Christi corpus in hac humilitate positum dicit), unde psalmi hujus incipit lectio, de qua nunc disputare suscepimus: *Vide humilitatem meam, et eripe me; quia legem tuam non sum oblitus.* Hoc loco nullam Dei legem convenientius intelligimus, nisi qua immobiliter fixum est ut omnis qui se exaltat, humilietur, et omnis qui se humiliat, exaltetur (*Luc.* XIV, 11; *et* XVIII, 14). Superbus ergo malis, ut humilietur, innectitur; humilis a malis, ut exaltetur, eripitur.

2. [*vers.* 154.] *Judica*, inquit, *judicium meum, et redime me.* Superior quodammodo sententia repetita est. Quod enim ait, *Vide humilitatem meam*; hoc est, *Judica judicium meum*: et quod ait, *et eripe me*; hoc est, *et redime me.* Quod vero supra dictum est, *quia legem tuam non sum oblitus*; huic congruit quod infra est, *propter eloquium tuum vivifica me.* Ipsum enim eloquium est lex Dei, quam non est oblitus, ut se exaltandus humiliaret. Ad ipsam vero exaltationem pertinet quod ait, *Vivifica me*; quia sanctorum exaltatio vita æterna est.

3. [*vers.* 155.] *Longe est*, inquit, *a peccatoribus salus; quia justificationes tuas non exquisierunt.* Quis enim te discernit, o tu qui dixisti, *Longe est a peccatoribus salus?* quis te discernit a peccatoribus, ut non a te longe, sed tecum sit salus? Hoc te nempe discernit, quia id quod isti non egerunt, ipse fecisti, hoc est, Dei justificationes exquisisti. Quid autem habes quod non accepisti (I *Cor.* IV, 7)? Nonne tu es qui paulo ante dicebas, *Clamavi in toto corde meo; exaudi me, Domine: justificationes tuas exquiram?* Ergo ab illo ad quem clamasti, ut eas exquireres accepisti. Ipse te igitur discernit ab eis a quibus propterea longe est salus, quia justificationes Dei non exquisierunt.

4. [*vers.* 156.] Vidit hoc etiam ipse. Neque enim ego id viderem, nisi in ipso viderem, nisi in ipso essem. Corporis enim Christi verba ista sunt, cujus membra sumus. Vidit hoc, inquam, continuoque subjecit: *Miserationes tuæ multæ, Domine.* Etiam hoc ergo quod exquirimus justificationes tuas, pertinet ad miserationes tuas. *Secundum judicium tuum vivifica me.* Novi enim quia et judicium tuum sine tua miseratione non erit super me.

5. [*vers.* 157.] *Multi persequentes me et tribulantes me; a testimoniis tuis non declinavi.* Factum est, novimus, recolimus, agnoscimus. Purpurata est universa terra sanguine martyrum; floret cœlum coronis martyrum, ornatæ sunt Ecclesiæ memoriis martyrum, insignita sunt tempora natalibus martyrum, crebrescunt sanitates meritis martyrum. Unde hoc, nisi quia completum est quod prædictum est de homine isto toto terrarum orbe diffuso, *Multi persequentes me et tribulantes me; a testimoniis tuis non declinavi?* Agnoscimus, et gratias agimus Domino Deo nostro. Tu namque homo, tu in alio psalmo, tu ipse dixisti: *Nisi quia Dominus erat in nobis, fortasse vivos absorbuissent nos* (*Psal.* CXXIII, 2, 3). Ecce quare ab ejus testimoniis non declinasti, et ad palmam supernæ vocationis inter manus multorum persequentium tribulantiumque venisti.

6. [*vers.* 158.] *Vidi*, inquit, *insensatos, et tabescebam*: vel, sicut alii codices habent, *Vidi non servantes pactum*; et hoc plures habent. Sed qui sunt qui pactum non servaverunt, nisi qui declinaverunt a testimoniis Dei, tribulationes multorum persequentium non ferentes? Hoc est autem pactum, ut qui vicerit, coronetur. Hoc pactum non servaverunt qui persecutionem non tolerantes, a testimoniis Dei negando declinaverunt. Hos ergo iste vidit, et tabescebat, quia diligebat. Zelus ille est enim bonus, de amore veniens, non livore. In quo enim non servaverunt pactum, secutus adjunxit: *Quia eloquia tua non custodierunt.* Ea quippe in tribulationibus negaverunt.

7. [*vers.* 159.] Et commendat se iste differens ab eis, ac dicit, *Vide quoniam mandata tua dilexi.* Non ait, Eloquia vel testimonia tua non negavi, quod martyres facere cogebantur, et non facientes intolerabilia patiebantur: sed hoc dixit ubi fructus est omnium passionum; quia si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest (I *Cor.* XIII, 3). Hanc iste commendans ait, *Vide quoniam mandata tua dilexi.* Deinde postulavit præmium: *Domine, in tua misericordia vivifica me.* Isti mortificant, tu vivifica. Sed si præmium poscitur in misericordia, quod reddere debet justitia; quanto magis impensa est misericordia, ut obtineretur cui præmium deberetur, ipsa victoria?

8. [*vers.* 160.] *Principium*, inquit, *verborum tuorum veritas, et in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.* A veritate, inquit, tua verba procedunt, et ideo veracia sunt, et neminem fallunt, quibus prænuntiatur vita justo, pœna impio. Hæc sunt quippe in æternum judicia justitiæ Dei.

SERMO XXXI.

1. [*vers.* 161.] Quas persecutiones a regibus terræ corpus Christi, hoc est sancta Ecclesia pertulerit, novimus. Agnoscamus ergo hic etiam ejus verba dicentis, *Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum.* Quid enim Christiani læserant regna terrena, quamvis eis regnum cœlorum promiserit rex eorum? quid, inquam, læserant regna terrena? Numquid eorum rex milites suos prohibuit impendere et exhibere quæ debentur regibus terræ? Nonne de hoc sibi calumniam molientibus Judæis ait: *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt* (*Matth.* XXII, 21)? Nonne tributum de ore piscis etiam ipse persolvit (*Id.* XVII, 23-26)? Nonne præcursor ejus, militibus regni hujus quid facere deberent pro æterna salute quærentibus, non ait, Cingulum solvite, arma projicite, regem vestrum deserite, ut possitis Domino militare; sed ait, *Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis; sufficiat vobis stipendium vestrum* (*Luc.* III, 14)? Nonne unus militum ejus et dilectissimus comes ejus, commilitonibus suis, et quodammodo Christi provincialibus dixit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit?* Et paulo post ait: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis* (*Rom.* XIII, 1, 7 *et* 8). Nonne præcepit ut pro ipsis etiam regibus oraret Ecclesia (I *Tim.* II, 1, 2)? Quid ergo eos Christiani offenderunt? quod debitum non reddiderunt? in quo Christiani non sunt terrenis regibus obsecuti? Ergo terreni reges Christianos gratis persecuti sunt. Sed quod subjecit, attende: *Et a verbis tuis formidavit cor meum.* Habuerunt quidem et illi verba minacia, Expello, proscribo, occido, ungulis torqueo, ignibus torreo, bestiis subrigo [1], membra dilanio: sed tua me potius verba terruerunt, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, et postea non habent quid faciant; sed eum timete qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam* (*Matth.* X, 28). *Ab his verbis tuis formidavit cor meum;* et contempsi hominem persecutorem meum, et vici diabolum seductorem meum.

2. [*vers.* 162.] Denique sequitur: *Exsultabo ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* Per ea verba vicit, a quibus formidavit. Victis enim spolia detrahuntur; sicut victus et spoliatus est ille de quo dicitur in Evangelio, *Nemo intrat in domum fortis, ut vasa ejus diripiat, nisi prius alligaverit fortem* (*Id.* XII, 29). Sed spolia multa inventa sunt, quando patientiam mirati martyrum, etiam qui persecuti sunt crediderunt; et qui regem nostrum detrimento militum ejus sunt damnificare moliti, ab illo sunt insuper acquisiti. Quisquis ergo a verbis Dei, ne in certamine vincatur formidat, super eadem verba victor exsultat.

3. [*vers.* 163.] Nam ne putaremus ex illa formidine odium verborum Dei potuisse subrepere: quamvis jam dixerit, *Exultavi super eloquia tua*, quod utique non diceret, si odisset ea; tamen adhuc addidit, et dicit: *Injustitiam odio habui, et abominatus sum; legem autem tuam dilexi.* Nempe a verbis ejus illa formido non fecit eorumdem verborum odium, sed integram tenuit charitatem. Neque enim lex Dei non sunt verba et eloquia Dei. Absit ergo ut timore pereat amor, ubi castus est timor. Sic patres a filiis piis et timentur et amantur; sic pudica conjux virum et timet, ne ab illo deseratur, et amat, ut fruatur. Si ergo et pater homo, et conjux homo, et timeri et amari debet; multo magis Pater noster qui in cœlis est (*Matth.* VI, 9), et ille sponsus, non carne præ filiis hominum, sed virtute formosus (*Psal.* XLIV, 3). A quibus enim diligitur lex Dei, nisi a quibus diligitur Deus? Et quid habet bonis filiis triste lex patris? An quoniam quem diligit corripit, et flagellat omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 6)? At qui hæc judicia respuit, promissa non recipit. Paterna ergo judicia laudentur et in flagello, si promissa diligantur in præmio.

4. [*vers.* 164.] Ita plane facit iste, qui dicit, *Septies in die laudavi te, super judicia justitiæ tuæ. Septies in die* quod ait, significat Semper. Solet esse quippe iste numerus universitatis indicium: propter quod sex diebus divinæ operationis, septimus adjectus est quietis (*Gen.* II, 2); et per septem dies currentes et recurrentes, tempora universa volvuntur. Nec ob aliud dictum est, *Septies cadet* [1] *justus, et resurget:* id est, non perit justus, modis omnibus humiliatus, sed non prævaricatus, alioquin non erit justus. Nam pro omni genere tribulationis, qua in conspectu hominum dejicitur, positum est, *septies cadit;* et pro eo quod ex ipsis omnibus tribulationibus proficit, positum est, *resurget.* Satis illustrat in eo libro consequens sententia præcedentem: ibi enim sequitur, *Impii autem infirmabuntur in malis* (*Prov.* XXIV, 16). Hoc est itaque justo septies cadere et resurgere, in omnibus malis non infirmari. Merito igitur septies in die laudavit Ecclesia Deum super judicia justitiæ ipsius; quia cum tempus esset ut judicium inciperet a domo Domini (I *Petr.* IV, 17), in omnibus tribulationibus suis non infirmata, sed coronis martyrum glorificata est.

5. [*vers.* 165.] *Pax multa*, inquit, *diligentibus legem tuam, et non est eis scandalum.* Utrum ipsa lex diligentibus se scandalum non est, an diligentibus eam nullum est undecumque scandalum? Sed utrumque recte intelligitur. Qui enim diligit Dei legem, etiam quod in ea non intelligit honorat; et quod ei sonare videtur absurde, se potius non intelligere, et aliquid magnum latere ibi judicat: ideo lex Dei non est ei scandalum. Ut autem nullum scandalum omnino patiatur, non sic homines sanctæ cujusque professionis attendat, ut fides ejus ex eorum moribus pendeat; ne aliquibus cadentibus quos pro magno habebat, ipse scandalo pereat: sed ipsam Dei legem diligat, et erit ei pax multa, nullumque scandalum. Securus enim diligit eam, in qua etiamsi multi peccant, peccare ipsa non novit.

6. [*vers.* 166.] *Exspectabam*, inquit, *salutare tuum;*

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *subigo.*

[1] Sic Am. Er. et Mss. juxta Græc. LXX. At Lov., *cadit.*

Domine, *et mandata tua dilexi*. Quid enim justis profuisset antiquis Dei dilexisse mandata, nisi eos Christus qui est Dei salutare, liberasset; cujus etiam spiritu impertito mandata Dei diligere potuerunt? Si ergo exspectabant salutare Dei, qui mandata ejus dilexerunt; quanto magis necessarius erat Jesus, hoc est salutare Dei, salvis faciendis eis qui mandata ejus non dilexerunt? Potest ista etiam sanctis istorum temporum, ex quo gratia revelata Evangelium prædicatur, congruere prophetia: exspectant enim Christum qui mandata Dei diligunt, ut cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et nos appareamus cum illo in gloria (*Coloss.* III, 4).

7. [*vers.* 167, 168.] *Custodivit*, inquit, *anima mea testimonia tua*, *et dilexi ea valde*: vel, sicut nonnulli codices habent, *dilexit*, ut subaudiatur, *anima mea*. Custodiuntur testimonia Dei, dum non negantur. Hoc est martyrum officium, quia testimonia græce martyria nuncupantur. Sed quia pro testimoniis Dei etiam flammis concremari sine charitate nihil prodest (I *Cor.* XIII, 3), ideo addidit, *Et dilexi ea valde*. Supra autem dixerat, *Mandata tua dilexi*; deinde sequenti versu, *Testimonia tua*, et *custodivi*, et *dilexi*: postea, *Et mandata tua*, et *testimonia tua custodivi;* ait enim, *Custodivi mandata tua et testimonia tua*. Qui enim diligit, ipsa [1] veraciter libenterque custodit. Plerumque autem dum mandata Dei custodiuntur, fiunt inimici contra quorum voluntatem custodiuntur: tunc vero fortiter et testimonia custodienda sunt, ne persequentibus inimicis negentur.

8. Cum ergo se iste utrumque fecisse dixisset, Deo tribuit unde fecit, adjungendo atque dicendo: *Quia omnes viæ meæ in conspectu tuo*, *Domine*. Ideo, inquit, *custodivi madata tua et testimonia tua; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo*. Tanquam diceret: Si avertisses a me faciem tuam, fierem conturbatus, nec tua mandata et testimonia custodirem. Custodivi ergo, *quia omnes viæ meæ in conspectu tuo*. Propitio quippe et adjuvante conspectu, voluit intelligi Deum videre vias suas; sicut oravit qui dixit, *Ne avertas faciem tuam a me* (*Psal.* XXVI, 9). Nam utique facies Domini est et super facientes mala, sed ut perdat de terra memoriam eorum (*Psal.* XXXIII, 17). Non sic profecto iste dixit vias suas ab illo videri; sed sicut novit Dominus vias justorum (*Psal.* I, 6), et sicut ait Moysi, *Scio te præ omnibus* (*Exod.* XXXIII, 17). Nam si hoc eum non adjuvaret gradientem, quod ejus viæ sunt in conspectu Dei, non diceret ideo se custodisse mandata et testimonia ejus, quia omnes viæ suæ sunt in conspectu Domini. Novit enim audire, *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore: apprehendite disciplinam*, *nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* (*Psal.* II, 11 *et* 12): quia nisi in conspectu Domini esset, via justa non esset. Nam hunc timorem et tremorem apostolus etiam Paulus imponit eis quibus dicit, *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini*: et cur hoc dixerit aperiens, *Deus est enim*, inquit, *qui operatur in vobis et velle et operari, pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 12, 13). Ad hoc sunt ergo in conspectu Domini viæ justorum, ut dirigat gressus eorum, quoniam ipsæ sunt viæ de quibus scriptum est in Proverbiis, *Vias autem quæ a dextris sunt, novit Dominus: perversæ autem sunt*, inquit, *quæ a sinistris*: ut intelligeremus quod eas non noverit Dominus, propter quod perversis dicturus est, *Non novi vos* (*Matth.* VII, 23). Porro ut ostenderet quo fructu vias quæ a dextris sunt, id est justorum, noverit Dominus, continuo subjecit: *Ipse enim rectos faciet gressus tuos, et itinera tua in pace producet* (*Prov.* IV, 27). Ecce quare ait etiam iste, *Custodivi mandata tua et testimonia tua*. Et velut quæreremus hoc unde potuerit: *Quia omnes*, inquit, *viæ meæ in conspectu tuo*, *Domine*.

SERMO XXXII.

1. [*vers.* 169.] Vocem nunc orantis audiamus: quoniam quis oret novimus, et nos ipsos si reprobi non sumus, in membris hujus orantis agnoscimus. *Appropinquet oratio mea in conspectu tuo, Domine*: id est oratio mea, quæ fit in conspectu tuo, appropinquet tibi. Prope est enim Dominus his qui obtriverunt cor (*Psal.* XXXIII, 19). *Secundum eloquium tuum da mihi intellectum*. Promissum petit. Nam hoc ait, *Secundum eloquium tuum*; tanquam diceret, secundum promissum tuum. Promisit enim hoc Dominus, ubi ait, *Intellectum dabo tibi* (*Psal.* XXXI, 8).

2. [*vers.* 170.] *Intret postulatio mea in conspectu tuo*, *Domine; secundum eloquium tuum eripe me*. Repetit quodammodo quod petivit. Nam quod prius dixerat, *Appropinquet oratio mea in conspectu tuo, Domine;* huic simile est quod ait posterius, *Intret postulatio mea in conspectu tuo, Domine;* et quod prius, *Secundum eloquium tuum da mihi intellectum;* huic congruit quod posterius, *Secundum eloquium tuum eripe me*. Accipiendo quippe intellectum eripitur, qui per seipsum non intelligendo decipitur.

3. [*vers.* 171.] *Eructabunt*, inquit, *labia mea hymnum*, *cum docueris me justificationes tuas*. Novimus quemadmodum doceat eos Deus qui sunt docibiles Deo. Omnis enim qui audivit a Patre et didicit, venit ad eum qui justificat impium (*Joan.* VI, 45): ut non solum memoria retinendo, verum etiam faciendo custodiat justificationes Dei. Sic enim qui gloriatur, non in seipso, sed in Domino gloriatur (I *Cor.* I, 31), hymnusque eructatur.

4. [*vers.* 172.] Sed jam quia didicit et laudavit doctorem Deum, deinde vult docere. *Pronuntiabit*, inquit, *lingua mea eloquia tua*, *quia omnia mandata tua justitia* [1]. Cum hæc se pronuntiaturum dicit, utique minister fit verbi. Quamvis enim Deus doceat intrinsecus; tamen fides ex auditu est: et quomodo audiunt sine prædicante (*Rom.* X, 17, 14)? Neque enim quia Deus dat incrementum (I *Cor.* III, 7), ideo non est plantandum et rigandum.

5. [*vers.* 173, 174.] Scit autem quæ pericula secu-

[1] Am. et aliquot Mss., *ipse*.

[1] Sic ex aliquot Mss. Sic etiam Ambrosius in suis Commentariis ad huncce versiculum. [*judicia*.]

tura sint a contradicentibus et persequentibus, cum fuerit pronuntiator eloquiorum Dei : propter quod adjunxit, *Fiat manus tua, ut salvum me faciat ; quia mandata tua elegi.* Ut non timerem, nec solum cor meum teneret [1], sed lingua etiam pronuntiaret eloquia tua; *mandata tua elegi*, timoremque amore compressi. Fiat ergo manus tua, ut salvum me de manu facias aliena. Sic autem Deus salvos martyres fecit, cum eos in anima non permisit occidi : nam secundum carnem vana salus hominis (*Psal.* LIX, 13). Potest et sic accipi, *Fiat manus tua*, ut manus Dei Christus intelligatur; juxta illud Isaiæ, *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isai.* LIII, 1)? Non enim erat factus Unigenitus, cum per eum facta sint omnia (*Joan.* I, 3) ; sed factus est ex semine David (*Rom.* I, 3), ut esset Jesus, id est Salvator, qui jam erat Creator. Sed cum familiare sit Scripturæ, *Fiat manus tua ;* et, *Facta est manus Domini* (*Ezech.* I, 3, *etc.*) : nescio utrum possit hic sensus in eis locis omnibus obtineri. Sane ubi audimus quod sequitur, *Concupivi salutare tuum, Domine;* etiam nolentibus omnibus inimicis, salutare Dei nobis Christus occurrat : ipsum se concupisse justi antiqui veracissime confitentur, ipsum concupivit Ecclesia venturum de visceribus matris, ipsum concupiscit Ecclesia venturum a dextera Patris. Subjungitur autem huic sententiæ, *Et lex tua meditatio mea est :* quia lex perhibet testimonium Christo.

6. [*vers.* 175.] Sed in hac fide, cum corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X, 10); fremant gentes, populi meditentur inania (*Psal.* II, 1), occidatur certe caro dum prædicat te : *Vivet anima mea, et laudabit te, et judicia tua adjuvabunt me.* Judicia quippe illa sunt, quæ tempus erat ut inciperent a domo Domini (I *Petr.* IV, 17). Sed *adjuvabunt me*, inquit. Et quis non videat quantum adjuverit Ecclesiam sanguis Ecclesiæ? quanta ex illa semente seges toto orbe surrexerit?

7. [*vers.* 176.] Novissime prorsus aperit se, et quæ persona per totum Psalmum loquebatur, ostendit. *Erravi*, inquit, *sicut ovis perdita ; quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* Nonnulli codices non habent *quære*, sed *vivifica*. Una quippe syllaba interest, qua inter se in græco distant ζήσον et ζήτησον : unde et ipsi codices græci variant. Sed quodlibet horum sit, ovis perdita quæratur, ovis perdita vivificetur, propter quam pastor ejus nonaginta novem dimisit in montibus, et eam quærens (*Matth.* XVIII, 12), Judaicis laceratus est vepribus. Sed adhuc quæritur, adhuc quæratur, ex parte inventa adhuc quæratur. Ex ea namque parte, qua dicit iste, *Mandata tua non sum oblitus*, inventa est; sed per eos qui mandata Dei eligunt, colligunt [2], diligunt, adhuc quæritur, et per sui pastoris sanguinem fusum atque dispersum, in omnibus gentibus invenitur.

8. Ut potui, quantum a Domino adjutus sum, psalmum istum magnum pertractavi et exposui. Quod profecto melius sapientiores doctioresque fecerunt, sive facturi sunt; nec ideo tamen ei nostrum deesse debuit ministerium, maxime id de me flagitantibus fratribus, quibus sum debitor hujus officii. Quod autem de alphabeto hebræo, ubi octoni versus singulis subjacent litteris, atque ita Psalmus totus contexitur, nihil dixi, non sit mirum, quoniam nihil quod ad istum proprie pertineret inveni : non enim solus habet has litteras. Illud sane sciant qui hoc in græca et latina scriptura, quoniam non illic servatum est, invenire non possunt, omnes octonos versus in hebraicis codicibus ab ea quæ illis præponitur, littera incipere; sicut nobis ab eis qui illas noverunt litteras, indicatum est. Quod multo diligentius factum est, quam nostri vel latine vel punice, quos abecedarios vocant psalmos, facere consueverunt. Non enim omnes versus donec claudatur periodus, sed solos primos ab eadem littera incipiunt, quam præponunt.

IN PSALMUM CXIX
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Brevis Psalmus est, et valde utilis, quem modo nobis cantatum audivimus, et cantando respondimus. Non diu laborabitis in audiendo, nec infructuose laborabitis in operando. Est enim, sicut ejus titulus prænotatur, *Canticum graduum.* Græce scriptum est, ἀναβαθμῶν. Gradus vel descendentium sunt vel ascendentium : sed gradus quomodo in his psalmis positi sunt, ascendentes significant. Intelligamus ergo tanquam ascensuri : nec ascensiones pedibus corporalibus quæramus, sed sicut in alio psalmo scriptum est, « Ascensiones in corde ejus disposuit, in convalle plorationis, in locum quem disposuit » (*Psal.* LXXXIII, 6 *et* 7). Dixit « ascensiones; » ubi? Id est, « in corde. » Unde? A « convalle plorationis. » Et jam quo ascendatur, tanquam deficit sermo humanus, nec explicari potest, forte nec cogitari. Audistis modo, cum Apostolus legeretur, « Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit » (I *Cor.* II, 9). « In cor hominis non ascendit; » cor hominis illuc ascendat. Ergo quia « oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; » quomodo dici posset quo ascendendum est? Ideo cum dici non posset, ait, *In locum quem disposuit.* Quid tibi plus dicturus sum, ait homo per quem Spiritus sanctus loquebatur? in locum talem, aut locum talem? Quidquid dixero, terrenum cogitas, humi [1] repis, carnem portas : corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15). Cui loquar? quis auditurus est? quis capiet ubi erimus post hanc vitam, si in corde ascenderimus? Quia ergo nemo, spera [2] aliquem ineffabilem beatitudinis locum, quem

[1] Sic Am. et Mss. si paucos excipias, qui habent, *nec solum cor meum non timeret.* At Er. et Lov., *nec solum ne cor meum timeret.*
[2] Verbum, *colligunt*, abest a pluribus Mss.

[1] Am. et Er., *humo.* Et sic Mss. constanter.
[2] Edd.: *Quia ergo nemo sperat.* Christiniensis Ms.: *Quia ergo nemo potest dicere, spera*, etc. Sed legendum videtur: *Quia ergo nemo*, (supple, *capere potest*) *spera.*

tibi[1] disposuit qui ascensiones etiam in corde tuo disposuit. Sed ubi? *In convalle plorationis.* Convallis humilitatem significat; mons celsitudinem significat. Est mons quo ascendamus, spiritualis quædam celsitudo. Et quis est iste mons quo ascendimus, nisi Dominus Jesus Christus? Ipse tibi fecit, patiendo, convallem plorationis, qui fecit, manendo, montem ascensionis. Quid est vallis plorationis? *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Quid est vallis plorationis? *Præbuit percutienti se maxillam; saturatus est opprobriis* (*Thren.* III, 30). Quid est vallis plorationis? Colaphizatus est, sputis illinitus, spinis coronatus, crucifixus est. Hæc est vallis plorationis unde tibi ascendendum est. Sed in quo ascendendum est? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Ipsum enim *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1. 14). Sic descendit ad te, ut maneret in se : descendit ad te, ut fieret tibi convallis plorationis; mansit in se, ut esset tibi mons ascensionis. *Erit*, inquit Isaias, *in novissimis diebus manifestus mons*[2] *Domini, paratus in cacumine montium* (*Isai.* II, 2). Ecce quo ascendendum est. Sed noli aliquid terrenum cogitare, nec quia montem audisti, alta quædam cogites terræ : nec cum saxum audis aut petram, duritia a te intelligatur; nec cum audis leonem, cogites feritatem; nec cum audis agnum, cogites pecus. Nihil horum est in se, et omnia factus est pro te. Hinc ergo ascendendum est, illuc ascendendum; ab exemplo ipsius, ad divinitatem ipsius. Exemplum enim tibi fecit humiliando se. Nam qui nolebant a convalle plorationis ascendere, compressi sunt ab ipso. Præpropere enim volebant habere ascensum, honores altos cogitabant, viam humilitatis non cogitabant. Intelligat Charitas vestra quod dico, duos discipulos voluisse ad latera Domini, unum ad dexteram, alterum ad sinistram sedere : vidit eos Dominus præpropere et præpostere de honoribus cogitare, cum prius discere deberent humiliari, ut exaltarentur; et ait eis Dominus : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum* (*Matth.* XX, 21, 22)? Ipse enim in convalle plorationis bibiturus erat calicem passionis : illi autem non attendentes humilitatem Christi, comprehendere volebant altitudinem Christi. Revocavit illos ad viam, tanquam aberrantes; non ut negaret illis quod vellent, sed ut ostenderet qua venirent.

2. Itaque, fratres mei, hunc psalmum ascensionis cantemus ascensuri in corde; quia ut ascendamus descensum est ad nos. Nam vidit scalas Jacob, et in ipsis scalis demonstrati sunt ei ascendentes et descendentes (*Gen.* XXVIII, 12) : utrumque vidit. Possumus putare ascendentes visos, proficientes; descendentes, deficientes : quia et revera invenimus hoc in populo Dei; alii proficiunt, alii deficiunt. Poterant istos significare illæ scalæ, sed forte melius intelliguntur omnes boni in illis scalis, et ascendentes et descendentes. Non enim frustra non dictum est cadentes, sed descendentes. Multum autem interest inter descendere et cadere. Nam quia cecidit Adam, ideo descendit Christus : ille cecidit, ille descendit; ille cecidit superbia, ille descendit misericordia. Non autem ipse solus descendit : et quidem de cœlo ipse solus descendit; sed multi imitantes eum sancti descendunt ad nos, et descenderunt ad nos. Nam in quadam altitudine cordis habitabat Apostolus, cum diceret : *Sive enim mente excessimus Deo.* Jam quod mente excesserat, Deo excesserat. Excedens enim mente omnem humanam fragilitatem, omnem sæculi temporalitatem, omnia quæcumque nascendo et occidendo vanescunt, transeuntia hæc; habitabat corde in quadam ineffabili contemplatione, quantum poterat, de qua dicit quia audivit ineffabilia verba quæ non licet homini loqui (II *Cor.* XII, 4). Sed tibi illa loqui non posset : ipse autem videre illa utcumque posset, quæ tibi loqui non posset. Itaque si semper manere vellet in eo quod videbat, et loqui non poterat, te non levaret ubi et tu posses videre. Quid autem fecit? Descendit. Nam ibi ait : *Sive enim mente excessimus Deo, sive temperantes sumus vobis* (*Id.* V, 13). Quid est, *temperantes sumus?* Sic loquimur, ut capere possitis. Quia et Christus talem se fecit nascendo et patiendo, ut possent de illo homines loqui : quia de homine homo facile loquitur. De Deo homo quando loquitur sic, quomodo Deus est? Homo autem de homine facile loquitur. Ut ergo magni descenderent ad parvos, et non illis tamen loquerentur nisi magnum; ipse qui magnus erat, factus est parvus, ut de illo magni[1] parvis loquerentur. Audistis modo quod dico, cum Apostolus legeretur. Si autem advertistis[2], dixit hoc : *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Ergo spiritualibus in excelsis loquitur; carnalibus autem ut loquatur, descendit. Nam ut sciatis quia cum descendit, de illo qui descendit loquitur; ecce Joannes manentem in se loquitur : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. » Cape, si potes; arripe, cibus est. Sed dicturus es mihi, Ille quidem cibus est, sed ego infans sum, lactandus sum, ut idoneus fieri possim ad manducandum cibum. Ergo quia tu lacte nutriendus es, ille autem cibus est, ipse cibus per carnem tibi trajectus est ad fauces. Quomodo ergo cibum mater comedit, ut per carnem trajiciat ad infantem lac factum; sic cibus Angelorum Dominus *Verbum caro factum est*, et factus est lac : et dicit Apostolus, *Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis* (I *Cor.* III, 1, 2). Ergo dando lac descendit ad parvulos; et quia descendit, descendentem dedit[3]. Ait enim : *Numquid dixi me aliquid inter vos scire, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* (*Id.* II, 2)? Quia si diceret tantum,

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *sibi :* et infra, *in corde suo.*

[2] Er et Lov., *mons domus Domini.* Vox, *domus*, abest ab Am. et Mss.

[1] Plures Mss., *ut de illo magno.*

[2] Mss.: *Si aures* (vel, *aure*), *advertistis.*

[3] Plerique Mss., *descendendo dedit.*

Jesum Christum, est Jesus Christus etiam secundum divinitatem, secundum id quod erat Verbum apud Deum, Filius Dei Jesus Christus : sed hunc, id est, hoc modo dictum, parvuli non capiunt. Quomodo ergo capiunt qui lac capiunt? *Jesum Christum*, inquit, *et hunc crucifixum*. Suge quod pro te factus est, et crescis ad id quod est. Sunt ergo ascendentes et descendentes. In illis scalis et ascendentes sunt et descendentes. Ascendentes qui sunt? Qui proficiunt ad intellectum spiritualium. Descendentes qui sunt? Qui quamvis, quantum homines possunt, fruantur intelligentia spiritualium; tamen descendunt ad parvulos, ut talia eis dicant, qualia possunt capere, et lacte nutriti possint idonei fieri et validi ad capiendum cibum spiritualem. Isaias, fratres, etiam ipse ad nos de descendentibus fuit : nam et ipsi gradus ejus descendentis apparent. Cum enim diceret de Spiritu sancto, « Requiescet, » inquit, « super eum Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et Spiritus timoris Domini » (*Isai.* XI, 2, 3) : a sapientia cœpit, et usque ad timorem descendit. Quomodo ille qui docebat, a sapientia descendit usque ad timorem; tu qui discis, si proficis, a timore ascende ad sapientiam : scriptum est enim, *Initium sapientiæ timor Domini* (*Prov.* I, 7). Jam ergo Psalmum audite. Ecce ante oculos nostros ponamus ascensurum hominem : ubi ascensurum? *In corde.* Unde ascensurum? Ab humilitate, id est a *convalle plorationis.* Quo ascensurum? Ad illud ineffabile quod cum dici non posset, dictum est, *In locum quem disposuit.*

3. Cum ergo sic homo cœperit disponere ascensum; hoc dico apertius, cum cœperit homo christianus cogitare proficere, incipit pati linguas adversantium. Quicumque illas nondum passus est, nondum profecit : quicumque illas non patitur, nec conatur proficere. Vult nosse quid dicamus? Imo quid audiamus simul, experiatur. Incipiat proficere, incipiat velle ascendere, velle contemnere terrena, fragilia, temporalia [1], felicitatem sæculi pro nihilo habere, Deum solum cogitare, lucris non gaudere, damnis non contabescere, omnia etiam sua velle vendere et pauperibus tribuere, et sequi Christum; videamus quemadmodum patiatur linguas detrahentium [2] et multa contradicentium, et quod est gravius, quasi consulendo a salute avertentium. Qui enim consulit alicui, ad salutem consulit, ad id quod prodest consulit; ille autem quasi consulens, retrahit a salute. Quia ergo videtur habere pallium consulentis, et habet venenum perimentis, lingua dolosa dicta est. Ascensurus ergo, contra ipsas linguas primo Deum deprecatur : ait enim, *Ad te, Domine, cum tribularer clamavi, et exaudisti me.* Unde illum exaudivit? Ut jam constitueret eum ad gradus ascendendi.

4. [*vers.* 2.] Et quia jam ascensurus est exauditus, quid orat? *Domine, erue animam meam a labiis injustis et a lingua dolosa.* Quæ est lingua dolosa? Subdola, habens imaginem consulendi, et perniciem nocendi. Ipsi sunt qui dicunt : Et tu hoc facturus es, quod nemo fecit? et tu solus eris christianus? Et si ostenderit alios hoc facere, et legerit Evangelium ubi præcepit Dominus fieri, et legerit Actus Apostolorum; illi quid dicunt in lingua subdola et labiis iniquis? Non poteris forte implere; multum est quod aggrederis. Alii prohibendo deterrent, alii laudando plus premunt. Quia enim talis est vita quæ jam occupaverit mundum, tanta auctoritas Christi est, ut reprehendere jam Christum nec paganus audeat. Legitur ille qui reprehendi non potest, quia dixit, *Vade, vende omnia quæ habes, et distribue pauperibus, et sequere me* (*Matth.* XIX, 21) : Christo contradici non potest, Evangelio contradici non potest, reprehendi Christus non potest; convertit se lingua dolosa ad laudem prohibentem. Si laudas, hortare. Quare laudando premis? Melius vituperares, quam dolose laudares. Quid enim diceres vituperando? Absit : fœda vita ista est, mala vita ista est. Sed quia nosti, cum hæc dixeris, premi te posse auctoritate evangelica; convertis te ad aliud dissuadendi genus, ut laudando falso, me a vera [1] laude prohibeas; imo laudando Christum, a Christo prohibeas, dicens : Quid est hoc? Ecce illi fecerunt, forte tu non poteris : incipis ascendere, cadis. Monere videtur; serpens est, dolosa lingua est, venenum habet. Roga contra illam, si vis ascendere, et dic Deo tuo : *Domine, erue animam meam a labiis injustis et a lingua dolosa.*

5. [*vers.* 3-5.] Et dicit tibi Dominus tuus, *Quid dabitur tibi, aut quid apponetur tibi ad linguam dolosam?* Id est, quod habeas adversus linguam dolosam, quod opponas linguæ dolosæ, quo te munias adversus linguam dolosam, *quid tibi dabitur, aut quid apponetur tibi?* Interrogavit exercens; nam ipse dicturus est quod interrogat. Respondit enim, subjiciens sibi interroganti, *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis;* vel, *vastatoribus.* Sive *desolatoriis* dicas, sive *vastatoribus* dicas (nam in diversis codicibus diverse scriptum est), idem significat. Videte : vastatores carbones dicuntur, quia vastando et desolando ad desolationem facile perducunt. Qui sunt isti carbones? Intelligat Charitas vestra primo quæ sunt sagittæ. *Sagittæ potentis acutæ*, verba Dei sunt. Ecce jaciuntur, et transfigunt corda : sed cum transfixa fuerint corda sagittis verbi Dei, amor excitatur [2], non interitus comparatur. Novit Dominus sagittare ad amorem : et nemo pulchrius sagittat ad amorem, quam qui verbo sagittat; imo sagittat cor amantis, ut adjuvet amantem; sagittat, ut faciat amantem. Sagittæ autem sunt, cum agimus verbis. Carbones autem vastatores qui sunt? Parum est verbis agere contra linguam subdolam et labia iniqua, parum est verbis agere; et exemplis agendum est. Exempla sunt carbones vastatores. Et quare vastatores dicuntur, breviter accipiat Charitas vestra. Primo, quomodo exemplis agendum sit, videte. Lingua subdola nihil sic novit dicere, quo magis subdola est, nisi, Vide ne non possis implere;

[1] Plures Mss., *velle contemnere terrenam fragilitatem, temporalem felicitatem sæculi*, etc.
[2] Sic Mss. Edd. vero, *retrahentium*.

[1] Plures Mss., *ut laudando me falso, a vera*, etc.
[2] Am. et plerique Mss., *exercitatur*.

multum est ad te hoc aggredi. Accepisti tu præceptum evangelicum, habes sagittam; sed carbones nondum habes. Timendum ne sagitta sola non valeat adversus linguam dolosam : sunt et carbones. Ut puta, incipit enim tibi dicere Deus, Tu non potes, quare ille potest? quare alter potuit? Numquid tu delicatior es illo senatore? numquid tu infirmior es illo, aut illo in valetudine[1]? numquid tu infirmior es feminis? Feminæ potuerunt, viri non possunt? delicati divites potuerunt, pauperes non possunt? Sed ego, inquit, multum peccavi, et multum peccator sum. Numerantur etiam qui multum peccaverunt; et eo plus amaverunt, quo plura illis dimissa sunt : quomodo dictum est in Evangelio, *Cui modicum dimittitur, modicum diligit* (*Luc.* VII, 47). Cum ergo fuerint ista enumerata, et nominatim dicti fuerint homines qui potuerunt, ille accepta sagitta in corde, accedentibus etiam carbonibus desolatoriis, desolatur in illo terrena cogitatio. Quid est enim, desolatur? Ad desolationem perducitur. Erant autem in illo multa quæ male fronduerant, multæ carnales cogitationes, sæculares multi amores : ipsi uruntur carbonibus desolatoriis, ut fiat purus locus desolatus, in cujus loci puritate faciat Deus ædificium suum; quia facta erat ibi ruina diaboli, et ædificatur ibi Christus : nam quamdiu manet ibi diabolus, non potest ædificari Christus. Accedunt carbones desolatorii, et dejiciunt quod male fuerat ædificatum, et desolato loco accedit structura felicitatis perpetuæ. Videte ergo quare dicti sunt carbones. Quia qui se convertunt ad Dominum, de mortuis reviviscunt. Carbones autem quando accenduntur, antequam accenderentur, exstincti erant. Nam exstincti carbones, mortui dicuntur; ardentes, vivi appellantur. Exempla ergo multorum iniquorum qui conversi sunt ad Dominum, carbones dicti sunt. Audis homines mirari, et dicere, Ego illum novi, quam ebriosus fuit, quam sceleratus, qualis amator circi aut amphitheatri, qualis fraudator : modo quomodo Deo servit, quam innocens factus est! Noli mirari; carbo est. Vivum gaudes, quem exstinctum plangebas. Sed quando laudas vivum, si nosti laudare, adhibe illum mortuo ut accendatur; id est, quicumque adhuc piger est sequi Deum, admove illi carbonem qui erat exstinctus, et habeto sagittam verbi Dei, et carbonem vastatorem, ut occurras labiis iniquis et linguæ subdolæ.

6. Quid sequitur? Accepit iste sagittas ardentes, accipiat carbones vastatores. Jam repellit linguam subdolam et labia iniqua, jam ascendit gradum, incipit proficere : sed adhuc vivit inter malos, inter iniquos; nondum est area ventilata : puta quia triticum factum est, numquid jam in horreo est? Adhuc necesse est multa palea prematur; et quantum proficit, tantum videt majora scandala in populo. Nam si non proficiat, non videt iniquitates; si non sit verax christianus, non videt fictos. Etenim, fratres, et de illa similitudine hoc nos docet Dominus, de frumentis et zizaniis. *Cum autem crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania* (*Matth.* XIII, 26) : id est, quia nulli homini apparent mali, nisi factus fuerit ipse bonus; quia *cum crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania*. Jam ergo iste cœpit proficere, et cœpit videre malos, et multa mala quæ ante non noverat, et clamat ad Dominum : *Heu me, quod incolatus meus longinquus*, inquit, *factus est!* Multum a te recessi, peregrinatio mea facta est longinqua. Nondum veni in patriam illam, ubi cum nullo malo victurus sum; nondum veni ad illam societatem Angelorum, ubi scandala non timebo. Quare autem nondum sum ibi? Quia *incolatus meus longinquus factus est*. Incolatus peregrinatio est : incola dicitur qui habitat in terra aliena, non in civitate sua. *Longinquus*, inquit, *factus est incolatus meus*. Et ubi longinquus? Aliquando, fratres mei, cum peregrinatur homo, inter meliores vivit, quam in patria sua forte viveret : sed non sic est, quando de illa Jerusalem cœlesti peregrinamur. Mutat enim homo patriam, et aliquando in peregrinatione illi bene est : invenit amicos fideles peregrinando, quos in patria invenire non potuit. Inimicos habuit, ut de patria pelleretur; et cum peregrinaretur, invenit quod non habebat in patria. Non sic est patria illa Jerusalem, ubi omnes boni : quicumque inde peregrinatur, inter malos est; nec recedere a malis potest, nisi cum redierit ad societatem Angelorum, ut ibi sit unde peregrinatur. Ibi omnes justi et sancti, qui fruuntur Verbo Dei sine lectione, sine litteris : quod enim nobis per paginas scriptum est, per faciem Dei illi cernunt. Qualis patria! Magna patria, et miseri sunt peregrini ab illa patria.

7. Sed quod ait iste, *Longinqua facta est peregrinatio mea;* maxime eorum vox est, id est, ipsius Ecclesiæ, quæ laborat in hac terra. Illius vox est, quæ clamat a finibus terræ in alio psalmo dicens : *A finibus terræ ad te clamavi*. Quis nostrum clamat a finibus terræ? Nec ego, nec tu, nec ille : sed a finibus terræ ipsa tota[1] Ecclesia, tota hæreditas Christi clamat; quia Ecclesia hæreditas ejus, et de Ecclesia dictum est, *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8). Si ergo possessio Christi usque ad fines terræ, et possessio Christi omnes sancti[2], et omnes sancti unus homo in Christo, quia unitas sancta in Christo est; ipse unus homo dicit, *A finibus terræ ad te clamavi, dum angeretur cor meum* (*Psal.* LX, 3). Hujus ergo hominis longinqua peregrinatio facta est inter malos. Et tanquam diceretur illi, Cum quibus ergo habitas, ut gemas? *Peregrinatio*, inquit, *mea longinqua facta est*. Sed quid, si cum bonis esset? Si cum bonis esset; non diceret, *Heu me!* Heu, vox est miseriæ, vox est calamitatis et infelicitatis; sed tamen in spe, quia jam vel gemere didicit. Multi enim et miseri sunt, et non gemunt, et peregrinantur, et redire nolunt. Iste jam volens redire, cognoscit infelicitatem peregrinationis suæ : quia agnovit illam, redit; et ascendere incipit,

[1] Aliquot Mss., *aut illo invalido*.

[1] Am. Er. et plures Mss., *sola*.
[2] Plures Mss., *possessio Christi homines sancti*.

quia Canticum graduum cœpit cantare. Ubi ergo gemit, et inter quos habitat? *Inhabitavi cum tabernaculis Cedar.* Verbum hoc quia hebræum est, procul dubio non intellexistis. Quid est, *Inhabitavi cum tabernaculis Cedar?* Cedar, quantum meminimus ex interpretatione nominum hebræorum, Tenebras significat. Interpretatum Cedar latine, Tenebræ dicuntur. Nostis autem duos filios habuisse Abraham, quos quidem commemorat Apostolus, et ad imaginem duorum testamentorum esse dicit : unus de ancilla erat, et alter de libera. Ex ancilla, Ismael erat; de libera Sara, quem suscepit ex desperatione per fidem, Isaac erat. Uterque ex semine Abrahæ, sed non uterque hæres Abrahæ. De Abraham natus unus, sed tamen non hæreditat : alter etiam hæres; non solum filius, sed et hæres. In Ismael sunt omnes qui carnaliter colunt Deum. Ad ipsos enim et vetus testamentum pertinet : quia sic dixit Apostolus, *Sub Lege volentes esse, Legem non audistis? Scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera; quæ sunt in allegoria. Hæc enim sunt duo testamenta.* Quæ sunt duo testamenta? Unum vetus, et alterum novum. Vetus testamentum a Deo, et novum testamentum a Deo; quomodo de Abraham et Ismael et Isaac. Sed Ismael ad terrenum, Isaac ad cœleste regnum. Ideo vetus testamentum promissiones habet terrenas, terrenam Jerusalem, terrenam Palæstinam, regnum terrenum, salutem terrenam, hostium subjugationem, abundantiam filiorum, fecunditatem frugum [1]. Omnia ista promissiones sunt terrenæ. In figura spiritualiter intelliguntur, quomodo Jerusalem terrena umbra erat regni cœlestis, et regnum terrenum umbra erat regni cœlorum. Ismael in umbra, Isaac in luce. Si ergo Ismael in umbra, non mirum quia ibi tenebræ. Pinguiores etenim umbræ tenebræ sunt. Ergo Ismael in tenebris, Isaac in luce. Quicumque hic etiam in Ecclesia terrenam felicitatem quærunt a Deo, adhuc ad Ismael pertinent. Ipsi sunt qui contradicunt spiritualibus proficientibus, et detrahunt illis, et habent labia iniqua et linguas subdolas. Contra quos rogavit iste ascendens, et appositi sunt ei carbones desolatorii, et sagittæ potentis acutæ. Inter illos enim adhuc vivit, donec tota area ventiletur : ideo dixit, *Inhabitavi cum tabernaculis Cedar.* Nam et ipsa tabernacula Ismael, Cedar dicta sunt. Sic habet liber Geneseos; sic habet, quod Cedar ad Ismael pertinet (*Gen.* xxv, 13). Ergo Isaac cum Ismael; id est, qui pertinent ad Isaac, inter illos vivunt, qui pertinent ad Ismael. Isti sursum volunt ascendere, illi deorsum volunt premere : isti volunt volare ad Deum, illi conantur pennas evellere. Namque apud Apostolum ita dicitur : *Sed sicut tunc, qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui secundum spiritum; ita et nunc.* Spirituales ergo persecutionem patiuntur a carnalibus. Sed quid dicit Scriptura? *Ejice ancillam et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Id.* xvi, 15; et xxi, 2, 3, 10; *Galat.* iv, 21-30). Sed hoc quod dicit, *Ejice*, quando erit? Quando area cœperit ventilari. Modo autem antequam ejiciatur, *Heu me, quod incolatus meus longinquus factus est! inhabitavi cum tabernaculis Cedar.* Et exponit nobis, qui sunt isti qui pertinent ad tabernacula Cedar.

8. [*vers.* 6.] *Multum peregrinata est anima mea.* Ne peregrinationem corporalem intelligeres, animam dixit peregrinari. Corpus peregrinatur locis, anima peregrinatur affectibus. Si amaveris terram, peregrinaris a Deo : si amaveris Deum, ascendis ad Deum. In charitate Dei et proximi exerceamur, ut redeamus ad charitatem. Si cadamus in terram, marcescimus et putrescimus. Iste autem qui ceciderat, descensum est ad eum, ut ascenderet. Intendens tempus peregrinationis suæ, dixit se peregrinari in tabernaculis Cedar. Quare? Quia *multum peregrinata est anima mea.* Ibi peregrinatur, ubi ascendit. Non corpore peregrinatur, non corpore ascendit. Sed ubi ascendit? *Ascensiones,* inquit, *in corde.* Si ergo ascendit in corde, non ascendit per ascensiones cordis nisi anima quæ peregrinatur. Sed donec perveniat, *multum peregrinata est anima mea.* Ubi? In *tabernaculis Cedar.*

9. [*vers.* 7.] *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Verum ut audiatis, fratres charissimi, non poteritis probare quam vera cantetis, nisi cœperitis facere quod cantatis. Quantumlibet illud dicam, quomodolibet exponam, qualibuscumque verbis versem, non intrat in cor ejus in quo non est opus ejus. Incipite agere, et videte quid loquamur. Tunc ad singula verba lacrymæ profluunt, tunc Psalmus cantatur, et facit cor quod in Psalmo cantatur. Quam multi enim sonant voce, et corde muti sunt? Et quam multi tacent labiis, et clamant affectu? Quia ad cor hominis aures Dei : sicut aures corporis ad os hominis, sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur, et multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus, et dicere, *Multum peregrinata est anima mea : cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Quid enim aliud dicimus istis hæreticis, nisi, Cognoscite pacem, amate pacem? Justos vos dicitis. Sed si justi essetis, inter paleam grana gemeretis. Nam quia grana sunt in Catholica, et vera grana sunt; ideo tolerant paleam, donec ventiletur area; quia inter paleam clamant, *Heu me, quod incolatus meus longinquus factus est! inhabitavi cum tabernaculis Cedar.* Inhabitavi, inquit, cum paleis. Sed quomodo de palea multus fumus exit, sic de [1] Cedar tenebræ. *Inhabitavi cum tabernaculis Cedar : multum peregrinata est anima mea.* Frumentorum vox est, inter paleas gementium. Hæc loquimur illis qui oderunt pacem; et dicimus, *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Qui sunt qui oderunt pacem? Qui conscindunt unitatem. Si enim pacem non odissent, in unitate mansissent. Sed videlicet propterea se separaverunt, ut justi essent, ut non haberent mixtos injustos. Aut nostra est ista vox, aut illorum; elige cujus sit. Catholica dicit : Non est dimittenda unitas, non est præcidenda Ecclesia Dei. Judicabit Deus de malis et bonis postea. Si nunc mali a bonis separari non possunt, ferendi

[1] Plures Mss., *fructuum.*

[1] Particula, *de*, non est in Mss.

sunt ad tempus : mali in area nobiscum esse possunt, in horreo non possunt. Et forte hodie qui mali apparent, cras boni erunt; et qui de bonitate hodie superbiunt, cras mali invenientur. Quisquis ergo humiliter malos ad tempus fert, ipse perveniet ad requiem sempiternam. Hæc vox catholica[1] est. Illorum autem vox qualis est, non intelligentium neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (I *Tim.* I, 7)? *Ne tangas immundum* (*Isai.* LII, 11); et, *Qui tetigerit immundum, inquinabitur* (*Levit.* XXII, 5) : separemus nos, ne commisceamur malis. Et nos illis : Amate pacem, diligite unitatem. Nescitis a quam multis bonis separamini, dum quasi malis calumniamini? Furunt, sæviunt, quando ista dicimus : nam quærunt et mortificare nos. Apparuerunt sæpe impetus eorum, apparuerunt insidiæ. Cum ergo inter insidias illorum vivimus, et quibus dicimus, Amate pacem, adversantur nobis; nonne vox ista nostra est, *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus? Cum loquerer illis, debellabant me gratis.* Quid est autem, fratres, *debellabant me?* Et parum erat, si non adderet, *gratis*. Quibus dicimus, Amate pacem, Christum amate : numquid dicimus, Amate et honorate nos? Sed, Honorate Christum. Nos nolumus honorari, sed illum. Nam nos quid sumus ad apostolum Paulum? Qui tamen dicebat illis parvulis, quos mali homines et mali suasores præcidere ab unitate in schismata volebant; quid eis dicebat ille? *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis* (I *Cor.* I, 13)? Hoc et nos dicimus : Amate pacem, amate Christum. Si enim amant pacem, Christum amant. Cum ergo dicimus, Amate pacem; hoc dicimus, Amate Christum. Quare? Quia de Christo ait Apostolus, *Ipse est enim pax nostra*, *qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II, 14). Si ergo Christus ideo pax, quia *fecit utraque unum*, quare vos de uno fecistis duo? Quomodo ergo pacifici estis, ut cum Christus faciat unum de duobus, vos faciatis de uno duo? Sed quia hæc dicimus, cum his qui oderunt pacem sumus pacifici; et tamen illi qui oderunt pacem, cum loqueremur eis, debellabant nos gratis.

IN PSALMUM CXX
ENARRATIO.

SERMO (*a*).

1. Secundus est iste psalmus eorum quorum titulus est, *Canticum graduum*. Plures enim sunt significantes, ut jam in primo eorum audistis, ascensum nostrum, qui fit in corde ad Deum, a convalle plorationis, id est, ab humilitate contribulationis. Ascensus enim utilis nobis non potest esse, nisi primo humiliati[2], a convalle nobis ascendendum esse meminerimus (convallis enim terræ locus est depressus : sicut loca terræ alta montes et colles, ita convallis locus humilis); ne dum præpropere et præpostere quærimus exaltari, non ascendamus, sed ruamus. Docuit autem ipse Dominus a convalle plorationis ascendendum, quando pro nobis humiliari usque ad mortem crucis et pati dignatus est. Hoc exemplum non relinquamus : istam convallem plorationis martyres intellexerunt. Unde intellexerunt? unde? Quia et ipsi de convalle plorationis, ut coronarentur, ascenderunt.

2. Congruit et hodierno diei psalmus iste *Canticum graduum :* de illis enim dictum est, *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua.* Hæc est convallis plorationis, ubi a flentibus mittuntur semina. Quæ sunt autem semina? Bona opera in ista tribulatione terrena. Qui bene operatur in convalle plorationis, similis est homini seminanti per hiemem. Numquid frigore ab opere deterretur? Sic pressuris mundi non debemus a bono opere deterreri; quia vides quid sequitur : *Euntes*, inquit, *ibant et flebant*, *mittentes semina sua.* Valde miseri, si semper flebant; valde miseri, si nunquam de lacrymis liberandi. Sed vide quid sequitur : *Venientes autem venient in exsultatione, portantes germina sua*[1] (*Psal.* CXXV, 6).

3. Nihil aliud istis canticis docemur, fratres, quam ascendere; sed ascendere in corde, in affectu bono, in fide, spe et charitate, in desiderio perpetuitatis et vitæ æternæ. Sic ascenditur. Congruit nos dicere quomodo ascendendum sit. Quanta terribiliora lecta de Evangelio audivit Charitas vestra! Videtis certe *quia hora Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Si sciret*, inquit, *paterfamilias qua hora fur veniret, amen dico vobis, quia non pateretur perfodi parietem suum.* Dicitis modo : Quis ergo novit qua hora veniet, quia hora sicut fur erit? Nescis qua hora veniat, semper vigila; ut quia nescis quando veniat, paratum te inveniat, cum venerit. Et ad hoc forte nescis quando venturus est, ut semper paratus sis. Illum enim patremfamilias subito occupabit[2] hora illa, qui paterfamilias, superbus significatus est. Noli velle esse paterfamilias, et non te subito illa hora occupabit. Et quid ero, inquis? Qualem audisti de psalmo, *Pauper et dolens ego sum* (*Psal.* LXVIII, 30). Si enim pauper et dolens eris, non eris paterfamilias, quem illa hora subito inveniet, et subito premet. Patresfamilias enim sunt illi qui præsumentes de cupiditatibus suis, et in deliciis hujus sæculi diffluentes, tument; et eriguntur adversus humiles, et insultant sanctis intelligentibus angustam viam, quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII, 14). Talibus enim veniet illa hora subito; quia tales erant et in diebus Noe, quorum dierum commemorationem audistis factam in Evangelio. *Sic erit adventus Filii hominis*, inquit, *quomodo in diebus Noe. Manducabant, bibebant, nubebant, uxores ducebant, novellabant, ædificabant, donec introiit Noe in arcam; et venit diluvium, et perdidit omnes* (*Id.* XXIV, 37-44; *et Luc.* XVII, 26 *et* 27). Quid ergo? omnes peribunt qui ista faciunt, qui nubunt, qui uxores ducunt, qui novellant, qui ædificant? Non : sed qui de his præsumunt, sed qui ista Deo præferunt, sed qui propter hæc offendere Deum cito parati sunt.

[1] Forte, *catholicæ*.
[2] Sic Am. Er. et aliquot Mss. At Lov., *humilitatis*. Nonnulli Mss., *humiliatis*.
(*a*) Ad populum habitus in natali S. Crispinæ martyris.

[1] Nostri omnes Mss., *gremia sua*.
[2] Plerique Mss., *occupavit*.

At vero qui istis omnibus [1] aut non utuntur, aut utuntur tanquam non utentes, plus præsumentes de illo qui dedit, quam de his quæ data sunt, et intelligentes in his ejus consolationem et misericordiam, et non occupati donis, ne a donatore ruant ; qui tales sunt, non illos inveniet imparatos hora illa sicut fur. Talibus dixit Apostolus : *Vos autem non estis in tenebris, ut dies ille vos tanquam fur comprehendat ; omnes enim vos filii lucis estis, et filii diei*. Ideo Dominus cum diceret timendam esse horam sicut furem, noctem posuit ; et Apostolus ita ait, *Quia hora Domini sicut fur in nocte, ita veniet*. Non vis ut te inveniat ? Noli esse in nocte. Quid est, Noli esse in nocte ? *Filii lucis estis et filii diei ; non sumus noctis neque tenebrarum* (I *Thess*. v, 2-5). Qui sunt filii noctis et tenebrarum ? Iniqui, impii, infideles.

4. [*vers*. 1.] Sed et ipsi audiant antequam veniat hora, et dicat illis Apostolus, *Fuistis aliquando tenebræ ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes*. v, 8). Sicut iste psalmus habet, evigilent. Jam illuminati sunt montes, quid adhuc dormiunt ? Levent *oculos suos in montes, unde veniet auxilium illis*. Quid est, Jam illuminati sunt montes ? Jam ortus est sol justitiæ, jam ab Apostolis prædicatum est Evangelium, prædicatæ sunt Scripturæ, patuerunt omnia sacramenta, conscissum est velum (*Matth*. XXVII, 51), patuit secretum templi : jam tandem levent oculos in montes, unde veniet auxilium illis. Hoc enim præcipit iste psalmus, secundus de his qui inscribuntur, *Canticum graduum*. Sed non rursus præsumant de montibus ; quia ipsi montes non a se lucent, sed ab illo lucent de quo dictum est, *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan*. I, 9). Montes possunt intelligi, homines magni, homines clari. Et quis major Joanne Baptista ? Qualis ille mons erat, de quo Dominus ipse dicit, *In natis mulierum nemo exsurrexit major Joanne Baptista* (*Matth*. XI, 11) ? Vides certe istum magnum montem lucentem ; audi confitentem. Quid confitentem ? *Nos omnes*, inquit, *de plenitudine ejus accepimus* (*Joan*. I, 16). De cujus ergo plenitudine acceperunt montes, ab illo est tibi auxilium, non a montibus [2] ; in quos tamen nisi levaveris oculos per Scripturas, non admoveberis [3] ; ut ab illo illumineris.

5. [*vers*. 3.] Canta ergo quod sequitur : si vis audire ut firmissime ponas pedes in gradibus, ne in illa ascensione aut fatigeris, aut lapsus cadas [4], dic quod sequitur, *Ne des ad movendum pedem meum*. Unde moventur pedes ? Unde motus est pes illi qui erat in paradiso. Sed prius attende unde motus est illi qui erat inter Angelos, et moto pede cecidit, et de angelo factus est diabolus : moto enim pede cecidit. Quære unde cecidit : superbia cecidit [1]. Non ergo movet pedem, nisi superbia : ad ruinam non movet pedem, nisi superbia. Ad ambulandum et proficiendum et ascendendum charitas movet ; ad cadendum superbia movet [2]. Ideo et ille quid dicit in psalmo ? *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt*. Si sub tegmine, semper humiles, semper de Deo sperantes, semper de se non præsumentes. *Sub tegmine alarum tuarum sperabunt :* non enim a se satiantur ut beati sint. Sed quid sequitur ? *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente deliciarum tuarum potabis eos* Ecce sitientes, ecce inebriati, ecce sitiunt, ecce bibunt : sed non a se bibunt, nec ipsi sibi sunt fons. Sed unde bibunt ? *Sub tegmine alarum tuarum sperabunt*. Si sub alis, humiles sunt. Quare ? *Quia apud te*, inquit, *fons vitæ*. Non ergo a se irrigantur montes, sicut a se non illuminantur montes. Nam vide quid sequitur : *In lumine tuo videbimus lumen*. Si ergo in lumine ipsius videbimus lumen, quis cadit a lumine, nisi cui ipse non est lumen ? Et qui voluerit sibi esse lumen, ipse cadit a lumine quo illuminatur. Ideo sciens non cadere nisi eum qui sibi vult lucere, cum sit per se tenebræ ; statim subjecit, *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatorum non moveat me :* id est, imitatio peccatorum non moveat me, ut cadam a te. Quare timuisti, et dixisti, *Non veniat mihi pes superbiæ ?* Sequitur, *Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem* (*Psal*. XXXV, 8-13). Quos modo vides operari iniquitatem, jam damnati sunt : sed ut damnarentur, ibi ceciderunt, cum illis venit pes superbiæ. Recte ergo iste audiens ut ascendat et non cadat, ut a convalle plorationis proficiat, non in tumore superbiæ deficiat, ait Deo : *Ne des ad movendum pedem meum*. Et Deus illi : *Neque dormitet qui custodit te*. Intendat Charitas vestra. Quasi una sententia facta est ex duabus vocibus. Homo dixit ascendens et cantans Canticum graduum, *Ne des ad movendum pedem meum :* et Deus tanquam diceret, *Ne des ad movendum pedem meum*, dicis mihi ; adde, *Neque dormitet qui custodit te*, et non movebitur pes tuus.

[1] Aliquot Mss. loco, *omnibus*, habent, *inanibus*. At Er. et Corb. liber vocem utramque, *inanibus omnibus*, complectuntur.

[2] Hic Parisienses et Venetæ quædam antiquæ editiones, post, *non a montibus*, prosequuntur sic : « Salus igitur nostra et auxilium nostrum Christus filius summi Patris, et « cum eodem Patre Deus omnipotens est, et cum ipso permanens semper secundum id quod est. In illos denique, « quos commemoravi montes, nisi levaveris oculos, » etc.

[3] Plerique Mss., *admoneberis*.

[4] In Venetis et Parisiensibus vetustis editionibus hæc leguntur : « Aut lapsus cadas, Auxilium, inquit, meum a Do« mino. Non a qualicumque ; quia dicuntur domini multi, « mortales, caduci, miseri : sed a Domino dominorum, ab illo « videlicet, qui fecit cœlum et terram. Ecce summum Do« minum, qui est Deus et Dominus : dicitur Deus, quia quæ« cumque facta sunt, per ipsum sunt, et ab ipso sunt ut « sint ; Dominus autem, eo quod omnia quæ sunt, possidet « ineffabiliter. Igitur bonus et summus Dominus, qui et « Deus. Si ad hunc per prænominatos montes levaveris ocu« los, auxilium tuum sempiternaliter erit. Ut ergo auxilium « tuum sit, roga, et dic quod sequitur, Ne des, » etc.

[1] Editiones illæ Ven. et Paris., « superbia cecidit de cœlo « in terram. Angelus erat in cœlo, cadens in terram dia« bolus a seipso per suam superbiam effectus est. Quisquis « superbit, diabolo participat ; si participat, idem est : igi« tur omnis superbus diabolus per bicipitem portionem est ; « et hoc quamdiu superbus est. Non ergo movet, » etc.

[2] Hoc item loco, in illis editionibus Ven. et Paris. habetur istud glossema : « O lepidi ac limpidissimi pedes charita« tis, qui humiles ad celsitudinem provehunt. Hos pedes, « charissimi, semper imitando et amando sequamur, ut ad « illum cujus sunt, pervenire mereamur : quia ut Joannes « ait, Deus charitas est. Superbiam omnino fugiamus, quæ « movet pedes ad cadendum, ne et nos simul superbiendo « cadamus. Ideo et ille, » etc.

6. [*vers.* 4.] Dixerit autem ille : Numquid in potestate mea est ut non dormitet qui custodit me? Volo ut non dormiat, neque dormitet. Ergo illum tibi elige, qui non dormiet, neque dormitabit, et non movebitur pes tuus. Deus nunquam est dormiens : si vis habere custodem non dormientem, Deum elige custodem. *Ne des ad movendum pedem meum*, dicis tu ; bene, optime : sed et ille dicit tibi, *Neque dormitet qui custodit te.* Tu forte conversurus te eras ad homines custodes, et dicturus : Quem sum inventurus non dormientem? quis homo non dormitabit? quem invenio? quo ibo? quo revertar [1]? Iste tibi ostendit : *Ecce non dormitabit, neque obdormiet, qui custodit Israel.* Vis habere ergo custodem non dormientem neque dormitantem? *Ecce non dormiet, neque dormitabit, qui custodit Israel :* Christus enim custodit Israel. Esto ergo Israel. Quid est, Israel? Israel interpretatur Videns Deum. Et quomodo videtur Deus? Primo per fidem, postea per speciem. Si per speciem nondum potes, per fidem vide. Si faciem ejus videre non potes, quoniam ibi species ; posteriora ejus vide. Hoc dictum est Moysi a Domino : *Non potes videre faciem meam, posteriora mea videbis, cum transiero* (*Exod.* XXXIII, 20, 23). Exspectas forte ut transeat : jam transiit ; tu vide posteriora ipsius. Ubi transiit? Audi Joannem ; *Cum venisset*, inquit, *hora, ut transiret de mundo ad Patrem* (*Joan.* XIII, 1). Dominus noster Jesus Christus jam fecit Pascha. Pascha autem Transitus interpretatur. Nam verbum est hebræum : et putant homines græcum esse, quasi Passionem, sed non est. A diligentioribus et a doctioribus inventum est quia Pascha hebræum verbum est ; et non interpretantur passionem, sed transitum. Per passionem enim transiit Dominus a morte ad vitam ; et fecit nobis viam credentibus in resurrectionem ejus, ut transeamus et nos de morte ad vitam. Non magnum est credere quia mortuus est Christus : hoc et Pagani, et Judæi, et omnes iniqui credunt. Hoc omnes credunt, quia mortuus est : fides Christianorum, resurrectio Christi est ; hoc pro magno habemus, quia credimus eum resurrexisse. Ergo tunc se voluit videri, cum transiret, hoc est, cum resurrexisset. Tunc in se voluit credi, cum transiret ; quia traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* IV, 25). Et ipsam fidem in resurrectionem Christi maxime commendavit Apostolus : ait enim, *Si credideris in corde tuo quia Deus eum suscitavit a mortuis, salvus eris* (*Id.* X, 9). Non dixit, Si credideris quia mortuus est Christus, quod et Pagani, et Judæi, et omnes inimici ejus crediderunt : sed ait, *Si credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris.* Hoc credere, hoc est esse Israel, hoc est videre Deum : quamvis adhuc posteriora ejus, tamen cum credideris in posteriora, pervenies ad visionem faciei. Quid est hoc? Cum credideris in id quod posterius pro te factus est Christus ; cum credideris in id quod posterius suscepit Christus. Nam in principio facies ejus quæ est? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Posteriora ejus quæ sunt? *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 14). Cum ergo credis in hoc quod pro te factum est Verbum, et resurrexit in carne, ne tu de tua carne desperares, efficeris Israel. Factus autem Israel cum fueris, non dormitabit, neque dormiet, qui custodit te ; quia jam Israel es, et audisti in Psalmo, *Ecce non dormitabit, neque obdormiet, qui custodit Israel.* Christus enim ipse dormivit, sed resurrexit. Quid enim ait ipse in psalmo? *Ego dormivi, et somnum cepi.* Numquid remansit in somno? *Exsurrexi*, inquit, *quoniam Dominus suscipiet me* (*Psal.* III, 6). Si ergo jam resurrexit, jam transiit ; si jam transiit, vide posteriora ejus. Quid est, Vide posteriora ejus? Crede in resurrectionem ejus. Et quia ait Apostolus, *Et si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit in virtute Dei* (II *Cor.* XIII, 4); et iterum ait, *Christus surgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9) : recte tibi cantat, *Ecce non dormitabit, neque obdormiet, qui custodit Israel.* Adhuc forte quæris carnali sensu, Quis est, qui *non dormitabit, neque obdormiet?* Et cum quæris inter homines, falleris ; nunquam inventurus es. Noli ergo præsumere de quoquam homine : omnis homo dormit, et dormitabit. Quando dormitat? Cum portat carnem infirmitatis. Quando dormiet? Cum fuerit mortuus. Noli ergo præsumere de homine. Potest dormitare mortalis : dormit moriens. Noli quærere inter homines.

7. [*vers.* 5.] Et quis, inquis, custodiet me, qui non dormitat, neque dormiet? Audi quid sequitur : *Dominus custodiet* [1] *te.* Non ergo homo dormitans et dormiens, sed Dominus custodit te. Quomodo te custodit? *Dominus tegumentum tuum super manum dexteræ tuæ.* Eia, fratres, intelligamus adjuvante Domino quid sibi velit, *Dominus tegumentum tuum super manum dexteræ tuæ.* Videtur enim mihi habere sensum occultum, quare non dixerit, *Dominus custodiet te*, absolute et simpliciter ; sed addidit, *super manum dexteræ tuæ.* Quid enim? dexteram nostram Deus custodit, et sinistram non custodit? Nonne ipse nos totos fecit? nonne qui fecit nobis dexteram, ipse fecit et sinistram? Postremo si placuit dici de dextera sola, quare dixit, *super manum dexteræ tuæ*, et non jam, super dexteram tuam? Cur hoc diceret, nisi aliquid hic occultum, quo pulsando perveniremus, absconderet? Diceret enim, aut, *Dominus custodiet te*, et nihil adderet ; aut, si dexteram addere voluit, Dominus custodiet te super dexteram tuam ; aut certe, quia addidit *manum*, hoc diceret, Dominus custodiet te super manum dexteram tuam, non, *super manum dexteræ tuæ.* Quod Dominus ipse suggerere dignatur, promam vobis ; qui et in vobis habitat, sine dubio facit vos approbare verum esse quod dico. Nam quid dicturi

[1] Alter e Corb. Mss., *quo me vertam.*

[1] Ita constanter Mss. juxta Græc. LXX. At Edd., *custodit.*

sumus ignoratis; sed cum dixerimus, non ab ipsis nobis vobis ostendemus verum esse quod dicimus, sed vos ipsi agnoscetis verum esse quod dicimus. Unde autem agnoscetis, nisi demonstrante illo qui in vobis habitat, in quantum de illo numero estis, quorum vox est, *Ne des ad movendum pedem meum;* et quibus dicitur, *Neque dormitet qui custodit te?* Oportet enim ut Christus non dormiat in vobis, et modo intelligetis verum esse quod dicimus. Quomodo inquies? Quia si dormiat fides vestra, dormit Christus in vobis. Christus enim in corde vestro, fides Christi est. Ait Apostolus: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (*Ephes.* III, 17). In quo non dormit fides, vigilat Christus. Et si forte dormiebat fides tua, et ideo in ista quæstione fluctuabas, quasi navis illa quæ tempestatem patiebatur, ubi Christus dormiebat; excita Christum, et sedabuntur tempestates (*Matth.* VIII, 24-26).

8. Fidem ergo vestram interrogo, charissimi: quoniam filii estis Ecclesiæ, et in Ecclesia profecistis, et in Ecclesia proficietis qui nondum profecistis, et in Ecclesia proficiendi estis qui jam profecistis [1], interrogo vos quid soletis intelligere quod dictum est in Evangelio, *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Matth.* VI, 3). Hoc enim intellecto invenietis quæ sit dextera, et quæ sit sinistra: simul intelligetis et utramque partem Deum fecisse, et dexteram et sinistram; et tamen non debet scire sinistra quid faciat dextera. Sinistra nostra dicitur, quidquid temporaliter habemus: dextera nostra dicitur, quidquid nobis æternum et incommutabile Dominus pollicetur. Si autem ille qui dabit æternam vitam, ipse et de istis temporalibus consolatur præsentem vitam, ipse fecit dexteram et sinistram. Dicit de quibusdam psalmus apud David: *Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.* Invenit ergo quosdam quos reprehendit, qui dexteram veram pro sinistra habebant, et veram sinistram dexteram sibi fecerant: qui sint isti exponit consequenter. Omnis homo qui felicitatem non putat esse hominis, nisi solum in istis temporalibus facultatibus et deliciis, et affluentia et copia mundi hujus, iste est stultus atque perversus, qui sinistram sibi facit dexteram: tales illi erant de quibus dicit psalmus; non quia a Deo non acceperant etiam quæ temporaliter possidebant, sed quia ipsam solam putabant esse beatam vitam, et nihil aliud requirebant. Audite enim quid de illis consequenter dicit: « Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis. » Et sequitur: « Quorum filii eorum velut novellæ constabilitæ; filiæ eorum ornatæ sicut similitudo templi: cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc; oves eorum fecundæ, multiplicantes in exitibus suis; boves eorum crassi: non est ruina sepis, nec exitus; neque clamor in plateis eorum. » Magnam felicitatem quorumdam descripsit. Posset tamen istam felicitatem et aliquis justus habere, sicut habuit Job: sed Job pro sinistra illam habebat, non pro dextera; nam dexteram non habebat nisi apud Deum perpetuam et sempiternam felicitatem. Ideo concessa est percutienda sinistra, et sufficit ei dextera. Quomodo percussa est sinistra? Tentationibus diaboli. Abstulit subito diabolus; permissus quidem a Deo, ut justus probaretur, impius puniretur; abstulit omnia: sed Job qui noverat sinistram sinistram esse, et dexteram nonnisi dexteram, quomodo se tenuit ad dexteram? Exsultavit in Domino, consolatus est damna, quia non est passus damnum de interioribus divitiis; Deo [1] plenum cor habebat. *Dominus*, inquit, *dedit*, *Dominus abstulit; sicut Domino placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Job* I). Hæc erat dextera ipsius, ipse Dominus, ipsa vita æterna, illa lucis possessio, fons vitæ, lumen in lumine. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ:* ipsa erat dextera. Sinistra vero erat pro adjutorio consolationis, non ad firmamentum felicitatis. Nam felicitas ejus vera atque germana Deus erat. Isti autem de quibus dicit David quia *os* eorum *locutum est vanitatem*, *et dextera eorum dextera iniquitatis;* non hinc eos reprehendit, quia his omnibus abundabant, sed quia *os* eorum *locutum est vanitatem.* Quid enim sequitur? Cum enumerasset copias eorum, ait: *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Hæc est vanitas quam locutum est os eorum, quod *beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Tu quid dicis, qui nosti quid est sinistra, et quid est dextera? Sequitur et dicit: *Beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius* (*Psal.* CXLIII, 11-15).

9. Intendat ergo Charitas vestra. Vidimus sinistram, vidimus et dexteram. Audi hoc confirmatum in Canticis canticorum: *Sinistra ejus*, inquit, *sub capite meo.* Sponsa dicit de sponso, de Christo Ecclesia in amplexu pietatis et charitatis [2]. Quid ait? *Sinistra ejus sub capite meo, et dextera ejus complectetur me* (*Cant.* II, 6). Quid autem, quia sursum erat dextera, deorsum sinistra, et sic complectebatur sponsus sponsam, supponens sinistram ad consolationem, imponens dexteram ad protectionem? *Sinistra*, inquit, *ejus sub capite meo.* Deus illam dat: ideo sinistra ejus, quia omnia ista temporalia Deus dat. Quam vani sunt, quam impii, qui ab idolis, a dæmonibus ista petunt! Quam multi a dæmonibus ista petunt, et non illa habent? et rursus, qui illa non petunt a dæmonibus, habent ea; sed non a dæmonibus ista dantur. Item multi petunt a Deo, et non habent. Novit enim ille dispensare sinistram, qui vocat ad dexteram. Ergo si est sinistra, sit sinistra; sed sub capite sit: supra illam sit caput tuum, id est, supra illam sit fides tua, ubi habitat Christus. Noli temporalia præponere fidei tuæ; et non erit sinistra super caput tuum: sed omnia temporalia subde fidei tuæ, et fidem tuam præpone

[1] Er. Lugd. Ven., *quoniam filii estis Ecclesiæ, et in Ecclesia profecistis, et in Ecclesia proficitis qui nondum profecistis, et in Ecclesia perficiendi estis qui jam proficitis.* Lov., prætereunt verba *et in Ecclesia proficietis*, sicque prosequuntur: *Qui nondum profecistis, in Ecclesia proficiendi estis. Qui jam*, etc. M.

[1] Sic Mss. At Er. et Lov., *non passus est damnum: de interioribus divitiis Dei plenum cor habebat.*

[2] Sic plerique Mss. Edd. vero, *castitatis.*

omnibus temporalibus; et erit sinistra sub capite tuo, et recte dextera ejus complectetur te.

10. Audi hoc ipsum exponi in Proverbiis, quid est sinistra ipsa, quid est dextera: cum de Sapientia diceret, *Longitudo*, inquit, *dierum et anni vitæ in dextera ejus; in sinistra autem ejus divitiæ et gloria* (*Prov.* III, 16). Longitudo illa dierum, æternitas est. Hoc enim proprio modo dicit Scriptura longum, quod æternum est: nam quidquid finem habet, breve est. Alio loco: *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum.* (*Psal.* XC, 16). Et numquid aliter pro magno diceretur, *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut longævus sis super terram* (*Exod.* XX, 12)? Super quam enim terram, nisi de qua dicit: *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium* (*Psal.* CXLI, 6)? Ibi esse longævum quid est, nisi ibi vivere in æternum? Nam hic esse longævum quid est, nisi ad senectutem pervenire? Etsi longa videtur ætas, cum pervenerit [1], brevis convincitur; quia finitur. Et multi maledicentes parentibus, senescunt in hac terra; multi autem obsequentes parentibus, cito eunt ad Dominum. Numquid ergo impletur, ut longævus sit secundum hanc vitam? Sed longævum pro æternitate illa positum est. Longævitas [2] est in dextera ejus; at vero divitiæ et gloria, id est sufficientia vitæ hujus, ea quæ bona existimantur ab hominibus, sinistra est. Nescio quis venit, et vult tibi percutere dexteram, id est, tollere tibi fidem tuam: tu accepisti alapam in dexteram, præbe sinistram (*Matth.* V, 39), id est, ut illud tollat quod temporale est, et non ea quæ æterna habes. Audite Paulum apostolum hoc facientem. Homines persequebantur in eo quod christianus erat; percutitur illi dextera, ille sinistram opponebat: *Civis Romanus sum,* ait (*Act.* XXII, 25). Dexteram contemnebant illi, et de sinistra terrebat ille: quia illi dexteram ejus timere non poterant; nondum enim Christo crediderant. Quid ergo, si dextera amplectitur, sinistra sub capite est; quid est, *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua?* Id est, quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac. Nam si opus bonum in terra propterea feceris, ut terrena tibi abundent; scit sinistra tua quid faciat dextera tua, miscuisti dexteram sinistræ. Noli facere nisi propter vitam æternam. Ideo fac, et securus facies: hoc enim mandavit Deus [3]. Si propter solas res humanas et solam vitam istam facis quod facis, sinistra sola operatur; si autem propter vitam æternam operaris, dextera sola operatur: si autem habes intentionem ad vitam æternam, sed subrepit tibi cupiditas vitæ temporalis, ut attendas etiam istam quando facis opus bonum, ut hic tibi aliquid retribuatur, miscet se sinistra operibus dexteræ: hoc vetat Deus.

11. Veniamus nunc ad illud quod ait Psalmus: *Dominus tegumentum tuum super manum dexteræ tuæ.* Manum potestatem dicit. Unde probamus? Quia et manus Dei, potestas Dei dicta est. Nam diabolus, qui tentavit Job, hoc ait Deo: *Mitte manum tuam, et tange omnia quæ habet; et vide, si in faciem benedicet tibi* (*Job* I, 11). Quid est, *Mitte manum tuam*, nisi, da potestatem? Evidentius audi, frater, ne forte carnali sensu adhuc cogites quia membris distinctus est Deus; audi evidenter quomodo dicatur manus potestas. Ait quodam loco Scriptura: *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XVIII, 21). Novimus linguas frusta quædam carnis; in ore moventur, et percutiendo palatum et dentes, distinguunt sonos quibus loquimur: ostendantur mihi manus linguæ. Lingua ergo non habet manus, et habet manus. Quæ sunt manus linguæ? Potestas linguæ. Quid est, *Mors et vita in manibus linguæ? Ex ore tuo justificaberis, et ex ore tuo condemnaberis* (*Matth.* XII, 37). Ergo si manus potestas, quid est manus dexteræ? Nihil arbitror intelligi congruentius, nisi ut intelligamus manum dexteræ, potestatem quam tibi dedit Deus, ut si velis, donante Deo, ad dexteram sis. Erunt enim impii omnes ad sinistram; erunt autem omnes filii boni ad dexteram, quibus dicetur: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Id.* XXV, 34). Ut autem sis ad dexteram, id est, ut possis Dei filius fieri, potestatem accepisti. Quam potestatem? De qua dicit Joannes, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Unde accepisti hanc potestatem? *Credentibus*, inquit, *in nomine ejus* (*Joan.* I, 12). Si ergo credis, ipsa tibi potestas data est, ut sis inter filios Dei. Esse autem inter filios Dei, hoc est ad dexteram pertinere. Ergo fides tua, manus dexteræ tuæ; id est, potestas quæ tibi data est, ut sis inter filios Dei, manus est dexteræ tuæ. Sed quid valet ipsa potestas quam accepit homo, nisi Dominus protegat? Ecce credidit, jam ambulat in fide: infirmus est, inter tentationes agitatur, inter molestias, inter carnales corruptiones, inter suggestiones cupiditatis, inter versutias et laqueos inimici. Quid valet ergo, quia habet potestatem, et credidit in Christum, ut sit inter filios Dei? Væ homini illi, nisi et ipsius fidem Dominus protegat: id est, ut non te permittat tentari supra quam potes ferre; sicut dicit Apostolus, *Fidelis Deus, qui non vos permittet tentari supra quam potestis ferre* (I *Cor.* X, 13). Ille ergo qui non sinit tentari supra quam possumus ferre, quamvis jam fideles simus, quamvis jam manus dexteræ nostræ sit in nobis, protegit nos Deus super manum dexteræ nostræ. Non nobis sufficit habere manum dexteræ, nisi ille et ipsam manum dexteræ protegat.

12. [*vers.* 6.] Ecce hoc de tentationibus dixi: intendite quid sequatur. *Protegat* [1] *te Dominus super manum dexteræ tuæ.* Dixi, et, quod arbitror, recognovistis. Si enim non recognovissetis, et de Scripturis non recognovissetis, non vocibus vestris intellectum vestrum mihi significaretis. Ergo quia intellexistis, fratres, videte quid sequitur; quare protegat Dominus et super manum dexteræ, id est, super ipsam fidem, in qua potestatem accepimus esse filios Dei, et esse ad dexteram: quare oportet ut protegat Do-

[1] Sic Am. et Mss. At Er et Lov., *cum venerit mors.*
[2] Edd., *longa vita.* At Mss., *longævitas.*
[3] Nostri omnes Mss.: *Ad hoc enim tentavit Deus eum.*

[1] Mss. quidam, *proteget*: et nonnulli, *protegit.*

minus? Propter scandala. Unde sunt scandala? De duobus timenda sunt scandala, quia et duo sunt præcepta in quibus tota Lex pendet et Prophetæ, dilectio Dei et proximi (*Matth.* XXII, 37-40). Ecclesia propter proximum diligitur [1], Deus autem propter Deum. In Deo, intelligitur figurate dictus sol : in Ecclesia, intelligitur figurate dicta luna. Quisquis potest errare, ut aliud de Deo credat quam oportet, non credat Patrem et Filium et Spiritum sanctum unius esse substantiæ, deceptus est versutia hæreticorum, maxime Arianorum. Si [2] aliquid minus in Filio, aut minus in Spiritu sancto quam in Patre crediderit, passus est scandalum in Deo; a sole uritur. Quisquis rursus putaverit Ecclesiam in una parte esse, et non eam cognoverit diffusam toto orbe terrarum, et crediderit eis qui dicunt, *Ecce hic est Christus, et ecce illic* (*Id.* XXIV, 23), sicut modo audistis cum Evangelium legeretur; cum ille totum orbem emerit, quia tantum pretium dedit : ille tanquam in proximo scandalizatur; a luna uritur. Quisquis ergo errat in ipsa substantia veritatis, a sole uritur, et per diem uritur; quia in ipsa sapientia errat, de qua dictum est, *Dies diei eructat verbum :* unde dicit et Apostolus, *Spiritualibus spiritualia comparantes. Dies diei eructat verbum; Spiritualibus spiritualia comparantes. Dies diei eructat verbum; Sapientiam loquimur inter perfectos* (I *Cor.* II, 13, 6). Quid est, *Et nox nocti annuntiat scientiam* (*Psal.* XVIII, 3)? Parvulis prædicatur humilitas Christi, et caro Christi, et crucifixio Christi; quia ipsum est lac quod sufficit parvulis. Et ideo non relinquuntur in nocte parvuli, quia lucet et luna etiam in nocte; id est, per carnem Christi prædicatur Ecclesia, quia ipsa caro Christi caput Ecclesiæ est. Quisquis ibi non scandalizatur, in ipsa Ecclesia et carne Christi, a luna non uritur. Quisquis scandalizatus non fuerit in veritate illa incommutabili et incontaminabili, a sole non uritur [3] : non isto sole non uritur, quem nobiscum vident muscæ et pecora; sed illo sole de quo dicunt impii in fine, *Quid nobis profuit superbia? et divitiarum jactatio quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam umbra.* Et cum ista dixissent : *Ergo*, inquiunt, *erravimus a via veritatis et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non ortus est nobis* (*Sap.* V, 6-9). Numquid non iste sol omnibus impiis oritur, illo instituente de quo dictum est : *Qui facit solem suum oriri super bonos et malos* (*Matth.* V, 45)? Ergo alium solem fecit Deus, qui oritur super bonos et malos, istum quem vident et boni et mali; alius est autem ille sol, non factus, sed genitus, per quem

[1] Sic nostri omnes Mss. At Edd., *Ecclesia propter Deum, in Deo proximus diligitur, Deus autem*, etc.

[2] Paris. et Ven. antiquiores editiones : *Maxime Arianorum, qui tres* upostasas upostaseis, *id est, tres subsistentes substantias introduxerunt; sed Dei miserante auxilio primus hujus auctor erroris exsilio damnatus catholicorum Patrum perpetuo, numquam ad communionem dicitur morte interveniente pervenisse. Alius vero per totam Orientis regionem, digna et consimili multatus est pœna. Sed si aliquis horum vel aliorum, ut dixi, deceptus erroris vesania, aliquid minus in Filio, aut*, etc.

[3] Am. et plerique Mss. post vocem, *incontaminabili*, prosequuntur sic : *non in isto sole, quem nobiscum vident muscæ et pecora; sed in illo sole*, etc.

facta sunt omnia, ubi est intelligentia incommutabilis veritatis : de ipso dicunt impii, *Et sol non ortus est nobis* [1]. Quisquis in ipsa sapientia non errat, non uritur a sole. Quisquis in Ecclesia, et in carne Domini, et in his quæ pro nobis temporaliter gesta sunt, non errat, non uritur a luna. Omnis autem homo quamvis jam crediderit in Christum, aut ibi errat, aut ibi [2], si non in illo fit quod dictum est, *Dominus tegumentum tuum super manum dexteræ tuæ* [3]. Ideo enim cum dixisset, *Dominus tegumentum tuum super manum dexteræ tuæ;* quasi quæsisset ille et dixisset, Jam ecce est manus dexteræ meæ, jam elegi credere in Christum, accepi potestatem inter filios Dei esse, quid est quod Deus tegumentum meum est adhuc supra, id est, *super manum dexteræ* meæ? sequitur, *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.* Ad hoc igitur tegumentum tuum est super manum dexteræ tuæ, ut non te urat sol per diem, neque luna per noctem. Nam hinc intelligite, fratres, quia figurate dictum est. Etenim revera, solem visibilem si cogitemus, urit per diem : numquid luna urit per noctem? Sed quid est ustio? Scandalum. Audi Apostolum dicentem, *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* XI, 29)?

13. [*vers.* 7.] *Per diem* ergo *sol non uret te, neque luna per noctem.* Quare? Quia *Dominus custodiet* [4] *te ab omni malo.* A scandalis in sole, a scandalis in luna, ab omni malo te custodiet, qui est tegumentum tuum super manum dexteræ tuæ, qui non dormit, neque dormitabit. Et ad quam rem? Quia in tentationibus sumus : *Dominus custodiet te ab omni malo. Custodiat animam tuam Dominus :* etiam ipsam animam. *Custodiat introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum.* Non quasi corpus tuum [5]; nam in corpore perempti sunt martyres : sed *custodiat animam tuam Dominus;* quia de anima non cesserunt martyres. Et sæviebant persecutores in Crispinam [6], cujus hodie natalitia celebramus; sæviebant in feminam divitem et delicatam : sed fortis erat, quia Dominus tegumentum ejus super manum dexteræ ejus, ille qui eam custodiebat. Hanc enim, fratres, numquid est qui in Africa ignoret? Clarissima enim fuit,

[1] Hic Paris. et Ven. antiquiores editiones id insertum habent : *De hoc sole pater Athanasius Alexandrinus episcopus ita pulchre locutus est : Filius, inquit, Dei a Patre solo est; non factus, nec creatus, sed genitus* : ex quo videlicet Possevinus in Appar. voce *Athanasius*, et Torrensis in præfat. ad Confessiones Aug. ac Bellarminus in lib. 2 de Christo, c. 25, Symbolum vulgo Athanasii dictum eidem ipsi assertum Augustini auctoritate putant. Contra vero Petavius in Theolog. dogmat. de Trinit. lib. 7, c. 8, n. 7. verba illa dicit fuisse Augustino temere assuta : quæ revera absunt a nostris omnibus Mss. nec reperiuntur in editis Am. Er. et Lov.

[2] Sic Am. Er. et aliquot Mss. At Lov., *aut ibi errat, aut ibi non errat.*

[3] Lugd. Venet. hic addunt, *quasi per diem a sole, et uritur a luna per noctem.* M.

[4] Plerique Mss. in isto versu constanter, *custodiat te* : et contra in subsequenti, pro, *custodiat introitum*, habent, *custodiet introitum.*

[5] Er. Lugd. Venet.: *Etiam in ipsa anima. Custodiat Dominus introitum... et non quasi corpus tuum.* M.

[6] Editiones antiquæ Paris. et Venet., *Christianam.* Am. et Er., *Christinam.* Sed verius Lov. et Mss., *Crispinam :* uti rursus infra in Psal. 137, ad vers. 7. Hæc Thebestæ in Africa passa celebratur nonis decembris.

nobilis genere, abundans divitiis: sed hæc omnia sinistra erant, sub capite erant. Venit inimicus qui feriret caput, et sinistra illi objecta est, quæ erat sub capite. Caput supra erat, dextera desuper complectebatur. Quid poterat facere persecutor, quamvis delicatæ feminæ? Erat quidem illa sexu infirma, et divitiis forte languidior, et consuetudine corporali infirmior; sed quid ad tanta munimenta? quid ad illum sponsum mittentem sinistram sub caput, et dextera sua complectentem? Quando sic munitam percuteret inimicus? Et tamen percussit, sed in corpus. Quid autem dicit Psalmus? *Custodiat animam tuam Dominus.* Anima non cessit, corpus percussum est. Et corpus ad tempus percussum est: nam in fine resurrecturum est. Quia et ipse qui dignatus est esse caput Ecclesiæ, præbuit corpus suum ad tempus percutiendum: sed carnem suam ille triduo resuscitavit; carnem nostram in fine resuscitaturus est. Ideo suscitatum est caput, quod attenderet corpus, ut non deficeret. *Custodiat animam tuam Dominus.* Ipsa non cedat, ipsa non frangatur scandalis [1]; in persecutionibus, in tribulationibus, ipsa non cedat [2] deficiendo: sicut Dominus dicit, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere: sed eum timete, qui habet potestatem corpus et animam occidere in gehenna ignis* [3] (*Matth.* x, 28). Hanc ergo animam tuam custodiat Dominus, ne cedas persuasori malo, ne cedas promittenti falsa, ne cedas minanti temporalia, et *custodiat animam tuam Dominus.*

14. [*vers.* 8.] Et deinde: *Custodiat Dominus introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum.* Nam introitum tuum ad tempus attende. *Custodiat Dominus introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum.* Exitum idem custodiat. Quid est, *introitum?* quid est, *exitum?* Quando tentamur, intramus: quando vincimus tentationem, eximus. Audi, *introitum;* audi, *exitum. Vasa figuli probat fornax*, ait Scriptura, *et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* xxvii, 6). Si sic sunt homines justi, quomodo vasa figuli; necesse est ut vasa figuli fornacem intrent. Et non quando intrant, jam securus est figulus, sed cum exierint. Dominus autem securus est, quia novit qui sunt ejus (II *Tim.* ii, 19), et novit qui in fornace non crepent. Illi non crepant, qui non habent ventum superbiæ. Humilitas ergo custodit in omni tentatione: quia a convalle plorationis ascendimus cantantes Canticum graduum; et custodit Dominus introitum, ut salvi intremus. Sana fide simus quando accidit tentatio, et custodit *exitum ex hoc nunc et usque in sæculum.* Cum enim exierimus ab omni tentatione, jam in æternum nulla nos tentatio terrebit, nulla concupiscentia saltem sollicitabit. Audi Apostolum idipsum commemorantem, quod paulo ante commemoravi: *Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari supra quam potestis ferre.* Ecce introitus tuus custoditur; quando non tibi sinit Deus accidere tentationem quam non potes ferre, introitum tuum custodit: videte si custodit et exitum. *Sed faciet*, inquit, *cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere* (I *Cor.* x, 13). Numquid possumus nos, fratres, interpretari aliter, quam ipsa verba Apostoli docuerunt? Custodite ergo vos, sed non a vobis, quia Dominus tegumentum, qui custodit, qui non dormitat nec dormit. Semel dormivit pro nobis: surrexit; jam non dormiet. Nemo de se præsumat. De convalle plorationis ascendimus, non remaneamus in via. Gradus in via restant; non debemus pigri remanere, non debemus superbi cadere: dicamus Deo, Non moveatur pes noster. Non dormiet, qui custodit nos. In nostra potestate est, Deo donante [1], si eum nobis faciamus custodem qui non dormit neque dormitat, qui custodit Israel. Quem Israel? Videntem Deum. Ita erit auxilium tuum a Domino, ita erit tegumentum tuum super manum dexteræ tuæ; ita custoditur introitus tuus et exitus tuus ex hoc nunc et usque in sæculum. Nam si de te præsumpseris, motus est pes tuus; si motus est pes tuus, jam putas te in aliquo gradu esse: inde cadis, si superbus es; quia humilis in convalle plorationis dicit, *Ne des ad movendum pedem meum.*

15. Etsi brevis Psalmus est, longa tamen tractatio, et longus sermo. Putate, fratres, quia per natalem beatæ Crispinæ invitavi vos, et immoderatior fui in convivio producendo. Nonne posset hoc vobis fieri, si quis vos militaris invitaret, et ad mensam sine mensura bibere cogeret? Liceat nobis hoc facere in divino sermone, ut inebriemini et satiemini, quemadmodum et Dominus pluvia sua temporali dignatus est terram irrigare, ut cum majore gaudio nos sineret ire ad locum martyrum, sicut hesterno die promiseramus. Illi enim martyres sine labore hic sunt nobiscum.

IN PSALMUM CXXI
ENARRATIO.
SERMO AD PLEBEM.

1. Sicut amor immundus inflammat animam, et ad terrena concupiscenda et peritura sectanda perituram vocat, et in ima præcipitat, atque in profunda demergit: sic amor sanctus ad superna levat, et ad æterna inflammat, et ad ea quæ non transeunt neque moriuntur, excitat animam, et de profundo inferni levat ad cœlum. Habet tamen omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis; necesse est ducat. Sed vis nosse qualis amor sit? Vide quo ducat. Non ergo monemus ut nihil ametis; sed monemus ne mundum ametis, ut eum qui fecit mundum, libere ametis. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis; volare non potest. Mundata vero ab affectibus sordidissimis sæculi, tanquam extensis pennis et duabus alis resolutis ab omni impedimento, id est, duobus præceptis dilectionis Dei et dilectionis proximi volat. Quo, nisi ad Deum ascendens volando, quia ascendit amando? Quod antequam pos-

[1] Plures Mss., *in scandalis.*
[2] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *ipsa non cadat.*
[3] Er. Lug. Ven. et Lov., *occidere et mittere in gehennam ignis.* M.

[1] Mss. non habent, *Deo donante.*

sit, gemit in terra, si jam inest ei volandi desiderium; et dicit: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam* (*Psal.* LIV, 7)? Quo autem volabit, nisi de mediis scandalis, ubi gemebat etiam iste cujus hæc vox est quam commemoravi? De mediis ergo scandalis, a commixtione malorum hominum, a paleis quibus grana commixta sunt, volare vult, ubi non patiatur conjunctionem et societatem iniqui alicujus, sed vivat in sancta societate Angelorum civium in æterna Jerusalem.

2. [*vers.* 1.] Ideo psalmus iste, quem hodie suscepimus tractandum Sanctitati vestræ, ipsam Jerusalem desiderat, id est, iste qui ascendit in hoc psalmo: est enim, *Canticum graduum;* quod sæpe diximus Charitati vestræ, quia non sunt gradus isti descendentium, sed ascendentium (*a*). Ascendere ergo vult iste. Et quo vult ascendere, nisi in cœlum? Quid est, in cœlum? Utrum ideo vult ascendere, ut sit cum sole et luna et stellis? Absit. Sed est in cœlo æterna Jerusalem, ubi sunt cives nostri Angeli: ab ipsis civibus nostris peregrinamur in terra. In peregrinatione suspiramus; in civitate gaudebimus. Invenimus autem et socios in ista peregrinatione, qui jam viderunt ipsam civitatem, et invitant nos ut curramus ad illam. Ad hos gaudet iste qui et dicit, *Jucundatus sum in his qui dixerunt mihi, In domum Domini ibimus.* Fratres, veniat in mentem Charitati vestræ, si qua forte festivitas martyrum et locus aliquis sanctus nominatur, quo certo die turbæ confluant ad celebrandam solemnitatem; illæ turbæ quomodo se exsuscitant, quomodo se hortantur et dicunt: Eamus, eamus. Et quærunt, Quo eamus? Et dicitur, Ad illum locum, ad sanctum locum. Invicem sibi loquuntur, et tanquam incensi singillatim faciunt unam flammam: et ipsa una flamma facta ex collocutione sese accendentium rapit illos ad locum sanctum, et cogitatio sancta sanctificat eos. Si ergo ad locum temporalem sic rapit amor sanctus; qualis amor debet esse qui concordes rapit in cœlum, et dicentes sibi, *In domum Domini ibimus?* Ergo curramus, curramus, quia in domum Domini ibimus. Curramus, et non fatigemur; quia illuc perveniemus, ubi non lassabimur. Curramus in domum Domini, jucundetur anima nostra in his qui ea nobis dicunt. Qui enim ea nobis dicunt, priores viderunt ipsam patriam, de longinquo clamantes ad posteriores, *In domum Domini ibimus:* ambulate, currite. Viderunt illam Apostoli, et dixerunt nobis, Currite, ambulate, sequimini; *In domum Domini ibimus.* Et quid dicit unusquisque nostrum? *Jucundatus sum in his qui dixerunt mihi, In domum Domini ibimus.* Jucundatus sum in Prophetis, jucundatus sum in Apostolis. Omnes enim isti dixerunt nobis, *In domum Domini ibimus.*

3. [*vers.* 2.] *Stantes erant pedes nostri in atriis* [1] *Jerusalem.* Ecce habes domum Domini, si quærebas quid sit domus Domini. In illa domo Domini laudatur qui condidit domum: ipse deliciæ omnium habitantium in domo; ipse sola spes hic, et res ibi. Ergo qui currunt, quid debent cogitare? Quasi ibi jam sint, et ibi stent. Magnum enim est ibi stare inter Angelos, et non deficere. Qui enim inde lapsus est, in veritate non stetit (*Joan.* VIII, 44). Quicumque non sunt lapsi, in veritate stant: et ille stat, qui Deo fruitur; qui autem se frui voluerit, cadit. Quis autem se frui vult? Qui superbus est. Ideo ille qui semper stare volebat in atriis Jerusalem, *In lumine tuo*, inquit, *videbimus lumen;* non, in lumine meo: et, *Apud te*, inquit, *fons vitæ;* non, apud me. Et quid adjecit? *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatorum non moveat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, non potuerunt stare* (*Psal.* XXXV, 10, 12, 13). Si ergo illi non potuerunt stare, quia superbi fuerunt; humiliter ascende, ut dicas, *Stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem.* Cogita qualis ibi futurus sis: et quamvis adhuc in via sis, hoc tibi pone ante oculos, quasi ibi stes, quasi jam inter Angelos indeficiens gaudeas, et fiat in te quod dictum est, *Beati qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). *Stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem.* Cujus Jerusalem? Solet enim dici et ista Jerusalem; sed ista Jerusalem umbra est illius. Et quid magnum est stare in ista Jerusalem, quando ista Jerusalem stare non potuit, quæ in ruinam conversa est? Hoc ergo pro magno Spiritus sanctus ex inflammato corde amantis hujus eloquitur, quia dicit, *Stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem?* nonne illa est Jerusalem, cui dixit Dominus, *Jerusalem, Jerusalem, quæ interficis Prophetas, et lapidas missos ad te* (*Matth.* XXIII, 37)? Quid magnum ergo iste concupiscebat, stare inter illos qui interficiebant Prophetas, et lapidabant missos ad se? Absit ut de ista Jerusalem sic cogitet qui sic amat, qui sic ardet, qui sic vult pervenire ad illam Jerusalem matrem nostram (*Galat.* IV, 26), de qua dicit Apostolus, *æternam in cœlis* (II *Cor*, V, 1).

4. [*vers.* 3.] Audi postremo, noli mihi credere; audi quid sequatur, et quam Jerusalem designet mentibus nostris. Cum enim dixisset, *Stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem;* quasi diceretur illi, De qua Jerusalem dicis? de qua Jerusalem loqueris? subjecit statim, *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas.* Fratres, quando dicebat ista David, perfecta erat illa civitas, non ædificabatur. Nescio quam ergo civitatem dicit, quæ modo ædificatur, ad quam currunt in fide lapides vivi, de quibus dicit Petrus: *Et vos tanquam lapides vivi coædificamini in domum spiritualem* (I *Petr.* II, 5), id est, templum sanctum Dei. Quid est, *lapides vivi coædificamini?* Vivis, si credis: si autem credis, efficeris templum Dei; quia dicit apostolus Paulus, *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Ipsa ergo modo civitas ædificatur; præciduntur de montibus lapides per manus prædicantium veritatem, conquadrantur ut intrent in structuram sempiternam. Adhuc multi lapides in manibus artificis sunt; non cadant de manibus artificis, ut possint perfecti coædificari in structuram templi. Est ergo ista *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas:* fundamentum ipsius Christus est.

[1] Duo tantum Mss., *in atriis tuis.*
(*a*) In Psal. XXXVIII, n. 2; et in Psal. CXIX, n. 1-3.

Dicit apostolus Paulus : *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (I *Cor.* III, 17, 11). Fundamentum quando ponitur in terra, desuper ædificantur parietes, et pondus parietum ad ima tendit, quia in imo positum est fundamentum. Si autem fundamentum nostrum in cœlo est, ad cœlum ædificemur. Corpora ædificaverunt istam structuram [1], quam videtis amplam surrexisse, hujus basilicæ; et quia corpora ædificaverunt, fundamentum in imo posuerunt : quia vero spiritualiter ædificamur, fundamentum nostrum in summo positum est. Illuc ergo curramus, ubi ædificemur; quia de ipsa Jerusalem dictum est, *Stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem.* Sed cujus Jerusalem? *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas.* Parum dixit, ut ostenderet Jerusalem, quia dixit, *ut civitas ædificatur*; adhuc potest illa corporalis intelligi. Quid si enim existat aliquis et dicat : Jam quidem et cum ista dicerentur temporibus David, et ista canerentur, erat civitas illa perfecta; sed videbat in spiritu ruituram, et iterum ædificandam. Expugnata est enim illa civitas, et factus est transitus in Babyloniam populi captivati, et dicta est ista in Scripturis, transmigratio in Babyloniam. Et prophetavit Jeremias, post septuaginta annos captivitatis ædificari posse illam civitatem quæ destructa erat a debellantibus (*Jerem.* XXIX, 4, 10). Forte ait aliquis : Hoc videbat David in spiritu, ruituram civitatem Jerusalem a debellantibus, et iterum posse post septuaginta annos ædificari; et ideo dixit, *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas* : noli ergo putare illam civitatem esse dictam quæ constat ex sanctis, tanquam ex lapidibus vivis. Quid sequitur, ut tollat totam dubitationem? Ait enim, *Stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem.* Sed quam dico Jerusalem? Numquid istam, inquit, quam videtis stare corporeis parietibus erectam? Non; sed *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas.* Quare non civitas, sed *ut civitas*; nisi quia ista structura parietum, quæ erat in Jerusalem, visibilis civitas erat, sicut proprie dicitur ab omnibus civitas : illa autem ædificatur tanquam civitas, quia et illi qui in eam intrant, *tanquam vivi lapides* sunt; non enim vere lapides sunt? Sicut illi ut lapides, non lapides; sic illa *ut civitas*, non civitas; quia dixit, *ædificatur.* Nomine quippe ædificii, structuram compagemque corporum atque parietum voluit intelligi. Nam civitas proprie in hominibus habitantibus intelligitur. Sed manifestavit nobis civitatem se urbem dixisse, quia dixit, *ædificatur.* Et quia ædificium spirituale similitudinem quamdam habet ædificii corporalis, ideo *ædificatur ut civitas.*

5. Sed dicat quod sequitur, et auferat omnem dubitationem, quia non carnaliter debemus accipere, *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas. Cujus participatio ejus in idipsum.* Jam ergo, fratres, quisquis erigit aciem mentis, quisquis deponit caliginem carnis, quisquis mundat oculum cordis, elevet, et videat *idipsum.* Quid est *idipsum?* Quomodo dicam, nisi *idipsum?* Fratres, si potestis, intelligite *idipsum.* Nam et ego quidquid aliud dixero, non dico *idipsum.* Conemur tamen quibusdam vicinitatibus verborum et significationum perducere infirmitatem mentis [1] ad cogitandum *idipsum.* Quid est *idipsum?* Quod semper eodem modo est; quod non modo aliud, et modo aliud est. Quid est ergo *idipsum*, nisi, quod est? Quid est quod est? Quod æternum est. Nam quod semper aliter atque aliter est, non est, quia non manet : non omnino non est, sed non summe est. Et quid est quod est, nisi ille qui quando mittebat Moysen, dixit illi : *Ego sum qui sum?* Quid est hoc, nisi ille qui cum diceret famulus ejus, *Ecce mittis me : si dixerit mihi populus, Quis te misit? quid dicam ei?* nomen suum noluit aliud dicere, quam, *Ego sum qui sum*; et adjecit et ait, *Dices itaque filiis Israel, Qui est, misit me ad vos.* Ecce *idipsum, Ego sum qui sum, Qui est, misit me ad vos.* Non potes capere; multum est intelligere, multum est apprehendere. Retine quod pro te factus est, quem non posses capere. Retine carnem Christi, in quam levabaris ægrotus, et a vulneribus latronum semivivus relictus, ut ad stabulum perducereris (*Luc.* x, 30, 34), et ibi sanareris. Ergo curramus ad domum Domini, et perveniamus ad civitatem ubi stent pedes nostri; civitatem *quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.* Quid enim debes tenere? Quod pro te factus est Christus, quia ipse est Christus; et ipse Christus recte intelligitur, *Ego sum qui sum*, quo modo est in forma Dei. Ubi non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo (*Philipp.* II, 6), ibi est idipsum. Ut autem efficiaris tu particeps in idipsum, factus est ipse prior particeps tui; et Verbum caro factum est, ut caro participet Verbum. Quia vero quod Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14), ex semine venit Abraham; promissum est autem Abrahæ et Isaac et Jacob, quod in semine eorum benedicerentur omnes gentes (*Gen.* XXII, 18); et inde videmus Ecclesiam toto orbe diffusam : loquitur ad infirmos Deus. Firmitatem cordis quæsivit, cum diceret, *Ego sum qui sum* : firmitatem cordis quæsivit, et aciem contemplationis erectam, cum dixit, *Qui est, misit me ad vos.* Sed nondum habes forte [2] contemplationem : noli deficere, noli desperare. Qui est, voluit esse homo, ut tu es; et ideo secutus ait Moysi quasi expavescenti nomen. Quod nomen? Quod est, *Est. Et dixit*, inquit, *Dominus ad Moysen, Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob : hoc mihi nomen est in æternum* (*Exod.* III, 13-15). Noli de te desperare, quia dixi, *Ego sum qui sum*, et, *Qui est, misit me ad vos* : quia tu modo fluctuas, et mutabilitate rerum et varietate mortalitatis humanæ percipere non potes quod est idipsum. Ego descendo, quia tu venire non potes. *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob.* In semine Abraham spera aliquid, ut confirmari possis ad videndum qui venit ad te in semine Abrahæ.

6. Ergo hoc est idipsum de quo dictum est, *Muta-*

[1] Mss., *instructuram.*

[1] Plerique Mss., *perducere aciem mentis, perducere infirmitatem mentis.*
[2] Alter e Corb. Mss., *fortem.*

bis ea, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient (*Psal.* CI, 27 *et* 28). Ecce *idipsum*, cujus *anni non deficient*. Fratres, nonne anni nostri quotidie deficiunt, nec stant omnino? Nam et qui venerunt, jam non sunt; et qui futuri sunt, nondum sunt: jam illi defecerunt, et illi defecturi venturi sunt. In hoc ergo ipso uno die, fratres, ecce modo quod loquimur in momento est. Præteritæ horæ transierunt, futuræ nondum venerunt; et cum venerint, et ipsæ transibunt et deficient. Qui sunt anni qui non deficiunt, nisi qui stant? Si ergo ibi anni stant, et ipsi anni qui stant unus annus est, et ipse unus annus qui stat unus dies est; quia ipse unus dies nec ortum habet nec occasum, nec inchoatur ab hesterno, nec excluditur a crastino, sed stat semper ille dies: et quod vis vocas illum diem; si vis, anni sunt; si vis, dies est; quodcumque cogitaveris, stat tamen: ipsius stabilitatis [1] participat illa civitas *cujus participatio est in idipsum*: merito ergo, quia illius stabilitatis fit particeps, dicit iste qui illuc currit, *Stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem*. Omnia enim ibi stant, ubi nihil transit. Vis et tu ibi stare et non transire? Illuc curre. Idipsum nemo habet ex se. Intendite, fratres. Quod corpus habet, non est idipsum; quia non in se stat. Mutatur per ætates, mutatur per mutationes locorum ac temporum, mutatur per morbos et defectus carnales: non ergo in se stat. Corpora cœlestia non in se stant: habent quasdam mutationes suas, etsi occultas; certe de locis in loca mutantur, ascendunt ab oriente in occidentem, et rursus circumeunt ad orientem: non ergo stant, non sunt idipsum. Anima humana nec ipsa stat. Quantis enim mutationibus et cogitationibus variatur! quantis voluptatibus [2] immutatur! quantis cupiditatibus diverberatur atque discinditur [3]! Mens ipsa hominis, quæ dicitur rationalis, mutabilis est, non est idipsum. Modo vult, modo non vult; modo scit, modo nescit; modo meminit, modo obliviscitur: ergo idipsum nemo habet ex se. Qui voluit ex se habere idipsum, ut quasi ipse sibi esset idipsum, lapsus est: cecidit angelus, et factus est diabolus. Propinavit homini superbiam, dejecit secum invidentia eum qui stabat. Isti sibi voluerunt idipsum esse; sibi principari, sibi dominari voluerunt: noluerunt habere verum Dominum, qui vere est idipsum, cui dictum est, *Mutabis ea, et mutabuntur; tu autem idem ipse es*. Jam ergo post tantum languorem, post tantos morbos, difficultates, labores, redeat anima humiliata ad idipsum: et sit in illa civitate *cujus participatio ejus in idipsum*.

7. [*vers.* 4.] *Illuc enim ascenderunt tribus*. Quærebamus enim quo ascendat qui cecidit; quia diximus, ascendentis hominis vox est, ascendentis Ecclesiæ. Putamusne quo ascendit? quo it? quo erigitur? *Illuc ascenderunt*, inquit, *tribus*. Quo ascenderunt tribus? In civitatem *cujus participatio ejus in idipsum*. Ergo illuc ascenditur, in Jerusalem. Homo autem qui descendebat de Jerusalem in Jericho, incidit in latrones (*Luc.* X, 30). Non descenderet, et non [1] incideret in latrones. Quia vero descendendo incidit in latrones, ascendendo veniat ad Angelos. Ascendat ergo, quia ascenderunt tribus. Sed quæ sunt tribus? Multi noverunt, multi non noverunt. Sed et nos qui novimus, descendamus ad illos qui non noverunt tribus, ut nobiscum ascendant quo ascenderunt tribus. Tribus alio nomine dici possunt curiæ, sed non proprie. Itaque tribus uno nomine alio proprie dici non possunt; sed vicino dicuntur curiæ. Nam proprie si dixerimus curias, non intelliguntur nisi curiæ quæ sunt in civitatibus singulis singulæ; unde curiales et decuriones, id est, quod sint in curia vel decuria: et nostis quia tales curias singulas habent singulæ civitates. Sunt autem vel erant aliquando in istis quoque civitatibus curiæ etiam populorum; et una civitas multas curias habet, sicut Roma triginta quinque curias habet populi. Hæ dicuntur tribus. Has populus Israel duodecim habebat, secundum filios Jacob.

8. Duodecim tribus erant populi Israel: sed erant ibi mali, et erant ibi boni. Quam enim malæ tribus quæ crucifixerunt Dominum? Quam bonæ tribus quæ cognoverunt Dominum? Illæ ergo tribus quæ crucifixerunt Dominum, tribus sunt diaboli. Cum ergo hic diceret, *Illuc enim ascenderunt tribus*; ne omnes tribus intelligeres, addidit, *tribus Domini*. Quid est, *tribus Domini?* Quæ cognoverunt Dominum. Ex ipsis enim duodecim tribubus malis, erant ibi boni de bonis tribubus [2] quæ cognoverunt fabricatorem civitatis; et ipsa erant grana inter illas tribus, quæ inter paleas commixta sunt. Ascenderunt autem, non cum paleis, sed tribus purgatæ, electæ, quasi tribus Domini. *Illuc ascenderunt tribus, tribus Domini*. Quid est, *tribus Domini? Testimonium Israel*. Hoc quid sit, fratres, audite: *Testimonium Israel*, id est, in quibus cognoscatur quia est [3] vere Israel. Quid est enim Israel? Interpretatio nominis ejus dicta est jam, et sæpe dicatur: forte enim etsi recens dicta est, excidit. Dicendo, nos faciamus ut non excidat etiam eis qui legere non noverunt aut noluerunt: nos simus codex ipsorum. Israel, Videns Deum interpretatur; imo diligentius discusso verbo, sic interpretatur, Israel. Est videns Deum [4]: utrumque, est videns Deum. Quia homo in se non est: mutatur enim et vertitur, si non participet ejus qui est idipsum. Tunc est, quando videt Deum. Tunc enim est, quando videt eum qui est; et videndo eum qui est, fit et ipse pro modo suo ut sit. Ergo ipse est Israel, Israel est videns Deum. Superbus ergo non est Israel: quia non est participatio ejus in idipsum; quia ipse sibi vult esse in idipsum. Qui sibi vult esse principium non est Israel.

[1] Am. et plerique Mss., *stat: tamen ipsius stabilitatis*, etc.
[2] Aliquot Mss., *voluntatibus*.
[3] Plures Mss., *diversatur atque distenditur*.

[1] Er.: *Si non descenderet, et non*: Lugd. Ven. et Lov.: *Si non descenderet, non*, etc. M.
[2] Er.: *Ex ipsis enim duodecim tribubus mali ibi erant, boni de bonis tribubus, quæ cognoverunt*. Sic etiam apud Am. nisi quod diversa est verborum interpunctio. At unus e Corb. Mss.: *Ex ipsis enim duodecim tribubus erant ibi mali, erant ibi boni. De bonis tribubus, quæ cognoverunt*, etc.
[3] Aliquot Mss., *qui est*.
[4] Er. Lugd. Venet. Lov. omittunt, *Deum*. M.

Omnis ergo fictus non est Israel, quia omnis superbus necesse est ut fictus sit. Hoc dico, fratres; necesse est ut omnis superbus velit videri quod non est: aliter, fratres mei, non potest. Et utinam sic vellet superbus videri quod non est, ut vellet videri, verbi causa, choraula, cum choraula non esset. Cito enim probaretur; diceretur ei [1]: Canta; videamus utrum choraula sis. Non posset; inveniretur falso se videri voluisse quod non erat. Si diceret se eloquentem, diceretur ei: Loquere, et proba. Si locutus fuerit, invenitur non hoc esse quod professus est. Superbus, quod pejus est, justum se vult videri, cum non sit; et quia justitiam intelligere difficile est, difficile est superbos agnoscere. Volunt ergo superbi videri quod non sunt: ideo non est participatio eorum in idipsum; non pertinent ad Israel, qui est [2] videns Deum. Quis ergo pertinet ad Israel? Qui est particeps in idipsum. Quis est qui participat in idipsum? Qui confitetur se non esse quod Deus est, et ab illo habere quod bonum potest habere; a se autem non esse nisi peccatum, ab illo sibi esse justitiam. Talis est in quo dolus non est. Et Dominus videns Nathanaelem, quid ait? *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est* (*Joan.* I, 47). Si ergo verus Israelita, in quo dolus non est, tribus illæ ascendunt ad Jerusalem, in quibus dolus non est. Et ipsæ sunt *testimonium Israel;* id est, per illas agnoscitur quia erant [3] grana inter illam paleam, quando area cum videretur, tota palea putabatur. Erant ergo ibi grana: sed cum ascenderint in sublimitatem illam splendoris, cum fuerit area ventilata (*Matth.* III, 12), tunc erit *testimonium Israel;* tunc dicent omnes mali, Vere quia erant ibi justi inter malos, quando nobis omnes mali videbantur, et quales nos eramus, tales omnes putabamus. *Testimonium Israel.* Quo ascendunt? quare ascendunt? *Ad confitendum nomini tuo, Domine.* Magnificentius dici non potest. Sicut superbia præsumit, sic humilitas confitetur. Quomodo præsumptor est qui vult videri quod non est; sic confessor est qui non vult videri quod est ipse [4], et amat quod est ille. Ad hoc ergo ascendunt Israelitæ, in quibus dolus non est, quia sunt vere Israelitæ, quia in ipsis est testimonium Israel; ad hoc ascendunt, *ad confitendum nomini tuo, Domine.*

9. [*vers.* 5.] *Quoniam ibi sederunt sedes in judicium.* Mirum ænigma, mira quæstio, si non intelligatur. Sedes dicit, quos Græci thronos appellant. Thronos Græci sellas dicunt, tanquam honorabiles. Ergo, fratres mei, non est mirum si sedeant homines in sedibus, in sellis: ut autem ipsæ sedes sedeant, quomodo possumus intelligere? Tanquam si dicat aliquis: Sedeant hic cathedræ, aut sedeant hic sellæ. In sella sedetur, in sedibus sedetur, in cathedris sedetur; non ipsæ sedes sedent. Quid est ergo hoc, *Quoniam ibi sederunt sedes in judicium?* Certe soletis audire, Deo dicente, *Cœlum mihi thronus est; terra autem scabellum pedum meorum* (*Isai.* LXVI, 1.) Latine autem totum sic dicitur, *Cœlum mihi sedes est.* Qui sunt isti, nisi justi? qui sunt cœli, nisi justi? Qui cœlum, ipsi cœli: quia quæ Ecclesia, ipsæ Ecclesiæ; sic sunt multæ, ut una sit: sic ergo et justi; ita sunt justi cœlum, ut cœli sint. In ipsis autem sedet Deus, et de ipsis judicat Deus. Et non sine causa dictum est, *Cœli enarrant gloriam Dei.* Apostoli enim facti sunt cœlum. Unde facti sunt cœlum? Quia justificati. Quomodo peccator factus est terra, cui dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19); sic justificati facti sunt cœlum. Portaverunt Deum, et de ipsis Deus coruscabat miracula, tonabat terrores, pluebat consolationes. Erant ergo, erant illi cœlum, et enarrabant gloriam Dei. Nam ut noveritis ipsos dictos cœlum, ibi ait in ipso psalmo: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 2, 5). Quæris, quorum; et invenies, cœlorum. Si ergo cœlum sedes Dei, Apostoli autem cœlum; et ipsi facti sunt sedes Dei, ipsi sunt thronus Dei. Dictum est alio loco: *Anima justi, thronus sapientiæ.* Magna res, magna res dicta est: *Thronus sapientiæ anima justi;* id est, in anima justi sedet sapientia tanquam in sella sua, tanquam in throno suo, et inde judicat quidquid judicat. Ergo erant throni sapientiæ, et ideo dixit illis Dominus: *Sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Sic et ipsi sedebunt super duodecim sedes, et ipsi sunt sedes Dei: de illis quippe dictum est, *Ibi enim sederunt sedes. Quoniam ibi sederunt* [1] *sedes.* Qui sederunt? *Sedes.* Et qui sunt sedes? De quibus dictum est, *Anima justi, sedes sapientiæ.* Qui sunt sedes? Cœli. Qui sunt cœli? Cœlum. Quod est cœlum? De quo dicit Dominus, *Cœlum mihi sedes est.* Et ipsi justi sunt sedes, et habent sedes; et in illa Jerusalem sedebunt sedes. Ad quam rem? *In judicium. Sedebitis,* inquit, *super duodecim sedes,* o vos sedes, *judicantes duodecim tribus Israel.* Quos judicantes? Infra qui sunt in terra. Qui judicabunt? Qui facti sunt cœlum. Illi autem qui judicabuntur, in duas partes dividentur; una ad dexteram, altera ad sinistram erit. Judicabunt cum Christo sancti. *Veniet* enim *in judicium cum senioribus populi,* ait Isaias (*Isai.* III, 14). Alii sunt ergo qui cum illo judicabunt; alii qui ab illo judicabuntur, et ab illis qui cum eo judicabunt. Dividentur ergo isti in duas partes: una ponetur ad dexteram, cui enumerabuntur eleemosynæ quas fecerunt; alia ponetur ad sinistram, cui enumerabitur crudelitas, et sterilitas misericordiæ. Et illis ad dexteram constitutis dicetur, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Quare? *Esurivi,* inquit, *et dedistis mihi manducare.* Et illi: *Quando te vidimus esurientem?* Et ille: *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 31, 45). Ergo quid est, fratres? Illi judicabunt de quibus dictum est ut fiant amici de mammona iniquitatis; *ut et ipsi,* inquit, *recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* XVI, 9). Sancti sedebunt cum Domino attendere qui fecerunt

[1] Er. Lugd. Venet. Lov., *si diceretur ei.* M.
[2] Editio tantum Lov., *non pertinet ad Israel qui non est,* etc.
[3] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *qui erant.*
[4] Sex Mss., *quod non est ipse.*

[1] Hoc loco Mss., *sedebunt.*

misericordiam, et assument illos separatos in dexteram in regnum cœlorum : et ipsa est pax Jerusalem. Quæ est pax Jerusalem? Ut opera misericordiæ corporalia jungantur operibus prædicationis spiritualibus, et fiat pax dando et accipiendo. Ait enim Apostolus, qui rationem dati et accepti dixit esse istas eleemosynas (*Philipp.* IV, 15); ait ergo, *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus* (I *Cor.* IX, 11)? Et de ipsa re ait alio loco, *Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non defuit illi.* Quare, *Qui multum, non abundavit?* Quia quod plus habebat, dedit indigenti. Et quid est, *Qui modicum, non defuit illi?* Quia accepit ab illo qui abundavit, *ut fiat*, inquit, *æqualitas* (II *Cor.* VIII, 15, 14). Ipsa est pax de qua dicitur, *Fiat pax in virtute tua.*

10. [*vers.* 6.] Namque cum dixisset, *Quoniam ibi sederunt sedes in judicium, sedes super domum David*, id est, super familiam Christi, cui dederunt in tempore cibaria; statim tanquam ipsis sedibus ait, *Interrogate quæ ad pacem sunt Jerusalem.* O vos sedes, qui jam sedetis ut judicetis, et facti estis sedes Domini judicantis (quoniam qui judicant, interrogant; qui judicantur, interrogantur), *Interrogate*, inquit, *quæ sunt ad pacem Jerusalem.* Interrogando quid invenient? Alios fecisse misericordiam, alios non fecisse. Quos invenient fecisse misericordiam, ipsos vocabunt ad Jerusalem; quia ipsa *sunt ad pacem Jerusalem.* Dilectio fortis res, fratres; dilectio fortis res. Vultis videre quam sit fortis dilectio? Quisquis per aliquam necessitatem non potuerit implere quod jubet Deus, amet illum qui implet, et in illo implet. Intendat Charitas vestra. Verbi gratia, uxorem habet, quam dimittere non potest; oportet ut obtemperet Apostolo dicenti, *Uxori vir debitum reddat*; et, *Alligatus es uxori? ne quæsieris solutionem.* Venit in mentem quia melior est illa vita de qua dicit idem apostolus, *Vellem omnes esse sicut meipsum* (I *Cor.* VII, 3, 27, 7). Attendit eos qui hoc fecerunt; amat eos, et in ipsis implet quod in se non potest. Fortis res est dilectio. Ipsa est virtus nostra; quia si in illa non fuerimus, nihil prodest quidquid aliud habuerimus. *Si linguis hominum loquar*, dicit Apostolus, *et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum quasi æramentum sonans, aut cymbalum tinniens.* Adjungit aliud magnum : *Quod si distribuero omnem substantiam meam, et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (*Id.* XIII, 1, 3). Si autem sit sola charitas, quæ non inveniat quod distribuat pauperibus, diligat : solum calicem aquæ frigidæ det (*Matth.* X, 42); tantum illi imputabitur, quantum Zacchæo qui dimidium patrimonii donavit pauperibus (*Luc.* XIX, 8). Quare hoc? Ille tam modicum dedit, ille tam multum dedit, et tantum illi imputabitur? Tantum plane. Impar enim facultas, sed non impar charitas.

11. Illi ergo interrogant; vos cogitate quid estis. Jam ecce dictum est nobis, *In domum Domini ibimus.* Jucundati sumus certe in his qui dixerunt nobis, *In domum Domini ibimus.* Videte ergo si imus. Non enim pedibus imus, sed affectibus. Videte si imus; interroget se unusquisque vestrum qualis est erga pauperem sanctum, erga indigentem fratrem, qualis est erga indigentem mendicum : videat si viscera ejus non sunt angusta. Quia interrogare te habent sedes quæ sedebunt in judicium, et debent invenire quæ sunt ad pacem Jerusalem. Et quomodo interrogant? Tanquam sedes Dei. Deus interrogat. Si Deum latet aliquid, et illas sedes aliquid interrogantes fugere potest. *Interrogate quæ sunt ad pacem Jerusalem.* Sed quæ sunt ad pacem Jerusalem? *Et abundantia*, inquit, *his qui diligunt te.* Ad ipsam Jerusalem convertit vocem. Abundantia est illis qui diligunt eam. Abundantia ex inopia : hic inopes, ibi abundantes; hic infirmi, ibi firmi; hic egeni, ibi divites. Unde facti divites? Quia dederunt hic quod acceperunt a Deo ad tempus, et acceperunt ibi quod postea Deus retribuet in æternum. Hic, fratres mei, et divites pauperes sunt. Bonum est diviti ut agnoscat se pauperem: si enim plenum se putat, tumor est ille [1], non plenitudo. Agnoscat se inanem, ut possit impleri. Quid habet? Aurum. Quid nondum habet? Vitam æternam. Attendat quid habeat, et videat quid non habeat. Fratres, ex eo quod habet, det, ut accipiat quod non habet; emat ex eo quod habet, illud quod non habet. *Et abundantia his qui diligunt te.*

12. [*vers.* 7.] *Fiat pax in virtute tua.* O Jerusalem! o civitas quæ ædificaris ut civitas, cujus participatio tua in idipsum, *fiat pax in virtute tua*, fiat pax in dilectione tua; quia virtus tua, dilectio tua. Audi Cantica canticorum : *Valida est sicut mors dilectio* (*Cant.* VIII, 6). Magnum verbum, fratres, *Valida est sicut mors dilectio.* Magnificentius exprimi non potuit fortitudo charitatis, quam ut diceretur, *Valida est sicut mors dilectio.* Quis enim resistit morti, fratres? Intendat Charitas vestra. Resistitur ignibus, undis, ferro; resistitur potestatibus, resistitur regibus : venit una mors, quis ei resistit? Nihil illa fortius. Propterea viribus ejus charitas comparata est, et dictum est, *Valida est sicut mors dilectio.* Et quia ipsa charitas occidit quod fuimus, ut simus quod non eramus; facit in nobis quamdam mortem dilectio. Ipsa morte mortuus erat qui dicebat, *Mundus mihi crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14) : ipsa morte mortui erant quibus dicebat, *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III, 3). *Valida est sicut mors dilectio.* Si ergo valida est, fortis est et magnæ virtutis, et ipsa est virtus, et per ipsam reguntur infirmi a firmis, terra a cœlo, populi a sedibus; ideo, *Fiat pax in virtute tuâ*, fiat pax in dilectione tua. Et per istam virtutem, per istam dilectionem, per istam pacem, fiat *abundantia in turribus tuis :* id est, in excelsis tuis. Pauci enim sedebunt in judicio; sed multi ad dexteram positi facient populum civitatis illius. Multi enim pertinebunt ad singulos quosque excelsos, a quibus recipiantur in tabernacula æterna; et erit abundantia in turribus ejus. Plenitudo autem deliciarum

[1] Sic Mss. Edd. vero, *illi.*

et sufficientia divitiarum ipse Deus, ipse idipsum, ipse cujus participatio est civitatis in idipsum: ipsa [1] erit et abundantia nostra. Sed unde? Per charitatem, hoc est, per virtutem. In quo autem est charitas, fratres? Qui non sua quærit in hac vita (*Philipp.* II, 4, 21). Audi Apostolum habentem charitatem: ait, *Placete omnibus per omnia, sicut et ego omnibus per omnia placeo.* Ubi est ergo quod dixisti, *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Galat.* I, 10)? et modo dicis te placere, modo hortaris ut et illi placeant? Sed non ibi posuit finem, ut quis propter se, non propter charitatem placeat. Qui gloriam suam quærit, non quærit [2] salutem aliorum. Ait enim: *Sicut et ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi prodest, sed quod multis, ut salvi fiant* (I *Cor.* x, 32, 33).

13. [*vers.* 8.] Ideo et hic cum de charitate diceret: *Propter fratres meos,* inquit, *et propinquos meos, loquebar autem* [3] *pacem de te. O Jerusalem, civitas cujus participatio in idipsum,* ego in hac vita et in hac terra, ego pauper, peregrinus et gemens, nondum perfruens pace tua, et prædicans pacem tuam; non propter me illam prædico, sicut hæretici, qui quærentes gloriam suam dicunt, Pax vobiscum: et pacem non habent quam populis prædicant. Si enim haberent pacem, non conscinderent unitatem. Ego, inquit, *loquebar pacem de te.* Sed quare? *Propter fratres meos et propinquos meos:* non propter honorem meum, non propter pecuniam meam, non propter vitam meam; nam, *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum.* Sed *loquebar pacem de te, propter fratres meos et propinquos meos.* Nam cupiebat ipse *dissolvi, et esse cum Christo:* et qui ista prædicaret propinquis et fratribus, *Manere,* inquit, *in carne, necessarium propter vos* (*Philipp.* I, 21, 23, 24). *Propter fratres meos et propinquos meos, loquebar autem pacem de te.*

14. [*vers* 9.] *Propter domum Domini Dei mei, quæsivi bona tibi.* Non propter me quæsivi bona: nam non tibi quærerem, sed mihi; ideo nec ego haberem, quia non tibi quærerem: sed, *Propter domum Domini Dei mei,* propter Ecclesiam, propter sanctos, propter peregrinos, propter inopes, ut ascendant; quia dicimus eis, *In domum domini ibimus: propter* ipsam *domum Domini Dei mei, quæsivi bona tibi.* Hæc, fratres, prolixiora et necessaria carpite, manducate, bibite; convalescite, currite, apprehendite.

IN PSALMUM CXXII
ENARRATIO.
SERMO AD PLEBEM.

1. Ascendentis cantica ex ordine cum Sanctitate vestra consideranda suscepi; ascendentis et amantis, et ideo ascendentis quia amantis. Omnis amor aut ascendit, aut descendit. Desiderio enim bono levamur ad **Deum, et desiderio malo ad ima præcipitamur.** Sed quia jam malo desiderio lapsi cecidimus; superest nobis, si agnoscimus quis ad nos non ceciderit, sed descenderit, hærendo illi ascendere; quia viribus nostris non possumus. Ipse dixit Dominus noster Jesus Christus, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III, 13). Tanquam de se solo videtur dixisse. Ergo cæteri remanserunt, quia solus ascendit, qui solus descendit? Quid debent facere cæteri? Uniri corpori ipsius, ut sit unus Christus, qui descendit et ascendit. Descendit caput, ascendit cum corpore; vestitus Ecclesiam suam, quam sibi exhibuit sine macula et ruga (*Ephes.* v, 27). Solus ergo ascendit. Sed et nos quando cum illo sic sumus, ut in illo membra ejus simus; et nobiscum solus est, et ideo unus, et semper unus. Unitas nos compaginat uni: et illi soli cum illo non ascendunt, qui cum illo unus esse noluerint [1]. Jam vero quoniam ipse qui in cœlo positus est, et carne suscitata [2] immortalis, per quam fuit ad tempus mortalis, et nihil in cœlo persecutionum patiens, nihil malitiarum et opprobriorum, sicut in hac terra quando pro nobis omnia sustinere dignatus est; compassus tamen corpori suo in terra laboranti, dixit, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? jam ipsum nemo tangebat, et se pati persecutionem de cœlo clamabat: non præter spem esse debemus, imo cum magna fiducia præsumere, quia si per charitatem ipse nobiscum in terra est, per eamdem charitatem et nos cum eo in cœlo sumus. Sed diximus quemadmodum nobiscum ipse in terra sit; vocem ejus diximus de cœlo sonantis, *Saule, Saule, quid me persequeris?* cum eum Saulus omnino non tangeret, sed nec videret: quomodo autem ostenditur quia et nos cum illo in cœlo sumus? Eodem ipso Paulo apostolo dicente: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III, 1-3). Ergo et ille adhuc deorsum est, et nos jam sursum sumus: ille deorsum est compassione charitatis, nos sursum sumus spe charitatis. *Spe enim salvi facti sumus* (*Rom.* VIII, 24). Sed quia spes nostra certa est; quamvis futurum sit, sic de nobis dicitur, quasi jam factum sit.

2. [*vers.* 1.] Ascendat ergo iste cantator; sed de unoquoque corde vestrum [3] cantet hic homo, et unusquisque sit iste homo. Cum enim dicitis illud singuli, quia omnes unum estis in Christo, unus homo illud dicit: et non, Ad te, Domine, levavimus oculos nostros; sed, *Ad te, Domine, levavi oculos meos.* Debetis quidem putare unumquemque vestrum loqui; sed unus ille maxime loquitur, qui etiam diffusus est toto orbe terrarum. Unus ille loquitur, qui alibi dicit, *A finibus terræ ad te clamavi, cum angeretur cor meum* (*Psal.* LX, 3). Quis est qui clamat a finibus terræ? quis unus homo diffusus est usque ad fines terræ?

[1] Aliquot Mss., *ipse.*
[2] Mss., *non potest quærere.*
[3] Particula, *autem,* quæ fuerat per Lov. expuncta, restituitur ex editis aliis et Mss. præsertim quia in Græco LXX exstat.

[1] Edd., *noluerunt.* At Mss., *noluerint.*
[2] Sic Am. Er. et nostri Mss. At Lov., *carne subsistit.*
[3] Sic Mss. At Lov., *sed in unoquoque nostrum cantet,* etc.

Unusquisque homo in regione sua potest clamare; numquid a finibus terræ? Sed hæreditas Christi, de qua dictum est, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8), ipsa clamat et dicit, *A finibus terræ ad te clamavi, cum angeretur cor meum*. Angatur cor nostrum, et clamemus. Unde angatur cor nostrum? Non de his quæ hic patiuntur et mali, verbi gratia, quia damnum patiuntur: nam si inde angitur cor, cinis est. Quia nescio quem tuorum ex voluntate Dei amisisti, si inde angitur cor, quid magnum? Hinc anguntur et corda infidelium; ista patiuntur et qui nondum in Christum crediderunt. Unde angitur cor christiani? Quia nondum cum Christo vivit. Unde angitur cor christiani? Quia peregrinatur et desiderat patriam. Si inde angitur cor tuum, etiamsi felix secundum sæculum fueris, gemis; et si omnia prospera confluant, et undique tibi iste mundus arrideat, tu tamen gemis, quia in peregrinatione te constitutum vides; et sentis jam quidem te habere felicitatem secundum oculos stultorum, sed nondum secundum promissionem Christi: illam quærens gemis, illam quærens desideras, et desiderando ascendis et ascendendo cantas *Canticum graduum*, et cantando *Canticum graduum*, dicis, *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo*.

3. Ascendens, quo levaturus erat oculos, nisi illuc quo tendebat, et ascendere desiderabat? De terra enim ad cœlum ascendit. Ecce terra deorsum, quam calcamus pedibus nostris; ecce etiam cœlum sursum, quod videmus oculis nostris; et ascendendo cantamus, *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo*. Ubi sunt ergo scalæ? Tanta enim intervalla conspicimus inter cœlum et terram, tanta separatio est, et tanta spatia locorum: illuc volumus ascendere, scalas non videmus: numquid forte fallimus nos, quia *Canticum graduum*, id est, canticum ascensionis cantamus? Ascendimus ad cœlum, si cogitamus Deum, qui ascensus in corde fecit. Quid est ascendere in corde? Proficere in Deum. Quomodo omnis qui deficit, non descendit, sed cadit: sic omnis qui proficit, ascendit: sed si sic proficiat, ut non superbiat; si sic ascendat, ut non cadat: si autem proficiendo superbiat, ascendendo iterum cadit. Sed ut non superbiat, quid debet facere? Levet oculos suos ad illum qui habitat in cœlo, non se attendat. Omnis enim superbus se attendit, et magnus sibi videtur qui sibi placet. Sed qui sibi placet, stulto homini placet; quia ille ipse stultus est, cum sibi placet. Solus securus placet qui Deo placet. Et quis est qui placet Deo? Cui placuerit Deus. Displicere sibi Deus non potest; placeat et tibi, ut placeas illi. Sed tibi ille placere non poterit, nisi tu tibi displicueris. Si autem displices tibi, tolle a te oculum. Utquid te enim attendis? Si enim vere te attendis, invenis in te quod tibi displiceat; et dicis Deo, *Peccatum meum ante me est semper* (*Psal.* L, 5). Peccatum tuum sit ante te, ut non sit ante Deum; et tu noli esse ante te, ut sis ante Deum. Quomodo enim volumus ut non a nobis avertat faciem Deus, sic volumus ut avertat faciem a peccatis nostris: nam utrumque illi cantatur in Psalmis. *Ne avertas faciem tuam a me* (*Psal.* XXVI, 9); vox est psalmi, vox est ergo nostra: et ille qui dicit, *Ne avertas faciem tuam a me;* vide quid dicat alio loco: *Averte faciem tuam a peccatis meis* (*Psal.* L, 11). Si vis ut avertat faciem suam a peccatis tuis, tu ipse a te averte faciem tuam, et a peccatis tuis noli avertere. Si enim non ab eis averteris faciem tuam, tu ipse irasceris peccatis tuis: si autem tu non avertis faciem tuam a peccatis tuis, tu agnoscis, et ille ignoscit.

4. At vero a te leva oculos ad illum, et dic, *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo*. Cœlum, fratres mei, si corporaliter intellexerimus hoc quod videmus oculis corporeis, vere sic errabimus, ut non putemus nos illuc ascendere, nisi scalis positis, aut aliquibus machinamentis: si autem spiritualiter ascendimus, spiritualiter cœlum intelligere debemus; si ascensus[1] in affectu, cœlum in justitia. Quod est ergo cœlum Dei? Omnes sanctæ animæ, omnes justæ animæ. Nam et Apostoli quamvis in terra essent carne, cœlum erant; quia in illis Dominus sedens, per totum mundum ambulabat. Ergo habitat in cœlo. Quomodo? Quomodo dicit in alio psalmo, *Tu autem in sancto habitas, laus Israel* (*Psal.* XXI, 4). Qui habitat in cœlo, habitat in sancto: *sancto* quid, nisi templo suo? *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I *Cor.* III, 17). Sed omnes adhuc infirmi et secundum fidem ambulantes (II *Cor.* V, 7), secundum fidem sunt templum Dei, erunt aliquando et secundum speciem templum Dei. Quamdiu sunt templum secundum fidem? Quamdiu in ipsis Christus per fidem habitat; sicut dicit Apostolus: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (*Ephes.* III, 17). Sunt autem jam cœli in quibus per speciem jam habitat Deus, videntes eum facie ad faciem; omnes sancti Angeli, omnes sanctæ Virtutes, Potestates, Sedes, Dominationes, Jerusalem illa cœlestis unde peregrinando ingemiscimus, et quam desiderando oramus: ibi habitat Deus. Illuc levavit iste fidem, illuc ascendit affectu, desiderando: et ipsum desiderium[2] facit animam desudare sordes peccatorum, et mundari ab omni labe, ut fiat et ipsa cœlum; quia levavit oculos ad eum qui habitat in cœlo. Nam si cœlum istud corporeum quod oculis videmus, intellexerimus esse habitationem Dei; transitura est habitatio Dei, quia cœlum et terra transient (*Matth.* XXIV, 35). Deinde antequam faceret Deus cœlum et terram, ubi habitabat? Sed dicit aliquis: Et antequam faceret Deus sanctos, ubi habitabat? In se habitabat Deus, apud se habitabat, et apud se est Deus. Et quando dignatur habitare in sanctis, non sic sunt sancti domus Dei, ut ipsa subtracta cadat Deus. Aliter enim nos habitamus in domo, aliter Deus in sanctis: tu habitas in domo; si subtracta fuerit, cadis; Deus autem sic habitat in sanctis, ut si ipse discesserit, cadant. Quicumque ergo sic portat Deum, ut sit templum Dei; non putet sic a se portari Deum, ut

[1] Ita Am. et Mss. At Er. et Lov., *sit ascensus*.
[2] Aliquot Mss., *ipso desiderio*: et infra quidam, *deserere sordes*.

terreat Deum, si se subducat. Væ illi si se subtraxerit Deus; quia ipse cadit: nam Deus in se semper manet. In quibus nos habitamus, ipsa nos continent; in quibus Deus habitat, ipse illos continet. Jam videte quantum interest inter nostram habitationem, et Dei: et sic dicat anima, *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo;* ut intelligat quia Deus nec cœlo indiget, ubi habitet; sed cœlum ipso indiget, ut ab ipso inhabitetur.

5. [*vers.* 2-4.] Quid ergo sequitur, quia dixit, *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo?* Quomodo levasti oculos tuos? *Ecce sicut oculi servorum in manus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ; sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, quoadusque misereatur nostri.* Et servi sumus, et ancilla sumus: ille et dominus est, et domina est. Aut[1] quid sibi volunt ista verba? et quid sibi volunt istæ similitudines rerum? Attendat aliquantum Charitas vestra. Non mirum si servi sumus, et ille dominus est; sed mirum si ancilla sumus, et ille domina est. Sed neque hoc mirum quia ancilla sumus; Ecclesia enim sumus: nec illud mirum, quia et ipse domina est; virtus enim est et sapientia Dei. Audi ergo Apostolum dicentem: « Nos autem prædicamus Christum crucifixum; Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis vero vocatis Judæis et Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam » (I *Cor.* I, 23 *et* 24). Ut jam sit servus populus, et sit ancilla Ecclesia; *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam:* utrumque audisti, *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam.* Cum ergo audis Christum, leva oculos tuos in manus Domini tui; cum audis Dei virtutem et Dei sapientiam, leva oculos tuos in manus dominæ tuæ: quia et servus et ancilla es; servus, quia populus es; ancilla, quia Ecclesia es. Ipsa autem ancilla magnam dignitatem invenit apud Deum: uxor facta est. Sed donec veniat ad amplexus illos spirituales, ubi secure perfruatur eo quem dilexit, et cui suspiravit in ista diuturna peregrinatione, sponsa est: et accepit arrham magnam, sanguinem sponsi, cui secura suspirat. Nec illi dicitur, Noli amare: quomodo dicitur aliquando virgini jam desponsatæ, et nondum nuptæ: et juste dicitur, Noli amare; cum facta fueris uxor, tunc ama: recte dicitur, quia præproperum et præposterum desiderium est, et non castum, amare eum cui nescit an nubat. Potest enim fieri ut alius sponset, et alius ducat uxorem. Quia vero nullus alius est qui Christo præponatur, secura amet ista: et antequam illi jungatur, amet, et de longinquo suspiret et de longinqua peregrinatione. Solus ducet, quia solus talem arrham dedit. Quis enim potest sic ducere, ut moriatur pro ea quam vult ducere? Si enim mori pro ea voluerit, non erit qui ducat. Securus autem ille pro sponsa mortuus est, quam resurgens erat ducturus. Verumtamen, fratres, interim simus quomodo servi et ancilla. Dictum est quidem *Non vos dicam servos, sed amicos,* (*Joan.* XV, 15): sed forte solis discipulis dixit Dominus? Audite apostolum Paulum dicentem: *Itaque jam,* inquit, *non est servus, sed filius; si autem filius, et hæres per Deum* (*Galat.* IV, 7). Populo dicebat, fidelibus dicebat. Jam ergo in nomine Domini redempti sanguine ipsius, loti lavacro ipsius, filii sumus, filius sumus; quia sic multi sumus, ut in illo unus simus. Quid ergo sibi vult, quod adhuc tanquam servi loquimur? Numquid tantum meritum habere possumus in Ecclesia, quamvis jam filii facti ex servis, quantum habuit ipse apostolus Paulus? Et tamen quid dicit in Epistola? *Paulus servus Christi Jesu* (*Rom.* I, 1). Si ille se adhuc dicit servum, per quem nobis Evangelium prædicatum est; quanto magis nos debemus agnoscere conditionem nostram, ut major sit in nobis gratia ipsius? Primo enim servos fecit, quos redemit. Sanguis enim ille pro servis pretium est, pro sponsa pignus est. Agnoscentes itaque conditionem nostram, etsi jam filii per gratiam, servi tamen propter creaturam, quia universa creatura Deo servit, dicamus: « Sicut oculi servorum in manus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ: sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, quoadusque misereatur nostri. »

6. Dixit et quare, sicut servi oculos habent in manus domini sui, et sicut ancillæ oculos habent in manus dominæ suæ; *sic,* inquit, *oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* Et quasi quæreres, Utquid? *Quoadusque,* inquit, *misereatur nostri.* Quales ergo voluit servos intelligi, fratres, qui oculos habent in manus dominorum suorum; et quales ancillas, quæ oculos habent in manus dominæ suæ, quoadusque misereatur domina earum? Qui sunt isti servi et ancillæ, qui sic habent oculos in manus dominorum suorum, nisi qui jubentur cædi? *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, quoadusque misereatur nostri.* Quomodo? *Sicut oculi servorum in manus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ.* Ergo et illi et illæ, quoadusque misereatur vel dominus vel domina. Fac ergo aliquem dominum jussisse servum cædi: vapulat servus, sentit plagarum dolores; attendit ad manus domini sui, quoadusque dicat, Parce. Manum enim, ipsam potestatem dicit. Ergo quid dicimus, fratres? Jussit nos cædi Dominus noster, et domina nostra sapientia Dei jussit nos cædi; et in hac vita vapulamus, et tota ista vita mortalis plaga nostra est. Audi vocem psalmi: *Pro iniquitate erudisti hominem; et tabescere fecisti sicut araneam animam meam* (*Psal.* XXXVIII, 12). Attendite, fratres, quam tabida est aranea, ut levi tactu conquassetur et moriatur. Et ne quasi carnem solam infirmitate mortalitatis putaremus nos habere tabidam, non dixit, Tabescere me fecisti; ne secundum carnem intelligeremus: sed ait, *Tabescere fecisti sicut araneam animam meam.* Nihil enim infirmius anima nostra posita in mediis tentationibus sæculi, in mediis gemitibus et parturitionibus molestiarum; nihil ea infirmius donec hæreat soliditati cœlesti, et sit in templo Dei[1], unde jam non cadat: quia primo ut veniret ad hanc infirmitatem et tabificationem, sicut aranea infirma facta est, et de paradiso expulsa est. Tunc jussus est ser-

[1] Lov., *at.* M.

[1] Plerique Mss., *in templum Dei.*

vus cædi. Fratres mei, videte ex quo vapulamus. In omnibus qui ab initio generis humani nati sunt, in omnibus qui nunc sunt, in omnibus qui postea nascentur, Adam vapulat. Vapulat Adam, id est, genus humanum; et multi sic obduruerunt[1], ut nec plagas suas sentiant. Qui vero ex ipso genere filii facti sunt, receperunt sensum doloris: sentiunt se vapulare, et noverunt quis jussit ut vapulent; et levaverunt oculos suos ad eum qui habitat in cœlo; et sic sunt oculi eorum in manus Domini sui, quoadusque misereatur, sicut oculi servorum in manus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manus dominæ suæ. Vides felices aliquos in isto sæculo ridentes, jactantes se; non vapulant: imo pejus vapulant; hoc ipso gravius cæduntur, quo sensum jam perdiderunt. Evigilent, et vapulent; sentiant quia vapulant, sciant quia vapulant, et doleant quia vapulant. Quoniam *qui apponit scientiam, apponit dolorem*: hoc Scriptura dixit (*Eccle.* I, 18). Ideo Dominus in Evangelio: *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* v, 5).

7. Audiamus vocem hominis qui vapulat, et sint istæ uniuscujusque nostrum voces et quando nobis bene est. Nam quis non intelligat vapulare se quando ægrotat, quando in carcere est, quando forte in catena, quando forte latrones patitur? Quando ab aliquibus improbis ei aliquæ molestiæ irrogantur, sentit vapulare se[2]. Magnus sensus est, videre quia vapulat et quando illi bene est. Non enim ait Scriptura in Job, Tentationibus abundat vita humana; sed ait, *Numquid non tentatio est vita humana super terram* (*Job* VII, 1)? Totam ipsam vitam tentationem dixit. Omnis ergo vita tua super terram, plagæ tuæ sunt. Plange quamdiu vivis in terra: sive feliciter vivas, sive in aliqua tribulatione constitutus sis, clama, *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo*. Ad manus Domini, qui te jussit cædi, cui dicis in alio psalmo, *Propter iniquitatem erudisti hominem; et tabescere fecisti sicut araneam animam meam;* clama ad manus cædentis, et dic, *Miserere nostri, Domine, miserere nostri*. Nonne sunt istæ voces vapulantis: *Miserere nostri, Domine, miserere nostri?*

8. *Quoniam multum repleti sumus despectione. In plurimum repleta est anima nostra; opprobrium eis qui abundant, et despectio superbis*. Qui despicitur, contemnitur. Omnes qui secundum Christum pie volunt vivere, necesse est patiantur opprobria, necesse est contemnantur (II *Tim.* III, 12) ab his qui nolunt pie vivere, quorum felicitas tota terrena est. Irridentur illi qui felicitatem vocant quam oculis videre non possunt, et dicitur eis: Quid credis, insane? Vides quod credis? Reversus est aliquis ab inferis, et retulit tibi quid ibi agitur? Ecce ego quod amo video, et fruor[1]. Despiceris, quia speras quod non vides; et despicit te ille, qui quasi tenet quod videt. Attende si ipse tenet: noli turbari; vide si ipse tenet, et non tibi insultet; ne cum putas eum felicem in præsenti, amittas veram felicitatem futuram: noli turbari; attende si tenet. Labitur hoc ab illo quod tenet, vel ipse ab eo quod tenet; necesse est transeat aut ipse per res suas, aut res ipsius per illum. Per quem res transeunt suæ? Qui vivus labefactus erit[2]. Quis transit per res suas? Qui in divitiis moritur; quia cum moritur, non eas secum aufert ad inferos. Domum meam habeo, jactavit se. Quæris, Quam domum tuam? Quam mihi dimisit pater meus. Et ille unde habuit hanc domum? Avus noster illi eam dimisit. Recurre et ad proavum, inde ad atavum, et jam nomina non potest[3] dicere. Non inde potius terreris, quia multos attendis transisse per illam domum, et neminem ipsorum secum illam tulisse ad æternam domum? Pater tuus hic eam dimisit; transiit per illam: sic et tu transibis. Si ergo transitum habetis in domo vestra, stabulum est transeuntium[4], non habitatio commanentium. Et tamen quia nos ea quæ futura sunt speramus, et in futuram felicitatem suspiramus, et nondum apparuit quod erimus, quamvis jam filii Dei simus (I *Joan.* III, 2); quia vita nostra abscondita est cum Christo in Deo: *repleti sumus despectione*, id est contemptu, ab his qui felicitatem quærunt vel habent in isto sæculo.

9. *In plurimum repleta est anima nostra; opprobrium eis qui abundant; et despectio superbis*. Quærebamus qui sunt *qui abundant;* exposuit tibi cum dixit, *superbis*. Quod est autem, *opprobrium;* hoc est, *despectus:* et quod est, *qui abundant;* hoc est, *superbis*. Repetitio sententiæ est, *opprobrium eis qui abundant, et despectio superbis*. Quare abundant superbi? Quia hic volunt esse felices. Quid? quando et ipsi miseri sunt, numquid abundant? Sed forte quando miseri sunt, non nobis insultant. Intendat Charitas vestra. Tunc insultant forte quando felices sunt, quando se jactant in pompa divitiarum suarum, quando se jactant in ventositate falsorum honorum; tunc insultant nobis, et quasi dicunt: Ecce mihi bene est, fruor ego rebus præsentibus, recedant a me qui promittunt quod non ostendunt; quod video teneo, quod video fruor; bene mihi sit in hac vita. Tu securior esto; quia resurrexit Christus, et docuit te quid in alia vita daturus sit: certus esto quia dat. Sed insultat ille, quia tenet. Ferto insultantem, et ridebis gementem: postea enim veniet tempus quando dicturi sunt illi ipsi, *Hi sunt quos aliquando habuimus in risum*. Verba sunt libri Sapientiæ; quia prodidit nobis Scriptura quæ dicturi sunt illi ipsi qui nos modo irrident, et qui nos despiciunt, et a quibus impleti sumus opprobrio et despectione: quæ verba habebunt tunc, quando a veritate

[1] Am. Er. et plures Mss., *obduraverunt*.
[2] In editionibus aliquot Parisiensibus, post, *sentit vapulare se*, additur: « Magnus inimicorum Christi metus, sed quasi « fumus eorum terror evanescit. Nam quis dubitet nuperrime, sicut audivimus a fratribus, qui interfuerunt, co« episcopis nostris, damnatum illum Boeticum inimicum, « contra Dominum latrantem, digne flagellatum fuisse? « Flagellum autem Domini non cognovit, quando damnatio« nem magis quam concordiam elegit. » Quæ verba absunt ab editis Am. Er. Lov. et a Mss.

[1] Sic Er. Lugd. Venet. Lov. In B. deest, *et*. M.
[2] Sic plures Mss. Alii cum Am. et Er., *labefactaverit*. Lov., *labefactus ierit*.
[3] Er.: *Recurret... potes*. Lugd. Venet.: *Recurret... potest*. Lov.: *Recurre... potes*. M.
[4] Edd., *itinerantium*. At Mss., *transeuntium*.

despicientur. Videbunt enim ad dexteram fulgere quos secum commixtos contempserant, cum factum fuerit in illis quod dixit Apostolus, *Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cum illo apparebitis in gloria* (*Coloss.* III, 3, 4); et dicent: *Hi sunt quos aliquando habuimus in risum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore: quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est?* Et sequentur in eo sermone, et adjicient: *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non ortus est nobis. Quid nobis profuit superbia? et divitiarum jactatio quid contulit nobis* (*Sap.* V, 3-8)? Ibi tu non eis insultas, quia jam ipsi sibi insultant. Quod donec fiat, fratres, levemus oculos ad eum qui habitat in cœlo; et non ab illo tollamus oculos, quoadusque misereatur nostri, et liberet ab omni tentatione et opprobrio et despectu.

10. Huc accedit quod aliquando et ipsi qui sunt in flagello infelicitatis temporalis, insultant nobis. Invenis aliquem pro merito iniquitatum suarum, sive occulto judicio Dei, sive manifesta damnatione, mitti in carcerem, portare catenam: et ipse insultat. Et cum ei dictum fuerit, Quare non bene vixisti? ecce quo venisti male vivendo: ille respondet, Quare illi qui bene vivunt, ista patiuntur? Sed illi propterea patiuntur, ut probentur, ut tentationibus exerceantur, ut flagellis proficiant; quia flagellat Deus omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 6). Et si Unicum sine peccato flagellavit, et pro omnibus tradidit eum (*Rom.* VIII, 32), quomodo debemus nos flagellari, qui fecimus quare flagellamur? Cum ista dixerimus, illi et de infelicitate superbiunt adhuc, et afflicti, nondum humiliati, respondent, et dicunt: Ista sunt verba Christianorum vanorum, qui credunt quod non vident. Si et [1] ipsi insultant, quid putamus, fratres, quasi non eos commemoratos in hoc psalmo, cum diceret, *Opprobrium eis qui abundant, et despectio superbis*: quandoquidem insultatur Christianis et ab eis qui non abundant; sed cum sint in egestate et ærumnis, nec ipsi cessant insultare? Certe ergo, *Opprobrium eis qui abundant*: an forte nullus invenitur qui etiam positus in calamitate insultet? Si non insultavit latro, qui cum crucifixo Domino crucifixus erat (*Luc.* XXIII, 39)? Ergo si insultant et illi qui non abundant, quare psalmus ait, *Opprobrium eis qui abundant?* Si diligenter discutiamus, et ipsi abundant. Unde abundant? Nam nisi abundarent, superbi non essent. Alius enim abundat pecunia, et inde superbus est; alius abundat honoribus, et inde superbus est; alius abundare se justitia putat, et inde superbit, quod pejus est. Qui videntur non abundare pecunia, justitia sibi videntur abundare adversus Deum; et positi in calamitatibus se justificant, Deum accusant, et dicunt: Quid admisi, aut quid feci? Et tu dicis: Respice, recordare peccata tua, si nihil fecisti. Titillatur aliquantum conscientia, et redit ad se, et cogitat facta sua mala; et cum cogitaverit facta sua mala, nec sic vult confiteri quia digna patitur: sed dicit, Ecce manifeste feci multa; sed multos video pejora fecisse, et nihil mali pati. Justus est contra Deum. Abundat ergo et ipse, plenum habet pectus justitia; quandoquidem illi Deus videtur malefacere, et ipse sibi videtur injuste pati. Et si dares illi navim gubernandam, in naufragium iret cum illa: vult autem Deum excutere de gubernatione hujus mundi, et ipse tenere gubernacula creaturæ, et distribuere omnibus dolores et lætitias, pœnas et præmia. Infelix anima! et quid miramini [1]? abundat, sed abundat nequitia, abundat malitia; et eo plus abundat nequitia, quo sibi videtur abundare justitia.

11. At vero christianus homo non debet abundare, sed pauperem se debet cognoscere; et si habet divitias, scire debet quia non sunt illæ veræ divitiæ, ut alias desideret. Qui enim divitias falsas desiderat, veras non quærit: qui autem veras quærit, adhuc pauper est; et recte dicit, *Pauper et dolens ego sum* (*Psal.* LXVIII, 30). Rursus ille qui et pauper est, et nequitia plenus est, unde dicitur abundare? Quia displicet illi quia pauper est, et justitia ipsa videtur abundare in corde suo adversum justitiam Dei. Et quæ abundantia justitiæ nostræ? Quantacumque justitia in nobis fuerit, ros est nescio quis ad illum fontem; ad saginam illam tantam stillicidia quædam sunt, quæ vitam nostram molliant, et duram iniquitatem solvant. Modo desideremus de pleno fonte justitiæ saginari, desideremus ubertate illa satiari, de qua dicitur in psalmo: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* XXXV, 9). Hic autem cum sumus, inopes nos esse intelligamus et egentes, non solum harum divitiarum quæ non sunt veræ divitiæ, sed et ipsius salutis. Et quando sani sumus, intelligamus quia infirmamur. Quamdiu enim corpus hoc esurit et sitit, quamdiu hoc corpus vigilando fatigatur, stando fatigatur, ambulando fatigatur, sedendo fatigatur, manducando fatigatur; quocumque se verterit ad subsidium fatigationis, ibi invenit aliam fatigationem: non est ergo perfecta sanitas, nec in ipso corpore. Non sunt ergo illæ divitiæ, sed mendicitas: quia quanto magis abundant, tanto crescit inopia et avaritia. Non est ista salus corporis, sed infirmitas. Paregorizamur [2] quotidie medicamentis Dei, quia manducamus et bibimus: medicamenta ipsa sunt, quæ nobis apponuntur. Fratres, si vultis videre qualis morbus nos habeat; qui jejunat septem diebus, fame consumitur. Ergo illa fames ibi est; sed ideo illam non sentis, quia quotidie illam curas: ergo nec ipsa sanitas nobis est perfecta.

12. Intendat Charitas vestra quomodo nos intelli-

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov., *sed et*. M.

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov.: *Et quid miramini? Infelix anima abundat, sed*, etc. M.

[2] Edd., *paragorizamur*. Mss. plures, *panegorizamur*: alii vero, *paregorizamur*: ad quod verbum in Christinæano Ms. additur, *id est mulcemur*. Nempe a *parêgorein*, quod est, *consolari*, duxerunt medici, *paregorizare*, pro, *mitigare, lenire et temperare*. Anonymus medicus a V. C. Cangio in Glossario relatus, « Paregorica, » ait, « sunt, quæ paregorizant ne malum crescat, non sanant. »

gamus inopes, ut gaudeamus ad eum, et levemus oculos ad eum qui habitat in cœlo. Non sunt illæ veræ divitiæ; plus augent cupiditatem eis qui eas possident. Non est illa vera corporis sanitas; quia portatur infirmitas ubique defectiva : quocumque se verterit, deficit. In ipso adjutorio non invenies firmamentum : lassatur stando; sedere vult; numquid vel sedendo durabit? Quod sibi elegit ut non fatigaretur, ibi habet deficere. Lassatus est vigilando, dormiturus est : numquid quia dormivit, non deficit? Lassatus est jejunando, refecturus est : si plus refecerit, inde deficit. In nulla re potest perseverare ista infirmitas. Justitia quid? Quanta justitia est inter tantas tentationes? Possumus continere ab homicidio, ab adulterio, a furtis, a perjuriis, a fraudibus : numquid ab iniquis cogitationibus? numquid et a suggestionibus malarum cupiditatum? Quæ est ergo justitia nostra? Totum ergo esuriamus, totum sitiamus, et veras divitias, et veram sanitatem, et veram justitiam. Quæ sunt veræ divitiæ? Cœlestis illa mansio in Jerusalem. Quis enim dicitur dives in hac terra? Quando laudatur dives, quid dicitur? Multum dives est; nihil illi deest. Laus certa laudantis illa est : nam ista non est, cum dicitur, Nihil illi deest. Attende si nihil deest. Si nihil cupit, nihil illi deest : si autem adhuc cupit majora, quam quæ habet, ad hoc accesserunt divitiæ, ut egestas cresceret. In illa vero civitate veræ erunt divitiæ, quia ibi nihil nobis deerit; quia nec indigebimus aliqua re, et vera sanitas erit. Quæ est vera sanitas? Cum absorpta fuerit mors in victoriam, et cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (I *Cor.* xv, 53, 54); tunc erit vera sanitas, tunc erit vera et perfecta justitia, ut nihil mali non solum facere, sed nec cogitare possimus. Modo autem inopes, pauperes, egentes, dolentes suspiramus, gemimus, oramus, levamus oculos ad Deum : quoniam et illi qui felices sunt in hoc mundo, despiciunt nos; abundant enim : et illi qui infelices sunt in hoc sæculo, despiciunt; quia et ipsi abundant, et justitia est in corde ipsorum, sed falsa. Ideo non perveniunt ad veram, quia repleti sunt falsa. Tu autem ut pervenias ad veram, esto egens et mendicus ipsius justitiæ; et audi Evangelium : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* v, 6).

IN PSALMUM CXXIII
ENARRATIO.

SERMO AD POPULUM.

1. [*vers.* 1-5.] Bene jam nostis, fratres charissimi, canticum graduum esse canticum ascensionis nostræ, eamdemque ascensionem non corporis pedibus fieri, sed cordis affectibus. Hoc sæpissime insinuavimus vobis; nec eadem sæpius repetenda sunt, ut sit locus dicendi quæ nondum dicta sunt. Et iste ergo psalmus, quem nunc vobis cantatum audistis, *Canticum graduum* superscribitur. Ipse est titulus ejus. Cantant[1] ergo ascendentes : et aliquando tanquam unus cantat, aliquando tanquam multi; quia et multi unus, quia et unus Christus, et in Christo membra Christi cum Christo unum faciunt, et horum omnium membrorum caput in cœlo est. Corpus autem etiamsi laborat in terra, non est præcisum a capite suo. Desuper enim caput prospicit, et consulit corpori. Nam si non consuleret, non diceret illi persecutori adhuc Saulo, nondum Paulo : *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Et hæc optime nostis, et usitata sunt vobis. Non autem cum fastidio commemorentur eis quibus non exciderunt, ut per eorum patientiam redeant in cor etiam eorum quibus exciderant; salubria sunt enim, et sæpius dicenda. Sive ergo unus cantet, sive multi cantent; et multi homines unus homo est, quia unitas est; et Christus, sicut diximus, unus est, et omnes Christiani membra sunt Christi.

2. Quid ergo isti cantant? hæc membra Christi quid cantant? Amant enim, et amando cantant, desiderando cantant. Aliquando cum tribulatione cantant, et aliquando exsultando cantant, cum in spe cantant. Tribulatio enim nostra in præsenti sæculo, spes vero nostra de futuro sæculo : et nisi in tribulatione præsentis sæculi consoletur nos spes futuri sæculi, perimus. Gaudium ergo nostrum, fratres, nondum est in re, sed jam in spe. Spes autem nostra tam certa est, quasi jam res perfecta sit : neque enim timemus promittente Veritate. Veritas enim nec falli potest, nec fallere : bonum est ut hæreamus illi; illa nos liberat, sed si manserimus in verbo ejus. Modo enim credimus, tunc videbimus : cum credimus, spes est in isto sæculo; cum videbimus, res erit in futuro sæculo. Videbimus autem facie ad faciem (I *Cor.* XIII, 12) : tunc autem videbimus facie ad faciem, cum habuerimus corda mundata. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v, 8). Unde autem corda mundantur, nisi per fidem, sicut Petrus ait in Actibus Apostolorum : *Mundans fide corda eorum* (*Act.* xv, 9) Mundantur autem corda nostra per fidem, ut possint esse idonea capere speciem. Ambulamus enim nunc per fidem, nondum per speciem; sicut Apostolus dicit, *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* Et quid est, *peregrinamur? Per fidem enim ambulamus,* inquit, *non per speciem* (II *Cor.* v, 6, 7). Qui ergo peregrinatur, et per fidem ambulat, nondum est in patria, sed jam est in via; qui autem non credit, nec in patria est, nec in via. Sic ergo ambulemus, tanquam in via simus; quia ipse Rex patriæ factus est via. Rex patriæ nostræ, Dominus Jesus Christus; et ibi veritas, hic autem via. Quo imus? Ad veritatem. Qua imus? Per fidem. Quo imus? Ad Christum. Qua imus? Per Christum. Ipse enim dixit : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). Dixerat autem aliquando credentibus in se : *Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis; et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (*Id.* VIII, 31 *et* 32). *Et cognoscetis,* inquit, *veritatem,* sed *si manseritis in verbo meo.* In quo verbo? Sicut dicit Apostolus, *Hoc est verbum fidei quod prædicamus* (*Rom.* x, 8). Primo ergo verbum fidei est; in quo

[1] Lov., *cantate* : dissentientibus Edd. aliis et Mss.

verbo fidei si manserimus, cognoscemus veritatem, et veritas liberabit nos. Veritas immortalis est, veritas incommutabilis est : veritas illud Verbum est de quo dicitur, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Et quis hoc videt, nisi corde mundato? Unde mundantur corda? *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 14). Quod ergo manet Verbum in se, veritas est ad quam venimus, et quæ nos liberat : quod autem prædicatur verbum fidei, in quo nos vult Dominus permanere, ut cognoscamus veritatem; hoc est, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Credis [1] in Christum natum in carne, et pervenies ad Christum natum de Deo, Deum apud Deum.

3. Exsultantes cantant isti quos [2] legimus; membra ista Christi exsultantia cantant psalmum istum. Et quis hic exsultat, nisi in spe, sicut dixi? Et nobis certa sit ipsa spes, et exsultando cantemus [3]. Non enim qui cantant alieni sunt a nobis, aut non in hoc psalmo vox nostra est. Sic audite, tanquam vos ipsos audiatis; sic audite, tanquam in speculo Scripturarum vos ipsos attendatis. Cum enim tanquam speculum attendis Scripturas, exhilaratur facies tua : cum similem te invenies exsultatione spei, membris quibusdam Christi, quæ membra ista cantarunt; eris et tu in ipsis membris, et cantabis ista. Cur ergo isti cantant ista exsultando? Quia evaserunt. Ergo spes est in qua cantant. Cum enim hic sumus et peregrinamur, nondum evasimus. Præcesserunt quidem membra quædam de corpore illo de quo et nos sumus, quæ possunt in veritate cantare. Et hoc cantarunt martyres sancti : jam enim evaserunt, et in exsultatione cum Christo sunt, recepturi corpora jam incorrupta, eadem ipsa quæ primo erant corruptibilia, in quibus passi sunt pœnas; inde illis fient ornamenta justitiæ. Ergo, sive illi jam in re, sive nos in spe conjungentes affectum coronis eorum, et desiderantes talem vitam qualem hic non habemus, sed habere non poterimus nisi eam hic desideraverimus, cantemus simul omnes, et dicamus : *Nisi quia Dominus erat in nobis.* Respexerunt enim quasdam tribulationes quas passi sunt, et consideraverunt in eo jam loco et in beatitudine et in securitate constituti, qua transierint, quo venerint; et quia difficile erat inde liberari, nisi adesset manus liberantis; in gaudio dixerunt, *Nisi quia Dominus erat in nobis.* Sic cœperunt cantare : nondum dixerunt unde evaserint; tanta exsultatio est : *Nisi quia Dominus erat in nobis.*

4. *Dicat nunc Israel : Nisi quia Dominus erat in nobis.* Nunc dicat, quia jam evasit. Evadentes enim, id est, eos, qui jam evaserunt, constituit intuendos psalmus iste. Constituamus illos et nos in corde jam triumphantes; et tanquam ibi et nos simus, sicut in superiore psalmo dictum est, *Stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem* (*Psal.* CXXI, 2). Nondum ibi erant, sed in via erant : tanta autem lætitia erat festinantium, et tanta perveniendi spes, ut adhuc in via positi et laborantes, jam sibi illic constituti viderentur. Sic et nunc ponamus nos in illo triumpho qui erit in futuro sæculo, quando insultabimus morti jam finitæ, jam consumptæ; quando dicemus, *Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus* (I *Cor.* XV, 55)? jam conjuncti Angelis, et exsultantes cum Rege nostro, qui primus resurgere voluit, quamvis prior mori noluerit. Multi enim ante illum mortui sunt, sed nemo ante illum resurrexit in æternum. Exsultantes autem cum illo, etiam ibi spe et corde constituti, quia evasimus, cogitemus quid evasimus, quæ scandala, quas tribulationes mundi, quas persecutiones omnium Paganorum, quos dolos omnium hæreticorum, quas suggestiones diaboli, quas cupiditatum conflictationes. Omnia ista quis evaderet, *nisi quia Dominus erat in nobis? Dicat nunc Israel;* securus enim dicit Israel, *Nisi quia Dominus erat in nobis.* Quando? *Cum insurgerent homines super nos.* Noli ergo mirari : victi sunt; homines enim erant : Dominus autem erat in nobis, non homo erat in nobis; homines autem insurrexerunt super nos. Sed tamen opprimerent homines alios homines, nisi in his hominibus qui non potuerunt opprimi, non homo esset, sed Dominus.

5. Ergo, *Nisi quia Dominus erat in nobis, cum insurgerent homines super nos.* Quid enim facerent vobis homines, exsultantibus et cantantibus, et secure tenentibus [1] beatitudinem sempiternam? quid vobis facerent homines insurgentes in vos, nisi Dominus esset in vobis? quid facerent? *Forsitan vivos absorbuissent nos. Vivos absorbuissent;* non prius occidissent, et sic absorbuissent. O immanes! o crudeles! Non sic absorbet Ecclesia : Petro, *Macta et manduca* (*Act.* X, 13), dictum est; non, Vivos absorbe. Quomodo ergo Petrus, id est Ecclesia, mactat, et sic manducat? et quomodo isti qui exsurrexerunt super nos, *forsitan vivos absorbuissent nos, nisi quia Dominus erat in nobis?* Quia in Ecclesiæ corpus nemo intrat, nisi prius occisus. Moritur quod fuit, ut sit quod non fuit. Alioquin, qui non occiditur et non manducatur ab Ecclesia, esse in numero populi potest, qui videtur oculis humanis; in numero autem populi qui cognitus Deo est, de quo dicit Apostolus, *Novit Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19); non potest esse nisi manducatus, nec manducari poterit, nisi primo mactatus. Venit paganus, adhuc in illo idololatria vivit; inserendus est membris Christi : ut inseratur, necesse est manducetur; sed non potest manducari ab Ecclesia, nisi primo mactatus. Renuntiet sæculo, tunc mactatur; credat in Deum, tunc manducatur. Quomodo ergo illi *vivos absorbuissent nos, nisi quia Dominus erat in nobis?* Surrexerunt enim multi persecutores aliquando, et nunc non desunt. Singillatim insurgunt, et aliquando vivos absorbent, sed in quibus non est Dominus. Ideo ante omnia illi dixerunt, *Nisi quia Dominus erat in nobis;* quia multi absorbentur, in quibus non est Dominus. Illi sunt qui vivi absorbentur, qui sciunt malum esse, et

[1] Lov., *crede.* Cæteri autem libri, *credis.*
[2] Er. Lugd. Ven. Lov., *psalmos quos.* M.
[3] Sic plerique Mss. At Edd.: *Et ut nobis certa sit ipsa spes, exsultando cantemus.*

[1] Plerique Mss.: *Exsultatis, et cantatis, et securi tenetis.*

lingua consentiunt. Surrexerunt enim quidam persecutores, et dixerunt hominibus : Thurificate ; si non feceritis, occidimus vos. Illi amaverunt hanc vitam, et dulcedo vitæ hujus tenuit eos. Non plus dilexerunt ea quæ promisit Deus, quam ea quæ videbant in terra. Illa enim credere jubebantur [1], quæ nondum videbant, ista quæ amabant videbant. Plus retinentes ea quæ videbant, excluserunt de cordibus Dominum ; et quia non erat in eis Dominus, vivi absorpti sunt. Quid est, vivi absorpti sunt? Thurificando idolis, scientes quia nihil est idolum. Nam si aliquid putarent esse idolum, mortui absorberentur:cum autem putant nihil esse idolum, et noverunt omnia illa Gentilium vana esse,vivunt; et tamen cum faciunt quod volunt persecutores, vivi absorbentur. Sed ideo vivi absorbentur, quia non in eis est Dominus. In quibus autem inest Dominus, occiduntur et non moriuntur. Qui autem consentiunt et vivunt, vivi absorbentur, absorpti moriuntur. Isti autem qui passi sunt, et non cesserunt tribulationibus, exsultant et dicunt, *Dicat nunc Israel;* dicat exsultans, dicat securus, *Nisi quia Dominus erat in nobis, cum insurgerent homines super nos, forsitan vivos absorbuissent nos.*

6. *Cum irasceretur furor eorum super nos.* Nostis, fratres, in aliquo de superioribus psalmis, in ipso initio canticorum graduum contra linguam subdolam petisse auxilium quemdam, qui cœpit ascendere ; et dixisse, *Domine, erue animam meam a labiis injustis, et a lingua dolosa.* Primo enim cum cœperit homo ascendere et proficere, in ipso exordio ascensionis, linguas dolosas patitur, blandas ad perniciem, blandas ad malam suasionem : Quid facis? quare hoc facis? Aliter enim vivi non potest? serviri aliter Deo non potest [2]? Tu solus es qui vis hoc esse quod alii non sunt! Et si inveneris alios qui tecum sunt, illa blanda et dolosa lingua quid dicit? Ecce illi potuerunt; forte tu non poteris. Aggrederis [3]; deficies : et melius erat non incipere, quam cœpisse et defecisse. Lingua dolosa adhuc blanditur. Si perseveraveris, vincitur lingua dolosa et blandiens, incipit esse aperte sæviens; et quæ blandiebatur ut seduceret, minatur ut terreat. Sed si Dominus est in te, et non reliqueris de corde tuo Christum ; quomodo per sagittas acutas et carbones desolatorios vicisti linguas dolosas (*Psal.* CXIX, 2-4), id est, per verba Dei quibus transfixum erat cor tuum, et per exempla justorum qui de mortuis vivificati sunt, de peccatoribus facti sunt justi, quomodo carbones de morte revivescunt : quomodo ergo illos vicisti sagittis et carbonibus desolatoriis, dolose blandientes et blandiendo seducentes; sic istos vinces jam irascendo comminantes, quia blandiendo seducere nequiverunt. Victi sunt cum blandirentur, vincantur et cum minantur. Sed vincuntur, quomodo, *nisi quia Dominus erat in nobis?* Manifestum est quia non vicisti tu, sed vicit ille qui est in te. Imperatorem talem portas, et vinceris? Nonne ille est quem portas, qui dixit, *Ego vici sæculum* (*Joan.* XVI, 33)? nonne prior moriens vicit diabolum, cum semper esset super omnem creaturam, quia Verbum Deus est apud Deum? Quare vicit, nisi ut te doceret cum diabolo dimicare? Et tamen jam doctus, nisi in te sit ille qui prior tibi vicit, vinceris. *Nisi quia Dominus erat in nobis, dum insurgerent homines super nos, forsitan vivos absorbuissent nos. Dum irasceretur furor ipsorum super nos:* jam irascuntur, jam aperte sæviunt : *forsitan aqua demersisset nos.* Aquam dicit populos peccatores; et videbimus qualem aquam in consequentibus. Quicumque autem consensisset illis, aqua illum operuisset. Moreretur enim morte Ægyptiorum, non transiret exemplo Israelitarum. Nostis enim, fratres, quia per aquam populus Israelitarum transiit, et ipsa aqua populus Ægyptiorum coopertus est (*Exod.* XIV, 22-29). *Aqua,* inquit, *demersisset nos.*

7. Sed qualis est ista aqua? Torrens est, fluit cum impetu, sed transitura est. Torrentes enim dicuntur fluvii qui repentinis imbribus crescunt : magnum habent impetum; quisquis incurrerit trahitur, sed in quo Dominus non est ; in quo autem Dominus est, transit torrentem anima ipsius. Adhuc fluit torrens, sed jam transiit anima martyrum. Adhuc quamdiu sæculum hoc nascendo et moriendo currit, torrens est : hinc persecutiones, de isto torrente. Hinc bibit ille primus caput nostrum, de quo dictum est in psalmo : *De torrente in via bibit.* De torrente, aqua illa quæ significat populum persecutorem, inde bibit ille qui dixit discipulis : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum* (*Matth.* XX, 22)? *De torrente in via bibit.* Quid est, *in via bibit?* Transiens bibit, non hæsit. In via bibit; quia de illo forte dictum est, *Et in via peccatorum non stetit* (*Psal.* I, 1). Transiens bibit. Et quid inde dictum est? *Propterea exaltabit caput* (*Psal.* CIX, 9). *De torrente,* inquit, *in via bibit, propterea exaltabit caput.* Exaltatum est enim jam caput nostrum, quia de torrente in via bibit ; passus est enim Dominus noster. Si ergo jam exaltatum est caput nostrum, quid timet corpus torrentem? Sine dubio, quia caput exaltatum est, et corpus dicet postea, *Torrentem pertransiit anima nostra: fortasse pertransiit anima nostra aquam sine substantia.* Ecce qualem aquam dicebat, *Forsitan aqua demersisset nos.* Qualis autem aqua est sine substantia? Quid est, *sine substantia?*

8. Primo quid est, *Forsitan pertransiit anima nostra?* Quomodo potuerunt enim, Latini expresserunt quod Græci dicunt ἄρα. Sic enim græca habent exemplaria, ἄρα : quia dubitantis verbum est, expressum est quidem dubitationis verbo, quod est *fortasse;* sed non omnino hoc est. Possumus illud verbo dicere minus quidem latine conjuncto, sed apto ad intelligentias vestras. Quod Punici dicunt, *iar,* non lignum, sed quando dubitant ; hoc Græci, ἄρα : hoc Latini possunt vel solent dicere, Putas, cum ita loquuntur : Putas, evasi hoc? Si ergo dicatur, Forsitan evasi, videtis quia non hoc sonat : sed quod dixi, Putas, usitate dicitur; latine non ita dicitur. Et potui illud dicere, cum tracta-

[1] Aliquot Mss., *videbantur.*
[2] Er. Lugd. Ven. Lov., *aliter enim vivere non potes? servire aliter Deo non potes?* M.
[3] Er. Lugd. Ven., *si aggrederis.* Lov., *si aggredieris.* M.

vobis; sæpe enim et verba non latina dico, ut vos intelligatis. In Scriptura autem non potuit hoc poni, quod latinum non esset; et deficiente latinitate, positum est pro eo, quod non hoc sonaret. Sic tamen intelligite dici: Putas, *pertransiit anima nostra aquam sine substantia?* Et quare dicunt, Putas? Quia magnitudo periculi vix facit credibile quod evasit. Magnam necem pertulerunt, in magnis discriminibus fuerunt; omnino sic pressi sunt, ut pene vivi consentirent, ut pene vivi absorberentur: jam ergo evadentes, jam securi, sed ipsius periculi magnitudinem recordantes, Putas, inquiunt, *pertransiit anima nostra aquam sine substantia?*

9. Quæ est aqua sine substantia, nisi aqua peccatorum sine substantia? Peccata enim non habent substantiam: inopiam habent, non substantiam; egestatem habent, non substantiam. In ista aqua sine substantia, perdidit ille minor filius totam substantiam suam. Nostis enim quia minor filius peregrinatus est, et dixit patri: *Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.* Quid tibi vis? Melius apud patrem servatur; tua est: dilapidare illam vis; proficisci vis longius. *Da mihi; sed da mihi.* Dedit illi. Profectus in regionem longinquam vivens prodige cum meretricibus, perdidit totam substantiam: egens remansit, porcos pavit; in egestate sua patris divitias recordatur (*Luc.* XV, 12-17). Nisi eum egestas pulsasset, illam satietatem non desideraret. Considerent ergo omnes peccata sua, videant si habent substantiam ipsa peccata. Propter quid irritavit Deum peccator (*Psal.* IX, 13)? Si non vides peccatum tuum antequam facias, vel jam cum fecisti considera. Dulcedo hujus sæculi ad tempus fauces indulcat; in magnam amaritudinem postea convertetur. Ecce peccasti, et lucrum fecisti: quid est, quod fecisti lucrum? Ut lucrum faceres, Deum offendisti, ut augeres pecuniam, fides deminuta est, et aurum crevit. Quid perdidisti, et quid acquisisti? Quod acquisisti, aurum vocatur, quod perdidisti, fides vocatur: compara fidem auro; si venalis esset in nundinis fides, haberet pretium? Lucra tua cogitas, damna tua non cogitas? De arca gaudes, de corde non plangis? Abundat nescio quid in arca tua; sed vide quid imminutum sit in corde tuo. Cum aperueris arcam, invenies solidos qui non erant: bene, quia gaudes esse ibi quod ibi non erat. Attende arcam cordis; erat ibi fides, et non est. Si hac gaudes, quare hac non plangis? Plus perdidisti quam acquisisti. Vis videre quid perdideris? Nec naufragio tibi posset auferri. Nam aliquando perdunt omnia in mari, nudi exeunt. Multi naufragaverunt cum Paulo (*Act.* XXVII, 41): amatores hujus sæculi passi sunt naufragium, et nudi omnes exierunt; illi et quod foris habebant amiserunt, et domum cordis sui invenerunt inanem: Paulus autem in corde ferebat patrimonium fidei suæ; nullis fluctibus, nullis tempestatibus potuit auferri; nudus exiit, et dives exiit. Tales divitias quærere debemus. Sed non eas video, dicis mihi. Stulta anima, non eas vides oculis carnis tuæ; habeto oculum cordis, et vides eas. Sed non vides fidem. Quare illam vides in altero? Quare clamas quando tibi frangitur, si non eam vides? Frangat tibi aliquis fidem; clamas. Vis ergo tibi exhiberi, et tunc vides; cum petitur, ut exhibeas, tunc non vides? Quod clamas alium non habere erga te, plange te non habere erga alium. Et vide quia peccatum quod facis, sine substantia est. Quod enim acquiritur de peccato, videtur esse substantia. Sed et hoc non acquiritur. Ille enim habet aurum, qui novit uti auro: qui autem auro uti non novit, habetur, non habet; possidetur, non possidet. Estote domini auri, et non servi auri: quia et aurum Deus fecit, et te super aurum ipse fecit; aurum fecit ad subsidium tuum, et te ad imaginem suam. Vide quod supra te est, et calcas [1] quod infra te est. Quid ergo acquisisti? Vis videre quam aqua sine substantia sit? Tolle tecum ad inferos quod acquisisti: quid facturus es? Acquisisti aurum, perdidisti fidem: post paucos dies exis de hac vita, aurum quod acquisisti perdita fide, auferre tecum non potes; cor tuum inane fidei, ad pœnas exit, quod plenum fide ad coronam exiret. Ecce nihil est quod fecisti, et propter nihil Deum offendisti. Aqua sine substantia est quæ te demersit. Propter quid irritavit Deum peccator? Confundantur inique facientes vane (*Psal.* XXIV, 4). Nemo enim non inaniter inique facit; sed nemo considerat.

10. Eunt homines, audiunt proverbium illud vulgare; et proverbia Dei dormitant in eis [2]. Quod proverbium? Malo quod teneo, quam quod spero. O infelix, quid tenes? Ecce dicis, Malo quod teneo; tene sic ut non amittas, et dic, Malo quod teneo. Si autem non tenes, quare non illud tenes quod non potes amittere? Quid ergo tenes? Aurum. Tene ergo; si tenes, non tibi auferatur invito. Si autem et per aurum traheris quo non vis, et ideo te quærit major raptor, quia invenit minorem raptorem; ideo te quærit major aquila, quia prior cepisti leporem: præda tibi fuit minor, præda eris majori. Hæc non vident homines in rebus humanis; tanta cupiditate cæcantur. Mira res est, fratres; horrent qui considerant. Quærit potentior infirmiorem, et quærit eum opprimere, non ob aliud, nisi quia habet quod illi auferat: videt illum pati sub se tribulationem, non ob aliud, nisi propter quod habet; et hoc ipse, propter quod ille patitur tribulationem, ad se congerit. Non attendebat, quando illum persequebatur; ille fugiebat, ille torquebatur, ille timebat, ille ubi se absconderet quærebat: unde pateretur ista mala, nisi quia habebat? Vel in illo disce quid fugias: quia res quæ illum torquebat, te persequente, ne auferretur a te, et te sic habet torquere alio persequente. Attendis quia pinguis est: si propterea illum quæris, quia pinguis est; time pinguescere, ne alter te quærat. Et omnia inaniter fiunt: quære finem; tenebræ occurrunt: quære quare; nihil occurrit.

11. [*vers.* 6.] Ergo exsultent et lætentur in Domino qui dicunt, *Pertransiit anima nostra aquam sine substantia*, et recipiant substantiam suam. Perdiderunt

[1] Lov., *calca*: dissentientibus Edd. aliis et Mss.

[2] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *audiunt verbum Dei et proverbia Dei, et dormitant in eis: audiunt proverbium illud vulgare, et vigilant in eo. Quod proverbium? Malo*, etc.

illam viventes prodige; sed num pauper factus est Pater? Redeant, et invenient ibi divitias quas in longinqua peregrinatione cum meretricibus consumpserunt; evadant aquam sine substantia, et dicant: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum.* Venantes enim erant persequentes, et posuerunt escam in muscipula. Quam escam? Dulcedinem vitæ hujus, ut unusquisque propter dulcedinem hujus vitæ mittat caput in nequitiam, et muscipula comprimatur. Non illi [1] in quibus erat Dominus, illi qui dicunt, *Nisi quia Dominus erat in nobis;* non capti sunt in muscipula. Sit in te Dominus, et nec tu caperis in muscipula; clama, *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in venationem dentibus eorum.*

12. [*vers.* 7.] *Anima nostra sicut passer eruta est de muscipula venantium.* Quia in ipsa anima Dominus erat, ideo sicut passer eruta est anima de muscipula venantium. Quare sicut passer? Quia incauta ceciderat sicut passer; et poterat dicere postea, Ignoscet [2] mihi Deus. O passer instabilis, fige potius pedes [3] in petra, noli ire ad muscipulam. Caperis [4], consumeris, obtereris [5]. Sit in te Dominus, et de majoribus minis eruet te, de muscipula venantium. Quomodo si videas avem veluti jam cadere in muscipulam, facis majorem strepitum, ut volet de muscipula: sic et martyres [6], jam forte aliqui ipsorum intendebant collum in dulcedinem vitæ hujus; Dominus qui erat in illis, fecit strepitum gehennarum, et erutus est passer de muscipula venantium: *Anima nostra sicut passer eruta est de muscipula venantium.* Et quid? semper erit illa muscipula? Muscipula erat dulcedo vitæ hujus: illi non hæserunt in muscipula, et occisi sunt; illis occisis muscipula fracta est; jam non remansit dulcedo vitæ hujus, per quam possint iterum capi, sed illa contrita est: numquid et passer contritus est? Absit; quia non erat in muscipula: *Muscipula contrita est, et nos eruti sumus.*

13. [*vers.* 8.] Clament ergo, quia eruti sunt; volent ad Deum, triumphent in Deo, quia eruti sunt: quoniam Dominus erat in eis, ne a muscipula caperentur. Quare muscipula contrita est, et nos eruti sumus? Vis scire quare? *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.* Nam si adjutorium hoc non esset, non quidem æterna maneret muscipula; sed cum captus esset, contereretur passer. Nam vita ista transitura est; et qui dulcedine ejus capti fuerint, et per hanc dulcedinem offenderint Deum, cum ista vita transibunt. Nam conteretur muscipula; certi estote: omnis dulcedo vitæ istius præsentis non erit, impleta sorte loci sui; sed opus est non hærere, ut quando conteretur muscipula, tunc exsultes et dicas, *Muscipula contrita est, et nos eruti sumus.* Sed ne putes hoc viribus tuis te posse, attende cujus est opus ut eruaris [7] (nam si superbieris, in muscipulam cadis), et dic, *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram.*

14. Psalmus tractatus est, et quantum Dominus adjuvare dignatus est, ut puto, expositus. Crastino etiam die sermonem deberi Charitati vestræ optime nostis; adestote, et adjuvate nos orationibus vestris. Pollicitationis enim nostræ meminisse debetis; nec dicerem quid essem tractaturus, nisi adjuvari volens studio fidei et orationum vestrarum. Meministis enim me promisisse vobis de hoc tractare quod dictum est in Evangelio, *Lex per Moysen data est; Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 17). Solent enim homines hæretici [1], maxime Manichæi, reprehendere Legem, et dicere quia Deus illam non dedit. Exponendus est enim locus iste, ut cognoscatur quia et Legem Deus dedit, et Lex per Moysen data est; ut non salvaret [2], propter certam causam. Non salvavit Lex, ut lator Legis ipse Imperator desideraretur, qui indulgentiam daret peccantibus; et data quidem Lex esset per Moysen, Gratia autem et veritas per Jesum Christum fieret. Ad hoc intentos vos facere volui. Aderit Domini misericordia, non ex meritis nostris, sed forte pro merito desiderii vestri; neque ex facultatibus nostris, sed ex abundantia donorum suorum: ut sic tractetur res satis necessaria hominibus positis in novo testamento, ut omnino nullas latebras inveniat inimicus, ubi se occultet ad decipiendos fideles.

IN PSALMUM CXXIV

ENARRATIO.

SERMO AD POPULUM.

1. [*vers.* 1, 2.] Psalmus iste, pertinens ad numerum canticorum graduum (de quo titulo in aliis jam multa diximus, et repetere nolumus, ne vos obtundamus potius quam instruamus), docet nos ascendentes et levantes animas nostras ad Dominum Deum nostrum affectu charitatis atque pietatis, non intendere in homines qui prosperantur in hoc sæculo felicitate falsa atque ventosa et prorsus seductoria; ubi nihil aliud nutriunt quam superbiam, et cor eorum congelascit adversus Deum, et fit durum adversus imbrem gratiæ ipsius, ne fructum ferat. Præsumentes enim omnia sibi abundare, quæ videntur huic vitæ necessaria, et ultra quam necessaria, extolluntur; et cum sint homines per iniquitatem inferiores omnibus hominibus, per superbiam superiores se putant omnibus hominibus. Atque utinam vel sicut alios homines se esse deputarent. Hos autem aliquando intuendo et nimis attendendo, etiam illi qui Deum colunt, fluctuant et nutant, quasi perierit merces eorum quare Deum colunt, cum se vident in laboribus, in egestate, in ærumna, in morbo, in dolore, in aliqua necessitate, et vident alios habere sanitatem corporis, abundare tem-

[1] Lov., *nam illi.* M.
[2] Lov., *ignosce.* M.
[3] Lov., *fidei pedes.* Vox, *fidei*, a cæteris libris abest.
[4] Lov., *capieris.* M.
[5] Er. Lugd. Ven., *obtineris.* M.
[6] Er. Lugd. Ven. Lov., *martyrum.* M.
[7] Sic plerique Mss. Alii quidam, *attende, esto pius ut eruaris.* At Am., *attende cujus est opis, ut eruaris.* Er., *attende cujus est opis, esto pius ut eruaris.* Denique Lov., *ad ejus fuge auxilium, cujus est ut eruaris.*

[1] Sic Mss. Edd. vero, *omnes hæretici.*
[2] Lov., *ut nos salvaret. Propter*, etc., refragantibus cæteris libris.

poralibus, incolumitate suorum gaudere, nitore bonorum florere eos qui non solum Deum non colunt, sed et omnibus hominibus adversantur; attendentes eos, nutant, et dicunt apud se quod aperte scriptum est in quodam psalmo : *Quomodo scivit Deus, et si est scientia in Altissimo? Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias.* Et sequitur : *Numquid vane justificavi cor meum, et lavi in innocentibus manus meas?* Numquid forte vanus fui, qui volui juste vivere, et innocenter inter homines conversari, quando scio eos qui nolunt servare innocentiam, habere tantam felicitatem, et insultare justis per iniquitatem [1] felices?

2. Sed quis illud dixit ibi in psalmo? Cujus nondum erat rectum cor. Sic enim cœpit iste psalmus de quo modo testimonium dedimus, non iste quem considerandum et tractandum modo suscepimus, sed ubi dictum est, « Quomodo scivit Deus, et si est scientia in Altissimo? Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias. Numquid vane justificavi cor meum, et lavi in innocentibus manus meas? » ille ergo psalmus, ubi videtis quia periclitatur anima, ubi videtis quia nutant pedes, sic cœpit : *Quam bonus Deus Israel rectis corde! Mei autem*, inquit, *pene commoti sunt pedes, paulo minus effusi sunt gressus mei.* Quare? *Quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum intuens* (*Psal.* LXXII, 1-13). Inde ergo dixit commotos pedes suos et pene effusos gressus, lapsu ad ruinam a Deo, quia intuitus est et inspexit felicitatem peccatorum, et vidit eos habere pacem, se autem laborem. Narravit autem hoc cum jam evasisset, cum jam correcto corde Deo inhæsisset, narravit præterita pericula sua. Ergo, *Bonus Deus Israel :* sed quibus? *Rectis corde.* Qui sunt recti corde? Qui non reprehendunt Deum. Qui sunt recti corde? Qui voluntatem suam ad voluntatem Dei dirigunt; non voluntatem Dei ad voluntatem suam curvare conantur. Breve præceptum est, ut homo dirigat cor suum. Vis habere rectum cor? Tu fac quod vult Deus; noli Deum velle facere quod vis tu. Pravicordes ergo sunt, id est, qui rectum cor non habent, qui sedent et disputant quomodo debuit facere Deus; non laudando quod fecit, sed reprehendendo. Corrigere illum volunt : parum est quia corrigi ab eo nolunt; et dicunt, Non debuit Deus facere pauperes, sed soli divites esse debuerunt; et ipsi soli viverent. Utquid factus est pauper? utquid vivit? Reprehendit Deum pauperum [2]. Quanto melius esset pauper Dei, et dives esset de Deo; hoc est, sequeretur voluntatem Dei, et videret paupertatem suam temporalem esse, et transituram, divitias autem sibi spirituales ita venturas, ut nullo pacto possent præterire; et haberet in divitiis cordis fidem, si ei non contingit aurum habere in arca? Quia si aurum haberet in arca, furem timeret, et aurum de arca etiam nolens perderet; fidem autem de corde non perderet, si ipse illam inde non expelleret. Cito autem responderi potest, charissimi. Fecit Deus pauperem, ut probet hominem [1]; et fecit Deus divitem, ut probet illum de paupere. Et omnia quæ fecit Deus, recte fecit. Et si non possumus videre consilium ipsius, quare illud sic fecit et illud sic; bonum est nobis ut subdamur sapientiæ ipsius, et credamus quia bene fecit, et si nondum novimus quare fecit : et habebimus cor rectum, ut præsumamus et confidamus in Domino, et non movebuntur pedes nostri, et fit in nobis ascendentibus unde cœpit iste psalmus, *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebuntur* [2] *in æternum.*

3. Qui sunt isti? *Qui inhabitant Jerusalem :* ipsi *non commovebuntur in æternum, qui inhabitant Jerusalem.* Si hanc Jerusalem intellexerimus, omnes qui illic inhabitabant, bellis et eversione ipsius civitatis exclusi sunt : modo quæris Judæum in civitate Jerusalem, et non invenis. Quare ergo [3] *non movebuntur in æternum, qui inhabitant Jerusalem*, nisi quia est alia Jerusalem, de qua multa soletis audire? Ipsa est mater nostra, cui suspiramus et gemimus in ista peregrinatione, ut ad illam redeamus. Erraveramus ab ea [4], et viam non habebamus : Rex ipsius venit, et via nobis factus est, ut ad illam redire possimus. Ipsa est illa, ubi *stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem*, sicut audistis in psalmo canticorum graduum superiore, jam vobis exposito et tractato qui interfuistis; cui suspirabat ille qui cantabat, *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas ; cujus participatio ejus in idipsum* (*Psal.* CXXI, 2, 3). Qui ergo ibi habitant *non movebuntur in æternum.* Qui autem habitarunt in ista Jerusalem, moti sunt; primo corde, postea exsilio. Quando moti sunt corde et ceciderunt, tunc Regem ipsius supernæ Jerusalem crucifixerunt. Jam spiritualiter foris erant, et ipsum Regem foras excludebant. Ejecerunt enim illum extra civitatem suam, et foris crucifixerunt (*Joan.* XIX, 17, 18). Et ipse ejecit illos extra civitatem suam, id est æternam Jerusalem matrem omnium nostrum, quæ est in cœlis.

4. Qualis est ista Jerusalem? Breviter describit eam. *Montes in circuitu ejus.* Magnum aliquid, nos esse in ea civitate quam circumdederunt montes? Ipsa est tota felicitas nostra, quia habebimus civitatem quam circumdederunt montes? Num enim non novimus montes? aut quid sunt montes, nisi tumores terrarum? Alii sunt ergo montes amabiles, montes excelsi, prædicatores veritatis, sive Angeli, sive Apostoli, sive Prophetæ. Ipsi sunt in circuitu Jerusalem; ambiunt illam, et quasi murum illi faciunt. De his montibus amabilibus et delectabilibus assidue Scriptura loquitur. Advertite cum auditis vel legitis; pluribus locis invenitis montes delectabiles, quam nos possumus commemorare. Verumtamen quantum Dominus suggerit, delectat nos de his montibus multa dicere; et divina testimonia de Litteris sanctis oc-

[1] Am. et Mss., *iniquitates.*
[2] Plerique Mss.: *Reprehendit Deum pauper.* Fossatensis, *in paupere.*

[1] Quatuor Mss., *ut probet illum de divite.*
[2] Aliquot libri, *commovebitur :* qui tamen infra cum cæteris habent constanter, *inhabitant.*
[3] Tres Mss., *et non invenis. Quomodo ergo*, etc. Alii, *certe ergo.*
[4] Sic aliquot Mss. At Edd.: *Erraveramus a via.*

currerunt[1] nobis. Ipsi sunt montes qui illuminantur a Deo: et primitus illuminantur, ut ab ipsis lumen descendat ad valles, vel ad colles; quia non tantæ sunt altitudinis, quantæ sunt montes. Ipsi sunt per quos nobis prærogatur Scriptura, sive in prophetia[2], sive in Apostolis, sive in Evangelio. Ipsi sunt montes de quibus cantamus, *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi;* quia de Scripturis sanctis in hac vita habemus auxilium. Sed quia ipsi montes non a se proteguntur, nec a seipsis nobis consulunt, nec spes nostra debet esse in montibus, ne maledicti simus qui spem in homine ponimus (*Jerem.* XVII, 5); jam dixerat, *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi; Auxilium,* inquit, *meum a Domino, qui fecit cœlum et terram* (*Psal.* CXX, 1, 2). Ipsi sunt montes de quibus item dicit: *Suscipiant montes pacem populo tuo, et colles justitiam* (*Psal.* LXXI, 3). Montes magni sunt, et colles minores sunt. Montes ergo vident, colles credunt: qui vident, pacem susceperunt et attulerunt ad eos qui credunt. Qui enim credunt, suscipiunt justitiam; quia justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17). Angeli vident, annuntiant quod vident, et credimus nos. Joannes ille: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1): videbat, prædicavit nobis ut crederemus. Et per montes suscipientes pacem, susceperunt colles justitiam: quia de ipsis montibus quid ait? Non dixit, A se habent pacem, vel, instituunt pacem, vel, generant pacem; sed, suscipiunt pacem. Unde suscipiunt pacem, Dominus est. Sic ergo leva oculos tuos ad montes propter pacem, ut auxilium tuum sit a Domino, qui fecit cœlum et terram. Rursus illos montes commemorans Spiritus sanctus hoc ait: *Illuminans tu admirabiliter a montibus æternis* (*Psal.* LXXV, 5). Non dixit, Illuminant montes; sed, *Illuminans tu a montibus æternis:* per montes istos quos æternos esse voluisti, prædicans Evangelium, *tu illuminans*[3], non montes. Tales ergo *montes in circuitu* Jerusalem.

5. Et ut noveritis quales sint montes in circuitu ejus; ubi commemoravit montes bonos Scriptura, valde raro et difficile, aut forte nunquam non et statim ibi nominat Dominum, aut simul significat, ne spes remaneat in montibus. Ecce videte quam multa commemoravi. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi:* et ne ibi remaneas, *Auxilium meum,* inquit, *a Domino, qui fecit cœlum et terram.* Rursus, *Suscipiant montes pacem populo tuo:* cum dixit, *Suscipiant,* ostendit alium esse fontem[4] pacis unde illi suscipiunt. Rursus, *A montibus illuminans:* sed, *Tu,* dixit; *Illuminans tu admirabiliter a montibus æternis.* Item hoc loco cum dixisset, *Montes in circuitu ejus;* ne tu rursum remaneres in montibus, statim subjunxit, *Et Dominus in circuitu plebis suæ:* ut tua spes non sit in montibus, sed in illo qui illuminat montes. Cum enim ille habitat in montibus, id est in sanctis, ipse est in circuitu plebis suæ; et ipse muravit[1] plebem suam munimento spirituali, ne moveatur in æternum. At vero de illis montibus malis quando loquitur Scriptura, non eis addit Dominum. Tales montes, jam sæpe diximus vobis, significant magnas quasdam animas, sed malas. Non enim putetis, fratres, quia potuerunt fieri hæreses per aliquas parvas animas. Non fecerunt hæreses, nisi magni homines: sed quantum magni, tantum mali montes. Non enim montes erant tales qui susciperent pacem, ut colles susciperent[2] justitiam; sed illi dissensionem susceperunt a diabolo patre suo. Montes ergo erant: ad tales montes cave ne fugias. Venturi enim sunt homines, et dicturi tibi: Magnus ille vir, et magnus ille homo. Qualis fuit ille Donatus! qualis est Maximianus[3]! et nescio quis Photinus[4], qualis fuit! et ille Arius qualis fuit! Omnes istos montes nominavi, sed naufragosos. Videtis quia lucet de illis aliqua flamma sermonis, et aliquis de ipsis ignis accenditur. Si navigatis in ligno, et noctem patimini, id est, caliginem hujus vitæ; non vos fallant, nec dirigatis illuc navim: ibi sunt saxa, ibi naufragia magna fiunt. Cum ergo tibi laudati fuerint isti montes, et cœperit tibi suaderi ut venias ad ipsos montes, quasi ad auxilium, et ibi requiescas; responde: *In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montes sicut passer* (*Psal.* X, 2)? Bonum est enim tibi ut in illos montes leves oculos unde tibi auxilium a Domino sit, ut evadas sicut passer de muscipula venantium, non transmigres in montes. Passer enim instabilis res est; cito movetur, cito volat hinc et inde. Sed tu confide in Domino, et eris sicut mons Sion; non commoveberis in æternum, et non transmigrabis in montes sicut passer. Numquid ibi sic nominavit montes, ut de Domino diceret?

6. Sed montes tales ama, in quibus Dominus est. Tunc autem te amant ipsi montes, si non in illis spem posueris. Videte, fratres, quales sunt montes Dei. Nam inde sic nominati sunt in alio loco: *Justitia tua sicut montes Dei* (*Psal.* XXXV, 7). Non justitia ipsorum, sed *justitia tua.* Audi talem montem Apostolum: *Ut inveniar in illo,* inquit, *non habens justitiam meam quæ ex lege est, sed eam quæ est per fidem Christi* (*Philipp.* III, 9). Illi autem qui per justitiam suam montes esse voluerunt, sicut Judæi quidam vel Pharisæi principes eorum, sic reprehenduntur: *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X, 3). Qui autem subjecti sunt, sic sunt alti, ut humiles sint. Et quia magni sunt, montes dicuntur; quia vero subjecti sunt Deo, valles sunt: et quia habent capacitatem pietatis, suscipiunt abundantiam pacis et inundationem transmittunt ad colles. Modo tamen tu vide quos

[1] Edd., *occurrunt.* At Mss., *occurrerunt.*
[2] Plures Mss., *in Prophetis:* et mox plerique, *sive in Apostolis.* At Edd., *sive in Epistolis.*
[3] Er. Lugd. Ven. Lov., *illuminas.* M.
[4] Sic plerique Mss. At Edd., *montem.*

[1] Lov., *mutavit;* cujus loco editi alii et Mss., *muravit.*
[2] In B. deest verbum, *susciperent,* quod ex Er. Lugd. Ven. et Lov. restituimus. M.
[3] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *Maximinianus.* Confer Enarr. in Psal. 36, serm. 2.
[4] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *et nescis Photinus qualis fuit?* M.

montes ames. Si vis amari a bonis montibus, noli spem ponere nec in bonis montibus. Nam qualis mons erat Paulus? quando invenitur talis? (De magnitudine loquimur hominum.) Tantæ gratiæ quisquam potest facile inveniri? Et tamen timebat ne passer ille in illo poneret spem : Et quid ait? *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est* (I *Cor.* I, 13)? Sed levate oculos in montes, unde auxilium veniat vobis; quia, *Ego plantavi, Apollo rigavit :* sed auxilium vestrum a Domino, qui fecit cœlum et terram; quia *Deus incrementum dedit* (*Id.* III, 6). Ergo *montes in circuitu ejus.* Sed quomodo *montes in circuitu ejus*, sic *et Dominus in circuitu plebis suæ, ex hoc nunc et usque in sæculum.* Si ergo *montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu plebis suæ,* constringit Dominus plebem suam in unum vinculum charitatis et pacis, ut qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commoveantur in æternum : et hoc est, *ex hoc et usque in sæculum* [1].

7. [*vers.* 3.] *Quoniam non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.* Modo quidem justi aliquantum laborant, et modo aliquando injusti dominantur justis. Quibus modis? Aliquando [2] injusti perveniunt ad honores sæculi : cum pervenerint et facti fuerint vel judices, vel reges, quia hoc facit Deus propter disciplinam plebis suæ, propter disciplinam populi sui; non potest fieri nisi ut exhibeatur illis honor debitus potestati. Ordinavit enim sic Deus Ecclesiam suam, ut omnis potestas ordinata in sæculo habeat honorem, et aliquando a melioribus. Sed exempli gratia unam rem dico; hinc conjicite gradus omnium potestatum. Prima et quotidiana potestas hominis in hominem domini est in servum. Prope omnes domus habent hujusmodi potestatem. Sunt domini, sunt et servi; diversa sunt nomina : sed homines et homines paria sunt nomina. Et quid dicit Apostolus, docens servos dominis suis subditos esse? *Servi, obaudite dominis vestris secundum carnem:* quia est dominus secundum spiritum. Ille est verus dominus et æternus; isti autem temporales secundum tempus. Tu cum ambulas in via, cum vivis in hac vita, non vult te facere superbum Christus. Contigit tibi ut christianus efficereris, et haberes dominum hominem : non ideo christianus effectus es, ut dedignaris servire. Cum enim Christo jubente servis homini, non illi servis, sed illi qui jussit. Et hoc ait : *Obaudite dominis vestris secundum carnem, cum timore et tremore, in simplicitate cordis; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed quasi servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate* (*Ephes.* VI, 5, 6). Ecce non fecit de servis liberos, sed de malis servis bonos servos. Quantum debent divites Christo, qui illis componit domum! ut si fuit ibi servus infidelis, convertat illum Christus, et non ei dicat, Dimitte dominum tuum; jam cognovisti eum qui verus est dominus : ille forte impius est et iniquus, tu jam fidelis et justus; indignum est ut justus et fidelis serviat iniquo et infideli. Non hoc ei dixit, sed magis, Servi : et ut corroboraret; servum, hoc dixit, Exemplo meo servi; prior servivi iniquis. Dominus enim tanta in passione sustinens, a quibus sustinuit, nisi dominus a servis? et a quibus, nisi a malis servis? Nam si fuissent boni servi, honorarent dominum. Sed quia mali servi erant, injuriaverunt. Ille quid contra? Reddidit dilectionem pro odio : ait enim, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Si Dominus cœli et terræ, per quem facta sunt omnia, servivit indignis, rogavit pro sævientibus et furentibus, et tanquam medicum se exhibuit adveniens (nam et medici et arte et sanitate meliores serviunt ægrotis); quanto magis non debet dedignari homo, ex toto animo, et ex tota bona voluntate, cum tota dilectione servire domino etiam malo? Ecce servit melior deteriori, sed ad tempus. Quod autem dixi de domino et servo, hoc intelligite de potestatibus et regibus, de omnibus culminibus hujus sæculi. Aliquando enim potestates bonæ sunt, et timent Deum; aliquando non timent Deum. Julianus exstitit infidelis imperator, exstitit apostata, iniquus, idololatra : milites christiani servierunt imperatori infideli; ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cœlo erat. Si quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent; præponebant illi Deum : quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem; statim obtemperabant. Distinguebant dominum æternum a domino temporali; et tamen subditi erant propter dominum æternum, etiam domino temporali.

8. Sed numquid sic erit semper, ut iniqui imperent justis? Non sic erit. Videte enim quid dicat iste psalmus : *Quoniam non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum.* Sentitur ad tempus virga peccatorum super sortem justorum; sed non ibi relinquitur, non erit in æternum. Veniet tempus, quando unus agnoscatur Deus; veniet tempus, quando Christus in claritate sua apparens congreget ante se omnes gentes, et dividat eas, sicut dividit pastor hædos ab ovibus : oves ponet ad dexteram; hædos ad sinistram (*Matth.* XXV, 32, 33). Et videbis ibi multos servos inter oves, et multos dominos inter hædos; et rursus multos dominos inter oves, multos servos inter hædos. Non enim quia sic consolati sumus servos, omnes servi boni sunt; aut quia sic repressimus superbiam dominorum, omnes domini mali sunt. Sunt boni fideles domini, et sunt mali : sunt boni fideles servi, et sunt mali. Sed quamdiu servi boni serviunt malis dominis, ferant ad tempus : *Quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum.* Quare hoc? *Ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas :* ut ad tempus ferant justi iniquos dominantes, et intelligant non esse hoc sempiternum, sed præparent se ad possidendam sempi-

[1] Plerique Mss. omittunt : *Et hoc est, ex hoc et usque in sæculum.*

[2] Aliquot Mss. omittunt : *Quibus modis?* Quidam vero sic verba interpungunt : *Quibus modis aliquando injusti perveniunt*, etc.

[1] Sic Am. Er. et plures Mss. At Lov., *serviat. Et ut corroboraret.* Aliquot Mss., *serviet ut corroboret.*

ternam hæreditatem. Quam hæreditatem? Ubi destruetur omnis potentatus, et omnis potestas, ut sit Deus omnia in omnibus (I *Cor.* XV, 28). Ad hoc se servantes, et hoc corde contemplantes, et adhuc in fide [1] retinentes, et ut videant perdurantes, *non extendunt manus suas in iniquitatem*. Nam si videant quia semper est virga peccatorum super sortem justorum, cogitant apud se, et dicunt: Quid mihi prodest quia justus sum? Semper mihi dominabitur iniquus, et semper servus ero? Faciam ergo et ego iniquitatem; quia nihil prodest tenere justitiam. Ne autem hoc dicat, insinuatur illi fides, quia ad tempus potest esse virga peccatorum super sortem justorum: *non eam relinquet Dominus super sortem justorum, ut non extendant justi in iniquitatem manus suas;* sed teneant ab iniquitate manus suas, et ferant iniquitatem, non faciant. Melius est enim injustitiam ferre quam facere. Unde non semper erit? *Quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum.*

9. [*vers.* 4, 5.] Hoc cogitant qui recti sunt corde, de quibus paulo ante dixi, qui voluntatem Dei sequuntur, non voluntatem suam. Sed qui [2] sequi Deum volunt, faciunt illum præcedentem, et se sequentes; non autem se præcedentes, et illum sequentem: et in omnibus eum bonum inveniunt, sive emendantem, sive consolantem, sive exercentem, sive coronantem, sive purgantem, sive illuminantem, sicut Apostolus ait, *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII, 28). Et ideo sequitur, *Benefac, Domine, bonis, et rectis corde.*

10. Sicut autem declinat a malo, et facit bonum rectus corde (*Psal.* XXXVI, 27), quia non zelat in peccatoribus, pacem peccatorum intuens (*Psal.* LXXII, 3); sic pravi cordis [3], qui scandalizatur in viis Domini, declinat a Deo, et facit malum, et inescatur dulcedine sæculi, et ea illaqueatus et captus amaras pœnas luit. Declinanti autem a Deo, cujus disciplinam ferre noluit, fit illi per judicium Dei verus laqueus falsa malorum felicitas. Unde continuo subjungit: *Declinantes autem in strangulationem abducet* [4] *Dominus cum operantibus injustitiam:* id est, quorum facta imitati sunt; quia eorum præsentes lætitias amaverunt, et futura supplicia non crediderunt. Qui ergo recti sunt corde, et non declinant, quid habebunt? Jam veniamus ad ipsam hæreditatem, fratres, quia filii sumus. Quid possidebimus? quæ est hæreditas? quæ patria nostra? quid vocatur? Pax. Per hanc vos salutamus, hanc vobis annuntiamus, hanc suscipiunt montes, et colles justitiam (*Psal.* LXXI, 3). Ipsa est Christus: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvit* (*Ephes.* II, 14). Quia filii sumus, hæreditatem habebimus. Et quid vocabitur ipsa hæreditas, nisi pax? Et videte quia exhæredati sunt qui non amant pacem: non autem amant pacem, qui dividunt unitatem. Pax possessio piorum est, possessio hæredum. Et qui sunt hæredes? Filii. Audite Evangelium: *Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 9). Audite et conclusionem hujus psalmi: *Pax super Israel.* Israel, Videns Deum; Jerusalem, Visio pacis interpretatur. Intelligat Charitas vestra: Israel interpretatur, Videns Deum; Jerusalem interpretatur, Visio pacis. *Qui non commovebuntur in æternum? Qui inhabitant Jerusalem.* Non commovebuntur ergo in æternum, qui inhabitant visionem pacis. Et *pax super Israel.* Ergo Israel qui videns Deum est, videns pacem est: et ipse Israel est et Jerusalem; quia populus ille Dei, ipsa est civitas Dei. Si ergo videns pacem, hoc est videns Deum; merito et Deus ipse est pax. Ergo quia Christus Filius Dei pax est, ideo venit colligere suos, et secernere ab iniquis. A quibus iniquis? Qui oderunt Jerusalem, qui oderunt pacem, qui volunt conscindere unitatem, qui non credunt paci, qui falsam pacem pronuntiant in populo, et non illam habent. Quibus respondetur, cum dixerint, Pax vobiscum, Et cum spiritu tuo: falsum dicunt, et falsum audiunt. Quibus dicunt, Pax vobiscum? quos separant a pace orbis terrarum. Et quibus dicitur, Et cum spiritu tuo? Qui dissensiones amplectuntur, et odiunt pacem [1]. Si enim in spiritu eorum esset pax, nonne unitatem diligerent, et relinquerent dissensionem? Falsum ergo pronuntiantes, falsum audiunt. Nos verum pronuntiemus, et verum audiamus. Simus Israel, et amplectamur pacem; quia Jerusalem est visio pacis, et nos Israel, et *pax super Israel.*

[1] Lov, *et hoc in fide:* dissentientibus Edd. aliis et Mss.

[2] Am. Er. et aliquot Mss. omittunt, *sed qui:* alii plures id habent, sed non addunt, *sequi.*

[3] Er. et Lov: *Sic pravicordis est, qui.* Particula, *est*, non reperitur apud Am. neque in Mss. quorum aliqui cum Am. habent, *pravicordius:* et quidam, *pravus corde.*

[4] Am. Er. et plerique Mss., *in strangulationem adducet.* At Lov., *abducet.* Græc. LXX *apaxei.*

IN PSALMUM CXXV
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Sicut jam meministis, ex ordine nobis tractantibus iste psalmus est centesimus vicesimus quintus, qui inter illos psalmos est, quorum est titulus, *Canticum graduum.* Est autem, sicut nostis, vox ascendentium: quo, nisi ad illam supernam Jerusalem, matrem omnium nostrum, quæ est in cœlis (*Galat.* IV, 26)? Quæ superna est, ipsa et æterna: hæc autem quæ in terra fuit, umbram habebat illius. Itaque ista cecidit, illa permanet: hæc implevit tempus prædicationis, illa tenet æternitatem nostræ reparationis. Ab illa peregrinamur in hac vita, ad ejus reditum suspiramus: tamdiu miseri et laborantes, donec ad illam redeamus. Nec cives nostri Angeli dimiserunt nos in peregrinatione, sed annuntiaverunt nobis ipsum Regem venturum ad nos. Et venit ad nos, et contemptus est inter nos a nobis, et postea nobiscum [2]: et docuit nos contemni, quia

[1] Isthæc verba: *Qui dissensiones amplectuntur, et odiunt pacem*, absunt ab Am. et ab omnibus Mss., necnon sententiæ subsequentis vox, *enim.*

[2] Edd., *nobiscum fuit.* Abest. *fuit*, a Mss.

contemptus est; docuit tolerare, quia toleravit; docuit pati, quia passus est; et promisit resurrecturos, quia resurrexit, in seipso ostendens quid sperare debeamus. Si ergo, fratres, Prophetæ antiqui, patres nostri, antequam Dominus Jesus Christus veniret in carne, antequam mortuus resurrexisset et ascendisset in cœlum, suspirabant tamen illi civitati; quantum nos oportet desiderare, quo nos ipse præcessit, et unde nunquam recessit? Non enim Dominus sic venit ad nos, ut desereret Angelos: et illis mansit [1], et ad nos venit; illis mansit in majestate, ad nos venit in carne. Eramus autem ubi [2]? Si redemptor noster ille dicitur captivi tenebamur. Ubi ergo tenebamur, ut ille veniret redimere captivos? ubi tenebamur? Forte apud barbaros? Pejor est barbaris diabolus et angeli ejus. Ipsi antea tenebant genus humanum: ab eis redemit nos, qui non aurum neque argentum, sed sanguinem suum pro nobis dedit.

2. Quomodo autem homo venerat in captivitatem, Paulum apostolum interrogemus. Etenim ipse præcipue gemit in ista captivitate, suspirans æternæ Jerusalem; et docuit nos gemere ex ipso Spiritu quo et ille impletus gemebat. Hoc enim ait: *Omnis creatura congemiscit et dolet usque nunc.* Et iterum: *Vanitati enim creatura subjecta est,* ait, *non sponte, sed propter eum qui subjecit in spe.* Omnem creaturam dixit in hominibus etiam non credentibus, sed tamen credituris, ingemiscere creaturam in laboribus. Numquidnam in his tantum gemit [3], qui nondum crediderunt? jam vero in his qui crediderunt non gemit, nec parturit creatura? *Non solum autem,* inquit, *sed et nos ipsi primitias spiritus habentes,* id est, qui jam spiritu Deo servimus, qui jam mente Deo credidimus, et in ipsa fide primitias quasdam dedimus, ut primitias nostras sequamur: ergo *et nos ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri.* Gemebat ergo et ipse, et gemunt omnes fideles, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis sui. Ubi gemunt? In ista mortalitate. Quam redemptionem exspectant? Corporis sui, quæ præcessit in Domino, qui resurrexit a mortuis, et ascendit in cœlum. Hoc nobis antequam reddatur, necesse est gemamus, etiam fideles, etiam sperantes. Ideo sequitur ibi, et dicit; cum diceret, *Et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri;* quasi diceretur ei, Quid tibi ergo profuit Christus, si adhuc gemis; et quomodo Salvator salvum te fecit? qui gemit, adhuc ægrotat: subjunxit et ait, *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 20-25). Ecce quare gemimus, et quomodo gemimus; quia quod speramus, jam quidem exspectamus, sed nondum tenemus, et donec teneamus, in tempore suspiramus, quia desideramus, quod nondum tenemus. Quare? Quia *spe salvi facti sumus.* Jam caro sumpta de nobis in Domino, non spe, sed re salva facta est. Resurrexit enim et ascendit in capite nostro caro nostra salva; in membris adhuc salvanda est. Secura gaudeant membra, quia a capite suo non sunt deserta. Dixit enim membris laborantibus: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Ita factum est ut converteremur ad Deum. Spem enim non habebamus, nisi ad sæculum; et inde servi miseri, et bis miseri, quia et in hac vita spem posueramus [1], et faciem habentes ad sæculum, dorsum contra Deum. Cum vero converterit nos Dominus, ut jam incipiamus faciem habere ad Deum, et dorsum ad sæculum, qui adhuc in via sumus, tamen patriam attendimus: et quando forte aliquam tribulationem patimur, sed tamen tenemus viam, et ligno portamur; asper quidem ventus, sed ventus prosper est [2]; cum labore quidem, sed cito ducit, cito perducit. Quia ergo de captivitate nostra gemebamus, gemunt autem et illi qui jam crediderunt; quomodo autem facti sumus captivi, obliti fuimus, sed per Scripturam commemoramur: Paulum ipsum Apostolum interrogemus; ait enim, *Scimus enim quia lex spiritualis est; ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato* (*Rom.* VII, 14). Ecce unde facti sumus captivi, quia venundati sumus sub peccato. Quis nos vendidit? Nos ipsi, qui consensimus seductori. Vendere nos potuimus, redimere nos non possumus. Vendidimus nos consensione peccati, redimimur in fide justitiæ. Sanguis enim innocens datus est pro nobis, ut redimeremur. [3] Quemcumque sanguinem ille fudit persequendo justos, qualem sanguinem fudit? Justorum quidem sanguinem fudit; Prophetarum, patrum nostrorum, justorum sanguinem fudit et martyrum: tamen omnes de propagine peccati venientes. Unum sanguinem fudit ejus qui non justificatus, sed justus natus est: illo sanguine fuso, perdidit quos tenebat. Pro quibus enim datus est innocens sanguis, redempti sunt; et conversi a captivitate, cantant istum psalmum.

3. *Cum converteret* [4] *Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.* Hoc voluit dicere, Facti sumus gaudentes. Quando? *Cum converteret Dominus captivitatem Sion.* Quæ Sion? Ipsa Jerusalem, et æterna Sion. Quomodo æterna Sion, quomodo captiva Sion? In angelis æterna, in hominibus captiva. Non enim omnes illius civitatis cives captivi sunt; sed qui inde peregrinantur, ipsi captivi sunt. Homo civis est Jerusalem, sed venditus sub peccato, factus est peregrinus. De propagine ipsius natum est genus humanum, et implevit terras captivitas Sion [5]. Et ista

[1] Sic Mss. At Edd.: *Et cum illis mansit.*
[2] Hic apud Er. et Lov. post, *ubi*, additur, *redemptor noster ille venisse dicitur, et captivi tenebamur*; quod ab Am. et Mss. abest.: et ante, *ubi*, habent, *ibi*.
[3] In R. deest verbum, *gemit*, quod ex Er. Lugd. Ven. Lov. restituimus. M.

[1] Am. et omnes prope Mss. omittunt, *spem posueramus.*
[2] Sic Er. et aliquot Mss. Alii vero libri, *noster est.*
[3] Er. et Lov., *Non quemcumque.* Abest, *non*, ab Am. et Mss.
[4] Sic Floriacensis Ms. hoc loco. At Edd., *cum converterit.*
[5] Plures Mss., *captivitate.* Et quidam cum Er., *captivitatis Sion.* Mox plerique Mss., *et ista captiva Sion. Quomodo umbra*, etc. At Noviomensis Ms. omittit, *et ista captivitas Sion.*

captivitas Sion quomodo umbra illius Jerusalem? Umbra illius Sion quam acceperunt Judæi in imagine, in figura fuit in captivitate in Babylonia, et post septuaginta annos rediit ille populus ad civitatem suam (*Jerem.* XXIX, 10; *et* I *Esdr.* I). Septuaginta anni significant omne tempus quod septem diebus volvitur: cum autem transierit omne tempus, tunc redimus et nos ad patriam nostram; quomodo ille populus post septuaginta annos rediit a captivitate Babyloniæ. Babylonia est enim mundus iste: Babylonia enim interpretatur, Confusio. Videte si non est confusio tota vita humana. Quidquid agunt homines in spe vana, quando cognoverint quid agunt, erubescunt. Quare laborant? cui laborant? Filiis meis, inquit. Et ipsi cui? Filiis suis. Et ipsi quibus? Filiis suis. Nemo ergo sibi. Ab ista ergo confusione jam conversi erant, quibus dicit Apostolus: *Quam enim gloriam habebatis in his, in quibus nunc erubescitis* (*Rom.* VI, 21)? Confusio ergo est ista tota vita rerum humanarum, non pertinens ad Deum. In hac confusione, in ista Babylonia, captiva tenetur Sion: sed convertit Dominus captivitatem Sion.

4. *Et facti sumus*, inquit, *sicut consolati*: id est, gavisi sumus, tanquam consolationem accipientes. Consolatio non est nisi miserorum, consolatio non est nisi gementium, lugentium. Quare *quasi consolati*, nisi quia adhuc gemimus. Gemimus in re, consolamur in spe: cum transierit res [1], de gemitu gaudium veniet æternum, ubi non opus erit consolatione, quia nulla miseria sauciabimur. Quare autem *velut consolati* ait, et non ait, consolati? Non semper quasi ad similitudinem ponitur hoc verbum, *sicut*: quod dicimus, *sicut*, aliquando ad proprietatem refertur, aliquando ad similitudinem; modo ad proprietatem relatum est. Sed exempla nobis etiam de communi locutione hominum danda sunt, ut facile intelligatur. Quando dicimus, Sicut vixit pater, ita et filius; ad similitudinem hoc dicimus: et, Sicut pecus moritur, ita homo moritur; ad similitudinem hoc dicitur. Quando autem dicimus, Fecit sicut vir bonus; numquid non est vir bonus, sed similitudinem habet viri boni? Fecit tanquam justus; hoc tanquam, non negat eum justum esse, sed proprietatem ejus ostendit. Fecisti sicut senator: Ergo non sum senator, si dicat: Imo quia es, sicut senator fecisti; et quia justus es, sicut justus fecisti; et quia bonus es, sicut bonus fecisti. Ergo quia et isti vere consolati erant, *sicut consolati* gaudebant; id est, magnum erat gaudium ipsorum, tanquam consolatorum, illo consolante morituros qui mortuus est. Omnes enim moriendo gemimus: consolatus est ille qui mortuus est, ne mori timeremus. Prior resurrexit, ut haberemus quod speraremus. Quia ergo prior resurrexit, spem nobis dedit: quia in miseria positi, spe consolati sumus; hinc gaudium magnum. Et convertit Dominus captivitatem nostram, ut jam de captivitate viam teneamus, et eamus ad patriam. Jam ergo redempti, in via non timeamus insidiantes hostes nostros. Ideo enim redemit nos, ut non audeat hostis insidiari nobis, si de via non recesserimus. Ipse enim Christus factus est via (*Joan.* XIV, 6). Vis non pati latrones? Ait tibi: Viam tibi stravi ad patriam; noli de via recedere. Talem viam munivi, ut latro ad te non audeat accedere; tu ab illa noli recedere, et latro ad te non audet accedere. Ambula ergo in Christo et canta gaudens, canta tanquam consolatus; quia ille te præcessit, qui jussit ut sequaris.

5. [*vers.* 2, 3.] *Tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione.* Os, fratres mei, quod habemus in corpore, quomodo repletur gaudio? Non solet impleri, nisi aut cibo, aut potu, aut aliquare tali missa in os. Impletur aliquando os nostrum: et plus est quod dicimus Sanctitati vestræ; quando os plenum habemus, loqui non possumus. Habemus autem intus os, id est in corde, unde quidquid procedit, si malum est, inquinat nos; si bonum est, mundat nos. De ipso enim ore audistis, dum Evangelium legeretur. Insultabant enim Judæi Domino, quia discipuli ejus non lotis manibus manducabant. Illi insultabant, qui munditiam foris habebant, et intus maculis pleni erant; illi insultabant, quorum justitia non erat, nisi in oculis hominum. Dominus autem quærebat munditiam nostram interiorem; quæ si fuerit, necesse est ut et quæ foris sunt munda sint. *Mundate*, inquit, *quæ intus sunt, et quæ foris sunt munda erunt* (*Matth.* XXIII, 26). Ipse Dominus dicit alio loco: *Verum date eleemosynas, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41). Unde autem procedit eleemosyna? De corde. Si enim manum porrigas, nec in corde miserearis, nihil fecisti; si autem in corde miserearis, etiamsi non habeas quod porrigas manu, acceptat Deus eleemosynam tuam. Illi autem iniqui, foris quærebant munditiam. De talibus erat etiam ille pharisæus qui invitaverat Dominum, quando accessit mulier quæ in civitate peccatrix erat et famosa, quæ lacrymis lavit pedes Domini, tersit capillis, unxit unguento. Pharisæus ergo, qui invitaverat Dominum, et munditiam non habebat nisi forinsecus corpore, corde autem plenus erat iniquitate et rapina, dixit apud semetipsum: *Iste si esset propheta, sciret quæ mulier illi accessit ad pedes.* Unde noverat utrum sciret, an nesciret? Sed ideo eum nescire arbitratus est, quia non a se eam repulit. Si enim accessisset ad ipsum pharisæum talis mulier, ille qui munditiam tenebat quasi in carne, exsufflaret, repelleret, abjiceret; ne immunda tangeret mundum, et contaminaret ejus munditiam. Quia hoc non fecit Dominus, ideo illum credidit nescisse qualis mulier illi accessisset ad pedes; Dominus autem non solum illam noverat, sed et cogitationes illius audiebat: quia etsi contactus corporis aliquid facit, o immunde pharisæe, caro Domini posset pollui contactu mulieris, an mulier mundari contactu Domini? Permittebat autem medicus ægrotam tangere medicamentum; et illa quæ venerat, noverat medicum; et quæ solebat in sua fornicatione fortasse esse frontosa, frontosior facta

[1] Sic omnes Mss. At Edd.: *Gemimus in spe, consolamur in re: cum transierit spes.*

est ad salutem. Irrupit in domum quo non erat invitata; sed vulnera habebat, et illuc venerat ubi medicus recumbebat. Ille autem qui invitaverat medicum, sanus sibi videbatur; propterea non curabatur. Jam quæ sequuntur in Evangelio nostis, quomodo confusus est ipse pharisæus, cum ei ostenderet quia et illam mulierem noverat, et cogitationem ipsius audierat (*Luc.* VII, 36-50).

6. Sed ad id revertamur quod modo de Evangelio lectum est, quod pertinet ad præsentem versum ubi dictum est, *Impletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione:* quærimus enim quod os, et quæ lingua. Attendat Charitas vestra. Insultatum est Domino, quia non lotis manibus discipuli ejus manducarent. Respondit illis Dominus sicut oportebat, et vocatis turbis ait: *Audite omnes, et intelligite. Omne quod intrat in os, non coinquinat hominem, sed quod exit.* Quid est hoc? Cum dixit, *Quod intrat in os*, nonnisi os corporis voluit ostendere. Intrant enim cibi, et non coinquinant homines cibi; quia, *Omnia munda mundis*; et, *Omnis creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* (I *Tim.* VI, 4). In figura Judæis posita erant quædam, et immunda dicta sunt (*Levit.* XI). Sed postea quam lux ipsa venit, remotæ sunt umbræ, non sumus retenti in littera, sed vivificati in spiritu: et non est impositum jugum observationis Christianis, quod impositum erat Judæis; quia Dominus dixit, *Jugum enim meum suave est, et sarcina mea levis est* (*Matth.* XI, 30): et, *Omnia*, ait Apostolus, *munda mundis: immundis autem et infidelibus, nihil est mundum; sed polluta sunt eorum et mens et conscientia* (*Tit.* I, 15). Quid voluit intelligi? Mundo homini et panis et porcina munda est, immundo nec panis, nec porcina. *Immundis autem*, inquit, *et infidelibus nihil est mundum.* Quare nihil est mundum? *Sed polluta sunt*, inquit, *eorum et mens et conscientia:* quia si interius quod est, immundum est; foris quod est, nihil mundum esse potest. Si ergo illis quibus interiora immunda sunt, exteriora munda esse non possunt; si volueris ut exteriora munda sint, interiora mundato. Ibi est enim os quod implebitur tibi gaudio, et quando taces: quando enim taces et gaudes, os tuum clamat ad Deum. Sed vide unde gaudeas. Si de sæculo gaudes, immundo gaudio vociferaris ad Deum: si vero de redemptione gaudes, quomodo dixit psalmus iste, *Cum converteret Dominus captivitatem Sion, facti sumus jucundati;* tunc impletur vero gaudio os tuum, et lingua tua exsultatione: manifestum est quia in spe gaudes, et acceptum est gaudium tuum apud Deum. In ipso gaudio, vel in ipso ore quod habemus intus, et manducamus et bibimus: sicut de isto ore ad refectionem corporis, sic et de illo ore ad refectionem cordis. Nam inde, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6).

7. Si autem non facit immundum nisi quod exit de ore, et hoc cum audimus in Evangelio, non intelligimus nisi os corporis; absurdum est et nimis stultum, ut tunc putemus non fieri immundum hominem, cum manducat, tunc autem putemus immundum, si vomat. Ait enim Dominus: *Non quod intrat in os, sed quod exit, coinquinat.* Quando ergo manducas, non fis immundus; et quando vomis, efficeris immundus? Quando bibis, non es immundus; et quando spuis; immundus es? Quando spuis enim, de ore tuo exit aliquid; quando bibis, in os intrat aliquid. Quid voluit dicere Dominus, *Non quod intrat in os, sed quod exit, inquinat?* Secutus eodem loco secundum alium evangelistam dixit quæ sunt quæ procedunt de ore; ut intelligas non de ore corporis eum dixisse, sed de ore cordis. Ait enim: *De corde enim exeunt cogitationes malæ, fornicationes, homicidia, blasphemiæ; hæc sunt quæ coinquinant hominem: non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem* (*Matth.* XV, 1-20; *et Marc.* VII, 5-23). Illa ergo, fratres mei, quomodo exeunt de ore, nisi quia *exeunt de corde*, sicut ipse Dominus dicit? Non enim quando illa loquimur, tunc nos maculant. Ne quis dicat: Quando loquimur, de ore nostro exeunt, quia verba et voces de ore nostro exeunt; et quando mala loquimur, immundi efficimur. Quid si aliquis non loquatur, et tantum cogitet mala, mundus est, quia de ore ipsius corporis nihil processit? Sed de ore cordis jam Deus audivit. Ecce, fratres mei, attendite quæ dico. Nomino furtum: modo nominavi furtum; numquid quia nominavi furtum, contaminavit me furtum? Ecce de ore meo exiit, et non me fecit immundum. Fur autem surgit in nocte, et nihil dicit ore, et faciendo fit immundus. Non solum non dicit, sed et premit facinus toto silentio; et usque adeo vocem suam timet audiri, ut nec vestigia sua velit sonare: numquid ergo quia ita silet, mundus est? Plus autem dico, fratres mei. Ecce adhuc in stratu suo jacet, nondum surrexit ut furtum faciat; vigilat, et exspectat ut homines dormiant: jam Deo clamat, jam fur est, jam immundus est, jam facinus de ore interiore processit. Quando enim facinus ex ore procedit? Quando voluntas faciendi decernitur. Decrevisti facere; dixisti, fecisti. Si furtum non feceris foris; forsitan ille non meruit perdere, cui disponebas auferre: et ille nihil perdidit, et tu de furto damnaberis. Decrevisti occidere hominem; dixisti in corde, sonuit de ore tuo interiore homicidium: adhuc vivit homo, et tu homicida puniris. Quid sis enim apud Deum, quæritur, non quid nondum apparueris apud homines.

8. Certe ergo novimus, et nosse debemus, et tenere quia est os cordis, est et lingua cordis. Ipsum os impletur gaudio: in ipso ore intus oramus Deum, quando labia clausa sunt, et patet conscientia. Silentium est, et clamat pectus: sed auribus cujus? Non hominis, sed Dei. Securus ergo esto; ille audit qui miseretur. Et rursus quando nemo hominum audit mala, si procedunt de ore tuo[1], noli esse securus, quia ille audit qui damnat. Susanna non audiebatur[2] ab injustis judicibus, tacebat et orabat. Os ejus non audiebatur ab hominibus, cor ejus clamabat ad

[1] Septem Mss., *de corde tuo*.
[2] Aliquot Mss., *Susanna judicabatur*. Et plures absque negatione, *Susanna audiebatur*.

Deum (*Dan.* XIII, 35, *etc.*). Numquid quia vox ejus de ore corporis non processit, propterea exaudiri non meruit? Exaudita est illa; quando oravit, nemo hominum scivit. Ergo, fratres, quid habeamus in ore interiore, cogitate. Ibi videte ne quid mali dicatis intus, et nihil mali facitis foris: non potest enim fieri ab homine foris, nisi quod dictum fuerit intus. Custodi os cordis a malo, et innocens eris: innocens erit lingua corporis tui, innocentes manus erunt; etiam pedes innocentes erunt, oculi innocentes erunt, aures innocentes erunt[1]; omnia membra tua justitiæ militabunt, quia imperator justus tenuit cor.

9. *Tunc dicent inter Gentes, Magnificavit Dominus facere cum eis. Magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus jucundati.* Videte, fratres, si modo Sion non illud dicit inter Gentes, per totum orbem terrarum; videte si non ad Ecclesiam curritur. In toto orbe terrarum pretium nostrum accipitur; Amen respondetur. Dicunt ergo inter Gentes Jerosolymitani captivi, Jerosolymitani redituri[2], peregrini, suspirantes patriæ suæ. Quid dicunt? *Magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus jucundati.* Numquid ipsi secum fecerunt? Ipsi male secum fecerunt, quia sub peccato se vendiderunt. Redemptor venit, et bene cum illis fecit: et *magnificavit Dominus facere cum eis. Magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus jucundati.*

10. [*vers.* 4.] *Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro.* Quid sit hoc, attendat Charitas vestra. Jam dixerat, *Cum converteret Dominus captivitatem Sion.* Quasi de præterito loquebatur: sed solet fieri ut de præterito loquens, futura prænuntiet Propheta. Nam quasi de præterito loquebatur, cum in alio psalmo diceret, *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea* (*Psal.* XXI, 17). Non dixit, fossuri sunt; non dixit, dinumerabunt; non dixit, divident sibi vestimenta mea; non dixit, super vestimentum meum mittent sortem: futura erant, et quasi facta cantabantur. Omnia enim quæ futura sunt, Deo jam facta sunt. Hic ergo cum diceret, « Cum converteret Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati; tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione; » ut ostenderet se figura præteriti futura cogitare, ait, « Tunc dicent inter Gentes. » *Dicent*, jam de futuro est. « Magnificavit Dominus facere nobiscum; facti sumus jucundati[3]. » Tunc cum cantabantur, futura erant, et nunc videntur præsentia. Ergo orat tanquam de futuris, qui futura tanquam præterita præcinebat: *Converte, Domine, captivitatem nostram.* Nondum erat ergo conversa captivitas, quia nondum Redemptor advenerat. Ergo, quando cantati sunt Psalmi, quod orabatur tunc, jam factum est: *Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro.* Sicut convertuntur torrentes in austro, sic converte captivitatem nostram. Quærebatur quid sit; sed patebit modo, adjuvante Domino, vestris orationibus. Quodam loco Scriptura, cum præciperet et moneret de operibus bonis, ait: *Sicut glacies in sereno, ita solventur peccata tua* (*Eccli.* III, 17). Ergo peccata ligabant nos. Quomodo? Quomodo frigus ligat aquam ne currat. Et illigati frigore peccatorum gelavimus. Auster autem calidus ventus est: quando flat auster, liquescit glacies, et implentur torrentes. Torrentes autem dicuntur flumina hiemalia; magno enim impetu repentinis aquis impleta currunt. Gelaveramus ergo in captivitate; constringebant nos peccata nostra: flavit auster Spiritus sanctus; dimissa sunt nobis peccata, soluti sumus a frigore iniquitatis; tanquam glacies in sereno, solvuntur peccata nostra. Curramus ad patriam, quasi torrentes in austro. Diu enim laboravimus, et laboramus etiam facientes bene. Nam ipsa vita humana quam ingressi sumus, misera est, laboribus plena, doloribus, periculis, ærumnis, tentationibus. Nolite seduci gaudio rerum humanarum; flenda in rebus humanis advertite. Poterat ridere prius puer qui nascitur: quare a fletu incipit vivere? Ridere nondum novit; quare plorare jam novit? Quia cœpit ire in istam vitam. Sed si de illis captivis est, hic flet et gemit; sed veniet gaudium.

11. [*vers.* 5.] Sequitur enim: *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* In ista vita, quæ plena est lacrymis, seminemus. Quid seminabimus? Opera bona. Opera misericordiæ semina nostra sunt: de quibus seminibus ait Apostolus, « Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim proprio metemus infatigabiles. Itaque dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei » (*Galat.* VI, 8-10). Loquens itaque de ipsis eleemosynis, quid ait? *Hoc autem dico, Qui parce seminat, parce et metet* (II *Cor.* IX, 6). Ergo qui multum seminat, multum metet: *qui parce seminat, parce et metet;* et qui nihil seminat, nihil metet. Quare desideratis latos fundos, ubi multa semina seminetis? Latior vobis non est ubi seminetis, quam Christus, qui in se voluit seminari. Terra vestra Ecclesia est; seminate quantum potestis. Sed parum habes unde facias. Habes voluntatem? Quomodo nihil esset quod habes, si non adesset bona voluntas; sic et quia non habes, noli esse tristis, si est tibi bona voluntas. Quid enim seminas? Misericordiam. Et quid metes? Pacem. Numquid autem dixerunt Angeli, Pax in terra divitibus hominibus? Sed, *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). In Zacchæo magna voluntas[1], in Zacchæo charitas magna. Suscepit Dominum hospitio, gaudens suscepit, et dimidium patrimonii sui pauperibus promisit se daturum, et si cui aliquid abstulerat, quadruplum redditurum (*Id.* XIX, 6, 8); ut intelligas propterea sibi eum tenuisse dimidium, non ut haberet quod possideret, sed ut haberet unde debita redderet. Magna voluntas; multum dedit, mul-

[1] In B. post, *oculi innocentes*, deest vox, *erunt;* post, *aures*, prætermissa sunt verba, *innocentes erunt*. Er. Lugd. Ven. Lov. secuti sumus. M.
[2] Quatuor Mss., *redempti*.
[3] Hic apud Er. et Lov. additur, *de præterito:* quod a cæteris libris abest.

[1] Ad hæc verba, *In Zacchæo magna voluntas*, præmittebatur in Edd.: *In vidua magna voluntas:* quod a Mss. abest.

tum seminavit. Ergo vidua illa quæ duo minuta misit, parum seminavit? Imo tantum, quantum Zacchæus. Minores enim facultates ferebat, sed parem voluntatem habebat (*Luc.* XXI, 1-4). Misit duo minuta de tanta voluntate, de quanta Zacchæus dimidium patrimonii sui. Si attendas quid dederunt, diversa invenies : si attendas unde dederunt, paria invenies; quidquid habuit dedit illa, et quod habuit dedit ille.

12. Fac aliquem non habere vel duos nummos : est aliquid vilius quod seminemus, ut metamus illam messem? Est : *Calicem aquæ frigidæ qui dederit discipulo, non perdet mercedem suam.* Calix aquæ frigidæ non duobus nummis, sed gratis constat; tamen aliquando sic gratis constat, ut habeat illum alius, et alius non habeat : si ergo ille qui illum habet, dederit illi qui non habet; tantum dedit, si de plena charitate dedit quod dedit, tantum dedit, quantum illa in duobus minutis, quantum Zacchæus in dimidio rerum suarum. Non enim sine causa addidit, *frigidæ*, ut pauperem ostenderet. Ideo dixit, *Calicem aquæ frigidæ*, ne quis vel inde causaretur quod lignum non habuerit unde calefaceret aquam. *Calicem aquæ frigidæ qui dederit uni ex minimis, non perdet mercedem suam* (*Marc.* IX, 40; *et Matth.* X, 42). Quid si nec hoc habeat? Securus sit, etsi nec hoc habet; *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis :* tantum illud timeat, ne habeat et non faciat. Si enim habet et non facit, intus gelavit; nondum soluta sunt peccata ejus sicut torrens in austro, quia voluntas frigida est. Quid valent tanta bona quæ possidemus? Accedit voluntas fervens, jam soluta calore austri; etsi nihil habeat, totum illi computatur. Quanta sibi præstant mendici? Intendat Charitas vestra quomodo fiat eleemosyna. Certe mendici sunt in quos facis eleemosynam, mendici egent. Attenditis forte fratres vestros, si aliquo egent; tribuitis, si est in vobis Christus, etiam exteris. Sed si illi sunt mendici, qui professionem habent petendi, in ærumna et ipsi habent quod præstent sibi invicem. Non illos deseruit Deus, unde probentur, quia faciunt eleemosynas. Iste non potest ambulare; qui potest ambulare, pedes suos accommodat claudo; qui videt, oculos suos accommodat cæco; et qui juvenis est et sanus, vires suas accommodat vel seni vel ægroto, portat illum : ille indiget, ille dives est.

13. Aliquando et dives invenitur pauper, et a paupere præstatur illi aliquid. Venit nescio quis ad flumen, tanto delicatior quanto ditior; transire non potest : si nudatis membris transiret, frigesceret, ægrotaret, moreretur : accedit pauper exercitatior corpore, trajicit divitem; eleemosynam facit in divitem. Ergo nolite eos tantum putare pauperes, qui non habent pecuniam. In quo quisque pauper est, ibi illum vide; quia forte tu in eo dives es, in quo ille pauper est, et habes unde accommodes. Forte membra tua accommodas, et plus est quam si pecuniam accommodares. Consilio indiget, tu plenus es consilio; in consilio ille pauper, tu dives es. Ecce nec laboras, nec aliquid perdis; das consilium, et præstitisti eleemosynam. Modo, fratres mei, cum loquimur, quasi pauperes ad nos estis; et quia nobis Deus dignatus est dare, damus inde vobis; et omnes ab illo accipimus, qui solus est dives. Sic se ergo tenet corpus Christi, membra socia sic compinguntur et adunantur in charitate et in vinculo pacis, cum quisque id quod habet, præstat ei qui non habet [1] : in eo quod habet, dives est; in eo quod ille non habet, pauper est. Sic vos diligite, sic vos amate. Nolite ad vos solos attendere; sed attendite indigentes circa vos. Sed quia cum laboribus et ærumnis fiunt ista in ista vita, nolite deficere. In lacrymis seminatis, in gaudio metetis. Quid enim, fratres mei? Ipse agricola quando procedit cum aratro, et portat semen, nonne aliquando frigidus est ventus, et imber deterret? Attendit cœlum, videt triste, tremit frigore, et tamen procedit, et seminat. Timet enim ne cum tristem diem attendit et exspectat diem lætum, tempus transeat, et non inveniat quod metat. Nolite differre, fratres mei; seminate in hieme, seminate bona opera et cum ploratis; quia *qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Mittunt semina sua, bonam voluntatem et bona opera.

14. [*vers.* 6.] *Euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua.* Quare flebant? Quia inter miseros erant, et miseri erant. Melius est, fratres mei, ut nullus sit miser, quam ut tu facias misericordiam. Qui enim ut faciat misericordiam optat esse miseros, crudelem habet misericordiam : quomodo si medicus ut exerceret artem suam, optaret esse multos ægrotos, crudelis medicina esset. Melius est ut omnes sani sint; quam ut exerceatur ars medici. Melius est ergo ut omnes beati regnent in illa patria, quam ut sint quibus impendatur misericordia. Tamen quamdiu sunt quibus impendatur, non deficiamus in ista ærumna mittere semina. Etsi cum fletu seminamus, tamen cum gaudio metemus. In illa enim resurrectione mortuorum recipiet quisque manipulos suos, id est fructum seminis, coronam gaudiorum et exsultationis. Tunc erit triumphus lætantium, et ipsi morti insultantium, in qua gemebatur : tunc dicent morti, *Ubi est, mors, contentio tua? Ubi est, mors, aculeus tuus* (I *Cor.* XV, 55)? Sed quare jam gaudent? Quia *portant manipulos suos.* Quia *euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua.* Quare, *mittentes semina sua?* Quia *qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.*

15. Isto psalmo exhortati vos fuerimus maxime ad faciendam misericordiam, quia hinc ascenditur; et videtis quia ille cantat canticum graduum, qui ascendit. Mementote; nolite amare descendere et non ascendere, sed de ascensione cogitate : quia qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, incidit in latrones. Non descenderet [2], et non incideret in latrones. Jam ergo Adam descendit, et incidit in latrones : omnes enim nos Adam sumus. Sed transiit sacerdos, et contempsit; transiit Levita, et contempsit; quia Lex sanare non potuit. Transiit Samaritanus quidam, id est

[1] Am. Er. et plerique Mss., *cum quisque id quod præstat ei qui non habet.*

[2] Er. Lugd. Ven. Lov.: *Nisi descenderet, non,* etc. M.

Dominus noster Jesus Christus : illi enim dictum est, *Nonne verum dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?* Ille non dixit, Non sunt Samaritanus; sed dixit, *Ego dæmonium non habeo* (*Joan.* VIII, 48, 49). Samarites enim interpretatur, Custos. Si diceret, Non sum Samaritanus; diceret, Non sum custos. Et quis alius custodiret? Deinde ponens similitudinem : *Transiit Samarites, et fecit cum illo misericordiam*, sicut scitis. Jacebat autem in via vulneratus, quia descendit. Transiens Samaritanus non nos contempsit : curavit nos, levavit in jumentum, in carne sua [1]; perduxit ad stabulum, id est ad Ecclesiam; commendavit stabulario, id est Apostolo; dedit duos denarios unde curaretur, charitatem Dei et charitatem proximi : in his duobus enim præceptis tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII, 37-40). Dixit autem stabulario : *Si quid amplius erogaveris, in redeundo reddam tibi* (*Luc.* X, 30-37). Amplius erogavit Apostolus; quia cum omnibus Apostolis permissum esset ut acciperent tanquam milites Christi stipendia a provincialibus Christi, ille manibus suis laboravit, et annonas suas provincialibus donavit (I *Cor.* IV, 12; I *Thess.* II, 7, 9; *et* II *Thess.* III, 8, 9). Omnia facta sunt : si descendimus, et vulnerati sumus; ascendamus, cantemus, et proficiamus, ut perveniamus.

IN PSALMUM CXXVI
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Inter omnia cantica quibus est titulus, *Canticum graduum*, iste psalmus aliquid amplius in titulo accepit, quod additum est, *Salomonis*. Sic enim prænotatur : *Canticum graduum Salomonis*. Itaque fecit nos intentos inusitatior titulus cæteris, ut quæramus quare sit additum, *Salomonis*. Nam quid sit *Canticum graduum*, non opus est sæpe repetere; plura enim dicta sunt hinc, quia cantat ascendentis vox in affectu pietatis et charitatis ad illam supernam Jerusalem, cui suspiramus quamdiu peregrinamur, et ubi lætabimur cum a peregrinatione redierimus. Ascendit ad hanc omnis qui proficit; cadit ab hac omnis qui deficit. Nec pedibus ascendere quæras, nec pedibus te descendere putes : amando Deum, ascendis; amando sæculum, cadis. Sunt ergo ista cantica amantium, quodam sancto desiderio flagrantium. Ardent qui ista cantant ex corde, quorum etiam cor ardens invenitur in moribus, in bona conversatione, in operibus secundum præcepta Dei, in contemptu temporalium, in charitate æternorum. Sed quare sit additum, *Salomonis*, quantum inspiraverit Dominus, dicam Charitati vestræ.

2. Salomon erat tempore suo filius David, magnus ille, per quem multa sancta præcepta et salubria monita et divina sacramenta Spiritus sanctus in divinis Litteris operatus est. Nam ipse Salomon mulierum amator fuit, et reprobatus est a Deo : et usque adeo laqueus illi fuit illa cupiditas, ut a mulieribus etiam idolis sacrificare cogeretur, sicut de illo Scriptura testis est (III *Reg.* XI). Sed si illo cadente, quæ per illum dicta sunt, delerentur; judicaretur quia ipse dixerat, non per illum dicta erant. Optime igitur etiam hoc egit misericordia Dei et Spiritus ejus, ut quidquid boni per Salomonem dictum est, Deo tribueretur; peccatum autem hominis homini. Quid mirum quia in populo Dei cecidit Salomon? In paradiso non cecidit Adam? Non cecidit de cœlo angelus, et diabolus factus est? Ideo docemur in nullo hominum spem esse ponendam. Quia et iste Salomon ædificaverat templum Domino (*Id.* VI), in typo quidem et in figura futuræ Ecclesiæ et corporis Domini; unde dicit in Evangelio, *Solvite templum hoc, et in triduo excitabo illud* (*Joan.* II, 19) : quia ergo ipse ædificaverat illud templum, ædificavit sibi templum verus Salomon Dominus noster Jesus Christus, verus pacificus. Nomen enim Salomonis interpretatur Pacificus : est autem ille verus pacificus, de quo dicit Apostolus, *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum*. Ipse est verus pacificus, qui duos parietes e diverso venientes in se copulavit, quibus factus est lapis angularis, venienti populo ex circumcisione credentium, et venienti populo ex præputio Gentium et ipsorum credentium; fecit unam Ecclesiam de duobus populis, factus est illis lapis angularis (*Ephes.* II, 14-22), et ideo vere pacificus. Quia ergo ille verus Salomon; Salomon autem ille filius David de muliere Bethsabee (II *Reg.* XII, 24), rex Israel, figuram gestabat hujus pacifici, quando templum ædificavit : ideo ne illum putes Salomonem qui ædificavit domum Deo, alium Salomonem tibi ostendens Scriptura sic cœpit in Psalmo : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam.* Dominus ergo ædificat domum, Dominus Jesus Christus ædificat domum suam. Laborant multi in ædificando; sed si non ille ædificet, *in vanum laboraverunt ædificantes eam.* Qui sunt qui laborant ædificantes? Omnes qui in Ecclesia prædicant verbum Dei, ministri Sacramentorum Dei. Omnes currimus, omnes laboramus, omnes ædificamus modo; et ante nos cucurrerunt, laboraverunt, ædificaverunt : sed *nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, ædificantes eam.* Ideo quosdam videntes ruere Apostoli, et proprie Paulus ait : *Dies observatis, et annos, et menses, et tempora; timeo vos* [1], *ne forte sine causa laboraverim in vos* (*Galat.* IV, 10, 11). Quia noverat se intus a Domino ædificari, plangebat istos, quia sine causa laboraverat in eis. Nos ergo loquimur foris, ille ædificat intus. Quomodo audiatis, nos advertimus; quid cogitetis, ille solus novit qui cogitationes vestras videt. Ipse ædificat, ipse monet, ipse terret, ipse intellectum aperit, ipse ad fidem applicat sensum vestrum : et tamen laboramus et nos tanquam operarii; sed *nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam.*

3. Quæ autem domus Dei, et ipsa civitas. Domus enim Dei, populus Dei; quia domus Dei, templum Dei. Et quid dicit Apostolus? *Templum enim Dei sanctum*

[1] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *id est in carnem suam.*

[1] Sic Mss. At Edd. carent, *vos* : et infra habent, *laboraverim in vobis.*

est, quod estis vos (I *Cor.* III, 17). Omnes autem fideles, quæ est domus Dei, non solum qui modo sunt, sed et qui ante nos fuerunt et jam dormierunt, et qui post nos futuri sunt, adhuc qui nasci habent in rebus humanis usque in finem sæculi, congregati in unum fideles innumerabiles, sed Domino numerati, de quibus dicit Apostolus, *Novit Dominus qui sunt ejus* (II Tim. II, 19); grana illa quæ modo gemunt inter paleas, quæ massam unam factura sunt, quando area in fine fuerit ventilata (*Matth.* III, 12): omnis ergo numerus fidelium sanctorum, ex hominibus commutandorum ut fiant æquales Angelis Dei, adjuncti etiam ipsi Angelis, qui modo non peregrinantur, sed exspectant nos quando a peregrinatione redeamus; omnes simul unam domum Dei faciunt, et unam civitatem. Ipsa est Jerusalem. Habet custodes: quomodo habet ædificantes, laborantes ut ædificetur; sic habet et custodientes. Nam ad custodiam pertinet quod dicit Apostolus: *Timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et vestræ mentes corrumpantur a castitate quæ est in Christo* (II *Cor.* XI, 3). Custodiebat, custos erat [1]; vigilabat, quantum poterat, super eos quibus præerat. Et episcopi hoc faciunt. Nam ideo altior locus positus est episcopis, ut ipsi superintendant, et tanquam custodiant populum. Nam et græce quod dicitur episcopus, hoc latine superintentor interpretatur; quia superintendit, quia desuper videt. Quomodo enim vinitori altior fit locus ad custodiendam vineam, sic et episcopis altior locus factus est. Et de isto alto loco periculosa redditur ratio, nisi eo corde stemus hic, ut humilitate sub pedibus vestris simus, et pro vobis oremus, ut qui novit mentes vestras ipse custodiat. Quia nos intrantes vos et exeuntes possumus videre; usque adeo autem non videmus quid cogitetis in cordibus vestris, ut neque quid agatis in domibus vestris videre possimus. Quomodo ergo custodimus? Quomodo homines; quantum possumus, quantum accepimus. Et quia nos sicut homines custodimus, et perfecte custodire non possumus, ideo sine custode remanebitis? Absit. Nam ubi est ille de quo dicitur, *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum laboravit qui custodit eam?* Laboramus in custodiendo, sed vanus est labor noster, nisi ille custodiat qui videt cogitationes vestras. Custodit ille cum vigilatis, custodit et cum dormieritis [2]. Ille enim dormivit in cruce semel, et surrexit; jam non dormit. Estote Israel; quia non dormit, neque dormitabit, qui custodit Israel (*Psal.* CXX, 4). Eia, fratres, si volumus sub umbra alarum Dei custodiri, simus Israel [3]. Custodimus enim vos ex officio dispensationis; sed custodiri volumus vobiscum. Tanquam vobis pastores sumus, sed sub illo Pastore vobiscum oves sumus. Tanquam vobis ex hoc loco doctores sumus; sed sub illo uno Magistro in hac schola vobiscum condiscipuli sumus.

4. [*vers.* 2.] Si volumus custodiri ab illo qui humiliatus est propter nos, et exaltatus est ad custodiendos nos, humiles simus. Nemo sibi arroget aliquid. Nemo habet aliquid boni, nisi ab illo acceperit, qui solus bonus est. Qui autem sibi voluerit arrogare sapientiam, stultus est. Sit humilis, ut veniat sapientia et illuminet illum. Si autem antequam veniat in illum sapientia, putat se esse sapientem; ante lucem surgit, et ambulat in tenebris. Et quid audit in isto psalmo? *In vanum est vobis ante lucem surgere.* Quid est, *In vanum est vobis ante lucem surgere?* Si surgatis antequam surgat lux, necesse est ut in vanitate remaneatis, quia in tenebris eritis. Surrexit lux nostra Christus; bonum est tibi ut surgas post Christum, non surgas ante Christum. Qui surgunt ante Christum? Qui se volunt præponere Christo. Et qui sunt qui se volunt præponere Christo? Qui volunt hic excelsi esse, ubi humilis ille fuit. Sint ergo hic humiles, si volunt ibi esse excelsi, ubi Christus excelsus est. Ait enim de iis qui illi adhæserant fide, in quibus et nos sumus, si et nos in illum puro corde credimus: *Pater*, inquit, *quos mihi dedisti, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum* (*Joan.* XVII, 24). Magnum donum, magna gratia, magna promissio, fratres mei! Et quis non vult esse cum Christo, ubi est Christus? Sed jam excelsus Christus: vis ibi esse ubi est excelsus? Esto humilis, ubi et ille humilis fuit. Propterea illis dicit ipsa lux: *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum* (*Matth.* X, 24). Qui volebant discipuli esse super magistrum; et servi volebant esse super dominum suum, ante lucem volebant surgere; in vanum ibant, quia non post lucem ibant. Illis ergo dicit iste psalmus, *In vanum est vobis ante lucem surgere.* Tales erant filii Zebedæi, qui antequam humiliarentur secundum passionem Domini, jam sibi loca eligebant, ubi sederent, unus ad dexteram, alter ad sinistram: ante lucem volebant surgere; ideo in vanum ibant. Revocavit illos Dominus ad humilitatem, cum hoc audiret, et ait illis: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum* (*Id.* XX, 21, 22). Ego veni humilis esse, et vos ante me vultis esse excelsi? Qua ego eo, illac sequimini, ait. Nam si hac vultis ire, qua ego non eo, *In vanum est vobis ante lucem surgere.* Et Petrus ante lucem surrexerat, quando consilium Domino dare volebat, ut non pateretur pro nobis. Dixerat enim ille de passione sua, in qua salvi futuri eramus, de ipsa humilitate; humilis enim passus est: cum ergo de passione sua futura diceret, expavit Petrus, qui illum paulo ante dixerat Filium Dei; timuit ne moreretur, et ait illi, *Absit a te, Domine; propitius esto tibi: non fiet istud.* Ante lucem volebat surgere, et luci consilium dare. Sed quid fecit Dominus? Fecit illum ut post lucem surgeret: *Redi post me, satanas* (*Id.* XVI, 21-23). Ideo enim satanas, quia ante lucem vis surgere. *Redi post me*, ut ego præcedam, tu sequaris: qua ego eo, illac eas; non qua tu vis ire, illac me velis ducere.

5. Ergo illis qui volebant ante lucem surgere dicit Psalmus, *In vanum est vobis ante lucem surgere.* Et quando surgemus? Cum fuerimus humiliati: *Surgite*

[1] Sic aliquot Mss. Alii autem omittunt, *custos erat*: cujus loco Edd. habent, *cautus erat*.
[2] Er. Lugd. Ven. Lov., *dormitis*. M.
[3] Isthæc verba, *simus Israel*, absunt ab Am. et a Mss., nec necessaria videbuntur, si sententia superior ad id referatur, quod paulo infra subjicitur, scilicet, *humiles simus*.

posteaquam sedistis. Surrectio exaltationem significat, sessio humilitatem significat. Aliis locis intelligitur sessio in honore judicandi, aliis locis humilitatem ostendit. Quomodo in honore judicandi sessio? *Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Quomodo in signo humilitatis sessio? *Hora sexta Dominus fatigatus sedit ad puteum* (*Joan.* IV, 6). Fatigatio Domini, infirmitas Domini fuit, infirmitas virtutis, infirmitas sapientiæ: sed ipsa infirmitas, humilitas. Ergo si sedit ex infirmitate, sessio illa humilitatem significat. Et ipsa sessio ipsius, id est humilitas ipsius, ipsa nos fecit salvos; quia, *Quod infirmum est Dei, fortius est quam homines.* (I *Cor.* I, 25). Ideo dicit in quodam psalmo: *Domine, tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam* (*Psal.* CXXXVIII, 2); id est humilitatem meam, et exaltationem meam. Quid ergo vos ante lucem vultis exaltari, o filii Zebedæi? Sic enim loquamur, et ipsos potius nominemus, qui non nobis irascuntur; quia ideo de illis ista conscripta sunt, ut alii caverent superbiam in qua ipsi correpti sunt [1]. Quid ergo vultis *ante lucem surgere? In vanum est vobis.* Exaltari vultis, antequam humiliemini? Dominus ipse vester, qui est lux vestra, humiliatus est ut exaltaretur. Audite Paulum dicentem: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Quare illi non erat rapina? Quia natura erat, quia hoc [2] natus erat, ut esset æqualis illi a quo genitus est. Sed quid fecit? Propter nos *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hæc est sessio ipsius. Sed audi resurrectionem: *Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* II, 6-9). Jam vos ad illud nomen festinatis; *surgite,* sed *posteaquam sedistis.* Surgere vultis, sed primo sedete: et surgens ab humilitate, pervenis ad regnum. Nam si præripis regnum, cadis a regno antequam surgas. *Potestis bibere,* inquit, *calicem quem ego bibiturus sum?* Et illi: *Possumus.* Et ille: *Calicem,* inquit, *meum bibetis; sedere autem ad dexteram, vel ad sinistram meam,* ait, *non est meum dare vobis: aliis paratum est a Patre meo* (*Matth.* XX, 22, 23). Quid est, *non est meum dare vobis?* Non est meum dare superbis; hoc enim adhuc erant. Sed si vultis illud accipere, nolite esse quod estis. *Aliis paratum est;* et vos alii estote, et vobis paratum est. Quid est, Alii estote? Prius humiliamini, qui jam vultis exaltari. Intellexerunt ergo humilitatem profuturam sibi, et correcti sunt. Ergo et nos hoc audiamus, quia hoc dicit psalmus iste: *Surgite posteaquam sedistis.*

6. Sed ne quis putet se ad hoc sedere ut honoretur; ut ostenderet quia sessione ista humilitatem voluit commendare; ne quis se putaret jussum esse sedere aut ad judicandum, aut ad epulandum et gaudendum, et majorem superbiam ibi quæreret; in significationem humilitatis addidit, *Qui manducatis panem doloris.* Illi ergo manducant panem doloris, qui gemunt in ista peregrinatione. Ipsi sunt in convalle plorationis. Ascensiones enim facit Deus in corde. Sed ubi illas disponit? *Ascensiones,* inquit, *in corde ejus disposuit.* Quis? Deus. Si ascensiones in corde, ideo cantant canticum graduum. Humiliemur in sæculo: ascendamus [1]. Quomodo? Corde. Quia ipsa ascensio cordis, a convalle plorationis surgit. *In convalle,* inquit, *plorationis* (*Psal.* LXXXIII, 6, 7). Quomodo erecti sunt montes, sic sederunt convalles: convalles enim dicuntur loca depressa terrarum; colles autem eminentiora loca, minus tamen quam montes; multum excelsa loca terrarum montes dicuntur. Parum est: non ait, A colle surgite; nec ait, a campo; sed, a convalle, ut sit aliquid humilius quam campus est. Si ergo in convalle plorationis manducas panem doloris, et dicis, *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus* (*Psal.* XLI, 4)? bene surgis, quia sedisti.

7. Et quasi diceres, Quando surgemus? modo jubemur sedere; quando erit nostra surrectio, quando fuit Domini. Ad eum attende, qui te præcessit: nam si non ipsum attendis, in vanum est tibi ante lucem surgere. Ipse quando exaltatus est? Cum mortuus est. Ergo et tuam exaltationem post mortem spera, in resurrectione mortuorum spera, quia ille resurrexit et ascendit. Sed ubi dormivit? In cruce. Quando dormivit in cruce, signum gestabat, imo implebat quod significatum est in Adam: quia cum dormiret Adam, costa illi detracta est, et Eva facta est (*Gen.* II, 21, 22); sic et Domino cum dormiret in cruce, latus ejus lancea percussum est (*Joan.* XIX, 34), et Sacramenta profluxerunt, unde facta est Ecclesia. Ecclesia enim conjux Domini facta est de latere, quomodo Eva facta est de latere. Sed quomodo illa non est facta nisi de latere dormientis, sic ista non est facta nisi de latere morientis. Si ergo ille non resurrexit nisi mortuus, tu exaltationem speras nisi post hanc vitam? Sed ut doceat te iste psalmus, quasi interrogares, Quando surgam? fortassis priusquam sedero? *Cum dederit,* inquit, *dilectis ejus somnum.* Dat hoc Deus, cum dormierint dilecti ejus; tunc surgent dilecti ejus, id est Christi. Omnes enim surgent, sed non quomodo dilecti ejus. Omnium est resurrectio mortuorum; sed quid ait Apostolus? *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (I *Cor.* XV, 51). Resurgunt illi ad pœnas; resurgimus nos quomodo resurrexit Dominus noster, ut sequamur caput nostrum, si membra ipsius sumus. Si autem membra ejus sumus, tunc sumus dilecti ejus, tunc ad nos pertinet illa resurrectio quæ præcessit in Domino, ut lux surrexerit ante nos, nos post lucem: quia in vanum est nobis ante lucem surgere, id est, altitudinem quærere antequam moriamur; cum Christus lux nostra non sit exaltatus in

[1] Sic Mss. Edd. vero, *correcti sunt.*
[2] Sic plerique Mss. Alii cum Am., *in hoc.* Er. et Lov., *ad hoc.*

[1] Ita Mss. At Edd., *ut ascendamus.* Pauloque post Er. et Lov.: *Quia ipsa ascensio in cordibus,* etc.

carno, nisi posteaquam mortuus est. Constituti ergo membra ejus, et in membris ejus dilecti ejus, cum somnum acceperimus, tunc surgemus in resurrectione mortuorum. Unus resurrexit, jam non moriturus. Resurrexit Lazarus (*Joan.* XI, 44), sed moriturus; resurrexit filia archisynagogi (*Matth.* IX, 25), sed moritura; resurrexit filius viduæ (*Luc.* VII, 15), sed moriturus: resurrexit Christus, non moriturus. Audi Apostolum: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9). Talem spera resurrectionem; et propter hoc esto christianus, non propter felicitatem terræ hujus. Nam si propter felicitatem vitæ hujus vis esse christianus, quando illa lux tua non hic quæsivit mundanam felicitatem; ante lucem vis surgere, necesse est ut in tenebris perseveres. Mutare, sequere lucem tuam; qua resurrexit [1], surge: sede prius, et sic surge, *cum dederit somnum dilectis ejus.*

8. [*vers* 3.] Quasi quæreres iterum, Quibus dilectis? *Ecce hæreditas Domini, filii, merces fructus ventris.* Quando dicit, *fructus ventris*, parturiti sunt filii isti. Est quædam mulier, in qua spiritualiter ostenditur quod dictum est Evæ: *In gemitu parturies.* Parit enim Ecclesia filios conjux Christi; et si parit, parturit. In cujus figura etiam Eva *mater vivorum* appellata est (*Gen.* III, 16, 20). In membris parturientis erat ille qui dicebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis* (*Galat.* IV, 19). Sed non frustra parturivit, nec frustra peperit: erit semen sanctum in resurrectione mortuorum; abundabunt justi, qui diffusi sunt modo toto orbe terrarum. Gemit illos Ecclesia, parturit illos Ecclesia: in illa autem resurrectione mortuorum apparebit partus Ecclesiæ, transiet dolor et gemitus. Et quid dicetur? *Ecce hæreditas Domini, filii, merces fructus ventris.* Hujus *fructus* (*a*), non, hic fructus; *merces* hujus *fructus ventris.* Quæ est ipsa merces? Resurgere a mortuis. Quæ est ipsa merces? Surgere, posteaquam sedisti. Quæ est ipsa merces? Lætari, posteaquam manducasti panem doloris. Cujus ventris? Ecclesiæ: in cujus ventre, quia ejus typum Rebecca gestabat, duo illi gemini tanquam duo populi luctabantur (*Gen.* XXV, 22, 23). Una mater in visceribus suis dissentientes fratres nondum natos continebat: pulsabant materna viscera discordiis internis; gemebat illa, vim patiebatur; sed pariens discernebat quos geminos prægnans pertulerat. Sic et modo, fratres, quamdiu gemitus datus est Ecclesiæ, quamdiu parturit Ecclesia, ipsi sunt intus et boni et mali. Fructus autem ventris in Jacob erat, quia ipsum dilexit mater. *Jacob dilexi*, dicit Deus, *Esau autem odio habui* (*Malach.* I, 2, 3; *Rom.* IX, 13). Ambo de uno utero processerunt; unus amari meruit, alius reprobari. In dilectis ergo ejus fructus erit. Ergo *merces fructus ventris.*

9. [*vers* 4.] *Sicut sagittæ in manu potentis, sic filii excussorum.* Unde enim facta est hæreditas ista, fratres? unde facta est tam multa hæreditas, de qua dici habet in fine, *Ecce hæreditas Domini, filii, merces fructus ventris?* Excussi sunt quidam de manu Domini, tanquam sagittæ, et ierunt longe, et totam terram impleverunt, unde pullulant sancti. Nam ipsa est hæreditas de qua dicitur: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8). Et quomodo ista possessio pertenditur et crescit usque ad fines terræ? Quia *sicut sagittæ in manu potentis, sic filii excussorum.* De arcu excutiuntur sagittæ, et quanto fortior excusserit, tanto longius vadit sagitta. Quid autem fortius excutiente Domino? De arcu suo mandat Apostolos suos: non potuit esse residuum, quo non perveniret sagitta a tam forti excussa; pervenit usque ad fines terræ. Ideo non ultra, quia nihil est ultra generis humani. Nam tantas vires ille habet, ut etiam si ultra esset quo pertenderet sagitta, excuteret illuc sagittam. Sic sunt autem filii excussorum, quomodo et illi excussi. Quæsitum est enim de hoc verbo etiam ab iis qui ante nos ista tractarunt, quare filii excussorum dicti sunt, vel qui sunt intelligendi filii excussorum; et quibusdam visum est, sicut modo dixi, filios excussorum, filios esse Apostolorum.

10. Intendat paululum Charitas vestra. Quæsitum est quare excussi Apostoli: dictum est a quibusdam, ideo illos appellatos excussos, quia præcepit eis Dominus, *Si exieritis de civitate in qua non audiunt vos, excutite pulverem de pedibus vestris* (*Matth.* X, 14). Sed ait alius, Non ergo *filii excussorum* dici debuerunt, sed filii excutientium: excutientes enim illos fecit Dominus, quibus dixit, *Excutite pulverem de pedibus vestris;* non excussos. Subtiliter quidem quasi contradicere voluit præcedenti sententiæ [1], ille a quo jam ista tractata et dicta erant: verumtamen nos, quantum adjuvat Dominus, quærentes quomodo recte dici potuerint etiam excussi, quibus ait Dominus, *Excutite pulverem de pedibus vestris;* invenimus non absurde dici potuisse. Quamvis enim ipsi excuterent, se ipsos excutiebant. Hoc dico: qui excutit, aut se excutit, aut aliquid aliud: si aliquid aliud excutiat, excutiens est, excussus non est: si autem se excutiat, et excutiens est et excussus. Intendite; hoc planius dicam, si potuero. Si aliud excutiat, excutiens est, non excussus; si ab alio excutiatur, excussus est, non excutiens: si autem excutiat seipsum, excutiens est, quia excutit se; et excussus, quia excutitur a se. Quæritur ergo quos excusserint Apostoli? Utique seipsos: a pedibus enim suis pulverem excusserunt. Sed ait aliquis: Non se excusserunt, sed pulverem. Hoc plane calumniose dicitur. Duobus enim modis dicimus aliquid excuti; sive illud quod inde excutitur, sive illud unde excutitur. Nam et, Excussus est pulvis, dicimus; et, Excussa est vestis. Tenent aliqui et excutiunt vestem, et exsilit inde pulvis qui inhæserat. Quid dicis de pulvere? Excussus est pulvis. Quid dicis de veste? Excussa est vestis. Si ergo et quod inde excutiendo exsiliit, et illud unde exsi-

[1] Sic Er. Lugd. Ven. et Lov. In B., *quare surrexit.* M.
(*a*) Græc. τοῦ καρποῦ.

[1] Am. et Mss. post, *præcedenti sententiæ*, ferunt, *quia jam ista tractata et dicta erant*: quod forte glossema est.

fuit quod inhæserat, excussum dicitur; et pulvis excussus est, et Apostoli excussi sunt. Quare ergo non dicantur *filii excussorum* filii Apostolorum?

11. Sed est alia sententia quam prætermittere non debemus. Ideo enim forte obscurius positum est, ut multos intellectus generet, et ditiores [1] discedant homines, quia clausum invenerunt quod multis modis aperiretur, quam si uno modo apertum invenirent. Dicimus excuti etiam aliquid, ut exeat inde quod forte absconditum est. Aliter enim dicimus excuti vestem, ut excutiant inde pulverem; et aliter dicimus excuti saccum, ut illud quod intus latebat, exeat. Ergo intelligo, fratres, quantum possum, filios excussorum fortasse ipsos Apostolos dictos, filios Prophetarum. Prophetæ enim clausa sacramenta et operta continebant: excussi sunt, ut inde manifesta procederent. Puta ergo prophetam dixisse, sicut et dixit: *Agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cognovit* (*Isai* I, 3). Hoc mihi interim ad præsens occurrit, quod de propheta dicerem: si aliud occurrisset, hoc dixissem. Hoc autem audiens homo, si asinum et bovem, et pecora et jumenta quæ videt, cogitaverit; nescio quid intus tanquam in involucro positum forinsecus pertractabit; quid ibi sit nescit. Asinus et bos aliquid significant. Quid ergo dicitur homini jam pronuntiare volenti? Exspecta; clausum est quod tangis, excute involucrum: Propheta nescio quid illis velaminibus nominum texit; et nescio quem asinum, nescio quem bovem significat. Nam asinus in figura populi Dei, jumentum Dei est, portans sessorem Dominum ne erret in via: et bos ille de quo dicit Apostolus, *Bovi trituranti os non infrenabis. Numquid de bobus pertinet ad Deum*, dixit? *Sed propter nos Scriptura dicit* (I *Cor.* IX, 9, 10). Omnis ergo qui prædicat verbum Dei, monet, objurgat, terret; triturat aream, et bovis implet officium. Veniebat bos de gente Judæorum; inde enim prædicatores Apostoli: veniebat et asinus de gente præputii, id est a Gentibus. Venit enim ut portaret Dominum: et ideo in asino sedit Dominus, qui nunquam portaverat hominem; quoniam ad Gentes Lex non erat missa, nec Prophetæ. Ergo quia Dominus noster Jesus Christus cibaria nostra voluit esse, et propterea natus in præsepio collocatus est; *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui.* Sed numquid ista exirent, nisi saccus excuteretur? Nisi prophetia involuta, accedente diligentia discuteretur, numquid operta exirent ad nos? Omnia ergo ista clausa erant, antequam veniret Dominus. Venit Dominus et excussit illa clausa, et manifestata sunt; excussi sunt Prophetæ, et generati sunt Apostoli. Quia ergo excussis Prophetis generati sunt, Apostoli filii sunt excussorum. Ipsi in manu potentis positi tanquam sagittæ, pervenerunt usque in fines terræ. Unde dici habet in fine: *Ecce hæreditas Domini, filii, merces fructus ventris.* Quia ideo de finibus terræ colligitur ista hæreditas: quia, *Sicut sagittæ in manu potentis, sic filii excussorum;* id est, filii Prophetarum Apostoli fuerunt quasi sagittæ in manu potentis. Si potens ille, potenter excussit; si potenter excussit, usque in fines terræ pervenerunt quos excussit.

12. [*vers.* 5.] *Beatus homo qui implevit desiderium suum ex eis.* Eia, fratres mei, quis replet desiderium suum ex eis? Qui non amat sæculum. Qui desiderio sæculi plenus est, non est quo intret quod illi prædicaverunt. Funde quod portas, et capax fiere ad id quod non habes. Id est, desideras divitias; non potes implere ex eis desiderium tuum: desideras honores in terra, desideras ea quæ etiam jumentis donavit Deus, hoc est voluptatem temporalem, et salutem corporis, et talia; non ex eis implebis desiderium tuum. Si autem sic desideras, quomodo cervus desiderat ad fontes aquarum (*Psal.* XLI, 2); si dicis, *Desiderat et deficit anima mea in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII, 3): imples desiderium tuum ex eis; non quia jam illi possunt tale desiderium implere, sed tales imitando venis ad eum qui implevit desiderium ipsorum.

13. *Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.* Fratres, in porta loquamur, id est, omnes noverint quid loquamur. Qui enim non vult loqui in porta, latere vult quod loquitur; et forte ideo vult latere, quia malum est. Si fidit, in porta loquatur; sicut dicitur de Sapientia: *In portis autem civitatum audenter dicit* (*Prov.* VIII, 3). Quanto tempore justitiam innocentes tenuerint, non erubescent: hoc est in porta prædicare. Et quis est qui prædicat in porta? Qui prædicat in Christo; quia Christus est porta qua intramus ad illam civitatem. Mentior, si non ipse dixit, *Ego sum janua* (*Joan.* X, 9). Si janua est, et porta est. Janua enim dicitur domus; janua civitatis porta est, porta domus janua est. Sed forte non bene dicitur porta, si non bene dicitur civitas quæ dicta est domus. Utrumque enim paulo ante dictum est: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam;* et ne istam domum audiendo parvum aliquid putares, *Nisi Dominus*, inquit, *custodierit civitatem, in vanum laboravit qui custodit eam.* Illa est ergo domus quæ est civitas. Ipsa ergo habet januam tanquam domus, et habet portam tanquam civitas. Qui est ergo janua domus, ipse est porta civitatis. Ergo si Christus porta civitatis, ille non erubescit qui in Christo stat, et sic prædicat. Qui autem contra Christum prædicat, clauditur contra illum porta. Qui sunt illi qui contra Christum prædicant? Qui negant quia missæ sunt sagittæ de manu potentis, et pervenerunt usque in fines terræ; et ipsa est hæreditas Domini, de qua dictum est, *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8). Prædicatum est, auditum est, antequam fieret; et jam factum nolunt agnoscere. Qui disputant ergo contra Christum, extra portam sunt; quia suos honores quærunt, non Christi. Qui autem prædicat in porta, Christi honorem quærit, non suum; et ideo qui prædicat in porta, dicit: Nolite in me præsumere; non enim per me, sed per portam intrabitis. Illi autem qui volunt homines in seipsos præsumere, nolunt eos intrare per portam:

[1] Alter e Corb. Mss., *doctiores*.

non mirum si clauditur contra illos porta, et otiosi pulsant ut aperiatur. Adestote ergo animo, fratres, etiam propter crastinum sermonem, ex nostra pollicitatione, adjuvante Domino, vobis reddendum ex Evangelio de columba (*a*). In cujus nomine promisimus, in illius misericordia reddemus. Sed ut possimus esse idonei redditores, ne audaces fuerimus promissores, orate pro nobis.

IN PSALMUM CXXVII
ENARRATIO.
SERMO (*b*).

1. [*vers.* 1 4.] Sicut dicit Apostolus, fratres charissimi, *Spiritualibus spiritualia comparamus; animalis autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei* (I Cor. II, 13, 14); cavendum est ne homines animales non percipientes quæ sunt Spiritus Dei, scandalizentur potius in hoc psalmo, quam ædificentur. Nam breviter (quanquam eum, cum cantaretur, audivimus), quia brevis est, curro eum, non tractans, sed legens. Et videte quia si talia quisque concupierit pro magno a Deo, qualia continet iste psalmus; et forte non quia desertus est ab illo, sed quia magis diligitur, non acceperit; viderit que illa quæ hic sic audivit esse præmia timentium Deum, abundare illis qui non timent Deum: nutent gressus illius, et effundantur lapsu vestigia ejus, et dicat in corde suo, sine causa se Deum timuisse, quando illa dona non meruit, quæ promisit timentibus se; insuper et illi acceperunt, qui eum non solum non timuerunt, sed etiam blasphemaverunt. Videte enim quid dicat: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Labores fructuum tuorum manducabis; beatus es, et bene tibi erit.* Adhuc possumus hic, et quamvis animales, beatitudinem futuri sæculi cogitare; sed videte quid sequitur: « Uxor tua sicut vinea fertilis, in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut novellatio olivarum, in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. » Quomodo? Ut sit uxor ejus tanquam vinea fertilis in lateribus domus ejus, et filii ejus circumdent mensam ejus, tanquam olivarum novellatio. Ergo perdiderunt mercedem suam, qui propter Deum etiam uxores ducere noluerunt? Sed ait qui noluit ducere uxorem: Aliter me benedicet Deus. Imo vero, aut sic te benedicet, aut non te benedicet: aperte dicta sententia est, *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.*

2. Quid ergo sibi hoc vult, fratres? Ne desiderando temporalem et terrenam felicitatem, perdamus cœlestem, Propheta tanquam involucrum nobis constituit. Involucrum hoc nescio quid habet intus. Meminit autem Charitas vestra, cum superiorem psalmum vobis tractarem, qui est ante istum, incurrisse nos in quemdam versum obscurum, ubi dictum est, *Sicut sagittæ in manu potentis, sic filii excussorum* (Psal. CXXVI, 4); et cum quæreremus qui sint *filii excussorum*, visum esse nobis, suggerente quantum credimus Domino, filios excussorum Apostolos dictos esse, filios Prophetarum: quia Prophetæ in ænigmatis locuti sunt, et figuris rerum tanquam mysteriorum involucris cooperuerunt intellectum; qui intellectus prodire non potuit ad homines, nisi involucra illa excuterentur: unde dicti sunt illi *filii excussorum*, qui de Prophetis excussis profecerunt. Ergo et nos excutiamus istum, ne per involucra fallamur, et tangentes quod intus est et non videntes, dicamus forte lignum pro auro, aut testam pro argento. Excutiamus, si videtur Charitati vestræ: aderit Dominus, ut procedat quod intus est; maxime, fratres mei, quia martyrum natalitia celebramus. Quanta mala passi sunt martyres, quanta exitia, quanta tormenta, squalores carcerum, stricturam catenarum, sævitiam ferarum, ardorem flammarum, aculeos contumeliarum! Ista omnia passi essent, nisi nescio quid viderent quo se tenderent [1], quod ad hujus sæculi felicitatem non pertinet? Turpe est autem ut natalitia martyrum celebremus, horum videlicet servorum Dei contemnentium mundum istum propter sempiternam felicitatem, et accipiamus quod hic scriptum est pro præsenti felicitate, ut cuicumque forte homini Dei fideli, civi illius Jerusalem, contingat etiam ducta uxore filios non habere, dicamus: Non timet homo iste Dominum; nam si timeret Dominum, uxor ejus tanquam vinea fertilis esset in domo ejus, non sterilis, ut nullum generaret; et si timeret Dominum homo iste, filii ipsius circumdarent mensam ipsius, tanquam arbores olivarum. Si enim talia dixerimus, animales sumus, non percipientes quæ sunt Spiritus Dei. Incipiamus et nos excutere, ut simus et nos filii excussorum. Si enim erimus filii excussorum, erimus in manu potentis tanquam sagittæ, et jaculabitur nos de præcepto suo in corda hominum nondum amantium, ut percussa sagittis verborum Dei ament. Nam si talia cœperimus illis prædicare: Filii, aut fratres mei, timete Dominum, ut habeatis filios et nepotes, ut gaudeat domus vestra; non sagittamus ut ametur illa æterna Jerusalem: remanebunt in amore terrenorum, et videntes ista abundare impiis, etsi nobis non audent, in corde suo dicunt, Quare ille qui non timet Deum, plenam domum habet filiis? Et forte alius dicit illi: Adhuc nescis quid illi possit contingere; quid si efferet illos, quia non timet Deum, et ad hoc illi plures nati sunt, ut majorem dolorem de illorum morte patiatur? Sed si talia dixeris, respondebit tibi ille: Ego novi hominem impium, paganum, sacrilegum, adoratorem idolorum (et forte novit et verum dicit, nec unum tantum [2] novit, nec duos vel tres), quem deduxerunt ad fossam, senem, decrepitum, mortuum in lecto suo, turbæ filiorum et nepotum. Ecce non timuit Dominum, et proles fecundissima domus ejus clausit oculos ejus. Quid ad hoc dicturi sumus? Nihil illi potest evenire mali, ut efferat filios suos vivus, quando jam mortuus a filiis ad sepulcrum gloriosum deductus est.

3. Excutiamus ergo, excutiamus, si volumus esse

(*a*) Vid. Tract. IV in Joan., n. 16; et Tract. V et VI.
(*b*) Ad populum habitus in die S. Felicis martyris.

[1] Sic Am. Er. et plures Mss. At Lov., *quo se tenerent.*
[2] Er. Lugd. Ven. et Lov. exhibent in textu vocem, *tantum*, quæ non legitur in B.; sed ad marginem notatur: « Supple, *tantum.* » M.

filii excussorum : excat huc aliquid. Est enim quidam homo qui sic benedicitur; et nemo timet Dominum, nisi qui est in membris ipsius hominis : et multi homines sunt, et unus homo est; multi enim Christiani, et unus Christus. Ipsi Christiani cum capite suo, quod ascendit in cœlum, unus est Christus : non ille unus et nos multi, sed et nos multi in illo uno unum. Unus ergo homo Christus, caput et corpus. Quod est corpus ejus? Ecclesia ejus, dicente Apostolo, *Quoniam membra sumus corporis ejus* (*Ephes.* v, 30); et, *Vos autem estis corpus Christi et membra* (I *Cor.* xii, 27). Intelligamus ergo vocem hujus hominis, in cujus corpore unus sumus homo; et ibi videbimus ista vera bona Jerusalem. Sic enim dixit in fine: *Et videas bona quæ sunt Jerusalem.* Si autem ista bona terreno oculo attenderis, abundantiam filiorum et nepotum, et fertilitatem fecunditatemque conjugis, non sunt bona illius Jerusalem; quia bona ista in terra morientium sunt, illa terra viventium est. Noli valde pro magno habere, si habes filios morituros, etsi non ante te, certe post te. Vis habere filios nunquam morituros, et tecum semper victuros? Esto in illius corpore, de quo dictum est, *Vos autem estis corpus Christi et membra.*

4. Nam ut hoc ostenderet et ipse Psalmus, quia sic est obscurus ut admoneat pulsari, sic opertus ut velit excuti, a pluribus cœpit : *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.* Multis loquitur; sed quia ipsi multi unum sunt in Christo, sequitur et singulariter jam dicit, *Labores fructuum tuorum manducabis.* Superius dixerat, *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus :* modo quare, *Labores fructuum tuorum manducabis;* et non, manducabitis? et quare, *Labores fructuum tuorum;* et non, Labores fructuum vestrorum? Tam in proximo oblitus est quia pluribus loquebatur? Sed si jam excussisti, quid tibi respondit? Cum plures Christianos appello, in uno Christo unum intelligo. Plures ergo estis, et unus estis; plures sumus, et unus sumus. Quomodo plures sumus, et unus sumus? Quia illi inhæremus cujus membra sumus; et quorum caput in cœlo est, ut membra sequantur.

5. Ipse ergo describat jam; quia manifestum est quem describit. Sic patebunt omnia quæ sequuntur : tantum vos timete Dominum, et ambulate in viis ejus, et nolite zelare eos qui non ambulant in viis ejus, quando illos videritis esse felices infeliciter. Sæculi enim homines infeliciter felices sunt : martyres autem feliciter infelices erant. Erant enim ad tempus infelices, sed in æternum felices; et in eo ipso quod erant ad tempus infelices, putabantur magis infelices quam erant. Quid enim dicit Apostolus? *Quasi tristes, semper autem gaudentes* (II *Cor.* vi, 10). Quare, *semper?* Et hic et ibi : prorsus et hic et ibi. Hic enim unde gaudemus? De spe. Ibi unde gaudebimus? De re. Magnum gaudium habet spes gaudentis. Et si *spe gaudentes*, videte quid sequitur : *In tribulatione patientes* (*Rom.* xii, 12). Martyres ergo in tribulatione patientes erant, quia spe gaudebant. Sed quia nondum erat illud quod promittitur, quid dicit Apostolus? *Spes enim quæ videtur, non est spes : si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* viii, 24 *et* 25). Ecce quare omnia martyres pertulerunt, quia quod non videbant, per patientiam exspectabant. Illi qui eos occidebant, quæ videbant amabant : illi qui occidebantur, ad ea quæ non videbant suspirabant, et ea quæ non videbant, apprehendere festinabant; et quod tardius occidebantur, moras sibi fieri arbitrabantur.

6. Ergo, fratres, Felix martyr (*a*) et vere felix et nomine et corona, cujus hodie dies est [1], contempsit mundum. An forte quia timebat Dominum, inde erat felix, inde erat beatus, quia uxor ejus tanquam vinea fertilis erat in terra, et filii ejus circumdederant mensam ejus? Omnia ista perfecte habet, sed in corpore illius qui hic describitur : et quia sic ille intellexit, contempsit præsentia, ut acciperet futura. Noveritis autem, fratres, non eum passum mortem, quam alii martyres passi sunt. Confessus est enim, dilatus est ad tormenta; alio die inventum est corpus ejus exanime. Clauserant enim illi carcerem, sed corpori, non spiritui. Quem illic parabant torquere carnifices, absentem invenerunt, perdiderunt sævitiam suam. Jacebat exanimis, sine sensu illis, ne torqueretur; cum sensu apud Deum, ut coronaretur. Unde et iste felix, fratres, non tantum nomine, sed et præmio vitæ æternæ, si ista dilexit [2]?

7. Ergo sic audiamus istum psalmum, tanquam de Christo dicatur : et omnes hærentes corpori Christi et effecti membra Christi, ambulemus vias Domini; et timeamus Dominum timore casto, timore permanente in sæculum sæculi. Est enim alius timor quem charitas excludit, dicente Joanne, *Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem* (1 *Joan.* iv, 18). Non de omni timore dicit quia mittitur foras a charitate; habes enim psalmum dicentem, *Timor Domini castus, permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* xviii, 10). Alius ergo timor permanet, alius excluditur. Timor qui excluditur, castus non est; qui autem permanet, castus est. Quis est timor qui excluditur? Dignamini advertere. Aliqui propterea tantum timent, ne aliquid mali in terra patiantur, ne illis ægritudo accidat, ne damnum, ne orbitas, ne alicujus amissio chari, ne exsilium, ne damnatio, ne carcer, ne aliqua tribulatio; propterea timent et tremunt : adhuc iste timor non est castus. Adhuc audi. Alius non in hac terra pati timet, sed gehennas timet, unde terruit et Dominus. Audistis cum Evangelium legeretur : *Ubi vermis eorum non moritur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Marc.* ix, 43). Audiunt hæc homines; et quia vere futura sunt impiis, timent, et continent se a peccato. Habent timorem, et per timorem continent se a peccato. Timent quidem, sed non amant justitiam. Cum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitiæ, et incipit quod durum erat

[1] Sic omnes Mss. Edd. vero, *natalis est.*
[2] Er. Lugd. Ven., *sed et præmio vitæ æternæ sic ista dilexit.* M.
(*a*) Martyrium ille Thinissæ seu Thimisæ in Africa, non procul Hippone, subiisse narratur octavo idus novembris.

amari, et dulcescit Deus: et jam incipit homo propterea juste vivere, non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem. Exclusus est ergo timor a charitate; sed successit timor castus.

8. Quis est iste timor castus? Secundum quem debemus, fratres mei, intelligere quod dictum est, *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus*. Si potuero digne dicere de isto timore casto, adjuvante Domino Deo nostro, multi fortasse hoc timore casto inflammabuntur in amorem castum. Nec possum explicare fortassis, nisi proposita aliqua similitudine. Pone aliquam feminam castam, timentem virum suum: aliam pone adulteram; et ipsa timet virum suum. Casta timet ne discedat vir; adultera, ne veniat. Quid si ambo absentes sunt? Illa timet ne veniat; illa, ne tardet. Absens est quodam modo cui desponsati sumus, absens est qui nobis arrham dedit Spiritum sanctum, absens est qui nos redemit sanguine suo; sponsus ille quo nihil est pulchrius, qui quasi fœdus apparuit inter manus persequentium, de quo paulo ante dicebat Isaias, *Et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem* (*Isai*. LIII, 2). Ergo sponsus noster fœdus est? Absit: quomodo enim illum virgines amarent, quæ in terra maritos non quæsierunt? Ergo persequentibus fœdus apparuit; et nisi eum fœdum putarent, non insilirent, non flagellis cæderent, non spinis coronarent, non sputis inhonestarent: sed quia fœdus illis apparebat, fecerunt illi ista; non enim habebant oculos unde Christus pulcher videretur. Qualibus oculis Christus pulcher apparuit? Quales oculos quærebat ipse Christus, quando dicebat Philippo: *Tanto tempore vobiscum sum, et non me vidistis* (*Joan*. XIV, 9)? Isti oculi mundandi sunt, ut possint videre illam lucem; et leviter tamen perstricti splendore, accenduntur amore, ut sanari velint, et fiant illuminati. Nam ut noveritis quia pulcher est Christus qui amatur, ait Propheta: *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal*. XLIV, 3). Omnes homines superat illius pulchritudo. Quam rem amamus in Christo? Membra crucifixa, latus perforatum, an charitatem? Quando audimus quia passus est pro nobis, quid amamus? Charitas amatur [1]. Amavit nos, ut redamaremus eum; et ut redamare possemus, visitavit nos Spiritu suo. Pulcher est ille, et absens est. Interroget se sponsa, si casta est. In membris sumus omnes, fratres mei; in membris ipsius sumus, ideo unus homo sumus. Videat unusquisque qualem timorem habeat, an eum quem excludit charitas, an castum permanentem in sæculum sæculi. Modo probavit [2]; dico, et probabit. Absens est sponsus noster; interroga conscientiam tuam: vis ut veniat, an adhuc vis ut tardet? Videte, fratres: ego pulsavi ad ostia pectorum vestrorum; vocem inhabitantium ille audivit. Quid singulorum quorumque modo conscientiæ dixerint, ad aures meas, quia homo sum, pervenire non potuit: ille qui absens est præsentia corporis, sed præsens est vigore majestatis, audivit vos. Quam multi, si dicatur illis, Ecce jam Christus, cras dies judicii; non dicunt, Utinam veniat! Qui enim dicunt, multum amant: et si dicatur illis, Tardabit; timent ne tardet, quia timor castus est. Quomodo autem nunc timetur ne tardet, sic cum venerit, timebitur ne discedat. Erit autem castus iste timor, quia tranquillus et securus. Non enim deseremur ab eo, cum invenerit nos, quando quæsivit nos antequam quæreremus eum [1]. Castus ergo timor, fratres mei, hoc habet; venit [2] de amore. Ille autem timor nondum castus, præsentiam et pœnas timet. Timore facit quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est iste timor, utilis est; non quidem permanebit in sæculum sæculi: sed nondum est ille castus permanens in sæculum sæculi.

9. In quo est castus? Jam iterum interrogo aliquid, quod vosmetipsos interrogetis. Si Deus veniens voce propria loqueretur nobis (quanquam non taceat loqui per Litteras suas), et diceret homini: Peccare vis, pecca; fac quidquid te delectat; quidquid amaveris in terra, tuum fiat; cui fueris iratus, intereat; quem rapere volueris, rapiatur; quem cædere, cædatur; quem damnare, damnetur; quem possidere, possideas: nemo tibi resistat, nemo tibi dicat, Quid facis? nemo, Noli facere; nemo, Quare fecisti? Abundent tibi omnia ista terrena quæ concupisti, et vive in illis, non usque ad tempus, sed semper: faciem tantum meam nunquam videbis. Fratres mei, unde ingemuistis, nisi quia jam natus est timor castus, permanens in sæculum sæculi? Quare percussum est cor vestrum? Si diceret Deus: Faciem meam nunquam videbis: ecce omni ista terrena felicitate, omnibus rebus abundabis, circumfluent te bona temporalia; non illa amittis, non illa deseris; quid vis amplius? Fleret quidem et gemeret timor castus, et diceret: Imo tollantur omnia, et faciem tuam videam. Timor castus exclamaret de psalmo, et diceret; *Deus virtutum, converte nos; et ostende faciem tuam, et salvi erimus* (*Psal*. LXXIX, 8). Timor castus exclamaret de psalmo, et diceret: *Unam petii a Domino*. Vide quomodo ardeat timor iste castus, amor verus, amor sincerus [3]. *Unam petii a Domino, hanc requiram*. Quid? *Ut inhabitem in domo domini omnes dies vitæ meæ*. Quid si propter terrenam felicitatem? Audi quid sequitur: *Ut contempler delectationem Domini, et protegar templum ejus* (*Psal*. XXVI, 4); id est, esse templum ejus, et protegi ab eo, hanc unam petii a Domino. Hanc unam si petieritis [4], ad hanc unam si cor ve-

[1] Am. et plerique Mss.: *Quare amamus, quando audimus quia passus est pro nobis, quid amamus? membra crucifixa, latus perforatum, an charitatem? Charitas amat* (vel *amatur*). *Amavit nos*, etc.

[2] Hic Am. et aliquot Mss., *probabit*. Quidam vero libri hoc et proximo loco, *probavit*.

[1] Sic melioris notæ Mss. Alii autem cum Am. et Er., *cum invenerit nos homo aliquis credens in eum. Quando quæsivit nos? Antequam quæreremus eum*. Lov., *cum invenerit nos Dominus credentes in eum, quando quæsivit nos antequam nossemus eum*.

[2] Er. Lugd. Ven., *quia venit*. M.

[3] Sic Am. Er. et potiores Mss. At Lov., *timor verus, timor sincerus*. Aliquot Mss., *timor verus, amor sincerus*.

[4] Hic apud Lov. additur, *accipietis*: quod ab aliis libris abest.

strum exercueritis [1], et hoc solum amittere timueritis, nec invidebitis felicitatibus terrenis, et illam felicitatem veram sperabitis, et eritis in ejus corpore cui cantatur, *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.*

10. *Labores fructuum tuorum mandacubis.* O vos, o tu, vos multi qui unus estis, *labores fructuum tuorum manducabis.* Quasi perverse videtur dicere non intelligentibus : debuit enim dicere, Fructum laborum tuorum manducabis. Multi enim manducant fructum laborum suorum. Laborant in vinea, ipsum laborem non manducant; sed quod de labore ipsorum nascitur, manducant. Laborant circa arbores pomiferas; quis manducet labores? Sed quod illæ arbores attulerint, fructus laboris, ipse jucundat agricolam. Quid sibi vult, *Labores fructuum tuorum manducabis?* Modo labores habemus, fructus postea erit. Sed quia et ipsi labores non sunt sine gaudio, propter spem, de qua paulo ante diximus, *Spe gaudentes, in tribulatione patientes;* modo nos ipsi labores nostri jucundant, et lætos nos faciunt de spe. Si ergo labor noster potuit manducari, et potuit jucundare; manducatus fructus ipsius laboris qualis erit? Manducabant labores suos, qui *euntes ibant et flebant, mittentes semina sua:* quanto jucundius manducabunt fructus laborum, qui *venientes venient cum exsultatione, portantes manipulos suos* (*Psal.* CXXV, 6)? Et ut noveritis, fratres, quia manducatur labor iste, in superiore psalmo audistis dictum superbis, qui ante lucem volebant surgere, id est ante Christum, non per humilitatem, qua surrexit Christus; dictum est illis, *Surgite posteaquam sedistis* (*Psal.* CXXVI, 2) : id est, humiliamini, et inde surgite; quia et ille humiliari venit, qui exaltatus est propter vos. Et quid dictum est? *Qui manducatis panem doloris.* Iste est labor fructuum, panis doloris. Nisi enim manducaretur, non diceretur panis : nisi autem haberet aliquam suavitatem panis iste, nemo illum manducaret. Cum quanta suavitate [2] plorat in gemitu, qui orat? Dulciores sunt lacrymæ orantium, quam gaudia theatrorum. Et audi flammam desiderii, qua manducatur ipse panis, de quo hic dicit, *Qui manducatis panem doloris.* Alio loco dicit amans iste, cujus vocem in Psalmo plerumque agnoscimus : *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte.* Unde factæ sunt lacrymæ panis? *Dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus* (*Psal.* XLI, 4)? Antequam enim videamus eum qui nos dilexit, qui nobis pignus dedit, cui desponsati sumus, insultant nobis Pagani, et dicunt : Ubi est quod colunt Christiani? Ostendant nobis quem colunt. Ecce ego ostendo illis Deum meum, et ipsi ostendant mihi Deum suum. Cum tibi hoc dicit paganus, non invenis quod illi ostendas; quia non est cui ostendas. Redis ergo, et plangis ad Deum; quia illi suspiras, antequam videas, et desiderio ipsius gemis; et quia in ipsius desiderio ploras, dulces sunt et ipsæ lacrymæ, et pro cibo tibi erunt, quia factæ sunt tibi et ipsæ panis die ac nocte, dum dicitur tibi quotidie, *Ubi est Deus tuus?* Sed veniet Deus tuus, de quo dicitur, *Ubi est?* et absterget lacrymas (*Apoc.* XXI, 4), et ipse pro pane lacrymarum succedet, et te in æternum saginabit; quia erit nobiscum verbum Dei, quo pascuntur Angeli. Interim modo labores fructuum, postea fructus laboris. *Labores fructuum tuorum manducabis; beatus es, et bene tibi erit. Beatus es*, de præsenti est; *bene tibi erit*, de futuro est : cum manducas labores fructuum tuorum, *beatus es;* cum perveneris ad fructum laborum tuorum, *bene tibi erit.* Quid dixit? Nam si bene tibi erit, utique beatus eris; et si beatus eris, bene utique tibi erit. Sed interest inter spem et rem. Si spes tam dulcis, quanto res dulcior erit!

11. Jam veniamus ad illud, *Uxor tua:* Christo dicitur. Ergo uxor ejus, Ecclesia ejus; Ecclesia ejus, uxor ejus, nos ipsi. *Sicut vinea fertilis.* Sed in quibus vinea fertilis? Videmus enim parietes istos intrantes multos steriles; videmus quia istos parietes intrant multi ebriosi, feneratores, mangones, quærentes sortilegos, euntes ad præcantores et præcantatrices, quando illis caput dolet. Ista est fertilitas vineæ? ista est ubertas uxoris? Non ipsa est. Istæ spinæ sunt, sed non ubique spinosa [1]. Habet quamdam fertilitatem, et est vinea fertilis; sed in quibus? *In lateribus domus tuæ.* Non omnes dicuntur latera domus. Quæro enim quæ sint latera : quid dicam? Parietes sunt, quasi lapides fortes? Si de hoc habitaculo corporali diceret, forte hoc intelligeremus latera. Latera dicimus domus, eos qui inhærent Christo. Non enim sine causa et in sermone quotidiano dicimus de aliquo, qui forte male agit ex malorum consiliis amicorum; de illo dicimus, Mala latera habet. Quid est, Mala latera habet? Mali illi inhærent. Ergo et de alio, Bona latera habet: bonis consiliis vivit. Quid est hoc? Bonis consiliis regitur. Ergo latera domus sunt illi qui inhærent Christo. Nec sine causa et ipsa conjux de latere facta est. Viro dormiente, Eva facta est (*Gen.* II, 21, 22), moriente Christo, Ecclesia facta est: et illa de latere viri, cum costa detracta est; et ista de latere viri, quando latus lancea percussum est (*Joan.* XIX, 34), et Sacramenta profluxerunt. Ergo *uxor tua ut vinea fertilis.* Sed in quibus? *In lateribus domus tuæ* [2]. In aliis qui non adhærent Christo, sterilis. Sed nec illos in vinea computabo.

12. *Filii tui.* Quæ est uxor, ipsi sunt et filii. In istis carnalibus nuptiis et conjugiis, alia uxor et alii filii : in Ecclesia quæ uxor, ipsi filii. Ad Ecclesiam enim pertinebant Apostoli, et in membris Ecclesiæ erant. Ergo in conjuge ipsius erant, et conjux erant secundum portionem suam quam in membris obtinebant. Quare ergo de illis dicitur : *Cum recesserit ab eis sponsus, tunc jejunabunt filii sponsi* (*Matth.* IX, 15)? Ergo ipsa conjux, et ipsi filii [3]. Mirum dico, fratres mei. In verbis Domini invenimus Ecclesiam et fratres ipsius esse, et sorores ipsius esse, et matrem ipsius

[1] Quinque Mss., *erexeritis*
[2] Am. Er. et plerique Mss., *nemo illum manducaret cum tanta suavitate. Plorat,* etc.

[1] Plerique Mss., *sed non ubique. Spinosam habet,* etc.
[2] Hic Er. et Lov. addunt, *id est in iis qui adhærent Christo.*
[3] Er. Lugd. Ven., *ipsa filii.* M.

esse. Nam cum nuntiarentur ei mater ejus et fratres foris stantes; quia foris stabant, typum gerebant. Quis typus matris? Synagoga. Quis typus fratrum carnalium? Judæi foris stantes. Et foris stat synagoga. Nam Maria in lateribus domus ejus, et cognati ejus ex virginis Mariæ consanguinitate venientes, qui in eum crediderunt, in lateribus domus ejus; non in quantum carnali consanguinitate juncti erant, sed in quantum verbum Dei audiebant et faciebant. Hoc enim respondit Dominus et ait, *Quæ mihi mater, aut qui fratres?* Unde tentaverunt quidam dicere quia Christus matrem non habuit, quia dixit, *Quæ mihi mater?* Quare? Ergo Petrus et Joannes et Jacobus, et alii Apostoli patres non habuerunt in terra? Et tamen quid eis dicit? *Nolite vobis dicere patrem super terram; unus est enim Pater vester qui in cœlis est* (*Id.* XXIII, 9). Quod ergo in patre docebat discipulos, hoc in matre ipse demonstravit. Vult enim Dominus ut consanguinitatibus terrenis præponamus Deum. Defer patri, quia pater est; defer Deo, quia Deus est. Generavit te pater accommodando carnem suam; creavit te Deus adhibendo potentiam suam. Ne irascatur pater cum Deus illi præponitur; imo gaudeat sibi tantum deferri, ut ille inventus esset qui ei deberet præponi (*a*). Ergo quid dicam? Dominus quid ait? *Quæ mihi mater, aut qui fratres? Et extendit manus in discipulos suos, et ait: Ecce mater mea et fratres mei.* Fratres erant; mater quomodo erant? Addidit, *Et qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse mihi frater, et soror, et mater est* (*Id.* XXII, 46-50). Puta, *frater*, propter sexum virilem quem habet Ecclesia[1]; *soror*, propter feminas quas hic in membris habet Christus: *mater* quomodo, nisi quia ipse Christus est in Christianis, quos Christianos per Baptismum quotidie parit Ecclesia? Ergo in quibus intelligis conjugem, in illis matrem, in illis filios.

13. Dicatur ergo quales debent esse filii. Quales? Pacifici. Quare pacifici? Quia, *Beati pacifici, quia ipsi filii Dei vocabuntur* (*Id.* V, 9). Quia ergo in oliva fructus est pacis: oleum enim pacem significat, quia charitatem significat; sine charitate nulla pax est: et manifestum est quia qui diviserunt pacem, non habebant charitatem. Unde jam exposui Charitati vestræ quare columba folia cum fructu portavit ad arcam (*Gen.* VIII, 11); ut significaret quia et illi qui foris baptizati sunt, sicut ligna illa extra arcam baptizata sunt, si non sola folia habuerint, id est verba sola, sed habuerint et fructum, quod est charitas, ipsa columba illos reportat ad arcam, et veniunt ad unitatem (*b*). Tales ergo filii debent esse *in circuitu mensæ* Domini, *velut novellatio olivarum.* Perfecta res est, magna beatitudo: jam quis ibi nolit esse? Cum videris aliquem blasphemum habere uxorem, filios, nepotes, et te forte non habere, noli zelare; vide quia et in te completum est, sed spiritualiter. An forte non es in membris? Si non ibi es, plange quia nec hic, nec ibi. Si autem ibi, securus esto; quia etsi ibi et non hic, fructuosius ibi quam hic.

14. Si ergo habemus, quare habemus? Quia timemus Dominum. *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.* Ille est *homo*, qui sunt homines; et ipsi homines, *homo:* quia multi unum, quia Christus unus.

15. [*vers.* 5, 6.] *Benedicat te Dominus ex Sion.* Cœperas enim attendere, *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum:* jam forte oculi tui ibant per illos qui non timent Dominum, et videbant ibi uxores fecundas, filios abundantes circuire mensam patris sui; nescio qua ibas[1]: *Benedicat te Dominus*, sed *ex Sion.* Noli quærere illas benedictiones quæ non sunt ex Sion. Non benedixit Dominus tales, fratres mei? Benedictio ista Domini est: aut si non est a Domino, quis ducet uxorem, si nolit Dominus? quis possit esse sanus, si nolit Dominus? aut quis posset esse dives, si nolit Dominus? Dat illa: sed non vides quia et pecoribus dedit? Non ergo de Sion est ista benedictio. *Benedicat te Dominus ex Sion; et videas quæ bona sunt Jerusalem.* Nam illa bona non sunt Jerusalem. Vis videre quia non sunt bona Jerusalem? Et avibus dictum est, *Crescite, et multiplicamini* (*Gen.* I, 22). Pro magno vis habere quod avibus donatum est? Voce quidem Dei donatum est, quis nesciat? Sed utere bonis istis, si accipis; et magis cogita quomodo nutrias qui nati sunt, quam ut nascantur. Non enim jam felicitas est habere filios, sed bonos habere. De nutriendis labora, si nati fuerint; si autem non nati, age gratias Deo. Forte minus sollicitus eris, et tamen sterilis non remansisti illius matris. Forte [2] per te nascuntur spiritualiter de ista matre, qui sunt ut novellæ[3] olivarum circumeuntes mensam Domini. Consoletur ergo te Dominus, ut *videas bona Jerusalem.* Illa enim bona *sunt*. Quare *sunt?* Quia æterna sunt. Quare *sunt?* Quia ibi est rex, *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14). Ista vero bona sunt, et non sunt: non enim stant; labuntur, fluunt. Filii sunt parvuli; blandiris parvulis, blandiuntur parvuli: numquid stant in eo? Sed optas ut crescant, ut accedat ætas optas. Sed vide quia cum accedit una, altera moritur. Veniente pueritia, moritur infantia; veniente adolescentia, moritur pueritia; veniente juventute, moritur adolescentia; veniente senectute, moritur juventus; veniente morte, moritur omnis ætas. Quot optas gradus ætatis, tot simul optas et mortes ætatum. Non sunt ergo ista. Num deinde nati sunt tibi filii in terra tecum victuri, an te potius exclusuri et successuri? Ad eos gaudes qui nati sunt, ut excludaris? Nati enim pueri tanquam hoc dicunt parentibus suis: Eia, cogitate ire hinc, agamus et nos mimum nostrum. Mimus est enim generis humani tota vita tentationis; quia dictum est, *Universa vanitas omnis homo vivens* (*Psal.* XXXVIII, 6). Et tamen si gaudetur ad filios successuros; quantum

[1] Edd., *quos hic*, etc., omittuntque, *soror propter feminas*, quod in altero ex Corb. Mss. repertum est.
(*a*) Forte leg., *ut ille unus inventus sit, qui ei debeat præponi.*
(*b*) Tract. VI in Joan., n 19.

[1] Corb. Ms.: *Nescio quas benedictiones quærebus, et non ex Sion.* — Er. Lugd. Ven.: *Nescio qua ibas, et non ex Sion.* M.
[2] Er. Lugd. Ven. et Lov., *forte filii.* M.
[3] Am. Er. et Mss., *in novellis.*

gaudendum est ad filios cum quibus permanebimus, et ad illum patrem cui nati sumus non moriturum[1], sed ut nos cum illo semper vivamus? Ipsa sunt bona Jerusalem, quia ipsa sunt. *Benedicat te* ergo *Dominus ex Sion; et videas quæ bona sunt Jerusalem*. Nam ista[2] quæ attendis bona, cæcus vides. *Videas*, sed illa bona quæ corde videntur. Et quamdiu videbo bona Jerusalem? *Omnes dies vitæ tuæ*. Sed si vita tua æterna fuerit, in æternum videbis bona Jerusalem. Si autem[3], fratres mei, ista bona sunt, sed non omnes dies vitæ tuæ vides: non enim quando exis de corpore, moreris. Perseverat vita tua: corpus moritur, sed vita spiritus perseverat. Oculi non vident, quia discessit qui per oculos videbat. Ubicumque est qui per oculos videbat, videt aliquid. Non enim mortuus erat dives ille qui in terra induebatur purpura et bysso; si mortuus esset, apud inferos non torqueretur (*Luc.* XVI, 19, 23). Optandum illi forte[4] erat ut moreretur, sed malo suo vixit apud inferos. Torquebatur enim, et non videbat bona illa quæ in terra dimiserat: ecce erat vita ipsius talis, et bona illa non videbat. Ergo tu talia desidera bona quæ videas *omnes dies vitæ tuæ*, id est, ut cum ipsis bonis vivas in æternum.

16. Quæ sunt ergo illa bona, fratres, attendite. Dici possunt bona ista: Aurum est, argentum est, fundus amœnus est, marmorati parietes sunt, tecta laqueata sunt? Absit. Ista abundantius pauperes habent in hac vita. Plus est enim pauperi videre cœlum stellatum, quam diviti tectum inauratum. Fratres, ergo quod est illud bonum, quo accendimur, cui suspiramus, quo inflammamur, propter quod bonum adipiscendum et videndum tantos labores sustinemus, sicut audistis cum legeretur Apostolus, quia *omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur* (II *Tim.* III, 12)? Non enim modo, quia diabolus per reges non sævit, ideo Christiani non patiuntur persecutionem. Si mortuus est diabolus, mortuæ sunt persecutiones; si autem ille adversarius noster vivit, unde non tentationes suggerit? unde non sævit? unde non minas aut scandala procurat? O si incipias pie vivere, videbis quia omnis qui vult pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patietur. Propter quid ergo patimur tantas persecutiones? *Si enim in hac vita in Christo sperantes sumus tantum*, ait Apostolus, *miserabiliores sumus omnibus hominibus* (I *Cor.* XV, 19). Propter quid damnati sunt ad bestias martyres? quod est illud bonum, dici potest? unde, aut quæ lingua dicat? aut quæ aures audiant? Et quidem illud *nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*Id.* II, 9). Amemus tantum[5], proficiamus tantum: videtis enim quia pugnæ non desunt, et pugnamus cum concupiscentiis nostris. Pugnamus foris cum infidelibus et inobedientibus hominibus; pugnamus intus cum suggestionibus, cum perturbationibus carnalibus; ubique pugnamus adhuc, quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam (*Sap.* IX, 15); pugnamus adhuc, quoniam si *spiritus vita est*, tamen *corpus mortuum est propter peccatum*. Sed quid futurum est? *Si autem Spiritus ejus habitat in vobis, qui suscitavit Christum ex mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter Spiritum ejus qui habitat in vobis* (*Rom.* VIII, 10, 11). Cum ergo vivificata fuerint membra nostra mortalia, jam nihil resistet spiritui nostro. Non fames erit, non sitis erit, quia de corruptione corporis ista nascuntur. Ideo reficis, quia a te aliquid deficit. Concupiscentiæ delectationum carnalium contra nos pugnant. Mortem portamus infirmitate[1] corporis: sed cum mors ipsa conversa fuerit in illam incommutabilitatem, et corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, quid audiet tunc mors? *Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus?* Et forte moritur, et dicetur: Restant aliqui inimici? Non; sequitur *novissima inimica mors*. Cum hæc destructa fuerit, immortalitas succedet. Si nullus erit inimicus, quasi *novissima destruetur mors* (I *Cor.* XV, 53, 54, 55, 26). Bonum nostrum cui suspiramus, pax erit. Ecce bonum, fratres, magnum bonum pax vocatur. Quærebatis quid vocaretur: Aurum est, argentum est, an fundus, an vestis? Pax est: non pax qualem inter se habent homines, infidam, instabilem, mutabilem, incertam; nec pax talis qualem secum habet ipse unus homo. Diximus enim quia et secum pugnat homo; usquequo domet omnes cupiditates, adhuc pugnat. Qualis ergo pax? Quam *oculus non vidit, nec auris audivit*. Qualis pax? De Jerusalem, quia Jerusalem interpretatur, Visio pacis. Sic ergo *benedicat te Dominus ex Sion; et videas bona quæ sunt Jerusalem*, et videas *omnes dies vitæ tuæ. Et videas*, non filios tuos tantum, sed *filios filiorum tuorum*. Quid est, filios tuos? Opera tua quæ hic agis. Qui sunt filii filiorum? Fructus operum tuorum. Facis eleemosynas, filii tui sunt: propter eleemosynas accipis vitam æternam, filii filiorum tuorum sunt. *Videas filios filiorum tuorum;* et erit quod sequitur, quo concluditur, *Pax super Israel*. Hæc pax vobis prædicatur a nobis, ipsa amatur a nobis, ipsa ut a vobis ametur, optamus. Ad illam pacem perveniunt qui et hic pacifici fuerint. Illi sunt et hic pacifici, qui et ibi; qui circumeunt mensam Domini tanquam novellatio olivarum, ut non sit sterilis arbor, qualis fuit illa ficulnea ubi fructum non invenit esuriens Dominus. Et videtis quid ei contigerit. Folia sola habebat, fructum non habebat (*Matth.* XXI, 18 *et* 19): sic sunt qui verba habent, et facta non habent. Veniens esuriens Dominus non ibi invenit quod manducet; quia fidem nostram et facta bona esurit Dominus. Pascamus illum bene vivendo, et pascet nos[2] in æternum nobis vivere donando.

[1] Sic Mss. At Edd., *non morituri*.
[2] Mss., *non ista*.
[3] Ita Mss. Edd. vero, *Ista autem*: omisso, *si*.
[4] Plures Mss., *certe*.
[5] Sic plerique Mss. At Edd., *tamen*.

IN PSALMUM CXXVIII
ENARRATIO.
SERMO AD PLEBEM.

1. Psalmus quem cantavimus, brevis est: sed sicut scriptum est in Evangelio de Zacchæo, statura bre-

[1] Sic Am. Er. et plerique Mss. At Lov., *infirmitatem*.
[2] Sic Er. Lugd. Ven. et Lov. In B. deest vox, *nos*. M.

vis, et magnus in opere (*Luc.* XIX, 2-9); sicut scriptum est de illa vidua quæ duo minuta misit in gazophylacium, brevis pecunia, sed magna charitas (*Marc.* XII, 42-44) : sic et iste psalmus, si verba numeres, brevis est; si sententias appendas, magnus est. Non ergo nos poterit diutius usque ad fastidium detinere. Quare? Advertat prudentia vestra, et adsit intentio christiana : sonet verbum Dei volentibus, nolentibus, opportune, importune. Invenit sibi locum, invenit corda ubi requiescat, invenit terram ubi germinet et fructum ferat. Nam quia multi mali sunt et iniqui quos portat Ecclesia usque in finem, manifestum est : et hi sunt quibus verbum Dei superfluum est; et aut sic in illos cadit, quomodo semen in via conculcatur, et a volatilibus colligitur; aut sic in eos cadit, quomodo semen in petrosa loca, ubi non habet terram multam, statim exit, et calefacto sole arescit, quia non habet radicem; aut sicut inter spinas, quod etsi germinet et conetur in auras surgere, offocatur tamen multitudine spinarum. Tales autem sunt qui verbum Dei contemnunt sicut via, aut qui ad horam gaudent, et facta tribulatione, sicut æstu solis, arescunt; aut qui cogitationibus et curis et sollicitudine hujus mundi, tanquam spinis avaritiæ offocant quod in illis cœperat germinare. Est autem etiam terra bona, quo semen cum ceciderit, affert fructum, aliud tricenum, aliud sexagenum, aliud centenum (*Matth.* XIII, 3-23) : sive parum, sive multum, omnes in horreo erunt. Sunt ergo tales, et propter hos loquimur. Propter hos loquitur Scriptura, propter hos non tacet Evangelium. Sed et illi audiant, ne forte aliud sint hodie, aliud cras; ne forte mutentur audiendo, aut arent viam, aut lapides purgent, aut spinas evellant. Dicat Spiritus Dei, dicat nobis, cantet nobis; sive velimus saltare, sive nolimus, cantet ipse. Sicut enim qui saltat, membra movet ad cantum; sic qui saltant ad præceptum Dei, operibus obtemperant sono. Ideo qui noluerunt hoc facere, quid illis Dominus dicit in Evangelio? *Cantavimus vobis, et non saltastis; planximus, et non lamentastis* (*Id.* XI, 17). Cantet ergo; credimus in Dei misericordiam [1], quia erunt de quibus nos consoletur. Nam qui pertinaces sunt, perseverantes in malitia, quamvis audiant verbum Dei, scandalis quotidie perturbant Ecclesiam. De talibus dicit iste psalmus; sic enim cœpit :

2. [*vers.* 1-3.] *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.* Ecclesia loquitur de his quos tolerat, et tanquam diceretur, Numquid modo? Olim est Ecclesia [2]; ex quo vocantur sancti, est Ecclesia in terra. Aliquando in solo Abel Ecclesia erat, et expugnatus est a fratre malo et perdito Cain (*Gen.* IV, 8). Aliquando in solo Enoch Ecclesia erat, et translatus est ab iniquis (*Id.* V, 24). Aliquando in sola domo Noe Ecclesia erat, et pertulit omnes qui diluvio perierunt, et sola arca natavit in fluctibus, et evasit ad siccum (*Id.* VI-VIII). Aliquando in solo Abraham Ecclesia erat, et quanta pertulit ab iniquis, novimus. In solo filio fratris ejus Lot, et in domo ejus in Sodomis Ecclesia erat, et pertulit Sodomorum iniquitates et perversitates, quousque Deus eum de medio ipsorum liberavit (*Gen.* XII-XX). Cœpit esse et in populo Israel Ecclesia; pertulit Pharaonem et Ægyptios. Cœpit et in ipsa Ecclesia, id est in populo Israel, numerus esse sanctorum : Moyses et cæteri sancti pertulerunt iniquos Judæos populum Israel. Ventum est et ad Dominum nostrum Jesum Christum, prædicatum est Evangelium, dixit in Psalmis, *Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum* (*Psal.* XXXIX, 6). Quid est, *super numerum?* Non solum illi crediderunt [1] qui pertinent ad numerum sanctorum; sed et *super numerum* intrarunt : multi justi, sed et plures iniqui; et pertulerunt justi iniquos. Quando? In Ecclesia. Numquid modo solum, ex quo enumerat, ex quo commemorat? Ideo ne miraretur modo Ecclesia, vel ne quisquam miraretur in Ecclesia, volens esse membrum bonum Ecclesiæ, audiat et ipsam Ecclesiam matrem suam dicentem sibi : Noli mirari ad ista, fili; *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.*

3. Magnus affectus sic cœpisse Psalmum : *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.* Quasi aliquid jam loquebatur : videtur enim non cœpisse, sed respondisse. Respondit autem, quibus? Cogitantibus et dicentibus : Quanta mala perferimus, quanta scandala crebrescunt quotidie, quando [2] iniqui intrant in Ecclesiam et portamus eos? Respondeat autem Ecclesia de quibusdam, id est, de fortiorum voce respondeat querelis infirmorum, et confirment firmi infirmos, et grandes parvulos, et dicat Ecclesia, *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea. Dicat vero* [3] *Israel, Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.* Dicat illud, non illud timeat. Quo enim valet, quod cum dixisset, *Sæpe expugnaverunt me*, addidit, *a juventute mea?* Jam modo Ecclesiæ senectus expugnatur, sed non timeat : dicat, *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.* Numquid ideo non pervenit ad senectutem, quia non cessaverunt illi expugnando? numquid delere potuerunt? *Dicat vero Israel;* et consoletur se Israel, consoletur se ipsa Ecclesia de præteritis exemplis, et dicat, *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.*

4. Quare expugnaverunt? *Etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores; longe fecerunt injustitiam suam.* Quare expugnaverunt? *Quia non potuerunt mihi.* Quid est, *non potuerunt mihi?* Fabricare. Quid est, *non potuerunt mihi?* Non illis consensi ad malum. Omnis enim malus ideo persequitur bonum, quia non illi consentit bonus ad malum. Faciat aliquid mali, non objurget episcopus, bonus est episcopus : objurget episcopus, malus est episcopus. Rapiat aliquid, taceat cui rapit, bonus est : saltem loquatur et reprehendat, etsi non repetat, malus est. Malus est qui reprehendit raptorem, et bonus est qui rapit! Ambulet, *Manducemus et bibamus; cras enim moriemur.* Contra Apostolus : *Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Sobrii estote ju-*

[1] Aliquot Mss., *misericordia.*
[2] Sic Mss. At Edd.: *Numquid modo et non olim est Ecclesia?*

[1] Sic plures Mss. At Edd., *qui crediderunt et qui*, etc.
[2] Corb. Ms., *quanti.*
[3] Edd. : *Dicat vero nunc.* Abest, *nunc*, a Mss. et sufficit particula, *vero*, pro græca *dé.*

sti [1], *et nolite peccare* (*Isai.* XXII, 13; I *Cor.* XV, 32-34). Sonat verbum, sonat sermo contradictor libidinis: at ille amicus libidinis suæ, et inimicus sermoni contradicenti amicæ suæ infestus est, et odit sermonem Dei. Facta est amica avaritia, inimicus Deus. Contradicit enim Deus avaritiæ, et vult nihil possideri ab avaritia. Ego possidear [2], clamat. Quid vis ab avaritia possideri? Dura jubet, levia jubeo: onus ejus grave, sarcina mea levis est; jugum ejus asperum est, jugum meum lene est (*Matth.* XI, 30). Noli velle ab avaritia possideri. Jubet avaritia ut mare transeas, et obtemperas: jubet ut te ventis procellisque committas; jubeo ego ut ante ostium tuum ex eo quod habes des pauperi: piger es ad faciendum ante te opus bonum, et strenuus es ad transeundum mare. Quia avaritia imperat, servis; quia Deus jubet, odisti. Et quid? Cum odisse cœperit, incipit velle criminari eos a quibus audit bona præcepta, et velle per suspiciones suas crimina quærere servorum Dei. Qui nobis ista dicunt, ista non faciunt ipsi? Et ista sive quæ fiunt, sive quæ non fiunt, dicuntur fieri; et quæ fiunt bene, dicuntur male fieri: et quæ toleramus, ad culpam nostram applicantur. Nos quid respondemus? Noli me attendere; sermonem istum attende: ipse tibi loquitur per quemlibet; huic tu inimicus es. Concorda cum adversario tuo, cum es cum eo in via (*Id.* V, 25): adversarium tuum sermonem Dei fecisti. Noli attendere [3] quia ille tibi loquitur: malus est per quem tibi loquitur; sed non est malus, qui tibi loquitur, sermo Dei. Accusa Deum, accusa, si potes.

5. Creditis, fratres, huc usque pervenisse eos de quibus dicitur, *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea*, ut etiam ipsum Deum accusare non dubitent? Accusas avarum, et ille accusat Deum quia fecit aurum. Noli avarus esse. Et non faceret Deus aurum. Jam hoc restat, quia mala tua opera cohibere non potes, accusas opera bona Dei: displicet tibi creator et fabricator mundi. Non faceret et solem; quia multi in fenestris contendunt de luminaribus, et ad judicia se trahunt. O si vitia nostra cohibeamus! quia bona sunt omnia, quia bonus Deus qui fecit omnia; et laudant illum opera sua, considerata quia bona sunt, ab eo qui habet spiritum considerandi, spiritum pietatis et sapientiæ. Undique laudatur Deus ab operibus suis. Quomodo illum laudant opera sua per os trium puerorum? quid prætermissum est? Laudant cœli, laudant Angeli, laudant sidera, laudant sol et luna, laudant dies ac noctes, laudat quidquid germinat de terra, laudat quidquid natat in mari, laudat quidquid volitat in aere, laudant omnes montes et colles, laudant frigora et æstus; et cætera omnia quæ Deus fecit, audistis quia laudant Deum (*Dan.* III, 57-90): numquid audistis ibi quia laudat Deum avaritia, quia laudat Deum luxuria? Non laudant ista, quia non ipse illa fecit. Laudant ibi homines Deum; hominis creator est Deus. Avaritia opus est mali hominis; homo ipse opus est Dei. Et quid vult Deus? Occidere in te quod ipse fecisti, et salvare quod ipse fecit.

6. Noli fenerare. Tu accusas Scripturam dicentem, *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram* (*Psal.* XIV, 5). Non ego illud scripsi, non de ore meo primo exiit: Deum audi. Et ille: Clerici non fenerent. Et forte qui tibi loquitur, non venerat: sed si fenerat, fac quia et ipse fenerat; numquid fenerat qui per ipsum loquitur? Si facit quod tibi dicit, et non tu facis; tu in ignem [1], ille in regnum. Si non facit quod tibi dicit, et pariter facit mala quæ facis, et dicit bona quæ non facit; pariter in ignem. Fenum ardebit [2], verbum autem Domini manet in æternum (*Isai.* XL, 8). Numquid ardet sermo qui tibi per illum locutus est? Aut Moyses est qui tibi loquitur, id est, bonus et justus famulus Dei; aut pharisæus est cathedram Moysi sedens. Audisti et de ipsis: *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII, 3). Non habes tu unde te excuses, quando sermo Dei tibi loquitur. Quia non potes interficere sermonem Dei, criminari quæris eos per quos loquitur tibi sermo Dei. Quære quantum vis, dic quantum vis, blasphema quantum vis: *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat vero Israel, Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.* Audent etiam feneratores dicere: Non habeo aliud unde vivam. Hoc mihi et latro diceret, deprehensus in fauce; hoc et effractor diceret, deprehensus circa parietem alienum; hoc mihi et leno diceret, emens puellas ad prostitutionem; hoc et maleficus incantans mala, et vendens nequitiam suam; quidquid tale prohibere conaremur, responderent omnes quia non haberent unde viverent, quia inde se pascerent; quasi non hoc ipsum in illis maxime puniendum est, quia artem nequitiæ delegerunt, unde vitam transigant, et inde se volunt pascere, unde offendant eum a quo omnes pascuntur.

7. Sed cum clamaveris hoc et dixeris, illi respondent: Si sic, non huc accedimus; si sic, non intramus in ipsam Ecclesiam. Veniant, intrent, audiant: *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea. Etenim non potuerunt mihi: supra dorsum meum fabricaverunt peccatores:* hoc est, non potuerunt agere ut consentiam; fecerunt quod portem. Quam præclare dictum est, quam optime significavit, *Etenim non potuerunt mihi: supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Agunt nobiscum, primo ut consentiamus illis ad facta mala: si non consenserimus, Tolerate nos, dicunt. Ergo quia non potuisti mihi, ascende in dorsum meum; portare te habeo quousque veniat finis: sic enim mihi præceptum est, ut fructum afferam cum tolerantia (*Luc.* VIII, 15). Non te corrigo, tolero te: aut forte, cum tolero te, corrigis te. Si non te corrigis usque in finem, tolero te usque in finem; et usque in finem super dorsum meum eris, usque

[1] Regius Ms.: *Sobrii estote et vigilate juste.*
[2] Sic Am. Er. et plerique Mss. At Lov.: *Ego possideam.*
[3] Quatuor Mss.: *Noli attendere per quem tibi loquitur, sed attende quia ille*, etc.

[1] Lugd. Ven. et Lov. ferunt in textu verbum, *vadis*; in B. non legitur; sed nota marginalis habet: « Supple, vadis. » M.
[2] Er., *in ignem fenum ardebit.* Lugd. Ven. et Lov., *in igne fenum ardebit.* M.

ad tempus. Numquid semper super dorsum meum eris? Veniet enim qui inde te excutiat : veniet tempus messis, veniet finis sæculi ; immittet Deus messores. Messores autem Angeli sunt : separant malos de medio justorum, sicut zizania a tritico ; frumentum recondent in horreo, paleam autem comburent igni inexstinguibili. Portavi quousque potui, jam gaudens transeo in horreum Dei, et securus canto, *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea.*

8. Quid enim mihi facere potuerunt, quia *expugnaverunt me a juventute mea?* Exercuerunt me, non oppresserunt. Valuerunt mihi sicut ignis ad aurum, non sicut ignis ad fenum. Ignis enim accedens ad aurum, sordem tollit; accedens ad fenum, in cinerem vertit. *Etenim non potuerunt mihi*, quia non consensi, quia non me fecerunt quales sunt ipsi. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, longe fecerunt injustitiam suam.* Fecerunt quod tolerem, et non fecerunt cui consentirem. Jam ergo injustitia ipsorum longe est a me. Mali mixti sunt bonis, non solum in sæculo, sed et in ipsa intus Ecclesia mali mixti sunt bonis. Nostis, et probastis; et magis probabitis, si boni fueritis. *Cum* enim *crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania* (*Matth.* XIII, 27-43). Nulli apparent mali in Ecclesia, nisi ei qui fuerit bonus. Nostis ergo quia mixti sunt, et semper et ubique dicit Scriptura quia non separabuntur, nisi in fine. Sic, quomodo mixti sunt, longe sunt a se. Ne quis ergo ex eo quod mixti sunt mali inter bonos, putaret iniquitatem esse juxta justitiam, *Non potuerunt*, inquit, *mihi ;* id est, dixerunt, et male dixerunt, *Manducemus et bibamus ; cras enim moriemur.* Non corruperunt sermones mali mores bonos : in eo quod audivi a Deo, non cessi sermonibus hominum. Fecerunt mihi peccatores quod portarem. non cui commiscerer, et facta est iniquitas eorum longe a me. Quid enim tam prope, quam duo homines in una Ecclesia? quid tam longe, quam iniquitas a justitia? Ubi enim consensio, ibi propinquitas. Ligantur duo, et mittuntur ad judicem ; latro, et colligatus : ille sceleratus, ille innocens, una catena ligantur, et longe sunt a se. Quantum longe sunt a se? Quantum longe est scelus ab innocentia. Ecce isti longe sunt ab invicem. Alius latro in Hispania facit scelera, proximus ei est qui facit in Africa. Quantum proximus? Quantum sibi junguntur scelus et scelus, quantum sibi junguntur latrocinium et latrocinium. Nemo ergo timeat mixtos sibi corpore malos. Longe ab illis sit corde, et securus portat quod non timet : *Longe fecerunt injustitiam suam.*

9. [*vers.* 4.] Quid occurrit[1]? Florent illi qui regnant inique ; et ut sermonem loquamur vulgi, tonant iniqui, extolluntur in typhos, in calumnias. Quid ergo? semper hoc? Non. Audi quod sequitur: *Dominus justus concidet cervices peccatorum.* Intendat Charitas vestra. *Dominus*, inquit, *justus concidet cervices peccatorum.* Quis non contremiscat? Quis enim non peccavit? *Dominus justus concidet cervices peccatorum.* Omnibus qui audiunt, intrat tremor in cor, si credunt Scripturæ Dei. Si enim sibi sine causa tundunt homines pectora, mentiuntur quia tundunt pectora, si justi sunt; et in eo quod mentiuntur Deo, fiunt peccatores. Si ergo veraciter sibi tundunt pectora, peccatores sunt. Et quis nostrum non sibi tundit pectus? et quis nostrum non elidit oculos ad terram, sicut ille Publicanus, et dicit, *Domine, propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* XVIII, 13)? Si ergo omnes peccatores, et nemo invenitur sine peccato ; omnibus timendus est gladius in cervices, quia *Dominus justus concidet cervices peccatorum.* Non puto, fratres mei, quia omnium peccatorum ; sed in membro quod percutit, ibi designat quos peccatores percutiat. Non enim dixit, Dominus justus concidet manus peccatorum ; aut, Dominus justus concidet pedes peccatorum, non dixit : sed quia peccatores superbos volebat intelligi, superbi autem omnes cervicati sunt, qui non solum faciunt mala, sed nec agnoscere volunt, et quando objurgantur, justificant se (Ecce fecisti ; saltem agnosce quid feceris : odit Deus peccatorem, oderis et tu ; conjungere Deo, simul persequimini peccatum tuum. Non, inquit: ego bene feci, Deus male fecit. Quid hoc est? Ego nihil mali feci, inquit : quia Saturnus fecit, quia Mars fecit, quia Venus fecit ; ego nihil feci, stellæ fecerunt. Justificas te, accusas Deum qui fecit stellas, qui ornavit[1] cœlum) : itaque quoniam justificas peccatum tuum, et superbis adversus Deum, quia te facis extra culpam, et Deum in culpa, et tantum erexisti cervicem tuam, et cucurristi contra Deum, sicut scriptum est in Job (dicebat de impio peccatore), *Currens adversus Deum in crassa cervice scuti sui* (*Job* XV, 26); et ibi cervicem nominavit ; quia sic te erigis, et non elidis oculos ad terram, et tundis pectus, et dicis, *Domine, propitius esto mihi peccatori ;* sed jactas te de meritis tuis, et vis mecum, inquit Deus, judicio contendere (*Jerem.* II, 29), intrare mecum ad judicium; cum debeas in reatu tuo satisfacere Deo, et clamare ad illum, quod clamatur in alio psalmo, *Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit* (*Psal.* CXXIX, 3)? clamare ad illum, quod clamatur in alio psalmo, *Ego dixi : Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5) : quoniam hæc non vis dicere, sed justificas facta tua adversus sermonem Dei ; venit in te quod sequitur Scriptura, et dicit, *Dominus justus concidet cervices peccatorum.*

10. [*vers.* 5.] *Confundantur, et avertantur retrorsum, omnes qui oderunt Sion.* Qui oderunt Sion, oderunt Ecclesiam : Sion Ecclesia est. Et qui intrant in Ecclesiam ficte, oderunt Ecclesiam. Qui nolunt observare verbum Dei, oderunt Ecclesiam : *Super dorsum meum fabricaverunt.* Quid factura est Ecclesia, nisi portatura usque in finem?

11. [*vers.* 6, 7.] Sed quid de illis dicit? Sequitur, *Fiant sicut fenum tectorum, quod prius quam evellatur aruit.* Fenum tectorum herba est quæ nascitur in tectis, in solario integulato. In alto videtur, et radi-

[1] Lov.: *Quid hoc erit?* Melius Am. et Er., *occurrit*, juxta Mss. e quibus nonnulli infra loco, *inique*, habent, *iniqui.*

[1] Am. et plerique Mss., *ordinavit.*

cem non habet. Quanto melius humilius nasceretur, et lætius viresceret? Modo nascitur altius ad celeriorem ariditatem Nondum evulsum est, et aruit: nondum finiti [1] sunt in judicio Dei, et jam non habent succum viriditatis. Attendite opera ipsorum, et videte quia aruerunt. Sed vivunt, et hic sunt: nondum ergo avulsi sunt: Aruerunt, sed nondum avulsi sunt: facti sunt *sicut fenum tectorum, quod prius quam evellatur aruit.*

12. Et venient messores, sed non de illis implent manipulos. Venturi sunt enim messores*, et collecturi sunt triticum in horreum, et zizania alligabunt, et mittent in ignem. Sic et fenum tectorum expurgatur, et quidquid inde evellitur, in ignem mittitur; quia et priusquam evelleretur aruit. Non inde implet messor manus. Sequitur enim et dicit: *Non replevit manum suam messor, et sinum suum qui manipulos colligit. Messores autem Angeli sunt* (*Matth.* XIII, 39.), Dominus dicit.

13. [*vers.* 8.] *Et non dixerunt transeuntes viam, Benedictio Domini super vos; benediximus vos in nomine Domini.* Nostis enim, fratres, quando transitur per operantes, est consuetudo ut dicatur illis, *Benedictio Domini super vos.* Et magis ista consuetudo erat in gente Judæorum. Nemo transibat et videbat aliquos facere aliquod opus in agro, vel in vinea, vel in messe, vel aliquid hujusmodi; non licebat transire sine benedictione. Alii sunt qui manipulos colligunt, alii sunt transeuntes viam. Qui manipulos colligunt, non de illis replent manus; quia non colligitur ad horreum fenum tectorum. Qui sunt qui manipulos colligunt? Messores. Qui sunt messores? Dominus dixit: *Messores autem Angeli sunt.* Qui sunt transeuntes? Illi qui jam per viam istam, id est, per vitam istam transierunt hinc ad patriam: Apostoli transeuntes erant in ista vita, Prophetæ transeuntes erant. Quos benedixerunt Prophetæ et Apostoli? Illos in quibus radicem charitatis viderunt. Quos autem invenerunt in tectis eminere et superbire *in cervice scuti sui*, dixerunt contra illos quod futuri erant, benedictionem autem super eos non dederunt. Ergo omnes istos malos quos portat Ecclesia, qui legitis in Scripturis, invenitis maledictos designatos ad antichristum pertinere, ad diabolum pertinere, ad paleam pertinere, ad zizania pertinere. Et multa innumerabilia per similitudinem dicuntur de illis: *Quia non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum* (*Id.* VII, 21). Nullam invenis Scripturam quæ de illis bene loquatur, quia transeuntes viam non illos benedixerunt. Transeuntes Prophetæ omnia de illis mala dixerunt. Ecce et iste quem portamus, David transiit viam; audistis quid de illis dixit: *Dominus justus concidet cervices peccatorum. Confundantur, et avertantur retrorsum, omnes qui oderunt Sion. Fiant sicut fenum tectorum, quod priusquam evellatur aruit. Non replevit manum suam messor, et sinum suum qui manipulos colligit.* Hæc de illis dixit. Non ergo supra illos iste transiens benedixit, et impletum est etiam per illum, quod ipse dixit: *Et non dixerunt transeuntes viam, Benediximus vos in nomine Domini.* Et isti transeuntes sive Prophetæ, sive Patriarchæ, sive Apostoli, quicumque transierunt, si bene vivimus, fratres, benedixerunt nos *in nomine Domini.* Quando me, inquis, benedixit Paulus? quando me benedixit Petrus? Attende in Scripturis, vide si bene vivis, et vide ibi benedictum te fuisse. Omnes bene viventes benedixerunt. Et quomodo benedixerunt? *In nomine Domini;* non in nomine suo, sicut hæretici. Qui enim dicunt, Quod nos damus, hoc est sanctum; in nomine suo volunt benedicere, non in nomine Domini. Qui autem dicunt, Non sanctificat nisi Deus, nec quisquam est bonus nisi dono Dei; ipsi in nomine Domini benedicunt, non in nomine suo: quia [1] amici sunt sponsi (*Joan.* III, 19), nolunt esse adulteri sponsæ.

[1] Corb Ms., *puniti.*

IN PSALMUM CXXIX

ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1-3.] Quoniam vos non solum oculis corporis, sed etiam corde vigilare præsumimus, intelligenter nos cantare oportet: *De profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam.* Etenim vox hæc ascendentis est, pertinens ad canticum graduum. Debet itaque unusquisque nostrum videre in quo profundo sit, de quo clamet ad Dominum. Clamavit de profundo Jonas, de ventre ceti (*Jonæ* II, 2). Erat non solum sub fluctibus, verum etiam in visceribus belluæ; nec tamen illud corpus et illi fluctus intercluserunt orationem ne perveniret ad Deum, et venter bestiæ non potuit tenere vocem deprecantis. Penetravit omnia, disrupit omnia, pervenit ad aures Dei: si tamen dicendum est quia disruptis omnibus pervenit ad aures Dei, quando aures Dei in corde precantis erant. Ubi enim Deum præsentem non habet, cujus fidelis est vox? Verumtamen et nos debemus intelligere de quo profundo clamemus ad Dominum. Profundum enim nobis est vita ista mortalis. Quisquis se in profundo intellexerit, clamat, gemit, suspirat, donec de profundo eruatur, et veniat ad eum qui super omnes abyssos sedet et super Cherubim, super omnia quæ creavit, non solum corporalia, sed etiam spiritualia; donec ad eum veniat anima, donec ab illo liberetur imago ipsius, quod est homo, quæ in hoc profundo tanquam assiduis fluctibus exagitata, detrita est: et nisi renovetur et reparetur a Deo, qui illam impressit quando formavit hominem [2] (Idoneus potuit esse homo ad casum suum; non est idoneus ad resurrectionem suam), semper in profundo est; nisi liberetur, ut dixi, semper in profundo est. Sed cum de profundo clamat, surgit de profundo, et ipse clamor non eum permittit multum in imo esse. Valde enim in profundo sunt, qui nec clamant de profundo. Dicit Scriptura: *Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3). Jam videte, fratres, quale profundum sit, ubi contemnitur Deus. Cum quisque viderit se quotidianis peccatis obrutum, acer-

[1] Plures Mss., *qui.*
[2] Hic aliquot Mss. addunt, *semper in profundo erit.*

vis quibusdam et molibus quibusdam iniquitatum premi, si dictum illi fuerit ut Deum roget, irridet. Quibus modis? Primo dicit : Si Deo displicerent facinora, ego viverem? Si curaret Deus res humanas, ad tanta scelera quæ feci, non solum viverem, sed et bene mihi esset? Solet enim hoc illis evenire, qui multum in profundo sunt, et prosperantur in iniquitatibus suis : et tanto magis in profundo merguntur, quanto magis videntur esse felices; fallax enim felicitas, ipsa major est infelicitas. Deinde et hoc solent homines dicere : Jam quoniam multa feci et damnatio imminet, hoc perdo, quod non facio quidquid possum; et, Ex hoc perdor, cur non facio quidquid possum? Quomodo solent desperati latrones dicere : Sic me occisurus est judex pro decem homicidiis, quomodo pro quinque, quomodo pro uno; quare non jam quidquid mihi occurrerit facio? Hoc est, *Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit.* Sed Dominus Jesus Christus qui nec profunda nostra contempsit, qui usque ad istam vitam venire dignatus est, promittens remissionem omnium peccatorum; etiam de profundo excitavit hominem, ut clamaret de profundo sub molibus peccatorum, et perveniret vox peccatoris ad Deum : unde clamantis, nisi de profundo malorum?

2. Et videte quia vox peccatoris clamat de profundo : *De profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* Unde clamat? De profundo. Quis est ergo qui clamat? Peccator. Et qua spe clamat? Quia qui venit solvere peccata, dedit spem etiam in profundo posito peccatori. Ideo quid sequitur post istas voces? *Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?* Ecce aperuit [1] de quo profundo clamaret. Clamat enim sub molibus et fluctibus iniquitatum suarum. Circumspexit se, circumspexit vitam suam; vidit illam undique flagitiis et facinoribus coopertam : quacumque respexit, nihil in se bonum invenit, nihil illi justitiæ serenum potuit occurrere. Et cum tanta et tam multa peccata undique et catervas scelerum suorum videret, tanquam expavescens exclamavit, *Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?* Non dixit, Ego non sustinebo; sed, *quis sustinebit?* Vidit enim prope totam vitam humanam circumlatrari peccatis suis, accusari omnes conscientias cogitationibus suis, non inveniri cor castum præsumens de sua justitia. Si ergo cor castum non potest inveniri, quod præsumat de sua justitia; præsumat omnium cor de misericordia Dei, et dicat, *Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?*

3. [*vers.* 4-6.] Quare autem spes est? *Quoniam apud te propitiatio est.* Et quæ est ista propitiatio, nisi sacrificium? Et quod est sacrificium, nisi quod pro nobis oblatum est? Sanguis innocens fusus delevit omnia peccata nocentium : pretium tantum datum redemit omnes captivos de manu captivantis inimici. Ergo *est apud te propitiatio*. Nam si non esset apud te propitiatio, si judex solum esse velles et misericors esse nolles, observares omnes iniquitates nostras, et quæreres eas; quis sustineret? quis ante te staret, et diceret, Innocens sum? quis staret in judicio tuo? Spes ergo una est, *Quoniam est apud te propitiatio. Propter legem tuam sustinui te, Domine.* Quam legem? Quæ reos fecit? Data est enim lex sancta, justa, bona Judæis (*Rom.* VII, 12); sed reos eos potuit facere. Non data est lex quæ posset vivificare (*Galat.* III, 21), sed quæ ostenderet peccata peccatori. Peccator enim oblitus erat se, nec videbat se; data est illi lex, ut videret se. Fecit reum lex; liberavit Lator legis : Lator enim legis Imperator est. Lex data est quæ terreat et constringat in reatum; et non solvit lex a peccatis, sed ostendit peccata. Et forte sub ipsa lege positus, animadvertit iste in profundo quanta fecerit contra legem, et sic exclamavit dicens, *Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?* Est ergo lex misericordiæ Dei, lex propitiationis Dei. Illa timoris fuit, est alia lex charitatis. Lex charitatis dat veniam peccatis, delet præterita, admonet de futuris; in via non deserit comitem, comes fit ei quem ducit in via. Sed concordandum est cum adversario, dum es cum eo in via (*Matth.* V, 25). Est enim sermo Dei adversarius tuus, quamdiu cum illo non concordas. Concordas autem, cum cœperit te delectare facere quod dicit sermo Dei. Jam qui erat adversarius, fit amicus : sic, finita via, non erit qui tradat te judici. Ergo *propter legem tuam sustinui te, Domine;* quia dignatus es legem misericordiæ afferre, mihi dimittere omnia peccata mea, dare mihi de cætero monita ne te offendam : in ipsis monitis si quid forte titubavero, dedisti mihi remedium, quo te orem, dicens, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Id.* VI, 12). Hanc legem statuisti mihi, ut quomodo dimitto, dimittatur mihi. *Propter hanc legem sustinui te, Domine.* Exspectavi quando venias et liberes ab omni necessitate, quia in ipsa necessitate non deseruisti legem misericordiæ.

4. Audi quam legem dicat, si nondum intellexisti quia legem modo dicit charitatis; audi Apostolum : *Invicem onera vestra portate, et sic implebitis legem Christi.* Qui portant invicem onera sua, nisi qui habent charitatem? Qui non habent charitatem, graves sunt sibi; qui autem habent charitatem, portant se. Læsit te aliquis, petit veniam : si non dimittis, non portas onus fratris tui; si dimittis, portas infirmum. Et tu si forte in aliquam infirmitatem cecideris, quasi homo, oportet ut sic te portet et ille, quemadmodum et tu. Audi quid præcesserit : *Fratres*, inquit, *si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis.* Et ne forte quia spirituales monuerat, veluti securi sibi viderentur, continuo subjecit : *Intendens teipsum, ne et tu tenteris.* Deinde quod commemoravi, subjunxit, *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI, 1, 2) : unde dicit, *Propter legem tuam sustinui te, Domine.* Dicuntur cervi, quando transeunt freta in proximas insulas pascuæ gratia,

[1] Am. Er. et plures Mss., *apparuit.*

capita super se invicem ponere; et unus, qui ante est, solus portat caput et non ponit super alterum : sed cum et ipse defecerit, tollit se ab anteriore parte et redit posterius, ut et ipse in altero requiescat : et sic portant omnes onera sua, et perveniunt ad quod desiderant; et non patiuntur naufragium, quia quasi navis est illis charitas. Itaque charitas portat onera; sed non timeat ne prematur talibus oneribus : ne peccatis suis unusquisque prematur, attendat. Nam quando portas infirmitatem fratris tui, non te onerant peccata ipsius. Plane si consentias, jam tua te premunt, non alterius. Quisquis enim consenserit peccatori, non alienis, sed suis gravatur. Consensio enim ad peccatum alterius, tuum fit peccatum; et non est quare queraris quod peccata aliena te premant. Dicitur enim tibi : Premunt te, sed tua. Vidisti furem, cucurristi cum eo (*Psal.* XLIX, 18). Quid est hoc? Pedibus ambulasti ad furtum; imo mente conjunxisti te furi : quod ipsius solum erat, factum est tuum; quia placuit tibi. Si autem displicuerit tibi, et oraveris pro eo, et deprecatus veniam dederis, ut possis libera fronte dicere in precibus tuis, quas tibi Jurisperitus cœlestis dictavit, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris;* didicisti portare onera fratris tui; ut et alius portet si qua sunt tua, et fiat in vobis quod ait Apostolus, *Invicem onera vestra portate, et sic implebitis legem Christi.* Ita securus cantas quod modo dictum est, *Propter legem tuam sustinui te, Domine.*

5. Hanc autem legem qui non servat, nec sustinet Dominum; nec, si velit sustinere, causa est quare sustineat; inaniter sustinet. Venturus est enim Dominus, et inventurus peccata tua; quod perfecta autem justitia vixisti, non inventurus. Homicidia forte, gravia sunt enim et valde majora, non est inventurus; adulterium non est inventurus, furta non est inventurus, rapinam non est inventurus, maleficia non est inventurus, idololatriam non est inventurus [1]; non est ista inventurus. Nihil ergo est inventurus? Audi sermonem Evangelii : *Qui dixerit fratri suo, Fatue.* Ab istis etiam peccatis linguæ minutissimis quis abstinet? Sed forte dicis, Parva sunt. *Reus erit*, inquit, *gehennæ ignis* (*Matth.* v, 22). Si parvum tibi videbatur aut modicum, fratri dicere, *Fatue*, vel gehenna ignis videatur tibi magna : si contemnebas minus peccatum, vel pœnæ magnitudine deterrere. Sed dicis : Minora sunt, minuta sunt, sine quibus non potest esse ista vita. Congere minuta, et faciunt ingentem acervum. Nam et grana minuta sunt, et tamen massam faciunt : et guttæ minutæ sunt, et flumina implent, et moles trahunt. Ideo et ille considerans quam multa minuta peccata quotidiana committat homo, si nihil aliud, vel per cogitationes et linguam, attendit quam multa sint; et si attendit quam minuta sint, videt per multa minuta fieri acervum magnum; et non quasi peccata sua pristina cogitans, sed ipsam fragilitatem humanam, jam ascendens clamat : *De profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Si iniquitates observaveris Domine; Domine, quis sustinebit?* Vitare possum homicidia, adulteria, rapinas, perjuria, maleficia, idololatriam; numquid et peccata linguæ? numquid et peccata cordis? Scriptum est : *Peccatum iniquitas est* (I *Joan.* III, 4). *Quis* ergo *sustinebit, si tu iniquitates observaveris?* si nobiscum severus judex agere volueris, non misericors pater, quis stabit ante oculos tuos? Sed *est apud te propitiatio; propter legem tuam sustinui te, Domine.* Qualis est lex ista? *Invicem onera vestra portate, et sic implebitis legem Christi.* Qui portant invicem onera sua? Qui fideliter dicunt, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

6. *Sustinuit anima mea in verbum tuum.* Nemo sustinet, nisi qui nondum accepit quod promissum est : nam qui jam accepit, quid sustinet? Accepimus remissionem peccatorum; sed promissum est nobis regnum cœlorum : debita nostra deleta sunt; sed merces nostra adhuc futura est : accepimus veniam; sed æternam vitam nondum tenemus. Sed qui dedit veniam, ipse promisit et vitam æternam. Si verbum nostrum esset, deberemus timere : quia verbum Dei est, non fallit. Securi ergo speramus in verbum ejus qui fallere non potest. *Speravit anima mea in Dominum, a vigilia matutina usque ad noctem.* Quid est quod ait? uno die speravit in Dominum, et finita est tota spes ipsius? *A vigilia matutina usque ad noctem, speravit in Dominum.* Ista vigilia matutina, finis noctis est; hinc *usque ad noctem speravit anima mea in Dominum.* Ergo intelligendum est, ne putemus uno die nobis sperandum esse in Dominum, *A vigilia matutina usque ad noctem.* Quid ergo putatis, fratres? Hoc est, *A vigilia matutina usque ad noctem, speravit anima mea in Dominum* [1] : quia Dominus per quem nobis dimissa sunt peccata, in vigilia matutina resurrexit a mortuis, ut hoc speremus in nobis futurum quod præcessit in Domino. Jam enim peccata nostra dimissa sunt, sed nondum resurreximus : si nondum resurreximus, nondum in nobis factum est quod præcessit in capite nostro. Quid præcessit in capite nostro? Quia et caro ipsius capitis resurrexit; spiritus illius capitis numquid mortuus est? Sed quod in eo mortuum est, resurrexit. Resurrexit autem tertia die; et quodam modo hoc nobis dixit Dominus : Quod in me vidistis, sperate in vobis; id est, quia ego resurrexi, resurgetis et vos.

7. Sed sunt qui dicant : Ecce resurrexit Dominus; numquid propterea sperandum est et me posse resurgere? Utique propterea : in hoc enim resurrexit

[1] In B. sic legitur : « Venturus est enim Dominus, et « inventurus peccata tua. Quod autem perfecta justitia vixi-« sti, non est inventurus homicidia forte. Gravia sunt enim « et valde majora. Non est inventurus adulterium, non est « inventurus furta, non est inventurus rapinam, non est « inventurus maleficia, non est inventurus idololatriam. « non est ista inventurus : nihil ergo est inventurus? Audi « sermonem Evangelii, » etc. Hunc locum restituimus ex Ms. Colb. Reg. Bib. Parisiensis, 1981 numerato. M.

[1] Fr. Lugd. Ven. et Lov., *Quid ergo putatis, fratres, hoc esse, a vigilia?* etc. M.

Dominus, quod a te accepit. Non enim resurgeret nisi mortuus esset, non autem mortuus esset, nisi carnem portaret. Quid accepit a te Dominus? Carnem. Quid venit ipse? Verbum Dei, quod erat ante omnia, per quem facta sunt omnia. Sed ut acciperet abs te aliquid, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 1, 3, 14). Accepit abs te, quod offerret pro te; quomodo accipit sacerdos a te, quod pro te offerat, quando vis placare Deum pro peccatis tuis. Jam factum est, ita factum est. Sacerdos noster a nobis accepit quod pro nobis offerret: accepit enim a nobis carnem; in ipsa carne victima factus est, holocaustum factus est, sacrificium factus est. In passione sacrificium factus est; in resurrectione innovavit illud quod occisum est, et tanquam primitias tuas dedit Deo, et ait tibi: Consecrata sunt jam omnia tua, quando tales primitiæ de te datæ sunt Deo; spera ergo et in te futurum quod præcessit in primitiis tuis.

8. Ergo ille quia a vigilia matutina resurrexit, cœpit anima nostra ex hoc sperare: et quousque? *Usque in noctem;* quousque moriamur. Omnis enim mors nostra carnalis, quasi somnus est. Cœpisti sperare ex quo resurrexit Dominus, noli deficere sperare quousque exeas ab hac vita. Nam si non usque ad noctem speraveris, deletur totum quod speraveras. Sunt enim homines qui incipiunt sperare, sed non perseverant usque ad noctem. Incipiunt pati tribulationes aliquas, incipiunt pati tentationes, vident homines malos et iniquos felicitate pollere temporali: et quoniam talia sperabant de Domino, ut hic essent felices, attendunt eos qui scelera fecerunt, habere quod ipsi habere desiderabant; et deficiunt pedes eorum, et desinunt sperare. Quare? Quia non a vigilia matutina cœperunt sperare. Quid est hoc? Non hoc cœperunt sperare de Domino, quod præcessit in Domino ab illa vigilia matutina: sed sperabant de Domino, ut si essent christiani, haberent plenam domum frumento, vino, oleo, argento, auro; nullus eorum moreretur immaturus; si quis non haberet filios, acciperet; si uxorem non duxisset, duceret; non abortiret non solum aliqua mulier in domo ejus, sed nec pecus ejus; non acescerent cupæ ejus, non grandinaretur vinea ejus. Qui sic sperabat in Dominum, animadvertit his rebus abundare eos qui non colunt Dominum, et defecerunt pedes ejus (*Psal.* LXXII, 2, 3), et non speravit usque ad noctem; quia non cœpit a vigilia matutina sperare.

9. Quis ergo sic incipit a vigilia matutina sperare? Qui hoc sperat de Domino, quod cœpit ostendere a vigilia matutina in qua resurrexit. Antea enim nemo resurrexerat semper victurus. Intendat Charitas vestra. Resuscitati sunt mortui ante adventum Domini: nam et Elias resuscitavit mortuum (III *Reg.* XVII, 22), et Elisæus (IV *Reg.* IV, 35); sed resurrexerunt iterum morituri. Dominus ipse quos resuscitavit, morituri resurrexerunt; sive ille juvenis filius viduæ (*Luc.* VII, 15), sive illa puella duodecim annorum, filia archisynagogi (*Id.* VIII, 55), sive Lazarus (*Joan.* XI, 44): aliter resuscitati sunt, omnes morituri; semel nati sunt, sed bis mortui sunt. Nemo resurrexerat nunquam moriturus, nisi Dominus. Quando autem resurrexit Dominus nunquam moriturus? *A vigilia matutina.* Hoc spera et tu de Domino, resurrecturum te, non quomodo Lazarus resurrexit, non quomodo filius viduæ et archisynagogi filia resurrexerunt, non quomodo quos suscitaverunt antiqui Prophetæ; sed resurrecturum te spera quomodo Dominus, ut post resurrectionem qua resurrexeris, non te jam timeas moriturum: et cœpisti sperare a vigilia matutina.

10. Spera autem usque ad noctem, quousque finiatur hæc vita, quousque sit nox universi generis humani in occasu sæculi. Quare hoc usque? Quia post istam noctem jam non erit spes, sed ipsa res. *Spes enim quæ videtur, non est spes,* Apostolus dicit: *quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 24, 25). Si ergo patienter exspectare debemus quod non videmus, usque ad noctem speremus, id est usque ad finem hujus vitæ nostræ vel sæculi. Cum autem nox ista transierit, jam veniet quod sperabamus; et non jam sperabimus, nec tamen desperati erimus. Est enim vituperatio desperatorum, et aliquando detestamur hominem, et dicimus: Non habet spem. Non semper malum est non habere spem. In hac vita cum sumus, malum est non habere spem: qui enim modo spem non habet, rem postea non habebit. Ergo modo spem debemus habere. Sed cum res venerit, numquid spes erit? *Quod enim videt quis, quid sperat?* Veniet Dominus Deus noster, primo formam ipsam in qua crucifixus est et resurrexit, demonstraturus generi humano, ut videant pii et impii: illi videant, et gratulentur invenisse se quod crediderunt antequam viderent; et illi erubescant non se credidisse quod videbunt. Erubescentes damnabuntur, et gratulati coronabuntur. Dicetur confusis, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus;* dicetur gaudentibus, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV 41, 34): quod cum acceperint, jam spes non erit, quia res tenebitur. Transacta ergo spe, transibit nox illa; sed donec fiat, a vigilia matutina speret anima nostra in Dominum.

11. Et redit ad illud, *A vigilia matutina speret Israel in Dominum. A vigilia matutina usque ad noctem, speravit anima mea in Dominum.* Sed quid [1] speravit? *A vigilia matutina speret Israel in Dominum.* Non solum *speret Israel in Dominum*, sed, *a vigilia matutina speret Israel.* Ergo culpo spem sæculi, quando speratur de Deo? Non; sed alia spes est Israel propria. Non pro summo suo bono speret Israel divitias, non salutem corporis, non abundantiam terrenorum: imo tribulationem hic habiturus est, si forte contigerit illi propter veritatem pati aliquas molestias. Non enim non sperabant in Deum martyres, et tamen talia sunt passi, qualia latrones, qualia iniqui: subjecti ad bestias, ignibus concremati, gladio percussi,

[1] vox, *quid*, abest a pluribus Mss.

ungulis exarati, catenis obstricti, carcere necati, ista omnia mala passi, non sperabant in Dominum? aut ideo sperabant, ut istis malis carentes, hac vita fruerentur? Non plane; quia a vigilia matutina sperabant. Quid est hoc? Considerabant illam vigiliam matutinam qua resurrexit Dominus eorum, et videbant quia antequam resurgeret, talia et ipse passus erat, qualia ipsi patiebantur, et non desperabant etiam se post tales passiones resurrecturos ad vitam æternam. *Speravit Israel in Dominum, a vigilia matutina usque ad noctem.*

12. [*vers.* 7, 8.] *Quoniam apud Dominum misericordia, et multa apud illum redemptio.* Magnifice! melius dici non posset loco suo, propter illud quod dixit, *A vigilia matutina speret Israel in Dominum.* Quare? Quia a vigilia matutina resurrexit Dominus; et hoc debet sperare corpus, quod in capite præcessit. Sed ne suggeratur ista cogitatio: Capiti licuit resurgere, quia peccatis non premebatur, nullum peccatum erat in illo; quid nos facturi sumus? Sperabimus talem resurrectionem, qualis in Domino præcessit, cum peccatis nostris aggravemur? Sed vide quid sequitur: *Quoniam apud Dominum misericordia, et multa apud illum redemptio. Et ipse redimet Israel ab omnibus iniquitatibus ejus.* Ergo si premebatur peccatis suis, adest misericordia Dei. Ideo præcessit ille sine peccato, ut deleat peccata sequentium. Nolite in vobis præsumere, sed a vigilia matutina præsumite. Videte caput vestrum resurrexisse et ascendisse in cœlum. In illo culpa non erat, sed per illum vestræ culpæ delebuntur: *Ipse redimet Israel ab omnibus iniquitatibus ejus.* Quia Israel vendere se potuit, et fieri venundatus sub peccato; redimere se ab iniquitatibus non potest. Ille potuit redimere, qui se non potuit vendere: qui non commisit peccatum, ipse est redemptor a peccato. *Ipse redimet Israel.* Unde redimet? Ab illa iniquitate, an ab illa? *Ab omnibus iniquitatibus ejus.* Non ergo timeat accessurus ad Deum aliquas iniquitates suas: tantummodo accedat pleno corde, et desinat jam facere quæ antea faciebat, et non dicat, Illa iniquitas non mihi dimittitur. Si enim hoc dixerit, propter ipsam quam putat sibi non dimitti, non se convertit, et faciendo cætera, non illi dimittitur et illud quod non timebat. Quia feci, inquit, scelus magnum, et non mihi potest dimitti; jam faciam et cætera: hoc enim perdo quod non facio. Noli timere: in profundo es, noli contemnere de profundis clamare ad Dominum, et dicere, *Si iniquitates observaveris, Domine; Domine, quis sustinebit?* Observa illum, et exspecta illum, et sustine propter legem ipsius. Quam legem tibi dedit? *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Spera te resurrecturum, et tunc futurum omni modo sine peccato, quoniam ille resurrexit qui primus fuit sine peccato. A vigilia matutina spera. Noli dicere: Ego non sum dignus propter peccata. Non es dignus; sed *multa apud illum redemptio, et ipse redimet Israel ab omnibus iniquitatibus ejus.*

IN PSALMUM CXXX
ENARRATIO.
SERMO AD PLEBEM.

1. In isto psalmo commendatur nobis humilitas servi Dei et fidelis, cujus voce cantatur, quod est universum corpus Christi. Sæpe enim admonuimus Charitatem vestram, non quasi unius hominis cantantis vocem accipi debere, sed omnium qui sunt in Christi corpore. Et quia in illius corpore sunt omnes, tanquam unus homo loquitur: et ipse est unus qui et multi sunt. Multi enim sunt in seipsis, unus sunt in illo qui unus est. Ipsum est autem etiam templum Dei, de quo dicit Apostolus, *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I *Cor.* III, 17); omnes qui credunt in Christum, et sic credunt ut diligant. Hoc est enim credere in Christum, diligere Christum: non quomodo dæmones credebant (*Jacobi* II, 19), sed non diligebant; et ideo quamvis crederent, dicebant, *Quid nobis et tibi est, Fili Dei* (*Matth.* VIII, 29)? Nos autem sic credamus, ut in ipsum credamus, diligentes eum, et non dicamus, *Quid nobis et tibi est?* sed dicamus potius, Ad te pertinemus; tu nos redemisti. Omnes ergo qui sic credunt, tanquam lapides sunt vivi, de quibus templum Dei ædificatur (I *Petr.* II, 5); et tanquam ligna imputribilia, ex quibus arca illa compacta est, quæ in diluvio mergi non potuit (*Gen.* VI, 14). Hoc autem templum est, id est ipsi homines, ubi rogatur Deus, et exaudit. Quisquis enim præter templum Dei oraverit Deum, non exauditur ad illam pacem supernæ Jerusalem, etsi exauditur ad quædam temporalia, quæ Deus et Paganis donavit. Nam et ipsi dæmones exauditi sunt, ut irent in porcos (*Matth.* VIII, 31, 32). Exaudiri ad vitam æternam aliud est, nec conceditur nisi ei qui in templo Dei orat. Ille autem in templo Dei orat, qui orat in pace Ecclesiæ, in unitate corporis Christi; quod corpus Christi constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum: et ideo exauditur, qui [1] orat in templo. Ipse enim orat in spiritu et veritate, qui orat in pace Ecclesiæ; non in illo templo ubi figura erat (*Joan.* IV, 21-24).

2. Secundum figuram enim Dominus exclusit homines de templo, illos qui sua quærebant, id est, propter vendendum et emendum ibant in templum. Si autem figura erat illud templum, manifestum est quia et corpus Christi, quod est verum templum cujus illa imago erat, habet permixtos ementes et vendentes, id est sua quærentes, non quæ Jesu Christi (*Philipp.* II, 21). Sed excluduntur inde flagello resticulæ. Restis enim peccata significat, sicut dicitur per prophetam: *Væ eis qui trahunt peccata velut restem longam* (*Isai.* V, 18). Illi autem trahunt peccata sicut restem longam, qui addunt peccata peccatis; qui cum fecerint unum peccatum, ut cooperiant illud, faciunt alterum. Quomodo enim ut restis fiat, additur spartum sparto, non autem in rectum it, sed torquetur: sic omnia prava facta, quæ sunt peccata cum adduntur sibi,

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov., *quia*. M.

et de peccato peccatum, et peccatum ad peccatum annectitur, fit restis longa. Quorum semitæ pravæ, et flexuosi gressus eorum (*Job* VI, 18). Quo valet autem ista restis, nisi ut inde ligentur ei manus et pedes, et projiciatur quisque in tenebras exteriores? Meministis enim dictum de quodam peccatore in Evangelio: *Ligate illi manus et pedes, et projicite illum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* XXII, 13). Non esset unde illi ligarentur manus et pedes, nisi ipse sibi restem fecisset. Unde apertissime alio loco scriptum est: *Criniculis peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V, 22). Ergo quia de peccatis suis homines vapulant, ideo Dominus flagellum de resticula fecit, et inde expulit de templo omnes qui sua quærebant, non quæ Jesu Christi.

3. Hujus ergo templi vox est in Psalmo. In hoc templo, ut dixi, rogatur Deus, et exaudit in spiritu et veritate; non in illo corporali. Nam illic umbra erat, in qua demonstraretur quod venturum erat: ideo illud jam cecidit. Cecidit ergo domus orationis nostræ? Absit. Non enim illud templum quod cecidit, hoc potuit dici domus orationis, de qua dictum est: *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus.* Audistis enim quid dixerit Dominus Jesus Christus: *Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus; vos autem fecistis eam speluncam latronum* (*Matth.* XXI, 12, 13; *et Joan.* II, 14-16). Numquid illi qui voluerunt facere domum Dei speluncam latronum, fecerunt ut rueret templum? Sic et illi qui male vivunt in Ecclesia catholica, quantum in ipsis est, domum Dei volunt facere speluncam latronum; nec ideo evertunt templum. Veniet enim tempus, quando de reste peccatorum suorum foras mittantur. Hoc autem templum Dei, hoc corpus Christi, hæc congregatio fidelium unam vocem habet, et tanquam unus homo cantat in Psalmo. Ejus vocem jam in multis psalmis audivimus; audiamus et in isto. Si volumus, nostra vox est; si volumus, aure audimus cantantem, et nos corde cantamus. Si autem nolumus, erimus in illo templo tanquam ementes, et vendentes, id est, nostra quærentes: intramus Ecclesiam, non ad ea quæ placent oculis Dei. Viderit ergo in numero vestro quis quomodo audiat, utrum audiat et irrideat, utrum audiat et post se ponat, utrum audiat et consonet, id est, sentiat hic vocem suam, et adjungat vocem cordis sui voci psalmi hujus. Tamen vox psalmi hujus non tacet; instruantur qui possunt, imo qui volunt; qui nolunt, non impediant. Commendetur nobis humilitas; inde cœpit.

4. [*vers.* 1.] *Domine, non est exaltatum cor meum.* Sacrificium obtulit. Unde probamus quia sacrificium obtulit? Quia humilitas cordis sacrificium est. Dicitur in alio psalmo, *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique.* Satis volebat facere Deo pro peccatis suis, propitiare illum volebat, ut acciperet indulgentiam peccatorum: et quasi quærens unde illum propitiaret, *Si voluisses*, inquit, *sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis.* Ergo superflue quærebat aut arietes, aut tauros, aut aliquam talem victimam, unde placaretur Deus. Quid ergo? quia holocaustis non delectatur Deus, non accipit sacrificium, et sine sacrificio placatur? Si nullum sacrificium est, nullus sacerdos. Si autem habemus[1] sacerdotem in cœlis, qui pro nobis interpellat Patrem (Intravit enim in sancta sanctorum, in interiora veli, quo non intrabat sacerdos in figura nisi semel in anno, sicut et Dominus in toto tempore semel oblatus est. Ipse obtulit se, ipse sacerdos, ipse victima, et intravit in sancta sanctorum semel [*Hebr.* IX], et jam non moritur, nec mors ei ultra dominabitur [*Rom.* VI, 9]); securi sumus, quia habemus Sacerdotem; ibi offeramus et hostiam. Videamus quod sacrificium debemus offerre; quia holocaustis non delectatur Deus noster, sicut audistis in psalmo. Sed ibi sequitur et ostendit quid offerat: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Psal.* L, 18, 19). Si ergo humiliatum cor sacrificium Deo est, sacrificium obtulit qui dixit: *Domine, non est exaltatum cor meum.* Vide alio loco sic offerentem: dicit Deo, *Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea* (*Psal.* XXIV, 18).

5. *Domine, non est exaltatum cor meum, neque in altum elati sunt oculi mei; neque ingressus sum in magnis, neque in mirabilibus super me.* Hoc planius dicatur, et audiatur. Non fui superbus, nolui quasi in mirabilibus innotescere hominibus; nec quæsivi aliquid supra vires meas, unde me apud imperitos jactarem. Intendat Charitas vestra; magna res commendatur. Quomodo Simon ille magus in mirabilibus ingredi volebat super se, propterea plus illum delectavit potentia Apostolorum, quam justitia Christianorum. At ubi vidit per manus impositionem Apostolorum et per orationes eorum Deum dare fidelibus Spiritum sanctum; et quia tunc per miraculum demonstrabatur adventus Spiritus sancti, ut linguis loquerentur, quas non didicerant, omnes super quos veniebat Spiritus sanctus (nec ideo modo non datur Spiritus sanctus, quia linguis non loquuntur, qui credunt. Ideo enim tunc oportebat ut linguis loquerentur, ut significarent omnes linguas Christo credituras. Ubi impletum est quod significabatur, miraculum ablatum est): cum ergo hoc videret Simon, voluit talia facere, non talis esse; et nostis quia etiam pecunia putavit comparandum Spiritum sanctum. Erat ergo de talibus qui in templum intrant ad emendum et vendendum; emere volebat quod vendere disponebat: et vere, fratres mei, quia talis ille erat, et sic intraverat ad eos. Dominus illos expulit de templo qui columbas vendebant; columba autem Spiritum sanctum significat: volebat ergo Simon emere columbam, et vendere columbam; accessit Dominus Jesus Christus, qui habitabat in Petro, et flagello resticulæ expulit foras malum mercatorem (*Act.* VIII, 18-23).

6. Ergo sunt homines quos delectat miraculum facere, et ab eis qui profecerunt in Ecclesia miraculum

[1] Lov., *sed habemus.* M.

exigunt; et ipsi qui quasi profecisse sibi videntur, talia volunt facere, et putant se ad Deum non pertinere si non fecerint. Dominus autem Deus noster, qui novit quid cui tribuat, et ut servetur compago corporis in pace, alloquitur Ecclesiam per Apostolum : *Non potest dicere oculus manui, Opus te non habeo; aut iterum caput pedibus, Opus vobis non habeo. Si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum corpus auditus, ubi odoratus?* Ergo in membris nostris videtis, fratres, quomodo singula officium suum habeant membra. Oculus videt, et non audit; auris audit, et non videt; manus operatur, nec audit, nec videt; pes ambulat, nec audit, nec videt, nec facit quod manus. Sed in uno corpore si sit sanitas, et non adversum se litigent membra, auris videt in oculo, oculus audit in aure; nec objici potest auri quod non videt, ut dicatur ei : Nihil es, minor es; numquid videre et discernere colores potes, quod facit oculus? Respondet enim auris de pace corporis, et dicit : Ibi sum ubi est oculus, in eo corpore sum; in me non video, in illo cum quo sum video. Ita cum auris dicit, Oculus mihi videt; oculus dicit, Auris mihi audit; oculi et aures dicunt, Manus nobis operantur; manus dicunt, Oculi et aures nobis vident et audiunt : oculi et aures et manus dicunt, Pedes nobis ambulant : omnia in uno corpore cum operantur [1], si sit ibi sanitas et concordent membra, gaudent et congaudent sibi. Et si aliquid molestiæ sit in aliquo membro, non se deserunt, sed compatiuntur sibi. Numquid, quia in corpore pes quasi longe videtur ab oculis (illi enim sunt locati in sublimitate, illi autem infra positi), quando forte pes spinam calcaverit, deserunt oculi; et non, sicut videmus, totum corpus contrahitur, et sedet homo, curvatur spina dorsi, ut quæratur spina quæ hæsit in planta? Omnia membra quidquid possunt faciunt, ut de infimo et exiguo loco spina quæ inhæserat educatur. Sic ergo, fratres, quisquis in corpore Christi non potest resuscitare mortuum, non illud quærat, sed quærat [2] ne discordet in corpore; quomodo si auris quærat videre, discordare potest. Nam quod non accepit, non potest facere. Sed si ei objectum fuerit et dictum : Si justus esses, resuscitares mortuum, quomodo resuscitavit Petrus. In Christo enim majora videntur fecisse Apostoli, quam ipse Dominus (*Joan.* XIV, 12). Sed unde fieri potest ut plus valeant sarmenta, quam radix? Quomodo autem quasi majora videntur fecisse illi, quam ille? Ad vocem Domini surrexerunt mortui, ad umbram transeuntis Petri surrexit mortuus (*Act.* V, 15). Majus hoc videtur, quam illud. Sed Christus facere sine Petro poterat, Petrus nisi in Christo non poterat : *Quia sine me*, inquit, *nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5). Cum ergo hoc audierit homo qui proficit, quasi objectam calumniam ab ignaris paganis, ab hominibus nescientibus quid loquantur; in compage corporis Christi respondeat et dicat : Qui dicis, Non es justus, quia non facis miracula; posses et auri dicere, Non es in corpore, quia non vides. Faceres [1], inquit, et tu, sicut et Petrus fecit. Sed Petrus et mihi fecit, quia in eo corpore sum, in quo Petrus fecit : in illo quod potest possum, a quo divisus non sum; quod minus possum, compatitur mihi, et quod plus potest, congaudeo illi (1 *Cor.* XII). Ipse Dominus desuper clamavit pro corpore suo, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? et ipsum nemo tangebat, sed pro corpore in terra laborante caput de cœlo clamabat.

7. Si ergo, fratres, unusquisque quod potest juste egerit, et in eo quod alius plus potest non inviderit, sed congratulatus fuerit tanquam in uno corpore cum eo constitutus, pertinet ad eum vox ista Psalmi, *Domine, non est exaltatum cor meum, neque in altum elati sunt oculi mei; neque ingressus sum in magnis, neque in mirabilibus super me.* Quod enim excessit vires meas, ait, non quæsivi, non ibi me extendi, nolui ibi magnificari. Nam ista exaltatio de abundantia gratiarum quam sit timenda, ne quis de dono Dei superbiat, sed magis servet humilitatem, et faciat quod scriptum est, *Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* (*Eccli.* III, 20) : quam ergo timenda sit superbia de dono Dei, etiam atque etiam commendandum est Charitati vestræ, maxime quia Psalmus brevissimus permittit nos loqui. Paulus apostolus quamvis ex persecutore factus sit prædicator, abundantiorem gratiam consecutus est in omni labore apostolico, quam cæteri apostoli, ut magis Deus ostenderet suum esse quod dat, non hominis. Quomodo solent medici potentiam suæ artis in desperatis ostendere : sic Dominus Jesus Christus, medicus et salvator noster, in desperato, qui persecutor Ecclesiæ fuit, ostendit magnitudinem artis suæ, ut non solum cum christianum faceret, sed et apostolum; nec tantum apostolum, sed sicut ipse dicit, plus omnibus illis laboraret (1 *Cor.* XV, 10). Excellentissimæ ergo gratiæ fuit. Et videtis, fratres, quia modo in Ecclesia Pauli apostoli Epistolæ vigent, magis quam coapostolorum ejus. Alii enim non scripserunt, sed tantum locuti sunt in Ecclesia : nam quæ proferuntur ab errantibus sub nomine ipsorum, quia non sunt ipsorum, improbantur, nec acceptantur ab Ecclesia. Alii autem qui scripserunt, nec tantum, nec tanta gratia scripserunt. Cum ergo esset magnæ gratiæ, et magna dona meruisset a Deo, quid dicit quodam loco? *Propter magnitudinem revelationum ne extollar.* Intendite, rem tremendam vobis dico : *Propter magnitudinem*, inquit, *revelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet.* Quid est hoc, fratres? Ne extolleretur tanquam juvenis, colaphizabatur tanquam puer. Et a quo? Ab angelo satanæ. Quid est hoc? Dolore quodam corporis traditur exagitatus vehementer : dolores autem corporum plerumque immittuntur ab angelis satanæ; sed hoc non possunt nisi permissi. Nam et Job sanctus sic probatus est. Permissus est ad eum probandum satanas, et percussit eum vulnere, ut vermibus putresceret. Immundus enim permittebatur, sed sanctus

[1] Aliquot Mss., *cooperantur.*
[2] Plures Mss. non habent, *sed quærat.*

[1] Lov., *fac.* M.

probabatur (*Job* II, 6, 7). Nescit diabolus quanta bona de illo fiant, etiam cum sævit. Sæviens intravit in cor Judæ (*Joan.* XIII, 27), sæviens tradidit Christum, sæviens crucifixit; et crucifixo Christo, redemptus est orbis terrarum. Ecce sævitia diaboli diabolo obfuit, nobis autem profuit. Sæviendo enim, quos tenebat amisit, redemptos sanguine Domini, quem cum sæviret effudit. Si sciret tantum damnum se passurum, non funderet in terram pretium quo redemptum est genus humanum. Sic ergo ille angelus satanæ quasi libenter permissus est colaphizare Apostolum; sed tamen Apostolus curabatur. Et quia illud quod medicus apposuerat, molestum erat infirmo; rogavit medicum ut auferret. Quomodo cum medicus apponit visceribus aliquod forte epithema molestum et ardens, unde tamen curandus est ille cujus viscera tumebant; cum ille ardere cœperit et cruciari medicamento, rogat medicum ut auferat: medicus autem consolatur, monet eum patientiam, quia novit quam utile sit quod apposuit. Ita et Apostolus sequitur et dicit, cum dixisset, *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet*. Prædixit autem quare: *Ne magnitudine revelationum extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi*, ait, *ut auferret eum a me.* Hoc est dicere, Rogavi medicum, ut auferret a me molestum epithema quod mihi apposuerat. Sed audi vocem medici: *Et dixit mihi*, *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 7-9). Ego novi quid apposuerim, ego novi unde ægrotes, ego novi unde saneris.

8. Si ergo, charissimi, potuit Paulus apostolus extolli magnitudine revelationum, nisi acciperet angelum satanæ qui se colaphizaret; quis de se possit esse securus? Tutius videtur ambulare qui minus accepit, sed si non perverse quærat quod recte non accepit: quærat sine quo non potest esse in corpore Christi, aut sine quo male est illic. Tutior est enim in corpore digitus sanus, quam lippiens oculus. Digitus exigua quædam res est; oculus magnifica, multum potest: et tamen melius est digitum esse et sanum esse, quam oculum esse et perturbari, lippire, excæcari. Non ergo quærat quisque in corpore Christi nisi sanitatem. Secundum sanitatem habeat fidem; ex fide mundatur cor ejus, ex mundatione cordis videbit illam faciem de qua dictum est, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Et qui fecit miracula, et qui non fecit miracula in corpore Christi, non debet gaudere nisi de facie Dei. Redierunt Apostoli, et dixerunt Domino, cum missi essent a Domino: *Ecce, Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis subjecta sunt.* Vidit Dominus quod tentaret eos superbia ex potentia miraculorum; et ille qui medicus venerat sanare tumores nostros, et ferre infirmitates nostras, continuo ait: *Nolite in hoc gaudere, quia dæmonia vobis subjecta sunt; sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X, 17, 20). Non omnes christiani boni dæmones ejiciunt; omnium tamen nomina scripta sunt in cœlo. Non eos voluit gaudere ex eo quod proprium habebant, sed ex eo quod cum cæteris salutem tenebant: inde voluit gaudere Apostolos, unde gaudes et tu. Intendat Charitas vestra. Nullus fidelis habet spem, si nomen ejus non est scriptum in cœlo. Omnium fidelium qui diligunt Christum, qui ambulant viam ejus humiliter, quam ipse docuit humilis, nomina scripta sunt in cœlo. Cujusvis contemptibilis in Ecclesia, qui credit in Christum, et diligit Christum, et amat pacem Christi, nomen scriptum est in cœlo; cujuslibet quem contemnis. Et quid simile ipsi et Apostolis, qui tanta miracula fecerunt? Et tamen Apostoli reprimuntur ex eo quod de bono [1] proprio gaudebant, et jubentur hinc gaudere unde gaudet et ille contemptibilis.

9. [*vers.* 2.] Non immerito, fratres mei, cum ista humilitate dicit, *Domine, non est exaltatum cor meum, neque in altum elati sunt oculi mei; neque ingressus sum in magnis, neque in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam; quemadmodum qui ablatus* [2] *est a lacte super matrem suam, sic retributio in animam meam*. Videtur enim velut maledicto se obstrinxisse. Quomodo alio loco in psalmo dicit, *Domine Deus meus, si feci istud; si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala; decidam merito ab inimicis meis inanis* (*Psal.* VII, 4, 5), et cætera: sic videtur et hic dixisse, *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam.* Age [3]; quasi dicturus esset, Illud mihi contingat. Quomodo et ibi, *Si reddidi retribuentibus mihi mala*, contingat mihi illud; quid? *Decidam merito ab inimicis meis inanis:* sic et hic, *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam; quemadmodum qui ablatus est a lacte super matrem suam, sic retributio in animam meam.* Intendite. Nostis quia quibusdam infirmis dicit Apostolus, *Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis; sed nec adhuc quidem potestis* (I *Cor.* III, 2). Sunt infirmi qui non sunt idonei valido cibo; volunt se extendere ad id quod capere non possunt: et si aliquid utcumque cœperint, aut visi sibi fuerint capere quod non ceperunt, extolluntur inde, et superbiunt inde; videntur sibi quasi sapientes. Hoc autem contingit omnibus hæreticis; qui cum essent animales et carnales, defendendo sententias suas pravas, quas falsas esse non potuerunt videre, exclusi sunt de Catholica. Dicam Charitati vestræ quod possum. Dominus noster Jesus Christus nostis quia Verbum Dei est, secundum illud Joannis, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Panis ergo est; inde vivunt Angeli. Ecce panis paratus est tibi; sed cresce de lacte, ut ad panem pervenias. Et quomodo, inquis,

[1] Aliquot Mss., *dono*.
[2] Lov., *ablactatus*. At plerique Mss. constanter, *ablatus*: quibus nonnunquam consentit Er.
[3] Apud Lov. omittitur, *age*: quod exstat in cæteris libris.

cresco de lacte? Quod tibi factus est Christus ad infirmitatem tuam, hoc primo crede, et fortiter tene. Quomodo ergo mater cum viderit filium minus idoneum ad capiendum cibum, ipsos cibos ei dat, sed trajectos per carnem suam : nam ipse est panis quo infans pascitur, quo et mater ejus pascitur; sed ad mensam infans minus idoneus est, ad mamillam idoneus est. Panis ergo de mensa trajicitur per matris mamillam, ut sic perveniat idem alimentum ad parvum infantem. Sic Dominus noster Jesus Christus cum esset Verbum apud Patrem, per quod facta sunt omnia; qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo (*Philipp.* II, 6); qualem caperent pro modo suo Angeli, et unde in cœlo Potestates et Virtutes, spiritus [1] intellectuales pascerentur; homo autem infirmus et carne involutus jaceret in terra, nec posset ad eum pervenire panis cœlestis : ut panem Angelorum manducaret homo (*Psal.* LXXVII, 25), et manna descenderet ad veriorem populum Israel, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 2, 3, 14).

10. Quapropter ipsis infirmis Paulus apostolus hoc dicit, quos dicit animales et carnales (I *Cor.* III, 1) : *Numquid dixi me scire aliquid in vobis, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* (*Id.* II, 2)? Nam Christus erat et non crucifixus : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Et quia ipsum *Verbum caro factum est*, et ipsum Verbum crucifixum est : sed non est mutatum in hominem; homo in illo mutatus est. Mutatus est homo in illo, ut melior fieret quam erat, non ut in ipsam substantiam Verbi [2] converteretur. Per id ergo quod homo erat, mortuus est Deus; et per id quod Deus erat, excitatus est homo, et surrexit, et ascendit in cœlum. Quidquid passus est homo, non potest dici non passus Deus, quia Deus erat [3] hominem assumendo; sed non est mutatus in hominem : quomodo non potes dicere non te passum injuriam, si vestis tua conscindatur. Et quando quereris vel amicis vel in judicio, hoc dicis judici, Conscidit me : non dicis, Conscidit birrum meum; sed, Conscidit me. Si potuit et meruit vestis tua dici tu, quæ non est tu, sed vestis tua; quanto potius meruit audire caro Christi, templum Verbi unitum cum Verbo, ut quidquid in carne pateretur, Deus ipse pateretur : quamvis Verbum nec mori potuerit, nec corrumpi, nec mutari, nec occidi; sed quidquid horum passum est, in carne passum est? Et noli mirari quia Verbum nihil passum est : nec anima hominis potest pati aliquid occisa carne, dicente ipso Domino, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X, 28). Si anima non potest occidi, Verbum Dei poterat occidi? Et tamen quid dicit? Flagellavit me, colaphizavit me, percussit me, dilaniavit me : totum hoc non fit in anima; et tamen non dicit, nisi, me, propter unitatem consortii ipsius.

[1] Sic apud Am. Er. et Mss. At apud Lov. deest, *spiritus*.
[2] Lov., *ut ipsa substantia Verbi* : dissentientibus cæteris libris.
[3] Hic in quatuor Mss. additur, *homo*.

11. Dominus ergo noster Jesus Christus panis, se fecit nobis lac, incarnatus et apparens mortalis [1]; ut in eo finiretur mors, et non aberraremus a Verbo, credentes in carnem quod factum est Verbum. Hinc crescamus, ipso lacte nutriamur; antequam validi simus ad capiendum Verbum, non recedamus a fide lactis nostri. Illi autem hæretici volentes disputare de eo quod non poterant capere, dixerunt quia Filius minor est quam Pater, et dixerunt quia Spiritus sanctus minor est quam Filius; et fecerunt gradus, et immiserunt in Ecclesiam tres deos. Non enim possunt negare Deum esse Patrem, nec possunt negare Deum esse Filium, nec possunt negare Spiritum sanctum esse Deum. At si Pater Deus et Filius Deus et Spiritus sanctus Deus inæquales sunt, et non sunt ejusdem substantiæ; non est unus Deus, sed tres dii. Disputantes ergo quod capere non poterant, elati sunt in superbiam; et factum est in eis quod dicitur in isto psalmo, *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam; quemadmodum qui ablatus est a lacte super matrem suam, sic retributio in animam meam.* Mater enim Ecclesia Dei est, unde illi separati sunt : ibi lactari et nutriri debebant, ut crescerent ad capiendum Verbum Deum apud Deum, in forma Dei æqualem Patri.

12. Visa est hic quidem ab his qui ante nos ista tractarunt, et alia sententia, et alius intellectus in his verbis, quem non tacebo Charitati vestræ. Hoc enim dixerunt : Omnis superbus displicet Deo, et debet se humana anima humiliare, ne Deo displiceat, et toto corde intueri quod dictum est, *Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* (*Eccli.* III, 20). Sed rursus sunt quidam homines, qui cum audierint quia humiles esse debent, dimittunt se, nihil volunt discere, putantes quia si aliquid didicerint superbi erunt; et remanent in solo lacte [2]. Quos reprehendit Scriptura, dicens : *Et facti estis opus habentes lacte, non solido cibo* (*Hebr.* V, 12). Sic enim nos Deus vult nutriri lacte, ut non ibi remaneamus; sed crescendo per lac, ad solidum cibum perveniamus. Ergo non debet homo extollere cor suum in superbiam, sed debet levare in doctrinam verbi Dei. Nam si levanda anima non esset, non diceretur in alia voce psalmi : *Ad te, Domine, levavi animam meam* (*Psal.* XXIV, 1). Et nisi se ipsa anima super se effundat, non pervenit ad visionem Dei, et ad cognitionem substantiæ illius incommutabilis. Nam modo cum adhuc in carne est, dicitur ei : *Ubi est Deus tuus?* Sed intus est Deus ejus, et spiritualiter intus est, et spiritualiter excelsus est; non quasi intervallis locorum, quomodo per intervalla loca altiora sunt. Nam si talis altitudo quærenda est, vincunt nos aves ad Deum. Ergo intus Deus altus est, et spiritualiter altus; nec pervenit anima ut contingat eum, nisi transierit se. Nam quidquid de Deo sentis secundum corpus, multum erras. Multum infans es,

[1] Omnes prope Mss., *panem fecit nobis lac, incarnatus et apparens mortalibus.*
[2] Aliquot Mss., *in suo lacte.*

si sentis de Deo etiam secundum animam humanam, quod Deus aut obliviscatur, aut ita sapiat ut desipiat, aut faciat aliquid et pœniteat eum : omnia enim ista posita sunt in Scripturis, ut nobis lactentibus commendaretur Deus; non ut proprie de illo sic audiamus ista, et intelligamus quasi pœniteat Deum, et modo discat aliquid quod non noverat, et intelligat quod non intelligebat, et reminiscatur quod oblitus erat. Talia enim animæ sunt, non Dei. Nisi ergo transierit et modum animæ suæ, non videbit quia Deus est quod est; qui dixit, *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14). Itaque ille cui dicebatur, *Ubi est Deus tuus*, quid dixit? *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus?* Ut autem inveniret Deum suum, quid egit? *Hæc meditatus sum*, inquit, *et effudi super me animam meam* (*Psal.* XLI, 4, 5). Ut inveniret Deum, effudit super se animam suam. Non ergo sic tibi dicitur, Humilis esto, ut non sapias. Humilis esto, propter superbiam; altus esto, propter sapientiam. Audi evidentem sententiam de hac re : *Nolite pueri effici mentibus; sed malitia infantes estote, ut mentibus perfecti sitis* (I *Cor.* XIV, 20). Certe explicatum est, fratres mei, ubi nos Deus voluit esse humiles, ubi altos : humiles, propter cavendam superbiam; altos, propter capiendam sapientiam. Lactare, ut nutriaris; sic nutrire, ut crescas; sic cresce, ut panem manduces. Cum enim cœperis panem manducare, ablactaberis, id est, jam tibi non opus erit lac, sed solidus cibus. Et hoc videtur dixisse : *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam*; id est, si non mente, sed malitia parvulus fui. Quod significans, dixit superiora verba : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque in altum elati sunt oculi mei; neque ingressus sum in magnis, neque in mirabilibus super me.* Ecce quia malitia parvulus fui. Sed quia sensu non fui parvulus; *Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam;* retribuatur mihi quod retribuitur parvulo qui ablactatur a matre, ut jam panem sim idoneus manducare.

13. Et hæc ergo, fratres, sententia non displicet, quia non est contra fidem. Movet me tamen, quia non tantum dictum est, *Quemadmodum qui ablatus est a lacte, sic retributio in animam meam;* sed additum est, *Quemadmodum qui ablatus est a lacte super matrem suam, sic retributio in animam meam.* Hic mihi nescio quid tale occurrit, ut videam quia maledictum est. Ablactatur enim non infans, sed jam grandiusculus : qui autem infirmus est prima infantia, quæ vera infantia est, super matrem suam est; si forte fuerit a lacte ablatus, exstinguitur. Non frustra ergo additum est, *super matrem suam.* Ablactari enim omnes possunt crescendo. Qui crescit, et sic ablactatur, bonum est illi; qui autem adhuc super matrem suam est, perniciosum. Ergo cavendum, fratres, et timendum est ne quis ante tempus ablactetur. Nam omnis grandis puer separatur a lacte. Sed ne quis tunc a lacte separetur, quando adhuc super matrem suam est. Cum autem portatur manibus matris, qui portatus est utero (portatus est enim utero, ut nasceretur; portatur manibus, ut crescat), lacte opus habet; adhuc super matrem suam est. Non ergo velit tunc exaltare animam suam, cum forte minus idoneus est ad capiendum cibum, sed impleat præcepta humilitatis. Habet ubi se exerceat : credat in Christum, ut possit intelligere Christum. Videre Verbum non potest, capere non potest æqualitatem Verbi cum Patre, æqualitatem Spiritus sancti cum Patre et Verbo nondum potest videre; credat hoc, et sugat [1]. Securus est, quia cum creverit, manducabit, quod non poterat antequam sugendo cresceret : et habet ubi se extendat. *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris;* id est, ad quæ capienda minus idoneus es. Et quid facio, inquis? sic remanebo? *Sed quæ præcepit tibi Dominus, illa cogita semper* (*Eccli.* III, 22). Quæ tibi præcepit Dominus? Fac misericordiam, pacem Ecclesiæ noli dimittere, in homine spem noli ponere, desiderando miracula noli tentare Deum. Si jam est in te fructus, cognoscis, quia cum bonis toleras zizania usque ad messem (*Matth.* XIII, 30); quia cum malis ad tempus potes esse, non in æternum. Palea hic tibi mixta est in hoc tempore in area; in horreo tecum non erit. Hæc *quæ tibi præcepit Dominus, illa cogita semper.* A lacte non separaberis quoadusque super matrem tuam es; ne prius fame moriaris, antequam panem manducare sis idoneus. Cresce [2]; erunt validæ vires tuæ, et videbis quod non poteras, et capies quod non capiebas.

14. Quid ergo? cum videro quæ non poteram videre, et cepero quæ non poteram capere, jam securus ero? perfectus ero? Non, quamdiu hic vivis. Ipsa est perfectio nostra, humilitas. Audistis quo conclusit modo apostolica lectio, si hæsit in memoria vestra; quomodo ille qui accepit colaphum ne extolleretur in revelationibus (quanta ei revelabantur!) propter ipsam magnitudinem revelationum, quia poterat extolli, nisi acciperet angelum satanæ : et tamen cui tanta revelabantur, quid ait? *Fratres, ego meipsum non arbitror apprehendisse.* Paulus dicit, *Fratres, ego meipsum non arbitror apprehendisse;* qui ad hoc accepit colaphizantem angelum satanæ, ne extolleretur in magnitudine revelationum suarum. Qui audet dicere quia comprehendit? Ecce Paulus non apprehendit, et dicit, *Non me arbitror apprehendisse.* Et quid ais, o Paule? *Adhuc curro* [3], inquit, *ut apprehendam.* Adhuc Paulus in via est, et tu te putas in patria? *Unum autem*, inquit, *quæ retro sunt oblitus.* Hoc fac et tu, et vitam præteritam malam obliviscere. Si te delectavit aliquando vanitas, non te delectet. *Quæ retro oblitus*, inquit, *in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu.* Audio vocem Dei desuper, et curro ut apprehendam. Non enim dimisit me in via remanere, quia non cessat alloqui me. Ergo,

[1] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *hoc est surgat.*
[2] Lov., *cresces* : refragantibus editis aliis et Mss.
[3] Plerique Mss. : *Et quid agis, o Paule? Ad hoc curro*, etc.

fratres, non cessat Deus alloqui nos. Nam si cessat, quid est quod agimus? quid est quod agunt lectiones divinæ et cantica divina? Obliviscimini ergo quæ retro sunt, et in ea quæ ante sunt vos extendite. Sic sugite lac, ut crescatis ad cibum. Cum ergo veneritis in patriam, gaudebitis. Et adhuc attendite Apostolum sequi ad palmam supernæ vocationis. Dicit enim: *Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus.* Non loquor, inquit, imperfectis, quibus adhuc non possum loqui sapientiam, qui adhuc lacte potantur, non solido cibo pascuntur; sed illis dico, qui jam manducant solidum cibum. Jam videntur esse perfecti, quia intelligunt æqualitatem Verbi cum Patre: adhuc non sic vident, quomodo videndum est, facie ad faciem; adhuc ex parte, in ænigmate (I *Cor.* XIII, 12). Currant ergo, quia cum via [1] finita fuerit, tunc redimus ad patriam: currant, extendant se. *Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus; et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit* (*Philipp.* III, 12-15). Si forte erras in aliquo, quare non redis ad lac matris? Quia si non extollimini, quia si non exaltatis cor vestrum, quia si non ingredimini in mirabilibus super vos, sed servatis humilitatem, revelabit vobis Deus quod aliter sapitis. Si autem hoc ipsum quod aliter sapitis, defendere vultis, et pertinaciter astruere, et contra pacem Ecclesiæ; fit vobis maledictum hoc quod dixit: super matrem cum estis et foris a lacte separamini [2], foris a visceribus matris fame moriemini. Si autem perseveratis in pace catholica, si quid forte aliter sapitis quam oportet sapere, Deus vobis revelabit humilibus. Quare? Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jacobi* IV, 6; *et* I *Petr.* V, 5).

15. [*vers.* 3.] Ideo ad hoc conclusit hic psalmus: *Speret Israel in Dominum, ex hoc nunc et usque in sæculum.* Quod enim scriptum est græce, *ἀπὸ τοῦ νῦν καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος*, hoc expositum est, *ex hoc nunc et usque in sæculum.* Sed non semper sæculi nomen hoc sæculum significat, sed aliquando æternitatem; quia æternum duobus modis intelligitur; usque in æternum, id est, aut semper sine fine, aut quousque veniamus ad æternitatem. Hic ergo quomodo intelligendum est? Quousque veniamus ad æternitatem, speremus in Dominum Deum; quia cum venerimus ad æternitatem, jam spes non erit, sed ipsa res erit.

IN PSALMUM CXXXI
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1, 2.] Justum quidem erat, charissimi, ut fratrem potius audiremus collegam meum, præsentem omnibus nobis (*a*). Et modo non negavit, sed distulit: et ideo hoc indico Charitati vestræ, ut mecum promissum teneatis. Non fuit autem absurdum Charitati vestræ, ut prior obtemperarem jubenti: extorsit enim mihi ut esset modo auditor meus, eo sane pacto ut et ego sim ipsius, quia in ipsa charitate omnes ejus auditores sumus, qui unus nobis in cœlo Magister est (*Matth.* XXIII, 10). Ergo animum intendite ad Psalmum, quem in ordine, sicut nostis, tractandum habemus. Est etiam ipse prænotatus, *Canticum graduum;* et aliquanto cæteris sub eodem titulo prolixior. Non ergo immoremur, nisi ubi necessitas coegerit; ut totum, si Dominus permiserit, explicare possimus. Quia et vos non tanquam rudes omnia debetis audire; aliquid et de præteritis auditionibus adjuvare nos debetis, ne omnia tanquam nova a nobis dici necesse sit. Et novi quidem esse debemus, quia vetustas nobis [1] obrepere non debet; sed etiam crescendum et proficiendum est. De ipso quippe profectu ait Apostolus: *Etsi exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem* (II *Cor.* IV, 16). Non sic proficiamus ut ex novis veteres efficiamur; sed ipsa novitas crescat.

2. *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. Sicut juravit Domino; votum vovit Deo Jacob.* David secundum fidem rerum gestarum unus homo erat, rex Israel, filius Jesse. Erat quidem et ipse mansuetus, sicut eum indicat atque commendat Scriptura divina, et ita mansuetus ut nec persecutori suo Saüli malum pro malo reddiderit. Servavit autem erga eum tantam humilitatem, ut illum regem fateretur, se autem canem: et non proterve nec superbe, cum esset in Deo potentior, respondebat regi; sed eum placare potius affectabat humilitate, quam concitare superbia. Etiam in potestate datus est ei Saül, et hoc a Domino Deo, ut ei faceret quidquid vellet: sed quia non præceptum illi erat ut occideret, sed tantum in potestate datus illi erat (licet autem homini uti potestate sua); ad lenitatem potius deflexit quod ei Deus concessit. Qui si vellet occidere, careret inimico: sed quomodo diceret, Dimitte mihi debita, sicut et ego dimitto debitoribus meis (*Matth.* VI, 12). In speluncam intravit Saül ubi erat David, nesciens quod illic esset David: ad necessaria ventris ille intravit. Surrexit David sensim et lente post ipsum, præcidit illi de veste panniculum, quem illi ostenderet, ut nosset quia illum habuerat in potestate; et non necessitate, sed voluntate pepercerat, et noluit occidere (I *Reg.* XXIV, 4-15). Forte ipsam mansuetudinem commendavit modo dicens, *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus.* Hoc secundum rerum gestarum fidem, quam Scriptura divina, ut diximus, continet. Sed solemus in Psalmis non ad litteram attendere, sicut in omni prophetia, sed per litteram scrutari mysteria. Et meminit Charitas vestra quia cujusdam hominis vocem in omnibus Psalmis solemus audire; qui unus habet caput et corpus. Caput autem in cœlo est, corpus in terra: sed quo præcessit caput, et corpus secuturum est. Et jam non dico quis caput sit, qui corpus sint; quia scientibus loquor.

3. Commendatur ergo humilitas David, commendatur mansuetudo David; et dicitur Deo, *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus.* Ad quam

[1] Aliquot Mss., *vita.*
[2] Sic nonnulli Mss. At Edd., *separabimini.*
(*a*) Severum Milevitanum episcopum hic laudari visum nobis est, considerato sermone in Psal. XCV, nn. 1 et 5.

[1] Sic Am. Er. et plures Mss. At Lov, *novis.*

rem *memento, Domine, David? Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.* Ergo ad hoc memento, ut impleat quod promisit. Ipse David vovit tanquam in potestate habens, et rogat Deum ut impleat quod vovit: est devotio voventis, sed est humilitas deprecantis. Nemo præsumat viribus suis se reddere quod voverit: qui te hortatur ut voveas, ipse adjuvat ut reddas. Quid ergo vovit videamus, et hinc intelligimus quemadmodum sit accipiendus in figura David. David autem interpretatur, Manu fortis. Erat enim magnus belligerator. Præsumens quidem de Domino Deo suo, confecit bella omnia, prostravit omnes inimicos suos, Deo se adjuvante, quemadmodum se habebat illius imperii dispensatio; præfigurans tamen fortem manu quemdam ad debellandos inimicos, diabolum et angelos ejus. Hos autem inimicos Ecclesia debellat. Et quomodo debellat? Mansuetudine. Mansuetudine enim ipse Rex noster vicit diabolum. Sæviebat ille; iste sufferebat: victus est qui sæviebat; vicit qui sufferebat. In ista mansuetudine corpus Christi, quod est Ecclesia, vincit inimicos. Sit manu fortis, operando vincat. Cum autem corpus Christi est et templum, et domus, et civitas; et ille qui caput corporis est, et habitator domus est, et sanctificator templi est, et rex civitatis est: quomodo Ecclesia omnia illa, sic Christus omnia ista. Quid ergo vovimus Deo, nisi ut simus templum Dei? Nihil gratius ei possumus offerre, quam ut dicamus ei quod dicitur in Isaia, *Posside nos* (*Isai.* XXVI, 13). Et quidem [1] in istis possessionibus terrenis patrifamilias præstatur, quando ei datur possessio: non sic est possessio, quæ est Ecclesia; ipsi possessioni præstatur, ut a tali possideatur.

4. Quid ergo dicit, *Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob?* Videamus quod votum [2]. Jurare est autem firme promittere. Attendite votum hoc, id est, quod voverat quo ardore voverit, quo amore, quo desiderio; et tamen ad hoc implendum Dominum deprecatus est dicens. *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus.* In hac mansuetudine votum vovit, ut sit domus Dei: *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero super lectum stratus mei. Si dedero somnum oculis meis.* Parum visus est dicere, *somnum oculis meis: Et palpebris meis dormitationem; et requiem temporibus meis* si dedero, *quoadusque inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Ubi quærebat locum Domino? Si mansuetus erat, in se quærebat. Quomodo est enim locus Domini? Audi prophetam: *Super quem requiescet Spiritus meus? Super humilem, et quietum, et trementem verba mea* (*Id.* LXVI, 2). Vis esse locus Domini? Esto humilis, et quietus, et tremens verba Dei, et tu ipse efficieris quod quæris [3]. Si enim in te non fiat quod quæris, in altero quid tibi prodest? Operatur quidem Deus aliquando per evangelistam salutem alterius tantum, si ipse dicit et non facit; et fit per linguam ejus in alio locus Domino, non autem fit ipse locus Domino. Qui autem quæ docet bene facit, et sic docet, fit locus Domino cum eo quem docet: quia omnes credentes unum locum faciunt Domino. In corde enim habet locum Dominus; quia unum cor est omnium in charitate copulatorum.

5. Quam multa millia crediderunt, fratres mei, quando pretia rerum suarum posuerunt ad pedes Apostolorum! Sed quid de illis dicit Scriptura? Certe facti sunt templum Dei; non tantum templum Dei singuli, sed et omnes templum Dei simul. Facti sunt ergo locus Domino. Et ut noveritis quia unus locus factus est Domino in omnibus, Scriptura dicit: *Erat illis anima una et cor unum in Deum* (*Act.* II, 41; *et* IV, 4, 32, 35). Multi autem ne faciant locum Domino, sua quærunt, sua diligunt, potestate sua gaudent, privatum suum concupiscunt. Qui autem vult facere locum Domino, non de privato, sed de communi debet gaudere. Hoc illi fecerunt de rebus suis privatis; fecerunt illas communes. Quod habebant suum, numquid amiserunt? Si soli haberent, et unusquisque suum haberet; hoc solum haberet quod suum habebat: cum autem quod proprium erat, commune fecit; et ea quæ erant cæterorum, ipsius facta sunt. Intendat Charitas vestra: quia propter illa quæ singuli possidemus, existunt lites, inimicitiæ, discordiæ, bella inter homines, tumultus, dissensiones adversum se, scandala, peccata, iniquitates, homicidia. Propter quæ? Propter ipsa quæ singuli possidemus. Numquid propter ista quæ communiter possidemus, litigamus? Aerem istum communiter ducimus, solem communiter omnes videmus. Beati ergo qui sic faciunt locum Domino, ut privato suo non gaudeant. Talem ergo describebat iste, qui dicebat, *Si introiero in tabernaculum domus meæ.* Privatum hoc erat. Sciebat privato se impediri, ne faceret locum Domino, et ea commemorat quæ ad seipsum pertinebant: non introibo *in tabernaculum domus meæ, donec inveniam:* quid? cum inveneris locum Domino, intrabis in tabernaculum tuum? An ipsum [1] erit tabernaculum tuum, ubi inveneris locum Domino? Quare? Quia ipse eris locus Domini, et cum eis qui fuerint locus Domini, unum eris.

6. Abstineamus ergo nos, fratres, a possessione rei privatæ; aut ab amore, si non possumus a possessione; et facimus locum Domino. Multum est ad me, ait aliquis. Sed vide quis sis [2], facturus locum Domino. Si vellet apud te hospitium habere aliquis senator, non dico senator, procurator alicujus magni secundum sæculum, et diceret, Offendit me quiddam in domo tua; etsi amares hoc, auferres tamen ne eum offenderes, ad cujus amicitiam ambires. Et quid tibi prodest hominis amicitia? Forte ibi non solum nullum auxilium, sed et periculum invenires. Nam multi non periclitabantur antequam majoribus jungerentur; exoptarunt majorum amicitias, ut majora pericula incurrerent. Securus opta amicitiam Christi: hospitari apud te vult; fac illi locum. Quid est, fac illi locum?

[1] Sic Lov. In B., *equidem.* M.
[2] Hic Edd. præmissa jam ante sex versus verba illa repetunt, *nisi ut simus templum Dei. Nihil gratius ei possumus offerre.* Et mox addunt, *quam jure jurare* (vel *quam jurare*). Quæ verba non in omnibus exstant Mss.
[3] Nonnulli Mss. *quæris in altero.*

[1] Aliquot Mss., *ipse.*
[2] Er. Lugd. Ven., *quid sis.* M.

Noli amare teipsum, illum ama. Si te amaveris, claudis contra illum; si ipsum amaveris, aperis illi: si autem aperueris et intraverit, non peries amando te, sed invenieris cum amante te.

7. [*vers.* 3.] *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero super lectum stratus mei.* Privata enim res ipsa, ubi homo acquiescit, superbos facit; ideo dixit, *Si ascendero.* In re quam privatam quisque possidet, necesse est superbus sit: inde se enim tendit homo ad hominem, cum ambo sint caro. Quid est homo, fratres? Caro. Et quid est alter homo? Altera caro. Et tamen caro dives extendit se contra carnem pauperem; quasi aliquid illa caro attulerit quando nata est, aut aliquid auferat quando moritur. Ad hoc plus habuit, ut plus tumeret[1]. Iste autem qui vult invenire locum Domino, dicit, *Si ascendero super lectum strati mei.*

8. [*vers.* 4.] *Si dedero somnum oculis meis.* Multi enim cum dormiunt, non faciunt locum Domino. Tales excitat Apostolus: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis; et illuminabit te Christus* (*Ephes.* v, 14); et alio loco, *Nos autem qui diei sumus, vigilemus, et sobrii simus: nam qui dormiunt, nocte dormiunt; et qui inebriantur, nocte ebrii sunt* (I *Thess.* v, 5-8). Noctem dicens iniquitatem, in qua illi obdormiunt cupiendo ista terrena. Et omnes istæ felicitates quæ videntur sæculi, somnia sunt dormientium. Et quomodo qui videt thesauros in somnis, dormiens dives est; sed evigilabit, et pauper erit: sic omnia ista vana hujus sæculi, de quibus homines gaudent, in somno gaudent: evigilabunt quando nolunt, si non modo evigilant quando utile est; et invenient somnia fuisse illa, et transisse, sicut dicit Scriptura, *veluti somnium exsurgentis* (*Psal.* LXXII, 20): et alio loco, *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (*Psal.* LXXV, 6). *Dormierunt somnum suum,* finitus est somnus, *et nihil invenerunt in manibus suis;* quia in somnis videbant divitias transitorias. Iste ergo qui vult invenire locum Domino, dixit etiam, *Si dedero somnum oculis meis.* Sunt autem quidam qui non dormiunt, sed dormitant. Aliquantum retrahunt se ab amore temporalium, et rursus revolvuntur in eum; quasi dormitantes, caput crebro inclinant. Evigila, excute somnum; dormitando casurus es. Non vult Psalmus, oculis suis dare somnum, nec palpebris dormitationem, eum qui vult invenire locum Domino.

9. [*vers* 5.] *Et requiem,* inquit, *temporibus meis.* A requie temporum somnus venit ad oculos. Tempora circa oculos sunt. Veluti futurus somnus, gravedo temporum est. Nam hominibus dormituris gravari tempora incipiunt; et cum senserint sibi gravari tempora, jam imminet somnus: qui si dandus est oculis, dant[2] requiem temporibus suis, et venit somnus; si non dederint requiem temporibus suis, non venit somnus. Cum ergo cœperit te aliquid temporale delectare ad peccatum, jam gravantur tibi tempora. Vis evigilare, et non dormire, nec dormitare? Noli te credere tali delectationi; majores dolores habebit[1] quam suavitates. Ista cogitatione quasi confricans frontem, excutis somnum, et paras locum Domino.

10. *Donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Quanquam aliquando dicitur tabernaculum Dei domus Dei, et domus Dei tabernaculum Dei: distinctius tamen accipitur, fratres charissimi, tabernaculum Ecclesia secundum hoc tempus; domus autem Ecclesia cœlestis Jerusalem, quo ibimus. Tabernaculum enim tanquam militantium et pugnantium: tabernacula militum in procinctu, in expeditione; unde contubernales dicuntur milites, quasi tabernacula eadem habentes et habitantes. Quamdiu ergo habemus hostem cum quo pugnemus, tabernaculum Deo facimus. Cum autem transierit tempus pugnæ, et venerit pax illa quæ præcellit omnem intellectum, sicut dicit Apostolus, *Et pax Christi quæ præcellit omnem intellectum* (*Philipp.* IV, 7); quantumcumque enim cogitaveris de pace illa, minus eam capit animus adhuc in ista corporis gravedine constitutus: cum venerit illa patria[2], jam domus erit, nullus adversarius tentabit, ut tabernaculum vocetur. Non procedemus ad pugnandum, sed permanebimus ad laudandum. Quid enim dicitur de illa domo? *Beati qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). In tabernaculo adhuc gemimus, in domo laudabimus. Quare? Quia gemitus est peregrinantium, laudatio jam in patria commanentium. Hic primo quæratur tabernaculum Deo Jacob.

11. [*vers.*6.] *Ecce audivimus eam in Ephrata.* Quam eam? Sedem Domini. *Audivimus in Ephrata. Invenimus eam in campis saltuum.* Ibi audivit, ubi invenit; an alibi audivit, et alibi invenit? Quæramus ergo quid sit *Ephrata,* ubi audivit; item quæramus quid sit *in campis saltuum,* ubi invenit. Ephrata verbum hebræum interpretatur latine, Speculum, sicut tradiderunt qui verba hebræa in Scripturis posita in aliam linguam transtulerunt, ut ad nos perveniret intellectus. Nam ex hebræa transtulerunt in græcam, et ex græca translata sunt nobis in latinam. Fuerunt enim qui vigilarent in Scripturis. Si ergo Ephrata speculum, illa domus quæ inventa est in campis saltuum, in speculo audita est. Speculum imaginem habet: omnis prophetia imago futurorum. Domus ergo Dei futura, in imagine prophetiæ prædicata est. Audivimus enim illam in speculo, id est, *Audivimus in Ephrata. Invenimus in campis saltuum.* Qui sunt campi saltuum? Campi silvarum. Non enim quemadmodum vulgo dicitur, Saltus ille, verbi gratia, centurias habens tot. Saltus proprie, locus adhuc incultus et silvester dicitur. Nam et quidam codices, *in campis silvæ,* habent. Qui ergo erant campi saltuum, nisi gentes incultæ? qui erant campi saltuum, nisi ubi adhuc vepres erant idololatriæ? Sic tamen quomodo vepres ibi erant idololatriæ, ibi invenimus locum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Quod *audivimus in Ephrata, invenimus in*

[1] Aliquot Mss., *timeret.*
[2] Sic nonnulli Mss. At Edd., *dat*: et paulo post, *dederit.*

[1] Sic Am. et plerique Mss. At Er. et Lov., *habebis.* Et mox Lov., *ista delectatione,* quo loco Edd. alii, et nostri Mss. ferunt, *ista cogitatione.*
[2] Quatuor Mss., *cum illa venerit, illa patria jam,* etc.

campis saltuum; quod prædicatum est in imagine Judæis manifestatum est in fide Gentium.

12. [*vers.* 7.] *Intrabimus in tabernacula ejus*[1]: cujus? Domini Dei Jacob. Qui intrant ut inhabitent, ipsi sunt qui intrant ut inhabitentur. In domum tuam ut inhabites intras, in domum Dei ut inhabiteris. Est enim melior Dominus, qui cum te cœperit inhabitare, beatum te faciet. Nam si tu ab illo non inhabiteris, miser eris. In sua potestate esse voluit ille filius qui dixit: *Da mihi partem patrimonii quæ me tangit.* Bene servabatur apud patrem, ne cum meretricibus dissiparetur. Accepit, facta est in ejus potestate; profectus in regionem longinquam, effudit omnia cum meretricibus. Passus est tandem famem, recordatus est patrem; reversus est, ut pane saturaretur (*Luc.* XV, 12-20). Ergo intra, ut inhabiteris; et non quasi tuus sis, sed illius: *Intrabimus in tabernacula ejus.*

13. *Adorabimus*[2] *in loco ubi steterunt pedes ejus.* Cujus pedes? Domini, an ipsius domus Domini? Domus enim Domini est, ubi dicit quia debet adorari. *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Præterquam domum suam, non exaudit Deus ad vitam æternam. Ille enim ad domum Dei pertinet, qui est in charitate compaginatus lapidibus vivis. Qui autem charitatem non habuerit, ruinam facit; et illo ruente domus stat. Nemo enim minetur domui, ubi esse quasi lapis cœpit, si ruere voluerit, quasi aliquid domui noceat. Sic enim superbierat et primus populus Judæorum, dicens, Neque enim fraudaturus est Deus patrem Abraham, cui promisit tanta de semine ejus: et faciebant omnia mala tanquam securi de pollicitatione Dei, quod non pro illorum meritis qui scelera faciebant, sed pro meritis Abrahæ parceret eis, et qualescumque malos filios Abrahæ congregaret in domum suam ad vitam æternam. Sed quid Joannes? *Generatio*, inquit, *viperarum.* Quando ad illum venerunt ipsi filii Abrahæ, ut baptizarentur in aqua pœnitentiæ, non eis dixit, Generatio Abrahæ, sed *viperarum.* Tales enim erant, quales quos imitabantur; non filii Abrahæ, sed filii Amorrhæi, Chananæi, Gergesæi, Jebusæi, et omnium qui offenderunt Deum: ipsorum filii erant, quia ipsorum facta sectabantur. *Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Et ne dixeritis, Patrem habemus Abraham. Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* III, 7-9). Nescio quos lapides tunc videbat in campis saltuum, unde suscitati sunt filii Abrahæ. Filii enim magis qui fidem imitati sunt, quam qui de carne nati sunt. Nemo ergo minetur domui Dei, quasi dicat: Subtraho me, et ruet domus. Bonum est enim illi ut coædificetur, et habeat charitatem. Nam si ipse ruerit, stabit domus. Itaque, fratres, in his est domus Dei, quos prædestinavit et præscivit perseveraturos: de illis dictum est, *Ubi steterunt pedes ejus.* Sunt enim qui[3] non perseverant, nec stant pedes ejus in eis. Non sunt ergo ipsi Ecclesia; non ipsi pertinent ad illud modo tabernaculum, tunc domum. Sed ubi[1] steterunt pedes ejus? *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* In his in quibus charitas refrigescit, non stant pedes ejus. Sed quid secutus est? *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 12, 13). Ecce in quibus steterunt pedes ejus: in eo loco adora, id est, de talibus esto in quibus steterunt pedes Domini.

14. Si autem de ipsa domo intelligere volueris, *Ubi steterunt pedes ejus* domus[2]; pedes tui in Christo stent. Tunc autem stabunt pedes, si perseveraveris in Christo. Quid enim dicitur de diabolo? *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit* (*Joan.* VIII, 44). Diaboli ergo pedes non steterunt. Item de superbis quid dicit? *Non veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatorum non moveat me. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem; expulsi sunt, nec potuerunt stare* (*Psal.* XXXV, 12, 13). Ergo domus Dei, cujus pedes stant. Unde ille gaudens Joannes quid ait? *Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi stat et audit eum.* Si non stat, non audit eum. *Et gaudio gaudet propter vocem sponsi* (*Joan.* III, 29). Merito stat, quia propter vocem sponsi gaudet: nam si propter vocem suam gauderet, caderet. Jam videtis ergo quare ceciderint qui ad vocem suam gaudent. Amicus enim ille sponsi dicebat: *Hic est qui baptizat* (*Id.* I, 33). Quidam dicunt, Nos baptizamus: ad vocem suam gavisi, stare non potuerunt; et non pertinent ad istam domum de qua dicitur, *Ubi steterunt pedes ejus.*

15. [*vers.* 8.] *Exsurge, Domine, in requiem tuam.* Domino dormienti dicit, *Exsurge.* Jam nostis quis dormivit, et quis resurrexit. Ipse enim quodam loco dicit in psalmo: *Dormivi conturbatus* (*Psal.* LVI, 5). Bene illi dicitur, *Exsurge, Domine, in requiem tuam.* Jam non conturbaberis; quia Christus surgens a mortuis, jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9). Ipsius est vox in alio psalmo: *Ego dormivi et somnum cepi, et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me* (*Psal.* III, 6). Ipse dormivit, ipsi dicitur, *Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ*: id est, exsurge, ut exsurgat et arca sanctificationis tuæ, quam sanctificasti. Ipse caput nostrum; arca ejus, Ecclesia ejus: surrexit prior, surget et Ecclesia. Non autem auderet sibi resurrectionem corpus promittere, nisi prius resurgeret caput. *Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.* Et corpus Christi quod ex Maria natum est, intellectum est a quibusdam arca sanctificationis; ut hoc diceret, *Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ*: Cum corpore exsurge, ut palpent qui non credebant. *Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.*

16. [*vers.* 9.] *Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui lætentur.* Te exsurgente a mortuis, et eunte ad Patrem, regale illud sacerdotium induatur fidem,

[1] Am. Er. et plures Mss., *intravimus.* Lov., *intrabimus in tabernaculum.* Edd. vero alii et plerique Mss. juxta Græc. LXX, *in tabernacula.*
[2] Aliquot Mss., *adoravimus.*
[3] Am. et Mss., *et enim qui*, etc., nec habent, *sunt.*

[1] Er. et Lov.: *Sed ubi non steterunt.* Abest, *non*, ab Am. et a Mss.
[2] Am., *pedes Domini domus.* Er. et Lov., *pedes Domini*, omissa voce, *domus.* Sed melius Mss., *pedes ejus domus.*

quia justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17); et accepto pignore Spiritus sancti, lætentur membra spe resurrectionis, quæ præcessit in capite : eis enim Apostolus dicit, *Spe gaudentes* (*Id.* XII, 12).

17. [*vers.* 10.] *Propter David servum tuum, ne avertas faciem Christi tui.* Hoc Deo Patri dictum est, *Propter David servum tuum, ne avertas faciem Christi tui.* Crucifixus est Dominus in Judæa; crucifixus est a Judæis; ab ipsis turbatus dormivit. Inter quorum sævientium manus dormivit, ad eos judicandos surrexit : et dicit quodam loco, *Et suscita me, et reddam illis* (*Psal.* XL, 11). Et reddidit, et redditurus est. Nam quanta postea Judæi passi sunt occiso Domino, norunt ipsi. De ipsa civitate, ubi illum occiderunt, omnes expulsi sunt. Quid ergo? etiam de stirpe David omnes perierunt, et de tribu Juda? Non : nam crediderunt inde aliqui, et multa millia hominum crediderunt inde, et hoc jam post resurrectionem Domini. Sævierunt, ut crucifigerent, et postea cœperunt videre fieri miracula in nomine crucifixi; et plus contremuerunt tantum posse ejus nomen, qui quasi inter manus eorum nihil poterat; et compuncti corde, jam credentes divinitatem occultam fuisse in illo quem cæteris similem hominibus putaverunt, et consilium petentes ab Apostolis, audierunt, *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Ergo quia ad judicandos eos a quibus crucifixus est, surrexit Christus, et avertit faciem suam a Judæis, et convertit ad Gentes; tanquam rogatur Deus propter reliquias Israel, et dicitur ei, *Propter David servum tuum, ne avertas faciem Christi tui.* Si palea damnata est, frumenta colligantur. *Reliquiæ salvæ fiant* (*Isai.* X, 21), sicut dicit Isaias. Et plane factæ sunt reliquiæ salvæ : inde erant duodecim Apostoli, inde plus quam quingenti fratres quibus se Dominus demonstravit post resurrectionem (I *Cor.* XV, 6); inde tot millia baptizata, quæ pretia rerum suarum ante pedes Apostolorum ponebant (*Act.* II, IV). Ergo impletum est quod hic rogatus est Deus, *Propter David servum tuum, ne avertas faciem Christi tui.*

18. [*vers.* 11.] *Juravit Dominus David veritatem, et non pœnitebit eum.* Quid est, *juravit?* Promissum per seipsum firmavit. Quid est, *non pœnitebit eum?* Non mutabit. Non enim dolorem pœnitentiæ patitur Deus, aut in aliquo fallitur, ut velit corrigere in quo erravit. Sed quomodo hominem cum pœnitet, mutare vult quod fecit; sic ubi audis quia pœnitet Deum, mutationem ipsam spera. Aliter illam facit Deus, quamvis nomine pœnitentiæ appellet, aliter tu : tu enim facis, quia erraveras; ille autem facit, quia vindicat, aut quia liberat. Mutavit regnum Saül, cum pœniteret eum sicut dictum est : et in eo ipso loco ubi Scriptura dicit, *Pœnituit eum;* ibi paulo post dicitur, *Non enim sic est ut homo, ut pœniteat eum* (I *Reg.* XV, 11, 29). Cum ergo mutat opera sua per incommutabile consilium suum; propter ipsam, non consilii, sed operis mutationem, pœnitere dicitur. Hoc autem sic promisit, ut non mutaret. Quomodo dicitur et illud, *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec* (*Psal.* CIX, 4) : sic et hoc quia ita promissum est, ut non mutaretur, quia necessario futurum erat et permansurum; dixit, *Juravit Dominus David veritatem, et non pœnitebit eum : Ex fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Poterat dicere, Ex fructu femoris tui : quare, *Ex fructu ventris*, voluit dicere? Et illud quidem si diceret, verum diceret : sed significantius dicere voluit, *Ex fructu ventris;* quia de femina natus est Christus, quo vir non accessit.

19. [*vers.* 12.] Quid ergo? *Juravit Dominus David veritatem : Ex fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc quæ docebo illos; et filii eorum sedebunt usque in æternum super sedem tuam.* Si filii tui custodierint, et filii eorum sedebunt in æternum. Meritum filiis parentes faciunt. Quid si filii ipsius custodirent, et filii eorum non custodirent? Quare ad meritum patrum promittitur beatitudo filiorum? Quid enim ait, *Si custodierint filii tui, et filii eorum sedebunt in æternum* (non ait, Si custodierint filii tui, sedebunt super sedem tuam; et si custodierint filii eorum, et ipsi sedebunt super sedem tuam : sed ait, *Si filii tui custodierint, et filii eorum sedebunt super sedem tuam*), nisi quia filios hic voluit intelligi fructus ipsorum? *Si filii tui*, inquit, *custodierint legem meam, et mandata mea hæc quæ docebo eos* servaverint filii tui; *et filii eorum sedebunt super sedem tuam :* id est, hic erit fructus ipsorum, ut sedeant super sedem tuam. Modo enim, fratres, omnes qui laboramus in Christo, omnes qui contremiscimus verba ipsius, qui quomodocumque conamur facere voluntatem ipsius, et ingemiscimus petentes ut adjuvet nos, quo impleamus quod jubet; numquid jam sedemus in illis sedibus beatitudinis, quæ nobis promittuntur? Non : sed mandata tenentes speramus hoc futurum. Ipsa spes tanquam in filiis dicta est [1]; quia hominis in hac vita viventis spes filii sunt, fructus filii sunt. Propterea et homines excusantes avaritiam suam, dicunt se filiis suis servare quod servant; et nolentes dare inopi, pietatis nomine se excusant, quia filii eorum spes eorum sunt. Omnes homines enim qui secundum hoc sæculum vivunt, spem suam dicunt, filios generare et relinquere. Ideo nomine filiorum spem ipsam posuit, et ait, *Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc quæ docebo illos; et filii eorum sedebunt in æternum super sedem tuam :* id est, tales fructus habebunt, ut spes eos non fallat, ut illuc veniant quo sperant se venturos. Modo ergo tanquam patres sunt, homines spei futuræ : cum autem adepti fuerint quod sperant, filii sunt; quia illud quod adipiscuntur, pepererunt et generaverunt in operibus suis [2]. Et hoc illis servatur in posterum, quia et ipsa posteritas in filiis appellari solet.

20. Aut si filios ipsos homines accipis, intellige et de ipsis dictum, *Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc quæ docebo eos;* ut iste

[1] Aliquot Mss., *data est*
[2] Edd., *operibus bonis.* Mss., *operibus suis.*

sit sensus : *Si custodierint filii tui testamentum meum, et testimonia mea hæc quæ docebo illos, et filii eorum,* id est, si custodierint; ut hic subdistinguas, et deinde inferas, *sedebunt in æternum super sedem tuam,* id est, et filii tui et filii eorum, sed omnes si custodierint. Quid ergo si non custodierint? periit promissio Dei? Non : sed ideo dictum est, et ideo promissum est, quia prævidit [1] Deus; quid, nisi credituros? Sed ne aliquis quasi minaretur promissis Dei, et in postestate sua vellet ponere quod promisit Deus ut impleretur; ideo et *juravit* dixit [2] : in quo ostendit quia sine dubio venturum est. Quomodo ergo posuit ibi, *Si custodierint?* Ne jam glorieris de promissis, et dimittas te non custodire. Tunc eris filius David, si custodieris; si autem non, non eris filius David. Filiis David promisit Deus. Noli dicere, Filius sum David, si degeneras. Si Judæi illud non dicunt, qui de ipsa stirpe nati sunt (imo dicunt illud, sed delirant. Aperte enim Dominus ait : *Si filii Abrahæ estis, facta Abrahæ facite* [*Joan.* VIII, 39]. Inde illos negavit filios, quia facta non faciebant); nos quomodo nos dicimus filios David, qui de ejus stirpe non sumus secundum carnem? Restat ut filii non simus, nisi imitando fidem, nisi colendo Deum, sicut ille coluit. Si ergo quod tibi per stirpem non speras, per facta non vis assequi; quomodo in te complebitur quia sedebis super sedem David? et si non in te complebitur, putas quia non complebitur? Et quomodo invenit eam in campis saltuum? et quomodo steterunt pedes ejus? Qualiscumque ergo fueris, illa domus stabit.

21. [*vers.* 13.] *Quoniam elegit Dominus Sion; præelegit eam in habitationem sibi.* Sion ipsa est Ecclesia, ipsa est et illa Jerusalem ad cujus pacem currimus, quæ non in Angelis, sed in nobis peregrinatur, quæ ex parte meliore exspectat partem redituram; unde nobis Litteræ venerunt, quæ quotidie recitantur. Ipsa civitas, ipsa est Sion, quam præelegit Dominus.

22. [*vers.* 14.] *Hæc requies mea in sæcula sæculorum.* Jam Dei verba sunt. *Requies mea;* ibi requiesco. Quantum nos amat Deus, fratres, ut quia nos requiescimus, se dicat requiescere! Non enim ipse aliquando turbatur, aut sic requiescit; sed ibi se dicit requiescere, quia nos in illo requiem habebimus. *Hic habitabo, quoniam præelegi eam.*

23. [*vers.* 15.] *Viduam ejus benedicens benedicam, et pauperes ejus saturabo panibus.* Omnis anima quæ intelligit se desertam omni auxilio, nisi solius Dei, vidua est. Quomodo enim Apostolus describit viduam? *Quæ autem vere vidua est et desolata, speravit* [3] *in Dominum.* Agebat autem de istis viduis quas omnes dicimus [4] in Ecclesia. Dixerat autem, *Quæ in deliciis agit, vivens mortua est;* et non illam numeravit inter viduas. Describens autem viduas sanctas, quid ait? *Quæ autem vere vidua est et desolata, speravit in Dominum, et persistit in precibus et obsecrationibus nocte ac die.* Ibi subjecit, *Quæ autem in deliciis agit, vivens mortua est* (I *Tim.* v, 5, 6). Unde ergo vidua est? Quia non habet auxilium aliunde, nisi solius Dei. Illæ quæ habent viros, quasi superbiunt de auxilio virorum : desertæ videntur viduæ, et robustius est auxilium earum. Ergo tota Ecclesia una vidua est, sive in viris, sive in feminis, sive in conjugatis, sive in maritatis feminis, sive in adolescentibus, sive in senibus, sive in virginibus : omnis Ecclesia una vidua est, deserta in hoc sæculo, si sentit illud, si novit viduitatem suam; tunc enim auxilium præsto est illi. Nonne agnoscitis istam viduam in Evangelio, fratres mei, cum diceret Dominus oportere semper orare, et non deficere? *Erat quidam judex in civitate*, dixit, *qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur; et interpellabat eum quædam vidua quotidie, et dicebat, Vindica me de adversario meo.* Et interpellando quotidie vidua, fregit illum. *Ait enim ipse judex apud se, qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur : Etsi Deum, non timeo, nec hominem erubesco, vel propter tædium quod mihi facit ista vidua, vindicabo eam.* Si audivit judex malus viduam, ne tædium pateretur; Deus non audit Ecclesiam, quam hortatur ut deprecetur (*Luc.* XVIII, 1-8)?

24. Item, *Pauperes ejus saturabo panibus:* quid est, fratres? Simus pauperes, et tunc saturabimur. Multi præsumentes de sæculo et superbi, christiani sunt; adorant Christum, sed non saturantur : saturati enim sunt, et abundant in superbia sua. De talibus dicitur, *Opprobrium eis qui abundant, et despectio superbis* (*Psal.* CXXII, 4) : isti abundant; et ideo manducant, sed non saturantur. Et quid de illis dictum est in psalmo? *Manducaverunt et adoraverunt omnes divites terræ.* Adorant Christum, venerantur Christum, supplicant Christo; sed non saturantur sapientia et justitia ipsius. Quare? Quia non sunt pauperes. Pauperes autem, id est humiles corde, quanto plus esuriunt, tanto plus manducant; tanto autem plus esuriunt, quanto a sæculo inanes sunt. Qui plenus est, quidquid illi daturus es, respuit; quia plenus est. Da mihi esurientem, da mihi de quibus dictum est, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* v, 6); et erunt hi pauperes de quibus modo dicit, *Et pauperes ejus saturabo panibus.* Quia et in ipso psalmo ubi dictum est, *Manducaverunt et adoraverunt omnes divites terræ;* dictum est illic et de pauperibus, et prorsus eo modo quo et in isto psalmo, *Edent pauperes, et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum* (*Psal.* XXI, 30, 27). Ubi dictum est, *Manducaverunt et adoraverunt omnes divites terræ;* ibi dictum est, *Edent pauperes, et saturabuntur.* Quare quando divites dicti sunt adorasse, saturati non dicti sunt; quando autem pauperes dicti sunt, saturati dicti sunt? Et unde saturati? hæc saturitas, fratres, qualis est? Deus ipse est panis. Panis, ut lac nobis fieret, descendit ad terram; et ait suis : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41). Ideo illic in psalmo, *Edent pauperes, et saturabuntur.* De quo satiabuntur? Audi quod

[1] Sic aliquot Mss. Quidam vero, *prædixit.* Alii cum Edd., *prædicavit.*
[2] Sic Mss. At Edd., *ideo ei juravit et dixit.*
[3] Lov., *sperabit :* et infra, *persistet in precibus.* At Am. Er. et Mss., *speravit, persistit,* juxta græcum textum Apostoli.
[4] Septem Mss., *dixerat.*

sequitur : *Et laudabunt Dominum qui requirunt eum.*

25. Estote ergo pauperes, estote in membris illius viduæ, non sit auxilium vestrum nisi in uno Deo. Pecunia nihil est; non inde auxilium habebitis. Multi propter pecuniam præcipitati sunt, multi propter pecuniam perierunt : multi propter pecuniam multam quæsiti sunt a raptoribus; tuti essent, si non haberent quare quærerentur. Multi de amicis potentioribus præsumpserunt : ceciderunt illi de quibus præsumpserunt et involverunt eos qui de se præsumpserunt. Respicite exempla generis humani. Quid magnum est quod vobis dicitur? Non solum de his Scripturis ea loquimur; legite ea in orbe terrarum. Attendite non præsumere de pecunia, de amico homine, de honore et jactantia sæculi. Tolle ista omnia : sed si habes illa, age Deo gratias si contemnis illa. Si autem inflaris inde, noli attendere quando eris præda hominum; jam diabolo præda es. Si autem de his rebus non præsumpseris, eris in membris illius viduæ, quæ est Ecclesia, de qua dictum est, *Viduam ejus benedicens benedicam :* eris et pauper, de qualibus dictum est, *Et pauperes ejus saturabo panibus.*

26. Aliquando autem, quod non est prætermittendum dicere, invenis pauperem superbum, et divitem humilem : quotidie patimur tales. Audis pauperem quasi gementem sub divite, et quando potentior premit dives, tunc illum humilem vides : aliquando nec tunc, sed et tunc superbum; unde vides quis esset, si aliquid haberet. Ergo pauper Dei in animo est, non in sacculo. Procedit aliquande homo habens plenam domum, uberes terras, multa prædia, multum auri et argenti, novit quia in ipsis non est præsumendum, humiliat se Deo, facit inde bene; ita cor ipsius erigitur ad Deum, ut noverit quia non solum nihil illi prosunt divitiæ ipsæ, sed et impediunt pedes ipsius, nisi ille regat et ille subveniat : et numeratur inter pauperes qui saturantur panibus. Invenis alium mendicum inflatum, aut ideo non inflatum, quia nihil habet, quærentem tamen unde infletur. Non attendit Deus facultatem, sed cupiditatem : et judicat eum secundum cupiditatem qua inhiat rebus temporalibus, non secundum facultatem, quam non ei contingit adipisci. Unde de divitibus dicit Apostolus : *Divitibus hujus sæculi præcipe non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui nobis præstat omnia abundanter ad fruendum.* Quid ergo faciant de divitiis suis? Sequitur et dicit : *Divites sint in operibus bonis; facile tribuant, communicent.* Et vide quia hic pauperes sunt : *Thesaurizent*, inquit, *sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam* (1 *Tim.* VI, 17-19). Cum apprehenderint, tunc erunt divites; quando autem non eam adhuc habent, noverint se pauperes. Ita fit ut omnes humiles corde, et in charitate gemina [1] constitutos, quidquid habuerint in hoc sæculo, inter pauperes suos numeret Deus, quos saturat panibus.

27. [*vers.* 16, 17.] *Sacerdotes ejus induam salutari, et sancti ejus exsultatione exsultabunt.* Jam in fine Psalmi sumus; paululum advertat Charitas vestra. *Sacerdotes ejus induam salutari, et sancti ejus exsultatione exsultabunt.* Quis est salutaris noster, nisi Christus noster? Quid est ergo, *Sacerdotes ejus induam salutari? Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Galat.* III, 27). *Et sancti ejus exsultatione exsultabunt.* Unde *exsultabunt exsultatione?* Quia induti sunt salutari : non in se. Lux enim facti [1], sed in Domino; nam erant ante tenebræ (*Ephes.* v, 8). Et ideo subjecit, *Ibi suscitabo cornu David :* ut de Christo præsumatur, ipsa erit altitudo David. Cornu enim significat altitudinem : et qualem altitudinem? Non carnalem. Ideo omnia ossa carne involuta sunt : cornu excedit carnem. Altitudo spiritualis, cornu est. Quæ autem altitudo spiritualis est, nisi de Christo præsumere; non dicere. Ego facio, ego baptizo; sed, *Hic est qui baptizat* (*Joan.* I, 33)? Ibi est cornu David. Et ut noveritis quia ibi est cornu David, attendite quid sequatur : *Paravi lucernam Christo meo.* Quæ est lucerna? Jam nostis Domini verba de Joanne : *Ille erat lucerna ardens et lucens* (*Id.* v, 35). Et quid ait Joannes? *Hic est qui baptizat.* In hoc ergo exsultabunt sancti, in hoc exsultabunt sacerdotes; quia omne quod ipsorum bonum est, non est ipsorum, sed illius qui habet potestatem baptizandi. Securus ergo accedit ad templum ejus omnis qui accepit Baptismum [2]; quia non hominis, sed illius est in quo suscitatum est cornu David.

28. [*vers.* 18.] *Super ipsum autem florebit sanctificatio mea* (*a*). Super quem? Super Christum meum. *Christo* enim *meo* cum dicit, vox est Patris, qui dicit, *Viduam ejus benedicens benedicam, et pauperes ejus saturabo panibus. Sacerdotes ejus induam salutari, et sancti ejus exsultatione exsultabunt.* Qui dicit, *Ibi suscitabo cornu David*, Deus est. Ipse dicit, *Paravi lucernam Christo meo*, quia et Christus noster est, et Christus Patris : Christus noster est, cum salvat nos et regit nos, quomodo et Dominus noster, Filius autem Patris; Christus autem et noster et Patris. Nam si Patris Christus non esset, non diceretur superius, *Propter David servum tuum, ne avertas faciem Christi tui. Super ipsum autem florebit sanctificatio mea.* Super Christum floret. Nemo hominum illam sibi assumat, quia ipse sanctificat; alioquin non erit verum, *Super ipsum autem florebit sanctificatio mea.* Gloria sanctificationis florebit. Sanctificatio ergo Christi in ipso Christo, potestas sanctificationis Dei in Christo. *Florebit* enim quod dixit, ad gloriam vult pertinere : quando enim florent arbores, tunc pulchræ sunt. Ergo sanctificatio in Baptismo; inde floret [3] et claret. Unde cessit [4] mundus huic pulchritudini? Quia in Christo floret : nam pone illam in hominis potestate; quomodo floret, quando omnis

[1] Sic Lov. At Edd. alii et Mss., *germana.*

[1] Er. Lugd. Ven., *non in se enim lux facti sunt.* M.

[2] Sic Mss. At Edd., *sed illius. Et quia ille habet potestatem baptizandi, securus accedit ad templum ejus omnis qui accipit Baptismum.*

[3] Am. Er. et plerique Mss., *unde floret.*

[4] Sic Am. Er. et nostri Mss. At Lov., *cedat.*

(*a*) Præterit primam partem ℣. 18 : *Inimicos ejus induam confusione.*

caro fenum, et omnis claritas carnis ut flos feni (*Isai.* XL, 6).

IN PSALMUM CXXXII
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Psalmus brevis est; sed valde notus et nominatus. *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.* Ita sonus iste dulcis est, ut et qui Psalterium nesciunt, ipsum versum cantent. Tam dulcis est, quam dulcis est charitas quæ facit fratres habitare in unum. Et hoc quidem, fratres, non indiget interpretatione, aut expositione, quam bonum et quam jucundum sit habitare in unum; sed ea quæ sequuntur, habent aliquid quod pulsantibus aperiatur. Verumtamen ut ab isto versu descendat nobis intellectus universæ texturæ Psalmi, hoc primum etiam atque etiam consideremus : utrum de omnibus Christianis dictum sit, *Quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum;* an aliqui sint certi atque perfecti qui habitant in unum, nec ad omnes pertineat ista benedictio, sed ad quosdam, a quibus tamen descendat ad cæteros.

2. Ista enim verba Psalterii, iste dulcis sonus, ista suavis melodia, tam in cantico quam in intellectu, etiam monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres qui habitare in unum concupierunt; iste versus fuit tuba ipsorum. Sonuit per omnem orbem terrarum, et qui divisi erant, congregati sunt. Clamor Dei, clamor Spiritus sancti, clamor propheticus non audiebatur in Judæa; et auditus est in toto orbe terrarum. Adversus istum sonum surdi erant, inter quos cantabatur; et apertis auribus inventi sunt, de quibus dictum est : *Quibus non est nuntiatum de illo, videbunt; et qui non audierunt, intelligent* (*Isai.* LII, 15). Verumtamen, dilectissimi, si consideremus, de illo pariete circumcisionis prius nata est ista benedictio. Num enim omnes Judæi perierunt? Et unde Apostoli, filii Prophetarum, *filii excussorum* (*Psal.* CXXVI, 4)? Sicut jam scientibus loquimur. Unde illi quingenti qui Dominum post resurrectionem viderunt, quos commemorat apostolus Paulus (I *Cor.* XV, 6)? Unde illi centum viginti qui simul erant in uno loco post resurrectionem Domini et ascensionem in cœlum, quibus in uno loco constitutis supervenit Spiritus sanctus die Pentecostes missus de cœlo; sic missus, sicut promissus? Omnes inde erant : et ipsi primi habitaverunt in unum, qui omnia quæ habebant vendiderunt, rerumque suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt, sicut in Actibus Apostolorum legitur; *et distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat; et nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia.* Et quid est, *in unum? Et erat illis,* inquit, *anima una et cor unum in Deum* (*Act.* I, II, *et* IV). Ergo ipsi prius audierunt, *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.* Primi audierunt, sed non soli audierunt. Non enim usque ad illos ista dilectio et unitas fratrum venit. Venit enim et ad posteros ista charitatis exsultatio, et votum Deo. Vovetur enim aliquid Deo, et dictum est[1] : *Vovete, et reddite Domino Deo vestro* (*Psal.* LXXV, 12). Melius est autem non vovere, quam vovere et non reddere (*Eccle.* v, 4). Sed debet esse impiger animus, ut et voveat, et reddat; ne cum se minus idoneum putat ad reddendum, piger sit ad vovendum. Plane nunquam reddet, si de suo se putaverit redditurum.

3. Ex voce hujus psalmi appellati sunt et Monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet Catholicis. Quando vos recte hæreticis de Circellionibus[2] insultare cœperitis, ut erubescendo salventur; illi vobis insultant de monachis. Primo si comparandi sunt, vos videte; si verbis vestris[3] opus est, jam laboratis. Non opus est, nisi ut admoneatis unumquemque ut attendat; solum attendat, et comparet. Quid opus est verbis vestris? Comparentur ebriosi cum sobriis, præcipites cum consideratis, furentes cum simplicibus, vagantes cum congregatis. Sed tamen dicere consueverunt : Quid sibi vult nomen monachorum? Quanto melius dicimus nos : Quid sibi vult nomen circellionum? Sed non, inquiunt, vocantur circelliones. Forte corrupto sono nominis eos appellamus. Dicturi sumus vobis integrum nomen ipsorum? Forte circumcelliones vocantur, non circelliones. Plane si hoc vocantur, exponant quid sint. Nam circumcelliones dicti sunt, quia circum cellas vagantur : solent enim ire hac, illac, nusquam habentes sedes; et facere quæ nostis, et quæ illi norunt, velint, nolint.

4. Verumtamen, charissimi, sunt et qui monachi falsi sunt; et nos novimus tales : sed non periit fraternitas pia, propter eos qui profitentur quod non sunt. Tam sunt enim monachi falsi, quam et clerici falsi, et fideles falsi. Omnia genera, fratres mei, tria quæ aliquando vobis commendavimus, et ut puto, non semel, habent bonos suos, habent malos suos (*a*). De tribus enim ipsis generibus dictum est : « Duo in agro; unus assumetur, et unus relinquetur : et duo in lecto; unus assumetur, et unus relinquetur : et duæ in molendino; una assumetur, et una relinquetur » (*Luc.* XVII, 34, 35). In agro sunt qui gubernant Ecclesiam. Unde dicit Apostolus (videte si non in agro erat) : *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit* (I *Cor.* III, 6). In lecto autem eos intelligi voluit, qui amaverunt quietem; per lectum enim quietem voluit intelligi; non se miscentes turbis, non tumultui generis humani, in otio servientes Deo : et inde tamen unus assumetur, et unus relinquetur. Sunt ibi probi, et sunt ibi reprobi. Ne expavescatis quando ibi inveniuntur reprobi; nam et latent quidam, qui non inveniuntur nisi in fine. Duæ item in molendino ex nomine generis feminini appellavit; plebes enim intelligi voluit. Quare in molendino? Quia in isto mundo ver-

[1] Aliquot Mss., *et votum Deo voverunt. Voverunt enim aliquid Deo, ut dictum est*, etc.
[2] Aliquot Mss., *Circilliones* : et quidam, *Cercelliones*,
[3] Sic Mss. At Edd., *nostris* : et infra, *nisi ut admoneam* (vel *admoneas*).

(*a*) Supra, in Psal. XCIX, n. 13.

santur, ubi molendinum intelligitur; quia sic vertitur mundus iste, quomodo mola : væ enim quos conterit. Sic ibi versantur fideles boni, ut una ex eis consumatur, altera assumatur. Quasdam [1] enim actiones mundi faciunt dilectores sæculi, fraudatores, simulatores. Alii autem sic ibi sunt, quomodo ait Apostolus, *Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes sint; prætcrit enim figura hujus mundi: volo vos sine sollicitudine esse* (I *Cor.* VII, 31, 32). Audis quæ assumetur de molendino? Certe enim multa peccata videntur ad divites pertinere. Cum enim plus agunt, et plus administrant, et plus ad eos pendet res familiaris ampla, difficile est ut non plura peccata contrahant; et de illis dictum est quia *facilius est intrare camelum per foramen acus, quam divitem in regnum cœlorum.* Et cum contristati essent discipuli pro illis, de quibus jam desperabant, consolatus est eos Dominus dicens : *Quæ hominibus impossibilia sunt, Deo facilia sunt* (*Matth.* XIX, 24-26). Quomodo autem illud facile facit Deus? Audi Apostolum, si non negligas quod præcepit : *Præcipe,* inquit, *divitibus hujus sæculi non superbe sapere.* Invenis enim pauperem superbientem, divitem humilem; christianum bene considerantem quia illa omnia prætereunt et præterfluunt, quia nihil attulit in hunc mundum, nihil potest de mundo auferre; cogitantem quemadmodum dives ille qui ardebat in flamma apud inferos, guttam sibi destillari de digito desideravit ejus qui micas de mensa ejus concupierat. Cogitantes ista, faciunt quod ait Apostolus: « Neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. Divites sint, » inquit, « in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent. » Et quid inde illis lucri? « Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam » (I *Tim.* VI, 17-19). Ecce quæ assumetur de molendino. Qualis autem dives ille erat qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, et jacentem ad januam suam pauperem contemnebat (*Luc.* XVI, 19-21), relinquetur. Quia de molendino una assumetur, et una relinquetur.

5. Sic dicit et Ezechiel de tribus personis, in quibus non absurde tria hæc genera intelligimus : « Cum miserit Dominus gladium in terram, etsi fuerint in medio eorum Noe, Daniel et Job, non liberabunt filios neque filias; sed ipsi soli salvi erunt » (*Ezech.* XIV, 13-16). Jam illi olim liberati sunt, sed in istis tribus nominibus tria genera quædam significavit. Noe significat rectores Ecclesiæ, quia ipse arcam in diluvio gubernavit (*Gen.* VII). Daniel autem vitam quietam elegit, in cælibatu servire Deo, id est, uxorem non quærens. Erat vir sanctus, in desideriis cœlestibus vitam gerens; tentatus in multis, et inventus aurum obrizum. Quam quietus erat, qui et inter leones securus erat (*Dan.* VI; *et* XIV, 28-39)! Ergo in nomine Danielis, qui etiam *vir desideriorum* est appellatus (*Id.* X, 11); sed utique castorum atque sanctorum, significantur servi Dei, de quibus dicitur, *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.* In nomine Job significatur una illa de molendino quæ assumetur. Habebat enim uxorem, habebat filios, habebat multas divitias; et tam multa habebat in isto sæculo, ut diabolus hoc ei objiceret, quia non gratis, sed propter ea quæ acceperat, colebat Deum. Hoc objecit adversarius sancto viro : et in tentationibus suis probatus est quam gratis Job coleret Deum, et non propter illa quæ acceperat, sed propter eum qui dederat. Amissis itaque omnibus repentina afflictione et tentatione, amissa hæreditate, amissis hæredibus, sola conjuge sibi relicta, non ad consolationem, sed ad tentationem, ait quod nostis, « Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum » (*Job.* I). Impletum est in eo quod quotidie cantamus, si et moribus consonemus : « Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo » (*Psal.* XXXIII, 2). Ergo in istis tribus nominibus [1] significata sunt tria genera hominum, et in illis tribus rursus in Evangelio, quæ commemoravi.

6. Quid ergo dicunt illi qui nobis de nomine monachorum insultant? Fortasse dicturi sunt: Nostri non vocantur circumcelliones : vos illos ita appellatis contumelioso nomine; nam nos eos ita non vocamus. Dicant quid eos vocent, et audietis. Agonisticos eos vocant. Fatemur et nos honesto nomine, si et res conveniret. Sed interim illud videat Sanctitas vestra : qui nobis dicunt, Ostendite ubi scriptum sit nomen monachorum, ostendant ubi scriptum sit nomen agonisticorum. Sic eos, inquiunt, appellamus propter agonem. Certant enim; et dicit Apostolus, *Certamen bonum certavi* (II *Tim.* IV, 7). Quia sunt qui certant adversus diabolum, et prævalent, milites Christi agonistici appellantur. Utinam ergo milites Christi essent, et non milites diaboli, a quibus plus timetur, Deo laudes (*a*), quam fremitus leonis. Hi etiam insultare nobis audent, quia fratres, cum vident homines, Deo gratias (*b*) dicunt. Quid est, inquiunt, Deo gratias? Itane surdus es, ut nescias quid sit, Deo gratias? Qui dicit, Deo gratias, gratias agit Deo. Vide si non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem suum. Num enim non est locus gratulationis, quando se invicem vident qui habitant in Christo? Et tamen vos Deo gratias nostrum ridetis : Deo laudes vestrum plorant homines. Sed certe reddidistis rationem de nomine, quare appelletis agonisticos. Ita fiat, ut appellatis; ita fiat, omnino favemus. Præstet Dominus ut illi contra diabolum certent, et non contra Christum, cujus persequuntur Ecclesiam. Tamen quia certant, dicitis agonisticos: et invenistis unde appelletis, quia dixit Apostolus, *Bonum agonem certavi.* Quare ergo et nos non appellemus monachos, cum dicat Psalmus, *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum?* Μόνος enim unus dicitur : et non unus quomodocumque; nam et in turba est unus,

[1] Er. et plerique Mss., *quosdam.*

[1] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *hominibus.*

(*a*) Vox Circumcellionum.

(*b*) Vox Monachorum.

sed una [1] cum multis unus dici potest, μόνος non potest, id est, solus : μόνος enim unus solus est. Qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut sit illis vere quod scriptum est, *una anima et unum cor;* multa corpora, sed non multæ animæ; multa corpora, sed non multa corda; recte dicitur μόνος, id est unus solus. Unde et ille unus sanabatur in piscina. Respondeant nobis et exponant, qui insultant nomini monachorum, quare ille qui inventus est triginta octo annos habens in infirmitate, hoc respondisset Domino: *Cum mota fuerit aqua, non habeo qui deponat me; alius ante me descendit* (*Joan.* v, 5, 7). Descenderat unus, jam alius non descendebat. Unus solus sanabatur; unitatem Ecclesiæ figurabat. Merito insultant nomini unitatis, qui se ab unitate præciderunt. Merito illis displicet nomen monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum fratribus; sed sequentes Donatum, Christum dimiserunt. Hæc de uno, et uno solo audivit Charitas vestra; jam jucundemur cum Psalmo, ut sequentia videamus. Brevis est; potest a nobis curri, quantum Dominus suggerit. Puto enim ex his quæ dicta sunt, patere posse quæ sequuntur, quamvis illa videantur obscura.

7. [*vers.* 2.] *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.* Ostendebat qui dicebat, *Ecce.* Videmus et nos, fratres, et benedicimus Deum; et oramus, ut dicamus et nos, *Ecce.* Et cui rei similes sunt, dicat Psalmus. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron; quod descendit in oram vestimenti ejus. Aaron* quid erat? Sacerdos. Quis est sacerdos, nisi unus sacerdos, qui intravit in sancta sanctorum? Quis est iste sacerdos, nisi qui fuit et victima et sacerdos? nisi ille qui cum in mundo non inveniret mundum quod offerret, seipsum obtulit? In capite ipsius unguentum, quia totus Christus cum Ecclesia : sed a capite venit unguentum. Caput nostrum Christus est; crucifixum et sepultum, resuscitatum ascendit in cœlum; et venit Spiritus sanctus a capite. Quo? Ad barbam. Barba significat fortes; barba significat juvenes, strenuos, impigros, alacres. Ideo quando tales describimus, Barbatus homo est, dicimus. Ergo illud primum unguentum descendit in Apostolos, descendit in illos qui primos impetus sæculi sustinuerunt : descendit ergo in illos Spiritus sanctus. Nam et illi qui primum in unum habitare cœperunt, persecutionem passi sunt : sed quia descenderat unguentum in barbam, passi sunt, non victi. Etenim et caput jam passum præcesserat, unde descendit unguentum. Præcedente tali exemplo, quis vinceret barbam?

8. Ex illa barba erat Stephanus sanctus. Et hoc est non vinci, ut charitas non vincatur ab inimicis. Nam visi sunt sibi vicisse, qui persecuti sunt sanctos. Illi cædebant, illi cædebantur; illi occidebant, illi occidebantur. Quis non putaret illos vincere, illos vinci? Sed quia non victa est charitas, ideo unguentum descendit in barbam. Attende Stephanum. Sæviebat in illo charitas : sæviebat in eos, cum audirent; rogavit pro eis, cum lapidarent. Quid enim ait, cum audirent? *Dura cervice et incircumcisi corde et auribus, vos semper restitistis Spiritui sancto.* Vide barbam. Numquid adulavit? numquid timuit? Illi cum audirent ista, quæ in illos dicebantur [1] : quasi sæviebat enim Stephanus; sæviebat ore, corde diligebat; et non est victa charitas ipsa in eo : nam illi abhorrentes a verbo, tanquam tenebræ fugientes a lumine, ad lapides currere cœperunt, Stephanum lapidare. Sicut antea Stephani verba lapidabant illos, sic postea lapides eorum Stephanum. Quando debuit plus irasci Stephanus, quando lapidabatur, an quando audiebatur? Ecce mitis factus est dum lapidaretur, et sæviebat cum audiretur. Quare sæviebat cum audiretur? Quia mutare volebat eos a quibus audiebatur. Venientibus in se lapidibus non victa est charitas : quia unguentum a capite in barbam descenderat, et audierat ab ipso capite, *Diligite inimicos vestros, et orate pro eis qui vos persequuntur* (*Matth.* v, 44). Audierat ab ipso capite pendente in cruce, et dicente, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Eo modo ergo unguentum a capite descenderat in barbam; quia et ille cum lapidaretur, fixo genu ait : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum* (*Act.* VII, 51-59).

9. Ergo illi tanquam barba erant [2]. Multi enim fortes erant, et multas persecutiones passi sunt. Sed si neque a barba descendisset unguentum, modo monasteria non haberemus. Sed quia descendit et in oram vestimenti; sic enim ait, *Quod descendit in oram vestimenti ejus :* secuta est Ecclesia, de veste Domini peperit monasteria. Nam vestis sacerdotalis Ecclesiam significat. Ipsa est vestis de qua dicit Apostolus, *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam* (*Ephes.* v, 27). Mundatur, ut non habeat maculam; extenditur, ut non habeat rugam. Ubi eam extendit fullo, nisi in ligno? Videmus quotidie a fullonibus tunicas quodammodo crucifigi : crucifiguntur, ut rugam non habeant. Quid est ergo ora vestimenti? fratres mei, in ora vestimenti quid accepturi sumus? Ora, finis vestimenti est. Quid accepturi sumus in fine vestimenti? An quia in fine temporum habitura erat Ecclesia fratres habitantes in unum? an in ora perfectionem intelligimus, quia in ora vestimentum perficitur; et illi perfecti, qui norunt habitare in unum? Illi perfecti qui legem implent. Quomodo autem impletur lex Christi ab eis qui habitant fratres in unum? Audi Apostolum : *Invicem onera vestra portate, et sic implebitis legem Christi* (*Galat.* VI, 2). Hæc est ora vestimenti. Quomodo, fratres mei, intelligimus, quam oram dicat, quo potuit descendere unguentum? Non puto quod oram vestimenti in lateribus voluit intelligi. Sunt enim oræ in lateribus. Sed a barba descendere unguentum ad oram potuit, quæ in capite est, ubi aperitur capitium [3]. Tales sunt qui habitant in unum : ut quomodo per oras

[1] Quinque Mss., *unus.*

[1] Hic in Edd. post, *dicebantur*, additum est, *sæviebant* : quod ab omnibus Mss. abest.
[2] Sic Mss. At Edd., *ille tanquam barba erat.*
[3] Omnes Mss., *caput.*

istas intrat caput hominis, ut vestiat se; sic per concordiam fraternam Christus intrat, qui est caput nostrum, ut vestiatur, ut Ecclesia illi hæreat.

10. [*vers.* 3.] Quid aliud dicit? *Sicut ros Hermon, qui descendit super montes*[1] *Sion*. Hoc voluit intelligi, fratres mei, gratiam Dei esse quod fratres habitant in unum; non ex suis viribus, non ex suis meritis, sed ex illius dono, sed ex illius gratia, sicut ros de cœlo. Non enim terra sibi pluit, aut non quidquid genuerit arescit, nisi pluvia desuper descendat. Dicit quodam loco in psalmo: *Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hæreditati tuæ* (*Psal.* LXVII, 10). Quare dixit *voluntariam?* Quia non meritis nostris, sed illius voluntate. Quid enim boni meruimus peccatores? quid boni meruimus iniqui? Ex Adam Adam, et super Adam multa peccata nascuntur. Quisquis nascitur, Adam nascitur, damnatus de damnato, et addidit male vivendo super Adam[2]. Quid enim boni meruit Adam? Et tamen misericors amavit, et sponsus dilexit, non pulchram, sed ut faceret pulchram. Ergo gratiam Dei dixit rorem Hermon.

11. Sed Hermon quid sit, nosse debetis. Mons est quidam longe disjunctus ab Jerusalem, id est a Sion. Itaque mirum est quod sic ait, *Sicut ros Hermon, qui descendit super montes Sion;* cum mons Hermon longe sit disjunctus ab Jerusalem: nam trans Jordanem esse dicitur. Ergo aliquid interpretatione Hermon quæramus. Non enim hebræum est, et habemus interpretationem ab eis qui illam linguam noverunt. Hermon interpretari dicitur, Lumen exaltatum. A Christo enim ros: nam nullum lumen exaltatum, nisi Christus. Quomodo exaltatum est? Primo in cruce; postea in cœlo. Exaltatus in cruce, cum humiliaretur; sed humiliatio illius non potuit nisi alta esse. Hominis dispensatio minus minusque fiebat[3], quæ significabatur in Joanne; Dei dispensatio in Domino nostro Jesu Christo crescebat: quod et natalibus eorum ostenditur. Nam ille natus est, sicut tradit Ecclesia, octavo calendas julias, cum jam incipiunt minui dies: Dominus autem natus octavo calendas januarias, quando jam dies incipiunt crescere. Audi ipsum Joannem confitentem: *Illum oportet crescere, me autem minui* (*Joan.* III, 30). Et passiones ipsorum hoc indicant. Dominus in cruce exaltatus est; ille cæso capite deminutus. Ergo lumen exaltatum, Christus: inde est ros Hermon. Sed quicumque vultis habitare in unum, optate rorem istum, compluimini inde. Alioquin non poteritis tenere quod profitemini, nec profiteri audere[4] poteritis, nisi ille intonuerit; nec permanere poteritis, nisi ejus sagina non desit vobis: ipsa enim sagina descendit super montes Sion.

12. Jam *montes Sion*, magni in Sion. Quid est Sion? Ecclesia. Et qui ibi sunt montes? Magni. Quos significant montes, hos significat barba, hos significat ora vestimenti. Barba non intelligitur nisi in perfectis. Non ergo habitant in unum, nisi in quibus perfecta fuerit charitas Christi[1]. Nam in quibus non est perfecta charitas Christi, et cum in uno sint, odiosi sunt, molesti sunt, turbulenti sunt, anxietate sua turbant cæteros, et quærunt quid de illis dicant; quomodo in junctura inquietum jumentum non solum non trahit, sed et frangit calcibus quod junctum est. Si autem habet rorem Hermon, *qui descendit super montes Sion*, quietus, placatus, humilis, tolerans, pro murmure precem fundit. Nam murmuratores omnes magnifice descripti sunt quodam loco Scripturarum: *Præcordia fatui sicut rota carri* (*Eccli.* XXXIII, 5). Quid est, *Præcordia fatui sicut rota carri?* Fenum portat, et murmurat: non enim potest rota carri quiescere a murmure. Sic sunt multi fratres; non habitant in unum nisi corpore. Sed qui sunt qui habitant in unum? Illi de quibus dictum est, *Et erat illis anima una et cor unum in Deum: et nemo dicebat aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia* (*Act.* IV, 32). Designati sunt, descripti sunt, qui pertineant ad barbam, qui pertineant ad oram vestimenti, qui numerentur inter montes Sion. Et si sunt ibi alii murmuratores, meminerint dicti Domini: *Unus assumetur, et unus relinquetur* (*Matth.* XXIV, 40).

13. *Quoniam ibi mandavit Dominus benedictionem.* Ubi mandavit? In fratribus qui habitant in unum. Ibi præcepit benedictionem, ibi benedicunt Dominum qui habitant concorditer. Nam in discordia non benedicis Dominum. Sine causa dicis quia lingua tua sonat benedictionem Domini, si corde non sones: ore benedicis, et corde maledicis. *Ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant* (*Psal.* LXI, 5). Numquid verba nostra sunt? Significati sunt quidam. Benedicis Dominum, cum oras; et sequeris in prece tua, et maledicis inimico tuo. Hoc est quod audisti ab ipso Domino, *Diligite inimicos vestros?* Si autem facias, et diligas inimicum tuum, et ores pro eo, *ibi mandavit Dominus benedictionem suam;* ibi habebis *vitam in sæculum*, id est in æternum. Multi enim amantes vitam istam, maledicunt inimicis suis: pro qua re, nisi pro ista vita, nisi pro commodis sæcularibus? Ubi te angustavit inimicus tuus, ut cogaris maledicere? In terra angustatus es; migra, habita in cœlo. Quomodo, inquies, habito in cœlo, homo carne indutus, carni deditus? Corde præcede, quo sequaris corpore. Noli surdus audire, Sursum corda. Sursum cor habe, et nemo te angustabit in cœlo[2]. Et ideo bene sequitur alius psalmus:

IN PSALMUM CXXXIII
ENARRATIO.

Sermonis superioris continuatio.

1. [*vers.* 1.] *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.* Quare addidit, *in atriis?* Atria ampliora spatia domus intelliguntur. Qui stat in atriis,

[1] Edd., *montem*. Sed liquet Aug. legisse, *montes*, juxta Græc. LXX.
[2] Corb. Ms., *et super Adam multa peccata. Nascitur damnatus de damnato, et addidit male vivendo super Adam.*
[3] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *minor minorque fiebat.*
[4] Plures Mss, *nec audire:* et nonnulli, *nec audere.*

[1] Plerique Mss., *charitas christiana.*
[2] Christin. Ms, *terra.*

non angustatur, non premitur; quodam modo dilatatur. In latitudine mane, et potes diligere inimicum tuum; quia non ea diligis, ubi ab inimico angustias patiaris. Quomodo intelligeris stare in atriis? Sta in charitate, et stas in atriis. In charitate latitudo est, in odio angustia. Audi Apostolum: *Ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum* (*Rom.* II, 8, 9). De latitudine autem charitatis quid dicit? *Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Id.* V, 5). Ubi audis diffusionem, intellige latitudinem; ubi audis latitudinem, intellige atria Domini; et habebis veram benedictionem Domini, quando non maledicis inimicis. Alloquitur enim Spiritus eos qui patiuntur tribulationem, ut glorientur in tribulationibus; et dicit eis, *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini*. Quid est, *Ecce nunc?* In hoc tempore. Nam post transactas tribulationes, manifestum est quia benedictioni Domini vacabimus, ut dictum est: *Beati qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Qui tunc benedicturi sunt sine defectu, hic incipiunt benedicere Dominum; hic in tribulationibus, in tentationibus, in molestiis, inter adversitates sæculi, inter insidias inimici, inter fraudes et impetus diaboli. Hoc est, *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini, qui statis in domo Domini*. Quid est, *qui statis?* Qui perseveratis. Quia dictum est de quodam, qui archangelus fuit, *Et in veritate non stetit* (*Joan.* VIII, 44): et dictum est de amico sponsi, *Amicus autem sponsi stat, et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi* (*Id.* III, 29).

2. [*vers.* 2.] Ergo, *Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri, in noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum*. Facile est benedicere in diebus. Quid est, in diebus? In rebus prosperis. Nox enim tristis res est; dies res est læta. Quando tibi bene est, benedicis Dominum. Quando filium desideras et nascitur, benedicis Dominum. Liberata est uxor tua a periculo partus; benedicis Dominum. Ægrotabat filius, liberatur; benedicis Dominum. Ægrotabat filius; forte quæsisti mathematicum, sortilegum: forte non de lingua, sed de moribus tuis exiit maledictio in Dominum; exiit de moribus et vita tua. Noli gloriari quia lingua benedicis, si vita maledicis. Quomodo, inquis, vita maledico? Quia attenditur vita tua, et dicitur: Ecce christianus, ecce quales sunt Christiani. Blasphematur propter te Christus. Ecce cum vita tua maledicat, quid prodest quod lingua tua benedicit? Benedicite ergo Dominum. Quando? *In noctibus*. Quando benedixit Job? Quando tristis nox erat. Ablata sunt omnia quæ possidebantur; ablati filii quibus servabantur: quam tristis nox! Sed videamus si non in nocte benedicit: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 14-21). Quam nox atra [1]! Percussus ulcere a capite usque ad pedes, putrefactus liquescebat in se. Tunc Eva ausa est eum tentare: *Dic aliquid in Deum tuum, et morere*. Audi benedicentem in noctibus: *Locuta es*, inquit, *quasi una ex insipientibus mulieribus. Si bona suscepimus de manu Domini, mala non tolerabimus* (*Job* II, 7-10)? Ecce quid est, *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum*. Quid dixit Job? *Locuta es tanquam una ex insipientibus mulieribus*. Adam putris repulit Evam, tanquam dicens: Sufficiat quod propter te mortalis effectus sum. Valueras in paradiso, sed vinceris in stercore. Magna gratia Dei! Sed unde hoc, nisi quia ros Hermon compluerat illam animam, et dederat Dominus suavitatem, ut terra nostra daret fructum suum (*Psal.* LXXXIV, 13)? *In noctibus extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum*.

3. [*vers.* 3.] *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram*. Plures hortatur ut benedicant, et ipse unum benedicit, quia ex pluribus unum fecit; quia *bonum et jucundum* est *habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII, 1). Pluralis numerus, *fratres;* sed singularis, *habitare in unum:* ideo, *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram*. Nemo vestrum dicat: Ad me non pervenit. Putas quis est quem dixit, *Benedicat te Dominus ex Sion?* Unum benedixit: esto unum, et pervenit ad te benedictio.

IN PSALMUM CXXXIV
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Valde dulce nobis esse debet, et dulce nobis esse gaudendum est, quo nos psalmus iste cohortatur. Dicit enim: *Laudate nomen Domini*. Causamque ipsam quare justum sit ut laudemus nomen Domini, continuo subjecit: *Laudate, servi, Dominum*. Quid justius? quid dignius? quid gratius? Etenim si non laudaverint servi Dominum; superbi, ingrati, irreligiosi erunt. Et quid faciunt non laudando Dominum, nisi ut severum sentiant Dominum? Neque enim servus ingratus, si Dominum suum laudare noluerit, ideo efficit ut servus non sit. Laudes, non laudes, servus es: sed si laudes, propitiabis; si non laudes, offendes. Bona ergo exhortatio et utilis; unde magis satagere debemus quemadmodum laudandus sit Deus, quam dubitare laudandum. *Laudate* ergo *nomen Domini*. Hortatur nos Psalmus, hortatur nos Propheta, hortatur nos Spiritus Dei, hortatur postremo nos ipse Dominus, ut laudemus Dominum. Non enim laudibus nostris ille crescit, sed nos. Deus nec melior fit, si laudaveris; nec deterior, si vituperaveris: sed tu laudando bonum, melior eris; vituperando, deterior: bonus autem ille manet, ut est. Si enim servos suos ipsos bene de se meritos, prædicatores verbi sui, rectores Ecclesiæ suæ, veneratores nominis sui, obtemperatores mandati sui id docet, ut in conscientia sua habeant dulcedinem bonæ vitæ suæ, ne corrumpantur laudibus, ne frangantur [1] vituperationibus ho-

[1] Sic Mss. Edd. vero, *atrox*.

[1] Plures Mss. *nec corrumpantur laudibus, nec frangantur*, etc.

minum; quanto magis ipse incommutabilis super omnia qui hæc docet, non utique major fit si laudaveris, nec minor si vituperaveris? Sed quoniam nobis expedit laudare Dominum, misericorditer jubet ut laudemus eum, non arroganter. Audiamus ergo quod dicit: *Laudate nomen Domini, laudate, servi, Dominum*. Non enim aliquid incongruum facitis, laudando servi Dominum: etsi semper tantummodo servi essetis, deberetis laudare Dominum; quanto magis debetis laudare Dominum servi, ut esse mereamini et filii?

2. [*vers.* 2.] Sed quoniam scriptum est in alio psalmo, *Rectos decet laudatio* (*Psal.* XXXII, 1); et item alibi scriptum est, *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV, 9); itemque alibi dicitur, *Sacrificium laudis glorificabit me, et ibi via est in qua ostendam illi salutare Dei*; et consequenter, *Peccatori autem dixit Deus, Utquid tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu autem odisti disciplinam, et projecisti sermones meos post te* (*Psal.* XLIX, 23, 16, 17): ne forte quisquam, quoniam dictum est, *Laudate, servi, Dominum*, etiamsi in domo ista magna fuerit malus servus, putet sibi prodesse laudem Domini, continuo quales sint qui laudare debeant Dominum, subjicit et docet: *Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri*. *Qui statis*, non qui ruitis [1]. Illi autem stare dicuntur, qui in mandatis ejus perseverant, qui in fide non ficta, et spe firma, et charitate sincera serviunt Deo, et honorant Ecclesiam ejus, et non dant offensionem male vivendo [2], eis qui venire volunt, et in via lapides offensionis inveniunt [3]. Ergo, *Qui statis in domo Domini, laudate nomen Domini*. Grati estote; foris eratis, et intus statis [4]. Quia ergo statis, parumne est vobis, ubi laudandus est qui vos erexit jacentes, et fecit in domo sua stare, et ipsum agnoscere, ipsumque laudare? parvumne hoc beneficium est, quod stamus in domo Domini? Hic interim, in hac peregrinatione, in hac domo, quod etiam peregrinationis tabernaculum dicitur, quia hic stamus, numquid parum grati esse debemus? Nonne cogitandum est quia hic stamus? nonne cogitandum est quid facti fuerimus? nonne cogitandum est ubi jacebamus, et quo collecti sumus? nonne cogitandum est quia omnes impii Dominum non quærebant, et ipse illos non quærentes quæsivit, ipse inventos excitavit, ipse excitatos vocavit, ipse vocatos introduxit, et in domo sua stare fecit? Hæc quisquis cogitat et ingratus non est, omnino despicit se præ amore Domini sui, a quo sibi tanta præstita sunt: et quoniam non habet quid pro tantis beneficiis Deo retribuat, quid ei restat nisi gratias agere, non rependere? Ad ipsam gratiarum actionem pertinet, et calicem Domini accipere, et nomen ejus invocare. Nam quid retribuat Domino servus, pro omnibus quæ retribuit illi (*Psal.* CXV, 12, 13)? Ergo, *Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri, laudate Dominum*.

[1] Aliquot Mss., *jacetis*.
[2] Sic plerique Mss. At Edd., *vivendi*.
[3] Septem Mss., *non inveniuntur*.
[4] Sic plerique Mss. Edd. vero: *Grati estote, ne foris erretis. Quia ergo*, etc.

3. [*vers.* 3.] Quid dicturus sum quare laudetis? *Quoniam bonus Dominus*. Breviter uno verbo explicata est laus Domini Dei nostri: *Bonus Dominus*. Sed bonus, non ut sunt bona quæ fecit. Nam fecit Deus omnia bona valde (*Gen.* I, 31): non tantum bona, sed et valde. Cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt bona fecit, et valde bona fecit. Si hæc omnia bona fecit, qualis est ille qui fecit? Et tamen cum bona fecerit, multoque sit melior qui fecit, quam ista quæ fecit; non invenis melius quod de illo dicas, nisi *quia bonus est Dominus*: si tamen intelligas proprie bonum, a quo sunt cætera bona. Omnia enim bona ipse fecit: ipse est bonus quem nemo fecit. Ille bono suo bonus est, non aliunde participato bono: ille seipso bono bonus est, non adhærendo alteri bono. Mihi autem adhærere Deo bonum est (*Psal.* LXXII, 28), qui non eguit a quo fieret bonus; sed eguerunt illo cætera ut fierent bona. Vultis audire quam singulariter ille sit bonus? Dominus interrogatus dixit, *Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Matth.* XIX, 17). Hanc singularitatem bonitatis ejus, et præterire breviter nolo, et commendare congrue non sufficio. Metuo ne si hinc cito transiero, ego ingratus inveniar: item metuo ne hoc cum explicandum suscepero, sub tanta laudis dominicæ sarcina defatiger. Sic tamen, fratres, accipite me et laudantem et non sufficientem, ut etiamsi non impletur illius laudis explicatio, acceptetur laudatoris devotio. Approbet me ipse voluisse, ignoscat non implevisse.

4. Ineffabili dulcedine teneor, cum audio, *Bonus Dominus*; consideratisque omnibus et collustratis quæ forinsecus video, quoniam ex ipso sunt omnia, etiam cum mihi hæc placent, ad illum redeo a quo sunt, ut intelligam *quoniam bonus est Dominus*. Rursum, cum ad illum, quantum possum, ingressus fuero, interiorem mihi et superiorem invenio; quia sic bonus est Dominus, ut istis non indigeat quo sit bonus. Denique ista non laudo sine illo; illum autem sine istis perfectum, non indigum, incommutabilem, nullius bonum quærentem quo augeatur, nullius malum timentem quo minuatur, invenio. Et quid dicam amplius? Invenio in creatura cœlum bonum, solem bonum, lunam bonam, stellas bonas; terram bonam, quæ gignuntur in terra et radicibus nixa sunt, bona; quæ ambulant et moventur, bona; quæ volitant in aere et natant in aquis, bona. Dico et hominem bonum: *Homo enim bonus de bono thesauro cordis sui profert bonum* (*Id.* XII, 35). Dico et angelum bonum, qui non est lapsus superbia et diabolus factus est; sed inhæret obediendo ei [1] a quo factus est. Omnia ista dico bona, sed tamen cum suis nominibus; cœlum bonum, angelum bonum, hominem bonum: ad Deum autem cum me refero, puto melius nihil dicere quam bonum. Ipse quippe Dominus Jesus Christus dixit, *Homo bonus*; et ipse item dixit, *Nemo bonus, nisi unus Deus*. Nonne stimulavit nos ad quærendum et ad distinguendum quid sit bonum alio bono bonum, et bonum se-

[1] Sic Am. Er. et plerique Mss. At Lov.: *Et diabolus factus est bonus, et esset si inhæreret ei obediendo, etc.*

ipso bonum? Quam ergo bonum est a quo sunt omnia bona? Omnino nullum invenias [1] bonum quod non ab illo sit bonum. Bonum bona faciens sicuti est proprie, sic et bonum [2] est proprie. Neque enim ea quæ fecit, non sunt; aut injuria illi fit, cum dicimus non [3] esse quæ fecit. Quare enim fecit, si non sunt quæ fecit? aut quid fecit, si non est quod fecit? Cum ergo sint et illa quæ fecit, venitur tamen ad illius comparationem; et tanquam solus sit, dixit, *Ego sum qui sum;* et, *Dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos.* Non dixit, Dominus Deus ille omnipotens, misericors, justus: quæ si diceret, utique vera diceret. Sublatis de medio omnibus quibus appellari posset et dici Deus, ipsum esse se vocari respondit; et tanquam hoc esset ei nomen: *Hoc dices eis*, inquit, *Qui est, misit me.* Ita enim ille est, ut in ejus comparatione ea quæ facta sunt, non sint. Illo non comparato, sunt; quoniam ab illo sunt: illi autem comparata, non sunt [4], quia verum esse, incommutabile esse est, quod ille solus est. Est enim est, sicut bonorum [5] bonum, bonum est. Cogitate, et videte quoniam quidquid aliud laudatis, ideo laudatis quia bonum est. Insanit qui laudat quod non est bonum. Si laudes iniquum eo ipso quo iniquus est, nonne et tu iniquus eris? Si laudes furem eo ipso quo fur est, nonne et tu particeps eris? Si laudes justum in eo ipso quo justus est, nonne et tu habes inde partem laudando? Non enim laudares justum, nisi amares; non amares, si nihil inde haberes. Si ergo quidquid aliud laudamus, ideo laudamus, quia bonum est; nulla tibi major causa et melior et firmior dari potuit quare laudes Deum, nisi quia bonus est. Ergo, *Laudate Dominum, quoniam bonus est.*

5. Quamdiu dicamus ejus bonitatem? Quis corde concipiat aut complectatur quam bonus sit Dominus? Sed ad nos redeamus, et in nobis illum agnoscamus, et in operibus artificem laudemus; quia ipsum contemplari idonei non sumus: et si contemplari [6] idonei aliquando erimus, cum fuerit mundatum cor nostrum fide, ut postremo gaudeat veritate; nunc quoniam ipse a nobis videri non potest, opera ejus videamus, ne sine ejus laude remaneamus. Ergo dixi, *Laudate Dominum, quoniam bonus est; psallite nomini ejus, quoniam suavis est.* Forte esset bonus et suavis non esset, si tibi non daret posse gustare. Talem autem se præbuit hominibus, ut etiam panem de cœlo miserit (*Joan.* VI, 32-51), et Filium suum æqualem, qui hoc est quod ipse, dederit hominem faciendum, et pro hominibus occidendum; ut per hoc quod tu es, gustes quod non es. Multum enim ad te erat gustare suavitatem Dei; qu ia remota erat illa et nimis alta, tu autem nimis abjectus et in imo jacens. In magna ista separatione missus es. Mediator. Non poteras ad Deum homo; Deus factus est homo: ut quoniam homo potes ad hominem, qui non posses ad Deum, per hominem venires ad Deum; et factus est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5). Sed si homo solum esset, hoc sequendo quod es, nunquam pervenires; si Deus solum esset, non comprehendendo quod non es, nunquam pervenires: Deus factus est homo, ut hominem sequendo, quod potes, ad Deum pervenias, quod non poteras. Ipse est Mediator, inde factus est suavis. Quid suavius pane Angelorum? Quomodo non est suavis Dominus, quando panem Angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII, 25)? Non enim aliunde vivit homo, et aliunde vivit angelus. Ipsa est veritas, ipsa est sapientia, ipsa est virtus Dei [1]: sed quomodo ea perfruuntur Angeli, tu non potes. Illi enim quomodo perfruuntur? Sicuti est, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum per quod facta sunt omnia.* Tu autem quomodo contingis? Quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 3, 14). Ut enim panem Angelorum manducaret homo, Creator Angelorum factus est homo. *Psallite ergo nomini ejus, quoniam suavis est.* Si gustastis, psallite; si gustastis quam suavis est Dominus, psallite; si bene sapit quod gustastis, laudate. Quis tam ingratus est vel coquenti vel pascenti, ut cum fuerit pulmento aliquo delectatus, non reddat gratiam laudando quod gustat? Si de his non tacemus, de illo qui dedit omnia tacebimus? *Psallite nomini ejus, quoniam suavis est.*

6. Et audite jam opera ejus. Tendebatis enim vos fortassis videre bonum omnium bonorum, bonum a quo sunt omnia bona, bonum sine quo nihil est bonum, et bonum quod sine cæteris bonum est; tendebatis vos ut videretis, et forte in extendenda acie mentis vestræ deficiebatis. Hoc enim ex me conjicio; sic patior. Sed etsi est aliquis, sicut fieri potest, et valde potest, acie mentis fortior me, et contuitum cordis sui diu figit in eo quod est; laudet ille ut potest, et quomodo nos non possumus, laudet. Gratias tamen illi, qui in hoc psalmo temperavit laudem suam, ut et firmorum esset et infirmorum. Nam et in illa missione servi sui Moysi cum diceret, *Ego sum qui sum;* et, *Dices filiis Israel, Qui est misit me ad vos:* quia ipsum proprie esse menti humanæ difficile erat capere, et mittebatur homo ad homines, quamvis non ab homine; continuo Deus temperavit laudem suam, et hoc de se dixit quod capi dulciter posset; non in eo voluit remanere quod laudabatur, quo non posset laudator attingere. *Vade*, inquit, *dic filiis Israel, Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob misit me ad vos: hoc mihi nomen est in æternum.* Certe, Domine, nomen illud habes; quia et tu dixisti, *Ego sum: Qui est, misit me ad vos:* unde modo nomen mutasti, ut diceres, *Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob?* Nonne tibi videtur ratio ejus respondere, et dicere: Quod dixi, *Ego sum, qui sum;* verum est, sed non capis: quod autem dixi, *Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob* (*Exod.* III, 14, 15, 6); et verum est, et capis? Quod enim *Ego sum qui sum*, ad me pertinet,

[1] Lov., *invenies*. M.
[2] Er. Lugd. Ven., *bonus*. M.
[3] Vindocinensis Ms. omittit, *non*.
[4] Sic Mss. At Edd., *non sint illi comparanda, quoniam ab illo sunt: illi autem non comparata, sunt; quoniam ab illo sunt. Illi enim comparata, non sunt; quia verum*, etc.
[5] Vox, *bonorum*, ab Am. et Mss. abest.
[6] Aliquot Mss.: *Et si contemplabimur, idonei*, etc.

[1] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *veritas Dei.*

quod autem *Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob*, ad te pertinet : et si deficis in eo quod mihi sum, cape quod tibi sum. Et ne forte quisquam putaret illud quod dixit Deus, *Ego sum qui sum*; et, *Qui est, misit me ad vos*, hoc solum æternum ei nomen esse; quod autem dixit, *Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob*, temporale nomen esse : non curavit Deus, cum dixisset, *Ego sum qui sum*; et, *Qui est, misit me ad vos*, dicere quod hoc ei nomen sit in æternum; quia etsi hoc non diceret, intelligeretur. Est enim, et vere est, et eo ipso quod vere est, sine initio et sine termino est. Quod vero propter hominem est, *Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob*, ne ibi suboriretur humana sollicitudo, quia hoc temporale est, non sempiternum, securos nos fecit, quia de temporalibus ad æternam vitam nos perducit. *Hoc*, inquit, *mihi nomen est in æternum*, non quia æternus Abraham, et æternus Isaac et æternus Jacob, sed quia Deus illos facit æternos postea sine fine : habuerunt quippe initium, sed finem non habebunt.

7. In Abraham et Isaac et Jacob totam Ecclesiam ejus cogitate, omne semen Israel cogitate : omne autem semen Israel, non solum quod est ex carne, sed etiam quod est ex fide. Apostolus enim Gentibus loquebatur, quibus dicebat : *Si ergo vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes* (*Galat.* III, 29). Benedicimur ergo omnes in Deo Abraham et Isaac et Jacob. Arborem quidem benedixit quamdam, eamque olivam creavit, sicut dixit Apostolus, ipsos Patriarchas sanctos, unde effloruit populus Dei : sed hæc arbor olivæ putata est, non amputata, et inde superbi rami fracti sunt; ipse est blasphemus et impius populus Judæorum. Manserunt tamen rami boni et utiles; nam inde Apostoli. Et cum ibi rami utiles relicti essent, per Dei misericordiam insertus est et oleaster Gentium, cui dicit Apostolus : *Tu autem cum esses oleaster, insertus es in illis, et particeps pinguedinis olivæ factus es. Noli gloriari adversus ramos : quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te* (*Rom.* XI, 17 *et* 18). Hæc una arbor est pertinens ad Abraham et Isaac et Jacob; et quod plus est, magis ad Abraham et Isaac et Jacob oleaster insertus, quam rami confracti. Illi enim per fragmentum jam non ibi sunt; oleaster non ibi erat, et ibi est : illi per superbiam frangi meruerunt, iste per humilitatem inseri meruit; illi amiserunt radicem, iste tenuit eam. Cum ergo audistis Israel Dei, Israel pertinentem [1] ad Deum, inde nolite vos facere alienos. Oleaster quidem fuistis, sed oliva estis, participes pinguedinis olivæ. Nam vultis nosse in Abraham et Isaac et Jacob quomodo sit insertus oleaster, ne putetis vos ad hanc arborem non pertinere, quia non pertinetis carnaliter ad semen Abraham? Dominus quando miratus est fidem Centurionis illius qui non erat de populo Israel, sed erat de populo Gentium : *Propterea*, inquit, *dico vobis, quia multi ab oriente et occidente venient*. Ecce jam oleaster in manu insertoris : *Multi ab oriente et occidente venient*. Videmus quid ferat inserendum; ubi inserat videamus : *Et recumbent*, inquit, *cum Abraham, Isaac et Jacob, in regno cœlorum*. Videmus et quid inseruit, et ubi inseruit. De ramis superbis naturalibus quid dicit? *Filii autem regni ibunt in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium* (*Matth.* VIII, 11, 12). Res prænuntiata, res impleta.

8. [*vers.* 4.] Ergo, *Psallite Domino, quoniam suavis est*. Et attendite quæ circa nos fecit. *Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi*. Laudate, psallite, quoniam fecit ista. Talia dico quæ capere valeatis. Cæteras gentes sub Angelis posuit; *Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi*. Gentem suam fecit agrum, quem coleret, quem ipse seminaret : quamvis ipse omnes gentes condiderit, cæteras Angelis commisit, sibi istam possidendam, servandamque deputavit; hunc populum, hunc Jacob. Merito illius, an gratia sua? De nondum natis ait, *Quia major serviet minori*; Apostolus dixit. Quod meritum habere nondum nati potuerunt, antequam quisquam eorum egisset aliquid boni aut mali? Non ergo se extollat Jacob, non glorietur, non suis meritis tribuat. Ante est præcognitus, ante prædestinatus, ante electus : non suis meritis electus, sed gratia Dei inventus et vivificatus (*Rom.* IX, 11-13). Sic et omnes gentes : nam ut insereretur, quid meruit oleaster amaritudine baccarum, sterilitate silvestri? Lignum quippe erat silvæ, non agri dominici; et tamen ille per misericordiam suam et oleastrum inseruit in olivam. Sed adhuc non erat insertus oleaster, quando *Dominus elegit sibi Jacob, Israel in possessionem sibi*.

9. [*vers.* 5.] Et quid Propheta? *Quoniam ego cognovi quod magnus est Dominus*. Mente volante ad superna, erecta a carne, transcendente creaturam, cognovit quia magnus est Dominus. Non omnes possunt videndo cognoscere : laudent quod fecit : *Suavis est; Jacob elegit sibi Dominus; Israel in possessionem sibi*. Et hinc illum lauda [1]; nam et *ego cognovi quia magnus est Dominus*. Propheta loquebatur, qui intravit in sanctuarium Dei, qui audivit forte ineffabilia verba quæ non licet homini loqui (II *Cor.* XII, 4); qui dixit quod posset hominibus dici, et tenuit apud se quod non posset dici. Ergo et audiatur ad quod possumus, et credatur ad quod non possumus. Ad quod possumus audiatur, *Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi*; ad quod non possumus credatur, quia ipse cognovit *quod magnus est Dominus*. Si illi diceremus, Rogamus te, explica magnitudinem illius; nonne forte responderet nobis : Non est valde magnus quem video, si a me poterit explicari? Redeat ergo ad opera ejus, et dicat nobis. Habeat ipse in conscientia magnitudinem Domini, quam vidit, quam nobis credendam commendavit; quo nostros oculos perducere non potuit : et enumeret quædam quæ hic Dominus fecit; ut et nobis, qui magnitudinem illius,

[1] Aliquot Mss., *auditis Israel, de Israel pertinente*, etc. Am., *audistis Israel, et Israel pertinentem*, etc. Er., *et de Israel pertinentem*, etc.

[1] Sic plerique Mss. At Edd.: *Et hic illum laudas*.

sicut ille videre, non possumus, dulcescat ex operibus suis, quæ capere possumus. *Quoniam ego*, inquit, *cognovi quod magnus est Dominus, et Deus noster super omnes deos*. Quos deos? Sicut dicit Apostolus : *Etsi sunt qui dicantur dii in cœlo et in terra; sicut sunt dii multi et domini multi; nobis tamen unus Deus, Pater ex quo omnia, et nos in ipso, et unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (I *Cor*. VIII, 5 *et* 6). Dicantur dii homines : dictum est enim, *Deus stetit in synagoga deorum;* dictum est, *Ego dixi, Dii estis et filii Altissimi omnes* (*Psal*. LXXXI, 1, 6) : nonne super homines Deus? Sed quid magnum, si super homines Deus? Et super Angelos Deus : quia Angeli non fecerunt Deum, Angelos fecit Deus; et necesse est super omnia quæ fecit, sit ipse qui fecit. Cognoscens ergo magnitudinem Domini iste, et videns eum super omnem esse creaturam, non tantum corporalem, sed etiam spiritualem : *Rex magnus*, inquit, *super omnes deos*. Ipse est summus Deus qui super se non habet deum. Opera ejus dicat, ipsa capiuntur.

10. [*vers*. 6.] *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis*. Quis autem comprehendat hæc? quis enumeret opera Domini in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis? Tamen si comprehendere omnia non possumus, inconcusse credere et tenere debemus quoniam quidquid creaturarum in cœlo, quidquid in terra, quidquid in mari et in omnibus abyssis a Domino factum est; quia *omnia quæ voluit, fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis*, sicut jam diximus. Non omnia quæ fecit, coactus est facere, sed *omnia quæcumque voluit, fecit:* causa omnium quæ fecit, voluntas ejus est. Facis tu domum, quia si nolles facere, sine habitatione remaneres : necessitas cogit te facere domum, non libera voluntas. Facis vestem, quia si non faceres, nudus ambulares : ad faciendam ergo vestem necessitate duceris, non libera voluntate. Conseris montem vitibus, semen spargis, quia nisi feceris, alimenta non habebis : omnia hæc necessitate facis. Deus bonitate fecit, nullo quod fecit eguit; ideo *omnia quæcumque voluit, fecit*.

11. Putas, habemus et nos quod libera voluntate faciamus? Ea enim quæ diximus, ex necessitate facimus; quia si non faceremus, egentes et inopes remaneremus. Invenimus aliquid quod libera voluntate faciamus? Invenimus plane, cum ipsum Deum amando laudamus. Hoc enim libera voluntate facis, quando amas quod laudas; non enim ex necessitate, sed quia placet. Unde justis et sanctis Dei placuit Deus, etiam flagellans eos. Quando iniquis omnibus displicet, placuit illis; et sub flagello ejus, in ærumna, in laboribus, in vulneribus, in egestate constituti laudaverunt Deum : non eis displicuit nec torquens. Hoc est gratis amare, non quasi proposita acceptione mercedis; quia ipsa merces tua summa Deus ipse erit, quem gratis diligis : et sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet; sicut Philippus desiderabat, cum diceret, *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis* (*Joan*. XIV, 8). Merito, quia hoc de libera voluntate facimus, et de libera voluntate facere debemus, quia delectati facimus, amando facimus; quia etsi corripimur ab illo, nobis nunquam displicere debet, qui semper est justus. Hoc dixit ille laudator ejus : *In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationis tibi* (*Psal*. LV, 12). Et alio loco : *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal*. LIII, 8). Quid est, *Voluntarie sacrificabo?* Voluntarie laudabo te. Quia, *Sacrificium laudis*, inquit, *glorificabit me* (*Psal*. XLIX, 23). Si cogereris offerre Domino tuo sacrificium gratum illi et acceptum, sicut antea vovebantur sacrificia [1] in umbra futurorum; forte non invenires in grege tuo placitum taurum, et in capris hircum aræ Domini dignum, nec in ovili tuo arietem dignum ad victimam Domino tuo; et non inveniens satageres quid faceres, et diceres forte Deo : Volui, et non habui. Numquid potes de laude dicere, Volui, et non habui? Ipsum voluisse laudasse est. Non enim verba a te quærit Deus, sed cor. Denique potes dicere [2] : Et linguam non habui. Si quis obmutescit aliqua valetudine, linguam non habuit, et tamen laudem habuit. Si enim Deus aures carnales haberet, et sono tui corporis indigeret, ideo cum remansisses sine lingua, sine laude etiam remaneres : nunc vero quia cor quærit, cor inspicit, intus testis est, judex, approbator, adjutor [3], coronator; sufficit ut offeras voluntatem. Cum potes, ore confiteris [4] ad salutem; cum autem non potes, corde credis ad justitiam (*Rom*. X, 10) : corde laudas, corde benedicis, corde in aram conscientiæ victimas sacras imponis; et respondetur tibi, *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis* (*Luc*. II, 14).

12. Ille igitur Deus qui omnipotens est, *in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit, fecit;* tu in domo tua non facis omnia quæ vis : ille *in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit, fecit;* tu fac vel in agro tuo omnia quæ vis. Multa vis, et non potes in domo tua facere omnia quæ vis : contradicit forte uxor, contradicunt filii, aliquando et servulus contumacia contradicit, et non facis quod vis. Sed facio, inquis, quod volo; quia in non obediente ac contradicente vindico. Nec hoc facis, cum vis : aliquando vindicare vis, et non potes; aliquando minaris, et antequam facias quod minaris, moreris. Putamus, in teipso facis quod vis? frenas omnes cupiditates tuas? Forsitan frenas, numquid efficis ut ipsæ cupiditates non surgant, quas frenas? Certe enim hoc vis, non titillari molestia cupiditatum tuarum; et tamen *caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vultis, faciatis* (*Galat*. V, 17). Tu in teipso non facis quod vis; *Deus autem noster in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit, fecit*. Ipse tibi det gratiam, ut in teipso facias quod vis; nisi enim ipso adjuvante, nec in te facis quod vis. Etenim cum ille non faceret in

[1] Plures Mss., *jubebatur sacrificium*.
[2] Sic plerique Mss. At Edd. : *Neque potest quisquam dicere*.
[3] Aliquot Mss., *auditor*.
[4] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *confitere;* et infra, *crede*.

se quod vellet, qui ait, *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, ut non ea quæ vultis, faciatis;* cum de se ipse gemeret, dicens, *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis:* quia non solum in domo sua, nec solum in agro suo, sed in carne sua vel in spiritu suo non implevit quæ volebat, clamavit ad Deum, qui *omnia quæcumque voluit, fecit in cœlo et in terra;* et dixit, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* et ille bonus et ille suavis tanquam responderet ei, continuo subjecit, *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 22-25). Hanc ergo suavitatem amate, hanc suavitatem laudate. Intelligite Deum qui *omnia quæcumque voluit, fecit in cœlo et in terra;* ipse et in vobis faciet quod vultis, ipso adjuvante voluntatem vestram implebitis. Sed dum non potestis, confitemini; cum poteritis, gratias agite: jacentes, clamate: erecti, superbire nolite. Ille ergo *in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit fecit, in mari et in omnibus abyssis.*

13. [*vers.* 7.] *Suscitans nubes ab extremo terræ.* Videmus ista opera Domini in ejus creatura: veniunt enim nubes ab extremo terræ ad medium, et pluunt; unde surrexerint nescis. Ergo indicat illud Propheta: *ab extremo terræ*, sive ab imo, sive a circumdatione finium terræ, unde vult excitat nubes, tamen a terra. *Fulgura in pluviam fecit.* Nam fulgura sine pluvia, terrerent te, et nihil tibi darent [1]. *Fulgura in pluviam fecit.* Fulgura sunt, contremiscis; pluit, gaudes. *Fulgura in pluviam fecit;* qui terruit, ipse [2] ut gauderes fecit. *Qui educit ventos de thesauris suis:* occultis causis, unde nescis. Quia enim flat ventus, sentis; qua causa flat, vel de quo thesauro rationis eductus sit, nescis: debes tamen Deo pietatem credendi, quia non flaret nisi jussisset ille qui fecit, nisi produxisset ille qui creavit.

14. [*vers.* 8-12.] Videmus ergo hæc in creatura ista; laudamus, miramur, benedicimus Deum: videamus quæ fecit in hominibus propter populum suum. *Qui percussit primogenita Ægypti.* Etenim illa divina dicta sunt quæ amares, et non erant dicta quæ timeres: attende, quia et quando irascitur, facit quod vult. *Percussit primogenita Ægypti, ab homine usque ad pecus. Immisit signa et prodigia in medio tui, Ægypte.* Nostis, legistis quanta per Moysen fecerit manus Domini in Ægypto ad terrendos, ad contundendos, ad dejiciendos superbos Ægyptios. *In Pharaone et in omnibus servis ejus.* Parum est in Ægypto; quid posteaquam eductus est inde populus? *Qui percussit gentes multas:* quæ possidebant terram quam volebat Deus dare populo suo. *Et occidit reges fortes; Seon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan, et omnia regna Chanaan.* Omnia ista quomodo commemorat breviter Psalmus, sic ea legimus in aliis Libris dominicis, et magna ibi manus Domini. Quando tu vides quæ facta sunt in impios, cave ne fiant in te: ad hoc enim in illos facta sunt, ut tu transires, et eos non imitareris, et talia non patereris. Tamen vide quia flagellum Domini est super omnem carnem. Ne putes te non videri quando peccas, ne putes te contemni, ne putes Dominum dormire: attende exempla beneficiorum Dei, cum ea recolis; et cum vindictam Dei recolis, time. Omnipotens est, et ad consolandum, et ad castigandum. Ideo sunt ista utilia cum leguntur. Quando autem pius videt quod passus est impius, purgat se ab omni impietate, ne veniat et ipse in talem pœnam talemque vindictam. Bene ergo hæc accepistis. Quid deinde fecit Deus? Expulit impios: *Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel servo suo.*

15. [*vers.* 13.] Deinde exsultatio laudis ejus: *Domine, nomen tuum in sæculum;* post ista omnia quæ fecisti. Quid enim video quæ fecisti? Inspicio creaturam tuam quam fecisti in cœlo, inspicio hanc imam partem ubi habitamus; et hinc video beneficia tua, nubium, ventorum, pluviarum. Populum tuum attendo: eduxisti eos de domo servitutis, et signa et prodigia fecisti inter inimicos eorum, punisti eos quos molestos patiebantur, impios de terra sua ejecisti, reges eorum occidisti, terram eorum populo tuo dedisti; vidi omnia, et impletus laude dixi: *Domine, nomen tuum in sæculum.*

Superiorum versuum expositio mystica.

16. [*vers.* 6.] Hæc quidem ad litteram quomodo scripta sunt videmus, novimus, laudamus. Si autem aliquid significant, non sim onerosus, dum explico ut potero. Ecce in ipsis hominibus possum agnoscere quia *in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit, fecit.* Cœlum enim æthereum, spirituales accipio; terram, carnales: ex his duobus tanquam cœlo et terra constat Ecclesia Dei; et ad spirituales pertinet prædicatio, ad carnales pertinet obsecundatio. Nam et *cœli enarrant gloriam Dei, et facta manuum ejus annuntiat firmamentum* (*Psal.* XVIII, 2). Si autem terra Dei non esset plebs Dei, non diceret Apostolus, *Dei ædificatio, Dei agricultura estis: sicut sapiens architectus fundamentum posui; alius superædificat.* Ergo ædificium Dei sumus, et ager Dei sumus. *Quis*, inquit, *plantat vineam, et de fructu ejus non percipit* (I *Cor.* IX, 7)? *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit* (*Id.* III, 9, 10, 6). Ergo et in Ecclesia sua, et in prædicatoribus suis, et in plebibus suis, tanquam in cœlo et in terra, omnia quæcumque voluit, fecit. Parum est in eis: *In mari et in omnibus abyssis omnia quæcumque voluit, fecit.* Mare sunt omnes infideles, omnes nondum credentes, et in eis *omnia quæcumque voluit, fecit.* Non enim sæviunt infideles, nisi permittantur; aut vindicatur in eos, quando perversi sunt, nisi jusserit ille qui fecit omnes gentes. Puta quia mare est, et non terra; numquid ideo a potestate Dei omnipotentis alienum est? *Et in mari et in omnibus abyssis quæ voluit, fecit.* Qui sunt abyssus? Latentia corda mortalium, profundæ cogitationes hominum. Quomodo et ibi facit Deus quod vult? Quia *Dominus interrogat justum et impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X, 6). Et ubi illum interro-

[1] Plerique Mss., *nihil cibi darent.*
[2] Plures Mss., *ipse refecit*

gat? Alibi scriptum est : *In cogitationibus impii interrogatio erit* (*Sap.* I, 9). Ergo, *et in omnibus abyssis omnia quæcumque voluit, fecit*. Latet cor bonum, latet cor malum ; abyssus est et in corde bono, et in corde malo : sed hæc nuda sunt Deo, quem nihil latet. Consolatur cor bonum, torquet cor malum. *Omnia* ergo *quæ voluit, fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis*.

17. [*vers.* 7.] *Suscitans nubes ab extremo terræ*. Quas nubes? Prædicatores verbi veritatis suæ. De quibus nubibus alio loco irascens vineæ suæ dicit, *Mandabo nubibus meis ne pluant super illam imbrem* (*Isai.* V, 6). Et parum est excitasse nubes de Jerusalem vel de Israel, quas misit prædicare Evangelium suum in toto orbe terrarum ; de quibus nubibus dictum est, *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 5) ; parum est hoc : sed quia ipse Dominus ait, *Prædicabitur hoc Evangelium regni in toto orbe terrarum, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet finis* (*Matth.* XXIV, 14) ; excitat nubes ab extremo terræ. Nam crescente Evangelio, unde erunt prædicatores Evangelii in finibus terræ, nisi ibi excitet nubes ab extremo terræ? De ipsis autem nubibus quid operatur? *Fulgura in pluviam fecit* : minas ad misericordiam flexit, de terroribus irrigavit. Quomodo de terroribus irrigavit? Quando tibi minatur Deus per prophetam et per apostolum, et times ; nonne coruscatio terruit te? Sed cum pœnitendo corrigeris, et agnoscis hoc misericordia fieri, in pluviam vertitur fulguris terror. *Qui educit ventos de thesauris suis*. Eosdem puto prædicatores et nubes et ventos : nubes, propter carnem ; ventos propter spiritum. Nubes enim videntur, venti sentiuntur et non videntur. Denique quoniam carnem videmus esse de terra. *Nubes*, inquit, *excitat ab extremo terræ*. Expresserat unde excitet nubes : venit ad ventos, quia spiritus hominis ignoratur unde veniat : *Producens*, inquit, *ventos de thesauris suis*. Paululum attendite, et cætera videamus.

18. [*vers.* 8.] *Qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus*. Primogenita nostra salva sint Domino, quoniam ipse ea dedit nobis. Molesta autem pœna est, et nimium terribilis plaga, mors primogenitorum. Quæ sunt primogenita nostra? Mores isti nostri, quibus nunc servimus Deo, ipsa sunt primogenita nostra. Primitias enim habemus ipsam fidem, unde incipimus. Ecclesiæ quippe dictum est, *Venies, et pertransies ab initio fidei* (*Cant.* IV, 8, *sec.* LXX) : et nemo incipit bene vivere, nisi a fide. Fides ergo nostra in primogenitis nostris est. Quando custoditur fides nostra, cætera subsequi possunt. Nam quod purgantur homines quotidie proficiendo in melius, meliusque vivendo, ipso interiore homine renovato de die in diem, sicut dicit Apostolus, *Et si exterior noster homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem* (II *Cor.* IV, 16) ; ideo fit quia primogenita fides vivit, de qua primogenita fide et Apostolus ait, *Non solum autem, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes* ; id est, dantes jam Deo primitias spiritus nostri, hoc est, ipsam fidem tanquam primogenita nostra ; *tamen in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri* (*Rom.* VIII, 23). Si ergo magna Dei gratia est ut conservetur fides nostra ; magna pœna est occidere primogenita, quando homines in afflictione Ecclesiæ constituti perdunt fidem. Affligunt enim Ecclesiam, ut perdant fidem : nam et ipsa Ægyptus afflictio interpretatur. Quicumque ergo affligunt Ecclesiam, quicumque scandala Ecclesiæ immittunt, etsi christiani appellentur, moriuntur primogenita eorum. Erunt infideles, erunt inanes, habentes nomen tantum et signum : in corde autem primogenitum suum sepelierunt ; usque adeo, ut quando ei aliquid dixeris, propter bonam vitam, propter spem vitæ æternæ, et propter timorem ignis æterni, apud se subsannet ; aut si talis est ut audeat coram te, os torqueat et dicat : Quis huc inde reversus est? dicunt sibi homines quod volunt. Et christianus est ; sed quia affligens, occisus est primogenitus ejus, mortua est fides ejus : et hoc *ab homine usque ad pecus*. Dicam, fratres, quod sentio. Homines intelligo spiritualiter significari tanquam doctos, propter rationalem animam, quod est homo : pecora vero, indoctos ; sed tamen habentes fidem, nam non haberent primogenita. Sunt docti qui affligunt Ecclesiam, schismata et hæreses faciendo. Proinde nec in illis invenis fidem, quoniam facti sunt Ægyptus, id est afflictio populo Dei. Occisa sunt primogenita eorum : trahunt post se turbas indoctas ; ipsa sunt pecora. In hac ergo afflictione qua Ecclesia affligitur, moritur in affligentibus fides : moriuntur primogenita et in ipsis doctis et indoctis ; quia occidit Deus primogenita Ægyptiorum *ab homine usque ad pecus*.

19. [*vers.* 9.] *Immisit signa et prodigia in medio tui, Ægypte, in Pharaone et in omnibus servis ejus*. Pharao rex Ægyptiorum. Nomen attendite, et videte quemadmodum ista faciat Deus. Rex in omni gente prior est ; Ægyptus Afflictio est, Pharao Dissipatio. Afflictio ergo regem habet dissipationem ; quia illi qui affligunt Ecclesiam, dissipati affligunt. Ut enim affligant, dissipantur : quoniam rex ducit, populus sequitur ; præcedit dissipatio, sequitur afflictio. Audite, audito nomina hæc, interpretatione typica [1] et sapientia plena : nec unum invenis ex istis nominibus, quod boni aliquid interpretetur, ubi exercuit Deus iram suam.

20. [*vers.* 10, 11.] *Percussit gentes multas, et occidit reges fortes*. Dic quos reges et quas gentes? *Seon regem Amorrhæorum*. Audite nomina gravida sacramentis. *Seon regem*, inquit, *Amorrhæorum* occidit. Occidit plane ; et nunc occidat a cordibus servorum suorum, et a tentationibus Ecclesiæ suæ, nec cesset manus ejus in occidendis talibus regibus et talibus populis : interpretatur enim Seon, Tentatio oculorum [2] ; Amorrhæi interpretantur, Amaricantes. Jam hic videte si intelligere possumus quomodo amaricantes

[1] Aliquot Mss., *mystica*.
[2] Omnes prope Mss. hic et infra constanter, *tentatio calorum*. Porro, idem nomen postea in Psal. 135, n. 9, interpretari dicit, *germen inutile vel tentationem calentem*.

regem habeant tentationem oculorum. Tentatio oculorum non est nisi mendacium : colorem habet, veritatem non habet. Jam quid mirum est si amaricantes talem habeant regem, mendacem regem? Nisi enim mendacium et simulatio præcedat, non sunt amaricantes in Ecclesia ; inde enim amaricant, quia fingunt. Præcedit tentatio oculorum, amaricatio sequitur : et in ipso diabolo præcessit ; nam tentatio oculorum est quod *transfigurat se velut angelum lucis*[1] (II *Cor.* XI, 14). Occidat manus Domini et illum et illos ; illum, ne inducat ; illos, ut corrigantur. Etenim in unoquoque homine occiditur ille rex, quando damnat simulationem, et diligit veritatem. Manus Dei non quiescit id agere. Nam quemadmodum egit ad litteram tunc, sic agit nunc spiritualiter, ut impleat quod tunc prophetice prænuntiavit. Occidit etiam alium regem et alium populum ejus : *Et Og regem Basan*. Et hic quam malus! Og interpretatur, Conclusio : Basan interpretatur, Confusio. Malus est rex ille qui intercludit viam ad Deum. Hoc enim agit diabolus ; semper opponendo figmenta sua, opponendo idola sua, opponendo se necessarium per arreptitios[2], sortilegos, augures, aruspices, magos, sacra dæmoniorum, concludit viam Quomodo per Christum id agitur, ut pateat via, quæ fuerat interclusa ; nam per eum redemptus quidam dicit, *Et in Deo meo transgrediar murum* (*Psal.* XVII, 30) : sic diabolus nihil aliud agit, nisi ut intercludat viam, ne credatur in Deum. Si enim creditur in Deum, patet via ; et ipse Christus est via (*Joan.* XIV, 6) : si autem non creditur in Deum, interclusa est via. Si autem interclusa fuerit, quia non creditur ; quid restat, nisi ut cum venerit qui non credebatur, confundantur qui non crediderunt? Quare? Quia conclusio præcedit, et sequitur confusio : conclusio præcedit ut rex, sequitur confusio tanquam plebs. Quos modo concludit, ut non credant in Christum, quando apparuerit Christus, omnes confundentur, et traducent eos ex adverso iniquitates eorum. Tunc dicent impii confusi : *Quid nobis profuit superbia* (*Sap.* V, 8)? Magna mysteria, fratres mei. Dissipatio rex afflictionis[3] ; dissipantur ut affligantur. Magna mysteria. Tentatio oculorum, id est fallacia, rex amaricantium ; fallunt enim ut amaricent. Conclusio rex confusionis ; concluduntur enim ne transeant ad fidem, et cum venerit in quem credimus, confundentur. *Et omnia regna Chanaan* occidit Deus. Chanaan interpretatur, Paratus humilitati. Humilitas quasi bonum aliquod significat, sed si sit utilis humilitas : nam mala humiliatio pœnalis est. Si enim humiliatio ad pœnam non pertineret, non diceretur, *Qui se exaltat humiliabitur* (*Luc.* XIV, 11 ; *et* XVIII, 14) : non enim beneficium illi præstatur, quando punitur ut humilietur. Chanaan ergo modo superbus est. Omnis impius, omnis infidelis exaltat cor suum ; non vult credere in Deum. Sed hæc exaltatio parata est humilitati in diem judicii ; tunc humiliabitur, quando non vult : sunt enim vasa iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem (*Rom.* IX, 22). Modo extollant se, garriant, extendant se super fideles, irrideant fideles, blasphement Christianos ; dicant, Anicularia sunt ista quæ dicunt de die judicii. Ista elatio eorum parata est humilitati. Quando venerit judex, qui modo annuntiatus irridetur ; tunc ille qui modo superbit, non utiliter, sed pœnaliter humiliabitur. Modo autem non humiliatur, sed paratur humilitati, id est, paratur damnationi, paratur victimæ.

21. [*vers.* 13.] Omnia ergo ista evertit Deus ; corporaliter tunc, quando patres nostri educti sunt de terra Ægypti ; evertit spiritualiter nunc, nec cessat manus ejus usque in finem. Ideo ne istas potentias Dei tunc putes peractas cessasse : *Domine, nomen tuum*, inquit, *in sæculum*. Id est, non cessat misericordia tua, non cessat manus tua in sæculum facere ista, quæ tunc prænuntiasti figurando : « Omnia enim illa in figura contingebant illis ; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos finis sæculorum obvenit » (I *Cor.* X, 11). « Domine, memoriale tuum in generationem et generationem ». Generatio ista et generatio altera : generatio qua fideles efficimur, et per Baptismum renascimur ; generatio qua a mortuis resurgemus, et Angelis conjuncti vivemus in æternum. Memoriale tuum, Domine, et super generationem istam, et super illam generationem : quia nec nunc nos oblitus est, ut vocaret ; nec tunc obliviscetur, ut coronet. *Memoriale tuum, Domine, in generationem et generationem.*

22. [*vers.* 14.] *Quoniam judicavit*[1] *Dominus plebem suam*. Complevit certe omnia illa in populo Judæorum. Numquid jam remanserunt opera ejus, postquam induxit plebem suam in terram repromissionis? Adhuc plane judicabit : *Judicavit Dominus plebem suam, et in servis suis advocabitur*. Jam judicavit ipsam plebem ; excepto judicio futuro, judicata est plebs Judæorum. Quid est, judicata? Separati inde sunt justi, et remanserunt injusti. Si autem mentior aut mentiri existimor, quia dixi, Jam judicata est ; audi Dominum dicentem : *In judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant ; et qui vident cæci fiant* (*Joan.* IX, 39). Excæcati sunt superbi, illuminati sunt humiles. *Judicavit* ergo *plebem suam*. Ipsum judicium dixit Isaias : *Et nunc tu domus Jacob, venite, ambulemus in lumine Domini*. Parum est hoc, sed quid sequitur? *Dimisit enim plebem suam, domum Israel* (*Isai.* II, 5, 6). Ipsa est domus Jacob, quæ est domus Israel ; qui enim Jacob, ipse est Israel. Nostis sanctas Litteras, et puto quod vobis veniat in mentem quia ipse Jacob quando vidit angelum secum luctari, tunc accepit nomen ut appellaretur Israel (*Gen.* XXXII, 28). Unus homo est sive Jacob, sive Israel ; una persona est : domus Jacob, et domus Israel, una gens, una

[1] Sic Mss. At Edd. : *Nam si tentatio oculorum non est, quomodo transfigurat se velut in angelum lucis?*

[2] Aliquot Mss., *idola sua faciendo, opponendo se*, etc. Alii, *opponendo idola sua, sine cessatione per arreptitios*, etc. Et quidam : *opponendo idola sua, faciendo sine cessatione per arreptitios*, etc.

[3] Sic Mss. Edd. vero, *ex afflictione*.

[1] Edd. juxta Græc. LXX, *judicabit*. At Mss. constanter, *judicavit* : et sic Augustinum legisse apparet ex ratione interpretandi.

plebs; hanc invitat, et hanc dimittit. Et nunc jam certe occidisti Christum, o domus Jacob; jam occidisti Christum, jam caput ante crucem agitasti, jam pendentem irrisisti, jam dixisti : *Si filius Dei est, descendat de cruce.* Jam rogavit medicus pro phreneticis : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Matth.* XXVII, 39-43; *et Luc.* XXIII, 34, 35). Certe jam fecisti ista omnia, et nunc crede in eum quem occidisti, bibe sanguinem quem fudisti. Et nunc tu domus Jacob, testimonio Isaiæ exponere [1] cupio quod hic dixit, *Quoniam judicavit Dominus plebem suam, et in servis suis advocabitur.* Judicasse enim intelligitur plebem suam, separando in ipsa plebe sua bonos a malis, fideles ab infidelibus, Apostolos a Judæis mendacibus. Hoc significavit, ut dicere cœperam, per Prophetam dicens : Jam post illa mala omnia tua, *o tu domus Jacob, venite, ambulemus in luce Domini.* Quare vobis dico, *Venite, ambulemus in luce Domini?* Ne remanendo in Judaismo, non perveniatis ad Christum. Quare enim? Non semper ibi prophetatus est Christus? Sed nunc *dimisit plebem suam, domum Israel.* Veni [2] domus Jacob, quia dimisit plebem suam domum Jacob; veni domus Israel, quia dimisit plebem suam domum Israel. Quæ venit, et quæ dimissa est, nisi quia hoc est judicium, *ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant? Judicavit* ergo *Dominus plebem suam.* Separavit ergo, et non ibi inveniet quos in regnum suum restituat? Plane inveniet : *Et in servis suis advocabitur. Non repulit,* ait Apostolus, *plebem suam, quam præscivit.* Et unde probat? *Nam et ego Israelita sum* (*Rom.* XI, 1, 2). Ergo *Judicavit Dominus plebem suam,* separando bonos a malis : hoc est, *Et in servis suis advocabitur.* A quibus? A Gentibus. Quantæ enim gentes credendo venerunt! quanti fundi, quanta loca deserta modo veniunt! Veniunt inde nescio quanti, credere volunt, dicimus eis : Quid vultis? Respondent : Nosse gloriam Dei. Credite, fratres, mirari nos et gaudere ad talem vocem rusticanorum. Veniunt nescio unde, excitati a nescio quo : quid dicam, a nescio quo? Imo scio a quo; quia, *Nemo venit,* inquit, *ad me, nisi quem Pater attraxerit.* Veniunt subito de silva, de deserto, de remotissimis et arduis montibus ad Ecclesiam, et hanc vocem habent plerique et pene omnes eorum, ut videamus vere intus docentem Deum : impletur Scriptura prophetica qua dictum est, *Erunt omnes docibiles Deo* (*Isai.* LIV, 13; *Joan.* VI, 44, 45). Quid desideratis, dicimus illis? Et illi : Videre gloriam Dei. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 23). Credunt, consecrantur, clericos sibi ordinari exigunt. Nonne impletur, *Et in servis suis advocabitur?*

23. [*vers.* 15-17.] Denique post istam totam dispositionem et dispensationem, convertit se Spiritus Dei ad exprobranda et irridenda idola, quæ jam irridentur a cultoribus suis : *Idola Gentium argentum et aurum.* Ista omnia Deo faciente, qui in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit fecit, qui judicavit plebem suam, et in servis suis advocabitur; quid restat figmentum, nisi ridendum, non adorandum? Idola Gentium dicturus erat fortasse, ut contemneremus ista omnia ; dicturus erat idola Gentium, lapides et ligna, gypsum et testam? Non hæc dico; vilis materia est : illud quod valde amant, vel quod valde honorant dico, *Idola Gentium argentum et aurum.* Certe aurum est, certe argentum est; numquid quia lucet argentum, lucet aurum, ideo oculos habent et vident? Sic, quomodo argentum est, quomodo aurum est, utile forte avaro, non religioso; imo vero nec avaro utile, sed utile bene utenti, et per ejus erogationem cœlestem thesaurum acquirenti : tamen nunc cum ista insensata sint, quid facitis homines de argento et auro deos? Quos deos facitis, nonne videtis quod non videant (*Sap.* XV, 15)? *Oculos habent, et non videbunt* [1]; *aures habent, et non audient; nares habent, et non odorabunt; os habent, et non loquentur; manus habent, et non operabuntur; pedes habent, et non ambulabunt.* Omnia ista artifex, faber argentarius, aurifex facere potuit, et oculos, et aures, et nares, et os, et manus, et pedes; sed nec lucem oculis, nec auditum auribus, nec vocem ori, nec sensum naribus, nec motum manibus, nec iter pedibus dare potuit.

24. [*vers.* 18.] O homo, rides jam procul dubio quod fecisti, si a quo factus es agnovisti. De illis autem qui non agnoverunt, quid dicitur? *Similes illis sint omnes qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in illis.* Et creditis, fratres, exprimi in eis quamdam similitudinem idolorum, non quidem in carne eorum, sed in interiore homine eorum. Nam aures habent, et non audiunt : ad illos quippe clamat Deus, *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Matth.* XI, 15). Oculos habent, et non vident : habent enim oculos corporis, sed non habent oculos fidei. Denique impletur hæc prophetia per omnes gentes : videte quomodo dictum sit per prophetam. Nihil allegoricum, nihil figuratum commemoro : propriam, expressam, simplicem, manifestam audite prophetiam prædictam, videte completam. *Prævaluit,* inquit, *Dominus adversus eos;* propheta dicit Sophonias. Adversus repugnantes, adversus rebellantes, et de occisione fidelium martyres facientes, sed tamen nescientes; *Prævaluit Dominus adversus eos.* Et quomodo prævaluit? In Ecclesia sua videmus quia prævaluit adversus eos. Volebant paucos Christianos exstinguere, occidere; sanguinem fuderunt : de sanguine occisorum tanti exsurrexerunt, a quibus illi interfectores martyrum superarentur. Tamen et modo quærunt ubi abscondant idola sua, qui primo Christianos propter idola trucidabant. Nonne prævaluit adversus eos Dominus? Vide si facit quod sequitur, *Prævaluit Dominus adversus eos.* Et quid fecit? *Exterminavit omnes deos Gentium terræ; et adorabunt eum unusquisque de loco suo, omnes insulæ Gentium* (*Sophon.* II, 11). Quid est hoc? Nonne prædictum erat? nonne completum est? nonne ut lo

[1] Sic Mss. At Edd., *testimonium ex te exponere.*
[2] Sic Mss. At Edd. hoc et proximo loco, *venit.*

[1] Mss., *non vident :* et sic infra tempore præsenti, *non audiunt, non odorant, non loquuntur, non operantur, non ambulant.*

gitur, sic videtur? Et illi qui remanserunt, oculos habent, et non vident; nares habent, et non odorant. Non sentiunt illum odorem : *Christi bonus odor sumus*, sicut dicit Apostolus, *in omni loco* (II *Cor.* II, 15). Quid prodest, quia nares habent, et non odorant tam suavem odorem Christi? Vere in illis factum est, et vere de illis dictum est, *Similes illis sint omnes qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.*

25. [*vers.* 19, 20.] Sed quotidie credunt per miracula Christi Domini, quotidie aperiuntur oculi cæcorum et aures surdorum, inspirantur nares insensatorum, dissolvuntur ora mutorum, constringuntur manus paralyticorum, corriguntur pedes claudorum, de lapidibus istis excitantur filii Abrahæ (*Matth.* III, 9): quibus omnibus jam dicatur, *Domus Israel, benedicite Dominum.* Omnes filii Abrahæ; et si de lapidibus istis suscitantur filii Abrahæ, manifestum est quia illi sunt magis domus Israel, qui pertinent ad domum Israel, qui pertinent ad semen Abrahæ, non carne, sed fide : *Domus Israel, benedicite Dominum.* Sed fac de domo illa dici, et populum Israel vocari; crediderunt inde Apostoli et millia circumcisorum. *Domus Israel, benedicite Dominum; Domus Aaron, benedicite Dominum; Domus Levi, benedicite Dominum.* Benedicite populi Dominum, hoc est, *domus Israel* generaliter; benedicite præpositi, hoc est, *domus Aaron*; benedicite ministri, hoc est, *domus Levi.* Quid de cæteris nationibus? *Qui timetis Dominum, benedicite Dominum.*

26. [*vers.* 21.] Omnes ergo una voce dicamus quod sequitur : *Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem.* Ex Sion et Jerusalem. Sion Speculatio, Jerusalem Visio pacis. In qua Jerusalem nunc habitaturus est? In illa quæ cecidit? Non, sed in illa matre nostra, quæ est in cœlis, de qua dictum est, *Multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum* (*Isai.* LIV, 1; *Galat.* IV, 26, 27). Nunc ergo Dominus ex Sion, quia speculamur quoad veniat[1]: nunc tamen quamdiu in spe vivimus, in Sion sumus. Finita via habitabimus in illa civitate, quæ nunquam ruitura est; quia et Dominus habitat in ea, et custodit eam : quæ est visio pacis æterna Jerusalem, pacis illius, fratres mei, cui laudandæ lingua non sufficit, ubi nullum hostem jam sentiemus nec in Ecclesia, nec extra Ecclesiam, nec in carne nostra, nec in cogitatione nostra. Absorbebitur mors in victoriam (I *Cor.* XV, 54), et vacabimus ad videndum Deum in pace æterna, cives Jerusalem facti civitatis Dei.

IN PSALMUM CXXXV

ENARRATIO.

1. [*vers.* 1.] *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Psalmus iste laudem continet Dei, et eodem modo in omnibus suis versibus terminatur. Proinde, quamvis hic in laudem Dei multa dicantur, maxime tamen ejus misericordia commendatur, sine cujus commendatione apertissima nullum versum claudi voluit, per quem Spiritus sanctus condidit Psalmum. Memini autem me in psalmo centesimo quinto, qui similiter incipit, quoniam codex quem intuebar, non habet, *in æternum*; sed, *in sæculum misericordia ejus*; quæsisse quid potius intelligere deberemus : in græco enim sermone scriptum est, εἰς τὸν αἰῶνα quod et *in sæculum*, et *in æternum* interpretari potest. Sed quid illic, ut potui, disseruerim, etiam hic retexere longum est. In isto autem psalmo etiam idem ipse codex non habet, *in sæculum*, quod plerique habent; sed, *in æternum misericordia ejus.* Quod etsi post judicium, quo in fine sæculi vivi et mortui judicandi sunt, missis justis in vitam æternam, iniquis autem in ambustionem æternam, non sint deinceps futuri quorum adhuc misereatur Deus; recte tamen intelligi potest in æternum futura misericordia ejus, quam suis sanctis fidelibusque largitur : non quia in æternum miseri erunt, et ideo in æternum misericordia ejus indigebunt; sed quia ipsa beatitudo quam misericorditer miseris præstat, ut esse miseri desinant, et beati esse incipiant, non habebit finem, ideo *in æternum misericordia ejus.* Quod enim justi erimus ex iniquis, sani ex infirmis, vivi ex mortuis, immortales ex mortalibus, beati ex miseris, misericordia ejus est. Hoc autem quod ita erimus, in æternum erit : ergo *in æternum misericordia ejus.* Proinde, *Confitemini Domino*, id est, confitendo laudate Dominum; *quoniam bonus.* Nec pro hac confessione aliquid estis temporale sumpturi; *quoniam in æternum misericordia ejus*, id est, beneficium quod vobis misericorditer præstat, æternum est. Quod autem habet, *Quoniam bonus*, græcus habet ἀγαθός : non sicut in psalmo centesimo et quinto; quod ibi est, *Quoniam bonus*, græcus habet χρηστός. Ideo nonnulli illud interpretati sunt, Quoniam suavis est. Ἀγαθός autem non utcumque bonus, sed excellentissime bonus est.

2. [*vers.* 2, 3.] Deinde sequitur : *Confitemini Deo deorum; quoniam in æternum misericordia ejus. Confitemini Domino dominorum; quoniam in æternum misericordia ejus.* Quinam sint dii et domini, quorum deorum et dominorum sit Deus et Dominus, qui est verus Deus; merito quæri solet. Et scriptum invenimus in alio psalmo, deos etiam homines appellatos, sicuti est, *Deus stetit in synagoga deorum; in medio autem deos discernit :* et paulo post, *Ego dixi, Dii estis et filii Excelsi omnes; vos autem ut homines moriemini, et sicut unus ex principibus cadetis.* Quod testimonium etiam Dominus in Evangelio commemorat dicens : *Nonne scriptum est in Lege vestra, quia, Ego dixi, Dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis quia, Blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum* (*Joan.* X, 34-36)? Non ergo quia boni sunt omnes, sed quia sermo Dei ad illos factus est, appellati sunt dii. Nam si propterea quia boni essent omnes, non sic eos dijudicaret. Cum enim dixisset, *Deus stetit in synagoga deorum;* non ait, In medio deos et homines discernit, tanquam ostendens

[1] Am. et Mss., *quod veniat*

quid intersit inter deos et homines : sed, *In medio* inquit; *deos discernit.* Deinde sequitur, *Usquequo judicatis iniquitatem* (*Psal.* LXXXI, 1, 2, 6, 7)? et cætera : quæ utique non omnibus sed quibusdam dicit, quia discernens dicit; et tamen *in medio deos discernit.*

3. Sed quæritur, si homines ad quos sermo Dei factus est, dii vocantur, utrum et Angeli vocandi sunt dii; cum hominibus justis et sanctis maximum præmium promittatur æqualitas Angelorum. Et in Scripturis quidem nescio utrum vel possit, vel facile possit reperiri, aperte dictos Angelos deos; sed cum de Domino Deo dictum esset, *Terribilis super omnes deos,* cur hoc dixerit, continuo velut exponendo conjunxit, *Quoniam dii Gentium dæmonia* (*Psal.* XCV, 4, 5). Super tales deos dixit Dominum terribilem in sanctis suis, quos cœlos fecit, a quibus dæmonia terrerentur. Sic enim sequitur, *Dominus autem cœlos fecit.* Non ergo, Dii sine additamento; sed, Dii Gentium dæmonia : superius tamen, *Terribilis*, inquit, *super omnes deos;* non ait, super omnes deos Gentium, quamvis intelligi hoc voluerit, addendo quod sequitur, *Quoniam dii Gentium dæmonia.* Quod quidem in hebræo dicitur non ita esse scriptum; sed, *Dii Gentium simulacra.* Quod si verum est, multo magis credendi sunt Septuaginta divino Spiritu interpretati, quo Spiritu et illa dicta sunt quæ in hebræis litteris sunt. Eodem namque operante Spiritu, etiam hoc dici oportuit quod dictum est, *Dii Gentium dæmonia :* ut intelligeremus sic etiam in hebræo positum, *Dii Gentium simulacra;* ut dæmonia potius quæ sunt in simulacris, significarentur. Nam quod attinet ad ipsa simulacra, quæ græce appellantur idola, quo nomine jam utimur pro latino, oculos habent et non vident; et cætera quæ de his ideo dicuntur, quia omni sensu carent : quocirca nec terreri possunt, quia nisi ea quæ sentiunt, terreri utique non possunt. Quomodo ergo dictum est de Domino, *Terribilis est super omnes deos*, *quoniam dii Gentium simulacra*, nisi per simulacra intelligantur dæmonia, quæ terreri possunt? Unde ait et Apostolus, *Scimus quia nihil est idolum :* hoc enim retulit ad materiam terrenam, sensu carentem. Item ne quisquam putaret non esse aliquam viventem sentientemque naturam, quæ Gentium sacrificiis delectetur, adjunxit : *Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo vos socios fieri dæmoniorum* (1 *Cor.* X, 20). Si ergo nusquam in eloquiis divinis reperitur sanctos Angelos appellatos deos, ea mihi causa potissimum occurrit, ne isto nomine homines ad hoc ædificarentur, ut ministerium vel servitium religionis, quæ græce liturgia, vel latria dicitur, sanctis Angelis exhiberent; quod nec ipsi exhiberi ab hominibus volunt, nisi illi Deo qui et ipsorum et hominum Deus est. Unde multo utilius Angeli vocantur, qui latine nuntii nuncupantur; ut per nomen non substantiæ, sed officii, satis intelligamus illum Deum a nobis eos coli velle, quem nuntiant. Totam ergo istam quæstionem breviter Apostolus solvit, ubi ait : *Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra; quemadmodum sunt dii multi et domini multi; sed nobis unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in ipso, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (1 *Cor.* VIII, 4-6).

4. [*vers.* 4.] Confiteamur ergo *Deo deorum*, *et Domino dominorum; quoniam in æternum misericordia ejus. Qui fecit mirabilia magna solus.* Sicut in omnium versuum novissimis partibus positum est, *Quoniam in æternum misericordia ejus;* sic in omnium capitibus quamvis non sit positum, subaudiendum est, *Confitemini.* Quod in græco evidentius apparet. Appareret autem et in latino, si eamdem locutionem transferre potuissent interpretes nostri. Quod quidem in isto versu possent, si dicerent, *facienti mirabilia :* quod enim nos habemus, *Qui fecit mirabilia;* græcus habet, *facienti mirabilia* (a); ubi necessario *Confitemini* subauditur. Atque utinam vel pronomen adderent, ut dicerent, Ei *qui facit;* vel, ei *qui fecit;* vel, ei *qui firmavit:* quia etiam sic facile intelligeretur *Confitemini* esse subaudiendum. Nunc vero ita obscurum factum est, ut qui codicem græcum sive nescierit inspicere, sive neglexerit, possit putare, *Qui fecit cœlos*, *Qui firmavit terram, Qui fecit luminaria, quoniam in æternum misericordia ejus*, ideo dictum, quasi propterea ista fecerit, *Quoniam in æternum misericordia ejus :* cum ad ejus misericordiam illi pertineant, quos de miseria liberat; non autem ut ejus misericordiæ fuisse intelligamus facere cœlum et terram et luminaria, cum illud sit bonitatis ejus qui creavit omnia bona valde (*Gen.* I, 31). Creavit autem, ut essent omnia (*Sap.* I, 14); hoc vero misericordiæ, ut a peccatis nostris mundet nos, et a miseria liberet in æternum. Ita ergo nos alloquitur Psalmus : *Confitemini Deo deorum*, *confitemini Domino dominorum;* confitemini ei *qui facit mirabilia magna solus;* confitemini ei *qui fecit cœlos in intellectu;* confitemini ei *qui firmavit terram super aquas;* confitemini ei *qui fecit luminaria magna solus.* Cur autem confiteamur, in omnium versuum finibus ponit, *Quoniam in æternum misericordia ejus.*

5. [*vers.* 5-10.] Sed quid est, *Qui fecit mirabilia magna solus?* an quia multa mirabilia per Angelos et per homines fecit? Sunt quædam magna quæ solus Deus facit, et ipsa exsequitur dicens, *Qui fecit cœlos in intellectu, Qui firmavit terram super aquas, Qui fecit luminaria magna solus :* ideo et hic addidit, *solus*, quia cætera mirabilia quæ dicturus est, per homines fecit. Cum enim dixisset, *Qui fecit luminaria magna solus;* quæ sint eadem luminaria, secutus aperuit, *Solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis.* Deinde incipit dicere quæ per Angelos vel per homines fecerit : *Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum;* et cætera. Universam igitur creaturam, non utique Deus per aliquam creaturam, sed solus fecit. Cujus creaturæ quasdam partes excellentiores commemoravit, ex quibus universa cogitaremus, intelligibiles cœlos et visibilem terram : et quoniam sunt etiam cœli visibiles, commemoratis eorum lumi-

(a) Τῷ ποιήσαντι.

naribus totum cœleste corporeum ut ab ipso factum acciperemus, admonuit.

6. Quanquam id quod ait, *Qui fecit cœlos in intellectu*, vel, sicut alii interpretati sunt, *in intelligentia*, utrum cœlos intelligibiles significare hoc modo voluerit, an in suo intellectu, vel in sua intelligentia fecisse cœlos, hoc est in sua Sapientia, sicut alibi scriptum est, *Omnia in Sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24), eo modo insinuans unigenitum Verbum, quæri potest. Sed si ita est, ut in suo intellectu fecisse accipiamus Deum cœlos, cur tantum de cœlis hoc ait, cum omnia in eadem Sapientia fecerit? An ibi tantum exprimendum fuit, ut in cæteris etiam tacitum posset intelligi: ut iste sit sensus, *Qui fecit cœlos in intellectu*, *Qui fundavit terram super aquas*; ut et hic subaudias, *in intellectu: Qui fecit luminaria magna solus, solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis*; utique, *in intellectu?* Quomodo ergo *solus*, si hoc est *in intellectu*, vel *in intelligentia*, quod est *in Sapientia*, id est, in Verbo unigenito? An quia Trinitas non sunt tres dii, sed unus Deus, ad id refertur quod, solus Deus fecit, quia non creaturam per creaturam fecit?

7. Sed quid est, *Qui firmavit terram super aquas?* Obscura enim quæstio est; quia terra gravior videtur, ut non portari aquis, sed aquas potius portare credatur. De qua re ne adversus eos qui se putant ista certis rationibus comperisse, contentiose Scripturas nostras defendere videamur; sive illud ita, sive aliter sit, habemus quod de proximo intelligamus, terram quæ habitatur ab hominibus et terrestria continet animalia, quæ alio modo in Scripturis arida dicitur, sicut scriptum est, *Appareat arida, et vocavit Deus aridam terram* (*Gen.* I, 9 *et* 10), super aquas esse fundatam, quod aquis circumfluentibus supereminet. Non enim quæ dicitur littoraria[1] civitas super mare fundata, ita sub ea mare est, quemadmodum sunt aquæ sub speluncarum cameris, aut sub navibus supernatantibus; sed ideo super mare dicitur, quia inferiori mari supereminet[2]. Sic dictus est Pharao exisse *super aquam:* ita enim habet græcus, quod quidam Latini habent, *ad aquam* (*Exod.* VII, 15); sic Dominus *super puteum sedebat* (*Joan.* IV, 6): quod ambo superiores essent quam flumen et puteus; ille juxta flumen, iste juxta puteum.

8. Si autem etiam aliquid aliud, quod ad nos magis pertinet, ista dicta significant: *fecit Deus cœlos in intellectu*, spirituales sanctos suos, quibus non tantum credere, verum etiam intelligere divina donavit: hoc qui nondum possunt, et solam fidem firmissimam tenent, tanquam infra cœlos terræ nomine figurantur. Et quia in Baptismo quem acceperunt, inconcussa credulitate consistunt; ideo dictum est, *Firmavit terram super aquas.* Item quia scriptum est de Domino Jesu Christo quod in illo sint *omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* (*Coloss.* II, 3); hæc autem duo, id est sapientiam et scientiam, distare inter se aliquid, alia quoque Scripturarum testantur eloquia, maxime loquente sancto Job, ubi quodammodo singula definiuntur; ait enim, *Dixit autem homini, Ecce pietas est sapientia, abstinere autem a malo scientia est* (*Job* XXVIII, 28): non incongruenter intelligimus sapientiam in cognitione et dilectione ejus quod semper est, atque incommutabiliter manet, quod Deus est. Nam et quod ait, *Ecce pietas est sapientia*, θεοσέβεια dicta est in græco: quod ut totum latine exprimatur, Dei cultus dici potest. *Abstinere autem a malo*, quod dixit esse scientiam, quid est aliud, quam in medio nationis tortuosæ et perversæ, tanquam in nocte hujus sæculi, caute prudenterque versari (*Philipp.* II, 15); ut abstinendo quisque ab iniquitate non confundatur tenebris, proprii muneris luce discretus? Cum ergo quodam loco Apostolus concordem gratiarum varietatem in hominibus Dei vellet ostendere, hæc in primis duo posuit dicens, *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ;* hoc esse arbitror, *Solem in potestatem diei : Alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum;* hoc est, *lunam.* Deinde quodammodo *stellas* commemorari puto in eo quod dicitur, *Alii fides in eodem Spiritu, alii curationum donatio in uno Spiritu, alii operationes virtutum, alii prophetia, alii dijudicatio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum* (I *Cor.* XII, 8-10). Nihil enim horum est quod in hujus sæculi nocte non sit necessarium: quæ cum transierit, necessaria ista non erunt: ideo, *in potestatem noctis. In potestatem* quippe ait, vel *diei* vel *noctis*, ut potestas esset die lucere vel nocte[1]; quod in spiritualibus donis sic intelligitur, quia dedit potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 12). *Qui percussit Ægyptum, cum primogenitis eorum.* Percussit et sæculum, cum his quæ præcipua putantur in sæculo.

9. [*vers.* 11-26.] *Qui eduxit Israel de medio eorum.* Eduxit etiam sanctos ac fideles suos de medio malorum. *In manu potenti et brachio excelso.* Quid potentius, quid excelsius eo de quo dictum est: *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isai.* LIII, 1)? *Qui divisit mare Rubrum in divisiones.* Dividit etiam, ut unus atque idem Baptismus aliis sit in vitam, aliis sit in mortem. *Et eduxit Israel per medium ejus.* Educit etiam innovatum populum suum per lavacrum regenerationis. *Et excussit Pharaonem et virtutem ejus in mari Rubro.* Celeriter interimit et peccatum suorum[2] reatumque ejus per Baptismum. *Qui traduxit populum suum in deserto.* Traducit et nos in hujus sæculi ariditate et sterilitate, ne in ea pereamus. *Qui percussit reges magnos, et occidit reges fortes.* Percutit atque occidit etiam a nobis diabolicas et noxias potestates. *Seon regem Amorrhæorum.* Germen inutile vel Tentationem calentem, quod interpretatur Seon; regem Amaricantium, quod interpretatur Amorrhæorum. *Et Og regem Basan.* Coacervantem, quod interpretatur Og; et regem Confusionis, quod interpretatur Basan: quid enim coacervat diabolus, nisi confusionem? *Et*

[1] Plures Mss., *littorialis.*
[2] Sic Am. et aliquot Mss. At Regius Ms., *in fines primo mari supereminet.* Er. et Lov., *inferiori mari in primos fines supereminet.*

[1] Am. et plures Mss., *ut potestas esset dici lucere vel nocti.*
[2] Sic Mss. At Edd., *suum.*

dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel servo suo. Dat etiam quos diabolus possidebat, hæreditatem semini Abrahæ, quod est Christus. *Quia in humilitate nostra memor fuit nostri. Et redemit nos ab inimicis nostris :* sanguine Unigeniti sui. *Qui dat escam omni carni ;* hoc est, omni hominum generi, non tantum Israelitarum, sed et Gentium : de qua esca dicitur, *Caro mea vere est esca* (*Joan.* VI, 56). *Confitemini Deo cœli, quoniam in æternum misericordia ejus. Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus.* Quod hic ait, *Deo cœli,* credo aliter dicere voluit quod supra jam dixerat, *Deo deorum :* nam quod ibi deinde subjunxit, hoc etiam hic repetivit, *Confitemini Domino dominorum.* Sed *etsi sunt qui dicuntur dii, sive in cœlo, sive in terra ; quemadmodum sunt dii multi et domini multi ; sed nobis unus est Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in ipsum, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum* (I *Cor.* VIII, 5 *et* 6) ; cui confitemur, *quoniam in æternum misericordia ejus.*

IN PSALMUM CXXXVI ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Oblitos vos esse non arbitror, commendasse nos vobis, imo commemorasse vos[1], quod omnis eruditus in sancta Ecclesia nosse debet unde cives simus, et ubi peregrinemur, et peregrinationis nostræ causam esse peccatum, reversionis autem munus remissionem peccatorum et justificationem gratiæ Dei. Duas civitates permixtas sibi interim corpore, et corde separatas, currere per ista volumina sæculorum usque in finem, audistis et nostis ; unam cui finis est pax æterna, et vocatur Jerusalem ; alteram cui gaudium est pax temporalis, et vocatur Babylonia. Interpretationes etiam nominum, si non fallor, tenetis : Jerusalem interpretari, Visionem pacis ; Babyloniam, Confusionem. Jerusalem in Babylonia captiva tenebatur non tota ; cives enim ejus et Angeli sunt. Sed quod attinet ad homines prædestinatos in gloriam Dei, futuros per adoptionem cohæredes Christi, quos de ipsa captivitate redemit sanguine suo : particulam ergo istam civitatis Jerusalem captivam teneri in Babylonia pro peccato, incipere autem inde exire prius corde per confessionem iniquitatis et charitatem justitiæ, deinde postea in fine sæculi etiam corpore separandam, commendavimus in eo psalmo, quem primo hic cum vestra Dilectione tractavimus, qui ita incipit, *Te decet hymnus, Deus, in Sion ; et tibi reddetur votum in Jerusalem* (*Psal.* LXIV, 2). Hodierna autem die decantavimus. *Super flumina Babylonis, ibi sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion.* Videte quia in illo dictum est, *Te decet hymnus, Deus, in Sion ;* hic autem, *Super flumina Babylonis, ibi sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion :* illam Sion, ubi decet hymnus Deum.

2. Quæ sunt ergo flumina Babylonis, et quid est nostrum sedere et flere in recordatione Sion ? Si enim cives inde sumus, non tantum hoc cantamus, sed et agimus. Si cives sumus de Jerusalem, id est de Sion, et in ista vita, in ista confusione sæculi hujus, in ista Babylonia non cives habitamus, sed captivi detinemur ; oportet ut non tantum ista decantemus, sed et faciamus affectu cordis pio, religioso desiderio æternæ civitatis. Habet et hæc civitas quæ Babylonia dicitur, amatores suos consulentes paci temporali, et nihil ultra sperantes, totumque gaudium suum ibi figentes, ibi finientes, et videmus eos pro republica terrena plurimum laborare : sed et in ea quicumque fideliter versantur, si non ibi appetant superbiam et perituram elationem odiosamque[1] jactantiam ; sed veram fidem exhibeant, quam possunt, quamdiu possunt, quibus possunt, ad quantum vident terrena, et ad quantum intelligunt speciem civitatis ; non eos sinit Deus perire in Babylonia : prædestinavit enim eos cives Jerusalem. Intelligit captivitatem eorum Deus, et ostendit illis aliam civitatem, cui vere debeant suspirare, pro qua debeant cuncta conari, ad quam capessendam debeant cives suos secum peregrinos, quantum valuerint, adhortari. Propterea dicit Dominus Jesus Christus, *Qui in modico fidelis est, et in magno fidelis est :* et rursum dicit, *Si in alieno fideles non fuistis, vestrum quis dabit vobis* (*Luc.* XVI, 10, 12) ?

3. Tamen, charissimi, attendite flumina Babylonis. Flumina Babylonis, sunt omnia quæ hic amantur et transeunt. Nescio quis amavit, verbi gratia, agriculturam ipsam exercere, inde ditescere, ibi occupare animum, inde percipere voluptatem ; attendat exitum, et videat illud quod amavit non esse fundamentum Jerusalem, sed fluvium Babylonis. Alius dixit : Magna res est militare ; omnes agricolæ formidant eos qui militant, obsequuntur eis, tremunt eos : si fuero agricola, timebo militarem ; si fuero militaris, timebor ab agricola. O insane, in alium te Babylonis fluvium præcipitasti, et eum turbulentiorem et rapaciorem. Timeri vis a minore, time majorem : potest te ipso major fieri subito, qui te timet ; nunquam autem erit minor, quem debes timere. Advocatum esse, inquit, magna res est, potentissima eloquentia ; in omnibus habere susceptos pendentes ex lingua diserti patroni sui, et ex ejus ore sperantes vel damna, vel lucra, vel mortem, vel vitam, vel perniciem, vel salutem. Nescis quo te miseris : alius et iste fluvius Babylonis est ; et quod multum sonat, strepitus aquæ saxa percutit. Attende quia fluit, attende quia labitur ; et si attendis quia fluit et labitur, cave quia trahit. Navigare, inquit alius, et negotiari magnum est ; scire multas provincias, lucra undique capere, non esse obnoxium in civitate alicui potenti, semper peregrinari, et diversitate negotiorum et[2] nationum animum pascere, et augmentis lucrorum divitem remeare. Fluvius est et iste Babylonis. Lucra tua quando stabunt ? quando præsumpturus, quando securus eris ex his quæ acquiris ? Quanto eris ditior, tanto timidior. Uno naufragio nudus exibis, et recte te planges in flumine

[1] Sic Mss. At Lov., nos.

[1] Sic plerique Mss. Edd. vero, *otiosamque.*

[2] Plerique Mss. omittunt, *negotiorum et.*

Babylonis, quia noluisti sedere et flere super flumina Babylonis.

4. Alii ergo cives sanctæ Jerusalem intelligentes captivitatem suam, attendunt humana vota et diversas hominum cupiditates hac atque illac rapientes, trahentes, impellentes in mare: vident hæc, et non se mittunt in flumina Babylonis; sed sedent super flumina Babylonis, et flent super flumina Babylonis, vel illos qui rapiuntur, vel seipsos qui in Babylonia esse meruerunt: sedentes tamen, hoc est humiliati[1]. *Super flumina* ergo *Babylonis, ibi sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion*. O sancta Sion, ubi totum stat, et nihil fluit! quis nos in ista præcipitavit? quare dimisimus Conditorem tuum et societatem tuam? Ecce inter fluentia et labentia constituti, vix quisquam raptus a flumine, si tenere lignum potuerit, evadet. Humiliati ergo in captivitate nostra sedeamus super flumina Babylonis, non nos audeamus in illis fluminibus præcipitare; nec nos audeamus in nostræ captivitatis malo atque tristitia superbe erigere, sed sedeamus, et sic fleamus. Sedeamus super flumina Babylonis, non infra flumina Babylonis: talis sit humilitas nostra, ut nos non mergat. Sede super flumen, noli in flumine, noli sub flumine: sed tamen sede humilis, loquere non quomodo in Jerusalem. Ibi enim stabis; quia de ipsa spe loquitur alius psalmus, et cantat dicens: *Stantes erant pedes nostri in atriis Jerusalem* (*Psal.* CXXI, 2). Ibi erigeris, si te hic pœnitendo et confitendo humiliaveris. *In atriis* ergo *Jerusalem stantes erant pedes nostri; Super flumina* vero *Babylonis sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion*. Inde oportet ut fleas, recordando Sion.

5. Multi enim flent fletu Babylonio, quia et gaudent gaudio Babylonio. Qui gaudent lucris et flent damnis, utrumque de Babylonia est. Flere debes, sed recordando Sion. Si recordando Sion fles, et quando tibi secundum Babyloniam bene est oportet ut fleas. Propterea dicitur in quodam psalmo: *Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi* (*Psal.* CXIV, 3 *et* 4). Quid est quod dicit, *Inveni?* Nescio quam tribulationem quasi quærendam, invenit tanquam quæsitam. Et cum invenisset, quo lucro invenit? Nomen Domini invocavit. Multum interest utrum invenias tribulationem, an inveniaris a tribulatione. Dicit enim alio loco: *Dolores inferni invenerunt me* (*Psal.* XVII, 6). Quid est, *Invenerunt me dolores inferni?* Quid est, *Tribulationem et dolorem inveni?* Quando te repente occupat tristitia, perturbatis tibi rebus sæcularibus quibus oblectabaris[2]: quando te repentina ipsa invenit tristitia, unde te non putabas posse fieri tristem, accidit, et tristis efficeris; invenit te dolor inferni. Te enim sursum putabas; verumtamen deorsum eras: et cum te dolor inferni inveniret, ibi te invenisti deorsum, qui te sursum putabas. Invenisti enim te dolore affectum graviter, tristitia alicujus mali, unde forte præsumpseras te non fore tristem; invenit te dolor inferni. Cum autem bene est tibi, arrident omnia sæcularia, nullus tuorum obiit, nihil in vinea tua forte vel aruit, vel grandinatum est, vel sterile apparuit, non acuit cupa tua, non abortum passum est pecus tuum, non exhonoratus es in aliqua dignitate secundum sæculum constitutus, undique amici tui et vivunt et servant tibi amicitiam, clientes non desunt, filii obsequuntur, servi contremiscunt, conjux concors, felix dicitur domus; ibi inveni tribulationem[1], si aliquid potes, ut inventa tribulatione invoces nomen Domini. Perversum aliquid videtur docere sermo divinus, flere in lætitia, et in mœrore lætari. Audi in mœrore lætantem: *Gloriamur*, inquit, *in tribulationibus* (*Rom.* V, 3). Flentem autem in lætitia, vide si invenit tribulationem. Attendat quisque ipsam felicitatem suam, qua exsultavit anima ejus, et tumuit quodammodo gaudio, et extulit se, et dixit, Felix sum: attendat si non fluit illa felicitas, si potest certus esse de illa quia manet in æternum. Si autem non est certus, et videt fluere unde gaudet; fluvius Babylonis est: sedeat supra, et fleat. Sedebit autem et plorabit, si recordatus fuerit Sion. O pax illa quam videbimus apud Deum! o illa sancta æqualitas Angelorum! o illa visio et spectaculum pulchrum! Ecce in Babylonia pulchra sunt quæ tenent: non teneant, non decipiant. Aliud est solatium captivorum, aliud gaudium liberorum. *Super flumina Babylonis, ibi sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion*.

6. [*vers.* 2.] *In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra*. Habent organa sua cives Jerusalem, Scripturas Dei, præcepta Dei, promissa Dei, meditationem quamdam futuri sæculi; sed cum agunt in medio Babyloniæ, organa sua in salicibus ejus suspendunt. Salices ligna sunt infructuosa; et hoc loco ita posita, ut non aliquid boni possit intelligi de salicibus; alibi autem forsitan potest. Modo ligna intelligite sterilia, nascentia super flumina Babylonis. Rigantur hæc ligna de fluminibus Babylonis, et nullum fructum ferunt. Sicut sunt homines cupidi, avari, steriles in opere bono; ita cives Babyloniæ, ut etiam ligna sint illius regionis, ex istis voluptatibus rerum transeuntium pascuntur, tanquam rigata a fluminibus Babyloniæ: quæris fructum, et nusquam invenis. Quando tales patimur, versamur cum eis qui sunt in medio Babylonis. Multum enim interest inter medium Babylonis, et exteriora Babyloniæ. Sunt qui non sunt in medio ejus, id est, non tanta[2] concupiscentia sæculi et delectationibus obruuntur. Qui vero, ut aperte dixerim et breviter, multum mali sunt, in medio Babylonis sunt, et ligna sterilia, tanquam salices Babylonis. Quando illos videmus, et tam steriles eos invenimus, ut difficile nobis appareat in eis aliquid unde possint duci ad fidem rectam, vel ad bona opera, vel ad spem futuri sæculi, vel ad concupiscentiam liberationis a captivitate mortalitatis; Scripturas novimus, quas eis dicamus: sed quia nullum fructum in eis invenimus

[1] Edd., *humilitate humiliati*. Abest, *humilitate*, a Mss.
[2] Edd. addunt, *et quibus delectabaris*: quod a nonnullis Mss abest.

[1] Sic fere omnes Mss. At Edd., *invenis tribulationem*. Et mox Er. et aliquot Mss., *si aliquando potes*.
[2] Tres Mss., *tota*.

unde incipiamus, avertimus ab ipsis faciem, et dicimus, Adhuc isti non sapiunt, non capiunt; quidquid illis dixerimus, sinistrum et adversum habebunt. Ergo differendo circa eos Scripturas, suspendimus organa nostra in salicibus: non enim dignos habemus, qui organa nostra portent. Non ergo eis organa nostra inserendo alligamus, sed differendo suspendimus. Salices enim sunt Babyloniæ ligna infructuosa, pasta temporalibus voluptatibus, tanquam fluminibus Babyloniæ.

7. [*vers.* 3.] Et videte si non hoc sequitur Psalmus: *In salicibus*, inquit, *in medio ejus suspendimus organa nostra. Quoniam ibi interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos, verba canticorum; et qui abduxerunt nos, hymnum:* subaudis, *interrogaverunt nos.* Verba canticorum et hymnum interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos. Qui nos duxerunt captivos, fratres? quos sensimus aliquando captivatores nostros? Sensit quidem illa Jerusalem Babylonios, Persas, Chaldæos, et illarum gentium et regionum homines captivatores suos; et hoc postea, non quando isti psalmi cantabantur. Sed jam diximus Charitati vestræ omnia quæ secundum litteram in illa civitate contingebant, figuras nostras fuisse: et facile potest demonstrari captivos nos esse. Non enim respiramus jam in auras illius libertatis; non enim fruimur puritate veritatis, et illa sapientia quæ in seipsa manens innovat omnia (*Sap.* VII, 27). Delectationibus temporalium rerum tentamur, et colluctamur quotidie cum suggestionibus illicitarum voluptatum: vix respiramus vel in oratione; captivos nos esse intelligimus. Sed qui nos captivos duxerunt? qui homines? quæ gens? qui rex? Si redimimur, captivi eramus. Quis nos redemit? Christus. A quo nos redemit? A diabolo. Diabolus ergo et angeli ejus captivos nos duxerunt; nec ducerent nisi consentientes. Nos ducti sumus captivi. Captivatores nostri dixi qui sint. Ipsi sunt etiam latrones vulnerantes illum viatorem qui descendit ab Jerusalem in Jericho; quem sauciatum semivivum reliquerunt. Hunc ille custos noster, id est Samaritanus (Samaritanus enim Custos interpretatur), cui objectum est a Judæis et dictum, *Nonne verum dicimus quia Samaritanus es, et dæmonium habes?* et ille objectorum duorum unum respuit, et unum tenuit: *Ego*, inquit, *dæmonium non habeo* (*Joan.* VIII, 48, 49); non autem dixit, Ego non sum Samaritanus: si enim ille Samaritanus non custodierit, utique perimus: Samaritanus ergo transiens vidit saucium et vulneratum derelictum a latronibus, et sicut nostis, collegit (*Luc.* X, 30-35). Sicut aliquando latronum nomine ponuntur, qui nobis plagas peccatorum inflixerunt, jam per consensionem nostræ captivitatis; sic et captivatores nostri ipsi dicuntur.

8. Isti ergo *qui captivos duxerunt nos*, diabolus et angeli ejus, quando nobis dixerunt, et quando *nos interrogaverunt verba canticorum?* Quid ergo intelligimus? Quia cum tales nos interrogant, in quibus diabolus operatur, intelligendus est ipse nos interrogare, qui in eis operatur. Apostolus dicit: *Et vos cum essetis mortui in delictis et peccatis vestris, cum viveretis in illis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, in quibus et nos*, inquit, *aliquando conversati sumus* (*Ephes.* II, 1-3). Ostendit se redemptum de Babylonia cœpisse jam exire. Sed tamen adhuc quid dicit? Quia cum hostibus nostris confligimus. Et ne irascamur hominibus qui nobis ingerunt persecutiones, tulit intentionem nostram Apostolus ab odio hominum, et direxit in luctam quorumdam spirituum, quos non videmus, et cum ipsis confligimus. Ait enim: *Non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*; id est, adversus homines quos videtis, a quibus mala videmini pati, qui vobis important persecutiones: nam pro ipsis orare præcepti sumus. *Non est vobis*, inquit, *colluctatio adversus carnem et sanguinem*, id est, adversus homines; *sed adversus principes, et potestates, et rectores mundi tenebrarum harum* (*Id.* VI, 12). Quid dixit, *mundi?* Dilectorum mundi. Hos appellavit et tenebras, id est iniquos, sceleratos, infideles, peccatores; quibus jam credentibus gratulatur hoc modo, ut dicat: *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Id.* V, 8). Ergo constituit nos luctam habere cum illis principibus; ipsi nos duxerunt captivos.

9. Quomodo autem diabolus intravit in cor Judæ (*Joan.* XIII, 27), ut traderet Dominum, non autem intraret, nisi ille locum daret; sic multi mali homines de media Babylonia per desideria carnalia et illicita locum dando diabolo et angelis ejus in cordibus suis, ut in illis et de illis operetur, aliquando interrogant nos, et dicunt nobis: Exponite nobis rationem. Pagani plerique dicunt ista nobis: Exponite rationem, quare venit Christus, et quid profuit Christus generi humano? Nonne ex quo venit Christus pejora sunt in rebus humanis, quam fuerunt antea, et feliciores tunc erant res humanæ quam modo? Dicant nobis Christiani quid boni attulit Christus? unde feliciores putent res humanas, quia venit Christus? Vides enim, si theatra et amphitheatra et circi starent incolumes, si nihil caderet de Babylonia, si ubertas esset circumfluentium voluptatum hominibus cantaturis et saltaturis ad turpia cantica, si libido scortantium et meretricantium haberet quietem et securitatem, si non timeret famem in domo sua qui clamat ut pantomimi vestiantur; si hæc omnia sine labe, sine perturbatione aliqua fluerent, et esset securitas magna nugarum, felicia essent tempora, et magnam felicitatem rebus humanis Christus attulisset. Quia vero cæduntur iniquitates, ut exstirpata cupiditate plantetur charitas Jerusalem; quia miscentur amaritudines vitæ temporali, ut æterna desideretur; quia erudiuntur in flagellis homines, paternam accipientes disciplinam, ne judiciariam inveniant sententiam; nihil boni attulit Christus, et labores attulit Christus. Et incipis dicere homini quanta bona fecerit Christus, et non capit. Proponis enim illi eos qui faciunt quod modo audistis in Evangelio, vendunt omnia sua et dant pauperibus, ut habeant thesaurum in cœlis

et sequantur Dominum (*Matth.* XIX, 21): dicis illi, Ecce quod attulit Christus. Quam multi faciunt ista, ut distribuant res suas egenis, et fiant pauperes, non necessitate, sed voluntate, sequentes Deum, sperantes regnum cœlorum! Irrident isti quasi stultos: Et talia, inquiunt, bona attulit Christus, ut perdat homo res suas, et cum dat egenis, remaneat egenus? Quid ergo facies? Bona Christi non capis: alius enim te implevit, qui adversarius est Christo, cui dedisti locum in corde tuo. Priora tempora respicis, et quasi lætiora tibi videntur fuisse tempora pristina, quæ sic erant tanquam olivæ pendentes in arbore, ducentibus ventis, quasi quadam libertate auræ perfruentes vago quodam desiderio suo. Ventum est ut oliva mitteretur in torcular: non enim semper pendere habebat in arbore: jam finis est anni. Non sine causa inscribuntur psalmi quidam, *Pro torcularibus* (*Psal.* VIII, LXXX, *et* LXXXIII): in arbore libertas, in torculari pressura. Cum enim res humanæ conteruntur et premuntur, attendis quia crescit avaritia; attende quia crescit et continentia. Quare tam cæcus es, ut amurcam fluentem per plateas videas, oleum in gemellaria non videas? Et hoc non sine causa. Qui enim male versantur, publice noti sunt; qui autem se convertunt ad Deum, et a sordibus malarum cupiditatum purgantur, occulti sunt: quia et in ipso vel ex ipso torculari amurca aperte fluit, oleum occulte eliquatur.

10. Acclamatis ad ista, et gaudetis ad ista; quia jam potestis sedere super flumina Babylonis, et flere. Illi autem qui captivos duxerunt nos, quando intrant in corda hominum, et interrogant nos per linguas eorum quos possident, et dicunt nobis: *Cantate nobis verba canticorum;* reddite nobis rationem adventus Christi, et quæ est alia vita. Volo credere [1]; doce me rationem quare mihi imperas ut credam. Respondeo illi et dico: O homo, quomodo non vis tibi imperem ut credas? Plenus es malis cupiditatibus: si dicam bona illa Jerusalem, non ea capis; oportet ut exinaniaris quo plenus es, ut possis impleri quo inanis es. Ergo noli facile huic aliquid dicere; lignum est salicis, lignum est sterile: noli percutere organum ut sonet, suspende potius. Sed ille dicturus est: Dic mihi, canta mihi, redde mihi rationem. Non vis, inquit, ut discam [2]? Non bono animo audis, non sic pulsas ut tibi dignum sit aperiri. Ille te implevit qui me captivum duxit, ipse me interrogat de te. Astutus est, dolose quærit: non quærit quid discat, sed quid reprehendat. Ergo ego non dicam, suspendam organum meum.

11. [*vers.* 4.] Sed quid dicturus est adhuc? *Cantate nobis verba canticorum, cantate nobis hymnum, cantate nobis de canticis Sion.* Quid respondemus? Babylonia te portat, Babylonia te continet, Babylonia te nutrit, Babylonia de te loquitur; non nosti capere nisi quod fulget ad tempus, æterna meditari ignoras, non capis quod interrogas. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Vere, fratres, sic est. Incipite velle prædicare veritatem quantulamcumque nostis, et videte quam necesse sit ut tales patiamini irrisores, exactores veritatis, plenos falsitatis. Respondete illis exigentibus a vobis quæ capere non possunt, et dicite ex fiducia sancti cantici vestri, *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*

12. Sed vide quomodo verseris inter eos, o popule Dei, o corpus Christi, o generosa peregrinatio (non es hinc, aliunde es); ne cum illi qui tibi dicunt, *Cantate nobis verba canticorum, dicite nobis hymnum, cantate nobis de canticis Sion*, quasi amantur a te, et affectas amicitias eorum, et times talibus displicere; incipiat te delectare Babylonia, et obliviscaris Jerusalem. Hoc ergo timens vide quid subjiciat, vide quid sequatur. Passus est enim homo iste qui cantabat; et iste homo nos sumus, si volumus: passus est undique talia interrogantes et adulatione blandientes, mordaciter reprehendentes, falso laudantes, quod non capiunt exigentes, quo pleni sunt fundere nolentes; et inter turbas talium tanquam periclitans, erexit animum ad recordationem Sion, et constrinxit se talis anima juratione quadam, et ait: *Si oblitus tui fuero, Jerusalem;* inter verba captivantium, inter verba dolosorum, inter verba male interrogantium, quærentium et discere nolentium.

13. Ecce inde erat dives ille [1] qui Dominum interrogavit: *Magister bone, quid faciam ut vitam æternam consequar?* Nonne de vita æterna quærens, quasi canticum Sion interrogavit? *Serva mandata*, ait illi Dominus Et ille de fastu, cum audisset, *Jam omnia hæc*, inquit, *implevi a juventute mea.* Et Dominus dixit illi quiddam de canticis Sion, et noverat quod non caperet; sed exemplum dedit nobis, quomodo multi quærant quasi consilium ad vitam æternam, et tamdiu nos laudent, quamdiu respondeamus quod quærunt. Dedit de illo documentum, tanquam nobis dicturis aliquando talibus hominibus, *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Ecce ait: *Vis esse perfectus? Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me.* Ut discat multa cantica de canticis Sion, prius impedimenta rejiciat, expeditus ambulet, ne ullo onere prægravetur; et discet aliquid de canticis Sion. Ille autem contristatus abscessit. Dicamus post illum, *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Et ille quidem discessit; spem tamen divitibus Dominus dedit. Nam contristati discipuli dixerunt: *Quisnam potest salvus fieri?* Et respondit eis: *Quod hominibus impossibile est, facile est Deo* (*Matth.* XIX, 16-26). Habent enim et divites quemdam modum suum, et acceperunt canticum de Sion, canticum de quo Apostolus dicit: *Præcipe divitibus hujus sæculi non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum.* Adjungens quid debeant

[1] Sic Er. et plerique Mss. At Am. et Lov., *nolo credere.*
[2] Sic aliquot Mss. At Am. et Er. cum quatuor Mss.: *Non vis, inquit, ut dicam.* Lov.: *Novi quis dicat.*

[1] Sic Corb. Ms. At Edd., *dives ille.* Plerique Mss., *dives et ille.*

agere, jam tangit organum, non suspendit: *Divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurisent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam* (I *Tim.* VI, 17-19). Hoc canticum de canticis Sion divites acceperunt, primo, *non superbe sapere.* Extollunt enim divitiæ; et quos extollunt, flumina illa tollunt [1]. Quid ergo his præcipitur? Ante omnia, *non superbe sapere.* Quod faciunt divitiæ, hoc caveant in divitiis; caveant in divitiis superbiam. Ipsum enim malum est quod important maxime divitiæ incautis hominibus. Non enim aurum malum est, quod Deus condidit; sed malus est homo avarus relinquens Creatorem, conversus ad creaturam. Hoc ergo ibi præcaveat, ne sit superbus, et super fluvium Babylonis sedeat. Hoc illi enim dictum est, *Non superbe sapere:* ergo sedeat. *Neque sperare in incerto divitiarum:* ergo super flumina Babylonis sedeat. Si enim speravit in incerto divitiarum, trahitur a flumine Babylonis. Si vero humiliaverit se, et non superbierit, et non speraverit in incerto divitiarum, sedet super fluvium, suspirat æternæ Jerusalem recordatus Sion; et ut perveniat ad Sion, erogat. Ecce habes canticum quod divites acceperunt de canticis Sion. Operentur, tangant organum, non vacent, cum invenerint hominem dicentem sibi: Quid est quod facis? perdis res tuas tanta erogando; thesauriza filiis tuis. Cum viderint non capere, et intellexerint lignum esse salicis, non facile dicant quare agant, et quid agant, suspendant organa in salicibus Babylonis. Præter salices autem cantent, non cessent, operentur. Non enim perdunt quod erogant. Servo commendant, et tutum est; Christo commendant, et perit?

14. Audistis canticum divitum de canticis Sion; audite et canticum pauperum. Idem Paulus loquitur: *Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre aliquid possumus: victum et tegumentum habentes, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et desideria multa, stulta et noxia, quæ mergunt hominem in interitum et perditionem.* Hæc sunt flumina Babylonis. *Radix est enim omnium malorum avaritia; quam quidam appetentes naufragaverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis* (*Ibid.*, 7-10). Ergo contraria sunt ista cantica? Non sunt contraria. Videte quid divitibus dictum sit: *Non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum* [2], bona operari, tribuere, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum. Pauperibus autem quid dictum est? *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem.* Non dixit, qui divites sunt; sed, *Qui volunt divites fieri.* Nam si jam divites essent, alterum canticum audirent: dives audit ut eroget, pauper audit ne desideret.

15. [*vers.* 5.] Sed cum inter tales versamini, qui non capiunt canticum Sion, suspendite, ut dixi, organa in salicibus in medio ejus; differte quæ dicturi estis. Incipiunt esse ligna fructuosa, mutantur arbores, et habebunt fructum bonum: ibi jam licet nobis cantare in aures audientium. Sed cum inter istos obstrepentes, male interrogantes, veritati resistentes versamini, obstringite vos non eis velle placere, ne obliviscamini Jerusalem; et dicat una anima vestra, facta una ex multis pace Christi, dicat ipsa captiva Jerusalem hic agens in terra: *Si oblitus tui fuero, Jerusalem, obliviscatur me dextera mea.* Vehementer se constrinxit, fratres mei: *Obliviscatur me dextera mea;* atrociter se obligavit. Dextera nostra est vita æterna, sinistra nostra est vita temporalis. Quidquid facis propter vitam æternam, dextera operatur. Si charitati vitæ æternæ in operibus tuis miscueris concupiscentiam vitæ temporalis, aut laudis humanæ, aut alicujus commodi sæcularis; cognovit sinistra tua quid faciat dextera tua. Et nostis esse in præcepto Evangelii, *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Matth.* VI, 3). *Si oblitus* ergo, inquit, *tui fuero, Jerusalem, obliviscatur me dextera mea.* Et vere sic contingit: prænuntiavit, non optavit, Talibus qui obliviscuntur Jerusalem, hoc contingit quod dixit; obliviscitur illos dextera eorum: vita enim æterna manet in se; illi remanent in delectatione temporali, et faciunt sibi dextrum quod sinistrum est.

16. Intendite ad ista, fratres; propter dexteram insinuem hoc vobis, quantum Dominus donat, ad salutem omnium. Meministis fortasse hic [1] me aliquando tractasse de quibusdam, qui quod sinistrum est, faciunt dextrum; id est, qui temporalia bona plus habent, et in istis beatitudinem ponunt, ignorantes quæ sit vera felicitas, vera dextera (*a*). Hos Scriptura filios alienos dicit, tanquam cives non Jerusalem, sed Babyloniæ: dicit enim quodam loco psalmus, *Domine, libera me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.* Sequitur enim, et dicit: *Quorum filii eorum sicut novellæ constabilitæ; filiæ eorum ornatæ sicut similitudo templi; cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc; oves eorum fecundæ, multiplicantes in exitibus suis; boves eorum crassæ: non est ruina sepis, nec clamor in plateis eorum.* Numquid habere istam felicitatem, hoc est peccare? Non; sed facere illam dexteram, cum sit sinistra. Propterea secutus, quid ait? *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Ecce unde locutum est os eorum vanitatem, quia beatum dixerunt populum cui hæc sunt. Tu quidem civis es Jerusalem [2], qui non oblivisceris Jerusalem, ne obliviscatur te dextera tua; ecce illi qui locuti sunt vanitatem, beatum dixerunt populum cui hæc sunt: dic mihi tu canticum Sion. *Beatus*, inquit, *populus cujus Dominus Deus ipsius* (*Psal.* CXLIII, 11-15). Interrogate corda vestra, fratres, si desideratis bona Dei, si desideratis civitatem illam Jerusalem, si concupiscitis vitam æternam. Omnis ista terrena felicitas sinistra vobis sit; illa sit dextera quam semper habebitis: et si habueritis sinistram, nolite de sinistra præsumere. Nonne corripis eum qui de sinistra voluerit manducare? Si mensæ tuæ injuriam putas fieri

[1] Sic Corb. Ms. Alii cum Edd., *extollunt.*
[2] Lugd. Ven. et Lov. sic legunt: *divitiarum; sed magis bona operari, etc.* M.

[1] Am. et septem Mss., *hinc.*
[2] Sic Regius codex. Alii vero Mss. cum Edd., *qui docebis Jerusalem.*
(*a*) In Psalm. CXX, n. 8.

manducante conviva de sinistra; quomodo non fit injuria mensæ Dei, si quod dextrum est, sinistrum feceris, et quod sinistrum est, dextrum feceris? Quid ergo? *Si oblitus tui fuero, Jerusalem, obliviscatur me dextera mea.*

17. [*vers* 6.] *Adhæreat lingua mea faucibus meis, nisi tui meminero.* Id est, obmutescam, inquit, nisi tui meminero. Utquid enim loquitur, utquid sonat, qui cantica Sion non sonat? Ipsa est lingua nostra, canticum Jerusalem. Canticum dilectionis [1] sæculi hujus, lingua aliena, lingua barbara est, quam in captivitate didicimus. Ergo mutus erit Deo, qui oblitus fuerit Jerusalem. Et parum est meminisse; nam et hostes meminerunt ejus, volentes eam evertere. Quæ est civitas ista, dicunt? qui sunt Christiani? et quales sunt Christiani? O si non essent Christiani! Vicit jam captiva turba captivatores suos, et tamen murmurant, et sæviunt, et volunt interficere apud se peregrinantem sanctam civitatem: sicut voluit ipsum populum interficere Pharao, quando masculos occidebat natos, et feminas relinquebat; virtutes præfocabat, concupiscentias nutriebat. Parum ergo est meminisse: vide quomodo memineris. Quædam enim cum odio meminimus, quædam cum amore. Cum ergo dixisset, *Si oblitus tui fuero, Jerusalem, obliviscatur me dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, nisi tui meminero*; addidit statim, *Si non præposuero Jerusalem in principio jucunditatis meæ.* Ibi est enim summa jucunditas, ubi Deo perfruimur, ubi de fraternitate cohærente et civica societate securi sumus. Nullus ibi tentator nos violabit, nullus vel ad aliquam illecebram percellere poterit, nihil ibi delectabit nisi bonum. Morietur ibi omnis necessitas, orietur ibi summa felicitas. *Si non præposuero Jerusalem in principio jucunditatis meæ.*

18. [*vers.* 7.] Et convertit se ad Dominum contra hostes ipsius civitatis: *Memento, Domine, filiorum Edom.* Edom ipse dictus est qui et Esau: audistis enim modo cum Apostolus legeretur, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Duo filii erant in uno utero, ambo gemini, in utero Rebeccæ, filii Isaac, nepotes Abrahæ: nati sunt ambo; unus ad hæreditatem, alter ad exhæredationem. Fuit autem hostis fratris sui iste Esau, quia prævenit benedictionem ejus filius minor; et impletum est, *Major serviet minori* (*Rom.* IX, 10-13; *Gen.* XXV, 23). Major ergo quis est, et minor quis est, et quis est major qui serviet minori, modo intelligimus. Major videbatur populus Judæorum, minor ex tempore populus Christianorum. Et videte quomodo major servit minori. Illi portant Codices nostros; nos vivimus de Codicibus ipsorum. Sed ut generaliter de omnibus intelligatis, fratres, majorem et minorem; major dicitur homo carnalis, et minor dicitur homo spiritualis; quia prius est carnalis, et postea spiritualis. Habes Apostolum aperte dicentem: *Primus homo de terra, terrenus; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem ejus qui de cœlo est.* Ibi autem supra dixerat: *Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale; postea, spirituale* (I *Cor.* XV, 46-49). Animalem autem eumdem dicit, quem carnalem ostendit. Homo qui nascitur, animalis esse incipit carnalis esse incipit. Si se convertat a captivitate Babyloniæ in reditum Jerusalem, renovatur, et fit renovatio quædam secundum novum et interiorem hominem; et fit minor tempore, major potestate. Ergo Esau omnes carnales, Jacob autem omnes significat spirituales: minores electi, majores illi reprobati. Vult et ipse eligi? Fiat minor. Edom autem appellatus est de cibo quodam lenticulæ rubro, id est roseo quodam cibo. Bene cocta erat lenticula defricata; concupivit iste Esau a fratre suo Jacob, et cessit illi primatum suum, victus concupiscentia manducandæ illius lenticulæ. Ille autem cessit cibum voluptatis, et sumpsit honorem dignitatis. Ita ex placito quodam inter eos factum est ut ille major, ille minor sit, ut major serviret minori; et appellatus est Edom (*Gen.* XXV, 29-34; et XXVII, 36, 37). Interpretatur autem, quantum dicunt qui illam linguam noverunt, Edom, Sanguis: nam et Punice Edom, sanguis dicitur. Noli mirari[1]: ad sanguinem pertinent omnes carnales. *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* (I Cor XV, 50). Non illuc pertinet Edom; pertinet illuc Jacob, qui caruit cibo carnali, et sumpsit honorem spiritualem. Ille vero factus est inimicus. Omnes carnales spiritualibus inimici sunt: omnes tales concupiscentes præsentia, insequuntur eos quos vident meditari æterna. Contra hos iste respiciens in Jerusalem, et rogans Deum ut eruatur a captivitate, quid dicit? *Memento, Domine, filiorum Edom.* Libera nos a carnalibus, ab eis qui imitantur illum Edom, qui fratres majores sunt, sed hostes sunt. Prius nati sunt; sed posterius nati vicerunt ad primatum: quia concupiscentia carnis illos dejecit; contempta concupiscentia istos erexit. Vivunt [2], et invident, et persequuntur.

19. *Memento, Domine, filiorum Edom, in diem Jerusalem.* Diem Jerusalem quo laboravit, quo captivata est; an diem illum felicitatis Jerusalem, quo liberatur, quo pervenit, quo æternitati sociatur? *Memento*, inquit, *Domine*, noli oblivisci, *filiorum Edom.* Quorum? *Dicentium, Evacuate, evacuate, usque dum fundamentum in ea.* Istum ergo diem memento, quando evertere volebant illi Jerusalem. Quantas enim persecutiones passa est Ecclesia! Quomodo dicebant filii Edom, id est carnales homines, subditi diabolo et angelis ejus, colentes lapides et ligna, sequentes concupiscentias carnis: Exstinguite Christianos, tollite Christianos, nec unus remaneat; evertite usque ad fundamentum! Nonne dicta sunt hæc? Et cum ista dicerentur, persequentes improbati sunt, martyres coronati sunt. *Dicentium, Evacuate, evacuate, usque dum fundamentum in ea.* Filii Edom dicunt, *Evacuate, evacuate*; et Deus dicit, Servite. Cujus verba possunt superare, nisi Dei, qui dixit, *Quia major serviet minori?*

[1] Sic plures Mss. At Edd., *delectationis.*

[1] Am. et plerique Mss., *Noli mirari, si ad sanguinem*, etc.
[2] Plures Mss., *Vident.* Et quidam, *Livent.*

Evacuate, evacuate, usque dum fundamentum in ea.

20. [*vers.* 8.] Et convertit se ad illam : *Filia Babylonis infelix.* Infelix ipsa exsultatione tua, ipsa præsumptione tua, et inimicitiis tuis : *Filia Babylonis infelix.* Civitas ipsa dicitur Babylon et filia Babylonis : quomodo Jerusalem et filia Jerusalem, et quomodo Sion et filia Sion, hoc more appellatur Ecclesia et filia [1] Ecclesiæ. Propter successionem dicitur filia, propter prælationem dicitur mater. Fuit prima quædam Babylonia ; numquid ipse populus in ea permansit? Per successionem Babyloniæ facta est filia Babylonis. O *filia Babylonis infelix* tu ! *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam.* Infelix tu, beatus ille.

21. [*vers.* 9.] Quid enim tu fecisti, et quid retribuetur tibi ? Audi : *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis.* Quam retributionem dicit? Ad hoc claudit Psalmus : *Beatus qui tenebit et elidet infantes tuos ad petram.* Illam dicit infelicem, beatum autem qui retribuet ei retributionem quam retribuit nobis. Quærimus, quam retributionem : *Beatus*, inquit, *qui tenebit et elidet infantes tuos ad petram.* Ipsa est retributio. Quid enim fecit nobis Babylonia ista ? Jam cantavimus in illo psalmo : *Sermones iniquorum prævaluerunt adversus nos* (*Psal.* LXIV, 4). Quando enim nati sumus, parvulos nos invenit ista confusio sæculi hujus ; et offocavit nos errorum diversorum vanis opinionibus adhuc infantes. Natus infans futurus civis Jerusalem, et in prædestinatione Dei jam civis, sed interim captivatus ad tempus, quando discit amare, nisi quod insusurraverint parentes [2]? Instruunt et docent illum avaritiam, rapinas, mendacia quotidiana, diversas culturas idolorum et dæmoniorum, remedia illicita præcantationum et ligaturarum. Quid facturus est adhuc infans, anima tenera, attendens ad majores quid agant, nisi ut quod eos viderit agere hoc sequatur ? Babylonia ergo persecuta est parvulos nos; sed Deus dedit nobis agnitionem sui jam grandibus, ut non sequeremur errores parentum nostrorum. Quod et tunc commemoravi (*a*) prædictum a propheta : *Ad te gentes venient ab extremo terræ, et dicent, Vere mendacium coluerunt* [3] *patres nostri, vanitatem quæ illis non profuit* (*Jerem.* XVI, 19). Jam juvenes dicunt, qui occisi erant parvuli sequendo ipsas vanitates : projiciendo autem vanitates, et reviviscendo in Deum proficiant, et retribuant [4] Babyloniæ. Qualem retributionem ei retribuent? Quam retribuit nobis. Parvuli ejus vicissim offocentur; imo parvuli ejus vicissim elidantur, et moriantur. Qui sunt parvuli Babyloniæ? Nascentes malæ cupiditates. Sunt enim qui cum vetere cupiditate rixantur. Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat adversum te mala consuetudo, cum parvula est cupiditas, nequaquam pravæ consuetudinis robur accipiat; cum parvula est, elide illam. Sed times ne elisa non moriatur ; *ad petram* elide : *Petra autem erat Christus* (1 *Cor.* X, 4).

22. Fratres, organa in operando non cessent; vobis invicem cantate cantica Sion. Quam libenter audistis, tam libentius agite quod audistis ; si non vultis esse salices Babyloniæ, pasti de fluminibus ejus, et fructum nullum afferentes. Sed suspirate in æternam Jerusalem ; quo præcedit spes vestra, sequatur [1] vita vestra : ibi erimus cum Christo. Christus nobis modo caput est ; gubernat nos modo desuper : amplectetur secum in illa civitate ; æquales erimus Angelis Dei. Non auderemus hoc suspicari de nobis, nisi promitteret Veritas. Hoc ergo concupiscite, fratres, hoc die noctuque cogitate. Quidquid de mundo feliciter arriserit, nolite præsumere : nolite libenter colloqui cum cupiditatibus vestris. Hostis major est, occidatur ad petram : brevis hostis est, elidatur ad petram. Et majores ad petram occidite, et minores ad petram elidite. Petra vincat. In petra ædificamini, si non vultis tolli aut a fluvio, aut a ventis, aut a pluvia. Si vultis armati esse contra tentationes in sæculo, crescat et roboretur desiderium Jerusalem æternæ in cordibus vestris. Transiet captivitas, veniet felicitas, damnabitur hostis extremus, et cum rege sine morte triumphabimus.

IN PSALMUM CXXXVII
ENARRATIO.
SERMO (*a*).

1. [*vers.* 1.] Titulus psalmi hujus brevis et simplex est, neque nos tenet, scientes cujus figuram portaverit David, et in eo etiam nos ipsos agnoscentes, quia et nos membra sumus illius corporis. Agnoscamus ergo hic vocem Ecclesiæ, simulque gaudeamus quod in ea esse meruimus, cujus vocem cantantis audivimus. Totus titulus est, *Ipsi David.* Videamus ergo quid ipsi David.

2. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Solet nobis Psalmi titulus indicare quid agatur intus : hic autem quoniam titulus non hoc indicat, sed tantum cui cantetur indicat ; quid agatur in toto Psalmo primus versus annuntiat, *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Hanc ergo confessionem audiamus. Sed prius commemoro vos confessionem in Scripturis, cum confitemur Deo, duobus modis dici solere, vel peccatorum, vel laudis. Sed confessionem peccatorum omnes noverunt; laudis autem confessionem pauci advertunt. Nam ita nota est confessio peccatorum, ut in quocumque Scripturarum loco auditum fuerit, *Confitebor tibi, Domine ;* aut, *Confitebimur tibi ;* continuo jam consuetudine sic intelligendi, manus currant ad pectus tundendum ; usque adeo non solent homines intelligere confessionem esse nisi peccatorum. Sed numquid et ipse Dominus noster Jesus Christus peccator fuit, qui ait in Evangelio : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ ?* Secutus enim ait quid confiteretur; ut intelligeremus confessionem

[1] Plerique Mss., *filii.*
[2] Er. Lugd. Ven. et Lov., *Nascitur infans... amare quod insusurraverint parentes.* M.
[3] Mss., *possederunt :* juxta Græcum LXX, *ektêsanto.*
[4] Er. Lugd. Ven., *proficient, et retribuent.* M.
(*a*) In Psal. LXIV, n. 6.

[1] Am. et aliquot Mss., *sequetur.* Et quidam, *sequitur.*
(*a*) Ad plebem habitus, in solemnitate Crispinæ Martyris.

laudis, non iniquitatis: *Confiteor*, inquit, *tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI, 25). Laudavit Patrem, laudavit Deum, quia non despicit humiles, sed despicit superbos. Et hic talem confessionem audituri sumus, laudis Dei, et gratulationis. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Totum cor meum in aram tuæ confessionis impono, holocaustum laudis tibi offero. Holocaustum enim dicitur sacrificium ubi totum incenditur: græce quippe ὅλον, latine totum dicitur. Vide quemadmodum offerat holocaustum spirituale, qui dicit, *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Totum, inquit, cor meum flamma tui amoris accendat: nihil in me relinquatur mihi, nec quo respiciam ad meipsum; sed totus in te æstuem, totus in te ardeam, totus diligam te, tanquam inflammatus abs te. *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo; quoniam audisti verba oris mei.* Cujus *oris mei*, nisi cordis mei? Ibi enim habemus vocem, quam Deus exaudit, quam prorsus auris humana non novit. Clamabant certe qui Susannam accusabant, et ad cœlum oculos non levabant; illa tacebat, et corde clamabat: unde illa meruit exaudiri, inde isti puniri (*Dan.* XIII). Est ergo os intus; ibi rogamus, inde rogamus: et si hospitium vel domum Deo præparavimus, ibi loquimur, ibi exaudimur. Non enim est ille longe ab unoquoque nostrum positus, in quo vivimus, movemur et sumus (*Act.* XVI, 27 *et* 28). Longe te a Deo non facit, nisi iniquitas sola: dejice medium parietem peccati, et cum illo es quem rogas. *Audisti*, inquit, *verba oris mei; confitebor tibi.*

3. *Et coram Angelis psallam tibi.* Non coram hominibus psallam, sed coram Angelis psallam. Psalterium meum, gaudium meum: sed gaudium meum de inferioribus, coram hominibus est; gaudium meum de superioribus, coram Angelis est. Non enim novit impius gaudium justi: *Non est gaudere impiis, dicit Dominus* (*Isai.* XLVIII, 22; *et* LVII, 21). Gaudet iniquus in popina [1], gaudet martyr in catena. Quomodo gaudebat sancta ista Crispina cujus hodie solemnitas celebratur (*a*)? Gaudebat cum tenebatur, cum ad judicem ducebatur, cum in carcerem mittebatur, cum ligata producebatur, cum in catasta levabatur, cum audiebatur, cum damnabatur; in his omnibus gaudebat: et eam miseri miseram putabant, quæ coram Angelis gaudebat.

4. [*vers.* 2.] *Adorabo ad templum sanctum tuum.* Quod templum sanctum tuum? Ubi habitabimus [2], ubi adorabimus. Currimus enim, ut adoremus. Gravidum cor nostrum parturit, et ubi pariat quærit. Quis est ille locus ubi adorandus est Deus? qui mundus? quod ædificium? quæ denique sedes in cœlo et inter stellas? Quærimus in Scripturis sanctis, et invenimus in verbis Sapientiæ: *Ego*, inquit, *eram cum illo; ego eram ad quam adgaudebat quotidie.* Et dicit opera ejus, et exponit nobis sedem ipsius. Quam? *Quando validas*, inquit, *faciebat in summo nubes quando sedem suam segregabat super ventos* (*Prov.* VIII, 30, 27, 28). Sedes autem ejus templum ejus. Quo ergo ibimus? Super ventos adoraturi sumus? Si super ventos adoratur, aves nos vincunt. Si autem intelligamus ventos animas, id est, ventorum nomine significatas animas, sicut ait quodam loco Scriptura, *Volavit super pennas ventorum* (*Psal.* XVII, 11); hoc est, super virtutes animarum: unde et flatus Dei dicitur anima (*Gen.* II, 7), tanquam ventus, non ut iste intelligatur ventus quo corpus propellente sentimus, sed ut ejus nomine significetur aliquid invisibile, quod neque oculis cerni potest, nec sentiri auribus, nec odoratu duci, nec palato gustari, nec manu contrectari; quod est utique vita quædam, qua vivimus, quæ anima dicitur: si hos ventos intellexerimus, non est quare quæramus pennas visibiles, ut cum avibus volemus ad adorandum ad templum Dei; sed super nos ipsos inveniemus Deum sedere, si ejus fideles esse voluerimus. Videte si hoc non est: *Templum enim Dei sanctum est*, ait Apostolus, *quod estis vos* (1 *Cor.* III, 17). Certe tamen, quod manifestum est, in Angelis habitat Deus. Ergo cum gaudium nostrum de spiritualibus rebus, non de terrenis bonis assumit canticum Deo, ut psallat coram Angelis; ipsa congregatio Angelorum templum Dei est, adoramus ad templum Dei. Ecclesia deorsum, et Ecclesia sursum: Ecclesia deorsum in omnibus fidelibus, Ecclesia sursum in omnibus Angelis. Sed descendit ad Ecclesiam deorsum Dominus Angelorum, et ei Angeli in terra ministraverunt ministranti nobis (*Matth.* IV, 11). *Non enim veni*, inquit, *ministrari, sed ministrare* (*Id.* XX, 28). Quid nobis ministravit, nisi quod hodieque manducamus [1] et bibimus? Cum ergo Dominus Angelorum nobis ministrarit, non desperemus nos futuros æquales Angelis. Major enim Angelis descendit ad hominem, et Creator Angelorum suscepit hominem, Dominus Angelorum mortuus est pro homine. *Adorabo* ergo *ad templum sanctum tuum*: intelligo templum tuum non manu factum, sed quod tu fecisti tibi.

5. *Et confitebor nomini tuo, in misericordia tua et veritate tua.* In duobus istis confitemur: sic enim et in alio psalmo legitur, *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10). In duobus istis confitemur; *in tua misericordia, et in tua veritate.* Misericordia peccatorem respexisti, veritate promissionem reddidisti. *In tua* ergo *misericordia et veritate* confitebor tibi. Has etiam ego pro meis viribus reddo, quas mihi donasti, faciens misericordiam et veritatem; misericordiam in subveniendo, veritatem in judicando. His adjuvamur a Deo, his promeremur Deum. Merito ergo *misericordia et veritas universæ viæ Domini.* Non sunt aliæ viæ, quibus ad nos veniat [2], non sunt aliæ viæ, quibus ad illum veniamus.

6. *Quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.* Qualis ista gratulatio, fratres? Magnificavit

[1] Am. Er. et plures Mss., *in pompa.*
[2] Aliquot Mss., *habitas.*
(*a*) In ejusdem natali habitus est sermo in Psal. CXX ut videre est supra, col. 1603.

[1] Tres Mss., *manducavimus.*
[2] Am. et aliquot Mss., *venit.*

nomen suum sanctum super Abraham. Credidit enim Abraham Deo, et deputatum est illi ad justitiam (*Gen.* xv, 6; *Rom.* iv, 3). Cæteræ omnes gentes idolis immolabant, dæmonibus serviebant. Natus est ex Abraham Isaac; magnificatus est super illam domum Deus: inde Jacob; magnificatus est Deus, qui dicit, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* iii, 6): inde duodecim filii, inde populus Israel liberatus ab Ægypto, ductus per mare Rubrum, exercitatus in eremo, ejectis Gentibus in terra promissionis collocatus est. Magnificatum est nomen Domini super Israel. Sed inde et virgo Maria, inde Dominus Christus, mortuus propter peccata nostra, resurgens propter justificationem nostram (*Rom.* iv, 25), implens fideles Spiritu sancto, mittens prædicari per gentes, *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cælorum* (*Matth.* iii, 2): et ecce magnificavit super omne, nomen sanctum suum.

7. [*vers.* 3.] *In quacumque die invocavero te, cito exaudi me.* Quare, *cito?* Quia tu dixisti, *Adhuc loquente te dicam, Ecce adsum* (*Isai.* lviii, 9). Quare, *cito?* Quia jam non peto felicitatem terrenam, didici sanctum desiderium de novo testamento. Non peto terram, non fecunditatem carnalem, non salutem temporalem, non inimicorum subjectionem, non divitias, non honores; nihil horum peto: ideo *cito exaudi me.* Quia docuisti quid petam, da quod peto. Dicamus huic: Tale aliquid petis? Audiamus nos, eructet petitionem suam, et videamus quid petat; et discamus per eum petere, ut mereamur accipere. Veneras ad Ecclesiam, nescio quid hodie petiturus, Quid putamus veneras petiturus? Veneras cum desiderio tuo, nescio quo, utinam innocenti, etsi carnali. Sed remove iniquitatem, remove carnalitatem; disce quid petas, quid hodie celebres attende. Natalitium sanctæ et beatæ feminæ celebras, et forte felicitatem [1] terrenam desideras. Illa propter desiderium sanctum dimisit felicitatem quam habebat in terra; dimisit filios flentes et tanquam crudelem matrem dolentes, quia velut perdiderat humanam misericordiam, quæ ad divinam festinabat coronam. Nesciebat vero illa quid desideraret, quid calcaret? Imo vero noverat psallere coram Angelis Dei, eorumque desiderare consortium, amicitiam sanctam et puram, ubi ulterius non moreretur, ubi judicem nosset apud quem non valere posset mendacium. Quid ergo? in illa vita nulla sunt bona? Imo vero ibi sola sunt bona, non malis mixta bona; securitates [2] in quibus gaudeas quantum vis, et nemo dicat tibi, Tempera te. Hic autem de bonis terrenis gaudere molestum est, et periculosum nimis; ne sic gaudeas ut hæreas, et gaudendo male pereas [3]. Nam unde Deus miscet tribulationes gaudiis terrenis, nisi ut tribulationem sentientes et amaritudinem, discamus æternam desiderare dulcedinem?

[1] Aliquot Mss., *celebritatem.*
[2] Plerique Mss., *non malis mixta : bona securitatis, in quibus,* etc.
[3] Am. et plures Mss., *hæreas.* Forte leg., *et hærendo male pereas.*

8. Quid ergo petit, videamus; quo merito dixerit, *Cito exaudi me.* Quid enim petis, ut cito exaudiaris? *Multiplicabis me.* Multis modis multiplicatio intelligi potest. Est multiplicatio terrenæ generationis, secundum primam naturæ nostræ benedictionem, quam audivimus: *Crescite, et multiplicamini, et implete terram, et dominamini ejus* (*Gen.* i, 28). Sicne ille volebat multiplicari, qui dicebat, *Cito exaudi me?* Et ista plane multiplicatio fructuosa est, et non venit nisi de benedictione Domini. Jam quid dicam de aliis multiplicationibus? Multiplicatus est ille auro, ille argento, ille pecore, ille familia, ille possessionibus, ille his omnibus. Multæ sunt terrenæ multiplicationes; felicior autem filiorum: quanquam hominibus avaris etiam ipsa fecunditas molesta est. Timent enim ne pauperes relinquantur, qui multi nasci potuerunt. Quæ sollicitudo plerosque ad impietatem coegit, ut obliviscerentur quod parentes essent, omnique humanitatis affectu exspoliati, exponerent filios suos, ut eos facerent alienos; projiceret quæ peperit, colligeret quæ non peperit; illa contemneret, illa diligeret; illa frustra mater carne, illa verior voluntate. Cum ergo sint multæ multiplicationes, et multa genera multiplicationum, quam multiplicationem quærit qui dixit, *Cito exaudi me?* Ait enim, *Multiplicabis me.* Exspectamus audire in quibus. Audi ergo: *In anima mea.* Non in carne mea, sed *in anima mea: Multiplicabis me in anima mea.* Estne adhuc quod addatur, ne forte et multiplicatio in anima non continuo felicitatem significet? Etenim curis [1] homines in anima multiplicantur. Multiplicatus videtur in anima, in quo etiam multiplicata sunt vitia. Ille tantummodo avarus est, ille tantummodo superbus, ille tantummodo luxuriosus; iste et avarus, et superbus, et luxuriosus: multiplicatus est in anima sua, sed malo suo. Multiplicatio ista egestatis est, non ubertatis. Ergo quid tu qui dixisti, *Cito exaudi me,* et te abstulisti ab omni corpore, ab omni terrena re, ab omni desiderio sæculari, ut diceres Deo, *Multiplicabis me in anima mea?* Adhuc explana quid desideres. *Multiplicabis me,* inquit, *in anima mea, virtute.* Expressum votum, expressum desiderium, ab omni confusione circumcisum. Si diceret, *Multiplicabis me;* terrena nescio quæ cogitares: addidit, *in anima mea.* Rursus, ne in anima vitia cogitares, addidit, *virtute.* Nihil est quod amplius a Deo desideres, si vis bona et vera fronte dicere, *Cito exaudi me.*

9. [*vers.* 4.] *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ.* Ita fiet, et ita fit, et quotidie fit; et ostenditur non frustra dictum, nisi quia erat futurum. *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ.* Sed et ipsi cum tibi confitentur, cum laudant te, non terrena desiderint a te. Quid enim reges terræ desideraturi sunt? Nonne jam habent ipsum imperium? Quidquid amplius desideraverit homo in terra, usque ad imperium est desiderium ejus. Quid amplius potest? Altior sublimitas necessaria est. Sed fortasse quanto altior,

[1] Hic Fr. et Lov. addunt, *et furiis:* quod ab Am. et Mss. abest.

tanto periculosior. Ideoque reges quanto sunt in majore sublimitate terrena, tanto magis humiliari Deo debent. Utquid faciunt [1]? *Quoniam audierunt omnia verba oris tui!* O Domine, *omnia verba oris tui!* Nescio in qua gente abscondita erant Lex et Prophetæ, *omnia verba oris tui*. Sed in gente Judæorum sola erant *omnia verba oris tui*: quam gentem laudans Apostolus ait, *Quid ergo amplius est Judæo? aut quæ utilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei* (*Rom.* III, 1 *et* 2). Ibi erant verba Dei. Sed da mihi illum Gedeon quemdam sanctum virum tempore Judicum; videte quale signum petivit a Domino: *Ponam*, inquit, *vellus in area; compluatur vellus, area sicca sit*. Et factum est: compluitum est vellus solum, area sicca erat. Petiit iterum signum: *Area tota compluta sit, et solum vellus siccum inveniatur*. Et hoc factum est: compluta est area, sicco vellere (*Judic.* VI, 36-40). Primo complutum vellus, sicca area; postea compluta area, sicco vellere. Quid vobis videtur area, fratres? Nonne orbis terrarum? Quid vellus? Tanquam gens Judæa in medio orbe terrarum, habens gratiæ sacramentum, non in manifestatione, sed in nube secreti, tanquam in velamento pluviam [2] in vellere. Venit tempus quando revelaretur pluvia in area; manifestata est, non operta. Factum est ergo quod dictum est, *Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ; quoniam audierunt omnia verba oris tui*. Quid est, Israel, quod abscondebas? quamdiu abscondebas? Expressum est vellus, et exiit de te pluvia. Solus Christus suavitas pluviæ: ipsum solum non agnoscis in Scripturis, propter quem factæ sunt Scripturæ. At vero *omnes reges terræ confiteantur tibi, Domine; quoniam audierunt omnia verba oris tui*.

10. [*vers.* 5.] *Et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini*. Cantent in viis Domini reges terræ. In quibus viis cantent? De quibus supra dictum est, *In misericordia tua et veritate tua;* quoniam *universæ viæ Domini misericordia et veritas*. Non ergo sint reges terræ superbi, sed humiles sint. Tunc cantent in viis Domini, si humiles sint: ament, et cantabunt. Novimus viatores cantatores; cantant, et pervenire festinant. Sunt cantica mala tanquam veteris hominis; sed canticum novum pertinet ad hominem novum. Ambulent ergo et reges terræ in viis tuis, ambulent et cantent in viis tuis. Quid cantent? *Quoniam magna est gloria Domini;* non regum.

11. [*vers.* 6.] Vide quomodo reges voluit cantare in viis, humiliter portantes Dominum, non se extollentes adversus Dominum. Nam si se extulerint, quid sequitur? *Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit*. Volunt ergo reges respici? Humiles sint. Quid? si se extulerint in superbiam, latere ipsius oculos possunt? Ne forte quia audisti, *humilia respicit*, superbus velis esse, et dicas in anima tua: Humiles respicit Deus, me non respicit; faciam quod volo. Quis enim me videt? hominem latet; Deus non vult me videre, quia humilis non sum, ille autem humilia respicit: quod volo facio. O importune, numquid hoc diceres, si scires quid amare deberes? Ecce si nolit te videre Deus, hoc ipsum non times, quia te non vult videre? Si salutes aliquem majorem patronum tuum, et intentus in aliud non te videat, quomodo tibi anima dolet? Si autem Deus te non videat, securum te putas? Non te videt Salvator, et videt deprædator [1]. Et tamen et ipse te Deus videt. Non te putes non videri; imo roga ut merearis videri a quo videris. Dictum est enim: *Oculi Domini super justos*. Quia non super injustos, faciant ergo quod volunt injusti: *Oculi Domini super justos*. Sequatur adhuc: *Et aures ejus ad preces eorum*. Injusti ergo qui securos se putabant, quia non erant oculi Domini super eos, non timent, quia non sunt et aures ejus ad preces eorum? Nonne melius et oculi ejus super nos, et aures ejus ad preces nostras? Sed cum facis ea super quæ non vis esse oculos Domini, non mereris [2] precibus tuis et aures Domini; et tamen male faciendo, a te non avertis oculos Domini. Quid enim ibi sequitur? *Vultus autem Domini super facientes mala*. Sed ad quid? *Ut perdat de terra memoriam eorum*. Vides te videri? vides te latere non posse? Cum ergo quidquid feceris videaris, quare hoc non facis unde placere merearis? Ergo et hic quid? *Quoniam magna est gloria Domini; quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit*. Excelsa autem quasi non respicit: *humilia* enim *respicit. Excelsa*, quid? *A longe cognoscit*. Quid sibi ergo præstat superbus [3]? Ut a longe videatur; non ut non videatur. Nec putes te ideo securum esse debere, quod minus bene te videt [4], qui a longe te videt. Tu enim quod a longe vides, non bene vides: Deus etsi a longe te videt, perfecte te videt, et tecum non est. Hoc agis, non ut minus perfecte videaris; sed ut non sis cum illo a quo videris. At vero humilis quid sibi præstat? *Prope est Dominus his qui obtriverunt cor* (*Psalm.* XXXIII, 16, 17, 19). Erigat se ergo superbus, quantum voluerit; certe in alto habitat Deus, in cœlo est Deus: vis tibi propinquet? Humilia te. Nam tanto a te erit altior, quanto tu elatior: *Excelsa autem a longe cognoscit*.

12. [*vers.* 7.] *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me*. Verum est: in quacumque tribulatione fueris, confitere, invoca; liberat te, vivificat te. Sed tamen aliquid hic debemus melius intelligere, quo jam familiarius inhæreamus Deo, dicamusque illi, *Cito exaudi me*. Dixerat enim, *Excelsa a longe cognoscit:* et excelsa superba non norunt tribulationem. Non norunt, inquam, tribulationem de qua dicitur alio loco, *Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi* (*Psal.* CXIV, 3, 4). Quid enim magnum, si tribulatio te inveniat? Si aliquid potes, tu inveni tribula-

[1] Sic Mss. At Lov., *Et quid faciant*, Am. et Er., *Ut quid faciant*.
[2] Plures Mss., *pluvia*.

[1] Am. cum unico Mss., *et videt damnator*. Er., *et videt deprædator et damnator*.
[2] Er. et Regius Ms., *super quæ vis esse oculos Domini, tunc mereris*, etc.
[3] Er. Lugd. Ven. et Lov., *superbus nisi ut...?* M.
[4] Er. Lug. Ven. et Lov., *videat*. M.

tionem. Et quis est, inquis, qui inveniat tribulationem? aut quis illam vel quærat? In medio tribulationis es, et nescis? Vita ista parva tribulatio est? Si non est tribulatio, non est peregrinatio; si autem peregrinatio est, aut parum patriam diligis, aut sine dubio tribularis. Quis enim non tribuletur, non se esse cum eo quod desiderat? Sed unde tibi non videtur ista tribulatio? Quia non amas. Ama alteram vitam, et videbis quia ista vita tribulatio est: quacumque prosperitate fulgeat, quibuslibet deliciis abundet atque circumfluat [1]; quando nondum est illud gaudium sine ulla tentatione certissimum, quod nobis in fine servat Deus, sine dubio tribulatio est. Ergo intelligamus et hujus tribulationem, fratres. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me.* Non sic ait, tanquam diceret, Si forte evenerit mihi tribulatio aliqua, liberabis inde me. Sed quomodo? *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me;* id est, aliter non vivificabis me, nisi in medio tribulationis ambulavero. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me. Væ ridentibus; beati lugentes* (*Luc.* VI, 21, 25): *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me.*

13. *Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.* Sæviant inimici; quid possunt facere inimici? Pecuniam tollere, exspoliare, proscribere, in exsilium mittere, doloribus tormentisque cruciare; ad postremum, si permissi fuerint, et occidere: numquid amplius? Tu autem, Domine, *super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam:* super id quod mihi possunt facere inimici, tu extendisti manum tuam. Non enim inimici possunt me separare a te; tu autem amplius vindicas, quia adhuc differs me: *Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam.* Sæviat quantum potest inimicus, non me separat a Deo: tu autem, Domine, adhuc me non recipis [2], adhuc me in peregrinatione conteris, adhuc gaudium dulcedinemque tuam non præbes; nondum inebriasti ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ nondum potasti. Apud te enim est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* XXXV, 9, 10). Sed ecce dedi [3] primitias spiritus, et credidi in te, et servio mente legi Dei (*Rom.* VII, 25); tamen in nobismetipsis adhuc ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri (*Id.* VIII, 23). Hanc vitam nobis peccantibus dedit Deus, ubi etiam necesse est ut conteratur Adam in sudore et labore vultus sui, cum terra ei tribulos et spinas parit (*Gen.* III, 18, 19). Numquid aliquis inimicus plus potuit procurare? *Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam:* sed tamen non ad desperationem. Sequitur enim: *Et salvum me fecit dextera tua.*

14. Potest et sic intelligi, *super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam:* irascebantur inimici, vindicasti me de inimicis. *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis frendet et tabescet* (*Psal.* CXI, 10). Ubi sunt qui dicebant: Pereat nomen Christianorum [1] de terra? Certe aut moriuntur, aut convertuntur. Ergo *Super iram inimicorum extendisti manum tuam,* quamdiu diceretur quod scriptum est: *Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur et peribit nomen ejus* (*Psal.* XL, 6)? quando delebitur nomen Christianorum de terra? Cum dicunt ista, partim crediderunt, partim perierunt, pauci timidi remanserunt. Quanta ira inimicorum sæviebat, quando sanguis martyrum fundebatur! Quomodo se putabant nomen Christianorum delere de terra! *Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.* Ecce illi qui martyres persequebantur, memorias martyrum inquirunt, aut ubi adorent [2], aut ubi se inebrient; quærunt tamen. *Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.* Secundum desiderium *salvum me fecit dextera tua.* Est quædam salus in dextera; nam est altera salus in sinistra: salus temporalis et carnalis, in sinistra est; salus æterna cum Angelis, in dextera est. Ideo jam in ipsa immortalitate positus Christus, dicitur sedere ad dexteram Dei (*Marc.* XVI, 19). Non enim Deus habet in seipso dexteram aut sinistram; sed dextera Dei dicitur felicitas illa, quæ quoniam ostendi oculis non potest, tale nomen accepit. Hac dextera tua salvum me fecisti, non secundum salutem temporalem. Nam Crispina occisa est; sed numquid deseruit illam Deus? Non illam fecit salvam in sinistra, sed fecit in dextera. Machabæi quanta tormenta perpessi sunt (II *Machab.* VII)! Tres autem pueri in mediis ignibus deambulando laudaverunt Deum (*Dan.* III, 24). Illorum salus in dextera, istorum etiam in sinistra. Aliquando ergo non salvat in sinistra sanctos suos; sed semper salvat in dextera. Impios autem plerumque salvat in sinistra, non salvat in dextera. Nam illi qui persequebantur Crispinam, sani erant in corpore: illa occisa est, illi vivunt. Illorum salus in sinistra, illius in dextera: *Et salvum me fecit dextera tua.*

15. [*vers.* 8.] *Domine, retribues pro me.* Ego non retribuo; tu retribues pro me. Sæviant inimici, quantum libet; tu retribues quod ego non possum. *Domine, retribues pro me.* In ipso capite nostro attendite. Reliquit enim nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: qui cum malediceretur, non remaledicebat* dicens, *Domine, retribues pro me: cum judicaretur, non comminabatur; sed commendabat se illi judicanti juste* [3] (I *Petr.* II, 21-23). Quid est, *Domine, retribues, pro me? Ego*, inquit, *non quæro gloriam meam; est qui quærat et judicet* (*Joan.* VIII, 50). *Non vosmetipsos vindicantes, charissimi*, Apostolus dicit: *sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus* (*Rom.* XII, 19). *Domine retribues pro me.*

[1] Sic plerique Mss. Edd. vero, *circumfloreat.*
[2] Regius Ms., *respicis.*
[3] Lov., *dedisti.* At Am. Er. et plures Mss, *dedi.* Hanc lectionem confirmat illud supra, in Psal. 134, n. 18: « dantes « jam Deo primitias spiritus nostri, hoc est, ipsam fidem « tanquam primogenita nostra. »

[1] Plures Mss. constanter, *christianum.*
[2] Aliquot Mss., *orent.*
[3] Am. cum unico Ms., *injuste.* At Edd. alii, et Mss., *juste,* juxta Græc. *dikaiós.*

16. Est hic alius intellectus non negligendus, et forte magis eligendus. *Domine Christe, retribues pro me.* Ego enim si reddam, rapui; tu quod non rapuisti, solvisti: *Domine, retribues pro me.* Vide illum retribuentem pro nobis. Venerunt qui tributum exigerent; exigebant tributum didrachmam, id est duas drachmas in uno homine: ventum est ad Dominum, ut solveret tributum; imo non ad ipsum, sed ad discipulos; et dictum est illis: *Magister vester non solvit tributum?* Illi retulerunt ad eum. Et ille: *Reges terræ a quibus exigunt tributum? a filiis suis, an ab alienis?* Responderunt: *Ab alienis. Ergo*, inquit, *liberi sunt filii. Sed tamen ne scandalizemus eos*, ait Petro, *vade, mitte hamum in mare, et qui primus piscis ascenderit, aperi os ejus, et invenies staterem;* id est duas didrachmas. Stater ponderis genus est, habens quatuor drachmas. *Invenies ibi; da illis pro me et te* (*Matth.* XVII, 23 26). *Domine, retribues pro me.* Merito habemus primum piscem hamo captum, hamo comprehensum [1]; primum surgentem de mari, primogenitum a mortuis. In ejus ore invenimus duas didrachmas, id est quatuor drachmas: in ejus ore invenimus quatuor Evangelia. Istis quatuor drachmis ab exactione hujus sæculi liberamur; per quatuor Evangelia debitores non remanebimus: ibi enim peccata nostra omnia solvuntur. Retribuit ergo pro nobis: gratias misericordiæ ipsius. Nihil debebat; pro se non reddidit, sed pro nobis reddidit. *Ecce*, inquit, *venit princeps mundi hujus, et in me nihil inveniet.* Quid est, *in me nihil inveniet?* Nullum peccatum in me inveniet; quare occidat me, non habet. *Sed ut sciant omnes*, ait, *quia voluntatem Patris mei facio, surgite, eamus hinc* (*Joan.* XIV, 30, 31). Quid est, *surgite, eamus hinc?* Id est, non necessitate, sed voluntate patior, reddens quod non debeo: *Domine, retribues pro me.*

17. *Domine, misericordia tua in æternum.* Quid desiderem? Non diem hominum [2]. *Non laboravi subsequens te, Domine, et diem hominum non concupivi; tu scis* (*Jerem.* XVII, 16). Ecce martyr sancta Crispina si desideraret diem hominum, negaret Christum. Plus hic viveret, sed in æternum non viveret. Maluit in æternum vivere, quam paulo amplius temporaliter vivere. Denique *Domine, misericordia tua in æternum;* non ad tempus volo liberari. *Misericordia tua in æternum*, qua [3] martyres liberasti, et sic cito de hac vita abstulisti. *Domine, misericordia tua in æternum.*

18. *Opera manuum tuarum ne despicias.* Non dico, Domine, Ne despicias opera manuum mearum; non me jacto de operibus mei. *Exquisivi*, quidem *Dominum manibus meis nocte coram eo, et non sum deceptus* (*Psal.* LXXVI, 3); sed tamen non commendo opera manuum mearum: timeo ne cum inspexeris, invenias plura peccata quam merita. Hoc solum rogo, hoc dico, hoc impetrare desidero: *Opera manuum tuarum ne despicias.* Opus tuum in me vide, non meum; nam meum si videris, damnas; tuum si videris, coronas. Quia et quæcumque sunt bona opera mea, abs te mihi sunt, et ideo tua magis quam mea sunt. Audio quippe ab Apostolo tuo: *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis* (*Ephes.* II, 8-10). Ergo, sive in eo quod homines sumus, sive in eo quod ex nostra impietate mutati et justificati sumus, Domine, *opera manuum tuarum ne despicias.*

[1] Duo Mss., *amore comprehensum.*
[2] Christinæanus Mss., *Quid desiderem nosti: diem hominum?*
[3] Am. et plures Mss., *quia.*

IN PSALMUM CXXXVIII ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. Psalmum nobis brevem paraveramus, quem mandaveramus cantari a Lectore; sed ad horam, quantum videtur, perturbatus, alterum pro altero legit. Maluimus nos in errore Lectoris sequi voluntatem Dei, quam nostram in nostro proposito. Si ergo vos in ejus prolixitate aliquandiu tenuerimus, nobis non imputetis; sed credatis Deum nos non infructuose laborare voluisse. Neque enim frustra in primo peccato nostro pœnam accepimus, ut in sudore vultus nostri panem manducemus (*Gen.* III, 19). Tantum si panis est, attendite. Panis autem est, si Christus est: *Ego sum*, inquit, *panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41). Quem manifestatum habemus in Evangelio, ipsum quæramus et in Prophetis. Hunc ibi non vident super quorum cor adhuc velamen positum est (II *Cor.* III, 14), unde audivit Charitas vestra hesterno die. Nobis autem quia sacrificium vespertinum crucis Domini conscidit velum (*Matth.* XXVII, 51), ut pateant jam templi secreta; quamdiu nobis Christus prædicatur, etsi cum labore et sudore, manducandus est panis.

2. Loquitur autem Dominus noster Jesus Christus in Prophetis aliquando ex persona capitis nostri, qui est ipse Christus salvator, sedens ad dexteram Patris; qui etiam propter nos natus de virgine, et sub Pontio Pilato, qualia nostis, passus est; fuso innocente sanguine, quod est pretium nostrum, redemit nocentes a captivitate, in qua detinebamur a diabolo, donans nobis delicta, et ipso pretio nostro sanguine suo delens chirographum quo debitores tenebamur (*Coloss.* II, 13, 14). Ipse est rector et sponsus et redemptor Ecclesiæ, caput nostrum. Et utique si caput est, habet corpus. Corpus autem ejus sancta Ecclesia, quæ etiam conjux ejus; cui dicit Apostolus, *Vos autem estis corpus Christi et membra* (I *Cor.* XII, 27). Totus itaque Christus caput et corpus, tanquam integer vir: quia et femina de viro facta est, et ad virum pertinet; et dictum est de primo conjugio, *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24). Hoc autem ad mysterium interpretatur Apostolus non frustra esse dictum de illis duobus hominibus, nisi quia in eis jam figurabatur Christus et Ecclesia. Nam hoc sic exponit Apostolus: *Erunt duo in carne*, inquit, *una: sacramentum hoc magnum*

est; ego autem dico, *in Christo et Ecclesia* (*Ephes.* v, 31 *et* 32). Dicit etiam ipsum Adam formam futuri: *Qui est*, inquit, *forma futuri* (*Rom.* v, 14). Si ergo Adam forma futuri; quomodo de latere dormientis Eva facta est (*Gen.* II. 21, 22), sic ex latere Domini dormientis, id est, in passione morientis, et in cruce percusso de lancea (*Joan.* XIX, 34), manaverunt Sacramenta, quibus formaretur Ecclesia. Nam de futura eadem passione sua sic dicit in alio psalmo: *Ego dormivi, et somnum cepi; et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me* (*Psal.* III, 6). Ergo dormitio intelligitur passio. Eva de latere dormientis, Ecclesia de latere patientis. Loquitur ergo Dominus noster Jesus Christus in Prophetis aliquando ex voce sua, aliquando ex voce nostra, quia unum se facit nobiscum; sicut dictum est, *Erunt duo in carne una.* Unde dicit et ipse Dominus in Evangelio, cum de conjugio loqueretur: *Igitur jam non sunt duo, sed una caro* (*Matth.* XIX, 6). Una caro, quia de nostra mortalitate carnem suscepit: non autem una divinitas; quia ille Creator, nos creatura. Quidquid igitur Dominus loquitur ex persona susceptæ carnis, et ad illud caput pertinet quod jam ascendit in cœlum, et ad ista membra quæ adhuc in terrena peregrinatione laborant: pro quibus laborantibus membris, cum ea Saulus insequeretur, clamavit de cœlo, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Audiamus ergo loquentem Dominum Jesum Christum in prophetia. Cantati enim sunt ipsi Psalmi longe antequam Dominus de Maria nasceretur, non antequam Dominus esset: semper enim Creator omnium; aliquando autem et natus ex creatura. Divinitatem illam credamus, et quantum possumus, intelligamus æqualem Patri. Sed illa divinitas Patri æqualis, facta est particeps nostræ mortalitatis, non de suo, sed de nostro; ut et nos efficeremur participes divinitatis ejus, non de nostro, sed de ipsius.

3. [*vers.* 1.] *Domine, probasti me, et cognovisti me.* Dicat hoc ipse Dominus Jesus Christus, dicat et ipse, *Domine*, Patri. Non enim Dominus ejus Pater ejus, nisi quia dignatus est nasci secundum carnem. Pater est Dei, Dominus hominis. Vis nosse cui Pater est? Æquali sibi Filio. Apostolus dicit: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Huic formæ Pater est Deus, æquali sibi formæ, unigenito Filio nato de substantia sua. Propter nos autem, ut reficeremur, et efficeremur participes divinitatis ejus, reparati ad vitam æternam, quia ipse, ut dixi, factus est particeps mortalitatis nostræ; quid de illo ait Apostolus ibi, ubi dixerat, *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo? Sed semetipsum*, inquit, *exinanivit, formam servi accipiens; in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philipp.* II, 6, 7). Erat autem in forma Dei æqualis Patri; et accepit formam servi, qua minor esset Patre. Unde utrumque dicit in Evangelio, et, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); et, *Quoniam Pater major me est* (*Id.* XIV, 28). *Ego et Pater unum sumus*, secundum formam Dei; *Pater major me est*, secundum formam servi. Ergo quia et Pater et Dominus est, Pater formæ Dei, Dominus formæ servi; dicat ergo ipse, nec miremur, nec scandalizemur, quia Filius Dei unicus dicit: *Domine, probasti me, et cognovisti me. Probasti, et cognovisti:* non quia non noverat, sed quia notum aliis fecerat. *Probasti me*, inquit, *et cognovisti me.*

4. [*vers.* 2.] *Tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.* Quid hic sessio? quid hic resurrectio? Qui sedet, humiliat se. Sedit ergo Dominus in passione, surrexit in resurrectione. *Tu*, inquit, hoc *cognovisti:* id est, tu voluisti, tu approbasti; secundum voluntatem tuam factum est. Si autem volueris accipere vocem capitis ex persona corporis, dicamus et nos, *Tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam.* Sedet enim homo, quando humiliat se in pœnitentia; surgit autem remissis peccatis, quando erigitur in spem vitæ æternæ. Propterea et in alio psalmo dicitur: *Surgite posteaquam sedistis, qui manducatis panem doloris* (*Psal.* CXXVI, 2). Panem doloris pœnitentes manducant, qui cantant in alio psalmo, et dicunt: *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte* (*Psal.* XLI, 4). Quid est ergo, *Surgite posteaquam sedistis?* Nolite exaltari, nisi humiliati fueritis. Multi enim volunt surgere, antequam sederint; volunt se justos videri, antequam peccatores se esse confessi sint. Ergo si ex persona capitis nostri accipis, sic intellige: *Tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam*, passionem meam et resurrectionem meam. Si ex persona corporis: *Tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam;* coram oculis tuis et peccata confessus sum, et tua gratia justificatus sum.

5. [*vers* 3.] *Intellexisti cogitationes meas de longinquo: semitam meam et limitem meum investigasti, et omnes vias meas prævidisti.* Quid est, *de longinquo?* Cum adhuc in peregrinatione sum, antequam ad illam patriam veniam, tu cognovisti cogitationem meam. Attende illum filium minorem; quia ipse etiam factus est corpus Christi, Ecclesia de Gentibus veniens. Ierat quippe in longinquum [1] filius minor. Duos enim filios habebat quidam paterfamilias: major non longe ierat, sed in agro operabatur, et significat sanctos in Lege facientes opera et præcepta Legis. Genus autem humanum quod deflexerat [2] in idolorum culturam, in longinquo fuerat peregrinatum. Quid tam longe ab eo qui fecit te, quam figmentum quod tibi ipse fecisti? Profectus est ergo filius minor in regionem longinquam, portans secum substantiam suam, et sicut novimus in Evangelio, dissipavit eam vivens prodige cum meretricibus; et famem passus applicuit se cuidam principi regionis illius; et ille eum porcis pascendis præposuit, de quorum siliquis [3] cupiebat saturari, nec poterat. Post laborem, et trituram, et tribulationem, et egestatem, venit illi in mentem pater, et voluit redire; et sic ait: *Surgam, et ibo ad patrem meum. Surgam*, dixit; sederat enim. Ejus ergo vocem hic agnosce dicentis, *Tu cognovisti sessionem meam et*

[1] Aliquot Mss., *Erat quippe in longinquo:* et paulo post, *non longe erat.*
[2] Sic plures Mss. Edd. vero, *defluxerat.*
[3] Hic Er. et Lov. addunt, *et reliquiis:* quod Am. et Mss. non habent.

resurrectionem meam. Sedi in egestate, surrexi in desiderio panis tui. *Intellexisti cogitationes meas de longinquo.* Longe enim eram profectus; sed ubi non est quem deserueram? *Intellexisti cogitationes meas de longinquo.* Propterea sic dicit Dominus in Evangelio, quia *occurrit illi pater venienti* (*Luc.* xv, 11-20). Vere, quia intellexerat cogitationes ejus de longinquo. *Semitam meam et limitem meum investigasti. Semitam*, inquit, *meam:* quam, nisi malam, quam ille ambulaverat, ut patrem desereret, quasi occultus esse posset ab oculis vindicantis; aut vero in illa egestate contereretur, aut porcos pascere poneretur, nisi pater vellet flagellare longinquum, ut reciperet propinquum? Ergo tanquam deprehensus fugitivus, sequente se vindicta legitima Dei, vindicantis in affectiones nostras, quacumque ierimus et quocumque progressi fuerimus [1]; tanquam ergo deprehensus fugitivus loquitur: *Semitam meam, et limitem meum investigasti.* Quid est, *semitam meam?* Qua profectus sum. Quid est, *limitem meum?* Quo usque perveni. *Semitam meam et limitem meum investigasti.* Limes meus ille longinquus non fuit longe ab oculis tuis: multum ieram, et tu ibi eras. *Semitam meam et limitem meum investigasti.*

6. [*vers.* 4.] *Et omnes vias meas prævidisti.* Non dixit, vidisti; sed, *prævidisti.* Antequam eas irem, antequam eas ambularem, prævidisti eas; et permisisti me in labore ire vias meas, ut si nollem laborare, redirem in vias tuas. *Quoniam non est dolus in lingua mea.* Quare hoc dixit? Quia ecce fateor tibi; ambulavi semitam meam, factus sum longinquus a te; discessi a te, cum quo mihi bene erat, et bono meo male mihi fuit sine te. Nam si mihi bene esset sine te, nollem forsitan redire ad te. Ergo iste confitens peccata sua, dicens corpus Christi justificatum, non in se, sed in illius gratia, dixit, *Non est dolus in lingua mea.*

7. [*vers.* 5.] *Ecce tu, Domine, cognovisti omnia novissima et antiqua.* Cognovisti novissima mea, quando porcos pavi; cognovisti antiqua mea, quando a te partem substantiæ meæ expetivi. Antiqua mihi fuerunt exordia malorum novissimorum. Antiquum peccatum, quando lapsi sumus; novissima pœna, quando in istam mortalitatem laboriosam periculosamque pervenimus. Atque utinam nobis ista sit novissima! Erit ista novissima, si jam redire voluerimus. Est enim alia quibusdam impiis novissima, quibus dicetur: *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 41). Nos autem, fratres, huc usque deseruimus Deum: usque ad hujus vitæ mortalitatem sufficiat labor noster. Recordemur panem Patris nostri, recolamus beatitudinem domus patris nostri; non nos delectent siliquæ porcorum, doctrinæ dæmoniorum. *Ecce tu, Domine, cognovisti omnia novissima et antiqua*: *novissima*, quo perveni; *antiqua*, ubi te offendi. *Tu finxisti me, et posuisti super me manum tuam. Finxisti me:* ubi? In ista mortalitate; jam ad labores, ad quos omnes nati sumus. Non enim quisquam nascitur, nisi quem Deus finxerit in utero matris suæ; aut ulla creatura est cujus non est ille plasmator. Sed *finxisti me* in isto labore: *et posuisti super me manum tuam;* vindicem manum, gravantem superbum. Ita enim salubriter dejecit elatum, ut erigat humilem. *Tu finxisti me, et posuisti super me manum tuam.*

8. [*vers.* 6]. *Mirificata est scientia tua ex me: invaluit; non potero ad illam.* Aliquid quod obscurum quidem est, sed cum non parva dulcedine intelligitur, advertentes audite. Moyses sanctus Dei famulus, cum quo loquebatur Deus per nubem, quia temporaliter loquens utique per assumptam creaturam loquebatur servo suo; id est, non per substantiam suam, sed per assumptam aliquam corporalem creaturam, per quam voces illæ fierent, et humanis atque mortalibus auribus personarent (Sic enim loquebatur tunc Deus, non quomodo loquitur in substantia sua. Quomodo enim loquitur in substantia sua? Locutio Dei, Verbum Dei est; Verbum Dei Christus est: Verbum illud non sonat et transit, sed semper incommutabiliter manet Verbum, per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 3). Cui Verbo dicitur (ipsa est enim et Sapientia Dei); *Mutabis ea, et mutabuntur; tu autem idem ipse es* (*Psal.* CI, 27, 28): et alio loco de Sapientia cum Scriptura diceret: *In seipsa manens*, ait, *innovat omnia* (*Sap.* VII, 27). Illa ergo Sapientia stans (si dici debet vel stans: dicitur autem propter incommutabilitatem, non propter immobilitatem) et eodem modo se semper habens, nullo loco, nullo tempore variata, nusquam aliter quam hic aut ibi, nunquam aliter quam nunc aut antea, ipsa est locutio Dei. Locutio vero illa quæ fiebat ad Moysen, ad hominem fiebat per syllabas, per transeuntes sonos. Non autem fierent ista, nisi Deus assumeret talem creaturam, per quam hujusmodi sermonem et voces emitteret): Moyses sanctus noverat istam locutionem Dei assumptis quibusdam corporeis creaturis fieri; et desideravit et concupivit videre ipsam speciem Dei, et loquenti secum Deo dixit: *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum.* Cum hoc vehementer concupisceret, et hoc quadam, si dicendum est, amica familiaritate, qua ipse dignatus est, extorquere vellet Deo, ut videret ejus majestatem et faciem, quomodo dici potest facies Dei; ait illi: *Non potes videre faciem meam: nemo enim vidit faciem meam, et vixit. Sed ponam te in spelunca petræ, et transibo, et ponam super te manum meam; cum autem transiero, posteriora mea videbis* (*Exod* XXXIII, 9-23). Et ex his verbis natum est alterum ænigma, id est obscura quædam figura rerum. *Cum transiero, posteriora mea videbis*, dicit Deus; quasi ex alia parte habeat faciem, ex alia dorsum. Absit a nobis tale aliquid de illa Majestate sentire. Nam qui hoc sentit de Deo, quid ei prodest quod templa [1] clausa sunt? Idolum in corde suo fabricat. Sunt ergo

[1] In Edd. post, *fuerimus*, additur, *agnoscimur:* redundat, et abest a Mss.

[1] Am. et Er., *templa Dei.* Vox, *Dei*, quæ non in omnibus Mss. exstat, merito expuncta est per Lovanienses, ut ne alia quam idolorum templa clausa esse intelligantur, eorum scilicet cultu vetito per Imperatorum leges, ab anno 391.

in illis verbis magna mysteria. Loquebatur Dominus, ut dixi, per creaturam, quomodo vellet famulo suo. Intellecta est illic persona ipsius Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi. Qui quidem secundum formam Dei, qua æqualis est Patri, similiter oculis humanis invisibilis est, sicut et Pater. Si enim sapientia humana videri oculis non potest, Virtus et Sapientia Dei videri oculis carneis potest? Sed quia erat Dominus opportuno tempore carnem suscepturus, ut oculis etiam carneis propter salubritatem curandæ intus mentis appareret, quando ita apparere opus esset; hoc prædicens Moysi figurate ait, *Faciem meam videre non potes; posteriora mea videbis*, sed *cum transiero: ut autem non videas faciem meam*, manus mea erit super te. Transire quid fuit Domino, nisi quod evangelista dicit, *Cum autem venisset hora, ut transiret Jesus de hoc mundo ad Patrem* (*Joan.* XIII, 1)? Nam ipsum transitum significat Pascha. Quod enim hebraico verbo dicitur Pascha, latine Transitus interpretatur. Quid est, *Faciem meam non videbis*, sed *posteriora mea videbis?* Cujus personam gerebat ille Moyses, quando ei dictum est, *Faciem meam non videbis*, sed *posteriora mea videbis*, et hoc *cum transiero: ut autem non videas faciem meam, ponam super te manum meam?* Faciem suam dixit, prima sua? et quodam modo posteriora sua, transitum de hoc mundo passionis suæ. Apparuit Judæis; non eum cognoverunt. Eorum personam gerebat Moyses, quando ei dicebatur, *Faciem meam non potes videre*. Unde autem non viderunt Deum in carne positum? Quia gravata erat super eos manus Domini. De illis enim dixerat Isaias, *Incrassa cor populi hujus, et oculos ejus grava* (*Isai.* VI, 10): et eorum vox est in alio psalmo, *Quoniam gravata est super me manus tua* (*Psal.* XXXI, 4). Ut ergo non cognoscerent tunc divinitatem Christi [1] (si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent [I *Cor.* II, 8]: non crucifixo autem Domino, sanguis illius non redimeret orbem terrarum), quid egit Deus, nisi quod ait Apostolus, altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, ubi exclamat: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula sæculorum.* Apostolus hoc dicit; quia superius dixerat: *Cæcitas ex parte Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI, 33-36, 25, 26). Excæcati sunt ergo ex parte Judæi, merito superbiæ suæ, quia se justos dicebant; et excæcati crucifixerunt Dominum. Posuit super eos manum suam, ne viderent eum, donec transiret, scilicet de hoc mundo ad Patrem. Videamus si posteaquam transiit, viderunt posteriora ejus. Resurrexit Dominus, apparuit discipulis suis (*Joan.* XX, XXI) et omnibus qui in eum jam crediderant; non eis a quibus crucifixus erat, quia super illos manum posuerat, donec transiret. Ascendit autem in cœlum, quadraginta diebus factis cum discipulis suis. Impleto autem die Pentecostes, misit eis Spiritum sanctum. Repleti Spiritu sancto, cœperunt omnium linguis loqui, qui in una nati erant, et unam solam didicerant. Expaverunt, et exhorruerunt tantum miraculum, millia eorum qui crucifixerant Dominum: compuncti corde de tanto miraculo, quæsierunt consilium ab Apostolis, quid facerent, posteaquam eis prædicatus est Christus, mirantibus unde idiotæ homines linguis omnibus loquerentur. Per Petrum igitur apostolum annuntiato eis Christo, quem in cruce contempserant, quem tanquam mortalem hominem irriserant; cui propterea insultabant, quia de cruce non descendebat, cum utique majus multo fuerit quod fecit, de sepulcro resurgere, quam de cruce descendere: annuntiato ergo sibi Christo dixerunt, *Quid faciemus?* Illi qui sævierunt in Dominum, quem videbant, jam consilium petunt salutis; et dictum est eis: *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi; et dimittentur vobis peccata vestra* (*Act.* I, II). Ecce viderunt posteriora ejus, cujus faciem videre non potuerunt. Manus enim ejus erat super oculos eorum; non semper, sed donec transiret. Posteaquam transiit, abstulit manum ab oculis eorum: ablata manu ab oculis suis, dicunt discipulis, *Quid faciemus?* Primo sævi, postea pii; primo irati, postea timidi; primo duri, postea flexi; primo cæci, postea illuminati.

9. Puto quod agnoscamus et in hoc psalmo voces hujusmodi etiam Gentium recordantium infidelitatem suam. *Conclusit enim Deus omnes in infidelitate, ut omnium misereatur* (*Rom.* XI, 32). *Tu finxisti me, et posuisti super me manum tuam. Mirificata est scientia tua ex me: invaluit; non potero ad illam.* Veluti posuisti super me manum tuam: mirus mihi factus es; non te comprehendo cum quo eram. Quam facilis mihi erat vultus patris, quando dixi, *Da mihi substantiam meam, quæ me contingit.* Ecce profecto in regionem longinquam et fame contrito (*Luc.* XXXV, 12-17), multum mihi est, et labor est ante me; non possum percipere quod dimisi. *Mirificata est* enim, inquit, *scientia tua ex me.* Ex peccato meo factum est ut mirificata mihi esset, et incomprehensibilis mihi existeret. Nam erat mihi facilitas contemplandi te, quando non superbia reliqueram te. *Mirificata est scientia tua ex me: invaluit; non potero ad illam:* sed subaudis, *ex me. Non potero ad illam ex me.* Cum ergo potero, non potero nisi ex te.

10. [*vers.* 7.] Ecce invenis in longinquo fugitivum non latere oculos ejus a quo fugit. Et quo iturus est jam, cujus limes est investigatus? Videte quid dicit: *Quo ibo a Spiritu tuo?* Spiritus enim Domini replevit orbem terrarum (*Sap.* I, 7): quis potest fugere in mundo ab illo Spiritu, quo plenus est mundus? *Quo ibo a Spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam?* Locum quærit quo fugiat ab ira Dei. Quis est locus recepturus fugitivum Dei? Homines qui suscipiunt

[1] Hic in Edd. additur, *gravati sunt*: quod a præcipuis Mss. abest.

fugitivos, quærunt ab eis, a quo fugerint; et quem servum invenerint alicujus domini minus potentis, tanquam sine ullo timore suscipiunt, dicentes in corde suo: Non habet iste talem dominum a quo possit investigari. Cum autem audierint dominum potentem, aut non suscipiunt, aut cum magno timore suscipiunt: quia et homo potens falli potest. Ubi non est Deus? quis fallit Deum? quem non videt Deus? a quo fugitivum suum non repetit Deus? Quo ergo ibit fugitivus iste a facie Dei? Vertit se hac atque illac, quasi quærens locum fugæ suæ.

11. [*vers.* 8.] *Si ascendero*, inquit, *in cœlum, tu ibi es; si descendero in infernum, ades.* Tandem cognovisti, male fugitive, nullo pacto te posse fieri longe ab eo, a quo longinquare voluisti. Ecce ille ubique est: tu, quo iturus es? Invenit consilium, et hoc ab illo qui eum jam revocare dignatur inspiratum. *Si ascendero in cœlum, tu ibi es; si descendero in infernum, ades.* Si me extulero, te invenio repressorem; si me abscondero, te invenio inquisitorem; et non inquisitorem tantum, sed et investigatorem. Si enim superbiero de justitia mea, tu ibi es, cujus est vera justitia. Si peccando venero in profundum malorum, et confiteri contempsero (*Prov.* XVIII, 3), dicens, *Quis me videt* (*Eccli.* XXIII, 25)? *in inferno* enim *quis confitebitur tibi* (*Psal.* VI, 6)? etiam illic ades, ut vindices. Quo ergo iturus sum, ut a facie tua fugiam, id est, iratum te non sentiam?

12. [*vers.* 9.] Hoc consilium invenit: Sic fugiam, inquit, a facie tua, sic fugiam a Spiritu tuo; ab ultore Spiritu, a vindice facie, sic fugiam. Quomodo? *Si recipiam pennas meas in directum, et habitabo in extrema maris*[1]: sic possum fugere a facie tua. Si in extrema maris vult fugere a facie Dei, ibi non erit ille a quo fugit, de quo dixit, *Si descendero in infernum, ades?* Mirum si in extremis maris non est, qui nec apud inferos deest. Sed novi, inquit, quomodo fugiam ab ira tua. Recipiendæ sunt pennæ meæ non in pravum, sed in directum, ut nec in superbam erigar præsumptionem, nec in perditam mergar desperationem. Quas pennas vult assumere, nisi duas alas, duo præcepta charitatis? In quibus duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII, 40). Has, inquit, alas, has pennas si recipiam sic, et habitabo in extrema maris, possum fugere a facie tua ad faciem tuam, a facie irati ad faciem placati. Quid enim est extremum maris, nisi finis sæculi? Illuc jam volemus spe et desiderio, habentes alas geminæ charitatis: non sit nobis requies, nisi in extremo maris. Nam si alibi requiem voluerimus, in mare præcipitabimur. Volemus quo usque finiatur mare, suspendamus nos pennis geminæ dilectionis: ad Deum interim spe volemus, et illum finem maris spe fideli præmeditemur.

13. [*vers.* 10.] Quis autem nos perducat, attendite: ille ipse cujus faciem irati volumus fugere. Quid enim sequitur? *Si descendero in infernum, ades. Si recipiam pennas meas in directum. Recipiam*, inquit: ergo amiserat. *Si recipiam pennas meas in directum, et habitabo in novissima maris. Etenim illuc manus tua deducet me, et adducet me dextera tua.* Hoc meditemur, fratres charissimi; hæc sit spes nostra, hæc sit consolatio nostra. Recipiamus pennas per charitatem, quas amisimus per cupiditatem. Cupiditas enim viscum facta est pennarum nostrarum; elisit nos de libertate aeris nostri, id est aurarum illarum liberarum Spiritus Dei. Inde elisi perdidimus pennas, et fuimus quodammodo captivati in aucupis potestate: inde nos sanguine suo redemit, quem fugimus ut caperemur. Nutrit nobis pennas de præceptis suis; erigimus eas jam sine visco. Non amemus mare, sed volemus in extrema maris. Nemo trepidet; sed nemo de pennis suis præsumat: quia et pennatos[1] nisi ipse erigat, nisi ipse deducat, præcipitabimur in profunda maris, lassati et fatigati, quasi præsumentes de viribus nostris. Opus ergo est ut habeamus pennas, et opus est ut ipse deducat; adjutor enim noster est. Habemus liberum arbitrium; sed illo ipso libero arbitrio quantum possumus, nisi nos adjuvet ille qui jubet? *Etenim illuc manus tua deducet me, et adducet me dextera tua.*

14. [*vers.* 11.] Et considerans longinquitatem viæ, quid sibi dixit? *Et dixi, Fortasse tenebræ conculcabunt me.* Ecce enim jam credidi in Christum, jam erigor duabus alis geminæ charitatis, et abundat iniquitas hujus sæculi; et quoniam abundavit iniquitas, refrigescit charitas multorum. Sic dixit Dominus: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* In ista vita inter tanta scandala, inter tam multa peccata, inter tantas turbas quotidianarum tentationum, quotidianarum suggestionum malarum, quid facio, inquit? quomodo perveniam ad extrema maris? Audio terribiliter a Domino, *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum:* deinde subjecit, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 12, 13). Attendens longitudinem viæ, dixi mihi, *Fortasse tenebræ conculcabunt me. Et nox illuminatio*[2] *in deliciis meis.* Facta est mihi nox illuminatio: quia in nocte me desperaveram posse transire tantum mare, et tantam viam superare, et venire ad extremum perseverando usque in finem. Gratias illi qui me quæsivit fugitivum, qui terga mea flagelli plaga percussit, qui me vocando, ab interitu revocavit, qui fecit mihi illuminatam noctem. Nox est enim quamdiu ista vita agitur. Quomodo est nox illuminata? Quia Christus descendit in noctem. Accepit Christus carnem de isto sæculo, et illuminavit nobis noctem. Perdiderat enim drachmam mulier illa; accendit lucernam (*Luc.* XV, 8). Sapientia Dei perdiderat drachmam. Quid est drachma? Nummus, in quo nummo imago erat ipsius Imperatoris nostri. Factus est enim homo ad imaginem Dei (*Gen.* I, 27), et perierat. Et quid fecit mulier sapiens? Accendit

[1] Sic Mss. juxta Græcum LXX. At Edd., *in extremis maris.*

[1] Am. et plures Mss., *pennati:* moxque Corb. Ms., *nisi ipse regat.*

[2] Edd. *illuminatio mea.* Abest, *mea*, a Mss. et a LXX.

lucernam. Lucerna de luto est, sed habet lucem qua inveniatur drachma. Lucerna ergo sapientiæ, caro Christi, de luto facta est; sed Verbo suo lucet, invenit perditos. *Et nox illuminatio in deliciis meis:* facta est mihi nox in deliciis. Deliciæ nostræ Christus. Videte quemadmodum de illo modo gaudeamus. Clamores isti vestri, gaudia ista vestra unde sunt, nisi de deliciis? Unde autem istæ deliciæ, nisi quia nox illuminata est, nisi quia nobis Christus Dominus prædicatur? Quia quæsivit vos antequam quæreretis eum, et invenit vos ut inveniretis eum. *Et nox illuminatio in deliciis meis.*

15. [*vers.* 12.] *Quoniam tenebræ non obtenebrabuntur a te.* Tu ergo noli tenebrare tenebras tuas; et Deus illas non tenebrat, sed magis illuminat: quia illi dictum est in alio psalmo, *Tu illuminabis lucernam meam, Domine; Deus meus, illuminabis tenebras meas* (*Psal.* XVII, 29). Qui autem tenebrant tenebras suas, quas Deus non tenebrat? Homines mali, homines perversi: cum peccant, utique tenebræ sunt; dum non confitentur peccata quæ fecerunt, sed insuper defendunt, tenebrant tenebras suas. Ergo jam si peccasti, in tenebris es: sed confitendo tenebras tuas, mereberis illuminari tenebras tuas; defendendo autem tenebras tuas, tenebraris tenebras tuas. Et quando evades a duplicibus tenebris, qui in simplicibus laborabas? Unde autem Dominus non tenebrat tenebras nostras? Quia non nos sinit impunita habere peccata: flagellat nos in istis laboribus, et erudit nos. Tota ista miseria generis humani in qua gemit mundus, noveritis, fratres, quia dolor medicinalis est, non sententia pœnalis. Videtis quia dolor ubique, ubique metus, ubique necessitas, ubique labores. Crescit avaritia, sed in malis. Si ad hoc Deus hic talibus flagellis eruit nos, ut non tenebrentur tenebræ nostræ; agnoscamus nos sub pœna flagelli esse, et benedicamus Deum miscentem amaritudines dulcedini vitæ temporalis, ne temporalium deliciarum delectatione cæcati, non desideremus delicias æternas, nec velimus finiri mare et habitare in novissima maris[1]. Sæviant ergo fluctus maris; quanto plus sæviunt fluctus maris, tanto se illa cum pennis columba suspendit[2]. Non ergo tenebrat Deus tenebras nostras; quia miscet flagella peccatis nostris, et amaritudines pravis dulcedinibus nostris. Non nos tenebremus tenebras nostras defendendo peccata nostra; et nox illuminatio in deliciis nostris. *Quoniam tenebræ non obtenebrabuntur a te.*

16. *Et nox tanquam dies illuminabitur. Nox tanquam dies:* dies nobis prosperitas sæculi, nox nobis adversitas sæculi: sed si cognoscamus merito peccatorum nostrorum nos adversitates pati, et dulcia nobis sint flagella Patris, ne sit amara sententia judicis; sic habebimus tenebras noctis hujus, quomodo lumen noctis hujus. Si nox est, quomodo ibi lux est? Nox est, quia erratur hic a genere humano: nox est, quia nondum venimus ad illum diem, quem non coarctat hesternus et crastinus; sed est dies perpetuus, sine ortu, quia sine occasu. Nox est ergo hic; sed quamdam lucem suam nox ista habet, et tenebras suas. Quare sit generaliter nox diximus: quæ est lux noctis hujus? Prosperitas et felicitas sæculi hujus, gaudium temporale, honor temporalis, quasi lux est noctis hujus. Adversitas autem et amaritudo tribulationum vel ignobilitas, tanquam tenebræ sunt noctis hujus. In hac nocte, in hac mortalitate vitæ humanæ habent homines lucem, habent homines tenebras; lucem prosperitatem, tenebras adversitatem. Sed ubi venerit Christus Dominus, et habitaverit animam per fidem, et promiserit aliam lucem, et inspiraverit et donaverit patientiam, et monuerit hominem non delectari prosperis, ne frangatur adversis; incipit homo fidelis indifferenter uti mundo isto, nec extolli quando res prosperæ accidunt, nec frangi quando res adversæ sunt, sed ubique Dominum benedicere; non solum quando abundat, sed etiam quando amittit; non solum quando sanus est, sed etiam quando ægrotat; ut sit in illo vera illa cantatio: *Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 2). Si ergo *semper*, et quando lucet nox ista, et quando obscura est nox ista; quando arridet prosperitas, quando tristis est adversitas, semper sit laus ejus in ore tuo: et fiet tibi quod modo dictum est, *Sicut tenebræ ejus, sic et lumen ejus.* Non me conculcant tenebræ ejus, quia non me extollit lumen ejus.

17. Ecce habes lumen ipsius in Job: abundabat omnibus rebus. Lux noctis in illius divitiis prima describitur: quantis rebus et quanta copia redundabat, lux erat noctis ejus. Putavit inimicus propterea illum talem virum colere Deum, quia illa omnia donaverat ei; et petivit ut auferrentur ab eo: factæ sunt tenebræ noctis illius quæ primo habebat lucem. Noverat tamen ille, sive lux ibi esset, sive tenebræ illam noctem esse, in qua peregrinaretur a Deo suo; et habebat interiorem lucem ipsum Deum suum, per quam lucem interiorem indifferenter haberet sive tenebras noctis illius, sive lucem. Propterea, quia in luce noctis illius, id est in rerum abundantia, colebat Deum, ablatis illi omnibus rebus, posteaquam factæ sunt tenebræ illius, quid dixit ille? *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Job* I). In nocte sum quadam vitæ hujus: Dominus meus, inquit, habitat cor meum; illuminavit mihi solatiis quibusdam noctem istam, quando dedit copias rerum temporalium: subtraxit ipsam lucem temporalem, et quasi tenebrata est nox. Sed quia *sicut tenebræ ejus, sic et lumen ejus: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Non sum tristis in nocte hac, quia *sicut tenebræ ejus, sic et lumen ejus.* Utrumque transit, ut qui gaudent tanquam non gaudentes sint, et qui flent tanquam non flentes sint (I *Cor.* VII, 30); quia *sicut tenebræ ejus, sic et lumen ejus.*

[1] Sic meliores Mss. At Edd., *finire mare, et habitare in novissimo maris.*

[2] Corb. Ms., *tanto se in illa cum pennis columbæ suspendit.* Forte, *in illa,* subaudiendum est *novissima.*

18. [*vers.* 13.] *Quoniam tu possedisti renes meos, Domine.* Non sine causa, *Sicut tenebræ ejus, sic et lumen ejus.* Intus est possessor : non solum cor tenet, sed etiam renes ; non solum cogitationes, sed etiam delectationes. Ipse ergo possidet unde me delectaret aliquid lucis in nocte ; ipse tenet renes meos : non novi delectari nisi de luce interiore sapientiæ ipsius. Quid ergo ? non delectaris de prosperitate rerum, de felicitate temporum, de honoribus, de divitiis, de familia ? Non delector, inquit. Quare ? Quia *sicut tenebræ ejus, sic et lumen ejus.* Unde tibi ista indifferentia, ut sicut tenebræ ejus, sic sit tibi et lumen ejus ? unde ? *Quoniam tu possedisti renes meos, Domine ; suscepisti me ex utero matris meæ.* Dum essem in utero matris meæ, non indifferenter habebam tenebras illius noctis et lucem illius noctis. Etenim uterus matris meæ, consuetudo civitatis meæ fuit. Quæ est illa civitas ? Quæ nos primo genuit in captivitate. Novimus Babyloniam illam de qua hesterno die locuti sumus, unde proficiscuntur omnes qui credunt et suspirant illi luci, Jerusalem cœlesti [1]. Ego ergo dixi : Ex utero matris meæ susceptus sum a Domino ; inde mihi tenebræ noctis hujus et lux hujus noctis indifferentes factæ sunt. Qui autem est in utero matris illius Babyloniæ, gaudet prosperis sæculi, frangitur adversitatibus sæculi ; non novit gaudere nisi aliquid prosperum eveniat secundum tempus, nec novit contristari nisi aliquid adversum eveniat secundum tempus. Jam exi de utero Babyloniæ, incipe cantare hymnum Domino : egredere, et nascere ; suscipiet te Deus ex utero matris tuæ. Quis Deus ? Deus ille apostoli Pauli, qui dixit : *Cum autem placuit Deo, qui me segregavit de utero matris meæ, revelare* [2] *Filium suum in me* (*Galat.* I, 15, 16). Quæ enim erat mater ejus ? Synagoga. Et ibi quid didicerat, nisi quod habebant et didicerant ipsi Judæi et ipse populus ? Nomen in illis remanserat laudis Dei ; facta autem in eis non inveniebantur : erant in eis verba Dei, quasi folia in arbore, et fructus nusquam. Talem arborem fici, sicut nostis, cum Dominus invenisset, maledicto arefecit. Invenit enim in ea folia, et fructum non invenit : quamdam nobis arborem figurabat. Nam fructuum illorum tempus nondum erat (*Matth.* XXI, 19 ; *et Marc.* XI, 13, 14) : quod omnes homines noverant, artifex cœli et terræ non noverat ? Ergo ille qui Paulum segregavit ab utero matris suæ, ipse et nos segregavit ab utero matris nostræ. Cujus matris nostræ ? Illius Babyloniæ. Suscepti ergo ex utero illo, jam incipiamus habere aliam spem. Promisit, fratres, quare gaudeatis [3] ; fructus facite positi in alia spe. Jam non novimus malum nisi offendere Deum, et non perduci ad illa quæ promisit ; nec novimus bonum nisi promereri Deum, et perduci ad illa quæ promittit. Quid illa bona mundi hujus, et mala mundi hujus ? Indifferenter habeamus ; quia jam suscepti ab utero illius matris nostræ indifferenter ea habentes, dicimus, *Sicut tenebræ ejus, sic et lumen ejus.* Nec felicitas sæculi nos facit beatos, nec adversitas miseros. Opus est justitiam tenere, fidem diligere, sperare in Deum, diligere Deum, diligere et proximum. Post istos labores habebimus indefessam lucem, habebimus diem sine occasu : transit quidquid est in ista nocte lucidum et tenebrosum. *Quoniam tu possedisti renes meos, Domine ; suscepisti me ex utero matris meæ.*

19. [*vers.* 14.] *Confitebor tibi, Domine, quoniam terribiliter mirificatus es. Terribiliter mirificatus es :* eo ipso quod te miramur, tu terribilis es ; cum tremore gaudemus. Timemus enim ne de donis tuis nos extollentes per superbiam, mereamur amittere quod humilitate percepimus. *Confitebor tibi, Domine, quoniam terribiliter mirificatus es : mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit valde.* Jam cognoscit anima mea valde ; quoniam suscepisti me ex utero matris meæ : antea vero mirificata est scientia tua ex me ; invaluerat, nec poteram ad illam. Ergo ex me invaluerat, nec poteram ad illam. Unde modo anima mea cognoscit valde, nisi quia nox illuminatio in deliciis meis est ? nisi quia venit mihi gratia tua, et illuminavit tenebras meas ? nisi quia tu possedisti renes meos ? nisi quia tu suscepisti me ex utero matris meæ ?

20. [*vers.* 15.] *Non est absconditum os meum a te, quod fecisti in abscondito.* Os suum dicit : quod vulgo dicitur ossum, latine os dicitur. Hoc in græco invenitur (*a*). Nam possemus hic putare os esse, ab eo quod sunt ora ; non os correpte [1], ab eo quod sunt ossa. *Non est* ergo *absconditum*, inquit, *os meum a te, quod fecisti in abscondito.* Habeo in abscondito quoddam ossum. Sic enim potius loquamur : melius est reprehendant nos grammatici, quam non intelligant populi. Ergo est, inquit, quoddam ossum meum intus in abscondito ; tu fecisti intus ossum mihi in abscondito, et non est absconditum a te. In abscondito enim fecisti ; sed numquid et tibi hoc abscondisti ? Hoc ossum meum factum a te in abscondito homines non vident, homines non noverunt ; tu autem nosti, qui fecisti. Quod ergo os dicit, fratres ? Quæramus illud ; in abscondito est. Sed quia christiani in nomine Domini christianis loquimur, modo invenimus quod sit ossum hujusmodi. Firmitas quædam est interior ; quia in ossibus firmitas et fortitudo intelligitur. Est ergo quædam animæ interior firmitas, ubi non frangitur [2]. Quælibet tormenta, quælibet tribulationes, quælibet hujus sæculi adversitates undique sæviant ; illud quod Deus in abscondito fecit firmum, in nobis frangi non potest, non cedit. A Domino enim facta est quædam firmitas patientiæ nostræ, de qua dicitur in alio psalmo : *Veruntamen Deo subjicietur*

[1] Aliquot Mss., *cœlestis*. Et mox Regius Ms., *Ego ergo, dixit, ex utero*, etc.
[2] Am. et Mss., *prædicare*. Pauloque post Mss. plures omittunt, *et didicerant*.
[3] Plerique Mss., *jam incipimus habere aliam spem. Promisit, Fratres, quare gaudetis*. Et nonnulli prosequuntur, *fructuose agite*.

[1] Sic Mss. At Am. et Er., *os corrupte*. Lov. *ossum corrupte*.
[2] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *interior vis, ubi firmitas non frangitur*.
(*a*) Ὀστέον.

anima mea ; quoniam ab ipso patientia mea (*Psal.* LXI, 6). Et attende apostolum Paulum, habentem intus hoc genus firmitatis : *Quasi tristes*, inquit ; *semper autem gaudentes* (II *Cor.* VI, 10). Unde *quasi tristes*? Contumeliis, opprobriis, persecutionibus, flagellis, plagis, lapidationibus, carceribus, catenis. Quis non eos miseros tunc existimaret? Nec illi ipsi persecutores sævirent in eos, nisi putarent eos miseros fieri persecutionibus suis. Illi enim eos ex sua infirmitate conjiciebant, qui non habebant ossum absconditum interius : illi vero qui habebant, hominibus foris tristes videbantur, intus autem gaudebant Deo ; cui non erat absconditum ossum ipsorum, quod fecerat in abscondito. Aperit autem hoc ossum in abscondito factum a Deo idem apostolus Paulus, his verbis : *Non solum autem*, inquit, *sed etiam gloriamur in tribulationibus*. Parum est quia non es tristis, sed et gloriaris? Sufficiat tibi tristem non esse. Parum est, inquit, Christianis : tale ossum mihi fecit in abscondito, ut parum sit non frangi, nisi etiam glorier. Unde gloriaris? *In tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur*. Vide quomodo formata sit illa firmitas intus in corde : *Scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem ; spes autem non confundit : quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 3-5). Sic formatum atque firmatum est ossum illud absconditum, ut faciat nos etiam gloriari in tribulationibus. Sed videmur hominibus miseri, quia absconditum est eis quod habemus intrinsecus. *Non est absconditum os meum a te, quod fecisti in abscondito : et substantia mea, in inferioribus terræ*. Ecce in carne est substantia mea, in inferioribus terræ est substantia mea ; et habeo tamen ossum intrinsecus, quod formasti, quod faciat me non cedere omnibus persecutionibus [1] inferioris hujus regionis, ubi est adhuc substantia mea. Quid enim magnum est si fortis est angelus? Magnum est si fortis est caro. Et unde fortis caro, unde forte vas fictile, nisi quia factum est ibi ossum in abscondito? *Et substantia mea in inferioribus terræ*.

21. [*vers.* 16.] Quid de illis qui minus firmi sunt? Loquitur enim, ut jam commendavi, Christus. Sed multa dicta sunt ex persona corporis ; audi et ex persona capitis : et non quasi distinguit, ut inducat ipsas personas, modo caput, modo corpus. Si enim distinguit, quasi dividit ; non erunt duo in carne una. Si autem duo sunt in carne una (*Ephes.* V, 31, 32) ; noli mirari si duo sunt in voce una. Quando Dominus noster Jesus Christus passus est, discipuli nondum habebant illud ossum interius ; nondum illis erat firmatum robur patientiæ : et latebant se, nesciebant vires suas ; et ausus est Petrus promittere societatem mortis cum Domini passione, et non se noverat ægrotus ; medicus autem noverat ægrotum. Quid autem factum est? *Tecum*, inquit, *usque ad mortem. Amen dico tibi ; priusquam gallus cantet, ter me negabis* (*Matth.* XXVI, 34, 35 ; *et Luc.* XXII, 33, 34). Responsio medici verior inventa est, quam ægroti præsumptio. De his ergo dicit, *Non est absconditum os meum a te, quod fecisti in abscondito* : in quibus est ipsum os firmatum intrinsecus, et maxime robur passionis in ipso Domino nostro et Salvatore Jesu Christo, qui cum voluit, sedit ; cum voluit, surrexit ; cum voluit, dormivit ; cum voluit, evigilavit ; quia, *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* X, 18). Quid de illis in quibus non erat fortitudo illa formata atque firmata? quid de illis dicit? Vide quid dicat Patri Deo : *Imperfectum meum viderunt oculi tui. Imperfectum meum*, Petrum meum pollicentem et negantem, præsumentem et deficientem : viderunt tamen eum oculi tui. Nam quod eum et ipse Dominus respexit, sicut scriptum est in Evangelio, jam post tertiam negationem commonitus quid ei prædixerit Dominus, *exiit foras, et flevit amare* (*Luc.* XXII, 61, 62) : fletus ille de respectione Dei fuit ; quia, *Imperfectum meum*, inquit, *viderunt oculi tui*. Nam ille imperfectus titubans in Domini passione, procul dubio periret : sed viderunt eum oculi tui ; non solum ipsum, sed et omnes qui imperfecti fuerunt, donec Christi resurrectione firmarentur. Apparuit enim oculis eorum non perisse in Domino quod mortuum erat ; et factum est os illud in abscondito eorum, ut nec ipsi jam timerent mori. *Imperfectum meum viderunt oculi tui ; et in libro tuo omnes scribentur* : non solum perfecti, sed etiam imperfecti. Non timeant imperfecti, tantum proficiant. Nec quia dixi, Non timeant, ament imperfectionem, et ibi remaneant ubi inventi sunt. Tantum proficiant, quantum in ipsis est. Quotidie addant, quotidie accedant : tamen a corpore Domini non recedant ; ut in uno corpore, et in his membris compaginati possint mereri de se dictam esse vocem istam, *Imperfectum meum viderunt oculi tui ; et in libro tuo omnes scribentur*.

22. *Per diem errabunt, et nemo in eis*. Dies hic adhuc erat Dominus noster Jesus Christus : unde dicebat, *Ambulate, dum diem habetis* (*Joan.* XII, 35). Sed *per diem errabunt* imperfecti ipsius. Putaverunt et ipsi Dominum nostrum Jesum Christum tantummodo hominem esse ; non habere in se occultam divinitatem, non esse occulte Deum, sed hoc solum esse quod videbatur : hoc et ipsi putaverunt. Nam et ipse Petrus : (de illo enim potissimum loquimur, in quo nobis etiam non desperatæ infirmitatis [1] exemplum propositum est) : dixerat Domino idem Petrus, cum interrogasset quid illum dicerent homines : *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Et dixerat ei Dominus : *Beatus es, Simon Barjona, quia non tibi revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est*. Quare? Quia dixerat eum Filium Dei. Ibi paulo post, eodem loco, in ipsa contextione verborum, cœpit Dominus de passione sua futura dicere. Ille autem Petrus, qui jam illum confessus fuerat Filium Dei, timuit ne sicut filius hominis moreretur. Erat Filius Dei, erat et filius ho-

[1] Am. et aliquot Mss., *persecutoribus*.

[1] Ita quinque Mss. Alii vero cum Edd., *desperatæ firmitatis*.

minis : Filius Dei, in forma Dei, æqualis Patri; filius hominis, in forma servi (*Philipp.* II, 6, 7), qua minor sit Patre (*Joan.* XIV, 28). Venturus erat ad passionem utique ex forma servi; quid timuit Petrus ne in forma servi periret forma Dei, et non potius præsumpsit quia ex forma Dei reviviscerct forma servi? Ait illi : *Absit a te, Domine; propitius tibi esto.* Et Dominus, qui illum beatum dixerat in illa voce : *Vade post me, satanas*, inquit; *neque enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum* (*Matth.* XVI, 13-23). Jamdudum quia dixerat, *Tu es Christus Filius Dei vivi*; audivit, *Non tibi revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est* : ideo petra [1], ideo beatus. Modo autem quia non ex Patris revelatione, sed ex carnis infirmitate responderat, satanas appellatus est; *Non sapis*, inquit, *quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum*. Et hic erat Christus, fratres : inter illos ambulaverat, ventis imperaverat (*Id.* VIII, 26), ante oculos ipsorum fluctus calcaverat (*Id.* XIV, 25), ante oculos ipsorum quatriduanum mortuum suscitaverat (*Joan.* XI, 39-44), ante oculos ipsorum tanta miracula fecerat; et tamen trepidaverunt in passione ejus, quasi amisissent eum de quo frustra præsumpserant. Sed *per diem errabunt* [2] *et nemo in eis*. Nemo prorsus, nec ipse qui dixerat, *Tecum usque ad mortem*. Dixerat enim illis : *Veniet hora, ut me relinquatis solum, et eat unusquisque in viam suam : sed non sum solus, quia mecum est Pater* (*Id.* XVI, 32). Cum illo erat Pater, et ipse cum Patre; et in illo Pater, et ipse in Patre; et ipse et Pater unum (*Id.* X, 30, 38); et illi timuerunt cum moreretur. Quare, nisi quia per diem erraverunt, et nemo fuit in eis? *Per diem errabunt, et nemo in eis.*

23. [*vers.* 17.] Sed quid est, *errabunt per diem?* Numquid peribunt? Et ubi est, *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur?* Ergo quando per diem erraverunt? Cum hic positum Dominum non intellexerunt. Et quid sequitur? *Mihi autem valde honorificati sunt amici tui, Deus.* Iidem ipsi qui per diem erraverunt, et nemo fuit in eis, amici tui facti sunt, et valde mihi honorificati sunt. Factum est in eis os illud post resurrectionem Domini in abscondito, et pro ejus nomine passi sunt, in cujus passione trepidaverunt. *Mihi autem valde honorificati sunt amici tui, Deus; valde confortati sunt principatus eorum.* Facti Apostoli, facti duces Ecclesiæ, facti arietes ducentes greges, *valde confortati sunt principatus eorum.*

24. [*vers.* 18.] *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur.* Per illos qui per diem erraverunt, et nemo erat in eis, ecce nata est tanta ista multitudo, quæ jam sicut arena numerari non potest, nisi Deo. Dixit enim, *Super arenam multiplicabuntur;* et tamen dixerat, *Dinumerabo eos.* Illi ipsi numerati, *super arenam multiplicabuntur.* Ei quippe arena numerata est, cui numerati sunt capilli capitis nostri (*Matth.* X, 30). *Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur.*

25. *Exsurrexi, et adhuc sum tecum. Exsurrexi, et adhuc sum tecum*, quid est? Jam passus sum, inquit, sepultus sum; ecce surrexi, et adhuc me non intelligunt secum. *Adhuc tecum sum*, id est, nondum cum ipsis; quia nondum agnoscunt. Sic enim legitur in Evangelio, quia post resurrectionem Domini nostri Jesu Christi, sibi apparentem non continuo cognoverunt (*Matth.* XXVIII, 17). Est et alius sensus, *Exsurrexi, et adhuc sum tecum* : ut hoc tempus significare voluerit, quo adhuc in occulto est ad dexteram Patris, antequam reveletur in claritate qua venturus est ad judicandum de vivis et mortuis.

26. [*vers.* 19, 20.] Et deinde dicit quid interea per totum hoc tempus, dum jam resurrexit et adhuc cum Patre est, patiatur hic per commixtionem peccatorum in corpore suo, quod est Ecclesia, et per separationem hæreticorum. Sequitur enim et dicit : *Si occideris, Deus, peccatores; Viri sanguinum, declinate a me, quoniam dices in cogitatione, Accipient in vanitate civitates suas.* Videtur sic connecti ordo verborum : Si *occideris, Deus, peccatores, accipient in vanitate civitates suas.* Si enim occisos vult intelligi, cum per superbiam qua intumescunt, amittunt gratiam qua vivunt. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (*Sap.* I, 5). Sic occiduntur peccatores, quia obscurati intelligentia alienantur a vita Dei [1] (*Ephes.* IV, 18). Amittunt enim confessionem propter elationem : atque ita in eis occisis fit quod scriptum est, *A mortuo, tanquam qui non sit, perit confessio* (*Eccli.* XVII, 26). Et sic accipiunt *in vanitate civitates suas*, id est, populos suos vanos, eorum vanitatem sectantes; cum inflati justitiæ nomine persuadent ut disrupto unitatis vinculo, eos tanquam justiores cæci et imperiti sequantur. Et quia plerumque hinc inveniunt occasionem separandi se ab unitate Christi, dum malos accusant, cum quibus se communionem nolle habere confingunt; et quia fieri potest, ut non tantum infament innocentes, quos tanquam malos se fugere simulant, sed etiam vera de quibusdam malis sui similibus dicant, inter quos triticum Christi servato unitatis vinculo gemit : propterea interposuit, *Viri sanguinum, declinate a me, quoniam dices in cogitatione, accipient in vanitate civitates suas;* id est, ideo seducent in separationem propriam populos suos, vanitate propria corrumpendos, *quia tu in cogitatione dices, Viri sanguinum, declinate a me* : ut scilicet merito superbiæ peccatores in spiritu occisi, propterea civitates suas, hoc est populos suos, in vanum accipiant, hoc est, in erroris vanitatem separando traducant, et quasi offensi commixtione palearum, disrupta unitate triticum deserant; quia ipsum triticum, id est bonos fideles, monet ut ante ventilationem, quæ novissima futura est, non aperte se a malis segreget, ne adhuc eis commixtos deserat bonos; sed per bonam conversationem et dissimilitudinem vitæ quodammodo tacite illis dicat [2], *Viri sanguinum, declinate a me.* Hoc enim

[1] Plures Mss. non habent, *ideo petra.*
[2] Sic plerique Mss. Edd. vero, *errabant.*

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *a via Dei.*
[2] Edd., *tacite illis dicat corpus Christi, Viri sanguinum,* etc. At Mss. non habent, *corpus Christi* : cujus loco subauditur, *triticum.*

eis voce Dei dicit, quæ vox in cogitatione est, sicut eam Deus dicit in cogitatione sancti populi sui. Viri autem sanguinum qui sunt, nisi qui oderunt fratres; sicut Joannes dicit: *Qui odit fratrem suum, homicida est* (I *Joan.* III, 15)? Hoc ergo non intelligentes occisi peccatores, quomodo dicat Deus malis in cogitatione bonorum, *Viri sanguinum, declinate a me*, accusant in eis communionem malorum; et se per has calumnias separando, accipiunt *in vanitate civitates suas*. Hæc vox quæ modo in cogitatione bonorum dicitur malis, aperta erit in illa die, quando eis dicitur a capite ipso nostro: *Nunquam novi vos; discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem* (*Matth.* VII, 23).

27. [*vers.* 21.] Nunc autem dicit corpus Christi, quod est Ecclesia: Quid est quod mihi calumniantur superbi, quasi me maculent aliena peccata, et propterea separando se, accipiunt *in vanitate civitates suas? Nonne eos qui oderunt te, Domine, odio habui?* Utquid a me pejores exigunt etiam corporalem a malis separationem, ut ante tempus messis simul cum zizaniis eradicetur et triticum (*Id.* XIII, 30); ut ante tempus ventilationis perdam sustinentiam tolerandi paleam (*Id.* III, 12); ut antequam omnia genera piscium ad finem sæculi tanquam ad littus separanda perveniant, retia pacis unitatisque disrumpam (*Id.* XIII, 47)? Numquid malorum sunt Sacramenta quæ accipio? numquid eorum vitæ factisque consentiendo communico? *Nonne eos qui oderunt te, Domine, odio habui; et super inimicis tuis tabescebam?* nonne cum zelus domus tuæ comederet me (*Psal.* LXVIII, 10), videbam insensatos, et tabescebam? nonne et tædium detinebat me a peccatoribus derelinquentibus legem tuam (*Psal.* CXVIII, 139, 158, 53)? Qui enim sunt inimici tui, nisi qui vita sua indicant quam oderint legem tuam? Hos ergo cum odissem, cur mihi calumniantur qui accipiunt *in vanitate civitates suas*, quod mihi imputari possint eorum peccata, quos oderam, et super quibus zelo domus Dei tabescebam? Sed ubi est, *Diligite inimicos vestros?* An quia *vestros* dixit, non Dei? *Benefacite*, inquit, *eis qui oderunt vos:* non ait, qui oderunt Deum. Ideo iste secutus dixit [1], *Nonne eos qui oderunt te, Domine, odio habui?* non dixit, qui oderunt me. *Et super inimicis tuis tabescebam: tuis* dixit; non, meis. Sed qui nos propterea oderunt, et propterea inimici nobis sunt, quia Deo servimus, quid aliud quam cum oderunt, et ejus inimici sunt? Numquid ergo tales inimicos nostros diligere non debemus [2]? Aut non propter Deum persecutionem patiuntur, quibus dicitur: *Orate pro persequentibus vos* (*Matth.* V, 44)? Ergo attende quod sequitur.

28. [*vers.* 22.] *Perfecto odio oderam illos*. Quid est, *perfecto odio?* Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam. Hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Nam ecce vide quid adjungat, *Inimici facti sunt mihi*. Non jam tantum Dei, sed suos inimicos ostendit. Quomodo ergo in eis implebit, et quod ipse dixit, *Nonne eos qui oderunt te, odio habui*, et quod Dominus præcepit, *Diligite inimicos vestros?* Quomodo implebit hoc, nisi illo perfecto odio; ut hoc in eis oderit quod iniqui sunt, hoc diligat quod homines sunt? Nam et tempore Veteris Testamenti, quo visibilibus suppliciis carnalis populus coercebatur, homo ad Novum Testamentum per intelligentiam pertinens, famulus Dei Moyses, quomodo oderat peccantes, cum pro eis orabat? et quomodo non oderat, cum eos occidebat, nisi quia perfecto odio oderat eos? Ea namque perfectione sic oderat iniquitatem quam puniebat, ut diligeret humanitatem pro qua orabat.

29. [*vers.* 23.] Cum ergo corpus Christi ab impiis et iniquis etiam corporaliter in fine separandum, nunc inter eos interim gemat; et cum illi occisi peccatores tanquam de malorum communione bonis calumniando, et se quasi per occasionem malorum magis a bonis et innocentibus separando, sic accipiant in vanitate civitates suas, ut multi mali adhuc restent, qui eorum separationem non sequantur, sed a bonis usque in finem tolerandi, in eadem permixtione remaneant: quid inter hæc agit corpus Christi, sive centenum, sive sexagenum, sive tricenum fructum afferens cum tolerantia (*Matth.* XIII, 23; *et Luc.* VIII, 15)? Quid agit proxima Christi in medio filiarum, sicut lilium in medio spinarum (*Cant.* II, 2)? Quæ sunt voces ejus? quæ conscientia? quæ species filiæ regis intrinsecus (*Psal.* XLIV, 14)? Ecce audi quid dicat: *Proba me, Deus, et scito cor meum*. Tu Deus, tu proba, tu scito; non homo, non hæreticus, qui nec probare novit, nec scire potest cor meum, ubi tu probas et scis quia non consentiam factis malorum, et illi me putant contaminari posse peccatis aliorum: ut dum ego in longinqua peregrinatione mea facio quod in alio psalmo gemo, id est, cum iis qui oderant pacem sum [1] pacificus (*Psal.* CXIX, 7), donec perveniam ad illam visionem pacis, quod interpretatur Jerusalem, quæ est mater omnium nostrum, civitas æterna in cœlis; ipsi litigando et calumniando seque separando, accipiant, non plane in æternitate, sed *in vanitate civitates suas. Proba* ergo *me, Deus, et scito cor meum; scrutare me, et cognosce semitas meas*. Utquid hoc? Attende quid sequitur.

30. [*vers.* 24.] *Et vide*, inquit, *si via iniquitatis sit in me, et deduc me in via æterna. Scrutare*, inquit, *semitas meas*, id est consilia et cogitationes meas: *et vide si via iniquitatis sit in me*, sive faciendo, sive consentiendo; *et deduc me in via æterna*. Quid aliud dicit, quam, deduc me in Christo? Quis est enim via æterna, nisi qui est vita æterna? Æternus enim est qui dixit: *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). Si ergo aliquid inveneris in via mea quod displiceat oculis tuis, quoniam via mea mortalis est; tu *deduc me in via æterna*, ubi nulla est iniquitas: quia *etsi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum. Ipse est exoratio pro peccatis nostris* (I *Joan.*

[1] Er., *securus*. M.
[2] Sic Am. Er. et plures Mss, M. Lov., *nos debemus*.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *eram*. M.

II, 1); ipse est via[1] æterna sine peccato; ipse est vita æterna sine supplicio.

31. Magna sacramenta, fratres. Quomodo nobiscum loquitur Spiritus Dei? quomodo nobis facit in hac nocte delicias? Quid est hoc, rogamus vos, fratres? unde dulciora, quo obscuriora[2]? Conficit nobis potionem ad amorem suum, quibusdam modis miris. Mirificat ipsa dicta sua, ut cum ea diceremus quæ jam noveratis, tamen quia ex illis locis eruebantur quæ obscura videbantur, tanquam nova fieret ipsa cognitio. Numquid non noveratis, fratres, quia in Ecclesia Dei tolerandi sunt mali, et schismata non sunt facienda? Numquid non jam sciebatis quia intra illa retia quæ capiunt bonos et malos pisces, perdurandum est usque ad littus, nec retia rumpenda sunt; quia in littore separabuntur boni ad vasa, et mali projicientur? Jam ista noveratis; versus autem istos psalmi hujus non intelligebatis: expositum est quod non intelligebatis, et innovatum est quod noveratis.

IN PSALMUM CXXXIX
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. Jusserunt domini fratres (a), et in ipsis Dominus omnium, ut istum psalmum afferam ad vos intelligendum, quantum Dominus donat. Adjuvet orationibus vestris, ut ea dicam quæ oportet me dicere, et vos audire; uti omnibus nobis utilis sit sermo divinus. Non enim omnibus utilis est; quia non est omnium fides (II *Thess.* III, 2). Fides autem sic est in anima, ut radix bona quæ pluviam in fructum ducit: perfidia vero, et error diabolicus, et cupiditas, mala radix omnium malorum (I *Tim.* VI, 10), sicut radix spinarum, etiam dulcem pluviam ad punctiones convertit.

2. Quid habet psalmus iste, credo cum cantaretur, advertisse vos; quoniam conqueritur et gemit, et precem Deo fundit, inter malos constitutum corpus Christi: ejus enim vox est in omni tali prophetia, tanquam illius inopis, id est egentis, nondum satiati, esurientis et sitientis justitiam (*Matth.* V, 6), cui quædam saturitas promissa in fine servatur. Interim hic nunc sitiat et esuriat, gemat et pulset et quærat. Peregrinationis illecebris non delectetur, non putet patriam sæculum, unde ut liberetur Christus advenit: quia Christus caput nostrum esse voluit, caput scilicet cujusdam corporis. Non enim potest dici caput, ubi corpus nullum est cui sit caput. Proinde, si caput Christus; et alicujus corporis caput est Christus. Corpus illius capitis sancta Ecclesia est, in cujus nos membris sumus, si caput nostrum diligimus. Audiamus ergo voces corporis Christi, hoc est voces nostras, si sumus in Christi corpore; quia quisquis ibi non fuerit, in eis erit inter quos illud corpus gemit. Proinde aut in illo corpore eris, ut gemas inter malos; aut non eris in illo corpore, et in eis eris inter quos malos gemit corpus, quod gemit inter malos: aut membrum Christi, aut hostis corporis Christi. Nec isti inimici et adversarii corporis Christi uno modo intelliguntur, aut uno modo agunt. Versipellis est enim qui in eis regnat, et qui eis utitur tanquam vasis suis. Cæterum multi ab illo liberantur, et in corpus Christi transeunt; et qui sint, et quot[1] futuri sint, novit ille qui illos redemit sanguine suo nescientes. Sunt autem quidam perseveraturi in malitia sua, ad Christi corpus non pertinentes; et ipsi noti ei utique, cui nihil ignotum est. Interim illi qui jam compaginati sunt cum membris ejus, nondum habentes resurrectionem futuram, in qua perit omnis gemitus, et laus succedit, in qua omnis tribulatio morietur, et erit sine fine exsultatio; nondum ergo habentes hoc in re, sed tamen tenentes in spe, gemunt ex desiderio quodam, et orant se liberari ab hominibus malis, inter quos necesse est vivere et bonis: non enim separatio jam cuique tuta est. Illius enim erit separatio, qui non novit errare. Quid est, qui non novit errare? Ut nec malum trajiciat ad dexteram, nec bonum ad sinistram. Nos autem in hac vita difficile est ut nos ipsos noverimus; quanto minus debemus de quoquam præproperam ferre sententiam? Quia si hodie malum novimus, cras qualis futurus sit ignoramus; et forte quem vehementer odimus, frater noster est, et nescimus. Securi ergo odimus in malis malitiam, et diligimus creaturam; ut quod ibi fecit Deus amemus, quod ibi fecit ipse homo, oderimus. Fecit enim Deus ipsum hominem; fecit autem homo peccatum. Dilige quod fecit Deus, oderis quod fecit homo: sic enim persequeris quod fecit homo, ut liberetur quod fecit Deus.

3. [*vers.* 1.] *In finem, Psalmus ipsi David.* Finem non intendas aliud quam tibi ab Apostolo præstitutum est: *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Ergo cum audis Psalmum dicere, *In finem*, corda convertantur ad Christum. Tanquam enim præco Psalmi est titulus Psalmi, veluti dicens, Ecce veniet[2]; inde dicturus sum, de Christo cantaturus. Nam et, *ipsi David*, non intelligo nisi ipsum qui factus est ex semine David secundum carnem (*Id.* I, 3). Interim propter genus congruit nomen. Genus carnale a David; genus spirituale supra David: et non solum ante David, sed ante Abraham; nec ante Abraham tantum, sed ante Adam; nec ante Adam tantum, sed ante cœlum et terram, ante omnes Angelos, ante omnes Potestates et Virtutes, ante omnia visibilia et invisibilia. Quare? Quia ut hæc essent, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). Ergo quia ex semine David, non secundum divinitatem, qua Creator est ipsius David, sed secundum carnem; David dignatus est vocari in prophetia: in ipsum finem intende, quia *ipsi David* Psalmus canitur; et corporis ejus vocem audi, et esto in corpore ejus: Vox quam audisti tua fiat, et ora, et dic quod sequitur.

[1] Sic Mss. Edd. vero, *vita*.
[2] Er. Lugd. Ven. et Lov. sic legunt hunc locum: *Inde dulciora, quo obscuriora.* M.
(a) His ex verbis merito conjicias sermonem habitum fuisse in aliquo episcoporum consessu.

[1] Edd., *quid*: At Mss. alii, *quod*: alii, *quot*.
[2] Sic plerique Mss. Edd vero: *Ecce veni, et inde*, etc.

4. [*vers.* 2.] *Exime me, Domine, ab homine maligno:* non ab uno, sed ab ipso genere; nec a vasis tantum, sed ab ipso principe, id est, ab ipso diabolo. Quare enim *ab homine*, si a diabolo? Quia et ipse in figura homo dictus est: *Venit inimicus homo, et superseminavit zizania;* et cum dixissent servi ad patremfamilias, *Nonne bonum semen seminasti? Unde apparuerunt zizania?* Responsum est: *Inimicus homo hoc fecit* (*Matth.* XIII, 25, 27, 28). Ab isto ergo homine maligno ora, quantum potes, ut libereris: *Quia non est* tibi *colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes et potestates, et rectores mundi tenebrarum harum* (*Ephes.* VI, 12), id est rectores peccatorum. Quod quidem et nos fuimus; nam audivimus modo vocem Apostoli: *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Id.* V, 8). Jam ergo lux facti, non in nobis, sed in Domino, oremus non tantum contra tenebras, id est contra peccatores, quos adhuc diabolus possidet; sed etiam contra ipsum principem eorum diabolum, qui operatur in filiis diffidentiæ (*Eph.* II, 2). *A viro injusto erue me.* Hoc est, *ab homine maligno;* quod est, *a viro injusto.* Malignum enim ideo dixit, quia injustum: ne forte aliquem injustum bonum esse putes. Sunt enim multi injusti quasi non nocentes; non sunt sævi, non sunt asperi, non sunt persequentes et pressuras hominibus facientes: sed tamen inde injusti, quia alio quodam modo luxuriosi, ebriosi, voluptatibus dediti. Quomodo nulli nocet qui sibi non parcit? Innocens enim ille est qui non nocet; non autem qui sibi nocet. Tibi autem quomodo potest non nocere qui sibi nocet? Sed respondes: In quo mihi nocet? Non enim invasit rem meam, aut appetivit salutem meam: luxuria sua pascitur, suis voluptatibus delectatur; sed si inquinatas habet voluptates, ipse inquinatur; mihi quid pertinet, cui molestus non est? Nocet tibi saltem vel exemplo, quia vivit tecum, et ad quod agit invitat. Nonne cum eum vides forte in illis sordibus prosperari, duceris talium delectatione factorum? Etsi non consentis, saltem invenisti quod expugnes. Quomodo ergo tibi non nocebat, qui laboras vincere quod fecit in corde tuo? Malignus est ergo omnis injustus, et necesse est noxius sit, sive sit blandus, sive sit ferox. Quisquis in illum incurrerit, quisquis laqueis ejus fuerit captus, inveniet quam sit noxium quod putabat lene. Etenim, fratres, et spinæ non pungunt in radicibus. Erue spinas de terra, contrecta radices ipsarum, et vide si sentis dolorem: tamen illud unde dolorem sentis in superficie, de illa radice processit. Itaque non vobis placeant homines quasi lenes et blandi, amatores tamen carnalium voluptatum, et inquinatarum cupiditatum sectatores; non vobis placeant. Etsi adhuc videntur lenes, radices spinarum sunt. Nam talibus factis per luxuriam plerumque effundunt quod habebant: et quomodo quærunt implere quod effuderunt? Numquid jam parcunt rapinis et cogitationibus fraudum, omni generi malignitatis exquirendæ? Jam vides malum hominem, quem putabas antea lenem. Quando illum videbas inebriari, bonus erat: modo jam furem vides, latronem times; processerunt spinæ de illis radicibus. Quando sentiebas lenes radices spinarum, tunc si posses incenderes, et non esset unde prodiret quod te modo pungeret. Proinde, fratres mei, corpus Christi, vel membra Christi, gementia inter tales malos; quoscumque inveneritis proclives ferri in malas libidines et in perniciosas voluptates, tunc reprehendite, et tunc castigate, tunc urite. Incendatur radix, et non est unde spina procedat. Si autem non potueritis, certi estote quod eos habebitis inimicos. Tacere possunt, occultare inimicitias suas possunt, amare vos non possunt. Sed quoniam amare vos non possunt, et necesse est ut qui oderunt vos mala vobis quærant; non vacet lingua et cor vestrum dicere Deo, *Exime me, Domine, ab homine maligno: a viro injusto libera me.*

5. [*vers.* 3.] *Qui cogitaverunt injustitias in corde.* Quid enim, quia non audent proferre in lingua, et servant in corde? Propter eos enim dixit, qui plerumque in labiis bona loquuntur. Audis vocem justi; sed non est cor justi. Nam quid profuit hoc addere, ut diceret, *Qui cogitaverunt injustitias in corde?* Ab eis me libera; ibi sit potentissima manus tua ad eruendum me. Facile est enim devitare apertas inimicitias; facile est averti ab inimico prompto et manifesto, cujus iniquitas jam etiam in labiis est: ille est molestus, ille est occultus, ille difficile devitatur, qui in labiis bona portat, et in corde occultat mala: *Qui cogitaverunt injustitias in corde. Tota die constituebant bella.* Quid est, *bella?* Contra quæ pugnarem tota die mihi constituebant. Inde enim hoc nascitur de talibus cordibus, quidquid est contra quod pugnat christianus. Si seditio, si schisma, si hæresis, si contradictio turbulenta, non hoc erumpit nisi de illis cogitationibus quæ tegebantur: et quando labia bona loquebantur, *tota die constituebant bella.* Pacata audis verba; sed belli constitutio a cordibus non discedit. Quod enim dictum est, *tota die*, Sine intermissione significat, id est, toto tempore.

6. [*vers.* 4.] *Acuerunt linguas suas sicut serpentes.* Si adhuc quæris hominem, aspice similitudinem. In serpente maxime astutia est et dolus nocendi; propterea etiam serpit. Non enim vel pedes habet, ut ejus vestigia cum venit audiantur. In ejus itinere velut lenis est tractus, sed non est rectus. Ita ergo repunt et serpunt ad nocendum, habentes occultum venenum et sub leni contactu. Et ideo sequitur: *Venenum aspidum sub labiis eorum.* Ecce est illud sub labiis; ut aliud sub labiis, aliud in labiis advertamus. Quos etiam aperte manifestat alio loco, ubi dicit, *Qui loquuntur pacem cum proximo suo; mala autem in cordibus suis* (*Psal.* XXVII, 3).

7. [*vers.* 5.] *Conserva me, Domine, de manu peccatoris; ab hominibus injustis erue me.* Ipsi sunt, noti sunt [1]: non hic opus est intelligere, sed agere; orare opus est, non quærere qui sint. Sed quomodo ores

[1] Am. et Mss.: *Ipsa sunt, nota sunt.* Respiciebat forte ad illud quod proxime ante dixit: *Mala autem in cordibus eorum.* Iidem etiam libri paulo post habent, *non quærere quid sit.*

adversus hujusmodi homines, aperit tibi in consequenti. Multi enim adversus malos imperite orant. *Qui cogitaverunt*, inquit, *supplantare gressus meos*. Adhuc potest carnaliter accipi. Habet quisque inimicum; in negotio cogitat ei fraudem facere, et ei auferre pecuniam, qui versatur in communi negotio: habet quisque inimicum vicinum, et cogitat malum ingerere domui ejus, aliquid de re ipsius minuere; et utique dolo cogitat, fraude cogitat, machinamentis diaboli hæc ipsa gestit implere; nemo dubitat. Sed tamen non propter ista isti cavendi sunt, sed ne insidiando tibi adducant te ad se; id est, a corpore Christi separent te, et faciant de corpore suo. Sicut enim bonorum caput Christus est, sic illorum caput diabolus. *Qui cogitaverunt*, inquit, *supplantare gressus meos*. Quid est, *supplantare gressus meos?* Non quasi ut erres in negotio quod cum illo habes, et decipiat te in causa quæ tibi communis est in foro cum illo Supplantavit gressus tuos, si te impedierit in via Dei, ut illud quod rectum intendebas, titubet, aut labatur a via, aut cadat in via, aut recedat de via, aut remaneat in via, aut retro revertatur unde venerat. Quidquid tibi tale fecerit, supplantavit te, decepit te. Contra hujusmodi insidias ora, ne perdas cœleste patrimonium, ne amittas Christum cohæredem, quia victurus es in æternum cum eo qui te fecit hæredem. Non enim talis te fecit hæredem, cui mortuo succedas, sed cum quo in æternum vivas.

8. [*vers.* 6.] *Absconderunt superbi muscipulam mihi.* Totum corpus diaboli explicavit breviter, cum ait, *superbi*. Inde est quod et justos plerumque se dicunt, cum sint iniqui. Inde est quod nihil illis tam noxium est, quam confiteri peccata. Ipsi sunt qui cum sint falsi justi, necesse est ut invideant veris justis. Nemo enim invidet alteri in eo quod non vult vel esse vel videri. Alius tibi invidet, quia dives es; aut dives vult esse ut tibi invideat, aut putari vult dives: alius tibi invidet, quia clarus es et nobilis; aut hoc esse affectat, aut hoc se putari cupit. Et sic omnia quæ videntur bona in hoc sæculo et putantur; quod quisque vult habere, et in quo vult excellere, vel cujus rei famam captat, in eo tibi invidet. Isti autem qui falsi justi sunt, videri volunt justi, cum non sint; et necesse est ut quem viderint verum justum, invideant illi, et hoc cum illo agant, quomodo amittat unde gloriatur. Inde veniunt omnes seductiones et supplantationes. Hoc prior ipse diabolus voluit, qui cadens stanti homini invidit: et quia ipse amisit regnum cœlorum, hominem illuc pervenire noluit (*Gen.* III), et non vult; et id agit nunc, ut homo illuc non perveniat, unde ipse dejectus est. Quia ergo superbus est ipse, et ideo invidus quia superbus, omne corpus ipsius talium corpus est. Sed nos oremus contra illum, qui corrigi non potest, et pro ipsis qui possunt, ut dicamus homini injusto: Quare invides justo, o homo injuste? Quia vis videri justus? Cito fac quod melius est, et facilius eris quod vis videri. Esto justus [1]: ita diliges cui invidebas; quia quod illum doles esse, eris et tu, et amabis in eo te, et ipsum in te. Etenim si invideres diviti, non esset in potestate tua ut dives esses; si invideres honesto alicui senatori nobili, non esset in potestate tua ut nobilis tu esses et clarus; si invideres pulchro, nunquam te pulchrum faceres; si invideres forti et valido, nunquam tibi vires dares: si invides justo, res in voluntate est; esto quod doles esse alterum. Non enim empturus es quod tu non es et alius est; gratis constat, cito constat: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14).

9. Illi autem *superbi absconderunt muscipulam:* quæsierunt supplantare gressus meos [1]. Et quid fecerunt? *Et restes extenderunt muscipulas pedibus meis.* Quas restes? Notum est hoc verbum in Scripturis, et invenimus alibi quid significent restes. Dominus flagellum de resticulis fecit, unde expulit eos de templo, qui ibi male versabantur (*Joan.* II, 15); et significavit nobis quomodo intelligamus restes: quia, *Criniculis peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V, 22), dicit alia Scriptura; et aperte Isaias, *Væ iis qui trahunt peccata sicut restem longam* (*Isai.* V, 18)! Quare autem dicitur restis? Quia omnis peccator perseverans in peccatis suis, addit peccata peccatis; et cum deberet accusatione peccati sui corrigi, defensione duplicat quod confessione posset auferri, et plerumque aliis peccatis vult munitus esse propter illa quæ commisit. Fecit adulterium, et ne occidatur, parat homicidium; addit peccato peccatum. Rursum si ei contigerit facere homicidium, jam qui unum crimen timebat, duo timet: et utique cum videat se plura timere, quam antea timebat, non cogitat minuere quod fecit, sed addere quod nondum fecit; quærit forte et maleficium. Tria ecce habet. Inde jam quis cogitet? quis finiat restem peccatorum? Et optime dicitur restis: ut enim torqueatur restis, additur; et non adduntur recta fila, sed torta. Pravitas sibi connexa ducitur in longum, et non cogitat præcidere quod male texuit; sed addere, producere, in longum protendere: ut habeat in fine unde illi ligentur manus et pedes, et projiciatur in tenebras exteriores (*Matth.* XXII, 13). Hæc autem peccata sua tendunt justis, quando eis suadent facere mala quæ ipsi faciunt. Ideo dixit, *Restes extenderunt muscipulas pedibus meis;* id est, de peccatis suis me dejicere voluerunt. Et ubi hoc? *Juxta semitas scandalum posuerunt mihi:* non in semitis, sed *juxta semitas*. Semitæ tuæ, præcepta Dei sunt. Illi scandala juxta semitas posuerunt; tu, noli recedere a semitis, et non irrues in scandala. Nec volo dicas: Et prohiberet illos Deus ponere mihi scandala juxta semitas, et non ibi ponerent. Imo permisit Deus ponere scandala illos juxta semitas, et tu non recedas a semitis. *Juxta semitas scandala posuerunt mihi.*

10. [*vers.* 7.] Et quid restat? quod remedium inter tanta mala, in istis tentationibus, in istis periculis? *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Illi homines sunt, et non mei; tu et Deus, et meus es. *Dixi Domino, Deus*

[1] Sic aliquot Mss. At Edd.: *Quod vis videri esto rebus, ita*, etc. Regius Ms.: *Esto ita, dilige*, etc.

[1] Mss. hoc loco, *gressus rectos*. Er., *gressus meos rectos*.

meus es tu. Magna vox orationis; movet fiduciam. Numquid illorum non est Deus? Cujus enim non est Deus, qui est verus Deus? Sed tamen proprie eorum est, qui eo fruuntur, qui ei serviunt, qui libenter sub ipso sunt. Nam et mali quamvis inviti, sub ipso sunt. Illi appellant Deum, a quo coronentur; sub illo illi fugiunt, a quo damnentur. Et iniquus qui non vult habere Dominum Deum suum, quo fugiet Deum omnium? Bonum est illi ergo ut convertatur ad Deum omnium, faciatque illum conversione suum; et positus inter tales peccatores, seductores, hypocritas, superbos, dicat ad Deum, quem sui conversione sibi fecit Deum suum: *Dixi Domino, Deus meus es tu. Percipe auribus, Domine, vocem deprecationis meæ.* Simplex quidem sententia est, et facilis ad intelligendum: sed tamen delectat forte cogitare quare non dixerit, Percipe auribus deprecationem meam; sed velut evidentius exprimens affectum animi sui, ait, *vocem deprecationis meæ*, vitam deprecationis meæ, animam deprecationis meæ, non quod sonat in verbis meis, sed unde vivunt verba mea. Cæteri enim strepitus sine anima, soni dici possunt, voces non possunt: vox proprie animatorum est, vivorum est. Quam multi autem deprecantur Deum, et non sentiunt Deum, nec bene cogitant de Deo? Sonum deprecationis habere possunt, vocem non possunt; quia vita ibi non est. Hujus qui vivebat, quia Deum suum intelligebat, et a quo liberaretur videbat, et a quibus liberaretur sentiebat, ipsa erat vox deprecationis ejus.

11. [*vers.* 8.] Ipsam commendans auribus Dei dicat, *Domine, Domine.* Tu *Domine, Domine*, id est, tu verissime Domine, non quales domini homines, non quales domini qui emunt sacello; sed qualis Dominus qui emit sanguine. *Domine, Domine, virtus salutis meæ:* id est, qui das vires saluti meæ. Quid sibi vult, *virtus salutis meæ?* Conquerebatur de scandalis et insidiis peccatorum, de circumlatrantibus et circuminsidiantibus malignis hominibus vasis diaboli, de superbis invidentibus justis, inter quales necesse est vitam ducere, cum hic vivimus in peregrinatione nostra hac. Talia vero scandala abundantia futura Dominus prædixit, et ait: *Abundabit iniquitas, et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Sed adjunxit statim solatium: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 12, 13). Attendit iste, et timuit; et abundantia iniquitatum turbatus respexit spem: quia *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Extendit se perseverare, et vidit longam viam; et quia perseverare magnum est et difficile, ipsum oravit ad perfectionem perseverantiæ suæ [1], a quo illi jussum est ut perseveraret. Certe salvus ero, si perseveravero usque in finem; sed perseverantia ad virtutem pertinet, ut merear salutem: tu es virtus salutis meæ, tu me facis perseverare, ut perveniam ad salutem. *Domine, Domine, virtus salutis meæ.* Et unde spero quia tu es virtus salutis meæ? *Obumbrasti super caput meum in die belli.* Ecce modo adhuc pugno: pugno foris contra fictos bonos, pugno intus contra concupiscentias meas; quoniam *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 23-25). Igitur laborans in hoc bello, respexit ad gratiam Dei; et quia jam cœperat æstuare et arescere, tanquam umbram invenit, sub qua viveret: *Obrumbrasti super caput meum in die belli;* id est, in æstu, ne fatigarer, ne arescerem.

12. [*vers.* 9.] *Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori.* Ecce quo mihi valebit umbraculum tuum, ut æstum non patiar a meipso. Et quid mihi peccator faceret ille, quantumlibet sæviret? Sævierunt enim in martyres iniqui; traxerunt eos, catenis ligaverunt, carceribus incluserunt, gladio ferierunt, bestiis subrexerunt [1], ignibus consumpserunt: hæc omnia fecerunt; sed non eos tradidit Deus peccatoribus, quia non sunt traditi a desiderio suo. Illud ergo ora, quantum potes, ut a desiderio tuo non te tradat Deus peccatori. Tu enim desiderio tuo locum diabolo das. Ecce enim diabolus proposuit lucrum, et invitavit ad fraudem: lucrum habere non potes, nisi fraudem feceris. Sed lucrum esca est, fraus laqueus. Sic attende escam, ut videas et laqueum: quia lucrum non potes adipisci, nisi fraudem feceris; fraudem autem si feceris, capieris. Non ideo dico, capieris, quia inveneris: aliquando enim non inveneris, sed ab hominibus; numquid a Deo [2]? Capieris, et traheris, et occideris. Omnis enim qui talia facit, perimit seipsum. Ibi est ergo esca, ibi est et laqueus; frena desiderium, et non cades in laqueum: si autem vicerit te desiderium escæ, mittit tibi collum in laqueum, et capiet te auceps animarum. *Ne tradas me a desiderio meo peccatori.* Inde inumbratur in die belli. Desiderium enim æstus facit; umbraculum autem Domini temperat desiderium, ut possimus refrenare quo rapiebamur, ut non ita exæstuemus, ut ad laqueum perducamur. *Cogitaverunt adversum me; ne derelinquas me, ne forte exaltentur.* Habes alio loco: *Qui me premunt exsultabunt si motus fuero* (*Psal.* XII, 5). Tales sunt et isti, quia talis est et ipse diabolus. Quando seduxerit hominem, gaudet, triumphat de illo; exaltatur ipse, quia ille humiliatus est. Quare autem ille humiliatus est? Quia male exaltatus fuit: et ille qui de illo triumphat, humiliabitur. Tales sunt enim omnes qui gaudent de malo; videntur sibi ad tempus gloriari, superbire, cervicem erigere. Non vos delectet exaltatio [3] eorum; escam habent in faucibus et hamum: ibi est quo delectantur, ibi est quo trahuntur. *Ne derelinquas me, ne forte exaltentur:* id est, non de me triumphent, non de me gaudeant.

13. [*vers.* 10.] *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum teget eos.* Me, inquit, umbra alarum tuarum teget: obumbrasti enim mihi in die belli. Ipsos quid teget? *Caput circuitus eorum:* ipsa est superbia Quid est, *circuitus ipsorum?* Ut circumeant, et non stent;

[1] Plures Mss., *ad perseverantiam suam.*

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov. *subjecerunt* M.
[2] Sic Mss. At Edd., *sed ab hominibus, a Deo autem capieris,* etc..
[3] Am et plures Mss., *exsultatio.*

in gyrum eant erroris, ubi iter est sine fine. Qui enim in longum it, alicunde incipit, alicubi finit: qui in gyrum it, nusquam finit. Ipse est labor impiorum, qui demonstratur in alio psalmo evidentius: *In circuitu impii ambulant* (*Psal.* XI, 9). Sed circuitus eorum caput, superbia est; quia initium omnis peccati superbia (*Eccli.* X, 15). Unde autem superbia *labor labiorum ipsorum?* Omnis enim superbus fictus est, omnis fictus mendax. Laborant homines loqui mendacium: nam veritatem tota facilitate loquerentur. Ille enim laborat qui fingit quod dicit. Nam qui verum vult dicere, non laborat: ipsa enim veritas sine labore loquitur. De homine ergo hoc dixit Deo: Me proteget umbraculum tuum; ipsos teget mendacium ipsorum: sed ipsum mendacium ipsorum, labor est labiorum ipsorum. *Ecce parturivit injustitiam, concepit dolorem, et peperit iniquitatem* (*Psal.* VII, 15). In omni enim opere malo labor est, et omne opus malum cogitatum, mendacium ducem habet. Non enim est veritas, nisi in opere bono. Et propterea quia omnes laborant in mendacio, Veritas quid clamavit? *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI, 28). Ipsa est vox clamans ad laborantes in alio psalmo: *Filii hominum usquequo gravi corde? utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium* (*Psal.* IV, 3)? Aperte audi alio loco laborem in mendacio: *Docuerunt linguas suas loqui mendacium; ut inique agerent laboraverunt* (*Jerem.* IX, 5). *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum teget eos.*

14. [*Vers.* 11.] *Decident supra eos carbones ignis in terra, et dejicies eos.* Quid est, *in terra?* Hic, adhuc in hac vita; hic *supra illos decident carbones ignis, et dejicies eos.* Qui sunt *carbones ignis?* Novimus istos carbones. An alii sunt isti, et alii illi de quibus dicturi sumus? Istos enim video ad pœnam valere; illos autem quos commemoraturus sum, ad salutem. Dictum est enim de quibusdam carbonibus, cum homo peteret adversum linguam subdolam auxilium: *Quid detur tibi, aut quid adjicietur tibi ad linguam subdolam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus vastatoriis* (*Psal.* CXIX, 3, 4): id est, verba Dei cor transfigentia, et vetustatem perimentia, amoremque gignentia; et exempla hominum qui mortui erant et revixerunt, et nigri erant, et fulgentes effecti sunt. Carbones enim tenebræ sunt; color indicat. Sed cum ad eos accesserit flamma charitatis, et ex mortuis revixerint, audiant ab Apostolo: *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8). Ipsi sunt carbones, fratres, quos intuemur, quando volumus mutare vitam transfixi sagitta Dei, et impediunt nos malæ linguæ hominum, de qualibus hic modo querebatur; et volunt seducere a via veritatis, potiusque inducere ad errores suos, et dicere nobis quia si professi fuerimus, non implebimus. Attendimus carbones illos. Qui erat heri ebriosus, hodie sobrius est; qui erat heri adulter, hodie castus est; qui erat heri raptor, hodie largitor: omnes isti carbones ignis sunt. Accedunt exempla carbonum ad vulnus sagittarum (non enim timeam dicere vulnus, cum clamet ipsa sponsa: *Vulnerata charitate ego sum* [*Cant.* II, 5, *sec.* LXX]), et fit ibi vastatio feni; propter quod et dicuntur carbones vastatorii. Vastatur fenum, sed purgatur aurum; et mutat homo ex morte vitam, et incipit esse etiam ipse carbo flagrans: qualis carbo erat Apostolus, qui prius fuit persecutor et blasphemus et injuriosus, niger et exstinctus; misericordiam vero consecutus (I *Tim.* I, 13), accensus est de cœlo: vox Christi accendit illum; periit in eo tota nigritudo, cœpit fervens spiritu quo accendebatur, accendere. Tales ergo et hic intellecturi sumus carbones ignis, qui cadunt super istos malos, et dejiciunt illos? Plane non prohibemur hunc habere intellectum. Video hic nobis elucescere non improbabilem et irreprehensibilem sententiam: intelligo illos carbones cadere super istos, ut dejiciantur. In alios enim veniunt, ut accendantur; in alios, ut dejiciantur: ipse enim carbo dicebat, *Quibusdam sumus odor mortis in mortem, quibusdam sumus odor vitæ in vitam* (II *Cor.* II, 16). Vident enim justos flammantes spiritu, candentes luce, et eis invidendo cadunt; hoc est quod supervenient illis carbones ignis in terra, et dejicientur. Quid est, *in terra?* Adhuc hic sunt in hac vita; excepta illa pœna quæ servatur impiis, carbones isti illos dejiciunt, antequam veniat ignis æternus: *Decident super eos carbones ignis in terra, et dejicient eos. In miseriis non subsistent.* Venit illis miseria et non tolerant: justus autem subsistit; quomodo ille subsistit, qui dicit, *Sed etiam gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem; spes autem non confundit: quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 3-5). At vero super illos cum ceciderit aliqua pressura, aliqua miseria, non subsistunt; cadunt. Quando enim tales patiuntur hujusmodi pressuras, non valent tolerare, decidunt in iniquitates malas; quia traduntur a desiderio suo peccatori.

15. [*Vers.* 12.] *Vir linguosus non dirigetur super terram.* Vir linguosus amat mendacia. Quid enim illi est voluptas, nisi loqui? Non enim attendit quid loquatur, dum loquatur [1]. Non potest fieri ut iste dirigatur. Qualis ergo esse debet servus Dei, accensus illis carbonibus, et ipse carbo salutaris effectus? qualis esse debet? Ut magis optet audire quam dicere, sicut scriptum est, *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum* (*Jacobi* I, 19): et, si fieri potest, hoc cupiat, non habere necessitatem loquendi, et dicendi [2], et docendi. Ecce enim dico Charitati vestræ: fratres mei, loquimur nos modo ad vos, ut aliquid doceamus vos: quanto melius, omnes sciremus, et nemo doceret alterum; ut non esset alius loquens, alius audiens, sed omnes audientes unum illum cui dicitur, *Auditui meo dabis exsultationem et lætitiam* (*Psal.* L, 10)? Unde et ille Joannes, non tam gaudebat quia prædicabat, et quia loquebatur; sed gaudebat quia audiebat: ait enim, *Amicus*

[1] Sic aliquot Mss. Edd. vero, *loquitur.*
[2] Edd. omittunt, *et dicendi.*

autem sponsi stat, et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi (*Joan.* III, 29). Itaque, fratres, cito dixerim Charitati vestræ, ubi unusquisque probet se : non ut non loquatur [1], sed ut de illo locutionis officium exigat; gaudium autem taciturnitatis habeat in voluntate, vocem doctrinæ in necessitate. Quando enim opus est voce doctrinæ? Quando pateris imperitum, quando pateris indoctum. Si semper te delectat docere, semper vis habere imperitum quem doceas : si autem benevolus es, et vis omnes doctos esse, non vis semper habere quos doceas; et non erit in voluntate exercitatio vel probatio doctrinæ tuæ, sed in necessitate. Gaudium tibi sit in auditione Dei, necessitas tibi sit in locutione tua; et non eris vir linguosus, ne non dirigaris. Quare vis loqui, audire non vis? Semper foras exis, intro redire detrectas. Qui enim te docet, intus est : quando tu doces, tanquam foras exis ad eos qui foris sunt. Ab interiore enim audimus veritatem, et ad eos qui foris a nostro corde sunt, loquimur. Quod enim dicimur eos in corde habere de quibus cogitamus, secundum quamdam imaginem dicimur, quam de illis habemus impressam. Nam si omnino intus ipsi essent, scirent utique quid in corde nostro esset; atque ita ut eis loqueremur, opus non esset. Si autem hoc te delectat quod foris agis; vide ne tumescas foris, et non possis redire per angustam [2], et non possit tibi dicere Deus tuus, *Intra in gaudium Domini tui :* sed dicat tibi, quia forinsecus erat quod amasti, *Ligate ei manus et pedes, et mittite eum in tenebras exteriores* (*Matth.* XXII, 13). Ubi enim ostendit malum esse mitti exterius, ibi ostendit bonum esse intrare interius. Nam servo bono quid dixit? *Intra in gaudium Domini tui.* Malo autem servo, *Projicite illum in tenebras exteriores* (*Id.* XXV, 21, 23, 30). Non ergo amemus magis exteriora, sed interiora : de interioribus gaudeamus; in exterioribus autem necessitatem habeamus, non voluntatem [3]. *Vir linguosus non dirigetur super terram.*

16. *Virum injustum mala venabuntur in interitum.* Veniunt mala, et non subsistit; ideo dixit, *Venabuntur in interitum.* Multis enim bonis, multis justis evenerunt mala; et tanquam invenerunt eos mala. Nam ideo dixit, *Venabuntur*, quia unusquisque abscondere se vult a malo : sed cum invenitur a malo, quasi factus est in venationem. Numquid autem soli mali fugiunt a malis, quando quæruntur a malis? Nonne et bonis dictum est : *Si vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam* (*Id.* X, 23)? Ergo quando mali persequebantur bonos, id est martyres nostros, cum eos comprehenderunt, venati sunt eos; sed non ad interitum. Pressa est enim caro, coronata est anima; et ejecta est anima de carne, nec carni aliquid factum est quod obesset in posterum. Incensa sit caro, percussa sit caro, laniata sit caro; numquid ideo subtracta est Creatori, quia data est in manus persecutoris? Ille qui creavit ex eo quod non erat, non reparabit melius quam erat? Ergo quandocumque capti sunt justi, venati sunt illos quidem mali, sed non ad interitum. At vero illi qui non dirigentur et linguosi sunt, mala eos venabuntur ad interitum. Quare? Quia *in miseriis non subsistent.*

17. [*vers.* 13.] *Cognovi quia faciet Dominus judicium egentis.* Egens iste non est linguosus : qui enim linguosus est, abundare vult, esurire nescit. Illi autem egentes sunt, quibus dicitur, *Pulsate, et aperietur vobis; quærite, et invenietis; petite, et dabitur vobis* (*Matth.* VII, 7) : ille egens est, de quo dicitur, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Id.* V, 6). Gemunt inter scandala malorum, ipsi precantur ad caput suum, ut eruantur ab homine malo, et ab homine maligno liberentur, et de manibus injustorum eruantur. Ipsi ergo sunt quorum causam Dominus non negliget : et si modo pressuras patiuntur, apparebit gloria ipsorum, cum apparuerit caput ipsorum. Talibus enim hic constitutis dicitur, *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III, 3). Ergo pauperes sumus, abscondita est vita nostra; clamemus ad panem : est enim panis vivus qui de cœlo descendit (*Joan.* VI, 41); et qui in via reficit nos, in patria saturabit nos. Modo enim, ut duremus, reficimur : nam necesse est esuriamus, quoadusque satiemur. *Cognovi quia faciet Dominus judicium egentis.* Certus erat iste *quoniam faciet Dominus judicium egentis, et causam pauperum.* Ostendet iniquis quomodo diligit justos suos; ostendet divitibus quomodo diligat pauperes suos. Divites dixit, superbos; pauperes dixit, humiles : divites dixit, per abundantiam non quærentes; pauperes dixit, per desiderium suspirantes. Faciet Dominus causam ipsorum.

18. [*vers.* 14.] *Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo.* Et quando ages causam ipsorum, et quando facies judicium ipsorum, tuo nomini confitebuntur : meritis suis nihil tribuent, non tribuent totum nisi misericordiæ tuæ. *Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo.* Et quia confitebuntur nomini tuo, ut quantumcumque justi fuerint, nihil sibi assumant de suo, nihil sibi tribuant de suo; quid fiet, ut dirigant cor? Quia quando ad se flectunt, torquent cor; quando autem in Dominum intendunt, dirigunt cor. Et ubi erit voluptas, ubi requies, ubi gaudium, ubi beatitudo? Numquid in se? Non; sed in quo sunt lux. *Nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8), dixit. Ideo vide quid sequitur, vide quo concludit : *Inhabitabunt recti cum vultu tuo.* Male enim illis fuit in vultu suo; bene illis erit cum vultu tuo. Quando vultum suum amaverunt, in sudore vultus sui panem manducaverunt (*Gen.* III, 19). Redeant, et deterso sudore, finitis laboribus, pereunte gemitu, veniet illis facies tua abundans sufficientia. Nihil quærent amplius, quia melius non habent; amplius non te deserent, nec deserentur a te [1]. Etenim post resurrectionem de

[1] Sic Mss. At Edd., *non ut loquatur.*
[2] Edd., *per angustum.* At Mss., *per angustam :* supple *portam*, aut *viam.* Alludit ad Matth. VII, 13.
[3] Sic Am. et Mss. At. Er. et Lov., *voluptatem.*

[1] Sic plerique Mss. At Edd., *non te deserent, nec deserantur a te.* Aliquot Mss., *non te deserant, nec deserentur a te.*

Domino quid dictum est? *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo* (*Psal.* XV, 11). Sine vultu suo non nobis daret lætitiam. Ad hoc purgamus vultum nostrum, ut gaudeamus ad vultum ipsius. *Filii* enim *Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2); quia *inhabitabunt recti cum vultu tuo.* Putamusne cum vultu Patris, et non cum vultu Filii? an cum vultu Filii, et non cum vultu Patris? an unus quodammodo vultus Patris et Filii et Spiritus sancti? Videamus si non nobis ipse Filius promittit vultum suum, unde nos lætos faciet. Modo hoc capitulum in Evangelio, quod huic psalmo attestaretur, Dominus Deus inspiravit ut legeretur. Ait enim ipse Dominus, *Qui audit præcepta mea, et custodit ea, ipse est qui diligit me: et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et ostendam illi meipsum* (*Joan.* XIV, 21). Quale promisit præmium, dilectissimi? Numquid cum non videbant, quibus se ostendere promittebat? nonne ante illos erat? nonne facies carnis illius adjacebat oculis eorum? Quid est quod volebat ostendere videntibus se? Sed quia talem videbant discipuli, qualem crucifixerunt Judæi; erat autem Deus in carne illa occultus; hominem autem possent videre homines, Deum vero non possent, quamvis in homine; quia *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8): dedit formam hominis, et piis et impiis; servavit formam Dei mundatis et piis, ut jucundemur in illo, et bene nobis in æternum sit cum vultu ipsius.

IN PSALMUM CXL ENARRATIO.

SERMO AD POPULUM.

1. Audistis, fratres, admonitionem et petitionem nostram ex ore Apostoli, cum ejus modo Epistola legeretur. Ait enim: *Orationi instantes, vigilantes in illa; orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi ad loquendum mysterium ejus, ut manifestem illud, sicut oportet me loqui* (*Coloss.* IV, 2-4). Hæc verba etiam mea deputare dignemini. Sunt enim in Scripturis sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant; ad hoc quæruntur, ut exerceant; ad hoc aperiuntur, ut pascant. Psalmus quem modo cantavimus, in multis sententiis subobscurus est. Cum, adjuvante Domino, ea quæ dicta sunt, erui et exponi cœperint, videbitis hoc vos audire quod jam noveratis. Sed ideo multipliciter dicta sunt, ut varietas locutionis fastidium tolleret veritatis.

2. Quid enim amplius, fratres, vel salubrius audituri et cognituri estis, quam, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua;* et, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum?* Sed ne putetis hæc duo præcepta parva esse: *In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 37-40). Quidquid ergo salubriter mente concipitur, vel ore profertur, vel de qualibet divina pagina exsculpitur, non habet finem nisi charitatem. Hæc autem charitas non qualiscumque est. Nam et male viventes irretiuntur sibi societate perditæ conscientiæ, et dicuntur amare se, nolle discedere ab invicem, suis collocutionibus conciliari, desiderare se absentes, gaudere ad præsentiam suam. Amor iste tartareus est: viscum habet, quo dejiciat in profundum; non pennas, quibus levet in cœlum. Quæ est autem charitas, ut a cæteris quæ appellantur charitates, segregetur et distinguatur? Ea quæ charitas dicitur vera Christianorum, a Paulo definita est, atque ita suis quibusdam terminis circumscripta, cum sit divinitate infinita, ut omnino discernatur a cæteris. *Finis* enim, inquit, *præcepti est charitas.* Posset hucusque dicere. Nam aliis locis ubi tanquam scientibus loquebatur, hucusque dixit: *Plenitudo*, inquit, *legis charitas* (*Rom.* XIII, 10); et non dixit qualis charitas. Ideo ibi non dixit, quia dixit alibi: non enim ubique omnia dici aut possunt, aut debent. Ergo hic, *Plenitudo legis charitas.* Quærebas forte, quæ charitas? qualis charitas? Audis alio loco: *Finis præcepti est charitas de corde puro.* Jam videte utrum inter se latrones habeant charitatem de puro corde. Purum cor in charitate hoc est, quando diligis hominem secundum Deum; quia et teipsum sic debes diligere, ut non erret regula, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Si enim male te diligis et inutiliter; ita et proximum diligendo, quid ei consulis? Quomodo autem te male diligis? Quomodo innuit [1] Scriptura, quæ neminem palpat, et convincit quia non te diligis; imo convincit quia et odisti te: *Qui autem*, inquit, *diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X, 6). Si ergo diligis iniquitatem, putas quod teipsum diligas? Erras: ita et proximum diligens, ad iniquitatem duces, et dilectio tua laqueus erit dilecti. *Charitas* ergo *de puro corde* est quæ est secundum Deum, *et conscientia bona, et fide non ficta* (I *Tim.* 1, 5). Ista charitas definita ab Apostolo habet duo præcepta; dilectionis Dei, et dilectionis proximi. In nullis Scripturis aliud requiratis, nemo vobis aliud præcipiat. Quidquid obscurum est in Scriptura, hæc ibi occulta est: quidquid ibi planum est, hæc ibi aperta est. Si nusquam aperta esset, non te pasceret: si nusquam occulta, non te exerceret. Hæc charitas clamat de corde puro, de corde talium in his verbis, qualis hic modo orat. Et quis iste sit, cito dixerim: Christus est.

3. Audituri autem estis verba quæ de Domino nostro Jesu Christo indigne accipiuntur, et putabit parum intelligens temere me dixisse Christi esse personam in hoc psalmo. Quomodo enim potest de Domino nostro Jesu Christo, de illo agno immaculato, de illo in quo solo non est inventum peccatum, qui solus verissime dicere potuit, *Ecce venit princeps mundi hujus, et in me nihil inveniet* (*Joan.* XIV, 30), id est, nullam culpam, nullum reatum; qui solus, quod non rapuit, exsolvebat (*Psal.* LXVIII, 5); qui solus innocentem sanguinem fudit, Filius Dei unicus carnem accipiens, non qua ipse minueretur, sed qua nos au-

[1] Sic aliquot Mss. Alii vero: *Quomodo invenit.* Edd.: *Quomodo te invenit.*

geret : quomodo ergo de ista persona recte accipitur, *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium continentiæ circum labia mea, ut non declines cor meum in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis?* Manifestissime quippe iste est sensus : Custodi, Domine, os meum janua quadam et ostio præcepti tui, ut in verba maligna non declinetur cor meum. Quæ verba maligna? Quibus excusantur peccata. Ne, inquit, peccata mea malim excusare, quam accusare. Hæc verba in ipsum Dominum nostrum Jesum Christum non cadunt. Quæ enim ille peccata commisit, quæ confiteri potius quam defendere debuisset? Nostra verba ista sunt. Certe Christus loquitur. Si nostra verba sunt, quomodo Christus loquitur? Et ubi est charitas de qua loquebar? Nescitis quia ipsa unum nos fecit in Christo? Charitas clamat ad Christum de nobis, Charitas clamat de Christo pro nobis. Quomodo charitas clamat ad Christum de nobis? *Et erit, omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (*Joel* II, 32). Quomodo charitas de Christo pro nobis? *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? *Vos*, inquit Apostolus, *estis corpus Christi et membra* (*I Cor.* XII, 27). Si ergo ille caput, nos corpus, unus homo loquitur; sive caput loquatur, sive membra, unus Christus loquitur. Et capitis est proprium loqui etiam in persona membrorum. Ipsam nostram consuetudinem advertite. Primo quomodo loqui in membris nostris non potest nisi caput : jam vero caput nostrum quomodo loquatur in persona omnium membrorum, advertite. In angusto tibi pedem aliquis calcat : Calcas me, dicit caput. Vulneravit tibi aliquis manum : Vulnerasti me, dicit caput. Caput tuum nullus tetigit, sed loquitur unitas compaginis corporis tui. Omnium membrorum tuorum personam illa, quæ in capite est, lingua suscepit, ipsa pro omnibus verbo fungitur. Sic ergo audiamus Christum loquentem; sed unusquisque agnoscat ibi vocem suam, tanquam hærens in Christi corpore. Aliquando enim dicturus est verba in quibus nullus nostrum inveniat personam suam, sed ad solum caput pertineant; non se tamen separat ex verbis nostris et ad sua propria tollit, vel a suis propriis non ad nostra redit. De ipso enim et de Ecclesia dictum est: *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24). Unde et ipse in Evangelio dicit de hac ipsa re : *Jam igitur non sunt duo, sed una caro* (*Matth.* XIX, 6). Hæc nova non sunt; a vobis semper[1] audita sunt : sed per occasiones necesse est commemorentur, primo quia ipsæ Scripturæ quas tractamus, ita sibi sunt innexæ, ut multa in multis repetantur; et utile est. Cura enim mundi spinas habet, et offocat semina; oportet sæpius a Domino commemorari quod cogit mundus oblivisci.

4. [*vers.* 1.] *Domine, clamavi ad te, exaudi me.* Hoc omnes possumus dicere. Hoc non dico, totus Christus dicit : sed magis ex persona corporis dictum est; quia et cum hic esset, carnem portans oravit, et ex persona corporis oravit Patrem, et cum oraret globi sanguinis de toto corpore ejus destillabant. Sic scriptum est in Evangelio : *Oravit Jesus intenta oratione, et sudavit sanguinem* (*Luc.* XXII, 44). Quid est de toto corpore sanguinis effluxio, nisi de tota Ecclesia martyrum passio? *Domine, clamavi ad te, exaudi me : intende voci deprecationis meæ, dum clamavero ad te.* Jam finitum negotium clamandi putabas, cum diceres, *Clamavi ad te.* Clamasti, jam noli esse securus. Si finita est tribulatio, finitus est clamor : si autem manet tribulatio Ecclesiæ et corporis Christi usque in finem sæculi, non tantum dicat, *Clamavi ad te, exaudi me;* sed, *Intende voci deprecationis meæ, dum clamavero ad te.*

5. [*vers.* 2-4.] *Dirigatur oratio mea tanquam incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Hoc de ipso capite solere intelligi, omnis christianus agnoscit. Declinante enim jam die in vesperum, Dominus in cruce animam deposuit recepturus, non amisit invitus. Sed tamen et ibi nos figurati sumus. Quid enim illius pependit in ligno, nisi quod de nobis accepit? Et unde fieri potest ut aliquando Deus Pater dimittat et deserat unicum Filium, qui utique cum illo unus Deus est? Et tamen nostram infirmitatem figens in cruce, ubi *vetus homo noster*, sicut dicit Apostolus, *confixus est cruci cum illo*, ex voce ipsius hominis nostri clamavit : *Deus meus, Deus meus, utquid me dereliquisti* (*Psal.* XXI, 2; *Matth.* XXVII, 46)? Illud ergo est sacrificium vespertinum, passio Domini, crux Domini, oblatio victimæ salutaris, holocaustum acceptum Deo. Illud sacrificium vespertinum fecit in resurrectione munus matutinum. Oratio ergo pure directa de corde fideli, tanquam de ara sancta surgit incensum. Nihil est delectabilius odore[2] Domini : sic oleant omnes qui credunt.

6. « Vetus » ergo « homo noster, » Apostoli verba sunt, « confixus est cruci cum illo; ut evacuaretur, » inquit, « corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato » (*Rom.* VI, 6). Inde et in ipso psalmo cum dictum esset, « Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me, longe a salute mea; » statim subjectum est, « Verba delictorum meorum. » Quorum delictorum, si caput attendas? Et tamen ejus fuisse vocem in psalmo, ipse testatus est in cruce, ipsa verba dixit, ipsum versum pronuntiavit. Non est relictus humanæ conjecturæ locus, nullus negandi aditus qualicumque christiano. Quod lego in psalmo, hoc audio a Domino. In ipso etiam psalmo agnosco quod in Evangelio lego : « Foderunt manus meas, et pedes; dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt, et conspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem » (*Psal.* XXI, 17-19). Hæc omnia sicut prædicta, ita facta; sicut audivimus, ita et vidimus (*Psal.* XLVII, 9). Ergo si Dominus noster Jesus Christus nos figurans in charitate corporis sui, quamvis esset ipse sine peccato, dixit, *Verba delictorum meorum;* dixit autem hoc ex persona corporis sui : quis audet in membris ejus dicere non se habere peccatum, nisi qui fuerit ausus se falsæ justitiæ nomine efferre, et Christum falsitatis

[1] Edd. *sæpe*. At Mss, *semper*.

[2] Plures Mss., *odoris*.

arguere? Fatere ergo, o membrum, quod pro te pronuntiavit caput tuum. Quod ut fateamur, quod ut faciamus, nec nos justificemus ante conspectum solius justi, qui justificat impium (*Rom.* IV, 5); subjecit jam sui corporis vocem : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium continentiæ circa labia mea.* Non dixit, claustrum continentiæ; sed, *ostium.* Ostium et aperitur et clauditur : ergo si ostium est, et aperiatur, et claudatur; aperiatur ad confessionem peccati, claudatur ad excusationem peccati. Ita enim erit ostium continentiæ, non ruinæ.

7. Quid enim nobis prodest hoc ostium continentiæ? quid orat ex persona corporis Christus? *Ut non declines*, inquit, *cor meum in verba maligna.* Quid est, *cor meum?* Cor Ecclesiæ meæ, cor utique corporis mei. Verba illa attendite ubi nobis regula figitur, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? cum ipsum nemo tetigisset. « Esurivi, et cibastis me; sitivi, et potum dedistis mihi : » et cætera. Et illi : « Quando te vidimus esurientem aut sitientem? » Et ille : « Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis » (*Matth.* XXV, 35, 37, 40). Hæc Christianis inusitata esse non debent, maxime in quibus regulæ fixæ sunt et cæterorum intelligendorum; et aut non turbabuntur, aut cito corrigentur. Sicut ergo ibi dicturi sunt justi : Domine, quare dixisti, *Esurivi, et dedistis mihi manducare? quando vidimus te esurientem?* et ille responsurus est, *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis;* sic et hic dicamus [1] Christo intus, in interiore homine nostro, qui ibi per fidem habitare dignatur (*Ephes.* III, 17). Non enim absens est a nobis, et non est cui dicamus, cum ipse dicat : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Dicamus ergo illi et nos, quoniam vocem ejus in hoc psalmo accepimus : ejus enim vox est, quod nemo negat, « Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. » Dic ergo consequenter : « Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium continentiæ circum labia mea; ut non declines cor meum in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis. » Quare sic oras, Domine? quæ peccata tua excusaturus es? Respondet, Cum unum ex membris meis sic orat, ego sic oro : sicut ibi respondit, *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

8. Cum autem non declinatum fuerit cor tuum, o membrum Christi, cum cor tuum non fuerit declinatum « in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem; et non » combinabis « cum electis eorum. » Hoc enim sequitur : « Et non combinabo cum electis eorum. » Qui sunt electi eorum? Qui seipsos justificant. Qui sunt electi eorum? Qui sibi justi videntur, et contemnunt cæteros, sicut pharisæus ille in templo dixit: *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines* (*Luc.* XVIII, 11). Qui sunt electi eorum? *Hic homo si propheta esset, sciret quæ mulier illi accessit ad pedes.* Agnoscitis vocem alterius pharisæi, qui Dominum invitaverat, quando mulier illa quæ erat in civitate peccatrix, venit et accessit ad pedes ejus? Illa impudica, quondam frontosa ad fornicationem, frontosior ad salutem, irrupit in domum alienam. Sed ille qui ibi discumbebat, non erat alienus. Non extranea quemlibet convivam, sed ancilla Dominum suum secuta est. Accessit ad pedes, quia ejus vestigia sequi cupiebat; lavit lacrymis, tersit capillis. Pedes Christi qui sunt, nisi per quos peragravit totum mundum? *Quam speciosi pedes eorum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona* (*Isai.* LII, 7; *Rom.* X, 15)! Pedes ergo Domini quanti susceperunt, ut suscipiendo justum in nomine justi, mercedem justi acciperent; et susceperunt prophetam in nomine prophetæ, ut mercedem prophetæ acciperent! « Et quicumque potum dederit, » inquit, « uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam » (*Matth.* X, 41, 42). Qui ergo tali humanitate pedes Domini suscepit, quid impendit, nisi quæ habebat in domo superflua? Merito quia capilli quasi superflui sunt, inde illa pedes Domini detergebat. Superflua tua necessaria fiunt tibi, si inde fueris obsecutus pedibus Domini. Ergo illa curari volebat, conscia magni vulneris. Sed numquid magnum vulnus, et parvus medicus? Pharisæi autem nolebant se tangi ab immundis, vitabant omnem contactum peccatorum; et si quando forte necessitate tangebantur, abluebant se. Et prope baptizabant per omnes horas non tantum se, sed et vasa sua, lectos suos, calices, paropsides, sicut Dominus in Evangelio commemorat (*Id.* XXIII, 25). Cum ergo ille pharisæus nosset hanc mulierem, quæ utique si ad pedes illius pharisæi accederet, repelleret eam, ne sanctitas ejus pollueretur; habebat enim eam in corpore, non in corde; et quia non habebat eam in corde, utique falsam habebat in corpore : quia ergo ille eam repulsurus esset, cum hoc Dominus non fecit, existimavit eum nescire quæ illa esset, et dixit apud semetipsum, *Hic si esset propheta, sciret quæ mulier illi accessit ad pedes.* Non dixit, repulisset eam : sed, *sciret quæ* esset; tanquam esset consequens ut si sciret, repelleret. Ex illo ergo quod non eam repulit, etiam nescisse eum pro certo suspicatus est. Dominus autem sic habebat oculos in illam mulierem, ut aures haberet in cor pharisæi. Itaque audita cogitatione ejus, proposuit similitudinem quam nostis. « Duo debitores erant cuidam feneratori; unus ei debebat quingentos denarios, alter quinquaginta : cum non haberent ambo unde redderent, donavit ambobus. Quæro abs te, » inquit, « quis eum plus dilexit? Et ille respondit, » jam coactus veritate adversus seipsum proferre sententiam : « Credo, » inquit, « Domine, quia ille cui plus donavit. Et conversus ad mulierem, dixit ad Simonem : Vides istam mulierem? Introivi in domum tuam : osculum mihi non dedisti; illa autem non intermisit pedes meos osculari : aquam mihi ad pedes non dedisti; illa lacrymis suis lavit mihi pedes : oleum mihi non dedisti; illa unxit unguento. Propter quod dico tibi : dimittuntur ei pec-

[1] Edd., *in Christo.* Particulam, *in*, non omnes habent Mss.

cata multa, quoniam dilexit multum » (*Luc.* VII, 36-47). Quare? Quia confessa est, quia flevit, quia non declinatum est cor ejus in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis, non combinata est cum electis eorum, id est, defendentibus se.

9. Non enim et huic ipsi mulieri, si declinaretur cor ejus in verba maligna, deesset defensio peccatorum. Annon quotidie pares ejus in turpitudine, sed non pares in confessione, meretrices, adulteræ, flagitiosæ defendunt peccata sua? Si latuerint, negant; si autem vel deprehensæ atque convictæ fuerint, vel publice id egerint, defendunt. Et quam facilis defensio earum, quam cita, sed quam præceps, quam quotidiana et quam sacrilega! O si Deus hoc nollet, non facerem! Hoc voluit Deus, fortuna hoc voluit, hoc voluit fatum. Non dicit, *Ego dixi, Domine, miserere mei;* non quomodo illa peccatrix ad pedes medici veniens, *Sana animam meam, quoniam peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5). Et ista, fratres mei, defensio qualium est? Non solum indoctorum, sed etiam doctorum. Sedent, et computant sidera; intervalla[1], cursus, volubilitates, status, motus intendunt, describunt, conjiciunt. Docti, magni videntur. Totum hoc doctum et magnum, defensio peccati est. Eris adulter, quia sic habes Venerem: eris homicida, quia sic habes Martem. Mars ergo homicida, non tu; et Venus adultera, non tu. Vide ne et pro Marte et pro Venere tu damneris. Deus enim qui damnaturus est, novit quia tu es, qui dicis, Non ego, judici scienti. Porro ipse mathematicus qui tibi fabulas laqueorum tuorum etiam vendit, ut non vel gratuitam compares mortem (emis enim mortem a mathematico pretio, qui contempsisti vitam a Christo gratis): ipse ergo mathematicus si uxorem suam paulo petulantius viderit conversari, aut aliquos alienos improbe attendere, aut fenestram crebro repetere; nonne arripit, verberat, et dat disciplinam in domo sua? Respondeat illi uxor: Si potes, Venerem cæde, non me. Nonne et ille respondebit: Fatua, aliud est quod competit rectori, aliud quod profertur emptori? Ergo electi eorum qui sunt? Electi malorum, electi impiorum, cum quibus non est combinandum, id est, cum quibus non est habenda societas. Qui sunt autem? Arbitrantes se justos, et contemnentes cæteros quasi peccatores, sicut erant illi pharisæi: aut quia ipsa peccata manifeste vel deprehenduntur, vel publice fiunt, defendentes et asserentes, ne aliquid culpæ eorum tribuatur; et ut ipsi nihil mali fecisse judicentur, sed totum Deus, qui vel sic creavit hominem, dicunt, vel stellas composuit, vel res humanas negligit. Defensiones sunt electorum sæculi. Sed dicat membrum Christi, dicat corpus Christi, dicat Christus ex persona corporis sui, « Non declines cor meum in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis, cum hominibus operantibus iniquitatem; et non combinabo cum electis eorum. »

10. Nostis, fratres, quod non est prætermittendum, quasi justos eminentiores in se tenentes velut primum gradum justitiæ, Electos vocari apud Manichæos. Qui noverunt, recognoscant; qui nesciebant, audiant. Electi quidem Dei sunt omnes sancti, et habemus hoc in Scripturis (*Matth.* XXXIV, 22, 24, 31): sed usurparunt sibi illud nomen, et quasi familiarius sibi applicaverunt, ut tanquam proprie jam electi appellentur. Qui sunt isti electi? Quibus si dixeris, Peccasti; statim illam defensionem impiam et pejorem cæteris magisque sacrilegam proferunt: Non ego peccavi, sed gens tenebrarum. Quæ est ista gens tenebrarum? Quæ bellum gessit cum Deo. Et ipsa peccat, cum tu peccas? Ipsa, inquit, quia commixtus sum illi. Deus enim qui te commiscuit, quid timuit? Hoc enim dicunt, quod illa gens tenebrarum rebellaverit adversus Deum, antequam mundus fieret; et ille cavens ne regna ejus loco adveniente hostili impetu vastarentur, misit huc membra sua, substantiam suam, hoc quod ipse est; si aurum, aurum; si lux, lucem: quidquid illud est, hoc misit, et miscuit visceribus gentis tenebrarum, dicunt, et fabricavit inde mundum. Et nos animæ, inquiunt, de ipsis membris Dei sumus; sed premimur hic visceribus gentis tenebrarum, et quidquid peccare dicimur, illa gens peccat. Se quidem videntur excusare a peccato; sed Deum suum non excusant a crimine timoris, nec ipsam substantiam Dei sui a crimine corruptibilitatis. Si enim incorruptibilis Deus, si incommutabilis, si incontaminabilis, si immaculabilis, si impenetrabilis, quid ei factura erat gens illa? Fecisset illa quem vellet impetum; quomodo terreret impenetrabilem, inviolabilem, incontaminabilem, incommutabilem et incorruptibilem? Si ergo talis Deus, crudelis; quia sine causa huc vos misit, cui nihil noceri poterat. Quare vos misit? Ecce gens tenebrarum illi nocere non poterat; ipse autem vobis graviter nocuit, et ipse, magis quam illa, hostis vester fuit: quanquam et ipsa vobis nocere potuit. Potuistis premi, potuistis captivari, potuistis inquinari, potuistis corrumpi: potuit ergo et ille. Frustum enim quodammodo, et portiuncula naturæ ipsius convincit massam. Quale est illud quod huc misit, tale est et illud quod ibi remansit. Hoc ipsi dicunt: ipsi fatentur quia duæ substantiæ sunt; una illa, et una ista. Libri eorum hoc habent; et si negant, leguntur, et convincuntur.

11. Quid ergo? Ut in hoc uno exordio nihil amplius dicam, non dicam pejora, non dicam sceleratiora: in hoc ipso exordio quo bellum inducunt, videte quemadmodum debellentur; et ubi pugnatum adversus Deum a gente tenebrarum dicunt, ipsi in eorum verborum pugna capiuntur. Non enim est quod dicant, aut quo refugiant. Sed vis, o nefande, false electe, defendere peccatum tuum, ut quando aliquid mali feceris, non tu fecisse videaris: quæris in quem peccatum tuum refundas, et refundis in gentem tenebrarum. Sed ad Deum attende, si non in illum refundis. Si enim posset gens tenebrarum, quam fingitis, hoc tibi diceret: Quid me accusas? Potui aliquid facere Deo tuo, annon potui? Si potui, fortior illo sum: si non potui, quare me timuit? Si non timuit,

[1] Unus Ms., *siderum intervalla.*

quare huc te misit, ut tanta hic patiaris, cum sis membrum ipsius, cum sis substantia ipsius? si non timuit, invidit; si hoc timore non fecit, crudelitate fecit. Quam ergo iniquus est, cui nihil noceri poterat, et fecit ut membris suis hic ita noceretur? An poterat noceri? Ergo incorruptibilis non est. Cum vis ergo te defendere de peccato tuo, laudare non potes Deum. In laude Dei non capereris, nisi in tua jactareris. Transi ad vituperationem tuam, et laudabis Deum. Redi ad verba Psalmorum quos exsecramini, dic: *Ego dixi, Domine, miserere mei; sana animam meam, quoniam peccavi tibi.* Ego dixi, ego peccavi; non fortuna, non fatum, non gens tenebrarum. Si ergo tu peccasti, jam vide quemadmodum pateat laus Dei, in qua angustabaris, cum te velles defendere. Melius in peccatis tuis angustaris, et in illius laude dilataris. Jam ergo confesso peccato tuo, vide quemadmodum laudetur Deus: quia et justus est, cum te punit perseverantem; et misericors, cum liberat confitentem. *Non* ergo, inquit, *declines cor meum in verba maligna, ad excusandas excusationes in peccatis;* ut dicam quia gens tenebrarum fecit quod ego feci.

12. *Cum hominibus operantibus iniquitatem.* Quam iniquitatem? Dicamus aliquam eorum iniquitatem nefandam. Audite iniquitatem nefariam Manichæorum publicam, quam confitentur. Expedire dicunt homini feneratorem esse, quam agricolam. Quæris causam, et reddunt rationem. Vide si ratio illa non dementia nominanda est. Qui enim in usuram, inquiunt, dat pecuniam, non lædit crucem luminis (multi non intelligunt, sed exponam): qui autem, inquiunt, agricola est, multum lædit crucem luminis. Quæris quam crucem luminis? Membra, inquiunt, illa Dei quæ capta sunt in illo prælio, mixta sunt universo mundo, et sunt in arboribus, in herbis, in pomis, in fructibus. Dei membra vexat, qui terram sulco discindit; Dei membra vexat, qui herbam de terra vellit; Dei membra vexat, qui pomum carpit de arbore. Hæc ne faciat in agro falsa homicidia, facit in fenore vera homicidia. Panem mendicanti non porrigit. Videte si potest esse major iniquitas ista justitia [1]. Panem mendicanti non porrigit: quæris, quare? Ne vitam quæ est in pane, quam dicunt membrum Dei, substantiam divinam, mendicus ille accipiat, et liget eam in carne. Quid ergo vos? quid? quare manducatis? Carnem non habetis? Sed nos, inquiunt, quia fide Manichæi illuminati sumus, orationibus et psalmis nostris, qui electi sumus, purgamus inde vitam quæ est in illo pane, et mittimus illam ad thesauros cœlorum. Tales sunt electi, ut non sint salvandi a Deo, sed salvatores Dei. Et ipse est Christus, dicunt, crucifixus in toto mundo. Ego in Evangelio Salvatorem acceperam Christum; vos autem estis in libris vestris salvatores Christi. Estis plane blasphematores Christi, et ideo a Christo non salvandi. Ergo buccella ne detur mendico, et ploret in buccella membrum Dei, mendicus fame moriturus est! Falsa misericordia in buccellam, facit verum homicidium in hominem [1]. Sed qui sunt isti electi eorum? *Non declines cor meum in verba maligna, et non combinabo cum electis eorum.*

13. [*vers.* 5.] *Emendabit me justus in misericordia, et arguet me.* Videte peccatorem confessorem [2]: emendari se vult misericorditer, potius [3] quam laudari fallaciter. *Emendabit me justus in misericordia:* si justus est, si misericors est, quando me videt peccantem. Hoc utique quædam membra Christi dicunt, de quibusdam membris Christi dicunt, in uno corpore dicunt. Dignatur loqui Dominus ex persona emendatoris, nec respuit personam emendati vel emendandi [4]: omnia enim membra in illo, et ipse dicit, *Emendabit me justus.* Quis justus te emendaturus est? Caput emendat omnia membra. *Emendabit me justus in misericordia, et arguet me.* Arguet, sed in misericordia: arguet, sed non odit; et eo magis arguet, quia non odit. Et iste quare inde gratias agit? Quia, *Corripe sapientem, et amabit te* (*Prov.* IX, 8). *Emendabit me justus:* quia persequitur? Absit: hic est potius emendandus, si odio emendat. Quare ergo emendat? *In misericordia. Et arguet me:* in quo [5]? In misericordia. *Oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum.* Quid est, *Oleum peccatoris non impinguabit caput meum?* Non crescet caput meum de adulatione. Falsa laus adulatio est; falsa laus adulatoris, hoc est oleum peccatoris. Propterea et homines cum falsa laude aliquem irriserint, hoc etiam de illo dicunt: Unxi illi caput. Amate ergo argui a justo in misericordia; nolite ergo amare laudari a peccatore cum irrisione. Habetote oleum vobiscum, et non quæretis oleum peccatoris. Sapientes enim illæ virgines secum portabant oleum (*Matth.* XXV, 4): sapientes virgines secum oleum portabant, id est, conscientia illarum illis testimonium perhibebat. Oleum gloria est, fulget, nitet in superficie. Sed bona debet esse gloria, et vera gloria, ut ibi sit intus in vasis suis. Audi quid est in vasis: *Probet autem se homo, et tunc in semetipso habebit gloriam, et non in altero* (*Galat.* VI, 4). Quid est, In vasis suis? Audi ipsum Apostolum: *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (II *Cor.* I, 12).

14. Postremo, quia in corpore Christi es, et adhuc portas mortalitatem quamdam; tu tibi [6] esto justus, et in te esto justus. Peccator es, vindica in te; redi ad conscientiam tuam, exige de te pœnas, crucia te ipsum. Ita enim offers sacrificium Deo. *Quia si voluisses sacrificium, dedissem utique*, ait peccator, *holocaustis non delectaberis.* Quid ergo? nullum accipit sacrificium? *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Psal.* L, 18, 19).

[1] Sic plerique Mss. At Edd., *ista injustitia.*

[1] Plures Mss.: *Falsam misericordiam in bucellam facit, verum homicidium in hominem.*
[2] Aliquot Mss. cum Am., *peccatorum confessorem.* Nonnulli, *peccatorum confessionem.* Et quidam, *peccatoris confessionem.*
[3] In B. deest vox, *potius*, quam ex Er. Ludg. Ven. et Lov. restituimus. M.
[4] Sic meliores Mss. Edd. vero, *vel emendantis.*
[5] Am. et plerique Mss.: *In qua misericordia?*
[6] Lov., *tu ibi esto*, etc., dissentientibus Edd. aliis et Mss.

Humilia cor tuum, contere cor tuum, crucia cor tuum; et tu ipsum emendabis in misericordia: non enim odisti te, cum sævis in te. Eris in parte emendante [1] justus, quamvis sis adhuc in emendanda peccator: ex qua parte enim tibi displices, injustus es; ex qua tibi displicet in te quod injustum est, justus es [2]. Vis videre quam justus es? Hoc in te tibi displicet quod et Deo: jam conjunxisti te voluntati Dei, et in teipso [3] non quod ille fecit, sed quod ille odit odisti. Ex eo quod odisti in te quod fecisti, quod odit et ille qui hoc non fecit, cœpisti in te esse severus; erit ille misericors: parcet, quia tu non pepercisti. Ergo ex quo conjunctus es oculis ejus, et condelectaris legi ejus, et hoc in te arguis quod lex ejus arguit, et hoc in te tibi displicet quod et oculis Dei displicet, vide quam justus es: ex quo autem lapsus fecisti ea quæ displicent Deo, et fragilitate quadam infirmitatis humanæ prolaberis in illa, et adhuc portas infirmitatem carnis, et gemis cujusdam reluctationis conscientia, ex hac parte [4] iniquus et peccator es.

15. Quomodo, inquies, ex quadam parte justus, ex quadam parte peccator? quid est quod dicis? Laboramus, videmur loqui contraria, nisi nobis subveniat apostolica auctoritas. Audi illud ab Apostolo, ne me malus intellector accuses: *Condelector enim*, inquit, *legi Dei secundum interiorem hominem.* Ecce justus. Annon est justus qui condelectatur legi Dei? Unde ergo peccator? *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati.* Adhuc bellum adversus me gero, nondum sum totus instauratus ad imaginem fabricatoris mei; cœpi resculpi, et ex ea parte qua reformor, displicet mihi quod deforme est. Ergo quamdiu ita sum, quid spero? *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 22-25). Gratia Dei quæ cœpit jam resculpere, gratia Dei quæ infundit suavitatem, ut jam per interiorem hominem condelecteris legi Dei: inde cætera sanabuntur, unde et ista sanata sunt. Geme adhuc vulneratus, castiga te, displice tibi.

16. *Non sic pugno*, inquit, *quasi aerem cædens; sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans ipse reprobus inveniar* (I *Cor.* IX, 26, 27). Numquid qui castigat corpus, odit corpus? Si quis castigat servum, odit servum? si quis verberat filium, odit filium? Et ut aliquid conjunctius eloquamur, caro tua tanquam conjux tua est. Hoc ipse Apostolus dicit: *Nemo unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam* (*Ephes.* V, 29). Certe caro tanquam conjux est, et nemo carnem suam odio habet. Tamen quid alio loco? *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Galat.* V. 17). Concupiscit adversus te, tanquam conjux tua; ama et castiga, donec fiat in una reformatione una concordia. Quando istud erit? Quoniam modo clamas, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* numquid separabitur a te hoc corpus, et tunc securus eris? Et quid est, *In nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri* (*Rom.* VIII, 23). Reparatur ergo a mortalitate ad immortalitatem, et jam non resistit, quia non est mortalitas quæ resistat. Propterea castiga corpus tuum; modo doma quod postea recipias; modo deficiat, ut tunc sufficiat [1]. Nam in hac vita reparari non potest, quamdiu mortale geritur. Non te deponat, non te abrumpat; porta, erudi, castiga: reparabitur in fine. Et quia *nemo unquam carnem suam odio habuit*, resurget et caro. Sed quomodo? etiam tunc luctaturus sum? *Oportet*, inquit, *corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (I *Cor.* XV, 53).

17. Ergo cum dicitur, *Emendabit me, et arguet me;* sive sit frater, sive sit proximus, sive sit vicinus, sive tu ipse, in misericordia debes argui, et emendari. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Sed quid facio, dicis mihi? Patior adulatores, non cessant perstrepere; laudant in me quæ nolo, quæ ego parvipendo laudant in me, quod ego charum habeo reprehendunt in me, adulatores, fallaces, deceptores. Magnus vir ille, verbi gratia, Gaius Seius [2]; magnus, doctus, sapiens: sed quare christianus? Nam magna doctrina, et magnæ litteræ [3], et magna sapientia. Si magna sapientia, approba quod christianus est: si magna doctrina, docte elegit [4]. Postremo quod tu vituperas, hoc ei placet quem laudas. Sed quid? Laudatio illa non indulcat [5]; oleum peccatoris est. Sed non cessat dicere. Non inde impinguet caput tuum; id est, noli gaudere ad talia; id est, noli annuere, noli consentire, noli inde gratulari: et si ille attulit oleum adulationis, sed caput tuum integrum mansit, non inflatum est, non tumuit. Si enim inflatum fuerit et tumuerit, facit pondus et præcipitat te. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

18. *Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum.* Exspecta; modo me vituperant, ait Christus. In primis temporibus Christianorum, undique reprehendebantur Christiani. *Adhuc* exspecta; *et oratio mea in beneplacitis eorum* erit. Veniet tempus, quando

[1] Sic meliores Mss. At Edd., *emendata*.

[2] Ita plerique Mss. At Am.: *Ex qua parte enim tibi displices, justus es: ex qua parte tibi displicet in te quod injustum est, justus es.* Sic etiam Er. et Lov., nisi quod hi duo editi addunt, *et ex qua tibi displicet in te quod justum est, injustus es:* moxque subjiciunt, *vis videre*, etc.

[3] Sic Am. et Mss. At Lov.: *Hoc in te tibi displiceat quod et Deo. Jam conjunxisti te voluntati Dei, si in teipso*, etc.

[4] Hic apud Er. et Lov. additum fuit, *justus es, et ex hac:* quod merito abest ab Am. et Mss.

[1] Sic plures Mss. Alii autem duo: *modo sufficit ut non deficiat*. Edd., *modo deficiat, et tunc sufficiat.*

[2] Lov., *Caius Cnæus, magnus, doctus, sapiens. Sed quare? Numquid quia Christianus?* Voces: *Numquid quia*, absunt ab editis Am. et Er. qui habent, *Caius æneus*, et a Mss. quorum in aliis, *Gaius æneus*; aliis, *Gaius Gneus*, pro quavis in genere persona positum, uti supra in Psal. 70, serm. 1, n. 11, et Tract. 7 in Ioan. n. 25. Quanquam Tertulliani Apologeticus cap. 3, unde isthic locus acceptus videtur, sic in Edd. habet. « Bonus vir Caius Seius, tantum quod Christianus, (vel) sed malus tantum quod Christianus. »

[3] Mss. omittunt, *et magnæ litteræ*.

[4] Sic Er. et plerique Mss. At Am. et Lov., *docte legit.*

[5] Er., *inducat.* M.

superent hominum millia[1] tundentium sibi pectus et dicentium : *Dimitte nobis debita nostra , sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI , 12). Jam quot remanserunt qui sibi erubescunt pectus tundere ? Ergo reprehendant; toleremus. Reprehendant, oderint, accusent, detrahant : *Adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum ;* veniet tempus, quando oratio mea placebit illis. Erigent se enim quasi justi viribus suis ; vincentur in lucta : quia superbe se erexerunt, elidentur, trahentur a peccatis, videbunt se iniquos, implebuntur quæ dicta sunt per Prophetas ; incipiet timeri judicium , convertet se animæ acies ad conscientiam peccatorum, et placebit illa oratio , *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* O verbosa defensio iniquitatis! Certe jam hoc populi dicunt , et populorum pectora tundentium tonitruus non quiescit. Recte nubes tonant, in quibus jam habitat Deus. Ubi est illa verbositas, ubi est illa jactantia : Justus sum, nihil mali feci ? Certe cum in Scripturis sanctis fueris contemplatus normam justitiæ , quantumcumque profeceris , invenies te peccatorem. Profecisti, jam unum Deum colis ; optime : non fornicaris ab eo ad idola , ad mathematicos, ad sortilegos , ad aruspices , ad augures , ad maleficos ; ista enim fornicatio est a Domino Deo : jam es in aliquo numero membrorum Christi. Jam incipe videre etiam illa peccata societatis humanæ. Non occidis quemquam, non adulteras cujusquam uxorem , non uxori tuæ eundo ad alteram, injuriam facis , non ulla pessima corruptela te contaminas, abstinuisti manus a furto, linguam a perjurio, cor a concupiscenda re proximi tui : jam justus es. Attende cætera ; noli jam superbire. Nihilne peccas in lingua ? non prolaberis in verbum durum ? Sed quid magnum dicis ? Quid magnum ? *Qui dixerit fratri suo, Fatue; reus erit gehennæ ignis* (*Id.* v, 22). Contremiscit jam tota illa superbia. Ecce jam non valde facit unde Deus videatur impietate aliqua blasphemari; non irruit in aliquem lædendum, non facit alteri quod pati non vult: quid de lingua ? quis illam domat? Sed ecce jam et ipsam frenasti : quanquam quis tantus ut hoc omni modo perficiat? sed ecce jam et ipsam frenasti : quid facis de cogitationibus tuis ? quid facis de tumultu et caterva rebellantium desideriorum? Non eis das membra. Ita credo, et video : sed tamen cogitationes aliquando inclinant et auferunt te[2], plerumque in oratione genibus fixis. Corpus prosternis, collum curvas , confiteris peccata , Deum adoras : video corpus ubi jaceat, quæro ubi volitet animus. Video membra jacentia : videamus si stat conscientia , videamus si fixa est in eum quem adorat ; si non cogitationibus plerumque, tanquam æstu maris abripitur, et tempestate tollitur in aliud atque aliud. Modo si mecum loquereris , et subito averteres te ad servum tuum , et dimitteres me , non dico a quo aliquid petebas , sed cum quo ex æquo loquebaris ; non mihi injuriam faciam deputarem? Ecce quid facis quotidie Deo. Qualem modo dixi, fratres? Jam eum qui solum Deum colit, qui Christum confitetur, qui Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum novit, qui non post eum fornicatur, qui non adorat dæmones, qui auxilia sibi a diabolo non requirit[1], qui tenet Ecclesiam catholicam ; de cujus fraude nemo conqueritur, de cujus pressura non gemit vicinus infirmus ; qui uxorem alienam non tentat , qui contentus est sua , aut qui nec ipsa sua, sed quomodo licet et quomodo permittit apostolica disciplina, ubi consensus est amborum (I *Cor.* VII , 5), aut ubi nondum ducta est. Qui jam talis est, deprehenditur tamen in istis quæ dixi.

19. [*vers.* 6.] Venit ergo tempus quod dictum est, *Adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum ;* sive quam docuit, sive qua interpellat pro nobis. In istis ergo quotidianis peccatis omnibus quæ spes est, nisi humili corde dicamus in oratione dominica, quæ jam in beneplacitis nostris est, non defendentium peccata nostra, sed confitentium , *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ;* et advocatum habeamus apud Patrem, Jesum Christum justum, ut ipse sit propitiatio pro peccatis nostris (I *Joan.* II, 1 2)? Modo loquantur superbi; vincuntur numero , vincuntur populis, tota terra a solis ortu usque ad occasum laudante nomen Domini. Quid faciunt pauci aliter disputantes? Judices sunt impiorum. Sed quid ad te? Vide quid sequitur : *Absorpti sunt juxta petram judices eorum.* Quid est, *Absorpti sunt juxta petram? Petra autem erat Christus* (I *Cor.* x, 4). *Absorpti sunt juxta petram. Juxta*, id est, comparati judices, magni, potentes, docti : ipsi dicuntur *judices eorum*, tanquam judicantes de moribus, et sententiam proferentes. Dixit hoc Aristoteles. Adjunge illum petræ, et absorptus est. Quis est Aristoteles? Audiat, Dixit Christus; et apud inferos contremiscit. Dixit hoc Pythagoras, dixit hoc Plato. Adjunge illos petræ, compara auctoritatem illorum auctoritati evangelicæ, compara inflatos crucifixo. Dicamus eis : Vos litteras vestras conscripsistis in cordibus superborum ; ille crucem suam fixit in cordibus regum[2]. Postremo mortuus est, et resurrexit : mortui estis, et nolo quærere quemadmodum resurgatis. Ergo, *Absorpti sunt juxta petram* istam *judices eorum.* Tamdiu videntur aliquid dicere, donec comparentur petræ. Propterea si inventus fuerit aliquis eorum hoc dixisse, quod dixit et Christus; gratulamur illi, non sequitur illum. Sed prior fuit ille quam Christus. Si quis vera loquitur, prior est quam ipsa veritas? O homo, attende Christum, non quando ad te venerit, sed quando te fecerit. Potest et ægrotus dicere : Sed prius ego cecidi in lectum, quam medicus ad me venisset. Utique ideo ille posterior venit, quia tu prius cecidisti.

20. Videte itaque textum Psalmi, *Adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum.* Sed erunt multi qui contradicant : *Absorpti sunt juxta petram judices eorum.*

[1] Er. et Lov., *malitiam.* Melius Am. et plures Mss. *millia.*
[2] Sic aliquot Mss. Alii, *inclinantur, et auferunt te.* At Edd., *inclinantur, et afferunt se.*

[1] Aliquot Mss., *qui auxilia sibi, nisi a Domino, non requirit.*
[2] Tres Mss., *in frontibus regum.*

Quid ergo erit? *Audient verba mea, quoniam prævaluerunt.* Prævaluerunt verba mea verbis eorum. Dicta sunt ab eis quædam diserte, sed a me vera. Aliud est laudare loquacem, aliud laudare veracem. *Audient verba mea, quoniam prævaluerunt.* Unde prævaluerunt? Quis eorum comprehensus est in sacrificio, cum his legibus ista prohiberentur, et non negavit? Quis eorum comprehensus est adorare idolum, et non clamavit, Non feci, et timuit ne convinceretur? Tales ministros diabolus habebat[1]. Unde autem prævaluerunt verba Domini? *Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occcidere; sed eum timete, qui et corpus et animam potest mittere in gehennam ignis* (*Matth.* x, 16, 28). Dedit timorem, subjecit spem, inflammavit charitatem. Nolite, inquit, timere mortem. Mortem timetis? Prior morior. Ne vel capillus vester pereat, formidatis? Prior integer in carne resurgo. Merito audistis verba ejus, quoniam prævaluerunt. Dicebant[2], et occidebantur; cadebant, et stabant. Et quid est factum de tot mortibus martyrum, nisi ut ipsa verba prævalerent, et tanquam irrigata terra sanguine testium Christi, pullularet ubique seges Ecclesiæ? *Audient*, inquit, *verba mea, quoniam prævaluerunt.* Unde prævaluerunt? Jam diximus: cum prædicantur a non timentibus. Quid non timentibus? Nec exsilia, nec damna, nec mortem, nec crucem. Non enim nec mortem solam; sed nec crucem, qua morte nihil videbatur exsecrabilius. Ipsam Dominus suscepit, ne discipuli ejus mortem quidem non timerent, sed nec genus mortis horrescerent. Ergo a non timentibus cum dicuntur hæc, prævaluerunt.

21. [*vers.* 7.] Quid ergo mortes illæ omnium martyrum, quid fecerunt? Audi: *Sicut crassitudo terræ disrupta est super terram, dissipata sunt*[3] *juxta infernum ossa nostra.* Juxta infernum dissipata sunt ossa martyrum, id est corpora testium Christi. Occisi sunt enim martyres, et quasi prævaluerunt qui occiderunt. Prævaluerunt illi persequendo, ut prævalerent verba Christi prædicando. Et quid factum est de mortibus sanctorum? *Sicut crassitudo terræ disrupta est super terram, dissipata sunt juxta infernum ossa nostra.* Quid est, *crassitudo terræ disrupta est super terram?* Novimus crassitudinem terræ, contemptibilia quæque esse. Quæ sunt quasi contemptibilia hominibus, fecundant terram[4]. Nam dictum est et in quodam psalmo jacuisse mortes sanctorum; et non fuit qui sepeliret (*Psal.* LXXVIII, 3). Sed illæ omnes mortes factæ sunt crassitudo terræ. Quomodo accipit terra quamdam pinguedinem de rebus contemptibilibus et abjectis; sic ex eo quod contempsit hic mundus, accepit crassitudinem terra, ut inde seges Ecclesiæ feracius pullularet. Jam nostis, fratres, quia contemptibilia terræ hujus, de quibus pinguescit terra, nec appellare volo, nec dicere decet: talis est quædam sagina terræ, et quædam pinguedo; et contemptibile est hominibus, et quasi sordidum est, et abjicitur. Sed quid fecit hic, ut jam et ipsius verbis utar? *De terra erexit inopem, et de stercore exaltavit pauperem; ut collocaret eum cum principibus, cum principibus populi sui* (*Psal.* CXII, 7, 8). Prostratus enim est in terra; tanquam pinguedo terræ, disruptus est super terram: sic jacuit ille Lazarus ulcerosus, sed tamen ab Angelis sublatus est in sinum Abrahæ (*Luc.* XVI, 20-22). Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal.* CXV, 15). Sicut contemptibilis est sæculo, ita pretiosa est agricolæ. Novit enim ibi utilitatem et uberem succum, et novit quid affectet, quid eligat, unde seges fertilis surgat: sed contemnit eam iste mundus. Nescitis quia *contemptibilia mundi elegit Deus, et ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt, ut ea quæ sunt evacuentur* (I *Cor.* I, 28)? De stercore erectus Petrus, et Paulus; et cum occiderentur, contemnebantur: modo jam saginata inde terra, exsurgente segete Ecclesiæ, ecce quod est nobile et præcipuum in mundo, imperator venit Romam; quo festinat? ad templum Imperatoris, an ad memoriam Piscatoris? *Sicut* enim *crassitudo terræ disrupta est super terram, dissipata sunt juxta infernum ossa nostra.*

22. [*vers.* 8.] *Quoniam ad te, Domine, oculi mei: in te speravi; ne auferas animam meam.* Cruciati sunt[1] enim in persecutionibus, et multi defecerunt. Et quia de captivitate persecutionis dixit, *Sicut crassitudo terræ disrupta est super terram, dissipata sunt juxta infernum ossa nostra*: occurrit multos defecisse et multos periclitatos esse; et tanquam in mediis tribulationibus persecutionum emissa est vox precantis, *Quoniam ad te, Domine, oculi mei.* Non curo quid minentur qui circumstant; *Ad te, Domine, oculi mei.* Plus figo oculum meum in promissis tuis, quam in minis eorum. Novi quid pro me passus sis, quid mihi promiseris: *Ad te, Domine, oculi mei: in te speravi; ne auferas animam meam.*

23. [*vers.* 9.] *Custodi me a muscipula quam statuerunt mihi.* Quæ erat muscipula? Si consentis, parco. In muscipula posita est esca vitæ hujus: si amat avis hanc escam, cadit in muscipulam: si autem avis talis est ut dicat, *Et diem hominis non concupivi, tu scis* (*Jerem.* XVII, 16); oculi ejus non recedent a Deo, et ipse evellet de laqueo pedes ejus (*Psal.* XXIV, 15). *Custodi me a muscipula quam statuerunt mihi, et ab scandalis eorum qui operantur iniquitatem.* Duas res dixit, ambas inter se distinguendas: muscipulam statuisse persecutores dixit, scandala vero ab eis qui consenserunt et apostataverunt; et ex utrisque vult se custodiri. Hinc sæviunt minantes, hinc labuntur consentientes: timeo ne talis sit iste, quem timeam; ne talis sit iste, quem imiter. Hæc tibi facio, si non consenseris: *Custodi me a muscipula quam statuerunt mihi.* Ecce frater tuus jam consensit: *Et ab scandalis eorum qui operantur iniquitatem.*

24. [*vers.* 10.] *Cadent in retia ejus peccatores.* Quid est ergo, fratres, *Cadent in retia ejus peccatores?* Sed

[1] Quidam Mss., *habeat.*
[2] Sic Mss. Edd. vero, *ducebantur.*
[3] Mss. plerumque, *dispersa sunt.*
[4] Aliquot Mss., *succum dant terræ.*

[1] Aliquot Mss., *curvati sunt.*

non omnes peccatores: quidam peccatores, qui usque eo sunt peccatores, ut sic ament vitam istam, ut præponant illam vitæ æternæ, cadent in muscipulam ejus. Sed quid dicis? Putas, isti tales cadunt in retia ejus? Sed quid de discipulis tuis, o Christe? Ecce cum ferveret persecutio, quando dimiserunt te omnes solum, et ierunt unusquisque in sua (prædixisti hoc, quia prævidisti: non enim quia tu prænuntiasti, tu fecisti, aut tu in quoquam te negasti): sed ecce illi qui tibi cohærebant, in tua tentatione et persecutione, qua te inimici requirebant crucifigendum, defecerunt. Et unus ille audax qui tibi promiserat quia tecum esset usque ad mortem, audivit quidem a medico quid in se ageretur ægrotus. Febriens enim sanum se dixerat [1]; cordis venam ille tangebat. Ventum est ad tentationem, ventum est ad probationem, ventum est ad accusationem [2]; et jam ipse interrogatus, non ab aliqua magna potestate, sed ab infimo mancipio, et hoc femina, ab ancilla interrogatus succubuit. Negavit ter. Semel negato, cum memoraretur, negavit iterum: bis negato, cum memoraretur, negavit tertio. Hoc prædixerat Dominus; non præceperat, non coegerat. Aut si propterea putatur Petrus recte fecisse, quia hoc prædixerat Dominus; recte fecit et Judas qui tradidit eum, quia et hoc prædixerat Dominus. Absit, fratres mei; hæc vox illorum electorum est, qui etiam peccata sua defendunt potius quam fatentur. Petrum ipsum potius attendamus. Si nihil peccavit, quare flevit? Non interrogemus de Petro, nisi lacrymas Petri: fideliores testes de illo non invenimus. *Flevit amare*, inquit (*Matth.* XXVI, 31-75). Nondum idoneus erat passioni: *Sequeris me postea* (*Joan.* XIII, 36), illi dictum erat. Adhuc futurus erat firmus, confirmatus Domini resurrectione.

25. Ergo nondum erat tempus, ut dispergerentur illa ossa juxta infernum. Nam videte quam multi defecerunt, usque ad ipsos primos hærentes ori ejus; etiam ipsi defecerunt. Quare hoc? *Singularis ego sum, donec transeam.* Hoc enim sequitur in Psalmo. Supra dixerat, *Custodi me, Domine, a muscipula quam statuerunt mihi, et ab scandalis qui operantur iniquitatem. A muscipula, et ab scandalis*; et a terrentibus, et a lapsis. Sed quia in ejus passione etiam illi primi, qui futuri erant duces Ecclesiæ et columnæ terræ, defecerunt; nondum factum erat quod ait in alio psalmo. *Ego confirmavi columnas ejus* (*Psal.* LXXIV, 4). Quid ait, *Singularis ego sum, donec transeam?* Hæc vox ex persona capitis, *Singularis ego sum, donec transeam.* Quid est, *singularis?* In passione tu solus pateris, tu solus occideris ab inimicis. *Singularis ego sum, donec transeam.* Quid est, *donec transeam?* Evangelista dicit: *Cum autem venisset hora ut Jesus transiret de hoc mundo ad Patrem* (*Joan.* XIII, 1). Quid est ergo, *donec transeam*, nisi, *de hoc mundo ad Patrem?* Tunc enim confirmavi columnas ejus, id est columnas terræ, quando in mea resurrectione plane didicerunt mortem non esse timendam, *Donec ergo transeam, singularis sum:* cum transiero, multiplicabor; multi me imitabuntur, multi patientur pro nomine meo. Unus ego sum donec transeam; multi in me unus erunt dum transiero. *Singularis ego sum, donec transeam.* Audite etiam mysterium verbi ejus. Secundum græcam locutionem, Pascha videtur passionem significare; πάσχειν enim pati dicitur: secundum hebræam autem linguam, sicut interpretati sunt qui noverunt, Pascha Transitus interpretatur. Nam et si interrogetis bene Græcos, negant græcum esse Pascha. Sonat ibi quidem πάσχειν, id est pati, sed non solet sic deflecti: passio enim πάθος græce dicitur, non pascha. Ergo Pascha, sicut dicunt qui noverunt, et qui nobis quod legeremus interpretati sunt, transitus interpretatur. Ideo ventura passione Domini, tanquam ipso verbo loqueretur Evangelista: *Cum venisset*, inquit, *hora ut transiret Jesus de hoc mundo ad Patrem.* Pascha hic ergo sonuit in hoc versu, *Singularis ego sum, donec transeam.* Post Pascha jam non ero singularis, post transitum non ero singularis. Multi imitabuntur, multi consequentur: et si postea sequentur, quid erit? *Singularis ego sum, donec transeam.* Quid est quod Dominus ait in hoc psalmo, *Singularis ego sum donec transeam?* quid est quod exposuimus? Si intelleximus, attende ipsius verba in Evangelio: *Amen, amen dico vobis*, inquit, *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Hoc ibi ait, ubi etiam dixit: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (*Joan.* XII, 24, 25, 32). *Nisi granum frumenti*, inquit, *cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Ergo illi grano multa seges debebatur: sed exspecta, mortificetur adhuc; quia granum nisi in terram ceciderit et mortificatum fuerit, solum remanet.

26. Ergo solus erat, antequam esset mortificatus. Propterea et Petrus nondum habebat tales vires: accepturus erat vires sequendi, non habebat præcedendi. Propter Christum enim, id est, propter confessionem nominis Christi, quo christiani sumus, nemo mortuus est ante Christum: ne forte occurrat vobis [1]. Multi enim mortui sunt et martyres sunt, multi Prophetæ talia passi sunt; non tamen ideo moriebantur, quia prænuntiabant Christum, sed quia peccata hominum dicebant in eos, et eorum iniquitatibus liberius resistebant: et habentur inter martyres. Juste etenim si non pro nominis Christi confessione, tamen pro veritate occisi sunt. Usque adeo autem pro ipso nomine, id est, pro confessione nominis Christi nemo mortuus est, antequam granum illud caderet in terram, cujus ex persona dictum est, *Singularis ego sum, donec transeam*, ut et ipse Joannes, qui recens interfectus erat, ab iniquo rege donatus puellæ saltatrici, non propter hoc occisus sit, quia confessus est Christum. Potuit utique et inde occidi, et hoc a

[1] Er. Lugd. Ven. sic exhibent hunc locum: *ageretur: ægrotus febriens se enim dixerat.* M.
[2] Nonnulli probæ notæ Mss., *ad accessionem.*

[1] Er. Lug. Ven. et Lov., *nobis.* M.

multis. Si propter aliud occisus est ab uno, quanto potius propter Christum potuit occidi ab his ipsis qui occiderunt Christum? Perhibebat enim Christo testimonium Joannes. Illi qui audiebant Christum, ipsum occidere volebant, et eum qui testimonium perhibebat non occidebant. Quia enim si fieret impetus propter Christum in Joannem, non negaret. (Erant quippe in illo vires magnæ, quibus appellatus est amicus sponsi [*Joan.* III, 29]. Magna in illo gratia, magna excellentia : *In natis mulierum nemo exsurrexit major Joanne Baptista* [*Matth.* XI, 11]) Ergo in illum impetus factus est, qui non habebat tales vires : fit impetus in Petrum, non fit in Joannem. Etenim vires ipsas Petrus post accepit; tunc autem infirmus fuit. Pro Christi nomine ille interrogatur qui vires non habebat : ille qui habebat vires, non patitur persecutionem propter Christum; ne pro nomine Christi antecederet Christum. Non occiditur a Judæis, qui perhibebat liberum testimonium Christo, quem occiderunt Judæi; et occiditur ab Herode, quia dicebat ei, *Non tibi licet habere uxorem fratris tui* (*Id.* XIV, 3-11). Neque enim frater ejus sine posteritate decesserat. Pro lege quidem veritatis, pro æqualitate [1], pro justitia : ideo sanctus, ideo martyr; sed non tamen pro illo nomine, quo christiani sumus. Quare hoc, nisi ut impleretur, *Singularis ego sum, donec transeam?*

IN PSALMUM CXLI

ENARRATIO.

SERMO AD POPULUM.

1. Solemnitati martyrum, sicut devotio celebritatis vestræ, ita nostræ servitutis sermo debetur. Sed meminisse oportet Charitatem vestram, hesterno die quam multa dicta sint. Non enim quia propter aviditatem interioris oris vestri per totum sermonem tanquam recentes adfuistis, propterea oblivisci debemus infirmitatis communis : primo quia et honorare oportet verba præclara, sicut scriptum est, Præclara autem verba sapientiæ Domini Dei sunt. Per nos [2] tanquam per vascula vobis ministrantur : et si fictilia sunt vasa, sed panis cœlestis est. Apostolus dicit : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut eminentia virtutis sit Dei* (II *Cor.* IV, 7). Qui autem thesaurus, idem et panis. Nam si non idem esset thesaurus et panis, non de ipso thesauro alibi scriptum esset : *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis; vir autem stultus glutit illum* (*Prov.* XXI, 20). Unde admonemus Charitatem vestram ut ea quæ audiendo tanquam ventre memoriæ conditis, rursus revolvendo et cogitando quodammodo ruminetis. Hoc est enim, *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis; vir autem stultus glutit illum :* breviter dixit, Sapiens ruminat, stultus non ruminat. Hoc autem aperte et latine quid est? Sapiens cogitat ea quæ audierit; stultus autem audita oblivioni tradit. Neque enim propter aliud in Lege, munda ea dicta sunt animalia quæ ruminant, immunda quæ non ruminant (*Levit.* XI, 2 8) : nam creatura Dei omnis munda est. Artifici Deo tam mundus est porcus quam agnus. Creavit enim omnia bona valde (*Gen.* I, 31) : et, *Omnis creatura Dei bona est*, dicit Apostolus (I *Tim.* IV, 4); et, *Omnia munda mundis* (*Tit.* I, 15). Cum ergo in natura utrumque sit mundum; significatione tamen agnus significat aliquid mundum, porcus significat aliquid immundum : agnus significat innocentiam sapientiæ ruminantis; porcus significat immunditiam stultitiæ obliviscentis. Brevis Psalmus pro solemnitate dictus est; videamus an possit etiam breviter tractari.

2. [*vers.* 2.] *Voce mea ad Dominum clamavi*. Sufficeret, *Voce ad Dominum clamavi;* forte non frustra additum est, *mea*. Multi enim clamant ad Dominum, non voce sua, sed voce corporis sui. Homo ergo interior, in quo cœpit habitare Christus per fidem (*Ephes.* III, 17), voce sua, non in strepitu labiorum, sed in affectu cordis clamet ad Dominum. Non ubi homo audit, ibi Deus audit : nisi voce pulmonum et laterum et linguæ clames, homo te non audit; cogitatio tua clamor est ad Dominum. *Voce mea ad Dominum clamavi; voce mea ad Dominum deprecatus sum*. Quod dixit, *clamavi;* exposuit, cum dixit, *deprecatus sum*. Clamant enim ad Dominum et qui blasphemant. In superiori versu clamorem posuit, in sequenti clamorem exposuit. Quasi exigeretur, Quo clamore clamasti ad Dominum? *Ad Dominum*, inquit, *deprecatus sum :* clamor meus, deprecatio mea; non convicium, non murmur, non blasphemia.

3. [*vers.* 3.] *Effundam ante eum precem meam*. Quid est, *ante eum?* In conspectu ejus. Quid est, in conspectu ejus? Ubi videt, Ubi autem non videt? Ita enim dicimus, Ubi videt, quasi alicubi non videat. Sed in isto cœtu rerum corporalium vident et homines, vident et animalia : ille autem videt et ubi homo non videt. Nam cogitationem tuam nullus hominum videt, Deus autem videt. Ibi ergo effunde precem tuam, ubi solus ille videt qui remunerat. Nam in abscondito te Dominus Jesus Christus jussit orare : sed si agnoscas cubiculum tuum, et mundes, ibi rogas Deum [1]. *Cum autem oratis*, inquit, *nolite esse sicut hypocritæ, qui stant in plateis et vicis orantes, ut videantur ab hominibus. Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, et claude ostium, et deprecare Deum tuum in occulto; et qui videt in occulto, reddet tibi* (*Matth.* VI, 5 *et* 6). Si homines reddituri sunt, effunde ante homines precem tuam : si Deus redditurus est, effunde ante eum precem tuam, et claude ostium, ne tentator ingrediatur. Tentator non cessat pulsare, ut irrumpat; si clausum invenerit, transit. Ideo Apostolus, quia in nostra potestate est ostium claudere : ostium cordis, non parietum; ibi enim et cubiculum : quia ergo in potestate nostra est hoc ostium claudere, *Neque detis*, inquit, *locum diabolo* (*Ephes.* IV, 27). Etenim si intravit et possedit, attende quia tu negligenter clausisti aut claudere neglexisti.

[1] Duo Mss., *pro æquitate*.
[2] Vox *sapientiæ* deest in aliquot Mss.— Er. Lugd. Ven. et Lov. sic habent, *Sapientiæ sunt, Domini Dei sunt, quæ per nos*, etc.

[1] Plerique Mss., *ubi rogas Deum*. Quidam, *ubi ores Deum*.

4. Quid est autem claudere ostium? Hoc ostium tanquam duas habet valvas; cupiditatis, et timoris. Aut cupis aliquid terrenum, et hac intrat; aut times aliquid terrenum, et hac intrat. Timoris ergo et cupiditatis januam claude contra diabolum, aperi ad Christum. Quomodo ipsas valvas aperis ad Christum? Cupiendo regnum cœlorum, timendo ignem gehennarum. Per cupiditatem sæculi diabolus intrat, per desiderium vitæ æternæ Christus intrat: per timorem pœnarum temporalium diabolus intrat, per timorem ignis æterni Christus intrat. Ecce martyres clauserunt januam contra diabolum, Christo aperuerunt. Promisit eis multa mundus iste: riserunt, clauserunt valvam cupiditatis adversus diabolum. Minatus est mundus iste bestias, ignes, cruces: non timuerunt, clauserunt timoris valvam contra diabolum. Videamus si aperuerunt eas Christo: *Qui confessus me*, inquit, *fuerit coram hominibus, confitebor illum et ego coram Patre meo, qui est in cœlis.* Amaverunt ergo regnum cœlorum, ubi eos confitebitur Christus. Quomodo eos confessurus est? *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* xxv, 34). Confitebitur illos ad dexteram positos. Videamus si et timoris valvam Christo aperuerunt, quam diabolo clauserunt. Uno eodemque loco Dominus monet hoc, ut et diabolo claudatur, et sibi aperiatur. *Nolite*, inquit, *timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere:* monuit ut timoris valva in faciem diabolo elideretur. Ergo nihil est timendum? Non ergo aperitur aditus timoris Christo, qui clausus est diabolo? Statim subjecit, tanquam dicens, Exclusisti illum, aperi mihi: *Sed eum timete*, inquit, *qui habet potestatem et animam et corpus occidere in gehenna ignis* (*Id.* x, 32, 28). Jam ergo si credidisti, et aperuisti Christo, claude contra diabolum. Intus est Christus, ibi habitat: effunde ante eum precem tuam, noli quærere ut de longe te exaudiat. Non enim longe est Sapientia Dei, quæ *pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* viii, 1). Ergo intus apud te [1], ante eum effunde precem tuam: ibi sunt aures ejus. *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus; quoniam Deus judex est* (*Psal.* lxxiv, 7): si autem judex est, qualem causam geras in corde tuo, vide.

5. [*vers.* 4.] *Effundam ante eum precem meam; tribulationem meam in conspectu ejus annuntiabo.* Repetitio est, et in superioribus duobus versibus, et in his consequentibus; sententiæ duæ sunt, sed utraque bis dicta. Una est illa, *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum:* altera est, *Effundam ante eum precem meam, tribulationem meam in conspectu ejus annuntiabo.* Quod enim est, *ante eum;* hoc est, *in conspectu ejus:* et quod est, *precem meam effundam;* hoc est, *tribulationem meam annuntiabo.* Quando hoc facis? In persecutione positus loquitur: *Dum defecit* [2] *a me spiritus meus.* Quare defecit spiritus tuus, o martyr in tribulatione posite? Ut non mihi arrogem vires meas, ut sciam quod alius in me operatur ipsam virtutem. *Cum autem vos tradent judicibus* (sic monuit Dominus quos martyres facere volebat), *nolite cogitare quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth*, x, 19, 20). Ergo deficiat spiritus tuus, loquatur Spiritus Dei. Merito eos pauperes facere volebat spiritu: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Id.* v, 3). Beati ergo pauperes spiritu suo, divites Spiritu Dei. Omnis enim homo qui spiritum suum sequitur, superbus est. Subdat spiritum suum [1], ut capiat Spiritum Dei. Ibat in culmen, residat in valle. Si ierit in culmen, denatat ab illo aqua: si in valle resederit, implebitur ea, et fit ille venter de quo dictum est, *Flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus* (*Joan.* vii, 38). Ergo *dum defecit a me spiritus meus, in conspectu tuo annuntiavi tribulationem meam*, humilis factus, confitens tibi deficiente spiritu meo, cum sum plenus Spiritu tuo.

6. Et audierunt forte homines quia defecit in me spiritus meus, et desperaverunt de me, et dixerunt, Cepimus eum, oppressimus eum: *Et tu cognovisti semitas meas*. Illi me dejectum putabant, tu me stantem cernebas. Illi qui persequebantur et comprehenderant, implicatos putabant pedes meos: sed illis obligati sunt pedes, et ceciderunt; nos autem surreximus, et erecti sumus (*Psal.* xix, 9). Oculi enim mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos (*Psal.* xxiv, 15). Perseveravi ambulando: *Qui* enim *perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22). Illi oppressum me putabant, sed ego ambulabam. Ubi ambulabam? In semitis quas illi non videbant, qui me captum putabant; in semitis justitiæ tuæ, in semitis præceptorum tuorum. *Tu* enim *cognovisti semitas meas;* persecutor non eas cognovit: nam non in eis mihi invideret, sed in eis [2] mecum ambularet. Quæ sunt istæ semitæ, nisi viæ illæ de quibus alio loco dicitur: *Novit Dominus viam justorum, et via impiorum peribit* (*Psal.* i, 6)? Non dixit, Viam impiorum non novit: *Novit justorum, impiorum autem peribit* [3]. Quod enim non novit, perit. Multis locis Scripturæ invenimus quia Dei agnoscere, servare est; Dei agnoscere, custodire est; non agnoscere, damnare est. Unde enim qui novit omnia, dicturus est in fine, *Non novi vos* (*Matth.* vii, 23)? Non inde gaudeant et dicant, Non puniemur, quia non novit nos judex. Jam puniti sunt, si eos non novit judex. Quæ ergo dictæ sunt viæ quas novit Dominus, ipsæ hic dictæ sunt semitæ, cum ait, *Tu cognovisti semitas meas.* Omnis enim semita, via est; non omnis via, semita est. Quare ergo viæ illæ semitæ sunt dictæ, nisi quia angustæ sunt? Via lata impiorum, via angusta justorum.

7. Quæ via, ipsæ et viæ: quemadmodum quæ

[1] Edd.: *Ecce intus est apud te.* Particula, *est*, Mss. plerique carent.

[2] Sic plerique Mss. At Edd., hoc et proximo loco, *deficit*.

[1] Am. et plerique Mss.: *Subde spiritum tuum ut capiat*, etc.

[2] Sic Mss. Edd. vero, *si in eis*, etc.

[3] Er. Lugd. Ven. Lov., *novit viam justorum, et via impiorum peribit.* M.

Ecclesia, ipsæ Ecclesiæ; et quod cœlum, ipsi cœli. Pluraliter dicuntur, et singulariter dicuntur. Propter unitatem Ecclesiæ, una Ecclesia : *Una est columba mea, una est matri suæ* (*Cant.* VI, 8). Propter congregationes fraternas per loca, multæ sunt Ecclesiæ : *Ecclesiæ*, inquit, *Judææ quæ in Christo, gaudebant quod ille qui nos persequebatur, nunc evangelizat fidem, quam aliquando vastabat; et in me glorificabant Deum* (*Galat.* I, 22, 24). Ecclesias sic dixit, et unam Ecclesiam sic dicit : *Sine offensione estote Judæis, et Græcis, et Ecclesiæ Dei* (I *Cor.* X, 32). Sic ergo et viæ, et via; et semitæ, et semita. Quare semitæ, et quare semita? Quomodo quare Ecclesiæ et Ecclesia rationem reddidimus, debemus et hinc [1] reddere rationem. Semitæ dictæ sunt Dei, quia multa præcepta sunt : et quia eadem multa præcepta ad unum rediguntur, quia plenitudo legis charitas (*Rom.* XIII, 10); propterea viæ istæ in multis præceptis ad unam colliguntur, et una dicitur, quia via nostra charitas est. Videamus si charitas via est. Audiamus Apostolum : *Et adhuc supereminentiorem viam vobis demonstro* (I *Cor.* XII, 31). Quam dicis, o Apostole, *supereminentiorem viam?* Quam dico audi : *Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens : et si habuero prophetiam, et sciero omnia sacramenta, et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum : et si distribuero omnia mea pauperibus, et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (*Id.* XIII, 1-3). Ergo charitatem dixit *supereminentiorem viam*. Magna ista via, fratres, magnum miraculum habet. Hæc via certe, quia supereminentior est, et excellentior est; hoc enim supereminet, quod excelsum est. Nihil excelsius via charitatis, et non in illa ambulant nisi humiles. Has ergo semitas, dicit præcepta charitatis [2]. *Tu*, inquit, *cognovisti semitas meas* : tu nosti quia quod pro te patior, amore patior; tu nosti quia charitas in me omnia tolerat; tu nosti quia et si trado corpus meum ut ardeam, habeo illam, sine qua illud non prodest homini.

8. Quis autem novit vias istas hominis, fratres mei, nisi vere ille cui dictum est, *Tu cognovisti semitas meas?* Omnia enim facta humana ante oculos hominum; incertum est quo corde fiant. Et quam multi impii metientes [3] semetipsos, ex semetipsis dicunt de nobis quod ista in Ecclesia quærimus, honores, laudes, utilitates temporales? Quam multi dicunt me propterea loqui vobis, ut acclametis et laudetis me, et hunc me habere finem et hanc intentionem, cum loquor? Et quomodo eis ostendo non ea intentione me loqui? Restat ut dicam, *Tu cognovisti semitas meas*. Quomodo illi sciunt quod nec vos scitis? Quomodo illi sciunt quod vix ego scio? Neque enim ego meipsum dijudico : qui enim dijudicat me, Dominus est (I *Cor.* IV, 3 *et* 4). Nescio quid de se Petrus nesciens præsumpsit, et aliud videbat medicus in viribus ejus. Ergo pie pureque clametur ad Dominum, quia vere clamatur, *Tu cognovisti semitas meas*. Sed vis ut ducat te per ipsas semitas? Esto mitis, esto mansuetus; noli esse ferox [1], noli superbus, noli excussa et erecta cervice, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (*Psal.* XXXI, 9). Cum enim fueris mitis, cum fueris mansuetus, insidet Dominus, et ducet te per vias suas : diriget enim mites in judicio, docebit mansuetos vias suas (*Psal.* XXIV, 9). *Tu* ergo *cognovisti semitas meas*.

9. *In via hac qua ingrediebar, absconderunt mihi muscipulam*. Via hæc qua ingrediebatur, Christus est : ibi illi absconderunt muscipulam, qui persequuntur in Christo, propter nomen Christi. Ibi ergo *absconderunt muscipulam mihi* [2]. Quid in me zelant? quid in me persequuntur? Quod christianus sum. Si ergo [3] hoc persequuntur, quod christianus sum, *In via qua ingrediebar, absconderunt mihi muscipulam*. Quantum in ipsis est, in via qua ingrediebar, ipsi absconderunt muscipulam mihi : quantum ad eorum cupiditatem pertinet, quantum ad eorum conatum, quantum ad eorum votum, in ipsa via me voluerunt habere muscipulam qua caperer. Sed *novit Dominus viam justorum; et tu cognovisti semitas meas*. Hoc quidem illi voluerunt; sed tu eos non permittis in te ponere scandalum, quia tu es via mea. Nam et hæretici in nomine Christi nobis volunt abscondere scandalum, et ipsi falluntur. Quod se in via putant ponere, extra viam ponunt, quia et ipsi extra viam sunt : muscipulam ponere non possunt ubi ipsi non sunt. Sed dictum est hoc secundum cupiditatem ipsorum, secundum votum et opinionem eorum : nam expresse alibi dictum est, *Juxta semitas scandala posuerunt mihi* (*Psal.* CXXXIX, 6). Hoc quod dictum est, *in via;* secundum cupiditatem eorum et votum dictum est : illud quod dictum est, juxta viam, id est, *juxta semitas;* secundum veritatem dictum est. Revera enim non ponunt in semita, non ponunt in ipsa via, quia Christus est via (*Joan.* XVI, 6) : sane juxta semitas ponunt. Non eos Christus sinit ponere in via, ne non sit qua eamus : sinit tamen eos ponere juxta viam, ut de via non declinemus. In via se putat ponere scandalum paganus, quando mihi dicit : Colis Deum crucifixum. Reprehendit crucem Christi, quam non intelligit. In Christo se putat ponere quod juxta viam ponit. Non egrediar a Christo, et non incidam a via in muscipulam. Insultet ille crucifixo Christo; videam ego in frontibus regum crucem Christi. Quod irridet, ibi salvor. Nihil est superbius ægroto qui deridet medicamentum suum. Si non derideret, acciperet et ipse, et sanaretur. Crux illa signum est humilitatis; ille autem superbia nimia non agnoscit unde sanetur tumor animæ ipsius. Si autem ego agnosco, in via ambulo.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *hic*. M.
[2] Hic Er. et Lov. adduut : *in me omnis* : quod a Mss. abest.
[3] Lugd. et Reg. Ms., *mentientes*. M.

[1] Sic Reg. Ms. In B. omittitur vox, *esse*. Er. Lugd. Ven. Lov. legunt, *non ferox, non superbus, non excussa*, etc. M.
[2] Hic Er. et Lov. addunt, *qui ibi me scandalizant* : quod ab Am. et Mss. abest.
[3] Sic Er. Lugd. Ven. et Lov. In B. deest, *ergo*. M.

Usque adeo de cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem. Multa Sacramenta aliter atque aliter accipimus: quædam, sicut nostis, ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus. Quia vero in fronte erubescitur, ille qui dixit, *Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo, qui in cœlis est* (*Luc.* IX, 26); ipsam ignominiam quodam modo, quam Pagani deridení, in loco pudoris nostri constituit. Audis hominem insultare impudenti, et dicere: Frontem non habet. Quid est, Frontem non habet? Impudens est. Non habeam nudam frontem; tegat eam crux Domini mei. Ergo *In via qua ingrediebar, absconderunt muscipulam mihi*, quantum in ipsis est; nam [1] juxta viam posuerunt: ego autem tutus ero, si de via non recessero. *Ignoras quia in medio laqueorum ingrederis*, ait Scriptura (*Eccli.* IX, 20). Quid est, *in medio laqueorum?* In via Christi, et hinc laquei, et hinc laquei; laquei a dextris, laquei a sinistris: laquei a dextris, prosperitas sæculi; laquei a sinistris, adversitas sæculi: laquei a dextris, promissiones; laquei a sinistris, terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, a via noli recedere: nec promissio te capiat, nec terror elidat [2]. *In via hac qua ingrediebar, absconderunt muscipulam mihi.*

10. [*vers.* 5.] *Considerabam in dexteram, et videbam.* In dexteram considerabat, et videbat: in sinistram qui considerat, excæcatur. Quid est in dexteram considerare? Ubi erunt illi quibus dicetur: *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum.* Erunt enim quidam in sinistra, quibus dicetur: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 34, 41). Fremente ergo toto mundo et minante in persecutionibus, crebrescentibus undique insultationibus hominum atque terroribus, ille contemnens præsentia, respiciebat in futura, attendebat in dexteram ubi futurus est; ibi esse meditabatur, illuc attendebat, et videbat, et ideo omnia ferebat: illi autem qui persequebantur, non videbant. Ideo cum diceret, *Considerabam in dexteram, et videbam*; secutus ait, *Et non erat qui cognosceret me.* Cum enim toleras omnia, quis novit quid attendas; utrum in dexteram oculum dirigas, an in sinistram? In eo quod toleras, si laudem hominum quæris, in sinistram attendisti: in eo quod toleras, si promissa Dei quæris, in dexteram attendisti. Attendisti in dexteram, videbis: attendisti in sinistram, excæcaberis. Sed et cum vides in dexteram, non erit qui te agnoscat. Quis enim te consolatur, nisi Dominus cui dicis, *Et tu cognovisti semitas meas? Nec erat qui cognosceret me.*

11. *Periit fuga a me.* Tanquam circumclusum se dicit: *Periit fuga a me.* Insultent [3] persecutores, oppressus est, captus est, circumclusus est, victus est [4]; periit fuga ab illo. Ab illo periit fuga, qui non fugit. Qui autem non fugit, patitur quidquid potest pro Christo; id est, non fugit animo. Nam corpore fugere licet, concessum est, permissum est, Domino dicente: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* X, 23). Qui ergo non fugit animo, periit ab illo fuga. Sed interest quare non fugiat; quia circumclusus est, quia captus est, an quia fortis est: et a capto enim periit fuga, et a forti periit fuga. Quæ ergo fuga cavenda est? quæ fuga a nobis pereat? De qua Dominus dicit in Evangelio, quia *pastor bonus animam suam ponit pro ovibus suis: mercenarius autem et qui non est pastor, cum viderit lupum venientem, fugit.* Cum viderit prædonem, quare fugit? *Quia non est ei cura de ovibus* (*Joan.* X, 11-13). Talis fuga ab isto perierat; sive ab ipsius capitis persona accipiamus hanc vocem illius Christi Domini, qui pro omnibus mortuus est; sive a membris ejus martyribus nostris, quia et ipsi pro fratribus passi sunt. Audi Joannem dicentem: *Sicut enim ille animam suam pro nobis posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere* (I *Joan.* III, 16). Sed cum illi ponunt, Christus ponit; quia cum illi patiuntur persecutionem, ipse clamat, *Quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? *Periit fuga a me; et non est qui exquirat animam meam.* Ergo non est qui exquirat animam ipsius? Videt homines velle sævire in necem suam, velle effundere sanguinem ipsius; quomodo non est qui requirat animam ejus? Et hoc duobus modis accipitur. Quomodo perire fugam accipitur duobus modis, quia et a capto et a forti perit fuga; sic duobus modis quæritur anima hominis, aut a persecutoribus, aut a dilectoribus. Ita ergo, *Non est qui requirat animam meam:* de illis dixit, Certe persequuntur [1] animam meam, et non quærunt animam meam. Si autem requirunt animam meam, invenient inhærentem tibi: et si norunt eam quærere, norunt et imitari. Nam ut noveritis quæri animam hominis et a persecutoribus, inde alibi dicitur: *Confundantur, et revereantur qui quærunt animam meam* (*Psal.* XXXIX, 15).

12. [*vers.* 6.] *Clamavi ad te, Domine; dixi, Tu es spes mea.* Quando tolerabam, quando tribulabar, *dixi, Tu es spes mea.* Spes mea hic; ideo tolero. *Portio autem mea*, non hic, sed *in terra viventium.* Dat Deus portionem in terra viventium; sed non aliquid a se, extra se. Quid dabit amanti se, nisi se?

13. [*vers.* 7.] *Intende ad orationem meam; quia humiliatus sum nimis.* Humiliatus a persecutoribus [2], humiliatus in confessione. Humiliat se invisibiliter, humiliatus ab hostibus visibiliter. Erigitur ergo ab illo visibiliter et invisibiliter. Invisibiliter erecti sunt jam martyres: visibiliter erigentur, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem in resurrectione mortuorum, cum et hoc ipsum in quod solum persecutores sævire potuerunt, instaurabitur (I *Cor.* XV, 53). *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X, 28). Et quid perit? quid occidunt?

[1] Sic Am. Er. et aliquot Mss. At quidam codices omittunt *nam*: cujus loco nonnulli cum Lov. habent, *non*.
[2] Plerique Mss., *capit, nec terror elidit.*
[3] Er. et Lov.: *Insultant persecutores.* At Am. et Mss., *insultent.*
[4] Quidam Mss, *vinctus est.*

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov.: *De illis dixit certe qui persequuntur.* M.
[2] Lov., *a peccatoribus:* dissentientibus Edd. aliis et Mss.

Vel hoc eis permittitur, ut quod occiderint pereat? Non periet. Audi ipsius Domini promissionem : *Amen dico vobis, capillus capitis vestri non periet* (*Luc.* XXI, 18). Quid ergo de cæteris membris sollicitus es, ubi damnum capilli non erit?

14. *Erue me a persequentibus me.* A quibus putatis quod oret ut eruatur? Ab hominibus qui persequebantur? Ita vero ipsi homines sunt hostes nostri? Habemus alios hostes invisibiles, qui aliter persequuntur. Homo persequitur, ut occidat corpus; persequitur alius, ut illaqueet animam. Et ideo per vasa sua, quia de illo dictum est, *Operatur in filiis diffidentiæ* (*Ephes.* II, 2) : per vasa sua, id est, homines in quibus operatur, agit persecutionem corporis, ut intus fiat ruina cordis. Nam si cadente corpore stat anima, muscipula comminuta est, et nos liberati sumus (*Psal.* CXXIII, 7). Ergo sunt et alii hostes nostri, a quibus deprecari debemus Deum ut eruat nos, ne seducant nos, vel fractos molestiis sæcularibus, vel inductos illecebris. Qui sunt isti hostes? Videamus si ab aliquo servo Dominico aperte describuntur, ab aliquo milite perfecto qui cum illis congressus est. Audi Apostolum dicentem : *Non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem.* Nolite quasi odia vestra convertere in homines, et eos vobis hostes existimare, et eorum inimicitiis vos conteri putare : isti homines quos timetis, caro et sanguis sunt; *Non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem.* Sic voluit dicere, contemnens hominum mortalitatem. Et adversus quos? *Adversus principes*, inquit, *et potestates, et rectores hujus mundi, tenebrarum harum* (*Ephes.* VI, 12). Expaveras, cum audires, *rectores mundi.* Si rectores mundi istius, numquid præter mundum iturus es, ubi illos non patiaris? præter mundum iturus es, ubi ab eis eruaris? Sic ergo accipe *mundi* et *tenebrarum harum rectores*, non rectores cœli et terræ; nam ipsa fabrica Dei est. Cœlum et terra mundus dicitur, et homines mali mundus. Quare et isti mundus? Quia diligunt mundum : et ideo tenebræ, quia impii. Ideoque jam ex ipso numero credentibus multis, quid dicit Apostolus? *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Id.* V, 8). Antequam essetis ergo lux, cum tenebræ essetis, attendite quem rectorem habuistis. Quem rectorem habent iniqui, nisi diabolum, quomodo pii et fideles rectorem habent Christum? Ergo diabolum et angelos ejus *rectores mundi* appellavit, id est, rectores dilectorum mundi, rectores peccatorum, quod est, *tenebrarum harum* : ipsos habemus inimicos, a quibus debemus deprecari Dominum ut eruamur.

15. Audi mundum et mundum aperte uno loco in Scriptura sancta, in Evangelio : mundum quem fecit Deus; mundum quem regit diabolus, id est, dilectores mundi. Homines enim ipsos fecit Deus; dilectores mundi non eos fecit. Mundum enim diligere peccatum est; peccatum autem non fecit Deus. Audi ergo, ut dicere cœperam, mundum et mundum. *In hoc mundo erat*, dictum est. De quo dictum est, *In hoc mundo erat*, nisi de Sapientia Dei, quod est Christus Jesus; de qua dictum est quod paulo ante commemoravi, *Pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII, 1)? *Attingit enim ubique propter suam munditiam, et nihil inquinatum in illam incurrit* (*Sap.* VII, 24, 25). Ergo, *In hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Audisti duos mundos : *Mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 10). Non mundus qui factus est per Jesum, ab illis principibus et potestatibus tenebrarum regitur; sed mundus qui non cognovit Jesum, id est, dilectores mundi, peccatores, iniqui, superbi et infideles. Unde mundus peccatores? Quia diligunt mundum, et diligendo inhabitant mundum; quomodo domus dicitur et fabrica, et inhabitantes. Bona domus, plerumque bona fabrica; et bona domus, quia boni conversantur in ea. Et, Cave domum istam, quia mala est, duobus modis dicitur. Mala est domus hæc, cave; forte propter ruinam, ne aliquid cadat et te premat : dicitur et sic alio modo, Cave domum istam malam, ne incurras in laqueum venantium, ne pauper opprimaris a divite, ne fraudem aliquam patiaris. Quomodo ergo domus et domus, sic mundus et mundus. Quare autem et justi, cum sint et ipsi in mundo, non dicuntur mundus? Quia dicit Apostolus : *In carne autem ambulantes, non secundum carnem militamus* (II *Cor.* X, 3); *conversatio enim nostra in cœlis est* (*Philipp.* III, 20). Habitat hic justus carne, sed corde cum Deo est. Et ipse appellatur mundus, si sine causa audit, Sursum cor : si autem est causa quare audit, sursum habitet[1]. *Mortui enim estis*, dicit, *et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III, 3). Quorum autem vita hic est, id est, quorum desiderium et amor hic hæret, hic conteritur, hic implicatur, bene dicuntur habitatores mundi : et bene dicuntur mundus, illi qui habitant mundum; sicut bene dicuntur domus, illi qui habitant domum. Mundus ergo et mundus : *Mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit.* Ecce mundus factus per Dominum, ecce mundus qui non cognovit Dominum. Lauda tu fabricam, et ama fabricatorem; et noli amare habitare in fabrica, sed habita in fabricatore.

16. *Erue me a persequentibus me; quoniam corroborati sunt super me.* Quis dixit, *corroborati sunt super me?* Corpus Christi clamat, Ecclesiæ vox est, membra Christi clamant : Multum crevit numerus peccatorum. *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth.* XXIV, 12). *Erue me a persequentibus me; quoniam corroborati sunt super me.*

17. [*vers.* 8.] *Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo.* Carcer iste a prioribus varie intellectus est. Et forte ipse est carcer qui scribitur in titulo, *spelunca.* Titulus enim psalmi hujus ita se habet : *Intellectus ipsi David, cum esset in spelunca, oratio.* Quæ spelunca, ipse et carcer. Duo quædam intelligenda proposuimus; sed unum cum intellexerimus, utrumque erit. Merita carcerem faciunt. Nam in uno quodam habitaculo, alteri domus est, alteri carcer est. Illi qui custodiunt homines inclusos; etsi in domo sua

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov. *sursum cor habitate.* M.

custodiant, illi qui arctius custodiuntur, in carcere sunt: numquid et illi in carcere esse dicendi sunt? Unum habitaculum est et illi et illi; alteri facit domum libertas, alteri carcerem servitus. Quibusdam ergo visum est quod spelunca et carcer mundus iste sit; et hoc orat Ecclesia, ut de carcere educatur, id est, de hoc mundo, de sub sole, ubi omnia vanitas. Dicitur enim, *Omnia vanitas, et præsumptio spiritus in omni opere hominis, quo ipse laborat sub sole* (*Eccle.* I, 2, 3). Ergo extra istum mundum in nescio qua requie pollicetur nobis Deus quod futuri simus; forte ideo de loco isto clamamus, *Educ de carcere animam meam.* Anima nostra per fidem et spem in Christo est, sicut paulo ante dixi: *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Corpus autem nostrum in isto carcere, in isto mundo. Si diceret, Educ de carcere corpus meum; securi acciperemus carcerem mundum. Fortasse tamen propter aliqua quæ nos tenent desideria terrena, contra quæ luctamur et dimicamus, quia, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* VII, 23); recte dicimus, Educ animam meam de hoc mundo, id est, de laboribus et pressuris hujus sæculi. Non enim caro quam tu fecisti, sed corruptela carnis, et pressuræ, et tentationes carcer mihi sunt.

18. Aliqui autem dixerunt carcerem istum et speluncam corpus hoc esse, ut hoc sit, *Educ de carcere animam meam.* Sed et iste intellectus vacillat aliquantum. Quid enim magnum, *Educ de carcere animam meam*, Educ de corpore animam meam? latronum animæ et sceleratorum nonne exeunt de corpore, et eunt in pejores pœnas quam hic pertulerunt. Quid ergo magnum petitur, *Educ de carcere animam meam;* cum sive sero, sive cito, necesse sit exire? Forte justus dicit: Jam moriar; educ de carcere isto corporis animam meam. Si nimis festinat, non habet charitatem. Desiderare quidem hoc debet et concupiscere, sicut Apostolus ait: *Concupiscentiam habens dissolvi et esse cum Christo; multo enim magis optimum* (*Philipp.* I, 23, 24). Sed ubi est charitas? Ergo sequitur, *Manere in carne necessarium propter vos.* De corpore ergo educat Deus, quando voluerit. Posset dici et corpus nostrum carcer, non quia carcer est quod fecit Deus, sed quia pœnale et mortale. Duo enim consideranda sunt in nostro corpore; figmentum Dei, et pœna meriti. Tota ista forma, status, incessus, membra ordinata, sensuum dispositiones, videre, audire, olfacere, gustare, contingere; omnis hæc compago et fabricæ distinctio, non potuit fieri nisi a Deo, qui omnia operatus est, cœlestia, terrestria, summa et ima, visibilia et invisibilia. Quid ergo ibi pœnale nostrum? Quod corruptibilis caro, quod fragilis, quod mortalis, quod indigens: hoc non erit in præmio. Non enim corpus non erit, cum corpus resurgat. Sed quid ibi non erit? Corruptio: corruptibile enim hoc induet incorruptionem (I *Cor.* XV, 53). Ergo si caro tibi carcer est, non corpus est carcer tuus, sed corruptio corporis tui. Corpus enim tuum fecit Deus bonum, quia bonus est; corruptionem intulit justus, quia judex est: illud habes de beneficio, illud habes de supplicio. Hoc ergo forte dixit, *Educ de carcere animam meam*, Educ de corruptione animam meam. Si sic intelligamus, non est blasphemia; intellectus constat.

19. Ad extremum, fratres, sicut arbitror, hoc dixit, *Educ de carcere animam meam*, Educ ab angustia. Gaudenti enim homini et carcer latus est, et tristi pratum angustum est. Ergo orat se educi ab angustia. Quamvis enim in spe latitudinem habeat, in re tamen præsenti angustatur. Attende angustias Apostoli: *Non habui requiem spiritu meo*, dixit; *quia non inveni Titum fratrem meum* (II *Cor.* II, 13). Alio loco: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (*Id.* XI, 29)? Qui ergo et infirmabatur et urebatur, nonne in pœnis et carcere erat? Sed istæ pœnæ ex charitate coronam parturiunt. Unde iterum dicit: *Superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex* (II *Tim.* IV, 8). Ad hoc valet, *Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo.* Jam educta de corruptione, quid habet confiteri? Peccata ibi non sunt, sed laudes sunt: duobus autem modis confessio intelligitur, et in peccatis nostris, et in laude Dei. In peccatis nostris nota est confessio, et ita nota omni populo, ut quando auditum fuerit nomen confessionis in lectione, sive in laude dicatur, sive de peccatis dicatur, currant pugni ad pectus. Notum est ergo nomen confessionis de peccato: confessionem in laude quæramus. Ubi invenimus? Habes in Scripturis: *Et hæc dicetis in confessione, Opera Domini universa quoniam bona valde* (*Eccli.* XXXIX, 20 *et* 21). Ergo hic confessio laudis est. Alio loco ipse Dominus dicit: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ.* Quid confitebatur? numquid peccata? Christi ergo confiteri, erat laudare. Et audi laudem Patris: *Quia abscondisti hæc*, inquit, *a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI, 25). Quia ergo post istas corruptionis angustias [1] habitabimus in domo Dei, tota vita nostra non erit nisi laus Dei. Jam sæpe vobis expositum est quia recedente necessitate omnia negotia necessitatis intercidunt; quoniam non erit quid ibi agamus (*a*). Non dico die ac nocte, ubi nox non est; sed toto die, cum unus dies est, non erit quid ibi agamus, nisi laudemus quem diligimus, quia tunc et videbimus. Modo non visum desideramus, et laudamus; tunc visum quod amamus, quomodo laudabimus? Sine fine erit laus, quia sine fine amor. Quia ergo hoc ibi agemus, ideo *educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo.* Beati enim qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII, 5). Modo impedit carcer, quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam* (*Sap.* IX, 15). Non corpus aggravat animam (nam et tunc habebimus corpus); sed *corpus quod corrumpitur* [2]. Ergo carcerem facit non corpus, sed corruptio. *Educ de*

[1] Sic Mss. At Er. et Lov., *corruptiones angustias.*
[2] Sic Am. et plures Mss. At Lov. cum aliquot Mss.: *Nunc corpus aggravat animam meam: nam et tunc habebimus corpus, sed corpus quod non corrumpitur.*
(*a*) Supra, in Psal. LXXXIII.

carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo. Jam vox quæ sequitur, ex capite sonat, Domini nostri Jesu Christi. Et est talis ipsa, qualis hesterna ultima. Hesterna enim ultima, si meministis, hæc fuit: *Singularis ego sum, donec transeam* (*Psal.* CXL, 10). Et hic quæ est ultima? *Me sustinebunt justi, quoadusque retribuas mihi.*

IN PSALMUM CXLII
ENARRATIO.

SERMO AD POPULUM.

1. De psalmo quem cantavimus [1], loquar quod Dominus dederit, Charitati vestræ. Hesterno die psalmus brevior tractabatur, sed spatium temporis dabat nobis copiam etiam de paucis multa dicendi: nunc quoniam prolixior psalmus est, non debemus tantum in singulis versibus immorari; ne forte non concedat Dominus facultatem, ut totum peragere valeamus.

2. [*vers.* 1.] Titulus Psalmi est, *Ipsi David, quando eum filius suus persequebatur.* In Regnorum libris novimus hoc factum esse, exstitisse inimicum Abessalon patri suo, gessisse contra illum non solum civile, verum etiam domesticum bellum: illum autem non dejectum inique, sed humiliatum pie, accepisse a Domino disciplinam; sustinuisse medicinam, non retribuentem iniquitati iniquitatem, sed paratum cor habuisse ad sequendam Domini voluntatem (II *Reg.* XV, XVI). Ille David ita laudabilis: sed alius David vere Manu fortis, quod interpretatur David, Dominus noster Jesus Christus agnoscendus est nobis. Præterita enim illa facta figuræ fuerant futurorum; nec diu commendandum est quod sæpe audistis, quod optime retinetis. Quæramus ergo in hoc psalmo Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum prænuntiantem se per hanc prophetiam, et quid futurum esset in hoc tempore, per ea quæ pridem facta sunt prædicantem. Ipse enim se in Prophetis prædicabat; quoniam ipse est Verbum Dei; nec illi tale aliquid dicebant, nisi pleni Verbo Dei. Annuntiabant ergo Christum, pleni Christo; et illi eum venturum præcedebant, quos præcedentes non deserebat. Agnoscamus ergo quemadmodum et Christum persequebatur filius suus: habebat enim filios, de quibus dicebat, *Non jejunant filii sponsi, quamdiu cum eis est sponsus: cum autem ab eis ablatus fuerit sponsus, tunc jejunabunt filii sponsi* (*Matth.* IX, 15). Ergo filii sponsi, Apostoli: et inter hos persecutor Judas diabolus. Passionem itaque suam in hoc psalmo prædicaturus est Christus; audiamus.

3. Rursus autem ad hoc intentam facimus Charitatem vestram, non docendo quod ignoratis, sed admonendo quod nostis; Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum caput esse corporis sui, illum unum mediatorem esse Dei et hominum, hominem Jesum (I *Tim.* II, 5), natum ex virgine, tanquam in solitudine, sicut in Apocalypsi audivimus. Per solitudinem quippe arbitror, quod solus ita natus est. Hunc enim illa mulier peperit, recturum populum in virga ferrea (*Apoc.* XII, 5 *et* 6). Hæc autem mulier, antiqua est civitas Dei, de qua in psalmo dicitur: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Hæc civitas initium habet ab ipso Abel, sicut mala civitas a Cain. Antiqua ergo ista civitas Dei, semper tolerans terram, sperans cœlum, quæ etiam Jerusalem vocatur et Sion. Utique de nato quodam in Sion, et conditore ipsius Sion, psalmus quidam dicit: *Mater Sion, dicet homo.* Quis homo? *Et homo factus est in ea; et ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI, 3, 5). Denique ipse in Sion factus est homo, sed humilis factus est homo; et idem ipse Altissimus fundavit eam civitatem in qua factus est homo. Itaque et illa mulier sole cooperiebatur, sole ipso Justitiæ quem non cognoscunt impii; qui dicturi sunt in fine: *Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non ortus est nobis* (*Sap.* V, 6). Est ergo quidam sol justitiæ qui non oritur impiis. Cæterum istum solem facit oriri super bonos et malos (*Matth.* V, 45). Ergo et amicta erat sole, et gestabat visceribus masculum paritura. Idem ipse erat condens Sion, et nascens in Sion: et illa mulier civitas Dei, ejus luce protegebatur, cujus carne gravidabatur. Merito et lunam sub pedibus habebat (*Apoc.* XII, 1, 2), quia mortalitatem crescentis et decrescentis carnis virtute calcabat. Ergo ipse Dominus Jesus Christus caput et corpus: voluit enim etiam loqui in nobis, qui dignatus est mori pro nobis; membra sua nos fecit. Aliquando itaque ex persona membrorum suorum loquitur, aliquando ex persona sua, tanquam capitis nostri. Habet aliquid ille quod dicat sine nobis; nos sine illo nihil possumus dicere. Apostolus dicit: *Ut suppleam quæ desunt pressurarum Christi, in carne mea* (*Coloss.* I, 24). *Ut suppleam,* inquit, *quæ desunt pressurarum*, non mearum, sed *Christi; in carne*, non jam Christi, sed *mea.* Patitur, inquit, adhuc Christus pressuram; non in carne sua, in qua ascendit in cœlum, sed in carne mea, quæ adhuc laborat in terra. Christus, inquit, pressuram patitur in carne mea: *Vivo enim non jam ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II, 20). Nisi enim Christus et in membris suis, hoc est fidelibus suis, pressuram ipse pateretur, Saulus in terra Christum in cœlo sedentem non persequeretur. Denique aperte hoc exponens quodam loco: *Sicut enim corpus unum est*, inquit, *et membra multa habet; omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus: ita et Christus* (I *Cor.* XII, 12). Non ait, Ita et Christus et corpus [1]; sed, *corpus unum membra multa, ita et Christus.* Totum ergo Christus: et quia totum Christus, ideo caput de cœlo, *Saule*, inquit, *Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Tenete hoc, et fixum omnino commendate memoriæ, tanquam filii ecclesiasticæ eruditionis et fidei catholicæ, ut agnoscatis Christum caput et corpus, eumdemque Christum Verbum Dei unigenitum æqualem Patri; et inde videatis quanta gratia pertingatis ad Deum, ut ipse vo-

[1] Edd., *jam loquar.* Abest, *jam*, a Mss.

[1] Am. et nonnulli Mss.: *Ita et Christi: sed corpus*, etc.

fuerit esse nobiscum unus, qui est cum Patre unus. Quomodo cum Patre unus? *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30). Quomodo nobiscum unus? *Non dicit*, inquit, *Et seminibus*, *tanquam in multis; sed tanquam in uno*, *Et semini tuo, quod est Christus*. Sed ait aliquis: Si Christus semen Abrahæ, numquid et nos? Mementote quia semen Abrahæ Christus; ac per hoc si et nos semen Abrahæ, ergo et nos Christus. *Quomodo unum corpus multa membra, ita et Christus*: et *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Nempe semen Abrahæ Christus; nec contradici potest apostolicis apertissimis verbis, *Et semini tuo, quod est Christus*. Videte quid nobis dicat: *Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis* (*Galat.* III, 16, 27, 29). Ideo magnum est illud sacramentum: *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24). Apostolus dicit: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* v, 32). Christus et Ecclesia, duo in carne una. Refer ad distantiam majestatis duo. Duo plane. Non enim et nos Verbum, non enim et nos in principio Deus apud Deum, non enim et nos ille per quem facta sunt omnia (*Joan.* I, 1, 3). Venitur[1] ad carnem, et ibi Christus et ille et nos. Non ergo miremur in Psalmis: multa enim dicit ex persona capitis, multa ex persona membrorum; et hoc totum tanquam una persona sit, ita loquitur. Nec mireris quia duo in voce una, si duo in carne una.

4. Judas filius sponsi persequens sponsum. Hoc tunc contigit; an et futurorum exemplum præmissum est? Multos enim falsos fratres passura erat Ecclesia, ut et adhuc et usque in finem sponsum illum filius persequatur. *Si enim inimicus exprobrasset mihi, sustinuissem utique*, ait; *et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me utique ab eo*. Quis est inimicus? quis est qui oderat me? Qui dicit: Quis est Christus? Homo fuit Christus, nec vivere potuit, cum vellet vivere: et mortuus est, inquiunt, nolens, evictus, crucifixus, occisus. Inimici ista dicunt. Apertus iste inimicus est, ait Christus, odit me, apertas mihi indicit inimicitias; facile est istum vel tolerare vel vitare: quid facio de Abessalon? quid facio de Juda? quid de falsis fratribus? quid de malis filiis et tamen filiis, qui non contra nos blasphemant Christum, sed nobiscum adorant Christum, et in nobis persequuntur Christum? De quibus consequenter in eodem psalmo dicitur: Alium facile erat perferre, eum qui oderat me; vel abscondere me ab eo. Abscondis enim te a pagano, intrans Ecclesiam. Quando autem et ibi invenis quod times, quid quæris ubi te abscondas? Denique ille ipse apostolus qui gemit in periculis a falsis fratribus: *Foris*, inquit, *pugnæ, intus timores* (II *Cor.* VII, 5). *Si ergo is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me utique ab eo; tu vero unianimis meus* (*Psal.* LIV, 13). Unianimem dicit, tanquam unum in Christo. Est ergo Ecclesiæ quod ferat foris, gemat intus: inimicos tamen suos deputet foris et intus; foris facilius evitabiles, intus difficilius tolerabiles.

[1] Lugd. Ven., *veniatur*. M.

5. Dicat ergo Dominus noster, dicat Christus nobiscum totus Christus: *Domine, exaudi orationem meam, percipe auribus precem meam*. Hoc est, *exaudi*; quod, *percipe auribus*: repetitio, confirmatio est. *In veritate tua exaudi me, in tua justitia*. Ne utcumque accipiatis, cum dicitur, *in tua justitia*. Commendatio est enim gratiæ, ne unusquisque nostrum justitiam suam putet. Hæc enim justitia Dei est, quam ut habeas Deus dedit. Nam qui voluerunt de sua justitia gloriari, quid de illis dicit Apostolus? *Testimonium eis*, inquit, *perhibeo, quia zelum Dei habent*. De Judæis loquens, *Zelum Dei*, inquit, *habent, sed non secundum scientiam*. Quid est, *non secundum scientiam?* Quam enim tu commendas utilem scientiam? numquid illam quæ cum sola fuerit inflat; quæ nisi comitata fuerit charitate, non ædificat (I *Cor.* VIII, 1)? Non utique ipsam; sed illam scientiam comitem charitatis, magistram humilitatis. Vide si ipsa est: *Zelum*, inquit, *Dei habent, sed non secundum scientiam*. Exponat quam dicat scientiam: *Ignorantes Dei justitiam et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* x, 2, 3). Qui ergo volunt constituere justitiam suam? Qui quod bene fecerint, sibi imputant, quod male, Deo: omnino perversi. Denique recti erunt, cum hoc ipsum converterint. Perversus ideo, quia quod male, Deo; quod bene, tibi: rectus eris, quando quod male feceris, tibi; quod bene feceris, Deo. Non enim ex impio juste viveres, nisi ab illo justus factus, qui justificat impium (*Id.* IV, 5). Ergo, inquit, *In veritate tua exaudi me, in tua justitia*, non in mea; ut *inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ est ex fide* (*Philipp.* III, 9). Ecce, *In tua justitia exaudi me*. Ad me enim cum respicio, nihil aliud meum quam peccatum invenio.

6. [*vers* 2.] *Et ne intres in judicium cum servo tuo*. Qui cum illo volunt intrare in judicium, nisi qui ignorantes Dei justitiam, suam volunt constituere? *Quid est quod jejunavimus, et non vidisti, defraudavimus animas nostras, et nescisti* (*Isai.* LVIII, 3)? tanquam dicentes: Fecimus quod jussisti; quare non reddis quod promisisti? Respondet tibi Deus: Ut accipias quod promisi, ego dabo; ut faceres, quare acciperes, ego dedi[1]. Denique superbis talibus loquitur propheta: *Quid vultis mecum judicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus* (*Jerem.* II, 29). Quid vultis mecum in judicium intrare, et vestras justitias commemorare? Commemorate justitias vestras; ego novi facinora vestra. Quomodo approbabo justitiam, ubi damnabo superbiam? Merito iste humilis in corpore Christi, discens a capite quoniam mitis est et humilis corde (*Matth.* XI, 29), *Ne intres*, inquit, *in judicium cum servo tuo*. Non litigemus; nolo tecum habere causam, ut ego proponam justitiam meam, tu convincas iniquitatem meam: *Ne intres in judicium cum servo tuo*. Quare hoc? quare timet? *Quoniam non justificabitur coram te omnis vivens*. *Omnis vivens*, hic utique vivens, in carne vivens, moriturus vivens,

[1] Sic Mss. At Edd., *ego dedi ut faceres; quare acciperes, ego dedi*: nisi quod Am. habet, *quare acceperis*.

natus homo, ex hominibus vivens, de Adam, Adam vivens; omnis ita vivens justificari forte potest coram se, non coram te. Quomodo, coram se? Sibi placens, tibi displicens: *coram te* autem *non justificabitur omnis vivens*. Noli ergo mecum intrare in judicium, Domine, Deus meus. Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de thesauro tuo regulam, coaptas me ad eam, et pravus invenior. *Ne intres in judicium cum servo tuo*. Bene, *cum servo tuo*. Indignum est tibi cum servo tuo intrare in judicium, nec quidem cum amico tuo: quia, *Vobis dico amicis meis* (*Luc.* XII, 4), non diceres, nisi ex servis amicos tu ipse fecisses. Tu licet dicas amicum, ego confiteor servum: misericordia indigeo, fugitivus redeo, pacem quæro; non sum dignus vocari filius tuus (*Id.* XV, 21), *Ne intres in judicium cum servo tuo; quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ante mortem ne laudes hominem quemquam* (*Eccli.* XI, 30): omnino *omnis vivens*. Quid ipsi arietes, quid ipsi Apostoli, de quorum prole dicitur: *Afferte Domino filios arietum* (*Psal.* XXVIII, 1)? Ex his Paulus est, qui dicit non se esse perfectum: *Non quia jam acceperim*, inquit, *aut jam perfectus sim* (*Philipp.* III, 12). Denique, fratres, ut cito agnoscatis, ipsi didicerunt orare quod oramus, ipsis data est regula postulandi, a Jurisperito cœlesti: *Sic orate*, inquit. Et cum quædam præmisisset, posuit et hoc ut dicerent arietes nostri, duces ovium, et præcipua membra Pastoris et congregatoris [1] unius gregis; ipsi didicerunt dicere: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 9, 12). Non dixerunt, Gratias tibi, qui dimisisti nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; sed, *Dimitte, sicut dimittimus*. Orabant autem utique jam fideles, utique jam Apostoli: nam ista oratio dominica magis fidelibus datur. Si debita illa tantummodo dicerentur quæ per Baptismum dimittuntur, catechumenis congrueret magis orare, *Dimitte nobis debita nostra*. Dicant ergo Apostoli, dicant, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Et cum eis dictum fuerit, Quare hoc dicitis? quæ debita vestra? Respondeant, *Quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*.

7. [*vers.* 3.] *Quoniam persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam*. Vide nos, vide caput nostrum pro nobis: *Quoniam persecutus est inimicus animam meam*. Persecutus est plane et diabolus animam Christi, et Judas animam magistri: et nunc ad persecutionem corporis Christi idem diabolus manet; Judas autem Judæ succedit. Non ergo deest de quo dicat et corpus, *Quoniam persecutus est inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam. Humiliavit*, inquit, *in terra vitam meam*. Alio loco dicitur: *Curvaverunt animam meam* (*Psal.* LVI, 7). Quid enim nobiscum agit, quisquis persequitur, nisi ut relicta spe cœlesti terram sapiamus, persecutori cedentes terrena diligamus? Et illi quidem, quantum in ipsis est, hoc agunt: nobis autem hoc non contingat, quibus dicitur, *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram: mortui enim estis* (*Coloss.* III, 1-3). Nam non justificabitur coram Deo omnis vivens. Illi ergo vel aperte sæviendo, vel occulte insidiando conantur perducere vitam nostram ad terram: contra hos vigilemus, ut dicere possimus, *Nostra enim conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III, 20). *Humiliavit*, inquit, *in terra vitam meam* inimicus.

8. *Collocaverunt me in tenebrosis, sicut mortuos sæculi*. Hoc a capite expeditius auditis, et expeditius hoc in capite agnoscitis. Ille enim pro nobis mortuus factus est, sed non mortuus sæculi. Qui enim mortui sunt sæculi? et quomodo ille non erat mortuus sæculi? Mortui sæculi, merito mortui, mercedem recipientes iniquitatis, et mortem ducentes ex peccati propagine; ex illa voce qua dicitur: *Ego enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis mater mea in utero me aluit* (*Psal.* L, 7). Venit autem ille per virginem assumens carnem, non iniquitatem carnis, assumens carnem mundam mundatricem. Illi autem quem peccatorem putabant, tanquam mortuum sæculi deputabant. At ille qui in alio psalmo dixit, *Quæ non rapui, tunc exsolvebam* (*Psal.* LXVIII, 5); et qui dixit in Evangelio, *Ecce venit princeps mundi*, præpositus mortis, operis mali persuasor, supplicii exactor; *Venit*, inquit, *et in me nihil inveniet*. Quid est, *in me nihil inveniet?* Nullam culpam, nihil quare mori debeam. *Sed ut sciant omnes quia voluntatem*, inquit, *Patris mei facio, surgite, eamus hinc* (*Joan.* XIV, 30, 31). Ut moriar, inquit, voluntatem Patris mei facio, non autem morte sum dignus. Nihil feci unde moriar, sed facio ut moriar; ut illi per innocentis mortem liberentur, qui habebant quare morerentur. *Collocaverunt me in tenebrosis*, tanquam in infernis, tanquam in sepulcro, tanquam in ipsa passione; *velut mortuos sæculi*, eum qui dicit, *Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 5, 6). Quid est, *liber?* quare *liber?* Quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan.* VIII, 34). Denique non solveret a vinculis, nisi liber a vinculis. Ille liber mortem occidit, vinculum vinxit, captivitatem captivavit, et collocaverunt eum in tenebrosis tanquam mortuos sæculi.

9. [*vers.* 4.] *Et tædium*, inquit, *passus est in me spiritus meus*, Recordamini, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Videte vocem unam [1]. Numquid non apparet ipse transitus a capite ad membra, a membris ad caput? *Tædium*, inquit, *passus est in me spiritus meus*. Agnoscimus, *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Sed et illic nos eramus. Transfiguravit enim in se corpus humilitatis nostræ, conformans corpori gloriæ suæ (*Philipp.* III, 21); et vetus homo noster confixus est cruci cum illo (*Rom.* VI, 6). *In me turbatum est cor meum. In me*, inquit, non in aliis. Illi enim me deseruerunt, et illi qui inhæserant

[1] Am. et plerique Mss. *congregatores*.

[1] Ita sex Mss. At Edd., *vocem meam*. Moxque Am. cum nonnullis Mss., *Numquid apparet*.

recesserunt, et me ipsum quia mori videbant, aliud aliquid putaverunt; et a latrone victi sunt, qui tunc credidit (*Luc.* XXIII, 40-42), quando illi defecerunt.

10. [*vers.* 5.] Inde ad membra. ***Memoratus sum dierum antiquorum.*** Numquid memoratus est ille dierum antiquorum, per quem factus est omnis dies? Sed loquitur corpus, loquitur unusquisque illius gratia justificatus, inhærens illi in charitate et devota humilitate[1]; loquitur, et dicit, ***Memoratus sum dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis.*** Quia utique omnia bona tu fecisti, et nihil constitisset quod a te constitutum non esset. Creatura tua spectaculum mihi facta est: quæsivi in opere artificem, et in conditis omnibus conditorem. Quare hoc? utquid hoc, nisi ut hoc intelligeret, quidquid in se boni esset, ab illo factum esse; ne ignorans justitiam Dei, et suam volens constituere, justitiæ Dei subjectus non esset (*Rom.* X, 3); ut ei conveniret vox illa superior, ***In veritate tua et in justitia tua?*** In omnibus ergo Dei operibus et meditatione omnium operum Dei gratiam insinuat, gratiam commendat, gratiam se invenisse gloriatur, gratiam qua gratis salvi facti sumus: quia et gratis salvi facti sumus. Quid gloriaris in tua justitia? quid te extollis, ignorans Dei justitiam? Dedisti forte aliquid, ut salvus esses: quid dedisti, ut homo esses? Respice ergo conditorem vitæ tuæ, substantiæ et justitiæ et salutis auctorem. ***Meditare in facturis manuum ejus***, quia et justitiam quæ in te est, ad manum ejus[2] invenies pertinere. Audi Apostolum hoc te docentem: ***Non ex operibus***, inquit, ***ne forte quis extollatur.*** Opera bona non habemus? Habemus plane; sed vide quid sequitur: ***Ipsius enim sumus figmentum***, dixit. ***Ipsius sumus figmentum:*** forte naturam, qua homines sumus, commemorare voluit, hoc appellato figmento? Non plane; de operibus loquebatur: ***Non***, inquit, ***ex operibus, ne quis forte extollatur.*** Sed non conjiciamus; sequatur: ***Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis*** (*Ephes.* II, 9, 10). Noli ergo putare te aliquid operari, nisi in quantum malus es. Averte ab opere tuo te, ad opus illius qui fecit te: ipse format[3]; et ipse quod formaverat et tu exterminasti, reformet. Ut enim sis, ipse operatus est; ut bonus sis, si bonus es, ipse operatur. *Cum tremore*, inquit, *et timore vestram ipsorum salutem operamini.* Si nostram ipsorum salutem operamur, quare cum timore, quare cum tremore, cum sit in potestate nostra quod operamur[4]? Audi quare cum timore et tremore: ***Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari, pro bona voluntate*** (*Philipp.* II, 12, 13). Ergo cum timore et tremore, ut delectet in convalle operari artificem nostrum. Sic enim operatur tanquam in dejectis, qui judicat in gentibus, et replet ruinas. ***In facturis manuum tuarum meditatus sum.*** Vidi ergo, et inspexi opera tua; quia nihil boni esse in nobis potest, nisi abs te fiat, qui nos fecisti.

11. [*vers.* 6.] Et quid feci, cum viderem a te omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum esse, descendens a Patre luminum, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio (*Jacobi* I, 17)? Cum hoc viderem, aversus ab opere malo quod feceram in me, ***extendi manus meas ad te. Extendi***, inquit, ***manus meas ad te: anima mea velut terra sine aqua tibi.*** Comple, inquit, me ad faciendum fructum bonum. Dominus enim dabit suavitatem, ut terra nostra det fructum suum (*Psal.* LXXXIV, 13). ***Extendi manus meas ad te: anima mea velut terra sine aqua***, non mihi, sed *tibi*. Sitire tibi possum, me irrigare non possum. ***Anima mea velut terra sine aqua tibi:*** quia sitivit anima mea in Deum vivum (*Psal.* XLI, 3). Quando veniam, nisi quando venerit? Sitivit anima mea in Deum vivum; quia *anima mea velut terra sine aqua tibi.* Abundat mare, inundat, copiosum est, fluctuat, sed amarum est. Discreta est aqua, apparuit arida (*Gen.* I, 9) anima mea; irriga eam, quia ***velut terra sine aqua tibi.***

12. [*vers.* 7.] ***Cito exaudi me, Domine.*** Quæ enim mora quando sic sitio, ad inflammandam sitim meam? Pluviam differebas, ut hauriens imbiberem, non respuerem quod influeres. Si ergo ideo differebas, jam da; quoniam ***anima mea velut terra sine aqua tibi. Cito exaudi me, Domine; defecit spiritus meus.*** Impleat me spiritus tuus, quia ***defecit spiritus meus:*** ipsa est causa ut cito exaudias, quia ***defecit spiritus meus.*** Factus sum jam pauper spiritu; beatum me fac in regno cœlorum (*Matth.* V, 3). In quo enim vivit spiritus ejus, superbus est, spiritu suo extollitur contra Deum. Fiat in illo bene quod alibi scriptum est, ***Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum convertentur*** (*Psal.* CIII, 29); ut confitentes dicant, ***Memento quia pulvis sumus*** (*Psal.* CII, 14). Cum autem dixerint, ***Quia pulvis sumus memento;*** tunc dicant, *Anima mea velut terra sine aqua tibi.* Quid enim tam terra sine aqua[1]; quam pulvis? Sed ***cito exaudi me, Domine:*** comple me, confirma me, ne sim pulvis quem projicit ventus a facie terræ (*Psal.* I, 4). ***Cito exaudi me, Domine; defecit spiritus meus:*** non differatur inopia mea. Abstulisti spiritum meum, ut deficerem, et in pulverem meum converterer, et dicerem tibi, ***Anima mea velut terra sine aqua tibi:*** fac etiam quod in illo psalmo sequitur, ***Emittes spiritum tuum, et creabuntur; et renovabis faciem terræ*** (*Psal.* CIII, 30). Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt. In spiritu suo vetera transierunt, in spiritu tuo nova facta sunt (II *Cor.* V, 17).

13. ***Ne avertas faciem tuam a me.*** Avertisti a superbo. Etenim aliquando abundabam, et in abundantia mea elatus eram: *Ego* enim ***dixi*** aliquando ***in abundantia mea, Non movebor in æternum. Dixi, Non movebor, in abundantia mea***, ignorans justitiam tuam, et constituens meam; sed tu, ***Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Dixi in abundantia mea, Non movebor;*** verum autem a te mihi erat quidquid abun-

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *et devotus in humilitate.*
[2] Aliquot Mss., *ad opera manuum ejus.*
[3] Er. Lugd. Ven., *formet.* M.
[4] Sic Am. Er. et Mss. At Lov., *qua operamur.*

[1] Sic plures Mss. At Edd.: *Quæ enim tam terra sicca.*

dabam. Et ut hoc probares a te mihi fuisse, *avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (*Psal.* XXIX, 7, 8). Post hanc conturbationem in qua factus sum, quia avertisti faciem tuam; post tædium spiritus mei, post conturbatum cor meum in me, ex eo quod avertisti faciem tuam; jam factus sum sicut terra sine aqua tibi: *Ne avertas faciem tuam.* Avertisti a superbo, redde humili. *Ne avertas faciem tuam a me*; quia si averteris, *similis ero descendentibus in lacum.* Quid est, *descendentibus in lacum? Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnet* (*Prov.* XVIII, 3). Illi descendunt in lacum, qui etiam confessionem perdunt: contra quod dicitur, *Ne coarctet super me puteus os suum* (*Psal.* LXVIII, 16). Hanc profunditatem lacum appellat plerumque Scriptura, in quam profunditatem cum venerit peccator, contemnit. Quid est, *contemnit?* Jam nec ullam providentiam deputat; aut si deputat, ad eam se pertinere non putat. Proponit sibi peccandi licentiam, sine spe veniæ habenis iniquitatis effusis. Non dicit, Revertar ad Deum, ut revertatur ad me; nec audit, *Convertimini ad me, et revertar ad vos* (*Malach.* III, 7): quoniam veniens in profundum malorum contemnit. *A mortuo* enim, inquit, *tanquam si non sit, perit confessio* (*Eccli.* XVII, 26). *Ne* ergo *avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum.*

14. [*vers* 8.] *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam; quoniam in te speravi.* Ecce in nocte sum; sed in te speravi, donec nocturna transeat iniquitas (*Psal.* LVI, 2). « Habemus enim, ut dicit Petrus, certiorem propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes, tanquam lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris » (II *Petr.* I, 19). *Mane* ergo appellat, post finem sæculi, cum viderimus quod in sæculo credimus. « Mane » enim « exaudies vocem meam; mane astabo tibi et contemplabor » (*Psal.* v, 4, 5). « Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quoniam in te speravi. » Si enim quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 25). Patientiam quærit nox, lætitiam donabit dies. « Auditam fac mihi mane misericordiam tuam; quoniam in te speravi. »

15. Sed hic quid, donec veniat mane? Non enim sufficit mane [1] sperare; aliquid opus est agere. Quare aliquid agere? Quoniam dicit in alio psalmo, *Deum exquisivi in die tribulationis meæ*: tanquam in tempore noctis meæ Deum exquisivi. Quomodo exquisisti? *Manibus meis nocte coram eo; et non sum deceptus* (*Psal.* LXXVI, 3). Manibus quærendus est in nocte Deus. Quid est, *manibus?* Bonis operibus. *Coram eo: Cum enim facis eleemosynam, noli tuba canere; et Pater tuus qui videt in occulto, reddet tibi* (*Matth.* VI, 2, 4). Quia ergo ita sperandum est mane, et ita nox ista toleranda est, et in ipsa patientia donec dies lucescat perseverandum est, quid interea hic agendum? Ne forte per teipsum acturus es aliquid, ut merearis perduci ad mane? *Notam fac mihi, Domine, viam in qua ingrediar.* Ideo lucernam propheticam accendit; ideo ipsum Dominum tanquam in testa carnis misit, qui etiam diceret, *Exaruit velut testa virtus mea* (*Ps.* XXI, 16). Ambula ad prophetiam, ambula ad lucernam prædictorum futurorum, ambula ad verba Dei. Nondum vides Verbum in principio, Deum apud Deum (*Joan.* I, 1); ambula ad formam servi, perduceris ad formam Domini. « Notam fac mihi, Domine, viam in qua ingrediar; quoniam ad te levavi animam meam. *Levavi ad te*, non contra te. Apud te fons vitæ (*Psal.* XXXV, 10). *Ad te levavi animam meam*, tanquam vas ad fontem attuli: imple ergo me, *quoniam ad te levavi animam meam.*

16. [*vers.* 9.] *Exime me de inimicis meis, Domine; quia ad te confugi.* Qui aliquando a te fugi, *ad te confugi.* Fugit enim Adam a facie Dei, et abscondit se inter ligna paradisi (*Gen.* III, 8), ut de illo diceretur in libro Job: *Tanquam servus fugiens Dominum suum, et consecutus umbram* (*Job* VII, 2, *sec.* LXX). Fugit a facie Domini sui, et consecutus est umbram: ad umbram enim fugit inter ligna paradisi. Væ si permanserit in umbra; ne postea dicatur, *Transierunt omnia tanquam umbra* (*Sap.* v, 9). *Exime me de inimicis meis.* Non ego hic inimicos homines cogito: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem.* Sed adversus quos? *Adversus principes et potestates, rectores mundi.* Cujus mundi? Non enim cœli et terræ; non enim regunt quod non fecerunt. *Rectores mundi;* sed cujus mundi? *Tenebrarum harum.* Quarum tenebrarum? Utique iniquorum. *Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 8). *Rectores mundi, tenebrarum harum*, rectores iniquorum; contra hos habetis luctamen. Magnum prælium vobis est, hostem non videre et vincere. *Adversus rectores mundi, tenebrarum harum;* diabolum scilicet et angelos ejus (*Id.* VI, 12): non illius mundi rectores, de quo dicitur, *Et mundus per eum factus est;* sed illius mundi, de quo dicitur, *Et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 10). *Exime me de inimicis meis, Domine; quia ad te confugi. De inimicis meis;* non Juda, sed qui implevit Judam. Illum patior visum, illum expugno non visum. Accepit enim buccellam Judas, et intravit in eum satanas (*Id.* XIII, 27): ut iste David persecutionem pateretur a filio suo. Quam multos Judas implet satanas, indigne accipientes buccellam ad judicium suum! Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit (I *Cor.* XI, 29). Non malum est quod datur, sed bonum malo in judicium datur. Bene esse non potest male accipienti quod bonum est. Ergo « exime me ab inimicis meis; quia ad te confugi [1]. » Quo enim fugerem? « Quo ibo a spiritu tuo? Si ascendero in cœlum, tu ibi es: si descendero in infernum, ades. » Quid ergo restat? « Si assumpsero pennas meas ut columba, et volabo in extrema maris; » id est, ut spe habitem in finem sæculi: « etenim illuc manus tua deducet me, et perducet me dextera

[1] Vox, *mane*, a Mss. plerisque abest.

[1] Hic in Edd. additur: *Ergo quia ad te confugi, vel quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es:* quod redundat, nec in omnibus Mss. exstat.

tua» (*Psal.* cxxxviii, 7-10). «Exime me de inimicis meis; quoniam ad te confugi, Domine.»

17. [*vers.* 10-12.] *Doce me ut faciam voluntatem tuam; quoniam tu es Deus meus.* O confessio, o præscriptio! *Quoniam tu es*, inquit, *Deus meus.* Ad alium curram refici, si ab alio factus sum. Tu es totum meum; *quia tu es Deus meus.* Patrem quæram propter hæreditatem? *Tu es Deus meus*, non solum dator hæreditatis, sed ipsa hæreditas: *Dominus pars hæreditatis meæ* (*Psal.* xv, 5). Dominum quæram propter redemptionem? *Tu es Deus meus.* Patronum quæram propter liberationem? *Tu es Deus meus.* Postremo creatus recreari cupio? *Tu es Deus meus*, qui Creator meus, qui creasti me per Verbum tuum, et recreasti me per Verbum. Sed creasti me per Verbum Deum manentem apud te; recreasti per Verbum carnem factum propter nos. *Doce* ergo *me ut faciam voluntatem tuam; quoniam tu es Deus meus.* Si non me docueris, faciam voluntatem meam, et deseret me Deus meus. *Doce me ut faciam voluntatem tuam; quoniam tu es Deus meus. Doce me:* non enim tu es Deus meus, et ego ero magister meus. Videte quemadmodum gratia commendetur. Hoc tenete; hoc imbibite, hoc vobis de corde nullus excutiat; ne habeatis zelum Dei, sed non secundum scientiam; ne ignorantes Dei justitiam, et vestram volentes constituere [1], justitiæ Dei non sitis subjecti (*Rom.* x, 2, 3). Verba certe Apostoli agnoscitis. Dicite ergo ista, *Doce me ut faciam voluntatem tuam; quoniam tu es Deus meus.*

18. *Spiritus tuus bonus*, non meus malus: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Quia spiritus meus malus deduxit [2] me in terram perversam. Et quid ego merui? quæ mea opera bona sine tuo adjutorio computantur, unde impetrarem dignusque essem deduci a Spiritu tuo in terram rectam? Quæ opera mea, vel quæ merita mea? *Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me.* Attendite ergo, quantum potestis, gratiæ commendationem, qua gratis salvi facti estis. *Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me.* Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (*Psal.* cxii, 1). *Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me: in tua justitia*, non in mea, non quia ego merui, sed quia tu misereris. Nam si meum ostenderem meritum, nihil abs te mererer, nisi supplicium. Avulsisti merita mea, inseruisti dona tua. «Propter nomen tuum, Domine, vivificabis me: in tua justitia educes de tribulatione animam meam; et in tua misericordia ad interitum deduces inimicos meos. Et perdes omnes tribulantes animam meam; quoniam servus tuus sum ego.»

IN PSALMUM CXLIII ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers.* 1.] Psalmi hujus titulus brevis est numero verborum, sed gravis pondere mysteriorum: *Ipsi David ad Goliam.* Prœlium hoc factum tempore patrum nostrorum, de Scripturis sanctis recolit mecum Charitas vestra. Cum enim adversus populum Dei alienigenæ dimicarent, provocavit unus unum, Golias David: in quo certamine voluntas Dei pro cujusque partis victoria probaretur. Sed quid de victoria satagimus, quando provocantem provocatumque cernamus? Provocavit impietas pietatem, provocavit superbia humilitatem, postremo provocavit diabolus Christum. Quid miramini diabolum victum? Ille erat grandis statura corporis; iste autem statura parvus, fide magnus. Accepit arma bellica sanctus David, ut adversus Goliam procederet. Hæc arma per ætatem, et parvam, ut diximus, staturam corporis, portare non valuit. Abjecit onerantia, non adjuvantia: accepit quinque lapides de flumine, et posuit in vase pastorali. His armatus corporaliter, nomine autem Dei spiritualiter, processit, et vicit (I *Reg.* xvii). Hoc quidem ille David: sed mysteria perscrutemur. Proposueramus enim titulum istum brevem numero verborum, sed gravem pondere mysteriorum. Veniat in mentem apostolica illa sententia, *Omnia hæc in figura contingebant in illis* (I *Cor.* x, 11); ne impudenter videamur quærere aliquid absconditum, ubi possit dici totum sine mysterii profunditate simpliciter dictum. Habemus ergo auctoritatem facientem nos intentos ad quærendum, vigiles ad investigandum, devotos ad audiendum, fideles ad credendum, impigros ad faciendum. In David Christus: sed sicut soletis intelligere eruditi in schola ejus, Christus caput et corpus. Non ergo sic audiatis aliquid ex persona Christi, quasi ad vos non pertineat, qui estis membra Christi. Hoc tanquam fundamento posito, videte quæ sequantur.

2. Nostis multis sacramentis visibilibus et corporalibus oneratum esse populum primum; circumcisione, negotioso illo quodam sacerdotio, et templo figuris pleno, multiplicibus holocaustorum sacrificiorumque generibus. Hæc David noster tanquam arma prementia, non adjuvantia, posuit. *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, vere ex Lege esset justitia.* Utquid ergo Lex? Sequitur: *Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus* (*Galat.* iii, 21, 22). Denique iste David, scilicet Christus caput et corpus, tempore revelationis Novi Testamenti, tempore insinuandæ et commendandæ gratiæ Dei, quid fecit? Arma posuit, quinque lapides tulit: arma, ut diximus, onerantia posuit; ergo sacramenta Legis, sacramenta illa Legis, quæ non sunt imposita Gentibus, posuit, quæ non observamus. Meministis enim quanta in Veteri Lege legamus, et non observemus; sed tamen ad aliquam significationem præmissa et proposita intelligamus: non ut abjiciamus Legem Dei, sed ut sacramenta promittentia, impleta promissione non celebremus. Quod enim promittebant, venit. Gratia enim Novi Testamenti in Lege velabatur; in Evangelio revelatur. Velum removimus, quod velabatur agnovimus: agnovimus autem in gratia [1] Domini nostri Jesu Christi,

[1] Edd., *constituere legem.* Vox, *legem*, abest a Mss.
[2] Am. et aliquot Mss., *deducet.*

[1] Er. et Lov., *in gratia, gratiam Domini*, etc. Abest, *gratiam* ab Am. et Mss.

capitis et Salvatoris nostri, qui pro nobis crucifixus est; quo crucifixo etiam velum templi conscissum est (*Matth.* xxvii, 51). Denique arma ille posuit, tanquam onera sacramentorum Veteris Legis; et ipsam Legem accepit. Quinque enim lapides quinque libros Moysi significant. Tulit ergo illos quinque lapides de flumine. Nostis quid sit fluvius. Labitur enim mortale sæculum, et præterfluit quidquid venit in mundum. Erant ergo in flumine, tanquam in populo illo primo, lapides; illic erant inutiles, vacabant, nihil proderant, transibant super fluvios [1]. Quid fecit David, ut Lex ipsa utilis esset? Accepit gratiam. Lex enim sine gratia impleri non potest: *Plenitudo* enim *Legis charitas* (*Rom.* xiii, 10). Et unde ista charitas? Vide si non ex gratia. *Charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Id.* v, 5). Quia ergo gratia fecit impleri Legem, significatur autem gratia lacte; hoc enim est in carne gratuitum, ubi mater non quærit accipere, sed satagit dare; hoc mater gratis dat, et contristatur si desit qui accipiat: quomodo ergo ostendit David Legem sine gratia operari non posse, nisi cum illos lapides quinque, quibus significabatur Lex in libris quinque, conjungere volens gratiæ, posuit in vase pastorali, [2] quo lac mulgere consueverat? His armatus, gratia utique armatus, et ideo præsumens non de se, sed de Domino suo, processit adversus Goliam superbum, se jactantem, de se præsumentem. Tulit unum lapidem, jecit, inimicum in fronte percussit; cecidit ex eo loco corporis, ubi signum Christi non habuit. Hoc quoque licet attendas: quinque lapides posuit, unum misit. Libri quinque lecti sunt, sed unitas vicit. *Plenitudo* enim *Legis*, ut paulo ante commemoravimus, *charitas*: et Apostolus ait, *Sufferentes invicem in dilectione, studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* iv, 2, 3). Deinde illo percusso atque dejecto, gladium ejus abstulit, et inde caput illi abscidit. Et hoc fecit noster David, dejecit diabolum de suis: quando autem credunt magni ejus, quos ille in manu habebat, et de quibus cæteras animas trucidabat, convertunt linguas suas contra diabolum; et sic Goliæ de gladio suo caput inciditur. Mysterium tituli pro temporis brevitate tractavimus; videamus quid habeat ipse Psalmus.

3. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas in prælium, digitos meos ad bellum.* Vox nostra est, si corpus Christi nos sumus. Benedicamus Dominum Deum nostrum qui docet manus nostras in prælium, digitos nostros ad bellum. Repetitio sententiæ videtur: quod est, manus nostras in prælium; hoc est, digitos nostros ad bellum. An aliquid interest inter manus et digitos? Digitis utique operantur et manus: non itaque absurde accipimus digitos pro manibus positos. Verumtamen in digitis agnoscimus divisionem operationis, et tamen radicem unitatis [3]. Vide illam gratiam: dicit Apostolus, « Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii donationes curationum in uno Spiritu, alii genera linguarum, alii prophetia, alii dijudicatio spirituum. Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult » (I *Cor.* xii, 8). *Alii* illud, *alii* hoc; divisiones sunt operationis: *Omnia hæc operatur unus atque idem Spiritus;* radix est unitatis. His ergo digitis pugnat corpus Christi, procedens in bellum, procedens in prælium.

4. Jam præliorum et bellorum genera commemorare fortasse longum est, et gerere facilius quam explicare. Habemus unum bellum quod commemorat Apostolus: *Non est vobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, id est, adversus homines a quibus videmini pati molestias; non adversus ipsos pugnatis: *sed adversus principes et potestates et rectores mundi.* Et ne intelligeres mundi, cœli et terræ, ostendit quid diceret: *Tenebrarum*, inquit, *harum* (*Ephes.* vi, 12). Mundi scilicet, non qui per ipsum factus est; quia, *Et mundus per eum factus est:* sed mundi qui eum non cognovit; quia, *Et mundus eum non cognovit* (*Joan.* i, 10). Hæ tenebræ non sunt natura, sed voluntate. Anima enim per semetipsam non lucet: quia humiliter et veraciter cantat, *Tu illuminabis lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas* (*Psal.* xvii, 29): et, *Apud te*, inquit, *fons vitæ; in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* xxxv, 10); non in lumine nostro, sed *in lumine tuo.* Nam et oculi nostri lumina vocantur; et tamen lux extrinsecus si desit, etiam sani et patentes, in tenebris remanebunt. Ergo bellum gerimus adversus rectores tenebrarum harum, rectores scilicet infidelium, diabolum et angelos ejus, rectores gladii ejus de quo pugnat diabolus adversus fideles. Sed quomodo Goliæ prostrato tollitur gladius, ut ipsi Goliæ caput de gladio suo amputetur; ita cum credunt ipsi infideles, dicitur eis: *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 8). Pugnastis de manu Goliæ, jam in manu Christi tollite caput Goliæ.

5. Hoc unum prælium: alterum autem unicuique in seipso. Modo genus hoc belli ex apostolica Epistola legebatur: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; ut non ea quæ vultis, faciatis.* Et hoc grave bellum, et quod est molestius, internum. In quo bello si sit quisque victor, illos quos non videt inimicos, continuo superabit. Non enim tentat diabolus vel angeli ejus, nisi quod in te carnale [1] dominatur. Nam quomodo vincimus illos hostes quos non videmus, nisi quia carnales interiores motus nostros sentimus? Cum his confligimus, et illos percutimus [2]. In amore pecuniæ dominatur avaritia: dominanti tibi avaritiæ diabolus forinsecus lucrum cum fraude proponit. Plerumque enim ad lucrum non pervenis, nisi fraudem feceris. Proponit ergo ille forinsecus avaritiæ tuæ quam intus non vicisti, quam

[1] Am. Er. et aliquot Mss., *transibant sicut fluvius.* Forte leg., *transibat super fluvius*, id est, super lapides.
[2] Lov., *in quo.* Particula, *in*, abest ab aliis libris.
[3] Forte leg., *et in manu radicem unitatis.*

[1] Sic Mss. Edd. vero, *carnaliter.*
[2] Sic aliquot Mss. At Er. et Lov.: *His confligimus, illis percutimur, et illos percutimus.*

non domuisti, quam non tibi subjecisti; proponit tanquam athletæ suo malus agonotheta fraudem et lucrum, opus et præmium : Fac, et tolle. Tu autem si calcas avaritiam, si tibi interius non dominatur, quam sentiens vincis; nam[1] diabolum insidiantem non sentis : si ergo edomuisti avaritiam, attendis alterum proponentem opus et præmium. Quid ille proposuit? Fraudem et lucrum. Quid iste proponit? Innocentiam et coronam. Fac et tolle, et ille dicit, et iste. Jam tu prælatior interior, si non es victus avaritia, sed victor avaritiæ; illum attendis, hunc vincis. Discernis enim utrumque, et dicis : Hic video opus et præmium, illic autem escam et laqueum. Neque enim aliquid dicis in te, quod non pertineat ad te. Etenim ex peccato divisus es adversum te. Trahis concupiscentiæ propaginem et traducem mortis : habes contra quod pugnes in te, habes quod expugnes in te. Sed habes quem invoces, ut pugnantem adjuvet te, et vincentem coronet te, qui non existentem fecit te.

6. Quomodo, inquis, vincam? Ecce ipse Apostolus difficillimum prælium proponit, et quam laboriosum sit aut forte insuperabile, si non intelligo, ipse ostendit. *Caro*, inquit, *concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem ; ut non ea quæ vultis, faciatis.* Quomodo me jubes vincere, cum ille dicat, *Ut non ea quæ vultis, faciatis?* Quæris quomodo? Attende ad gratiam vasis pastoralis, lapidem[2] de flumine in exceptorio lactis pone. Ecce et ego tibi dico, imo tibi ipsa veritas dicit. Prorsus non facis quod vis, pugnante carne adversus spiritum tuum. Si ad istam pugnam de te præsumis, admonendus es, ne frustra audieris, *Exsultate Deo adjutori nostro* (*Psal.* LXXX, 2). Si enim per te impleres totum, non esset necessarius adjutor. Rursus, si tu ipse tua voluntate nihil ageres, non vocaretur adjutor : adjutor enim aliquid agentem adjuvat. Denique cum dixisset, *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem ; ut non ea quæ vultis, faciatis;* et proposuisset te ante te, veluti deficientem te in te, continuo misit ad adjutorem : *Quod si spiritu ducimini, non adhuc estis sub Lege.* Qui enim sub lege est, non implet legem, sed premitur a lege; sicut ille David sub armis erat. Ergo si spiritu duceris, vide quis te adjuvabit, ut impleas quod velis. Adjutor tuus, susceptor tuus, spes tua qui docet manus tuas in prælium, et digitos tuos ad bellum. *Manifesta enim sunt*, inquit, *opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, idolorum servitus, luxuria, veneficia, contentiones, inimicitiæ, ebrietates, comessationes, et his similia ; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (*Galat.* v, 17-21). Non qui adversus talia confligunt, sed qui talia agunt. Cum enim confligis, aliud est opus; cum vincis, aliud opus est; cum pacem et requiem habes, aliud opus est. Hæc dum exemplis demonstro paucis, advertite. Suggeritur aliquod lucrum, delectat; habet fraudem, sed magnum est lucrum; delectat, non consentis : pugnam vide, adhuc suadetur, adhuc instatur, adhuc deliberatur: ergo qui pugnat, periclitatur. Vidimus pugnam, cætera videamus. Contempsit justitiam, ut fraudem faceret; victus est : contempsit lucrum, ut justitiæ serviret; vicit. In his tribus, victum doleo, pugnanti metuo, victori congaudeo. Sed etiam ille qui vicit, numquid omnino egit in se, ut prorsus eum pecunia non attentet, aut nihil in eo excitet delectationis, quamvis superabilis, quamvis contemptibilis, quamvis non solum cui non consentiat, sed cum qua nec pugnare dignetur? Inest tamen aliqua delectationis titillatio. Ista titillatio, et ille hostis jam nec pugnat, nec regnat : inest tamen, et quasi moratur in carne mortali, quod non erit. Ducetur enim totum in victoriam, sed postea : modo autem, *Corpus quidem mortuum est propter peccatum ;* et ideo eidem corpori inest peccatum, etsi non regnat peccatum : *spiritus autem vita est propter justitiam. Si autem qui suscitavit Christum a mortuis, habitat in vobis ; qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (*Rom.* VIII, 10, etc.). Ibi jam nec quod pugnet erit, nec quod titillet; totum cedet in pace[1]. Non enim contraria natura contra aliam naturam pugnat, sed tanquam in domo maritus et uxor. Si adversus se dissentiant, molestus et periculosus labor; si maritus vincatur et uxor dominetur, pax perversa : si autem uxor marito dominanti subjiciatur, pax recta; non tamen aliud ex alia natura, quia ex homine facta mulier viro. Caro tua, conjux tua, famula tua : quodlibet deputa, opus est ut subjicias; et si pugnas[2], ut prosit pugna. Hoc enim expedit, inferius subjici superiori; ut et ille qui sibi subjici vult quod est inferius se, subjiciatur superiori se. Agnosce ordinem, quære pacem. Tu Deo, tibi caro. Quid justius? quid pulchrius? Tu majori, minor tibi : servi tu ei qui fecit te, ut tibi serviat quod factum est propter te. Non enim hunc ordinem novimus, neque hunc ordinem commendamus. Tibi caro et tu Deo; sed, Tu Deo, et tibi caro. Si autem contemnis Tu Deo, nunquam efficies ut Tibi caro[3]. Qui non obtemperas Domino, torqueris a servo. Numquid si non prius tu Deo, ut deinde tibi caro, poteris dicere hæc verba, *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas in prælium, et digitos meos ad bellum?* Præliari vis indoctus, damnaberis victus. Primo ergo te subdas Deo; deinde illo docente te et adjuvante prælieris, et dicas, *Qui docet manus meas in prælium, et digitos meos ad bellum.*

7. [*vers.* 2.] Et cum præliaris, quia dum præliaris, periclitaris, dic quæ sequuntur, in præliandi periculo constitutus. *Misericordia mea.* Non vincar. Quid est hoc, *Misericordia mea?* Præbes mihi misericordiam, et in me existis misericors? an, Donasti mihi ut et ipse sim misericors? De nulla enim re sic vincitur

[1] Ita melioris notæ Mss. At Am., *quam si sentiens vincis, jam diabolum*, etc. Er. et Lov., *quam si sentiens vinces, jam diabolum*, etc.
[2] Plures Mss., *lupides.*

[1] Plerique Mss., *in pacem.*
[2] Aliquot Mss., *pugna.*
[3] Sic Mss. At Edd.: *Si autem contemnis tu Deum, nunquam subjicietur tibi caro.*

inimicus, quam cum misericordes sumus. Omnino parat calumnias ad judicium, et non potest falsa objicere, quia non est apud quem. Si enim apud hominem judicem nobiscum ageret, posset eum mentiendo fallere, et nos gravare criminationibus falsis: quia vero apud talem judicem causa nostra cum illo est, qui falli non potest; ideo ambit ut ad peccatum seducat, ut habeat vera quæ objiciat. Et ubi forte aliquibus ejus fraudibus succumbit humana fragilitas, sequatur in confessione opus humilitatis, exerceatur in operibus misericordiæ et pietatis[1]. Omnia delentur, cum ex vero corde et plena fiducia dicimus illi qui videt: *Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus* (*Matth.* vi, 12). Dic toto corde, dic tota fiducia, dic securus, *Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus;* aut noli dimittere, si non dimittimus. Quod etsi non dixeris, Noli dimittere, si non dimittimus; prorsus non dimittit, si non dimittimus. Neque enim ut tu sis impunitus peccator, erit ille mendax promissor. Vis, inquit, ut dimittam? Dimitte. Est aliud opus misericordiæ: Vis ut dem? Da. Uno loco positum est in Evangelio, *Dimittite, et dimittetur vobis; date, et dabitur vobis* (*Luc.* vi, 37, 38). Aliquid, inquit, contra te teneo, aliquid et tu contra alterum tenes; dimitte, et dimitto. Aliquid petis a me, aliquid petit alter a te; da, et do. Et quæ dimittit? quæ dat? Nonne charitas? Et unde charitas nisi per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* v, 5)? Si ergo per opera misericordiæ noster vincitur inimicus, et opera misericordiæ habere non possemus, nisi charitatem haberemus; charitas autem nobis nulla esset, nisi per Spiritum sanctum acciperemus[2]: ille docet manus nostras in prælium, et digitos nostros ad bellum; illi recte dicimus, *Misericordia mea,* a quo habemus etiam ut misericordes simus. *Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.*

8. Parva putatis opera misericordiæ? Libet et de his aliquid dicere. Attendite primo istam sententiam de sancta Scriptura depromptam, quam modo commemoravi: *Judicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Sine misericordia judicabitur qui misericordiam non fecit antequam judicaretur. Quid deinde? quid sequitur? *Superexaltat autem misericordia judicio*[3] (*Jacobi* ii, 13). Quid est hoc, fratres, *Superexaltat misericordia judicio?* Superponitur misericordia judicio: in quo inventum fuerit opus misericordiæ, etsi habuerit aliquid forte in judicio quo puniatur, tanquam unda misericordiæ peccati ignis exstinguitur. *Superexaltat* enim *misericordia judicio.* Quid autem? et cum talibus subvenit, et cum tales liberat, et cum talibus ignoscit, injustus est Deus? Absit. Et ibi justus est: non ei tollit misericordia justitiam, nec justitia misericordiam. Vide enim si non justus est: Dimitte, et dimitto; da, et do. Vide si non justus est: *In qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis* (*Matth.* vii, 2). Ad hoc enim, *In qua mensura:* non enim mensura ejusdem generis est; sed ad hoc eadem mensura, Ignosce, et ignosco. Est apud te mensura veniæ dandæ; invenies apud me mensuram veniæ accipiendæ: est apud te mensura tribuendi quod habes; invenies apud me mensuram accipiendi quod non habes.

9. *Misericordia mea et refugium meum, susceptor meus et erutor meus.* Multum laborat præliator hic, tenens concupiscentem adversus spiritum carnem. Tene quod tenes. Tunc erit plene quod vis, cum absorpta fuerit mors in victoriam; quando resuscitatum mortale hoc corpus transfertur in habitudinem angelicam, et in cœlestem subvolat qualitatem. «Mortui,» inquit, «in Christo, resurgent primi: deinde et nos viventes qui reliqui sumus, in adventu Domini simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera; et sic semper cum Domino erimus» (I *Thess.* iv, 15, 16). Ibi absorbebitur mors in victoriam: ibi dicetur, *Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus* (I *Cor.* xv, 54, 55)? Non enim relinquetur, nec in animo, nec in corpore, quod rebellet adversus amorem Dei. Plena victoria plena pax. De hac nobis præliantibus dicitur: *Venite, filii, audite me; timorem Domini docebo vos.* In prælio estis, in contentione confligitis; et tamen quamdam requiem desideratis. *Quis est homo qui vult vitam, et diligit videre dies bonos?* Quis est qui non dicat: Ego? Ibi vita, ibi dies boni, ubi[1] nihil concupiscit adversus spiritum: ubi non dicitur, Pugna; sed Gaude. Sed quis est qui hos dies velit[2]? Omnis homo certe dicit: Ego. Audi quid sequitur. Video quia laboras, video quia in pugna, in periculo diversaris: audi quid sequitur; docet manus in prælium, digitos in bellum. *Contine linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum; declina a malo, et fac bonum.* Quomodo enim poteris facere bonum, nisi declinaveris a malo? Quid quæro ut vestias, quando adhuc exspolias? quid quæro ut dones, quando adhuc rapis? *Declina a malo, et fac bonum.* Non sub te ploret primo pauper, ut gaudeat de te pauper. *Declina a malo, et fac bonum.* Qua mercede? Nam modo pugnas. *Quære pacem, et sequere eam* (*Psal.* xxxiii, 12-15). Disce, dic, *Misericordia mea et refugium meum, susceptor meus et erutor meus, protector meus. Susceptor,* ne cadam; *erutor,* ne hæream; *protector,* ne feriar. *Protector meus, et in ipso speravi.* In his omnibus, in toto labore meo, in omnibus præliis meis, in omnibus difficultatibus meis in ipso speravi. *Qui subdit*[3] *populum meum sub me.* Ecce caput nostrum loquitur nobiscum.

10. [*vers.* 3.] *Domine, quid est homo, quoniam innotuisti ei?* Totum quod est, hoc est *quoniam innotuisti ei. Quid est homo, quoniam innotuisti ei? aut filius hominis, quoniam æstimas eum?* Æstimas eum, tanti facis, tanti pendis: ordinas, nosti sub quo ponas,

[1] Aliquot Mss., *exerceatur in operibus misericordia pietatis.*
[2] Mss., *nisi Spiritum sanctum acciperemus.*
[3] Edd. *judicium.* Sed Mss. constanter habent, *judicio.*

[1] Edd., *ubi caro nihil,* etc. Abest, *caro,* a Mss.
[2] Sic Mss. At Edd., *non velit.*
[3] Aliquot Mss., *subdidit.* Plures, *subdit.*

supra quid ponas. Æstimatio enim est, quanti pretii sit quidque. Quanti æstimavit hominem, qui pro eo Unici sanguinem fudit? *Quid est homo, quoniam innotuisti ei?* Cui, quis innotuisti?[1] Quid est *filius hominis, quoniam æstimas eum?* Quoniam tanti eum pendis, tanti eum æstimas, pretiosum quiddam esse ostendis. Non enim Deus sic æstimat hominem, quomodo homo æstimat hominem: quando invenit servum venalem, carius emit equum, quam hominem. Ille quanti te æstimet vide, ut possis dicere: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et quanti te æstimavit, *qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum? Quomodo non et cum illo omnia nobis donavit* (*Rom.* VIII, 31, 32)? Qui hanc annonam dedit pugnanti, quid servat vincenti? *Ego sum*, inquit, *panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 41). Hæc est annona præliantium, de horreis invecta dominicis, unde pascuntur Angeli: quia, *Panem Angelorum manducavit homo* (*Psal.* LXXVII, 25). Post prælia vero et hanc annonam quid servat? quid dabit victoribus, nisi quod in alio psalmo dicitur: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ; ut contempler delectationem Domini, et protegar templum ejus* (*Psal.* XXVI, 4)? *Quid est homo, quoniam innotuisti ei? aut filius hominis, quoniam æstimas eum?*

11. [*vers.* 4.] *Homo vanitati similis factus est;* et tamen innotuisti ei, et æstimas eum. *Homo vanitati similis factus est.* Cui vanitati? Temporibus prælabentibus et præterfluentibus. Vanitas enim ista dicitur in comparatione semper manentis et nunquam deficientis veritatis. Nam et ista creatura est loci sui. *Implevit* enim *Deus terram*, sicut scriptum est, *bonis suis* (*Eccli.* XVI, 30). Quid est, *suis?* Sibi congruentibus. Sed hæc omnia terrena, volatica, transitoria, si comparentur illi veritati, ubi dictum est, *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14); totum hoc quod transit, vanitas dicitur. Evanescit enim per tempus, tanquam in auras fumus. Et quid dicam amplius, quam id quod apostolus Jacobus dixit, volens homines superbos ad humilitatem redigere? *Quæ est enim*, inquit, *vita vestra? Vapor est ad modicum apparens; deinceps exterminabitur* (*Jacobi* IV, 15). Ergo, *Homo vanitati similis factus est.* Peccando *vanitati similis factus est.* Nam quando est primum conditus, veritati similis factus est; sed quia peccavit, quia[2] recepit digna, *vanitati similis factus est. Pro iniquitate* enim *erudisti hominem*, dixit in alio psalmo, *et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus.* Inde et hoc, *Homo vanitati similis factus est.* Ibi quid ait, *Ecce veteres posuisti dies meos* (*Psal.* XXXVIII, 12, 6). Hic quid ait? *Dies ejus sicut umbra prætereunt.* Attendat sibi homo in diebus umbræ suæ, ut faciat aliquid dignum desideratæ lucis suæ; et si in noctis umbra est, quærat diem. Dies enim hujus vanitatis, cognoscenti homini, dies est tribulationis; sive aliqua incommoditate et aliqua molestia noceat nobis, sive aliqua prosperitate mundus arrideat, totum timendum et gemendum est, quoniam tentatio est vita humana super terram (*Job* VII, 1): unde dicitur[1], *Tota die contristatus ambulabam* (*Psal.* XXXVII, 7). Solatiis opus habemus, et quidquid nobis nunc exhibet Deus, cum prospere exhibet, non est gaudium beatorum, sed consolatio miserorum. Itaque agat aliquid, inquam, homo dignum desideratæ luce in istis diebus umbræ suæ, et in nocte inquirat Deum, sicut scriptum est: *In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis nocte coram eo, et non sum deceptus* (*Psal.* LXXVI, 3). Quam dicit diem tribulationis, nisi quam dicit et noctem? *Manibus meis nocte coram eo.* Adhuc in nocte sumus, et ad prophetiæ lucernam vigilamus. Aliquid promissum est quod adhuc exspectatur: sed quid ait apostolus Petrus? *Habemus certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes, tanquam lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris* (II *Petr.* I, 19). Ipse dies præmium nostrum ibi est. *Mane exaudies vocem meam; mane astabo tibi, et contemplabor* (*Psal.* V, 4, 5). Ergo operare, quamvis in nocte, manibus tuis; id est, bonis operibus inquire Deum, antequam veniat dies ille qui te lætificet, ne veniat qui te mœstificet. Vide enim quam securus opereris, quia non desereris ab illo quem quæris: *Manibus meis*, inquit, *Deum exquisivi nocte coram eo.* Ut Pater tuus qui videt in occulto, reddat tibi (*Matth.* VI, 4); ideo, *coram eo.* Intus habeas misericordiam, charitatem; ne aliquid facias quasi studio placendi hominibus. *Manibus meis*, operibus meis: in umbra, in hac vita: ubi ipse videt, non ubi placere hominibus studeo. Et quid sequitur? *Et non sum deceptus. Homo vanitati similis factus est; dies illius tanquam umbra transeunt:* et tamen innotuisti ei, et æstimas eum.

12. [*vers.* 5.] *Domine, inclina cœlos tuos, et descende: tange montes, et fumigabunt. Corusca coruscationem, et disperges eos; emitte sagittas tuas, et conturbabis eos. Emitte manum tuam ex alto; et exime me, et erue me de aquis multis.* Corpus Christi, humilis David, gratia plenus, de Deo præsumens, pugnans in hoc sæculo, invocat adjutorium Dei: *Inclina cœlos tuos, et descende.* Qui sunt cœli inclinati? Apostoli humiliati. Isti enim *cœli enarrant gloriam Dei:* et de his cœlis enarrantibus gloriam Dei mox dicitur, *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum: in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 2, 4, 5). Cum ergo isti cœli emitterent voces suas per omnes terras, et facerent mirabilia, coruscante de illis et intonante Domino miraculis et præceptis, putati sunt dii descendisse de cœlo ad homines. Nam quidam ex Gentibus hoc putantes, eis etiam sacrificare voluerunt. Tunc illi videntes sibi deferri indebitum honorem, et expavescentes, et detestantes, et eos qui sic errabant corrigentes, ut ostenderent eis motum animi sui, consciderunt vestimenta sua, et dixerunt, *Quid hoc facitis?*

[1] Ita quinque Mss. At Edd.: *Cui, quid innotuisti?*
[2] Apud Er. Lugd. Ven. et Lov. deest, *quia.* M.

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov., *unde enim dicitur... ambulabam?* M.

Homines et nos sumus passibiles, sicut et vos. Et cœperunt sub his verbis commendare excellentiam Domini nostri Jesu Christi (*Act.* XIV, 7-17), humiliantes se ut commendaretur Deus; quia inclinati erant cœli, ut descenderet Deus. *Inclina* ergo *cœlos tuos, et descende.* Factum est. *Tange montes, et fumigabunt:* montes superbos, elationes terrenas, tumidas granditates: *Tange*, inquit, *tange* istos *montes;* de gratia tua da istis montibus: *et fumigabunt;* quia fatebuntur peccata sua. Fumus confitentium peccatorum extorquebit et lacrymas humiliatorum superborum. *Tange montes, et fumigabunt.* Quamdiu non tacti, magni sibi videntur. Dicturi sunt, Tu magnus, Domine (*Psal.* XLVII, 2); dicturi sunt et montes, *Tu solus altissimus super omnem terram* (*Psal.* LXXXII, 19).

13 [*vers.* 6.] Sed sunt quidam conspirantes, convenientes in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus (*Psal.* II, 2; *Act.* IV, 26, 27). Convenerunt, conspiraverunt. *Corusca coruscationes, et disperges eos.* Crebresce miraculis tuis, et solvetur conspiratio eorum. *Corusca coruscationes, et disperges eos.* Jam miraculis territi, non audebunt aliquid contra te, et in ipsis miraculis expavescentes hæsitabunt. Quis est iste qui tanta potest? quis est iste qui sic exaltatur, cujus nomen tantum valet? Cum dicunt, Quis est iste, credituri sunt: coruscasti miraculis, et dispersisti malam consensionem eorum. *Emitte sagittas tuas, et conturbabis eos. Sagittæ potentis acutæ* (*Psal.* CXIX, 4); præcepta tua, dicta tua feriant cor eorum. *Emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.* Vulnerentur male sani, ut sanentur bene vulnerati; et dicant jam in Ecclesia et in corpore Christi constituti, dicant cum Ecclesia: *Quoniam vulnerata charitate ego sum* (*Cant.* II, 5, *sec.* LXX). *Emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.*

14. [*vers.* 7.] *Emitte manum tuam ex alto.* Quid postea? quid in fine? Quomodo vincit corpus Christi [1]? Cœlesti adjutorio. Veniet enim *ipse Dominus in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo* (I *Thess.* IV, 15); ipse Salvator corporis, manus Dei. *Emitte manum tuam ex alto; et exime me, et erue me de aquis multis.* Quid est, *de aquis multis?* De populis multis. Quibus populis? Alienigenis, infidelibus, sive foris oppugnantibus, sive intus insidiantibus. *Exime me de aquis multis,* in quibus me exercebas, in quibus me ad exuendum a sordibus volvebas. Hæc est illa aqua contradictionis (*Num.* XX, 13). *Exime me, et erue me de aquis multis.*

15. [*vers.* 8.] Audiamus jam de istis aquis multis, a quibus eruet Deus corpus Christi sui, a quibus eruet Deus humilitatem David. Quid est, *de aquis multis?* Quid dixisti, ne aquæ aliter intelligantur? quid dixisti aquas multas? Quid dixi, audi. *De manu filiorum alienorum.* Audite, fratres, inter quos simus, inter quos vivamus, a quibus erui desideremus. *Quorum os locutum est vanitatem.* Hodie vos omnes, si non ad hæc divina spectacula verbi Dei congregati essetis, et eis hac hora permixti viveretis, quantas vanitates audiretis! *Quorum os locutum est vanitatem.* Quando denique loquentes illi vanitatem, audirent vos loquentes veritatem? *Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.*

16. [*vers.* 9.] Quid tu inter eos cum vase pastorali, habente quinque lapides? Dic mihi aliter: eamdem Legem quam significasti quinque lapidibus, significa et aliter. *Deus, canticum novum cantabo tibi.* Canticum novum, gratiæ est [1]; canticum novum, hominis novi est; canticum novum, Testamenti Novi est. *Cantabo tibi,* inquit, *canticum novum.* Sed ne putes gratiam a Lege discedere, cum magis per gratiam Lex impleatur: *In psalterio decem chordarum psallam tibi. In psalterio decem chordarum*, in Lege decem præceptorum: ibi tibi psallam, ibi tibi gaudeam, ibi tibi cantem canticum novum; quia plenitudo Legis charitas est (*Rom.* XIII, 10). Cæterum qui non habent charitatem, portare psalterium possunt, cantare non possunt. Ego itaque, inquit, inter aquas contradictionis cantabo tibi canticum novum; et nunquam strepitu suo facient aquæ contradictionis, ut obtumescat psalterium meum: *In psalterio decem chordarum psallam tibi.*

17. [*vers.* 10, 11.] *Qui dat* [2] *salutem regibus:* jam fumantibus montibus. *Qui redimit David servum suum.* Agnoscitis David, estote David. Unde redimit David servum suum? unde redimit Christum? unde redimit corpus Christi? *De gladio maligno erue me. De gladio,* non sufficit; addit, *maligno.* Procul dubio est gladius benignus. Quis est gladius benignus? De quo Dominus dicit: *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium* (*Matth.* X, 34). Separaturus enim erat fideles ab infidelibus, filios a parentibus, et cæteras necessitudines diremptūrus, gladio putredinem abscindente, membra autem Christi sanante. Est ergo benignus gladius bis acutus, utroque acumine præpotens, Veteris et Novi Testamenti, narratione præteritorum et promissione futurorum. Est ergo iste gladius benignus: ille autem malignus est quo illi loquuntur vanitatem; quia benignus est, quo Deus loquitur veritatem. Ergo, *A gladio maligno erue me. Filii* quippe *hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI, 5): ab hoc gladio maligno erue me. Quem dixit modo gladium, ipsas superius dixit aquas multas: *Erue me de aquis multis.* Quas dixi aquas multas, ipsum dico gladium malignum. Denique de aquis multis cum dixisset; secutus est, *De manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem.* Et ut noveris ipsos dici; cum et hic dixisset, *De gladio maligno erue me,* secutus est, *Et exime me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem:* similiter sicut ibi. Et quod sequitur, *Dextera eorum dextera iniquitatis;* hoc et supra posuerat, quando eos dixerat aquas multas. Tu enim ne aquas multas bonas putares, exposuit eas in gladio maligno. Nunc ergo exponat quod dixit, *Quorum os locutum est vanitatem,*

[1] Am. et Er., *quomodo inquit.* Lov., *quomodo vicit.* Floriacensis Ms., *quomodo vincit.* Alii plures Mss., *quomodo hinc ut corpus Christi.* Et nonnulli, *quomodo hic ut corpus Christi:* sed in his postremis additur verbum, *indiget.*

[1] Ita quidam Mss. At Edd., *gratia est.*

[2] Edd., *dat;* et infra, *redemit.* At Mss. aliquot, *das;* et postea, *redemit*, vel, *redemisti.* Quidam, *dat,* et *redimit.* Juxta Græc. LXX, *tô didonti, tô lutroumenô.*

et dextera eorum dextera iniquitatis. Quam vanitatem locutum est os eorum? et quomodo *dextera eorum dextera iniquitatis?*

18. [*vers.* 12-14.] *Quorum filii ipsorum velut novellæ constabilitæ in juventute sua.* Felicitatem ipsorum vult enumerare. Attendite, filii lucis, filii pacis; attendite, filii Ecclesiæ, membra Christi; attendite quos dicat alienigenas, quos dicat filios alienos, quos dicat aquas contradictionis, quos dicat gladium malignum. Attendite, obsecro; quia inter istos periclitamini, inter horum linguas adversus carnis vestræ desideria dimicatis: inter horum linguas positas in manu diaboli, de quibus pugnat, colluctationem habetis, *non adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, et rectores mundi tenebrarum harum* (*Ephes.* VI, 12), hoc est, iniquorum. Attendite, ut discernatis vos; attendite, ne putetis veram felicitatem esse, quam sibi optant homines aut infirmi aut maligni. Ecce, fratres, certe filios alienos dixit, certe aquas multas, certe gladium malignum. Videte vanitatem quam loquuntur, et cavete ne talia loquamini, cavete ne talia loquentes imitemini. *Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis.* Quam vanitatem locutum est os eorum, et quæ dextera eorum iniquitatis est dextera? Audi: *Quorum filii ipsorum velut novellæ constabilitæ a juventute sua; filiæ eorum compositæ, et ornatæ sicut similitudo templi: cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc: oves eorum fecundæ, multiplicantes in egressibus suis; boves eorum crassi: non est ruina sepis, nec exitus; neque clamor in plateis eorum.* Ergo non est ista felicitas? Interrogo filios regni cœlorum, interrogo progeniem resurrectionis in æternum, interrogo corpus Christi, membra Christi, templum Dei: Ergo non est ista felicitas, habere filios incolumes, filias ornatas, plena cellaria, abundantia pecora, nullam ruinam, non dico parietis, sed nec sepis; nullum tumultum et clamorem in plateis, sed quietem, pacem, abundantiam, copiam rerum in domibus, in civitatibus? Ergo non est ista felicitas? aut debent eam justi defugere? aut non invenis et domum justi abundantem rebus his omnibus, plenam ista felicitate? Non erat domus Abrahæ abundans auro, argento, filiis, familia, pecoribus (*Gen.* XII, 5; *et* XIII, 2-6)? Nonne Jacob sanctus patriarcha fugiens a facie Esau fratris sui in Mesopotamiam, serviens ditatus, regressus est, et egit gratias Domino Deo suo, quia in virga sua transiit fluvium, et regressus est cum tanta abundantia pecorum atque filiorum (*Id.* XXXI, 18; *et* XXXII, 7-10)? Quid dicimus? non est ista felicitas? Sit licet, sed sinistra. Quid est, sinistra. Temporalis, mortalis, corporalis. Nolo illam jam diffugias, sed neque dexteram putes. Non enim isti ideo maligni, ideo vani, quia his abundabant; sed quia id quod sinistrum esse debuit, in dextera ponebant. Ideo *et dextera eorum dextera iniquitatis;* ideo *os eorum locutum est vanitatem:* quia hoc in dextera posuerunt, quod in sinistra habere debuerunt. Quid enim in dextera ponere debuerunt? Deum, æternitatem, annos Dei non deficientes, de quibus dicitur, *Et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28): ibi dextera, ibi esse debet desiderium nostrum. Sinistra utamur ad tempus, dexteram desideremus in æternum. Divitiæ si fluant, ne apponatis cor (*Psal.* LXI, 11). Si enim divitiis fluentibus cor apposueritis, quod sinistrum est, dextrum facietis. Corrigite vos, agnoscite sapientiam amplectentem vos; cui dictum est, *Sinistra ejus sub capite meo, et dextera ejus complectetur me* (*Cant.* II, 6). Videte amatoria sancta cantica; videte Cantica canticorum, nuptiarum cœlestium Christi et Ecclesiæ. Quid dicit sponsa de sponso? *Sinistra ejus sub capite meo, et dextera ejus complectetur me.* Sinistra sub capite, dextera super caput. Amplectentis enim desuper brachium super caput, sinistra autem subter caput. *Sinistra*, inquit, *ejus sub capite meo.* Non enim me deseret in temporalibus necessariis: sed tamen ipsa sinistra sub capite erit; non capiti præponetur, sed erit sub capite; ut dextera ejus complectatur me, pollicens vitam æternam. Ita enim sinistra sub capite, si dextera super caput; impleturque quod [1] ad Timotheum scriptum est: *Promissionem habens vitæ præsentis et futuræ* (I *Tim.* IV, 8). *Promissionem*, inquit, *habens vitæ præsentis et futuræ.* Quid in præsenti? *Sinistra sub capite.* Quid in futuro? *Dextera ejus complectetur me.* Tempori necessaria quæritis? *Quærite primum regnum Dei*, id est, dexteram; *et hæc omnia apponentur vobis* (*Matth.* VI, 33). Habebitis hic, inquit, et divitias et gloriam, et in futuro sæculo vitam æternam: et sinistra continebo infirmitatem vestram, et dextera coronabo perfectionem vestram. An forte Apostoli relinquentes omnia sua, aut pauperibus quod habebant distribuentes, sine divitiis in hoc sæculo remanserunt? Et ubi est illa promissio sinistræ: *Accipiet in hoc sæculo septies tantum* [2]? Multiplicationem promisit. Et revera, quid desit homini Dei? Si quis forte infidelis est, unam domum aut paucas habet: *Fidelis hominis totus mundus divitiarum est* [3] (*Prov.* XVII, 6, *apud* LXX). Vide sinistram ejus plenam sub capite: *Accipiet in hoc sæculo septies tantum.* Vide dexteram complectentem: *Et in futuro sæculo vitam æternam* (*Matth.* XIX, 29). Merito et alio loco de ipsa Sapientia dicitur: *In dextera ejus anni vitæ, et in sinistra ejus divitiæ et honor* (*Prov.* III, 16).

19. [*vers.* 15.] Unde ergo isti vaniloqui? quare vanitatem locutum est os eorum? Quia *dextera eorum dextera iniquitatis.* Non ergo eos arguo, quia filii eorum velut novellæ constabilitæ a juventute sua, nec quia filiæ eorum ornatæ sicut similitudo templi, nec quia cætera abundantia et pax terrena aderat eis: sed quare arguo? *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* O loquentes homines vanitatem! *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Perdiderunt veram dexte-

[1] Plerique Mss.: *Ita enim sinistra sub capite, dextera super caput, impletur quod ad*, etc.

[2] Quatuor Mss., *centies tantum.* Alii cum Edd., *septies tantum:* et sic alias refert Augustinus hunc Evangelii locum, qui forte pro *ekatontaplasiona*, habebat in græcis libris *eptaplasiona.*

[3] Lov., *plenus divitiarum est.* Vox, *plenus*, ab Edd. aliis, et a Mss. abest, neque reperitur in Græco LXX.

ram; maligni, perversi, beneficia Dei inverse [1] vestierunt. O maligni, o vaniloqui, o filii alieni! *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Quod ad sinistram erat, ad dexteram posuerunt: *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Quid tu, David? quid tu, corpus Christi? quid vos, membra Christi? quid vos, non filii alieni, sed Dei? Quoniam vaniloqui filii alieni *beatum dixerunt populum cui hæc sunt*: vos, quid dicitis? *Beatus populus cujus Dominus Deus ipsius.* Habete ergo sinistram, sed in sinistra: desiderate dexteram [2], ut ponamini ad dexteram. In sinistra enim habuerunt sinistram, apud quos esurivit, et dederunt ei manducare; sitivit, potum dederunt; hospes fuit, susceperunt; nudus fuit, vestierunt (*Matth.* XXV, 35, 36). Hoc totum de sinistra abstulerunt, et ad dexteræ opera transtulerunt, ut ad dexteram ponerentur. *Dixerunt* ergo vaniloqui filii alieni *beatum populum cui hæc sunt;* vos dicite nobiscum, *Beatus populus cujus Dominus Deus ipsius* [3].

IN PSALMUM CXLIV
ENARRATIO.

SERMO (*a*).

1. Laudare vobiscum Dominum desideravimus: et quoniam hoc concedere dignatus est (*a*); ut laus quam illi dicimus habeat ordinem suum, ne forte aliquo excessu quem laudat offendat, melius iter laudis in Scriptura Dei quærimus, ne ab ipsa via, nec in dexteram nec in sinistram digrediamur. Audeo enim dicere Charitati vestræ: ut bene ab homine laudetur Deus, laudavit se ipse Deus; et quia dignatus est laudare se, ideo invenit homo quemadmodum laudet eum. Neque enim hoc potest dici Deo, quod dictum est homini, *Non te laudet os tuum* (*Prov.* XXVII, 2). Ut enim se homo laudet, arrogantia est: ut Deus se laudet, misericordia est. Prodest amare quem laudamus; bonum amando, nos meliores efficimur. Itaque, quoniam hoc nobis prodesse novit, ut amemus eum, laudando se amabilem se facit; et in eo nobis consulit, quia se amabilem facit. Exhortatur ergo cor nostrum in laudem suam; spiritu suo implevit servos suos, ut laudarent eum. Et quoniam spiritus ejus in servis ejus laudat eum, quid aliud quam ipse se laudat? Incipit ergo psalmus iste ita:

2. [*vers.* 1.] *Exaltabo te, Deus meus, rex meus; et benedicam nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.* Videtis inchoatam esse laudem Dei, et usque ad finem Psalmi laus ipsa perducitur. Denique titulus Psalmi est, *Laus ipsi David.* Et quoniam dictus est David, qui venit ad nos ex semine David (*Rom.* I, 3), ipse autem rex noster est, regens nos, et introducens nos in regnum suum: intelligitur *Laus ipsi David*, Laus ipsi Christo. Christus autem secundum carnem David, quia filius David: secundum divinitatem autem Creator David, et Dominus David. Denique et Apostolus cum honoraret primum populum Dei, unde et Apostoli ipsi crediderunt, et multæ Ecclesiæ primæ factæ sunt, facientes in multis hominum millibus quod modo in Evangelio [1] dives unus audivit, et tristis abscessit (*Matth.* XIX, 21, 22); id est, vendentes omnia quæ habebant, et distribuentes pauperibus, et perfectionem in Domino requirentes (*Act.* II, 41-47; *et* IV, 4, 32-35): cum ergo laudaret ipsum populum primum, sic ait: *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5). Quia itaque ex ipsis Christus secundum carnem, ideo David: quia vero ipse est super omnia Deus benedictus in sæcula, ideo, *Exaltabo te, Deus meus, rex meus; et benedicam*, inquit, *nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.* Forte *in sæculum*, Hic; *in sæculum* autem *sæculi*, In æternum. Modo ergo incipe laudare, si in æternum laudaturus es. Qui laudare non vult in transitu hujus sæculi, obmutescet cum venerit sæculum sæculi. Proinde sequentibus versibus prope hoc dixit.

3. [*vers.* 2.] Ne quis etiam aliter intelligeret quod ait, *Laudabo nomen tuum in sæculum;* et quæreret aliud sæculum, quando laudaret: *Per singulos*, inquit, *dies benedicam te.* Lauda ergo et benedic Dominum Deum tuum per singulos dies; ut cum finiti fuerint singuli dies, et venerit sine fine unus dies, eas ex laudibus in laudem, sicut ex virtutibus in virtutem (*Psal.* LXXXIII, 8). *Per singulos*, inquit, *dies benedicam te;* non transiet dies quo te non benedicam. Nec mirum est si læto die tuo benedicis Deum tuum. Quid, si forte illuxerit aliquis tristis dies, sicut se habent humanæ res, sicut est abundantia scandalorum, sicut est multiplicatio tentationum? Quid si ergo aliquid accidat triste homini? desines laudare Deum? desines benedicere Creatorem tuum? Si desines, mentitus es dicendo, *Per singulos dies benedicam te, Domine.* Si autem non desines, etsi tibi videtur in die tristi male, erit tibi in Deo tuo bene. Est enim, et quando male est tibi, ubi bene tibi sit. Si enim in aliquo malo male est tibi, procul dubio in aliquo bono bene tibi erit. Et quid tam bonum, quam Deus tuus, de quo dictum est: *Nemo bonus, nisi unus Deus* (*Luc.* XVIII, 19)? Nam quam sit secura ista laudatio, et quam sit securum hoc bene, intellige de ipso bono. Nam si gaudes de bono quod tibi accidit per diem, fortasse transit alio die bonum hoc unde gaudes. Bene fuit mihi, bonum diem duxi: quia forte lucra venerunt, aut invitatus es, aut in epulis diu fuisti. Gaudes, quia in epulis diu fuisti; alter te dolet, quia non erubuisti. Verumtamen de quocumque tali bono gaudeas, certe transitorium est. Si autem gaudeas

[1] Sic plures Mss. Et quidam, *inversi se.* At Edd., *universi se.*

[2] Sic plerique Mss. Edd. autem verba interpungunt hac ratione: *sed in sinistra desiderate dexteram.* Et infra, Er. et Lov.: *Ad sinistram enim habuerunt Christum, apud quos*, etc. Am.: *Ad sinistram enim habuerunt sinistram.* Nonnulli Mss.: *A sinistra enim*, etc.

[3] Antiquiores Mss. clausulam hanc habent: *Conversi ad Deum. Amen. Deo gratias semper.*

(*a*) Hoc certe exordio non apud suos utebatur: sed sermo iste, sicuti in pervetusto Floriacensi codice prænotatur, « habitus est Uticæ in basilica Massæ candidæ. » Vide infra, n. 17, not. a.

[1] Sic plures Mss. Edd. vero, *ex Evangelio.*

in Domino Deo tuo, audies dicentem Scripturam : *Delectare in Domino* (*Psal.* xxxvi, 4). Tanto firmius gaudebis, quanto est ille certior in quo gaudebis. Si enim gaudes de nummo, times furem; si autem gaudes de Deo, quid times? Ne tibi quisquam auferat Deum? Deum tibi nemo auferet, si tu eum non dimiseris. Non enim sic est Deus, quomodo lux ista de cœlo fulgens. Non quando volumus ad eam accedimus quia non in omni loco lucet. Per infirmitatem nostram forte fit, ut hieme nos delectet esse in ipsa luce : nunc autem per æstatem videtis quia magis eum locum quæsivimus, ut in ipsa luce non staremus. In Deo autem tuo quando stas, et in lumine veritatis ejus delectaris, non quæris locum quo ad eum accedas; sed conscientia accedit, conscientia recedit. Quod dictum est, *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* xxxiii, 6) : animo dictum est, non vehiculo; affectibus dictum est, non pedibus. Et cum in eo stabis, æstus non patieris. Spiritus enim spirabit tibi, et sub alis ejus sperabis (*Psal.* xc, 4).

4. Vides ergo habere te quomodo delecteris per singulos dies. Non enim te dimittet Deus tuus, etiam si aliquid triste acciderit. Quam enim triste erat, quod sancto viro Job acciderat! Quam repente, quam multa mala! quemadmodum omnia de quibus gaudere putabatur, non de quibus gaudebat, diabolo tentante subtracta sunt! quemadmodum et filii mortui sunt! Periit quod servabatur, perierunt quibus servabatur; nec tamen periit qui et illud et illos dedit. Et ipsi filii præsenti sæculo perierunt, agnoscendi et recipiendi in futuro. Ille tamen vir habens aliud unde gauderet, in quo verum erat quod modo commemoravimus, *Per singulos dies benedicam te;* numquid quia ille dies quo totum perierat, tristis illuxit, ideo lux interior in corde defecit? Stetit quippe in illa luce, et ait : *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (*Job* i). Ergo per singulos dies laudavit, qui etiam in die tam tristi laudavit. Breve magisterium est, ut semper laudes Deum, veroque corde, non falso dicas: *Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* xxxiii, 2). Breve magisterium est, scilicet ut noveris eum misericorditer dare cum dat, misericorditer auferre cum tollit; nec te credas a misericordia ejus derelinqui, qui tibi aut blanditur dando, ne deficias; aut corripit exsultantem, ne pereas. Sive ergo in ejus donis, sive in ejus flagellis, lauda tu [1]. Laus flagellantis, medicina est vulneris. *Per singulos*, inquit, *dies benedicam te.* Prorsus per singulos dies, fratres, benedicite; omnino quidquid acciderit, benedicite Deum. Etenim ne accidat aliquid quod ferre non potestis, ipse facit. Ideo cum timore debes esse, quando tibi bene est; neque te ad hoc parare, quasi ut nunquam tenteris. Si enim nunquam tentaris, nunquam probaris. Nonne melius est tentari et probari, quam non tentatum reprobari? *Et laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.*

5. [*vers.* 3.] *Magnus Dominus et laudabilis valde.* Quantum dicturus erat? quæ verba quæsiturus? Quantam conceptionem conclusit in uno *valde?* Cogita quantum vis. Quando autem potest cogitari, qui capi non potest? *Laudabilis* est *valde; et magnitudinis ejus non est finis.* Ideo dixit, *valde;* quia, *magnitudinis ejus non est finis :* ne forte incipias velle laudare, et putes te laudando posse finire, cujus magnitudo finem non potest habere. Noli ergo te putare eum cujus magnitudinis finis non est, sufficienter posse laudare. Nonne ergo melius est ut quomodo ipse non finitur, nec laus ipsius finiatur? Illius magnitudo sine fine est, et tua laudatio sine fine sit. De magnitudine ejus quid dictum est? *Magnitudinis ejus non est finis.* De tua laude quid? *Laudabo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.* Ergo sicut ejus magnitudinis non est finis, sic tuæ laudis non erit finis. Non enim cum mortuus fueris in hac carne, desines laudare Dominum. Dictum est quidem, *Non mortui laudabunt te, Domine* (*Psal.* cxiii, 17) : sed illi de quibus dicitur, *A mortuo, velut qui non sit, perit confessio* (*Eccli.* xvii, 26); non illi de quibus ait, *Qui credit in me, licet moriatur vivet* (*Joan.* xi, 25) : quia *Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob, non est Deus mortuorum, sed vivorum* (*Matth.* xxii, 32). Si enim nunquam nisi ipsius eris, nunquam a laude ipsius tacebis. Timere poteris, ne, dum hic vivis, ipsius sis; et cum mortuus fueris, non ipsius sis? Audi Apostolum promittentem tibi securitatem : *Sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur : sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Et unde factum est ut ejus sis et mortuus? Quia pretio sui sanguinis te redemit et mortuus [1]. Quomodo perdit servum mortuum, cujus mors est pretium tuum? Ideo cum dixisset, *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus;* ut ostenderet ipsum pretium, *Ad hoc enim*, inquit, *Christus mortuus est et resurrexit, ut et vivorum et mortuorum dominetur* (*Rom.* xiv, 8, 9).

6. [*vers.* 4.] Verumtamen, quia *magnitudinis ejus non est finis*, et eum quem non capimus, laudare debemus (si enim capimus, magnitudinis ejus est finis : si autem magnitudinis ejus non est finis, capere ex eo aliquid possumus; Deum tamen totum capere non possumus); tanquam deficientes in ejus magnitudine, ut reficiamur ejus bonitate, ad opera respiciamus, et de operibus laudemus operantem, de conditis Conditorem, de creatura Creatorem. Videamus quæ hic fecerit, quæ nobis nota sunt, quæ nobis manifesta sunt. Illius enim immensa bonitas et interminabilis magnitudo, quanta alia fecit quæ nos non novimus? Quando quidem aciem oculorum nostrorum usque ad cœlum extendimus, et a sole et a luna et a stellis rursus revocamus ad terram; et hoc totum spatium est ubi vagatur acies nostra : ultra cœlos quis extendat vel aciem mentis, non dicam carnis? Ergo quantum nota sunt nobis opera ejus, laudemus eum per opera ejus. Invisibilia enim ejus, a constitutione mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur (*Id.* i, 20). *Generatio et generatio laudabit opera tua.* Omnis

[1] Sic Mss. Edd. autem, *lauda eum.*

[1] Aliquot Mss., *mortuum.*

generatio laudabit opera tua. Forte enim omnis generatio dicta est, *generatio et generatio*. Non enim tamdiu dicturus erat, *generatio et generatio*, quamdiu finiret numerum omnium generationum; sed repetitio loquentis, in infinitum misit animum cogitantis. Ecce ista generatio quæ nunc in carne est, transitura hinc sicut venit, laudat opera Dei; et illa cui succedenti cedit, laudabit utique opera Dei; et post illam erit alia; et usque in finem sæculi quam multæ generationes! Hoc significans ait, *Generatio et generatio laudabit opera tua*. An forte duas quasdam generationes insinuare voluit ista repetitione? Sumus enim in ista generatione filii Dei; erimus in alia generatione filii resurrectionis. Appellavit Scriptura filios resurrectionis; ipsam resurrectionem regenerationem vocavit. *In regeneratione*, inquit, *cum sederit filius hominis in majestate sua* (*Matth.* XIX, 28). Item in alio loco: *Non enim nubent, neque uxores ducent, cum sint filii resurrectionis* (*Luc.* XX, 35, 36). Ergo, *Generatio et generatio laudabit opera tua*. Laudamus nunc opera Domini, cum in hac mortalitate vivimus; et si laudamus compediti, quomodo laudabimus coronati! Ergo hæc nunc attendamus in hac generatione opera Domini, in cujus laude dicitur, *Generatio et generatio, laudabit opera tua*; quoniam magnitudinis tuæ non est finis. Opera tua intueri licet, ut tu lauderis qui talia operaris.

7. *Et virtutem tuam annuntiabunt*. Neque enim opera tua laudabunt, nisi ut virtutem tuam annuntient. Proponuntur laudes pueris in schola, et omnia talia proponuntur quæ laudentur, quæ Deus est operatus: proponitur homini laus solis, laus cœli, laus terræ; ut ad minora etiam veniam, laus rosæ, laus lauri: omnia ista opera Dei sunt, proponuntur, suscipiuntur, laudantur; opera celebrantur, de operatore tacetur. Ego in operibus volo laudari Creatorem; ingratum non amo laudatorem. Laudas quod fecit, taces de illo qui fecit? Quasi vero nisi ille tantus esset, invenires quod laudares. In eo quod vides, quid ibi laudatur? Species, utilitas, aliqua virtus, aliqua potentia rerum istarum. Si pulchritudo te delectat, quid pulchrius faciente? Si utilitas laudatur, quid illo utilius, qui fecit omnia? Si virtus laudatur, quid illo potentius, a quo facta sunt omnia; a quo etiam facta non dimittuntur, sed reguntur et gubernantur omnia? Non ergo quemadmodum quidam eloquentes muti, laudantes creaturam, obliviscentes Creatorem; non sic te laudat generatio et generatio in servis tuis, cum laudat opera tua. Sed quomodo laudat? *Et virtutem tuam annuntiabunt*. In laudandis operibus tuis, virtutem tuam annuntiabunt. Laudatores isti, sancti et boni fideles, veri laudatores, non ingrati gratiæ, cum laudant opera Dei hæc atque illa, summa et ima, cœlestia et terrestria, inter ipsa opera Dei quæ laudant, et seipsos inveniunt, quia in operibus Dei et ipsi sunt. Qui enim fecit omnia, ipse nos fecit inter omnia. Proinde si laudas opera Dei, et te laudaturus es; quia et tu opus Dei es. Ubi est ergo, *Non te laudet os tuum* (*Prov.* XXVII, 2)? Ecce inventum est quomodo et te laudare possis, et arrogans non sis. Deum in te lauda, non te: non quia tu es talis, sed quia ille fecit te; non quia tu aliquid potes, sed quia potest ille in te et per te. Ac per hoc laudabunt te, *et virtutem tuam annuntiabunt*; non suam, sed *tuam*. Discite ergo laudare. Intuentes opera, miramini artificem; gratias agendo, non arrogando. Laudate quia ipse fecit, quia sic constituit, quia talia donavit.

8. [*vers.* 5, 6.] Denique vide quæ sequuntur: *Virtutem*, inquit, *tuam annuntiabunt. Et magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt. Et virtutem metuendorum tuorum dicent, et magnitudinem tuam enarrabunt eam. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt*: nonnisi tuam. Iste operum considerator, vide si deflexus est ab operante ad opus; vide si decidit ab eo qui fecit, ad ea quæ fecit. Ab his quæ facta sunt, gradum sibi fecit ad eum, non ab illo ad ista casum. Si enim amaveris hæc plus quam illum, non habebis illum. Et quid tibi prodest abundare operibus, si te deserit operator? Certe ama et hæc; sed plus illum ama, et hæc propter illum ama. Annuntia virtutem ejus, magnificentiam gloriæ sanctitatis ejus loquere, mirabilia ejus enarra, virtutem metuendorum dic. Iste enim amabilis est et terribilis. Non enim blanditur et non minatur. Si non blandiretur, nulla esset exhortatio; si non minaretur, nulla esset correptio. Dicent ergo laudatores tui *et virtutem metuendorum*; virtutem creaturæ tuæ punientis et disciplinam dantis dicent, non tacebunt. Non enim prædicabunt regnum tuum æternum, et tacebunt ignem æternum. Laus enim Dei in via te constituens, ostendere tibi debet et quid diligas, et quid timeas; et quid appetas, et quid fugias; quid eligas, et quid rejicias. Tempus electionis nunc est, acceptionis postea erit. Dicatur ergo virtus metuendorum. *Et magnitudinem tuam*, inquit, *enarrabunt eam*. Sic infinitam, sic quomodo magnitudinis tuæ non est finis; non de illa tacebunt. Illam, inquam, *magnitudinem tuam*, de qua superius dixeram, *Et magnitudinis tuæ non est finis, enarrabunt eam*. Quomodo enarrabunt eam, si finis non est? Enarrabunt eam, cum laudabunt eam; et quia finis ejus non est, sic et laudis ejus non erit finis. Probemus quia non erit finis laudis ejus. *Beati*, inquit, *qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). *Et magnitudinem tuam* illam, illam infinitam, *enarrabunt eam*.

9. [*vers.* 7.] *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt*. O epulas felices! Quid manducabunt qui sic eructabunt? *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ*. Quid est, *memoriam abundantiæ suavitatis tuæ*? Quia nos oblitus non es, cum obliti te nos fuerimus. Omnis enim caro oblita erat Deum; ille tamen opera sua non est oblitus. Hæc memoria ejus super nos, quia non nos oblitus est, prædicanda est, enarranda est; et quia valde dulcis est, manducanda et eructanda est. Sic manduca, ut eructes; sic accipe, ut des. Manducas, cum discis; eructas, cum doces; manducas, cum audis; eructas, cum prædicas: hoc tamen eructas quod manducasti. Denique ille avidissimus epulator Joannes apostolus, cui non sufficiebat ipsa mensa

Domini, nisi discumberet super pectus Domini (*Joan.* XIII, 23), et de arcano ejus biberet divina secreta, quid eructavit? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* (*Id.* I, 1). *Memoriam* ergo *abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt.* Quomodo non sufficit, memoriam tuam, nec memoriam abundantiæ tuæ, vel memoriam suavitatis tuæ; sed *memoriam abundantiæ suavitatis tuæ?* Etenim quid prodest si abundat et insuave est? Item molestum, si suave et parum est.

10. Ergo, *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt:* quia non es tu oblitus nostri; et non oblitus commonuisti nos, ut et nos reducas in memoriam. *Commemorabuntur* enim *et convertentur ad Dominum universi fines terræ* (*Psal.* XXI, 28). Quia ergo *memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt*, intelligentes in se nihil boni esse quod a te non sit; nec potuisse converti ad te, nisi commonerentur abs te; nec reduci potuisse in memoriam tui, si tu oblivisceceris illorum: hæc considerantes in gratia tua, *Et justitia tua exsultabunt.* Hæc, inquam, in tua gratia considerantes, *exsultabunt justitia tua*, non sua. Fratres, si vultis eructare gratiam, bibite gratiam. Quid est, bibite gratiam? Discite gratiam, intelligite gratiam. Nos antequam essemus, omnino non eramus; et facti sumus homines, cum ante nihil essemus: deinde jam ipsi homines ex traduce illius peccatoris, et maligni eramus, et filii iræ natura, sicut et cæteri (*Ephes.* II, 3). Attendamus ergo gratiam Dei, non solum qua fecit nos, verum etiam qua refecit. Cui ergo debemus quia sumus, illi debemus quia et justificati sumus. Nemo quasi tribuat Deo quia est, et sibi tribuat quia justus est. Melius est enim quod tibi vis tribuere, quam quod illi: melius enim aliquid es quia justus es [1], quam quia homo es. Inferius aliquid das Deo; et superius tibi. Totum illi da, in toto ipsum lauda: non cadas de manu artificis. Ut esses quis fecit? Nonne scriptum est quia sumpsit Deus limum de terra, et formavit hominem (*Gen.* II, 7)? Antequam homo esses, limus eras; antequam limus esses, nihil eras. Sed non de isto solo figmento gratias agas artifici tuo; audi aliud figmentum ubi te fecit. *Non ex operibus*, ait, *ne forte quis extollatur.* Sed qui dixit, *Non ex operibus, ne forte quis extollatur*; superius quid commemoravit [2]? *Gratia salvi facti estis per fidem; et hoc* [3] *non ex vobis.* Apostoli verba sunt, non mea: *Gratia salvi facti estis per fidem; et hoc* (ut salvi essetis per fidem) *non ex vobis.* Quamvis hoc ipsum quod dixerat, *Gratia;* utique, *non ex vobis:* sed ne quis aliter intelligeret, planius hoc aperire dignatus est. Da intellectorem, et totum dixit: *Gratia salvi facti estis.* Ubi audis, *gratia*, Gratis intellige. Si ergo gratis, nihil tu attulisti, nihil meruisti: nam si meritis aliquid redditum est, merces est, non gratia. *Gratia*, inquit, *salvi facti estis per fidem.* Expone illud apertius propter arrogantes, propter sibi placentes, propter ignorantes Dei justitiam et suam volentes constituere. Audi hoc idem apertius: *Et hoc*, inquit, quod *gratia salvi facti estis, non ex vobis, sed Dei donum est.* Sed et nos forte aliquid fecimus, ut dona Dei mereremur. *Non ex operibus*, inquit, *ne forte quis extollatur*, Quid ergo? nos bene non operamur? Imo operamur. Sed quomodo? Ipso in nobis operante; quia per fidem locum damus in corde nostro ei qui in nobis et per nos bona operatur. Audi enim unde opereris bona: *Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis, ut in illis ambulemus* (*Ephes.* II, 8-10). Ista est suavitas abundans memoriæ ipsius circa nos. Hanc eructando, prædicatores ejus justitia ejus exsultabunt, non sua. Quid ergo ut simus, ut laudemus, ut justitia tua exsultemus, ut memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructemus, quid erga [1] nos fecisti, Domine, quem laudamus? Dicamus, et cum dicimus, laudemus.

11. [*vers.* 8.] *Misericors et miserator Dominus, longanimis et multum misericors. Suavis Dominus omnibus, et miserationes ejus in omnia opera ejus.* Nisi ille talis esset, de nobis repetitio nulla esset [2]. Attende ad te ipsum; quid merebaris peccator? contemptor Dei, quid merebaris? Vide si occurrit tibi nisi pœna, si occurrit tibi nisi supplicium. Vides ergo quid tibi debebatur, et quid dederit qui gratis dedit. Data est venia peccatori, datus est spiritus justificationis, data est charitas et dilectio, in qua omnia bona facias; et super hæc dabit et vitam æternam, et societatem Angelorum: totum de misericordia. Merita tua nusquam jactes, quia et ipsa tua merita illius dona sunt: *Et justitia tua exsultabunt. Misericors et miserator Dominus:* qui fecisti omnia gratis. *Longanimis:* quantos enim sustinet peccatores? *Misericors et miserator Dominus*, in his quibus veniam dedit: in his quibus adhuc non dedit, *longanimis*, non damnans, sed exspectans, ipsa exspectatione clamans, *Convertimini ad me, et convertar ad vos* (*Malach.* III, 7); et nimia longanimitate [3], *Nolo*, inquit, *mortem impii, tantum ut revertatur et vivat* (*Ezech.* XXXIII, 11). Ille quidem longanimis; tu autem secundum duritiam cordis tui et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (*Rom.* II, 5, 6). Non enim modo sic longanimis in sustinendo, ut nunquam justus in vindicando [4]. Distribuit tempora: vocat te nunc, exhortatur te nunc; exspectat donec resipiscas, et tu tardas! Magna ejus misericordia et in hoc quod diem vitæ tibi incertum fecit, ut nescias quando hinc emigrabis; et cum quotidie speras te migrare, aliquando convertaris: et in hoc magna ejus misericordia. Cæ-

[1] Sic Mss. At Edd.: *Melius est enim aliquid esse, quia justus es.*
[2] In B.: *Sed quid dixit, Non ex operibus, ne forte quis extollatur: superius quid commemoravit?* Er. et Ven. secuti sumus. M.
[3] Hic Edd. addunt, *ut salvi essetis per fidem:* quod a Mss. abest.

[1] Sic Mss. Edd. vero, *quid ergo nos*, etc.
[2] Er. Lugd. Ven. et Lov., *repetitio et reparatio talis nulla esset.* M.
[3] Plerique Mss.: *Et nimiam longanimitatem.*
[4] Am. et Er., *in judicando:* et sic plures Mss. qui paulo post cum cæteris habent, *exspectat donec facias.*

terum si statuisset diem omnibus, faceret abundare peccata de securitate. Dedit ergo spem veniæ, ne desperando amplius pecces. Et spes, et desperatio timenda est in peccatis. Videte vocem desperantis ad augenda peccata, et videte vocem sperantis ad augenda peccata, et quomodo utrique voci occurrit providentia et misericordia Dei. Audi vocem desperantis : Jam, inquit, damnandus sum; quare non facio quidquid volo? Audi et vocem sperantis : Misericordia Domini magna est; quando me convertero, dimittet mihi omnia : quare non facio quidquid volo? Desperat, ut peccet; sperat, ut peccet. Utrumque metuendum est, utrumque periculosum; væ a desperatione! væ a perversa spe! Utrique huic periculo et utrique malo quomodo occurrit misericordia Dei? Quid dicis tu, qui desperando volebas peccare? Jam damnandus sum; quare non facio quidquid volo. Audi Scripturam : *Nolo mortem impii, tantum ut revertatur et vivat.* Hac voce Dei reducitur in spem : sed timendus est alius laqueus, ne ipsa spe amplius peccet. Quid ergo et tu dicebas, qui spe magis peccas? Quando me convertero, omnia mihi Deus dimittet; faciam quidquid volo. Audi et tu Scripturam : *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te* (*Eccli.* v, 8, 9). Noli ergo dicere : Cras me convertam, cras Deo placebo; et omnia hodierna et hesterna dimittuntur mihi. Verum quidem dicis, quia Deus conversioni tuæ indulgentiam promisit; sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit.

12. [*vers.* 9.] *Suavis Dominus omnibus, et miserationes ejus in omnia opera ejus.* Quare ergo damnat? quare flagellat? An quos damnat, an quos flagellat, non sunt opera ejus? Plane opera ejus. Et vis nosse quia *super omnia opera ejus miserationes ejus?* Inde est illa longanimitas qua facit solem suum oriri super bonos et malos : nonne *miserationes ejus in omnia opera ejus*, qui pluit super justos et injustos (*Matth.* v, 45)? nonne *miserationes ejus in omnia opera ejus?* Longanimis exspectat peccatorem, dicens, *Convertimini ad me, et convertar ad vos* : nonne *miserationes ejus in omnia opera ejus?* Et cum dicit, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Id.* xxv, 41); hic non miseratio ejus, sed severitas ejus. Miseratio ejus reddita est operibus ejus; severitas ejus est non in opera sua, sed in opera tua. Denique si tollas opera tua mala, et non in te remaneat nisi opus ejus, non te dimittet miseratio ejus : si autem tu non dimittis opera tua, erit severitas ejus in opera tua, non in opera sua.

13. [*vers.* 10.] *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti tui benedicant te. Omnia opera tua confiteantur tibi.* Quid enim? terra non est opus ejus? ligna non sunt opera ejus? pecora, bestiæ, pisces, volatilia non sunt opera ejus? Plane et hæc opera ejus. Et quomodo ei confitebuntur et hæc? Video quidem in Angelis confiteri illi opera ejus; etenim opera ejus sunt Angeli : et homines opera ejus sunt; et cum confitentur illi homines, opera ejus illi confitentur : numquid ligna et lapides vocem habent confessionis? Prorsus confiteantur ei omnia opera ejus. Quid dicis? Et terra et ligna? Omnia opera ejus. Si omnia laudant, cur non omnia confitentur? Confessio enim non peccatorum tantum dicitur, sed et laudis : ne forte ubicumque auditis confessionem, putetis jam non esse nisi peccati. Usque adeo enim hoc putatur, ut quando sonuerit de divinis eloquiis, continuo sit consuetudo pectora tundere. Audi quia est et laudis confessio. Numquid Dominus Jesus Christus habebat peccatum? Et tamen ait : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ* (*Matth.* xi, 25). Confessio est ergo in laude. Proinde quid accipiendum, *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua?* Laudent te omnia opera tua. Sed talis quæstio redit ad laudem, qualis erat in confessione. Si enim propterea confiteri non poterunt terra, ligna et quæque insensata, quia vocem non habent confitendi; ideo nec laudabunt, quia vocem non habent prædicandi. Nonne tamen omnia tres illi pueri enumerant, deambulantes inter flammas innoxias; quibus spatium erat, non solum non ardendi, sed etiam laudandi Deum? Omnibus dicunt a cœlestibus usque ad terrena : *Benedicite, hymnum dicite, et superexaltate eum in sæcula* (*Dan.* III, 20, 90). Ecce quomodo dicunt hymnum. Nemo hoc sentiat, quod mutus lapis aut mutum animal habeat rationem intelligendi Deum : hoc qui putaverunt, multum a veritate aberraverunt. Deus ordinavit omnia, et fecit omnia : quibusdam dedit sensum, et intellectum, et immortalitatem, sicut Angelis; quibusdam dedit sensum et intellectum cum mortalitate, sicut hominibus; quibusdam dedit sensum corporis, nec intellectum, nec immortalitatem dedit, sicut pecoribus; quibusdam vero nec sensum, nec intellectum, nec immortalitatem, sicut herbis, lignis, lapidibus : tamen et ipsa in genere suo deesse non possunt, et gradibus quibusdam ordinavit[1] creaturam, a terra usque ad cœlum, a visibilibus ad invisibilia, a mortalibus ad immortalia. Ista contextio creaturæ, ista ordinatissima pulchritudo, ab imis ad summa conscendens, a summis ad ima descendens, nusquam interrupta, sed dissimilibus temperata, tota laudat Deum. Quare ergo tota laudat Deum? Quia cum eam consideras et pulchram vides, tu in illa laudas Deum. Vox quædam est mutæ terræ, species terræ. Attendis et vides ejus speciem, vides ejus fecunditatem, vides ejus vires, quomodo concipiat semen, quomodo plerumque afferat quod non est seminatum : vides, et consideratione tua tanquam interrogas eam; et ipsa inquisitio interrogatio est. Cum autem inquisieris admirans, et perscrutatus fueris, et magnam vim, magnam pulchritudinem, præclaramque virtutem inveneris, quoniam apud se et a se habere hanc virtutem non posset; continuo tibi venit in mentem, quia non potuit a se esse, nisi ab illo Creatore. Et hoc quod in ea invenisti, vox confessionis ipsius est, ut laudes Creatorem. Nonne con-

[1] Hic Er. et Lov. addunt, *et ornavit* : quod a cæteris libris abest.

siderata universa pulchritudine mundi hujus, tanquam una voce tibi species ipsa respondet : Non me ego feci, sed Deus?

14. [*vers.* 11.] Ergo, *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti tui benedicant te.* Ut in confessione operum tuorum sancti tui te benedicant, ipsi sancti tui inspiciant creaturam confitentem. Et illorum vocem audi benedicentem. Etenim cum sancti tui benedicunt te, quid dicunt? *Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur.* Quam potens Deus, qui fecit terram! quam potens Deus, qui implevit terram bonis! quam potens Deus, qui dedit vitas suas proprias animalibus! quam potens Deus, qui semina diversa dedit visceribus terræ, ut germinarent tantam varietatem fruticum, tantam speciem arborum! quam potens Deus, quam magnus Deus! Tu interroga, creatura respondet; et de responsione, tanquam confessione creaturæ, tu, sancte Dei, benedicis Deum, et potentiam loqueris.

15. [*vers.* 12.] *Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, et gloriam magnitudinis decoris regni tui.* Sancti ergo tui commendant gloriam magnitudinis decoris regni tui; magnitudinis decoris gloriam. Est quædam magnitudo decoris regni tui; hoc est, regnum tuum habet decorem, et magnum decorem. Quandoquidem quidquid habet decórem, a te habet decorem; ipsum regnum tuum qualem decorem habet! Non nos terreat regnum, habet et decorem quo delectemur. Etenim quale illud decus est quo perfruentur sancti, quibus dicetur, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* xxv, 34)! Unde ibunt? Quo ibunt? Videte, fratres; et si potestis, quantum potestis, cogitate decorem regni illius quod venturum est; unde est in oratione nostra, *Adveniat regnum tuum* (*Id.* vi, 10). Ipsum enim regnum optamus ut veniat; hoc regnum venturum sancti prædicant. Mundum istum attendite; decorem habet. Quem decorem habet terra, mare, aer, cœlum, sidera! Omnia hæc nonne omnem consideratorem terrent? Nonne pulchritudo ipsa sic eminet, ut quasi pulchrius nihil inveniri possit? Et hic vivunt in isto decore, in ista pulchritudine prope jam ineffabili, hic vivunt tecum et vermiculi et mures, et omnia terræ repentia; ista tecum vivunt in decore isto. Quale decus est illius regni, ubi tecum non vivunt nisi Angeli? Ideo parum fuit ut diceret gloriam decoris. Potuit enim dici et gloria decoris cujuslibet speciei etiam in hoc mundo constitutæ, vel de terra virentis [1], vel de cœlo fulgentis : sed *magnitudinis decoris regni tui*, aliquid commendat quod nondum videmus, quod nondum visum credimus, quod creditum desideramus, propter cujus desiderium omnia sustinemus. Est ergo magnitudo decoris cujusdam : ametur antequam videatur, ut cum visa fuerit teneatur.

16. [*vers.* 13.] *Regnum tuum.* Quod regnum dico? *Regnum omnium sæculorum.* Nam et regnum hujus sæculi habet decorem suum; sed non est ibi magnitudo illa decoris, qualis est in regno omnium sæculorum. *Et dominatio tua in omni generatione et generatione.* Hæc est illa repetitio, vel omnem generationem significans, vel generationem illam quæ erit post hanc generationem.

17. *Fidelis Dominus in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Fidelis Dominus in verbis suis :* quid enim promisit, et non dedit? *Fidelis Dominus in verbis suis.* Adhuc quædam promisit et non dedit; sed credatur illi ex his quæ dedit. *Fidelis Dominus in verbis suis.* Possemus illi credere tantummodo dicenti : noluit sibi credi dicenti, sed voluit teneri Scripturam suam; quomodo si diceres alicui homini, cum aliquid promitteres, Non mihi credis, ecce scribo tibi. Etenim quia generatio vadit, et generatio venit, et sic transcurrunt ista sæcula cedentibus succedentibusque mortalibus; Scriptura Dei manere debuit, et quoddam chirographum Dei, quod omnes transeuntes legerent, et viam [1] promissionis ejus tenerent. Et quanta sunt quæ reddidit ex isto chirographo? Dubitant homines credere illi de resurrectione mortuorum et de futuro sæculo, quod solum jam reddendum restat; quando, si faciat rationem cum infidelibus, erubescunt infideles? Si dicat tibi Deus : Chirographum meum tenes; judicium promisi, diremptionem [2] bonorum et malorum, regnum sempiternum fidelibus, et non vis credere? Ibi in chirographo meo lege omnia quæ promisi, deduc mecum rationem : certe vel computando quæ reddidi, potes me credere redditurum esse quod debeo. In ipso chirographo habes promissum unicum Filium, cui non peperci, sed pro vobis omnibus tradidi eum (*Rom.* viii, 32) : jam computa in redditis. Lege chirographum; promisi ibi pignus Spiritus sancti me daturum per Filium meum : computa redditum (*Act.* i, 8; *et* ii, 2-4). Promisi ibi sanguinem et coronas martyrum gloriosissimorum : computa redditum; admoneat te Massa (*a*) redditi [3] debiti mei. Sed et hæc gloria Martyrum ut redderetur, tibi promissa in chirographo, ubi scriptum est, *Propter te mortificamur tota die* (*Psal.* xliii, 22); ut hoc redderetur, *Fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania; astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus* (*Psal.* ii, 1, 2). Principes convenerunt in unum, conspirantes adversus Christianos. Quid? ipsorum regum fidem, nonne et promisi in chirographo, et reddidi in effectu? Attende ubi promisi : *Adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient illi* (*Psal.* lxxi, 11). Ingrate, legis debitum, cernis redditum, non credis promissum? Lege aliud in chirographo meo : Quoniam *fremuerunt gentes :* Quoniam *inimici mei dixerunt mala mihi,* hoc est Christo : *Quando morietur et peribit nomen ejus* (*Psal.* xl, 6)? Quoniam hæc omnia fecerunt atque dixerunt, lege quod

[1] Lov., *virentis :* dissentientibus Edd. aliis et Mss.

[1] Duo Mss., *vim.*

[2] Sic plures Mss. At Am., *diremptione.* Er. et Lov., *de redditione.*

[3] In Edd. omissum erat, *redditi :* quod ex nonnullis Mss. restituimus.

(*a*) Hic martyres vulgo *Massa candida,* laudantur, quorum in basilica, apud Uticam, sermonem habitum esse ex Floriacensi Ms. deprehendimus. De iisdem martyribus jam supra in Psal. xlix, n. 9. Conf. sermonem 306 de Diversis; necnon serm. 311, cujus cap. 10. « Uticensis Massa candida » appellatur.

promisi, cui me solvendo obstrinxi: *Prævalebit Dominus adversus eos, et exterminabit omnes deos gentium terræ; et adorabunt eum, unusquisque de loco suo* (*Sophon.* II, 11)? Nempe jam prævaluit; exterminavit omnes deos gentium terræ. Nonne et hoc facit, et hoc reddit? Ante oculos omnium ponit solutionem debitorum suorum: quædam reddidit sub majoribus nostris, quæ nos non vidimus; quædam reddidit temporibus nostris, quæ illi non viderunt: per omnes generationes reddidit quæ scripta sunt. Et quid restat? Non ei creditur, his omnibus redditis? Quid restat? Ecce fecisti rationem; tanta reddidit: numquid propter pauca residua infidelis est factus? Absit. Quare? Quia, *Fidelis Dominus in verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.*

18. [*vers.* 14.] *Confirmat Dominus omnes decidentes.* Sed quos *omnes decidentes?* Omnes omnino decidentes, sed modo quodam decidentes. Etenim multi decidunt ab eo; multi autem decidunt a cogitationibus suis (*Psal.* V, 11). Si habebant malas cogitationes, decidunt ab eis, et *confirmat Dominus omnes decidentes.* Qui aliquid amittunt in isto sæculo et sancti sunt, veluti exhonorantur in isto sæculo; ex divitibus fiunt pauperes, ex honoratis fiunt abjecti, et tamen sancti Dei sunt; tanquam decidentes sunt. Sed *confirmat Dominus omnes decidentes.* Septies enim cadit justus et resurgit; impii autem infirmabuntur in malis (*Prov.* XXIV, 16). Quando mala accidunt impiis, infirmantur ibi: quando mala accidunt justis, *confirmat Dominus omnes decidentes.* Deciderat Job a gloria pristinæ lucis temporalium rerum, quibus nitebat ad tempus, deciderat a gloria domus suæ. Vultis nosse quantum deciderat? In stercore sedebat: et confirmavit Dominus decidentem Quantum confirmavit? Ut et in ipso gravi vulnere quo per totum corpus percussus erat, responderet uxori tentanti, quam solam sibi diabolus reliquerat adjutricem: *Locuta es tanquam una ex insipientibus mulieribus: si bona percepimus de manu Domini, mala non sustinebimus* (*Job* II, 7-10)? Quomodo confirmaverat decidentem! *Confirmat Dominus omnes decidentes. Cum ceciderit*, inquit, *justus non conturbabitur, quoniam Dominus confirmat manum ejus* (*Psal.* XXXVI, 24). *Et erigit omnes elisos:* omnes ad se pertinentes. Nam Deus superbis resistit (*Jacobi* IV, 6).

19. [*vers.* 15.] *Oculi omnium in te sperant, et tu das escam illis in opportunitate.* Prorsus tanquam reficiens ægrotum in opportunitate, quando debet accipere, tunc das; et quod debet, hoc das. Itaque aliquando desideratur ab illo, et non dat: novit horam dandi, qui curat. Quare ista dico, fratres? Ne quis quando forte non fuerit exauditus aliquid justum petens a Deo: nam quando injustum aliquid petit, in pœnam suam exauditur; sed aliquid non injustum petens, si forte non fuerit exauditus, non minuatur animo, non deficiat; exspectent oculi ejus ad escam, quam ille dat in opportunitate. Quando non dat, ideo non dat ne obsit quod dat. Neque enim aliquid injustum petebat Apostolus, quando rogabat ut auferretur ab eo stimulus carnis, angelus satanæ a quo colaphizabatur: et tamen rogavit, et non accepit; quia tempus adhuc erat exercendæ infirmitatis, non escæ opportunitatis. *Sufficit*, inquit, *tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 7-9). Petiit Job tentandum diabolus, et accepit (*Job* I, 9-12; *et* II, 4-6). Attendite, fratres mei, magnum mysterium, discendum, repetendum, tenendum animo, nunquam obliviscendum, propter abundantiam tentationum in isto sæculo. Quid dicam? Revera comparandus Apostolus diabolo? Apostolus rogat, et non accipit; diabolus petit, et accipit. Sed non accepit Apostolus propter perfectionem suam; accepit diabolus ad damnationem suam. Denique ipse Job accepit sanitatem in opportunitate. Dilatus tamen, ut probaretur, et diu sedit in vulnere [1], et multa dixit; et rogabat Deum ut auferrentur ab eo ista, et Deus non auferebat. Citius diabolum exaudivit ad eum tentandum, quam ipsum Job ad sanandum. Discite ergo non murmurare adversus Deum, et quando non exaudimini, ne deficiat in vobis quod supra scriptum est, *Per singulos dies benedicam te.* Ipse Filius, ipse Unicus, pati [2] utique venerat, solvere quod non debebat, mori in manibus peccatorum, sanguine suo delere chirographum mortis nostræ; ad hoc venerat: et tamen ut tibi ostenderet exemplum patientiæ, transfiguravit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ (*Philipp.* III, 21). *Pater*, inquit, *si fieri potest, transeat calix iste a me.* Et ut impleret, quamvis non acciperet quod petere videbatur, *Per singulos dies benedicam te: Verum non quod ego volo*, ait, *sed quod tu vis*, *Pater* (*Matth.* XXVI, 39). *Oculi omnium in te sperant, et tu das escam illis in opportunitate.*

20. [*vers.* 16.] *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.* Etsi non das aliquando, das tamen in opportunitate: differs, non aufers, et hoc in opportunitate.

21. [*vers.* 17.] *Justus Dominus in omnibus viis suis.* Et quando cædit, et quando curat, justus est, et apud eum iniquitas non est. Denique omnes sancti in tribulationibus constituti, prius justitiam ejus laudaverunt, et sic beneficia petiverunt. Prius dixerunt: Justum est quod facis. Sic rogavit Daniel, sic alii sancti: Justa sunt judicia tua, bene passi sumus, recte passi sumus (*Dan.* III, 27-31; *et* IX, 5-19). Non dederunt Deo injustitiam, non ei dederunt iniquitatem et insipientiam. Laudaverunt primo flagellantem, et sic senserunt cibantem: *Justus Dominus in omnibus viis suis.* Nemo putet illum injustum, quando mali aliquid forte patitur; sed ipsius justitiam laudet, et suam injustitiam accuset: *Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.*

22 [*vers.* 18.] *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.* Et ubi est illud, *Erit enim cum invocabunt me, et non exaudiam eos* (*Prov.* I, 28)? Ergo vide quod sequitur: *Omnibus qui invocant eum in veritate.* Nam multi eum invocant non in veritate. Aliud ab illo quærunt, et ipsum non quærunt. Quare amas Deum?

[1] Sic Mss. At Edd., *dilatus est enim, ut probaretur, et diu sedit in pulvere.*

[2] Ita plerique Mss. Edd. vero, *ipse unicus Patris*, etc.

Quia dedit mihi sanitatem. Istud manifestum est, ipse dedit : non enim ab ullo est ulla salus, nisi ab illo. Quia dedit mihi, inquit, uxorem divitem, qui nihil habebam, et servientem mihi. Et hoc ipse dedit ; verum dicis. Dedit, inquit, filios, et multos et bonos, dedit familiam, dedit omnia bona. Ideo amas? Ideo nihil amplius quæris? Esto esuriens, adhuc pulsa ad januam patrisfamilias ; habet adhuc quod det. In mendicitate es cum omnibus his quæ accepisti, et nescis. Pannosam carnem mortalitatis adhuc portas; stolam illam gloriæ immortalitatis numquid accepisti, et quasi jam satiatus non rogas? Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur (*Matth.* v, 6). Ergo si bonus est Deus, quia ista tibi dedit; quanto beatior eris, cum seipsum tibi dederit? Desiderasti tanta ab illo; rogo te, desidera et ipsum. Neque enim vere dulciora sunt ista, quam ille, aut ex aliqua parte comparanda sunt illi. Ergo qui Deum ipsum, a quo accepit de quibus gaudet, præponit his omnibus rebus quas accepit, ipse invocat Deum in veritate. Nam ut noveritis, si talibus hominibus proponatur et dicatur. Quid, si ista omnia de quibus gaudes, velit tibi auferre Deus? jam non amabitur ; non erit qui dicat, *Dominus dedit, Dominus abstulit ; sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (*Job* I, 21). Sed forte cui abstulit, quid dicit [1]? Deus, quid tibi feci? Quare mihi abstulisti, et illis dedisti? Iniquis das, et tuis tollis. Accusas Deum quasi injustum, et te laudas quasi justum. Convertere; accusa te, lauda illum. Tunc eris rectus, cum in omnibus bonis quæ facit [2], Deus tibi placet; in omnibus malis quæ pateris, Deus tibi non displicet. Hoc est invocare Deum in veritate. Qui sic invocant Dominum, exaudit eos : *prope est*, id est [3], nondum dedit quod vis, ibi est tamen. Quomodo medicus si forte aliquid imponat vel oculo, vel visceribus, quod urendo sanet; si roget æger ut tollatur illi, medicus exspectat tempus, non facit quod rogat æger; non tamen recedit. Et prope est, et non facit; et ideo magis non facit, quia prope est. Curando enim imposuit quod imposuit, et curando non facit quod rogatur. Non te exaudit ad præsentem voluntatem, exaudiendo ad futuram sanitatem ; et hoc utique ad voluntatem : nam utique sanus esse vult, etiam qui uri non vult. *Prope est* ergo *Dominus omnibus invocantibus eum*. Sed quibus *omnibus? Omnibus qui invocant eum in veritate*. Tales omnes confirmat decidentes *qui invocant eum in veritate*.

23. [*vers.* 19.] *Voluntatem timentium se faciet*. Faciet, faciet : etsi non faciat ad horam, faciet tamen. Certe, si ideo times Deum, ut tu facias ipsius voluntatem, ecce et ipse quodammodo ministrat tibi, facit voluntatem tuam. *Et preces eorum exaudiet, et salvos faciet eos*. Vides ad hoc exaudire medicum, ut salvos faciat. Quando hoc? Audi Apostolum dicentem : *Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes : si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 24, 25) : salutem scilicet, quam dicit Petrus *paratam revelari in tempore novissimo* (I *Petr.* I, 5).

24. [*vers.* 20.] *Custodit Dominus omnes diligentes se, et omnes peccatores disperdet*. Videtis quia est apud eum severitas, apud quem tanta suavitas. Salvos faciet omnes sperantes in se, omnes fideles, omnes timentes se, omnes invocantes se in veritate ; *et omnes peccatores disperdet*. Quos *omnes peccatores*, nisi perseverantes in peccatis; Deum, non se, reprehendere audentes ; contra Deum quotidie disputantes ; veniam delictorum desperantes, et ex ipsa desperatione delicta cumulantes ; aut veniam sibi perverse promittentes, et ex ipsa promissione a peccatis et impietate non recedentes? Veniet tempus ut separentur isti omnes, et fiant illæ duæ partes, una ad dexteram, altera ad sinistram ; accipiant justi regnum æternum, eant illi in ignem æternum (*Matth.* xxv, 32, 33, 46): *Et omnes peccatores disperdet*.

25. [*vers.* 21.] Quoniam hæc ita sunt, et audivimus benedictionem Domini, opera Domini, mirabilia Domini, misericordias Domini, severitatem Domini, providentiam in omnibus operibus ejus, confessionem omnium operum ejus; quid in laude ejus concludat attendite : *Laudem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomen sanctum ejus in sæculum, et in sæculum sæculi*.

IN PSALMUM CXLV

ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. Deliciæ spiritus nostri divina cantica, ubi et fletus sine gaudio non est. Fideli homini et peregrino in sæculo, nulla est jucundior recordatio, quam civitatis illius unde peregrinatur : sed recordatio civitatis in peregrinatione, non est sine dolore atque suspirio. Spes tamen certa reditus nostri, etiam peregrinando tristes consolatur et exhortatur. Rapiant [1] cor vestrum verba Dei, et possessor vester vindicet sibi possessionem suam, id est mentes vestras, ne avertantur in aliud. Unusquisque vestrum totus hic sit, ut hic non sit : id est, totus sit in verbo Dei, quod sonat in terra ut ab eo exaltetur, et non sit in terra. Ideo enim Deus nobiscum, ut et nos cum illo. Qui enim ut nobiscum esset, descendit ad nos, facit, ut cum illo simus, ascendere ad se [2]. Interim ipse peregrinationem nostram non fastidivit; quia nusquam est peregrinus, qui condidit omnia.

2. [*vers.* 2, 3.] Ecce Psalmus sonat : cujusdam vox est, quæ si vultis vestra est, exhortantis animam suam ad laudandum Deum, et dicentis sibi, *Lauda, anima mea, Dominum*. Aliquando enim in tribulationibus atque in tentationibus præsentis vitæ, velis nolis, conturbatur anima : cujus perturbationem in alio psalmo alloquitur, dicens, *Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?* Ut autem auferat ei cam-

[1] Am. et prope omnes Mss. : *Sed forte quia abstulit, quid dicitur?*
[2] Plerique Mss., *bonis quæ facis*. Regius, *bonis factis*.
[3] Am. Er. et omnes fere Mss., *ibi est*.

[1] Am. et Mss., *rapiat*.
[2] Sic Mss. At Edd., *ut cum illo possimus ascendere ad se*.

dem perturbationem, suggerit gaudium nondum de re, sed de spe, et ait illi perturbatæ et anxiæ, tristi et mœrenti: *Spera in Dominum, quoniam adhuc confitebor illi* (*Psal.* XLII, 5). Spem qua se erexit, in confessione constituit, quasi diceret ei anima sua, quæ illum tristitia conturbabat, Quid mihi dicis, *Spera in Dominum?* Revocat me conscientia peccatorum; ego novi quæ commisi, et dicis, *Spera in Dominum?* Commisisti, verum est: unde tamen speras? *Quoniam confitebor illi.* Sicut odit Deus peccata sua defendentem, sic sublevat confitentem. Hac ergo spe accepta, quæ spes non potest esse sine gaudio; quamvis in rebus simus difficilibus secundum istam vitam, et plenis procellarum et tempestatum: hac tamen spe erecta anima, quia gaudet in spe, sicut dicit Apostolus, *Spe gaudentes, in tribulatione patientes* (*Rom.* XII, 12); accepit erectionem quamdam in Deum, ut laudet Deum; et dicitur ei, *Lauda, anima mea, Dominum.*

3. Sed quis dicit, et cui dicit? Quid dicimus, fratres? Caro dicit, *Lauda, anima mea, Dominum.* Et potest caro bonum consilium animæ suggerere? Ut multum sit edomita caro, et a Domino impertitis viribus nostræ servituti subjecta, ut omnino ita serviat nobis sicut conditionale mancipium; sufficit ut non impediat. Deinde, charissimi, utique consilia a melioribus petuntur. Et si bonum quiddam est anima nostra, et bonum quiddam est caro nostra, quia utrumque ille creavit qui fecit omnia bona valde (*Gen.* I, 31); quamvis ergo in generibus propriis utrumque sit bonum, tamen dicit Apostolus: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum.* Est utique et illud corpus, quale nobis promittitur, et nondum habemus, in cujus redemptione spe gaudemus, dicente Apostolo: *In nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 10, 23, 24, 25). Quamvis ergo bonum aliquod sit corpus nostrum; tamen quamdiu mortale propter peccatum, quamdiu indigens, quamdiu corruptibile, quamdiu ita mutabile, ut ne puncto quidem temporis consistat in se, procul dubio tale est, ut optemus redemptionem illius, qua sit aliquando non tale. Sed quale erit aliquando? Quale idem apostolus dicit alio loco: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (*I Cor.* XV, 53). Sed etiam cum fuerit tale corpus nostrum, corpus jam cœleste et spirituale, corpus angelicum in societate Angelorum, nec sic dabit consilium animæ. Semper enim corpus, quoniam corpus est, infra animam est, et quævis anima vilis excellentissimo corpore excellentior invenitur.

4. Nec vobis hoc quasi mirabile videatur, quia et vilis anima quælibet peccatrix melior est quolibet magno et præstantissimo corpore. Non est melior meritis, sed natura. Est quidem anima peccatrix, est quibusdam concupiscentiarum sordibus inquinata: tamen melius est, etsi sordidum, aurum quam purgatissimum plumbum. Ita currat animus vester per cunctas creaturas [1], et videbitis quod dicimus non esse incredibile; ut quamvis anima vituperabilis, laudabilior sit tamen laudabili corpore. Duo quædam sunt, anima et corpus. Animam vitupero, corpus laudo: animam vitupero, quia iniqua est; corpus laudo, quia sanum est. Tamen in suo genere animam laudo, vel in suo genere animam culpo; et in suo genere corpus laudo, vel culpo. Si me interroges quid sit melius, utrum quod vituperavi, an quod laudavi; mirabilem responsionem recepturus es. Ego certe illud vituperavi, et ego hoc laudavi: interrogatus tamen quid sit melius, respondeo esse melius quod vituperavi, eo quod laudavi. Si miraris in his duobus, attende illa duo in promptu posita, quæ commemoravi de auro et plumbo. Ecce vituperavi aurum. Non bonum aurum, sordidum est, non ita fulget, non ita purgatum. Hoc plumbum optimum, nihil purgatius. Illud vituperavi, hoc laudavi; et posui ante te utrumque, vituperans unum, laudans aliud. Post hanc vituperationem laudationemque meam, interroga me quid horum sit melius; respondebo, Aurum melius est etiam sordidum, quam plumbum purgatum. Unde melius? et quare vituperasti? Quare vituperavi? Quia nondum est aurum quod potest esse. Quid potest esse? Purgatum et melius. Quia nondum purgatum est, vituperatum est. Plumbum quare laudatum est? Quia jam ita purgatum est, ut melius esse non possit. Item dicis equum optimum, et hominem pessimum; tamen equo laudato præponis hominem vituperatum. Si enim interrogeris ex his duobus quid sit melius, responsurus es, Homo: non meritis, sed natura. In artibus dicis optimum sutorem, verbi gratia, et reprehendis aliquem jurisperitum, quod multas leges ignoret; sutorem laudasti, jurisperitum reprehendisti: ex his tamen duobus quære quis sit melior; imperitior jurisperitus perfecto sutori præponitur. Intendat Charitas vestra. Ita multis rebus laudatis, aliisque vituperatis, interrogati plerumque res vituperatas præponimus rebus laudatis. Natura animæ præstantior est quam natura corporis, excellit multum; res spiritualis est, res incorporea est, vicina est substantiæ Dei. Invisibile quiddam est, regit corpus, movet membra, dirigit sensus, præparat cogitationes, exserit actiones, capit rerum infinitarum imagines; et quis est tandem, fratres charissimi, qui sufficiat laudibus animæ? Et si in animæ laudibus deficitur, quæ laus est ejus qui animam condidit? Et tamen tanta est ejus gratia, ut dicat homo iste, *Lauda, anima mea, Dominum.* Quis potest laudare Deum? Si diceret, Te ipsam lauda, fortasse deficeret: *Lauda*, inquit, *Deum.* Conare pietatis affectu, deficies in laudibus ejus. Expedit tibi deficere laudando Deum, quam proficere laudando te. Cum enim laudas Deum, et non explicas

[1] Mss., *per cuncta creatura.*

quod vis, extenditur in interiora[1] cogitatio tua; ipsa extensio capaciorem te facit ejus quem laudas.

5. Quis ergo est, ut dicere cœperam, qui dicit, *Lauda, anima mea, Dominum?* Caro non dicit. Sit licet corpus angelicum, inferius est quam anima; consilium superiori dare non potest. Infelix est ipsa anima, si a corpore exspectat consilium. Caro bene obediens, famula est animæ; illa regit, hæc regitur; illa imperat, ista famulatur: quando potest caro dare hoc consilium animæ? Quis est ergo qui dicit, *Lauda, anima mea, Dominum?* Nihil invenimus amplius in homine, quam carnem et animam: totus homo hoc est, spiritus et caro. An forte ipsa anima sibi dicit, et sibi quodam modo imperat, et se exhortatur atque excitat? Quibusdam enim perturbationibus ex quadam sui parte fluitabat; ex quadam vero parte, quam vocant mentem rationalem, illam qua cogitat sapientiam, inhærens Domino jam et suspirans in illum, animadvertit quasdam suas inferiores partes perturbari motibus sæcularibus, et cupiditate quadam terrenorum desideriorum ire in exteriora, relinquere interiorem Deum: revocat se ab exterioribus ad interiora, ab inferioribus ad superiora, et dicit, *Lauda, anima mea, Dominum.* Quid tibi placet in sæculo? Quid est quod vis laudare? quid est quod vis amare? Quacumque corporeis sensibus te converteris, occurrit tibi cœlum, occurrit tibi terra: quod amas in terra, terrenum est; quidquid amas et in cœlo, corporeum est. Ubique amas, et ubique laudas: quomodo laudandus est ille qui fecit ista quæ laudas? Jam ergo diu occupata vixisti, et desideriorum diversitate verberata, portas plagas, saucia[2], divisa per amores multos, ubique inquieta, nusquam secura; colligere ad te ipsam[3]: quidquid tibi foris placebat, quære quem habeat auctorem. Nihil melius in terra, verbi gratia, quam hoc et illud: aurum, argentum, animalia, arbores, amœnitates, totam terram cogita. Quid melius in cœlo sole, luna, sideribus? Totum cœlum cogita. Omnia ista simul bona valde, quia fecit Deus omnia bona valde. Undique pulchritudo operis, quæ tibi commendat artificem. Miraris fabricam, ama fabricatorem. Non occuperis in eo quod factum est, et recedas ab illo qui fecit. Hæc enim quibus occuparis, sub te fecit, quia sub seipso te fecit. Si hærebis superiori, calcabis inferiora; si autem recedas a superiori, ista tibi in supplicium convertentur. Sic enim factum est, fratres mei: accepit homo corpus tanquam in famulatum, Deum autem Dominum habens, servum corpus, habens supra se Conditorem, infra se quod sub illo conditum est; in medio quodam loco rationalis anima constituta, legem accepit, hærere superiori, regere inferiorem. Regere non potest inferiorem, nisi regatur a meliore. Trahitur ab inferiore, deseruit ergo meliorem. Non potest regere quod regebat, quia regi noluit a quo regebatur. Modo ergo redeat, laudet. Consilium sibi ex luce Dei dat ipsa anima per rationalem mentem, unde concipit consilium fixum in æternitate auctoris sui. Legit ibi quiddam tremendum, laudandum, amandum, desiderandum et appetendum: nondum tenet, nondum capit; coruscatione quadam perstringitur, non est tam valida ut maneat ibi. Itaque colligit se ad sanitatem quamdam, et dicit, *Lauda, anima mea, Dominum.*

6. Et quid est, fratres? Nonne laudamus Dominum? nonne quotidie hymnum nos cantamus[1]? nonne quotidie pro modulo nostro sonat os nostrum, parturit cor nostrum laudes Dei? Et quid est quod laudamus? Magnum est quod laudamus; sed quod laudamus adhuc infirmum est. Quando implet laudator excellentiam laudati? Ecce homo stat, cantat Deo aliquanto prolixius, et sæpe labia moventur ad cantum, cogitatio autem per nescio quæ desideria volat. Stabat ergo mens nostra quodam modo ad laudem Dei, et anima nostra per diversas cupiditates vel curas negotiorum hac atque illac fluitabat. Quasi desuper attendit ipsa mens ad fluitantem hac atque illac, et ejus inquietudinem molestiarum quasi conversa alloquitur: *Lauda, anima mea, Dominum.* Quid est quod de aliis rebus satagis? quid est quod te occupat cura rerum terrenarum atque mortalium? Sta mecum, lauda Dominum. Et quasi ipsa anima prægravata, et non valens ita consistere ut dignum est, respondet menti: *Laudabo Dominum in vita mea.* Quid est, *in vita mea?* Quia modo in morte mea sum. Ergo prius exhortare te, et dic, *Lauda, anima mea, Dominum.* Respondet tibi anima tua: Laudo quantum possum, tenuiter, exiliter, infirmiter. Quare? Quia quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino (II *Cor.* v, 6). Quare sic laudas Dominum, non perfecte, non stabiliter? Interroga Scripturam: Quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap.* IX, 15). Tolle mihi corpus quod aggravat animam, et laudo Dominum; tolle mihi terrenam habitationem deprimentem sensum multa cogitantem, ut a multis in unum confluam, et laudo Dominum: quamdiu autem ita sum, non possum, prægravor. Quid ergo? silebis, et non laudabis perfecte Dominum? *Laudabo Dominum in vita mea.*

7. Quid est, *in vita mea? Spes mea tu es* hic. *Spes mea es tu* hic, dicimus: *portio* autem *mea* non hic, sed *in terra viventium* (*Psal.* CXLI, 6). Nam ista terra morientium est: hinc transimus: sed interest quo. Quoniam et malus homo peregrinatur hic, et bonus homo peregrinatur hic. Non enim bonus transit, et malus hic permanet; aut malus transit, et bonus hic permanet: ambo transeunt, sed non ambo ad unum. Duo erant; pauper ulcerosus ad januam jacens divitis, et dives indutus purpura et bysso, in epulis quotidie splendidis: ambo hic erant, ambo hinc transierunt, sed non ad unum locum; diversa loca susciplunt, quia diversa merita perducunt. Transiit pauper

[1] Am. et aliquot Mss., *in anteriora.*
[2] Lugd. Ven., *portas desideriorum plagas sauciata.* M.
[3] Er. sic legit hunc locum: *Collige ad teipsam quidquid tibi foris placebat, quære quem habeat auctorem.* M.

[1] Nonnulli Mss., *quotidie nos cantamus.* Alii, *hymnum cantamus.* Et quidam, *hymnos cantamus.*

in sinum Abrahæ, et transiit dives in tormenta inferorum. Vicini corpore in terra; ille in domo, ille ante januam: post mortem tantum separati, ut dicat Abraham, *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est* (*Luc.* XVI, 19-26). Ergo, fratres, quoniam spes hic pascit, vita autem nostra perfecta non est, nisi illa quæ promittitur; hic gemitus, hic tentationes, hic angustiæ, hic mœrores, hic pericula: laudabit anima nostra Dominum quomodo laudandus est, secundum quod dicitur in alio psalmo, *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5); quando totum negotium nostrum ipsa laus erit. Sed quando hoc? *In vita mea.* Modo enim quid est? Posset tibi dicere, Mors mea. Unde mors tua? Quia peregrinor a Domino. Si enim hærere illi, vita est; recedere ab illo, mors est. Sed quid te consolatur? Spes. Jam vivis in spe; de spe lauda, de spe canta. Unde mors tua est non cantes; unde vivis, canta. Mors tua est de mœrore hujus sæculi, vivis in spe sæculi futuri. *Laudabo*, inquit, *Dominum in vita mea.*

8. Et quomodo laudabis Dominum tuum? *Psallam Deo meo quamdiu sum.* Qualis illa laudatio, *Psallam Deo meo quamdiu sum?* Videte, Fratres mei, quale erit illud esse. Ubi sempiterna laudatio erit, sempiternum esse erit. Ecce modo es; numquid psallis Deo tuo quamdiu es? Ecce psallebas; avertisti te ad aliquod negotium, jam non psallis, et es: ecce es, et non psallis. Fortassis etiam cupiditate inclinatus ad aliquid, non solum non psallis, sed et offendis auditum ejus; et es tamen. Quæ erit illa laudatio, ubi quamdiu es laudes? Sed quid ait, *quamdiu sum?* Aliquando forte non erit? Imo æternum erit ipsum diu, et ideo vere diu erit. Nam quidquid finem habet in tempore, quamlibet longum sit, diu non est. *Psallam Deo meo quamdiu sum.*

9. Interim bene, laudabis Dominum in vita tua, psallis de futuro Deo tuo quamdiu es. Bene: quidquid hic præsumendum est, de illo spera. Non nos deserat spes in ista peregrinatione et tentatione, in istis improbitatibus et insidiis inimici, circumstrepentibus undique tentationibus sæculi, undique in laboribus et angoribus constitutos. Quid ergo faciemus? Audi quid sequatur: *Nolite confidere in principes.* Fratres, magnum negotium hic accipimus; divina vox est, et desuper sonat nobis. Modo enim nescio qua infirmitate anima humana, quando fuerit tribulata, hic desperat de Domino, et vult præsumere de homine. Dicatur homini in afflictione aliqua constituto, Est quidam homo magnus, per quem possis liberari: arridet, gaudet, erigitur. Quod si dicatur illi, Liberat te Deus: quasi desperatione frigescit. Promittitur auxilium mortalis, et gaudes: promittitur immortalis, et tristis es! Promittitur tibi quod liberet te tecum liberandus, et tanquam aliquo magno auxilio exsultas: promittitur ille liberator qui liberatore non indiget, et quasi ad fabellam desperas. Væ talibus cogitationibus; longe peregrinantur [1]: vere misera et magna mors in eis. Appropinqua, incipe desiderare, incipe quærere et agnoscere eum a quo factus es. Non enim deseret opus suum, si ab opere suo non deseratur. Converte ergo te ad illum cui dicis, *Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum.* Monet enim nos jam impletus tanto spiritu iste, et dicit quasi longe remotis, et longe peregrinantibus, et non solum Deum non volentibus laudare, sed nondum vel de Deo sperantibus: *Nolite confidere in principes, et in filios hominum, quibus* [1] *non est salus.* In uno filio hominis salus; et in ipso non quia filius hominis, sed quia Filius Dei; non propter id quod suscepit ex te, sed propter id quod servavit in se. Ergo in nullo homine salus: quia et in illo ideo salus, quia Deus, *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* De Christo dictum est: *Ex quibus Christus secundum carnem* (*Rom.* IX, 5). Ex quibus? Ex Judæis, ex patribus *Christus secundum carnem:* sed numquid hoc totum Christus, quod secundum carnem? Non: neque enim secundum carnem id est, *super omnia Deus benedictus in sæcula.* Ideo in illo salus, quia *Domini est salus.* Dicit enim alius psalmus: *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua* (*Psal.* III, 9). Et sine causa sibi arrogant homines quia dant salutem. Sibi dent. Responde superbo homini: Gloriaris, quia dicis te dare mihi salutem; tibi da. Vide si habes eam. Considerans bene fragilitatem tuam, vides quia nondum habes. Ergo noli monere ut exspectem a te, sed exspecta mecum. *Nolite confidere in principes, et in filios hominum, quibus non est salus.* Ecce nescio qui principes procedunt, nescio unde, et dicunt: Ego baptizo, et ego quod dedero, hoc est sanctum: et si ab alio acceperis, nihil accepisti; si a me acceperis, aliquid accepisti. O homo, o princeps, inter filios hominum vis esse, et inter principes quibus non est salus? Ideo ergo habeo salutem, quia tu mihi das? Tuum est enim quod das? Aut vero etiam tu das? vel hoc dicendum est, quia tu das? Dicat et fistula quia et ipsa dat aquam; dicat et canalis quia ipse manat; dicat et præco quia et ipse liberat. Ego in aqua attendo fontem, in voce præconis agnosco judicem. Non eris tu plane auctor salutis meæ: ille erit de quo securus sum; de te incertus sum. Si non sis arrogans, non ego solus de te incertus sum, sed et tu de te. Ab illo ergo mihi salus, *qui est super omnia;* quia *Domini est salus.* Tu inter filios hominum, tu inter principes: sed audio vocem Psalmi, *Nolite confidere in principes, et in filios hominum, a quibus non est salus.*

10. [*vers.* 4.] Secundum turbam hominum, quid sunt isti filii hominum? Quid sunt vis scire? *Exiet spiritus ejus, et revertetur in terram suam.* Ecce totum quod loquitur, nesciens quamdiu loquatur; minatur, nesciens quamdiu vivat. Subito exiet spiritus ejus, et revertetur in terram suam. Numquid quando vult, exiet spiritus ejus? Exiet, et quando non vult exiet, et quando nescit revertetur in terram suam. Exeunte

[1] Plures Mss., *peregrinatur.*

[1] Edd., *in quibus.* Particula, *in*, abest a LXX et a Mss., qui tamen infra, tertio loco, habent cum Edd., *a quibus.*

spiritu, caro revertetur in terram. Sed quia caro erat quæ sic loquebatur (De me enim præsume, et ego tibi do, non dicerent nisi illi de quibus dictum est, *Quia caro sunt* [*Gen.* VI, 3]), *Exiet spiritus ejus, et revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes ejus*[1]. Ubi est typhus? ubi est superbia? ubi est jactantia? Sed forte ad locum bonum transierit, ad justos: si tamen transiit. Nam qui sic loquebatur, nescio quo transierit. Loquebatur enim superbia; et nescio quo transeant tales homines, nisi quia inspicio alterum psalmum, et video malum eorum esse transitum. *Vidi impium exaltari super cedros Libani, et transivi, et ecce non erat; et quæsivi eum, et non est inventus locus ejus* (*Psal.* XXXVI, 35, 36). Iste pius qui transiit et non invenit impium, illuc pervenit ubi non est impius. Ergo, fratres, omnes audiamus; fratres dilecti Deo, omnes audiamus: in qualibet tribulatione, in quolibet desiderio muneris divini, non fidamus in principes, nec in filios hominum, in quibus non est salus. Totum hoc mortale, transitorium et caducum est. *Exiet spiritus ejus, et revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes ejus.*

11. [*vers.* 5.] Quid ergo facimus, si in filios hominum, si in principes non est sperandum? quid facimus? *Beatus cujus Deus Jacob adjutor est ejus.* Non ille homo aut ille homo, non ille angelus aut ille angelus; sed, *Beatus cujus Deus Jacob adjutor est:* quia et ipsi Jacob sic fuit adjutor, ut de Jacob faceret Israel (*Gen.* XXXII, 28). Magnum adjutorium, Israel jam videns Deum. Hic ergo positus et peregrinus nondum videns Deum, si habueris adjutorem Deum Jacob, ex Jacob eris Israel, et eris videns Deum; et periet omnis labor et omnis gemitus, transient curæ mordaces, succedent laudes felices. *Beatus cujus Deus Jacob adjutor est ejus:* hujus Jacob. Quare iste beatus, interim adhuc in hac vita gemens? *Spes illius in Dominum Deum ipsius.* Ideo beatus, quia *spes ipsius in Dominum Deum ipsius.* In quo est spes ipsius, ipse erit res ipsius. Fratres, an forte erravi, quia dixi rem nostram futurum Deum? Quid si dicerem hæreditatem nostram futurum? *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium* (*Psal.* CXLI, 6). Tu eris portio mea. Eris tu possessio, et possidebis; possessio Dei eris, et possessio tua erit Deus: tu eris possessio ejus, ut colaris ab eo; et ipse erit possessio tua, ut colas eum. Nam et tu colis Deum, et coleris a Deo. Recte dicitur, Colo Deum: quomodo autem color a Deo? Invenimus apud Apostolum: *Dei*, inquit, *agricultura, Dei ædificatio estis* (I *Cor.* III, 9). Et Dominus, *Ego sum*, inquit, *vitis, vos estis sarmenta, et Pater meus agricola* (*Joan.* XV, 1, 5). Colit te ergo Deus, ut sis fructuosus; et colis Deum, ut sis fructuosus. Tibi bonum est quod te colit Deus; tibi bonum est quod colis Deum. Cultor Deus si recedat ab homine, desertus fit homo; cultor homo si recedat a Deo, desertus fit ipse homo. Nec crescit Deus accedente te, nec decrescit discedente te. Ergo erit ipse possessio nostra, ut nos pascat; et erimus possessio ejus, ut nos regat.

12. [*vers.* 6.] *Spes illius in Dominum Deum ipsius.* Quis est iste Dominus Deus ipsius? Attendite, fratres. Multi enim habent multos deos, et dicunt eos dominos suos et deos suos. Sed dicit Apostolus, *Etsi sunt qui dicuntur dii, sive in cœlo, sive in terra; quemadmodum sunt dii multi, et domini multi: nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia* (I *Cor.* VIII, 5 *et* 6). Ergo sit ipse spes tua, Dominus Deus tuus; in illo sit spes tua. In domino deo suo est spes etiam illius qui colit Saturnum; in domino deo ipsius est spes, qui colit Martem, qui colit Neptunum, qui colit Mercurium: plus addo, qui colit ventrem, de quibus dictum est, *Quorum deus venter est* (*Philipp.* III, 19). Ergo ille illius deus, atque ille illius. Quis hujus beati? Quia *spes ipsius in Domino Deo ipsius.* Sed quis est iste? *Qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt.* Fratres mei, magnum Deum habemus! benedicamus nomen sanctum ejus, quia dignatus est facere nos possessionem suam. Nondum vides Deum, non potes amare plene quod nondum vides. Quæ vides, ipse fecit. Miraris mundum, quare non artificem mundi[1]? Suspicis cœlum, et exhorrescis; cogitas universam terram, et contremiscis; maris magnitudinem quando cogitatione[2] occupas? Respice innumerabilitatem stellarum; respice tanta genera seminum, tantas diversitates animalium, quidquid natat in aquis, repit in terra, volitat in aere, circuit in cœlo: omnia ista, quam magna, quam præclara, quam pulchra, quam stupenda! Ecce qui fecit hæc omnia, Deus tuus est. Pone ibi spem tuam, ut sis beatus: *Spes illius in Dominum Deum ipsius.* Quem? *Qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt.* Magnum habemus Deum!

13. Attendite, fratres, magnum Deum, bonum, facientem talia. Quid ergo hinc cogitavit Deus, ut faceret (si tamen dicendum est de Deo, Cogitavit) *cœlum, terram, mare, et omnia quæ in eis sunt?* Forte dicturus erat homo iste: Video quidem omnia magna ista; cœlum et terram, mare fecit Deus: quando me computat Deus inter ea quæ fecit? et vere ego pertineo ad curam ipsius, et modo de me cogitat Deus, aut scit an vivam? Quid est hoc quod dicis? Non subrepat tibi mala cogitatio in cor; de his esto de quibus paulo ante loquebamur, *Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu sum.* Sed iste alios alloquitur, nescio quos tepidos, quos exhortatur, et quasi veretur ne desperent de se, quia vere non sunt in computo Dei. Multorum enim tales sunt cogitationes. Sed ideo deserunt Deum, et pergunt per quælibet peccata, quia non credunt curare Deum quid agant. Audi eloquia divina, noli de te desperare. Qui curavit facere te, non curat reficere te? Nonne Deus tuus est qui fecit cœlum, et terram, et mare? Si ista sola diceret, forte responderes tu: Deus

[1] Nonnulli Mss., *eorum.*

[1] Plures Mss., *quære artificem mundi.*
[2] Edd., *cogitationem?* Mss. vero, *cogitatione.*

qui fecit cœlum, et terram, et mare, magnus Deus; sed numquid cogitat de me? Ipse te fecit, diceretur tibi. Quomodo? numquid ego sum cœlum, aut ego sum terra, aut ego sum mare? Et quidem manifestum est, nec cœlum sum, nec terra sum, nec mare sum; sed in terra sum. Vel hoc concedis mihi, quia in terra es. Audi quia non tantum cœlum et terram et mare Deus fecit: *Fecit* enim *cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt*. Si ergo *omnia quæ in eis sunt*, et te. Parum dico, te: passerem, locustam, vermiculum; nihil horum non ille fecit, et cura est illi de omnibus. Non ad præceptum cura est; nam præceptum soli homini dedit. Dicit enim psalmus: *Homines et jumenta salvos facies, Domine; secundum multitudinem misericordiæ tuæ, Deus* (*Psal.* XXXV, 7, 8). *Multitudinem*, inquit, *misericordiæ tuæ; secundum* hanc *salvos facies homines et jumenta*. Et Apostolus: *Numquid de bobus cura est Deo?* Hac, *De bobus cura* non *est Deo*; hac, *Homines et jumenta salvos facies, Domine*: numquid contraria sunt ista? Quid enim ait Apostolus? *Numquid de bobus pertinet ad Deum?* Ubi est præceptum, *Bovi trituranti os non infrenabis* (I *Cor.* IX, 9; *Deut.* XXV, 4); ibi de bobus non cogitavit Deus? Itaque quosdam boves voluit significari. Non enim hoc curat Deus monere quid agas cum bobus; habet hoc natura ipsa humana. Sic factus est homo, ut norit consulere jumentis suis: nec inde præcepta a Deo accepit, sed insinuatum est illi in mentem a Deo, ut possit et sine præcepto facere; fecit illum talem Deus. Sed quomodo regit pecus, regendus est ab alio; ab eo a quo regitur, præceptum accepit. Ad præcepti ergo tenorem, non *est de bobus cura Deo*: ad providentiam universitatis, qua creavit omnia et mundum regit, *Homines et jumenta salvos facies, Domine*.

14. Intendat Charitas vestra. Hic forte aliquis dicat mihi (*a*): De Novo Testamento est, quia *De bobus non pertinet ad Deum*: *Homines et jumenta salvos facies, Domine*, de Veteri Testamento est. Sunt qui calumnientur, et dicant non sibi consonare ista duo Testamenta. Ne forte aliud dicat in Vetere, aliud in Novo, et flagitet de me sententiam de Novo talem qualis hæc est, *Homines et jumenta salvos facies, Domine*; quid facio? Nihil tam in capite Novi Testamenti, quam Evangelium. In Evangelio invenio quia omnia ista pertinent ad Deum, nemo erit jam qui contradicat. Numquid enim Apostolus Evangelio contrarius erit? Audiamus ipsum Dominum, principem et magistrum Apostolorum. *Respicite*, inquit, *volatilia cœli, quia non seminant, neque metunt, neque congregant in horrea; et Pater vester cœlestis pascit illa* (*Matth.* VI, 26). Ergo et præter hominem, animalia ista pertinent ad curam Dei, ut pascantur, non ut legem accipiant. Quod ergo ad dandam legem attinet, de bobus cura Deo non est; quod autem ad creanda, pascenda, gubernanda et regenda, omnia ad Deum pertinent. *Nonne duo passeres asse veneunt* (Dominus Jesus Christus dicit), *et unus ex eis non cadet in terram sine voluntate Patris vestri? Quanto magis vos pluris estis illis?* Noli ergo dicere: Non pertineo ad Deum. Pertinet ad Deum anima tua, pertinet ad Deum corpus tuum; quia Deus fecit et animam tuam et corpus tuum. Dicis forte: Non me numerat Deus in magna multitudine. Accedit ibi mirum de Evangelio: *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt* (*Matth.* X, 29-31).

15. [*Vers.* 7, 8.] Ergo Deus meus est, et in illo spes mea, *qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt*. Quod autem ad me pertinet, quid agit mecum? *Qui custodit veritatem in æternum*. Et amandum Deum commendavit, et timendum. *Qui custodit veritatem in æternum*. Quam veritatem in æternum? quam, et in quo custodit veritatem? *Facientem judicium injuriam accipientibus*. Vindicat injuriam accipientes, fratres mei; facit illis judicium. Quibus? Qui accipiunt injuriam, puniens omnes injuriosos. Si ergo favebit injuriam accipientibus et puniet injuriosos, vide modo de quorum numero esse vis. Vide, attende utrum in eis velis esse, qui injuriam accipiunt, an in eis qui injuriam faciunt. Statim enim ad te procedit vox apostolica, et dicit tibi, *Jam quidem omnino delictum est, quia judicia habetis vobiscum. Quare non magis injuriam patimini* (I *Cor.* VI, 7)? Corripit homines, quia non patiuntur injuriam. Non ut patiaris molestiam te hortatur, sed ut patiaris injuriam: non enim omnis molestia injuria est. Quidquid enim jure pateris, non est injuria. Ne forte diceres: Et ego inter injuriam passos numeror; nam illud in illo loco, et illud causa illa passus sum. Vide si injuriam passus es. Latrones multa patiuntur, sed non injuriam: scelerati, malefici, effractores, adulteri, corruptores, omnes patiuntur multa mala, sed nulla est injuria. Aliud est pati injuriam; aliud pati tribulationem, aut pœnam, aut molestiam, aut supplicium. Considera ubi sis, quid egeris vide, quare patiaris vide; et ibi vides quid patiaris. Jus et injuria contraria sunt. Jus enim est quod justum est. Neque enim omne quod jus dicitur, jus est. Quid si aliquis condat jus iniquum? Nec jus dicendum est, si injustum est. Illud ergo verum jus, quod etiam justum est. Vide quid feceris, non quid patiaris. Si jus fecisti, injuriam pateris: si injuriam fecisti, jus pateris.

16. Quare ista dixi, fratres (*a*)? Ut non se extollant hæretici, quando forte aliquid patiuntur ex jussionibus principum terrenorum; non se numerent inter eos qui injurias accipiunt, et dicant: Ecce Psalmus consolatur me; ego enim Deum colo, *qui judicium faciet injuriam accipientibus*. Recte quæro utrum injuriam accipias. Si jus fecisti, injuria est quam pateris. Jus est exsufflare Christum? jus est rebelli superbia erigere altare? jus est [1], parcentibus persecutoribus tunicæ Christi (*Joan.* XIX, 24), Ecclesiam Christi conscindere? Porro si hoc jus non est, quidquid pro hoc pateris, jus est. Non es ergo de his qui patiuntur injuriam. Lego aliquid manifestius ex Evangelio: *Beati*, inquit, *qui persecutionem patiuntur*. Exspecta:

(*a*) Hic designantur Manichæi.

[1] Plerique Mss.: *Si jus est exsufflare Christum: si jus est rebelli superbia erigere altare: si jus est parcentibus*, etc.

(*a*) Contra Donatistas.

quid festinas? quid dicis, Ego sum? Exspecta, inquam; totum legam. Audisti, *Beati qui persecutionem patiuntur;* jam tibi nescio quid cœperas arrogare. Si permittis, totum lego; vide quid sequatur. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* v, 10). Modo dic, Ego sum. Si audes dicere, Ego sum; superiora quæ dixi retractemus: aut, ne longum sit, hoc unum interrogo: Si damnares unum hominem, cujus causam nescires, auderes te dicere tenere justitiam? aut, si quid pro hac re passus esses, injuriam nominares? Erigis te in temerarium tribunal cordis tui, unde præcipiteris; et audes ferre sententiam de homine cujus causam nescis! Hoc si de uno homine faceres, esses injustus: facis hoc de toto orbe terrarum, et justus es? Fratres charissimi, et quæ est quæ patitur injuriam, nisi Ecclesia catholica quæ tanta ista perpetitur? Inter tot scandala hæreticorum gemit; videt per malas suasiones et fraudes rapi de gremio suo infirmos, parvulos pertrahi per nescio quæ secreta malarum speluncarum, rebaptizari, exsufflari in eis Christum, occidi in eis non mortale illud suum quo homines sunt, sed illud quo in æternum victuri sunt. Suadetur homini dicere, Non sum christianus, et justitia vocatur. Accessurus es ad episcopum, ait illi, vide ne dicas te esse christianum: si enim dixeris te esse christianum, non es accepturus; ut autem accipias, dic te non esse. Quid mones, christiane? quid doces? Certe persecutionem pateris:[1] quanto tu verior persecutor! Quando Imperatores persequebantur Christianos, minando cogebant, quod tu efficis suadendo. Persuades christiano ut neget se esse christianum: quod tu suadendo facis, hoc persecutor occidendo non fecit. Sub te vivit homo, qui negat se esse christianum. Negat, et vivit? Perdidit jam vitam; cadaver tibi loquitur. Qui percussus est gladio persecutoris, cecidit, et vivit: cui loqueris, stat, et cecidit. Hæc faciens, quidquid passus fueris, injuria erit? Nolo tibi blandiaris: si hæc injusta sunt omnia quæ facis, quidquid pateris justum erit. Cui autem facit judicium, *qui custodit veritatem in æternum? Injuriam accipientibus.*

17. [*vers.* 7, 8.] Jam tu procede, et dic ratiocinationibus illis tuis bonis, et quasi acutis et subtilibus, quia tu pascis; et dic: Famelicus potest pascere? id est, peccator potest dare sanctum? Famelicus potest pascere? languidus potest sanare? ligatus potest solvere? Ista sunt veluti magna et subtilia, quibus decipiunt imperitos. Claudat illis os psalmus iste: *Dantem*[2] *escam esurientibus.* Ecce nihil a te exspecto; Deus *dat escam esurientibus.* Quibus esurientibus? Omnibus. Quid est, omnibus? Omnibus animalibus, omnibus hominibus ipse dat escam; et nullam escam servat dilectis suis? Si habent aliam famem, habent et aliam escam. Quæramus primo famem ipsorum, et inveniemus escam ipsorum: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Ibid.*, 6). Famelici Dei esse debemus: ante januam conspectus illius in orationibus mendicemus; ipse *dat escam esurientibus.* Quid est quod te, hæretice, jactas quia tu solvis, tu erigis, tu illuminas? Videlicet quia tu liberatus jam es, et tu stas, et tu lumen es? Absit. Superius attende: *Nolite confidere in principes, et in filios hominum, a quibus non est salus.* Non ipsi dant salutem. Ergo recedant hæretici de medio. *Dominus solvit compeditos; Dominus erigit elisos; Dominus sapientes facit cæcos;* id est, eos qui cæci sunt facit sapientes. Optime per hanc sententiam exposuit nobis omnes superiores: ne forte cum dixisset, *Dominus solvit compeditos*, ad illos compeditos referremus, qui forte propter aliquam noxam ligantur ferro a dominis suis; quia autem dixit, *Erigit elisos*, occurreret nobis aliquis, aut offendens et cadens, aut equo lapsus. Est alius casus, sunt aliæ compedes; quomodo sunt aliæ tenebræ et alia lux. In eo quod dixit, *Sapientes facit cæcos;* noluit dicere, Illuminat cæcos, ne et hoc carnaliter intelligeres; sicut illuminatus est a Domino, cujus oculos luto de sputo facto inunxit, et salvum eum fecit (*Joan.* IX, 6, 7): ne tale aliquid sperares, cum de spiritualibus loquitur, ostendit quamdam lucem sapientiæ, qua illuminantur cæci. Ergo quomodo illuminantur cæci luce sapientiæ, sic solvuntur compediti, sic eriguntur elisi. Unde sumus ergo compediti? unde elisi? Corpus nostrum ornamentum nobis fuit: peccavimus, et compedes inde accepimus. Quæ sunt compedes nostræ? Mortalitas ipsa. Audi apostolum Paulum, quia et ipse adhuc in hac peregrinatione compeditus erat. Quanta peragravit compeditus iste! Non illi fuerunt graves compedes; cum ipsis compedibus toto orbi[1] Evangelium prædicavit: spiritus charitatis rapuit compedes, et circuivit quantum potuit. Sed tamen quid ait? *Concupiscentiam habens dissolvi, et esse cum Christo.* Quid est, *dissolvi?* A compedibus mortalitatis[2]. Et tamen misericordia adhuc volebat esse in compedibus, propter alios compeditos, quibus ministraret: *Manere*, inquit, *in carne, necessarium propter vos* (*Philipp.* I, 23, 24). *Dominus* ergo *solvit compeditos*, id est, ex mortalibus immortales facit. *Dominus erigit elisos.* Quare elisi sunt? Quia erecti erant. Quare eriguntur? Quia humiliati sunt. Cecidit atque elisus est Adam: ille cecidit, Christus descendit. Quare descendit qui non cecidit, nisi ut levaretur qui cecidit? *Dominus sapientes facit cæcos; Dominus diligit justos.* Ideo facit judicium injuriam accipientibus.

18. [*vers.* 9.] Et qui sunt ipsi justi? modo quatenus justi? Quemadmodum habes, *Dominus custodit proselytos.* Proselyti, advenæ sunt. Omnis Ecclesia Gentium, proselyta est. Adventitia enim est ad patres, non de carne eorum nata, sed imitando filia[3]. Dominus tamen custodit, non aliquis homo. *Orphanum et viduam suscipiet.* Nemo putet quasi pupillum propter hæreditatem, aut viduam propter nescio

[1] Hoc loco apud Er. et Lov. additur, *tanto tu verius persecutionem pateris:* quod ab Am. et Mss. abest.

[2] Edd., *dat.* At Mss., *dantem:* juxta Græc.; et id concordat cum superiore parte versiculi, *facientem judicium*, etc.

[1] Aliquot Mss., *toto orbe.*

[2] Lov. adjiciunt, *absolvi.* M.

[3] Er. Lugd Ven., *imitando fidem.* M.

quod negotium suum. Equidem et istis Deus opitulatur, et in omnibus officiis generis humani bonum opus facit, qui pupillo consulit[1], qui viduam non deserit : sed secundum quemdam modum omnes pupilli sumus, absente patre, non mortuo. Pupillus enim secundum homines, mortuo patre fit. Et si verum quæratis, fratres, quia anima non moritur, vivunt parentes nostri; et magis absentibus patribus sunt pupilli, qui pupilli sunt : si mali fuerint, in pœnis vivunt[2]; si boni fuerint, in requie vivunt : omnia integra sunt Creatori. Tamen nos quamdiu sumus in corpore hoc, et peregrinationis locum incolimus, absens est Pater noster, ad quem clamamus, *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9). Ideo Ecclesia vidua, quasi absente sponso, absente viro. Veniet ille, qui illam modo protegit, non visus, sed desideratus. Magno enim desiderio rapimur, et amore ejus quem non videmus[3], desideramus. Inhærebimus amplexibus visi, si nondum visi fide detinemur. Ergo *et pupillum et viduam* quid voluit intelligi, fratres? Destitutos omni ope et auxilio. Destituta anima in sæculo, ipsa sibi speret adjutorium Dei. Quidquid hic habueris, aurum habeas[4]; præsumpsisti inde? Jam non es proselytus, non es orphanus, non in vidua numeraris. Amicum habes : si de illo præsumpseris, et Deum dimiseris, non es destitutus. Habes hæc omnia; non inde præsumis, non inde superbis? Pupillus Dei es, et vidua Dei. Suscipit ergo destitutos; hoc dixit : suscipit pupillum, suscipit et viduam.

19. *Et viam peccatorum exterminabit.* Quæ est via peccatorum? Irridere ista quæ dicimus. Quis pupillus? quæ vidua? Quod regnum cœlorum? et quæ pœna inferorum? Fabellæ istæ Christianorum sunt. Ad quod video, ad hoc vivam : *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* Vide ne tales aliquid persuadeant : ne per aurem in cor intrent, spinas inveniant in auribus tuis; qui cœperit sic intrare, punctus abscedat. *Corrumpunt* enim *mores bonos colloquia mala* (I *Cor.* XV, 32, 33). Sed forte hic dicturus es : Quare ergo felices sunt? Ecce nec Deum colunt, et omnia mala quotidie committunt; abundant rebus his quibus ego egens laboro. Noli zelari in peccatores. Quid accipiant, vides; quid illis servetur, non vides? Et unde, inquit, video quod non videtur? Omnino habet oculos fides; et majores oculos, et potentiores et fortiores. Hi oculi neminem deceperunt; hi oculi sint semper in Dominum, ut et ipse evellat de his laqueis pedes tuos (*Psal.* XXIV, 15). Via peccatorum placet tibi, quia lata est, et multi per illam ambulant; latitudinem ejus vides, finem ejus non vides. Ecce ubi finitur, præcipitium est; ubi finitur, profunditas quædam barathri est : lætantes, exspatiantes in ista via, illo fine merguntur. Sed extendere oculos non potes, ut videas ipsum finem : crede ei qui videt. Et quis est homo qui videt[1]? Forte nemo homo; sed Dominus tuus ad te venit, ut crederes Deo. Num enim et Domino Deo tuo non es crediturus, qui ait : *Lata et spatiosa est via quæ ducit ad interitum, et multi sunt qui ingrediuntur per illam* (*Matth.* VII, 13)? Hanc viam exterminabit Dominus; quia ipsa est via peccatorum.

20. [*vers.* 10.] Et dum exterminata fuerit via peccatorum, quid nobis restat? *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Id.* XXV, 34). Ad hoc concludit Psalmus : *Et viam peccatorum exterminabit.* Et quid tu? *Regnabit Dominus in æternum.* Gaude, quia tibi regnabit; gaude, quia tu eris regnum ejus. Vide enim et quid sequitur. Es certe civis de Sion, non de Babylonia; id est, non de civitate peritura hujus sæculi, sed de Sion ad tempus laborante et peregrinante, in æternum autem regnatura. Audisti ergo finem; inde es. *Regnabit Dominus in æternum, Deus tuus, Sion.* O Sion, Deus tuus regnabit in æternum : numquid sine te regnabit Deus tuus? *In generationem et generationem.* Bis dixit, quia non potuit semper dicere. Nec putes quia verbis finitis finitur æternitas. Æternitas in verbo quatuor syllabis constat, in se sine fine est. Non potuit tibi nisi sic commendari, *Deus tuus regnabit in generationem et generationem.* Parum dixit : si tota die diceret, angustum esset; si tota vita sua diceret, nonne aliquando conticesceret? Ama æternitatem; nullo fine regnabis[2], si finis tibi Christus est, cum quo regnabis in sæcula sæculorum. Amen.

IN PSALMUM CXLVI ENARRATIO.

SERMO (*a*).

1. [*vers.* 1.] Intenti audiebamus, cum psalmus præsens cantaretur; et non omnes qui audiebamus, etiam intelligebamus. Quanto magis ergo intente nunc audiendus est, si, ut spero et cupio, adjuvantibus omnium audientium orationibus, si quid hic forte obscurum est, Deo donante revelabitur; ut sit fructuosus auditus, nec inanis redeat auditor, qui intentus adfuit cum audiret? Unde cœpit? Nobis dicitur : *Laudate Dominum.* Dicitur hoc omnibus gentibus, non solis nobis : et istam vocem per loca quidem singula sonantem a Lectoribus, singillatim audiunt Ecclesiæ; una vox tamen Dei super omnes non tacet, ut laudemus eum. Et quasi quæreremus quare laudare Deum debeamus, videte quam causam attulit : *Laudate Dominum*, inquit, *quoniam bonus psalmus.* Hæc est merces tota laudantium? Laudemus Dominum. Quare? *Quoniam bonus psalmus.* Vellem ego, inquit aliquis, laudare Dominum, si mihi aliquid pro ista laude donaret. Quis enim laudet gratis vel hominem? Exspectant ergo aliquam mercedem lau-

[1] Sic Mss. Edd. vero, *pupillum consolatur.*
[2] Ita in Mss. At in Edd., *absentibus patribus sumus pupilli. Qui pupilli sunt, si mali fuerint, in pœnis vivunt; si boni fuerint*, etc.
[3] Am. et aliquot Mss., *amore ejus quem non novimus.* Er., *in amore ejus quem non novimus.* Paulo post, Er. et Lov., *amplexibus visis, si nondum visis* : ubi melius alii codices, *visi.*
[4] In B., *habes.* Er. Lugd. Ven. et Lov., *habeas.* M.

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov.: *Et quis est qui videt? Homo. Forte*, etc.
[2] Aliquot Mss., *in illo fine regnabis.*
(*a*) Ad populum forte Carthaginensem, ex n. 17.

datores hominum; nullamne mercedem exspectare, aut petere, aut sperare debet laudator Dei? Laudatur infirmus, et speratur de eo aliquid; laudatur Omnipotens, et nulla merces est? An forte hoc cupio, quod ille dare non potest? Quid homo desiderat, quod in manu Dei non sit? Cum laudaveris hominem, forte hoc cupis quod ab illo præstari non potest: Deum securus lauda, quem nemo potest dicere non posse præstare quod tu poteris desiderare. Proposita ergo spe mercedis alicujus laudare debemus Deum, non tamen daturum quidquid cupimus. Pater est enim, et quod mali cupiunt filii, non dat. Laudemus, et speremus, et desideremus non illud aut illud, sed quod judicat dandum esse, quem laudamus. Ille enim novit quid nobis dari expediat; nos autem intendamus quid nobis prosit accipere. Apostolus ait: *Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus* (*Rom.* VIII, 26). Et ipse idem apostolus Paulus sperabat sibi prodesse, si auferretur ab eo stimulus carnis suæ, angelus satanæ a quo colaphizabatur, sicut ipse confitetur et ait: *Propter quod Dominum ter rogavi, ut auferret eum a me; et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 7-9). Desideravit aliquid; non concessum est ad voluntatem, ut consuleretur [1] ad sanitatem. Hic ergo quid nobis propositum est? *Laudate*, inquit, *Dominum*. Quare laudemus Dominum? *Quoniam bonus est psalmus*. Ipse psalmus laus Domini est. Hoc ergo ait, Laudate Dominum, quoniam bonum est laudare Dominum. Non sic prætereamus laudare Dominum. Dictum est, et transiit; factum est, et siluimus; laudavimus, et tacuimus; cantavimus, et conquievimus. Imus in aliud forte agendum quod restat, et aliæ actiones cum occurrerint nobis, laudatio divina cessabit in nobis? Non sic; nam lingua tua ad horam laudat, vita tua semper laudet. Inde ergo bonus psalmus.

2. Psalmus quippe cantus est, non quilibet, sed ad psalterium. Psalterium autem quoddam organum est cantilenæ, sicut lyra, sicut cithara, et hujusmodi organa, quæ inventa sunt ad cantandum. Qui ergo psallit, non sola voce psallit; sed assumpto etiam quodam organo, quod vocatur psalterium, accedentibus manibus voci concordat. Vis ergo psallere? Non solum vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tua. Cum ergo voce cantaveris, silebis aliquando: vita sic canta, ut nunquam sileas. Negotium agis, et fraudem cogitas; siluisti a laude Dei: et quod gravius est, non solum a laude siluisti, sed in blasphemiam perrexisti. Cum enim Deus laudatur de bono opere tuo, opere tuo laudas Deum; et cum blasphematur Deus de malo opere tuo, opere tuo blasphemas Deum. Itaque ad aurium exhortationem canta voce; corde ne sileas, vita ne taceas. Non cogitas in negotio fraudem, psallis Deo. Cum manducas et bibis, psalle; non intermiscendo sonorum suavitates ad aures aptas, sed modeste et frugaliter et temperanter manducando et bibendo: quia hoc dicit Apostolus, *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid facitis; omnia in gloriam Dei facite* (I *Cor.* X, 31). Si ergo bene agis, quod et manducas et bibis, et ad refectionem corporis sumis reparationemque membrorum, gratias agens ei qui tibi præbuit mortali et fragili ista supplementorum solatia; et cibus tuus et potus tuus laudat Deum: si vero modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, et vinolentia te ingurgites; quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat. Post cibum et potum requiescis, ut dormias; nec in lecto aliquid turpiter agas, nec excedas ultra concessam licentiam in lege Dei: sit castus cum conjuge torus; et si est cura propagandi liberos, non sit effrenata luxuries libidinum; defer in lecto tuo conjugi tuæ [1], quia membra Christi estis ambo (*Id.* VI, 15), ambo ab illo conditi, ambo sanguine ipsius reparati: hæc agens laudas Deum, nec omnino silebit laudatio tua. Quid, cum somnus advenerit? Et cum dormis, non te excitet a quiete mala conscientia tua; et innocentia somni tui laudat Deum. Si ergo laudas, non tantum lingua canta, sed etiam assumpto bonorum operum psalterio; *quoniam bonus psalmus*. Laudas cum agis negotium, laudas cum cibum et potum capis, laudas cum in lecto requiescis, laudas cum dormis; quando non laudas? Perficietur in nobis laudatio Dei, cum ad illam civitatem venerimus, quando effecti fuerimus æquales Angelis Dei (*Matth.* XXII, 30); quando nos nulla corporalis necessitas ulla ex parte sollicitat, non fames, non sitis interpellat, non æstus fatigat, non frigus constringit, non febris dejicit, non mors finit. Ad illam perfectissimam laudem exerceamus nos laudatione ista in bonis operibus.

3. Propterea cum dixisset, *Laudate Dominum, quoniam bonus psalmus: Deo nostro*, inquit, *jucunda sit laus*. Quomodo erit Deo nostro jucunda laus? Si bene vivendo laudetur. Audi quia tunc erit illi jucunda laus. Alio loco dicitur, *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV, 9). Si ergo in ore peccatoris speciosa laus non est, jucunda non est; hoc enim jucundum, quod speciosum. Vis ergo ut Deo tuo jucunda sit laus? Noli bonæ cantilenæ tuæ obstrepere moribus malis. *Deo nostro jucunda sit laus*. Quid dixit? Qui laudatis, bene vivite. Laudatio impiorum offendit Deum. Plus ille attendit quid vivas, quam quid sones. Certe cum eo quem laudas, pacem habere vis: quomodo cum illo quæris pacem, quando a teipso dissonas? Quomodo, inquies, a memetipso dissono? Aliud sonat lingua, aliud indicat vita. *Deo nostro jucunda sit laus*. Potest enim laus jucunda esse homini, cum audit concinnis acutisque sententiis et suavi voce laudantem: sed *Deo nostro jucunda sit laus*; cujus aures, non ad os, sed ad cor; non ad linguam, sed ad vitam laudatoris patent.

4. [*vers.* 2.] Quis est Deus noster cui jucunda sit laus? Dulcescit nobis, commendat se nobis: gratias dignationi ejus. Dignatur enim commendare se no-

[1] Edd., *consolaretur*. At Mss., *consuleretur*: forte pro, *concederetur*.

[1] Edd., *conjugi tuæ honorem*. Vox, *honorem*, abest a Mss.

bis, non quasi aliquid præstaturis, sed multa ab illo potius accepturis. Quomodo ergo commendat se nobis Deus? Audite apostolum Paulum : « Commendat autem, » inquit, « dilectionem suam Deus in nobis. » Quomodo « commendat? » Audite; ipse dicat Apostolus, ut comparetur et Psalmo : « Commendat, » inquit, « dilectionem suam Deus in nobis. » Quomodo « commendat? Quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est » (*Rom.* v, 8, 9). Quid ergo servat laudatoribus, qui sic se commendat peccatoribus? Quia ergo sic dixit Apostolus commendasse Deum nobis dilectionem suam, ut Christus moreretur pro impiis; non ut impii remanerent, sed ut morte justi ab injustitia sanarentur: hic quid audis, cum dixisset, *Deo nostro jucunda sit laus?* Videamus si ipsa est commendatio quam dixit Apostolus, Quia Christus pro peccatoribus et pro impiis mortuus est. *Ædificans*, inquit, *Jerusalem Dominus, et dispersiones Israel colligens.* Ecce ædificans Jerusalem Dominus, colligens dispersiones populi ipsius. Populus enim Jerusalem, populus Israel. Est Jerusalem æterna in cœlis, ubi cives etiam Angeli sunt. Quid ergo ibi Israel? Si hominem illum nepotem Abrahæ consideres, qui dictus est et Jacob; quomodo Angelos intelligimus Israel? Si interpretationem nominis discutiamus, quia et ipse Jacob mutato nomine vocatus est Israel (*Gen.* XXXII, 28); magis ibi nomen Israel : et utinam et nos sequentes simus Israel. Quid enim interpretatur Israel? Videns Deum. Omnes ergo cives illius civitatis, videndo Deum gaudent in illa magna civitate et ampla et cœlesti; spectaculum eis Deus ipse est. Sed nos ab illa civitate peregrinamur, peccato expulsi, ne ibi maneremus; et mortalitate prægravati, ne illo rediremus. Respexit Deus peregrinationem nostram, et ille qui ædificat Jerusalem, restituit lapsam partem. Unde restituit lapsam partem? *Dispersiones Israel colligens.* Cecidit enim pars quædam, et facta est peregrina : hanc peregrinam misericorditer vidit Deus, et quæsivit non quærentes se. Unde quæsivit? quem misit ad captivitatem nostram? Misit Redemptorem, secundum quod ait Apostolus : *Commendat Deus dilectionem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Misit ergo ad captivitatem nostram redemptorem Filium suum. Porta, inquit, tecum saccum, ferto ibi pretium captivorum. Induit enim se ille mortalitatem carnis, et ibi erat sanguis quo fuso redimeremur. Illo sanguine collegit [1] dispersiones Israel. Et si ille collegit olim dispersos, quomodo satagendum est ut colligantur modo dispersi? Si collecti sunt dispersi, ut in manu artificis ad ædificium formarentur; quomodo colligendi sunt, qui de manu artificis inquietudine ceciderunt? *Ædificans Jerusalem Dominus.* Ecce quem laudamus, ecce cui laudem tota vita nostra debemus. *Ædificans Jerusalem Dominus, et dispersiones Israel colligens.*

5. [*vers.* 3.] Quomodo colligit? quid agit, ut colligat? *Qui sanat contritos corde.* Ecce quomodo colliguntur dispersiones Israel, ut sanentur contriti corde. Qui cor non conterunt, non sanantur. Quid est, conterere cor? Notum sit, charissimi; fiat, ut sanari possitis. Dictum est enim multis aliis Scripturarum locis; et maxime illo loco, voce nostra quidam cantans, dicebat, *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique :* Deo dicebat, *Si voluisses sacrificium, dedissem utique; holocaustis autem non delectaberis.* Quid ergo? Sine sacrificii oblatione remanebimus? Audi quid te velit offerre. Sequitur, et dicit : « Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non spernet » (*Psal.* L, 18, 19). « Sanat » ergo « contritos corde : » quia illis propinquat ut sanet; sicut dicitur alio loco, « Prope est Dominus his qui obtriverunt cor » (*Psal.* XXXIII, 19). Qui obtriverunt cor? Humiles. Qui non obtriverunt cor? Superbi. Contritum sanabitur, elidetur elatum. Ad hoc enim forte eliditur, ut contritum sanetur. Ne velit ergo, fratres, cor nostrum esse erectum, antequam sit rectum [1] : male erigitur, quod non primo corrigitur.

6. *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum. Sanat*, inquit, *contritos corde :* sanat ergo humiliatos corde, sanat confitentes, sanat seipsos punientes, in se severum judicium exercentes, ut possint esse illius misericordiam sentientes. Tales sanat; sed perfecta eorum sanitas transacta mortalitate fiet, quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (I *Cor.* XV, 53, 54); quando nihil erit quod ex carnis labe sollicitet, non solum nihil cui consentiamus, sed nihil quod suggeratur ex carne. Etenim modo, fratres mei, quantæ illicitæ delectationes animum tangunt! Quamvis eis non consentiamus, ut membra nostra justitiæ serviant, non iniquitati; tamen vel delectari talibus, etsi non consentis, nondum est perfecta sanitas. Sanaberis ergo, corde contrito sanaberis. Noli erubescere, contere cor; tales sanat Deus. Sed quid ago, inquies, modo? « Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati. » Quid agis? Contere cor, confitere; age, dic sequentia : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Hoc enim dicere, *Infelix homo*, jam cor conterere est. Ille speret felicitatem, qui confitetur infelicitatem. Dic ergo, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ut respondeatur tibi, *Gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 22-25). Quomodo autem liberabit ipsa gratia Dei, unde nunc pignus accepimus? Audi eumdem Apostolum : « Corpus quidem, » inquit, « mortuum est propter peccatum; spiritus autem vita est propter justitiam. Si ergo Spiritus ejus qui suscitavit Jesum Christum ex mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, per inhabitantem Spiritum ejus in vobis » (*Id.* VIII, 10, 11). Hoc ergo pignus accepit spiritus noster, ut incipiamus fide servire Deo, et ex fide ap-

[1] Potiores Mss. hoc et proximo loco, *colligit.*

[1] Aliquot Mss., *correctum.*

pellari justi : quoniam justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17). Quidquid autem nobis adhuc repugnat et resistit, de mortalitate carnis est; et hoc sanabitur. *Vivificabit* enim, inquit, *et mortalia corpora vestra, per inhabitantem Spiritum ejus in vobis*. Ad hoc pignus dedit, ut compleat quod promisit. Quid ergo nunc in hac vita, quando adhuc confessores sumus, nondum possessores, quid in hac vita, quid fiet? Quomodo curabitur [1]? *Sanat contritos corde;* sed perfecta sanitas tunc erit, quando diximus. Nunc ergo quid? *Alligat contritiones eorum*. Qui curat, inquit, contritos corde, quorum perfecta sanitas in resurrectione justorum erit; alligat modo contritiones eorum.

7. Quæ sunt alligamenta contritionum? Sicut medici alligant fracturas. Aliquando enim; intelligat et hoc Charitas vestra, et notum est eis qui animadverterunt, vel a medicis audierunt : aliquando prave et distorte firmata, ut corrigant medici, frangunt, et faciunt vulnus novum, quia mala erat sanitas prava. Sic ergo *rectæ sunt*, inquit Scriptura, *viæ Domini; sed pravicordius in illis scandalizabitur* (*Oseæ* XIV, 10). Quid est, *pravicordius?* Torticordius, tortum cor habens. Putat torta esse omnia quæ dicuntur a Deo, putat prava esse omnia quæ fecit Deus, et displicent illi omnia judicia Dei, maximeque in quibus ipse corripitur; et sedet, et disputat quam male faciat Deus, quia non pro ejus voluntate facit. Distortum cor, parum est [2] quod non se corrigit ad Deum; et Deum vult distorquere ad se. Quid ergo dicit Deus desuper? Tortus es, æquus sum. Si tu rectus esses, sentires æquitatem meam. Quemadmodum si in pavimento æquali poneres distortum lignum, non collocaretur, undique nutaret, undique agitaretur; quod non loci inæqualitas, sed distortio ligni facit : sicut ait Scriptura, *Quam bonus Israel Deus rectis corde* (*Psal.* LXXII, 1)! Quid ergo? tortum cor quomodo dirigitur? Et tortum est, et durum : jam ergo tortum et durum frangatur, conteratur, ut dirigatur. Tu dirigere cor tuum non potes : tu frange, ille dirigat. Quomodo tu frangis? quomodo tu conteris? Confitendo, puniendo peccata tua. Quid aliud significat pectorum tunsio? Nisi forte putamus ossa nostra aliquid peccasse, cum cædimus pectus. Sed significamus nos cor conterere, ut a Domino dirigatur.

8. *Sanat* ergo *contritos corde*, et contritum cor habentes; et sanitas ipsius cordis tunc erit perfecta, cum et corporis reparatio implebitur quæ promissa est. Nunc interea quid facit medicus? Alligat contritiones tuas, ut possis pervenire ad plenissimam firmitatem [3], donec consolidetur quod fractum est, quod alligatum est. Quæ sunt ista alligamenta? Temporalia Sacramenta. Alligamenta medicinalia sunt contritionis nostræ, Sacramenta interim temporalia, quibus habemus consolationem : et ista omnia quæ loquimur vobis, ipsa quæ sonant et transeunt, quidquid in Ecclesia geritur temporaliter, alligamenta sunt contritionum. Quemadmodum enim medicus perfecta sanitate detrahit ligaturam; sic in illa civitate Jerusalem, cum æquales Angelis facti fuerimus, numquid putatis ibi accepturos nos esse quod hic accipimus [1]? Aut ibi recitandum est nobis Evangelium, ut fides nostra permaneat? aut imponenda est manus ab aliquo præposito? Ista omnia alligamenta fracturæ sunt; perfecta sanitate detrahentur : sed ad eam non perveniretur, nisi alligarentur. *Sanat* ergo *contritos corde, et alligat contritiones eorum*.

9. [*vers.* 4.] *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocans*. Quid magnum Deo numerare multitudinem stellarum? Hoc et homines conati sunt : viderint utrum implere potuerint; non tamen conarentur, nisi se impleturos esse sperarent. Illis dimittamus quid potuerint, et quousque pervenerint : Deo autem puto non esse magnum numerare omnes stellas. An forte numerum, ne obliviscatur, recenset? Magnum est aliquid Deo stellas numerare, cui capilli capitum numerati sunt (*Matth.* X, 30)? Manifestum est, fratres, aliquid velle Deum intelligere nos in eo quod ait, *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis*, inquit, *nomina vocans*. Sunt stellæ quædam lumina in Ecclesia consolantia noctem nostram, omnes de quibus dicit Apostolus : *In quibus apparetis tanquam luminaria in mundo. In ista*, inquit, *natione tortuosa et perversa, in quibus apparetis tanquam luminaria in mundo, verbum vitæ habentes* (*Philipp.* II, 15, 16). Ipsas stellas numerat Deus; omnes secum regnaturos, omnes aggregandos corpori Unigeniti sui numeratos habet, et numerat eos. Qui indignus est, nec numeratur. Et multi crediderunt, vel multi se qualicumque adumbrata specie fidei, populo ejus applicuerunt; novit tamen ille quid numeret, et quid ventilet. Nam tanta est celsitudo Evangelii, ut fieret quod dictum est : *Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum* (*Psal.* XXXIX, 6). Sunt ergo in populis et supernumerarii quodammodo. Quid est, supernumerarii? Plus quam ibi futuri sunt. Intra parietes istos plures sunt, quam futuri sunt in regno Dei, in illa Jerusalem cœlesti; ipsi super numerum sunt. Animadvertat quisque utrum luceat in tenebris, utrum iniquitate sæculi tenebrosa non seducatur; si non fuerit seductus nec victus, tanquam stella erit quam jam numerat Deus.

10. *Et omnibus*, inquit, *eis nomina vocans :* ibi est totum præmium. Habemus nomina quædam apud Deum : ut noverit Deus nomina nostra, hoc optare debemus, hoc agere, hoc satagere, quantum possumus, non de aliis rebus gaudere, nec de donis quibusdam spiritualibus. Videat Charitas vestra : multa dona sunt in Ecclesia, sicut Apostolus dicit, *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii donatio curationum, alii dijudicatio spirituum*, id est, ut dijudicet inter bonos et malos spiritus; *alii linguarum genera, alii prophetia* (I *Cor.*

[1] Am. et plerique Mss., *durabitur*.
[2] Sic Mss. At Edd.: *Distortum cor, pravum cor est, quod non se*, etc.
[3] Laudunensis Ms., *sanitatem*.

[1] Am. Er. et plures Mss.: *Nam quid putatis? ibi accepturos nos esse quod hic accepimus?*

XII, 8-10). Quanta dixit! quam multa dixit! Multi donis talibus male usi audient in fine, *Non novi vos.* Et quid dicturi sunt in fine, qui audient, *Non novi vos? Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* In nomine tuo omnia ista. Et quid dicet eis? *Nunquam novi vos; discedite a me, qui operamini iniquitatem* (*Matth.* VII, 22, 23). Quid est ergo, esse jam lumen cœli consolans noctem, et quod non vincatur a nocte? *Adhuc*, inquit, *supereminentiorem viam vobis demonstro* (I *Cor.* XII, 31). *Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum ut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens.* Quale donum est loqui linguis Angelorum et hominum! Tamen *si charitatem*, inquit, *non habeam, æramentum sum sonans, aut cymbalum tinniens. Si sciero*, inquit, *omnia sacramenta et omnem scientiam, et si habuero omnem prophetiam, et omnem fidem, ita ut montes transferam* (quanta ista dona sunt!); *charitatem autem non habeam*, inquit, *nihil sum.* Quale est illud donum martyrii, et distributionis rerum suarum! Et tamen *si distribuero*, inquit, *omnia mea pauperibus, et tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (*Id.* XIII, 1-3). Qui ergo non habet charitatem, etsi ad tempus habet hæc dona, auferentur ei. Auferetur ei quod habet, quia quiddam non habet : et ipsum quiddam hoc non habet, unde cætera teneantur et ipse non pereat[1]. Quid est illud quod modo ait Dominus : *Qui habet, addetur ei; qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo* (*Matth.* XIII, 12)? Qui ergo non habet, et quod habet auferetur ab eo. Habet gratiam possidendi, sed non habet charitatem utendi : quia ergo illud non habet, et quod habet auferetur ab eo. Propterea discipuli, ut haberent charitatem, quos volebat facere in cœlo stellas ambulantes supereminentem viam, ille *qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocans;* cum redirent discipuli quo missi erant, exsultaverunt, et dixerunt : *Domine, ecce spiritus immundi subjecti sunt nobis propter nomen tuum.* Et ille *qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocans*, sciens multos dicturos esse, *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus?* quibus dicturus est in fine, *Non novi vos;* quia eos non numeravit in multitudine stellarum, nec eis nomina vocavit : *Nolite*, inquit, *in hoc gaudere, quia spiritus vobis subjecti sunt; sed gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X, 17, 20). *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocans.*

11. [*vers.* 5.] *Magnus Dominus noster.* Impletus est gaudio, eructavit ineffabiliter : nescio quid dicere non valebat; et cogitare[2] quomodo valebat? *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et intelligentiæ ejus non est numerus.* Ille ipse qui numerat multitudinem stellarum, numerari non potest : *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et intelligentiæ ejus non est numerus.* Quis hoc exponat? quis digne vel cogitet quod dictum est, *Et intelligentiæ ejus non est numerus?* Atque utinam infundat se vobis, et ubi nos deficimus, quia ipse potens est, ipse illustret mentes vestras, ut sciatis quid sit, *Intelligentiæ ejus non est numerus.* Videtis enim, fratres; numquid est numerus arenæ? Nobis non est, Deo est : cui capilli capitis nostri numerati sunt, et arena numerata est. Quidquid ergo infinitum mundus iste complectitur, etiamsi homini, non tamen Deo[1] : parum dico, Deo; Angelis numeratum est. *Intelligentiæ ejus non est numerus.* Excedit omnes numerarios intelligentia ejus, numerari a nobis non potest. Ipsum numerum quis numerat? Numero numerantur quæcumque numerantur. Si quidquid numeratur, numero numeratur; numeri non potest esse numerus, numerari numerus nullo pacto potest. Quid ergo est apud Deum, unde[2] fecit omnia, et ubi fecit omnia, cui dicitur : *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti* (*Sap.* XI, 21)? Aut quis ipsam mensuram, et ipsum numerum, et ipsum pondus, ubi Deus omnia disposuit, aut numerare potest, aut metiri, aut appendere? Ergo, *Intelligentiæ ejus non est numerus.* Conticescant humanæ voces, requiescant humanæ cogitationes : ad incomprehensibilia non se extendant quasi comprehensuri, sed tanquam participaturi; participes enim erimus. Non hoc quod capimus erimus, nec totum capiemus : sed participes erimus; quia dictum est de Jerusalem, cujus dispersiones colligit, dictum est de illa quiddam magnum : *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum* (*Psal.* CXXI, 3). *In idipsum* quid ait, nisi quod mutari non potest? Cætera quæ sunt creata, aliter et aliter possunt esse; qui autem creavit, aliter et aliter non potest esse. Idipsum ergo ille est, quoniam dictum est ei : *Mutabis ea, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 27, 28). Igitur si ipse idem ipse est, et mutari ex nulla parte potest; participando ejus divinitatem erimus et nos immortales in vitam æternam. Et hoc nobis pignus datum est de Filio Dei, quod jam dixi Sanctitati vestræ, ut antequam efficeremur participes immortalitatis ipsius, fieret ipse prius particeps mortalitatis nostræ. Sicut autem ille mortalis, non de sua substantia, sed de nostra : sic nos immortales, non de nostra substantia, sed de ipsius. Participes ergo erimus : nemo dubitet, Scriptura hoc dixit. Et cujus rei participes erimus, quasi partes sint apud Deum, aut per partes dividatur Deus? Quis ergo explicat quomodo sint participes unius simplicis multi? Non ergo exigatis quod apte dici non posse, puto quia videtis[3] : sed redite ad remedium Salvatoris; conterite cor, confringatur animi duritia, conteratur animi pertinacia, accusetur in malo, renascatur in bono. Diriget ipse, alligabit

[1] Floriacensis Ms., *et ipsum* (subaudi *quiddam hoc*) *non pereat.*

[2] Er. Lugd. Ven., *cogitabat.* M.

[1] Am. Er. et plures Mss., *finitum.* Pauloque post, iidem Edd. cum Lov. ferebant, *etiamsi non homini, tamen est Deo, parum dico*, etc. At Mss. plerique, *etiamsi homini, non tamen*, etc.

[2] Am. Er. et plerique Mss.: *Quid ergo est apud Deum? Inde fecit*, etc.

[3] Er. Lugd. Ven. et Lov.: *Non ergo exigatis quod aperte ante dici non posse puto, quam videatis.* M.

fracturam, consolidabit sanitatem; et non erunt jam impossibilia nobis, quæ modo impossibilia sunt. Bonum est enim ut confiteatur infirmitatem, qui vult pervenire ad divinitatem. *Intelligentiæ ejus non est numerus.*

12. [*vers.* 6.] Ideo quid debeas facere in difficultate intelligendi, ostendit tibi, cum consequenter dicit: *Suscipiens mansuetos Dominus.* Verbi gratia, non intelligis, parum intelligis, non consequeris: honora Scripturam Dei, honora verbum Dei, etiam non apertum; differ pietate intelligentiam. Noli protervus esse accusare aut obscuritatem, aut quasi perversitatem Scripturæ. Perversum hic nihil est; obscurum autem aliquid est, non ut tibi negetur, sed ut exerceat accepturum. Ergo quando obscurum est, medicus illud fecit, ut pulses: voluit, ut exercereris in pulsando; voluit, ut pulsanti aperiret (*Matth.* VII, 7). Pulsando exerceberis; exercitatus, latior efficieris; latior factus, capies quod donatur. Ergo noli indignari quod clausum est; mitis esto, mansuetus esto. Noli recalcitrare adversus obscura, et dicere: Melius diceretur, si sic diceretur. Quando enim potes tu sic dicere aut judicare, quomodo dici expediat? Sic dictum est, quomodo dici debuit. Non corrigat æger medicamenta sua; novit ea medicus modificare: ei crede, qui te curat. Ideo quid sequitur? *Suscipiens mansuetos Dominus.* Noli ergo resistere adversus clausa Dei; mansuetus esto, ut suscipiat te. Si autem resistis, audi quod sequitur: *Humilians autem peccatores usque ad terram.* Multa genera sunt peccatorum: *Humilians autem peccatores usque ad terram;* quos peccatores, nisi contrarios mansuetis? Ex eo quippe quod ait, *Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram;* speciem quamdam peccatorum ex prædicta mansuetudine voluit intelligi. Peccatores ergo hoc loco immites, et eos qui mansueti non sunt, intelligimus. Quare humiliat usque ad terram? Reprehendunt intelligibilia, terrena sensuri sunt.

13. Hoc fecit hominibus qui voluerunt irridere Legem, antequam nossent; non enim fuerunt mansueti. Intelligat Charitas vestra. Exstitit quædam perditissima secta Manichæorum; acceptas Scripturas et lectas irrisit: reprehendere voluit quod non intelligebat, et exagitando et reprehendendo non intellecta, multos illaqueavit. Sed humiliati sunt, qui hoc facere voluerunt, usque ad terram. Non sunt permissi intelligere cœlestia, terrena sapuerunt. Quidquid audis in fabulis ipsorum, nonnisi blasphemia est, et quædam figmenta imaginum corporalium: quandoquidem volentes intelligere Deum, usque ad lucis istius visibilis cogitationem venerunt, ultra ire non potuerunt; et tales campos lucis fecerunt in regno Dei, qualem videbant hunc solem, quasi fructum lucis illius. Totum autem hoc quod per terram carnis tangitur, terra est Deo. Habemus enim unde videamus, unde audiamus, unde odoremus, unde gustemus, unde tangamus. Caro ista per quinque nuntios quosdam, quos appellamus sensus, percipit nonnisi corporalia: intelligibilia vero et spiritualia mente capiuntur. Quia ergo illi obscuritatem Scripturarum irriserunt, quæ propterea clausæ erant, ut pulsantes exercerentur, non ut parvulis negarentur, humiliati sunt usque ad terram, ut cogitare amplius non possent, quam quod per terram percipitur. Per terram quid dico? Per carnem. Caro enim ista terra est, et de terra facta est. Quidquid per oculos capis, ad terram pertinet; quidquid per aures, quidquid per olfactum, quidquid per gustum, quidquid per tactum, ad terram pertinet; quia per terram percipitur. Illi ergo non valebant intelligere intelligentiam, cujus non est numerus; quia, *Intelligentiæ ejus non est numerus.* Reprehendentes Scripturas mysticis quibusdam rebus salubriter tegentes intelligentiam, ut parvuli exerceantur, et ipsa reprehensione immites facti, quod contrarium est mansuetis, humiliati sunt usque ad terram, ut incorporalem Deum sentire non possent, et quidquid de Deo cogitarent, nonnisi corporaliter cogitarent.

14. [*vers.* 7.] *Humilians* ergo est *Deus peccatores usque ad terram.* Quid ergo debemus facere nos, si nolumus humiliari usque ad terram? Quia magnum est proficere usque ad intelligibilia, magnum est proficere usque ad spiritualia, magnum est eo pervenire cor, ut noverit esse aliquid quod non per loca extendatur, nec per tempora varietur. Qualis est enim species sapientiæ? quis illam cogitat? Longa est? quadra est? rotunda est? modo hic et modo ibi est? Cogitat sapientiam nescio quis in Oriente, cogitat illam alius in Occidente: si bene illam cogitant, in tanta locorum diversitate positi, ambobus tota præsto est. Quid est hoc? quis illud capit? Istam substantiam, istam quamdam divinam incommutabilemque naturam quis capit? Noli festinare, poteris capere. Audi quod sequitur: *Incipite Domino in confessione.* Hinc incipe, si vis pervenire ad intelligentiam perspicuam veritatis. Si vis a via fidei perduci ad possessionem speciei, incipe in confessione. Te prius accusa; te accusato, Deum lauda. Invoca quem nondum nosti, ut veniat et sciatur: non ut ipse veniat [1], sed ut te ad se perducat. Quomodo ipse venit unde nunquam discedit? Ipsa est enim perfectio sapientiæ; ubique est, et longe est a malis: ubique est, inquam, et longe est a malis qui ubique sunt. Rogo vos, a quibus longe est quod ubique est? Ubi putatis, nisi quia jacent in dissimilitudine sua, exterminantes in se similitudinem Dei? Dissimiles facti recesserunt; reformati redeant. Unde, inquit, reformabimur? quando reformabimur? *Incipite Domino in confessione.* Post confessionem quid? Sequantur bona opera. *Psallite Deo nostro in cithara.* Quid est, *in cithara?* Quod jam exposui, sicut illud in psalterio psalmus, sic et cithara; non solum voce, sed et opere. *Psallite Deo nostro in cithara.*

15. [*vers.* 8.] Ecce confitemini, operamini opera misericordiæ, *psallite Deo nostro.* Cui *Deo nostro? Qui cooperit cœlum nubibus.* Quid est, *Qui cooperit cœlum*

[1] Plerique Mss., *non ut ipse venias.*

nubibus? Qui contegit Scripturam figuris et sacramentis. Ille qui humiliat peccatores usque ad terram, ille qui suscipit mansuetos, *cooperit cœlum nubibus.* Et quis videat cœlum quod coopertum est nubibus? Noli timere; audi quod sequitur : *Qui cooperit cœlum nubibus, qui parat terræ pluviam. Qui cooperit cœlum nubibus :* expavisti, quia non vides cœlum; cum pluerit [1], fructificabis, et serenum videbis. *Cooperit cœlum nubibus, qui parat terræ pluviam :* forte hoc fecit Dominus Deus noster. Nisi enim haberemus occasionem obscuritatis Scripturarum, ista vobis non diceremus, quibus gaudetis. Hæc ergo fortasse pluvia est ad quam gaudetis. Exprimi vobis per linguam nostram non posset, nisi Deus nubibus figurarum cœlum Scripturarum cooperiret. Ad hoc ergo ille cooperit cœlum nubibus, ut paret terræ pluviam. Ad hoc obscura esse voluit dicta Prophetarum, ut haberent postea servi Dei quod interpretando influerent super aures et corda hominum, excipientium de nubibus Dei saginam lætitiæ spiritualis. *Qui cooperit cœlum nubibus, qui parat terræ pluviam.*

16. *Qui exoriri facit in montibus fenum, et herbam servituti hominum.* Ecce fructus pluviæ. *Qui exoriri,* inquit, *facit in montibus fenum.* Numquid non et in terra humili? Sed quod magnum est, *in montibus.* Montes dicit excelsos sæculi : aliqua magna dignitate præditos, hoc loco montes accipe. Et non est mirum quia duo minuta misit nescio quæ vidua in gazophylacium (*Marc.* XII, 42); terra attulit fenum, terra humilis : et mons attulit. Zacchæus ille major publicanorum (*Luc.* XIX, 2-8); hoc enim erat mirabilius, quia mons attulit fenum. Quanto enim elati sunt homines, tanto avari sunt; et quanto in hoc sæculo majores, tanto plus amant divitias suas. Unde ille tristis abscessit, qui consilium vitæ æternæ petebat a Domino, et appellavit eum magistrum bonum dicens : *Quid faciam ut vitam æternam habeam?* Et ille : *Serva mandata. Quæ?* Et dixit mandata legis. *Hæc omnia feci a juventute mea. Unum,* inquit, *tibi deest. Vis esse perfectus? Vade, vende omnia tua quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me.* Quid dixit Dominus? Ecce mons es, accipe pluviam, et da fenum. Quid enim daturus es? nonne fenum? Etenim ista omnia quæ Ecclesiæ ad necessitates servientium Deo dantur a divitibus, quid sunt, nisi fenum? Carnalia enim sunt, et ad tempus apparentia : sed non inde aliquid carnale conquiritur. De rebus vilibus quid emas attende. Apostolus enim ait, ostendens fenum esse illud, *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus* (I *Cor.* IX, 11)? Et audi quia carnalia fenum sunt. *Omnis caro fenum; et omnis claritas hominis ut flos feni* (*Isai.* XL, 6). Ergo ille tristis abscessit; et ait Dominus : *Quam difficile dives intrat in regnum cœlorum!* Hoc ergo magnum, quia *exoriri facit in montibus fenum.* Et quomodo *exoriri facit in montibus fenum,* si dives ille, audito quod res suas deberet dare pauperibus, tristis abscessit? Quomodo postea respondit Apostolis contristatis? *Quæ hominibus difficilia* [1] *sunt, Deo facilia sunt* (*Matth.* XIX, 16-26). Ergo ille *exoriri facit in montibus fenum,* cui omnia facilia sunt. Nam nihil esset sterilius durissimis montibus. Pluit ille *qui facit exoriri in montibus fenum, et herbam servituti hominum.* Cui *servituti?* Ipsum Paulum attende : *Nos autem,* inquit, *servos vestros per Jesum Christum* (II *Cor.* IV, 5). Qui dicebat, *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus?* servum se dixit. Servimus enim vobis, fratres. Nemo se nostrum dicat quasi majorem vobis esse. Erimus majores, si fuerimus humiliores : *Quicumque autem vult esse major vestrum,* Domini sententia est, *erit vester servus* (*Matth.* XX, 26). Ergo *exoriri facit in montibus fenum et herbam servituti hominum.* Paulus quidem apostolus manibus suis vivens, ipsum fenum montium noluit accipere; voluit indigere [2] : sed tamen montes dabant fenum. Num quia ille noluit accipere, propterea montes dare non deberent, ut steriles remanerent? Debetur pluviæ fructus, debetur servo cibus, sicut Dominus ait : *Manducate quæ ab ipsis sunt.* Et ne putarent aliquid de suo donare : *Dignus est enim,* inquit, *operarius mercede sua* (*Luc.* X, 8, 7).

17. Itaque, fratres, quoniam contigit jam ex ista occasione aliquid loqui vobis (*a*), maxime quia loquimur, talia nos non quærentes a vobis, et ideo liberius dicimus : sed etsi quæreremus, fructum vestrum quæreremus, et non vestras opes [3], sed vestram justitiam : tamen admoneo breviter, quoniam jam multa diximus, et aliquando sermo finiendus est; si vultis non esse steriles, ut reddatis pro pluvia fecunditatem, ne damnetur postea sterilitas vestra (minatur enim Deus terræ sterili et spinosæ ignem (*Hebr.* VI, 7, 8), sicut fructuosæ horreum parat); efficite ut vos ipsos exigatis, efficimini exactores vestri. Christus tacitus exigit; et major est vox tacentis, quia in Evangelio non tacet. Non enim vere tacet, cum dicit : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut et ipsi recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* XVI, 9). Non tacet ipse; audite vocem ejus. Nemo enim vos potest exigere; nisi forte exactione opus est, ut qui vobis in Evangelio serviunt, petant a vobis. Si ad hoc ventum fuerit, ut petant; videte ne quod vos a Deo petitis, frustra petatis. Ergo estote exactores vestri, ne aliquid illi qui vobis in Evangelio serviunt, non dico petere cogantur, nam forte nec coacti petunt; sed ne silentio vos arguant. Unde scriptum est : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem* (*Psal.* XL, 2). Cum dicit, *qui intelligit super egenum et pauperem,* non exspectat ut petat. Intellige super illum. Alius te quærit indigens, alium tu debes quærere indigentem. Utrumque dictum est, fratres mei : et, *Omni petenti te da* (*Luc.* VI, 30), modo lectum est; et alio loco Scriptura dicit, *Sudet eleemosyna in manu tua, quousque invenias ju-*

[1] Mss. post, *cœlum,* habent, *complueris.* Am. et Er., *cum plueris.*

[1] Sic omnes Mss. Edd. vero, *impossibilia.*
[2] Am. et plerique Mss., *noluit indigere.*
[3] Plures Mss., *nostras opes.*
(*a*) Hac de re superius egit apud Carthaginenses, in Psal. CIII, serm. 3, n. 9-12.

stum cui eam tradas. Alius est qui te quærit, alium tu debes quærere. Nec eum qui te quærit relinquas inanem; *Omni* enim *petenti te da:* sed alius est quem tu debes quærere; *Sudet eleemosyna in manu tua quousque invenias justum cui des.* Nunquam hoc facietis, nisi aliquid de rebus vestris sepositum habueritis, quod cuique placet pro necessitate rei familiaris suæ, tanquam debitum quasi fisco reddendum. Si non habet rempublicam suam Christus, non habet fiscum suum. Fiscus enim scitis quid sit? Fiscus saccus est; unde et fiscellæ et fiscinæ dicuntur. Ne putetis quia aliquis draco est fiscus, quia cum timore auditur exactor fisci; fiscus saccus est publicus. Ipsum habebat Dominus hic in terra, quando loculos habebat; et ipsi loculi Judæ erant commissi (*Joan.* XII, 6). Judam traditorem patiebatur Dominus et furem, et in ipso ostendens ubique patientiam suam: tamen illi qui conferebant, in loculos Domini conferebant. Nisi forte putatis, quia Dominus ibat, et petebat, aut indigebat, cui Angeli serviebant, qui de quinque panibus tot millia hominum pavit. Quare ergo egere voluit, nisi ut daret exemplum montibus, ut parerent fenum, ne contra pluviam sterilitatem redderent? Præcidite ergo aliquid, et deputate aliquid fixum[1], vel ex annuis fructibus, vel ex quotidianis quæstibus vestris. Nam quasi de vivo[2] videris dare, et necesse est ut trepidet manus tua, quando illam porrigis ad id quod non devoveras. Exime aliquam partem reddituum tuorum. Decimas vis? Decimas exime, quanquam parum sit. Dictum est enim quia Pharisæi decimas dabant: *Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæcumque possideo* (*Luc.* XVIII, 12). Et quid ait Dominus? *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum* (*Matth.* V, 20). Et ille super quem debet abundare justitia tua, decimas dat; tu autem nec millesimam das. Quomodo superabis eum cui non æquaris? *Qui cooperit cœlum nubibus, qui parat terræ pluviam; qui exoriri facit in montibus fenum, et herbam servituti hominum.*

18. [*vers.* 9.] *Et dat pecoribus escam ipsorum.* Pecora ista dicit, greges Dei. Non fraudat Deus gregem suum esca sua per homines, quorum servituti herbam facit exoriri. Unde dicit Apostolus: *Quis pascit gregem, et de lacte gregis non percipit* (I *Cor.* IX, 7)? *Qui dat pecoribus escam ipsorum, et pullis corvorum qui invocant eum.* Hoc forte putabimus, quia corvi Deum invocant, ut det illis escam? Ne hoc cogitetis, irrationalem animam invocare Deum; non novit anima invocare Deum, nisi sola rationalis. In figura accipite dictum, ne putetis, sicut impii quidam dicunt, revolvi animas humanas ad pecora, ad canes, ad porcos, ad corvos. Hoc a cordibus vestris excludite, et a fide vestra. Anima humana facta est ad imaginem Dei (*Gen.* I, 26); non dabit imaginem suam cani et porco. Quid est ergo, *Et pullis corvorum qui invocant eum?* Qui sunt pulli corvorum? Israelitæ se solos justos esse dicebant, quia Legem acceperant; cæteros omnes omnium gentium homines peccatores dicebant. Et vere omnes gentes in peccato, in idololatria, in adoratione lapidum atque lignorum erant; sed numquid sic remanserunt? Etsi non ipsi corvi patres nostri, tamen pulli corvorum nos ipsi invocamus Deum. *Dat pecoribus escam ipsorum, et pullis corvorum qui invocant eum.* Ipsi sunt pulli corvorum, quibus dicit Petrus: *Quia non corruptibili argento vel auro redempti estis de supervacua vestra consuetudine a parentibus vestris tradita* (I *Petr.* I, 18). Proficientes enim pulli corvorum qui simulacra colere videbantur parentum suorum, conversi sunt ad Deum. Et audis modo pullum corvi invocantem unum Deum. Quid ergo? dimisisti patrem tuum, dicis pullo corvi? Dimisi plane: ille enim corvus non invocans Deum, ego pullus corvi invoco Deum. *Et pullis corvorum qui invocant eum.*

19. [*vers.* 10.] *Non in potentatu equi voluntatem habebit.* Potentatus equi est superbia. Videtur enim equus veluti ad suggestum hominis accommodatus, ut altior incedat. Et revera est in eo cervix, indicans quamdam superbiam. Non se extollant homines in suis dignitatibus, non se sublimes putent honoribus; caveant ne equo indomito præcipitentur. Vide enim quid dictum est in alio psalmo: *Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur.* Hoc est, illi in honoribus temporalibus, nos in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. Propterea illis quid accidit? Videte quid sequitur: *Illis obligati sunt pedes, et ceciderunt; nos vero surreximus, et erecti sumus* (*Psal.* XIX, 8, 9). *Non in potentatu equi voluntatem habebit; nec in tabernaculis viri bene sentiet. In tabernaculis*, inquit, *viri.* Est enim tabernaculum Domini, ipsa sancta Ecclesia toto orbe diffusa. Hæretici dividentes se ab Ecclesiæ tabernaculis, sibi tabernacula posuerunt: non in ipsis tabernaculis viri bene sentiet Deus. Sed pullum corvorum attende dicentem: *Elegi abjici in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* (*Psal.* LXXXIII, 11). Etenim si alicui bono, pio, confitenti infirmitatem suam, pullo corvi invocanti Deum, contingit forte in Ecclesia carere honore temporali; non it extra Ecclesiam, non sibi facit extra Ecclesiam tabernaculum, in quo non bene sentiat Deus: sed quid dicit? *Elegi abjici in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Nec in tabernaculis viri bene sentiet.*

20. [*vers.* 11.] Sed quid adjungit? *Bene sentiet Dominus in timentibus eum, et in his qui sperant in misericordia ejus.* Bene sentit Dominus in timentibus eum: sed numquid sic timetur Deus, quomodo et latro? Nam et latro timetur, et bestia timetur, et homo injustus et potens multum timetur. *Bene sentiet Dominus in timentibus eum:* sed quomodo timentibus eum? *Et in his qui sperant in misericordia ejus.* Ecce timuit eum Judas traditor Christi, sed non speravit in misericordia ipsius. Postea enim pœnituit eum quod tradiderit Dominum, et dixit: *Peccavi, quia tradidi sanguinem justum.* Bene quidem timuisti; sed si sperares in misericordia ejus quem timuisti. Ille desperando abiit,

[1] Plures Mss., *fisco.* Supple, *Christi.*
[2] Sic aliquot Mss. At Edd.: *Nam quasi divino videris*, etc., qui et infra, loco, *devoveras*, habebant, *debueras.*

et laqueo se suspendit. (*Matth.* XXVII, 4, 5). Ergo sic time Dominum, ut speres in misericordia ejus. Si times latronem, ab alio speras auxilium, non ab eo quem times : poscis auxilium ab eo quem non times, adversus eum quem times. Si sic times Deum, et ideo times Deum quia peccator es, a quo accepturus es auxilium adversus Deum? Quo iturus es? quid facturus? Vis ab illo fugere? Ad ipsum fuge. Vis fugere ab irato? Fuge ad placatum. Placabis autem eum, si speres in misericordia ipsius; atque ita de cætero peccare caveas, ut de præteritis depreceris, ut tibi dimittantur a Domino, cui est honor et imperium cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

IN PSALMUM CXLVII
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. Meminit Charitas vestra de psalmo quem modo cantavimus, in hodiernum diem nos distulisse sermonem. Ipse enim erat, et die dominico lectus est, et tractandus ipse susceptus. Sed quia evangelica lectione tunc permoti, præ magnitudine timoris nostri et vestræ utilitatis immorati sumus in eo quod nobis Dominus diem novissimum commendavit, cautosque nos et vigilantes exspectare voluit adventum suum; terrens etiam exemplo, ne damnet judicio; sic futurum dicens adventum filii hominis, sicut in diebus Noe : manducabant et bibebant, emebant, vendebant, nubebant, uxores ducebant, donec introiret Noe in arcam, et venit diluvium, et perdidit omnes (*Matth.* XXIV). Solliciti ergo et magno timore concussi (quis enim si credit, non timeat?), in eo sumus, quantum potuimus, immorati, ut de vestris moribus vitaque vestra et omnium nostrum sermo produceretur, quo possimus illum diem non solum securi exspectare, sed etiam desiderare. Si enim amamus Christum, utique adventum ejus desiderare debemus. Perversum enim est, et nescio utrum verum, quem diligis timere ne veniat; orare, *Adveniat regnum tuum* (*Id.* VI, 10); et timere ne exaudiaris. Unde autem timor? quia judex venturus est? Numquid injustus? numquid malevolus? numquid invidus? numquid postremo ab altero exspectans nosse causam tuam; ne forte ille quem instruxisti, vel prævaricatione te decipiat, vel minori facundia et facultate deficiens, innocentiæ tuæ bonum verbis demonstrare non possit? Nihil horum. Quis ergo venturus est? quare non gaudes? Quis venturus est judicare te, nisi qui venit judicari propter te? Non timeas accusatorem, de quo ipse dixit : *Princeps hujus mundi missus est foras* (*Joan.* XII, 31). Non timeas malum advocatum; ille enim tibi modo advocatus est, qui tunc judex futurus est. Ille erit, et tu, et causa tua ; sermo causæ tuæ, testimonium conscientiæ tuæ. Quisquis ergo futurum judicem times, præsentem conscientiam tuam modo corrige. Parumne tibi est quod præterita non requiret? Sine reliquo spatio temporis tunc judicabit : sed cum quanto spatio temporis modo præcipit? Tunc jam [1] corrigi non licebit : modo quis prohibet? Hoc cum vehementer commendaremus dominico die, quia revera, quia prope hoc solum dicendum est; non parum temporis effluxit, et coacti sumus hunc psalmum susceptum ad tractandum, in hunc diem differre. Modo ipse præsto est; intendamus in eum, imo in Deum qui hos sermones per misericordiam suam in Spiritu suo dispensare dignatus est, ita ut ipse novit expedire infirmitatibus nostris. Quis enim æger consilium medico dare audet?

2. Cum legeretur, credo aut omnes aut multos vestrum animadvertisse quod habeat aliquos versus ad quos aperiendos pulsandum est, maximeque ubi ait : *Qui dat nivem velut lanam, nebulam velut cinerem spargit : qui mittit crystallum suum velut frusta panis; in faciem frigoris ejus quis subsistet?* His enim auditis, quisquis ea accipit ad litteram, opera quidem divina cogitavit. Quis enim dat nivem, nisi Deus? et quis nebulam spargit, nisi Deus? crystallum quis durat, nisi ipse? Et habent hæc tria similitudines congruas oppositas. Neque enim dissimilis est lana nivi, aut cinis nebulæ, aut frusta panis candidi [2] nitori et candori crystalli. Est enim crystallum species quædam in modum vitri, sed candidum est. Hoc autem genus traditur ab eis qui noverunt; unde dubitare non debemus, quoniam fidelissima Scriptura testimonium dicit : traditur ergo crystallum, durata per multos annos et non resoluta nive, ita congelascere, ut resolutio non facilis sit. Nives præteritæ hiemis facile dissolvit æstas adveniens; non enim eis ad confirmandam duritiam accessit annositas. Ubi autem nives multæ per annos multos super invicem missæ fuerint, et copia sua violentiam æstatis evicerint, non æstatis unius, sed multarum, præsertim in his terræ partibus, id est in aquilonia plaga, ubi nec æstate sol perferventissimus invenitur; ipsa diuturna et annosa duritia reddit hanc speciem quæ crystallum dicitur. Intendat Charitas vestra. Quid est ergo crystallum? Nix est glacie durata per multos annos, ita ut a sole vel igne facile dissolvi non possit. Hoc propterea aliquanto diutius exposuimus, quia multi ignorant : nec illi qui hoc forte norunt, de re quam noverunt onerosum debent habere sermonem, adhibitum non propter se, sed propter eos qui non noverunt. Hæc ergo cum audistis personante Lectore, non dubito vos diversa cogitasse; dixisse aliquos, et verum dixisse, Magna opera Domini, unde particula quædam commemorata est, et ipsa terrena, et prope omnibus annis nota, quomodo ningat Deus, quomodo nebulam spargat, quomodo etiam crystallum solidet : alios dixisse sibi, Putasne sine causa ista in Scripturis posita sunt, aut vere hoc totum habent quod sonant? non nobis aliquid innuit nix ista et lana, nebula et cinis, crystallum et panis? Sed quare sic Scriptura loqui voluit, per quasdam quasi caligines similitudinum? quanto melius apertius loqueretur? Quare vel quæro vel hæsito, quid sibi illa

[1] Sic Mss. At Fr. et Lov., *sed quod cum tanto spatio temporis modo præcipit, tunc etiam corrigi*, etc.
[2] Edd., *candido nitori* : dissentientibus Mss.

verba exigant? quare in audiendo vel laboro? quare plerumque audito psalmo indoctus abscedo? Hoc est quod paulo ante dixi : Patere te curari; ita sanandus es. Multum superbus et præceps est æger qui et medicum monere audet, etiam hominem. Consiliumne audebit dare æger medico? Ubi homo ægrotat, et Deus curat, magnum pietatis et sanitatis initium est, antequam scias quare quid dictum sit, credere[1] ita dici debuisse ut dictum est. Hæc enim pietas faciet te capacem ut quæras quod dictum est, et cum quæsieris invenias, et cum inveneris gaudeas. Adsit ergo nobis apud Dominum Deum nostrum iste affectus precum vestrarum; et si non propter nos, certe propter vos donare dignetur quod hic absconditum latet. Modo ergo putate nos, quoniam cujusdam spectaculi et[2] editionis divinæ diem promisimus, pronuntiatis his versibus et nondum expositis, involutas quasdam Editoris nostri sarcinas protulisse. Utique ad hoc involutæ proferuntur, ut evolutæ exspectentur[3] : vos autem non tantum intueri, sed et vestiri paramini.

3. Dixeramus autem die dominico, si meminit Charitas vestra, qui adfuistis, ipsam evangelicam lectionem, quæ nos diutius tenuit, ut Psalmi expositio differretur, congruam lectam fuisse eidem psalmo. Hoc tunc diximus, sed ostendere non valuimus, quia Psalmum distulimus. Hodie itaque demonstranda est et ipsa congruentia. In evangelica illa lectione territi sumus de die novissimo. Terror ille securitatem parturit; territi enim præcavemus, præcaventes securi erimus. Quomodo enim præpostera securitas in terrores impellit, ita ordinata sollicitudo securitatem parit. Territi autem sumus, ne præsentem vitam deficientem, volaticam, transitoriam, sic amemus, quasi alia nulla sit : si enim alia nulla est, amemus hanc. Si alia vita nulla est, feliciores nobis sunt qui ad amphitheatrum hodie vigilarunt. Quid enim ait Apostolus? *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus* (I *Cor.* XV, 19). Est ergo alia vita. Interroget quisque Christum[4] in fide sua : sed dormit fides. Merito fluctuas, quia Christus dormit in navi. Jesus enim dormiebat in navi, et navis fluctuabat in aquis et tempestatibus multis (*Matth.* VIII, 24, 25). Fluctuat ergo cor, quando Christus dormit. Christus semper vigilat : quid est ergo, Christus dormit? Fides tua dormit. Quid adhuc dubitationis tempestate[5] jactaris? Excita Christum, excita fidem tuam : conspice oculis fidei vitam futuram, propter quam credidisti, propter quam signo ejus signaris, qui propterea duxit hanc vitam, ut tibi ostenderet quam sit contemnenda quam diligebas, et quam sit speranda quam non credebas. Si ergo fidem excitaveris, et oculos ejus in novissima miseris, futurumque sæculum in quo gaudebimus post alterum Domini adventum, post judicium peractum, post traditum sanctis regnum cœlorum, si illam vitam cogitaveris, et illius vitæ negotium otiosum, de quo sæpe locuti sumus, charissimi; non fluctuabit negotium nostrum, otiosum negotium plenum solius dulcedinis, nulla interpellatum molestia, nulla fatigatione sauciatum, nulla nube perturbatum. Negotium nostrum quod erit? Laudare Deum, amare et laudare; laudare in amore, amare in laudibus. *Beati qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Quare, nisi quia in sæcula sæculorum amabunt te? Quare, nisi quia in sæcula sæculorum videbunt te? Hoc ergo, fratres mei, quale spectaculum erit in visione Dei? Vident homines venatorem, et delectantur : væ miseris, si non se correxerint! Qui enim vident venatorem, et delectantur, videbunt Salvatorem, et contristabuntur. Quid illis miserius, quibus Salvator saluti non erit? Non ergo mirum quia illis quibus voluptati est homo pugnans, non erit saluti Deus liberans. Nos autem, fratres, si nos in ejus membris meminimus, si concupiscimus, si perseveramus, videbimus et gaudebimus. Erit illa civitas purgatis omnibus civibus suis, nullo admixto seditioso aut turbulento : inimicus ille qui modo invidet, ne ad illam patriam veniamus, illic cuiquam insidiari non potest; quia nec esse ibi permittitur. Si enim modo excluditur de corde credentium, quomodo excludetur de civitate viventium? Quid erit, fratres, quid erit, rogo vos, esse in illa civitate, de qua loqui tantum gaudium est? Huic futuræ vitæ corda præparare debemus : quisquis ei cor præparaverit, totam istam contemnit; contempta ista securum facit exspectare diem de quo exspectando Dominus terruit.

4. Cum ergo psalmus iste dicat nobis et cantet de illa vita futura, Evangelium autem terruerit de præsenti; Psalmus facit amorem futuræ, Evangelium facit timorem præsentis. Nec de futura delectatione tacetur in litteris Novi Testamenti, et multo magis in eis, ubi non tanquam cum involucris quibusdam proferuntur illa quæ intelligenda sunt; sed ibi videntur aperta, ut hic intelligantur obscura. Cum ergo diceret nobis Evangelium, Observate diem novissimum venturum, diem advéntus Filii hominis; quia illos male inventurus est, qui modo securi sunt, ideo quia perverse securi sunt; securi sunt enim in voluptatibus sæculi, cum deberent esse securi domitis cupiditatibus sæculi : jam utique illi vitæ nos præparavit Apostolus, in verbis quæ tunc etiam commemoravi, « De cætero, fratres, tempus breve est : reliquum est ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui emunt, tanquam non ementes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui flent, tanquam non flentes : et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes sint : præterit enim figura hujus mundi. Volo vos sine sollicitudine esse » (I *Cor.* VII, 29-32). Qui gaudium totum suum totamque felicitatem suam constituit in manducando, bibendo, uxorem ducendo, emendo, vendendo, utendo mundo isto, sine sollicitudine est et talis; sed

[1] Ita melioris notæ Mss. At Edd., *et sanitatis indicium est. Antequam scias quare quid dictum sit, crede ita dici debuisse*, etc.
[2] Fr. et Lov. omittunt particulam, *et*, quæ in cæteris libris reperitur.
[3] Floriacensis Ms., *spectentur* : idem hic sonat, *exspectentur*.
[4] Sic Mss. At Edd. loco, *Christum*, habent, *vestrum*.
[5] Mss., *dubitatione ut tempestate* : aut, *velut tempestate*.

præter arcam : væ illi a diluvio. Quisquis autem, sive manducat, sive bibit, sive aliquid agit, omnia in gloriam Dei facit (I *Cor.* x, 31) : et si aliqua tristitia est de rebus sæcularibus, sic flet, ut intus in spe gaudeat; et si aliqua lætitia est in rebus sæcularibus, sic gaudet, ut intus spiritualiter timeat, nec donet se corrumpendum felicitati, nec se det adversitati frangendum (hoc est enim flere tanquam non flentem, et gaudere tanquam non gaudentem) : quisquis et si habet uxorem, ejus infirmitati compatiens, reddit, non exigit debitum; aut si propter propriam infirmitatem ducit uxorem, plangens potius quia sine uxore esse non potuit, quam gaudens quia duxit : quisquis vendit quod novit quia etsi maneret, beatum non faceret; quisquis quod emit, novit quia transiet; et de his omnibus etsi abundantibus, etsi circumfluentibus non præsumit, facitque ex eo quod habet, misericordiam cum eo qui non habet, ut et ipse accipiat quod non habet [1], ab illo qui omnia habet : quisquis talis est, securus exspectat diem novissimum, quia non est præter arcam ; jam inter ligna imputribilia computatur, ex quibus arca fabricatur (*Gen.* vi, 14). Non ergo timeat venturum Dominum ; sed speret, et desideret : non enim veniet illi ad inferendas pœnas, sed ad finiendas molestias. Hoc autem fit desiderio illius civitatis. Quod ergo monuit Evangelium, impletur ejus civitatis desiderio, quam Psalmus cantat [2] : ita congruit Evangelium huic cantico.

5. Et quam civitatem psalmus iste cantat, audiamus. Audiamus, et cantemus; gaudium nostrum, cum hoc audimus, canticum Dei nostri est. Non enim tantum cantamus, quando voce et labiis sonamus canticum; est et canticum intus, quia sunt et aures cujusdam intus. Voce cantamus, ut nos excitemus; corde cantamus, ut illi placeamus. *Aggæi et Zachariæ* (a) Psalmus dicitur. Aggæus et Zacharias prophetæ fuerunt. Erant autem prophetæ isti jam in captivitate Jerusalem illius, quæ in terra portavit umbram cujusdam cœlestis. In illius ergo civitatis captivitate cum essent in Babylonia, prophetaverunt prophetæ isti reparationem Jerusalem, prophetaverunt civitatem novam ex reparatione veteris, liberato populo a captivitate (I *Esdræ* v, 1 ; *et* vi, 14). Agnoscimus et istam captivitatem, si vere agnoscimus nostram peregrinationem. In hoc enim mundo, in his tribulationibus sæculi, in hac turba multiplici scandalorum, quodam modo in captivitate gemimus; sed erigemur : prænuntiatur civitas nostra nova futura æqualis. Nam et post istorum prophetationem, et visibiliter contigit, ut totum explicaretur quod ad persolvendam imaginem pertinebat. Reparata est Jerusalem post septuaginta annos captivitatis. Sic Jeremias propheta septuaginta annis [3], septenario illo numero omnem volubilitatem hujus temporis signat : septenario enim numero volvuntur dies hi, sicut nostis; iidem abeunt, iidem redeunt. Post septuaginta ergo annos, cum prophetavit Jeremias reparari civitatem Jerusalem (*Jerem.* xxv, 12; *et* xxix, 10), factum est, ut et ibi significaretur imago futurorum : significatum est nobis post omnem istam volubilitatem temporis, quæ septenario numero volvitur, futuram illam civitatem nostram jam in æternitate in uno die. In illa quippe habitatione tempus non volvitur, quia habitator ibi non labitur. Hanc cum viderent in spiritu Prophetæ ; videbant illam, dicebant de ista. Sed hæc dicebant de ista, quæ in illam ducerent; et illa omnia quæ fiebant secundum tempus, secundum corporales motiones, secundum actus hominum, signa erant et prænuntiationes futurorum.

6. [*vers.* 12.] Audiamus jam cantari civitatem illam, et erigamur ad eam. Multum enim nobis eam commendat Spiritus Dei, infundens nobis amorem illius, ut ei suspiremus, et in peregrinatione ingemiscamus, et ad illam venire desideremus. Amemus illam, et ipsum amare ambulare est. Ecce amemus illam ex ore sancto, ex ore prophetico et Dei Spiritu dicentis : *Collauda, Jerusalem, Dominum.* In captivitate adhuc constituti, vident illos greges, imo unum gregem omnium civium, undique collectorum ad illam civitatem; vident gaudium massæ, post trituras, post ventilationes jam missæ in horreum, nihil timentis, nihil laboris et molestiæ patientis; et adhuc hic positi, et in ipsa contritione conversantes præmittunt gaudium spei, et anhelant in illam, quasi conjungentes corda sua Angelis Dei, et futuro illi populo secum in gaudio permansuro. *Collauda, Jerusalem, Dominum.* Quid enim factura es, o Jerusalem? Transiet certe et labor et gemitus. Quid factura es? aratura, seminatura, novellatura, navigatura es, negotiatura es? Quid factura es? An in illis operibus, quamvis bonis et de misericordia venientibus, exerceri te adhuc oportet? Considera numerum tuum, considera undique societatem tuam : vide utrum aliquis esuriat, cui porrigas panem; vide si aliquis sitiat, cui des calicem aquæ frigidæ; vide utrum aliquis modo apud te peregrinus est, quem hospitio recipias; vide utrum aliquis sit æger, quem visites; vide utrum aliquis litiget, quem concordes (*Matth.* xxv, 35, 36); vide utrum aliquis moriatur, quem sepelias. Quid ergo factura es? *Collauda, Jerusalem, Dominum;* ecce hoc est negotium tuum. Sicut solet in titulis scribi, Utere felix : *Collauda, Jerusalem, Dominum.*

7. Estote Jerusalem : mementote de quibus dictum est, *Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges* (*Psal.* LXXII, 20). Hi sunt qui modo gaudent talibus pompis : inter illos sunt qui propterea hodie non venerunt, quia munus est. Cui munus est? cui damnum? Aut unde munus? aut unde damnum? Non enim illi tantum qui talia edunt, damno feriuntur; sed majori damno percutiuntur, qui talia libenter intuentur. Illorum arca auro exinanitur; istorum pectus justitiæ divitiis exspoliatur. Plangunt plerique editores, vendentes villas suas : quomodo debent plangere peccatores, perdentes animas suas! Itane ad hoc clamavit Dominus dominico die, *Vigilate*, ut hodie sic vigilaretur? Obsecro vos, o cives Jerusalem,

[1] Am. et Mss. omittunt, *quod non habet.*
[2] Sic Mss. Edd. vero, *quod Psalmus cantat.*
[3] Plerique Mss., *prophetat post septuaginta annos*, etc.
(a) Titulus Psalmi hujus apud LXX.

adjuro vos per pacem Jerusalem, per redemptorem, per structorem, per rectorem Jerusalem, ut convertatis pro illis preces ad Deum. Videant, sentiant quia nugantur; et multum intenti in illa spectacula quæ illis placent, aliquando et se spectent, sibique displiceant. In multis enim jam factum gaudemus; et aliquando nos quoque ibi sedimus, et insanivimus: et quam multos putamus ibi nunc sedere, futuros non solum christianos, sed etiam episcopos? Ex præteritis futura conjicimus; ex his quæ jam facta sunt, quæ Deus facturus est prænuntiamus. Vigilent preces vestræ; non gratis gemitis, fratres. Prorsus illi qui evaserunt, deprecantes pro his qui periclitantur, quia et ipsi fuerunt in numero periclitantium, exaudiuntur; et abstrahet Deus a captivitate Babyloniæ plebem suam, redimet omnino et eruet, et perficietur numerus sanctorum gestantium imaginem Dei. Non ibi erunt, quorum imaginem Deus in civitate sua spernet, et ad nihilum rediget; quia et ipsi in civitate sua [1], hoc est Babylonia, imaginem ejus ad nihilum redegerunt. Erit ille populus laudans Dominum, quem prævidet modo Spiritus prophetiæ; et dicit ut exsultemus in spe, et desideremus ipsam rem. *Collauda, Jerusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion. Collauda*, quia ex multis constas; *lauda*, quia unum facta es. *Multi*, inquit Apostolus, *unum sumus in Christo Jesu* (I *Cor.* x, 17). Quoniam ergo multi, collaudamus; quoniam unum, laudamus. Iidem multi qui unum; quia ille in quo unum, semper unus.

8. Quare, inquit hæc Jerusalem, collaudo Dominum, et laudo Deum meum Sion? Quæ Sion, ipsa Jerusalem. Diversis causis duo nomina. Jerusalem dicta est Visio pacis: Sion dicta est Speculatio. Videte si aliud sonant ista nomina, nisi spectacula; ne putent gentes se habere spectacula, et nos non habere. Aliquando, dimisso theatro aut amphiteatro, cum cœperit ex illa cavea evomi turba perditorum, aliquando tenentes in animo phantasias vanitatis suæ, et memoriam suam pascentes rebus non solum inutilibus, sed et perniciosis, gaudentes in eis tanquam in dulcibus, sed pestiferis; vident plerumque, ut fit, transire servos Dei, cognoscunt ipso habitu vel vestis vel capitis, vel fronte [2] notos habent, et dicunt apud semetipsos et secum: O miseros istos, quid perdunt! Fratres, rogemus Dominum pro benevolentia ipsorum, quia bonum illud putant. Bene nobis volunt: sed qui diligit iniquitatem, odit animam suam (*Psal.* x, 6). Si odit animam suam, quomodo amabit animam meam? Tamen ipsa perversa et inani et vana benevolentia, si benevolentia dicenda est, dolent nos perdere quod amant; oremus ne perdant quod amamus. Videte qualem Jerusalem exhortetur ad laudem, vel potius præsentiat laudaturam. Non enim illius civitatis laudes, tunc cum videbimus et amabimus et laudabimus, voce prophetica exhortandæ et excitandæ sunt: sed propterea modo dicunt hoc Prophetæ, ut potent [3], quantum possunt in hac carne constituti, futura gaudia beatorum, et eructantes in aures nostras, excitent amorem illius civitatis. Ferveamus desiderio, non simus spiritu pigri.

9. [*vers.* 13.] Sed videte qualem Jerusalem dicit laudaturam Deum, et unde laudaturam: perfectione quadam beatitudinis. *Collauda*, inquit, *Jerusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion.* Et quasi diceret, Unde secura laudabo? *Quoniam confirmavit*, inquit, *vectes portarum tuarum.* Attendite, fratres mei. *Confirmavit*, inquit, *vectes portarum tuarum.* Vectium confirmatio non est portarum apertarum, sed clausarum: unde plerique codices habent, *Confirmavit seras portarum tuarum.* Attendat Charitas vestra. Conclusam Jerusalem dicit laudare Dominum. *Collauda, Jerusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion.* Collaudamus modo, laudamus modo, sed inter scandala. Multi quos nolumus, intrant; multi, etsi nolumus, exeunt; ideo crebrescunt scandala: *Et quoniam abundavit iniquitas*, ait Veritas, *refrigescit charitas multorum* (*Matth.* xxiv, 12): propter intrantes, quos dijudicare non possumus; et exeuntes, quos tenere non possumus. Quare hoc? Quia nondum perfectio, nondum illa beatitudo. Quare hoc? Quia adhuc area, nondum horreum. Tunc ergo quid, nisi ut non timeas tale aliquid futurum? *Collauda* enim, *Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion; quoniam confirmavit vectes portarum tuarum. Confirmavit.* Non dixit, Apposuit, tantum: *Confirmavit* [1] *vectes portarum tuarum.* Nemo exeat, nemo intret. Nemo exeat, gaudemus: Nemo intret, timemus. Nec hoc timeas; cum intraveris, dicetur; tantummodo esto in numero virginum quæ portarunt oleum secum.

10. Virgines enim illæ animas significant. Non enim vere quinque erant, sed in quinque illis millia sunt. In numero illo quinario millia intelliguntur, non feminarum tantum, sed et virorum: quia uterque sexus dicitur femina, quia Ecclesia; et uterque sexus, hoc est Ecclesia, dicitur virgo. *Desponsavi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo* (II *Cor.* xi, 2) Paucorum est virginitas in carne, omnium debet esse in corde. Virginitas carnis, corpus intactum; virginitas cordis, fides incorrupta. Ergo dicitur virgo tota Ecclesia, et masculino genere appellatur populus Dei: uterque sexus populus Dei, et unus populus, et unicus populus; et una Ecclesia, et unica columba: atque in hac virginitate millia sanctorum. Ergo quinque virgines omnes animas intraturas in regnum Dei significant; non sine causa quinario numero, quoniam quinque sunt corporis sensus notissimi omnibus. Per quinque enim januas intrat aliquid per corpus ad animam: aut per oculos intrat quod concupiscas male, aut per aures, aut per olfactum, aut per gustum, aut per contactum. Per has quinque januas quisquis non admiserit corruptionem, inter quinque virgines computatur. Admittuntur autem corruptiones per il-

[1] Sic Mss. At Er. et Lov., *et ipsi in captivitate sua et in civitate sua.*
[2] Er. et aliquot Mss., *forte.*
[3] Sic aliquot Mss. Edd. vero, *utpote*; et infra, *gaudia beatorum eructantes in aures nostras, ut excitent*, etc.

[1] Sic Am. et plures Mss. At Lov.: *Nondum dixit, apposuit: tantum confirmavit*, etc. Et paulo post in Edd. legebatur: *Ne hoc timeas cum intraveris. Dicitur tantummodo, esto*, etc.

licita desideria. Quid autem liceat et non liceat, pleni sunt libri Scripturarum. Ergo opus est ut sis in illis quinque virginibus. Non timebis quod dictum est, Nemo intret. Dicitur enim hoc, et fiet hoc; sed cum intraveris: nemo contra te claudet; sed te ingresso, claudentur portæ Jerusalem, et firmabuntur vectes portarum ejus. Nam tu si esse volueris aut non virgo corde, aut, etsi virgo, inter fatuas virgines; foris remanebis, et frustra pulsabis.

11. Quæ sunt fatuæ virgines? Et ipsæ quinque sunt: quæ, nisi animæ quæ habent istam continentiam carnis, ut vitent corruptelas ab omnibus sensibus venientes, quos sensus jam enumeravi? Vitant veluti corruptiones venientes undique, et non in conscientia gerunt bonum suum coram oculis Dei: sed placere inde volunt hominibus, et judicium sequuntur alienum. Favores vulgi aucupantur; viles sibi sunt, cum spectatoribus esse charæ volunt; non eis sufficit conscientia. Merito non portant oleum secum. Oleum autem est ipsa gloriatio, propter nitorem et splendorem. Sed quid dicit Apostolus? Vide virgines sapientes portantes oleum secum: *Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso habebit gloriam, et non in altero* (*Gal.* VI, 4). Hæ sunt ergo virgines sapientes. Stultæ autem accendunt quidem lampades; videntur quidem lucere opera earum: sed deficient, et exstinguentur; quia non de oleo interiore pascuntur. Et dormiunt omnes tardante sponso: quia ex utroque genere hominum obdormiscunt in mortem; et de illis fatuis, et de his sapientibus, tardante adventu Domini, itur in mortem istam corporalem et visibilem, quam somni loco Scripturas ponere notum est omnibus Christianis. Cum diceret de ægrotantibus Apostolus, *Propterea in vobis*, inquit, *multi infirmi et ægri, et dormiunt sufficienter* (I *Cor.* XI, 30): Dormiunt, inquit, moriuntur. Sed ecce venturus est sponsus, et omnes surgent, sed non omnes intrabunt. Deficient opera stultarum virginum, non habentium oleum conscientiæ; non invenient a quibus emant quod illis solebant vendere adulatores. Ab irridentibus enim dicitur, non ab invidentibus: *Ite, emite vobis.* Petierant enim stultæ a sapientibus, et dixerant eis: *Date nobis oleum, quia faces nostræ exstinguuntur.* Quid illæ sapientes? *Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis.* Hoc admonere erat, Quid vobis modo prosunt a quibus emere soletis adulationem? *Et cum eunt*, inquit, *intrarunt illæ, et clausum est ostium* (*Matth.* XXV, 1-13). Cum eunt corde, cum talia cogitant, dum se ab illa intentione alienant, et retro præterita sua recordantur, eunt quasi ad vendentes: et non inveniunt tunc faventes, non inveniunt tunc laudantes, a quibus solebant laudari, et quasi excitari ad bona opera, non robore bonæ conscientiæ, sed incitamento linguæ alienæ.

12. Et illud quod dictum est, *Ne forte non sufficiat nobis*, magna consideratione humilitatis dictum est. Oleum enim quod gestamus in conscientia, judicium est nostrum de nobis ipsis, quales simus; et difficile est ut de se quisque perfecte judicet. Fratres mei, quantumlibet homo proficiat, quantumlibet se ad anteriora extendat, et præterita obliviscatur (*Philipp.* III, 13); si jam dicit sibi, Bene est: procedit regula de thesauris Dei, examinat ad liquidum: et quis gloriabitur castum se habere cor? et quis gloriabitur mundum se esse a peccato (*Prov.* XX, 9)? Sed quid dixit Scriptura? *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam* (*Jacobi* II, 13). Quantumcumque proficias, sperabis in misericordiam. Nam si justitia sine misericordia prolata fuerit, in quolibet quod damnet inveniet. Quæ nos consolatur Scriptura? Quæ hortatur ad misericordiam faciendam, ut omnino crebrescamus in erogando quod amplius habemus. Multa autem superflua habemus, si nonnisi necessaria teneamus: nam si inania quæramus, nihil sufficit. Fratres, quærite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ. Cupiditas vestra non est opus Dei. Forma vestra, corpus vestrum, anima vestra, hoc totum opus Dei. Quære quæ sufficiant, et videbis quam pauca sint. Viduæ suffecerunt duo nummi ad faciendam misericordiam (*Marc.* XII, 42), suffecerunt duo nummi ad emendum regnum Dei. Ad vestiendos toties venatores quid sufficit editori? Videte quia non solum pauca sunt quæ vobis sufficiant; sed nec ipse Deus multa a vobis quærit. Quære quantum tibi dederit, et ex eo tolle quod sufficit: cætera quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cum superflua possidentur.

13. Faciens ergo hujusmodi misericordias, et illam præcipue quæ gratis constat, *Dimitte, sicut dimittimus* (*Matth.* VI, 12); quo nonnisi charitatem erogas, quæ crescit cum erogas: faciens ergo et fervens in ipsis bonis operibus misericordiæ, quæ jam bona opera, ut jam diximus, tunc non erunt necessaria, quia nullus erit miser in quem facienda sit misericordia (*a*); exspectabis securus judicium, non tam securus de justitia tua, quam securus de misericordia Dei, quia et tu misericordiam prærogasti. *Judicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam: superexaltat autem*, inquit, *misericordia judicio*. Ne putetis, fratres, quia tunc non est justus, quando nostri [1] miseretur, aut recedit a regula justitiæ suæ. Et cum damnat, justus est; et cum miseretur, justus est. Quid enim tam justum, quam reddere misericordiam prærogant? Quid tam justum, quam ut in qua mensura mensi fueritis, in ea remetiatur vobis (*Id.* VII, 2)? Da egenti fratri. Cui fratri? Christo. Si ergo quia fratri, Christo; et quia Christo, Deo, qui est super omnia benedictus in sæcula (*Rom.* IX, 5): Deus egere a te voluit; et tu manus retrahis? Certe tu porrigis manum, et petis a Deo: audi Scripturam, *Non sit manus tua porrecta ad accipiendum, et ad dandum collecta* (*Eccli.* IV, 36). Erogari sibi vult Deus ex illo quod dedit.

[1] Sic juxta nonnullos probæ notæ Mss. [*nostri non miseretur*]

(*a*) Supra in Psal. LXXXIII, nn. 8, 11.

Quid enim das quod ille non dedit? quid enim habes quod non accepisti (I *Cor.* IV, 7)? Aut vero, non dico, Deo, sed cuilibet de tuo das aliquid? De illius das, qui jubet ut des. Prærogator esto, non invasor. Hæc ergo faciens, et si bona humilitate dicis de illo oleo, *Ne forte non sufficiat nobis*, intras et clauditur. Audi Apostolum hoc dicentem : *Mihi autem minimum est ut a vobis dijudicer* (*Ibid.*, 3). Quando enim potestis dijudicare conscientiam meam? quando examinare quo animo facio, quidquid facio? quantum possunt homines de alio judicare? Plus homo utique ipse de se; sed Deus plus de homine, quam homo de se. Ergo si talis fueris, intrabis; in quinque illis virginibus eris : cæteræ fatuæ excludentur. Nam hoc habes in Evangelio, Claudetur ostium, et stabunt et clamabunt, *Aperi nobis;* et non aperietur : *Quoniam confirmavit vectes portarum tuarum. Confirmavit*, inquit, *vectes portarum tuarum :* secura sta, secura lauda, sine fine lauda. Fortiter clausæ sunt portæ tuæ; non exit amicus, non intrat inimicus : *Confirmavit vectes portarum tuarum.*

14. *Benedixit filios tuos in te.* Non vagantur foris, non peregrinantur; intus gaudent, intus laudant, intus benedicuntur [1]; intus non parturiunt, quia jam neminem pariunt. Filii sunt, sancti sunt : isti filii sancti jam laudantes et gaudentes, parturiti et parti sunt matre charitate, inclusi sunt colligente charitate. Audi charitatem parturientem illos : qua præditus Paulus apostolus, non solum paternum, sed et maternum cor gerens [2] in filios, *Filii mei*, inquit, *quos iterum parturio* (*Gal.* IV, 19). Cum Paulus eos parturiebat, charitas parturiebat; cum charitas eos parturiebat, Dei Spiritus parturiebat : charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V, 6). Ergo colligat quos parturivit et peperit. Modo jam intus filii sunt, securi sunt : volarunt de nido timoris, volarunt in cœlestia, volarunt in æterna; jam nihil metuunt temporale.

15. [*vers.* 14.] *Benedixit filios tuos in te.* Quis? *Qui posuit fines tuos pacem.* Quomodo exsultastis omnes [3]? Hanc amate, fratres mei. Multum delectamur, quando clamat de cordibus vestris pacis dilectio. Quomodo vos delectavit? Nihil dixeram, nihil exposueram; versum pronuntiavi, et exclamastis. Quid de vobis clamavit? Dilectio pacis. Quid ostendi oculis vestris? Unde clamatis, si non amatis? unde amatis, si non videtis? Invisibilis est pax. Quis est oculus quo visa est, ut amaretur? Neque enim acclamaretur, nisi amaretur. Hæc sunt spectacula quæ exhibet Deus rerum invisibilium. Quanta pulchritudine intellectus pacis corda vestra percussit? Quid jam ego loquar de pace, aut de laude pacis? Prævenit omnia verba mea vester affectus : non impleo [4]; non possum, infirmus sum. Differamus omnes laudes pacis ad illam patriam pacis. Ibi eam plenius laudabimus, ubi eam plenius habebimus. Inchoatam in nobis si sic amamus, perfectam quomodo laudabimus? Ecce hoc dico, o filii dilecti [1], o filii regni, o cives Jerusalem, quoniam in Jerusalem visio pacis est; et omnes qui amant pacem, benedicuntur in ea, et ipsi intrant cum clauduntur portæ, et firmantur vectes. Hanc quam nominatam sic amatis et diligitis, ipsam sectamini, ipsam desiderate; ipsam in domo, ipsam in negotio, ipsam in uxoribus, ipsam in filiis, ipsam in servis, ipsam in amicis, ipsam in inimicis diligite.

16. Ipsa est pax quam non habent hæretici. Quid agit pax in hujus adhuc regionis incertis, in ista peregrinatione mortalitatis nostræ; cum adhuc nemo est alteri conspicuus, nemo videt cor alterius? quid agit pax? De incertis non judicat, incognita non confirmat; proclivior est ad bene credendum de homine, quam ad male suspicandum. Non se multum dolet errare, cum bene credit etiam de malo; perniciose autem, cum male sentit forte de bono. Nescio qualis sit [2] : quid perdo, si credo quia bonus est? Si incertum est, licet ut caveas, ne forte verum sit; non tamen damnes, tanquam verum sit. Hoc pax jubet. *Quære pacem*, ait, *et sequere eam* (*Psal.* XXXIII, 15). Hæresis quid monet? Damnat incognitos, damnat totum mundum : Periit totus mundus, nullus est Christianus, Africa remansit. Bene judicasti. De quo tribunali dicis tu sententiam in orbem terrarum? in quo foro ante te mundus stetit? Nolo mihi credatur, sed nec tibi : Christo credatur, Spiritui Dei per Prophetas credatur, Legi Moysi credatur. Quid dixit Moyses de futuris his temporibus? Ad Abraham dictum est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18). An dubitas quid sit semen Abrahæ? Puto quia cum Apostolus dixerit, non dubitabis : aut si et de Apostolo dubitabis, quære, Pax, pax; et non est pax (*Jerem.* VI, 14)? Quid dicit Apostolus? *Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit, Et seminibus, tanquam in multis; sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus* (*Galat.* III, 16). Ecce ante millia annorum dictum est Abrahæ, *In semine tuo benedicentur omnes gentes :* quod ante millia annorum dictum est, et ab uno creditum, modo jam videmus impletum. Hac legimus, hac intuemur, et tu resistis de transverso veniens? Quid dicturus? Noli credere. Cui? Spiritui Dei? Deo loquenti ad Abraham? Et cui credo? Tibi? Non hoc dico, inquies. Non hoc dicis? non dicis : Mihi potius crede, quam Spiritui Dei et Deo loquenti ad Abraham? Quid ergo mihi dicis? Ille tradidit, et ille tradidit. De Evangelio recitas hoc, de Apostolo, de Prophetis? Discute omnes Scripturas, lege mihi hoc ex eis quibus credo; tibi enim non credo. Unde lecturus es? Hoc mihi pater meus, ait, hoc mihi avus meus, hoc mihi frater meus, hoc mihi episcopus meus. Sed hoc Abrahæ Deus : *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Audit unus homo et credit, et fit in multis post multa tempora. Quando dictum est, creditur : quando impletum est, dubitatur? Hoc

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *benedicunt.*
[2] Sic Mss. Edd. vero, *et maternum amorem congerens*, etc.
[3] Aliquot Mss. omittunt, *omnes.*
[4] Lugd. Ven. et Lov., *implebo.* M.

[1] Aliquot Mss., *dilectionis.*
[2] Ita plerique Mss. At Edd., *Perniciosa autem, cum male senserit forte de bono nesciens qualis sit.*

ergo dixit Moyses, dicant et Prophetæ. Vide commercium emptionis nostræ. Christus pendet in ligno; vide quanto emit, et sic videbis quid emit. Empturus est aliquid; ipsum aliquid nondum scis. Vide, vide quanti, et videbis quid. Sanguinem fudit, sanguine suo emit, sanguine Agni immaculati emit, sanguine unici Filii Dei emit. Quid emptum est sanguine unici Filii Dei? Adhuc vide quanti. Propheta dixit longe antequam fieret: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Magnum pretium video, Christe [1]; videam quid emisti: *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ.* In uno eodemque psalmo emptorem video, et pretium, et possessionem. Emptor Christus est, pretium sanguis, possessio orbis terrarum. Voces ipsas propheticas audiamus, contradicentes litigatoribus hæreticis. Ecce possessio Domini mei. Jus [2] lego in psalmo, *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium.* Et vide jurgantem, vide jus defendentem: *Quoniam ipsius est regnum, et ipse dominabitur gentium* (*Psal.* xxi, 17, 18, 28, 29). Ipse qui emit Christus, non qui apostatavit Donatus. *Adorabunt:* recte, *adorabunt omnes patriæ gentium in conspectu ejus.* Quare recte? *Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium.* Illud Moyses, hoc Prophetæ, et alia multa millia. Quis numerat testimonia de Ecclesia toto terrarum orbe diffusa? quis numerat? Non sunt tot hæreses contra Ecclesiam, quot sunt testimonia Legis pro Ecclesia. Quæ pagina non hoc sonat? quis versus non hoc loquitur? Omnia clamant pro unitate dominica, quia posuit fines Jerusalem pacem. Tu contra ista latras, hæretice! Unde merito dicitur in illa civitate, quod scriptum est in Apocalypsi, *Canes foras* (*Apoc.* xxii, 15). Tu contra ista latras. Unde judicasti de orbe terrarum, ut dicere cœperam? quo tribunali? Præsumptione videlicet cordis tui. Altum tribunal, sed ruinosum. Dixit hoc Moyses, dixerunt hoc Prophetæ; et nondum credunt, qui se christianos videri volunt [3]!

17. Torquebatur quidam dives apud inferos, desideravit aquæ stillam de digito contempti ante januam suam pauperis, quoniam urebatur in flammis. Et cum ei non daretur, quia *judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam;* cum ergo ei non daretur, dixit ad Abraham: *Pater Abraham, mitte Lazarum. Habeo ibi quinque fratres; annuntiet eis quæ hic patior, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum.* Et quid illi Abraham? *Habent illic Moysen et Prophetas.* Et ille: *Non, pater Abraham; sed si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Et Abraham: *Si Moysen*, inquit, *et Prophetas non audiunt, nec si quis a mortuis resurrexerit, credent* (*Luc.* xvi, 19, 31). De quibus dixit, *Habent ibi Moysen et Prophetas?* De his utique qui adhuc vivebant, quibus adhuc tempus correctionis largum erat, qui nondum venerant in loca illa tormentorum. *Habent ibi*, inquit, *quos audiant, Moysen et Prophetas.* Non credunt his, *sed si quis a mortuis resurrexerit, credent. Si Moysen et Prophetas non audiunt, nec si quis a mortuis resurrexerit, credent.* Sententia Abrahæ est. Abrahæ sententia ubi, et unde? De quodam excelso loco, et pleno quietis et felicitatis, quem vidit ille, qui cruciabatur in flamma, levatis oculis suis; quando in ejus gremio, id est in ejus secreto, vidit pauperem feliciter exsultantem: inde prolata est ista sententia. Vide de quo tribunali. Ibi enim habitat Deus, quia in sanctis habitat Deus. Unde optat Apostolus et dicit, *Dissolvi et esse cum Christo, multo magis optimum* (*Philipp.* i, 23): et latroni illi dicitur, *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* xxiii, 43). Ergo Dominus cum Abraham et in Abraham manens dixit istam sententiam: *Habent ibi Moysen et Prophetas; si illos non audiunt, neque si aliquis a mortuis resurrexerit, credent ei.* O hæretici, habetis hic Moysen et Prophetas: adhuc vivitis, adhuc potestis audire, adhuc licet corrigi, animositatem frenare; veritatem tenere adhuc conceditur: disceptate vobiscum utrum audiendus sit Moyses et Prophetæ, qui fidei suæ testimonia tanta [1] exhibuerunt; cum videamus sic currere res humanas, ut ab ipsis prædictæ sunt. Quid dubitatis adhuc credere Moysi et Prophetis? quid dubitatis audire? An forte quæritis resurgentem a mortuis, utrum et ipse vobis dicat de Ecclesia sua? Quæsivit hoc dives apud inferos, aliquem mitti ex mortuis ad fratres suos: reprehensus est quia hoc quæsivit; sufficere debuerunt fratribus ejus Moyses et Prophetæ. Ad hoc ille frustra quæsivit, ut vos jam exemplo admoniti, ne frustra et sero quærentes, sicut ille torqueamini. Audiatis Moysen et Prophetas. Quid dixit Moyses? *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quid dixerunt Prophetæ? *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ.* Adhuc mihi dicturus es: Surgat aliquis ex mortuis; ego non credo, nisi aliquis inde venerit, et dixerit? O Domine, gratias misericordiæ tuæ: voluisti mori, ut aliquis ab inferis surgeret; et ipse aliquis, non quicumque, sed Veritas surrexit ab inferis. Qui verum de inferis diceret, etsi ad inferos non veniret; tamen propter voces imperitorum malorum, ecce ipse mortuus est, ecce resurrexit ab inferis. Quid dicis, hæretice? quid dicis? Modo te audiam, finitæ sunt omnes excusationes tuæ; etsi verba diceres, divitis apud inferos constituti, surrexit a mortuis Christus: dignaris vel ipsum audire? Ecce quod forte similis diviti mortuo vivus desiderabas, surrexit ab inferis [3]: non pater tuus, non avus tuus, non illi surrexerunt qui nescio quos nomine traditionis infamaverunt. Sed ecce non infamaverunt, verum dixerunt; vis nosse quam nihil ad me? Audiamus simul quid dixerit qui surrexit ab inferis. Quid pluribus immorer? Audiamus, jam aperiatur Evangelium, legatur quod factum est tanquam fiat: po-

[1] Sic aliquot Mss. Edd. vero, *Christi.*
[2] Sic legendum cum Er. et melioris notæ Mss. [*Vis lego*, etc.]
[3] Corb. Ms., *nolunt.*

[1] Sic aliquot Mss. Alii vero cum Edd., *tantum.*
[2] Edd., *derides*, dissentientibus Mss.
[3] Ita Mss. At Am. et Er.: *Ecce quia forte similis es diviti mortuo, vivos desiderabas surgere ab inferis.* Sic etiam editio Lov., nisi quod loco, *vivos*, habet, *vivus.*

nantur ante oculos nostros gesta præterita, propter cavenda futura. Ecce Christus surgens a mortuis, ostendit se discipulis suis. Nuptiæ ipsius; ipse sponsus, Ecclesia sponsa. Ecce sponsus qui dicebatur mortuus, absumptus, finitus; ecce integer resurrexit, ecce ostenditur oculis discipulorum, ecce præbetur contrectantibus manibus, ecce tetigerunt cicatrices, quæ desperatæ sunt vulnera [1]. Exhibuit se oculis eorum videndum, manibus contrectandum : putant spiritum esse; desperaverunt enim de salute sua. Exhortatur eos, confirmat in fide : *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*. Tangunt, gaudent, trepidant. *Et cum adhuc trepidarent præ gaudio;* sic habes scriptum. Etsi certa sunt, quæ multum læta sunt vix creduntur. Dubitatio quædam veluti tardius credentis, condit voluntatem tenentis [2]. Necesse est ut plus homo gaudeat, cum venerit quod desperaverat. Nam ad ipsum gaudium condiendum et augendum, noluit se statim cognosci. Tenuit visus discipulorum suorum, illorum duorum quos invenit in via colloquentes jam in desperatione, et dicentes : *Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel*. Putaverant hoc, jam non putabant. Jam spes cum eis non erat, et Christus cum eis erat : sed qui se reddidit, et spem reduxit. Postea ergo dixit, posteaquam eum illi in panis fractione cognoverunt, et obtulit se aliis discipulis suis, cum putarent spiritum esse, *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum adhuc præ gaudio trepidarent : Habetis hic, ait, quod manducetur?* Accepit, benedixit, manducavit, et dedit eis. Expressa est veritas corporis, ablata est omnis suspicio falsitatis. Quid deinde? *Non sciebatis quia oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me?* Et quia illi credebant Moysi et Prophetis : verum enim erat quod dixit Abraham, *Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent :* quia ergo credebant Moysi et Prophetis, et non erant de ipsis quos reprehendit Abraham, audierunt quod ait Dominus, *Non sciebatis quia oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me?* Ecce qui crediderunt Moysi et Prophetis, videte quemadmodum ex ipsorum testimonio credunt ei qui surrexit a mortuis : *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas; et dixit eis, Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et a mortuis resurgere tertia die*.

18. Habes jam sponsum Ecclesiæ. Et non hinc tacuit Moyses, non hinc tacuerunt Prophetæ, Christum resurrecturum a mortuis tertia die; passurum, resurrecturum. Descriptus est nobis sponsus, ut non erremus. Sed nescio qui existunt, et quia non erramus in sponso, et ipsi videntur ea quæ et nos credere de sponso, ut a membris sponsi nos avocent, dicunt nobis : Ipse est quidem sponsus quem creditis, quem et nos credimus : sed sponsa non est ipsa Ecclesia quam tenetis. Et quæ illa est? Pars Donati. Et hoc est quod tu dicis : hoc tu dicis, an sponsus? Tu dicis, an Deus per Moysen? Ecce per Moysen Ecclesiam teneo : dictum est a Moyse, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Tu dicis, an Spiritus Dei per Prophetas? Ecce per Prophetas Ecclesiam teneo : dictum est per Prophetam, *Commemorabuntur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ*. Ecce jam teneo testimonium Legis et testimonium Prophetarum; audiamus et eum qui surrexit a mortuis. Ostendit se sponsum, tenemus eum. Confirmavit demonstrando, exhibendo testimonia. Hoc enim Moyses, hoc Prophetæ, *quia oportebat pati Christum, et resurgere tertia die*. Jam ergo quia tenemus ambo sponsum ex ipsis verbis, et puto quia jam incipis mecum credere et his verbis Moysi, et Prophetis; credamus et ei qui resurrexit a mortuis. Sequatur, et dicat. O Domine, video jam sponsum Christum; factum est : ne quis me avocet a membris sponsæ tuæ, et non sis mihi caput, si ego in membris ejus non fuero; dic mihi et de Ecclesia aliquid; quia jam de sponso ejus non dubito. Audi et de Ecclesia. Sequitur et dicit : *Prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum*. Nihil verius, *prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum*. Sed hoc ubi? Alii enim dicunt, *Ecce hic;* alii, *Ecce illic*. Et quid ipse? *Nolite credere : exsurgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dicent, Ecce hic, et ecce illic* (*Matth*. XXIV, 23, 24). Non enim de ipso capite dicunt, *Ecce hic, et ecce illic;* notum est enim quod Christus in cœlis est : sed de Ecclesia ubi Christus est, qui ait, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Id*. XXVIII, 20). Sed ait Dominus : *Nolite credere :* qui dicit, *Ecce hic, et ecce illic*, partes ostendit; ego totum emi. Dicat mihi hoc Evangelium : dic hoc ipse ex Evangelio, quia jam resurrexisti a mortuis, ut credant tibi qui credunt Moysi et Prophetis; dic mihi hoc tu. Audio : *Oportebat Christum pati et resurgere tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (*Luc*. XXIV, 13-47). Quid est, hæretice? Certe cum recitarem Moysen, cum recitarem Prophetas, distulisti ad eum qui resurrecturus erat a mortuis : ecce resurrexit, ecce dixit; tam nullam habet dubitationem Ecclesia Christi et uxor Christi, quam nullam habet dubitationem corpus Christi, demonstratum oculis, contrectatum manibus discipulorum. Ecce qui resurrexit a mortuis utrumque ostendit : ostendit caput, ostendit membra; ostendit sponsum, ostendit sponsam. Aut utrumque mecum crede, aut illud in damnationem tuam credis. Quid enim quia resurrexit a mortuis, quia in eodem corpore resurrexit? Bene, quia cicatrices ostendit; quia ut crucifixus est, ut sepultus, ita redditus, ita demonstratus : optime credis; audi illum loquentem in quem credis. *Prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum*. Ubi? Per latas terras. Si vellem illud ego dicere, jam luctans adversus hæreticos, jam pugnans, jam habens cum

[1] Am., *qui desperati sunt vulnere*. Er. et aliquot Mss., *qui desperati sunt vulnera*.
[2] Videtur legendum, *voluptatem tenentis*.

illis conflictum tantæ quæstionis; non illud dicerem sic contra præsentes hæreticos, quomodo illud dixit ille contra futuros. Quid vis amplius? Remissio peccatorum in Christi nomine prædicatur. Ubi? *Per omnes gentes.* Unde? Incipiens *ab Jerusalem.* Communica huic Ecclesiæ. Quare litigamus? Cœpit enim hæc Ecclesia ab Jerusalem ista terrena, ut gaudeat inde Deo in illa Jerusalem cœlesti. Ab hac enim incipit, ad illam terminat. In illa tota Ecclesia erit[1], ab ista exordium fidei sumpsit.

19. Lege Actus Apostolorum, si forte mentior, quomodo ibi erant congregati discipuli, cum veniret Spiritus sanctus; ut ostendatur tibi quod dixit Dominus, *Incipientibus ab Jerusalem;* quomodo linguis omnium locuti sunt in quos venit Spiritus sanctus (*Act.* I, 4-14; *et* II, 1-12). Quare non vis loqui omnium linguis? Ecce ibi omnes linguæ sonuerunt. Quare modo cui datur Spiritus sanctus, non loquitur omnium linguis? Hoc enim tunc erat indicium venientis in homines Spiritus sancti, ut linguis omnium loquerentur. Modo quid dicturus es, hæretice? quia non datur Spiritus sanctus? Non dico, Ubi[1]? Datur, an non datur? Si non datur; quid est quod agitis, loquendo, baptizando, benedicendo? Quid est quod agitis? Inania celebratis. Ergo datur. Si datur; quare linguis omnium non loquuntur quibus datur? Numquid defecit donum Dei, aut minor est fructus? Creverunt zizania, sed et triticum: *Sinite utraque crescere usque ad messem* (*Matth.* XIII, 30). Non dixit, Crescant zizania, decrescat frumentum; utrumque crevit. Quare non apparet modo Spiritus sanctus in linguis omnibus? Imo vero apparet in linguis omnibus: tunc enim nondum erat Ecclesia per terrarum orbem diffusa, ut membra Christi in omnibus gentibus loquerentur. Tunc implebatur in uno, quod prænuntiabatur in omnibus. Jam totum corpus Christi loquitur omnium linguis: et quibus nondum loquitur, loquetur. Crescet enim Ecclesia, donec occupet omnes linguas. Quod vos deseruistis, quousque crevit! Tenete nobiscum quousque accessit, ut nobiscum perveniatis ad quæ nondum accessit. Loquor omnium linguis, audeo tibi dicere. In corpore Christi sum, in Ecclesia Christi sum: si corpus Christi jam omnium linguis loquitur, et ego in omnibus linguis sum; mea est græca, mea est syra, mea est hebræa, mea est omnium gentium, quia in unitate sum omnium gentium.

20. Ergo, fratres, cœpit Ecclesia ab Jerusalem; iit per omnes gentes: quid evidentius hoc testimonio Legis, Prophetarum, ipsius Domini? Apostolorum ubique personant voces, reddentes testimonium spei nostræ in unitate corporis Christi. Gaudete in frumentis, tolerate zizania, gemite in tritura, suspirate in horreum. Veniet illud tempus quo gaudebimus, confirmatis vectibus portarum Jerusalem. Intret qui intraturus est. Qui illuc manifestus intrabit, huc fictus non intrat. Qui autem huc fictus intrat, foris est. Foris est, et nescit: ventilabrum probabit, vectes probabunt. Qui modo vere intus et veraciter intus, ibi firmiter intus: qui autem hic tolerando intus, ibi gaudendo intus. Fines enim Jerusalem pax; quia, *Posuit*, inquit, *fines tuos pacem.* Modo desideramus pacem, quam hic habemus in spe. Adhuc enim in nobis ipsis qualis pax? Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem (*Galat.* V, 17). Ubi plena pax in uno homine? Quando erit plena in uno homine, tunc erit plena in omnibus civibus Jerusalem. Quando erit plena pax? Quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (I *Cor.* XV, 53): tunc plena pax, tunc firma pax; nihil litigat adversus animam in homine, non ipsa adversum se, ex quadam parte saucia; non carnis fragilitas, non indigentia corporis, non fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo, non ulla inopia, non provocatio rixæ, non certe ipsa sollicita cautela et vitandi inimici et diligendi. Hæc omnia, fratres mei, litigant adversum nos; nondum est plena et perfecta pax. Quod clamastis jamdudum nominata pace, ex desiderio clamastis; clamor vester de siti fuit, non de saturitate: quia ibi erit perfecta justitia, ubi perfecta pax. Modo esurimus et sitimus justitiam. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* V, 6). Quomodo ipsi saturabuntur? Cum ad pacem venerimus. Ideo cum dixisset, *Qui posuit fines tuos pacem;* quia ibi saturitas et nulla indigentia, subdidit statim, *Et adipe frumenti satians te*

21. Fratres, quoniam pax ipsa de qua loquimur, nondum est in totis nobis, id est in unoquoque nostrum tota, adhuc forte spiritum vestrum delectat audire: sed si nihil resistit et rebellat ex corpore, finiemus Psalmum. Fatigatos vos nunquam sentio; tamen vereor, novit Deus, ne oneri sim vobis aut quibusdam fratribus: et video studia multorum exigentium de me hunc laborem et hunc sudorem, quem credo in Domino non futurum infructuosum. Gaudeo tantam esse voluptatem in veritate verbi Dei, ut studium vestrum bonum in bono et de bono, vincat studium insanorum qui sunt in amphitheatro. Numquid illi si tam diu starent, adhuc spectarent? Ergo, fratres, audiamus cætera, quia hoc vultis. Adsit Dominus, adsit et viribus et mentibus nostris. *Qui posuit fines tuos pacem*, ad illam Jerusalem dicit: *et adipe frumenti satians te.* Transit fames et sitis justitiæ, succedit saturitas. Qui ibi erit adeps frumenti, nisi panis ille qui descendit de cœlo ad nos (*Joan.* VI, 51)? In patria ipsa quomodo saturabit, qui in peregrinatione sic pavit?

22. [*Vers.* 15.] Jam modo de ipsa peregrinatione nostra locuturus est, qua venitur ad illam Jerusalem ubi collaudabimus Dominum, laudabimus Dominum Deum nostrum, nos Jerusalem, nos Sion, quando confirmabuntur vectes portarum nostrarum. Etenim ille qui tunc satiabit adipe frumenti, quid facit in ista peregrinatione? Hoc quod sequitur: *Qui emittit verbum suum terræ.* Ecce in terra laboramus fessi, languidi, pigri, frigidi: quando levaremur ad adipem

[1] Er. Lugd. Ven. Lov.: *Non dico tibi ubi.* M.

frumenti et satietatem [1], nisi mitteret verbum suum terræ, qua gravabamur; terræ, qua impediebamur a reditu? Misit verbum suum, non deseruit etiam in eremo, pluit manna de cœlo. *Qui emittit verbum suum terræ;* et venit ad terras verbum ejus. Quomodo? aut quod est verbum ejus? *Usque in velocitatem currit verbum ejus.* Non dixit, Velox est verbum ejus: *currit verbum ejus usque in velocitatem.* Intelligamus, fratres; non potuit eligere melius verbum. Calidus calore calescit, frigidus frigore frigescit, velox velocitate velox fit. Quid calidius ipso calore, quo calescit quidquid fit calidum? Quid frigidius ipso frigore, quo frigescit quidquid frigidum fit? Quid ergo velocius ipsa velocitate, qua velox fit quidquid velociter currit? Possunt dici multa velocia, et alia magis et alia minus; et tanto quæque res velox est, quanto est particeps velocitatis. Illa res magis est particeps velocitatis; ergo magis velox: aut minus particeps velocitatis; ergo minus velox. Ipsa itaque velocitate quid velocius? Ergo quo usque currit? *Usque in velocitatem.* Quantum vis auge quod velox est verbum, et dic: Velocius est quam illud aut illud, quam aves, quam venti, quam Angeli. Numquid aliquid horum tantum, quanta ipsa velocitas, usque in ipsam velocitatem? Velocitas ipsa quid est, fratres? Ubique est, non est in parte. Hoc pertinet ad Verbum Dei, non esse in parte, ubique esse per seipsum Verbum, ex quo Dei Virtus et Dei Sapientia est (I *Cor.* I, 24), nondum assumpta carne. Si cogitemus Deum in forma Dei, Verbum æquale Patri; ipsa est Sapientia Dei, de qua dictum est: *Attingit a fine usque ad finem fortiter* (*Sap.* VIII, 1). Quanta velocitas! *Attingit a fine usque ad finem fortiter.* Sed forte immobilitate attingit. Si immobilitate, tanquam moles aliqua saxea impleat locum aliquem; dicitur quod attingit ejusdem loci a fine usque ad finem, non tamen motu. Quid ergo dicimus? non habet motum Verbum illud, et Sapientia illa stolida est? Et ubi est quod dicitur de Sapientiæ Spiritu? Cum multa dicerentur: *Acutus*, inquit, *mobilis*, *certus*, *incoinquinatus* (*Id.* VII, 22). Sic utique sapientia Dei mobilis. Si ergo mobilis; quando hoc tangit, illud non tangit? aut hoc tangit, illud deserit? Et ubi est velocitas? Hoc facit velocitas, ut et ubique semper sit, et nusquam inclusa teneatur. Sed cogitare ista non possumus; pigri sumus. Quis ista cogitet? Et revera, fratres, quoniam dixi quomodo potui (si tamen potui, si intellexi), et quomodo potuistis intellexistis. Sed quid dicit Apostolus? *Ei autem qui potens est facere supra quam petimus, aut intelligimus* (*Ephes.* III, 20). Quid hic ostendit? Quia quotiescumque intellexerimus, non intelleximus sicuti est. Quare hoc? *Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam* (*Sap.* IX, 15). Ergo in terra frigidi sumus. Velocitas enim fervens est; et omnia ferventia velociora, omnia frigida tardiora. Nos tardi, ergo frigidi. Illa autem Sapientia currit usque in velocitatem. Ergo ferventissima est; nec est qui se abscondat a calore ejus (*Psal.* XVIII, 7).

[1] Am. et Mss., *ad adipem frumenti satiantem.*

23. [*vers.* 16.] Nos ergo, qui frigidi corporis tarditate, vinculo terrenæ vitæ hujus corruptibilis onerati, nullamne spem habemus ad capiendum Verbum, quod usque in velocitatem currit? An vero ille quamvis ex corpore in infima depressos deseruit? Nonne ipse prædestinavit nos, antequam in isto mortali et pigro corpore nasceremur? Qui ergo prædestinavit nos, dedit terræ nivem, ipsos nos. Jam enim veniamus ad illos Psalmi versus subobscuros; incipiant illa involucra evolvi: quoniam vos verbum Dei, quanto magis per nos dicitur, tanto avidiores invenit. Ecce nos pigri in hac terra quasi congelavimus hic. Et quomodo contingit nivibus; sursum enim gelant, et in ima decidunt: sic frigescente charitate decidit humana natura in has terras, et pigro corpore involuta velut nix facta est. Sed in ista nive sunt prædestinati filii Dei. Dat enim ille *nivem velut lanam.* Quid est, *velut lanam?* Id est, de nive quam dedit, de istis pigris adhuc spiritu et frigidis quos prædestinavit, facturus est aliquid. Lana enim materies vestis est: lana cum videtur, veluti præparatio est aliqua ad vestem. Ergo quia prædestinavit hos qui ad tempus frigidi repunt in terra, et nondum fervent spiritu charitatis (de prædestinatione enim adhuc loquitur), veluti lanam dedit hos Deus; facturus est inde vestem. Merito in monte vestis Christi fulsit, sicut nix (*Matth.* XVII, 2). Fulgebat vestis Christi, sicut nix, tanquam de illa lana jam facta erat tunica; de qua lana, id est de nive quam dedit sicut lanam, adhuc prædestinati, pigri erant: sed exspecta, vide quid sequatur; quia sicut lanam dedit eos, fit inde tunica. Quomodo enim dicitur Ecclesia corpus Christi, dicitur et vestimentum Christi ipsa Ecclesia: inde est illud quod ait Apostolus, *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam* (*Ephes.* V, 27). Ergo exhibeat sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam; faciat sibi vestem de illa lana quam prædestinavit in nive. Adhuc in hominibus incredulis, et frigidis, et pigris, faciat vestem de hac lana. Ut abluatur a maculis, mundetur fide; ut rugam non habeat, tendatur in cruce. *Qui dat nivem sicut lanam.*

24. Jam si prædestinati sunt, vocandi sunt. *Quos enim prædestinavit, illos et vocavit* (*Rom.* VIII, 30). Jam quomodo vocantur ex languore corporis illius, ut sani fiant? quomodo vocantur? Audi Evangelium: *Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam* (*Matth.* IX, 13). Incipit ergo jam prædestinatione nivis illius [1] cognoscere torporem suum, accusare peccatum suum; incipit vocatione venire ad pœnitentiam. Merito ergo *qui dat nivem velut lanam*, propter confectum tunicæ futuræ; etiam propter vocationem in pœnitentiam, *nebulam velut cinerem spargit. Nebulam*, inquit, *velut cinerem spargit:* quis? *Qui dat nivem sicut lanam.* Quos enim prædestinavit, vocat in pœnitentiam; quia *quos prædestinavit, illos et vocavit.*

[1] Plerique Mss., *prædestinatione vis illius.* Nonnulli vero: *prædestinatione aliquis cognoscere.* Forte legendum, *nix illa.*

vit. Cinis autem ad pœnitentiam pertinet. Audi vocantem ad pœnitentiam, cum exprobravit quibusdam civitatibus, dicens : *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim*, inquit, *in cilicio et cinere pœnitentiam egissent* (*Matth.* XI, 21). Ergo *nebulam velut cinerem spargit*. Quid est, *Nebulam velut cinerem spargit?* Cum vocatur quisque ad intelligendum Deum, et dicitur illi, Cape veritatem, incipit velle capere veritatem, non sufficit, videt se quamdam caliginem pati, quam antea non videbat. Ad hoc est [1] ergo illa nebula, ut noveris nescire te, et noveris quid scire oporteat, et videas te invalidum ad illud sciendum quod oportet sciri. Nam si in ista nebula jam ante præsumpseris scire, audies ab Apostolo : *Qui se putat aliquid scire, nondum scit quemadmodum oporteat eum scire* (I *Cor.* VIII, 2). Ergo nondum comprehendisti, adhuc nebulam pateris. Sed non te deseruit qui accendit tibi lucernam carnis suæ. Non erras [2] in nebula; fide sequere. Sed quia conaris videre, et non potes, pœniteat te peccatorum; quia nebula velut cinis sparsa est. Jam te pœniteat contumacem te fuisse adversus Deum; jam te pœniteat secutum te fuisse vias tuas malas. Pervenisti in istam difficultatem illius beatæ visionis; et erit tibi salubris nebula quam sicut cinerem spargit Deus. Tu ipse es adhuc nebula, sed velut cinis. Adhuc enim pœnitentes volutantur in cinere, fratres mei, tanquam similes se contestantes, dicentes Deo suo : *Cinis sum*. Dixit enim quædam Scriptura : *Despexi meipsum et distabui, et æstimavi me terram et cinerem* (*Job* XXX, 19). Hæc est humilitas pœnitentis. Quando Abraham loquitur ad Deum suum, et quando vult sibi aperiri incendium Sodomorum : *Ego*, inquit, *terra et cinis sum* (*Gen.* XVIII, 27). Quomodo fuit ista semper humilitas in magnis et sanctis viris? *Nebulam* ergo *velut cinerem spargit* : quare? Quia *quos prædestinavit, illos et vocavit*, qui non venit *vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam*.

25 [*vers.* 17, 18.] *Qui mittit crystallum suum velut frusta panis*. Non denuo laborandum est dicere quid sit crystallum. Prælocuti enim sumus, et credo non excidisse Charitati vestræ. Quid est ergo, *Mittit crystallum suum velut frusta panis?* Quomodo nix illa ipsius, quia prædestinatorum est; quomodo nebula illa ipsius, quia ipsi vocantur ad pœnitentiam, qui prædestinati sunt ad salutem : sic est quodammodo crystallum ipsius. Quid est crystallum? Multum obduruit, multum congelavit; non jam sicut nix facile solvi potest. Nix multorum annorum tempore durata et serie sæculorum, crystallum dicitur : et hoc mittit velut frusta panis. Quid hoc sibi vult? Fuerunt nimis duri, non jam nivi, sed crystallo comparandi : et ipsi prædestinati sunt, et vocati; et quidam eorum ita ut pascerent alios, et essent utiles et aliis. Et quid opus est ut numeremus multos forte quos novimus, illum aut illum? Occurrit unicuique cogitanti, ex iis quos novit, quam forte duri et pertinaces et obnitentes adversus veritatem fuerunt, et modo prædicant veritatem : facti sunt frusta panis. Quis ille unus panis? *Multi*, inquit Apostolus, *Unum corpus sumus in Christo* (*Rom.* XII, 5) : *unus panis, unum corpus multi sumus*, ipse dicit (I *Cor.* X, 17). Ergo si unus panis totum corpus Christi, membra Christi frusta panis sunt. De quibusdam duris facit membra sua, et utilia ad alios pascendos. Quid imus per multos? Notissimum illum Paulum apostolum intueamur. Nihil nobis isto viro notius, nihil suavius, nihil in Scripturis familiarius est. Et si fuerint qui ex tanta duritia, in quanta ipse fuit, panis fierent [1]; ipso proposito ad exemplum, omnes occurrant, ut explicetur sensus iste, *Mittit crystallum suum sicut frusta panis*. Ecce crystallum erat apostolus Paulus, durus, obnitens veritati, clamans adversus Evangelium, tanquam indurans adversus solem. Iste quam durus fuit, crescens in Lege, eruditus ad pedes Gamalielis Legis doctoris (*Act.* XXII, 3)! Non audiebat Moysen et Prophetas Christum prædicantes? Magna duritia! Certe Gentes non audierant Prophetas, non audierant Moysen : frigidi erant, sed crystallum non erant. Ille qui credebat [2] in verbis prædicantibus Christum, et Christo venienti non credebat, nimis obduraverat. Quia ergo crystallum erat, nitidus videbatur et candidus; sed durus et nimium gelidus. Quomodo nitidus et candidus? *Hebræus ex Hebræis, secundum Legem Pharisæus*. Vide nitorem crystalli. Audi duritiam crystalli : *Secundum æmulationem persequens Ecclesiam Christi* (*Philipp.* III, 5, 6). Inter lapidatores sancti Stephani martyris, ibi erat iste durus, et forte cæteris durior : omnium enim lapidantium vestimenta servabat, ut omnium manibus lapidaret (*Act.* VII, 57).

26. Ergo videmus nivem, nebulam, crystallum : bonum est ut ille spiret, et solvat. Si enim ille non spiraverit, si non ipse duritiam glaciei hujus dissolverit, *In faciem frigoris ejus quis subsistet? In faciem frigoris ejus*, cujus? Dei. Unde est ejus frigus? Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam : solvatur homo, si potest, glacie stultitiæ. Non potest [3]. Quare non potest? *In faciem frigoris ejus quis subsistet?* Vide ergo congelascentem illum, et dicentem : *Video alium legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Ecce frigesco, ecce congelasco; quo calore solvar, ut curram? *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? In faciem frigoris ejus quis subsistet?* Et quis seipsum liberabit, si ille deseruerit? Et quis liberat? *Gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 23-25). Audi et hic gratiam Dei : *Qui mittit crystallum suum sicut*

[1] Sic Er. et plures Mss. At Am. et Lov., *adhuc est*.
[2] Sic Mss. Edd. vero, *erres*.

[1] Sic meliores Mss. At Er. et Lov., *qui ex tanta duritia convertuntur, in quanta ipse fuit, panis fient. Ipso*, etc.
[2] Plerique Mss., *creverat*.
[3] Sic Mss. At Am. et Lov., *si potest gratiæ, non potest stultitiæ. Quare*, etc. Er., *si non potest gratiæ, non potest stultitiæ : Quare*, etc.

frusta panis : in faciem frigoris ejus quis subsistet? Ergo desperatio est? Absit. Sequitur enim : *Emittet verbum suum, et tabefaciet ea.* Non ergo desperet nix, non desperet nebula, non desperet crystallum. De nive namque tanquam de lana, conficitur tunica. Nebula illa in pœnitentia salutem invenit; quia *quos prædestinavit, illos et vocavit.* Sed licet sint inter prædestinatos durissimi, et multo quasi tempore congelaverint, et crystallum facti fuerint; non erunt duri misericordiæ Dei. *Emittet verbum suum, et tabefaciet ea.* Quid est, *tabefaciet?* Ne forte in malo intelligatis *tabefaciet*; liquefaciet, dissolvet. Duri sunt enim per superbiam. Merito et superbia stupor dicitur; quidquid enim stupidum est, frigidum est Rigorem passi homines quotidie dicunt, Obstupui. Ergo superbia stupor est. *Emittet verbum suum, et tabefaciet ea.* Et revera cumuli nivis cum calefiunt [1], deliquescunt in humilitate. Quomodo ergo quasi montem nivis erigit stupor, sic stultos erigit superbia. *Emittet verbum suum, et tabefaciet ea.* Ecce venit illud crystallum Saulus post cædem et lapidationem Stephani, duritia quadam stupidus in Christum, petiit litteras a sacerdotibus, ut undique exhibeat Christianos, anhelans cædes. Durus est iste et gelidus contra ignem Dei. Sed quanquam [2] esset durus, quanquam gelidus, ecce ille qui *emittet verbum suum, et tabefaciet ea,* clamavit de cœlo fervidus, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 1-4)? Una illa voce, tanta illa duritia crystalli resoluta est. *Emittet* ergo *verbum suum, et tabefaciet ea.* Non desperetur de crystallo; quanto minus de nive, vel de nebula? De ipso crystallo non desperetur. Audi vocem quamdam crystalli : *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus.* Sed quare solvit crystallum Deus? Ne de se nix ipsa desperet. Ait enim, *Ideo misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam* (I *Tim.* I, 13, 16). Clamat ergo Deus ad gentes: Solvi crystallum, venite nives. *Emittet verbum suum, et tabefaciet ea; spirabit spiritus ejus, et fluent aquæ.* Ecce crystallum et nives resolvuntur, eunt in aquas; qui sitiunt, veniant et bibant. Saulus durus ut crystallum, Stephanum est persecutus ad mortem; Paulus jam in aqua viva gentes vocat ad fontem. *Spirabit spiritus ejus, et fluent aquæ.* Spiritus fervens : unde dictum est in alio psalmo, *Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in austro* (*Psal.* CXXV, 4). Captiva enim Jerusalem tanquam congelaverat in Babylonia : flat auster, solvitur rigor captivitatis, et currit in Deum fervor charitatis. *Spirabit spiritus ejus, et fluent aquæ.* Fiet in eos fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV, 14).

27. [*vers.* 19.] *Annuntians verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel.* Quas justitias? quæ judicia? Quia et quidquid hic humanum genus ante perpessum est, cum esset nix, et nebula, et crystallum, merito perpessum est superbiæ et elationis in Deum. Recurramus ad originem casus nostri, et videamus quia verissime in psalmo cantatur : *Priusquam humiliarer, ego deliqui.* Sed qui dicit, *Priusquam humiliarer, ego deliqui*; ipse dicit, *Bonum mihi est quoniam humiliasti me, ut discam justificationes tuas* (*Psal.* CXVIII, 67, 71). Has ergo justificationes a Deo didicit Jacob, qui fecit ipsum Jacob luctari cum Angelo; in cujus Angeli persona ipse Dominus erat luctatus. Tenuit, vim fecit ut teneret, invaluit ut teneret: fecit se teneri misericordia, non infirmitate. Luctatus ergo Jacob prævaluit, tenuit; et quem videbatur vicisse, rogat ut benedicatur ab eo (*Gen.* XXXII, 24-26). Quomodo intelligebat cum quo luctatus fuerat, quem tenuerit? Quare violenter est luctatus, et tenuit? Quia *regnum cœlorum vim patitur, et qui vim faciunt, diripiunt illud* (*Matth.* XI, 12). Ergo quare luctatus? Quia cum labore. Quare vix tenemus quod facile amisimus? Ne facile recipiendo quod amisimus, discamus perdere quod tenemus. Laboret homo ut teneat; tenebit ad firmitatem quod tenuerit post laborem. Ergo hæc judicia sua Deus manifestavit Jacob et Israel. Apertius dicam : id est, quia et justi qui hic sunt, labores, pericula, molestias, passiones pro merito patiuntur, justo judicio Dei. Quia ille solus potest dicere, sine causa hic se passum; quamvis ideo non sine causa, quia propter nos : qui solus potest dicere, *Quæ non rapui, tunc exsolvebam* (*Psal.* LXVIII, 5); qui solus dicere potuit, *Ecce venit princeps hujus mundi, et in me nihil inveniet.* Et quasi diceretur ei, Quare ergo pateris? sequitur et dicit: *Sed ut sciant omnes quia voluntatem Patris mei facio, surgite, eamus hinc* (*Joan.* XIV, 30, 31). Cæteri omnes merito suo, judicio Dei, et pro justitia qui patiuntur, non sibi arrogent, quasi passionem innocentiæ [1], qualis in Christo erat. Audi apostolum Petrum: *Tempus est*, inquit, *ut judicium incipiat a domo Domini.* Exhortans martyres et testes Dei, ut omnes minas frementis sæculi patientissime tolerent, ait illis : Tempus est *inchoationis judicii ex domo Dei. Si autem initium a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio? et si justus vix salvus fit, peccator et impius ubi parebunt* (I *Petr.* IV, 4, 17, 18)? *Annuntians verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel.*

28. [*vers.* 20.] *Non fecit sic universæ genti.* Nemo vos fallat : non nuntiatum est alicui genti hoc judicium Dei, quomodo patiantur et justi et injusti : quomodo pro merito omnes; quomodo in gratia Dei, non in suis meritis liberentur ipsi justi. Non annuntiatum est hoc universæ genti; sed soli Jacob, soli Israel. Quid ergo nos facimus, si non annuntiavit universæ genti, sed tantum Jacob, tantum Israel? Ubi erimus nos? In Jacob et in Israel. *Judicia sua non manifestavit eis.* Quibus? Omnibus gentibus. Et quomodo vocatæ sunt nives, soluto crystallo? quomodo vocatæ sunt gentes, justificato Paulo? Quomodo, nisi ut essent in Jacob? Præcisus est oleaster, ut insereretur in olivam (*Rom.* XI, 17). Jam ad olivam pertinent; jam

[1] MS., *tabefiunt.*

[2] MSS. Hic et infra loco, *quanquam*, constanter habent, *quantum.*

[1] Sic aliquot MSS. At Edd., *et pro justitia quæ patiuntur, non sibi arrogent, quasi habeant passionem innocentiæ.*

non debent dici gentes, sed una gens in Christo, gens Jacob, gens Israel. Quare gens Jacob et gens Israel? Quia Jacob de Isaac, Isaac de Abraham. Abrahæ autem quid dictum est? *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Hoc idem dictum est ad Isaac, hoc et ad Jacob (*Gen*. XXII, 18; XXVI, 4; XXVIII, 14). Pertinemus ergo ad Jacob; quia pertinemus ad Isaac, pertinemus ad Abraham. Semen enim Abrahæ, non me vel quolibet homine, sed Apostolo sancto interpretante, Christus est: et ipse ait, *Non dicit, Et seminibus tanquam in multis: sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus* (*Galat*. III, 16). Si unum semen, unus Jacob, unus Israel, et omnes gentes unus [1] in Christo. Ergo ad omnes pertinet gentes, quod revelavit ipsi Jacob et ipsi Israel; et illi soli in aliis gentibus deputandi sunt, qui nolentes credere in Christum, nolunt recedere ab oleastro et inseri olivæ. Remanebunt in silvosis rami [2] steriles et amari. Gaudeat Jacob. Quid est Jacob? Supplantator; quia supplantavit fratrem Jacob (*Gen*. XXVII, 36). *Cæcitas* enim *ex parte Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret* (*Rom*. XI, 25). De Jacob factus est Israel. Quid est Israel? Jam omnes audiamus, omnes Israel, sive qui hic estis in membris Christi, sive qui foris et non foris; et per omnes gentes ubique foris, ubique intus; audiat ipse Israel, qui ex Jacob factus est Israel. Quid est Israel? Videns Deum. Ubi videbit Deum? In pace. In qua pace? Pace Jerusalem; quia, *Posuit*, inquit, *fines tuos pacem*. Ibi laudabimus, omnes unus in uno ad unum erimus; quia deinceps multi dispersi non erimus.

IN PSALMUM CXLVIII
ENARRATIO.

SERMO AD PLEBEM.

1. [*vers*. 1.] Meditatio præsentis vitæ nostræ in laude Dei esse debet: quia exsultatio sempiterna futuræ nostræ vitæ, laus Dei erit; et nemo potest idoneus fieri futuræ vitæ, qui non se ad illam modo exercuerit. Modo ergo laudamus Deum: sed et rogamus Deum. Laus nostra lætitiam habet, oratio gemitum. Promissum est enim nobis aliquid quod nondum habemus; et quia verax est qui promisit, in spe gaudemus: quia tamen nondum habemus, in desiderio gemimus. Bonum est nobis perseverare in desiderio, donec veniat quod promissum est, et transeat gemitus, succedat sola laudatio. Propter hæc duo tempora, unum quod nunc est in tentationibus et tribulationibus hujus vitæ, alterum quod tunc erit in securitate et exsultatione perpetua, instituta est nobis etiam celebratio duorum temporum, ante Pascha, et post Pascha. Illud quod est ante Pascha, significat tribulationem in qua modo sumus: quod vero nunc agimus post Pascha, significat beatitudinem in qua postea erimus. Ante Pascha ergo quod celebramus, hoc et agimus: post Pascha autem quod celebramus, significamus quod nondum tenemus. Propterea illud tempus in jejuniis et orationibus exercemus; hoc vero tempus relaxatis jejuniis in laudibus agimus. Hoc est enim, *Alleluia*, quod cantamus; quod latine interpretatur, ut nostis, Laudate Dominum. Ideo illud tempus ante resurrectionem, hoc tempus post resurrectionem Domini est. Quo tempore significatur vita futura, quam nondum tenemus; quia quod significamus post resurrectionem Domini, tenebimus post resurrectionem nostram. In capite enim nostro nobis utrumque figuratum est, utrumque demonstratum est. Passio Domini ostendit nobis vitam præsentis necessitatis, quia oportet laborare, et tribulari, et ad extremum mori: resurrectio vero et clarificatio Domini ostendit nobis vitam quam accepturi sumus, cum venerit retribuere digna dignis, mala malis, bona bonis. Et quidem modo mali omnes cantare nobiscum possunt, *Alleluia*: si autem in malitia sua perseveraverint, canticum vitæ nostræ futuræ labiis dicere poterunt; ipsam vero vitam, quæ tunc erit in ea veritate quæ nunc significatur, obtinere non possunt; quia noluerunt meditari, antequam veniret, et tenere quod venturum erat.

2. Nunc ergo, fratres, exhortamur vos ut laudetis Deum; et hoc est quod nobis omnes dicimus, quando dicimus, *Alleluia*. Laudate Dominum, dicis tu alteri, dicit ipse tibi: cum se omnes exhortantur, omnes faciunt quod hortantur. Sed laudate de totis vobis [1]; id est, ut non sola lingua et vox vestra laudet Deum, sed et conscientia vestra, vita vestra, facta vestra. Etenim laudamus modo in ecclesia quando congregamur; cum quisque discedit ad propria, quasi cessat laudare Deum. Non cesset bene vivere, et semper laudat Deum. Tunc desinis laudare Deum, quando a justitia, et ab eo quod illi placet, declinas. Nam si a vita bona nunquam declines; lingua tua tacet, vita tua clamat; et aures Dei ad cor tuum. Quomodo enim aures nostræ ad voces nostras, sic aures Dei ad cogitationes nostras. Non potest autem fieri ut habeat mala facta, qui habet bonas cogitationes. Facta enim de cogitatione procedunt; nec quisquam potest aliquid facere, aut ad aliquid faciendum membra movere, nisi primo præcesserit jussio cogitationis: quomodo de interiori palatio, quidquid jusserit Imperator, per imperium Romanum emanat, quidquid videtis agi per provincias. Quantus motus fit ad unam jussionem Imperatoris intus sedentis? Movet solum ille labia, cum loquitur; et movetur omnis provincia, cum fit quod loquitur. Sic et in unoquoque hominum intus est imperator, in corde sedet: si bonus bona jubet, bona fiunt; si malus mala jubet, mala fiunt. Cum ibi sedet Christus, quid potest jubere, nisi bona? Cum possidet diabolus, quid potest jubere, nisi mala? In tuo autem arbitrio Deus [2] esse voluit, cui pares locum, Deo, an diabolo: cum paraveris, qui possidebit, ipse imperabit. Ergo, fratres, non tantum ad sonum attendite: cum laudatis Deum, toti laudate; cantet vox, cantet vita, cantent facta.

[1] Edd., *unum*; dissentientibus Mss.
[2] Sic aliquot Mss. At Edd., *ramis*.

[1] Sic Mss. At Am. et Lov.: *Sed laudate totis votis, id est*, etc. Er.: *Sed laudate totis votis, de totis vobis*, etc.
[2] Edd., *te esse voluit*. Particula, *te*, abest a Mss.

Etsi est adhuc gemitus, tribulatio, tentatio; sperate transitura omnia, et illum venturum diem quo sine defectu laudabimus. Ecce iste psalmus, quoniam manifestus est, currendus est nobis. Distribuit enim universam creaturam laudantem Deum, et tanquam hortatur ut laudet, quasi invenerit tacentem.

3. *Laudate Dominum de cœlis*. Quasi invenerit tacentes in cœlis laudem Domini, exhortatur ut surgant et laudent Nunquam cœlestia laudes Conditoris sui tacuerunt, nunquam terrestria Deum laudare cessarunt. Sed plane sunt quædam quæ habent spiritum laudandi Deum in eo affectu quo eis placet Deus. Nemo enim laudat, nisi quod ei placet. Sunt autem alia quæ spiritum vitæ et intellectum ad laudandum Deum non habent, sed quia et ipsa bona sunt, et in ordine suo integre disposita, et ad pulchritudinem universitatis referuntur, quam condidit Deus; ipsa quidem per se voce sua et corde suo non laudant Deum; sed cum ab intelligentibus considerantur, per ipsa laudatur Deus; et cum per ipsa laudatur Deus, quodam modo et ipsa laudant Deum. Verbi gratia, laudant Deum in cœlo omnia quæ habent spiritum vitæ, et intellectum purum ad eum contemplandum et sine fastidio et defectu diligendum. Laudant autem Deum in terra per intellectum discernendi bonum et malum, per intellectum cognoscendi creaturam et Creatorem, homines qui ista cogitant, quibus tribuit Dominus mentem discernendi ista, delectandi atque laudandi. Homines possunt: pecora numquid habent hujusmodi intellectum? Si haberent hujusmodi intellectum pecora, non nobis diceret Deus: *Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* xxxi, 9). Quando hortatur nos ut non simus sicut pecora, sine intellectu, ostendit nobis quia homini tribuit intellectum ad laudandum Deum. Arbores numquid vel vitam ipsam habent, qua sentiant sicut pecora? Nam pecora, etsi sensum interiorem rationalem et mentem intelligentem atque discernentem non habent, quam homo habet, ut laudent Deum: habent tamen vitam manifestam, sicut omnes novimus [1], appetendi cibum, utilia sumendi, noxia respuendi; sensus corporalia discernendi; visum ad colores, auditum ad voces, olfactum ad odores, gustatum ad sapores, motus vel ad voluptates; vel a molestiis [2]. Intelligimus hæc, et videmus ante oculos nostros. Non habent rationem intelligendi; sed habent spiritum corporis animati, et vitam manifestam: arbores autem nec ipsam habent; et tamen omnia laudant Deum. Quare laudant Deum? Quia cum ista videmus, et consideramus Creatorem qui ea fecit, de illis nascitur in nobis laus Dei; et cum ipsorum consideratione laudatur Deus, omnia laudant Deum. Cœpit ergo iste de cœlo: laudant omnia, et dicit, *Laudate*. Quare, cum laudent, dicit, *Laudate?* Quia delectatus est in eo quod laudant, et placuit ei quasi adjungere hortationem suam. Quomodo si venias ad homines bonum aliquod operantes cum gaudio, sive in vinea, sive in messe, sive in alia agricultura; placet tibi quod faciunt, et dicis, Facite, agite: non ut tunc incipiant facere, quando dicis; sed quia placet tibi quod facientes inveneris, adjungis gratulationem et exhortationem tuam. Dicendo enim, Facite, et exhortando facientes, voto quasi facis cum illis. In hac ergo exhortatione plenus Spiritu Propheta dicit hæc.

4. Et Psalmus est *Aggæi et Zachariæ:* sic habet titulum. Isti duo prophetæ, eo tempore quo captivus populus tenebatur in Babylonia, prophetabant jam futurum finem captivitatis, ut restauraretur civitas Jerusalem (I *Esdræ* v, 1, 2; *et* vi, 14), quæ bello ceciderat. Significaverunt ergo nobis in mysterio vitam futuram, ubi laudabimus Deum post captivitatem vitæ præsentis; ubi erit innovatio civitatis illius magnæ Jerusalem unde peregrini suspiramus, captivati adhuc sub onere et sarcina corporis mortalis; unde adhuc gemimus in peregrinatione, exsultabimus autem in patria. Qui autem non gemit peregrinus, non gaudebit civis; quia desiderium non est in illo. Prophetæ ergo isti sancti magnam consolationem præbuerunt tunc captivato populo secundum carnem, id est, constituto in Babylonia sub regibus alienigenis. Ostendebant enim per prophetiam, futurum tempus liberationis a captivitate, instaurationis Jerusalem. Sed illa omnia in figura gesta sunt (I *Cor.* x, 6); habent veritatem suam: figurata sunt in antiquis, præsentia ostenduntur in nobis. Modo ergo quid dicit Apostolus? *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino* (II *Cor.* v, 6). Nondum sumus in patria: quando erimus in patria? Quando triumphabimus devicto inimico diabolo, quando *mors novissima inimica destruetur: tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus* (I *Cor.* xv, 26, 54, 55)? Quando ergo nulla erit mortis contentio, quæ modo est, et facit nos gemere ex defectu et mutabilitate rerum, ex fragilitate carnis humanæ? Contendunt nobiscum quotidie tentationes, contendunt quotidie delectationes: etsi non consentiamus, tamen molestiam patimur, et contendimus, et magnum periculum est ne qui contendit vincatur; si autem non consentiendo vincamus, molestiam tamen patimur resistendo delectationibus. Non cessat, et non moritur hostis, nisi in resurrectione mortuorum. Sed præsumamus, fidamus, erigunt nos Aggæus et Zacharias; cantant futuram liberationem nostram. Si illi populo cantaverunt, et impletum est; christiano populo quod cantatur, non implebitur? Securi estote: tantummodo in ista peregrinatione vitæ quomodo agatis, videte [1]. Non vobis placeat amor Babyloniæ, ne obliviscamini civitatem Jerusalem. Etsi corpus vestrum adhuc in Babylonia tenetur, cor vestrum ad Jerusalem præmittatur. Laudet [2] ergo tota creatura Dominum; quia hoc ibi facturi sumus, quod hic præmeditamur.

[1] Mss., *vitam* (*manifesta est, novimus*) *appetendi*, etc.
[2] Sic Mss. Edd. autem, *vel ad molestias cognoscendas.*

[1] Sic Mss. At Edd., *non tantummodo in ista peregrinatione vitæ hujus, sed quomodo hic agatis videte.*
[2] Plerique Mss., *laudat.*

5. *Laudate Dominum de cœlis; laudate eum in excelsis.* Primo de cœlis dicit, postea de terra : laudatur enim Deus qui fecit cœlum et terram. Cœlestia tranquilla sunt, pacata sunt; ibi semper gaudium, nulla mors, nulla ægritudo, nulla molestia; semper laudant Deum beati : nos autem adhuc jusum sumus [1], sed cum cogitamus quomodo ibi laudetur Deus, cor ibi habeamus, et non sine causa audiamus, Sursum corda. Levemus cor sursum, ne putrescat in terra; quoniam placet nobis quod ibi agunt Angeli. Modo nos spe; postea re, cum illuc venerimus. *Laudate* ergo *eum in excelsis.*

6. [*vers.* 2-5.] *Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus. Laudate eum sol et luna, laudate eum omnes stellæ et lumen. Laudate eum cœli cœlorum, et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Quando explicat omnia numerando? Sed tamen summatim et quasi omnia perstrinxit, et conclusit omnia cœlestia laudantia Creatorem suum.

7. Et quasi diceretur ei, Quare illum laudant? quid illi debent, quid illis contulit, ut laudent eum? sequitur : *Quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.* Non mirum si opera laudant operatorem, non mirum est si facta laudant factorem, non mirum si creatura laudat Creatorem. Ibi et Christus nominatus est, et quasi non audivimus nomen ipsius. Quis est Christus? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1-3). Per quid facta sunt? Per Verbum. Quomodo hic ostendit quia per Verbum facta sunt? *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.* Nemo dicit, nemo mandat, nisi verbo.

8. [*vers.* 6.] *Statuit ea in sæculum et in sæculum sæculi.* Omnia cœlestia, omnia superiora, virtutes omnes atque Angelos, civitatem quamdam supernam, bonam, sanctam, beatam : unde quoniam peregrinamur, miseri adhuc sumus; et quo redituri, in spe beati; et quo eum redierimus, in re beati. *Statuit ea in sæculum et in sæculum sæculi : præceptum posuit, et non præteribit.* Quale præceptum putatis habere cœlestia et Angelos sanctos? quale præceptum dedit illis Deus? Quale, nisi ut laudent illum? Beati quorum hoc est negotium, laudare Deum. Non arant, non seminant, non molunt, non coquunt : opera enim sunt ista necessitatis; ibi necessitas non est. Non furantur, non deprædantur, non adulterantur : opera enim sunt ista iniquitatis; ibi iniquitas non est. Non frangunt panem esurienti, non vestiunt nudum, non suscipiunt peregrinum, non visitant ægrotum, non concordant litigiosum, non sepeliunt mortuum : opera enim sunt ista misericordiæ; ibi nulla miseria est in qua fiat misericordia. O beati! Putamus, erimus et nos sic? Eia, suspiremus, de suspirio gemamus. Et quid sumus, ut ibi simus? Mortales, projecti, abjecti, terra et cinis. Sed qui promisit omnipotens est. Si ad nos attendamus, quid sumus? si ad illum, Deus est, omnipotens est. Non est facturus angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? aut vero pro minimo habet Deus hominem, propter quem mori voluit Unicum suum? Attendamus ad indicium dilectionis [1]. Promissionis Dei tales arrhas accepimus; tenemus mortem Christi, tenemus sanguinem Christi. Quis mortuus est? Unicus. Pro quibus mortuus est? Utinam pro bonis, utinam pro justis. Sed quid? *Etenim Christus,* ait Apostolus, *pro impiis mortuus est* (*Rom.* V, 6). Qui donavit impiis mortem suam, quid servat justis, nisi vitam suam? Erigat ergo se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, non se avertat, non dicat, Non ero. Qui promisit, Deus est : et venit, ut promitteret; apparuit hominibus, venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam. Venit ad regionem peregrinationis nostræ, accipere hic quod hic abundat, opprobria, flagella, colaphos, sputa in faciem, contumelias, spineam coronam, suspensionem in ligno, crucem, mortem. Hæc abundant in regione nostra; ad talia commercia venit. Quid hic dedit, quid accepit? Dedit exhortationem, dedit doctrinam, dedit remissionem peccatorum; accepit contumelias, mortem, crucem. Attulit nobis de illa regione bona, et in regione nostra pertulit mala. Promisit tamen nobis quod ibi futuri simus unde venit; et ait : *Pater, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum* (*Joan.* XVII, 24). Tanta præcessit dilectio! Quia ubi nos eramus, fuit nobiscum; ubi ipse est, erimus cum illo. Quid tibi promisit Deus, o homo mortalis? Quia victurus es in æternum. Non credis? Crede, crede. Plus est jam quod fecit, quam quod promisit. Quid fecit? Mortuus est pro te. Quid promisit? Ut vivas cum illo. Incredibilius est quod mortuus est æternus, quam ut in æternum vivat mortalis. Jam quod incredibilius est tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est qui vivit in æternum? Sed quomodo mortuus est Deus, et unde mortuus est Deus? et potest mori Deus? Accepit ex te, unde moreretur pro te. Non posset mori, nisi caro; non posset mori, nisi mortale corpus : induit se ubi pro te moreretur, induet te ubi cum illo vivas. Ubi se induit morte? In virginitate matris. Ubi te induet vita? In æqualitate Patris. Elegit sibi hic thalamum castum, ubi conjungeretur sponsus sponsæ. Verbum caro factum est (*Id.* I, 14), ut fieret caput Ecclesiæ. Verbum enim ipsum non est pars Ecclesiæ; sed ut esset caput Ecclesiæ, carnem assumpsit. Quiddam nostrum jam sursum est, quod hic accepit, ubi mortuus est, ubi crucifixus est : jam quædam primitiæ tuæ præcesserunt, et dubitas quia secuturus es!

9. [*vers.* 7.] Ergo convertat se et ad terrena, quia jam dixit laudes cœlestium. *Laudate Dominum de terra.* Superius enim unde cœpit? *Laudate Dominum de cœlis;* et enarravit cœlestia : modo audi terrestria.

[1] Edd., *in imo sumus.* At Mss., *jusum sumus* : quod idem sonat. Confer Tractat. 8 in Epist. Joan., n. 2.

[1] Sic Mss. At Edd., *dilectionis et promissionis Dei. Tales,* etc.

Dracones et omnes abyssi. Abyssi, profunditates aquarum sunt : maria omnia, nubilosus iste aer ad abyssum pertinet. Ubi nubes, ubi venti, ubi tempestates, ubi pluviæ, coruscationes, tonitrua, grandines, nix, et quidquid vult Deus fieri super terras de isto humido et caliginoso aere, totum hoc terræ nomine appellavit, quia nimis [1] mutabile est atque mortale : nisi forte putatis quia sursum pluit stellis. Omnia ista hic fiunt prope ad terram. Et aliquando sunt homines in cacuminibus montium, et nubes sub se vident, et fiunt plerumque pluviæ : et apparent bene intentis omnia ista, quæ perturbato aere concitantur, hic fieri in ista mundi parte infima. Propterea ad ista caliginosa, id est ad hunc aerem, tanquam ad carcerem, damnatus est diabolus, de apparatu superiorum Angelorum lapsus cum angelis suis : nam Apostolus hoc de illo dicit, *Secundum principem potestatis aeris hujus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ* (*Ephes.* II, 2). Et alius apostolus dicit, *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferni retrudens, tradidit in judicio puniendos servari* (II *Petr.* II, 4) : infernum hoc appellans, quod inferior pars mundi sit. Noli enim cogitare quid accepit diabolus, sed quid perdidit. Omnia ergo ista videtis qualia sunt, mutabilia, turbata, terribilia, corruptibilia : tamen habent locum suum, habent ordinem suum, implent et ipsa universi pulchritudinem pro modo suo, et ideo laudant Dominum. Conversus ergo ad illa, tanquam exhortans et ipsa ; imo exhortans nos, ut eorum consideratione laudemus Dominum (sic enim laudant Deum, cum considerata pariunt laudem Dei), cœpit dicere, *Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi.* Dracones circa aquam versantur, de speluncis procedunt, feruntur in aera ; concitatur propter eos aer : magna quædam sunt animantia dracones, majora non sunt super terram. Propterea inde cœpit dicere, *Dracones et omnes abyssi.* Sunt autem speluncæ aquarum latentium, unde fontes, unde flumina procedunt ; et alia procedunt, ut fluant super terram, alia occulte subter eunt : et totum hoc, atque omnis ista humida natura aquarum, simul cum mari et isto infimo aere, abyssus vel abyssi vocantur, ubi vivunt dracones et laudant Deum. Quid? putamus quia choros faciunt dracones, et laudant Deum? Absit. Sed vos considerantes dracones, attendite artificem draconum, creatorem draconum ; et cum miramini dracones, et dicitis, Magnus Deus qui hæc fecit, dracones laudant Deum de vocibus vestris : *Dracones et omnes abyssi.*

10. [*vers.* 8.] *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus.* Quare hic addidit, *quæ faciunt verbum ejus?* Multi stulti non valentes contemplari et discernere creaturam locis suis et ordine suo, sub nutu et jussu Dei agentem motus suos, visum est illis quia superiora omnia Deus gubernat, inferiora vero despicit, abjicit, deserit, ut nec curet ista, nec gubernet, nec regat; sed casibus regantur, quomodo possunt, qua possunt : et movent illos quæ [1] dicunt aliquando sibi (sed non dicant tibi, id est, ne audiendo consentias quando ista dicunt ; blasphema enim sunt et exsecrabilia Deo), Si Deus plueret, numquid plueret in mare? Qualis, inquiunt, providentia? Getulia sitit, et mare compluitur. Acute sibi videntur tractare: quibus dicendum est hoc, Getulia vel sitit ; tu, nec sitis [2]. Bonum enim erat ut diceres Deo : *Anima mea velut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII, 6). Quod alio loco aperte dicitur : *Sitivit tibi anima mea, quam multipliciter tibi et caro mea* (*Psal.* LXII, 2). Et Dominus in Evangelio : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6). Iste enim jam saturatus est, qui talia disputat ; quasi sibi doctus videtur, nec vult discere, ideo non sitit. Nam si sitiret, vellet discere ; et inveniret quia totum Dei providentia fit in terra ; et miraretur disposita etiam membra pulicis. Attendat Charitas vestra. Quis disposuit membra pulicis et culicis, ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? Unam bestiolam brevem, minutissimam considera, quam volueris. Si consideres ordinem membrorum ipsius, et animationem vitæ qua movetur ; ut pro se fugit mortem (*a*), amat vitam, appetit voluptates, devitat molestias, exserit sensus diversos, viget in motu congruo sibi ! Quis dedit aculeum culici, quo sanguinem sugat? Quam tenuis fistula est qua sorbet ! Quis disposuit ista? quis fecit ista? Expavescis in minimis ; lauda magnum. Hoc itaque tenete, fratres mei ; nemo vos de fide excutiat, et de sana doctrina [3]. Qui fecit in cœlo angelum, ipse fecit in terra vermiculum : sed angelum in cœlo pro habitatione cœlesti, vermiculum in terra pro habitatione terrestri. Numquid angelum fecit repere in cœno, et vermiculum in cœlo? Distribuit sedibus habitatores ; incorruptionem incorruptis sedibus dedit, corruptibilia corruptibilibus locis. Totum attende, totum lauda. Qui ergo disposuit membra vermiculi, non gubernat nubes? Et quare in mare pluit? Quasi non sint in mari, quæ alantur pluvia ; quasi non ibi fecit pisces, quasi non ibi fecit animalia. Attendite quomodo currunt pisces ad aquam dulcem. Et quare, inquit, pisci pluit, et mihi aliquando non pluit? Ut cogites te in regione esse deserti, et in peregrinatione vitæ ; et amarescat tibi vita præsens, ut futuram desideres ; aut ut flagelleris, et corripiaris, et corrigaris. Quomodo autem distribuit propria regionum? Ecce, quia de Getulia locuti sumus, pluit hic prope omni anno, et omni anno dat frumentum : servari hic frumentum non potest, cito corrumpitur ; quia omni anno datur: ibi, quia raro, et multum datur, et diu servatur. Sed forte putas quia ibi deserit Deus homines, aut non ibi secundum jucunditatem suam et laudant et glorificant Deum? Apprehende inde Getulum, pone inter istas arbores amœnas ; fugere hinc vult, et redire ad nu-

[1] Sic Mss. At Edd., *quia in imis.* Paulo post Mss. plerique habent, *pluit sursum stellas.*

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov., *qui.* M.

[2] Sic Mss. At Am. et Er., *Getulia sitit, ut tu ne sitires.* Lov., *Getulia sitit, ne tu sitires.*

[3] Plerique Mss., *nemo vobis de fide excutiat sanam doctrinam.*

(*a*) Forte sic legendum, *qua movetur per se, fugit mortem.*

dam Getuliam [1]. Omnibus ergo Deus locis, regionibus, temporibus, sua quæque distribuit et ordinavit. Et longum est commemorare diligentiorem considerationem omnium rerum. Quis illam explicat? Tamen qui oculos habent, multa ibi vident : cum viderint, placent; cum placuerint, laudantur, non tanquam ipsa, sed ille qui fecit : ita omnia laudabunt Deum.

11. Hæc considerans spiritus Prophetæ, cum dixisset, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis*, quæ omnia turbata videntur quibusdam stultis, et quasi casibus agitari, addidit, *Quæ faciunt verbum ejus*. Non tibi ergo videantur casibus moveri, quæ verbo Dei in omni motu suo deserviunt. Quo vult Deus, illuc ignis [2], illuc fertur nubes, sive pluviam, sive nivem, sive grandinem portet. Et quare aliquando percutiunt montem fulmina, et non percutiunt latronem? Quodcumque possum dicere pro captu mentis meæ, quantum Deus donare dignatur : majores majora noverint, et amplius intelligant; et det vobis Deus plus sapere quam dico, tamen cum temperantia, sine superbia : possum ergo [3] pro modulo meo dicere quare percutiant montem, et non percutiant latronem : quia forte adhuc latronis conversionem quærit; et ideo percutitur mons qui non timet, ut mutetur homo qui timet. Aliquando et tu, cum das disciplinam, terram feris, ut infans expavescat. Et aliquando ferit et quem vult hominem. Sed dicis mihi : Ecce ferit innocentiorem, et dimittit sceleratiorem. Noli mirari : undecumque mors pio bona est [4]. Unde autem scis illi sceleratiori, si se mutare noluerit, quid pœnarum in occulto servetur? Nonne mallent fulmine incendi [5], quibus in fine dicetur : *Ite in ignem æternum* (*Matth.* xxv, 41)? Opus est ut innocens sis. Quid enim? malum est mori naufragio, et bonum est mori febre? Sive inde, sive inde moriatur, quære qualis sit qui moritur; quo post mortem iturus est, non unde de vita exiturus. Quacumque occasione, hinc exituri sumus, Quibus exitibus martyres exire meruerunt? numquid febribus, quomodo multi optant ut febre solvantur? Alii uno ictu gladii, alii ignibus, alii bestiis. Et devoraverunt bestiæ corpora martyrum, et non timuerunt ne perirent corpora ipsorum. Undique enim Deus reducet corpora sanctorum suorum, cui capilli nostri numerati sunt (*Id.* x, 30). Et quando voluit, tres pueros ab igne liberavit (*Dan.* III, 24, 93) : numquid ideo Machabæos in igne deseruit (II *Machab.* VII)? Illos aperte liberavit, istos occulte coronavit. Novit igitur Deus quid agat. Tu time, et bonus esto. Undecumque voluerit ut exeas hinc, paratum te inveniat. Inquilinus enim es (*Psal.* CXVIII, 19), non possessor domus. Locata est enim tibi domus; domus ista tibi locata est, non donata; etsi nolis, migrabis : et non eam tali conditione, accepisti, ut quasi tempora certa tibi sint. Quid dixit Dominus tuus? Quando voluero, cum dixero, Migra; paratus esto. Expello te de hospitio, sed dabo domum : inquilinus es in terra, eris possessor in cœlo.

12. Quidquid ergo hic accidit contra voluntatem nostram, noveritis non accidere, nisi de voluntate Dei, de providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius : et si nos non intelligimus quid quare fiat, demus hoc providentiæ ipsius, quia non fit sine causa, et non blasphemabimus [1]. Cum enim cœperimus disputare de operibus Dei, Quare hoc, quare illud; et, Non debuit sic facere, male fecit hoc : ubi est laus Dei? Perdidisti Alleluia. Omnia sic considera, quomodo placeas Deo, et laudes artificem. Quia si intrares forte in officinam fabri ferrarii, non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da imperitum hominem nescientem quid quare sit, et omnia reprehendit. Sed si non habeat peritiam artificis, et habeat saltem considerationem hominis, quid sibi dicit? Non sine causa hoc loco folles positi sunt; artifex novit quare, etsi ego non novi. In officina non audet vituperare fabrum; et audet reprehendere in hoc mundo Deum! Ergo, quemadmodum *ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus*; sic omnia quæ vanis videntur in rerum natura temere fieri, non faciunt nisi verbum ejus, quia non fiunt nisi jussu ejus.

13. [*vers.* 9-12.] Deinde dicit, ut Dominum laudent: *Montes et omnes colles, ligna fructifera et omnes cedri; bestiæ et omnia pecora, reptilia et volatilia pennata.* Deinde ad homines : *Reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ; juvenes et virgines, seniores cum junioribus laudent nomen Domini.* Explicata est laus de cœlo, explicata est laus de terra.

14 [*vers.* 13.] *Quia exaltatum est nomen ejus solius.* Nemo hominum quærat exaltare nomen suum. Vis exaltari? Illi te subde, qui non potest humiliari : *Exaltatum est nomen ejus solius.*

15. [*vers.* 14.] *Confessio ejus in terra et cœlo* [2]. Quid est, *Confessio ejus in terra et cœlo?* qua ipse confitetur? Non; sed qua illum omnia confitentur, omnia clamant : omnium pulchritudo quodam modo vox eorum est, confitentium Deum. Clamat cœlum Deo : Tu me fecisti, non ego. Clamat terra : Tu me condidisti, non ego. Quomodo clamant ista? Quando considerantur, et hoc invenitur; ex tua consideratione clamant, ex voce tua clamant. *Confessio ejus in terra et cœlo.* Attende cœlum, pulchrum est; attende terram, pulchra est : utrumque simul valde pulchrum est. Ipse fecit, ipse regit, ipsius nutu gubernantur, ipse trajicit tempora, momenta ipse instaurat, per seipsum instaurat. Omnia [3] ergo ista laudant illum, sive in statu, sive in motu, sive de terra deorsum, sive de cœlo sursum, sive in vetustate, sive in renovatione. Cum vides hæc et gaudes, et attolleris in artificem, et invisibilia ejus, per ea quæ facta sunt, intellecta contueris (*Rom.* I, 20), *Confessio ejus in terra et cœlo;* id

[1] Lov., *ad nuda Getuliæ* : dissentientibus cæteris libris.
[2] Er. Lugd. Ven. et Lov., *illuc lucet ignis.* M.
[3] Lugd. Ven., *tamen cum temperantia, sine superbia possum ego*, etc. M.
[4] Mss., *bonum est.*
[5] Sic Mss. Edd. vero, *fulmine incendi potius interire, quibus*, etc.

[1] In B., *blasphemamus.* Er. Lugd. Ven. et Lov., *blasphemabimus.* M.
[2] Sic Mss. juxta LXX. Edd. vero, *in cœlo et in terra.*
[3] Mss., *per ipsum omnia. Ergo ista laudant*, etc.

est, confiteris ei de rebus terrenis, confiteris ei de rebus cœlestibus. Et quia ipse fecit omnia, et melius illo non est aliquid, quidquid fecit, intra (a) illum est; et quidquid in his tibi placet, minus est quam ipse. Non ergo ita tibi placeat quod fecit, ut recedas ab eo qui fecit; sed si amas quod fecit, multo magis eum qui fecit. Si pulchra sunt quæ fecit, quanto pulchrior est qui fecit? *Confessio ejus in terra et cœlo.*

16. *Et exaltabit cornu populi sui.* Ecce quod prophetabant Aggæus et Zacharias. Modo cornu populi ipsius humile est in trituris, in tribulationibus, in tentationibus, in tunsione pectorum : quando *exaltabit cornu populi sui?* Quando venerit ipse Dominus, et ortus fuerit sol noster : non iste qui oculis videtur, et oritur super bonos et malos (*Matth.* v, 45); sed de quo dicitur, *Vobis qui timetis Deum, orietur sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus* (*Malach.* IV, 2); et de quo dicturi sunt superbi et impii, *Justitiæ lumen non luxit nobis, et sol non est ortus nobis* (*Sap.* v, 6). Ipsa erit æstas nostra. Modo fructus per hibernum in radice non apparent; attendis quasi aridas arbores per hiemem. Qui non novit videre, aridam putat vitem : et forte juxta est quæ vere aruit; similes sunt ambæ per hiemem : illa vivit, illa mortua est; sed illius vita et illius mors in abscondito est : æstas procedit, vita illius clarificatur, mors illius manifestatur; procedit honor foliorum, fecunditas fructuum; vestitur vitis in facie, ex eo quod habet in radice. Ergo modo, fratres, tales sumus, quales sunt alii homines : quomodo nascuntur, manducant, bibunt, vestiuntur, transigunt vitam istam; sic et sancti. Aliquando ipsa res decipit homines, et dicunt : Ecce quia cœpit esse christianus, numquid non ei dolet caput? aut quia christianus est, quid habet plus a me? O vitis arida, attendis juxta te vitem nudam in hiberno, sed non aridam. Æstas veniet [1], veniet Dominus, honor noster, qui latebat in radice; et tunc *exaltabit cornu populi sui*, post captivitatem in qua mortaliter vivimus. Unde dicit Apostolus : *Nolite ante tempus quidquam judicare, donec veniat Dominus, et illuminabit abscondita tenebrarum; et tunc laus erit unicuique a Deo* (I *Cor.* IV, 5). Sed dicis mihi : Ubi est radix mea? ubi est fructus meus? Si credis, nosti ubi est radix tua. Ibi est enim, ubi est fides tua, ubi spes est et charitas tua. Audi Apostolum : *Mortui enim estis.* Quasi per hiemem mortui apparebant; audi quia vivunt : *Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Ecce ubi habes radicem. Quando ergo honore ornaberis? quando fecundaberis fructu? Audi illum sequentem : *Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III, 3, 4). *Et exaltabit cornu populi sui.*

17. *Hymnus omnibus sanctis ejus.* Hymnus scitis quid est? Cantus est cum laude Dei. Si laudas Deum, et non cantas, non dicis hymnum : si cantas, et non laudas Deum, non dicis hymnum : si laudas aliud quod non pertinet ad laudem Dei, etsi cantando laudes, non dicis hymnum. Hymnus ergo tria ista habet, et cantum, et laudem, et Dei. Laus ergo Dei in cantico, hymnus dicitur. Quid est ergo, *Hymnus omnibus sanctis ejus?* Accipiant sancti ejus hymnum, dicant sancti ejus hymnum; quia hoc est quod accepturi sunt in fine, hymnum sempiternum. Ideo alio loco dicit psalmus, *Sacrificium laudis glorificabit me; et ibi est via qua ostendam illi salutare meum* (*Psal.* XLIX, 23) : et, *Beati qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Hoc est, *Hymnus omnibus sanctis ejus.* Qui sunt sancti ejus? *Filiis Israel, populo appropinquanti sibi.* Nemo dicat : Non sum filius Israel. Ne putetis Judæos filios Israel esse, et nos non esse filios Israel : audeo vobis dicere, fratres mei; illi non sunt, et nos sumus. Audite quare : quia major est natus secundum spiritum, quam natus secundum carnem. Unde Israel? Ex Abraham; quia Isaac ex Abraham, Israel ex Isaac. Quomodo placuit Deo Abraham? *Credidit autem Abraham Deo, et deputatum est illi ad justitiam* (*Rom.* IV, 3). Quisquis imitatus fuerit Abraham, filius est Abrahæ : quisquis degeneraverit a fide Abraham, perdidit progeniem Abrahæ. Judæi degeneraverunt; perdiderunt : imitati sumus nos; invenimus. Audi quia illi perdiderunt : quid illis dicit Dominus dicentibus, *Filii sumus Abrahæ?* Ausi sunt ostentare se, et erigere cervicem de nobilitate generis justi; et quid illis Dominus? *Si filii Abrahæ essetis, facta Abrahæ fecissetis* (*Joan.* VIII, 33, 39). Si ergo perdiderunt ipsi quod filii sunt Abrahæ, invenimus nos ut filii simus Abrahæ. Credendo quippe invenimus quod illi non credendo amiserunt : quia *credidit Abraham Deo, et deputatum est illi ad justitiam.* Et semen Abrahæ Christus (*Galat.* III, 16), et in Christo nos sumus; et ex Israel populus, de quo populo Maria, de qua Maria Christus, in quo Christo nos : ergo filii Israel nos. Et quomodo addidit, ut discerneret nos? *Filiis Israel, populo appropinquanti sibi.* Attendite Judæos : si propinquant, ipsi sunt. Et forte propinquant, dicit mihi aliquis : quotidie et ipsi cantant psalmum, et cantant hymnos Dei. Non auditis quid eis dixit propheta? *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me* (*Isai.* XXIX, 13). Si illorum cor longe est, nostrum autem cor proximum est; quia credimus, quia speramus, quia diligimus, quia Christo adjuncti sumus, quia membra ipsius facti sumus : numquid membra longe sunt a capite? Si essent longe, et divisa essent, non diceret : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Si separata essent, non de cœlo diceret : *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Si non in nobis esset, non diceret, *Esuriri, et dedistis mihi manducare* : et cum dicerent illi, *Quando te vidimus esurientem?* respondit, *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 35, 37, 45). Ecce populus, ecce appropinquans Israel; et cum illo modo spe, postea re.

[1] Sic Mss. At Edd., *sed non aridam per æstatis vim. Et veniet Dominus*, etc.
(a) Forte, *infra.*

IN PSALMUM CXLIX ENARRATIO.

SERMO AD POPULUM.

1. [*vers.* 1.] Laudemus Dominum et in voce, et in intellectu, et in opere bono; et sicut nos hortatur iste psalmus, cantemus ei canticum novum. Sic enim cœpit : *Cantate Domino canticum novum.* Vetus homo, vetus canticum : novus homo, novum canticum. Vetus Testamentum, vetus canticum : Novum Testamentum, novum canticum. In Veteri Testamento promissiones sunt temporales et terrenæ. Quisquis terrena diligit, vetus canticum cantat : qui vult cantare canticum novum, diligat æterna. Ipsa dilectio nova est et æterna : ideo semper nova, quia nunquam veterascit. Nam si bene consideres, antiquum est hoc : quomodo ergo est novum? Numquid, fratres mei, vita æterna modo nata est? Vita æterna ipse Christus est, et secundum divinitatem non modo natus est : quia, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1-3). Si quæ per ipsum facta sunt, antiqua sunt; quid est ipse, per quem facta sunt? Quid, nisi æternus, et Patri coæternus? Sed nos delapsi in peccatum, pervenimus ad vetustatem. Nostra enim vox est in illo psalmo ubi dicitur cum gemitu : *Inveteravi in omnibus inimicis meis* (*Psal.* VI, 8). Inveteravit homo per peccatum, innovatur per gratiam. Omnes ergo qui innovantur in Christo, ut ad vitam æternam incipiant pertinere, canticum novum cantant.

2. Et hoc canticum pacis est, canticum hoc charitatis est. Quisquis se a conjunctione sanctorum separat, non cantat canticum novum. Secutus est enim veterem animositatem, non novam charitatem. In nova charitate quid est? Pax, vinculum sanctæ societatis, compago spiritualis, ædificium de lapidibus vivis. Ubi est hoc? Non in uno loco, sed per universum orbem terrarum. Audi hoc de alio psalmo : sic dicit, *Cantate Domino canticum novum; cantate Domino, omnis terra* (*Psal.* XCV, 1). Ex hoc intelligitur quia qui non cum omni terra cantat, canticum vetus cantat, quælibet verba de ore ejus procedant. Quid enim attendo quid sonet, cum video quid cogitet? Et tu, inquis, vides quid cogitet? Facta indicant. Nam oculus in conscientiam non penetrat. Attendo quid agat, et ibi intelligo quid cogitet. Neque enim si quisque, verbi gratia, comprehenderit hominem in furto, in homicidio, in adulterio, cogitationes ipsius in corde videt, sed in factis. Sunt quædam quæ intus latent; sed sunt et multa quæ procedunt in opera, et manifesta fiunt etiam hominibus. Cum ergo essent illi qui se a compage Christi charitatis et societate sanctæ Ecclesiæ separarunt, mali intus apud se, non noverat nisi Deus. Venit tentatio; separavit illos [1], et patefecit hominibus quod noverat Deus. Non enim fructus ostenditur nisi in factis. Unde dictum est : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 16). Dixit enim Dominus ad quosdam, qui ovium vestitu se induunt, intus autem sunt lupi rapaces; et ne forte fragilitas humana dignoscere non posset lupum sub ovina pelle, ait : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Quærimus fructus charitatis, invenimus spinas dissensionis. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Ergo canticum eorum vetus est : cantemus nos canticum novum. Jam diximus, fratres, omnis terra cantat canticum novum. Qui cum omni terra non cantat canticum novum, dicat quod vult, linguis sonet Alleluia, dicat tota die, dicat tota nocte; non valde aures meæ inclinantur ad vocem cantantis, sed quæro mores operantis. Interrogo enim, et dico : Quid est quod cantas? Respondet : Alleluia. Quid est, Alleluia? Laudate Dominum. Veni, simul laudemus Dominum. Si tu laudas Dominum et ego laudo Dominum [1]; quare in discordia sumus? Charitas laudat Dominum, discordia blasphemat Dominum.

3. Et vultis jam nosse ubi cantetis canticum novum? Quæ dicturus est in ipso Psalmo, videte quomodo fiant, et ubi fiant; utrum per omnes gentes fiant ista, an in una aliqua parte terrarum : et hinc plenius intelligetis ad quem pertineat canticum novum. Jam quidem manifestum est illud quod de alio psalmo commemoravi, *Cantate Domino canticum novum :* Et ut ostenderet in cantico novo esse fructum charitatis et unitatis, addidit, *Cantate Domino, omnis terra.* Nemo se separet, nemo se disjungat : triticum es, ferto paleam quousque ventiletur. De area vis excuti? Etsi triticum esses [2] foris ab area, invenirent te volatilia, et colligerent te (*Id.* III, 12). Adde quia eo ipso quo discedis [3] et volas, paleam te esse indicas : et quia levis eras, venit ventus, et de sub pedibus boum ablatus es. Qui autem triticum sunt, ferunt trituram; gaudent, quia grana sunt, gemunt inter paleam, exspectant ventilatorem, quem cognoscunt redemptorem. *Cantate Domino canticum novum : laus ejus in Ecclesia sanctorum.* Hæc est Ecclesia sanctorum, Ecclesia frumentorum toto terrarum orbe diffusorum; per agrum Domini seminata, quod est hic mundus, ipso Domino exponente, cum de seminante diceret : Quia « homo seminavit bonum semen in agro suo, et venit inimicus, et superseminavit zizania; et dixerunt servi patrifamilias, Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde hic sunt zizania? Respondit ille, Inimicus homo hoc fecit. » Voluerunt colligere zizania, et compescuit illos dicens : « Sinite utraque crescere usque ad messem; et in tempore messis dicam messoribus, Colligite primum zizania, et alligate fasciculos ad comburendum ea; triticum autem meum reponite in horreo. » Postea interrogaverunt eum discipuli dicentes : *Narra nobis parabolam zizaniorum.* Et ipse exponit omnia, ut nullus homo cordi suo tri-

[1] Sic Am. et Mss. At Er. et Lov., *superavit illos.*

[1] Sic Mss. At Edd., *et ego laudabo Dominum. Quare*, etc.
[2] Am. et Er. : *De area vix excutieris, si triticum es. Si triticum esse foris ab area*, etc.
[3] Aliquot Mss., *eo ipso quo excedis*, etc. Cæteri, *quod excedis.*

buat quod ibi intellexerit, sed Magistro cœli exponenti. Nemo dicat: Exposuit sibi quomodo voluit. Si parabolam prophetæ exponeret Dominus, quando ipse per eos loquebatur quod dicebant; quis auderet dicere, non sic debere exponere? Multo magis, quando ipse exposuit quod proposuit ipse, quis audet contradicere manifestæ veritati? Cum ergo hanc parabolam Dominus exponeret, ait, *Qui autem seminat bonum semen, est Filius hominis*: se utique demonstrans. *Bonum vero semen, filii sunt regni*: ipsa est Ecclesia sanctorum. *Zizania autem, filii sunt maligni. Ager est hic mundus* (*Matth.* XIII, 24-30, 36-38). Jam videte, fratres, quia per mundum seminatum est bonum semen, et per mundum seminata sunt zizania. Numquid in parte triticum, et in parte zizania? Per totum triticum, et per totum zizania. Ager Domini mundus est, non Africa. Non quomodo terræ istæ [1]: Getulia fert sexagenum aut centenum, et Numidia fert denum: non sic est Deo ager suus. Ubique illi fertur fructus, et centenus, et sexagenus, et tricenus: tu tantum vide quid velis esse, si cogitas ad Domini fructum pertinere [2]. Ergo Ecclesia sanctorum, Ecclesia catholica est. Ecclesia sanctorum non est Ecclesia hæreticorum. Ecclesia sanctorum illa est quam præsignavit Deus antequam videretur; et exhibuit, ut videretur. Ecclesia sanctorum erat antea in codicibus, modo in gentibus: Ecclesia sanctorum antea tantummodo legebatur, nunc et legitur, et videtur. Quando solum legebatur, credebatur: modo videtur, et contradicitur! *Laus ejus in ecclesia sanctorum.*

4. [*vers.* 2.] *Lætetur Israel in eo qui fecit eum.* Quid est Israel? Videns Deum: hoc enim interpretatur nomen Israel. Qui videt Deum, in ipso lætetur, a quo factus est. Quid est ergo, fratres? quia diximus nos ad Ecclesiam pertinere sanctorum, numquid jam videmus Deum? Quomodo sumus Israel, si non videmus? Est quædam visio hujus temporis; erit altera visio futuri temporis: visio quæ modo est, per fidem est; visio quæ futura est, per speciem erit. Si credimus, videmus; si amamus, videmus. Quid videmus? Deum. Ubi est ipse Deus? Interroga Joannem: *Deus charitas est* (I *Joan.* IV, 16). Benedicamus nomen ejus sanctum; et gaudeamus in Deo, si gaudemus in charitate. Quisquis habet charitatem, utquid illum mittimus longe, ut videat Deum? Conscientiam suam attendat, et ibi videt Deum. Si charitas ibi non habitat, non ibi habitat Deus: si autem charitas ibi habitat; Deus ibi habitat. Vult illum forte videre sedentem in cœlo; habeat charitatem, et in eo habitat sicut in cœlo. Ergo simus Israel, et lætemur in eo qui fecit nos: *Lætetur Israel in eo qui fecit eum.* In eo qui fecit eum lætetur, non in Ario [3], non in Donato, non in Cæciliano; non in Proculiano (*a*), non in Augustino: *In eo lætetur qui fecit eum.* Nos, fratres, non vobis commendamus; sed commendamus vobis Deum, quia commendamus vos Deo. Quomodo vobis Deum commendamus? Ut diligatis eum bono vestro, non bono ipsius: quia malo vestro eum non diligitis, non malo ipsius. Non enim minus habebit Deus divinitatem, si homo in illum non habeat charitatem. Tu crescis ex Deo, non ille ex te: et tamen tantum nos dilexit prior (I *Joan.* IV, 19), antequam eum diligeremus, ut Filium suum unicum mitteret mori pro nobis (*Joan.* III, 16). Qui fecit nos, factus est inter nos. Quomodo nos ipse fecit? *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Quomodo factus est inter nos? *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Id.* I, 3, 14). Ergo ipse est in quo debemus lætari. Nemo homo sibi arroget partes ipsius [1]; ab ipso est lætitia quæ nos facit felices: *Lætetur Israel in eo qui fecit eum.*

5. *Et filii Sion exsultent in rege suo.* Ipse Israel, filii Ecclesiæ sunt. Quia Sion fuit quidem una civitas, quæ cecidit: in ejus reliquiis habitabant quidem sancti temporaliter; sed Sion vera et Jerusalem vera (quia ipsa Sion, quæ Jerusalem), æterna est in cœlis, quæ est mater nostra (*Galat.* IV, 26). Ipsa nos genuit, ipsa est Ecclesia sanctorum, ipsa nos nutrivit; ex parte peregrina, ex magna parte immanens in cœlo. Ex parte qua immanet in cœlo, beatitudo Angelorum est: ex parte qua peregrinatur in hoc sæculo, spes est justorum. De illa dictum est, *Gloria in excelsis Deo*: de hac dictum est, *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Qui ergo in hac vita gemunt, et desiderant illam patriam, currant dilectione, non pedibus corporis: non quærant naves, sed pennas; duas alas charitatis apprehendant. Quæ sunt duæ alæ charitatis? Dilectio Dei, et proximi. Peregrinamur enim, suspiramus, gemimus. Venerunt ad nos Litteræ de patria nostra, ipsas vobis recitamus.

6. *Lætetur Israel in eo qui fecit eum, et filii Sion exsultent in rege suo.* Quod dixit, *qui fecit eum*; hoc dixit, *in rege suo.* Quod audistis, *Israel*; id sunt, *filii Sion*: et quod audistis, *in eo qui fecit eum*; hoc est, *in rege suo.* Filius Dei qui fecit nos, factus est inter nos: et Rex noster regit nos, quia Creator noster fecit nos. Ipse est tamen per quem facti sumus, qui est per quem nos regimur: et ideo Christiani, quia ille Christus. Christus a chrismate dictus est, id est, ab unctione. Reges autem ungebantur (I *Reg.* X, 1; *et* XVI, 13) et sacerdotes (*Exod.* XXX, 30): ille vero unctus est et Rex et Sacerdos. Rex pugnavit pro nobis, Sacerdos obtulit se pro nobis. Quando pro nobis pugnavit, quasi victus est; vere autem vicit. Crucifixus est enim, et de cruce sua, in qua erat fixus, diabolum occidit: et inde Rex noster. Unde autem Sacerdos? Quia se pro nobis obtulit. Date Sacerdoti quod offerat. Quid inveniret homo quod daret mundam victimam [2]? Quam victimam? Quid mundum potest efferre

[1] Ita melioris notæ Mss. Alii vero: *Non quomodo terra ista Getulia fert sexagenum*, etc. Edd.: *Non quomodo fert terra ista Getuliæ sexagenum*, etc.

[2] Aliquot Mss., *ad Dominum fructum pertinere.*

[3] Nonnulli Mss. omittunt, *non in Ario.*

(*a*) Hinc merito conjicias sermonem Hippone habitum vivente Proculiano sive Proculeiano, ejusdem urbis ex Donatistarum parte episcopo circiter initium quinti sæculi: de quo vide August. Epistt. 33, 34, 35, 78 et 88.

[1] Sic Mss. At Edd.: *Nemo sibi arroget, nemo sibi deroget partes ipsius.*

[2] Corbeiensis Ms., *quod daret mundum? Quam victimam?*

peccator? O inique, o impie! quidquid attuleris immundum est, et aliquid mundum pro te offerendum est. Quære apud te quid offeras; non invenies. Quære ex te quod offeras; non delectatur arietibus, nec hircis, nec tauris. Omnia ipsius sunt, etsi non offeras. Offer ergo illi mundum sacrificium. Sed peccator es, impius es, sed inquinatam conscientiam habes. Poteris forte aliquid mundum offerre, purgatus; sed ut purgeris, aliquid pro te offerendum est. Quid ergo pro te oblaturus es, ut munderis? Si mundatus es, poteris offerre quod mundum est. Offerat ergo seipsum mundus sacerdos, et mundet. Hoc est quod fecit Christus. Nihil mundum invenit in hominibus, quod offerret pro hominibus; seipsum obtulit mundam victimam [1]. Felix victima, vera victima, hostia immaculata! Non ergo hoc obtulit quod nos illi dedimus: imo hoc obtulit quod a nobis accepit, et mundum obtulit. Carnem enim a nobis accepit, hanc obtulit. Sed unde illam accepit? De utero virginis Mariæ, ut mundam offerret pro immundis. Ipse Rex, ipse Sacerdos; in eo lætemur.

7. [*vers.* 3.] *Laudent nomen ejus in choro.* Et chorus quid significat? Multi noverunt chorum; et quia in civitate loquimur, prope omnes norunt. Chorus est consensio cantantium. Si in choro cantamus, concorditer cantemus. In choro cantantium quisquis voce discrepuerit, offendit auditum, et perturbat chorum. Si vox inconvenienter cantantis disturbat concentum cantantium, quomodo disturbat hæresis dissonans concentum laudantium? Chorus Christi jam totus mundus est. Chorus Christi ab oriente in occidentem consonat [2]. Videamus si tantum extenditur chorus Christi. Dicit psalmus alius: *A solis ortu usque ad occasum laudate nomen Domini* (*Psal.* CXII, 3). *Laudent nomen ejus in choro.*

8. *In tympano et psalterio psallant ei.* Quare assumit tympanum et psalterium? Ut non sola vox laudet, sed et opera. Quando assumitur tympanum et psalterium, manus concinunt voci. Sic et tu, si quando Alleluia cantas, porrigas et panem esurienti, vestias nudum, suscipias peregrinum; non sola vox sonat, sed et manus consonat, quia verbis facta concordant. Assumpsisti organum, et consentiunt digiti linguæ. Et ipsum mysterium tympani et psalterii non est tacendum. In tympano corium extenditur, in psalterio chordæ extenduntur: in utroque organo caro crucifigitur. Quam bene psallebat in tympano et psalterio, qui dicebat: *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14)! Ipsum psalterium, velut tympanum [3] tollere te vult, qui amat canticum novum, qui te docet quando tibi dicit: *Qui vult esse meus discipulus, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XVI, 24). Non dimittat psalterium suum, non dimittat tympanum: extendatur in ligno, et siccetur a concupiscentia carnis. Nervi quanto plus fuerint extenti, tanto acutius sonant. Ut ergo acute sonaret Pauli apostoli psalterium, quid dixit? *Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, sequor ad palmam supernæ vocationis* (*Philipp.* III, 13, 14). Extendit se ipse; tetigit Christus, et sonavit dulcedo veritatis. *In tympano et psalterio psallant ei.*

9. [*vers.* 4.] *Quoniam benefecit Dominus in populo suo.* Quid tam beneficum, quam mori pro impiis? quid tam beneficum, quam sanguine justo delere chirographum peccatoris? quid tam beneficum, quam dicere: Non ad me pertinet quod fuistis; estote quod non fuistis? *Benefecit Dominus in populo suo*, dimittendo peccata, promittendo vitam æternam. Benefacit aversum convertere, pugnantem adjuvare, vincentem coronare: *Benefecit Dominus in populo suo. Et exaltabit* [1] *mansuetos in salute* [2]. Exaltantur enim et superbi, sed non in salute. Mansueti in salute, superbi in morte: id est, superbi ipsi se exaltant, et Dominus eos humiliat; mansueti autem ipsi se humiliant, et Deus eos exaltat. *Et exaltabit mansuetos in salute.*

10. [*vers.* 5, 6.] *Exsultabunt sancti in gloria.* Aliquid volo dicere; audite attentius de gloria sanctorum. Nemo est enim qui non amet gloriam. Sed gloria stultorum, popularis illa quæ dicitur, habet illecebram deceptionis, ut ad laudes vanorum hominum [3] quisque commotus, velit sic vivere, ut prædicetur ab hominibus quibuscumque, quomodocumque. Hinc homines insani effecti, et inflati typho, inanes intus, foris tumidi, etiam res suas perdere volunt, donando scenicis, histrionibus, venatoribus, aurigis. Quanta donant! quanta impendunt! Effundunt vires, non patrimonii tantum, sed etiam animi sui. Isti fastidiunt pauperem, quia non clamat populus, ut pauper accipiat; clamat autem populus, ut venator accipiat. Illi ergo ubi eis non clamatur, nolunt erogare: ubi clamatur ab insanis, insaniunt; et fiunt omnes insani, et qui spectatur, et qui spectat, et qui donat. Insana ista gloria reprehenditur a Domino, improbatur ante oculos Omnipotentis. Et tamen, fratres mei, Christus sic improperat suis, et dicit: Non a vobis accepi tantum, quantum acceperunt venatores; et illis ut donaretis, de meo donastis: ego autem *nudus eram, et non vestistis me.* Et illi: *Et quando te vidimus nudum, et non vestivimus te?* Et ille: *Cum uni ex minimis meis non fecistis, nec mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 43-45). Sed eum vis vestire, qui tibi placet: in quo tibi Christus displicet? Vestire vis venatorem, quo forte victo erubescas: Christus nunquam vincitur; et diabolum vicit, et pro te vicit, et tibi vicit, et in te vicit. Talem victorem vestire non vis. Quare? Quia minus clamatur, quia minus insanitur. Propterea isti qui tali gloria delectantur, in conscientia sua nihil habent. Quomodo exhauriunt arcas, ut vestes mittant [4]; sic

[1] Hic in Edd. additur, *hostiam immaculatam*: et infra, post, *vera victima*, reperitur, *munda victima*; quæ verba Mss. auctoritate sustulimus.

[2] Aliquot Mss., *et occidente consonat.*

[3] Lov., *vel tympanum*, dissentientibus cæteris libris.

[1] Mss., *exaltavit.*

[2] Sic Mss. juxta LXX. At Edd., *in salutem*: et infra, *in mortem.*

[3] Sic Mss. At Am., *delectationis, ut ad laudem suam et honorem hominum.* Er., *delectationis et deceptionis, ut ad laudem suam et honorem vanorum hominum.* Sic etiam editio Lov. excepto quod non addit, *et deceptionis.*

[4] Am. et Er., *nutent.* Lov., *niteant.* Castigantur ad Mss.

exinaniunt ipsam conscientiam, ut nihil ibi habeant pretiosum.

11. Sancti autem qui exsultant in gloria, quomodo exsultent, non opus est ut nos dicamus; ipsius Psalmi audite sequentum versum: *Exsultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis*. Non in theatris, non in amphitheatris, non in circis, non in nugis, non in foris; sed, *in cubilibus suis*. Quid est, *in cubilibus suis?* In cordibus suis. Audi apostolum Paulum exsultantem in cubili suo: *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (II *Cor.* I, 12). Rursum timendum est ne quisque apud seipsum fiat sibi placens, et quasi superbus de conscientia sua glorietur. Debet enim quisque cum tremore exsultare (*Psal.* II, 11); quia donum Dei est unde exsultat, non meritum suum. Etenim sunt multi sibi placentes, et justos se esse arbitrantes; et procedit adversus illos alia pagina dicens: *Quis gloriabitur castum se habere cor; aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato* (*Prov.* XX, 9)? Est ergo quidam modus in conscientia gloriandi, ut noveris fidem tuam esse sinceram, noveris esse spem tuam certam, noveris charitatem tuam esse sine simulatione. Sed quoniam multa sunt adhuc forte quæ possunt offendere oculos Dei, lauda Deum qui tibi ista donavit; tunc perficiet quod donavit. Propterea cum dixisset, *Lætabuntur in cubilibus suis;* ne quasi sibi placentes viderentur, adjunxit statim, *Exsultationes Dei in faucibus eorum*. Sic lætabuntur in cubilibus suis, ut non sibi tribuant quod boni sunt, sed illum laudent a quo acceperunt quod sunt, a quo vocantur ut perveniant ad id quod nondum sunt, et a quo sperant perfectionem; cui gratias agunt, quia inchoavit: *Exsultationes Dei in faucibus eorum*. Jam videte sanctos, videte gloriam eorum, videte per universum mundum, videte quod *exsultationes Dei* sint *in faucibus eorum*.

12. *Et frameæ bis acutæ in manibus eorum*. Framea appellatur, quam vulgo spatham dicunt. Sunt enim gladii ex una parte acuti, ipsæ sunt machæræ. Ipsæ autem frameæ, ipsæ et romphææ, ipsæ etiam spathæ appellantur. Magnum mysterium habet hoc genus ferramenti, quod ex utraque parte acutum est. Ipsæ *frameæ* sunt *bis acutæ in manibus eorum*. Frameas bis acutas intelligimus sermonem Domini: et una framea est; sed ideo multæ dicuntur, quia multa ora sunt, et multæ linguæ sanctorum. Sermo ergo Dei, gladius bis acutus (*Hebr.* IV, 12). Unde bis acutus? Dicit de temporalibus, dicit de æternis. In utroque probat quod dicit, et eum quem ferit, separat a mundo. Nonne ipse est gladius, de quo Dominus dicit: *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium* (*Matth.* X, 34)? Attende quomodo venit disjungere, quomodo venit separare. Disjungit sanctos, disjungit impios, separat a te quod te impedit. Filius vult servire Deo, pater non vult: venit gladius, venit sermo Dei; dividit filium a patre. Filia vult, mater non vult; gladio dividuntur ab invicem. Nurus vult, socrus non vult; veniat gladius bis acutus, afferat promissionem vitæ præsentis et futuræ, consolationem temporalium, æternorum perfruitionem. Ecce gladius ex utraque parte acutus, promittens temporalia et æterna. In quo nos fefellit [1]? Nonne Ecclesia Dei per totum mundum non erat? Ecce est. Antea legebatur, et non videbatur: modo sicut legitur, ita cernitur. Quidquid temporaliter nobis promissum est, ad unam partem gladii pertinet: quidquid in sempiternum, ad alteram partem gladii pertinet. Habes spem futurarum rerum, habes consolationem præsentium; noli retrahi ab eo qui vult retrahere: pater, mater, soror, uxor sit, amicus sit, non te retrahat; et utilis tibi erit gladius bis acutus. Utiliter te ille separat, male te tu conglutinas. Venit ergo Dominus noster ferens gladium bis acutum, promittens æterna, implens temporalia. Nam ideo et duo Testamenta dicuntur. Quæ erant ergo *frameæ bis acutæ in manibus eorum?* Duo Testamenta ad gladium bis acutum pertinent: Vetus Testamentum terrena promittit, Novum æterna. In utroque sermo Dei verax inventus est, ut gladius bis acutus. Quare ergo in manibus, et non in linguis? *Et frameæ bis acutæ*, inquit, *in manibus eorum*. *In manibus* dixit, in potestate. Acceperunt ergo sermonem Dei in potestate, ut ubi vellent dicerent, cui vellent dicerent; non timerent potestatem, non contemnerent paupertatem. In manibus enim habebant gladium, qua volebant, vibrabant, versabant, percutiebant: et hoc totum erat in potestate prædicantium. Nam si non est in manibus sermo: ne forte aliquis dicat, Quomodo sermo est gladius bis acutus, et quomodo in manibus? si ergo sermo non est in manibus, quare scriptum est, *Factus est sermo Domini in manu Aggæi prophetæ* (*Aggæi* I, 1)? Numquid, fratres, sermonem suum Deus in digitis ipsius fecit? Quid est, *in manu* ipsius *factus est?* In potestate illi datum est prædicare sermonem Domini. Postremo possumus etiam has manus aliter intelligere. Nam qui locuti sunt, in lingua habuerunt sermonem Dei; qui scripserunt, in manibus: *Et frameæ bis acutæ in manibus eorum*.

13. [*vers.* 7.] Jam, fratres, videtis sanctos armatos; attendite strages, attendite gloriosa prælia. Si enim imperator, et miles; si miles, et hostis; si bellum, et victoria. Quid fecerunt isti habentes in manibus frameas bis acutas? *Ad faciendam vindictam in gentibus*. Videte si non est vindicta facta in gentibus. Quotidie ipsa fit; hoc agimus et nos loquendo. Attendite quomodo cæsæ sunt gentes Babyloniæ. Illi redditur duplum: sic enim de illa scriptum est, *Reddite illi duplum, ad quod fecit* (*Apoc.* XVIII, 6). Quomodo redditur duplum? Bellant sancti, educunt frameas bis acutas; fiunt strages, fiunt occisiones, separationes: quomodo illi duplum redditur? Illa quando poterat persequi Christianos, carnem occidebat, Deum non confringebat: modo illi duplum redditur; et Pagani exstinguuntur [2], et idola franguntur. Quomodo, inquies, Pagani occiduntur? Quomodo, nisi cum Christiani fiunt? Quæro paganum, non invenio; chri-

[1] Sic aliquot Mss. At Edd., *promittens temporalia, in quibus nos non fefellit.*
[2] Christinæanus Ms., *et pagania occiditur.*

stianus est : ergo mortuus est paganus. Nam si non occiduntur, unde dictum est Petro : *Macta et manduca* (*Act.* x, 13)? Unde ipse Saulus occisus est persecutor, et Paulus erectus est prædicator? Quæro Saulum persecutorem, et non invenio; occisus est. Unde? De framea bis acuta. Sed quia occisus est in se, et vivificatus est in Christo, ideo confidens dicit : *Vivo autem jam non ego; vivit autem in me Christus* (*Galat.* II, 20). Quomodo illi fit, sic per illum. Etenim cum factus esset prædicator, accepit et ipse in manibus frameam bis acutam, *ad faciendam vindictam in gentibus*. Et ne vere tu putares homines ferro percuti, sanguinem fundi, vulnera in carne fieri, sequitur, et exponit : *Objurgationes in populis*. Objurgatio quæ est? Correptio. Procedat ex vobis framea bis acuta, nolite cessare; dedit illam vobis Deus pro modulo vestro. Qualis homo es, qui idola colis? Dic amico tuo, si tamen remansit cui dicas : Qualis homo es, qui dimisisti eum a quo factus es, et adoras quod fecisti? Melior est faber, quam quod fabricat faber. Si fabrum adorare erubescis, quod faber fecit, non erubescis? Cum cœperit erubescere, cum cœperit compungi, fecisti vulnus de framea; pervenit ad cor, moriturus est ut vivat : *Frameæ bis acutæ in manibus eorum, ad faciendam vindictam in gentibus, objurgationes in populis*.

14. [*vers.* 8.] *Ut alligent reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in vinculis ferreis. Ut faciant in eis judicium conscriptum*. Facile exposuimus quomodo de frameis cadant ut exsurgant, separentur ut congregentur, vulnerentur ut sanentur, moriantur ut vivant : sed quid faciemus? quomodo exponemus, *Ad alligandos reges eorum in compedibus?* Reges gentium alligandi in compedibus; *et nobiles eorum in vinculis*, addidit *ferreis*. Adestote, ut agnoscatis quod nostis. Isti enim versus quos cœpimus exponere, obscuri sunt; sed illud quod ex illis dicturus sum, non est novum. Jam notum est vobis; modo non discere opus habetis, sed commemorari. Ad hoc autem voluit Deus obscure ponere quosdam versus suos, non ut aliquid novum de illis eruatur; sed ut quod jam usitatum erat [1], obscuris expositis innovetur. Novimus reges factos christianos, novimus nobiles gentium factos christianos. Sunt hodieque, et fuerunt [2], et erunt; et non cessant frameæ bis acutæ in manibus sanctorum. Quomodo ergo ligatos compedibus et vinculis ferreis intelligimus? Scit Charitas vestra et eruditio (quia in Ecclesia nutriti estis, et soletis audire divinas lectiones), quoniam *infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia; et stulta mundi elegit Deus, ad confundendos sapientes; et ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, ut quæ sunt evacuentur*. Sic enim ait Apostolus : *Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed stulta mundi elegit Deus, et infirma mundi, ut confunderet fortia; et ignobilia et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, ut ea quæ sunt evacuentur* (I *Cor.* I, 26-28). Venit Deus Christus prodesse omnibus : sed elegit prodesse imperatori de piscatore, non piscatori de imperatore; et elegit ea quæ nullius momenti erant in mundo. Ipsos implevit Spiritu suo, dedit eis frameas bis acutas, prædicare præcepit Evangelium, et ire per totum orbem terrarum (*Matth.* XXVIII, 19). Fremuit mundus, erexit se leo adversus agnum : sed fortior leone inventus est agnus. Leo victus est sæviendo, agnus vicit patiendo. Conversa sunt corda hominum ad timorem Christi; cœperunt reges, cœperunt nobiles miraculis commoveri, prophetiæ adimpletione turbari, videre in unum nomen concurrere genus humanum. Et quid facerent? Multi elegerunt ignobilitatem, et dimittentes domos suas, substantias suas distribuentes pauperibus, cucurrerunt ad perfectionem. Tali enim imperfecto dicitur a Domino : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlis* (*Id.* XIX, 21). Multi ex nobilibus fecerunt hoc : sed cessaverunt isti nobiles esse gentium; elegerunt paupertatem in sæculo, nobilitatem in Christo. Multi autem tenent ipsam nobilitatem [1], tenent regias potestates, et sic sunt christiani. Ipsi sunt tanquam in compedibus, et tanquam in vinculis ferreis. Unde hoc? Ne progrederentur ad illicita, compedes acceperunt; compedes sapientiæ, compedes verbi Dei.

15. Quare ergo vincula ferrea, et non vincula aurea? Ferrea sunt quamdiu timent; ament, et aurea erunt. Attendat Charitas vestra quid loquar. Audistis modo apostolum Joannem : *Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor tormentum habet* (I *Joan.* IV, 18). Hoc est vinculum ferreum. Et tamen nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem. Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX, 10). Incipit ergo a vinculis ferreis, finitur ad torquem aureum. Dictum est enim de Sapientia, *Et torquem aureum circa tuam cervicem* (*Eccli.* VI, 25). Non tibi imponeret torquem aureum, nisi primo in compedibus ferreis te alligasset. Cœpisti a timore, consummaris ad sapientiam [2]. Quam multi sunt qui propterea nolunt male facere, quia gehennas timent, quia cruciatus timent? Nondum amant justitiam. Si illis promitteretur impunitas, et diceretur eis, Facite quod vultis securi, impunitum vobis erit; emitterent progressus libidinum suarum in quæque nequissima : et maxime, fratres mei, maxime reges et nobiles, quibus non facile dicitur, Quid fecisti? Nam pauper homo, etsi non timeat Deum; quia nullarum virium est, nullarum facultatum; ne cum se commoverit, in supplicium rapiatur, cessat timore hominis, etsi non Dei. Potentes autem mundi, reges, nobiles, nisi Deum timeant, quid timebunt? Sed prædicatur illis, et percutiuntur framea bis acuta. Dicitur illis quia est qui ponat alios ad dexteram, alios ad sinistram; ut dicat

[1] Sic Mss. Edd. vero, *inusitatum erat*.
[2] Er. Lugd. Ven : *Sunt hodie quæ fuerunt*. M.

[1] Hic in Edd. additur, *in Christo* : quod abest a Mss.
[2] Edd., *a sapientia*. At omnes Mss., *ad sapientiam* : et ex his plures habent, *consummare*.

eis qui a sinistris sunt : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* xxv, 33, 41). Nondum diligunt justitiam, sed timent pœnam; et timendo pœnam, jam acceperunt compedes, et in vinculis ferreis erudiuntur. Venit ad nos homo de sæculo potens; offendit illum uxor sua, aut forte concupivit alterius pulchriorem, aut alteram ditiorem : vult dimittere eam quam habet, et non facit. Audit a servo Dei, audit a propheta, audit ab apostolo, et non facit [1]; audit ab eo in cujus manibus est framea bis acuta, Non facies, non licet tibi, non permittit Deus dimittere uxorem, excepta causa fornicationis (*Id.* v, 32.) : audit hoc, timet, et non facit. Pedes leves jam progrediebantur in lapsum, compedibus tenentur; habet vincula ferrea, timet Deum. Dicitur illi : Damnabit te Deus, si feceris; judex est supra omnes, audit gemitum uxoris tuæ, reus teneberis in conspectu ejus. Hac concupiscentia blanditur, hac pœna deterret. Ibat ad consentiendum pravæ cupiditati, nisi vincula ferrea retinerent. Quod plus est, si dicat, Continere jam volo, nolo jam uxorem : Non potes. Quid, si tu vis, et illa non vult? numquid per continentiam tuam debet illa fieri fornicaria [2]? Si alii nupserit te vivo, adultera erit. Non vult tali lucro Deus compensare tale damnum. Redde debitum; etsi non exigis, redde. Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod debet exigis [3], sed reddis quod debetur uxori. Times, non facis; concutiuntur vincula tua. Audi quia vinculis ferreis constrictus es : *Alligatus es uxori? Ne quæsieris solutionem* (I *Cor.* vii, 39, 3, 27). Durum est, ferreum est. Nam quando Dominus hoc ait, ostendit quia vinculum est ferreum : (adolescentes audite : vincula ferrea sunt, nolite pedes mittere; cum miseritis, arctius constringemini compedibus. Tales compedes consolidant vobis et episcopi manus. Numquid non fugiunt in Ecclesiam compediti, et solvuntur hic? Viri fugiunt huc volentes dimittere uxores suas; hic arctius colligantur : nemo solvit [4] has compedes). *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Sed dura sunt vincula. Quis nesciat? Ipsam duritiam doluerunt Apostoli, et dixerunt : *Si talis est causa cum uxore, non expedit nubere.* Si vincula ferrea sunt, non opus est ut illic pedes mittantur. Et Dominus : *Non omnes capiunt verbum istud ; sed qui potest capere, capiat* (*Matth.* xix, 6, 10, 11). *Alligatus es uxori? Ne quæsieris solutionem;* quia alligatus es vinculis ferreis. *Solutus es ab uxore? ne quæsieris uxorem* (I *Cor.* vii, 27); non te colliges vinculis ferreis.

16. [*vers.* 9.] *Ut faciant in eis judicium conscriptum.* Hoc est judicium quod faciunt sancti per omnes gentes. Quare, *conscriptum?* Quia ista antea conscripta sunt, et modo complentur. Ecce modo fiunt : aliquando legebantur, et non fiebant. Et conclusit ita : *Gloria hæc est omnibus sanctis ejus.* Per totum mundum, per universas gentes hoc sancti agunt, sic glorificantur : sic exaltant Deum in faucibus suis, sic lætantur in cubilibus suis, sic exsultant in gloria sua, sic exaltantur in salute, sic cantant canticum novum, sic dicunt Alleluia, corde, ore, vita. Amen.

[1] Plerique Mss., *quam habet. Non facis, audit a servo Dei, audit a propheta, audit ab apostolo, Non facis.* Et infra: *Non facis, non licet tibi*, etc.

[2] Er. Lugd. Ven. sic habent hunc locum : *Dicam quod plus est : sed dicat, Continere jam volo, nolo jam uxorem, non potest... numquid per continentiam tuam debes illam facere fornicariam.* M.

[3] Sic plures Mss. Edd. vero : *Si quod non debetur exigis.*

[4] Sic Mss. At Edd., *nemo solvat.*

IN PSALMUM CL
ENARRATIO.

1. Quamvis ordo Psalmorum, qui mihi magni sacramenti videtur continere secretum nondum mihi fuerit revelatus ; tamen quia omnes centum quinquaginta numerantur, etiam nobis qui totius ordinis eorum altitudinem adhuc acie mentis non penetravimus, insinuant aliquid, unde non impudenter, quantum Dominus adjuvat, disputare possimus. Primum quindenarius numerus, ex quo iste multiplicatur (quod enim valent quindecim in ordine singulorum, hoc valent centum quinquaginta in ordine denariorum, quoniam quindecies deni eos faciunt; hoc valent mille quingenti in ordine centenariorum, quoniam quindecies centeni sunt; hoc valent quindecim millia in ordine millenariorum, quoniam quindecies mille sunt) : quindenarius ergo numerus concordiam significat duum Testamentorum. In illo enim observatur sabbatum, quod significat quietem (*Exod.* xx, 10) : in isto dominicus dies, qui significat resurrectionem. Sabbatum autem est dies septimus : dominicus vero post septimum, quid nisi octavus, idem qui primus habendus est? Ipse enim dicitur etiam *una sabbati* (*Marc.* xvi, 2), ut deinde sit secunda, tertia, quarta, et deinceps usque ad septimum sabbatum. A dominico autem usque ad dominicum octavus est dies : ubi Testamenti Novi revelatio declaratur, quod in Veteri tanquam sub terrenis promissionibus tegebatur. Septem porro et octo quindecim sunt. Tot sunt et cantica quæ appellantur graduum, quoniam totidem fuerant etiam templi gradus. Deinde et quinquagenarius numerus magnum sacramentum per se gerit. Constat enim de septimana septimanarum, addito uno tanquam ipso octavo ad quinquagenarium numerum terminandum. Septies quippe septem quadraginta novem faciunt; quibus unus additur, ut fiant quinquaginta. Qui numerus quinquagenarius usque adeo magnæ significationis est, ut ex Domini resurrectione tot diebus completis, ipso quinquagenario die venerit super eos qui in Christo fuerant congregati, Spiritus sanctus (*Act.* ii, 1-4). Qui spiritus sanctus in Scripturis septenario præcipue numero commendatur, sive apud Isaiam, sive in Apocalypsi (*Apoc.* i, 20); ubi apertissime septem Spiritus Dei perhibentur, propter operationem septenariam unius ejusdemque Spiritus. Quæ operatio septenaria per Isaiam prophetam ita commemoratur : *Requiescet super eum Spiritus Dei; Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et*

pietatis, *Spiritus timoris Domini* (*Isai.* XI, 2, 3). Ipse debet intelligi timor Domini castus, permanens in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10). Servilem autem timorem consummata charitas foras mittit (I *Joan.* IV, 18); et nos liberos facit, ne servilia opera faciamus, quæ sabbato prohibentur. Charitas autem Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V, 5). Hinc quoque Spiritus sanctus septenario numero commendatur. Quinquagenarium vero etiam in quadraginta et decem Dominus dispertitus est. Die quippe quadragesimo post resurrectionem suam ascendit in cœlum, ac deinde completis diebus decem misit Spiritum sanctum: quadragenario scilicet numero temporalem in hoc mundo cohabitationem commendans. Quoniam quaternarius in quadraginta numerus prævalet; quatuor autem partes habet mundus et annus: denario vero addito, velut mercede pro impleta lege bonis operibus reddita, ipsa æternitas figuratur. Hunc quinquagenarium triplum habet centesimus et quinquagesimus numerus, tanquam eum multiplicaverit trinitas. Unde et hac causa non inconvenienter intelligimus istum numerum esse Psalmorum. Nam et in illo numero piscium qui capti sunt retibus post resurrectionem missis, ad centum quinquaginta additis tribus (*Joan.* XXI, 11), velut admonitio videtur facta, in quot partes debeat iste numerus dispertiri, ut ter habeat quinquagenos. Quanquam ille numerus piscium habeat et aliam rationem multo subtiliorem et jucundiorem, quod decem et septem in trigonum missis, id est, ab uno usque ad decem et septem omnibus computatis, ad eumdem numerum pervenitur. In decem autem Lex, in septem vero Gratia significatur; quia Legem non implet, nisi charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui septenario numero significatur.

2. Quod ergo quidam [1] omnium Psalmorum quinque libros esse crediderunt, illud secuti sunt, quoties in fine psalmi dictum fuerit, *Fiat, fiat* (*Psal.* XL, LXXI, LXXXVIII, *et* CV). Sed hujus dispertitionis rationem cum vellem comprehendere, non valui: quia nec ipsæ quinque partes æquales sunt inter se, etsi non scripturæ quantitate, saltem Psalmorum ipso numero, ut tricenos haberent. Et si uniuscujusque libri finis est. *Fiat, fiat;* cur liber quintus idemque ultimus non eodem fine sit terminatus, merito quæri potest. Nos autem Scripturæ canonicæ auctoritatem sequentes, ubi legitur, *Scriptum est enim in libro Psalmorum* (*Act.* I, 20); unum Psalmorum librum esse novimus. Et video quidem quomodo et hoc verum sit, et illud si verum est, huic vero non reluctetur. Fieri enim potest ut aliqua consuetudine litterarum hebræarum unus liber dicatur, qui constat ex pluribus; sicut ex Ecclesiis pluribus una constat Ecclesia, et ex pluribus cœlis unum cœlum (Non enim cœlorum aliquod prætermisit qui dixit, *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram* [*Psal.* CXX, 2]. Et cum Scriptura dicat, *Et vocavit Deus firmamentum cœlum;* et aquas esse super firmamentum [*Gen.* I, 8, 7], hoc est super cœlum: non mentitur tamen eadem Scriptura dicens, *Et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini* [*Psal.* CXLVIII, 4, 5]; quia non ait, super cœlum), et una terra ex multis terris. Nam et orbem terræ, et orbem terrarum, quotidiana consuetudine dicimus. Et qui ait, *Scriptum est in libro Psalmorum*, quanquam mos loquendi sic se habeat, ut unum esse librum insinuare voluisse videatur; tamen responderi potest, *in libro Psalmorum* esse dictum, In aliquo libro eorum quinque: quod in usu locutionis usque adeo vel non est, vel raro est, ut etiam duodecim Prophetarum unum librum esse ideo persuadeatur, quia similiter legitur, *Sicut scriptum est in libro Prophetarum* (*Act.* VII, 42). Sunt etiam qui universas omnino Scripturas canonicas unum librum vocent, quod valde mirabili et divina unitate concordent: et hinc esse dictum, *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam;* ut sic intelligatur per Filium Pater fecisse mundum, cujus conditio principium Scripturarum est in libro Geneseos. Vel magis quia prophetia videtur esse, non facta narrans, sed futura prænuntians (non enim ait, quod fecerim; sed, *ut faciam*, sive, *ut facerem voluntatem tuam*); ad illud hæc sententia referenda est, quod in primis partibus ejusdem libri scriptum est, *Erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24). Quod sacramentum magnum dicit Apostolus, in Christo et in Ecclesia (*Ephes.* V, 31, 32). Quanquam et iste Psalmorum liber potest intelligi significatus, ubi dictum est, *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam:* sequitur enim, *Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.* De ipso quippe accipitur prophetatus in capite libri hujus psalmus ipse primus, *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiarum non sedit: sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte* (*Psal.* I, 1, 2): ut hoc sit quod dictum est, *Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.* Quod autem sequitur, *Evangelizavi justitiam tuam in Ecclesia magna* (*Psal.* XXXIX, 8-10); congruentius ad illud refertur, *Et erunt duo in carne una.*

3. Sive ergo illud, sive hoc intelligatur quod dictum est, *In capite libri;* liber iste Psalmorum per quinquagenos, si per ipsos quinquagenarios articulos interrogetur, magnum aliquid et valde dignum consideratione respondet. Non enim frustra mihi videtur quinquagesimus esse de pœnitentia, centesimus de misericordia et judicio, centesimus quinquagesimus de laude Dei in sanctis ejus. Sic enim ad æternam beatamque tendimus vitam, primitus peccata nostra damnando, deinde bene vivendo, ut post condemnatam vitam malam gestamque bonam, mereamur æternam. Secundum propositum enim occultissimæ justitiæ bonitatisque suæ Deus, *quos prædestinavit, illos et vocavit; et quos vocavit, ipsos et justificavit; quos autem justificavit, ipsos et glorificavit* (Rom. VIII, 30). Prædestinatio nostra non in nobis facta est, sed in

[1] Regius Ms.: *Quod græcorum quidam.*

occulto apud ipsum, in ejus præscientia. Tria vero reliqua in nobis fiunt, vocatio, justificatio, glorificatio. Vocamur prædicatione pœnitentiæ: sic enim cœpit Dominus evangelizare, *Agite pœnitentiam; appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III, 2; *et* IV, 17). Justificamur in vocatione misericordiæ, et timore judicii: hinc est quod dicitur, *Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me* (*Psal.* LIII, 3). Non timet judicari, qui impetraverit ante salvari. Vocati, renuntiamus diabolo per pœnitentiam, ne sub jugo ejus remaneamus: justificati, sanamur per misericordiam ne judicium timeamus: glorificati, transimus in vitam æternam, ubi Deum sine fine laudamus. Ad hoc pertinere arbitror quod Dominus ait: *Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia*[1] *consummor* (*Luc.* XIII, 32). Quod etiam in triduo suæ passionis et dormitionis et evigilationis ostendit. Crucifixus est enim, et sepultus, et resurrexit. In cruce de principibus et potestatibus triumphavit, in sepulcro requievit, in resurrectione exsultavit. Pœnitentia cruciat, justitia tranquillat, vita æterna glorificat. Pœnitentiæ vox est: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam; et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Hæc offert sacrificium Deo spiritum contribulatum, cor contritum et humiliatum (*Psal.* L, 3, 19). Justitiæ Christi vox est in electis suis: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine; psallam, et intelligam in via immaculata, quando venies ad me.* Per misericordiam quippe adjuvamur ad faciendam justitiam, ut securi ad judicium veniamus; ubi disperduntur *de civitate Domini omnes qui operantur iniquitatem* (*Psal.* C, 1, 2, 8). Quo versu psalmus iste concluditur, vitæ[2] æternæ vox est.

4. [*vers.* 1, 2.] *Laudate Dominum in sanctis ejus:* utique in eis quos glorificavit. *Laudate eum in firmamento virtutis ejus. Laudate eum in virtutibus ejus;* vel, ut alii interpretati sunt, *in potentatibus ejus. Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.* Omnia ista ipsi sunt sancti ejus; quomodo dicit Apostolus: *Ut nos simus justitia Dei in ipso* (II *Cor.* V, 21). Si ergo justitia Dei quam fecit in eis, cur non et virtus Dei quam fecit in eis, ut resurgerent a mortuis? Nam et in Christi resurrectione virtus maxime commendatur; quia in passione infirmitas fuit, dicente Apostolo, *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (*Id.* XIII, 4): et alio loco, *Ad cognoscendum,* inquit, *eum, et virtutem resurrectionis ejus* (*Philipp.* III, 10). Optime autem ait, *In firmamento virtutis ejus.* Firmamentum est enim virtutis, quia jam non moritur, et mors ei[3] ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9). Cur non et potentatus Dei dicantur, quos in eis fecit? Imo ipsi sint potentatus ejus; quomodo dictum est, *Nos* sumus *justitia Dei in ipso.* Quid enim potentius, quam regnare in æternum, sub pedibus positis omnibus inimicis? Cur non ipsi sint etiam multitudo magnitudinis ejus? Non qua[1] ipse magnus est, sed qua magnos eos fecit, tam multos, hoc est, millia millium. Sicut aliter intelligitur justitia qua est ipse justus; aliter quam in nobis facit, ut nos simus justitia ejus.

5. Iidem ipsi sancti sunt in omnibus musicis organis deinceps significati, ad laudandum Deum. Quod enim proposuit dicens, *Laudate Dominum in sanctis ejus,* hoc exsequitur, varie significans eosdem ipsos sanctos ejus.

6. [*vers.* 3.] *Laudate eum in sono tubæ:* propter laudis excellentissimam claritatem. *Laudate eum in psalterio et cithara.* Psalterium est de superioribus laudans Deum, cithara de inferioribus laudans Deum; tanquam de cœlestibus et terrestribus, tanquam eum qui fecit cœlum et terram. Jam quippe in alio psalmo exposuimus psalterium desuper habere sonorum illud lignum, cui nervorum series, ut meliorem sonum reddat, incumbit: quod lignum cithara inferius habet.

7. [*vers.* 4.] *Laudate eum in tympano et choro.* Tympanum laudat Deum, cum jam in carne mutata nulla est terrenæ corruptionis infirmitas. De corio quippe fit tympanum exsiccato atque firmato. Chorus laudat Deum, quando laudat eum pacata societas. *Laudate eum in chordis et organo.* Chordas habet et psalterium et cithara, quæ superius commemorata sunt. Organum autem generale nomen est omnium vasorum musicorum; quamvis jam obtinuerit consuetudo, ut organa proprie dicantur ea quæ inflantur follibus: quod genus significatum hic esse non arbitror. Nam cum organum vocabulum græcum sit, ut dixi, generale omnibus musicis instrumentis; hoc cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant. Ut autem organum dicatur, magis latina et ea vulgaris est consuetudo. Quod ergo ait, *in chordis et organo,* videtur mihi aliquod organum quod chordas habeat, significare voluisse. Non enim sola psalteria et citharæ chordas habent: sed quia in psalterio et cithara, propter sonum ab inferioribus et superioribus, inventum est aliquid quod secundum hanc distinctionem possit intelligi, aliud nos in ipsis chordis quærere admonuit; quia et ipsæ sunt caro, sed jam a corruptione liberata[2]. Quibus fortasse ideo addidit organum, non ut singulæ sonent, sed ut diversitate concordissima consonent, sicut ordinantur in organo. Habebunt enim etiam tunc sancti Dei differentias suas consonantes, non dissonantes, id est, consentientes, non dissentientes; sicut fit suavissimus concentus ex diversis quidem, sed non inter se adversis sonis. *Stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum* (I *Cor.* XV, 41, 42).

8. [*vers.* 5, 6.] *Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis.* Cymbala invicem tangunt ut sonent[3]; ideo a quibusdam labiis nostris comparata sunt. Sed melius intelligi puto in

[1] Edd., *tertia die*. Abest, *die*, a potioribus Mss. et a græco textu Evangelii.
[2] Edd., *et vitæ*, etc. Particula, *et*, redundat, nec est in Mss.
[3] Aliquot Mss., *non morientur, et mors eis ultra*, etc.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., hic et paulo post, *quia*. M.
[2] Sic meliores Mss. Edd. vero, *liberatæ*.
[3] Edd., *ut bene sonent*. Abest, *bene*, a Mss.

cymbalis quodammodo laudare Deum, dum quisque honoratur a proximo suo, non a seipso; et invicem honorantes dant laudem Deo. Ne quis autem cymbala intelligeret, quæ sine anima sonant, ideo puto additum, *in cymbalis jubilationis*. Jubilatio namque, id est ineffabilis laus, nonnisi ab anima proficiscitur. Nec prætereundum existimo quod musici dicunt, et res ipsa manifesta est, tria esse genera sonorum; voce, flatu, pulsu: voce, ut est per fauces et arterias, sine organo aliquo cantantis hominis; flatu, sicut per tibiam, vel quid ejusmodi; pulsu, sicut per citharam, vel quid ejusmodi. Nullum itaque genus hic prætermissum est: nam vox est in choro, flatus in tuba, pulsus in cithara; tanquam mens, spiritus, corpus; sed per similitudines, non per proprietates. Quod ergo proposuit, *Laudate Dominum in sanctis ejus*, quibus hoc dixit, nisi eis ipsis? Et in quibus ut Deum laudent, nisi in seipsis? Vos enim sancti ejus, inquit, virtus ejus estis, sed quam fecit in vobis; et potentatus ejus, et multitudo magnitudinis ejus, quam fecit et ostendit in vobis. Vos estis tuba, psalterium, cithara, tympanum, chorus, chordæ, et organum, et cymbala jubilationis bene sonantia, quia consonantia. Vos estis hæc omnia: nihil hic vile, nihil hic transitorium, nihil ludicrum cogitetur. Et quia sapere secundum carnem mors est, *Omnis spiritus laudet Dominum*.

SANCTI AURELII AUGUSTINI

(uti quidem in editis Er. et Lov. ad hujus tomi calcem habetur)

ORATIO,

Quam post singulos sermones atque tractatus dicere consuevit.

Conversi ad Dominum Deum Patrem omnipotentem, puro corde ei, quantum potest parvitas nostra, maximas atque veras gratias agamus: precantes toto animo singularem mansuetudinem ejus, ut preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur; inimicum quoque a nostris actibus et cogitationibus sua virtute expellat, nobis fidem multiplicet, mentem gubernet, spirituales cogitationes concedat, et ad beatitudinem suam perducat: per Jesum Christum filium suum Dominum nostrum, qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN PSALMUM XIV

ENARRATIO,

In tribus Mss. Vaticano, Regio et alio Dominicanorum conventus Claromontani reperta, proxime ante alteram, quam suo loco habes, ejusdem Psalmi expositionem: et maxima parte inserta vulgato sub nomine Hieronymi in Psalmos commentario.

1. [*vers.* 1.] Opportune quartus decimus psalmus lectus est; et secundum ordinem ita evenit, ut propemodum de industria lectus esse videatur. Secundum ordinem lectus est Psalmus, et ex dispensatione Dei puto factum esse ut quod vobis proderat, in ordine exponendi hodie recitaretur. Quartus decimus psalmus lectus est, qui præscribitur *Psalmus David*. David autem noster Christus est, ut sæpe diximus. Deinde legimus in Exodo, quia quarta decima die agnus immoletur (*Exod.* XII, 5, 6); quarta decima die immolatur, quando luna plena est, quando nihil ei deest de lumine: videte ergo quod Christus non immolatur nisi in perfecto et pleno lumine. Quoniam ergo quarta decima die immolandus est agnus vobis, nunc Propheta miratur, et interrogat, et dicit:

2. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Vos qui vultis habitare in tabernaculo Domini, audite quid dicitur. *Quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Non prius in monte, et postea in tabernaculo; sed prius in tabernaculo, et ita in monte. Tabernaculum non est firma domus, tabernaculum non habet fundamentum; sed huc illucque mutatur, et cum transmigrante migrat. Propterea dicitur, παροικία, non habitatio. *Domine, quis accolet in tabernaculo tuo?* Quoniam tabernaculum est, propterea παροικία dicitur. Videamus ergo quid est tabernaculum, quid est mons: cum tabernaculum non habeat fundamentum, sed domus incerta sit; montes autem firma habeant fundamenta; tabernaculum mihi videtur esse istius mundi Ecclesia. Nunc Ecclesiæ quas videtis, tabernacula sunt; non enim hic permanemus habitantes, sed alio migraturi sumus. Si enim transit schema mundi istius (I *Cor.* VII, 31), et dicitur in alio loco, Quia *cœlum et terra transibunt* (*Matth.* XXIV, 35): quanto magis et Ecclesiarum lapides quos videmus? Nunc ergo Ecclesiæ tabernacula dicuntur, quoniam migraturi sumus de istis ad montem sanctum Dei. Quis est iste mons Domini sanctus? Dicit Ezechiel contra principem Tyri: *Vulneratus es*, inquit, *a monte Domini. Et quis requiescet in monte sancto tuo* (*Ezech.* XXVIII, 16, *sec.* LXX)? Quoniam ergo de tabernaculis ad montes migraturi sumus; debemus discere qui sunt isti qui migraturi sunt in montem sanctum Dei.

3. [*vers.* 2.] Hoc quod dixit, *Quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* interrogantis est. Quod ergo interrogavit Propheta, nunc respondet Spiritus sanctus: et quid ei dicit? Vis scire, o Propheta, vis scire quis habitet in tabernaculo meo, aut quis requiescat in monte sancto meo? Audi quæ sequuntur: si hæc feceris quæ sequuntur, habitabis in monte sancto meo. Vos ergo qui vultis habitare in tabernaculo, et ascendere in montem sanctum Dei, non necesse est ut mea verba audiatis: audite quid Dominus Prophetæ responderit; hoc facite quod præcepit Dominus, et ascendetis in montem sanctum Domini. *Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam.* Propterea dicitur et in centesimo octavo decimo psalmo, *Beati immaculati in via* (*Psal.* CXVIII, 1): statim in principio dicitur, *Beati immaculati in via*. Quomodo ibi dicitur, *immaculati in via*; sic et hic dicitur, *Qui ingreditur sine macula*. Qui ingreditur, in via est. *Qui ingreditur sine macula*. Videte quid præcipitur: non dixit, Qui pervenit ad finem sine macula; sed, Qui adhuc in itinere est, et maculam non habet. Dicere aliquis poterat: Non habeo maculam, non feci malum. Non sufficit nobis malum non facere, nisi fecerimus et bonum. Denique sequitur: *Et operatur justitiam*. Non dixit, operatur castitatem; non dixit, operatur sapientiam, operatur fortitudinem. Et hæ quidem virtutes optimæ sunt. Verbi causa, sapientia nobis prodest, ut persecutionibus erudiamur; fortitudo nobis prodest, ut persecutionibus resistamus; deinde temperantia et

castitas nobis prodest, ne perdamus animas nostras. Justitia sola magna virtus est et mater omnium. Dicat aliquis: Quomodo justitia major est cæteris virtutibus? Cæteræ virtutes habentem delectant; justitia non delectat habentem se, sed alios. Si sum sapiens, sapientia me delectat; si sum fortis, me delectat fortitudo mea; si fuero castus, castitas mea lætitia mea est: cæterum justitia non prodest habenti, sed cæteris miseris non habentibus. Fac aliquem pauperem rixam habere cum fratre meo; fac fratrem meum potentem esse, et alium, hoc est alienum a me pauperem et miserum, opprimi per potentiam: sapientia mea quid prodest pauperi? fortitudo mea quid prodest pauperi? mea castitas quid prodest pauperi [1]? Justitia prodest, quoniam non accipio personam fratris, sed pro veritate judico. Justitia non novit fratrem, non novit matrem, non novit patrem; veritatem novit: personam non accipit, Dominum imitatur. Proptereaque dixit, *Et operatur justitiam*, ne videretur cæteras virtutes exclusisse. Qui irascitur pro alterius refrigerio, qui aliorum miseriis non delectatur, iste justus est.

4. [*vers.* 3.] Dicamus et cætera quæ sequuntur. *Qui loquitur veritatem in corde suo.* Multi loquuntur veritatem in labiis, et non in corde, qui videntur vera dicere, sed cor cum labiis non consonat. *Qui non egit dolum in lingua sua.* Quia quod mente tractavit, sermone protulit. *Nec fecit proximo suo malum.* Quidam putant proximum esse fratrem, aut vicinum, aut cognatum, aut consanguineum. Sed Dominus noster docet nos in Evangelio, in ea parabola ubi quidam descendit de Jerusalem in Jericho: Sacerdos transivit, Levites transivit, non est misertus; Samarites transivit, et misertus est. Et interrogat postea Dominus, et dicit, *Quis horum proximus fuit?* Et statim dicitur: *Qui bene fecit.* Et infert Dominus: *Ite, et vos similiter facite* (*Luc.* x, 30-37). Omnes ergo nobis homines proximi sumus, et nulli debemus malum facere. Sin autem proximos intelligimus fratres et cognatos; ergo licet nobis alienis male facere. Sed absit ita credere: omnes homines proximi sumus; unum enim habemus patrem. *Et opprobrium non accepit adversus proximos suos.* Grandis res dicitur. Nunquam, inquit, vicinus murmuratus est contra eum; nunquam invenit, inquit, aliquam occasionem detrahendi ei: hæc virtus excedit humanam conditionem, Dei gratia est.

5. [*vers.* 4.] *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.* Etsi imperator est, etsi præfectus est, etsi episcopus est, etsi presbyter (in Ecclesia enim istæ sunt dignitates), quicumque malus est in conspectu sancti, pro nihilo computatur. Et statim sequitur: *Timentes autem Dominum glorificat.* Iste sanctus qui ingreditur sine macula, qui potentes despicit, quia mali sunt; si quem viderit timere Deum, licet pauper sit, tamen illum glorificat. *Qui jurat proximo suo, et non decipit* [1]. Et hic proximum similiter debemus accipere, ut supra.

6. [*vers.* 5.] *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Multa sunt quæ dicantur, sed hora excludimur. Quoniam autem nudiustertius de principio cat hæc eos (*a*) diximus, et propitio Deo de Chaldæa egressi estis cum Abraham (*Gen.* xi, 31), et meministis quæ dixeramus, quomodo egressi estis de Chaldæa, et venistis in terram promissionis. Denique et Abraham postquam venit in terram promissionis, hinc inde adversarii erant, hostes terram tenebant; venit Dominus, et educit eum foras, et ponit in montem, et ostendit ei universam terram, et dicit: *Hæc omnia tibi dabo et semini tuo* (*Id.* xiii, 15). Illi promisit, nobis redditurus est.

Explicit tractatus Aurelii Augustini episcopi de Psalmo XIV.

Et mox in iisdem Mss. subjicitur altera ejusdem Psalmi expositio, quæ incipit, De hoc titulo, etc.

[1] Ita vetus codex in Colbertina bibliotheca, qui charactere, forma et magnitudine, Regio volumini a Petrarcha laudato simillimus, eademque ætate, id est, ante annos ab hinc septingentos descriptus, alteram illam Psalmi 14 expositionem pariter exhibet; quemadmodum et alia quædam dubia, imo quæ certo constat non esse Augustini: qualis est Basilii in Psalmos præfatio in iisdem codicibus contenta. [*sapientia mea quid prodest pauperi? Justitia prodest*, etc.]

[1] Sic verius juxta Colb. Ms. [*despicit.*]
(*a*) Forte, *catecheseos.*

Cum centum et quinquaginta psalmi in decursu tomi hujus quarti ordine cardinali simul et ordinali invicem subsequantur, hinc specialem eorum indicem subjiciendi nulla non modo necessitas, sed ne facultas quidem nobis suppetit: quoniam nihil aliud hic index demonstraret, quam quod quilibet aperto, ut aiunt, codice, invenire facillime potest. Quantum ad ea quæ doctrinam moralem et dogmaticam, disciplinamque et historiam complectuntur, seu sensum litteralem, mysticum, cæterosque exhibent et enucleant, hæc omnia ad calcem ultimi tomi oppido indicabuntur, subjecto generali indice alphabetico et analytico, quo S. Doctoris opera hæc absolutissima coronabuntur. M.

EXPLICIT TOMI QUARTI PARS POSTERIOR.

Parisiis. — Ex Typis J.-P. MIGNE.

Luc. I, 30-37. [illegible]
simus, et [illegible]
proximes [illegible]
nobis [illegible]
omnes [illegible]
nus patres. [illegible]
imos suos. [illegible]
nos [illegible]
it, inquit, [illegible]
virtus [illegible]

deductus est in [illegible]
est, [illegible]
ter in Ecclesia [illegible]
e malos est [illegible]
tatur. [illegible]
lorificat. Iste [illegible]
potentes [illegible]
timere Deum. [illegible]
at. Qui [illegible]
mum similiter [illegible]

uam non [illegible]
hora [illegible]
principi [illegible]
de Chaldea [illegible]
[illegible]
de Chal[illegible]
rique et [illegible]
omnis, [illegible]
elant; [illegible]
[illegible]
Hæc [illegible]
romisit, [illegible]

[illegible]

IV.

[illegible]
[illegible]